





THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM.
VOLUMEN X.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS


a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN DECIMUM.



VENETIIS,
Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI

S. D.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.


N hoc decimo Thesauri antiquitatum Romanarum tomo vides primo loco præstantissimum opus, Nicolai Bergierii de publicis & militaribus imperii Romani viis libros V. qui doctrinæ variæ copia vix ulli scriptorum cedunt, quæ in tot hujus Thesauri voluminibus leguntur. Scripti illi erant lingua Gallica, & prodierant anno Christi CIƆ IƆC XXII. mihique dono missi fuerant, cum diu eos frustra quæsivissem, ab Illustrissimo Abrincensium Antistite, *Petro Daniele Huetio*, cum quo ipsos annos triginta colui amicitiam. Hos libros e Gallico in Latinum convertit sermonem eleganter Vir Clarissimus, Henricus Christianus Henninius, Medicinæ ac elegantiorum litterarum in Academia Duisburgensi Professor celeberrimus, qui & eruditas notas calci adjecit, & in prooemio, quod notis præfixit, docuit ipse, quid præter versionem Latinam magno studio adornatam præstiterit, ut opus Bergierianum melius & emendatius prodiret. Præter hæc habes quasdam notas & emendationes, quas ipse Bergierius margini editionis suæ apposuerat. Eas ad CL. Bælium miserunt Viri elegantia ingenii & doctrinæ Illustres Oudinetus, & Du Bos, qui eas per Virum eximium Theodorum Jansenium Amelovenium curavit ad nostrum Henningium. Quibus omnibus accedunt animadversiones *Joannis Baptistæ du Bos*. Hunc politissimum Virum nos æstate superiore in hac Urbe vidisse & audivisse de multis rebus erudite disserentem non sine singulari voluptate meminimus, & etiam nunc lætamur.

Oratio Claudii, quam habuit in senatu, de provincialibus adoptandis in senatum Romanum, si digni hoc essent honore, cujus meminit Bergierius lib. I. cap. 13. & Lipsius ad I annalem Taciti, habetur in tabula ænea, quæ Lugduni servatur in æde S. Sebastiani. Edita est a Sponio in libro Gallico, quem inscripsit *Recherches d' Antiquites & Curiosites de la Ville de Lyon* cap. 7. & ante illum a Grutero in Inscriptionum opere pag. 502. Verba quæ respiciunt Bergierius & Lipsius in illa Oratione hæc sunt:

IN. QVA. SI. QVIS. HOC. INTVETVR. QVOD. BELLO. PER. DECENNIVM. EXERCVERVNT. (Galli) DIVOM. IVLIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM. ANNORVM. IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE. MVLTIS. TREPIDIS. REBVS. NOSTRIS. PLVSQVAM. EXPERTVM. ILLI. PATRI. MEO. DRVSO. GERMANIAM. SVBIGENTI. TVTAM. QVIETE. SVA. SECVRAMQVE. A. TERGO. PACEM PRAESTITERVNT. ET. QVIDEM. CVM. AD. CENSVM. NOVO. TVM. OPERE. ET. IN. ADSVETO. GALLIS. AD. BELLVM.

AVOCATVS. ESSET. Sic legitur & apud Sponium & apud Gruterum. Sed ipſa ratio & loci ſententia imperat ſcribendum eſſe : A. CENSV. NOVO. TVM. OPERE &c. AD. BELLVM. AVOCATVS. ESSET. Avocabatur Germanicus a cenſu, quem princeps in Galliis agebat, qui novum tum erat opus & Gallis inadſuetum, ad bellum. Tacit. I. Ann. 31. *Regimen ſummae rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum*. cap. 33. *Interea Germanico per Gallias, ut diximus, cenſus accipienti exceſſiſſe Auguſtum adfertur*. cap. 34. *Dehinc audito legionum tumultu, raptim profectus, obvias extra caſtra habuit*. Vides ut ſeditio legionum ipſum avocarit a cenſu agendo. Itaque aut imperita manus opificis, qui hæc æri incidit, ſi legitur ſic in lapide, ut editur, aut illius, qui deſcripſit, aberravit. Quid enim eſt *ad cenſus* ad bellum *avocatus ?* A qua aut qua re Druſus eſt avocatus? Et licet ſententiam, quæ nulla eſt, poſſes elicere, unde pendebunt, *novo tum opere & inadſueto Gallis*. Sic itidem hallucinati ſunt ſive ſculptores, ſive deſcriptores in eadem oratione paullo ſuperius:
SED. NE. PROVINCIALES. SI. MODO. ORNARE. CVRIAM. POTERINT. RECIPIENDOS. PVTO. Sed hæc plane menti & ſententiæ Imperatoris adverſantur, qui ſenatui Romano ſtudet perſuadere, Provinciales eſſe recipiendos. Pro NE. RECIPIENDOS. ſi ita habetur in tabula, ſcribendum puto NE. REIICIENDOS. Mentio fit in eadem oratione perquam honorifica Perſici : PERSICVM. NOBILISSIMVM. VIRVM. AMICVM. MEVM. INTER. IMAGINES. MAIORVM. SVORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE. Hic eſt Paullus Fabius Perſicus, cujus meminit fragmentum inſcriptionis Fratrum Arvalium Neapolitanæ, quod legitur p. CXVI. n. 5. apud Gruterum : QVOD. TI. CLAVDIVS. CAE.... TVS. GERMANICVS. P. P. APPELLATVS.... C. CAECINA LARGVS. L. VITELLIVS. PAVL.... FABIVS. PERSICVS. TAVRVS. STATILIVS. Et in ſequente pagina in alia inſcriptione fratrum Arvalium itidem nominatur, quamvis corrupte ibi pro PERSICVS ſcribatur PRISCVS, ut ex lapide præcedente conſtat, in quo bis occurrit nomen Paulli Fabii Perſici, nec non ex hac Claudii oratione.

Non poſſum quin tecum communicem, Lector, non nullas inſcriptiones ineditas, quæ pertinent ad hoc argumentum viale illuſtrandum. Eas debeo viro & amico ſummo, cum in vivis eſſet, Marquardo Gudio. Prima eſt in Etruria inventa, quæ meminit viæ Nepetinæ, Caſſiæ, Ciminiæ.

T. HAERENNIVS. T. F. CLAVD. CLAVDIANVS
IIIIVIR. VIAR. CVRAND. TERMINAVIT
M. CORNELIVS. Q. F. POMPEIANVS
IIIIVIR. VIAR. CVRATOR. VIAE NEPETI : : : :
DIRECT. - - - - - - - DIVERTICVL. . .
CASSIAE. CIMINIAE. PASS. CCCCLXXX. . . . .
LAPIDEM. SIGNIN. . . .

VIAE. NEPETI : : : eſt Viæ Nepetinæ, quamvis frequentius incolæ urpis Nepetis dicantur Nepſini. Eſt vero Nepete urbs Etruriæ, quæ & dicitur ab aliis Nepeti, ab aliis Nepeta, Nepet, ab aliis Nepi, & Nepa, de qua plura ſi cupis, conſule Cluverium II.

Italiæ antiquæ cap. 3. Via Caſſia & Ciminia itidem ſunt in Etruria. Caſſia ducebat a Cluſio Florentiam, Ciminia vero a Viterbio quouſque pertinuerit in Etruriam, nondum exploratum eſt. Ciminius mons, ſaltus, & lacus, ſeu palus ſunt prope Viterbium. Utriuſque meminit alia inſcriptio, quam ex Grutero Bergerius protulit lib. I. cap. 4. Habes hic de iiſdem viis Caſſia & Ciminia inſcriptionem aliam nondum editam, quæ Romæ fuit inventa:

HERCVLI. ET. GENIO. ET. FAVNO. CONSER. DOM.
TYETTIVS. PROBIANVS. V. C. CORRECTOR. ITER
VIAE. FLAMINIAE. ET. CASSIAE. CIMINIAE. VET
ET. AVRELIAE. TRIVMPHAL. . . . . . .

Ubi corrector viæ eſt reſtitutor viæ corruptæ & labefactatæ. In inſcriptionibus ſemper legitur ſine copula *Caſſia Ciminia*, ut videantur concurriſſe & alicubi junctæ fuiſſe, ut quaſi una fuerit habita via. Ardeatina & Severiana via prædicatur in alio inedito lapide:

IMP. CAES. M. IVLIVS. MAXIM
PIVS. FELIX. AVG.
PONTIF. MAXIMVS. GERM. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
COS. PROCOS. P. P. EX. TERM
LAP. MILL. N. XV.
ARDEATIN. SEVERIAN

In primo verſu legendum C. IVLIVS. MAXIM. Nam Maximini prænomen fuit Cajus, non Marcus. Ultima verba ſic mihi videntur explicanda. Ex Terminali Lapis Milliarius Numero XV. ſi hæc N. recte ſe habet. Niſi forte in lapide fuerit LAP. MILL. P. XV. Ex Terminali Lapide Mille Paſſus XV. Ardeatinæ & Severianæ Viæ, ut quindecim paſſuum millia diſtare hic locus dicatur a milliari lapide in illis viis. Severiana via legitur etiam in inſcriptione Gruteriana, quam laudat Bergerius lib. IV. cap. 48. quem vide Nunc & aliam accipe, in qua fit mentio viæ Latinæ, Lavicanæ, & Novæ Trajanę.

A. GABINIVS. M. F. QVIR. PRISCVS
V. C. VIR. A. A. A. F. F. QVAESTOR
AB. AERARIO. SATVRNI. TRIBVNVS
MIL. BIS. PRAEF. PRAETOR. ET. PRO
PRAETOR. IN. ILLYRICO. PRAEF. VRBI
PROPRAETOR. PROVINCIAE. ACHAIAE
ET. BITHYNIAE. PRAET. ANNONAE
CARAE. LEG. PROPR. LEG. IX. CLAVD
BRITANNIAE. PROCONS. PROVINCIAE
AFRICAE. CVRATOR. AQVARVM. LEG. PRO
VINCIAE. ASIAE. IIIIVIR. VIAR. CVRAND
LATINAE. LAVICANAE. ET. NOVAE. TRAIAN
AE. AB. IMP. CAESARI. HADR. ELECTVS. IN
TER. FAMILIAM. PATRICIAM. PATRONVS
COLONIAE. AELIAE. ZAMAE. REGIAE. XV
VIR. STLITIBVS. IVDICANDIS. ET. PROCVR
XX HERED.

In primo verſu procul dubio excidit deſcriptoris, credo, vitio III. ſcribendum enim IIIVIR. A. A. A. F. F. Huic aliam ſubnecto, in qua Semtimia, Ardeatina, & Laurentia via commemoratur. Reperta eſt in ruinis viæ ſacræ Romæ.

L. CAELIO. L. F. QVIR. RVFO. V. C.
FLAVIALI. SACERDOTI. SPLENDI
DISSIMO. PONTIFICI. MINORI
COOPTATO. IN. COLL. OMNIVM. FABR
CENTONARIOR. ET. DENDROPHOR
CVRATORI. TRIVMPHI. IMP. CAESARIS
L. SEPTIMII. PERTINAC. AVGVSTI. PAR
THICI. ARABICI. ET. PARTHICI. ADIABE
NICI. MAXIMI. CONSVLARI. CAMPA
NIAE. ET. APVLIAE. BIS. CORRECTORI
TVSCIAE. ET. VMBRIAE. ET. PICENI
PROCVRATORI. LVDI. LITTERARII
IIIIVIRO. VIARVM. STERNENDARVM
VIAE. SEMTIMIAE. ARDEATINAE. ET
LAVRENTINAE. PROCVRATORI XX
HERED. BRVTTIAE. ET. CALABRIAE
CVRATORI. AEDIFICIORVM. AQVARVM
QVAESTORI. AERARII. SATVRNINI. PATRO
NO. COLONIAE. RICINNIAE. HELVIAE
IN. CVI. CVR. ET. OF. BENE. MERITO
RICINNATI. HELVIANI.
SVA. IMPENS. IN. FORO. CAESAR.
D. D.

Via Semtimia lapidarii oſcitantia ſcriptum eſt pro *Septimia*, quam ſternendam curavit L. Septimius Pertinax, cujus ſeculo fuit poſita. IIIIViri Viarum aut Viarum Curandarum creberrime conſpiciuntur in antiquis Romanorum monumentis. Ex multis has duas tantum Tibi, Lector, offeram, quarum prima effoſſa eſt in via Valeria:

FLORAE. FERONIAE
SACRVM
T. DEASIVS. T. FIL. HER
CVLANILLVS. IIII
VIR. VIAR. CVR

Altera in agro Firmano:

DIS. MANIBVS. SACRVM
SEX. MOSTIO. SEX. F. VEL
MACERINO
EQ. ROMANO. EVOKATO
DIVI. AVG.
IIII.VIRO. VIARVM. PRAEF
FABRVM. LEG. X. AVG. GEM
MOSTIA. HERCVLANILLA
MATRI. PIIS. T. F. C.
IN. FRON. P. XI. IN. AGR. PED. XIIII
H. M. D. M. A.

Curam operum & viarum publicarum in Urbe ad Aediles pertinuiſſe tritum eſt, & tradit etiam Bergier. lib. I. cap. 6. In hanc rem extat inſcriptio vetus inedita non inelegans, quæ inventa fuit Tiburi in Lapide Terminali:

C. CALPVRNIVS. C. F. PAL
VESTORIANVS
AED. CVRVL. TERMINA
VIT. OPERA PVBL
TER

Recte Bergierius lib. IV. cap. 44. Diis Vialibus accenſet Herculem. Hinc toties in inſcriptionibus laudatur *Hercules Comes Conſervator*. Ex plurimis en Tibi unam, quæ nondum, quod ſciam, lucem vidit publicam:

HERCVLI. COMITI
CONSERV. SACR.
L. AELIVS. L. F. ESQ. PENIO
MILES. COH. VI. VIG. EX. V. S.

In notis Clarissimus Henninius Fortunam Reducem in Dearum Vialium censum merito retulit. Inde in quodam inedito epigrammate vocatur venuste *Fortuna Redux Viatorum Conservatrix*:

FORTVNAE. REDVC. VIATOR
CONSERVATRIC. SACR.
SEX. PERCILIVS. SEX. FIL
PRISCVS. MAGISTER
VICI. NOVANI. FABRICI
EX. V. S.

Eo refero quoque Neptunum Reducem, cui positus est lapis, itidem in inscriptionum editarum libris adhuc invisus, qui Ostiæ fuit erutus:

NEPTVNO. REDVC
SACRVM
Q. MANLIVS. Q. F. PAL
SEVERIANVS
VI VIR. AVGVST. ET. FLAM
TITIAL. V. S. L. M.

Hoc votum Neptuno Reduci solvunt, qui ex itinere maritimo salvi redierunt domum.

Bergierium excipit non minus desideratum opus, in Latio æque non visum ac Bergierianum, Francisci Patricii de re militari commentarius. Nam lingua Italica fuit scriptus, & in his terris rarissimus habitus, ex qua in Latinam convertit Vir Cl. Ludolphus Neocorus. Quantus vir fuerit Patricius in omni doctrinæ genere, in Philosophiæ reconditæ mysteriis dilucidandis, æque ac in litteris abstrusioribus illustrandis, nemo paullo humanior ignorat. Id enim tot eximia ingenii ejus monumenta luculente testantur. Primus Romanæ rei militaris præstantiam Polybium secutus detexit, cui quantum debeant, qui post illum in hoc argumento elaborarunt, non nesciunt viri docti, qui Josephi Scaligeri epistolas, aut Nicii Erythræi Pinacothecam legerunt. Nonnulla quidem rectius & explicatius sunt tradita de hac doctrina post Patricium a Justo Lipsio & aliis, qui in hoc stadio cucurrerunt, ut non difficulter inventis aliquid additur, aut in iis emendatur, sed præclare tamen fractæ glaciei laus Patricio est tribuenda.

De Viri natalium splendore, dignitate, ingenio & virtute Illustris, Ratbodi Hermanni Schelii notis in Hyginum Gromaticum & Polybium de castris Romanorum nihil tam magnificum dici potest, quin operis excellentia & tot novarum rerum doctrina longe superet. Si vel solum inspicias Hygini Gromatici librum de castrametatione, quem ut invenerat in membranis ediderat Petrus Scriverius tam corruptum, ut quot fere verba tot vulnera, imo monstra viderentur esse, statim cognosces divini ingenii sollertiam in illis vulneribus sanandis. In notis vero cum ad Hyginum, tum ad Polybium, & in

differtationibus quas notis fubjecit de Romanorum difciplina militari, quam multa docuit omnibus ignota, tam in caftrorum ratione, quam in legione conftituenda, & legionariorum veris armis, quod non latuit Cl. Boeclero, qui lecto hoc opere de legione libellum edidit, candide teftatus a Schelio fe didiciffe, quænam fuerit legionis Romanæ conftitutio, quam invenies in hoc ipfo tomo poft Salmafianum fragmentum. His adde, quæ tradidit de alis, de velitibus, de antefignanis, de vexillariis, de cohortibus, de manipulis, de duplicariis & fefquiplariis, de facramento & jure jurando militari, de vigiliis, excubiis, ftationibus, de ftipendio, de iis quæ tribuebantur imperatoribus exercituum, de frumentatione, de præda, de præfectis, de prætorio & quæftorio in caftris fimplicibus & duplicibus, de tefferis, aliifque multis, quæ aut nunquam ab aliis, aut perperam erant litteris prodita. Hinc & cum ille liber publici juris fieret, non modo docti homines, fed & fummi Imperatores bellici in Gallia & Germania, qui non rudes erant litterarum, illum admirabantur, & magni faciebant, præfati, fe ex illo non modo didiciffe quæ ad Romanam militarem doctrinam fpectarent, intelligendofque, qui illam defcripferunt, prifcos rerum Romanarum auctores optimos, fed & ad noftri temporis res militares rectius conftituendas, & in non nullis ad illam Romanorum difciplinam, qua Orbis terrarum fubactus eft, conformandam. Utinam duo tomi, quos de iifdem artibus bellicis Romanorum paratos habebat, ut non diu ante mortem fuam mihi Vir Magnus affirmabat, lucem etiam adfpexiffent! Quæ & quanta fciremus, quæ nunc omnes ignoramus, & forte femper ignorabimus! Quis enim nunc tanta cura, diligentia & ingenio his ftudiis dat operam? Sed poft obitum ejus hi fœtus ingenii Scheliani non potuerunt reperiri, quamvis defuncti fcrinia fatis diligenter excufferit Vir Ampliffimus & Orator ac Poeta cultiffimus Goswnus Hogerfius, Conful olim Daventrienfis. De Schelio id tantum addo, quod alii ex me fæpius audierunt, me illi nullum mortalium, quos ego quidem unquam in vita novi, anteferre: tanta in Viro Nobiliffimo erat exaggeratæ mentis celfitudo, tanta virtus & vitæ fanctitas, tanta vis ingenii & doctrinæ, tantus dictionis fplendor, ut vel ex ifto folo nobiliffimi generis & animi eluceat imago. Nec tamen æftimandus eft ex his, quæ in manibus habemus, Schelius. Multa præclara in Philophia & Theologia commentatus erat, quæ in adverfariis jacebant. Hæc fi prolata fuiffent, pateret magis omnibus, quam vafta fuerit Viri fummi doctrina, & quam acre fincerumque de rebus fublimibus judicium, quamvis totus videretur effe, ut erat, in negotiis reipublicæ tractandis. Sed quo pervenerint illi commentarii poft necopinum & acerbum Ejus obitum, perveftigare nondum potuimus. Mortis illius nuncius cum ad nos perferretur, teneri non potui, quin Manibus Ejus parentarem publice, memoriamque ejus pro mea copia celebrarem.

His accedit fragmentum τοῦ πάνυ Claudii Salmafii de re militari, quod morte Viri Maximi interruptum eft, digniffimum tamen, quod fervetur, cum multa ibi doceat, quæ ceteri prætererant aut non intellexerant, inprimis difcrimen militarium rerum, ut fe habuerint

ante Marium, & poſt Marium. His ſubtexuntur CL. Henrici Boecleri de legione Romanorum diatribe, Franciſci Robortelli de legionibus Romanorum, item de commodis præmiis ac donis militaribus, nec non de pœnis militum & ignominiis diſputationes. Quas excipiunt Erycii Puteani & Vincentii Contareni de ſtipendio militari Syntagmata, digna quidem lectu, ſed veriora de difficultatibus in illo argumento occurrentibus leges in Schelii de ſtipendio diſputationibus: Michaelis Angeli Cauſſei de ſignis militaribus libellus, & tandem Petri Rami de militia C. Julii Cæſaris liber. His fruere Lector, & vale. Trajecti Batavorum Idibus Aprilibus CIↃ IↃC XCIX.



SERIES SCRIPTORUM,

Quæ in decimo Tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

NICO-

NICOLAI BERGIERII
DE
PUBLICIS ET MILITARIBUS IMPERII ROMANI VIIS
LIBRI V.

Ex Gallica in Latinam Linguam translati

A B

HENR. CHR. HENNINIO.

ACCEDUNT

Ejusdem Animadversiones cum Tabulis & Numismatibus.

NICOLAI BERGIERII,

VIRI CLARISSIMI ET DOCTISSIMI,

ELOGIUM.



Atus est NICOLAUS BERGIERIUS *Durocortori Remorum*, anno a C. N. cIↄ. Iↄ. LVII. & deinde studiis ibidem operam dedit in nova, quam ea in urbe excitaverat, CAROLUS Cardinalis Lotharingus, Academia: postea in eadem Academia aliquot annos professus est bonas Literas; a qua Professione transiit ad Comitem DE SAINT-SOUPLET, Campaniæ summum Præsidem, sive magnum Ballivium, ut hujus liberis studiorum cultura imbuendis præesset. Tandem adscriptus est Advocatorum Curiæ Præsidialis Remensis ordini, qua in professione magna cum laude & fama versatus est. Civitas Remensis cum Ejus industriam, ingenium & in rebus agendis dexteritatem perspexisset, creavit illum suæ Urbis syndicum, eumque sæpius rei publicæ caussa Lutetiam Parisiorum ablegavit. Hac occasione in Urbe ista principe plurimis innotuit Viris Eruditis, & inter illos maxime illustri PEIRESCIO, & doctissimo PUTEANO, quibuscum communicavit propositum suum de conscribendis libris, quibus *Publicas & Militares Imperii Romani Vias* persequi, illustrare & enarrare vellet. Hi vero ipsi animos addiderunt, &, ut eos libros perficeret, Eum sunt cohortati: quin imo illustris PEIRESCIUS in eum finem BERGIERIO suppeditavit pernecessariam isti instituto *Tabulam Itinerariam Peutingerianam*, quod Gassendus annotavit ad annum a N. C. cIↄ. Iↄc. XXII. *in vita* PEIRESCII; & noster BERGIERIUS, *in præfatione ad Lectorem illius sui operis*, ipse ultro gratissima memoratione agnoscit. Verum inter omnes Ejus Amicos & Mæcenates, quos sibi bonis artibus, eruditione & morum probitate paravit, principem locum ornavit Vir Perillustris, NICOLAUS DE BELLEIVRE, honorarii cudonis Præses summæ Curiæ Judiciariæ Parisiensis, qui BERGIERIO procuravit diploma sive codicillos Regios, quibus Historiographus Regius, annuo ducentorum scutatorum sive argenteorum uncialium honorario, creatus est. Perillustris autem ille Præses adeo delectatus fuit nostri BERGIERII ingenio, ut eum nunquam a se voluerit dimittere; quare etiam noster deinceps apud illum ad extremum usque suæ vitæ diem hæsit. Opera ab ipso scripta sunt hæc: *Histoire des Grands Chemins de l'Empire Romain, contenant l'origine, progres, & estendue quasi incroyable des Chemins Militaires, pavez depuis la ville de Rome jusques aux extremitez de son Empire. Ou se voit le grandeur & la puissance incomparable des Romains: ensemble l'Esclarcissement de l'Itineraire d'Antonin, & de la Carte de Peutinger, à Paris* 1622. id est: Historia Publicarum & Militarium Imperii Romani Viarum, ubi Earum origo, progressus & longitudo pæne incredibilis, munitarum & stratarum ab ipsa Urbe ad extrema usque Imperii, proponuntur; unde Magnitudo & incomparabilis Potentia Romanorum cerni potest: Simul etiam ITINERARIUM ANTONINI & TABULA PEUTINGERIANA illustrantur. Ex Gallica Latinam fecit HENRICUS CHIRSTIANUS HENNINIUS: accesserunt *Addenda & Emendanda* ipsius BERGIERII; item Cl. V. Du Bos *Animadversiones*; ut & *Notæ* Interpretis. Ultrajecti apud Franc. Halmam, & Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa. 1699.

Bouquet Royal, ou Relation du Sacre de LOVIS XIII. *a Reims* 1617.
Archemeron, ou traité du Point du jour, à Paris 1617. *& depuis a Reims* 1639.

Histoire de Reims. a Reims 1629. item: *Dessein de l'Histoire de Reims.* ibidem 1617.

Apud defuncti BERGIERII heredes inedita superſunt iſta manu ſcripta: *La Vie de Saint Albert, avec l'Histoire de la translation de son Corps de Reims a Bruxelles, qui se fit en* 1612. *à la requisition de l'Archiduc* ALBERT. Auctor a Sereniſſimo Belgarum Principe ALBERTO ob hoc opus elaboratum, quamvis non ſit typis exſcriptum, dono Torquem Aureum accepit.

Reſtant etiam penes heredes nonnulla alia manu BERGIERII ſcripta; *de Literarum Elegantiorum præstantia & excellentia, de Antiquitate & Excellentia Poeseos, & de Musica speculativa.*

Mortuus eſt XV. *die Septembris* anno a N. C. CIↃ. IↃC. XXIII. in Arce *Grignonia*, quæ perilluſtris erat BELLIEVREI. Epitaphium, quod illuſtris ille Præſes memoriæ ſui Amici conſecravit, legitur etiam in principio *Historiæ Remensis* editæ anno a N. C. CIↃ. IↃC. XXIX. quale hic ſubjicimus:

A. ☧. Ω.

NICOLAO BERGIER, IN PATRIA REMORVM CIVITATE MAGISTRATV MVNICIPALI SVMMA FIDEI ET DILIGENTIÆ LAVDE PERFVNCTO; SED LONGE CLARIORE APVD ERVDITOS MEMORIA, EDITO INSIGNI DE VIIS PVBLICIS IMPERII ROMANI OPERE, ALIISQVE MONVMENTIS, QVIBVS INGENII LVCE, JVDICII ACVMINE, MVLTIPLICIQVE ERVDITIONE PRÆSTITISSE CVNCTIS FACILE CONSTAT: LITERARVM NOMINE MORVMQVE SIBI ACCEPTISSIMO, QVOD, DVM PROCVL DOMO AGIT, SECVMQVE IN FVNDO SVO GRINIONE DIVERSATVR, FEBRI AVTVMNALI CORREPTVM MORS SATIS IMMATVRA OPPRESSERIT, ILLIVS NOMINI POSTERITATIQVE VITAM, QVO FIERI POTEST MODO, REDDITVRVS HOSPITI SVO CLIENTIQVE SVAVISSIMO,

NICOLAUS BELLEVREUS

H. P. M.

NAtus ego Remis, ſtudiis & nomine PASTOR
 Auſpicio excepi Te, LODOICE, bono:
Dum ſacer æterno ceromate firmat Aliptes,
 Qui ferat audaci Gallica Sceptra manu.
Pythagoræ numeros, doctique arcana Platonis
 Novimus, & noſtra Muſica crevit ope.
Appia cunctarum quondam regina Viarum,
 Et teritur chartis plurima ſtrata meis.
Grammaticen colui: noſtri monumenta laboris
 Plura relicturus; invida mors vetuit.

OBIIT XV. KL. SEPTEMBR. CIↃ. IↃC. XXIII.
VIXIT ANN. LVII.
R. I. P.

A MONSIEUR
BERGIER,

sur son Livre,

des Grands Chemins de l'Empire de Rome,

SONNET.

LA celeste Uranie, o BERGER studieux,
Gouvernoit ton esprit, te faisant entreprendre
Ce livre merveilleux, ou chacun peut apprendre
De tous ces grands Chemins l'ouvrage industrieux.
Mais la Divinité nous apprend beaucoup mieux,
Que comme Pelerins, advisez, devons prendre
Le grand Chemin du Ciel, pour seurement nous rendre
Au nombre des esleus a jamais bien-heureux.
De ces braves Romains la feconde semence
Qui remplit l'Univers de cet ouvrage immense,
Avant son œuvre mesme à terminé ses jours.
Qui si suivant les pas de ta belle Uranie,
Tu te fais droit au Ciel une voye applanie,
Ton ouvrage aura fin, mais tu vivras tousjours.

M. B.

D. BERGIER, CAMPANO,

FAMILIARI SUO, dum per

MILITARES VIAS IMPERII ROMANI,
Imperium ipsum, Regibus Francorum olim proprium, iisdem redintegrare auspicatur:

CAROLUS DU LIS, *Amicissimus, alludit de Puella Aurelianensi Campana, consanguinea sua, quæ Regnum itidem Regi Francorum militari virtute restituit.*

PASTOREM Aureliæ Campania, nomine Janam,
Francorum Regi misit in auxilium.
Nomine PASTOREM Francis Campania mittit,
Qui Romæ antiquas excitet arte Vias.
Regis in auxilium Deus impulit ipse puellam:
Impello hunc, Jana pulsus, ut illa Deo.
Restituit Francis ut Regnum Jana Paternum,
PASTOR avitum iter his sternit ad Imperium.

JOHANNES COMMIRIUS e S. J.

ad V. Cl.

JOHANNEM DE VIENNE,

Abbatem *Sancti Martini* apud *Nivernum*,

in Historiam Militarium Viarum *a* NICOLAO BERGERIO scriptam.

Dum volucri penna Latiarum strata Viarum
PASTOR obit, capitique refert miracula Mundi,
Ipse sibi arte Viam mira munivit Olympo,
Et paribus scriptis Romanum æquavit honorem.
Obstupui visu, & quanquam spes maxima dictis
Facta, VIENNA, tuis fuerat, mens conscia veri
Invenit majora tamen, promissaque rebus
Victa suis ultro agnoscit, gaudetque fateri.
Quid dicam, unde novæ surgent exordia laudis?
Ten memorem, egregius Cœci labor Appia ClaudI,
Appia Romulidum quondam Regina Viarum;
Vel quæ Flaminii te jactas nomine; vel quæ
Æmilii servas æterno in marmore famam;
Atque alias, quas dum Terram victricibus armis
Æneadæ lustrant, decorum monumenta suorum
Exstruxere opere immenso, nec dispare sumtu,
Cui vix tot census, tot vectigalia late
Regnantis Populi & Mundum ditione tenentis
Sufficerent. Quoties audacibus invida cœptis
Objecit Natura moras; quotiesque labore
Indoluit victum Numen, legesque recepit?
Depressi montes, æquataque culmina campis,
Aggeribus valles obductæ & molibus altis.
Ac jussi substare lacus, perque invia ductum
Flumina iter, medioque diremtus flumine Nereus
Ad frænum docilis captivos volvere fluctus.
Sæpe etiam excisæ rupes pertusaque saxa
Fornicibus longis, perque intima trames apertus
Viscera petrarum, & cœci penetralia Ditis.
Huc adde egregias cultu spoliisque superbas
Pyramides populorum, auctosque insignibus Arcus,
Balneaque, & Thermas, & vulgi gaudia Circos,
Et vota in medio belli discrimine Templa.
Hæc & plura suo spectanda volumine PASTOR
Exhibuit, nullis ante intellecta priorum:
Et quanquam tritos Latii describere calles
Aggressus, tamen astra novo sibi limite pandit.

Ex libro Poematum COMMIRII
pag. 127. edit. factæ 1681.

FAMÆ POSTUMÆ

NICOLAI BERGIERII,

VIRI DOCTISSIMI, SACRUM.

NObis BERGERIUS Vias parando,
Queis Orbis Dea Gentiumque Roma
Terris omnibus undecunque adiri,
Nec non ipſa poteſt iter viciſſim
Per, quantum patet, ire fortis Orbem:
Has, inquam, faciles Vias parando
Auſpex BERGERIUS cluet Viarum,
Ac Dux optimus ad ſerena Romæ
Templa & Sacra Deæ; ſavente Fama
Hinc certam ſibi jam ſibi Viam paravit,
Cœlo lactea qua teruntur aſtra,
Trito tramite nemini priorum:
Virtuti invia nulla nam Viarum eſt.

faciebat

HENR. CHR. DE HENNIN.

BEnevole Lector, dum primam in τῷ *Tofus* Syllabam communem puto, quod & alios video feciſſe, deprehendi poſtea, eam conſtanter a melioribus & priſcis Poetis longam poni; quare, ſi placet, refinge verſum iſtum noſtrum, qui pag. 815. ſic legitur; *Viſaque, quæ molles nectat Arena Tophos*: eum, inquam, ſic incudi redditum torna:

Viſaque, quæ *Tofos* nectat *Arena* leves,

Id volebam neſcius ne eſſes benevole Lector; homo enim ſum, & Tu homo es, quare hominem homini ignoſcere æquum & verum eſt.

Monendus eſt etiam Benevolus Lector, in nummo Hadriani, qui laudatur in *Animadverſionibus* Cl. du Bos pag. 623. legi: STABILIS, cum Chalcographus ad fidem ipſius nummi debuiſſet exarare ſolum STABIL.

INDEX SECTIONUM.

Index Sectionum.

Index Sectionum.

INDEX SECTIONUM.

Index Sectionum.

LUDO.

LUDOVICO XIII.

REGI CHRISTIANISSIMO.



SI Regibus regia sunt dedicanda, hoc sane opus *de Publicis & Militaribus Viis*, quas omnes fere ubique terrarum populi *Regias* appellant, nemini debuit potiori jure consecrari, quam Augustæ Majestati Tuæ, quæ principem inter Terrarum Reges locum ornat, quos splendore & dignitate tanto post se relinquit intervallo, quanto illi cæteros homines. Licet autem liber hic prima fronte regificum quicquam non ostentet, quod primo intuitu Lectorum mereatur attentionem; ejus tamen argumenti cum gratia, tum novitas, ut spero, facient, ut benigne recipiatur, cum veluti in tabella simul ostendet, nunquam a S. P. Q. R. ejusque subinde Imperatoribus, id est, toto quasi Terrarum orbe & humano genere exactum & perfectum fuisse opus, quod magis sit magnificum, magis ultra fidem & conandi audaciam. Hinc etiam sequiori ævo, cum barbaries elegantioribus literis tenebras & noctem attulisset, plerique vasta harum Viarum immensitate, inusitato nobis more constratarum, & itinere continuo per amplissimas provincias porrectarum obstupefacti, illarum retulerunt origines ad Dæmones, ad Gigantes, ad nescio quarum Magicarum Artium viros & incantamenta; nempe persuadere sibi non poterant, hæc viribus humanis tantum non majora potuisse hominum ingenio & improbo labore perfici. Sed postquam nostro tandem ævo lucis litterariæ radii in Tuo maxime regno dispulerunt ignorantiæ tenebras, idque auspicio atque liberalitate Tuorum, REX CHRISTIANISSIME, decessorum; ibi tum apparuit, illos Gigantes, illas Magicarum Artium vires fuisse Consules, Prætores, Censores, aliosque majores Pop. Rom. magistratus, & postea ipsos Imperatores, qui in illo summæ Majestatis Potestatisque fastigio, ad quale nulli unquam nec ante nec post Terrarum Domini adscenderant, sæpius dedignati non sunt ipsimet adesse, cum hæc opera magnifica substruerentur. Atqui ad illud erant evecti fastigium, quod Aristides tyrannica licentia liberius, & Regum majestate excelsius pronunciat: quod nulli Regum per Orbem Terrarum propius aggressi sunt, quam Galliæ. Illud enim, AUGUSTISSIME REX, & animadvertere, & procul ab adulatoria vanitate licet affirmare, solos Francorum Reges per Carolum Magnum ejusque Filios ad Imperialis Majestatis splendidum culmen pervenisse, idque non fraude, sed virtute; non tumultuantium militum impotentia, sed more modoque, qui & otio pacis & legibus respondet, sed vocatione Divina, sed totius Christianæ Reip. conspiratione & consensu, cujus illi semper fuerunt assertores tutelares. Verum autem perquam simile est, AUGUSTE DOMINE, cœleste hoc tuendæ Reip. Christianæ beneficium impetratum fuisse precibus Sancti Remigii, magni illius Francorum Apostoli & Remensis Archiepiscopi, qui continuis precibus (ut ipse prodidit in suo,

quod condidit, teſtamento) id unice a Deo contendit, ut ex magni illius & felicis Chlodovei ſanguine regio naſcerentur Reges & Imperatores, qui ſemper forent Reip. Chriſtianæ Defenſores. Cui itaque magis hunc librum conſecrare & dedicare poteram, quam Tibi, CHRISTIANISSIME REX, Filio & Succeſſori tot Regum & Imperatorum: Hæredi non minus avitæ pietatis & juſtitiæ, quam ſplendoris & avitarum ditionum: Tibi inquam, AUGUSTE REX, qui Imperator es, non jure vulgaris electionis inſertus ſtirpi antiquæ Imperatorum Romæ Veteris, ſed felici naſcendi lege Hæres & Rex ampliſſimi & potentiſſimi Regni, Princeps exſuperantiſſimæ auctoritatis, & nullius in terris dominio aut arbitrio obnoxiæ. Et quandoquidem ſub auguſto Tuæ Majeſtatis regno regiæ hæ viæ tam diu ſepultæ in lucem eruuntur opera Galli, & denuo Galliæ vernaculum in morem redduntur, ipſo jure ad Te Dominum ſuum ire videbantur, qui ſolus magnifica hæc opera potes reſtituere, & ad exemplum Antiquorum Imperatorum cives tuos otio deſides & marcentes excitare ad virtutem & induſtriam opere tam neceſſario; opere, quod pace belloque rebus tuis & ſubjectis Tuo imperio populis maxima adferet commoda. Dignum utique opus, AUGUSTE DOMINE, quod in hoc regno Tuo reſtituas, cum Te Deus in ſui gloriam & publicum Regni Tui bonum Victoriæ alis per univerſam Galliam Triumphatorem circumtulerit: cumque non obſtante ætate Tua tam tenera, cui tyrocinia conveniebant minus dura, id perfeceris amplius, quod Magnus ille Henricus, Pater Tuus, ſub extrema ne quidem ætate potuit; nimirum, uti mirifice cœperas, ita omnes Regni Tui partes in unam ditionem & corpus tandem unitas Tibi pleniſſime ſubjeceris. Fiet hoc, cum nobis pacem certam, univerſalem & perpetuam largieris; cum ſecundum promiſſa Divina Patri credentium facta, ex hoſtium manu liberi facti, abſque metu Deo ſerviemus in ſanctitate & juſtitia ſub regni Tui felicitate per omnem noſtræ vitæ ætatem. Fortunet Deus hunc Tuæ ætatis florem tam glorioſo rerum ſucceſſu, MAXIME REX, Teque gratia & beneficiis ſuis ubique inundet: quod vovet

MAJESTATI TUÆ REGIÆ

devotiſſimus

N. BERGIERIUS.

PRÆFATIO
AD
LECTORES,

Qua hujus operis prima occasio, cur deinde Gallice sit scriptum, ejus tandem fautores & adjutores exhibentur.



Am mirifica est, amice Lector, Viarum Imperii Romani Militarium ratio & stratura, ut inter tot admiranda Romanorum opera singulari libro describi mereantur. Has ergo cum nemini tritas animadverterem, subiit animum, illas lustrare paullo accuratius, earumque cum materiam, tum formam, ceu magnæ molis corpus & animam in lucem eruere publicam: addere una & earundem præcipua ornamenta, varia illa & magnifica opera & ædificia, quæ illas hinc & inde tam in Urbe quam extra illam & in agro cingebant. Id primum Lectores meos volo monitos, ne, si deinceps persequar ædes sacras & profanas, publicas privatasque, extra viæ meæ orbitam me errare putent; quæ ipsa sine his ornamentis nudum sine veste corpus exhiberet ingrato forsan spectaculo. Atque id caussæ fuit, cur sub secundi libri finem disputarim de Templis, Sepulchris, Prætoriis, Villis, Hortis delicatis, utrinque ad vias Italiæ publicas additis. Eadem quoque caussa me singillatim misit ad Vias Urbis militares, ut illas peculiari libro lustrarem, utpote celebratas maxime operum magnificentia, quæ in illo Imperii, ceu sensus principes in humano capite, frequentantur. Plures me tam prisci quam recentiores Auctores, iter illud ut facerem, impulerunt, qui eruditissimis scriptis suis prodiderunt, ad Viarum militarium crepidines & latera fuisse Templa, Prætoria, Arcus Triumphales, Hippodromos, Sepulchra, totque alia magnifica monumenta & opera serie continua ita eleganter exacta, ut exteri Romam euntes & horum cum frequentiam, tum elegantiam & splendorem admirantes, crederent se ante diu in Urbe ipsa versari, quam ad portas venissent. Nullo igitur jure poteram silentio præterire splendida hæc Militarium Viarum ornamenta, cum ipsa etiam illorum rudera & parietinæ juxta præcipuas Italiæ vias hodie spectatoribus voluptatem summam, sed admiratione temperatam insigni excitent. Quod si vero in laborioso hoc & difficili itinere non pervenerim ad destinatum finem, viam saltem monstravero, quam porro minus salebrosam terent illi, quibus & major est eruditio, & stilus tersior, qui me pro sua humanitate intra veniam admittent, sicubi in via hac longa & nulli forsan trita aut lapsus fuero, aut aberravero: neque enim prima magnorum operum conamina statim ad perfectionis culmen perveniunt. Non autem dubito fore plerosque, qui librum hunc vernacula a me lingua scriptum, & Romanam antiquitatem mirabuntur migrasse in Gallicam novitatem; hi Romanis Viis Romanam quoque linguam ejusque nativam gratiam & leporem judicabunt convenientiorem, uti omnibus eruditi orbis provinciis possint monstrari, quibus Latina lingua non est ignota, neque injuria: ipse sane Latine scripsissem, si, cum primo opus hoc molirer, putassem tam fore prolixum, quam nunc apparet. Quod vero Gallice scri-

pſerim cauſſa eſt erudita confabulatio ante annos admodum quinque (ſcripſit Auctor anno cIↃ. IↃC. XII.) *habita in muſeo Ampliſſimi Viri* CAROLI DU LIS, *Conſiliarii Regii & Advocati Generalis in ſummo Tributariæ rei tribunali, qua diſputabatur de illis Vectigalibus, quæ Galli vocant* droit de Reſve & de Haut paſſage, *quæ valde conveniunt Romanorum vectigali peregrino & portorio: ibi tum hæc diſputatio me præter opinionem ſua ſponte deduxit, ut verba facerem de Viis quibuſdam more antiquo conſtratis ſub Imperatoribus Romanis, quæ adhuc integræ viſuntur in variis Galliæ Belgicæ locis, ubi vocatur* Chemins ferrez *aut* Chauſſees de Brunehault, *quaſi diceres Vias ferro aut calce munitas, aut, ſi non faſtidis ſequioris ævi barbariem,* Calcejas *ſive* Calciatas Brunechildis, *quæ ex diverſis tam Galliæ quam Belgicæ regionibus contingunt Urbem mihi patriam Remos. Adſpergebam nonnulla mihi lecta in Hiſtoria Romana de illorum Viis Publicis, ſpeciatim Strabonis extremo libro quarto locum, quo ait, Agrippam, Auguſti generum, partitum eſſe ex Lugdunenſi urbe, ceu centro, Vias per univerſam Galliam, uſque ad extremas ejus oras: addebam aliunde me didiciſſe, in eandem urbem delata olim fuiſſe vectigalia & tributa, quæ Imperatores Romani quotannis Galliæ imperabant: ibidem & hodie Galliæ Regibus pendi vectigalia peregrina & portoria, quæ noſtri appellant* Droits de Reſve, Haut paſſage, Traites foraines & domaniales, *eaque nomine mercium, quæ per conſtratas illas Vias Publicas vectura deferuntur: cumque viæ ille emineant ſolo juxta vicino altiores, fieri potuiſſe, ut vectigalia vectura iſta Gallice dicerentur* Haut paſſage: *id vero dicebam veroſimili conjectura, non quod rem ita eſſe certo auctore ſcirem. Placuit Viro ſummo ſermo meus de Viis illis eminentibus & per ampliſſimam adeo provinciam conſtratis, petiitque, ut ſcripto id, quod dixeram, ipſi conſignarem. Lubentiſſime equidem parui, meque duarum triumve horarum ſpatio poſſe illo perfungi labore credidi, procul certe abfui a condendo integro libro ſuper hoc argumento: cumque in re verſarer patria, eadem quoque lingua mihi utendum putavi, quod privatis deliciis, non publico ſciberem. Sub ſtilo autem creſcebat paullatim opus memoria ſuggerente plurimum, quod alias legeram de Viis Militaribus Romæ & Italiæ. Licet vero ſecundum vota mea perfectum non eſſet, illud tamen Ampliſſimo* DU LIS *exhibere, quale erat, non erubui; ut me oſtenderem promiſſi memorem. Vix ille imperfectum & rude hoc opuſculum legerat, cum judicaret, materiam hanc eſſe juſti & integri operis: mihique affirmabat, non eſſe ſatis, deſcribi Publicas Galliæ vias: illarum origines in ipſa Roma eſſe inquirendas, ubi earum forent initia, & inde eſſe deducendas, veluti per totidem a fonte derivatos canales, per omnes Imperii provincias: quod nemo priorum has Vias eſſet aggreſſus, eaſque tam priſci quam recentiores auctores ſicco pede præterierint, aut ſtudio declinarint, licet hæ reliquiæ ætatis priſcæ mereantur colligi, ut tanquam in tabella eas junctim & ſimul liceret intueri, quæ mens fuiſſe videtur auctori Itinerarii Antonini, in quo tamen plurima aut confundantur, aut deſint. Serio itaque me, eas ut aggrederer, adhortabatur. At licet pulchre mihi conſcius eram, me tanto itineri eique tam difficili & perplexo imparem, poteramque me excuſare conſcribenda Hiſtoria Remenſi, quam dudum inchoaveram; pervicit tamen ipſius erga me benevolentia & amor, ut periculum facerem. Affirmabat porro, ſtilum Gallicum eſſe ſatis nitidum, animumque addebat, ut ſic pergerem: honorificum fore Galliæ, ſi Viæ hæ nulli aliarum nationum tritæ in lucem eruerentur a Gallo Gallica lingua: eruditiores utique terrarum fere callere noſtram linguam, quibus labor hic acceptus eſſet futurus. Publico bono magis hinc incrementi fore, cum Galliæ non deſint decora ingenia, rerum antiquarum curioſa, quibus tanta non ſit Latiniſmi*

peritia, nec ideo tamen rerum elegantium notitia per linguam ipsis ignotam subtrahenda: materiam hanc denique abundare multis Græcis Latinisque vocabulis non vulgaribus & satis difficilibus, quas vernaculo Gallicismo reddi operæ precium fore. His rationibus expugnatus, resumsi materiam in manus, eamque hoc, quo vides, ordine digessi. Vides, benigne Lector, exili hoc seminis grano enatam ingentem arborem Viarum Imperii Romani Militarium, quæ quinque admodum annorum spatio ramos suos postea porrexit versus omnes Orbis partes, quam fortuito sermone in Amplissimi DU LIS *museo erat primum nata. Unde & jure merito non tam mihi, quam Illi opus hoc vindico; primus enim occasionem præbuit, suique judicii dexteritate ex ingenii, si quod est, fonte derivavit, quod ibi esse ipse nesciebam, ad instar Socratis, qui se cum obstetrice comparare solebat; ut enim illa fœtum eliceret ex utero, ita ipsum ex ingenio animi fœtus. Deinde Idem adhortatus ut est, omnia necessaria liberaliter suggessit, fœtum hunc ut feliciter ederem: plus certe præstitit, quam sui temporis eruditis Mæcenas. Juvit me namque sua ope non solum, sed etiam inventis & libris; imo, quod majus est, ipsos etiam amicos suos advocavit in auxilium, qui suas contulerunt quisque symbolas ad ornandum hunc ingenii fœtum. Paucis ut dicam, primus quasi motor in hisce ausis fuit, reliquosque orbes cœlestes una commovit, quorum benigno influxu exiguum hoc germen in justam crevit arborem: summa illa sæculi nostri ingenia puto, qui Galliam nostram cæterasque Europæ nationes doctrinæ suæ fulgore illustrant. Quos inter primi cœli motum proxime secutus est summus* PEIRESCIUS, *Regis in Curia Parlamenti Provincialis, quod Aquis Sextiis est, Consiliarius. Mox enim institutum meum approbavit, cum rudem indigestamque hujus operis molem cum eo communicasset Amplissimus* DU LIS: *cumque initio veluti in tenebris iter facerem, ille ceu alter Jupiter salutari fulgore viam meam collustravit, quo & reliquos Orbis Christiani eruditos, quibuscum ipsi commercium intercedit literarium, illustrare solet. Ille mihi primus indicium fecit* Tabulæ *seu* Chartæ Peutingerianæ, *quæ ad hoc argumentum illustrandum facit plurimum. Unde illis, qui in recondita hujus operis se volunt penetrare, auctor sum, uti illam cum hoc libro conferant; quippe quæ oculis exhibeat depictum, quod liber descriptum. Idem Vir Magnus cum Amplissimo* DU LIS *viam mihi aperuerunt ad amicitiam Eruditissimi* PUTEANI *caussarum in Curia patroni, cujus obvia & exposita est humanitas omnibus per Galliam bonæ mentis amatoribus. Hoc parario intercessit mihi commercium cum doctissimis nostri sæculi Viris, qui fœtum hunc abortivum benigno dignati sunt oculo. Sed ingrati notam sustinerem, nisi hæc omnia ad Deum optimum, omnisque boni auctorem referrem, qui hos mihi fautores eruditos & ingenuos unice conciliavit, & hos inter præprimis, quem dixi, Puteanum, qui perbenigne & lubenter me sæpius super præcipuis hujus operis argumentis rogitantem admisit, atque illud a capite ad calcem relegit: quo ipso etiam animum addidit, ut idem publico auderem exponere, spemque fecit, aliquem fore genium libro huic apud eruditos & cordatos lectores, cum ipse eundem recensere dedignatus non esset. Atque ideo publice profiteor, per quos profecerim, ut si quid sit, quod non omnino displiceat, ejus gratia non mihi soli, sed & illis, quorum symbolis hic liber est gavisus, debeatur: ea vero, in quibus aliquid desiderabunt Lectores, mihi uni vindico, cum pulchre norim illa ex ingenii mei tenuitate esse profecta. Studui tamen inde hanc imbecillitatem fulcire idoneorum, tam ex Latio, quam Græcia, scriptorum auctoritate, quam ubique ingenue ad testimonium advocavi. Licet autem hæc styli ratio plurimum officiat dictionis Gallicæ nitori, toties testimoniis peregrinis interpolatæ; mearum tamen partium esse credidi, ut in hujus*

instituti novitate, & quod mirifica & pæne incredibilia plurima persequitur, non irem solus, sed hinc inde obiter testes ad comitatum arcesserem, quorum ipsissima verba malui meis inserere, quam sine auctoritate elegantius scribere. Eadem ratio mihi persuasit, ut ubique, qua fieri potuit diligentia, adnotarem, quo libro, qua sectione, quo capite legerentur auctorum testimonia, quæ ad fidem faciendam laudavi. Pleraque Græca Latine exhibui, ut pluribus intelligerentur, secutus in eo Onuphrium Panvinium, Justum Lipsium, aliosque eruditos plurimos, qui eandem viam inierunt: adde, quod ita plurima compendifecerim, editionemque satis diu expectatam promoverim. Hunc itaque librum publico exhibeo eodem, quo Apelles suas tabulas, animo, ut tanquam perficiendi magis magisque operis rudimentum doctiorum experiatur censuras, quos rogatos volo, uti, si aberravero, in viam revocare me velint pro sua humanitate: sic enim iterato forsan quandoque itinere ad metam felicius licebit pervenire.



PROŒMIUM.



Entium in toto Orbe præstantissimam uuam omni virtute haud dubie Romanam exstitisse, ut verbis utar Plinii H. N. XL. 7. eamque cæteris amplitudine imperii, liberalitate & magnificentia fuisse excellentiorem, nemo, qui historiam salutavit, unquam negavit. Superfluum foret, hanc in rem testes citare Romanos, qui ultra numerum, sed & fidem, utpote domestici, essent, præ amore patriæ, quam nemo non præ se fert. Sufficiet unus ex Græcis Dionysius Halicarnass. *Antiq. Rom. l.* I. initio, ubi ait ex versione Gelenii: *Si quis mentem adhibeat ad prisca tam Civitatum, quam Gentium imperia, majorum monumentis prodita, ac singillatim quodque consideret, inter seve collata diligenter examinet, quænam earum sibi dominium amplissimum paraverit, aut res gesserit bello paceve clarissimas; videbit Romanum Imperium longo intervallo post se reliquisse cæteras, quarum hactenus exstat memoria, non solum si spectes amplitudinem dominii, pulchritudinemque rerum gestarum, quas nemo hactenus pro dignitate prodidit; verum etiam, quod ad diuturnitatem ejus attinet, extensam usque ad nostrum hoc sæculum.* Hoc ultro & sua sponte confitetur externus hic e Græcia testis.

Et sane facillime hæc fidem habebunt, sive quis consideret civium frequentiam, sive virtutes bellicas, sive immensas divitias, sive operum moles & magnificentiam, sive legum æquitatem, sive admirabilem rei publicæ ordinandæ rationem: præcipue autem, si quis respiciat vel sola Urbis Romæ miracula tantæ molis, tam frequentia, ut vel hinc audiverit caput Orbis, Terræ Marisque regina *Dion. Halic. lib.* I. Terrarum dea Gentiumque, cui par est nihil, & nihil secundum, *Martiali*, Regum perfugium & asylum, Italiæ flos & ocellus, lumen Populorum, Rerum pulcherrima, *Virgilio Georg.* II. 534. & Universi compendium, *Athenæo*.

Ammiano Marcellino XVI. 6. teste, *Constantius Imp. cum Romam Imperii Virtutumque omnium Larem esset ingressus, per omne latus, quo se oculi ejus contulissent, miraculorum densitate fuit præstrictus, & quicquid erat primum, inter alia cuncta eminere speravit.*

Plinius H. N. XXXVI. 15. de mirabilibus ædificiorum Romæ verba faciens, *miracula* illa appellat: *Ad Urbis nostræ*, ait, *miracula transire convenit, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties pæne, quot referentur miracula, apparebit. Universitate vero acervata, & in quendam unum cumulum collecta, non alia magnitudine exsurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur.*

Qui inter Græcos rerum memoriam posteris tradiderunt, septem tantum enumerant opera, quæ *Orbis miracula* vocant: Dianæ puta Ephesiæ templum; Mausoli in Caria sepulchrale monumentum; Solis colossum Rhodium; Jovis Olympii statuam, Phidiæ opus; Cyri regiam, Memnonis arte ædificatam; Babylonios muros; & Ægypti Pyramides. At quis illa tanto miranda opere præ reliquis excellere putabit, cum tot miracula Romæ, una modo in Urbe, acervata lustraverit? *Habuerunt honores septem illa fabricarum miracula*, ut verba Cassiodori mea faciam, *quia præcesserunt tempore: & in rudi sæculo, quicquid emersisset novum, per ora hominum jure ferebatur eximium. Nunc autem posset esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum.* Id quod verissimum est, non modo si Romam spectes totam, sed & si illius partes. Quod si enim quis consideret Templorum frequentiam & fabricam, Amphitheatra, Fora & cætera loca publica, Balnea & Thermas, Aquæductus, tot Ædificia tam publica, quam privata; tam sacra, quam profana; columnis, statuis ex ære aut marmore, picturis aliisque ornamentis distincta & exculta; mox profecto ultro judicabit, Urbi nihil toto Terrarum orbe par posse reperiri, cum, quot opera, totidem exstent miracula. Ammianus Marcellinus *loco laudato* XVI. 6. hæc præprimis eminere notat, *Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina præcellunt; Lavacra in modum Provinciarum exstructa; Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana ascendit; Pantheon, velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus, Consulum & priorum Principum imitamenta portantes; & Urbis Forum Templumque Pacis; & Pompeii Theatrum; & Odeum; & Stadium; Trajani Forum, singularem sub omni cœlo structuram, etiam Numinum assensione mirabilem, ob giganteos contextus, omni hujusmodi quicquam conandi spe depulsa.*

Si te ab hisce operibus, quæ manus & labor exstruxit hominum, ad ingenii conferas artes, quales sunt leges, reique Romanæ publica ordinatio, ut sartum tectum servetur tale tantumque Imperium, jure merito cum Poeta exclamabis:

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes.

Neque sine ratione summa Romam Claudianus appellavit *Armorum Legumque Parentem*; Sidonius Apollinaris *Verticem Mundi*; Julius Frontinus *Reginam ac Dominam Orbis*; & Callimachus ille Romanus, Propertius, hinc non injuria canit:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ:
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.

Sed licet omnia Urbis æternæ decora sint talia, ut difficilem reddat comparationem major singulorum admiratio, in eo tamen differunt, quod alia Utilitati & Necessitati; alia Deliciis & Voluptati inserviant. Theatra, Amphitheatra, Thermæ, Columnæ, Obelisci, & similia opera, talia sunt, quorum nec insani sumtus nec magnificentia possunt verbis comprehendi: hæc tamen omnia oculorum præcipue deliciis & grato spectaculo erant sacra. At alia, præter ista, fuerunt opera, quorum Utilitas cum magnificentia, & Necessitas cum audacis conatus atque sumtuum certabat magnitudine.

Tria sunt ejus notæ opera, quæ Strabo *Geogr. lib.* V. Græcis, licet acutis maxime & solertibus, insuper habita & neglecta fuisse ait, quæ Romani

perfecerunt tanta sumtuum profusione, tam prodiga impensarum magnificentia, ut omnium reliquo Terrarum orbe gentium molimina grandia & magnifica superarint. Sunt autem illa AQUÆDUCTUS, VIÆ PUBLICÆ ET MILITARES, ac CLOACÆ. Testatur idem Dionysius Halicarnasseus *lib.* III. *Antiq. Rom.* qui admodum viginti annos Romæ vixit imperante Augusto, quo temporis spatio illi admiranda hæc opera perlustrare licuit. En tibi ejus verba: *In tribus magnificentissimis operibus Romæ, & e quibus maxime apparent illius Imperii opes, pono* Aquæductus, Viarum munitiones & Cloacas. *Neque id solum ad utilitatem ejusmodi operum respiciens, sed etiam ad impendii sumtuumque modum.*

Neque solus hic ambulat Dionysius. Si enim singillatim tria hæc Opera lustremus, constabit Auctores limatissimi judicii quosvis idem censuisse. Libet huic assertioni fidem facere, & initium facere a CLOACIS, trium illorum operum, ut videtur, maxime vili & abjecto. Plinius H. N. XXXVI. 15. ait, *cloacas* fossasque subterraneas, quæ Urbis sordes undique derivabant, esse *operum omnium dictu maximum, suffossis montibus atque Urbe pensili, subterque*, quod idem Strabo *Geogr. lib.* V. attestatur, *navigata*: *amplitudinemque cavis eam* fuisse, *ut vehem fœni large onustam transmitteret*, aut, si Strabonem audis, *pervias carris stramentorum semitas reliquerint*: addit Plinius; *Ab M. Agrippa in ædilitate post consulatum, per meatus corrivatos septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coactos. Insuper mole imbrium concitatos, vada ac latera quatere: aliquando Tiberis retro infusi recipere fluctus, pugnare diversos aquarum impetus intus, & tamen obnixam firmitatem resistere: trahi moles internas tantas, non succumbentibus caussis operis: pulsare ruinas sponte præcipites, aut impactas incendiis: quati solum terræ motibus: durare tamen a Tarquinio Prisco annis* DCCC. *prope inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum esset.*

Cassiodorus illas appellat, *splendidas Romanæ civitatis cloacas, quæ tantum visentibus conferant stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare.* Deinde subjungit: *Hinc, Roma, singularis, quanta in Te sit, potest colligi magnitudo. Quæ enim Urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possint similitudinem reperire?*

Iidem Auctores vix enavigarunt fossas hasce subterraneas adeo largas & amplas, cum ad AQUÆDUCTUS, sive canales illos, qui procul & longo flumine aquas in Urbem derivant, navem appellunt, ubi eadem admiratione obstupefacti, & quasi eorum, quæ ante scripserant, obliti profitentur Aquæductuum structuram omnium esse operum maxime admirandum.

Plinius *H. N. l. l.* verba faciens de Aquæductibus Q. Martii Regis, quos intra Præturæ suæ tempus giganteo pæne labore cuniculis per montes actis adduxit & perfecit, illos vocat *vera æstimatione invicta miracula*. Deinde cum ad aquarum ductus inchoatos a C. Cæsare & peractos a Claudio pervenit, affirmat, eo opere, *si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.*

Tanta autem per Aquæductus aquarum ubertas influit, Strabonis verba *Geogr. lib.* V. audis, *ut per Urbem atque cloocas amnes inundare videantur, & universæ propemodum ædes subterraneos meatus, siphones & fistulas venosas habeant.*

Leander Albertus, qui Aquæductuum rudera & parietinas ad nostra tempora adhuc reliquas curioso oculo perspexit, ultro asserit, neminem, qui oculis illos non usurparit, unquam posse comprehendere animo illorum magnificentiam: *nec enim majus quicquam excogitari posse ingenio humano* arbitratur, *quam quod hic Romani effossis tanto spatio montium visceribus fecerint, ad quæ patranda nunc totus orbis infirmus videatur.*

Unde non sine ratione Frontinus *de Aquæd. l.* II. dixit illos esse *rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani Imperii præcipuum sit indicium.*

Cassiodorus ait, si ullum opus, cujus excellens fabrica jungatur utilitati publicæ, sit, illud profecto in primis fore Aquæductus, quos deinceps cum ædificiis Romæ insignibus committit, quæ singillatim totidem quoque pronunciat miracula. *Trajani forum vel sub assiduitate videre, miraculum est: Capitolia celsa conscendere, hoc est humana ingenia superata vidisse. Sed num quid per ea vivitur, aut corporis salus aliqua inde delectatione recreatur? In Formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis.*

Quatuordecim erant Romæ Aquæductus, camerati duro lapide, ea & amplitudine & altitudine ut equiti commodum præbuerint transitum: hi canales hinc & inde plurimis arcubus confornicati in aere quasi pensiles erant; Arcuumque plurium excelsitas ad CIX. pedes assurgebat: unde Frontinus *l. l.* quærit: *Tot aquarum tam multis necessariisque molibus Pyramides videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata opera?*

Rutilius hinc *Itiner. lib.* I. *Giganteum opus* Aquæductus vocat, dum canit:

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes:
Tale Giganteum Græcia laudet opus!

Sane fatendum est, mirifica fuisse *Cloacarum* & *Aquæductuum* opera: at si conferantur cum *Viarum Munitionibus*, quas S. P. Q. R. & postea Imperatores tam in Italia, quam in Provinciis perfecerunt, utique tanti momenti illa non videbuntur.

Id quod verissimum deprehendet, quisquis attendet primum ad incredibilem illam copiam marmoris, lapidum, laterum, silicum, cæmentorum, ruderum, calcis, sabuli & arenæ, quibus muniebant Vias militares vectura & satis longinquo intervallo ad easdem delatis: deinde quisquis animadverteret perfossos hic montes aut ruptos, alibi colles explanatos, valles exæquatas, paludes exsiccatas, cœnosas & limosas voragines expletas. *Cernere* enim *licet stratas in agro Vias*, ut cum Strabone *lib.* V. loquar, *excisis ad hæc collibus, exaggeratis vallibus, unde navigiorum onera plaustris exciperentur.* Postea si quis respiciat ad magnificentiam pontium, qui has Vias continuabant; portuum, qui illas finiebant; ad ædificia stationum & mansionum, quæ illas cingebant; ad inscriptas columnas, quæ illas metiebantur quasi positis terminis; ad straturam, quæ illas sæculis inexpugnabiles, & a vecturæ frequentissimæ concussione & impetu illæsas ultra sex & decem sæcula conservavit: ac deinque si quis cum animo suo reputet utilitatem publicam in deducendis deferendisque quaquaversum exercitibus, armis, commeatibus,

in

in vectura commerciorum, in facilitate mittendi nuncia exiguo temporis spatio ab Urbe versus ipsos Imperii fines; eademque per eandem facilitatem recipiendi per cursores publicos & angarias hisce Viis additos; si reputet egregiam illam rationem, secundum quam angari erant ordinati & dispositi; si dignitatem & honores Auctorum, qui Vias primi constraverunt, & Curatorum, qui instituti erant ad illas conservandas & reficiendas; si immensos impensæ pecuniæ sumtus & multitudinem operarum ad Vias hasce perficiendas & subinde reparandas: tum sane evidentissime cernet, nihil unquam majus ab ingenio humano potuisse excogitari, ad quod exigendum Roma Terrarum Domina par erat sola & unica, quæ in eo opere Virtutis & Potentiæ suæ exhibuit summam & extremam magnificentiam.

His si quis addet Viarum numerum, earumque longissima spatia, præ admiratione obstupescet. *Cloacæ* non excedebant spatio suo Urbis pomœria: *Aquæductus* non erant plures, quam quatuordecim, si Procopio; aut viginti, si P. Victori fides habenda; deducti Romam a lapide decimo, aut duodecimo, Aquæ ductum si excipias a Claudio peractum, quam Plinius XXXVI. 15. *a lapide quadragesimo* influxisse memorat. Verum hæc quantula erunt, si compares illis Viarum Militarium numerum & longitudinem? Nam initium illarum in ipso Urbis fuit umbilico pulcherrimo, ubi erat *Milliarium Aureum*, unde per omnes Italiæ regiones excurrebant, & hinc aut a portu ad portum, aut a continenti ad continentem ad extremos usque amplissimi illius Imperii fines extendebantur, ceu lineæ a centro eodem ad omnem circum ambitum deductæ. Per hasce Vias, tanquam totidem nervos, venas, arterias, Roma, Imperii caput, vitam quasi didebat in omnes provincias, magni corporis membra: & vicissim ab hisce recipiebat cuncta munia & officia, quæ membra capiti suo debent. Paucis ut dicam: Viarum utilitas cum magnificentia impendii & operis certabat. Pyramides Ægyptiæ magna operarum multitudine, longo tempore & plurimis sumtibus exstructæ sunt, nec tamen alium habuerunt usum, ac uti essent sepulcralia Regum Ægyptiorum monumenta. Idem dicere liceat de Mausoleo Cario, de Colosso Rhodio, aliisque nonnullis septem Orbis miraculorum, quæ soli oculorum curiositati admirantium aut molem aut structuram, cæterum nulli utilitati nobiliori destinabantur. Aliter se habet e contrario ratio Viarum. Parum fuisset Romæ, sub ditionem suam redegisse tot regna, provincias, gentes; in civitatem recepisse omnes & singulos provinciales, quod Antoninum Pium accepimus fecisse; nisi quoque & viam reperisset, qua hæc omnia colligeret, & ex tot partibus ac nationibus indole, moribus, lingua diversis unum firmumque Imperii corpus faceret & consolidaret Quod ut fieret, præter leges & civilis disciplinæ admirabilem ordinem, non minimum attulerunt commodi Viæ Militares, per quas facillime & promtissime jussa sua exsequebantur, & necessaria quævis tum transmittebant, tum recipiebant. Hæ enim Viæ erant veluti plateæ quædam celeberrimæ, per quas, si illas cum sua Roma continuas, ab illa oriri & dividi in provincias quascumque reputes, omnis Terrarum Orbis unius præ se ferebat instar urbis; cum illarum Viarum beneficio sine ullo metu sub numine solius Romæ liceret ad extremos Imperii & Orbis terminos proficisci. Innuit id ipsum Rutilius Gallicanus de Roma canens *Itinerar. lib.* I.

Fecisti patriam diversis gentibus unam;
Profuit injustis Te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.

Aut potius Roma, Vias publicas & Militares ad instar platearum stratura muniendo, easque extendendo ad ultimos Imperii & ditionis suæ angulos, visa fuit Urbis conditionem mutasse in totius pæne Orbis compendium. Neque injuria id affirmes, si respicias, per hasce Vias Romam commodissima facilitate fuisse delata cuncta, quæ singula anni tempora in quacunque Orbis regione producebant, quicquid oceanus & maria, quicquid fluvii, quicquid stagna melioris notæ submittebant, quicquid artifex Græcorum Barbarorumve industria inusitati, rari & exquisiti operis perficiebat: atque adeo, judice Aristide, Roma fuit quasi commune totius Terrarum orbis emporium: hinc Seneca: *Considerate hanc civitatem, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur; in qua consumitur, quicquid terris omnibus aratur.*

Hæ rationes etiam Trajanum, Principem optimum & maximum, excitarunt, ut reficiendis Imperii sui militaribus Viis tanto insisteret opere: unde Plinius junior ipsum in Panegyrico nobili hoc elogio laudat: *Nec vero civilius Pompejus, quam Parens noster auctoritate, consilio, fide reclusit vias, portis patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit: diversasque gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur.*

Militares hæ Imperii Romani Viæ adeo publice privatimque commodæ, quod si perfectæ fuissent Græciæ florentis ævo, uti demum illa marcente sunt peractæ, Græci illas profecto non octavum, sed unicum Orbis miraculum dilaudassent. Et sane miraculo quoque vicinum est, quod nemo ad hoc usque tempus miraculum hoc Viarum literis aut libro accuratius visendum in lucem eruerit. Quamvis enim plurimi hujus & superioris sæculi Viri pereruditi scripserint, alius de Diis & Religionibus ac Ceremoniis, alius de Legibus, alius de Militia, alius de Magistratibus, alius de Theatris, Amphitheatris, Templis, Palatiis, Porticibus, alii denique de aliis Imperii Urbisque Romæ monumentis & ornamentis; qui tamen ex professo, ut ajunt, & dedita opera atque studio de Viis hisce separatim molitus sit librum, ad hoc usque tempus, quantum vidi, fuit nemo. Licet enim Onuphrius Panvinius, Justus Lipsius & nonnulli alii in suis libris hoc argumentum subinde tetigerint, illud tamen tantum obiter & in transitu fecerunt, & vix unum caput aut sectionem illi argumento deputarunt. Ac licet etiam hæ Viæ jaceant ante oculos, & quotidie a nostris pedibus terantur; tamen videmur imitari paganos, qui fluvii per pagum suum labentis fruuntur quidem commodis, sed non sunt valde solliciti, aut undedefluat, aut quorsum ille effluat.

Jam vero si illi, qui Provinciæ suæ tantum Vias Militares perlustrarunt, crediderunt illas esse Gigantum aut Dæmonum opera, nec iisdem simile quid in reliquo Orbe exstare, nec humana hæc arte ac manu fuisse peracta; quanta fuissent admiratione perculsi, si novissent has Vias ab ultimis Europæ & Africæ ad occidentem terminis porrectas usque ad Euphratem aliosque Asiæ majoris tractus? Item quod ab extremis hinc & inde commearent & concurrerent Viæ Publicæ plures quam viginti, aut quinque & viginti, ad milliaria mille quingenta aut sexcenta in longum porrectæ & continuatæ per pontes, fluvios, portus, ita ut litora responderent litoribus, unde maria

trajicerentur & ad oppositam viam cuncta transveherentur, ut evidenter cernere licet in veteri illa mappa, quæ vulgo *Charta* cognominatur *Peutingeriana*, & quæ facta videtur ad *Itinerarium Antonini*, si modo seponas plurimas Vias vicinales, quæ in illa non exstant.

Sane nec opus hoc fuit Virtutis tralatitiæ, aut vulgaris Reipublicæ alicujus, sed solius Virtutis & Reip. Romanæ supra reliquas in orbe Terrarum ad summum evectæ fastigium, quæ ipsa magnificentissimum hoc opus non uno, sed pluribus fecit & perfecit sæculis. Neque unus modo Imperator, sed complures hasce Vias Militares exegerunt, easque opera populorum totius Orbis habitabilis, & militum legionumque Romanarum constraverunt, ab Oriente in Occidentem usque per transversa montium & vallium vastissima camporum, incerta paluftrium locorum continuarunt, milliaribus & lapidibus atque cippis qui & terminos & numerum ad extremas usque Orbis oras habitati habebant, inscriptos distinxerunt, quorum adhuc vestigia & rudera ubique exstant, quæ nulla hactenus potuit obliterare temporum fuga. Hieronymus Surita, qui eruditum scripsit commentarium in *Itinerarium Antonini*, quod continet nomina Urbium præcipuarum, quæ ad Vias hasce publicas erant adsitæ; cum considerasset harum miracula, structuram & longissimos hinc & inde terminos, in hæc verba tandem erumpit, *in præfatione p. m.* 168. *Summum vere non Regis magni, ut est apud Poetam, sed complurium Imperatorum atque Principum, & totius pæne Orbis provinciarum opus; atque haud scio, an de humanis operibus longe maximum fuerit, spatiis immutabilibus ab Ortu ad Occasum regionum itinera circum circa ad inhabitabiles usque oras, substructionum innumeris milliaribus fuisse dimensa, complanata atque descripta, ut neque ipsius Imperii interitus & Urbium occasus, earum columnarum & substructionum monumenta, quam late longeque Romani populi nomen diffusum fuerat, evertere penitus potuerit.*

De Militaribus itaque Viis hisce commentationem hanc, in quinque divisam libros, institui: quorum primo persequar illarum Auctores & Conditores, qui fuerunt Magistratus Imperatoresque Romani: altero Materiam earundem & Formam exhibebo, quæ sua natura junctæ separari in hoc opere commode non potuerunt: tertius dabit earum Numerum, Dimensiones & Rationem distinguendi intervalla per lapides, cippos, columnasque milliares: quartus ob oculos ponet harum Viarum Commoda & Utilitatem, quæ inde in Urbem Orbemque redibat: aut si cum Scholis balbutire libet, primo *Caussam Efficientem*, deinde *Materialem* & *Formalem*, tum *Quantitatem* & *Adjuncta*, postea *Caussam* persequar *Finalem*. Et cum præ nomine Viarum Imperii Publicarum notius & usitatius sit *Viarum Militarium*, quo nomine etiam audiunt maximæ & celeberrimæ Urbis Romæ viæ, constitui mecum has reservandas & illustrandas libro quinto postremo; *Viæ* enim *Militares*, omnes originem Romæ inibant, quæ ipsa origo omnium erat pulcherrima, & maxime admiranda.



NICOLAI BERGIERII

DE

PUBLICIS

ET

MILITARIBUS

IMPERII ROMANI VIIS

LIBER I.

AD

NICOLAUM BRULART,

Dominum de SILLERY, FRANCIÆ Cancellarium,

VIRUM PERILLUSTREM



Mperatores Romani, Illustris Domine, consternendis Publicis Viis, iisque ab ipsa origine & capite Roma ad extremas Imperii oras deducendis tantum operæ & curæ posuerunt, ut omnes omnino cujusvis ordinis cives eorumque censum huic operi voluerint adjutricem præbere manum; Imo ne quidem sacra & sacerdotum, atque postea Ecclesiæ bona ab hac opera collatitia, ut nec sua ipsorum patrimonia, voluerunt esse immunia, ut videre licet ex illorum legibus & constitutionibus, & speciatim Constantini Magni, qua verba faciens de nonnullis, qui allegabant personæ, quam gerebant, favorem & sua privilegia, constituit, ut æque atque reliqui ad opus Viarum Publicarum contribuerent, propter manifestam utilitatem, quæ in omnes inde rediret, ut speciem præ se necessitatis cujusdam ferret. Liber hic, Perillustris Domine, quem Tibi offero, persequitur harumce viarum cum materiam, tum formam. In principio tibi ostendet non nisi lapides, lateres, silices, cæmenta, rudera, calcem, sabulum & arenam: At in medio videbis jucundissimum artificium, & ingeniosam symmetriam, qua Veteres utebantur ad consternendam hanc materiam per varia intervalla, &, ut voce illorum utar, coria alterna, ut illam tempori & vecturæ redderent inexpugnabilem. In fine lustrabis Templa, Prætoria, Hortos delicatos, Sepulchra, aliaque magnifica ædificia, quæ vias hasce utrinque cingebant & ornabant; ita ut quod primo intuitu tuis oculis

videbatur indignum, jam ordine digestum & ab ultima manu formam suam nactum, forsan possit nonnihil tuo sese probare judicio. Exiguum itaque hoc opus Tibi, Illustrissime Domine, dedico, idque tanto majori fiducia, cum sciam, Tibi præ reliquis meliorem hujus argumenti notitiam adesse, tam per Juris prudentiam exactam & Historiarum perspecta monumenta, quam quod ipsemet hasce Vias sæpius lustraris tam intra quam extra hoc Regnum, cum pro Re publica, Regum nostrorum jussu, legationibus maximi momenti perfungereris. Cæterum, ut auderem hoc qualecunque Tibi dedicare, fecit humanitas illa atque experimentis plurimis mihi spectata benevolentia Tua, cum patriæ & natalis Urbis, Rhemensis reip. negotia publica, mihi mandata, Tibi nunquam non volueris esse per me commendatissima, ejusque Urbis bono & commodis augendis semper egregiam præstiteris voluntatem. Vive ergo, Perillustris Vir, & diutissime bono publico Vale.

SECTIO I.

De Romanorum cura egregia Vias Publicas muniendi & consternendi per universum Imperium.

1. *Magistratus Romani perquam addicti utilitati publicæ in Publicis Operibus.* 2. *Audax illorum diligentia in Viis Publicis muniendis.* 3. *Pœni primum lapidibus Vias straverunt.* 4. *Viæ Militares a Romanis constratæ etiam hoc adhuc tempore tam in Italia, quam in Provinciis visuntur.* 5. *Viarum Publicarum apud Historicos & JCtos nomina.*

1. 
Usquam gentium, nec ullo unquam tempore Magistratus Principesque magis studiosi utilitatis publicæ civium suorum fuerunt, nec magis curiosi ordinandæ & augendæ Urbis suæ, quam olim Veteris Romæ Principes & Magistratus; id quod satis superque videre licet ex multitudine Templorum, Circorum, Theatrorum, Amphitheatrorum, Ædificiorum publicorum, ex Foris, Balneis, Aquæductibus, similibusque operibus magnificis; quæ nusquam, aut architecturæ aut frequentiæ ratione habita, in ulla Orbis urbe tantopere occurrunt.

2. Primis Reip. Romanæ temporibus, cum virtus & honesta paupertas cum frugalitate certarent, prisci illi Quirites ad Remp. admoti non adeo ad exaggerandas divitias operam suam contulerunt, quam Urbis suæ splendorem & Civium commoda. Qua in re si usquam animum magnificis ausis alacrem, commodique publici studiosissimum ostenderunt, utique is apparuit in sumtuosa illa magnificentia Viarum Militarium, quas per universam Italiam constraverunt, ut accessum ad Urbem redderent commodiorem & faciliorem omnibus advenis, eaque ratione prospicerent rebus ad vitam necessariis in frequentissimo illo Convenarum confluxu, qui undique Romam se conferebant.

3. Isidorus *Origin. lib.* XV. *cap. ult.* tradit, Pœnos fuisse primos, qui Vias, lapidum, silicum, sabulique stratura, muniverint, & consolidaverint, &, ut ita loquar, in ipsa terræ solique superficie fabrefecerint, id quod nos Gallice una voce *paver*, Latini *sternendi* exprimunt; ab his Romanos cepisse exemplum. Audi ejus verba: *Primum Pœni dicuntur Vias lapidibus stravisse: postea Romani per omnem pæne orbem disposuerunt; propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa.*

4. Neque modo per Italiam, sed per omnes Romani Imperii Provincias visuntur & hodierno die Viæ aliquæ publicæ hominum manu factæ, multis substratæ retrimentis lapideis, cæmento, rudere, signino, calce, & arena; instratæ autem aliæ quadris saxeis majoribus, aliæ coagmentatæ & incrustatæ silice & glarea; inter vicinales terras in modum perpetui colliculi exsurgentes, & continuatæ longo dorso per montium valliumque transversa, camporum, sylvarum, paludumque vasta, atque in mirificum plane spatium porrectæ.

5. Hæ sunt illæ Viæ, quas Historia & Jura Romana vocant *Vias Consulares*, *Prætorias*, *Regias*, *Militares*, *Solennes*, *Aggeres Publicos*, aliisque nominibus, de quibus alias dicendi erit locus: in Gallia nostra Belgica easdem appellamus *Calceatas Brunehildis*, aut *Vias ferratas*, vernaculo sermone, *Chaussées* de *Brunehaut*, *Chemins ferréz*; & secundum varias Provinciarum linguas aliis atque aliis nominibus vernaculis ibidem distinguuntur.

SECTIO II.

De illorum, quibus Viarum Publicarum opus & cura credebantur, dignitate.

1. *Viarum cura digna summis Magistratibus.* 2. *Spartanorum & Francorum Reges Viarum Curatores.* 3. *Epaminondas Viis curandis apud Thebanos per concionem præfectus.* 4. *Augustus Imp. Viarum Curator constitutus.*

1. Dignissima sane summorum in quavis Rep. Magistratuum cura est, ita Vias publice utiles reddere, ut *sine metu & periculo per itinera possit commeari*: l. 1. §. *Summa.* π. *de His, qui dejec. vel effud.* Hinc etiam est, quod plurimis in locis Viarum cura, tam in urbibus, quam agris

A credita fuerit Viris summis & præcipuæ dignitatis.

2. Spartani hanc provinciam Regibus suis, seu juris regii dignitatem, demandarunt; *Herodot. in Erat.* uti & hodie suprema Viarum cura in Gallia Regis solius est, qui vicariam curam demandat *Magno Viarum Curatori*, quem vocant nostri *Grand Voyer*: hic autem in administranda hac provincia Regis personam gerit, eique jus est, tollere, mutare, augere aut minuere Vias Publicas, prout expedire utilitati publicæ ipse judicat. *L'Oyseau livre des Seigneuries, chap.* 9.

3. Quidam Thebani aliquando id agebant, Epaminondæ ut mandaretur Viarum Publicarum cura, idque deprimendi illius caussa per injuriam faciebant, B præcipua in Rep. munia minus dignis præ ipso conferentes. At ille nunciis cordate respondit: *Curabo, ne tam mihi delati ministerii obsit indignitas, quam ut illi mea dignitas prosit.* Quod & accidit; postea enim hæc provincia non nisi summis in Rep. & principibus Viris est demandata. *Petrarch. lib. de optima administr. Reip.*

4. Dio *lib.* LIV. tradit, cum Imperium Romanum ad summum splendoris majestatisque pervenerat fastigium, Viarum Publicarum opus & curam tantæ fuisse dignationis, ut Pop. Rom. summi honoris caussa Augusto Imp. eam detulerit. C Addit idem Dio, quod *tunc ipse Viarum, quæ sunt circa Romam, Curator constitutus, Milliarium aureum, quod vocatur, fecerit: quique Viis muniendis præessent, Prætorios viros suffecerit, qui binis lictoribus uterentur.* Videmus itaque, neque summos viros in quavis Urbe aut Rep. dedignatos Viarum tam intra Urbes, quam in Agris curam; præcipue Romæ, ubi hæc provincia semper credita fuit Viris Principibus summisque in Rep. Magistratibus, uti porro singillatim docebimus.

D

SECTIO III.

De Magistratibus Romanis, quibus faciendarum reficiendarumque Viarum Publicarum, tam in Urbe, quam in Agro, Cura erat mandata.

1. *Viarum Publicarum opera variis & diversis Magistratibus credita;* 2. *Censoribus;* 3. *Coss. & Tribunis pleb.* 4. *aliis Magistratibus & Curatoribus.* 5. *Ædiles præfecti straturæ Viarum in Urbe locisque has contingentibus.* 6. *Ædiles Attici,* ἀστυνόμοι, *idem munus habuerunt;* 7. *ut & Scabini urbium & oppidorum in Gallia.* 8. *Quæstores etiam Vias straverunt:* 9. *Deinde Romæ constituti.* IV. *Viri Curandarum Viarum in Urbe:* 10. *qui aucti fuerunt ad* VI. *Viros, quorum duo denuo abrogati.* 11. *Rarior mentio horum Curatorum in Historia, frequentior in Inscriptionibus.* 12. *Hi erant Viri summi loci & ordinis, meritis spectati & auctoritate graves.* E

F

1. EX Historia Romana discimus, provinciam Vias Publicas aut novas faciendi, aut veteres reficiendi non fuisse semper demandatam iisdem Magistratibus; sed pro tempore diversis Magistratibus & Curatoribus creditam, quorum quandoque alii solis Urbanis viis, alii viis extra Urbem, alii utrisque simul præerant.

2. Primi omnium, qui ordinarii Magistratus hanc curam administrarunt, fuerunt Censores, qui viis intra extraque Urbem præerant. Quod intra Urbem, fidem facit Cicero *lib.* III. *de LL.* ubi laudat caput ex *LL.* XII. *Tabb.* his verbis: *Censores Urbis vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor.* Quod intra extraque Urbem simul, monstrat *Via Appia*, quæ & militaris est in Urbe Via, & ejusdem nominis alia a Roma Capuam versus porrecta; ambæ auctore Appio Cœco, qui Censor utramque perfecit & nomine suo insignivit. Sic Flaccus & Albinus Censores Viarum publicarum opus consternendum silice aut latere intra Urbem, extra vero illam glarea, mancipibus primi addixerunt publice. Idem dicere licet de *Claudia*, *Cassia*, aliisque viis plurimis, quæ per gentium patritiarum Censores perfectæ. *Vid. Jul. Front. de Aquæd. lib.* 1. *Liv. lib.* XLI.

3. Viæ autem extra Urbem non a solis modo Censoribus, sed & aliis Magistratibus sunt stratæ, uti Coss. & Tribunis pl. Flaminius & Lepidus tum maxime Coss. hic *Æmiliam*, ille *Flaminiam* perfecit *Viam*. *Strabo lib.* V. *Geogr. Festus* v. *Flaminius Circus*. Tribuni plebis, C. Gracchus, *Plutarch. in Gracch.* & diu post Curio, *Appian. lib.* II. *bellor. Civil.* qui Cæsaris partibus addictus, ut sibi conciliaret populi favorem, jactavit legem, quam Curius ad Ciceronem scribens *Ep. Fam.* VIII. 9. appellat *Viariam*.

4. Sed cum provinciæ Imperii Romani augerentur, & cum his principum Magistratuum munia, necessarium fuit, Viarum Publicarum curam demandare aliis Magistratibus inferioribus; aut certe eandem credere quibusdam Curatoribus, qui fere erant ex nobilissimis Romani populi gentibus.

5. Quod attinet ad plateas Urbis, ejusque opera publica & loca contingentia, horum cura a Populo data est Ædilibus, cum cura annonæ, ædificiorumque qua publicorum, qua privatorum. Unde *quod ædes sacras & profanas procurarent*, dicti sunt Ædiles, teste Varrone *lib.* IV. *de L. L.* Sed tamen cura straturæ Viarum non parvam officii ædilitii faciebat paginam. Eorum namque erat Vias Urbis militares, earumque margines munire, lævigare, & complanare, pontes locis idoneis opportunos facere; impedire, ne stillicidia vicinis nocerent ædibus; jubere, ut murus pariesve vitio fatiscens & in ruinam pronus atque viæ publicæ confinis, sive ædium propriarum, sive aliorum, derueretur, aut sartus tectus reficeretur, ne ruina prætereuntibus nociva foret; atque hoc ut facerent, indicta multa cogere ædium dominos; impedire, ne quis eorum injussu Viam Publicam aperiret, reficeret, aut aliquid inædificaret aut statueret, quod publice incommodum esset; vetare, ne ex tabernis officinisve quicquam projiceretur aut promineret, quod viam coartaret; ne jurgia & rixæ in Via publica fierent, ne morticina, fimus, aliæve sordes in publicum effunderentur. V. *l.* 3. *π. de Via publ. & itin. publ. refic.*

6. Lex hæc gemella est legi Platonicæ *l.* VI. *de Rep.* qua sancit, ut viarum ædiumque cujusque urbis & suburbii cura sit penes Ædiles, quos vocat ἀστυνόμους.

7. Ab his orti videntur, quos Galli vocant *Voyers*, quasi dicas Viarum Curatores; & administratores straturæ viarum Urbanarum; quos vulgo vocamus *Scabinos*, *Eschevins*, quæ vox descendit a veteri vocabulo Franco-Germanico, quod Judicem aut Inspectorem notat. V. *Glossar. in Capitul. Caroli M.* Nam nostri Scabini in multis referunt Ædiles Curules Veteris Romæ; cum propter administrationem annonæ, opificiorum artiumque viliorum, tum & straturæ Viarum Urbanarum, quæ tria fere sunt instituta disciplinæ urbanæ circa ædilitias editiones.

8. Claudii Imp. ævo etiam Quæstores in partem hujus curæ venerant: teste enim Suet. *Claud. cap.* 24. *Collegio Quæstorum pro stratura Viarum, Gladiatorium munus injunxit.*

9. Post Ædiles instituti sunt, præter illos, Quatuor-viri, quibus injuncta fuit cura Viarum, qui hinc dicti fuerunt, *Quatuor-viri curandarum Viarum*, de quorum institutione Pomponius J.C. mentionem facit *l. 2. §. 16. π. de orig. Jur. Eodem tempore & (constituti sunt) IV. viri, qui curam Viarum gererent.* Tempus si quæras institutionis, idem JC. ait fuisse brevi post institutum *Prætorem peregrinum*, id est, circa A.U.C. IↃ. x.

10. Videntur hi IV. viri curandarum Viarum fuisse, quos Varro appellat *Viocuros, a Viarum cura.* Verum cum hi non sufficerent Urbi, suburbiis, locisque maxime vicinis, adjecti sunt duo, ut in universum VI. essent, quorum duo curabant Vias Urbis extra pomœrium ad ambitum & introitus. Colligimus id ex Dion. *lib.* LV. ubi loquitur de Magistratibus quibusdam Romanis, qui antea numero XXVI. erant, sed qui Augusti ævo ex SC. ad vicenarium redacti sunt numerum, unde & XX-*viri* fuerunt dicti. Illo ergo loco ait, quod ex his XX. *viris, Tres ad capitalia sint ordinati, alii Tres cudendo numismati præsint, Quatuor Vias Urbanas curent: Decem judiciis iis, quæ ad Centumviros sorte deferuntur, præficiantur.* Caussas deinde subnectit, propter quas hi XXVI. viri ad XX. viros fuerint reducti: *Duo enim*, ait, *ii, qui Vias extra Urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant.* Neque enim abrogari potuissent duo illi, qui Vias extra Urbem curabant, nisi prius fuissent instituti.

11. Rarior est mentio horum IV. virorum, qui vias Urbanas curabant, in Historia Romana: at frequentior occurrit in lapidibus & inscriptionibus antiquis, ex quibus constat, hos IV. viros viguisse Romæ annos admodum CCCLX. cum floruerit hæc dignitas ad tempora usque Hadriani, qui Imp. factus est A. U. C. IↃCCC. LXXI. ut videre licet ex sequenti Inscriptione, quam habet Onuphrius Panvinius *in Urbe Rom. pagina* 65. *Gruter.* CCXLVIII. 6.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
FIL. DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG PONTIF. MAX. TRIB
POTEST. COS. II. P. P
IIII. VIR. VIAR
Q. TAMVDIVS. Q. F. PALAT
GRAIVS. VIENNA
L. AVRELIVS. L. F. OVF
TYRANNVS. INTERAMN
NAHAR. TI. IVLIVS. TI. F. STEL
VERECVNDIANVS. BONONIA
Q. TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR

12. Neque est, ut quis putet hosce IV. *viros Viarum Curandarum* fuisse homines e vulgo; cum ex Inscriptionibus antiquis constet plurimis, fuisse, qui sub Imperatoribus non fuerint dedignati hanc provinciam, post gestos summos in Rep. honores. Sic Senatus auctore Imp. Trajano triumphalia ornamenta decrevit, statuamque pecunia publica ponendam censuit, nescio cui viro summo, qui fuerat Prætor, Tribunus pl. Quæstor, cui pro cumulo accedit, quod fuerit IV. *vir Viarum Curandarum*, quod apparet ex hoc SC. cui deest initium, *ap. Onuphr. Panvinium in Urb. Roma p.* 66. *Gruter.* CCCCXXX.

DACICVS. GENTEM. DACORVM. ET
REGEM. DECEBALVM. BELLO. SVPERAVIT
SVB. EODEM. DVCE. LEGATVS. PR. PR. AB
EODEM. DONATO. HASTIS. PVRIS. VIII.
VEXILLIS. VIII. CORONIS. MVRALIBVS. II
VALLARIBVS. II. CLASSICIS. II. AVRATIS. II
LEG. PR. PR. PROVINC. BELGICAE. LEG. I
MINERVIAE. CANDIDATO. CAESARIS. IN
PRAETVRA. ET. IN. TRIBVNATV. PLEB.
QVAESTORI. PROVINCIAE. ACHAIAE
IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM
HVIC. SENATVS. AVCTORE. IMP.
TRAIANO. AVG. GERMANICO. DACICO
TRIVMPHALIA. ORNAMENT
DECREVIT. STATVAMQ. PECVN. PVBLIC
PONEN. CENSVIT

SECTIO IV.

De Curatoribus Viarum extra Urbem, eorumque numero.

1. IV. *Viri intra Urbem, Curatores Viarum extra Urbem Vias curabant.* 2. *Primum munus Curatorum Viarum Publicarum, & quinam fuerint Mancipes.* 3. *Alterum munus eorundem Curatorum.* 4. *Corbulonis de interruptis & imperviis itineribus querela.* 5. *Lapides inscripti, in quibus mentio Mancipum.* 6. *Tertium munus Curatorum Viarum Militarium.* 7. *Eorum incertus numerus, ut & Viarum, quas curabant.*

1. QUemadmodum negotia Reip. paullatim augebantur, Magistratusque, quorum erat curare straturam Viarum Urbanarum, aliis rebus occupatos detinebant, ita e re fore visum est, de novo IV. *viros* creare, de quibus jam dicemus: eademque ratione Censores, Coss. aliique Magistratus, qui primum Vias Publicas extra Urbem curabant, aliis curis cum avocarentur, necessitatis publicæ fuit, alios extra ordinem Curatores creare, qui dicebantur ἁπλῶς *Viarum Curatores*, Græcis sunt ὁδῶν ἐπιμεληταὶ sive ἁμαξοδάρχαι, quos nonnulli appellarunt *Viaculos. Scalig. in castigat ad Festum, ubi* vicum *male pro* via *posuit in verbo* viator. His multa erat potestas & auctoritas, quod ad Vias Publicas attinet, qualis antea fuerat penes Censores. Notanter paullo ante dixi *extra ordinem* creatos; constituebantur namque ad Vias Publicas & creabantur a Populo pro ratione necessitatis & temporis: neque *ordinarii* facti sunt, nisi demum sub Augusto, ut paullo post videbimus.

2. Horum munus primum & præcipuum erat, Publicanis redimenda addicere & locare publice vectigalia, quæ in Viis Publicis aliisque, nec non ad earundem opus pendebantur; & pecuniam inde redundantem in accepti expensique tabulas referre. Qui hæc vectigalia conducebant, e *Mancipum* numero erant, quod *manu* elata significarent, se certa æris summa *capere* ac redimere addicta sibi a Magistratibus vectigalia, quam ærario publico præstandam recipiebant. *Manceps dicitur*, ut ait Festus, *vel qui quid a Populo emit, conducitve; quia manu sublata significat, se auctorem emtionis esse.* Id

quod clarius expressit *Ascon. Pedian. in Orat. Cic. de Divinat. Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines, qui quæstus sui caussa decumas rediment, aut portoria, aut pascua publica, quorum ratio Scriptura dicitur. Hi enim exigenda a sociis suo periculo exigunt, & R. P. repræsentant, providentes etiam in illa redentione suis commodis.*

3. Alterum horum Curatorum munus erat, publice minoris licitanti adjudicare Viæ Publicæ opus; deque eodem vel perfecto vel minus, vel plane deficiente, adeoque aut approbando, aut improbando sententiam ferre, defectibusque ac vitiis multam pœnamve dicere. Qui hic opus conducebant, *Redemtores* vocabantur, quos Sicul. Flaccus *lib. de conditionib. Agror. pag.* 9. intelligit, cum ait, *esse Vias Publicas Regalesque, quæ publice muniantur & Auctorum nomina obtineant;* quod *namque & Curatores accipiant, & per Redemtores muniantur.*

4. Etiam hi *Mancipes* vocabantur non minus, quam vectigalium. Mancipes autem operum & Curatores simul sublocabant Viæ Publicæ opus, de quibus Domitii Corbulonis querela sub Imp. Tiberio habita legitur apud Tac. *Annal.* III. 31. *Idem Corbulo*, inquit, *plurima per Italiam itinera, fraude Mancipum & incuria Magistratuum interrupta & impervia clamitando, exsecutionem ejus negotii libens suscepit. Quod haud perinde publice usui habitum, quam exitiosum multis; quorum in pecuniam atque famam damnationibus & hasta sæviebat.* Dio Cassius *lib.* LIX. & LX. hanc miseriam ævo Caligulæ accidisse *tam Curatoribus Viarum, quam Redemtoribus operarum* prodit; & Corbulonem nefariæ hujus exsecutionis auctorem fuisse, qua in miseros præter jus & æquum grassabatur, ut sufficeret pecuniam luxuriæ Imperatoris; præmium quoque pro tempore hinc consulatum retulisse: at hanc crudelitatem & injustitiam sub Claudio Caligulæ successore in auctoris caput & ignominiam rediisse, cum condemnaretur; ut de suo redderet Curatoribus & Mancipibus Viarum partem illius, quod præter fas & æquum illis abstulerat; reliquum ex ærario publico restitueretur.

5. Horum Mancipum mentionem & memoriam nobis servarunt nonnullæ Inscriptiones. *Manceps Viæ Appiæ* occurrit in seq. Insc. apud *On. Panvin. in Urb. Rom. p.* 121. *Gruter.* IϽCXXII. 2.

D. M. S
CN. CORNELIO
CN. F. SAB
MVSAEO
MANCIPI. VIAE. APPIAE
HERENNIA. PRISCILLA
CONIVGI
BENE. MERENTI
FECIT

6. Tandem uti Mancipes ad certa spatia Vias tuendam redimebant; ita Curatores eosdem poterant cogere ad opus faciendum, prout colligere licet ex *Orat. Cicer. pro M. Fontejo*: item punire, si qui ultra redemta vectigalia quicquam exegissent, aut eosdem ad Præfectum Urbi puniendos remittere. Docet hoc Jul. Capitolinus *in M. Anton. Philos. Dedit præterea Curatoribus Regionum ac Viarum, ut vel punirent, vel ad Præfectum Urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent.*

7. Curatorum numerus non minus erat incertus, quam Viarum, quas extra Urbem curabant. Pro re & necessitate nata videtur illorum numerus fuisse vel major vel minor. Præterea singulis una pluresve Viæ curandæ dabantur pro eorum otio, industria, ac diligentia, qua hanc curam gerebant & administrabant. Discimus id magis ex lapidibus, quam libris. Romæ enim & in multis Italiæ locis exstant Inscriptiones, quæ Curatorum horum faciunt mentionem; quorum aliqui unius Viæ curam gerebant, uti in seqq. tribus Insc. quarum prior exstat in *Panvin. l. l. pag.* 84. *Gruter.* CCCCLXIII. 4. altera *ibid. ap. Panv. p.* 87. *Gruter.* CCCCXXXIX. 5. tertia *ibid. ap. Panv.* 98. *Gruter.* CCCLIV. 5. ecce illas:

I. L. RANIO. OPTATO. C. V. COS
CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM
CVRAT
REIP. NOLANORVM. PRO. COS
PROVINCIAE
NARBONENSIS. LEGATO. AVG. ET.
IVRIDICO
ASTYRIAE. ET. GALAECIAE. CVRATORI. VIAE
SALARIAE. CVRATORI. REIP. VRVINATIVM
METAVRENSIVM. LEGATO. PROVINCIAE
ASIAE. PRAETORI. TRIB. PLEBEI
QVAESTORI. PROVINCIAE. SICILIAE

II. CN. MVNATIVS. M. F. PAL
AVRELIVS. BASSVS
PROC. AVG
PRAEF. FAB. PRAEF. COH. III
SAGITTARIOR. PRAEF. COH. ITERVM. II
ASTYRVM. CENSITOR. CIVIVM
ROMANORVM. COLONIAE. VICTRI
CENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA
CAMALODVNI. CVRATOR
VIAE. NOMENTANAE. PATRONVS
EIVSDEM
MVNICIPI. FLAMEN. PERPETVVS
DVVMVIRALI. POTESTATE
ÆDILIS. DEDICATOR. IIII

III. L. ANNIO. FABIANO
III. VIRO. CAPITALI
TRIB. LEG. II. AVG
QVAEST. VRBAN. TR. PLEB.
PRAETORI. CVRATORI
VIAE. LATINAE. LEG
LEG. X. FRETENTIS
LEG. AVG. PROPR. PRO
VINC. DAC. COL. VLP
TRAIANA. ZARMAT

Ex seq. sectione videbis constitutum fuisse *Cæsarem Curatorem Viæ Appiæ; Thermum, Flaminiæ; Cornutum Tertullum, Æmiliæ.* Aliqui duarum Viarum Curatores erant, uti patet ex seq. Insc. *ibid. ap. Panvin. p.* 71. *Gruter.* CCCCXLVI. 9.

L. OVINIO. L. F. QVIR.
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRAET. INTER
TRIBVNITIOS. ADLECTO
CVRAT. VIAE. FLAMINIAE
LEG. LEG. VII. CL. IN. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIAE. TIBVRTINAE
CVRAT. R. P. RICINIENSIS
RVSTICA. OVINIA
CORNELIANA. FILIA
PATRI. PIENTISSIMO

Aliqui etiam trium, quatuor & plurium Viarum fuere Curatores, uti constat ex seq. Insc. *apud Panv. l. l. pag.* 75. & *Smetium. Insc. fol.* 77. *num.* 13. *Gruter.* CCCCXLVI. 4.

C. OPPIO. C. F. VEL
SABINO. IVLIO. NEPOTI
M. VIBIO. SOLEMNI. SEVERO
COS
ADLECTO. A. SACRATISSIMO. IMP
HADRIANO. AVGUSTO
INTER. TRIBVNICIOS. PR. PEREGR
CANDIDATO. AVG
LEGATO. PROV. BAETHICAE. CVR. VIAR
CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE
CIMINAE. TRIVM. TRAIANARVM
ET. AMERINAE. LEG. LEGION. XI
CL. P. F. LEG. AVG. PR. PR
PROVINCIAE. LVSITANIAE
PRO. COS. PROV. BAETHICAE
PATRONO. COL
LEONAS. LIB. ADCENSVS. PATRONI
ET. IN. DEDIC. STATVAE
COLONIS. CENAM. DEDIT.

SECTIO V.

De dignitate, qua præditi fulgebant Curatores Viarum.

1. *Inscriptiones ostendunt dignitatem, qua excellebant Curatores Viarum.* 2. *Julius Cæsar & Thermus Viarum Publicarum singularium Curatores.* 3. *Hæc cura tantæ dignitatis, ut Amici singulari gaudio eam gratularentur.* 4. *Ecquando cura Viæ Publicæ ad Magistratus ordinarios & perpetuos sit delata.* 5. *Administratio Viarum in Provinciis ad Præsides, Coss. & Prætores pertinebat.* 6. *Curatores Vicorum quales Magistratus.* 7. *Differentia inter Curatores Vicorum & Viarum.*

1. QUod si Inscriptiones supra laudatæ nihil aliud, hoc saltem docerent, summam fuisse illorum dignitatem, qui *Curatores Viarum* speciatim nominabantur. Summis enim in Rep. honoribus eos legimus functos, & tanto IV. Viris curandarum in Urbe Viarum eminentiores, quanto Viæ extra Urbem fuerunt majoris operis, longioris spatii, sumtuosioris impendii, quam stratura Viarum intra Urbem.

2. Inter primos Viarum Curatores, teste Plutarcho *in Jul. Cæs. cap.* 8. fuit Julius Cæsar, qui *Viæ Appiæ Curator constitutus*, præter publicam, *magnam quoque a se pecuniam eidem impendit, qua ex re majorem erga se populi favorem concitavit, ut certatim novos magistratus, novos honores quærerent, quibus delatis ei gratias agerent.* Populo enim publica hæc opera semper sunt acceptissima: hinc Cicero *ad Att.* I. 1. de Thermo summæ dignationis Viro scribit: *Thermus Curator est Viæ Flaminiæ: quæ cum erit absoluta, sane facile eum Cæsari consulem addiderim.*

3. Tam honorifica hæc Viarum Cura erat, ut nemini mandaretur, quin mox eam Curatori gratularentur amici, tamquam fæcundam laudis & rei præclare gerendæ provinciam: imo Populus ipsique Imperatores nullos alios huic muneri præfecerunt, quam Viros meritis graves & quorum in aliis muneribus magistratibusque spectata erat solertia & industria. Quam gaudet, cum Tertullo esset hæc Sparta ornanda, Plinius Junior, *ad Pontium lib.* V. *epist.* scribens: *Recesseram in municipium, cum mihi nunciatum est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ Viæ curam: Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus & ipsius & meo nomine.* Sic & Papinius Statius *lib.* IV. *Sylv. ad Marcell.* inter honores Victorii Marcelli Viri Prætorii, recenset, quod Domitianus illum fecerit Curatorem Viæ Latinæ:

Quique tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ.

Simili laude extollit, *lib.* V. *Sylv. in risu Saturnalitio ad Plotium*, Plotium Grippum, quem appellat *majoris gradus juvenem*, cui idem Imp. contulerat binas in Rep. provincias ornatissimas; fecerat enim illum *Præfectum Annonæ* & *Curatorem Viarum*: audi versus Statii:

Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit: omniumque late
Præfecit stationibus Viarum.

4. Cæterum hæc munera ante Augustum Imp. perpetua non erant, sed pro re nata ac necessitate mandabantur ad tempus: verum, *quo plures partem administrandæ Reip. caperent*, postea tandem *Augustus nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum & aquarum, alvei Tiberis, & cloacarum*, teste Sueton. *in ejusd. vita cap.* 37.

5. At quæ hactenus diximus de *Censoribus*, *Ædilibus*, IIII. *Viris* & *Curatoribus Viarum*, ea volumus tantum dicta & intellecta cum de Viis Urbanis, tum Italicis. Nam quod attinet ad Vias Militares in Provinciis, illarum cura tangebat Coss. Prætores, & Præsides, qui easdem administrabant cum ipsi, tum per suos procuratores, ut suis locis ostendemus.

6. Verum ante obiter verbo monendum erit, quam huic disputationi de *Curatoribus Viarum* finem faciamus, hos valde differre a *Curatoribus Vicorum*; quos tamen non nemo interpres Statii ad locum paullo ante laudatum male confundit. Hos namque vernacula nostra lingua vocaret *Commissaires des Quartiers*, si postremam vocem sumseris pro continuata ædium urbanarum serie certis viis comprehensa. Roma enim in XIV. divisa erat *regiones*, quarum singulæ in plures *vicos* erant distinctæ: his autem præerant variis de caussis præfecti *curatores*, præcipue ad incendia: unde & iisdem quædam servitia publica addita, qui antea Ædilibus suberant.

7. Patet hinc, *Curatores Vicorum* curam illam in Urbe gessisse; *Curatores vero Viarum*, per regiones Italiæ. In eo quoque valde differebant, quod illi ex vulgo & plebe legebantur: hi autem, ut demonstravimus, ex civibus primariis gentium majorum. Illi demum creati sunt A. U. C. IↃCC. XLVII. Tiberio & Pisone Coss. quo & Roma in XIV. Regiones fuit divisa: hi sub Augusto Imp. perpetui Magistratus & ordinarii facti, cum ante illum extra ordinem & ad tempus crearentur. Docet hæc omnia Dio vel hoc uno *lib.* LV. loco. *Præcuratores autem, seu Curatores, aut Magistri Vicorum, plebeii sunt constituti: quibus veste, quam Magistratus gerunt, ac lictoribus binis, in iis locis, quibus præessent, uti certis diebus concessum: ac servitia, quæ ante cum Ædilibus in usum incendiorum exstinguendorum fuerant addita: Urbsque tota in regiones divisa fuit* XIV. *quibus forte divisis, hi Vicorum Curatores præessent.*

SECTIO VI.

Summa diviſio Viarum Imp. Rom. Publicarum.

1. Diviſio generalis Imperii ſub Auguſto. 2. Ab eo tempore Italia & Provinciæ opponebantur ſibi invicem. 3. Italia diviſa in Regiones, non vero Provincias. 4. Summa Viarum Publicarum diviſio in Italicas & Provinciales. 5. Earum duplex differentia, quarum altera eſt a tempore. 6. Altera a magiſtratibus, qui has illaſve fecerunt.

I. SUb imperio Auguſti ejuſque ſucceſſorum, uſque ad Conſtantinum M. totum illud vaſtumque Romani Imperii corpus generatim in duas diſcernebatur partes, quarum altera erat *Italia*, complexa quicquid terrarum a freto Siculo ad Iſtriam Alpeſque erat; altera habebat omnes extra Italiam Imperii terras, quæ vulgato nomine *Provinciarum* diſtinguebantur.

2. Ab eo tempore deinceps *Italia* & *Provinciæ* ἐν ἀντιθέσει audiebantur, ita ut, quod de altera negaretur, de altera verum eſſet, uti videre datur ex lege Severi & Antonini, quæ eſt *l. 2. C. de Excuſat. Tutor.* in qua *Italicarum rerum munus provinciali adminiſtrationi* opponitur.

3. Diverſitas hæc fuit cauſſa, quod in generali totius Imperii diviſione Auguſtus Italiam non in Provincias, ſed *Regiones* diviſerit. Verum quidem eſt, Ciſalpinam Galliam cum Liguria & Venetia olim Provinciis fuiſſe adnumeratam; ſed Reip. liberæ temporibus, quibus Italiæ fines alii erant ab ipſa natura, alii ab hominum arbitrio & juris diſpoſitione. Natura Italiam terminaverat hinc & inde mari mediterraneo ad Ortum, Meridiem & Septentrionem; ad Occaſum vero Alpium jugis: At Populus Romanus illam ſolum appellabat Italiam, quæ fluvio Rubicone ad mare Adriaticum, & Arno, vel, ut aliis placet, Varo, qui ſe in mare Hetruſcum effundit, nec non utrinque ad fretum uſque Siculum mari mediterraneo, continebatur, atque hac appellatione omnis Gallia Ciſalpina, Liguria & Venetia extra Italiam erant: has autem terras poſtea Auguſtus Italiæ accenſuit, juriſque antiqui terminos ad veros & naturales producens, eaſdem, ut cæteras Italiæ, in *Regiones* quoque diviſit. Sic deinceps omnes extra Alpes terræ generatim nomine *Provinciarum* ab Italia diſtinguebantur.

4. Licet vero poſt Conſtantinum M. Italia, & cæteræ Imperii provinciæ alias atque alias ſubjerint diviſiones, eas tamen nos inſuper habebimus, ac inſtituto noſtro *de Viis Publicis* ſervabimus modo dictam, ſecundum quam diſputatio noſtra erit bipertita, prior de Viis Publicis per Italiam, poſterior de iiſdem per Provincias.

5. Inter has & illas notabilis intercedit differentia, quæ præcipue duplex eſt; altera ratione temporis, altera Magiſtratuum, quo & qui utraſque fecerunt. Tempus ſi quæras, generatim reſpondemus, Urbi proximiores Vias perfectas eſſe priores, in Provinciis poſteriores. In Italia fere ſunt perfectæ vigente libertate S. P. Q. R. uſque ad imperium Auguſti: in Provinciis autem poſt id temporis, quam ſumma rerum ad Auguſtum pervenit. Dixi modo *generatim*, idque dedita opera & ſtudio, cum nonnullæ Viæ Provinciales reperiantur ante Imperatorum tempora, quæque vetuſtiores ſint nonnullis per Italiam Viis, quas ipſi ibidem Imperatores perfecerunt, de quibus poſtea agemus; veruntamen hæ tam exiguo ſunt nume-
A ro, ſi eas conferas cum ſuis reliquis, ut vix ſui rationem haberi mereantur, quod ſi committantur cum Viis illis, quæ generalem & ſummam diviſionem noſtram abſolvunt.

6. Quod ad Magiſtratus attinet, ſupra vidimus *Cenſores*, *Ædiles*, IIII. *Viros*, *Curatores Viarum*, Coſſ. etiam, Prætores, Tribuni plebis & Imperatores Vias per Urbem & Italiam ſtraverunt. Idem vero de Viis Publicis Provincialibus dici nequit, quas perfecit induſtria Coſſ. Prætorum aliorumque Magiſtratuum Provincialium, qui in Provincias primum a S. P. Q. R. poſtea ab Impp. mittebantur, ut ceu Præſides & Præfecti B illas adminiſtrarent, de quibus mox ſequenti ſectione videbimus.

SECTIO VII.

Per quos Magiſtratus Viæ Publicæ per Provincias ſint ſtratæ.

1. Inter munera Magiſtratuum Provincialium erat & cura Viarum Publicarum. 2. Duo Magiſtratus primarii in quavis provincia, Præſes & Quæſtor. 3. Præſides erant Prætores aut Conſules, C *Proprætores aut Procoſſ. 4. Præſidum miniſtri, quorum præcipui erant Legati. 5. Quod Præſides præfuerint Viis Publicis per Provincias. 6. De poteſtate, qua hanc curam demandare poterant Legatis. 7. Ciceronis hanc in rem teſtimonium. 8. Per eoſdem Viæ ſub Imperatoribus munitæ, per quos ſub S. P. Q. R. 9. Quæſtorum in Provincias miſſorum dignitas. 10. Differentia munerum & officiorum, quæ Præſes magiſtratus & quæ curabat Quæſtor.*

I. INter munera adminiſtrandæ Provinciæ, Magiſtratibus non erat poſtremum Viarum Pu- D blicarum cura, opus & refectio, quæ præcipue ad deducendos exercitus erat neceſſaria. Hinc videmus, quod ante neceſſitas juſſerit plures Magiſtratus & Legatos Provinciales inchoare Vias Publicas, quam Auguſtus ejuſque ſucceſſores Provincias ejuſmodi operibus ornarint Viaſque perfecerint.

2. Sed prius operæ precium erit noſſe, qui & quales fuerint hi Magiſtratus, & quibus veniant nominibus in priſcis auctoribus, quam ad rerum accedamus teſtimonia. Tribus itaque verbis dicimus, in quavis Provincia duos primarios fuiſſe Magiſtratus ad rerum adminiſtrationem tam belli- E carum, quam civilium, nec non ærarii publici, Præſidem ſcilicet magiſtratum cum imperio, & Quæſtorem.

3. Initio Prætores mittebantur ceu Præſides cum imperio in Provincias, ut ibi jus & leges dicerent provincialibus, & urgente neceſſitate, bella auſpiciis S. P. Q. R. gererent; unde aucta Provinciarum acceſſione crevit & Prætorum numerus. At rebus dubiis belloque difficiliore exorto, mittebantur Conſules, qui ab initio hujus dignitatis inſtitutæ fuerunt ſummi Duces & Imperatores exercituum Romanorum. Quod ſi in- F tra annum Magiſtratus ſui bellum non patraſſent, anno finito & prorogato magiſtratu appellabantur Proprætores & Proconſules. Hi autem magiſtratus bini proprie, ceu Præſides cum imperio, Provinciæ præerant, unde etiam hi Conſulares, illi Prætorii ſalutantur.

4. Conſules & Prætores, cum in ſuas Provincias proficiſcerentur, comites habebant complures, veluti miniſtros & adjutores adminiſtrandæ Provinciæ; quales erant Legati, Tribuni, Centuriones, Scribæ, Interpretes, alii. Hos inter emi-

nebant Legati, qui erant quasi Præsidum Vicarii A & Consiliarii, sine quorum consilio vix quicquam alicujus momenti fiebat, per quos varia jussa & mandata exsequebantur. Subinde enim ducebant exercitus, eorumve partes; dicebant jura; tributorum vectigaliumque curam gerebant; &, si foret e re publica Vias Publicas aut novas facere, aut antiquas reficere, aut collapsas aperire, Legatis hanc curam demandare solebant Coss. & Prætores.

5. Unum ex Ciceronis *orat. pro M. Fontejo* sufficiet exemplum M. Fonteii, qui ex prætura Galliarum, publico judicio, complurium criminum reus est accusatus: *Objectumque est etiam*, teste Cic. l. l. *quæstum M. Fontejum ex Viarum* B *munitione fecisse, ut, aut ne cogeret munire, aut id quod munitum esset, ne improbaret.*

6. Ex accusatione liquet, Viarum publicarum munitionem ad Prætoris munus & officium attinuisse. Quæ ibidem sequuntur, evincunt, eosdem Prætores, exigente necessitate, potuisse hanc curam & negotium dare & delegare Legatis suis.

7. Audi enim, quomodo Cicero paullo ante dictam criminationem eludat, removeat, diluat: *Quid*, inquit, *si hoc crimen optimis hominibus delegare possumus, & ita, ut non culpam in alios* C *transferamus, sed uti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suum & præstare & probare possunt: tamenne vos omnia in M.Fontejum iratis testibus conferetis? Cum majoribus Reip. negotiis M. Fontejus impediretur, & cum ad Remp. pertineret, Viam Domitiam munire, Legatis suis, primariis Viris, C. Annio Bellieno & C.Fontejo negotium dedit. Itaque præfuerunt, imperaverunt pro dignitate sua, quod visum est, & probaverunt.*

8. Hoc quod florente libertate in usu fuit, mansit & sub Impp. Testem laudo Tacitum *Annal.* 1. 56. ubi narrat Drusi Germanici expeditionem ad- D versus Germanos imperante Tiberio, quod scilicet Germanicus *expeditum exercitum in Cattos rapuerit, L. Apronio*, cum maxime Legato suo & postea Germaniæ inferioris proprætore, *ad munitiones Viarum & Fluminum relicto: nam, rarum illi cœlo, siccitate & amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque & fluminum auctus regredienti metuebantur.* Per tales Consules & Legatos Augustus Cæsar Vias publicas ab extremis Imperii terminis ad oppositos fieri continuarique curavit, uti ex sequentibus apparebit clarius; quapropter de his jam nihil, sed de Quæstoribus, qui cum Præsidibus mittebantur in Provincias, ver- E bum addemus.

9. Quæstores itaque, uti Coss. & Prætores, quotannis creabantur a populo, a quo etiam ipso suam nanciscebantur, ut illi, vim & potestatem: qua in re differebant a Legatis, qui auctoritatem suam ferebant acceptam Præsidibus, quamvis hisce in plurimis rebus adessent ceu socii, assessores & consiliarii: at Quæstores Præsidibus filiorum loco erant, interque eos mutua erat relatio, ut, quemadmodum sine filio nemo est Pater, sic nullus Cos. aut Prætor provincialis esset sine suo Quæstore, cui cum suo Cos. aut Prætore mutua intercedebat necessitudo pæne filialis.

10. Munera eorum in illo differebant, quod F Præsidum fuerit, in caussis tam publicis, quam privatis jus dicere & controversias decidere; Quæstorum vero, administrare pecuniam publicam. Vias Publicas quod attinet, Præsides eorumve Legati illas fieri vel muniri curabant; Quæstores vero horum jussu pro materia precium & pro operis mercedem ex ære publico persolvebant. Iidem Quæstores erant quasi provinciales Tribuni ærarii, qui pecuniam publicam ex Tributis & Vectigalibus in accepti expensique tabulas referebant, Populoque reddebant rationes; ad quas expediendas ære publico penes se habebant scribas, commentarienses, rationarios, aliosque administros.

SECTIO VIII.

Quo tempore cœperint Viæ Publicæ in Italia.

1. *Sub Regibus stratura Viarum nondum erat in usu penes Italos.* 2. *Viarum publicarum munitio in Italia cœpit A.* CLXXXVIII. *post Regifugium.* 3. *Ap. Claudius Cœcus primus harum Viarum auctor.* 4. *Via Appia omnium & prima & excellentissima.* 5. *Altera Via publica in Italia facta per Aurelium Cottam.* 6. *Tertia per Flaminium.* 7. *Quarta per Æmilium.* 8. *Censores, qui primi Vias substernendas marginandasque locarunt.* 9. *C.Gracchus complures Vias Publicas per Italiam pulcerrimas fieri curavit.* 10. *Jul.Cæsaris ævo Italia Viis Publicis munitis plena erat.*

I. Romani variis temporibus varia etiam Reipublicæ forma vixerunt. Prima sub Regibus Monarchia fuit: sub Coss. Democratia: iterumque ad Monarchiam reditum sub Impp. Sub Regibus nec intra nec extra Urbem ullius Viæ publicæ munitæ mentio occurrit; nullum enim Reges habuerunt cum Pœnis commercium, primis Viarum sternendarum auctoribus.

2. Imo & diu post Regifugium, cum anni admodum effluxere CLXXXVIII. nemo manum huic operi admovit, quod demum in usum vocari cœpit, cum Resp. Romana sub ditionem suam populos circum vicinos serio & bona fide redegit.

3. Ibi tum enim, ut via redderetur facilior & commodior ad deducendos exercitus, ad exercenda commercia, ad apportandam rem frumentariam & commeatus, facilitandamque annonam populo, qui singulos dies numero crescebat, Magistratus Urbani illud Pœnorum inventum imitari constituerunt, celeberrimasque Vias Publicas per Italiam lapidibus straverunt. Omnium primus in Censura sua Viam Publicam a Roma usque Capuam stravit Appius Claudius Cœcus, quæ adhuc hodie *Viæ Appiæ* nomen ab Auctore servat. Facta ea A. U. C. CCCCXLII. M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Coss. Testis est Jul. Frontinus *lib.* 1. *de Aquæd. Appia aqua inducta est ab Appio Claudio Censore, qui postea Cœco fuit cognomem, M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Coss. anno* XX. *post initium belli Samnitici. Qui & Viam Appiam a porta Capena usque ad Urbem Capuam muniendam curavit.* Eodem vero tempore utramque rem factam Cassiodorus ait *in Chron. M. Valerio P. Decio Coss. per Appium Claudium Censorem Via facta, & Aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupatur.*

4. Insignis hæc & admirabilis Via in eo quoque nobilis est, quod, uti ratione temporis prima est omnium, sic & pulchritudine & magnificentia sui operis, ad quam excellentiam nulla Viarum posteriorum pervenire potuit; sive quis consideret illius longitudinem, sive latitudinem & crassitudinem tesserarum, quibus strata est, sive formam temperationis, sive artificium juncturæ, & alia singillatim notabilia, quæ nos exhibebimus separatim in Commentatione, quam scribemus de hujus Viæ Publicæ & inimitabilis miraculis.

5. Altera Via Publica, quæ in Italia est munita, si Caroli Sigonii *lib.* 2.*cap.ult. de Antiquo jure*

Italiæ, conjecturæ fides est habenda, debetur C. Aurelio Cottæ A. U. C. IↃ. XII. unde & *Aurelia* cognominata est. Alium jam auctorem, qui hoc tradat, nescio.

6. Tertia Via Publica per Flaminium munita est, & dicta *Via Flaminia*. Verum nec de auctore, nec de tempore consentiunt scriptores. Quidam illam adscribunt illi Flaminio, qui ad lacum Trasimenum ab Hannibale cæsus est, factamque volunt A. U. C. IↃ. XXXIII. L. Veturio & C. Lutatio Coss. in quo consentiunt Festus *in verb. Flaminius Circus*. Florus *Epit. Liv. l.* XX. & Cassiodorus *in Chronico*, cujus hæc sunt verba: *L. Veturio & C. Lutatio Coss. via Flaminia munita, & Circus factus, qui Flaminius dictus est.*

7. At Strabo *Geogr. lib.* V. tradit auctorem fuisse *C. Flaminium*, filium prioris, qui cum collega in Consulatu M. Lepido straverit duas Vias Publicas per Italiam, *alteram Flaminiam, e Roma per Tusciam & Umbriam usque Ariminum; alteram reliquam Æmiliam porro usque Bononiam, & ex ea in Aquilejam, prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere*. Hanc vero diversitatem alibi componemus commodius; hic sufficiat monuisse, tertiam ordine fuisse *Viam Flaminiam*, quam mox excepit quarta, quæ fuit *Æmilia*.

8. Cum vero Populus ejusmodi operibus delectaretur, & summa in publicum hinc rediret utilitas & commoditas, illa invitarunt annis XIII. aut XIV. interjectis Flaccum & Albinum Censores, ut Sp. Postumio Albino & Q. Mucio Scævola Coss. A. U. C. IↃLXXX. Vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substernendas marginandasque primi omnium locaverint, ut libro sequente ex Liv. XLI. 27. demonstrabimus.

9. Credibile est, Magistratus Romanos, qui hisce Censoribus successerunt simili industria usos ad Vias Publicas per Italiam muniendas, aperiendas & continuandas; quamvis abhinc L. annos nullam singillatim in Historia mentionem hujus rei reperiam. Qui eos tempore insecutus, at operis diligentia & magnificentia forsan prævenit, fuit C. Gracchus, Tib. fr. de quo *in ejus vita c.* 8. *&* 9. Plutarchus refert, quod in Tribunatu suo leges tulerit de coloniis Carthaginem aliasque Urbes deducendis, de Viis Publicis reficiendis, & horreis parandis: omnibusque iis administrandis & perficiendis ipse præfuerit, nulli succumbens tot tantorumque laborum molestiæ, verum mirabili celeritate atque opera, tanquam unum modo aliquod opus absolvens: sed quod in Viarum refectione præcipuam adhibuerit solertiam, cum utilitatis, tum pulcritudinis venustatisque rationem habens: de quarum magnificentia & forma alibi melior se offeret dicendi locus.

10. Hi sunt primi auctores, & hæc antiquissima memoria in Historiis Romanis, Viarum Publicarum per Italiam, quas plurimi Magistratus postea sic excoluerunt, ut Julii Cæsaris ævo illarum beneficio Roma omnibus Italiæ regionibus & Urbibus celebrioribus connecteretur. Augustus quidem aliique Impp. eum secuti maxima opera ibidem exegerunt; Vias autem per Italiam verius refecerunt, aperuerunt & amplificarunt, quam ut illas de novo fieri curarent, ut ab extremo uno ad aliud pertingerent; exceptis paucis illis, quas Domitianus, Aurelianus, & Trajanus fieri curarunt.

SECTIO IX.

Tempus, quo inchoatæ sunt Viæ Publicæ per Provincias.

1. Prima Via Publica per Provincias strata est in Gallia Aquitanica & Narbonensi. 2. Altera, Vita Domitia in Provincia sic dicta Galliæ & Allobrogibus. 3. Tertia ejusdem nominis per Germaniam. 4. Quarta in Epiro & Macedonia. 5. Augustus Cæsar præcipuus auctor Viarum publicarum per Provincias. 6. Hæ viæ publicæ munitæ sunt illæ quæ in Itinerario Antonini & Charta Peutingeri annotantur & designantur.

I. NON facile est, determinare tempus, quo Romani extra Italiam Vias sternere cœperunt; & rara extant earum testimonia ante imperium Augusti. Adferam tamen, quæ apud antiquos scriptores offendi, & initium faciam a Viis, quas reperio munitas fuisse cis Alpes, tam in Gallia, quam Germania. Prima, &, ut puto, omnium antiquissima est illa, quam Romani ultimo bello Punico fecerunt, ad iter ex Hispaniis montibusque Pyrenæis per Galliam Aquitanicam & Narbonnensem ad Alpes usque commodius reddendum. Hujus mentionem facit Polybius, auctor accuratus, fidelis & verax, *libr.* III. *Histor. c.* 39. ubi narrat *Iberum distare ab Emporio* CIↃ. IↃC. *stadiis, & illinc ad transitum Rhodani circiter* CIↃ. IↃC. *stadiis*: atque, ut ostendat quam accuratus certusque sit in numeris suis, addit hæc postea a Romanis dimensa esse: *ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισαι καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ρωμαίων ἐπιμελῶς*: *hæc enim nunc a Romanis diligenter stadiis octonis dimensa sunt & signata*. Est hæc illa ipsa Via, quæ visa & notata est Andreæ Resendio *lib.* III. *de Antiq. Lusitan. cap. de Viis Militarib.* ubi ait, eam esse silice quadrato stratam *pæne insana profusione*, ut alibi paullo amplius docebimus.

2. Altera est *Via Domitia*, quam Domitius Ahenobarbus fieri curavit A.U.C. IↃC. XXIX. M. Plautio Hypsæo & M. Fulvio Flacco Coss. Hic enim victis Allobrogibus & Alvernis, qui hodie sunt Sabaudi, Delphinates & Arverni, melius victoriæ suæ monumentum se relinquere non putavit, quam si hanc Viam Publicam pro more Italicarum muniret: hujus vero originem assignare, licet perquam obscurum sit, credibile tamen est eam fuisse in illa Allobrogum devictorum provincia, quæ stricte olim audiebat & hodie etiam vocatur *Provincia*. Illud certum est, esse eandem, quam Cicero *Viam Domitiam* vocat, & munitam ait per binos M. Fonteii legatos, *orat. pro M. Fontejo*; ut supra *sect.* VII. §. 7. monuimus.

3. Reperitur etiam *Via Domitia* in Germania trans Rhenum, sed nec ejusdem auctoris, nec ejusdem antiquitatis. *Via* enim *Domitia* Galliæ diu ante expeditionem Julii Cæsaris perfecta est: illa vero Germaniæ munita est diu post. Saltem extra controversiam est, non fuisse illam ante Julium Cæsarem, qui primus aperuit Romanis armis Germaniam. Hæc tamen Via munita est ab ejusdem nominis auctore per vastas paludes & dubias dehiscentesque terras in Germania. Tacitus ita hanc Viam depingit, ejusque auctorem notat *Annal.* I. 63. his verbis: *Angustus is trames, vastas inter paludes, & quondam a L. Domitio aggeratus. Cætera limosa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant*. Per hanc Viam Cæcina reduxit ultra Rhenum partem exercitus, quam Germanicus in Germanos duxerat, ut ex eodem Tacito constat.

4 Has in Gallia & Germania reperi. In cæteris provinciis solam invenio *Viam Egnatiam*. Eam diserte describit Strabo *Geogr. lib.* VII. *Ab Apollonia in Macedoniam Egnatia Via est, in orientem versus per milliaria dimensa, & lapidibus distincta* (pro more solito) *usque Cypselum & Hebrum flumen*. Hæc enim ante Augusti tempora strata & perfecta fuit, & jam Ciceronis ætate *Milliaris Viæ* nomen venit, quo solæ Viæ Publicæ munitæ gaudebant. Estque illa ipsa, quam innuit Tullius *de provinc. Consularib. Via illa nostra, quæ per Macedoniam est usque ad Hellespontum, Millitaris.*

5. Quod si ullæ præter has Viæ publicæ munitæ ante Augustum extra Italiam fuerint, eas credo perquam raras fuisse. Hic enim primus lubens volensque & antiquas Italiæ vias amplificavit ac produxit, & novas in provinciis fieri curavit; cujus rei varia monumenta hinc inde sparsim in hoc libro occurrent, quorum cum maxime sufficerit hoc Suetonii *in Aug. c.* 41. testimonium: *Et quo celerius & sub manum annunciari cognoscique possit, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per Militares Vias, dehinc vehicula disposuit*. In quo verba *in provincia quaque*, notanda sunt; si enim ipse non curasset fieri & muniri Vias in quaque provincia, nec potuisset cursores, nec vehicula in iisdem disponere, quorum hic est mentio, uti certior sub manum fieret de rebus, quæ in singulis sui Imperii provinciis accidebant. Hæ autem Viæ non erant aliæ, quam Publicæ munitæ, quas *Militares* vocat, nomine proprio & in veterum scriptis usitatissimo ad denotandas Vias hominum manu munitas.

6. Hæ sunt illæ ipsæ Viæ, quæ descriptæ extant in *Itinerario Antonini* & *Charta Peutingeri*, quæ non tantum Vias publicas habent Italicas, sed & provinciales. Hieronymus Surita id optime animadvertit *præfat. in commentarium Itin. Anton. Neque Italiam modo, sed & universas Romani Imperii Provincias, eodem decore atque ornamento idem Princeps affecit: ut Præsides, & qui pro Consulibus eo munere fungerentur, facilius Provinciarum urbes atque conventus obirent*.

SECTIO X.

A quot & quibus hominibus Publicæ Imperii Viæ sint munitæ.

1. *Ad muniendas Vias Publicas magna operarum multitudine, & plurima pecunia opus fuit*. 2. *Numerus operarum ad Templum Salomonis, item ad unam Pyramidem*. 3. *Numerus operarum ad muniendas Vias utrumque excessit*. 4. *Hominum quatuor genera Vias Publicas muniverunt; & quidem primo Milites legionarii*. 5. *His primum Augustus ad viarum munitiones usus est*. 6. *Legionum numerus auctus post Augustum*. 7. *Tum plebs provincialis*. 8. *Modus observatus in legionariis & provincialibus munitioni Viarum adstringendis*. 9. *Hinc borum & illorum sæpe querelæ*. 10. *Tertium genus hominum ad muniendas Vias necessariorum*. 11. *Quartum genus*. 12. *Quod omnis Europa, Asia & Africa manum tanto operi admoverit*.

1. QUemadmodum Publicæ Imperii Viæ cætera opera, spatii longitudine, superarunt, ita & majore pecuniæ & hominum vi opus fuit, quam in ullo opere, quod celebretur in historiis Græca Romanave, sacra aut profana. Dicemus itaque nonnihil de innumero ho-
A minum numero, & impendio æris inenarrabili, quæ huic incomparabili operi fuerunt imputanda.

2. De Templo Salomonis, quod ingenti & plurima hominum ex gentibus Israelis & peregrinis manu elaboratum est, audiatur sacra pagina 1. *Regum* v. 13-18. II. *Chronicor.* II. 2. 17. 18. ex quibus locis colligimus, fuisse delectum Israelitarum triginta millium ad cædenda in Libano monte ligna, quorum decies mille alternis erant mensem in Libano, duos autem menses quisque domi suæ respirabat: ex recensione vero peregrinorum in terris Israelis, qui erant numero centies quinqua-
B gies ter mille sexcenti, fuisse septuaginta millia bajulorum, octoginta millia putatorum in monte Libano, aut si τοὺς ό & Vulgatam audis, qui lapides cæderent de montibus; ter mille autem & sexcentos præfuisse operis hisce adigendis. Plinius *H. N.* XXXVI. 12. de Pyramide amplissima ait, quod trecenta sexaginta hominum millia annis viginti eam construxisse prodantur. Hæc tamen opera exiguis coercebantur spatiis, & exstructa sunt a duorum modo regnorum incolis, quæ post ea in Imperii Romani ditione duas provincias non adeo magnas constituerunt.

3. At Viæ publicæ, uti quaquaversum excur-
C rebant, ita munitæ sunt ab omnibus Imperio Romano subjectis; ab occasu in Hispaniis & Mauritaniis; ad ortum usque ad Assyrios Medosque; a septemtrionibus per Britannias, Gallias, Pannonias, & Scythiam usque ad australes Arabes, Ægyptios & Garamantes, id est, ab omnibus orbis habitabilis hominibus; quorum numerus recenseri nequit, tanto minus, quia ab Augusto Cæsare ad Imperii Occidentalis senectutem totum Romani victores orbem habuerunt, aut si quid certe clararum in illo terrarum fuit, quæ aliquam sui rationem haberi merebantur, uti deinde videbimus ini-
D tio libri III. hujus nostri Commentarii. Quoniam itaque omnes Imperii provinciæ huic operi Viarum, operam suam contulerunt, non abludemus a vero, si dicamus totum orbem huic operi manum admovisse, sive tantum ex quaque provincia hominum numerum, qui numerari & definiri omnino nequeat.

4. Sed ut generatim tamen cognosci aliquo modo possit infinitus ille hominum & operarum numerus, eos in quatuor genera distribuam, scilicet Milites Legionarios; plebem Provincialem; Artifices, Opifices & Operas; Servos pœnæ denique & ob crimina ad hoc opus damnatos. Initium fa-
E ciam a Militibus Legionariis, qui ante & post Augustum ex solis legebantur veris civibus Romanis, ut illi norunt, qui vel a limine Historiam Romanam salutarunt; Socii enim, Fœderati & Externi, ut docet eadem, *militabant in Auxiliis, non in Legionibus*. Augustus itaque reputans, non minorem esse virtutem, parta tueri, quam quærere, licet virtute & fortuna inusitata sub ditionem suam redegisset imperium toto orbe maximum & præ cæteris pacatissimum, sub signis tamen semper habuit XXV. Legiones, dispositas in variis Imperii provinciis, præcipue illis, quæ finitimæ hostium incursioni maxime erant expositæ, ut ad omnes in-
F sultus parati & præsto essent milites. Tres namque Legiones habuit in Hispaniis, octo in Galliis, duas in Mœsia, totidem in Pannoniis, totidemque in Illyrico. Legio autem Romana Augusti ætate habebat pedites sex mille ducentos, equites IↃCCXXX. ut colligimus ex Dione, Tacito, aliisque Romanæ Historiæ scriptoribus; sic ut XXV. Legiones fuerint militum CLXIII. millia. *V. Onufr. Panvin. de Imper. Roman. cap. de Leg. Pop. Rom.*

5. Maximus hic idemque felicissimus Impera-

tor, excelsi Vir animi & non nisi magna agitantis, A
cum pace terra marique parta, tot Legiones sub signis haberet, quas otium corrumpere facile potuisset, recte putavit, se non posse tot milites per provincias dispersos utiliori & magis necessario operi destinare, quam novis Viis Publicis per singulas provincias faciendis & muniendis. Fecit id plures ob caussas, quas alibi dicemus; sed præcipue ad evitandas corruptelas, quas militibus affricat desidia: sæpe enim *discordia laboratum est, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret*, ut ait Tac. *in vita Agric. c.* 16.

6. Legiones hæ sub Impp. sequentibus valde auctæ sunt. Imperante Trajano XXX. sub signis fuerunt; nec credibile est optimo huic Principi B
placuisse has otio lascivire inutili, cum pax eidem Viarum Imperii sui Publicarum opus inspirasset, quarum post Augustum ille unus plures vel novas fecit, vel antiquas refecit. Adrianus ejus successor, licet pacis amator, per omnem tamen suæ vitæ ætatem totidem Legiones sub signis habuit. Colligitur hoc ex festivo illo Favorini responso, Viri suo sæculo doctissimi & eloquentissimi, qui, cum verbum ejus quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano de verbo, quod idonei auctores usurpassent, risum jucundissimum movit, dicens: *Non recte suadetis, Familiares, qui non patimini* C
me illum doctiorem omnibus credere, qui habet XXX. *Legiones*, teste *Spartian. in Adrian.* c. 8. Harum Legionum opera celeberrimum illum Britanniæ murum per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret, *l. l. cap.* 6.

7. Alterum genus hominum, qui ad opus Viarum adigebantur, erant Plebeii provinciales: caussa fuit eadem, quæ Militum otia distinxit, ut docet Isidor. Orig. XIII. 16. *Romani Vias per omnem pæne Orbem disposuerunt propter rectitudinem itinerum, & ne Plebs esset otiosa*. Fuit & hæc inter D
rationes Regum Ægyptiorum ad pyramidas extruendas: *quippe cum faciendi eas caussa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, & ne Plebs esset otiosa. Plin.H. N.*XXXVI.12. Ut ergo Plebi provinciali seditionis per desidiam occasio præcideretur, adacta fuit ad opus Viarum Publicarum, per modum operæ vectigalis aut tributariæ præbendæ; speciatim vero rustica ex pagis, vicis, aliisque locis provincialibus, jure belli devictis, ac proinde priore sua & naturali libertate spoliatis.

8. Modus adigendi milites legionarios & plebem provincialem ad Viarum opus fuit hic: mittebant Imperatores in provincias suos præfectos E
& vicarios variis nominibus & potestate instructos, veluti Procoss. Præsides, Prætores, Legatos, quibus parebant ibidem milites legionarii idoneo numero; hos illi adversus otium castrorum pacis bellique tempore exercebant laboribus. Ipsa etiam pacis indulgentia loco operum necessariorum eosdem adigebant ad opera voluptatis utilitatisve publicæ.

9. In hisce operibus milites junctim cum cujusque provinciæ plebe laborabant, & tam hæc quam illi nonnunquam hic illic adeo duriter sunt habiti, ut in acerrimas subinde erumperent querelas, imo F
in seditiones & adversus duces suos rebelliones. Sic imperante Tiberio sub excessum Augusti duo exercitus apud ripam Rheni in Germania, superior & inferior, singuli ex IV. legionibus, exarserunt in seditionem adversus Tribunos & Centuriones, *exprobrantes duritiam operum, ac propriis nominibus incusantes vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus, & si qua alia ex necessitate, aut adversus otium castrorum quæruntur*, ut narrat *Tac. Annal.* 1. 35. Inter durissima autem & incredibilis laboris opera erat molem aggeremve jacere per vasta camporum, sylvarum, locorumque palustrium; viam inter montes excidere; exaggerare valles, complanare colles; in magnis fluviis facere pontes ad jungendos aggeres, eosque continuare per urbes celebriores ad Vias Militares perficiendas. Milites legionarii sæpissime hæc opera questi sunt, per quæ militum armata manus fieret operarum serva. Flagitabant sibi hostem dari, contra quem pugnarent, non vero rapida flumina, vastas sylvas, montes rupibus asperrimos, paludes inexhaustas: imo aperte expostulabant, se non esse gigantes, qui naturam oppugnarent, eamque invitam jussu Imperatorum aut Legatorum cogere possent. Provinciales, qui ad hoc opus cogebantur, querebantur se a Romanis adigi ad Viarum opera per verbera & contumelias, id quod videre licet ex Galgaci Caledoniorum Principis oratione ad milites suos, qua eos exhortatur adversus Romanorum exercitum, quem ducebat Julius Agricola, ubi inter alia miseriam depingit Britannorum, qui jam sub jugo Romanorum erant, *quorum bona, fortunasque in tributum, in annonam, frumentum Romani egerant: corpora ipsa ac manus sylvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterebant*, teste Tacito *vit. Agric cap.* 31. Neque dubium est, quin & cæteræ provinciæ similes querendi caussas habuerint; hi enim cogebantur ad perrumpendas & excidendas rupes, ad subeundas lapicidinas, & secandos inde lapides & silices; illi ad eosdem advehendos & adferendos, sæpe a XV. XXX. XLV. & ultra millibus passuum, iis nimirum in locis, ubi lapidum copia non erat; isti ad effodiendas ex fluviorum fundis arenas & glaream; alii ad coquendam calcem; alii item ad cædenda alendo igni ligna ex sylvis; alii denique ad coagmentationem horum operum, atque ad singula secundum coria & seriem suam digerenda & consolidanda, & sic ad Vias secundum debitam perficiendas formam, quæ illas temporum violentiæ inexpugnabiles ad posteritatem conservaret.

10. Tertium genus hominum, quod muniendis Viis publicis fuit adhibitum, fuerunt Architecti, Operæ, Materiarii. Quemadmodum enim per pontes conjungebantur, per portus terminabantur Viæ, nec non ad commoditatem *Mansionum* & *Mutationum* plurima ædificia ad Vias Publicas astruebantur, ut taceam columnas milliares, & cætera opera minora, de quibus post agemus; hinc necessario sequitur, maximam partem Operarum, Lapicidarum, Materiariorum, Architectorum, Mechanicorum & Mancipum ex universo Orbe terrarum in hoc opere industriam suam exercuisse; qui in numerum unum si omnes colligerentur, longissime superarent omnes Templi Salomonei & Pyramidum Ægyptiarum operas. Neque est, ut quis putet pontes portusque fuisse opera minoris impendii aut laboris, siquidem portus Ostiensis Claudii, & solus ille pons Danubio per Trajanum impositus provocant omnia reliqua magnificentioris & audacioris structuræ per totum terrarum orbem opera.

11. Quartum hominum genus ad muniendas Vias adhibitum fuit illorum, qui ob scelera & crimina non quidem ad ultimum supplicium, quod meruerant, sed ad Viarum Publicarum opus per omnem suæ vitæ ætatem erant condemnati, quemadmodum qui ad metalla, & in nostra Gallia ad remos damnantur. Anysis Ægypti Rex eadem ratione usus est, ut tradit Herodotus *in Euterp. sive lib.* II. *pag.* 63. *ed. Steph.* Cœcus erat hic Rex,

& nihilominus per L. annos regnavit: quo tempore, quoties Ægyptiorum quisquam aliquid deliquisset, neminem voluit ultimo affici supplicio, sed pro sui quemque delicti magnitudine damnari ad aggerendam certam mensuram aggerum intra urbem, unde quisque nocentium erat oriundus; atque ita urbes sublimiores sunt effectæ. Licet autem hi ad opus Viarum per judices Romanos condemnati non fuerint honestioris, sed vilioris ordinis; Caligula tamen, teste Suetonio *in ejus vit. c.* 27. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis*, ut quæ servis solebant ob scelera inuri, *ad metalla & munitiones Viarum, aut ad bestias condemnavit*. De Nerone idem *in ejus vit. cap.* 31. testatur, quod præter alia opera, fossam quoque ab Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, inchoarit, & horum *operum perficiendorum gratia, quod ubique esset custodiæ, in Italiam deportari: etiam scelere convictos, non nisi ad opus damnari præceperit*.

12. Ut rem in pauca conferamus, non unum regnum, non una regio, sed omnis Europa, omnis Asia atque Africa manum operi huic admovit, maximaque & olim in illis mundi partibus florentissima regna, quo tempore sub Romanorum fuerunt ditione, socias contulerunt operas: quod profecto de nullo alio per orbem opere affirmari potest.

SECTIO XI.

De Pecunia ad Vias publicas impensa.

1. *Ingens æris summa nonnullis Operibus impensa.* 2. *Major tamen ad Vias Publicas.* 3. *Triplex Pecuniæ publicæ genus ad Vias impensum.*

1. MAgnificatur Turris a Rege Ptolemæo in Pharo insula facta, portum obtinente Alexandriæ, quam constitisse IↃCCC. talentis tradunt, si Plinio H. N. XXXVI. 12. fides habenda, quæ reddunt nostræ monetæ Gallicanæ 1579840. libras vulgares, siquidem talentum Ægyptium æstimes 1964. libris nostratibus, XVI. solidis Francicis. Ibidem loci Plinius testatur ad amplissimam pyramidem exstruendam in raphanos, alium ac cæpas ∞ IↃCCC. talenta fuisse erogata, quæ nostratis monetæ sunt 3554640. libræ Francicæ. Eupolemus *de Reb. Judaic. apud Euseb. lib.* IX. *de Præpar. Evangel.* affirmat, auri in Templo Salomonis tam ad columnas & ornamenta, quam ad vasa sacrificiis dicata fuisse talenta 4600000. argenti vero talenta 1232. æris denique 18000. quæ intelligenda putem de minore Hebræorum talento, quod idem est siclo, & valuit XXII. solidis Francicis, ut ea ratione redeat summa omnino ad 5081155. libras & 4. solidos monetæ Francicæ. Forum Julius Cæsar, teste Suet. *in ejus vita cap.* 26. inchoavit, cujus area super HS. millies constitit, quod reddit libras Francicas nostro calculo 2333300. Nec sine stupore licet recensere summas pecuniæ ingentes, impensas Amphitheatro Pompeii, Pantheo Agrippæ, Templo Pacis Vespasianeo, aliisque maximis operibus in Historia obviis.

2. Verum si immensas has pecuniæ impensas, & sane admirandas, conferamus cum illis, quæ ad Vias Imperii publicas sunt erogatæ, tum liquebit, ab his superari omnes illas, quæ usquam & unquam magnificentissimis & sumtuosissimis per orbem terrarum operibus fuerunt impensæ: singulis namque illis operibus singulæ Urbes, singulæ Provinciæ, singula Regna sumtus contulerunt; sed ad Vias publicas, de quibus agimus, A quivis Populus, quævis Gens, quævis Provincia, quævis Regio Imp. Romano obnoxia aliquid de suo ære contribuerunt; præter illa, quæ de proprio contulit ærario Urbs ipsa princeps omnium Roma.

3. Hoc ad oculum evidentissime demonstrabimus, sequenti disputatione de variis pecuniæ publicæ generibus ad Viarum opus per IↃ. & ultra annos erogatæ: quam in tria sive genera sive species differentes partiemur, ærarii nimirum publici, fisci Imperatorii, & pecuniæ privatæ. De singulis speciatim disputabimus, ut si ad assem & libellam nequeamus examinare tot impensas ingentes, B utpote immensas & profusissimas, saltem generalem aliquam earum notitiam exhibeamus, ex qua constet, tantas fuisse, ut solum Imperium Romanum iis erogandis par fuerit, nec ullam in Orbe terrarum fuisse Remp. quæ tam vasta opera potuerit perficere. Operæ itaque precium erit, paullo altius ipsos requirere fontes, ex quibus pecunia publica Romanorum derivabatur, & unde, ceu abundantissima scaturigine, hauriebantur necessaria ad Vias Publicas per orbem terrarum muniendas.

C

SECTIO XII.

De Pecunia Romanorum publica, ejusque differentiis.

1. *Pecunia publica cum ex Tributis, tum ex Vectigalibus ad Ærarium redibat. Quid Tributa.* 2. *Horum duæ species quando institutæ.* 3. *Vectigalia, eorumque species. Prima, portorium:* 4. *Altera, Decima: Tertia, Scriptura:* 5. *Quarta, Salinarium, sive ex Salinis:* 6. *Quinta, Vigesima Manumissionum.* 7. *Quod P.R. paullatim Tributorum Vectigaliumque onus a se in* D *Italos & Provinciales transtulerit.* 8. *Nova Tributorum per Augustum restitutio.* 9. *Tertium Pecuniæ publicæ genus, quod ex Metallis ad ærarium redibat.* 10. *Variæ Tributorum sordidorum & tyrannicorum species.*

1. PEcunia Romanorum Publica, & ratione materiæ & ratione quantitatis, pro conditione temporum & mutatione Reipubl. variavit: bini autem fontes, ex quibus promanavit, fuerunt, *Tributa* & *Vectigalia*. *Tributum*, Græcis φόρος per certos homines pro ratione census nomine publico exigebatur: Varro *l.* IV. *de L.L. Tributum*, E ait, *dictum a Tribubus, quod ex pecunia, quæ a Populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur*.

2. Duæ *Tributorum* species erant, altera *ordinariorum* tam in capita, quam in solum sive agros & possessiones, quæ singulis annis exigebantur: altera *extra ordinem* eorum, quæ imperabantur a Populo, aut per SC. pro necessitate temporum, pro bono publico & defensione Imperii, ejusque Provinciarum; uti alias etiam imperabatur stipendiariis populis certus equitum peditumve numerus, idoneis instructorum stipendiis. *Tributa* primum per Reges instituta sunt, & a Coss. postea conti- F nuata ad annum usque U. C. IↃXXCVI. cum Æmilius Paullus ex præda Persei Macedonum ultimi Regis tantam pecuniæ summam ærario publico intulit, ut postea Pop. Rom. satis longo tempore vacatione tributorum sit gavisus. Ciceronem audi: *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus Paullus tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum*.

3. *Vectigal*, Græcis τέλος, quinque differentes

habet ſpecies. Prima Græcis audit πόρος, πορισμὸς ἢ πρόσοδος, Romanis *Vectigal peregrinum* ſive *portorium*. Valde hoc convenit cum illis Vectigalibus, quæ in Franco-Gallia vocamus *Droit de Reſve, de Haut paſſage, de Traiſtes & Impoſitions foraines, Entrées de Villes, Droit de Chauſſée, de Pontenage*, & ſimilibus, quæ pro rerum venalium importatione & exportatione exiguntur. *Portorium enim fuit vectigal, quod ex importatione & exportatione rerum venalium capiebatur*. Roſin. *Ant. Rom.* X. 22.

4. Altera Vectigalis ſpecies eſt *decima*, & tertia eſt *ſcriptura*; quas hinc conjungo, quia & de iiſdem conjunctim agit Appian. Alexandrin. *l.* I. *Bell. Civil.* cujus hic fere eſt ſenſus, Romanos, cum modo hanc, modo illam Italiæ regionem ſuæ ſubjeciſſent ditioni, indigenis devictis bonam agrorum partem ademiſſe, horumque arva ſata adſignaſſe civibus Romanis; ſolum autem incultum & derelictum a Cenſoribus Romæ, aut in Provincia a Magiſtratu Romano fuiſſe ea lege aratoribus locatum, ut *decima* fructuum pars inde ad publicum rediret, unde & ipſum hujus vectigalis nomen *decuma*. Quantum vero ad ſaltus agroſque paſcuos publicos attinet, eos Cenſores publicanis certo pretio addicebant, & redemtoribus jus faciebant exigendæ paſtionis nomine pro quovis pecore aut armento in ſingula capita certum vectigal, quod *ſcripturam* vocabant, *quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore*, ut loquitur Feſtus *in verb. Scripturarius ager*. De hoc vectigali conſultatur porro Cic. *Agraria l. in Rull.*

5. Quarta ſpecies Vectigalis erat *ſalinarum*, quam nos in Gallia noſtra vocamus hodie *gabelle*; hoc exigebatur pro ſalaria annona, quæ publicæ erat auctoritatis. Docet Livius II. 9. biennio poſt exactos Reges, *ſalis vendendi arbitrium, quia impenſo precio venibat, in publicum omne ſumtum, ademtum privatis*, & XXIX. 37. quod bello Punico ſecundo M. Livius Salinator & C. Claudius Nero tum maxime Cenſores *vectigal novum ex ſalaria annona ſtatuerint tam Romæ, quam per totam Italiam*.

6. Quinta erat ſpecies *vigeſima Manumiſſionum*, qua viceſima pars precii illius, quo æſtimabantur manumiſſi ſervi, ærario publico per Viceſimarios exigebatur, unde & ipſum nomen *vigeſimæ*; pari ratione atque in noſtra Franco-Gallia *vintiéme* eſt vectigal ſolidi Francici, ſive vigeſimæ partis libræ Francicæ. Factum hoc A. U. C. CCCXCVIII. cum Cn. Manlius Coſ. legem tributim de vigeſima eorum, qui manumitterentur, tulit, cujus deinde Patres, *quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt*, ut loquitur Liv. VII. 16.

7. Pro ratione Imperii Romani per Europæ, Aſiæ & Africæ pacatos populos propagati, cives Romani tributorum & vectigalium onus a ſuis cervicibus in ſolos provincialium & devictorum humeros tranſtulerunt, præprimis illorum, quos bello difficili & per vim expugnaverant. Latini & Italici populi, & Romæ viciniores, priores etiam hoc onus ſenſerunt. De Latinis res patet ex Livii verbis VIII. 8. quibus ait, *Latinos, poſtquam ſtipendiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis feciſſe*. De Italicis teſtis eſt Appian. Alexandr. apud quem hi *ſe militando & tributo conferendo feſſos eſſe* queruntur. Idem jugum omnibus Provinciis imponebant, exceptis tantum Populis Civitatibuſque fœderatis & amicis. Colligimus id ex Appiani verbis *in Lybico*, ubi Scipio cum Decemviris leges dicit pro arbitrio Carthaginenſibus devictis. *Quantum attinet*, ait, *ad Populos & Reges fœderatos & amicos P. R. hi præmia meritorum ferent: ad cæteros quod attinet, illis annuum tributum in capita & in ſolum imperatur*. Græca ſunt: Τοῖς δὲ ἄλλοις φόρον ὥρισαν ἐπὶ τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασιν.

8. At poſteaquam paullatim Tributorum & Vectigalium exactiones Provincialibus fierent intolerabiles, Auguſtus Imp. & publicæ quietis Fundator omnes extraordinarias Tributorum Vectigaliumque æruſcationes, quas avaritia Magiſtratuum Romanorum Provincialium, Proconſulum, Prætorum, Præſidum malo publico repererat, velut uno ictu præcidit, &, neglecta veterum ratione, nova *Tributa ordinaria inſtituit, alia in agros, alia in caput*: atque hæc ut tanto majore æquitate in ſingulos diſtribuerentur, juſſit cenſum totius Imperii fieri. Hic eſt ille cenſus, cujus in Euangelii ſui initio meminit D. Lucas: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*. Hac deſcriptione, quæ *Cenſus* dicebatur, pernoſſe voluit, quantum hominum eſſet in Imperio, quantumque ſinguli in bonis & facultatibus haberent, ut in Tributis imperandis æquitatis & portionis ratio poſſet haberi. *Auguſtus cenſu excogitato Romanum deſcripſit Orbem*, ut loquitur Iſidor. *Etymol.* V. 36. Ex hac autem univerſali deſcriptione & diſtributione mirifice aucti ſunt Imperii Romani reditus, tam Auguſti, quam ſequentium Impp. ævo, cum nulla eſſet in orbe Romano provincia, quæ pro ſua portione non contribueret ad Reip. Rom. ærarium.

9. Sicco pede hic tranſeo tertium quoddam Pecuniæ publicæ genus, quod immenſas Reip. Rom. ſummas in ærarium publicum intulit. Rediit hoc ex metallicis fodinis, quæ paſſim per Imperii Rom. provincias erant, præcipue in Hiſpania & Gallia; unde ad Imperatores inſignem auri vim redundaſſe ex Strabone, Plinio, aliiſque idoneis auctoribus diſcimus. Mæcenas ſane in luculenta illa ad Auguſtum oratione pro Monarchia feliciter inſtituenda apud Dion. *l.* LII. harum rationem haberi vult: *Deinde*, ait de Vectigalibus & Tributis verba faciens, *horum omnium, ac eorum quoque, quæ ex metallicis fodinis, aut aliunde certo ad nos redeunt, ineunda eſt ratio*.

10. Neque hic porro immorabor recenſendo *Vectigali urinæ*, quod Veſpaſianus commentus eſt, teſte Suetonio *in ejus vita* cap. 23. quam vendebat coccini coloris infectoribus: neque illud adhuc magis ſordidum, cujus Cedrenus *in Compend. Hiſtoriar. in Anaſtaſio Imp.* facit mentionem: nec χρυσάργυρον, quod teſte Zoſimo *lib.* inſtituit Conſtantinus: nec illud καπνικὸν, quod in fumum inſtituit Nicephorus Imp. narrante Zonara; neque & illud, quod aeri, quem reſpiramus, impoſuit Michael Paphlagon Imp. quod ipſum graphice traducit Johannes Chryſoſtomus: *Vendimus*, ait, *elementa, viæ tributa pendunt, & aer ipſe eſt venalis*. Plinius queritur & quarundam arborum umbris, ipſiſque etiam mortuis tributa fuiſſe imperata: & Xiphilinus affirmat, Neronis ævo, ne quidem gratis atque ſine tributo licuiſſe mori.

SECTIO XIII.

De ingentibus Pecuniæ ſummis, quas Romani ex Vectigalibus & Tributis cogebant.

1. *Prima conjectura ſuper magnitudine Romana.* 2. *Reditus ex Aſia ante & poſt victorias Pompeii Magni.* 3. *Reditus annui totius Imperii Rom. in unam prope ſummam collecti quanti.*

1. UT igitur generatim & summatim liceat quodammodo nosse reditum annuum, qui in ærarium Pop. Rom. inferebatur, initium faciam a Coss. Sex. Julio & L. Aurelio Oreste A. U. C. IↃXCVII. septem annis ante bellum Punicum tertium. Illo tempore Romani necdum valde extra Italiam imperii sui limites promoverant, & tamen Plin. *H. N.* XXXIII. 3. illo anno in ærario Pop. Romani fuisse *auri pondo* IↃCC. XXCII. *argenti nonaginta duo millia, & extra numerum* CCC. & XXCV. affirmat. Annis LXVI. postea, Sex. Julio & L. Marcio Coss. belli socialis initio IↃCCC. XLVI. *pondo auri* in ærario fuisse idem testatur.

2. At minuta hæc sunt, si comparemus illis pecuniam ex tributis & vectigalibus collectam sequentibus sæculis, quibus Imperii pomœria per totum terrarum orbem sunt promota. Plutarchus ait *in vita Pompeii* ex sola *Asia provincia* quæ hodie est *Natolia*, si Lipsii emendationem *de Magnit. Rom.* II. 2. sequimur, rediisse ad ærarium annua 20000. talentum, aut, si per compendium more hodierno loqui licet, VI. milliones Scutatorum. Idem Plutarch. *l. l. c.* 72. ait ex Provinciis Asiæ minoris majorisque, quas Imperio Rom. adjecerat Pompejus M. bello Mithridatico, in ærarium Reip. quotannis rediisse *ter millies & quadringenties HS.* sive octo milliones & quingenta millia Scutatorum. Strabo *Georg. lib.* XVII. ex quadam Ciceronis oratione asserit, *Ptolemæo Auletæ, patri Cleopatræ*, ex Ægypti regno, *quotannis duodenum millium & quingentum talentorum tributum afferri solitum*, sive septem milliones & quingenta millia Scutatorum: quæ summa, in Provinciæ formulam redacta per Romanos Ægypto, saltem ad X. milliones aucta fuit, id quod ex sequentibus *l. l.* verbis colligere possumus: *Quare cum is qui pessime ac segnissime regimen administrabat, tantos reditus haberet; qualia putanda sunt præsentia, quæ cum tanta diligentia a Romanis administrantur, Indicis Troglodyticisque emporiis adeo auctis?*

3. Augustus Cæsar tributariam fecit Ægyptum, ejusque reditus fere pares reddidit reditibus, qui ex Galliis in ærarium inferebantur. Vellejus locuples est testis II. 39. *D. Augustus præter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet, pæne idem facta Ægypto stipendiaria, quantum Pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit.* Galliæ itaque reditus superabant aliqua ex parte reditus Ægypti, & saltem X. aut XII. milliones ærario Rom. contulerunt. Hæc ipsa tamen summa videtur valde aucta fuisse per censum ab Augusto in universo orbe Romano, præcipue per Gallias, institutum: *Nam ille censum per Gallias instituit, opus novum & inauditum Gallis*, ut loquitur Claudius Imp. in quadam ad senatum oratione, unde credibile est reditus Galliarum altero tanto tum fuisse adauctos. Ammian. Marcellinus XVI. 2. testis est, Juliani temporibus per Gallias *pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos fuisse flagitatos*; quos tamen, ut præter æquum, moderatio Juliani ad septenos revocavit, cum hyberna Lutetiæ Parisiorum transigeret. Quod si Galliæ illa tempestate fuerunt tanta hominum frequentia, quanta hodie ad XV. milliones capitum numeratur, tum certe ante Juliani tempora Impp. Romanis pependerunt CCCLXXV. milliones auri, & post illa CL. milliones.

4. Atque si tantum Pecuniæ solæ Provinciæ Galliarum atque Ægypti ærario Romano intulerunt, quantum ergo fuit, quod ex cæteris Orbis Romani provinciis inferebatur? Syria (in qua per præsidem Cyrenium inchoatus est census universalis) nonne facile tantundem potuit exhibere? Sed quid dicemus de Græcia, de Illyrico, de Hispaniis, de Asia, de Africa, de tot Insulis, quæ ad tres illas Orbis partes majores adjacent? Sane vix est, ut recte & ad assem possimus assequi Pecuniæ Romanorum publicæ immensam copiam. Audi Lips. *de Magn. Rom.* II. 3. *Concipere summas vereor, sed supra centum quinquaginta milliones fuisse, animo hoc sentio, & ore etiam promo.* Proinde mirum videri non debet, quod Impp. Romani sub signis & in stipendiis habuerint perpetuum militem ad CC. millia peditum, equitumque millia XL. ne ad calculos vocemus CCC. elephantos & currus falcatos bis mille; quod in mari perpetuam classem, mille & quingentas naves longas, & alius formæ bis mille. Hæ imperante Hadriano Romani Imperii vires erant, uti narrat Appianus Alexandrinus, qui hoc sub Imp. vixit, viresque & Imperii sua ætate statum, si quisquam, optime pernovit, *in proœm. lib. qui Libycus dicitur, sub finem.*

SECTIO XIV.

Quod Viæ Publicæ inter opera publica, quibus ex ærario sumtus erogabantur, fuerint.

1. *Appiani liber de statu & ærario Pop. Rom.* 2. *Rationarium Pecuniæ publicæ propositum quoque publice.* 3. *Quod a Tiberio intermissum, a Caligula vero est revocatum.* 4. *Ad quæ opera & negotia Pecunia publica sit impensa.* 5. *Viæ etiam Publicæ ex ære publico munitæ.* 6. *Prima ratio hujus asserti.* 7. *Altera ratio.* 8. *Quod ditissimi cives quandoque aliquid de suo ad vias muniendas contulerint.* 9. *Siculi Flacci testimonium:* 10. *Et Inscriptionis antiquæ.*

1 QUod si hodie exstaret ultimus Appiani Alexandrini liber, opus non foret ulla conjectura ad divinandam summam ordinariam, ad quam ærarii Romani rationes annuæ ascendebant; neque & illa pars expensarum desideraretur, quæ in Vias publicas erogabatur, sic enim *in proœmio Libycæ Historiæ* ille promiserat: *Ultimus liber habebit copiam militarem, quam & quantam Romani habeant: tum & proventus pecuniasque, quas per singulas gentes capiant: item quid in classe impendant, & si quid est hujusmodi.*

2. Appianus enim illa omnia facile scire potuit, ut qui diutissime cum Populo Romano ejusque Impp. fuerit versatus; tum etiam ex more illo prisco veterum Impp. quo solebant rationes Imperii tam accepti æris, quam expensi per Breviarium proponere: cujus instituti auctor primus fuit Augustus Imp. qui non est dedignatus reddere Populo rationes, uti cunctis liquidum esset, non privatis suis ipsius commodis, sed bono publico tantum pecuniæ publice fuisse impensum.

3. Hoc est illud Rationarium, quod in historia Romana vocatur *Breviarium Imperii*, quod intermissum a Tiberio per Caligulam fuit restitutum, ut discimus ex Suetonio *in Calig. cap.* 16. *Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicavit.* Quod tamen & ipsum primo a Tiberio fuisse factum, videtur colligi ex Tacit. *Ann.* I. II. Ubi ait, *prolatum a Tiberio libellum, quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & largitiones ac necessitates.*

4. Certissimum quidem est, rei bellicæ potissimum Pecuniam publicam fuisse impensam, sed tamen non omnem: bona enim pars cedebat ædificiis

ciis

ciis operibusque publicis, ut Templis, Ædibus A Deorum, aliisque intra Urbem Operibus: extra Urbem vero, Viis publicis muniendis, Pontibus & Portubus. Exemplum talium impensarum præbet nobis Trajanus Imp. de quo hæc Dio *lib.* LXVIII. *Plurimum in gerendis bellis pecuniæ impendebat, non minore tamen liberalitate & impensa ornamenta pacis amplexus est. Complura & valde quidem necessaria ædificari curavit, ut Portus & Ædes publicas, Vias item munivit.*

5. Credibile hinc est, quamdiu penes Populum fuit summa Reip. tamdiu & opera Viarum Publicarum non fuisse perfecta privatis impensis illorum, qui earum erant Curatores & Præfecti: cum B enim hi Magistratus essent publici, vero etiam valde est simile, eosdem non de suo, sed ex publico has fecisse impensas; id quod pluribus rationibus firmari potest.

6. Harum prima petitur a forma locandi hæc opera stratoribus & architectis, quam secuti Censores Magistratusque Romani: publice namque illa locabant & conductoribus addicebant, uti fecere Postumius Albinus, & Fulvius Flaccus, qui primi omnium Censorum *Vias Publicas sternendas marginandasque locaverunt*. *Liv.* LXI.27. Adde quod Viæ Publicæ essent inter opera publica, C quorum cura demandata erat Censoribus; hæc autem, cum publica essent, de sua impensa non faciebant, sed Pop. Romani, a quo hanc curam habebant mandatam.

7. Altera ratio est, quod fortunæ facultatesque sive census eorum, qui has Vias curarunt fieri, præcipue priorum & antiquiorum, non potuerint sufficere tam magnificæ impensæ, cum per leges publicas census privatus ad certum modum restringeretur, qui non erat par tantis operibus publicis perficiendis. Lex namque Licinia vetabat, *plus quingenta jugera habere civem Romanum*, Varrone teste *de R. R.* 1. 2, & Livio VI. 35. neque D ultra centum pecora majoris armenti & nec ultra IO. pecudes minores, Appian. *Bell. Civ. l.* 1. Imo Licinius Stolo, qui ipse hanc legem Tribunus plebis tulerat A.U.C. CCCLXXVII. *sua lege decem millibus æris est damnatus, quod agri modum, quem in magistratu rogatione tribunitia promulgaverat, immodica possidendi libidine transcendisset, & mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset*, ut loquamur verbis Colum. *de R.R.* 1.3 & Livii VII. 16. Imo lege Gracchi hic ipse modus in Italia ad CC. jugera est reductus: audi Sicul. Flacc. *de conditionib. Agror. p.* 2. *Gracchus legem tulit, ne quis in Italia* E *amplius, quam ducenta jugera possideret: intelligebat enim, contra jus esse majorem modum possidere, quam qui ab ipso possidente coli possit.*

8. Verum equidem est, quod post Syllæ Mariique tempestatem nonnulli fuerunt cives mirum in modum divites, per prædas victoriasque reportatas ex populis nationibusque maximis, quales fuerunt Lucullus, Crassus, Cæsar, Pompejus: at nemo tamen, præter Julium Cæsarem, quicquam de suo ad opus Viarum Publicarum impendit. Imo Plutarchus, cum *in ejus vita c.* 8. narrat, Julium Cæs. factum fuisse *Viæ Appiæ curatorem*, non adjecisset, quod *magnam de suo eidem impendisset* F *pecuniam*, nisi ea in re præter morem & consuetudinem fecisset Cæsar.

9. Imo disertis verbis hanc rem planam facit Siculus Flaccus *l. l. p.* 9. *Nam sunt Viæ publicæ regalesque, quæ publice muniuntur*: ibi enim *publice munire* nihil est aliud, quam *publicis impensis*.

10. Adde hic Inscriptionem antiquam de clivo Martis in planitiem redacto apud Gruter. CLII. 7.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
CLIVOM. MARTIS. PECVNIA. PVBLICA
IN. PLANITIAM. REDIGENDVM. CVRAVIT

SECTIO XV.

De Pecunia, quam Imperatores Viis Publicis impenderunt.

1. *Viæ Publicæ a Julio & Augusto Impp. tam in Italia, quam in Provinciis munitæ*, 2. *Viæ ab Augusto in Italia munitæ*. 3. *Dubium super pecunia publica & Imperatorum*. 4. *Viæ ab Augusto in Provinciis munitæ*. 5. *Statuæ argenteæ in pecuniam refusæ ad Vias Publicas*. 6. *Tiberius parum curavit Opera publica*. 7. *Quædam Viæ ab eo per Italiam, Gallias & Hispanias refectæ*.

1. HActenus disputavimus de pecunia publica ad Vias Publicas erogata, florente libertate Romana: veniamus nunc ad Imperatores, & ostendamus, illos tanti fecisse hæc Viarum opera, ut non solum per Italiam, sed & omnes Imperii Romani Provincias, de sua pecunia Vias curarint liberalitate plane augusta, & admirabili magnificentia. Nihil hic dicam de immensis sumtibus, quos de suo fecit Julius Cæsar ad Viam Appiam reficiendam & producendam, & ad Vias quasdam, quas idem per Alpes aperuit: initium potius faciam ab Augusto Imp. Julii successore, qui non solum Vias Publicas per Italiam refecit & extendit, sed & novas magno numero per Provincias munivit, exemplumque, quod sequerentur, successoribus reliquit.

2. De Italia testis est Dio *lib.* LIII. Maximus enim & excellens hic Imp. cum A. U. C. IOCCXXIX. M. Junii Silani Cos. collega, animadvertisset, Vias Publicas extra Urbem esse neglectas, & pluribus locis interruptas, magno Viatorum vectorumque incommodo, negotium hoc dedit senatoribus, ut de suo aliquas reficerent, quas ipse illis adsignabat; &, uti exemplo præiret, ipse Viam Flaminiam sibi sumsit muniendam, tanto magis, quod per illam exercitum in Britanniam ducere volebat. Suetonius hic succinit Dioni, *in Aug. c.* 30. *Desumta sibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.*

3. Quod ad Viam Flaminiam, eam paucis diebus permunivit: quod ad cæteras, illæ diu post sunt refectæ, non ex censu senatorum privato, quorum plurimis grave erat, de suo quicquam impendere his operibus; sed ex ærario publico, aut Imperatoris ipsius sumtibus. Valde enim vero est simile, Augustum suas quoque pecunias, separatim ab ærario publico habuisse, uti de ipsius successoribus clarum est; verum ita tamen, ut pecunia publica tanquam sua pro arbitrio uterentur. Dio *l. l. Nam Augustus etsi suas pecunias ab ærario separatim habebat; his quoque suo arbitrio utebatur*. Hinc Dioni subnascitur dubium *l. l. Reliquæ Viæ posteriori tempore refectæ, sive publicis (neque enim senatores libenter sumtum faciebant) sive ipsius Augusti sumtibus hoc factum quis dicere velit.*

4. Si jam ex Italia iter faciamus in Provincias, videbimus tantum non ubique Augustum Vias munivisse Publicas, præcipue vero in Galliis per Agrippam generum suum, & per Hispanias, suis ipsius auspiciis. De Galliis sermo fiet postea separatim: de Hispaniis, præter ea, quæ antea diximus,

adducam hic Infcr. antiquam, quæ Emeritæ in Hifpania in ædibus Ferdinandi de Carrera vifitur, *ap.Gruter.* CXLIX. 4.

IMP. CAES. DIvI. F. AVG. PON. MAX
COS. XII. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO
TEMPLO. IANI. CLVSO. ET. REP. PO
ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS
INSTIT. REFOR. VIAM. SVPERI
ORVM. COSS. TEMPORE. INCHO
ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMIS
SAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII
LATIOREM. LONGIOREMQ
GADEIS. VSQ. PERDVXIT
XXX

5. Cæterum huic Imp. adeo cordi fuerunt opera Viarum Publicarum, ut ne quidem argenteis pepercerit ftatuis, quas illi plurimas amici & populi Romano Imperio obnoxii donaverant ad decorandos honorandofque ipfius triumphos: quorum magnum numerum juffit refundi, ad conficiendam inde pecuniam his operibus deftinandam, *quo exiftimaretur ex fuis facultatibus omnia, quæ præ fe ferebat, impendere*, ut loquitur Dio *lib. laudato*.

6. Tiberius Augufti fucceffor parum curavit opera publica, ut vix quicquam pecuniæ nec in Vias Publicas, nec alia opera impenderit: hinc Tacit. *Annal.* VI. 45. de Tiberio: *Ne publice quidem, nifi duo opera, ftruxit: templum Augufto & fcenam Pompejani theatri*. Sed neque hanc, neque illud perfecit, fi audimus Suetonium, hæc de ejus fucceffore Caligula *in ejus vit. c.* 21. narrantem: *Opera fub Tiberio femiperfecta, templum Augufti, theatrumque Pompeii abfolvit*. Cum Augufto tamen Tiberius curavit fieri pontem illum Ariminenfem adeo celebratum, viafque circum fterni. Patet ex Infcriptionibus, quarum hæc eft apud *Gruter.* CXLIX. 2.

C. CAESAR. AVGVSTI. F
COS
VIAS. OMNES. ARIMINI
STERN∴∴∴∴∴

7. Ex aliis Infcriptionibus colligere licet, quod nonnullas Galliarum & Hifpaniarum Vias refecit. Sequens exftat Monfpelii in Ecclefia S. Dionyfii, *ap. Smetium* CXLIX. 7.

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMAN
PONT. MAX. TRIB
POTESTATE. COS
DESIG. II. IMP. II.
REFECIT

Nemaufi, *apud Grut.* CLIII. 5.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. AVG. PONTIF
MAX. TRIB. POT. XXI. REFECIT
ET. RESTITVIT

IIII

A Juxta Herream, oppidum Hifpaniæ, in columna milliari *ap. Grut.* CLIII. 7.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F
DIVI. IVL. N. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. XXXV.
IMP. IIX. COS. V
A. PISORACA

M. L

B In his autem Infcriptionibus noli valde mirari, quod in hac DRVSI F. in alia AVG. F. dicatur Tiberius; cum hujus filius fuerit adoptivus, illius natura.

SECTIO XVI.

De operibus Viarum Publicarum, quæ fieri curarunt reliqui ex gente Julia Imperatores.

1. *Augufti fucceffores, præcipue boni, Vias Publicas fieri & refici curarunt*. 2. *Infanæ molitiones Caligulæ, ultra hominum ipfiufque naturæ vires*. 3. *Claudii opera ad Lacum Fucinum*. 4. *Alia ejufdem admiranda opera*. 5. *Pauca opera Nero extra Urbem fecit*. 6. *At intra Urbem maxima & admiranda*.

1. Extra dubii eft aleam, quod, pofteaquam Auguftus Cæfar Vias Italiæ Publicas extendere cœpit, earundemque opus & in Provinciis excitavit, iftud nunquam penitus fuerit intermiffum, cum illis operibus quædam pecuniæ publicæ pars deftinaretur. Præterea ex hiftoriarum, compluriumque Infcriptionum antiquarum monumentis conftat, quod Augufti Tiberiique fucceffores, tam ex domo Julia, quam cæteri, D fuis impenfis Viarum opus curarint. Notatu vero dignum eft, quod illi ipfi Impp. qui ob æquitatem, moderationem & juftitiam laudantur, etiam maxime fuerint iidem, qui plurima Viarum Publicarum opera extra Urbem fieri curarunt.

2. Sed ut ordine procedamus, fequamur temporis feriem, uti & Imperatorum, qui manus & impenfas huic operi admoverunt. Initium faciemus a tribus illis, qui ex Cæfarum familia reftant; cumque Caligula proximus fit Tiberio, ille quoque primo loco exhibebit pauca ifta opera, quæ ad Vias Publicas fieri curavit, fpatio equidem non adeo ampla, fed magnificentia & prodigiofa audacia ftuporem omnibus incutientia. Libet hic loqui verbis Suetonii *in vit. Calig c.* 37. hæc ftupentis: *In exftructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione pofthabita, nihil tam efficere concupifcebat, quam quod poffe effici negaretur. Et jactæ itaque moles infefto ac profundo mari, excifæ rupes duriffimi filicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foffuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne fingula enumerem, immenfas opes totumque illud Tiberii Cæfaris vicies ac fepties millies HS. non toto vertente anno abfumfit*.

3. Caligulam excepit Claudius, qui, ut ait Suet. F *in vit. Claud. cap.* 30. *opera magna potius, quam neceffaria quam multa perfecit*. Exempli gratia, Emiffarium Fucini lacus, qui hodie *Lago de Celano*; quanquam fciret ab Augufto precantibus affidue Marfis negatum, ut illum ficcaret, ad Vias Publicas partim per terram, partim trans aquam porrigendas. Pl. *H.N.* XXXVI. 15. *inter maxima ac memoranda opera* ducit, *montem perfoffum ad Lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine per tot annos*: quod abfque

ratione auctor ille non dicit, cum, ut hoc opus perficeretur, mons non solum esset perfodiendus, sed etiam *cum aut corrivatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut silex cæderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, nisi ab iis, qui videre, neque humano sermone enarrari possunt*: ut loquitur ibidem Plinius. Hoc autem opus idem dicit *destitutum successoris odio*; sed Sueton. *l. l.* testatur, quod *per tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolverit ægre, & post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus*.

4. Præter hunc canalem, idem Imperator alia item miranda opera in perfodiendis ad Vias publicas continuandas montibus perfecit; *Vias* scilicet *inter montes excisas, mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum, & pontes* plurimos maximis *impendiis factos*, ut testatur Plin. *l. l.* cui Suetonius accinit *l. l.* Inter alias autem Inscriptiones memoriam operum illius servantes, quæ ad Vias publicas ornandas fecit, sequens Emeritæ in Hispania exstat in columna milliari, *ap. Gruter.* CLII. 9.

IMP. DIVVS. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX
TRIB. POT. X. COS. IIII. IMP
XI. ITER. REPARAVIT

VI.

5. Nero Imp. in quo exstincta est Cæsarum progenies, vix quicquam tam per Italiam quam in Provinciis ad Vias publicas contulit. Duas tantum reperio in Hispania Inscriptiones, quibus docemur non tamen omnino nihil eum in hoc opere fecisse. Prior est prope Herream Hispaniæ oppidum in columna milliari, *ap. Grut.* CLIV. 1.

NERO. CLAVDIVS. DIVI. CLAVD
AVG. GERM. CAESAR. AVG
N. TIB. CAES. AVG. PRON
DIVI. AVG. ABN. CAES. AVG
GERM. PONT. MAX. TR. POT
IMP. COS.
A. PISOR. M. L

Altera est primo a Corduba lapide, *ap.Grut.* CLIV. 2. in columna milliari:

NERO. CLAVDIVS. DIVI. CLAVDII. F.
GERMANICI. CAESARIS. N. DIVI
AVG. ABN. TIB. CAESARIS. PRON
TRIB. POT. IMP. . . . .

6. Verum quanto minus operum extra Urbem fecit hic Imp. tanto magis miranda intra Urbem absolvit. Licet enim Urbs jam illo tempore admiranda fulgeret ædificiis sacris, profanis, publicis, privatis; non tamen potuit Neroni placere, qualem decessores reliquerant, imo quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, angustiisque flexurisque vicorum, incendit Urbem palam, ut novam ex cineribus pro arbitrio suo excitaret, plateasque & Vias redderat ampliores, rectiores, ornatiores; de quarum ornamentis nihil hoc loco dicam, reservaturus eadem disputationi de Viis Militaribus Urbis, quas quinto persequemur libro.

SECTIO XVII.

De sequentibus Impp. qui suis impendiis Vias Publicas muniri curarunt.

1. *Galba, Otho & Vitellius cur Vias Publicas munire non potuerint.* 2. *Vespasianus, primus post Cæsares, qui Vias Publicas præprimis muniri curavit.* 3. *Petra pertusa per Vespasianum in Italia.* 4. *Viæ ab eodem munitæ per Hispanias.* 5. *Titi & Domitiani Viæ per Italiam Hispaniasque munitæ.* 6. *Trajanus omnes post Augustum Imperatores Viis Publicis muniendis superavit.* 7. *Viæ ab illo per Italiam munitæ.* 8. *Viæ, Pontes, Ædificia ad Pomtinam paludem.* 9. *Via a Benevento Brundisium.* 10. *Aliæ ab eodem per Hispanias munitæ.*

1. NEronem excepit Sergius Galba, nullo gradu contingens Cæsarum domum; sed haud dubie nobilissimus, magnaque & vetere prosapia, ut qui statuarum titulis *Pronepotem Q. Catuli Capitolini*, cujus celebris est in historia Romana memoria, semper adscripserit, teste Sueton. *in Galb. c.2.* Verum cum ipsius, Othonis & Vitellii imperia perbrevia fuerint, ut bellis fere turbata, non fuit illis otium, ut sui memoriam Viis publicis muniendis, aliisque publicis operibus ornandis potuerint commendare apud posteritatem, quantum equidem ego noverim.

2. Imperium ergo incertum diu & quasi vagum, suscepit firmavitque tandem gens Flavia, obscura illa quidem ac sine ullis majorum imaginibus. Vespasianus Flavii Sabini & Vespasiæ Pollæ F. primus suæ gentis sub Imperatoribus ad honores dignitatesque accessit, sub quibus Tribunatum militum in Thracia meruit, Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam forte cepit, deinceps creatus, Ædilis, Prætor, Consul, & tandem Imperator. Hic autem Imp. sapientissimus, &, si quisquam Imperatorum, ad rem & pecuniam attentissimus, pace armis parta & firmata, in operibus publicis tam intra, quam extra Urbem, exemplum sibi Augusti proposuit imitandum. Namque Capitolium, quod in victoria de Vitellio reportata exustum erat, restituit, multa opera & ædificia refecit, & de novo templum Pacis fecit Foro proximum, quod inter *pulcherrima operum, quæ unquam* Romæ, admiratur Plinius *H. N.* XXXVI. 15. Extra Romam per omne Imperium Romanum Urbes pulcherrimis magnificisque ædificiis exornavit & renovavit; præcipue autem Viarum publicarum curam gessit, tam in Italia, quam per provincias, ut sternerentur & marginarentur, idque impendiis sumtuosissimis & plane magnificis.

3. Inter cætera notari meretur mons fabrili scalpro excavatus ad compendifaciendam Viam Flaminiam. Hunc describit nomenque ejus indicat Aurelius Victor *in vit. Vespaf. Per omnes terras, qua jus Romanum est, renovatæ Urbes cultu egregio, Viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cavati montes per Flaminiam sunt prono transgressu, quæ vulgariter* pertusa Petra *vocitatur*. Qui nostra ætate montem hunc viderunt, ajunt eum partem facere Apennini, prope locum, cui nomen *Furlo*: qui quod arduitate sua impediret & occuparet rectum iter Viæ Flaminiæ, a Vespasiano Imp. fuit in modum arcus ac perpetui fornicis excavatus, & excisus ad oppositum usque latus per passus CC. Geometricos, quæ longitudo est fere ∞ pedum. Ad alterum introitum per modum arcus factum titulus sequens servat auctoris nomen & honorem, *ap.Grut.*CXLIX.7.*Smet. fol.*1.*Tab.*3.

IMP. CÆS. AUGUSTUS
VESPASIANUS. PONT. MAX
TRIB. POTEST. VII. IMP. XXVIII. COS. VIII.
CENSOR. FACIVND. CVRAVIT

4. Uti Imperatores, qui Vias publicas munive-runt, præ cæteris provinciis Hispanias ornarunt, sic & per Inscr. de Vespasiano constat, quod aliquas illic refecerit; quas inter est ea, quæ a Cappara ad Emeritam usque ducit, quæ Urbes distant M. P. CX. si *Itinerarii Antonini* mensuræ & calculis fides habenda *pag.* 98. Inscriptio exstat in columna milliari Tarracone, aut Emeritæ; variant enim, qui illam exhibent, Smet. *fol.* CXLV. 6. Gruter. CLIV. 3. & Florianus Ocampius apud Suritam *in Itin. Anton.* p. 584. hunc lapidem dicit esse in ea Via, quæ *Argentea* dicitur. Sic autem habet:

IMP. CAESAR. VESPASIAN
AVG. PON. MAX. TR. POT. II
IMP. VII. COS III. DESIG. IIII
P. P. VIAM. A. CAPPARA. VRBE
AD. EMERITAM. VSQ. AVG
IMPENSA. SVA. RESTITV

LXXIII

5. Vespasianus, primus Imperatorum Imperium ad legitimos suos natura filios transmisit, quorum natu major propter morum suavitatem, humanitatem & moderationem dictus est *amor ac deliciæ generis humani*. Non reperio ullam operis ad Vias publicas muniendas ab eo facti memoriam, nisi unicam, quæ Emeritæ esse dicitur, quam habet Gruter. CLV. 3. ex qua conjicimus, illum aliquam partem Viarum Hispanicarum munivisse, est autem hæc:

IMP. TITVS. CAES. VESP
AVG. PON. M. TRIB. P V
COS. VIII. P. P. GENERIS
HVMANI. AMOR. ET. DE
SIDERIVM. ETIAM. VI

IIII

Num de eodem agat Inscr. quæ visitur Epilæ ad Comitis ulmetum, qua itinera Cæsaraugusta Emeritam ducebantur, nescio; alterum certe filiorum Vespasiani innuit: verum cum temporis injuria prænomen sit deletum, quem fratrum denotet, sciri nequit. est autem *ap. Grut.* CLV. 2. talis:

.... SAR
...... SIANI. F
.....S. AVG. GER
..... P. VIII. COS. XI
..... TESTAT. P. P
.... ECORR.... PT
..... TES. RESTIT
CCLXXXIX
CLXIX
VII

Credibile est optimum hunc Principem plura opera hujus notæ fuisse facturum, si diuturnius illi

A contigisset imperium: verum ut decessit post biennium, ac menses duos, diesque viginti, quam imperavit, successorem habuit fratrem Domitianum, qui ad exemplum patris Vias publicas per Italiam & Hispanias munivit. Ille enim Viam inter Sinuessam & Puteolos stravit, quam Appiæ Viæ junctam, hujusque velut propaginem, eadem magnificentia munitam voluit, tanquam si ipsum puduisset, opus Imperatorium Censorio minus fore materia formave; hinc etiam vastis quadris saxeis, & nonnusquam ad amussim & normam exacto marmore strata est, ut pluribus docebimus, cum agemus de diversa superficie Viarum Publicarum
B De hac Via intelligendus est Dio *lib.* LXVII. de imperio Domitiani verba faciens: *Iisdem temporibus ea Via, quæ inter Sinuessam & Puteolos, lapidibus strata fuit*: estque illa ipsa Via, quam adeo magnifice decantat & depingit Statius *Sylv. l.* IV. sub titulo *Viæ Domitianæ*. In Hispania quoque perfecit Viam Publicam a patre inchoatam, sed Publicanorum fraudibus destitutam, quos ideo severe multavit, & omni in posterum munere publico privavit, uti constat ex hac Inscr. quæ Emeritæ legitur in columna milliari, *apud Gruter.* CLV. I.

C IMP. DOMITIAN. VESP
CAESAR. AVG. GERM. P. M
OPVS. PATERN. NEQVITIA
PVBLICANOR. INFECTVM
EA. GENTE. MALE. MVLTATA
ET OMNI. IN. POSTERVM
MVNERE. PVBLICO. PRIV
CONFICI. IVSSIT

LXXXVIII

6. At si unquam ullus post Augustum Imperator multas fecit impensas in Vias Publicas, is fuit
D certe præcipue Trajanus, optimus Princeps, qui magnificentiæ suæ argumenta in Viis Publicis intra Urbem Romam, per regiones Italiæ, & per maximam partem provinciarum Imperii sui, cujus limites ad Orientem ulterius promovit, quam quisquam præcedentium sequentiumve Imperatorum, muniendis ubique dedicavit. Primum intra Urbem sterni jussit Viam celeberrimam, quæ ab ipsius nomine dicta fuit *Via Trajana*, cujus Pub. Victor facit mentionem *Regione Urbis* XIV.

7. In Italia prudentissimus & optimus hic Imperator omnes omnino Vias publicas, ubi opus
E erat, refecit & suis commodis restituit. Galenus, Medicorum ab Hippocrate princeps, qui Trajani ævo floruit, hoc testatur *de Method. Medend.* IX. 8. ubi de Hippocratis libris disputans ait, *ab Hippocrate quidem viam esse medendi inventam: verum illum, ceu primum inventorem, nec debitum omnibus ordinem dedisse, nec cujusque indicationis dignitatem ad unguem finivisse, obscureque plurima pro antiqua scribendi brevitate esse interpretatum*, quibus subjicit: *Ac ut breviter dicam, omnem ad medicationem viam mihi aperuisse videtur, sed ita tamen, ut ea curam diligentiamque ad absolutionem desideret*. Eleganti de-
F inde similitudine, quam a Publicis Imperii Romani, præcipue per Italiam, Viis desumit, ut dilucide mentem suam exponat, addit, ita comparatum esse cum libris Hippocratis, *veluti nunc quoque videmus cum quibusdam veterum in terris viarum, quibus pars quæpiam est vel lutosa, vel lapidibus sentibusve impedita, vel moleste ardua, vel periculose prona, vel feris obsessa, vel propter magnitudinem fluminum invia, vel longa, vel aspera*. hinc ad Vias Italiæ publicas speciatim descendit & ad-

jungit: *Itaque cum sic se haberent omnes in Italia* A *Viæ, eas Trajanus ille refecit, quæ quidem earum humidæ ac lutosæ partes erant, lapidibus sternens, aut editis aggestionibus exaltans; quæ senticosæ & asperæ erant, eas expurgans; ac flumina, quæ transiri non possent, pontibus jungens; ubi longior, quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem exscindens; sicubi vero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens; jam si obsessa feris, vel deserta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens; tum asperas complanans.*

8. Libuit totum hunc laudare locum, quia evidenter ob oculos ponit modum & rationem muniendi Vias publicas, & difficultates, quæ ad usum B & commoda Viarum superandæ erant; item & magnum ad ardua audenda animum optimi & maximi illius Principis, nec non sumtus illos immensos, hic generatim notatos, quos impendere debuit tot operibus; qui si speciatim essent adnotati, ultra fidem & admirationem forent. Sed nec silentio præterire possum opera, quæ in *Pomtinis Paludibus* idem Princeps perfecit, qualia Herculi Hydræ Lernææ capita præcidenti comparare jure possumus. Ut enim fabularum interpretes ajunt, Hydra Lernæa fuit palustris terra, inhabitabilis propter septem scaturigines, quæ solum semper C reddebant uliginosum; has Hercules injectis operibus & molibus exsiccavit; ita & Trajanus complens & cumulans paludes Pomtinas, & aggere injecto per illas Viam Appiam rectam ad M.P.XVI. & ultra continuans Herculem æquavit. Verum ut hujus operis magnificentia plenius videatur, sciendum est Pomtinas paludes fuisse fossas quasdam, partim navigabiles, quæ a foro Appii ad Feroniæ fanum prope Terracinam ad M. P. XV. aut XVI. porrigebantur, olimque adeo amplæ patebant, ut ante inundationem locum præbuerint XXIII. Urbibus, prout Mutianus ter Cos. prodidit ap. Plin. D H.N. III. 5. Appius igitur, cum Viam sibi cognominem sterneret, & hæ paludes illum recto itinere impedirent, coactus fuit magno & flexuoso circuitu Viam deducere usque ad Terracinam; quem ut viatores evitarent, solebant vesperi ad hanc paludem prope Forum Appii lintrem conscendere, & nocturna, quæ ibi solita erat, navigatione Terracinam delati exscendere, atque in Viam Appiam redire: hoc iter Horatius aliquando fecit, ut ipse lepide id ipsum & nocturnam navigationem describit *satyra* v. *lib.* I. Eodem modo & Terracina iter Romam solebant facere. Strabo testis *Geogr. l.* v. *pag.* 425. *Penes Terracinam vero Ro-* E *mam iter facienti, fossa ad Viam Appiam apponitur, & quidem multis in locis, quam & palustres & fluviatiles implent aquæ. Per eam nocturna maxime fit navigatio, ut qui primis inscendant tenebris, oriente sole egressi, Viæ Appiæ reliquum evadant, & interdiu trahentibus mulis remulco perambulent.* Ergo, ut Plinius *l. l.* miraculum censet notatu dignum, quod Pomtina palus subito diffusum locum XXIII. Urbium occuparit, ita & nos dignum summa admiratione opus censebimus Trajani, qui ceu alter Hercules paludem hanc fere exsiccavit & complevit, eamque magnis spatiosisque molibus & aggeribus injectis coegit ferre F onus Viæ Appiæ, quam recto itinere Terracinam usque continuavit non solum, sed juxta plura ædificia & pontes magnificos addidit, bonamque paludis hujus partem continenti reddidit; id quod obiter Dio *lib.* LXVIII. annotavit: Trajanus *iisdem temporibus stravit paludes Pomtinas lapidibus, exstruxitque juxta Vias ædificia pontesque magnificos.*

9. Præter hæc, ut Italiam maxime commodam itineribus redderet, ex eadem Appia viam a Benevento Brundisium usque, per M.P.CC. sive centum leucas Gallicas, fecit sua impensa, uti legitur in Termino viali, Asculi, *ap. Gruter.* CLI. 2.

V

IMP. CAESAR
DIVI. NERVAE. F
NERVA. TRAIANVS
AVG. GERM. DACIC
PONT. MAX. TR. POT
$\overline{\text{XIII}}$. IMP. $\overline{\text{VI}}$. COS $\overline{\text{V}}$
P. P.
VIAM. A. BENEVENTO
BRVNDISIVM. PECVN
SVA. FECIT

10. Omnia equidem Trajani opera, quæ per Italiam fecit, magna sunt & admiranda: at si fidem habemus Hieronymo Suritæ, ea, quæ per Hispaniam fecit, majora erunt & magnificentiora. Doctissimus enim hic Vir, qui per natalem sibi Hispaniam longe lateque Italia patentiorem hæc opera studiose investigavit, sic de his loquitur, *præfat. in Comm. suum in Itinerar. Antonin. Magnificentiæ vero splendor Imperii Romani, supra omnium Imperatorum laudem, Imperatore Trajano eluxit, qui cunctam ferme Hispaniam longe lateque fusam ac patentem, pontium & viarum continuatis munitionibus ac molibus mirabilius atque splendidius auxit atque ornavit.* Plurimæ per Hispaniam inscriptiones hujus rei fidem faciunt, quarum unam ex Resendio huc apponere lubet, quam is mutilatam ex columna milliari prostrata inter Ulyssiponem & Emeritam exscripsit ipse, *Gruter.* CLV. 8.

IMP. CAES ....
....
....
TRAIANVS. AVG.
GER. PONT. MAX
TRIB. POTEST.
IS. II. RESTITV
IT
X
I

SECTIO XVIII.

De Trajani successoribus, qui Vias Publicas muniverunt.

1. *Varia Hadriani, qui Trajano successit, nomina.* 2. *Viæ ab eo per Italiam munitæ.* 3. *Per Hispanias & Lusitaniam.* 4. *Pontes & Viæ per Antoninum Pium munitæ.* 5. *Via apud Batavos per M. Aurelium & L. Verum restituta.*

I. HAdrianus, qui Trajano successit in Imperio Romano, inter præcipuos est, qui Vias publicas aut novas fecerunt, aut veteres muniverunt, tam in Italia, quam in cæteris Imperii provinciis. Apparet hoc ex pluribus Inscri. antiquis, in quibus fere appellatur *Trajani F. Nervæ N.* Ipse autem subinde his tribus junctim nominibus *Imperator Nerva Trajanus Hadrianus*, præter gentile sibi nomen *Ælii*.

2. Hic Imp. qui inter omnes suæ ætatis maxime excelluit præclararum disciplinarum scientia, præprimis picturæ, sculpturæ & architecturæ, non neglexit Viarum Publicarum & structuram & straturam. Sic Viam Cassiam vetustate suo ævo collapsam a Clusinorum finibus Florentiam perduxit, ad M.P.XXCVII. si *Itiner. Antonin. p.* 65. credimus; ad M. P. XXCI. si Inscr. seq. columnæ milliaris in monte Pulciano adhuc exstantis, *ap. Gruter.* CLVI. 2.

IMP. CAESAR
DIVI. TRAIANI
PARTHICI. FIL
DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANVS. HADRIANVS
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. VII. COS. III
VIAM. CASSIAM
VETVSTATE. COLLABSAM
A. CLVSINOR. FINIBVS
FLORENTIAM. PERDVXIT
MILLIA. PASSVVM
XXCI

3. De Viis Hispanicis fidem faciet seq. Inscr. quod prope Braccaram aliquam muniverit, *Gruter.* CLVI. 3.

IMP. CAESAR. TRAIAN
HADRIAN. AVG
PONT. MAX. TRIB
POT. XVIII. COS. III
P. P. A. BRACARA
AVG
M. P. XXIII

In provincia Lusitania prope Capparam exstat adhuc columna milliaris hac Insc. quæ testis est ab eodem Imp. ibi viam restitutam, *Smet.* II. 2. *Gruter.* CLVI. 1.

IMP. CAESAR
DIVI. TRAIANI
PARTHICI. F
DIVI. NERVAE
NEPOS. TRAIA
NVS. HADRIANVS
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. V. COS. IIII
RESTITVIT
CII

In eadem Provincia prope Capparam in Via publica lapidibus strata, quæ ducit ab *Aquis Flavis*, quod oppidulum nunc *Chiaves* vocant, ad oppidum *Bragas* appellatum, plures reperiuntur columnæ milliares, per omnia similes, excepto milliarium numero; quarum duæ ad ædiculam Angeli Custodis data opera advectæ satis testantur ab Adriano Viam refectam: prior sic habet: *Gruter.* CLVI. 4.

IMP. CAESAR. TRAIANVS
HADRIANVS. AVG.
P. M. TR. POT. XX. REFECIT
AQVIS. FLAVIS
M. P. II

4. Hadrianum excepit Antoninus, cui morum & animi probitas Pii cognomen fecit; cujus nulla, præter hæc sequentia quatuor, reperio monumenta antiquiora; ex quibus constet, ipsum Vias publicas munivisse. Illorum primum est tabula marmorea, in pariete diversorii publici, Cyperani, quod oppidulum est in Latio, ex Fregellanorum reliquiis, ut putatur, constructum, *Smet.* III. 7. *Gruter.* CLXI. 4.

IMP. CAESAR
DIVI. HADRIA
NI. FILIVS DIVI
TRAIANI
PARTHICI. NEPOS
DIVI NERVAE. PR. N.
T. AELIVS. HADRIA
NVS. ANTONINVS
AVGVSTVS. PIVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. IIII
COS. IIII. P. P
OPVS. PONTIS
VETVSTATE. CONLABS
RESTITVIT

Alterum reperitur Capuæ in Campania in ponte Vulturni fluminis; unde constat ab eo Viam restitutam, quæ inundatione aquæ erat interrupta, *Smet.* I. 2. *Gruter.* CLI. 4.

IMP. CAESAR. AVG. M. AVRE
LIVS. ANTONINVS. PIVS. FE
LIX. AVG. PARTHICVS. MAX
BRITANNICVS. MAX. P. M. P. P
COS. III. DES. IIII
VIAM. INVNDATIONE. AQVAE
INTERRVPTAM. RESTITVIT

Tertium in Hispania, Malacæ, ditionis Hispalensis, in columna milliari, media via exstans, docet similiter aliquid in Via ab eodem restitutum, *Gruter.* CLVI. 8.

M. AVRELIVS. AN
TONINVS. PIVS
MAX. AVG. PARTH
MAX. BRIT. MAX.
PONT. MAX. TRIB
POT. XVII. IMP.
IIII. COS. VIII. RES
TITVIT

Quartum in Germania est, Gunzelhofii, inter Augustam Vindelicorum & Monachium, quod, quamvis mutilum, tamen ostendit Vias & pontes complures ab eodem Imp. esse restitutos, *Gruter.* CLVI. 6.

....
....
...... P. CAESAR. M ....
ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS ....
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P
XXXI.

A 5. Antonino successit M. Aurelius, cognomine Philosophus, collega Imperii assumto L. Aurelio Vero, qui brevi tempore cum ipso imperavit; quo una muniverunt Vias quasdam apud Batavos, ut apparet ex lapide milliario ablato ex monasterio Syonis, intra Delphos & Hagam Comitis, *Gruter.* CLVI. 7.

IMP. CAES
M. AVREL. ANTO
NINO. AVG. PONT
MAX. TR. POT. XVI
B CO. XIII. ET
IMP. CAES
L. AVREL. VERO. AVG
TR. POT. II. COS. II
A. M. A. E. C
M. P. XII

SECTIO XIX.

C De Viis Publicis per Septimium Severum ejusque Filios & Nepotes munitis.

1. *Opera Septimii Severi & Filiorum ejus.* 2. *Duæ Viæ per Severum & Caracallam in Italia munitæ.* 3. *Viæ per eosdem in Hispania factæ.* 4. *Via per Heliogabalum in eadem restituta.* 5. *Viæ per Septimium P. & FF. in Germania restitutæ.* 6. *Alexandri Severi cura circa pontes.*

I. Monumenta operum in Viis Publicis muniendis quæ post M. Aurelium prima D reperio, sunt Septimii Severi ejusque Filiorum & Nepotum: & hæc ipsa petenda ex lapidibus milliaribus aliisque inscriptis, cum historia Romana in libris hac ex parte deficiat. Reperio itaque hunc Imp. ejusque Filios tam conjunctim, quam singillatim curasse fieri complures novas Vias Publicas, tam in Italia, quam in Hispania & nonnullis Germaniæ partibus.

2. In Italia Severus & Bassianus Caracalla Severi F. sua pecunia duas Vias Publicas novas straverunt: quarum altera Roma duxit in *Villam magnam*, de cujus situ & longitudine nihil certi compertum habeo, neque ullum reperi testem; verum ex inscriptione huc transcripta liquet, illam fuisse E silice, non simpliciter glarea stratam, adeoque inter celebriores & meliores Italiæ referendam, *Gruter.* CL. 5.

IMPP. CAESAR. DIVI. MARCI
ANTONINI. PII. GERM. SARMATICI
FILIVS. DIVI. COMMODI. FRATER. DIVI
ANTONINI. PII. NEPOS. DIVI. HADRIANI
PRONEP. DIVI. TRAIANI. PARTHICI
ABN. DIVI. NERVAE. ADNEP
L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTI
F NAX. AVG. ARABIC. ADIAB. PARTHIC. MAX
PONT. MAX. TRIB. POT. XV. IMP. XII. COS. III. P. P. ET
IMP. CAESAR. IMP. CAESARIS. L. SEPTIMI
SEVERI. PII. PERTINACIS. AVG. ARABICI
ADIAB. PARTH. MAX. FIL. DIVI. MARCI. ANTO
NINI. PII. GERM. SARM. NEPOS. DIVI. ANTO
NINI. PII. PRONEPOS. DIVI. HADRIANI
ABNEPOS. DIVI. TRAIANI. PARTH. ADNEP
M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVG.
PIVS. FELIX. PONTIF. TRIB. POT. X. IMP. II. COS. III. DES
FORTISSIMVS. AC. SVPER
OMNES. FELICISSIMVS
PRINCEPS
VIAM. QVAE. DVCIT. IN. VILLAM. MAGNAM
SILICE. SVA. PECVNIA. STRAVERVNT

Altera Via per eosdem in Italia munita initium habuit Puteolis: sed nec quam longa fuerit, nec quorsum & quam in Italiæ regionem perrexerit, constat: superest enim nihil, præter hanc de illa Inscr. *ap. Gruter.* CLVII. 7.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS
PIVS. PERTINAX. AVGVSTVS. ARABIC
ADIAB PARTHIC. MAXIMVS. TRIB
POT. IX. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR. MARCVS
AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. AVG
TRIB. POT. IIII. PROCOS. E. VIAS
RESTITVIT. A PVTEOL

....

3. In Hispaniis & Pater & Filius singillatim Vias muniverunt. Ille circa Emeritam, ubi hæc Insc. fidem facit, *ap. Grut.* CLVI. 9.

IMP. CAES. DIVI. M. ANTON
PII. GERM. SARM. F. DIVI
COMMODI. FRAT. DIVI. ANTON
PII. NEP. DIVI. HADRIANI
PRONEP. DIVI. TRAIANI. PARTH
ABNEP. DIVI. NERVAE. ADNEP
L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PARTH.
MAX. AVG. ARAB. ADIABEN
PARTH. MAX. PONT. MAX
TRIB. POT. VIII. IMP. XI. COS. IIII
PROC. ITER. RESTITVIT

LXXII

Filius autem Severi est ille, qui in Historia vulgo audit *Bassianus Caracalla*, sed qui in lapidibus inscriptis designatur sub nomine *M. Aurelii Antonini Pii*, quod ipsi Pater a teneris dederat. Hic autem solus Viam quandam Publicam in Hispania munivit, cujus est mentio in columna milliari, non procul a Calzada pago, *ap. Gruter.* CLVIII. 5.

IMP. CAESAR. DIVI
SEPTIMI. SEVERI. PIE. ARAB
ADIAB. PARTHICI. MAX. BRI
TT. MAX. FEL. DIVI. AVR. ANTO
GERM. SARM. NEP. DIVI. ADRIANI
ABNEP. DIVI. TRAIANI. PARTHICI
ADNEP. M. AVREL. ANTONINVS
PIVS. FELIX. AVG. PART.
MAX. BRIT. MAX. GERM
MAXIM........... TRI. PO
XX. IMP. III. COS. IIII. PP
PROCOS. FECIT

CXXXVI

4. Ex Caracalla ejusque concubina natus est Heliogabalus, monstrum hominis: hic nonnihil operis fecit in Hispania ad Viam Publicam, quæ Ulyssipone Eboram ducit, in qua adhuc hodie in agro Stermotiensi, non procul a pago Borbacena, in columna milliari hæc legitur Inscr. *ap. Gruter.* CLVIII. 3.

IMP. CAES. DIVI. ANTONI
NI. PII. MAGNI. FIL
DIVI. SEPTIMI. SEVERI
PII. NEPOTI. M. AVRE
LIO. ANTONINO
P. FEL. AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. II. COS. II
PROC. P. P.
FORTISSIMO. FELICISSI
MOQVE PRINCIPI
........ORA. M. P
XXII

5. Quod attinet ad Vias in Germania per Severum & Filios munitas, illæ non in *Germania magna*, quæ inter Danubium Rhenumque definitur, reperiuntur; sed in illa parte, quæ *superior & inferior Germania*, sive Gallia cis Rhenum vocatur; uti & inter Danubium atque Alpes, quæ Germaniæ pars olim erat *Vindelicia & Noricum*. Maxima omnium Via est illa, quam ab *Augusta*, quam puto esse *Augustam Vindelicorum*, sive, hodie ut vocant, *Augspurg*, munire cœperunt. Illud certe per Inscriptiones extra controversiam ponendum videtur, Viam ab illis stratam fuisse saltem ad M. P. CX: & dimensam distinctamque per columnas milliares, quarum quatuor restant, solo milliari numero differentes, cætera consonæ. Earum prima, mox adferenda, numerat *ab Augusta* M. P. XXXIII. altera M. P. XXXXI. tertia XXXXII. quarta CX. Exhibet illas Gruterus CLVII 4. 2. 3. 5. tres priores sunt Ursinii, in Villa Augustanæ diœcesis; ultima prope Vilthaimum cœnobium. Sunt autem hoc exemplo:

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT
VIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP.
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXIII

Sequentes autem tres Inscr. in aliis Germaniæ locis reperiuntur *ap. Gruter.* CLVII. 1. 6. 8. prima est in pago Straetsualtio, Salisburgum versus, in columna milliari ad Viam erecta:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG
ARAB. ADIAB. PARTHICO. MAX
BRITAN. MAX. PONTIF. MAX. TRIB
POTES. III. IMP. VII. COS. II. P. P. PROCOS
ET. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINO
PIO. INVICTO. AVG. PARTHICO. MAX
BRITANNICO. MAX. GERMANICO
MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XVI
IMP. III. COS. IIII. P. P. PROCOS. FORTIS
SIMO. AC. FELICISSIMO. PRINCIPI
DOMINO. INDVLGENTISSIMO
M. P. LI.

A Altera est in simili columna, in jugo Radstati Stiriæ:

IMP. CAES. F.
PIVS. SEVERVS. PER. AVG
TRIB. POTES. IX. IMP.
XII. COS. II. P. P. GOTH
IMP. CAES. MAR. AV
RE. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. ARAB. GERM.
MAX. NT. TRIB. POTE
P. P. PROCON. AT
M. LIII.

B

Tertia in simili lapide, juxta oppidum Isnense in Algoia, in monasterio Sancti Benedicti:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG
ARABIC. ADIAB. PARTHICVS. MAX
PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. VIII
IMP. XII. COS. II. P. P. PROCOS. ET
IMP. CAESAR. M. AVRELIVS
ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PRO. COS. Φ
C VIAS. ET. PONTES. RESTI. A. CAMB
M. P. XI.

6. Licet vero Alexander Severus, Princeps bonus & sapiens, post tot malos & prodigiosos Imperatores, non adeo sui memoriam commendarit Viis Publicis muniendis; in eo tamen laudem meretur, quod Pontes, qui Vias maxime jungunt, quos Trajanus fecerat plurimos, instaurarit omnes, præter nonnullos, quos novos fecit: cumque moris esset, ut nomen Imperatorum Pontibus, Portubus & Columnis milliaribus inscriberetur, D licet hæc opera modo instaurarent, ipse laudabili moderatione usus est: audi enim Lampridium hæc de illo, *in ejus vita cap.* 6. prædicantem: *Pontes, quos Trajanus fecerat, instauravit pæne in omnibus locis. Aliquos etiam novos fecit: sed instauratis nomen Trajani reservavit.*

SECTIO XX.

De cæteris Imperatoribus, qui Vias Publicas muniverunt, usque ad Imperii Occidentalis senectutem.

E 1. *Quod usque ad tempus Viarum munitio Publicarum permanserit in usu.* 2. *Hujus rei certam reddunt fidem lapides veteres inscripti.* 3. *Cur tot Inscriptiones passim in Europæ partibus ad Occidentem, non item in Græcia, Asia & Africa.* 4. *Viæ per Maximinum ejusque F. Maximum munitæ.* 5. *Aliæ per Gallienum & Tacitum.* 6. *per Diocletianum & Maximianum.* 7. *per Constantinum, Constantium, Maxentium & Gratianum.* 8. *Cur Impp. secuti non muniverint Vias Publicas.* 9. *Quod illæ Gentes, quæ Imperium Romanum lacerarunt, non habuerint* F *satis aut pecuniæ, aut virium, ad Vias Publicas muniendas.* 10. *Conclusio hujus disputationis de pecunia & impensis Imperatorum propriis ad Vias muniendas.*

EXstincta Antoninorum familia Imperium Romanum prædæ quasi fuit variis peregrinis & externis, quorum per vices singuli sibi tam jure, quam vi rapiebant imperium. At qualiscunque fuerit ea mutatio, munitio tamen Viarum Publi-

Publicarum nunquam plane fuit neglecta, donec A totum Occidentis Imperium plane collaberetur. Semper enim aliquis Imperatorum tam in Italia, quam per Provincias Viarum munitionem continuavit.

2. Constat hoc non tam ex Historia, quæ hic deficit, quam ex lapidibus inscriptis, quos hic testes citare necesse est. Testes tamen certissimos & verissimos, cum extra dubium sit, Inscriptiones illas columnarum milliarium esse factas illorum Imp. auctoritate & jussu, quorum præ se ferunt nomina; aut saltem per eos, quibus hanc curam mandaverant Impp. in honorem Dominorum ad huc vivorum. Sic ut Inscriptiones antiquæ, quæ B passim per Orbem reperiuntur hujus argumenti, penes nos esse debeant testes genuinæ & indubitatæ veritatis, & tanquam literæ archetypæ & autographæ.

3. Ex hisce Inscriptionibus satis patet ab Impp. quorum nomina indicant, Vias esse munitas, tam in Italia, quam Galliis & Hispaniis; verum nihil habetur in illis Inscrr. de Viis munitis per Græciam, Asiam aut Africam. Causa vero non est, quasi Viarum Publicarum munitio non æque fuerit curæ per Orientem, quam per Occidentem; cum ubique per Orbem Romanum Impp. hæc suæ C magnificentiæ publica opera fieri curarint; sed enim deficit hac in mentione Historia, quæ successorum post Antoninos opera hujus notæ, per Imperii partes Orientales & Australes æque tacet, atque per nostras Occidentales, quæ oblivio omnibus Imperii Provinciis ex æquo est communis. Præter hæc Græcia, Asia & Africa ob rationes mox adferendas destituuntur Inscriptionum suarum antiquarum, notitia. Nam quod penes nos habeamus tam luculenta & pulcherrima Inscriptionum priscarum ex Italia, Galliis, Hispaniis, Germaniæ quibusdam partibus, & Pannoniis collectanea; atque e contrario tam pauca monumenta D ex cæteris Orbis partibus, illud sane inde factum videtur, quod regiones Occidentales semper magis rem literariam curarint, quæ præcipue Patrum memoria, veluti e profundo sopore est excitata. Vix enim centum effluxerunt anni, cum præclara ingenia operam cœperunt dare reliquiis prisci ævi, Nummis, Inscriptionibus aliisque ejus notæ antiquis monumentis librorum beneficio publicandis & conservandis. Hoc sane auxilio antea fuimus destituti, & ante hos L. annos non potuissemus hunc librum ornare ea eruditæ doctrinæ copia, cujus gratiam debemus Onuphrio Panvinio, Josepho Scaligero, Marco Velsero, Andreæ Re- E sendio, Hieronymo Suritæ, plurimisque aliis Viris doctissimis & elegantissimis, qui nobiscum communicarunt & cum publico tot Inscriptiones priscas, quas singillatim in his Europæ ad occidentem partibus invenerunt; & quas Smetius, Lipsius, &, qui hos copia superavit, Janus Gruterus in uberrimam messem collegerunt. At quod attinet ad Vias Publicas antiquas per Græciam, Asiam & Africam, profecto mirum videri non debet, quod tam parum subsidii habeamus ex Nummis, Inscriptionibus, aliisve monumentis, cum non solum illas idem, quod nostras regiones, urgeat Historiæ silentium; sed & quod diu illis incubuerint Tur- F cæ, Saraceni, aliæque Gentes barbaræ & jurati literarum hostes, apud quos nemo aut vult aut potest colligere, quæ forsan passim exstant, Inscriptiones; quin imo e regione, quantum in se est, easdem, ubi offendunt, supprimunt, vastant, mutilant, delent, tollunt.

4. Cum ergo id mihi solum negotii necessitas reliquerit, ut Inscriptionum testimonio utar, illas secundum ordinem Imperatorum, prout cœpi, digeram. Ergo, cum post Antoninos successerint Maximinus Pater, & Maximus Filius qui in Historia vocatur *C. Julius Verus Maximus*, primo loco producam tres Inscriptiones ex Hispania, quarum duæ priores de P. & F. junctim loquuntur: prima est Bracaræ in columna, *apud Grut.* XLI. 5.

IMP. CAES. C. IVLIVS. VERVS. MAXIMINVS. PIVS
F. AVG. GERM. MAX. DAC. MAX. SARM
MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. VII
P. P. COS. PROCOS
ET. C. IVLIVS. VERVS. MAX. NOBILISSIMVS
CAESAR. GERM. MAX DAC. MAX. SARM. MAX
PRINC. IVVENTVTIS. FILIVS. D. N. IMP. C
IVLII. VERI. MAXIMINI. P. F. AVG
VIAS. ET. PONTES. TEMPORE. VETVSTATIS
COLLAPSOS. RESTITVERVNT
CVRANTE. Q. DEC. LEG. AVGG. PRET
PRAEF. A. BRAC. AVG.
M. P

Altera huic gemella est in Via Ulyssipone Emeritam versus, in columna, juxta diversorium, quod Mestas vocant, *ap. Gruter.* CLVIII. 6.

IMP. CAES. CAIVS. IVLIVS
VERVS. MAXIMINVS. PIVS. FE
LIX. INVICTVS. AVG. PONT
MAX. PATER. PATRIAE. TRI
BVNICIAE. POTESTATIS. TER. COS
GERMANICVS. MAX. DACICVS
MAX. SARMATICVS. MAX. ET
C. IVLIVS. VERVS. MAXIMVS
NOBILISSI. CAESAR. PRINCEPS
IVVENTVTIS. GERMANICVS. MAX
DACICVS.MAX.SARMATICVS. MAX
IMP. CAES. CAI. IVLI. VERI MAXI
MINI. PII. FEL. AVG. GERMANICI
MAX. DACICI. MAX. SARMATI
MAX. FORTISSIMI. CAESA
RIS. FILIVS

IIII

Tertia Inscriptio, quæ de Patre aut Filio singillatim agit, eadem via in columna legitur milliaria, *Gruter.* CLVIII. 7.

IMP
CAES. CAIVS
IVL. VER.....
NOB. IMPERA
TOR.V.TRIBVNI
CIAE. PO
TEST.COS.PRO.P.
PATRIAE......

. . . . , ...

Cum vero Filius in duabus Inscriptionibus modo laudatis vocetur *Princeps Juventutis*, nescio certe, an ad illum referre debeam Inscriptionem, quæ in nostra Gallia, prope *Pauliaguet*, est reperta, quam mecum communicavit Amplissimus Savaro, Præses Clarimontis in Arvernis, unde constat Vias esse restitutas: sic autem habet:

CAESAR. PRINCEPS
IVVENTVTIS
PONTEM. ET
VIAS. VETVS
TATE COLLAP
RESTITVIT

5. De Impp. quinque insequentibus nihil quicquam reperio; de sexto autem, qui est Gallienus, hæc Emeritæ Inscriptio legitur, testis, illum curam gessisse Viarum Publicarum per Italiam, Galliam & Hispaniam, *Gruter*. CLVIII. 9.

GALIENVS. IMP. CAES
AVG. CLEMENS. PIVS
VRBE. AEDIF. RESTAVR
AD. BONVM. ITAL. GAL
HISP. PVBLICVM. CON
VERSVS. HOC. ITER. VA
RIE. PER. PROVINC
INTERRVP. REFICI
IMPERAVIT

LXXXVIII

De Tacito Imp. qui Aureliano successit, duæ leguntur Inscriptiones inter Ulyssiponem & Emeritam, in duabus columnis milliaribus, quarum distantia est M. P. sic utraque habet, *Gruter*. CCLXXVII. 1. 2.

IMP
CAESARI
M
CLAVDIO
TACITO
PIO. F. IN
VICTO
AVG. PONTIF
M. TRIB
POTESTA
TIS. II. COS
P. P

IMP.
CAESARI
CLAVDI
O. TACITO
PIO. F. IN
VICTO
AVG
PONT. M
TRIB. PO
TESTA
TIS. II
COS. PRO

. . . .

6. Sequentium Imperatorum, qui in hoc opere quicquam fieri curarint, sunt Diocletianus, Maximianus, & qui ex progenie Constantini. De tribus his Impp. junctim loquitur Inscriptio, quæ exstat Patavii in vico S. Crucis in fragmento tereti columnæ milliariæ eximiæ rotunditatis, *Gruter*. CLIX. 1.

IMP. CAES. C. VAL
DIOCLETIANVS. P. P
AVG. ET. IMP. CAES
M. AVREL. VAL. ET
MAXIMIANVS. P. P
AVG. ET. FL. VAL. CON
STANTINVS. ET. GAL
VAL. MAXIMIANVS
NOBIL. CAES. M

. . . . .

Hæc autem ad duodecimum ab Urbe Ebora lapidem in prædio, quod vocant *Tabularios*, in columna, de solo agit Maximiano, *Gruter*. CLVIII. 10.

IMP. CAES
MAXI
MIANO
PIO. FELI
CI. AVG. EBO
RA. M. P
XII

7. De Constantino solo duæ exstant Inscr. in Italia, quarum una est Veronæ ad S. Petrum Carianum, *Gruter*. CLIX. 3.

D. N. CONSTANTINVS
MAXIMVS
VIII
P

XXXX

Altera est Parmæ ad fores basilicæ S. Mariæ *della Steccata* in columnæ fragmento, literis satis barbaris atque ineptis, *Gruter*. CLIX. 6.

D. N. IMP. CAES
CONSTANTINO. P. F.
VICTORI. AVG. PONT
MAXIMO. TRIBVN.
POTESTAT. XXIII. IMP
XXII. COS. VII. P. P
PRO. COS
RERVM. VMANARVM
OPTIMO. PRINCIPI
DIVI. CONSTANTI. FILIO
B. R. P. NATO

I

Ecce & tertiam, quæ de eodem Imp. visitur Emeritæ, *Gruter*. CLIX. 4.

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG
PACIS. ET IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AVCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBVTO. FINITIME
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT

CXIIII

Veronæ ad D. Ambrosium Vallis Polycellæ, hæc visitur Inscriptio, Constantio Constantini F. dicata, *Gruter*. CLIX. 5.

IMP. CAES
FL. VAL
CONSTANTIO
M. P. VIII

Maxentius, qui Imperatorem se aliquando gessit, celebratur in seq. Inscr. quæ in agro Veronensi, Coloniolæ, *Gruter*. CLIX. 2.

IMP. CAESARI. M. AVRELIO
VALERIO. MAXENTIO. P
FELICI. INVICTO. AVG
M. P. XIIX. CLW

Hæc denique Infcr. quæ Emeritæ legitur, teftis eft Gratiano quoque Imp. munitas effe per Lufitaniam Vias, *Gruter.* CLIX. 7.

IMP. CAES. GRATIANVS
PIVS. FELIX. MAX. VICT
AC. TRIVMP. SEMP. AVG
PONT. MAX. GERM. MAX
ALAMANVS MAX. FRANC
MAX. GOTH M. TR. P. III
IMP. II. COS. IIII PRIM. P. PP
RESTITVIT
C. XI

8. Quod poft hofce Impp. nulli fucceflorum Vias Publicas aut novas fecerint, aut veteres muniverint, id vero mirum non eft, cum quod priorum Impp. induftria omnes Imperii Romani provinciæ Publicas habuerint Vias munitas, quarum C opera per tria fæcula tam pecunia publica, quam Imperatorum & privatis impenfis funt continuata: tum quod poft tempora Theodofii Imp. plurima colluvies barbararum Gentium Imperii provincias, maxime ad Occidentem, Gallias, Hifpanias, magnam Britanniam, ipfamque adeo Italiam, ne ipfa quidem Roma, florentiffimi Imperii capite, excepta, inundarit. Paullo enim poft Theodofii M. exceffum, proditione Gildonis, Ruffini & Stiliconis, qui veluti peftes in perniciem Imp. Romani nati erant, nec non civilibus procerum & primorum difcordiis factum eft, ut Gothi, Hunni, Vandali, Gepidæ, Burgundi, Franci, aliique D ad feptemtriones populi perruptis antiqui Imp limitibus, & Rhenum Danubiumque negligenter a Romanis cuftoditum tranfeuntes, eas Provincias invaderent fuæque ditioni fubjicerent; Vandali quoque ipfam Africam Imperatoribus eriperent. qui uno eodemque tempore tot & tam diverfis hoftibus cum armis refifterent, otium non habebant, ut ad Publicas Vias, aut & alia opera publica curam verterent, quæ fola Imperii felicitas, pax & quies publica inchoat, auget, perficit.

9. Sed nec Nationes illæ peregrinæ, quæ armis victricibus Imperio hinc inde avellebant provincias, aut fatis animi habuerunt, aut virium & ærarii, E ad continuanda hæc opera Viarum publica: fingulæ enim fibi vicerant, & veluti membris a fuo corpore avulfis incumbebant, & quibus illa paraverant, iifdem defendebant armis, ut recens victas regiones & vix jugi patientes; unde hæ non fufficiebant talium operum impenfis, quæ vitam fuam debuerunt toti corpori, cum adhuc capiti fuo eleganti & amico nexu cohæreret. Corpori, inquam, quod ad juftam magnitudinem & maturitatem robuftam excreverat per victorias plurium fæculorum: cujus membra femel feparata, & privata atque deftituta communi totius vita enerva- F bantur ad opera hujus notæ non dicam inchoanda & fufcipienda, fed etiam facta olim confervanda & reficienda. Quicquid ergo horum operum per Galliam noftram, aliafque veteris Imperii provincias reftat, auctores habet Imperatores Romanos, quorum induftria eadem opera ultra hæc XV. aut XVI. fæcula olim firmavit, duravit, folidavit.

10. Verum ut finem faciamus huic difputationi de Imperatoribus & pecunia per illos Viis Imperii A Publicis impenfa, quantam pecuniæ fummam putabimus per hos XXV. aut XXVI. Impp. quorum jam ante fecimus mentionem, fuiffe ad Vias Publicas expenfam; ut taceamus cæteros Impp. quorum opera noftram effugiunt memoriam? Sole profecto clarius eft meridiano, fummam illam haud poffe ad calculos liquida ratione ob ingentem cumulum deduci. Cui fi compares fumtus in templum Salomonis & feptem Orbis miracula erogatos, hi certe exigui videbuntur: id quod porro clarius patebit, cum liber fequens exhibebit materiam, quæ hifce operibus ferviebat, & quæ pro ratione dimenfionis in longum, latum & profundum fupe- B rabat cætera hominum arte & manu elaborata per Orbem opera.

SECTIO XXI.

De Pecunia, quæ privatim Viis Publicis muniendis fuit expenfa.

1. *Privata Pecunia Viis Publicis impenfa trium fuit generum.* 2. *Primum, Pecuniæ manubiales.* 3. *Unde hæ redactæ.* 4. *Advectæ Romam Pecuniæ immenfæ a Pompejo, Cæfare & Paullo Æmilio.* 5. *Magnæ fummæ redactæ ex Auro Coronario.* 6. *Coronarum victoribus Romanis donatarum magnitudo & numerus ingens.* 7. *Notabilis differentia Reip. liberæ & fub Impp. ratione Pecuniæ manubialis.* 8. *Magna quædam opera publica facta per Viros triumphales de pecunia manubiali.* 9. *Pecuniæ manubialis Viis Publicis impenfæ ingens fuit fumma.*

1. POft Pecuniam publicam & Imperatorum impenfas confideranda venit ingens illa impendiorum fumma, quæ a privatis tam ad Vias Imperii Romani Publicas de novo faciendas, quam veteres reficiendas cum in Italia, tum in Provinciis fuit expenfa, cujus calculi fidem fuperant. Ut tamen quadam ratione ad calculos vocari poffit, eam Pecuniam in tria dividam genera: quorum *primum* erit, Pecunia a privatis Imperatorum juffu Viis expendenda; *alterum*, pecunia vi publicæ legis ad Vias muniendas exhibenda fingillatim; *tertium*, Pecunia, quæ a privatorum liberalitate ultro proficifcebatur ad hæc opera.

2. Initium faciemus ab ea Pecunia, quæ ex hoftili præda & manubiis redigebatur, quam Auguftus Cæfar a præcipuis & ditiffimis fui ævi civibus voluit ad opera hæc impendi. Antea diximus, quod optimus hic Princeps, ut Urbs facilius undique adiretur, defumta fibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus Viris ex manubiali pecunia fternendas diftribuerit. Hi erant fenatores præcipui, triumphi honore illuftres. Pecunia, quam his operibus impendebant, non ex privato eorum cenfu, fed ex hoftili præda redigebatur, quæ vocabantur *Pecuniæ manubiales.* Audi huc fpectantem Dionem *lib* LIII. *Auguftus iis, qui triumpharent, mandavit, ut in rerum a fe geftarum memoriam aliquod opus ex manubiis facerent.* Hæc autem opera fuiffe Vias publicas, difcimus ex Suetonio *vit. Aug. c.* 30.

3. Ut autem intelligantur hæ opes, quæ e prædis & manubiis per triumphos ferebantur, notandum, illas veniffe tam ex bonis hoftium captis, quam ex ipfis captivis in fervitutem divenditis fub corona. Et quidem primo huc refer aurum, argentum, æs rude & grave, item fignatum, ftatuas, figna aurea, argentea, ærea, vafa, coronas, veftes, gemmas, tabulas, picturas, omnemque apparatum, inftru-

mentum ac supellectilem preciosiorem, & plura hujus notæ hosti erepta: deinde etiam, quicquid ex captivis redigebatur, quos vel necessarii eorum redimebant, vel alii jure belli in servitutem emebant. Præbet hujus rei exemplum Liv. X. 46. in triumpho L. Papirii Cursoris, cum dixit: *Æris gravis transvecta vicies centies millies & quingenta triginta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur: argenti, quod captum ex Urbibus erat, pondo* ∞. CCC. XXX.

4. Quamvis autem hæc summa, ex non adeo ampla Samnitum regione redacta, videatur magna satis; nullius tamen erit momenti, si eam compares cum illa Pecunia, quam Pompejus M. triumphis tribus, Julius Cæsar quinque triumphis post spoliatas, ut sic loquar, Europam, Asiam, Africam, Regum priscorum thesauros, Gentium Nationumque ac Urbium exhaustas opes ad ornandam Romam, unam illam Urbem & Terrarum dominam, invexerunt: sic ut longe superarint manubias triumphales Paulli Æmilii, de Perseo Macedonum Rege captas, quæ ærario contulerunt quinquagies centena millia Philippeorum nostræ monetæ, ne venientibus quidem ad rationes statuis, coronis aureis, margaritis, gemmis, vestibus precii inæstimabilis.

5. His a manubiis si sejungamus *Coronas aureas*, quas populi regesque socii & amici, Imperatori quasi gratulantes victoriam, mittere solebant, harum quoque summa ob copiam & pondus erit ingens & admiranda. Hæ primum ultro & sponte ex mera liberalitate donabantur, sed consuetudo has paullatim ad officii necessitatem debitumque redegit. Primo quidem ipsæ *Coronæ* datæ, postea invaluit, ut pro iis *Pecunia* offerretur, & per modum honorarii tributi certa summa imperaretur Regibus, Provinciis, Urbibus amicis & sociis, unde hæc pecunia dicta fuit *Aurum Coronarium*. Coronæ istæ initio *Triumphales* appellabantur, quod Imperator eas a populorum amicorum & sociorum liberalitate acceptas in triumphi pompa præferri curaret, ut docet Festus, *hac voce: Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori victori præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt*.

6. Earum magnitudo & numerus erat plane ultra modum ingens. Magnitudo tanta, ut triumphantium capiti minime aptæ essent, maximo majores. Sed nec ad hunc usum, verum ad pompam speciemque triumphi erant; quærendaque fuissent colossorum capita, quibus imponerentur, ob nimiam earum in rotunditate diffusionem. Tertullianus id breviter tangit de Coronis triumphalibus verba faciens, *de Coron. mil. Sunt & provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes*. Quod ad numerum, Paullus Æmilius triumpho Macedonico prætulit CCCC. quas Græciæ civitates illi victoriam gratulantes & quasi meritum caput cingentes studiose miserant. Cn. Manlius, cum Gallogræcos vicisset, in triumpho tulit CCXII. coronas aureas: Quintus Flaminius CXIV. Ex historiarum quoque monumentis constat, Julio Cæsari & Augusto datas fuisse a pluribus Provinciis, Regibus, Civitatibus coronas ∞. IↃCC. XXII. quarum singulæ fuerunt saltem decem librarum.

7. Hæ opes, hæc dona fuerunt *Pecunia manubialis*, cujus pars ab hostibus devictis lecta, pars a sociorum liberalitate fuit submissa. At notari meretur differentia, penes quem arbitrium fuerit hujus pecuniæ, cum florente libertate, tum postea sub Imperatoribus: nam Rep. libera hæc Pecunia ærario populi, quod in æde Saturni erat, inferebatur; & S. P. Q. R. hujus Pecuniæ habebat arbitrium. Sic Paullus Æmilius in hoc ærarium contulit, quam a devicto Perseo Macedoniæ Rege retulit, pecuniam manubialem, quæ tanta fuit, ut ab eo tempore finem attulerit tributis Pop. Romani, quæ vacatio tributorum ad Hirtium Pansamque Coss. duravit, fere ad tempora primi belli civilis inter Augustum Cæsarem & M. Antonium. Verum postea quam Populus Romanus omnem suam potestatem in solum Augustum contulit, aliter res se habere cœpit. Maximus enim hic Princeps, cum per plures legatos duceret exercitus, quibus ipse præesse nequibat, illos duces ut sibi obnoxios & fideles cruda etiamnum dominatione redderet, his permisit maximam manubiarum partem, ut quæ jam erant extra populi arbitrium, & hinc caput unctius referre. Post, cum ipsi videbatur, ex hac eadem pecunia illis imperabat opus quoddam magnificum, sive ad voluptatem, sive ad necessitatem publicam.

8. Hic vides originem tot operum magnificorum, quæ Augusti ætate perfecta sunt, tam Romæ, quam extra Urbem. Hinc Paullus Æmilius, non ille Persei victor, sed qui sub imperio vixit Augusti, habuit pecuniam ædificandæ basilicæ suæ, quam Stat. *lib. I. Sylv. in Equo Domitian. vs.* 30. appellat *sublimem*:

Illinc belligeri sublimis regia Paulli.

Hinc Augusti gener Agrippa habuit impendia, quibus, præter Pantheon, quod novum ædificavit, alia opera publica fecit, de quibus Dio *lib.* XLIX. *Anno sequenti Agrippa ultro ædilis factus est, omniaque ædificia publica, omnesque Vias (Urbis) privatis impendiis refecit*. Eadem circa manubias licentia etiam sub Tiberio permissa, quod exemplo Lepidi, & simul usum communem pecuniæ manubialis sub Augusto & Tiberio Impp. illustrat Tacitus *Annal.* III. 72. *Iisdem diebus Lepidus a senatu petivit, ut basilicam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque. Erat etiam tum in more publica munificentia: nec Augustus arguerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias, aut exundantes opes ornatum ad Urbis & posterorum gloriam conferre: quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit*.

9. Cum ergo manubiæ tantæ fuerint, & Augustus super XXX. ducibus justos triumphos decernendos curaverit, teste Suetonio *in vit. Aug.* c. 38. atque hisce triumphalibus Viris ex manubiali pecunia Vias Publicas sternendas distribuerit, difficillimum profecto erit, in unam colligere summam omnem illam Pecuniam, quam tot magni duces impenderunt huic operi, qui tot victoriis majorem melioremque in universo orbe populorum partem bonis suis spoliarant.

SECTIO XXII.

De altero Pecuniæ privatæ genere Viis Publicis impensæ.

1. Pecunia privata Viis Publicis impensa quomodo intelligenda. 2. Quo modo privati Vias Urbanas construxerint suis impendiis. 3. Differentia inter Vias Militares & Vicinales. 4. Duo modi faciendi Vias Vicinales, vel præbitione operarum, vel ut possessores impensas de suo contribuant in certa spatia a se munienda per singulos agros. 5. Viæ Vicinales Publicarum numero sunt. 6. Differentia notabilis in Viis Publicis novis faciendis, & veteribus reficiendis.

1. CUm de Pecunia privata hoc loco disputo, non eam puto, quam privati singuli vectigalis tributive nomine pendebant; ea enim, dum Publicanis persolvebatur, eo ipso fiebat publica: verum illam, quam privati de suo ad opus Viæ ipsi impendebant, aut quæ ab ipsis exigebatur, nulla alia caussa, nomine & conditione, quam ut Viis Publicis muniendis destinaretur; idque vi legis publicæ, quæ adeo generalis erat, ut ea tenerentur summi & imi, sacerdotes, nobiles, aliquo aut nullo privilegio donati, urbani, rustici, ipse denique Imperator, qui licet alias *legibus esset solutus*, in muniendis tamen Viis noluit sibi publicæ hujus legis gratiam esse. Adeo illis hæc Viarum opera videbantur honesta, utilia, necessaria, ad commune totius Imperii bonum.

2. Cum vero opus Viæ æque esset in Urbe, atque extra Urbem, initium faciam de Viis Urbis Romæ, in qua munitio Viæ Publicæ sic erat distributa, ut ædium domini cogerentur sua impensa facere & reficere pavimentum ejus, pro ratione longitudinis, qua ædes ad Publicam Viam erant porrectæ: *Construat autem Vias Publicas*, ait *L. Ædiles π. de Via Publ. & si quid in ea fact. unusquisque secundum propriam domum*. Et quamvis hæc lex videatur speciatim soli Urbi Romæ dicta, in usu tamen fuit in omnibus Urbibus Imperii majoribus, si quæ Viis munitis stratisque gauderent. Reges Galliæ hanc legem in suis edictis adoptaverunt, quibus Urbium disciplinam civilem temperant, idque uti non tam de novo facerent, quam factum olim pavimentum conservarent, unusquisque secundum suas ædes: at hocce edictum non observatur ubique.

3. Quod ad Vias Publicas extra Urbem, antea hæc duo notari volumus clarioris lucis gratia, quam designemus, quorum impensis illæ fuerint factæ & refectæ. Prius est, quod Viæ Publicæ, ut alibi amplius ostendemus, fuerint aliæ *Regiæ Militaresque*, aliæ vero *Vicinales*, quas nostra vernacula lingua vocamus *de traverse*, quia de Publicis divertunt in agros, villas, pagos, & sæpe ad alteras Publicas perveniunt. *Militares Viæ*, quæ majores, nobiliores, rectiores erant, de Provincia in Provinciam, aut Urbe majore ad aliam pergebant, muniebantur *novæ* publica pecunia, auctorum nomina obtinebant, publice locabantur per Censores, Curatores Viarum Publicarum, aliosque, quibus hæc cura publice mandata erat, per redemtores & mancipes conducebantur, qui huic operi rite & ordine perficiendo fidem suam obligabant, illudque definito certo precio, quo publice redemerant, suis impensis suoque periculo vel approbandum vel reprobandum faciebant: sed *Viæ Vicinales* muniebantur per magistros pagorum & oppidorum, quales magistratus hodie vocamus in Gallia *Majores* & *Scabinos*, sive *Maires* & *Eschevins*, quibus injunctum erat, unicuique possessori per singulos illorum agros, prædia, ædesve adsitas assignare certa Viæ Vicinalis spatia munienda & sternenda suis, non vero publicis, impensis.

4. Itaque hi Magistratus oppidani paganive Vias Vicinales muniebant duobus modis, vel operas ad Vias tuendas exigendo a possessoribus e vulgo; vel certa Viæ spatia suis impensis tuenda per singulos agros adsignando honestioris ordinis possessoribus. Erat enim penes hos magistratus jus exigendi operas a possessoribus agrorum plebeiis, ut ipsi cogerentur ad opus Viæ; hi ad vecturam lapidum, silicum, arenæ, glareæ, quæ sæpius e longinquo & remotiore a Viis loco erant advehenda; alii ad coquendam calcem; illi ad materiam pro coriorum serie ordinandam & digerendam, tundendam, solidandam, firmandam; isti ad excindendas rupes, perfodiendos montes, exaggerandas & emuniendas & complanandas limosas voragines & cœnosos gurgites; quorum operum durities & difficultas sæpe Provincialium seditiosas excitavit querelas. Honestioris vero ordinis possessoribus, qui prætoria, prædia, agros, heredia habebant, horum æstimatione prius facta, pro illius ratione certam Viæ Vicinalis portionem suis ipsorum impensis muniendam adsignabant, servata in singulis proportionis æquitate pro censu illorum. Insigne hanc ad rem est testimonium Siculi Flacci, *de Condition. agror. pag.* 9. quod integrum huc apponi non ab re fuerit: *Nam sunt*, ait, *Viæ Publicæ Regalesque, quæ publice muniuntur, & auctorum nomina obtinent: nam & Curatores accipiunt, & per Redemtores muniuntur; in quarundam tutelam a Possessoribus, per tempora, summa certa exigitur. Vicinales autem Viæ, de Publicis quæ divertuntur in agros, & sæpe ad alteras Publicas perveniunt, aliter muniuntur, per pagos, id est, per magistros pagorum, qui operas a Possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, ut comperimus, unicuique Possessori per singulos agros certa spatia assignantur, quæ suis impensis tuentur. Etiam titulos finitis spatiis positos habent, qui indicent, cujus agri, quis dominus, quod spatium tueatur.*

5. Licet autem Flaccus hoc loco videatur opponere Vias Publicas Vicinalibus, iis verbis, *quæ de Publicis divertuntur in agros, & sæpe ad alteras Publicas perveniunt*; revera tamen Viæ Vicinales sunt quoque Publicæ, uti disertis verbis clarissime dicit Ulpianus JC. *l. 3. π. de Loc. & itin. publ. Viæ Vicinales Publicarum Viarum numero sunt*: ubi excipit tantum illas, *quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum* collationis adhuc *exstat memoria*: adeoque credibile non est, voluisse Flaccum *l. l.* Vias Vicinales Publicarum numero excludi, privatisque adscribi; sed quia Militares Regalesque nobiliores sunt, hasce appellat generatim *Publicas* propter excellentiam.

6. Posterius, quod supra §. 3. notari volebamus, est differentia munitionis in *Viis Publicis* tum *novis* faciendis, cum *veteribus* reficiendis, speciatim illis, quæ *Regiæ Militaresque* erant: hæ enim *novæ* fiebant pecuniæ publicæ impensis, quod Siculus Flaccus *l. l.* innuit verbis: *publice muniuntur*: at ubi deinde reficiendæ erant & restituendæ, pro more Vicinalium, per operarum præbitiones, aut certorum spatiorum adsignationes, uti ante exposuimus, muniebantur. Id videmus in *lege Honorii & Theodosii Impp.* data quidem nominatim provinciæ Bithyniæ, sed simul etiam generatim Provinciis cæteris, *l. 2. C. de Immun. nemin. conced. Per Bithyniam cæterasque provincias possessores in reparatione publici aggeris & cæteris hujusmodi muneribus, pro jugerum numero vel capitum, quæ possidere noscuntur, dare cogantur.*

SECTIO XXIII.

Quod in reficiendis Viis Publicis nemini concessa fuerit immunitas.

1. *Duo genera Collationum & Præbitionum, quibus vel operæ vel pecuniæ præstabantur. Munera sordida, viliora, & honestiora aut digniora.* 2. *Possessiones Principum, & Senatorum substantiæ ab omnibus sordidis muneribus liberæ.* 3. *Instructio & refectio Viæ Publicæ inter munera nobiliora & honestiora.* 4. *Sacerdotes quo-*

que sive Clerici nullam immunitatem in Viis publicis reficiendis habebant, ex lege, quæ omnes omnino ad hujus oneris curationem, ne ipso quidem Imperatore excepto, constringebat. 5. Quinque notabilia dictæ Legis consectaria, ratione Viarum Publicarum. 6. Imperatoris & illustrium dignitatum patrimonia olim ab instauratione Viarum excepta, postea ex lege ad hoc opus constricta. 7. Viæ Publicæ diu neglectæ, a Carolo M. restitutæ, qui ad illas reficiendas religiosa quoque loca adscripsit. 8. Religiosi & Clerici ex sententia judiciali Curiæ Gallicanæ ad Viæ Publicæ reficiendæ collationem etiam hodie adstringuntur.

1. NUnquam ulla Resp. potuit subsistere sine ærario, nec ærarium consistere sine collationibus per subjectos & populares persolutis. Uti vero civium & subjectorum variæ sunt classes, quibus alius præ alio digniorem in Rep. locum obtinet; ita & collationum quædam fuit & munerum differentia. Alia enim veluti sordida, viliora, humilia, abjecta & illiberalia habebantur, quod præstarentur a vulgo & plebe viliori & humiliori: alia erant digniora, honestiora, nobiliora & liberalia, qualia præstabant honestioris ordinis homines, quique primi loci erant, utpote ex quibus honos & salus Reip. non minimum dependebat.

2. Quod ad præbitiones & munera sordida, illis prædia, agros & possessiones Senatorum liberas esse præcepit Imperator; ut & *suam rem privatam*, vel *prædia aut possessiones suas privatas*: quo nomine veniebant prædia & possessiones, quæ in patrimonio ipsorum ante fuerant, quam fierent Imperatores, item quæ postea his accedebant, nec non quæ hæreditatis, legatorum, aliove legitimo jure ad eos perveniebant. Horum neque conductores, neque colonos, aliosque eorum homines volebant conveniri ab humilioribus horum sordidorum munerum curatoribus ad præstanda hæc vilia, aut ad illo nomine conferendam in viliora munera pecuniam. Constantinus M. lata constitutione diserte id vetuit *l.* 1. *C. de Privileg. Dom. Aug. Privatas*, inquit, *possessiones nostras ab universis muneribus sordidis placet immunes esse, neque earum conductores, neque colonos ad extraordinaria munera, vel superindictiones aliquas conveniri*. Eadem immunitate gaudebant Senatorum bona, *l.* 4. *C. de Dignitatib. Senatorum substantias, quas in diversis locis & provinciis possident, & homines eorum, tam a temonariis oneribus conferendis, quam a cæteris præstationibus, quas judices describunt, nec non etiam ab omnibus sordidis muneribus, extraordinariisque & vilioribus liberos esse præcipimus, nullaque sorte constringi functionis indignæ*.

3. Verum quod attinet ad præstationes & munera in Viis Publicis reficiendis, quamvis prima fronte videantur humilia & vilia, sita quippe maxime in manuum opera, materiaque, quæ videri possit abjectior & nullius dignitatis, qualia sunt lapides, silices, calx, sabulum, cæmentum; numquam tamen opera Viarum Publicarum habita sunt humilia & viliora, sed e contrario liberalia, nobilia & honestiora; cujus rei insignia sunt, quod nec ipsi Impp. dedignati sint hisce operibus manum admovere, sese auctores ferre inscriptis publice marmoribus, aliisque, quæ epigrammata ad posteros transmittere ætatemque ferre possunt; & quod ad instructiones reparationesque Viarum, Pontiumque, qui Vias connectunt, nullum genus hominum, nullius etiam dignitatis ac venerationis meritis voluerint cessare, sine ulla exceptione, ne quidem privati sui ipsorum patrimonii, rei, prædiorum.

4. Licet etiam primi Impp. Christiani, in illo sacrorum recens acceptorum fervore, Ecclesiæ sacerdotes eorumque bona cunctis tributis, vectigalibus & similibus collationibus liberos esse voluerint; semper tamen hoc privilegio exceperunt refectionem Viarum Publicarum, ad quam æque ac omnes reliquos homines, sine ulla exceptione adstrinxerunt sacrorum quoque præfectos & administros, & bona locaque sacra. Patet hoc ex pluribus illorum rescriptis, maxime illo Honorii & Theodosii Impp. *l. Absit. Cod. Theod. de Itin. muniendo* xv. 3. *Absit, ut nos instructionem Viæ Publicæ & Pontium, Stratarumque operam, titulis magnorum Principum dedicatam, inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesque Itinerum Pontiumque, nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet. Domos etiam divinas ac venerandas Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus. Quam legem cunctarum Provinciarum judicibus intimari conveniet, ut noverint, quæ Viis Publicis Antiquitas tribuenda decrevit, sine ullius vel reverentiæ vel dignitatis exceptione præstanda*. Confer sumtas ex hac lege *l. Ad instructionem*. 7. *C. de SS. Eccles.* & *l. Absit*. 4. *C. de Privileg. domus Aug.*

5. Integram hanc legem adscripsi, cum ex ea *quinque* consectaria notatu digna fluant, quæ breviter persequar, cum mirifice Viæ Publicæ opus commendent. *Primum* est, instructionem Viæ Publicæ & Pontium non sordidis, sed nobilissimis operibus adnumerari. *Alterum*, quod sit dedicatum posteritati opus, titulis & nominibus maximorum Orbis Principum, quales fuerunt Imperatores. *Tertium*, quod in solo hoc opere nullum omnino genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis immunitatem sibi potuerit vindicare. *Quartum*, quod hoc opus non uni modo urbi aut provinciæ imperatum erat, sed omnibus plane totius Imperii provinciis; frustra alioqui voluisset Imp. *hanc legem cunctarum Provinciarum judicibus intimari*. Denique *quintum* & postremum est, quod hujus operis splendor & honos non sit novitiæ originis, sed ab ultima & venerabili Antiquitate profectus.

6. Negari tamen non debet, fuisse aliquando tempus, quo Imperatorum & illustrium Romanarum dignitatum patrimonia privata ab instauratione Viarum Publicarum erant excepta: sed tandem Arcadius & Honorius Impp. considerantes multitudinem, atque, ut illorum utar verbo, immensas vastitates Viarum, hanc Constitutionem publicarunt, *l. l. C. Theod. Dudum quidem fuerat constitutum, ut illustrium patrimonia dignitatum ab instauratione itinerum habeantur excepta: verum propter immensas vastitates Viarum, certatim studia cunctorum ad reparationem Publici Aggeris conducibili devotione volumus festinare, nulla ad instructum munitionis hujusce dignitate, aut privatorum privilegiorum in qualibet studiosius adpetita. Etiam istud adjungimus, ut domos etiam clementiæ nostræ, quas vetusta & innumera, ab hujus oneris curatione, privilegia vindicabant, par conditio & sollicitudo constringat*.

7. Vero perquam est simile, cum Imperium Occidentis per tot Barbarorum invasiones convelleretur, Viarum Publicarum munitiones diu fuisse neglectas: Carolus vero M. eas aliquo modo restituit, & veluti servatas e naufragio tabulas complures rursus cum Germania magna conjunxit. Mox enim a nomine & dignitate Imperatoris suscepta animum ad hæc opera Viarum applicuit,

tanquam si in Imperio necessarium maxime esset, ad promte ducendos huc illuc ultro citroque exercitus habere Vias publicas munitas, quibus regnum aliquod aut provincia singularis facilius carere posset. Ideo in ipsius *Capitularibus* hanc legimus constitutionem, ad veterum Impp. imitationem ratione Clericorum datam: *Possessiones*, ait, *ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad institutionem Viarum & Pontium*.

8. Hinc forsan, quamvis Gallia magni illius Imperii Romani parva, at nobilis, sit pars, & in ea ratio muniendarum & consolidandarum pro more Romano Viarum hodie exoleverit plane; in reparandis tamen Viis, secundum morem nostrum jacto aut terreno aggere, aut pavimento lapideo, Clerici adhuc ad collationem adstringuntur secundum locorum consuetudinem. Sic judicatum & pronunciata sententia XXIV. Maii cIↃ.IↃ.XXCIII. pro incolis Urbis Aurelianensis contra Religiosos Monasterii S. Victoris prope Parisios, ut refert Robertus *Rer. Judic.* II. 3.

SECTIO XXIV.

De tertio genere Pecuniæ Privatæ Viis Publicis muniendis impensæ a Privatis.

1. *Tres origines Pecuniæ Privatæ a Privatis ad Vias muniendas datæ.* 2. *Prima eorum, qui vel singillatim suo ære soli, aut cum aliis, ut Communitates, Collegæ, Corporati, Vias muniri curarunt.* 5. *Exempla privatorum, qui vel soli, vel conjunctim, in honore publico aut procul a rep. viventes, Vias suo ære muniverunt.* 4. *Exemplum Communitatis Oppidanæ.* 5. *Altera Pecuniæ Privatæ origo, donata pecunia a vivis in publicum ad Vias sternendas.* 6. *Tertia, quæ a defunctis ad hunc finem legabatur.* 7. *Epilogus hujus disputationis, affirmans, nulli per Orbem operi plus operarum & hominum, plus æris impensum fuisse.*

1. PLures cives Romani, aliique tam in Italia, quam in Provinciis, boni publici studiosiores, non solum de suo collationibus in Vias Publicas muniendas ordinariis pro rata portione lubentes faciebant satis, ad quas collationes eos lex publica vocabat; verum etiam abundantia quædam bonæ voluntatis de publico merendi, partem bonorum suorum ultro impenderunt in hoc opus publicum, idque ex mera liberalitate. Quod tribus modis factum reperio: nam *hi* singillatim suo ære, vel segregatim vel conjunctim, Vias munire voluerunt; *illi*, cum viverent, donabant certam pecuniæ summam in publicum ad Vias sternendas, *isti*; testamenti tabulis certam pecuniæ summam eidem operi legabant.

2. Hi, qui singillatim hoc præclarum beneficium publico præstabant, erant vel solus aliquis segregatim, vel plures conjunctim, qui pro bono & utilitate publica, ut in honorem Imperatoris, quem cum maxime amabant, aut novas fecerunt, aut veteres Vias refecerunt ad certam longitudinem de suis ultro tributis impendiis. Horum aliqui etiam una erant istarum Viarum curatores & tutores; alii plane privatæ sortis & procul ullo honore a rep. ætatem degentes.

3. Exemplo sit *Apulejus Niger*, Curator Viarum sternendarum, qui præter publicam munitionem quam fieri curavit, de suo privatim decem millia pedum sterni in eadem Via voluit, quæ in Italia fiebat ejusdem Apuleii auspiciis, uti constat ex sequenti Inscr. *ap. Onufr. Panvin. in Urbe Roma*, quæque est Allifani in Campania in angulo parietis summi templi, teste *Gruter.* CLII. I.

L. APPVLEIVS
C. F. ANI. NIGER
II. VIR
CVRATOR. VIARVM
STERNENDARVM
PEDVM. DECEM
MILLIA. VIAM
SVA. PECVNIA
FECIT

Pro exemplo plurium, qui conjunctim communibus impendiis in honorem Imperatoris viam sternendam curarunt, erunt *Magistri* illi *Augustales*, quorum mentio est in Inscriptione, quæ est *l. l. Panvin.* Quæque exstat in tabula marmorea in horto Ecclesiæ Cathedralis Urbis Castellanæ in Faliscis, *apud Gruter.* CXLIX. 5.

HONORI S
IMP. CAESARIS. DIVI. F
AVGVSTI. PONT. MAXIM
PATR. PATRIAE. ET. MVNICIP
MAGISTRI. AVGVSTALES
C. EGNATIVS. M. L. GLYCO
C. EGNATIVS. C. L. MVSICVS
C. IVLIVS. CAESAR. ISOCHRYSVS
Q. FLORONIVS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CVRARVNT. PECVNIA. SVA
PRO. LVDIS

Quantum ad opera recens facta, aut refecta per privatos provinciales in honorem alicujus Imperatorum, producemus in medium lapidem hunc, qui est in oppido Alcantara in Hispaniis, in quo pons est venerandæ & antiquitatis & majestatis, in cujus ingressu exstat sacellum, hodie *Divi Juliani* adpellatum, habens superius limen sic inscriptum, *Gruter.* CLXII. I.

IMP. NERVAE. TRAIANO. CAESARI. AVGVSTO. GERMANICO. DACICO. SACRVM

TEMPLVM. IN. RVPE. TAGI. SVPERIS. ET. CAESARE. PLE- (NVM
ARS. VBI. MATERIA. VINCITVR. IPSA. SVA
QVIS. QVALI. DEDERIT. VOTO. FORTASSE. REQVIRET
CVRA. VIATORVM. QVOS. NOVA. FAMA. IVVAT
INGENTEM. VASTA. PONTEM. QVOD. MOLE. PEREGIT
SACRA. LITATVRO. FECIT. HONORE. LACER

QVI. PONTEM. FECIT. LACER. ET. NOVA. TEMPLA. (DICAVIT
ILLIC. SE. SOLV::::: VOTA. LITANT
PONTEM. PERPETVI. MANSVRVM. IN. SECVLA (MVNDI
FECIT. DIVINA. NOBILIS. ARTE. LACER
IDEM. ROMVLEIS. TEMPLVM. CVM. CAES. DIVIS
CONSTITVIT. FELIX. VTRAQVE. CAVSA. SACRI

C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET. DEDICAVI. AMICO. CVRIO. LACONE. ICAEDITANO

A Ex qua Inſcr. diſcimus C. Julium Lacerum, *ſolum*, ſuo ſumtu magnificum iſtum pontem in honorem Trajani Imp. *fieri* juſſiſſe; in cujus pontis medio arcus erigitur, cum hac inſcriptione, *Grut.* CLXII. 2.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO.AVG.GERM.DACICO.PONTIF.MAX.
TRIB. POTEST. VIII. IMP. V. COS. V. P. P

4. Pro exemplo Municipiorum & Oppidorum,
B quæ ſtipe collata ex mera liberalitate Vias Ponteſque fieri curarunt, ſunto *Aquiflavienſes*, ab *aquis flavis* ſic dicti. Aquiflaviæ enim, quæ olim nobilis Luſitaniæ civitas erat, & nunc villa tantum eſt, non ultimi tamen nominis, *Chaves* vulgo appellata, pons eſt inſignis multamque majeſtatem præ ſe ferens, Tammago flumini, quod villam ipſam præterfluit, impoſitus, in quo ſequens legitur titulus, *Grut.* CLXII. 4.

IMP. CAES. NERVAE
C TRAIANO. AVG. GER
DACICO. PONT. MAX
TRIB. POT. COS. V. P. P.
AQVIFLAVIENSES
PONTEM. LAPIDEVM
DE. SVO. F. C

5. Altera ultro tributi impendii ad hoc Viarum opus origo erat, cum privati certam pecuniæ ſummam liberaliter ad hunc finem donabant, eamque Curatoribus Quæſtoribuſve, qui Viis muniendis
D præfecti erant, repræſentabant. Exemplum talis liberalitatis præbet Inſcr. antiqua, quam Roſin. *Antiq. Rom.* dicit exſtare Romæ, at Gruter. CCCC. 7. Aſſiſii in Umbria. eſt autem hæc:

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRCVS
OCVLARIVS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H-S. IↃↃↃ
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REM. P.
E DEDIT. H-S. ∞ ∞
HIC. IN STATVAS. PONENDAS. IN
AEDEM. HERCVLIS. DEDIT. H-S [sign] [sign] [sign]
HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN
PVBLICVM. DEDIT. H-S. [sign] [sign] [sign] IↃↃ ∞ ∞
HIC. PRIDIE. QVAM. MORTVVS. EST
RELIQVIT. PATRIMONI
H-S. ∞. [sign] [sign]

6. Tertia pecuniæ privatæ origo derivabatur ex
F defunctorum teſtamentis, & legatis nominatim ad hoc opus deſtinatis. Nobile hujus rei exemplum exſtat in *l.* 30 *π. de Legatis ſecundo*, quam integram apponi non abs re erit: ſic autem illo capite loquitur Celſus JC. *Quidam in teſtamento ita ſcripſit*: Reipublicæ Graviſcanorum lego in tutelam Viæ reficiendæ, quæ eſt in colonia eorum, uſque ad Viam Aureliam. *Quæſitum eſt, an hoc legatum valeat? Juventius Celſus reſpondit: Propemodum quidem imperfecta eſt hæc ſcriptura* in tutelam Aureliæ Viæ, *quia ſumma adſcripta non eſt. Poteſt tamen videri tanta ſumma legata, quanta ei rei ſufficeret: ſi modo non apparet, aliam fuiſſe defuncti voluntatem, aut ex magnitudine ejus pecuniæ, aut ex mediocritate facultatium, quam teſtatrix reliquit: tunc enim officio judicis ſecundum æſtimationem patrimonii & legati quantitas definiri poteſt.*

7. Hactenus ergo, quantum ex priſcis monumentis potuimus, diximus de illis, qui fecerunt fierique curarunt Vias, & de pecunia ei operi impenſa, ejuſque ſummis. Quod vero numerum nec hominum nec pecuniæ impenſæ accurate & ad aſſem libellamque definivimus, cauſſa fuit; quod tam hic, quam ille calculos quantumvis exactos fugiat, imo vix ac ne vix quidem ab homine ullo intelligi poſſit, niſi acervatim & generatim. Scimus ſatis accurate numerum hominum, qui templum Salomonis, & qui Ægyptias pyramides elaborarunt; & quantis ſumtibus hæc opera conſtiterint, ad aſſem novimus; id vero negatur nobis in Viarum Publicarum admirandis operibus, quibus totus pæne terrarum orbis manum admovit, ultra ſex ſæcula per Italiam, in Provinciis ultra annos quadringentos. Qui ipſi huic operi manum ſuam non admovebant, hi, ſummi, medioxumi, imi, de ſuo ære ad hoc opus ſine ulla exceptione conferebant. Sola enim Viarum Publicarum opera hanc ſibi propriam habent laudem, quod, inter elaborata humanis manibus opera, unice totius orbis terrarum opera & pecunia collatitia ſint perfecta.

SECTIO XXV.

De amore, quo S. P. Q. R. proſecutus eſt Auctores Viarum Publicarum, & de honoribus, quos illis publice decreverunt.

1. *C. Gracchi ob Vias Publicas factas & ornatas apud Populum Romanum auctoritas & amor.* 2. *Tria honorum genera habitorum iis, qui Vias Publicas muniri curarunt. Primum, ut Viæ ab auctoribus cognominarentur.* 3. *Alterum, Arcus triumphales: duo tales Auguſto dedicati.* 4. *Item Romæ unus honori Veſpaſiani.* 5. *Tres dedicati Trajano.* 6. *Tertium, nummi in ejus rei memoriam cuſi.* 7. *Nummi hujus notæ in honorem Auguſti.* 8. *Præſtantiſſimus nummus in honorem Trajani hac de cauſa cuſus.*

1. Utilitas & commoda, quæ bono publico adferebant Viæ Publicæ munitæ, & damna, quæ illarum beneficio quotidie evitabantur, tam evidentia erant, tantique a S. P. Q. R. fiebant, nullum ut ſit operis publici genus, cujus Auctoribus præſtita ſit major benevolentia, quibuſque decreti fuerint plures, majores, & magis durabiles honores. C. Gracchus his operibus tantam ſibi benevolentiam civium Romanorum adjunxit, ut nihil non potuerit apud illos. Cum aliquando ob hæc opera eum Populus prædicaret, propter plurimas vias extra Urbem eleganter & commode munitas, & gratificari ſe ei quacunque in re paratum oſtenderet, quadam in concione dixit, petiturum ſe ab eis beneficium, quo impetrato omnia ſe adeptum eſſet judicaturus; negato, nihil de ipſis queſturus. Eo dicto videbatur conſulatum ſibi petere, omneſque fore putabant, ut tribunatum ſimul plebis & conſulatum peteret. Ut Coſſ. creandis comitia facta ſunt, ſuſpenſis exſpecta-

ſpectatione omnium animis, C. Fannium Gracchus in campum deduxit, comitiaque ejus obivit. id ad petitionemFannii tantum attulit momenti,ut is Coſ. deſignaretur. Gracchus vero Tribunus plebis iterum creatus eſt, non petens id aut ambiens, ſed ſtudio & favore Populi oblatum accipiens; prout hæc memoriæ tradit Plutarchus, *in vit. C. Gracch. c.* 10.

2. Quantum ad Honores publice decretos, tam florente Libertate, quam Imperatorum ætate, ii tribus præcipue modis habebantur, ad immortale reddendum nomen Auctorum Viæ Publicæ, quantum humana induſtria ullo modo fieri poſſet. *Primus* erat, ut Viæ Publicæ cognominarentur ab Auctoribus: & ſane illorum nomina maximam partem tam in Italia, quam in Provinciis Viis adhæſerunt, uti apparet ex *Viis Appia, Flaminia, Æmilia*; neque ſine ratione dixit Siculus Flaccus *de Condit. Agror. p.* 9. quod *Viæ Publicæ Regalesque Auctorum nomina obtineant*.

3. *Alterum* honoris genus erant Arcus Triumphales, quos S. P. Q. R. publice vel S. C. decernebat in honorem Imperatorum, qui fecerant aut refecerant Vias Publicas, & Pontes Portuſque, Viarum neceſſarias partes & appendices. Sic Dio Caſſius *lib.* LIII. *pag.* 586. docet, Auguſto ob reſtitutam Viam Flaminiam, Romæ Ariminum uſque, in utroque termino & fine, tam *in ponte Tiberino Romæ*, quam *Arimini* dedicatos eſſe duos Arcus triumphales, & his juſtæ magnitudinis Imperatoris ejuſdem *ſtatuas* ſuperimpoſitas fuiſſe.

4. Sæculis ſequentibus S. P. Q. R. hoſce honores porro habuit ſucceſſoribus Auguſti, qui Vias aut novas faciebant, aut veteres reficiebant, dedicatis Arcubus Triumphalibus ſive Romæ, ſive extra Urbem, locis maxime celebribus operis ab ipſis perfecti. Sic Romæ ex S. C. hac de cauſſa Arcus Triumphalis dedicatus eſt hac Inſcr. *ap. Gruter.* CCXLII. quæ hodie exſtat Romæ in area Capitolina in baſi Marmorea elegantiſſima:

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT. III
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII
S. C.
QVOD. VIAS. VRBIS
NEGLIGENTIA
SVPERIOR. TEMPOR
CORRVPTAS. IN
PENSA. SVA. RESTITVIT

Studio hic non adjicio Arcum Triumphalem hujus notæ Domitiano ſacrum, cujus alibi opportunior erit locus. *lib.* II. *ſect.* 27. *§.* 10.

5. Trajanus, cum ab Auguſto plus Operum Publicorum perfecerit, quam ullus Impp. hoc honore præ ceteris Romæ & extra Urbem fuit mactatus. Diſcimus enim ex Sexto Rufo, *in prima Urbis regione* fuiſſe *arcum D. Trajani*: & aliunde ſcimus, ejuſdem honori dedicatos, præter hunc, in Italia duos *arcus*, locis celeberrimis, quibus Vias muniverat. Prior exſtat Beneventi in Campania, unde, ut diximus ſupra *ſect.* XVII. *§.* 9. Brundiſium uſque Viam fieri juſſerat pecunia ſua; habet autem Arcus hanc Inſcr. *Smetius* XI. 4. *Gruter.* CCXLVII. 5.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. FILIO
NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. AVG
GERMANICO. DACICO. PONT. MAX. TRIB
POTEST. XVIIII. IMP. VII. COS. VII. P. P.
FORTISSIMO. PRINCIPI. S. P. Q. R

Poſterior Anconæ, primaria Piceni civitate, adhuc integer exſtat in portu; eſtque plane admirandus, ratione ſtructuræ, ſi ullus. Quamvis enim hodie ſpoliatus ſit præcipuis ornamentis ſuis, curribus triumphalibus, ſtatuis marmoreis & ex ære fuſis, tropæis olim appenſis; ſpectatorum nihilominus oculos mentemque in ſtuporem rapit, tanquam ſi Venerem aliquam pulcherrimam veſtibus nudatam contemplentur. Materia & forma plane ſunt exquiſitæ, ſymmetria & pulcritudo totius exactiſſima. Præcipua Arcus materia eſt marmor candidiſſimum & politiſſimum; cujus quadræ tam nitide & arcte junguntur, ut ne quidem aciem cultri intro admittant: diceres, totum opus ex uno marmore Pario continuo eſſe perfectum. Quadræ, ex quibus componitur, tam magnæ & craſſæ ſunt, ut paucis licet ordinibus ſuggeſtibuſque collocatæ opus nihilominus valde extollant, oculiſque tam a fronte, quam a lateribus exhibeant altitudinem decentiſſimam, & ſcenographiam juncturamque perfectiſſimam. Adde, quod induſtriam, ingenium & audacem artem mancipis ſive redemtoris arguit & commonſtrat, omnes exteriores partes, ac veluti membra Arcus, ſtylobatas, baſes, columnas, capitula, epiſtylia, zophoros, coronides, ſingula cum ſuis anaglyphis & projecturis, quæ ad cujuſque faciunt ornatum, non apponi adjungive extus; ſed facere partes continuas vaſtorum & ingentium illorum marmorum, ex quibus totus Arcus conſtruitur, ex illis ipſis exciſas & exſculptas. Sic ipſi ſtructuræ continua ad noſtram uſque ætatem pleraque perdurarunt, una cum hac Inſcriptione, *Smet.* XI. 3. *Gruter.* CCXLVII. 6.

	IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE	
	TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANI	DIVAE
PLOTINAE	DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. VIII.	MARCIANAE
AVG	COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI	AVG
CONIVGI. AVG	SENATVS. P. Q. R. QVOD. ACCESSVM	SORORI. AVG.
	ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA. SVA	
	PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT	

6. *Tertium* honoris genus, quem Romani habuerunt Imperatoribus illis, qui Viarum Publicarum præ reliquis curam geſſerunt, fuit in publice cuſis nummis, quibus hujus beneficii memoriam poſteritati commendabant. Quod ſi nummi cuderentur ſolius Senatus juſſu, oſtentabant illi has literas S. C. quæ *Senatus conſulto* fieri juſſos notabant: at ſi cum Senatu & populus ad materiam formamve nummorum quicquam contuliſſet, in altera facie nummi ſignabantur notæ illæ vulgares S. P. Q. R. ejus communis conſenſus indices. In nummis vero priſcis hujus notæ præcipue notandi ſunt Auguſti & Trajani, qui hiſce Viarum operibus cæteros Impp. longo poſt ſe intervallo reliquerunt, ut ex dictis ante conſtitit: neque etiam alios reperi nummos, ob Vias Publicas mu-

nitas in honorem Impp. cusos, quam in horum duorum.

7. Augustus Imp. quantum scire potui, primus hoc honore mactatus est; neque enim in nummis Consularibus similes nummos reperio: proinde credo & hunc esse ex novis honoribus, quos certatim Principi huic, cum ad eum totius Imperii summa pervenisset, ingerebant: & quemadmodum Arcus Triumphales illi sunt dedicati, propter opera publica, quæ suis impensis perfecit; sic etiam cusi sunt nummi, in quorum altera facie hi ipsi nummi præferunt Arcus istos ad verum expressos. Unus nummus exhibet Arcum Triumphalem ex duobus fornicibus compositum, Pontique impositum, qui alius non videtur, quam *Tiberinus*, super quo alterum Arcum Triumphalem fuisse constitutum testis est Dio *l.* LIII. *pag.* 586. Super hos fornices a fronte quadrigæ conspiciuntur. Quidam ajunt se vidisse nummos tales, bigis elephantorum conspicuos. Alter nummus aversa facie ostendit Arcum duobus diversis & sejunctis fornicibus distinctum & divisum quasi per Viam Flaminiam, quæ inter utrumque transit. Uterque fornix statua equestri cum tropæis hinc & inde ornatur. Et uti cuivis constaret, utrumque nummum S. C. jussum fieri ad testificandum gratum animum ob Vias ab Augusto tam ipso, quam ejus jussu ab aliis munitas, in utriusque nummi aversa facie legitur: QUOD VIÆ MUN. SUNT. Sebastianus Erizzus, nobilis Venetus, vir in re nummaria pereruditus, in libro Italico, qui inscribitur, *Discorso sopra le medaglie de gli Antichi*, in nummis Augusti, facie aversa *numero* 25. *&* 28. nobis calculum addit his verbis: *Questa medaglia fu battuta in Roma, nel medesimo tempo della sopra detta, ad honore di Augusto, per memoria delle Vie Publiche in tal tempo lastricate & munite*. Quæ verba Latine sonant: *Hic nummus Romæ est cusus, eodem, quo prior, tempore, in honorem Augusti, ob Vias Publicas eodem tempore munitas & stratas*. Neque abludit Antonius Augustinus, Vir Doctissimus, Archiepiscopus Terraconensis *in Dialog. Antiq. Romanar. & Hispanicar. ex nummis Veterum*, qui ex versione Andreæ Schotti V. Cl. de eadem re sic loquitur: *Ob id* (Vias Munitas) *statuæ Augusti super Arcus in ponte Tiberis, & Arimini positæ, ut hi nummi testantur*. Sed en tibi hos ipsos Nummos:



Andreas Schottus, qui Augustini Dialogos Latine reddidit, illisque suos etiam nummos addidit, exhibet tres alios nummos, qui in altera facie Augusti vultum præferunt, cui subscribitur AUGUSTUS: sed facies aversæ & conveniunt & simul differunt. Conveniunt in eo, quod omnes tres exhibeant *columnam milliariam* his verbis inscriptam: S. P. Q. R. IMP. CAE. QUOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. A. D. E. quæ notant: *Senatus Populusque Romanus Imperatori Cæsari, quod Viæ munitæ sunt ex ea pecunia, quæ jussu Senatus ad Ærarium delata est*. Ex quibus constat, Augustum præcipuum fuisse auctorem Viarum sua ætate munitarum, cum ipsius honori *arcus triumphales*, *columnæ milliariæ* & *nummi* hanc rem signantes sint dedicati: ad Vias muniendas Pecuniam ex ærario quoque publico petitam fuisse: ab eo jam tempore Italiam & Provincias Viis munitis fuisse ornatam, ut conjicere licet ex verbis illis generalibus: *Quod Viæ munitæ sunt*. At hi tres nummi in eo differunt, quod primus pro epigrammate habeat in circumferentia: L. VINICIUS. L. F. III VIR. *Triumvir* scilicet ille fuit *Auro*, *Argento*, *Æri*, *Flando*, *Feriundo*. Alter epigrammate caret. Tertius hæc ostendit: CN. CINNA. MAGNVS. III. VIR & is scilicet Triumvir monetalis fuit, cujus cura hi nummi sunt cusi. Verum ecce tibi ipsos nummos ex Schotto depromptos:



8. Restat, ut verbum adjiciamus de nummo Trajani, quem solum vidi, ob Vias munitas, ejus honori cusum; num alii exstent præter hunc, nescio. Hic autem est pulcherrimi artificii & subtilissimi. Aversa ejus facies ostendit figuram muliebrem seminudam, quæ recumbit super fornice, qui pontem videtur referre, & dextra rotam, sinistra arundinem præfert: subscribitur VIA TRAIANA. Hæc figura, secundum vulgarem opinionem, exhibet insignem aliquam Viarum a Trajano munitarum. Quidam volunt esse eam, quam munivit in Hispania ab Asturica Cæsaraugustam, quamque innuit *Itinerar. Antonin. p.* 100. hoc titulo:

Ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugustam: & quam nonnulli lapides prisci *Viam Trajanam* appellant. Alii putant esse illam Viam, quam a Benevento Brundisium fecit: verum sunt iterum alii, qui muliebri figura recumbente putant exhiberi Viam, quam per Pomtinam paludem fecit, de quo opere admirando diximus supra *sect.* XVII. §. 8. Unde in ejus rei signum *sinistra arundinem*, quæ frequens est ad aquas palustres, præfert. Si in re dubia divinare licet, putem, ista figura muliebri significari & ostendi ipsam *Paludem Pomtinam*, quæ recumbit ad crepidinem pontis, quasi victa magnanimis Trajani ausis, qui, præter omnium spem & opinionem, hanc paludem exaggeravit, & qua complanari & transiri commode non poterat, pontibus junxit, ut vecturam admitteret, quod *rota*, quam *dextra* præfert, designat. *Arundo* in manu *sinistra* non tam Viam, quam *Paludem* designat, siquidem Via exsiccata, munita & strata nihil omnino progignit. Sed cuique esto arbitrandi pro judicii abundantia libertas. Nummum ipsum hic exhibeo, ex



Hic adjungere commode liceat, quod, cum Trajanus admirabilem illum Danubio Pontem imposuisset, ut jungeret Vias Militares, quas in Pannonias deduxerat, quo de Ponte agemus *lib.* IV. *sect.* 38. §§. 8. 9. 10. quod, inquam, ejusdem Imp. honori nummus fuerit cusus, cujus aversa facies exhibebat istum pontem. Obiter hoc addere volui, quia Viarum partem nobilem constituunt pontes, utpote qui Vias jungunt. Nummum ipsum hic adjicere visum est ex



SECTIO XXVI.

Historia fabulosa Calceiarum Brunehildis, vulgo Chaussees de Brunehaut, in Gallia Belgica.

1. *Duæ opiniones fabulosæ de Viis Publicis Galliæ Belgicæ, quæ vulgo vocantur Viæ Brunehildis.* 2. *Unde Viæ istæ Publicæ dictæ sint* ferrez, *id est*, ferratæ. 3. *Poetæ nonnulli adulantur Principibus.* 4. *Nicolai Reucleri Poema Heroicum.* 5. *Alii fabulosi scriptores, eorumque, in Historia Hannoniæ, fabulæ & commenta.* 6. *Jacobi de Guise opinio de auctoribus Calceiarum Brunehildis.* 7. *Vulgaris opinio Populi Hannonii de hisce Calceiis.* 8. *Columna & Tabula marmorea in foro Urbis Bavais a quo loco dicuntur incohari & proficisci septem Calceiæ Brunehildis.* 9. *Nomina Urbis Bavais, & ficta ejusdem obsidio, quam Julius Cæsar infeliciter ad eam susceperit.* 10. *Fabularum harum refutatio & veritatis assertio.*

1. SI ulla sit antiqui Imperii Romani provincia, in qua adhuc exstent Viæ Publicæ a Romanis munitæ, profecto Gallia nostra Belgica primo loco veniet, in qua ab omnibus hæ Viæ teruntur sub nomine *Calceiarum Brunehildis*, aut *Viarum Ferratarum*, nostratibus *Chaussées de Brunehault*, vel *Chemins ferréz*. De his multæ tam in circulis & vulgari sermone, quam in scriptis & libris circumferuntur fabulæ, sed neutiquam sibi consonæ, nedum veritati Historicæ. Qui de his Viis scripserunt, fingunt *Brunehaldum*, priscum quendam Belgarum Regem, qui harum Viarum sit auctor: at qui vulgo de his Viis in circulis garrire solent, avitam tuentur mordicus & a majoribus acceptam fabellam, earum auctorem fuisse *Brunehildem* Reginam, *Sigeberti* Regis *Austrasiæ* uxorem.

2. Plebs rustica has Vias appellare solet *ferratas*, sermone vernaculo *Chemins ferréz*; sive ob operis duritiem & firmitatem, quod abhinc XV. aut XVI. sæcula a vecturæ impetu mansit integrum; sive ob colorem calculorum, qui, vel integri, vel fragmentis, Viæ insternunt superficiem, & maximam partem subnigri & ferruginei sunt coloris: plane uti in Hispania Via Publica prope Salamanticam vocatur *Via argentea*, quia instrata & consolidata est calculis candidis. Neque vero dubito, quin restent adhuc plura per Imperii veteris provincias Viarum Publicarum vestigia & reliquiæ, per Europam, Asiam, Africam, quibus singulorum locorum populi ex ignorantia affingant pro lubitu nomina & auctores. Sed in illis regionibus jam peregrinari non lubet; libet iter facere per solam Galliam nostram Belgicam, &, quæ a nobis exiguo separatur freto, vicinam Britanniam magnam; cum Britanni non minus etiam, quam Belgæ fabellas de hisce Viis suis Publicis venditent.

3. Initium faciemus a fabulis, quæ de Viis Publicis Galliæ Belgicæ jactantur. Ante vero, quam iter hoc ingrediamur, notandum erit, semper fuisse aliquos Poetas, qui ut Regibus & Principibus sui temporis & suæ patriæ placerent, iisque, quantum per artem suam poterant, gratificarentur, plurima in eorum gratiam confinxerunt, ipsorum genus ab ipsis Diis arcessendo, aut Heroibus Gentilium, præcipue ex Trojanis fabulis & ævo heroico: & quo magis valerent hæ fabulæ & commenta, ex veteri Poesi Græca captarunt varia nomina, ad quæ puerilibus conjecturis alludere solebant; aut & ad illa detorquebant nomina urbium fluviorumque propria regionis, cui præerat ille Princeps, cujus in gratiam adulatoria hac vanitate nugabantur.

4. Talis in Hannonia ante CCCC. &, quod excedit, annos fuit Poeta quidam *Nicolaus Reucleri*; qui, ut placeret Comitibus Hannoniæ suæ ætatis, & Equestri ordini Hannoniæ gratificaretur, eosque extolleret ac ornaret, tanquam ab ultima antiquissimæ stirpis origine oriundos, eosdem a nescio quo heroe Trojano, *Bavone*, Priami patruo, deducit: atque, ut splendide nugaretur, Poema conscripsit Heroicum versibus Leoninis, sæpe ob captatas voces similiter desinentes contortis & inutili verborum copia turgidis. Fingit itaque, *Bavonem* fuisse insignem vatem & magnum, qui miserabile Trojæ fatum præviderit, Priamoque, licet non credenti, etiam prædixerit. Quod post Trojam incensam sicut

cæteri Trojani heroes plerique, nonnulla cum manu, quæ exitium evaserat, mari se commiserit, & totum Mediterraneum permensus, fretum Herculeum enavigaverit, & Hispaniam Galliamque prætervectus ad oras *Flandriæ* sit delatus, ubi exscensu de navibus in terram facto, ulterius progressus in locum ipsi divinitus patefactum, condiderit Urbem, quam de suo nomine dixerit *Bavasium* sive *Bavacum*, quæ hodie sit *Bavais* in *Hannonia*. Quod in ipso Urbis ejus medio & quasi umbilico ædificarit templum septem plagis murorum distinctum, & sacrum septem Planetis, seu stellis errantibus. Quod in hujus templi medio dedicarit & poni curaverit columnam heptagonam sive septem angulis præditam, a qua, ceu communi puncto & centro, inchoarit & recto itinere, circum illam columnam, per totum Orbem pergere jusserit ad extremos usque ejus terminos septem Vias Publicas, quæ ab hac in templo origine per septem Urbis plateas totidemque portas porrigebantur. Lubet exempli caussa nonnullos hujus Poetæ versus addere:

Rex fuit immensus quondam, qui nomine dictus
BAVO: de genere insignis Priami fuit ille.
Trojæ post miseros luctus, ignesque fecundos,
Per maria, a sociis Asiæ transvectus ab oris,
Venit, in extremis ubi sol se condit in undis.

Alibi de *septem* illis *Viis Publicis* sic canit:

Rex septem calles immensos, regna petentes,
Jussit, & in gyrum per totum pergere mundum.

5. Brevi post *Reucleri* tempora spatio exorti sunt alii quidam scriptores, qui Historias promittebant, & fabellas narrabant, quique non parum hæc commenta commendarunt credulitati posterorum. Tales fuerunt quidam *Clarembaldus*, *Hugo Tullensis* & *Lucius Tungrensis*, quorum postremus etiam *Bavonis* imaginariam concinnat genealogiam, & affirmare non dubitat, quod hunc quinto loco per successionis ordinem exceperit Rex Belgarum *Brunehaldus*, qui vixerit tempore Salomonis, illiusque ætati fuerit æqualis; atque ab hoc *Brunehaldo*, non autem *Bavone*, Brunehaldi tritavo, *septem* illas *Vias* Urbis *Bavais* fieri jussas: hinc etiam easdem appellari vernaculo sermone *Chausées de Brunehault*. Imo audacter adjungit, harum Viarum quatuor ab illo munitas & stratas esse tegulis & lateribus quadratis, *Viam* scilicet *Jovis*, *Martis*, *Solis* & *Veneris*; reliquas tres marmore aut lapidum nigrorum ramentis, *Saturni* nempe *Viam*, *Mercurii* & *Lunæ*.

6. *Jacobus de Guise* ex sodalitio *Minorum* Franciscano, Valencenas Hanno, qui vixit sub Philippo Bono, Burgundiæ Duce & Belgii Principe, bona fide credidit veras esse fabulas *Reucleri* & *Lucii Tungrensis*, & operose hos fabulatores conciliare studet *lib. 1. des Chroniq. de Hainaut & Antiquité de la Gaule Belgique*. Ait enim, verum quidem esse, a *Bavone*, qui Urbem *Bavais* condiderit, inchoatas esse magnas illas *Calceias* sive Vias Publicas, sed easdem a *Brunehaldo*, quinto Belgarum Rege, fuisse perfectas, a quo per totam Galliam Belgicam cognominatæ sint *Calceiæ Brunehaldi*.

7. Utique vulgaris per Hannoniam vicinasque regiones est opinio, *Brunehaldum* istum fuisse magum commercio cum Dæmonibus familiari nobilem, qui, cum cœnosis lutosisque locis & paludibus, quibus ea tempestate major Galliæ Belgicæ pars quasi inundabatur, sæpius impediretur in ducendis exercitibus, has *Calceias* tam longas latasque a Dæmonibus exorarit, easque sui Dæmonis familiaris ope triduo perfecerit. Guicciardinus *in Descript. Belgii* simile quid prodit de quadam Via

A Publica munita, quam a Tungris Lutetiam Parisiorum pergere ait.

8. *Carolus Bovellus* tandem, Ambianensis Picardus, qui Urbem *Bavais* ipse lustravit, & singula in illis locis pro sua virili suoque judicio perquisivit, aliquem hisce fabellis colorem porro allinit *lib. de hallucinatione Gallicorum nominum cap.* 23. Sic enim ibi tradit: *Fert ejus Regionis Vulgus, in eo loco quondam post Bavonem regnasse quendam nomine Brunehaldum, vulgo* Brunehault, *arte quidem, instar Juliani Apostatæ, Magum & Dæmonum amicum: qui, cum sæpe palustrium viarum difficultatibus offenderetur, impetrasset a familiari*
B *Dæmone, ut quod humana opera vix perfici posse animadvertebat, id concita & repentina Dæmonis opera impleretur: scilicet, ut per omnem Galliam ab ejus Regni sede insignes & Publicæ Viæ lapidibus sternerentur: & ne fabulæ (si fabula est) auctoritas desit, in eo loco, quem incolæ Bavais vocant, in medio ejus foro, exstat hodie columna lapidea,* (videtur quasi alludere ad *Milliarium Aureum*, quod Augustus in foro Romano posuerat) *& super columnam marmorea tabula, sub qua ab incolis inchoare omnium hujusmodi Viarum capita proferuntur, quæ ab eo loco in omnes Galliæ partes & sublimi & recto*
C *tramite exporriguntur.*

9. Atque hæc sunt, quæ circa originem & progressus priscæ hujus fabulæ potui indagare. Adjiciam illis, Urbem *Bavais* in *Hannonia* esse illam, quæ in *Itinerar. Antonin. p.* 85. appellatur *Bagacum*, & Ptolemæo in *Nerviis* Βάγακον, secundum sententiam Petri Divæi, Suritæ *ad Itin. Anton. p.* 5.6. aliorumque. Verum equidem est a Petro Apiano tradi, *Bagacum* esse urbem *Tournay*; at hoc vero minime est simile, cum in hoc ipso Itinerario occurrat nomen *Turnaci*, quod sine dubio Urbem *Tournay* designat, quæ ibi a *Bagaco* dicitur distare M. P. XXIV. interjecto loco, cui nomen *Pons Scal-*
D *dis*. Cæterum omnes, qui nostra ætate de ista Urbe *Bavaco* scripserunt, uno quasi ore testantur, etiam hodie ibidem superesse plurimas antiquitatis reliquias, & rudera magnificorum ædificiorum; quæ ipsa res forsan occasionem præbuit Scriptoribus, quos ante in medium vocavi, ut fabellas illas de *Bavone*, ejusque imaginariis successoribus confingerent studio: item fabulæ illi vulgi popularis sermonibus tritæ, Urbem illam a Julio Cæsare obsidione fuisse cinctam, tandem post sex menses expugnatam & funditus excisam: qua in obsidione & expugnatione Cæsar plus militum amiserit, quam omnibus Galliis pacandis. Unde lepidam
E fabellam fabellæ addunt, uti alteram altera juvet, ne ipse Cæsar buccina foret suæ cladis, ideo in suis *de Bello Gallico* commentariis hoc vulnus ibi *Bavaci* acceptum silentio prætermisisse.

10. Verum enim vero ut tandem ex fabularum erroribus pedem referamus, & regiam historicæ veritatis viam pergamus, id constat, ideo Cæsarem *Bavaci* mentione supersedisse, quia illius ævo nondum Urbs ista celebrabatur, non magis profecto, quam quæ hodie sunt per Belgium Urbes amplissimæ, pulcherrimæ & celeberrimæ, quippe quæ omnes diu post, uti & Viæ Publicæ, sunt condi-
F tæ. Sane Julius Cæsar toto isto octo annorum bello, quod in Gallia Belgica gessit, ne quidem unicam in Belgio urbem adnotavit. Non erant illo tempore, nisi, ut ipse vocat, *vici* per Belgium nulla munitione septi, sive sparsæ per agros separatim in eadem vicinia casæ atque domus; hinc etiam in ejus commentariis nullam ullius Urbis in Belgio obsidionem legimus excepto *Atuaticorum* oppido, quod natura egregie munitum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque habebat, quem locum cunctis oppidis castellisque de-

fertis munierant duplici altissimo muro, qua de re legi potest ipse Cæsar *de B. G.* II. 29. Lipsius verba faciens de operibus tam *Urbis*, quam *Calceiarum Bavaci*, & ridens fabulas populares de Regibus *Bavone* & *Brunebaldo*, omnia illa Romanis adscribit, qui ea manu legionariorum militum & populorum Provincialium perfecerunt, & in hæc verba tandem exclamat, *de Magnitud. Roman.* III. 10. *Ab ignaros & incredulos Romanorum Operum! qui hæc talia militari manu & Provincialium item subsidio supra omnem fidem patrabant.* B

SECTIO XXVII.

Alia opinio de Calceiis Brunehildis.

1. *Prima caussa, cur Viæ Publicæ Galliæ Belgicæ adscribantur Brunehildi Reginæ Austrasiæ.* 2. *Altera caussa, ejusque testes Sigebertus & Guaguinus.* 3. *Locus ex Chronico MS. Monasterii S Bertini apud Belgas.* 4. *Refutatio & explicatio ejusdem.*

1. FAma communis & vulgata est de Viis Publicis Galliæ Belgicæ, quod *Brunehildis*, filia *Athanagildi* Regis Visigothorum in Hispania, & uxor *Sigeberti* Regis Austrasiæ, illas muniri curaverit; quam famam duabus ex caussis potissimum exortam suspicamur. Prior est, quod, cum *Nicolaus Reucleri*, *Lucius Tungrensis* & *Jacobus de Guise* sint scriptores obscuri, fabulosi & stylo minime terso; genealogia item illa supposita *Bavonis*, complexa tot Reges imaginarios, paucissimis innotuerit: e contrario *Gregorius Turonensis*, *Haimo Monachus*, aliique Auctores in vulgus noti, in Historia Galliæ Francicæ celebrent *Brunehildem* Reginam, non tam propter virtutes, quam ejus perfidiam, nequitiam, veneficia & crudelitatem in sanguinem Regium Franciæ; hinc forsan ortum habuerit, uti illi, qui Vias hasce Publicas a *Brunehilde* audirent cognominari, facilius mentem fidemque adjicerent *Brunehildi* Reginæ per Historias notæ, quam *Brunebaldo*, Regi fabuloso, de quo nihil unquam audiverant, nominum similitudine decepti. C D

2. Posterior caussa est, quod disertis verbis Historiæ monumenta testentur, Reginam hanc ædificandi & operum publicorum fuisse studiosissimam; quod complures Ecclesias, Basilicas & Monasteria magnifica exstruxerit & condiderit; inter alia, tria Monasteria D. Vincentio sacra, quorum primum est Lugduni in Galliis, alterum Augustoduni in Burgundia, postremum Lauduni apud Picardos; ne commemorem plura, quæ D. Martino dedicavit, quam præprimis coluit & venerata est. Audi hac de Regina Sigebertum Gemblacensem *ad Annum Salutis* IƆLXXIIX. *Quæ quamvis esset ita insolens*, tamen Dei Ecclesias honorabat; plura etiam *Sanctorum cœnobia fundavit, & ædificia admirandi operis construxit, ut miraculo fuerit, tanta ab ea fieri potuisse.* Guaguinus, cum recensuisset nonnulla ædificia & monasteria, quæ passim in regno suo Brunehildis condiderit, admirans, qua ratione fœmina illa, quæ solam quartam Galliæ Francicæ partem habebat, opera adeo magnifica potuerit perficere, hæc *in Chronic.* subjungit: *Ita ut si impensam cum Brunehildis fort una conferas, mireris sane, tot uno sæculo Templa, assignatis proventibus, mulierem exædificare potuisse.* Fama horum piorum operum ipsam quoque Italiam pervaserat ejus ætate, & D. Gregorium Magnum excitavit, ut ad illam literas daret, quæ adhuc in ejus Gregorii *Epistolis* leguntur, plenissimæ laudum *Brunehildis*, ob singularem scilicet ejus pietatem. E F

3. Fama hæc vulgata de operibus ædificiisque publicis *Brunehildis* facile potuit sequentium sæculorum nonnullos induxisse, ut sibi persuaderent, *Calceias* sive Vias illas Publicas, ut cognomine, ita & ipso opere, esse *Brunehildis*. Hac de re nihil equidem in libris offendi, nisi in *Chronico MS.* magnificæ & ditissimæ in Belgio *Abbatiæ S. Bertini*. cujus exemplum possideo liberalitate *Richardi de Wite*, Angli, Viri non minus genere, quam pietate & eruditione nobilis, cum viveret, JC. & Professoris in Academia Duacena, qui idem conscripsit *Historiam Angliæ generalem*. Scriptor ergo illius *Chronici MS.* postquam narraverat tragicam *Brunehildis* mortem, & nonnulla *Sigeberti* verba mutuatus erat, hisce pergit verbis: *Hic finis Brunechildis fuit, quæ licet insolens esset & periculosa, Ecclesias tamen honorabat. Ecclesiam sancti Vincentii Laudumensis fundavit; multa etiam opera miranda construxit, inter quæ Stratam Publicam de Cameraco ad Atrebatum, hinc ad Morinum & usque in mare, usque ad Withandum fecit, quæ* Calceia Brunechildis *nominatur usque in hodiernum diem.*

4. Quo Auctore hujus *Chronici* Scriptor hæc tradat, equidem nescio: neque enim *D. Gregorius Turonensis*, qui Brunehildis ævo vixit, neque *Haimo Monachus*, neque *Sigebertus Gemblacensis*, neque cæteri Historiæ Francicæ scriptores hæc Viarum opera illi Reginæ adscribunt, quamvis de illius studio ædificandi haud taceant. Saltem Scriptor *Chronici Bertiniani* exiguam illi partem adscribit harum Viarum Publicarum; cujus forsan partis appellatio *Calceiarum Brunehildis* per errorem toti, qua porrigitur & excurrit, Viæ fuit postea attributa, ad quem nonnihil conferre potuit, fama illa communis de ædificiis & operibus admirandi operis, quæ illa Regina construxisset.

SECTIO XXVIII.

De veris Auctoribus Viarum Publicarum per Gallias.

1. *Augustus Cæsar primus aperuit & munivit Vias Publicas per Alpes.* 2. *Alpium brevis descriptio, item populorum Inalpinorum ævo Augusti.* 3. *Alpinæ gentes a Romanis postremæ sub Imperium reductæ.* 4. *Quo modo Augustus illas pacaverit.* 5. *Augustus duplicem Viam Publicam ab Alpibus Lugdunum in Galliis fecit.* 6. *Pax terra marique parta per Augustum, & eidem a S. P. Q. R. dedicatum in Alpibus Tropæum.*

1. SAtis fabularum fuit de Viis Publicis Galliæ Belgicæ; accedamus tandem ad veritatem, & ex certioribus Historiarum monumentis demonstremus Auctores Viarum Publicarum & Militarium, non solum per Galliam Belgicam, sed & reliquam Franciam, quæ nobilissimam & maximam Galliarum partem continet. Hæ enim Viæ Publicæ non solum exporriguntur per Provincias Galliæ, quæ Francorum regno parent, sed & per Provincias vicinorum Principum, tam in Gallia Belgica, quam Narbonensi. Non hic repetam, quæ supra *sect.* IX. §. 1. & 2. dixi de *Via Domitia*, quæ inter primas est ultra Alpes, Auctore *Domitio Ahenobarbo* A. U. C. IƆCXXIX. sed me conferam ad illas Vias, quas Augustus Cæsar in ipsis Alpibus partim e vivo montium saxo exscindi, partim alibi pavimento muniri & consolidari cura-

vit, idque inenarrabili & labore & sumptu, adjuvantibus hoc opus pluribus Legionibus, quæ vel ipsæ manum admovebant, vel operas ab insultu hostili Alpinarum gentium defendebant, quæ subinde hoc opus turbabant, probe gnaræ, in eo versari cardinem suæ ruinæ.

2. Sciendum quippe est, Alpes, quæ Italiam a Gallia separant, occupare amplissimum terrarum tractum ad formam lunæ crescentis, cujus pars convexa & exterior est ad Gallias, concava & interior ad Italiam. Has Alpes Augusti ævo incolebant plurimæ gentes nondum pacatæ, quæ rapto & latrocinio vivere adsuetæ transeuntibus perquam infestæ erant, & subinde hostili agmine ipsos Romanos exercitus euntes aut redeuntes ex Italia in Gallias, & ex his in illam, adoriebantur. Sic Decimum Brutum a Mutina fugientem coegerunt, ut data viritim drachma sese redimeret: Messalam quoque, cum juxta illos hyemaret, pro raptis ad comburendum lignis, itemque ulmis, ad hastilia tyronibus exercendis, precium pendere adegerunt: aliquando & ipsius Cæsaris pecunias diripuerunt, locorum ingenio, asperitate & præcipitio audaces in quosvis: imo & Romanorum Publicanos, qui auri ærisque fodinas exercebant, aquam hos in usus necessariam emere præsenti pecunia coegerunt.

3. Mirum sane est, quod, postquam Romani jam pacarant nationes remotissimas Europæ, Asiæ, Africæ, quadraginta aut quinquaginta ad summum minores gentes Alpinæ, quæ quasi ad portas Romæ habitabant, ausæ fuerint lacessere toties populum terrarum victorem & potentissimum. Videtur profecto, has gentes, quæ sola rupium inaccessarum fiducia audaces erant, reservatas fuisse extremo Romanorum triumpho & victoriæ, nec debuisse ab alio sub Imperium redigi, quam ab Augusto, cum pulcherrime floreret rebus secundis; qui pace alioquin terra marique parta adversus hos montes & rupes demum expeditionem suscepit, ut aves hasce rapaces quasi nidis suis detraheret & deturbaret.

4. Cum vero incommoda Viarum asperitas spem vetaret felicis eventus; nonnullas enim ad partes limes adeo angustus & præceps erat, ut & viatoribus & jumentis, præsertim insuetis, vertiginem oculorum afferret: hoc ipsum caussam Cæsari Augusto præbuit, ut quemadmodum ante Hannibal, per suos homines fauces & rupes Alpium aperiret, & per eas Viam muniret Militarem, uti feras hasce gentes in ipsis suis deprehenderet latibulis. Molimen sane operosi laboris, magnæ impensæ, magnanimæ audaciæ; nec Principis, cui mediocres tantum sint potentiæ vires, verum opus potius Gigantum. Strabonem audi, qui præter ea, quæ supra commemoravimus, hæc tradit *lib.* IV. *Geogr. pag.* 371. *edit. Latin. Amstelæd. Augustus Cæsar ad latronum delendas insidias, magnum, quantum licuit, Viarum apparatum apposuit: non enim propter vastissima petrarum ingentium ubique Naturam violare fas fuerat, cum hinc quidem supra Vias imminerent, hinc autem irruerent; adeo ut perparva ab ingredientibus evitari descrimina nequeant, incumbentibus in tam profundas fauces casibus.* Sic bellum prius cum saxis & rupibus, quam cum hostibus fuit, neque aliter hi superari potuerunt, quam apertis & munitis hisce Viis Militaribus: hinc Gentes illæ ante indomitæ tandem sub imperium redactæ, & commoda enata, quæ idem Strabo *l. l.* his verbis recenset: *Hac autem ætate* (scripsit hæc Strabo quarto Tiberii anno A. U. C. IƆCCLXXI.) *aut deleti sunt, aut mansuetiores facti penitus* populi Alpini, *ut, cum antea transcensus per eorum montes pauci & difficiles essent, nunc multis ex locis per eos, mortales & tuti & transitu faciles propter eorum apparatum habeantur.*

5. Harum itaque Viarum ope feras & innumeras has Gentes Alpinas Augustus cubilibus suis excussit; quas inter excellebant Salassi, quorum regio hodie vernaculo nomine est *Val d' Aosta*, cæteris major & amplior, profundam utrimque vallem agrumque claudentibus rupibus; quamvis eorum quoque pars in superiora extendatur cacumina. Per hanc vallem montesque Viam aperuit & munivit Augustus, quæ ex Italia est una, sed hic in Gallias bifariam dividitur, & Lugduni rursus coit. altera prolixior per Centrones ducit, qui hodie sunt *Tarantasii*; altera brevior per Pœninum (sic enim dicitur) ducit per Alpium summitates jumentis inaccessa, teste Strabone *l. l. pag.* 378. *Ubi vero ex Italia supra conscenderis, Via in exteriorem Galliam & ad septemtriones est, quæ per Salassos ducit Lugdunum. Ea vero bifariam est; altera quidem prolixior, plaustro permeabilis per Centrones; altera vero recta & angusta, compendiariaque per Pœninum.*

6. Victoria hæc adversus tot Gentes Alpinas virtute Romana & beneficio Viarum Militarium parta, fuit quasi ultimus Imp. Augusti labor, qui hanc expeditionem ipse sumpserat, quæ feliciter gesta tandem bona fide pacem terra marique peperit, in cujus signum brevi post Augustus Jani templum clausit. In honorem tanti boni publici S. P. Q. R. Augusto dedicavit in summo Alpium cacumine, quod est inter majorem & minorem montem, qui hodie a *S Bernardo* cognominatur, Arcum triumphalem & Tropæum magnificum: cujus hæc est Inscriptio, tradente Plinio *H. N.* III. 20.

IMPERATORI. CAESARI. DIVI. FIL. AVG. PONTIFICI
MAXIMO. IMP. XIIII. TRIBVNICIAE. POTESTATIS
XXIV. S. P. Q. R. QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIIS
QVE. GENTES. ALPINAE. OMNES. QVAE. A MARI
SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT. SVB. IMPE
RIVM. POPVLI. ROMANI. SVNT. REDACTAE
GENTES. ALPINAE. DEVICTAE
TRIVMPILINI. CAMVNI. VENNONETES. ISARCI. BREVNI
NAVNES. FOCVNATES. VINDELICORVM. GENTES
QVATVOR. CONSVANETES. VIRVCINATES. LICATES
CATTENATES. ABISONTES. RVGVSCI. SVANETES
CALVCONES. BRIXENTES. LEPONTII. VIBERI
NANTVATES. SEDVNI. VERAGRI. SALASSI. CENTRO
NES. ACITAVONES. MEDVLLI. VCENI. CATVRIGES
BRIGIANI. SOGIVNTII. EBRODVNTII. NEMALONI
EDENATES. ESVBIANI. VEAMINI. GALLITAE. TRIV
LATTI. ECTINI. VERGVNNI. EGVITVRI. NEMEN
TVRI. ORATELLI. NERVSI. VELAVNI. SVETRI

Subjungit eodem loco Plinius: *Non sunt adjectæ Cottianæ Civitates* XIII. *quæ non fuerunt hostiles; item attributæ municipiis lege Pompeja.*

SECTIO XXIX.

De auctore cæterarum Galliæ Viarum Publicarum.

1. *Agrippa Augusti gener cæteras Galliæ Vias fecit.* 2. *Ex Urbe Lugduno Vias est partitus.* 3. *De illarum numero, tam Militarium quam Vicinalium.* 4. *Quatuor Viæ præcipue ab Agrippa munitæ.* 5. *Primæ longitudo.* 6. *Et Secundæ. Tiberii per eam velocissimum iter.* 7. *Tertiæ, quæ omnium longissima.* 8. *Et Quartæ longitudo.* 9. *Post Augustum nonnulli Impp. Vias Galliæ muniverunt.*

1. GAlliæ Vias Publicas ad Lugdunum usque jam lustravimus; videamus porro, quando & a quibus porro sint perfectæ & productæ usque Oceanum, qui Galliam hinc alluit tam ad septemtriones, quam ad occasum; & illinc usque ad montes Pyrenæos & mare Mediterraneum. Id ergo ut videamus, legendus erit Strabo sub finem *libri* IV. *Geographiæ*, ex quo discemus, hoc opus, ut Herculeæ fuit audaciæ, sic & ad sui perfectionem eguisse Hercule quodam, qui Jovi suo proximus esset. Fuit iste Hercules Augusti gener *Agrippa*. Hic qualis quantusque Vir fuerit, dicet nobis Dio Cassius *lib.* LIV. *pag.* 605. ubi ait, quod *Augustus quodammodo Agrippam ad Imperium provexerit*; quod *eidem cum alia fere, quæ sibi, tum tribuniciam potestatem itidem ad quinquennium dederit*, quam deinde *in aliud quinquennium prorogarit*, *pag.* 619. Cæterum fuit hic Vir omnium suæ ætatis hominum citra controversiam optimus, citra vanitatem sapiens, citra ambitionem potentissimus amicitia Augusti: & præter hæc, qui optime nosset situm Provinciarum, earumque per singulas partes ingenium, addictissimus architecturæ & rei ædificatoriæ, præcipue vero & maxime operibus Viarum Publicarum, quibus adeo delectabatur, ut singulis annis continuis aliquam Viam muniret; cujus rei locuples est testis idem Dio Cassius *lib.* LIII. *pag.* 586. *Anno*, inquit, *sequenti* (U. C. ɪↄcc. XXIIX.) *Augusto* VIII. *& Statilio Tauro Coss. Agrippa, quia nullam Viam sternendam susceperat, Septa dedicavit.*

2. Cum ergo in distributione Viarum a Socero ejus facta, Gallias ipse ornandas accepisset, serio manum operi admovit, donec Gallias quaquaversum ornasset Viis adeo bene & solide munitis, quales adhuc hodie in plurimis Galliarum partibus admiramur, ut vecturæ continuæ & triti itineris impetum potuerint ultra XVI. sæcula sustinere; cumque per vias factas & transitus ab Augusto per Alpes apertos iter jam esset ductum usque ad Urbem Lugdunum, quæ propter confluentes peropportuna erat emporio nobili & celeberrimo, ideo Agrippa hinc, tanquam a principio, partitus est Vias quas ipse muniri curavit, easque circum in omnes Galliarum oras deduxit.

3. Numerus earum Viarum diversis modis putari potest. Sunt enim aliæ in immensam longitudinem porrectæ, quæ per Gallias transmeant, & conjunguntur cum aliis Viis, quæ ducunt in Italiam, in Hispanias, in Pannonias; aliæ vero in Portus exeunt. Iterum aliæ sunt Viæ Vicinales & transversæ, quæ a Militaribus majoribus, ceu rami a trunco, exoriuntur, & eum in finem factæ sunt, ut commode exercitus de loco in locum duci, & ut urbes majores secum mutua communicare possent facilius commercia, quæ hisce Viis Vicinalibus quasi connectuntur, quarum vero numerus iniri facile non potest.

4. Quod vero attinet ad Vias præcipuas, principes, & maxime notabiles, tales Agrippa quatuor fieri curavit, quæ spectabiles sunt tum longitudine, tum operis difficultate. Illarum enim unam per *Cemmenos Montes*, qui hodie nobis sunt vernaculo sermone *les Montagnes d' Auvergne*, in interiora perduxit Aquitaniæ: Alteram secundum Rhenum, qua decurrit, usque ad Oceanum, qui fluit ad septemtriones: Tertiam per Burgundiam, Campaniam, Picardiam usque ad Oceanum occidentalem: Quartam per tractum Narbonensem usque ad oras Massiliæ. Didicimus hæc ex Strabone, qui eopse tempore æqualis Agrippæ vixit, cujus hæc adscribere verba lubet ex *Geograph. lib.* III. *pag.* 378. *Cæterum Lugdunum in medio, instar Arcis, situm est, cum ibi amnes confluant, & partibus omnibus propinquum sit. Ea propter Agrippa hoc ex loco partitus est Vias: unam quæ per Cemmenos montes, usque ad Autones & Aquitaniam: aliam ad Rhenum: tertiam ad Oceanum & Bellovacos & Ambianos: quarta ducit in agrum Narbonensem litusque Massiliense.*

5. Verum paullo propius lustremus harum Viarum longitudinem. Initium faciamus ab ea, quæ per *Cemmenos Montes* ducit. Hi montes incipiunt prope Lugdunum, aliaque loca juxta Rhodanum sita, inprimis ad confluentes Rhodani & Isaræ, unde recta excurrunt pæne ad montes Pyrenæos per *milliaria Italica* CCL. & ultra; quæ *leucas nostrates* faciunt CXXV. Tantum enim spatii conficiunt *stadia bis mille*, quibus Strabo, utpote Græcus, hos montes metitur initio *lib.* II. *Geograph. pag.* 320. *Cemmenus vero mons in Pyrenen medios per campos recta perducitur, & in medio desinit prope Lugdunum ad stadiorum millia duo prolixus.*

6. Altera priore multo longior, ad confluentes Rheni & Mosæ, & ubi hi fluvii porro in diversos canales & alveos diffunduntur atque tandem in Oceanum Germanicum effluunt, excurrit. Procul dubio est illa ipsa Via, qua, incredibili & plane admiranda velocitate nocte ac die, longissimum iter CC. M. P. quæ C. leucas nostras faciunt, vehiculis tribus, in via pro more illius temporis dispositis, Tiberius Nero emensus festinavit ad Drusum Fratrem ægrotantem in Germania inferiore, quam rem tanquam miraculum celeritatis narrat Plin. *H. N.* VII. 20.

7. Tertia omnium longissima fuit, plurimisque Viis stipata Vicinalibus, quibus & hodie teritur Gallia Belgica. Integra videri potest in *Itinerario Antonini*, *pagg.* 81, 82. de loco in locum Urbesque interjectas, spatiis distinctis perducta, a *Lugduno* usque ad *Portum Gessoriacum* per ɪↄ. IV. M. P. quos idem Itinerarium juxta exponit per *Legas Gallicas* CCCXXXIIX. Quæ reddunt nostrates *Leucas Francicas* CCLII. ut alibi latius ostendemus. Cæterum hæc Via pergebat Lugduno Trecas, seu Trecassium Augustobonam, caput Campaniæ, per Burgundiam, unde transibat Cabillonum, Remos, Suessiones, Noviodunum & Ambianum, a quo terminabatur Bononiæ ad mare, ubi celebris olim ille *portus Iccius* vel *Gessoriacus* fuit, ad litus Morinorum, qui hodie sunt *Flandri* & qui circum *Teruannam*, quos *Morinos* hinc Virgilius *Æn.* VIII. 727. appellat *extremos hominum*.

8. Quarta & ultima harum Viarum decurrebat secundum Rhodanum ad mare Mediterraneum, terminabaturque in portu Massiliensium, de quo hæc Strabo Geogr. *lib.* IV. *pag.* 324. *Phocæensium vero ædificium est Massilia, petroso in loco sita, cui*

quidem portus subjacet ; saxum videlicet in theatri forma ad austrum spectans.

9. Post Augustum ejusque generum Agrippam non dubito, quin plures Impp. Romani Viis Galliæ Publicis porro muniendis operam dederint ; id quod accuratius nossemus, si columnæ milliares per eosdem in Viis dispositæ, eorumque titulis inscriptæ ad nos pervenissent. Sed tempus, quod, ut omnia, sic & lapides eorumque Inscriptiones tollit & delet, pæne omnem illarum notitiam abstulit : rarissimæ enim hodie exstant, quarum quatuor Inscriptiones eruditus ille Arvernorum Præses Savaro mihi submisit. Harum duas, quarum altera *Tiberii* Imp. meminit, altera nescio cujus *Cæsaris Principis Juventutis*, attulimus supra *Sect.* xv. §. 7. & *Sect.* xx. §. 4. Quantum ad duas reliquas, earum prior est *Perignaci* ad *Alleram* fluvium, posterior apud *Gevaudanos*, hisce verbis :

1.

I. CAES. DIVI. TRA
IANI. PARTHICI. FIL
DIVI. NERVAE. NE. Ↄ
RAIANVS. HADRI

2.

IMP. CAES.
M. CAS. LAT
POSTVMO
P. F. AUG. COS
M. P. GABALL. V.

SECTIO XXX.

Historia cum fabulosa, tum vera de Viis Publicis Britanniæ.

1. *Camdeni de Viis Publicis Britanniæ testimonium.* 2. *Anglorum fabulæ super hisce Viis.* 3. *Cadmenus eas ad Romanos refert.* 4. *Conjecturæ, quando cœperint muniri.* 5. *Forsan Hadrianus, ut murum per* XXC. M. P. *ita & Vias Publicas per Britanniam fecit.* 6. *Septimius Severus & Vias & Pontes ibidem fieri curavit.* 7. *Et murum Picticum, per transversam insulam, utrumque ad fines Oceani per* CXXXII. M. P. 8. *Conjecturæ super Viis Publicis ex Spartiano & Venerabili Beda deductæ.* 9. *Nomina quatuor Viarum Publicarum, quas in Britannia tempore Honorii & Arcadii ferunt factas.* 10. *Camdeni verba super excellentia harum Viarum.*

1. CAmdenus, qui tam docte & eleganter magnam descripsit *Britanniam*, testatur Vias Publicas olim ab Impp. Romanis munitas per omnem Insulam, multis in locis adhuc exstare : *Viæ*, ait in descr. Britanniæ sub Romanis, *nostræ militares, nunc alicubi interscissæ, rusticis inde glaream effodientibus, vix apparent : alibi per avia & pascua ducentes, alto aggere sunt conspicuæ.*

2. Consolidatio, eminentia & longitudo harum Viarum, quæ humanis viribus majora videntur, æque apud Magnæ Britanniæ incolas, præcipue illos, qui post sub *Anglorum* nomine innotuerunt, atque apud Belgas, fabulis viam aperuerunt. Testis idem Camdenus : *Vulgus nostrum opera Romanorum, gigantum esse dicunt, quos sua lingua septentrionali* Eatons, *pro* Heathens, *quasi Ethnicos, ni fallor, vocitant.* Scilicet non poterant sibi persuadere, hæc adeo magnifica & prolixa opera esse vulgarium hominum. Guillelmus certe Monumethensis *in Historia Bruti*, fabulatur auctorem Viarum harum nescio quem Regem *Mulmutium*, ex Bruti progenie ortum, diu ante natum Christum : hunc fuisse insignem magum, atque opera dæmonum artiumque magicarum perfecisse id,

A quod humanas vires superabat ; Vias scilicet per universam Britanniam Publicas paucorum dierum spatio permunivisse, opere adeo firmo & admirando, ut ad suam usque ætatem plerisque in locis integrum perdurarit, spectantibusque stuporem injecerit.

3. At multo rectius Camdenus *l. l.* fabulis hisce subjicit : *Sed tantum abest, ut fidem adhibeam, ut confidenter dixerim, Romanos paullatim substruxisse.*

4. Et recte quidem ait Vias hasce *paullatim substructas*, utpote nec eodem tempore, nec ab eodem Imperatore. De Claudio Imp. testis est Sue-

B tonius, *in ejus vit. c.* 17. quod primus *post Divum Julium tentarit Britanniam, ac sine ullo prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto, quam profectus erat, mense Romam redierit, triumpharitque maximo apparatu.* Credibile est, ab eo tempore per Magistratus Romanos in hanc insulam missos muniri cœpisse Vias Publicas Domitiani certe ætate complura Viarum opera per Provinciales perfecta erant, quorum inde natas querelas retulimus supra *sect.* x. §. 9. ex Tacito *in vit. Agricol. cap.* 31.

5. Hadrianus & Septimius Severus Impp. primi post Claudium Britanniam intrarunt ; quorum

C prior, ut vero est simile, Vias Publicas munivit, æque ac murum exstruxit. Hunc nominat diserte, illas vero innuere videtur Spartianus *in vit. Hadrian. cap.* 6. *In Britannia multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret.*

6. Septimius Severus Britanniam intravit senex, expeditionem sumpturus in Barbaros seditiosos, qui partem insulæ habebant, quæ olim *Caledonia* fuit, hodie vero audit *Scotia*. Vias ab eo Imp. ibidem munitas fuisse discimus ex Herodiani *lib.* 11. *Historiar.* ubi de hac Severi expeditione verba facit : *In primis tamen* Severus *curæ ha-*

D *buit pontibus occupare paludes, ut stare in tuto milites facileque per eas discurrere possent, atque in solido præliari. Siquidem Britanniæ pleraque loca frequentibus Oceani alluvionibus paludescunt. Per eas igitur paludes Barbari ipsi natant, excursantque ad ilia usque demersi, ac pleraque corporis nudi cœnum contemnunt. Neque enim vestis usum cognorunt, sed ventrem atque cervicem ferro incingunt; ornamentum id esse ac divitiarum argumentum existimantes, perinde ut aurum cæteri Barbari. Quin ipsa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis anima-*

E *lium ; quocirco ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant. Sunt autem bellicosissima gens, atque avidissima cædis, tantum scuto angusto lanceaque contenti, præterea gladio nudis corporibus dependente : loricæ ac galeæ penitus ignorant usum, impedimentum id esse transgrediendis paludibus arbitrantes, quarum vaporibus æstuque cœlum ibi semper caliginosum. Ad hæc Severus nihil non comparat, quod usui Romano militi, quod detrimento barbaris impedimentoque foret. Ubi vero satis sibi esse ac parata omnia intellexit, juniorem filium, Getam nomine, in parte insulæ Romanis subjecta reliquit, ut juri dicundo rebusque civilibus administrandis praeesset, eique consiliarios ex amicis natu grandibus reliquit, An-*

F *tonino secum adversus Barbaros educto. Transgressa igitur Romano exercitu amnes aggeresque eos, qui objecti Barbaris Romanorum fines disterminant, pugnæ quædam tumultuariæ fiebant & excursiones, victore ubique Romano.* Hæc ille.

7. Sed præter cæteros aggeres admirabilis plane est ille, quem Severus immensa longitudine & altitudine fieri curavit, supraque eum, qui disterminaret provinciam Romanam & nondum pacatos, murum adversus *Pictos*, sive hodiernos *Scotos*, un-

de

de *muri Pictici* nomen est toti operi, quod inter utrumque Oceani litus habet CXXXII. M. P. non vero tantum XXXII. M. P. ut vitiose numeros hos exhibent Aurelius Victor & Baptista Ignatius. De hoc opere ita Spartian. *in Severo c.* 5. *Britanniam, quod maximum Imperii ejus decus est, muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit. Unde etiam Britannici nomen accepit.*

A

8. Illud sane extra controversiam videtur collocandum, ante Severum Vias per Britanniam fuisse plurimas non solum munitas, sed & pro more ornatas, etiam adjectis *mansionibus*, quibus Imperatores, cum per has Vias Militares exercitum ducerent, obiter *manere* & interquiescere solebant. Duos testes idoneos damus, alterum Spartian. in *Sever. cap.* 8. quæ *proximæ mansionis post murum apud vallum in Britannia* meminit, ad quam redierit Severus. Alterum Bedam, quem Venerabilem vulgo adnominant, ortu Britannum, Patriæque suæ Historiographum, qui inter opera Romana non obliviscitur Vias Publicas, his verbis: *Habitabant intra vallum, quod Severum trans insulam fecisse commemoravimus ad plagam meridianam; quod civitates, fana, pontes & stratæ ibidem factæ testantur.*

9. Camdenus scribit, reperiri in Anglia MSS. antiquas schedas, ex quibus discatur, *aliquos calles* ibidem *factos diebus Honorii & Arcadii Impp.* per transversam Insulam *a mari ad mare*, sive ab uno litore ad aliud excurrentes; additque idem Camdenus, errare illos Historiæ Britannicæ scriptores, qui tantum quatuor Vias Publicas per totam Britanniam enumerant, cum hinc inde complures per eam Insulam visantur. Illi, qui quaternarium nobis obtrudunt numerum, primam volunt factam a *Vitelliano* quodam Romano, cujus præter nomen nihil adscribunt, ab eoque dictam Viam vernaculo sermone *Watlingstreat*, & *Werlamstreat* ab Urbe, quam transit; alteram *Ikenildstreat*, ab *Icenis*, a quibus capit initium: tertiam, quod utrimque *fossis* muniretur, dictam esse *Fossas*: quartam *Erminstreat*, quasi dixeris, *Mercurii Viam*, quem prisci Germani, Joanne Opsopæo referente, sub nomine *Irminsul*, quod est *Mercurii columna*, adorarint.

B

10. Verum Camdenus, qui ipse Britannus est, & curioso oculo lustravit & inquisivit Vias hasce Publicas, earumque formam, ait plures ejusmodi passim per magnam Britanniam reperiri. *Summæ*, inquit *l. l. certe sunt admirationis & munificentiæ, imprimis vero murus Pictìcus, & Viæ illæ admirando opere omnem regionem, alicubi desiccatis paludibus, alibi aggeratis vallibus, munitæ & constratæ, ea latitudine, ut concurrentia sibi invicem vehicula libere exciperent.*

FINIS LIBRI PRIMI.

NICOLAI BERGIERII DE PUBLICIS ET MILITARIBUS IMPERII ROMANI VIIS LIBER II.

AD PERILLUSTREM DOMINUM DE VIC, Sigillorum FRANCIÆ Custodem.



Philosophus ille, Perillustris Domine, cui admiranda scripta Divini cognomen pepererunt, in Timæo affirmat, Deum valde fuisse lætatum, cum, perfecto hoc rerum Universo, cerneret Cœlum motu primo circumverti, Terramque & reliquas Universi partes conspirare ad finem, quem illis æterna præscripserat sapientia. Non alia putem Cæsaris Augusti animum immortalia opera agitantem lætitia perfusum, cum sui Imperii provincias Militaribus Viis permunivisset, vidissetque cursores publicos in iisdem dispositos, faciles Exercituum transitus, & alia commoda publica & privata, quæ harum Viarum continuo beneficio ex ipsa Urbe Domina ad extremos Imperii fines exundabant. Series equidem illa Viarum continua nobis hodie ignoratur, & incredibilis etiam videretur, nisi foret substrata veterum

Auctorum testimoniis, & confirmata ipsis reliquiis Viarum, quarum rudera quoque sunt admiranda. Uti vero olim hæc opera Auctori suo Augusto insignem attulerunt voluptatem; ita non dubito, quin & Tuus animus, Perillustris Domine, rerum sublimium avidus & capax in voluptatis hujus partem venire possit, contemplando formam materiamque horum Operum; numerum & longitudinem, quæ vix mente concipi possunt; præcipue autem maximam utilitatem, quæ hinc in Imperium universum redibat. Hæc etiam in Galliam nostram redire posset, Viarum munitio prisca quod si restitueretur, si non ubique, saltem in celeberrimis itineribus & maxime tritis cujuscunque Provinciæ Viis. Novimus Te, Perillustris Domine, præclare pro re & bono Patriæ publico animatum. Unde etiam velut in tabella, Tibi exhibemus hic Viarum Militarium Romanarum numerum, continuationem, longitudinem immensam; quas uno quasi conspectu videbis Roma exire, hinc per Italiam omnesque Romani Imperii provincias continuari, tanta spatiorum locorumque diffusione, ut cæteris, quas orbis antiquus habuit, miraculis, palmam auferant, & unice per excellentiam Miraculum *dici mereantur. Hanc vero libri mei partem tanto lubentius Illustri Tuo nomini inscribo, ut tanto liberius apud Te gaudium meum testificer, quod Rex noster Optimus Te suo ipsius judicio, bonoque nostræ Galliæ, ob diuturna & plurima de Patria merita, ad id honoris, quo fulges, fastigium provexerit; in quo non minus porro splendebit togata in regnandi arte sapientia tua, quam in sago quondam Illustris Herois, Fratris Tui, virtus effulsit. Hunc sane delatum ad Te honorem, Patriæ, Tibi, sibique gratulari debent omnes boni cives. Inter eos ego studio quodam præcipuo, quem ante hos quatuor annos Remis dignatus es ad Te arcessere, familiares mecum super arcubus & ornamentis triumphalibus Regi inaugurando apud nos, me opellam aliquam addente, dedicatis, nec non Antiquitatibus Remensibus miscere sermones; insigni deinde benevolentia, imo & ipso opere, testatus es animum mihi faventem. Injuriam itaque Tuis erga me meritis facerem, si illa in hoc opere meo indicta silentio transirem, nec ullam ejus partem Tibi dicarem; quod placiturum vel sola materiæ spondet antiquitas & excellentia. Harum namque elegantiarum, & quicquid antiquitas habet egregii, perfectissima Tibi est notitia. Vale, Perillustris Domine, bono publico, & rem feliciter gere.*

SECTIO I.

Materia & Forma Viarum Publicarum argumentum Libri hujus secundi.

1. Transitus ad Librum secundum. 2. Materia & Forma Viarum Publicarum difficilis investigationis. 3. Similitudo ab ædificantibus desumta, qui Materiam prius parant.

1. Ecensuimus *Libro primo* Auctores Viarum Imperii Romani Publicarum, sive, ut cum Scholis hodiernis balbutiamus, *Caussam efficientem* illarum; jam nos ordo vocat ad earum *Materiam*, ex qua substructæ fuerunt: & *Formam*, secundum quam Materia pro serie per coria fuit digesta & disposita, ut in unum veluti corpus consolidaretur sui generis, quod a cæteris differret, nomine *Viæ Publicæ*, non a natura casuve, sed hominum manu, opere & destinatione; non communis qualiscunque, sed stratæ & E munitæ.

2. Hoc ergo *Libro secundo* caussas, ut iterum cum vulgo Scholarum loquamur, *Materialem* & *Formalem* persequemur, & ostendemus clarissime, vix fuisse ullum opus per universum Orbem, cui plus materiæ fuerit adstruendum, & cui in hac disponenda & ordinanda dicandum plus patientiæ, laboris, industriæ. Argumentum tanto magis obscurum & difficile, quanto minus lucis ex Historiarum affulget monumentis, cum paucissimi exstent Auctores, qui satis exacte & distincte diversitatem Materiæ, ex qua Viæ Publicæ substructæ erant, ob oculos ponant: multoque minus, qui F Materiæ secundum singula coria in Viis ordinandæ rationem recenseant.

3. Eo tamen ordine, pro virili, hoc de argumento disputabimus, ut ingenuis Lectoribus aliqua ex partem faciamus satis. Imitabimur itaque Architectos, eosq; qui insigni ædificio exstruendo manum admovent. Hi enim ante Materiam accumulant; lapides, ligna, & reliqua necessaria ad opus destinatum, quam ædificent: sic etiam non instruemus prius

apparatum variæ Materiæ ad Vias muniendas necessariæ, quam eas ordine per straturam muniamus & substruamus. Initium faciemus a *Materia* minore & leviore, & progrediemur ordine naturæ ad majorem, graviorem & magis necessariam, quas deinde secundum coriorum variam seriem in ordinem digeremus, dabimusque operi perfectam tandem inde *Formam*.

SECTIO II.

Divisio generalis Materiæ ad Vias Publicas in duas species: & de harum priore specie.

1. *Divisio generalis Materiæ ad Vias Publicas in graviorem ac crassiorem, & leviorem ac minorem.* 2. *Quatuor genera differentia Terræ.* 3. *In omni Terra tres partes, Limus, Argilla, Arena: modus hæc superandi.* 4. *Limus, pars Terræ levissima & fœcundissima.* 5. *Argilla, per se sterilis Terram fertilem reddit.* 6. *Arena, Terræ pars siccissima & gravissima.* 7. *Differentia inter Arenam & Sabulum. Sabuli natura.* 8. *Arenæ natura & soliditas.* 9. *Arenæ tria genera: Fossitiæ iterum tres species.* 10. *Aristoteles de Arenæ soliditate & firmitate testimonium.* 11. *Calcis natura ejusque coquendæ inventio.* 12. *Mistura & temperatura Calcis cum Arena & Testa tusa.*

I. UT, dum lustramus variam ad Vias Publicas Materiam, ordo clariorem accendat lucem, generatim illam in duas species partiemur. Prior habebit *Materiam minorem & leviorem*, quæ cæteris jungendis, uniendis & coagmentandis adhibetur: posterior *Materiam graviorem & crassiorem*, quæ per illam modo dictam jungitur, unitur & coagmentatur. Ad hanc refero lapides, majores, minores, ut *Silicem & Glaream*: ad illam vero *Terram communem, Calcem, Arenam & Testam tusam*.

2. Ut ergo a *leviori Materia* initium faciamus, notandum est *Terram*, sic proprie dictam, & *Lapidem* non esse ubique ejusdem generis. Quadruplicem differentiam annotavit Vitruvius *Archit.* II. 6. *Omnibus locis & regionibus non eadem genera Terræ, nec Lapides, nascuntur: sed nonnulla sunt Terrosa, alia Sabulosa, itemque Glareosa, aliis locis Arenosa.*

3. *Terrosum* genus appellat Terram, quæ proxime ad *Terram communem* accedit. Hæc quamvis videatur omnium purissima & simplicissima præ cæteris, vix tamen ulla terra adeo mistionis expers reperietur, in qua non tres species possint distingui, & separari altera ab altera. Has Hebræi melius sua lingua, quam nos, distinxerunt triplici nomine, teste Vigenario *in lib. vernaculo de Igne & sale part.* I. ארץ, *Erez*, quæ proprie *Limum* denotat; *vide Pont. Thyard. de recta Nomin. impositione*; ארמה, *Adamah*, quæ *Argillam*; & יבשה, *Jab baschah*, quæ *Arenam* significat, quæ maxime est *arida*: unde Sacræ Litteræ Terram simpliciter *Aridam* nominant. Imo sane admisceas Terram communem aquæ, & illam eluas sæpius, & turbidum limum, quem hausit aqua, in aliud vas transfundas subinde, tandem nihil tibi in fundo residebit, præter *Arenam*, quæ sua gravitate semper fundum petet.

4. Quod ad *Limum*, levissima illa, sed fœcundissima Terræ pars est, quæ exsiccata facilius in pulverem redigitur. Ex hoc formatum est corpus humanum, unde sæpe in SS. Literis homo dicitur *pulvis* & *in pulverem reversurus*. Fœcunditas *Limi* vel exinde satis apparet, quod innumera ex eo enascantur animalcula.

5. *Argilla* pars Terræ tenacior est, &, si venia verbo sit, glutinosior, quæ difficilius in pulverem redigitur. Hæc per se sterilis, Terram tamen, quemadmodum & cinis, fertilem reddit, calefaciendo scilicet ac pinguefaciendo Terram: qua de caussa & Virgilius *Georgic.* I. 81. monet agricolam, ne ipsum pudeat.

Effœtos cinerem immundum jactare per Agros.

Ad eundem finem & *Argilla* in usum venit. In Megarico agro utebantur hinc candida Argilla, quam illi *Leucargillon* vocant, teste Plinio *H. N.* XVII. 7. qui *ibid. cap.* 6. tradit in Britannia & Gallia Terram emendari *Marga*, quam velut *Terræ adipem spissioris ubertatis* esse ait. Glutinosa illa *Argillæ* indoles caussa fuit, ut vocaretur in usum ad excoquendos inde lateres, testas & cætera opera figulina.

6. *Arena*, licet siccissima, tamen ponderosissima Terræ pars est. Unde Regum sapientissimus *Proverb.* XXVII. 3. secundum Vulgatam: *Grave est saxum, & onerosa Arena*: hinc &, cum Terra eluitur, fundum petit *Arena*. Grues quoque & coturnices impetuoso vento sese arena saburrant, ne vehementi a vento volantes auferantur; uti solemus saburrare naves, ut pondere hoc minus sint obnoxiæ subversioni. *Arena* his de caussis videtur ipsi quoque Terræ substerni pro basi, fundamento & solidatione; uti etiam firmat & solidat, cum calci permiscetur, ne diffluat aut humiditate diluatur. Videtur itaque Regius Vates in Hymnis suis ad rei veritatem de Deo cecinisse, quod *manus ejus aridam fundaverint*, cum in siccitate & pondere Arenæ præcipue sita sit Terræ firmitas atque soliditas.

7. Quod ad *Sabulum* attinet, quamvis plerique hoc cum Arena sæpius commisceant, noster tamen Architectus paullo ante distinxit *loca sabulosa* & *arenosa*. Differunt ergo, si proprie loqui velimus, *Sabulum* & *Arena*. Nonnulli volunt *Sabulum* esse speciem arenæ crassioris, quam est vulgaris, quæ & vulgo *Arena grossior* vocatur: videatur Franc. Grapaldus *l.* I. *de partib. ædium cap.* I. Verum si utriusque naturam accuratius excutiamus, illud reperiemus, quod *hoc* propius accedat ad terram, *illa* ad lapidem. *Sabulum* enim ex minutis illis arenulis constat, seu candicantibus seu flaventibus, quibus uti solemus ad exsiccandum a scriptura atramentum, quæ nihil sunt aliud, quam terra cocta & paullatim vi caloris solaris exsiccata: unde & major ejus copia reperitur in regionibus calidioribus, quam frigidis, aut temperatioribus. Sic in Africa reperias loca deserta vasta & ingentia, ob sabulum, quod illa occupat, quodque a ventis huc illuc instar fluctuum marinorum agitatur. *Sabulum* itaque propter suam siccitatem Terræ pars est maxime sterilis, cum siccitas maxime sit contraria humiditati, quam generationis omnis originem & fontem affirmant Philosophi. Hinc Thales & Pythagoras aquam ajebant omnium rerum esse primam & primævam materiam, unde rerum primordia cœpissent, per calorem adjuta, ut testantur Diog. Laert. *in Thalet.* Arist. *Physic.* I. 2. Cic. *Acad. QQ. lib.* II. Idem sentiebant, sed Poetarum more canentes, Homerus & Virgilius, cum Oceanum dicunt omnium rerum Parentem. Sabuli itaque sterilitas loca, quæ occupat, reddit deserta; hinc, cum fere litora obtineat marina, proverbio dicimus *litus arare* cum Ovid. *libr.* XV. *Metam.* pro vanam operam perdere; nulla enim cultura Sabulum reddere poterit fertile. Præterea siccitas ista & orbicularis rotun-

ditas particularum Sabulosarum in culpa est, cur ab ædificiis rejiciatur, cum propter siccitatem extremam nulla humiditate possit cogi, nec propter rotunditatem usquam adhærescere aut confirmari: adeoque tantum abest, ut ad Viarum Publicarum opera adhiberetur, ut etiam debuerit ibi Via declinare, ubi occurrebat nimium Sabulum, ipsumque amoveri, ut locus fieret materiæ firmiori & solidiori, uti postea videbimus, cum de via Domitiani disputabimus, Sectione XXVII.

8. Notabilis ergo inter *Sabulum* & *Arenam* intercedit differentia, cum *illud* propter siccitatem & rotunditatem gradum reddat instabilem, & facillime sub pedibus dilabatur atque diffluat quasi; *hæc* autem *Arena* e contrario, cui humidum inest primigenium, quæ extrema habet angulosa & inæqualia, corpus, cui commiscetur, confirmat & stabile reddit. Imo suo ipsius ingenio adeo firmiter subsistit, ut, cum primum Vias Publicas munirent Romani, aliquas ex mera *Arena* facerent, cui paullo post addiderunt *Glaream*. Arena etiam non adeo ad Terram accedit, uti Sabulum, sed revera lapidis est rudimentum, a quo soliditatem suam habet; atque, si proprie loqui velimus, videtur Arena esse in minores particulas & minuta corpuscula confractus & concussus lapis: id quod & Aristotelis confirmat auctoritas *Problem. Sect.* XXIII. *artic.* 33. ubi quærit interprete Gaza: *Cur lacus Arenam faciat vel nullam, v l minus, quam mare & fluvius*: & respondet: *An quia saxa in mari consistunt, & terra deusta maxime est; Arena autem saxum in parva minimaque perfractum est, quod ictu fluctuum frangitur. At in lacu saxa non æque consistunt pura sinceraque, neque frangi itidem possunt, eo quod fluctus non pari modo excitantur. Sed in fluviis confici arenam potius dixerim, quoniam terram hi detrahunt, saxaque suo fractu perfringunt.* Unde Leo Albertus, cum *de re ædificatoria* II. 12. multa disputasset super natura Arenæ, non male concludit: *Si quis me roget*, ait, *quidnam esse arenam statuam, fortassis dixero, eam esse, quæ majoribus confractis lapidibus, minutis constet lapillasculis.*

9. Cæterum non in mari aut fluviis solum reperitur Arena, sed & in terra, quæ *loca Arenosa* vocavit supra Vitruvius: unde tria Arenæ genera idem facit *de Archit.* II. 4. *Fossitiam*, *Fluviaticam*, *Marinam*. Ad structuras optima est *Fossitia*, quæ est quatuor specierum, *nigra*, *cana*, *rubra*, *carbunculus*. Hic ultimus Terræ, quæ in montibus reperitur, species est, temporis tractu per calorem solis ignemque elementarem, uti vocant, sive ab imo vehementia vaporis adustæ, excoctæ & desiccatæ, *mollior, quam tophus; solidior, quam terra*, ut loquitur Vitruv. *l. l.* II. 6. est autem in Hetruriæ montibus & vallibus frequens carbunculus.

10. Arenam vero esse aptissimam ad confirmanda & consolidanda corpora, quibus permiscetur, præcipue ad Viarum pavimentorumque opera, constat, præter ipsa experimenta quotidiana, etiam ex Aristotele *Problem. Sect.* XXIII. *artic.* 29. ubi quærit: *Cur litora fluctuosiora solida sæpe efficiantur, adeo ut plane pavimenta videantur: & ut solida sunt, quæ frequentia fluctuum concalluerunt, ita pars remotior soluta sit admodum & cedens*: & respondet: *An propterea, quod fluctus arenam non minutissimam, sed majusculam procul ejicit, ut & manus non quod minimum est, id maxime longe jacere potest. Tum etiam, cum permulta & varia promiscue conquatiantur versenturque, pars minimorum interlapsa spissat atque consolidat: mox fluctus residentis motio nihil propterea protrudit, sed opprimit pavimentatque. Ergo quod exigua procul exsilire non queunt, incidit, ut ex parvulis moles coagmentetur, quæ quoniam motu frequenti agitata est, continua redditur, arena scilicet interlapsante prætenui, dum compages contentione perpetua consistat, cum fluctu ultimo pavimentatur, & humor leniter sensimque irrorans conglutinet: at pars seposita oræ arida, disgregatur & finditur; lapillis etiam constat majusculis minusque complanata est.*

11. Restat, ut verbum adjiciamus de *Calce*, quæ quidem cæteris tenuior, sed simul aptior est materia ad opera compingenda, consolidanda & confirmanda, teste Vitruv. II. 5. & olim vulgo adsumta ad Vias Imperii Publicas muniendas. Notum vero est, *Calcem* non esse solius naturæ opus, uti est & Arena & Sabulum; sed partim esse industriæ & artificii humani, quo illa fit ex silicibus maxime albis, aut saxis durioribus, excocta eorum per ignis fervorem humiditate. Inventa autem *Calx* est, cum experimentis constitit, nec Terram puram & simplicem, nec Arenam sufficere cæmento satis firmæ compagis, & quod cum duriore lapide ac nonnihil polito possit firmiter coalescere. Itaque saxa ipsa in pulverem redegerunt, si forsan hac ratione commixta Terræ aut Arenæ possent firmiter compaginare, &, ut ita dicam, conglutinare structuras: verum factis experimentis, ab hoc structuras minime compaginari compertum est. Quare prius cœperunt silices & saxa conjicere in ignem, ut ibi hujus vehementia amitterent nimiam humiditatem, cæteraque impedimenta, quibus ratione suæ substantiæ atque indolis ad structuras minus conveniebant. Belle res successit. Conjecta enim in fornacem exurebantur, ita ut exemta, permanente eadem magnitudine excocto autem liquore, circiter tertia parte ponderis imminuerentur. Exusta autem vehementi ignis fervore relinquebantur, liquore illo, qui in saxorum corpore fuerat, dissipato & excocto, patentibus foraminibus & inanibus; habebantque in se residuum calorem latentem, qui contrariis qualitatibus sese ostendit, humida scilicet & frigida. Aqua enim injecta, eaque in foraminum raritates penetrante, confervescunt; deinde resoluta in pulverem, arenæ mixtionem recipiunt, & ita cohærescunt, siccescendoque cum cæmentis coeunt, & efficiunt structurarum soliditatem & durabilem firmitatem. Hinc etiam bonæ *Calcis* notæ petuntur, teste Alberto *de re ædificatoria*. III. 4. nam *Calcem*, ait, *quæ ex fornace apportata glebis fuerit non integris, sed resolutis, reprobant: eam probant, quæ ignibus perpurata, candicans & levis & sonora sit; quæve, cum aspergas, multo crepitu acrem vaporis vim in altum evomat.*

12. Calx autem exstincta & in pulverem redacta diversimode commiscetur cum Arena, qua de re videndus *l. l.* Vitruvius. Arenæ enim fossitiæ tres partes & una Calcis confunduntur; si autem illa sit fluviatica aut marina, duæ partes Arenæ in unam Calcis conjiciuntur, sic ut Calx in hac temperatura paullo major sit, quam in illa, ob Arenarum harum humorem. Imo ut Materiæ temperaturam meliorem ad usum efficerent, hisce Arenis, fluviaticæ & marinæ, testam tusam & succretam, sive incerniculo cribratam ex tertia parte adjiciebant. At hæc temperatura non ita usurpata fuit in Viarum Publicarum munitionibus, & fere non nisi in Pontium Portuumque operibus, aliisque ædificiis, quæ inserviebant *stationibus* juxta Vias Publicas.

SECTIO III.

De natura & indole Glareæ, deque differentia, quæ est inter hanc, & reliquam Materiam, cujus est usus in Via Publica munienda.

1. Glarea crassior est Arena & Sabulo. 2. Calculosa terra, quæ effoditur in Campania Gallica, vulgo Greve *dicta, continet Arenam & Glaream: differentia inter loca pinguia & glareosa. 3. Glarea distinguitur ab Arena & Silice, teste Plinio. 4. Glarea medium tenet inter Arenam & Silicem. Arenæ, Glareæ, Saxi, Silicis vocabula subinde ambigua. 5. Glarea & Silex aliquando eadem notant, aliquando diversa & opposita. 6. Tibullus Glaream & Silicem diversa facit. Quid in Viis Publicis sit Glarea, quid Silex.*

1. HActenus disputavimus *de locis Terrosis, Sabulosis* & *Arenosis*, ut ea appellabat Vitruvius, restat, ut disputemus & *de Glareosis*, ut idem appellat, quæ huic loco servavimus postremo, cum *Glarea* sit crassior & solidior Terra communi, Sabulo & Arena; id quod ex Vitruvii verbis colligimus II. 4. *Sin autem non erunt Arenaria, unde fodiatur, tum e fluminibus, aut e glarea erit excernenda.*

2. Campaniæ nostræ structores calculosæ quoddam terræ genus effodiunt in quibusdam regionis hujus locis, quod ipsi *Gréve* appellant: hoc recens effossum continet *Arenam* & *Glaream* conjunctim; verum illi cribro utramque secernunt, sic ut Arena, utpote exilior & magis terrosa, transeat facilius, ex qua coagmentum deinde faciunt. Crassior vero pars magis lapidosa & saxosa, quam terrosa, remanet, quam proprie *Glaream* puto esse eam scilicet, quam Vitruvii Interpres Gallicus reddit *Terre-Glaire*, at Plinii, *Gravier* vel *Gravois*. Illud certum est, a Plinio distingui *solum purum & pingue* a *solo calculoso & glareoso*. Namque de oleis Hispaniæ & Italiæ verba faciens ait *H. N.* XVII. 4. *Glareosum oleis solum aptissimum in Venafro: pinguissimum in Bætica.*

3. Cæterum uti Materia ad structuras Viasve Publicas apta a minoribus ad majora procedit, inde apparet *Glaream* esse crassiorem majoremque *Arena*, cum hæc a *Glarea* separetur cribro arenario; imo, si proprie velimus loqui, *Glarea* non est saxum, neque silex, quamvis magis accedat ad saxum, quam Sabulum aut Arena. Id quod ad oculum evidenter apparet, si quis certam Terræ communis quantitatem diluat & eluat. Aqua enim recens infusa sæpius iteratis vicibus, postquam limum & argillam eluerit, reddet residuam in fundo vasis duplicem, eamque diversam Materiam, quarum altera est *Arena*, composita ex particulis minutis atque exilibus, quæ Arenam sic depuratam & lotam Terræ adhuc similiorem faciunt: altera Materia constat ex minutis calculis & exiguis lapillis, qui evidenter saxi naturam præ se ferunt. Verum in pavimentis atque structuris revera distingui solent a saxis, & *Glarea* vocari, atque in ea differentia attenditur non tam substantiæ, quam exiguæ quantitatis, molis & magnitudinis ratio. *Glaream* enim ingenio suo saxum esse nativum, quamvis eo nomine in structuris non censeatur, colligere licet ex Plinio. Hic enim *H.N.* XVII. 12. de arboribus serendis & transferendis, atque scrobibus faciendis verba faciens ait: *Aliqui lapides rotundos subjici malunt, qui & contineant humorem & transmittant: non item planos facere & a terreno arcere radicem existimantes. Glarea substrata inter utramque sententiam fuerit.* Idem agens de scaturiginum natura, aquarumque hinc

A differentia hæc *H. N.* XXXI. 3. narrat: *Aqua semper dulcis in argillosa terra, frigidior in topho. namque & hic probatur; dulces enim levesque facit, & colando continet sordes. Sabulum exiles limosasque promittit. Glarea incertas venas, sed boni saporis. Sabulum masculum & Arena carbunculosa certas, stabilesque & salubres. Rubra saxa optimas speique certissimæ. Radices montium saxosæ & silex, hoc amplius rigentes.* Ex duobus hisce Plinii locis notabilis apparet differentia, inter *Sabulum, Arenam, Glaream, Saxa, Rupes, Silices*, quorum singula diversam habent in transmittendis aquis indolem.

B 4. Clariorem si quis petat *Glareæ* expositionem, naturam, ingenium; ei regeremus esse Materiam mediam inter Arenam & Silicem, quæ minus ad Terræ naturam accedat, quam Arena, minus etiam ad naturam Saxi, quam Silex: adeo, ut forsan dicere liceat, *Glaream* esse instar Arenæ crassioris, & instar minutorum Silicum. Accursius *ad L.* I. π. *de Via Publ. & Itin. Publ. refic.* in definienda Glarea commiscet Glaream, Sabulum, Lapillos. *Glarea*, ait, *est Sabulum cum parvis lapillis*. Sane cum hæ materiæ natura sua valde sint vicinæ, Auctores hinc subinde hæc nomina confundunt: sic sæpe *Sabulum* & *Arena*; *Arena* & *Glarea* & *Silex*, ob

C similitudinem vicinam naturæ, alterum in alterius migrat significationem. *Silicis* quoque vocabulum ambiguum est: modo enim minutos illos silices levigatos & politos notat, modo lateres majores, modo saxa majora, eaque vel rudia, vel quadraria & sectiva, quæ ad structuras & pavimenta adhiberi solent, & proprie *Saxa* vocantur, licet & hæc vox sit subinde ambigua. *Saxum* enim dicitur quadratus lapis seu rudis seu politus; tum & quandoque *Saxa* sunt rupes sive cautes, quæ vel super Terræ solum rigentes eriguntur, vel in ejusdem Terræ visceribus latent, quales sunt ingentes illæ

D moles, sive marmoris, sive alterius generis lapidum, quæ in lapicidinis exciduntur, ut post hæc videbimus. Breves ut simus, si ad majora a minoribus procedamus, reperiemus in idoneis Auctoribus, vocem *Arenæ* aliquando sumi pro *Sabulo*, aliquando pro *Glarea*; vocem *Glareæ*, tum pro *Arena*, tum pro minoribus *Silicibus* & lapillis aliis; vocem *Silicis* subinde notare *Glaream*, subinde & *Rupem*: sic ut singula mutuentur quandoque nomina maxime vicina. E contrario quandoque stricte singula proprietatis suæ ordinem, & significationis diversitatem servant, & sibi opponuntur.

E 5. Hujus tam differentiæ, quam ambiguitatis, quam modo dicebamus, manifesta videbimus exempla, speciatim quoque circa opera Viarum Publicarum. Id ipsum quoque nos impulit ad horum Vocabulorum expositionem & distinctionem ante in clariori luce ponendam, quam disputaremus de Viarum Materia & Forma, quas hoc libro persequemur, in quo occurrunt nobis *Silex* & *Glarea*, quandoque eandem rem notantes, quandoque diversas & contrarias. Licet enim parvuli illi calculi leves & quasi politi, qui sive integri sive fragmentis dispersi reperiuntur per Terræ superficiem, revera sint naturæque suæ ingenio *Silices*, tamen in

F Viarum materia sæpissime opponuntur *Silicibus*, quorum nomen ob molis suæ parvitatem amittunt, & differentiæ caussa *Glareæ* accipiunt.

6. Sufficiet hoc loco nobis sola Tibulli auctoritas, qui *Elegiar.* I. 60. Messallæ Viarum Publicarum Curatoris facta celebrans canit:

Nec taceant monumenta Viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic Glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte Silex.

Neque putandum est, hic per *Glaream* intelligi solum vulgarem Arenam calculosam; sed innuit hac voce minutorum Silicum congeriem, tam fractorum, quam integrorum, cæterorumque lapillorum, qui etiam hodie videntur in superficie & supremo corio Viarum Publicarum cum in Gallia, tum in aliis Provinciis, quos minutos Silices opponit Tibullus Silicibus quadratis majoribus, sive sint rudes, sive secti & expoliti, quibus muniebantur Viæ tam in Urbe, quam extra illam celebriores. Hi sunt *silicei* illi *lapides*, quorum meminit Procopius, verba faciens de Via Appia, *lib.*I. *de bello Gothico*, quæ doctissimus Lipsius *de Magn. Rom.*III. 10. exponens, *Silicem*, ait, *intelligit, durum asperumque lapidem, & e rupibus: non illum minutum & tenuem, quem vulgo vocamus, & qui in Glaream potius venit.*

SECTIO IV.

De altera parte Materiæ, quæ Viis Publicis muniendis inserviebat, Lapidibus sectis & rudibus, Saxis & Silicibus.

1. *Divisio Materiæ crassioris ad Vias Publicas adhibitæ in Lapides, qui sparsim per Terræ superficiem reperiuntur, nec non qui in lapicidinis e rupe viva exciduntur.* 2. *Tres species Lapidum horum excisorum.* 3. *Prima species Mollium.* 4. *Altera Temperatorum.* 5. *Tertia Durorum.* 6. *Ultima nomine Saxi & Silicis Vias Publicas muniebat.* 7. *Saxum pro lapide e lapicidina molli exciso etiam venit.* 8. *Quid Scopulus, Ara, Rupes, Murex, Strobilus, Crepido.* 9. *Quid Silex. Varii modi hujus cædendi & expoliendi, atque ad structuras adhibendi.* 10. *Silex fuit præcipua ad Vias Publicas Materia: differentia inter expolitum quadrarium & tudite aut malleo ruditer confractum Silicem.* 11. *Hujus posterioris tres species, & quomodo ad Vias Publicas adhibitæ.* 12. *De Silicibus minoribus, qui neque e lapicidinis exciduntur, neque tudite aut malleo effringuntur.* 13. *Horum magnitudo, figura, & lævitas.* 14. *Hi ad structuras sunt infideles, sed ad superficiem Viarum Publicarum quadrant.* 15. *Cur Silices sint a nobis dicti majores & minores.* 16. *Ratio prior, ob quam hi posteriores ad Materiam crassiorem majoremque Viarum referantur sub nomine Glareæ.* 17. *Ratio posterior.*

1. MAteriam Viarum Publicarum divisimus supra generatim in majorem crassioremque, nec non in minorem & exiliorem, hanc diximus esse, quæ unit, jungit & coagmentat majorem Materiam, uti Calx, Arena, Testa tusa. Jam de majore Materia erit agendum, quam communi *Lapidis* nomine appellabimus, sive sit grandis, sive minor, sive mediæ inter hos magnitudinis. Horum *Lapidum* alii sparsim hinc inde per Terræ superficiem reperiuntur, alii e Terræ visceribus eruuntur, & crebris scalpri lapidarii ictibus exciduntur in lapicidinis e rupe viva; ut hos Lapides pro ratione Viarum Publicarum possimus dividere in *Lapides* vel excisos, vel non excisos.

2. Excisorum Lapidum, si Vitruvium consulamus *de Architect.* II. 7. tres sunt species, secundum triplicem naturam lapicidinarum. Sunt enim hæ disparibus & dissimilibus virtutibus, aliæ nimirum *Molles*, aliæ *Temperatæ*, aliæ *Duræ*, uti Siliceæ.

3. Lapides ex *Molli* lapicidina vivæ rupis exemti commode ad opus expoliri & facile tractari, A ut quadrent, possunt, quales sunt nostræ cretæ sive, ut vulgo vocantur, *Crayes*, in Campania. Hi si sint in locis tectis, aut in extima soli facie, cui innititur structura, pedem unum exstent, diu durant, laboremque sustinent, eoque magis, si ante per aliquod tempus exsiccari sinas e lapicidina exemtos, quam ad opus eos adhibeas; sin autem in apertis & patentibus locis sint, gelicidiis & pruinis congesti, qualibus facillime læduntur, friantur & dissolvuntur: item secundum oras maritimas ab salsugine exesi diffluunt, neque perferunt æstus. Tales Vitruvius *l. l.* prodit esse *circa* B *Urbem lapicidinas rubras, Pallienses, Fidenates, Albanas.*

4. Lapides e *Temperata* lapicidina exemti omnes sufferunt & ab oneribus & a tempestatibus injurias; sed ab igne non possunt esse tuti, simulque, ut sunt ab eo tacti, dissiliunt & dissipantur, ac veluti in calcem rediguntur, ideo quod temperatura naturali parvo sunt humore, item quod non multum habent terreni, sed aeris plurimum & ignis. Igitur ex his aere, qui eos jungebat & solidabat, vi vaporis fugato, ignis penitus insequens & interveniorum vacuitates occupans fervescit, eosque dissipat mox & in pulverem comminuit. Tales la- C picidinas Vitruvius *l.l.* ait esse *Tiburtinas, Amiternas, Soractinas*, aliasque hujus generis.

5. Lapides e lapicidina *Dura* exemti sunt firmi & ad vetustatem permanentes. Neque enim his gelicidiorum tempestas, neque tactus ignis potest nocere, quod parum habent e naturæ mixtione aeris & ignis, humoris autem temperate, ac plurimum terreni; ita spissis compactionibus solidati neque a tempestatibus, neque ab ignis vehementia læduntur. Tales lapicidinas laudat *l. l.* Vitruvius *Anitianas in finibus Tarquiniensium, circa lacum Vulsiniensem; item in præfectura Statoniensi*, quæ est in Tuscis. Cum Vitruvio vero su- D per lapidum diversa natura in plerisque convenit Plinius *H. N.* XXXVI. 22. ubi de lapidum variis generibus plurima disputat.

6. Lapides *duri* & *temperati* ad structuras adhibebantur & ædificia; verum ad opera Viarum Publicarum soli *durissimi* adsumebantur, maxime qui ad naturam *siliceam* accedebant. Testis est Baptista Albertus de Viis Publicis munitis loquens *de re ædific.* IV. 6. *Qualicumque dabitur lapide pro rerum copia utemur; modo prædurissimi seligantur, quibus ea saltem Viæ pars insternatur, quam potissimum jumenta reptando petant. Cæterum veteres huic operi siliceum lapidem egregie probaverunt.* E Præduri hi lapides in opere Viarum *Saxi* aut *Silicis* nomine indifferenter veniunt, fere ac si idem notarent: sic Papinius Statius in *Via Domitiana*, *Sylvar.* IV. 3. in ipso liminis initio canit:

> *Quis duri* silicis, *gravisque ferri*
> *Immanis sonus, æquori propinquum*
> Saxosæ *latus* Appiæ *replevit*?

At quem hic *Silicem* vocat, idem *vers. l. l.* 51. vocat *Saxum*:

> F *Hi ferro scopulos trabesque cædunt.*
> *Illi saxa ligant, opusque texunt*
> *Cocto pulvere sordidoque topho.*

Proprie tamen si velimus loqui, ea inter *Saxum* & *Silicem* intercedit differentia, ut hic speciatim magis, illud magis generatim significet. Nam *Saxum* proprie rupem præduri lapidis, qualiscunque ille sit, qui in visceribus Terræ reperitur per magnam amplamque molem rigens, qui ad hujus universi stabilimentum creditur id præstare, quod

in Animantibus ossa: id quod innuit sub Deucalionis persona Ovidius, *Metam.* I. 393.

> *Magna parens Terra est*, lapides *in corpore Terræ*
> Ossa *reor dici*.

Atque in sola duritie *Lapis* differt a *Saxo*, si credamus Isidoro *lib. de differentiis*, dicenti: *Inter Saxa & Lapides differentia est. Saxa tantum durissima; nam Lapis & dura & mollis est petra.*

7. Nihilo tamen minus & illi Lapides, qui e viva rupe ad structuras sunt excisi, quas nos vernacule *Pierres de Taille* vocamus, *Saxi* nomine veniunt, licet sint exemti ex lapicidina molli: patet hoc ex ipso Vitruvio *l.l. Hæc omnium*, ait, *quæ mollia sunt, hanc habent utilitatem, quod ex his Saxa cum sint exempta, in opere facillime tractantur*: & sub finem *l.l.* de iisdem præcipit: *Cum ædificandum fuerit, ante biennium ea Saxa non hyeme, sed æstate eximantur, & jacentia permaneant in locis patentibus.*

8. Quod si moles illæ saxeæ e visceribus Terræ ita emineant, ut nudæ videantur & accessum admittant, *Scopuli* vocantur, quod quasi *speculam* sive σκοπιὰν exhibeant. *Scopulus*, ait Isidorus *Orig.* VI. 3. *a Saxo eminenti, quasi a speculando dictus.* Σκόπελος Græcis scilicet est ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν. In mari eadem est ratio appellationis, si extra aquas moles illæ accessum admittentes emineant: verum si lateant sub aquis leviter tectæ per summam superficiem, *Aræ* Latinis, Gallis vero nostris *Escueils* vocantur, navibus perquam periculosæ. Docet hæc Virgil. *Æneid.* I. 112.

> *Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;*
> *Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras,*
> *Dorsum immane mari summo.*

At si moles hæ saxeæ ita undique sint ab imo sursum versus horrentes & interclusæ, ut ullum accessum negent, vocantur proprie *Rupes*, earumque eminentiæ, aculei sive acumina proprie dicuntur *Murices* & *Strobili*; præcipitia vero ab summo ad imum latera, horrentia quasi ad perpendiculum ductis cautibus, *Crepidines* appellantur. *Crepido*, ait *l.l.* Isidorus, *extremitas est Saxi abrupti.*

9. Vidimus *Saxum*, ejusque amplitudinem, varias partes, harumque nomina: at *Silex*, qui nobis *Caillou*, tam late non patet. Proprie enim restringitur ad lapidem, ex quo per ferrum rapide percusso ignis exsilit, ut paullo post testabitur Isidorus. *Silex* autem alius in lapicidinis exciditur; alius non exciditur, sed sparsim & divisim reperitur. Plinius *H. N.* XXXVI. 22. meminit *Silices* ex nonnullis lapicidinis durioribus excidi, qui in varias formas scalpi solerent: *Græci*, subjicit, *e lapide duro ac silice æquato construunt veluti lateritios parietes. Cum ita fecerint*, isodomon *vocant genus structuræ; at cum inæquali crassitudine structa sunt*, pseudisodomon; *tertium est* emplecton, *tantummodo frontibus politis*. Hanc enim polituram Silices non obstante duritia sua admittunt.

10. Præcipua Viarum materia consistebat in Silicibus, majoribus, minoribus; excisis, aut sparsim repertis. Majores e visceribus lapicidinarum, & duobus modis ad opus adhibebantur. Alii enim erant quadrarii sectivi & scalpro lapidario excisi; alii tudite aut malleo ruditer confracti. Quadrarios sectivos appello, qui figuram & polituram accipiebant scalpro ad normam, libellam & perpendiculum; quales fere videmus in Ecclesiis nostris usurpatos. Talibus olim & Cives Romani Rep. libera, & deinde Imperatores muniverunt Vias Publicas, etiam extra Urbem, ad longitudinem plane admirandam. Confractos Silices dico, qui simpliciter per mallei aut tuditis ictus in varias & fortuitas figuras dissiluerunt diffracti & diffissi.

11. Hi posteriores quoque ad opera Viarum sunt adsumti, quorum tres sunt species situ ac figura differentes. Alii enim sunt figura plana, & hinc valde commodi qui firmitatem & stabilitatem reliquæ materiæ superimponendæ addere possint; unde & hæc operis & fundamenti pars *Statumen* dicitur. Alii deinde sunt figuræ rotundæ, quique fere manum implere solent sua magnitudine; hi *Rudérationi* Viarum inserviunt. Alii denique propius accedunt ad cubicam figuram, & maxime inserviunt Plateis Urbium in superficie sternendis, ut & aliquando per agrum Viis. Tales sunt *Silices*, quibus Lutetiæ Parisiorum & in aliis Galliæ urbibus Plateas sternere solent.

12. Minores Silices voco, qui in lapicidinis e rupe viva non sunt excisi aut malleo effracti, nec hominum artificio deinde aptati & politi: sed sunt minores illi Silices, qui vel integri vel fracti dispersim per montes, valles, vineas, agros reperiuntur, unde olim magno labore & diligenter colligebantur, ad conficiendam & solidandam extremam Viæ Publicæ per agros superficiem. Talis est apud Plinium *l. l. viridis quidam lapis vehementer igni resistens, sed nusquam copiosus*. Eum Plinius dicit *lapidem, non saxum esse, ubi invenitur*; quod scilicet e lapicidinis non excidatur.

13. Veri ergo Silices sunt & minuti illi Silices, quos nullus alius Silex in igne excutiendo superat, ob parvitatem tamen, ut ante diximus, suæ molis, *Silicis* amittit nomen in munitione Viarum, & *Glareæ* accipit. Raro certe excedunt magnitudinem ovi gallinacei; at infinita reperitur copia in Viis Publicis, qui majores non sunt minoribus fabis, aut cerasorum nucleis. Cæterum plerunque sunt figuræ ovatæ plus minus, aut rotundæ, & ad hæc quasi artificio humano fere politi ac læves. Quamvis autem longissime ad vetustatem permaneant, & cœli solique injuriis resistant, ob rotunditatem tamen & lævitatem, quæ coagmentationi minus sunt aptæ, ad structuras quoque minus valent. Audi Plinium *l. l. Globosus lapis contra injurias fortis*, sed ad *structuram infidelis, nisi multa suffrænatione devinctus*: arenæ puta, calcis & cæmenti.

14. At in Viis Publicis aliter se hæc res habet: nam minores hi Silices perquam commodi ad insternendas Vias rei ipsius experimentis reperti fuerunt: unde superficies harum per totam Italiam & Provincias illis constitit, exceptis nonnullis Viis, quæ per singularem magnificentiam lapide quadrato majore, exacto per scalprum ad normam & amussim, aut confracto in quadrum per malleum. Sed cæteræ Viæ omnes stratæ sunt minoribus hisce Silicibus, copia & soliditate admirabili. Mirificum sane est, tantam illorum copiam potuisse colligi; longe autem magis est mirificum, hos Silices in opus Viarum superadditos potuisse per tot annos permanere, cum hæ Viæ ante hæc XV. aut XVI. sæcula munitæ, ad nostra usque tempora in plurimis locis integræ & illæsæ persistant, a continuo insultu & vecturæ impetu tutæ.

15. Quamvis vero *Glarea*, ex qua superficies Viarum fiebat, ex minutis hisce Silicibus præcipue constiterit, tamen hac ipsa ratione illam ad majorem crassioremque Materiam retuli: nam si cum maximis majoribusque silicibus, lapidibus & lateribus collati minimi fere sint; tamen cum Arena, Sabulo, Calce quæ *Glaream* quoque conjungunt, commissi, videbuntur majores. *Nihil enim*, ut docet Aristotel. *lib. de Categor. c.* 3. *per se magnum aut parvum dicitur, sed quod cum aliis comparatur.*

16. Sed & duæ aliæ rationes, me ad *Glaream* majori Materiæ afferendum impulerunt. Prior est, quod *Glarea*, qualis in Viis Publicis teritur, sua natura *Lapis* est, &, quod plus est, verus *Silex* si hanc vocem proprie sumas, prout eam describit Isidor. *Origin.* VI. 3. *Silex est lapis durus, eo, quod exsiliat ignis ab ipso, dictus*. Quamvis ergo minuti hi Silices exuerint *Silicis*, & *Glareæ* nomen induerint, veram tamen Silicis, ex quo ignis saliat, naturam non amiserunt. Hinc & communi sui generis nomine venire debent, quamvis speciatim *Glareæ* nomen receperint, sed non deperdita lapidis indole.

17. Posterior ratio est, quod, quemadmodum quadrati lapides, qui in Viis nostris sæpius *Silices* vocantur, earumque, ubi reperiuntur, præcipuam Materiam constituunt, quæ per minorem Materiam coagmentatur; sic & minuti *Silices*, ubi sub nomine *Glareæ* ad opus adsumti sunt, ibi Materiam constituunt præcipuam, nec majori coagmentandæ & conjungendæ inserviunt, sed etiam per minorem, qualis est Calx & Arena, coagmentatur.

SECTIO V.

Silicem & Glaream fuisse præcipuam in Viarum munitione Materiam.

1. *Munitio Viarum pro differentia locorum & temporum differebat.* 2. *Usus Silicis etiam in Viis extra Urbem præcessit usum Glareæ.* 3. *Mos sternend. Vias Silice in Urbe, & extra Urbem Glarea.* 4. *Usus postea Silicis & Glareæ in sternendis extra Urbem Viis.* 5. *Usus simplicis Glareæ extra Urbem omissus, & Silex ubique stratus.* 6. *Viæ simplici Glarea munitæ quædam extra Urbem ex relatione Panvinii.* 7. *Quomodo capiendum sit, usum Silicis extra Urbem ubique fuisse adhibitum.*

1. EX Romana constat Historia, Vias Publicas ratione Formæ & Materiæ fuisse differentes pro differentia locorum & temporum: primaria autem ratione Materiæ fuit, quod aliæ fierent ex quadratis lapidibus majoribus, qui *Silicis* nomine veniunt; aliæ ex *Glarea*. Dixi, pro differentia locorum & temporum: aliter enim Viæ sternebantur intra Urbem, aliter extra Urbem. In Urbe ex usitato more sternebantur *Silice*; at extra Urbem per Italiæ regiones sternebantur & *Silice* & *Glarea*. Hic *Silice*, ibi *Glarea*.

2. Licet vero extra Urbem *Silicis* usus esset rarior, & *Glareæ* frequentior, speciatim in primo factis per Italiam Viis; tempore tamen, *Silicis* usus, *Glareæ* præcessit usum, quod satis apparet ex sola illa celebri Via Appia, quæ antiquissima & prima omnium est, facta ex *Silice* quadrato majore, non tantum elaborato per malleum, sed & scalpro ad normam & regulam exacto, eoque tanta arte expolito & conjuncto, ut vix juncturæ videantur. Neque quadrarius hic lapis vulgares minores, quibus in vulgari pavimento usus est, referebat, sed in quatuor aut quinque pedes patebat; idque tanta latitudine, longitudine & magnificentia, ut omnes post se alias Vias reliquerit, facta A. U. C. CCCCXLIV. M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Coss.

3. Deinde mos communis fuit, Vias in Urbe sternere *Silice*, extra Urbem *Glarea*, quam auctores modo *Glaream*, modo *Arenam* appellant. Hujus rei prima vestigia videmus A. U. C. IↃLXXX. Sp. Postumio Albino & Q. Mutio Scævola Coss. Testis

A enim est Livius XLI. 27. hoc anno *Q. Fulvium Flaccum & A. Postumium Albinum Censores, Vias sternendas Silice in Urbe, & extra Urbem Glarea substruendas marginandasque locavisse*.

4. Paullo post A. U. C. IↃCXXX. C. Cassio Longino & Domitio Calvino Coss. C. Gracchus, Tib. Fr. utriusque, *Silicis* & *Glareæ* usum extra Urbem restituit. Plutarchus *in vita C. Gracchi c.* 9. affirmat, *C. Gracchum rectis quidem regionibus complures per Italiam deduxisse; & eas partim lapide incusso stravisse, partim arenæ munivisse aggeribus*. Sic sonant verba interpretis Latini prioris: quorum sensus non est, in una eademque Via super

B Arena lapides fuisse incussos, uti fieri solet in stratura nostra, quæ vulgo hodie placet; sed vocula illa *partim*, distinguit diversas Vias integras, quarum aliæ munitæ fuerint *Silice*, aliæ sola *Glarea*. Hoc enim loco *Lapis* & *Arena* idem notant, quod *Silex* & *Glarea*, ob caussas, quas supra *Sect.* III. §.4. dedimus: vicinia scilicet & similitudo hæc vocabula confundit.

5. Sed cum lapsu temporis constaret Vias sola *Glarea* munitas non subsistere diu, nec sufferre temporis aut vecturæ injurias, sic ut nunquam non essent reparandæ, hoc ipsum occasionem præ-

C buit Censoribus cæterisque Magistratibus, ad quos ea cura attinebat, ut omitterent hanc Munitionis speciem, ut nimis infirmam, & quærerent aliam firmiorem, solidiorem, durabiliorem. Non quod extra Vias omnino abjicerent *Glaream*; illam enim semper ad superficiem Viarum Publicarum reservarunt: verum ut opus suum perficerent adversus injurias cœli aut vecturæ durabile, cœperunt *Glaream* substruere, affirmare & statuere intra, illi superimponentes multos lapides, silices, rudera & coagmenta, quæ certo ordine & serie in diversa & distincta coria, seu, ut sic loquar, laminas

D distribuerunt. Quo invento, ea, quæ separatim per se diu duratura non erant, ista substructione & consolidatione reddiderunt pluribus sæculis inexpugnabilia, quod maxime usu receptum est, cum Reip. summa ad Augustum ejusque in Imperio successores pervenit.

6. Quod vero olim etiam sola *Glarea* aut *Arena* extra Urbem Vias Publicas muniverint, illud ex Onufrii quoque Panvinii relatione & testimonio apparet. Ejus verba, *in lib. de Urbe Roma, cap. de Viis Rom. extra Urbem*, hæc sunt: *Primum, ut dixi, in Urbe tantum Silice sternebantur Viæ, extra vero Glarea, ut ex Tibullo & Plinio constat: posterioribus vero temporibus omnes Silicibus stratæ*

E *sunt*: & deinde: *Postea autem tam extra, quam intra Urbem Vias Silice stratas fuisse, earum, quæ adhuc tota Italia supersunt, vestigia indicant*.

7. Id autem verissimum est, si intelligas de Viis integris, & prout suis partibus internis & externis constant. Licet enim adhuc hodie Viæ Publicæ per Italiam & Provincias superficiem suam & supremum corium habeant ex sola *Glarea* compositam, uti ad oculum apparet in Viis Publicis Galliæ nostræ & Brunehildis Calceia; nulla tamen reperietur, quæ non sit munita, confirmata & quasi inferta intus plurimis lapidibus & silicibus diversæ magnitudinis & figuræ; qui licet in aspectum

F non veniant, partes tamen, ex quibus Viarum Publicarum constat Materia, esse ideo non desinunt, cum Vias præcipue affirment & consolident, ut cuivis & oculis videre & manibus tangere licebit, si hæc coria aperiat, & funditus singula refodiat.

SECTIO VI.

De Materia Ligni & Ferri ad usum Viarum Publicarum.

1. In nonnullis Viarum intervallis usus etiam fuit Ligni & Ferri. 2. Quis usus Ligni. 3. Quis Ferri. 4. Statii locus de usu Ligni in Via Domitiana. 5. & de usu Ferri in eadem.

1. EX præcedentibus satis patet præcipuam Viarum Materiam constitisse ex variis Terræ Lapidumque speciebus in unum opus coagmentatis. Quæcunque præter hæc accesserunt, ea tam rara & pauca sunt, ut vix mereantur attentionem singularem. In nonnullis tamen intervallis usu venisse reperimus *Lignum* & *Ferrum*.

2. *Lignum* videtur ad palos & sublicas in locis paludosis & solo labante inserviisse, uti juxta flu vios, & ubi pontes faciendi; ut scilicet firmum & stabile corium præpararetur, in quo majores lapides quadrati inniterentur, & affirmarentur, quibus struebantur anterides & pilæ magnificorum illorum pontium, qui partem faciunt Viarum Publicarum, ab Imperatoribus aliisque structi, ut Vias continuarent & conjungerent.

3. *Ferrum* quin ad Vias adhibitum sit, non dubito; præprimis ad retinendos & uncis conjungendos nonnullos majores lapides in Pontibus, Portubus, & Limbis Viarum, quæ lapide quadrato seu *silice* stratæ erant, quales fuerunt Via Appia & Domitiana.

4. Testimonia eorum, quæ diximus, nobis suggerit Statius Papinius *Sylvar.* IV. 3. ubi *Viam Domitianam* describit, quam Domitianus Sinuessa continuaverat Bajas usque per pontem magnificentissimum Vulturno impositum, qui fluvius Campaniam Italicam alluit, Bacchi illam Cererisque certamen. Sive igitur ad affirmandas ejus pontis pilas, sive ad solidanda intervalla Viæ cœnosa & instabilia, magnam certe *Ligni* copiam adhibitam ait Statius *l. l. vs.* 49. 11.

O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exsuuntque montes,
Hi ferro scopulos trabesque cædunt.

Quod ad pontem quoque *Lignum* adhiberi potuerit, ibidem innuit Statius *vs.* 76. sub persona Vulturni reclinis ad maximum pontis arcum dicens:

Et nunc ille ego turbidus minaxque,
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviusque calcor;
Qui terras rapere & rotare sylvas
Assueram, pudet! amnis esse cœpi.

5. Quod ad *Ferrum* attinet, non solum stadium, podium & plutei hujus pontis hinc & inde eo muniti erant; sed & magni illi lapides, qui limbum oramque Viarum prætexebant, quos Statius appellat *umbones l. l. vs.* 48. gomphis seu fibulis ferreis colligabantur: sed audi ipsum Statium:

Tunc umbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.

SECTIO VII.

De Viarum Publicarum Forma in genere.

1. Forma duplex est, vel a Natura, vel ab Arte. Viarum Publicarum forma est ab Arte. 2. In opere Viarum Ars Naturam imitatur & perficit.
A *3. Via Itinerum est vel Terrestrium vel Aquaticorum. Terrestria iterum varie dividuntur. 4. Ut & Aquatica. 5. In utrisque muniendis Romani mira præstiterunt.*

1. PRæparatis & quasi repositis Materiis, quarum est usus in Viis muniendis, tempus jam est, ut illis suam aptemus *Formam*, quæ, ut Scholæ loquuntur, dat esse rei. Duplex autem est *Forma*, quarum altera ab ipsa simpliciter Natura indultur & proficiscitur, unde & *Naturalis* dicitur; altera debetur arti & industriæ hominum, unde *Artificialis* audit. *Artificialis* autem Viarum
B *Forma* est, resultans ex coagmentatione & dispositione Materiæ alius super aliam certo ordine, quem humana excogitavit per rationem industria, non solum ut operi Viarum suam darent naturam, seu esse, ut Philosophi in Scholis loquuntur; sed etiam ut diutius illud conservarent in ea tempora, quæ vel Artificum solertia, vel Materiarum natura promitterent, aut proferre possent.

2. Non tamen ideo Naturam ab *Forma Artificiali* Viarum ablegamus. Ars enim sequitur, imitatur & perficit Naturam: secundum quam ducem videmus Materiam crassiorem & stabiliorem mino-
C ri, minus stabili & leviori materiæ substratam esse pro fundamento, ut hac serie optima redderetur opus integrum, firmum, solidum, perque singulas partes recte coagmentatum.

3. Verum ante, quam porro pergamus de *Forma* Viarum Publicarum, notandum est varias fuisse harum species, secundum quas Forma variabat. Generatim enim *Viarum* apud Romanos factarum, sive, ut loquamur cum Baptista Alberto *de re ædificatoria* X. 8. *Itinerum duo sunt genera: Terrestre* & *Aquaticum*: quorum singula iterum suas species habent & plures & differentes. Viæ enim Publicæ *Terrestres* aliæ factæ & *stratæ* sunt
D industria humana; aliæ *non stratæ*, sed simpliciter notatæ vestigiis equorum & extrita per vecturam orbita. Viæ *stratæ* iterum in duas species abeunt, quarum aliæ *Littoreæ* secundum littus maris factæ sunt; aliæ *Mediterraneæ* patentibus in agris. Colligi hoc potest ex fragmentis Itinerarii Antonini, de quo, sequenti libro, sectione XXIX. §. 5. plura dicemus, ubi ait: *Ab Urbe in Gallias* (Cisalpinas) *itur itineribus sex: Maritimo, Littoreo, Aureliano, Cassiano, Tiberino, Flaminio.* Vides hic *Iter Maritimum*, sive *Aquaticum*; deinde *Viam stratam Littoream*, & quatuor *Vias Mediterraneas*.

4. *Aquatici* quoque *Itineris* variæ sunt species.
E Aliud enim terminatur, restringitur & limitatur certis ripis aut marginibus *Fluviorum* navigabilium aut *Canalium Fossarumve* ex his derivatarum, quarum aquæ pigræ & resides injectis molibus, aggeribus & substructionibus coercentur: alia Itinera Aquatica nec fundum nec ripam habent, ut sic loquar, uti *Maritima*; de quibus omnibus agemus *lib.* IV. *Sect.* XLIV. & *seqq.*

5. Hæc autem Viarum Genera & Species, proprias quoque habuerunt Formas suas. Aliud enim opus erat, facere *Terrestres* Vias, tam stratas, quam non stratas, easque Littoreas aut Mediterraneas:
F aliud opus facere *Aquaticas*, tam Maritimas, quam Fluviaticas. In quibus omnibus Populus Romanus & Imperatores postea adhibuerunt & elaborarunt diversis modis Lapides, Silices, Glaream, Arenam Calcem, cæterasque Materias, de quibus supra egimus. Ordine itaque persequemur singulas hasce Viarum species, ostendemusque in singulis mirifica præstitisse Romanos, quæ aliæ per Terrarum orbem nationes ne quidem animo concipere & multo adhuc minus perficere potuerunt.

SECTIO VIII.

De Viis Terreſtribus, & quomodo de earum forma nobis ſit porro diſputandum.

1. *Viarum Tres ſpecies ſecundum Ulpianum.* 2. *Viæ non ſtratæ.* 3. *Via Publica ex Hiſpania in Italiam per Nemauſum ducens ſtrata non eſt.* 4. *Quomodo talis Via affirmata & exſiccata fuerit.* 5. *Viæ Publicæ Terreſtres præcipuæ ſunt, ſi conferantur Aquaticis.* 6. *Tria in hiſce Viis Terreſtribus conſideranda, ſcilicet longitudo, latitudo, & altitudo.* 7. *Modus & conſilium inſtituti noſtri, diſputandi ordine de hiſce ſingulis, earumque partibus.*

1. SEctione præcedente diximus *Vias Terreſtres* dividi in *ſtratas* & *non ſtratas*. Hæ poſteriores licet proprie ad inſtitutum noſtrum non pertineant, de iis tamen verbum unum alterumve biter erit faciendum; quandoquidem non omnes per Imperium Viæ Publicæ tam in Italia, quam in Provinciis, erant conſtratæ. Plures adhuc reſtabant muniendæ, quæ per occaſionem ad opus veniebant. Adde, quod & leges reparandis Viis latæ, ex æquo Vias tam ſtratas, quam non ſtratas reſpiciebant. Ulpianus JC. *l.* 1. *ſſ.* 1. *de Via Publ. & Itin. publ. reficiendo*, Vias ſtratas appellat *Terrenas Vias*, ad differentiam earum, quæ ſtratæ ſunt *Glarea* aut *Lapide*, ubi negat permiſſum, *vel in Viam Terrenam Glaream injicere aut ſternere Viam Lapide, quæ Terrena ſit; vel contra, Lapide ſtratam, Terrenam facere*. Ex quo loco apparet, legibus atque edictis modum fuiſſe ſtatutum Viis non ſtratis, ſive Terrenis, æque ac ſtratis Glarea vel Lapide: ut non ſine ratione M. Velſerus *in præfatione Commentar. ad Chartas Peutingeri* dicat, *Vias Militares tribus modis munitas reperiri, ſive ſtratis Lapidibus, ſive injecta Glarea, ſive congeſtis terrenis Aggeribus*.

2. *Vias* non ſtratas ſive *Terrenas* appello eas, quæ deſignatæ quaſi & notatæ ſunt ordinario tranſitu curruum, plauſtrorum, carrorum, ſimiliumque vehiculorum, quæ rotarum attritu in longum ducunt orbitam ſummæ ſuperficiei Terræ impreſſam. Tales Viæ facillime corrumpuntur, maxime cœlo pluvio, ſoloque pingui & argilloſo; unde illis reparandis varii præfecti magiſtratuſque inſtituti, variæ leges latæ, varia edicta promulgata, pro diverſitate Regnorum, Rerump. Provinciarum, & ſingularium hic illic conſuetudinum.

3. Talis erat Via, quæ ex Hiſpania per Nemauſum ducebat in Italiam, de qua ita Strabo *Georg.* IV. *p. m.* 339. *Situm autem hoc oppidum* (Nemauſus) *eſt in Via, qua ex Hiſpania itur in Italiam, per æſtatem quidem ad permeandum facili, cæterum hiberno tempore ac verno cœnoſa fluminibuſque demerſa. Quædam igitur fluenta navigiis trajiciuntur, nonnulla pontibus, partim ligneis, partim lapideis. Haſce autem aquarum difficultates torrentes efficiunt uſque ad æſtatem, ex Alpibus decurrentes, cum nives calore liquantur*.

4. Præcipuum, ne Viæ tales corrumperentur, remedium erat, ut expoſitæ eſſent ſoli & ventis, amotis omnibus impedimentis, quæ umbram facerent. Ipſo enim experimento rerum videmus Vias Terrenas, arboribus ſepibuſve obumbratas, non exſiccari, niſi longo demum temporis tractu; unde, cum ſint plerumque humidæ & cœnoſæ, ex veſtigiis animantium innumeræ fiunt foſſulæ, quæ aquam pluviam ad inſtar vaſculi continent, quod Vias valde reddit incommodas, imo & hominibus equiſque periculoſas. Quo caſu Ravennates imitari licebit, qui promto ſatis remedio his incommodis Viæ ſuæ Terrenæ occurrerunt; qua de re ſic Albert. æqualis illis tempori, quo hoc factum, *de re ædificat.* X. 8. loquitur: *Apud Lucum Ravennæ per hos dies, quod Viam abſciſſis arboribus dilatarint, ſoleſque immiſerint, ex corruptiſſima percommoda reddita eſt*. Deinde ſubjicit: *Videre iſtud licet ſub arboribus, quæ propter Viam ſunt, quod ſolum illic tardius ſiccetur, fovente umbra fieri ex quadrupedum attritu lacuſculos, qui collecto imbre ſemper commadeſcant atque dilatentur*.

5. Sed deſeramus iſtas Vias vulgares & *Terrenas* & veniamus ad eas, quas præcipue inſtituimus perſequi, ſcilicet *Terreſtres* ſtratas, inter quas *Littoreæ* & *Mediterraneæ* magis exſtant & frequentantur. Romani quidem plurima opera admiranda ad fluvios, & ad littora maris fecerunt. Itinerarium quoque Antonini monſtrat Vias Maritimas a portu ad portum æque, ac Vias Terreſtres ab urbe ad urbem: illa tamen opera Pontium & Portuum in comparationem venire non poſſunt cum Viis Publicis, quas per patentes campos, agros, montes, valles in Europa, Aſia & Africa deduxerunt. Adde quod hi ipſi Pontes & Portus partes fuerint Viarum Publicarum Terreſtrium, quas vel continuabant, vel finiebant.

6. Quemadmodum itaque Itinerarium Antonini incipit a Viis Publicis Terreſtribus, quam partem vocat *Itinerarium Provinciarum*, & deſinit in Viis Maritimis, quam partem nominat *Itinerarium Maritimum*; ſic & nos diſputabimus primo in demonſtranda Viarum Publicarum forma de *Viis Terreſtribus*, quæ factæ erant per magni illius Imperii provincias. Ordo autem ac diſpoſitio Materiarum, ut cum Scholis balbutiamus, quæ Formam & eſſe dant Viis Publicis, ſecundum trinam dimenſionem, quam quodcunque corpus recipit, conſiderari poſſunt, primo ſecundum *Longitudinem*, deinde ſecundum *Latitudinem*, tandem ſecundum *Altitudinem*. Alius enim eſt ordo atque ſitus Materiarum dictarum ab imo corio ad ſummum & quaſi a fundo ſurſum verſus ad ſummam aream; alius ſecundum latitudinem; alius etiam ſecundum longitudinem. Quamvis autem dictæ Materiæ, quo ſitu libet ſumtæ, partem operis faciant, triplex tamen hæc ſitus diverſitas diverſa quoque partium illarum dedit nomina. Sic ſi loquemur de partibus ſurſum deorſum diſpoſitis, ordinatis, & per coria diſtinctis alterna, quæ *Altitudinem* faciunt, occurrent *Statumen*, *Rudus*, *Nucleus*, *ſumma Cruſta* aut *ſummum Dorſum*. Partes hæ conſideratæ ſecundum *Latitudinem*, quæ intra ſuos limbos & oras hinc & inde continetur, & nonnihil in medio aſſurgit, nobis dant geminos *Margines* & *Medium Aggerem*: at ſecundum *Longitudinem* exhibent *ſpatium* illud continuum procurrens Viarum ad *Pontes*, qui has iterum conjungunt, vel ad *Portus*, urbiumque *Portas*, quæ Vias terminant.

7. Et quoniam Opifices Viarum Publicarum modo Lapides, modo Arenam, aliaſque Materias, quas diximus ſupra, in manum ſumebant, ordinantes & diſponentes ſingula per ſua coria ad totius uſque operis perfectionem: ſimiliter nos imitabimur hoſce ſtylo & ſcripto, & oſtendemus ſingillatim, qua ratione omnes hæ materiæ in unum corpus coagmentatæ ſint. Initium faciemus a *Coriis* iſtis differentibus, ex quibus Viæ Publicæ a ſummo ad imum erant compoſitæ; deinde loquemur de *Marginibus* & *Aggere Medio*, uti & de *Ornamentis* variis, quæ Vias utrinque prætexebant, & Viatores delectabant. Atque intra haſce metas decurret noſtra diſputatio de *Materia*, & *Forma* Viarum Publicarum, quas hoc libro perſequi inſtituimus. Quod attinet ad *Pontes*, *Portus*, & *Columnas Mil-*

liarias, cum sint partes, quæ inserviunt usui Viarum Publicarum, illas reservabimus libro quarto, una cum Viis Fluviaticis & Maritimis, ad quas *Portus* speciatim, & *Pontes* quodammodo pertinent.

SECTIO IX.

Quomodo Materia interior Viarum a nobis fuerit detecta, ejusque sub Viarum superficie latentis varia nomina propria.

1. *Copia plane mirifica Materiæ ad Vias adhibitæ.* 2. *Materia Viarum divisa in Interiorem & Exteriorem. Interior raro in libris occurrit.* 3. *Statius generatim & hanc & illam describit.* 4. *Pavimenta ædium a Plinio & Vitruvio descripta.* 5. *A Pavimentis domesticis via petita ad notitiam Materiæ interioris in Viis Publicis terrestribus.* 6. *Consilium & institutum, refodere hic illic Vias Publicas, ut detegeretur Materia interior.* 7. *Felix hujus instituti successus.*

1. MUlta sane in stratura Viarum apud Romanos dignissima sunt admiratione; maxime tamen mirifica est copia pæne incredibilis & ineffabilis Materiæ, quæ Viarum superficie tecta latent: & tamen rari, imo fere nulli sunt Auctores, qui illam nobis clare ob oculos ponant, & secundum suos ordines & coria distinguant.

2. Quamvis enim ex pluribus Materiis constent Viæ, quarum aliæ sunt *Interiores*, aliæ *Exteriores*, plurimi tamen, qui Viarum Publicarum meminerunt, solam nobis depingunt superficiem, quam stratam docent fuisse Glarea aut Silice; qui vero *Materiam* describeret *interiorem*, mihi equidem hactenus occurrit nullus, etiam anxie quæsitus. Generatim tantummodo & obiter de ea loquuntur, nec distinguunt seriem Materiarum, quæ per plura coria diversa ibi reperiuntur, nec coriis sigillatim sua nomina addunt, quibus discerni possent hæc ab illis. Si mihi postea in manum veniat Auctor, qui de hisce scribat clarius, prout non dubito talem aliquem exstare, is a me suo loco & tempore in hoc opere meritam laudem feret.

3. Ex iis, qui quodammodo *Materiam interiorem* ab *exteriore* distinguunt, est Papinius Statius, sed id facit breviter, poetice & metaphorice; ita tamen, ut Lectori insinuet, fuisse nonnullam Materiam sub externa Viarum superficie, quæ pedibus teritur, *summum dorsum* Statio dicta, ad differentiam Materiæ interioris, quam idem comprehendit generali voce *Gremii*. Apparet id ex ejus versibus *de Vita Domitiana*, *Sylvar* IV. 3. 40. & *seqq.*

Hic primus labor, incboare sulcos.
Et rescindere limites, & alto
Egestu penitus cavare terras,
Mox haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium *parare* dorso.
Ne nutent sola, ne maligna sedes
Et pressis dubium cubile saxis.

4. Cum ergo hæc me difficultas urgeret, commode in mentem Plinius & Vitruvius venerunt. In hujus *de Arch.* VII. 1. illius *H. N.* XXXVI. 25. legeram nonnulla de *pavimentis* Oecorum, Camerarum, Conclavium, Porticuum, in ædificiis, quæ Græci ac Romani exstruebant. Obstupescebam, cum legerem tantam Materiæ copiam, alteram alteri acervatim superingestam, ut fierent ista *pavimenta* non modo in terra stabili & summa soli area; verum etiam in altioribus contignationibus, imo & in ipsis tectis. Nescio sane, quomodo materiaria structura tanto sufficerit oneri: illud certe verum, in nostris ædificiis hodie nihil simile huic rei videri.

5. Rursus itaque Plinium & Vitruvium in manus sumsi, revocavique in memoriam varias Materias, quas Architecti ad *pavimenta* adhiberent: animadvertebam, quod illas distribuerent in coria certo ordine digesta, quæ singillatim propriis nominibus denotabant, pro ratione Architecturæ illorum temporum. Hinc ita cum meo mecum animo reputabam: si ad sustinendam nonnullam supellectilem, & perferendum attritum a pedibus euntium aut ambulantium super istis pavimentis prisci Architecti tantum Materiæ coacervarunt, sine ullo metu ruituræ sub pondere structuræ; majori ratione superficies Viarum Publicarum intus muniri & affirmari debuit aliqua materia solidiore & copiosiore, cum ista superficies pateat perpetuo attritui vecturæ, & sustinendis omnis generis oneribus, uti Trabium, Lapidum, Columnarum, Obeliscorum, Arietum, aliarumque Machinarum immensi ponderis, & enormis magnitudinis?

6. Post hanc conjecturam institui & curavi me præsente refodiendas hic illic Vias Publicas, quas Agrippa, Augusti gener, fieri curavit, quæque ex diversis Galliæ & Belgicæ regionibus Remis conveniunt, & recta ad antiquas Urbis portas adducunt: curavi, inquam, refodiendas, uti ipse viderem, num quid esset in gremio Viarum, quod comparari posset *pavimentis* domesticis, tam diversitate materiarum, quam earundem ordine & situ.

7. Neque exspectationem meam destituit eventus. Refossæ enim tres harum Viarum ad terram usque stabilem, detectæ & eversæ funditus ad summum, exhibuerunt plures Materias satis distinctas, alteram alteri variis coriis ingestas & certa serie digestas. In prima Via erant coria ejusdem ordinis ac numeri, cujus sunt pavimenta domestica: in altera ordo coriorum nonnihil variatus erat: in tertia numerus coriorum erat major. Cæterum inter pavimenta ædificiorum antiquorum & materiam Viarum Publicarum terrestrium tanta est convenientia, ut ordo & series pavimentorum in ædificiis, per singula coria nominatim cognita, supplere queat pavimenta Viarum, & reddere nomina propria singulorum in his coriorum, quæ alioquin nobis essent ignota aliunde; usque dum favente Fortuna reperiamus libros, ex quibus magis speciatim, & clarius distinctiusque singula pernoscamus.

SECTIO X.

Rationes, ob quas de Pavimentis ante in genere disputemus, quam de Viarum Forma speciatim.

1. *Viæ Publicæ Pavimenti speciem faciunt, quæ vox generalis est.* 2. *Definitio quodammodo interpretatur naturam rerum.* 3. *Prima ratio Pavimenta in genere exponendi est operis hujus novitas:* 4. *Objectio contra hæc, & ad eam responsio.* 5. *Altera ratio.* 6. *Tertia ratio.*

1. VIarum Publicarum opus consistit ex varia terrarum lapidumque congerie in unum corpus coagmentata, quod speciem facit & constituit *Pavimenti*: hoc Græcis est ἔδαφος.

Voces hæ genus commune sunt *Pavimentis* Ædificiorum, Platearum in Urbibus, & Viarum Publicarum per agros & campos. Quisquis ergo unam speciem pernosse cupit, & cæteras notissimas habere debet, ut sciat, in quo conveniant, & in quo differant.

2. Philosophi vulgo dicunt, (balbutiamus hoc loco Scholarum lingua) quod Definitio interpretetur naturam cujuscunque rei, cum sit composita ex genere proximo & differentia specifica, quorum hæc ad Formam, illud ad Materiam refertur, quæ bina principia sunt positiva omnium rerum, tam naturalium, quam artificialium. Cum ergo Viæ Publicæ speciem faciant *Pavimenti*, sciendum erit prius, quid sit *Pavimentum*, quænam ejus species, & quo inter has loco fuerit Viarum *Pavimentum*. Cum ergo ante de Materia Viarum disputaverimus, quæ ex varia terrarum lapidumque specie consistit, quæ bina omnibus *Pavimentis* sunt communia, uti genus commune est omnibus speciebus: antequam coagmentemus Materiam, ut illi demus suam Formam, quam quærimus, disputandum erit de *Pavimentis* in genere, deinde descendendum ad differentias specificas, quæ species *Pavimentorum* distinguunt, atque Formæ locum tenent, dantque rei, talem esse, eamque unam in se & a cæteris omnibus rem distinctam.

3. Tanto autem lubentius *de Pavimentis* disputo, quod sit argumentum novum, non quidem, si rem ipsam respicias, quæ est antiquissima, sed si cognoscendæ voluptatem. Sæculo scilicet nostro, quod tanto temporum intervallo abest illo ævo, quo hæc vigebant opera, quorum enarratio e cascæ vetustatis sepulcro quasi in lucem revocata nostro hoc scripto, gratiam habebit novitatis. Nova enim animo placere solent, ob admirationem, quam in eo excitat nova & recens perceptio, qua animus perfunditur voluptate, uti corpus cibo quodam minus consueto & delicatiore.

4. Objiciet quis, a Plinio & Vitruvio hæc jam olim esse exposita, qui in omnium manibus versantur & facile consuli possent, adeoque institutam a nobis hanc digressionem, de variis *Pavimentorum* speciebus, errare extra orbitam propositi itineris, quo *Pavimenta* Viarum Publicarum terenda solum essent: huic respondeo, non omnes esse adeo diligentes, ut hos consulant Auctores; tum si vel maxime eos legerent, rari tamen id operæ darent, ut eos accurate intelligant. Hi enim Auctores, dum hæc minus vulgata & recondita exponunt, utuntur plurimis vocabulis Materiariorum, Structorum, Architectorum, nec vulgo obviis nec intellectu facilibus, præprimis in horum Auctorum scriptis, quorum stylus est concisus: nec, quæ hic aut ille tradunt de *Pavimentis* eorumque speciebus, semper digesta sunt ad ordinem naturæ, aut ad normam artis, sed sæpe sparsim hinc inde in variis locis & libris, quæ excerpere & digerere ardui est laboris, & assiduæ meditationis. At in nostra hac digressione non solum reperies vocabula hujus artis exposita, sed etiam singulæ *Pavimentorum* species videbuntur suo loco, secundum ordinem naturalem in artem redactæ; ita ut, quod obscurum erat in istis Auctoribus, ex ipso ordine claritatem accipiat, & quod intellectu difficile & arduum, eo artificio digeratur, uti jucundum & facile sit futurum.

5. Præcipua ratio, quæ me impulit, ut paullo altius & ab ipsis fundamentis requirerem *Pavimenta*, est, quod Viæ Publicæ sint revera *Pavimenta*; sic, ut qui illas velit definire, incipere *definitionem* debeat a voce *Pavimenti*, tanquam *genere proximo*, quod in omni definitione legitima, secundum Aristotelem, præcedit. Et sane Viæ Publicæ nihil sunt aliud, quam *Pavimenta* facta per Populum & Imperatores, uti Urbem Romam cum reliquo Orbe conjungerent.

6. At quod hanc Digressionem non solum utilem reddit & jucundam, sed quoque necessariam, est, quod antea monebamus, nullum nobis hactenus visum Auctorem, qui distincte scripserit de partibus Viarum interioribus, quique illis sua nomina dederit, & in opere situm ostenderit. Adeoque maxima, excellentissima, & maxime durabilia *Pavimenta* fuerunt, quod ad meum attinet institutum, maxime omnium neglecta, si Formam respicias, & minima omnium cognita. Quare necessario abire debui ad *Pavimenta* minora, quæ intra Cameras, Oecos, Porticus continebantur, ut ab his mutuarer auxilium ad eruenda *Pavimenta*, quæ ab ortu porriguntur in occasum. Minorum enim faciendorum rationem Architecti descripserunt, & ad nos transmiserunt partium singularum, ex quibus fiebant, nomina & ordinem: sed majora *Pavimenta*, Vias puto, & prisci & recentiores Auctores, quos equidem vidi, descripserunt sine accurata harum partium distinctione & ordine, non aliter, ac si Viæ Publicæ consisterent solum in externa superficie, quæ pedibus teritur. Id vero est, quod mihi necessitatem imposuit restituendi, & requirendi ordinem & nomina Materiæ interioris *Pavimentorum* maximorum, sive Viarum, ope illius, quod super hoc argumento scriptum invenimus de *Pavimentis* minoribus.

SECTIO XI.

De Pavimento in genere, vocis ejus origine, & Pavimentorum primis inventoribus.

1. *Pavé Gallice duplicem habet significationem: prior.* 2. *Et posterior significatio.* 3. *Pavimentum apud Latinos latius patet.* 4. *Pavimenti etymologia.* 5. *Deque ea Ciceronis, Festi, Plinii testimonia.* 6. *Pœni, primi Vias lapidibus straverunt in Urbibus; Romani, primi extra Urbes.*

1. IN vernaculo nostro Gallicismo vox *Pavé* duas habet significationes. Nam primo lapidem quadratum saxeum, siliceum, aut alius naturæ, item lateritium *Pavé* vocant. Sic Urbium Magistratus aut Scabini, penes quos est cura straturæ Viarum, hac voce utuntur, cum æris publici expensi rationes in codicem referunt, verbi gratia: *un milier ou un cent de Pavéz*, pro *mille aut centum lapidibus quadratis ad Plateas consternendas*.

2. Altera significatio totum opus comprehendit, compositum ex lapidibus quadratis, conjunctis & incussis cum arena in Terræ superficiem, sive Soli summam aream. Sic si quid in publicam plateam aut alium locum eo modo lapide stratum abjectum est, dicitur *jetté sur le Pavé*.

3. At Latinis *Pavimentum*, a quo nostrum *Pavé*, latius patet. Quod enim illi *Pavimentum*, & Græci δαπεδον, εδαπεδον, ἔδαφος appellant, significat solum, areamve, qualiscumque ea demum sit, gypso, terra, arena, glarea, silice, latere, tesseris, marmore, aliusve generis lapide incrustata, sic ut solum illud sive area sit firma, *pavita* & consolidata super terræ aut tabulati superficiem, uti crustam nanciscatur stabilis, firmi & certi soli ad sustinenda ea, quæ vel imponuntur, vel transferuntur. *Pavimentum* namque, si au-

diamus Francisc. Marium Grapaldum *de partib. Ædium* II. I. *in verbo* Pavimentum, *est solidamentum sive incrustatio, quam gradiendo calcamus.*

4. *Pavimentum* quoque originem ducit ab antiquo & rarioris usus verbo *pavire*, quod est *tundere, ferire*: ut enim durabile fiat *Pavimentum*, tundendum & feriendum est & ita multis incussionibus solidandum, quacunque demum fiat e materia. Facit nobiscum Grapaldus *l. l. Pavimenta enim sunt a* pavire, *quod ferire significat, quia fiebant, ut fiunt, e lapidibus & testulis bene percussis addita calce.*

5. Verbo *pavire* sic usus Cicero *de Divin.* II. 34. verba faciens de tripudio solistimo in auspiciis pullorum; *Sed quia*, inquit, *cum pascuntur, necesse est, aliquid ex ore cadere, & terram pavire, Terripavium primo, post Terripudium dictum est. Hoc quidem jam Tripudium dicitur.* Festus Pompejus *in voce* Puls, adhuc clarius hanc rem exponit: *Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis; quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod Tripudium faceret, id est, Terripavium. Pavire enim ferire est.* Plinius quoque hoc verbo usus est *H. N.* XXXVI. 25. *Pavimenta credo primum facta, quæ nunc revocamus, Barbarica, atque subtegulanea, in Italia fistucis pavita: hoc certe ex nomine ipso intelligi potest.* Quo in loco *fistucis pavita* significat, quod Gallice diceremus, *battus & frappéz à coups de bie*, id est, tusa & percussa instrumento, quo stratores Viarum ad Pavimenta utuntur coæquanda, duabus in superiore parte ansis instructo, quod vernacule *bie* appellamus, unde *bier*, id est, *pavire pavimentum*, quo utitur Gallicus Plinii Interpres in vertendo *l. l. Quant au Pavé de Barbarie, dont nous usons maintenant, je pense, que c'ét encore la premiere façon: comme aussi sont les Pavéz, que nous faisons és maisons: car tant les uns, que les autres sont biéz & pavis, & de là ét venu le nom de Pavé.* Ubi typothetarum forsan errore legitur *fiéz* pro *biéz*.

6. Cum autem Plinius *credit*, *Pavimenta Barbarica primum facta*, non dicit Barbaros Tingitanæ aut Cæsareæ Mauritaniæ primos esse inventores *Pavimenti*, si hanc vocem generatim sumas. Diximus enim in hujus libri initio I. I. §. 3. ex Isidoro *Orig.* XV. *cap. ult.* quod *Pœni*, horum vicini, *primum Vias lapidibus straverint*, ubi per *Vias*, *Urbicæ* intelliguntur, non *Rusticæ*. Ex Historiis enim constat, a nullis aliis, præterquam Romanis, stratas fuisse Vias extra Urbem Rusticas. At Marmarici Pœnorum vicini potuerunt in suis Urbibus imitari horum inventum, atque ad eorundem modum Vias sternere, quo Pœni, quæ ab iis vere sunt *primum* factæ, ac ad horum imitationem *postea Romani per omnem pæne orbem eas disposuerunt*, ut *l. l.* idem ait Isidorus.

SECTIO XII.

Divisio Pavimentorum in suas species.

I. *Pavimentorum generalis divisio.* 2. *Divisio Pavimentorum in Ædificiis.* 3. *Et Contignatorum.* 4. *Differentia omnium consistit in superficie eorum.* 5. *Lapidum quadratorum divisio in majores & minores.* 6. *Divisio Pavimentorum extra ædificia, & inter illa differentia.*

I. DUæ erant *Pavimentorum* species; alia enim erant intra Ædificia, alia extra eadem. *Intra Ædificia*, ut in Templis, Palatiis, Oecis, Porticibus, aliisque Ædium partibus: *Extra Ædificia*, ut in Area seu Cavis Ædium, in Plateis Urbium, & Viis Publicis per Italiam & Provincias.

2. *Pavimentorum* intra Ædificia rursum duæ sunt species. Alia enim sunt *Pavimenta contignata*, facta super contabulationes contignationum, a *Tigno* sic dicta, quod lignum structuræ aptum denotat, & subinde trabem aut tignum perpetuum, quibus substinentur tabulata: alia sunt *Pavimenta plano pede*, quæ fiebant in extima soli area & terræ superficie, sic dicta, quod *plano pede* adiri possent, & non conscenderentur.

3. *Pavimenta contignata* iterum erant vel *Subtegulanea*, Græcis ὑπόστεγα, quasi diceres, *sub tecto*; sub eo enim erant; vel *Subdialia*, Græcis ὑπαίθρια, quasi *sub dio* seu *cœlo* & *æthere posita*, uti etiam erant. Hæc posteriora Græcis & Italis valde placuerunt, qui talibus domos contegebant, & sic quasi aggerem planum pro hypæthris ambulationibus compingebant.

4. Horum *Pavimentorum* omnium differentiæ consistebant in eorum superficie, secundum cujus varietatem varia habebant nomina. Superficies eorum vocatur *Summa Crusta*, quæ vel terra, vel lapide constabat, quas *Crustas* Architecti vocant *Terrenam*, *Testaceam*, *Lapideam*. Nonnulla enim *Pavimenta* tam *plano pede*, quam *contignata*, tam *Subtegulanea*, quam *Subdialia*, erant incrustata simpliciter *Terra materina*, quam sic vocabant, quæ erat Terræ species, industria & arte, fere ad lapideam duritiem redacta: alia instrata erant *Lateribus*, sive Testaceis quadratis diversi & coloris & figuræ, quibus etiam hodie in ædificiis utimur: alia denique *Lapide* vivo & nativo, uti marmore, aliusve speciei, distributo in quadratam formam, eamque vel quatuor angulis rectis, vel duobus rectis & duobus obtusis, qualia quadra nos *Losanges* vocamus, vel aliam denique quamlibet in formam.

5. *Quadra* illa, sive *Lateritia*, sive *Lapidea*, erant generatim vel majora, vel minora. *Majora* in faciem porrecta erant a quatuor digitis ad pedes quatuor, quinque. *Minora* in faciem porrigebantur infra quatuor digitos; imo reperiuntur, quæ æquant fabæ magnitudinem. Majora dicebantur *Tesseræ* sive *Tessellæ*, & ex iis facta Pavimenta, *Tessellata*: Minora vocabantur *Sectilia*: quæ iterum duplicia erant, alia nullo infecta colore, nisi eo, quem a natura habebant; alia colore tincta & in superficie encausto illita, quæ superficies in opere perfecto oculis objiciebatur. Pavimenta ex prioribus facta dicebantur *Segmentata*, nobis *de Marqueterie*; ex posterioribus vero *Musiva*, nobis *a la Mosaique*. Quod si præterea in Musivis quadra illa minora diversis figuris erant exsculpta sive scalpturata; tum hæc vocabantur *Emblemata Vermiculata*.

6. Tantum *de Pavimentis intra Ædificia*. Quæ erant *extra Ædificia*, illa erant præcipue in *Viis Urbicis* & *Rusticis*, uti Vias distinguit Ulpian. *l.* 2. §. 14. *π. Ne quid in loco publ. vel itin. fiat*: quarum differentia maxime sita erat in extima superficie & summo solo: nam Romæ sternebatur *Silice*; extra Romam tam in Italia, quam in Provinciis tum *Silice*, uti Viæ Appia & Domitiana; tum *Glarea*; qualem exposuimus, cui tamen, uti quoque diximus, substratum erat, ut sic loquar, cubile Siliceum.

SECTIO XIII.

Divisio Pavimentorum in suas partes, & quidem primo Contignatorum.

1. Divisio Pavimentorum in suas partes exhibet præcipue Formam Viæ Publicæ. 2. Pavimentorum Materia in genere est vel externa vel interna. 3. Quomodo collocata fuerint Pavimenta Contignata. 4. Filix aut Palea substrata coassationibus, ne materies a calcis vitio læderetur. 5. Primum corium, Statumen. 6. Alterum, Rudus. 7. Tertium, Nucleus: Quartum, Summa Crusta. 8. Crassitudo horum quatuor coriorum.

1. IN hac maxime disputatione, de *Pavimentorum* in suas Partes divisione, apparebit eorum genuina Forma, & proinde etiam Viarum Publicarum, satis evidenter. Coacervabimus enim materias, ex quibus componuntur, certo & justo ordine secundum longitudinem, latitudinem & altitudinem: quo in ordine & dispositione consistit *Forma* & Facies *Pavimentorum*.

2. Initium faciemus ab altitudine *Pavimentorum*, quorum materia generatim est vel *externa*, vel *interna*. Lustrabimus prius *internam*, & ostendemus, quam curiose prisci Græci & Romani composuerint & consolidarint *Pavimenta* suorum Ædificiorum; idque maximis sumtibus, ac sine ulla pecuniæ parsimonia.

3. Primo ergo se offerunt *Pavimenta Contignata*, quæ quod super *contignationes* essent, sic dicebantur. Quæ in his collocandis opifici observanda sint, monet Vitruvius VII. 1. *In Contignationibus diligenter est animadvertendum, ne quis paries, qui non exeat ad summum, sit exstructus sub Pavimentum, sed potius relaxatus supra se per centem habeat coaxationem. Cum enim solidus exit, contignationibus arescentibus, aut pandatione sidentibus, permanente structuræ soliditate, dextra aut sinistra secundum se facit in pavimentis necessario rimas.*

4. Quod ad contabulationes attinet, quas appelant *Coaxationes* vel *Coassationes*, eas faciebant esculinas; esculus enim minus se contrahit aut incurvat, quam quercus. *Coaxationibus* factis, si erat copia, *filicem*; si non, *paleam* substernebant, uti materies a calcis vitiis, acredine & vapore, quibus superingesta lædit, defenderetur. Sic Agricolæ nostri sub strue aut cumulo frumentario substernunt paleam, quod illis *foustré*, quasi dicas *substratum*, appellatur, ne frumentum aut mucidum terræ humorem, aut situm contrahat.

5. Super hoc primum stratum filicis aut paleæ opifices digerebant *Pavimentum* quatuor coriis distinctum. Primum erat compositum ex lapidibus aut silicibus globosis, non tamen minoribus, quam qui manum implere possent, ope calcis & lignini coagmentatis. Hoc corium primum dicebatur *Statumen*, Gallice vocarem *le Pied*, vel *la Fondation de l'Ouvrage*. Licet vero *Statumen* plura significet, uti *pedamentum vitis*, sive *ridicam*, *palum, quatuor illos palos, intra quos equi soleis ferreis calceandi cogi solent*, & alia, quæ silentio transeo; in Vitruvio *Statumen* dicitur id omne, quod ad sustinendum aliud corpus aut materiam substernitur, aut pro strato subjicitur; ac pressius, Pavimentorum imum stratum, de quo nobis sermo. Id ego Gallice dixi *Pied* aut *Fondation*, quia, ut Varro *de L.L.* IV. *p.* 25. ait, *Standi fundamentum Pes, a quo dicitur in ædificiis area, Pes magnus; & qui fundamentum instituit, Pedem ponit.* Certe *Fundamenti* nomine appellari quoque posse *Statumen*, docet sequens Inscriptio *apud Gruter.* CL. 9. *in Pedemonte Ditionis Neapolitanæ loco.*

PABIVS. MAXIMVS. V. C. RECT. PROV
F...... S.... PR. VIAS. HERCVLIS. OB. TERR
AEMOTVS. EVERSAS. RESTITVIT. A. FVN
DAMENTIS.

Quæ enim in hisce *Viis Herculis fundamenta*, nisi *Statumen*, quod cætera coria fundat? *Lapides* vero ex quibus hoc *statumen* fieri debet Plinius *H. N.* XXXVI. 25. vult *globosos*, sive ad rotundam accedentes figuram; modum vero hujus corii faciendi, vocat Vitruv. VII. I. *Statuminare*: ait enim: *Tunc insuper statuminetur non minore saxo, quam quod possit manum implere*: *insuper* scilicet stratum ex filice aut palea.

6. Sequebatur deinde alterum corium operis, quod fiebat ex pluribus cæmentis aut lapidibus contusis, & cum calce permixtis, quos Isidorus in *Origin.* appellat *Rudus*, *Rudi*, æque ac *Rudus*, *Ruderis*. *Rudos*, ait, Artifices *appellant lapides contusos & calci admixtos, quos in Pavimentis faciendis superfundunt: unde & Rudera dicuntur.* Hæc materia, si fieret ex lapidibus recenter contusis, aut nondum ad opus aliquod usurpatis, dicebatur *Rudus novum*: ad hujus tres partes unam calcis admiscebant. At si hæc materia ex demolitis & dirutis structuris veniret, quam in nostra Campania appellamus *Decombres*, quæque jam antea operi fuisset adhibita, dicebatur *Rudus redivivum*, ad cujus partes quinque, duas calcis admiscebant. Tam hujus, quam illius Ruderis applicationem appellabant *Rudertionem*, quæ fistuca aut pavicula tundebatur, confirmabatur, coæquabatur, complanabatur: atque hic quasi agger digitos novem crassus esse debebat, cum *Ruderatio* erat perfecta. Audi Vitruvium VII. I. hac de re loquentem: *Statuminationibus inductis ruderetur. Rudus si novum erit, ad tres partes una calcis misceatur: si redivivum fuerit, quinque ad duum mixtiones habeant responsum. Deinde Rudus inducatur, & vectibus ligneis decuriis inductis crebriter pinsatione solidetur; & id non minus pinsum absolutum crassitudine sit dodrantis.*

7. Super hac *Ruderatione* tertium fiebat corium, quod componebatur ex lateribus, testis figulinis, aut testa tusa calci admixtis, sic ut ad tres partes una esset calcis. Hoc corium super ruderatione fiebat, ceu stratum mollius, quod reciperet quartum & summum corium, & pavimentum cooperiret & perficeret: unde hoc ultimum dicebatur *Summa Crusta*, quasi diceres extimam faciem. Jure igitur Architecti optima comparatione, quam ipsa sufficit natura, tertio corio hujusmodi operis nomen fecerunt *Nuclei*, quod proprie est tenerum illud & aptum edi in amygdalis, cæterisque nucibus. Quemadmodum vero hoc continetur intra durum utrinque putamen, ut, *qui e nuce nucleum esse vult, frangat nucem*, dicente Plauto, in *Curcul.* sic eleganti translatione Architecti *Nucleum* vocant tertium pavimenti corium, partem cæteris teneriorem & molliorem, quæ supra & infra continetur & includitur duabus durioribus & firmioribus, infra *Ruderatione*, supra *Summa Crusta testacea*.

8. Cæterum oportebat, uti *Nucleus* & *Summa Crusta* junctim haberent crassitudinem sex digitorum, si firmitate & soliditate perfecta erant: docet hæc, & quæ paullo ante diximus, Vitruvius VII. I. *Insuper ex Testa Nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, ita uti ne minore crassitudine sit Pavimentum digitorum senum.* Sic ex partibus internis & externis integrum

A opus crassum erat *digitos quindecim*, quod pondus satis est magnum, sustinendum a sola contabulatione.

SECTIO XIV.

De Pavimentis subdialibus.

1. *Græci subdialium Pavimentorum inventores.* 2. *In quibus regionibus hæc Pavimenta sint commoda aut incommoda.* 3. *Binis coassationibus insternebantur.* 4. *Coria horum Pavimentorum.* 5. *Corium quandoque accessorium præter cætera.* 6. *Bina* Coria *superiora, & declivitas illis data* B *fastigio medio, quo pluviæ defluerent.* 7. *Fraces ad gelicidii pruinam avertendam a Pavimentis subdialibus.*

1. PAvimentorum *intra ædificia* primi inventores sunt Græci, & iidem *subdialia* invenerunt, talibus domos contegentes, ut auctor est Plinius XXXVI. 25. Interpretes Gallici hæc in Plinio & Vitruvio *ll. ll.* reddunt *Terrasses*, vel *Plateformes*.

2. Hæc sunt commoda in regionibus calidioribus, sed incommoda & periculosa, ubi imbres per hyemem gelant. Hinc Vitruv. *l. l. Sub dio maxime* C *idonea faciunda sunt Pavimenta, quod contignationes humore crescentes*, (scilicet dum tabulata madefacta intumescunt) *aut siccitate decrescentes*, (dum scilicet arefacta tabulata contrahuntur,) *seu pandationibus sidentes*, (videlicet dum nimio pondere inclinant & ruinam minantur) *movendo se, faciunt vitia Pavimentis*. Plin. *l. l.* fere idem ait: *Subdialia Græci invenere, talibus domos contegentes, facili tractu & tepente, sed fallaci, ubicumque imbres gelant.*

3. His incommodis ut mederentur, ne scilicet cœli injuria opus corrumperetur, & ut ponderi D superingerendo sufficeret, *binas per diversum coassationes*, ut Plin. *l. l.* dicit, *substerni necessarium erat*. Scilicet, uti Vitruv. *l.l.* exponit, *Cum coaxatum fuerit, super altera coaxatio transversa sternatur, clavisque fixa duplicem præbeat contignationi loricationem.*

4. Coria fere eodem modo parabant, quo in *Pavimentis subtegulaneis*. Primum Corium simile erat illi, quod in *subtegulaneis* descripsimus: docet Plin. *l. l.* de *subdialibus* loquens: *Imo & filice aut palea substerni melius est, quo minor vis calcis perveniat. Necesse est & globosum lapidem subjici.* Alterum Corium erat *Rudus novum*, teste Vitruv. E *l.l.* cujus duabus partibus unam Calcis vivæ admiscebant, uti opera durarent magis ad cœli injurias. *Rudus* autem *novum* cum *Statumine* junctim saltem *pedem* debebat crassum esse, secundum præcepta Vitruv. *l.l. Ruderi novo tertia pars testæ tusæ admisceatur*: deinde: *Statuminatione facta Rudus inducatur, idque pinsum: absolutum, ne minus pede sit crassum.*

5. Quomodo accessorium quasi Corium fecerint illi, qui adhuc magis & curiosius contignationes a cœli injuriis defendere studebant, docet *l. l.* Vitruv. his verbis: *Tegulæ bipedales inter se coagmentatæ supra Rudus substrata materia collocentur,* F *habentes singulis coagmentorum frontibus* (excisos) *canaliculos digitales, quibus junctis impleantur calce ex oleo subacta, confricenturque inter se coagmenta compressa. Ita calx, quæ erit hærens in canalibus, durescendo non patietur aquam, neque aliam rem per coagmenta transire.*

6. Super hasce Tegulas sic coagmentatas, imponebant *Nucleum*, sive *Mortarium*, quod Corium fiebat ex Calcis duabus partibus ad quinque *Mortarii* sive Testæ tusæ, & solidabatur crebris pistilli aut paviculæ pulsationibus. Tandem stratum supremum, sive *Pavimentum* stricte dictum, idque pro lubitu sternebant vel majoribus *lapidibus*, obliquato in latera quadro, qualis rhombus nobis *Losange* dicitur; vel *tesseris* grandibus lateritiis; vel minoribus lateribus, qui quod *spicæ* in modum extrema habebant acuminata & in latus stabant, *Spica* & *Spicata testacea* vocabantur. Breviter, ut solet, hæc complectitur Vitruv. *l. l. Cum fuerit ita perstratum, super Nucleus inducatur, & virgis cædendo subigatur. Supra autem sive ex tessera grandi, sive ex spica testacea struantur fastigiis. Fastigia* autem intelligit tumorem quemdam in medio, ut aquæ dilabantur per canaliculos in suggrundarum collicias, & non sistantur; illud fastigium Vitruvius ibidem vult *habere digitos duos, in singulos pedes denos pavimenti.*

7. Uti autem inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboraret, *fracibus* quotannis ante hyemem saturabatur, ita ut non paterentur in se recipere gelicidii pruinam, monente itidem *l. l.* Vitruvio, ne scilicet gelu offenderet ligna, olei fæcibus e retrimento olei (*Fraces* enim sunt olearum carnes & inde fæces) imbuebantur. Crassities enim olei non permittit aquæ humorem penetrare.

SECTIO XV.

De Pavimentis plano pede.

1. *Solum duplex, perpetuo solidum & congestitium.* 2. *Modus præparandi utrumque secundum suam indolem, & instrumenta huic rei servientia.* 3. *Fistuca quid. Vocis hujus varia significatio.* 4. *Solo solidato quæ Coria imposita.*

1. DIximus de *Pavimentis contignatis* secundum Architectos priscos Latinos & Græcos. In *Pavimentis plano pede* prima erat *Soli* consideratio, sive plani illius, super quo *Pavimentum* erat collocandum. *Solum*, si esset ubique solidum & firmum, appellabant *perpetuo solidum*, quod tantum erat *exæquandum, coæquandum* & *librandum*, uti loquebantur. Si vero *Solum* tale non erat, sed vel aliqua ex parte, vel omnino humidum, vel nutans & labans, vel repletum incerta & minus stabili terra, aut impeditum ruderibus demolitarum structurarum, illud vocabant *Solum congestitium*, quod ante omnia consolidandum & firmandum erat *Cylindro, Pavicula*, aut incussis & adactis *Palis*, sive *Fistucis*.

2. *Cylindrus* lapis erat grandior, prægravis, in longum circum circa rotundatus, qualis fere est lapidea tudicula olearia; aut velut palangæ illæ ligneæ aut lapideæ, quibus agricolæ agros avenarios supervolvunt, ut eos coæquent & ad falcem commodiores reddant. *Pavicula*, quam nostri *Battoir*, & Campani mei *Batte*, vocant a *paviendo* sic dicta, fiebat ex ligno pedem longo, crasso plus minus semipedem, longo instructa manubrio, ad medium inclinato, unde Plin. *l.l.* illam quoque nominat *Virgam* & Vitruvius *l. l. Vectem ligneum*. Iisdem instrumentis agricolæ solidabant & coæquabant horreorum suorum areas, in quibus frumenta terebant, ut discimus ex Catone *de R. R. cap.* 129. Aream *Cylindro aut Pavicula coæquato*: & ante *c.* 91. *Deinde coæquato & Paviculis verberato.*

3. Quantum ad *Palos*, qui nutanti & incerto solo adigebantur & demergebantur, hos Romani Architecti vocabant *Fistucas*, & Gallus ejus Interpres, *des Palis*, quibus utebantur in structuris super aquas, aut circum loca aquosa. Credibile

est vocem *Fistucæ* cum palis hisce communicatam ab ea machina sive instrumento, quo adigebantur in terram desigendi pali. Eam namque machinam proprie Architecti vocant *Fistucam*, unde verbum *Fistucare*. Gallis est *Hie*, unde verbum *hier* fecerunt Interpretes Plinii & Vitruvii, pro *frapper & enfonçer un Pilotis*; quod Parisiis in pontibus lapideis ligneisve struendis, quomodo fiat, videri potest. Scilicet *Fistuca* in longum armata pondere in imo & ad perpendiculum suspensa funibus trochleisque opera hominum trahitur in altum, & a tignis dimittitur supra directos palos, ut crebris ictibus paullatim ad justam profunditatem defixi adigantur pali sive sublicæ. *Fistuca* quoque est instrumentum illud utrimque ansatum, quo utuntur Pavitores ad opus suum feriendum, solidandum, coæquandum. *Pavimenta* autem, quibus *Fistucæ* tales, sive *Sublicæ* subjiciuntur, Latini vocant *Cannea Pavimenta*, teste Maria Grapaldo Parmense, *in Lexic. de Part. Æd.* II. I. *verb. Pavimentum*.

4. Solo solidato & sufficienter coæquato imponebantur eadem coria, quæ in *Pavimentis contignatis*, eodemque, quo diximus, ordine; scilicet *Statumen*, *Rudus*, *Nucleus*. Bina posteriora eodem Calcis temperamento, quod in *Contignatis* supra diximus, erant. Hinc Vitruvius VII. I. *Si plano pede erit ruderandum, quæratur solum, si sit perpetuo solidum, & ita exæquetur, & inducatur cum Statumine Rudus. Si aut omnis, aut ex parte congestitius locus fuerit, fistucationibus cum magna cura solidetur*. Quo facto inducendum erat supremum Corium, sive *Pavimentum* proprie dictum, de cujus diversis speciebus suo loco & tempore dicemus.

SECTIO XVI.

De imo Solo, Plano sive Sede, quæ præparabatur pro collocanda Materia muniendæ Viæ Publicæ, ejusque diversitate.

1. *Ex comparatione Pavimentorum in ædificiis, quærendum est Pavimentum Viarum Publicarum, maxime Rusticarum.* 2. *Variæ quandoque Sedes intervallorum ejusdem Viæ.* 3. *Binæ Sedes rariores.* 4. *Viæ per Montes excisæ diffissos.* 5. *Duæ species Viarum, cæsis utrimque Montium lateribus. Prior species.* 6. *Et posterior. Alpes per Hannibalem apertæ.* 7. *Cautes apertæ per Appium Cæcum; aliæ per Cl. Postumum Dardanum.* 8. *Alpes per Augustum apertæ. Viæ perfossæ & excisæ in modum cavernarum.* 9. *Duæ Viæ subterraneæ, altera in Ægypto, altera Babylone.* 10. *Viæ Subterraneæ in Italia.* 11. *Duæ Viæ Subterraneæ circa Neapolim. Prior.* 12. *Posterior inter Puteolos & Neapolim.* 13. *Rex & Prorex Neapolis, qui porro elaborarunt hanc Viam* 14. *Conjectura super auctore hujus Viæ.* 15. *Duæ Viæ ab Agrippa perfossæ.* 16. *In Viis perfossis alia præter ipsam Rupem vel Cautem materia munitionis non erat opus.*

1. HOc opus, hic labor fuit Architectorum tam in Solo & Sede præparanda, quam in collocandis in ea *Coriis* & materia interiore *Pavimentorum* in *ædificiis*, eorumque cum *plano pede*, tum *contignatorum*: videndum nunc est, num illi, qui Vias Publicas faciebant, eadem industria & artificio usi sint, tam in sternendis in Urbe Roma, quam extra Urbem Viis. De Urbis Viis alibi magis opportune loquemur, jam vero maxime persequemur, quomodo præpararint *Solum imum* Viarum Publicarum Rusticarum.

2. Certum est, harum *Solum* fuisse diversum pro diversitate locorum, per quæ Viæ Publicæ deducebantur. In una enim eademque Via quandoque erant *intervalla* quædam *demersa*, aut intra *terræ* utrinque latera, veluti muros binos altiores, aut *excisa* & *perfossa* per viscera *Rupium Montiumve*, instar profundarum obscurarumque cavernarum: quædam *intervalla plana* & *æqua* erant, & utrinque cum terris vicinis, quæ illa hinc inde cingebant, æquali superficie: alia *eminebant* inter agros vicinos structis aggeribus, molibus, vallis, munitionibus: alia ad *declivitatem montium* erant, ita ut hinc inferior illinc superior esset superficies, qua latera terminabantur. Vides hic *Soli* sive *Sedium* quatuor species, in quibus Viæ Publicæ jacent: quarum *Sedium* aliæ rariores, aliæ frequentiores.

3. Rariores sunt *demersæ* infra Terræ superficiem: eas enim ut facerent, *Montes* ad aperiendam Viam erant aut diffindendi, aut perfodiendi & quasi perterebrandi: quod opus immensi erat sumtus, tum ratione *Terræ*, quæ agitanda & removenda erat; tum ratione durarum *Cautium*, quæ subinde excidendæ erant.

4. Montes appello *diffissos*, qui aperiebantur a summo ad imum, ut Viam & Iter admitterent, & qui latitudinem Viæ hinc & inde ceu parietes gemini aut munimenta continebant inclusam. De hisce Viis *diffissis* admirans loquitur Strabo, *Geogr. lib.* V. *p. m.* 429 *Cernere licet stratas in agro Vias, excisis ad hæc collibus*. Tales sunt Viæ Privernatium in Italia, quas nobis sic describit Baptista Albertus *de re ædific.* IV. 5. *Sunt, qui putent agrum Privernatem esse tutissimum, quod eum profundæ Viæ, quasi demersæ fossæ, persecent, ingressu ambiguæ, progressu incertæ & minime tutæ, rupis exstantibus, unde hostis facile possit obteri*.

5. Hæ autem *Viæ demersæ* & *diffissæ* erant duum generum. Aliæ enim *decisæ* ex *Terra* aut *Arena*, faciliore effossu & egestu in istis intervallis: nam cum ad justam altitudinem in fundum erant apertæ, Solum imum erat solidandum & præparandum ad suscipienda Coria eadem, quæ in locis planis & æqualibus usu veniebant.

6. At si aperto monte occurreret *Rupes* aut *Cautes*, ibi tum magnifica Romanorum virtus & audacia locum habebat. Opus enim non intermittebant inceptum, sed scalptris ferreis *Rupem* excidebant, & invita quasi natura ac invia Viam sibi faciebant hominum plurimorum opera & sumtibus immensis. Tales sunt complures Viæ excisæ in Alpibus, quarum una Hannibalem dicitur auctorem habere, ut ex Gallia in Italiam transire posset. Quomodo autem inaccessas hasce Alpes non ferro, sed igne & aceto aperuerit, docet Livius XXI. 37. *Inde ad rupem muniendam, per quam Via esse poterat, milites ducti, quum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt: eamque (quum & vis venti apta faciendo igni coorta esset) succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt; ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent*.

7. Sed, ut ad Romanos revertamur, simile Saxum Appio prope Terracinam cædendum fuit, quod Appiam Viam claudebat. Rem diserte enarrat Cyprianus Eychovius, Germanus pereruditus, qui ipse suis oculis visam illam rupem excisam sic stylo admiratur & describit *in Deliciis Italiæ*: *Appia*, ait, *Via silice strata Viatorem detinet structura sua exi-*

mia,

mia, & consideratione reliquiarum antiquarum: atque in primis, ubi in planum & rectum scalptris ferreis ad littus in Terracinensi promontorio excisa est ex durissima caute. Stupet spectator admirabundus rectæ viæ planum unius saxi pavimentum, sub pedibus porrectum per passus plus minus viginti in longitudinem, ac trinis fere passibus in latitudinem: munitum quidem, ut Appia tota fuit, ab utroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus, qui Viatori pediti semitam siccam præstabant. Quibus adjecti lapides eminentiores, veluti bases quædam, per decimum quemque pedem, e queis in vehicula vel equos scansio fieret commodior. Quis non miretur solidum ex eadem candenti rupe parietem explanatum in summam altitudinem, quam per pedum decades multas, characteribus numerorum magnis, singularum decempedarum distantia sculptis, curiosa Vetustas Posteris demonstrare voluit? Quem non delectatione afficeret graphicotera characterum illa symmetria proportioque? qui æque magni a longe in altissimi parietis summitate, ac in imo intuentium oculis occurrunt? Sic & pergentibus ad vicum sancti Genesii prope Cisteronem occurrit Rupes divisa opere humano, addita hac inscriptione, a qua locus *Petra Scripta* dicitur, *Gruter.* CLI. 6.

CL. ⌽ POSTHVMVS. DARDANVS. VI. NP. ET. PA
TRICIAE. DIGNITATIS. EXCONSVLARI. PRO
VINCIAE. VIENNENSIS. EX. MAGISTRO. SCRI
NI. LIB. ⌽ EXQVAEST. ⌽ EXPRAEF. ⌽ PRAET. ⌽ GALL. ⌽ ET
NEMA...... GALLACIAE. ⌽ ET. INL. ⌽ FEM. ⌽ MATERFAM
EIVS. LOCO. CVI. NOMEN. THEOPOLI. EST
VIARVM. VSVM. CAESIS. VTRINQVE. MON
TIVM. LATERIBVS. ⌽ PRAESTITERVNT. MVROS
ET. PORTAS. DEDERVNT. QVOD. IN. AGRO
PROPRIO. CONSTITVTVM. TVENTIONI. OM
NIVM. VOLVERVNT. ESSE. COMMVNE. ADNI
TENTE. ET. IANV. ⌽ INL. ⌽ CON. ⌽ AC. ERATREM
MORATI. VIRILI. ⌽ LEPIDO. EXCONSVLARI
GERMANIAE. PRIMAE. EXMAG... MEMORI
EXCON. ⌽ RERVM. PRIVAT. ⌽ VT. ERGA. OMNI
.... VM.. SALVTEM....... EORV....
.... M.. STVDIVM............
.... ET. DEVO........................
TIONIS. PVB............ STENED.................
T. VEV. SARO............ SS......................

8. Tales porro Viæ complures per *Augustum* in Alpibus sunt apertæ, quorum mentio facta *lib.* I. *Sect.* XV. aliæque, quas silentio prætereo, ut veniam ad eas, quæ magis admirandæ per ipsos Montes pertusos, & in utroque extremo perfossos & apertos transibant, cætera fornicatæ in formam longarum & angustarum cavernarum.

9. Vetustas plurimi fecit *Vias* quasdam *subterraneas*, qualium una fuit Thebis hecatompylis, ea longitudine & latitudine, ut Reges Ægyptii potuerint educere exercitum extra Urbem illam, inscìis & ignaris plane civibus, alia fuit Babylone, inventa & perfecta a Regina quadam Medorum, & deducta per fornicem structum ex lapide & bitumine sub canalem Euphratis, qui ex maximis orbis est fluviis, uti commode per compendium transire ex uno Palatio in alterum posset, & a Civibus suis tamen nec videretur; uti Philostratus docet *in vita Apollonii*.

10. At si quis lustret in hoc Operum genere Italiam, longe alia inveniet miracula: non enim una, sed plures sunt *Viæ ex rupe viva pertusa excisæ* admiranda longitudine. Transeo hic silentio Vespasiani *Pertusam Petram*, sive cavatam Apennini Montis partem, pro transgressu Viæ Flaminiæ continuando, quæ ibi occludebatur, quod de illa dictum est *lib.* I. *Sect.* 17. §. 3.

11. Ante omnes præcipue sunt lustrandæ duæ *Viæ subterraneæ* in Italia, quarum altera tendebat a Baiis Cumas, cujus introitus satis erat angustus. Qui nostro ævo illic fuerunt ipsi, sic eam nobis describunt: Via in saxum excisa longitudinis pedum LXXX. proceditur. Ad ejus finem, dextra perbellum est conclave quadratum, in saxum excisum longum pedes XIV. altum XII. latum VIII. Intus exadversum ingressui juxta parietem, saxum a pavimento elevatum instar tori est exigui. Penetrale hoc olim, ut etiamnum ex parte cernitur, magnificentissime perfectum ornatumque fuit: summa testudo sile Attico cum auri notis depicta: parietes zophoris distincti ex margaritarum conchis & coralio compositis: intra zophoros usque ad imum solum, opere tessellato ex gemmis itemque coralio & margaritarum conchis inducti erant. Vulgo fama est hanc Sibyllæ Cumææ habitationem, sive celebre illud Antrum, cujus Virgilius *Æneid.* VI. meminit, fuisse. Primum hujus cryptæ exitus nullus patebat, sed erant obscuræ cavernæ perpetuæ in saxum excisæ, quarum nonnullæ in Sacellorum formam redactæ sunt. Sed Agrippa, Augusti gener, qui in faciendis Viis omnes longo post se intervallo reliquit, in hac quoque crypta aperienda magnitudinem & animi sui & divitiarum ostendit. Succiso enim Averni luco, ut testatur Strabo *Geogr. lib.* V. *p. m.* 446. sic dicto ab *Averno*, qui inter infernos fluvios solet referri, & locum per pulcherrima adornans ædificia, deinde aperta & conscissa hac Crypta subterraneam Viam usque Cumas perduxit, quo facto discussit plurimas Antiquitatis fabulas, super cryptis hisce & cavernis, nec

non invio proceris arboribus luco, & hac regione, quam Cimmeriis habitatam olim ferebant, qui nunquam lucem diurnam videbant, in ſubterraneis hiſce domiciliis degentes, quibus exire ipſis non licebat, niſi de nocte; unde proverbio celebratis *Cimmeriorum tenebris* locum fecerunt, & Homero occaſionem canendi, quod *ipſos nunquam Sol intueretur*. Odyſſ. v.

12. Altera *Via Subterranea* eſt a Puteolis Neapolim; ea neceſſario tranſeunda, niſi quis mari navigare, aut per terras longo circuitu iter facere malit. Nam Pauſilypus, mons arduus & Sannazarii Muſis conſecratus æternæ memoriæ, promontorii inſtar in mare Siculum procurrit, viamque præcludit a Puteolis proficiſcenti Neapolim. Id quod Auctori hujus *Viæ Perfoſſæ*, quiſquis ille demum fuerit, occaſionem dedit, ut immani ſumtu & diuturno labore per imas radices atque intima viſcera montem ad paſſus plus minus cIↃ. ſive dimidiam Leucam noſtratem, pertunderet, viamque itinerantibus recto tramite planam atque facilem aperiret, atque ex rupe ſcalptris excideret, latam pedes duodecim & totidem altam, qualis & jam Strabonis ætate fuit, ſic ut duo contraria plauſtra ſimul commeare & tranſire potuerint, ſpiraculiſque compluribus ad perpendiculum linea recta pervia ad diem admittendum. Audi Strabonem de utraque Via *Geogr.* v. *p. m.* 449. *Exſtat & his in locis intra montem effoſſa ſpelunca, in Dicæarchiæ Neapoliſque medio, ſicut altera Cumas tendens, facta, in qua Via obviis curribus pervia multis panditur ſtadiis: e ſuperna autem Montis parte, exciſis multifariam feneſtris lumen in profunditatem infunditur.*

13. Alfonſus I. Arragonum Rex regno Neapolitano in poteſtatem ſuam redacto complanavit dilatavitque hanc Viam ac fauces; perforavit montis dorſum, atque duas aperuit feneſtras, quæ lumen obliquum in mediam ſpeluncam ex adverſo nunc infundunt, tanquam nix quædam inſperſa ſolo lux illa tranſeuntibus apparet procul reſplendens in obſcuro, priuſquam feneſtræ videri poſſunt. Adampliavit opus immortalitate dignum inſtauravitque magnifice Avorum memoria Petrus Toletanus, dum Caroli v. Imp. auſpiciis regnum Neapolitanum adminiſtravit. Itaque nunc tam recto tramite Via per montem ducta eſt, uti Cryptam intrantibus lumen procul veluti ſidus quoddam per oſtium adverſum reſplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigant: quibus item facile atque jucundum eſt, obvios quoſque per lumen illud in ſpeluncam intrantes, tanquam Pygmæos procul vel equites vel pedites cernere.

14. Variæ feruntur Eruditorum ſententiæ, quiſnam primus Viam hanc Perfoſſam fecerit. Strabo *Geogr. lib.* v. *p. m.* 436. *Coccejum*, ait, *eam quidem condidiſſe foſſam memoriæ proditum eſt, & eam quæ ex Dicæarchia, id eſt Puteolis, exſtat Neapolin ad Bajas.* Cæterum quiſnam ille Coccejus fuerit, aut quo tempore vixerit, non addit. Leander Albertus *in Deſcript. Ital. p. m.* 274. de Campania felice & priſcis Cumarum incolis verba faciens ait: *Zenobius Accievolus ordinis Prædicatorum monachus Græce Latineque doctiſſimus in Panegyrico quodam Urbis Neapolitanæ ac Civium ejus, nonnullos a L. Lucullo factum* (hoc Opus) *alios a Baſſo dixiſſe tantum refert.* Sed non addit idoneos teſtes. Veriſſimum equidem eſt a Lucullo montem juxta Neapolim majore impendio, quam Villam ſuam prope Bajas ædificaverat, exciſum eſſe. Non ſane, ut iter Viatoribus commodum faceret, ſed ut Euripum aperiret, ac maris undas, cum placeret, piſcinis ſuis immitteret; utique piſcibus per vivaria tam æſtate, quam hyeme commodas ſtationes intra montis cavernas pararet. Nec veriſimile videtur, opera L. Luculli, quæ maxima & ſumtuoſa in iis locis fecit, quorum ob cauſam *Xerxes Togatus* a Pompejo Magno, Tuberone, Cicerone, cæteris Principibus Urbis appellatus fuit, Straboni ignota fuiſſe. Lucullus enim æque mirifica per Pacis otium opera perfecit, qualia magnus ille Perſarum Rex Xerxes olim per belli neceſſitatem. Redeamus ergo ad Strabonem, & illi credamus Auctorem hujus Viæ fuiſſe Coccejum, quem Leander Albertus *l. c.* appellat *Cumanum*, aut alium ex hujus gente & familia, de qua Franciſcus Schottus *in Itinerar. Ital. lib.* III. *cap. Iter Puteolos verſus p. m.* 532. ex Pighii *Hercule Prodicio p. m.* 346. *Ex Strabonis verbis elicimus, diu ante illius tempora Coccejam Gentem in Campania floruiſſe: Cryptamque dictam ibi fuiſſe, nec de ejus Auctore quid aliud tum certi conſtitiſſe.* Quamvis autem Strabo ſileat, quis fuerit ille *Coccejus*, & quando vixerit, credibile tamen eſt fuiſſe Romanum; jam olim namque Romam tranſiverat gens *Cocceja*, ibique Magiſtratus præcipuos geſſerat. Ex ea gente fuit quoque Coccejus Nerva inſignis JC. qui ſub Tiberio floruit, & pertæſus crudelitatis Tiberii, *omnis divini humanique Juris ſciens, integro ſtatu, corpore illæſo, moriendi conſilium cepit*, ut de eo teſtatur Tacitus, *Annal.* VI. 26. Ex hujus Poſteris nonnulli credunt Coccejum Nervam Imp. qui Domitianum excepit. Sed præter nominis Romani conjecturam, magnitudo ipſa Operis animum & audaciam arguit Romanam, non vero alicujus Reguli Campani, ſi reſpicias operarum & impenſarum ad hoc opus perficiendum multitudinem, quæ tantæ fuerunt, ut Leo Baptiſta Albertus *de Re Ædifi.* II. 2. quærat: *Tum & eum, qui tam multis hominum millibus montem apud Puteolos foderit, quis non malit utiliori aliqua in re tantum operæ atque impenſæ conſumſiſſe?* Adde ejuſdem magnificentiæ Romanæ complura in illo terrarum tractu opera, ubi lubentiſſime & propter ſummam cœli temperiem & agri amœnitatem ac fertilitatem, & aquarum limpidarum dulcedinem otiari & ruſticari ſolebant Romani. Sic & ipſe Miſenus, mons Virgilii Muſis celeberrimus, cryptis atque cavernis multis pertuſus atque concavus eſt, ædificiiſque fornicatis, quæ numerus columnarum maximus fulcit ac ſuſtinet, a Romanis perfoſſus eſt, ut in fornicum pilis incumbere prorſus ac inſidere videatur.

15. Illud ſaltem extra controverſiam eſt, Agrippam non ſolum aperuiſſe Cryptam Cumanam, ſed & inſuper binas Vias feciſſe per viſcera duorum montium exciſas & perfoſſas. Inter opera enim Agrippæ a Cypriano Eychovio *in Deliciis Ital.* recenſentur *Exciſus Averni ſaltus propter ſylvarum denſitatem, & aeris ſalubritatem: perfoſſi montes atque duræ cautes, quo Viæ paterent planæ per compendia ad Bajas Lucrinique littora.* Cætera liberum eſto cuivis hac in re judicii arbitrium.

16. At enim quiſquis demum Auctor fuerit harum Viarum, Puteolanæ & Cumanæ, aliarumve pertuſarum exciſarumque e viva rupe, illi in Viis hiſce ſtratura opus non fuit, aut Pavimentorum coriis; cum enim Viæ hæ partem facerent ipſius rupis, ſatis firmæ & ſolidæ erant ad ſuſtinendum Vecturæ impetum & trituram. Adeoque ſufficiebat, eas aperuiſſe & complanaviſſe. Quare tranſeamus ad alia, Vias, aut earum partes, in apertis campis factas, quæ omnium maxime frequentes teruntur, & in ſuis viſceribus non minus mirifica continent, quam modo dictæ exciſæ ex rupibus.

SECTIO XVII.

De modo faciendi Vias Publicas in apertis campis, illarumque Exaggerationibus.

1. *Viarum Publicarum varia Sedes, ejusque tres species.* 2. *Quomodo, cum fierent Viæ Publicæ, sint inchoatæ.* 3. *Statii testimonium.* 4. *Quomodo Viæ factæ in locis planis & æquis.* 5. *In locis depressioribus fiebat edita aggestio.* 6. *Hæc dicta Aggeres Itinerarii aut Aggeres Viæ.* 7. *Eorum altitudo.* 8. *Viæ Publicæ dictæ quandoque Aggeres, ob molem & altitudinem.* 9. *Aggerum borum pace Belloque commoditates.* 10. *Unde Terra ad Aggeres adsumta sit.* 11. *Viæ Publicæ aliquando in declivitate montium structuris fulciebantur.*

1. VIarum factarum & deductarum per campos, paludosa, sylvas aliaque loca nonnullæ exaggeratæ erant; aliæ respondebant planitiei terrarum, in quibus sitæ erant; aliæ denique in nonnullis intervallis plane erant demersæ nec oculis obviæ, sive has continua lapsu temporum corrupisset vectura, sive campi vicini quacunque de caussa, quam temporum præbet diuturnitas, exaltati eas quasi absorpsissent & demersas contexissent, uti plerumque fieri solet circa aditus celebriorum urbium. Ego equidem prope antiquas Urbis Remensis portas reperi Vias, qui non amplius conspectui vulgo patent, licet cætera integræ, sed immersæ quinque aut sex pedes sub terras: id quod factum puto areæ illius exaltatione, & continuis abjectionibus ruderum & sordium effusionibus super aut circa illas Vias, quibus paullatim cooperiuntur & absorbentur.

2. Cæterum forma & modus inchoandæ in Campo Viæ Publicæ erat, designare locum Viæ deducendæ factis sulcis sive liris, æquali distantia ad funiculum per medios campos tensum, sive locus esset planus & æquus, sive uliginosus, sive montanus declivis. Intra hosce sulcos, ceu duas lineas parallelas, terminabatur & limitabatur Viæ faciendæ latitudo. Sulcis factis operæ admovebantur, qui locum designatum effodiebant, excavabant & egerebant intra hosce sulcos ad formam longarum fossarum sive canalium. Evacuabant autem terram mollem & instabilem, usque ad solum stabile & firmum; deinde fossam hanc ita exhaustam replebant materia solidiore, uti arena marina, fluviatica, aut fossitia vicina, pro locorum ingenio; quam arenam solidabant supervolvendo grandem cylindrum, uti agricolæ super agros avenarios supervolvunt palangam; aut eandem durabant & solidabant crebris paviculæ aut fistucæ ictibus, uti statumen & quasi cubile præpararent firmum & satis solidum excipiendis lapidibus, silicibus, aliisque materiis, quæ in illo insternebantur & digerebantur.

3. Statius Papinius hæc modo dicta satis clare & evidenter describit *Sylvar.* IV. 3. *in Via Domitiana, vs.* 40. & *seqq.*

Hic primus labor inchoare sulcos,
Et rescindere limites; & alto
Egestu penitus cavare terras.
Mox haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium parare dorso.
Ne nutent sola, ne maligna sedes,
Et pressis dubium cubile saxis.

4. Si locus erat planus & æqualis, & solum stabile ac solidum, ibi tum fere solebant fossas sic excavatas replere ad summam areæ superficiem, aut A plus minusve. Sic imponebantur diversa materiarum coria, ex quibus Viæ componebantur, adeo ut opus perfectum responderet æquali superficie campis vicinis, eatenus tamen altiori, quatenus opus erat, ut aquæ defluerent & dilaberentur. *Peritiores*, ait Albertus *de Re Ædific.* IV. 5. *Viam tutissimam putant, quæ coæquatum per colliculorum dorsum agitur.* Tutiores certe sunt, quam Viæ excavatæ, de quibus diximus.

5. Si Via progrederetur per loca humilia, depressa & inter duos colles dejecta, tum solebant non solum fossas ad summam Areæ superficiem replere, sed etiam aggerere Arenæ cumulum, continuatum ab uno colle ad B oppositum pari libra, atque erant colles. Straboni *lib.* V. *Geogr. p. m.* 329. hoc est *exaggerare Valles*. Id fiebat, ut ejusdem altitudinis dorso & æquo itinere Via procederet. Latini vocant *Aggeres* qui erant quasi podia & cumuli coacervati intra duos sulcos, & continuati longo dorso per camporum æquor in modum valli angustioris, sed longissimi, super quo tandem inducebatur summa crusta ex silice vel glarea. Hi quoque *Aggeres* fiebant locis humidioribus. *Locis autem*, ut ait idem Albertus *l. c. uliginosis addebant terræ Aggerem, super quem lapideam crustam insternerent.*

C 6. Ammianus Marcellinus *Historiar.* XIX. 6. proprie & significanter appellat *Aggerem Itinerarium*, narrans obsidionem urbis Persicæ *Amidæ*, quam Romani adversus oppugnantes Persas tuebantur: *Diu laborata*, inquit, *moles illa nostrorum, velut terræ quodam tremore quassata procubuit: & tanquam Itinerario Aggere vel superposito ponte complanatum spatium, quod inter murum congestamque forinsecus struem hiabat, patefecit hostibus transitum nullis obicibus impeditum.* Virgilius *Æn.* V. 273. *Aggerem Viæ* clarius & distinctius appellat:

D *Qualis sæpe Viæ depresus in Aggere serpens.*

Tales *Aggeres* idonei Auctores vocant *Aggerum structuras, substructiones, continuatas munitiones* sive *moles*, & *editas aggestiones*, ut videre licet ex pluribus locis scriptorum hoc opere laudandis.

7. Et sane in solis hisce *Aggestionibus editis* reperi omnia, quæ Auctores prisci & recentiores tradunt de Viarum interiore materia. Neque mirum est, quod ejusmodi *Aggeres* in scriptis suis accurate denotarint, cum instar monticulorum longorum angusto emineant dorso. Neque in locis solum uliginosis aut depressis videntur; sed per terE ras quoque soli maxime firmi & stabilis apparent, præcipue in Gallia Belgica. Complures enim vidi, qui super terras vicinas & contiguas eminebant exstantes ad decem, quindecim aut viginti pedes, & longitudine nusquam interrupta ad quinque sexve leucas nostrates. Talibus Aggeribus Gallia Belgica inter cæteras provincias fuit ornata quaquaversus ab altero extremo ad oppositum, ubi falso nomine *Calciatarum Brunehildis* teruntur: si quis illos procul e longinquo videat, diceret esse funem sive lineam viridantem, extensam per campos immenso & infinito tractu, quod declivia horum Aggerum fere ubique hinc & inde vireant F herbis aut musco.

8. Altitudo & moles continua horum *Aggerum* cum sit in Viis hujus notæ inter mirifica, caussa fuit, quod Vias quandoque simpliciter *Aggeres* appellent idonei Auctores; quandoque *Aggeres Publicos* vel *Militares*, aliquando *Tellures Inaggeratas*: ut recte Andr. Resendius *in Antiq. Lusit. Eoque factum, ut aliquando ipsa Publica Via ac Militaris, Agger Publicus diceretur.* Familiare hoc fuit scriptoribus Gallicanis antiquis, ut Sidonio Apollinari

in *Propemptico ad Libellum*, *carm.* 24. *vs.* 5. & *seqq.*

Antiquus Tibi nec teratur Agger;
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Cæsareum nitet columnis.

Idem *in Epitaphio Apollinaris Avi sui Epistol.* III. 12. *vs.* 1. & *seqq.*

Verum post Patruos Patremque carmen
Haud indignus Avo Nepos dicavi:
Ne fors tempore postumo Viator,
Ignorans reverentiam sepulcri,
Tellurem tereres inaggeratam.

B Sic & intelligendus *Agger Publicus* in Flodoardi *Histor. Eccles. Remens.* qui ante hæc septem fere sæcula floruit, cum ait Sepulcrum Sancti Gibriani factum fuisse *juxta publicum Aggerem*, id est ad Viam Publicam sive Militarem, ubi sepulcra fieri solebant ante instituta cœmeteria; id quod Flodoardi interpres *Chesneau* non animadvertens reddit: *pres du Tertre, ou de la Motte publique*.

9. Commoda talium Exaggeratarum Viarum recensebimus verbis Alberti *de R. Æd.* IV. 5. ubi varias Viarum species enumerans sic concludit: *Proxime ad hanc accedit, quæ ex veteri more exstructo aggere medios per campos dirigitur. Quin & illam Veteres ea de re Aggerem nuncuparunt, & protecta sic perducta, multas de se præbebit commoditates. Nam cum ex prospectus amœnitate per celsam exaggerationem ambulantes Viatores ab itineris labore & molestiis plurimum leventur: Tum & multo interest longe hostem prævidisse, & habere, qui possis infestum urgentem, aut modica manu distinere, aut nulla tuorum jactura, si superet, cedere.* Adde quod sicco pede perambulentur.

10. Hi *Aggeres* fiebant subinde ex coacervatione & accumulatione terræ ex agris juxta adjtis aliisve proximis herediis; prout judicare licet ex lateribus utrinque in modum fossarum, quæ Vias juxta ad dextram & sinistram comitantur, effossis & in Aggerem proximum egestis: At alibi agri proximi conjunguntur & concurrunt cum ora ipsa *Aggerum*, plana & æquali facie, ita ut non appareat eminentes hos cumulos Aggerum fuisse coacervatos ex effossis juxta agris; adeo ut credibile sit, æque ac lapides & silices, quibus Viæ stratæ erant, sic & inaggeratam hanc Arenam ad Aggeres necessariam, apportatam fuisse & advectam e locis longinquis ad ea Viæ intervalla, ubi opus erat aggestionibus hujusmodi. Et tamen Terræ copia & quantitas, quam Exaggerationes tales desiderabant, harumque longitudo & operis totius immensitas tales erant, ut inter præcipua Viarum harum miracula sint recensendæ.

11. At omnem superant admirationem opera Structurarum, quas Romani necessitate cogente in Viis Publicis juxta declivia montium deductis fecerunt. Si enim declivitas, post excisam applanatamque sedem & pavimento insternendo aptam, foret nimis ardua aut præcipitio vicina nimis, ab imo Collis ad summam usque Viæ sedem, Viam muniebant & fulciebant substructo muro satis valido ex quadrato lapide, uti objectus ponderi materiarum straturæ præcaveret, ne vel sedimento, vel continuo Vecturæ attritu imum collis latus divelleretur & dilaberetur, & sic interrumperet Viam continuam. Talis structura fuit in Via Flaminia, de qua Smetius, Vir rerum Antiquarum Curiosissimus, in Notulis, quas ad jecit *Inscript. Antiq. p.* 1. sic narrat: *In Via Flaminia tertio aut quarto lapide a Foro Sempronii, Urbinum versus, Metaurus fluvius inter duos excelsos montes labitur, juxtaque Via jacet, quam necesse fuit muniri, & pro loci natura nonnunquam fulciri. Et in eam rem exstant antiquissima murorum ex quadrato lapide vestigia, a templo S. Mariæ del Ponte, usque ad locum quem Cailly vocant.* Ut paucis absolvamus, quicquid fiebat ad solum Materiis straturæ præparandum, tam exterioribus, quam interioribus, commode distribui potest in quatuor opera sive labores incredibilis impensæ, & laboris improbi atque continui; Nam aut Rupes diffindebant & egerebant, aut latera & declivia Montium applanabant; aut Colles perfodiebant & in cavernas excidebant; aut Valles coæquabant. Visuntur hæc tam in Italia, quam alibi passim, non sine spectatorum stupore. Baptista Albertus, qui hæc stupenda opera ipse suis oculis propius lustravit, quatuor modo dicta genera eorum sic breviter comprehendit: *de Re Ædificat.* VIII. 1. *Visuntur passim totis Viis Militaribus proscissæ Rupes, delumbati Montes, perfossi Colles, æquatæ Valles, impensa incredibili & operum miraculo.*

SECTIO XVIII.

De Natura, Quantitate & Ordine Materiæ reliquæ interioris ad Opera Viarum Publicarum.

1. *Viæ Publicæ ab Auctore refossæ, earumque coria cum Pavimentis Ædificiorum convenientia.* 2. *quæ & ubi primum refossa Via? & ejus in primo Corio differentia a Pavimentis Ædificiorum.* 3. *quæ tamen non obstat, quo minus dicatur illud Statumen.* 4. *Alterum ejusdem Viæ Corium.* 5. *Natura lapidum in eo Corio.* 6. *Tertium Corium.* 7. *Tota Viæ primum refossæ crassitudo.* 8. *Viæ dein refossæ descriptio.* 9. *& postremæ, sive Tertiæ, refossæ.*

1. Aggere præparato, solidato & exstructo in modum supra dictum, veniendum erat ad Opus præcipuum, quod consistebat ex variis Coriis lapidum aliusve materiæ, ex qua Viæ Publicæ componebantur. Dixi antea *hujus libri Sect.* IX. §. §. 6. & 7. me curasse, uti me præsente refoderentur hic illic Viæ Publicæ, quæ ex diversis Galliæ & Belgicæ regionibus Remis conveniunt, ut ipse viderem, num quid esset in gremio Viarum quod comparari posset Pavimentis domesticis. Quo facto, tam ratione materiæ, quam formæ magnam convenientiam, & parum differentiæ reperi. Materia per omnia conveniebat, Viarum tamen solidior & melius erat apparata, quippe oneribus majoribus destinata. Quantum ad Formam, ea in hoc Pavimentis Domesticis erat similis, quod materia erat disposita & digesta per varia Coria, distincta serie & certo ordine: in eo autem differebat, quod numerus & ordo Coriorum non esset utrobique semper idem. Plura quandoque Coria in hac, pauciora in illa Via reperiuntur: Coriumque, quod in hac est alterum, in illa Via est tertium. Cætera plane conveniunt, uti patebit, cum singillatim mox de refossis hisce Viis dicemus.

2. Prima earum, quas refodiendas curavi, est illa, quam RR.PP. Capucini repererunt ante hos duos annos in claustro sive septo Monasterii sui, quod exstruxerunt in Urbe Remensi hujus sæculi XVII. annis XVII. XIIX. XIX. quæ Via sita est in parte palustri, quam facit Vesla fluvius, qui hanc Urbem ad occasum lambit, eique illic pro fossa est.

Abhinc autem CCCCXXC. annos palustris ille locus Urbi adjectus est, quo tempore Reges Galliæ cœperunt ejus pomœria proferre. Refodiendam itaque ibi viam in horto Monasterii curavi ad novem pedes in profundum, cum solum stabile & firmum appareret, super quo Via erat facta. Super illo erat stratum coagmentum ex calce & arena; crassitudine unius digiti, eo candore, qui est recentis operis. Illud cum tractares, inficiebat manum instar farinæ, uti calx nova. Videbatur hoc stratum habere locum filicis aut paleæ, quam diximus supra *sect.* XIV. §. 4. substratam fuisse pavimentis subdialibus. Super hoc strato primum erat Corium ex lapidibus latioribus & planis; qui superingesti erant alii super alios ad crassitudinem decem digitorum, & tali temperatione coagmentati, ut difficile esset ex his fragmenta revellere.

3. Quamvis autem in Pavimentis Ædium primum Corium sit ex lapidibus potius globosis, quam planis pro *Statumine*, & in Viis Publicis e contrario omnino ex planis potius, quam globosis, jure tamen huic Corio *Statuminis* nomen convenit, cum in Opere Viarum primum locum occupet, ut *Statumen* in Pavimentis ædium: nec figura lapidum hic faciet differentiam; cum in Vitruvio, ut supra docuimus *Sect.* XIII. §. 5. *Statumen* dicatur omne, quod ad sustinendum aliud corpus aut materiam substernitur, aut pro strato subjicitur. Hinc *Statuminare*, quo verbo Plinius utitur pro subjicere sustinendæ alii rei lapides, aut palos, aut pedamenta. Sic *H.N.* XVIII. 6. *Humidiorem agrum fossis concidi atque siccari, utilissimum est: fossas autem cretosis locis apertas relinqui: in solutiore terra sepibus firmari, ne procidant, aut supinis lateribus procumbere: quasdam occæcari, & in alias dirigi majores patentioresque: si sit occasio, silice vel glarea sterni: ora autem earum binis utrinque lapidibus statuminari: alio superintegi.*

4. Sequebatur alterum Viæ Corium ex lapidibus magis globosis, quam planis & latis. Minimi manum implebant, & valde respondebat hoc Corium Statumini Pavimenti ædium. Nec tamen dicendum erit *Statumen*, aut Viæ Publicæ fundamentum, sed potius *Ruderatio*. Nam non primum, qui *Statuminis* est, sed secundum obtinet locum, unde sine controversia *Ruderatio* dici debet, quæ alteri Corio pavimenti ædium datur; adde, quod hisce lapidibus sint admixta fragmenta testarum, laterum & similium, quæ proprie *Rudera* appellantur. Hæc enim sunt demolitionum reliquiæ, cæmenta structurarum directarum, fragmenta gypsaria & his vicina.

5. Lapides autem hi *Ruderationis* Viarum Publicarum, tam illius a me primum, quam deinde refossarum, silice nativo multo sunt molliores, nec apti eliciendo igni: verum usque adeo coaluerunt tenaci concretione, ut operæ per unius horæ spatium vix tantum possint excidere, quantum humeris queant asportare. Neque semper hi lapides ad opus sigillatim manibus apponebantur, verum pala super opus suo ordine spargebantur; ibique compositæ & digestæ *virgis cædebantur* vel *solidabantur decuriis inductis*, ut loquar verbis Vitruvii de *Archit.* VII. 1. sive crebra pinsatione ad solidam compagem redigebantur, immissis pinsantium classibus, quas non minores, quam denum hominum faciebant. Cæterum Corium hoc alterum primo superexstabat crassitudine bessis sive octo unciarum.

6. Post Ruderationem in Via, quam supra dixi, sese offerebat loco tertii Corii Tectorium unius pedis crassitudine; non illud ex testis tusis, quale est in ædium pavimentis; verum ex materia lenta, adhærescente, glutinosa & molli atque tractabili,

A quam nostri Campani venaculo nomine appellant *Crouin*. Est autem hæc revera arena cretacea, aut ad cretæ indolem accedens. Eandem Virgilio ad aream faciendam intelligi puto sub nomine *Cretæ tenacis*, Georg. I. 178.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro
Et vertenda manu creta est solidanda tenaci.

Ubi per *Cretam* non intelligit eam, quæ lapideæ est indolis, ut quæ per se satis coacta solidari magis negat; sed potius Arenam cretaceæ naturæ, lentam & adhærescentem, quæ crebra pinsatione
B paviculæ ope poterat solidari, uti eadem commista calci sic ad Vias Publicas adhibebatur. Nihil impedit, quo minus Corio huic tertio *Nuclei* nomen indamus; cum & ejusdem sit naturæ & ejusdem ordinis, cujus est *Nucleus* in ædium pavimentis. Licet enim quod ad Vias, ex testis tusis factum non sit hoc corium; est tamen Tectorium, cui commode conveniunt reliqua bina vocabula, quæ *Nucleo* in ædibus etiam dederunt nonnulli Architecti, scilicet *Pultis* & *Offæ*, ceu fartum quasi dicere voluerint: tanto magis, quod ista creta tertii tectorii lenta sit & tenax, sic ut si ligonem unidentem infixeris, ex foramine nihil plus quam ad ra-
C tionem lati longique ligonis infixi referas, cum ista incrustatio in glebas aut partes majores rumpi, separari, dissilire neget.

7. Hæc omnia si colligamus in unum, Crassitudo interioris materiæ in ea, quam diximus ante, Via exsurget ad duos pedes & semissem; quibus si addamus Tertii Corii sive supremi crassitudinem, quæ tantum semissis est, integrum opus erit tres pedes, nec plures, crassum.

8. Talis fuit prima Via, quam refodi curaram; verum non erat satis vidisse materiæ illius ordinem & diversitatem, quæ tam belle respondebat pavi-
D mentis ædium; paullo post etiam me contuli ab Urbe dimidiam leucam ad unam Viarum Publicarum, quæ illic ducunt versus Catalaunum, quod hodie est *Chalons sur-Marne* Campaniæ nostræ; substiti in aliquo intervallo, ubi hæc Via quatuor vel quinque admodum pedes terris vicinis exstabat. Ibi nonnullam reperi diversitatem & formæ & materiæ. Formæ ratione hic *Nucleus* secundi Corii locum habebat, qui illic in priori Via, & in ædium pavimentis erat tertium Corium; Rudus vero, Tertii hic Corii locum obtinebat: Materiæ ratione, hic & illic per omnia conveniebant, nisi quod in hac Via per Agrum, inter lapides Rude-
E rationis non reperirentur testæ lateresve tusi, uti in illa priore.

9. Tertia Via Publica, quam rofodi curavi, est ea, quæ Remis ducit Mousonium. Hæc illic, ubi eam refodi jubebam, aggere terreno viginti pedum exsurgebat; locus iste plus minus tres leucas Remis abest. Ibi loci *Statumen* inveni duplex, compositum ex duobus coriis lapidum planorum; quorum primum solidatum est coagmentatione, uti & in prioribus, quas dixi, viis, estque crassum decuncem: alterum vero deuncis crassitudinem habet, merisque sive siccis lapidibus constat; tales puto, qui sibi invicem superingesti sunt sine ulla coag-
F mentatione terræ aut calcis; quod in aliis ante non videram. Hæc bina Coria putem posse comprehendi unico nomine *duplicis Statuminis*. Proxime hinc sequitur *Nucleus*, ex certa quadam terræ rufæ specie coactus ad crassitiem quatuor aut quinque unciarum tantum, bene autem digestus & solidatus super istos, quos dixi, lapides siccos. Super Nucleum ponitur *Ruderatio*, dextantem crassa, congesta ex silicibus rotundioribus & lævibus, ejusdem naturæ, cujus sunt illi, ex quibus superficies

facta, verum minoribus multo & tenuioribus. Vix enim invenias, qui magnitudine superent nucem vulgarem; ex contrario innumeri sunt, qui vix æquant nucleos cerasorum. Cuncti autem hi silices minuti tam firma coagmentatione conjunguntur, ut difficillime rumpi cædive possint. Hoc corio sustinetur ultimum & supremum, quod contra morem priorum Viarum consuetum, ex silicibus constat majoribus paullo, quam qui Ruderationis sunt; habet vero crassitiem semissis; sic ut integrum opus Viæ, a summo ad imum corium, habeat coria quatuor, & in his trium pedum & dimidii crassitudinem.

SECTIO XIX.

De Exteriore superficie Pavimentorum; Eorum divisione in suas species ratione ædificiorum, de prima specie Formæ Terrenæ.

1. *Extrema superficies comparatur pelli animalium, aut crustæ panis.* 2. *Pavimentorum in ædificiis, ratione superficiei, divisio in suas species.* 3. *Interpres Plinii Gallicus correctus in versione vocis* materia. 4. Materia *apud Plinium non lapis, sed terra solum.* 5. *Quid* Terra Materina? 6. *Natura pulveris Puteolani.* 7. *Hunc pulverem adsumtum fuisse ad pavimenta formæ terrenæ.* 8. *Cujus lituræ obductione Incrustationi pavimentorum terrenæ formæ duritiem conciliarint.*

1. EGimus hactenus de partibus internis, ac veluti intestinis visceribus, quibus veteres & componebant, &, si ita loqui licet, farciebant corpus pavimentorum, tam in ædificiis, quam in Viis Imperii Publicis. Ordo nunc monet, ut agamus de extrema superficie illorum, quæ toti operi veluti pro integumento erat, & quæ, instar pellis sive cutis elegantis & lævis, intra se continebat ossa, musculos, nervos, venas, arterias Pavimenti; similis & crustæ panis superiori, quæ sub hemisphærio suo, ut sic dicam, continet micas, molliores quidem, non tamen ideo viliores panis partes. Unde etiam veteres hanc Pavimentorum partem vocarunt *summam Crustam*; hancque inducere, vocarunt, *incrustare*, quo verbo ad omne politurae genus utuntur, quas vocant *Expolitiones*, *Incrustationes*, *Tectoria*, ceu quis diceret inductiones, aut emblemata, quæ applicantur ac inseruntur replendis, cooperiendis, poliendisve murorum & structurarum vacuis spatiolis. Hujus generis sunt musivo emblemate descripta pictis sectilibus opera, incrustationes laminarum marmorearum, quæ ornatus caussa applicantur parietibus & pavimentis in Templis, Palatiis, & Magnatum ædificiis.

2. Et quemadmodum antea Internam Materiam Pavimentorum inchoavimus ab illis, quæ Ædificiorum sunt; sic & nunc eodem plane modo persequemur Pavimentorum externam superficiem, hanc ab Ædificiis iterum orsuri. Ædificiorum Pavimenta erant materiariæ structuræ & solo æquabantur. Talium Incrustationum Tres erant species, unde & totidem Pavimentorum, *Forma Terrena*, *Testacea*, *Lapidea*. Terrenæ quoque formæ inventionem Græcis adserit Plinius *H. N.* XXXVI. 25. eamque his verbis depingit: *Non negligendum est etiam unum genus Græcanicum; Solo fistucato injicitur rudus aut testaceum pavimentum, dein spisse calcatis carbonibus inducitur sabulo, calce ac favilla mixtis: materia crassitudine semipedali ad regulam & libellam exigitur, & est forma terrena.* Quæ Interpres Plinii Gallicus sic reddit: *Cependant toutesfois je ne veux oublier una sorte de Pavé fait à la Grecque, qui est fort gentil: Car aprés avoir bien bié & foulé la place, qu'ils vouloient paver, ils la cimentoient de plastrats ou de tests de pots cassez: Et sur cela mettoient une couche fort espesse de charbons pilez, puis lui bailloient son dernier ciment, qui étoit de mortier fait de chaux, de sable & de cendres menues: & en aprés mettoient par dessus au niveau à l'esquiere & à la reigle des pierres de demi pied d'épez: & tenoient cela etre le vrai Pavé fait à la mode de Pise.*

3. Transcripsi hunc Pliniani Interpretis locum, ut inde discat Lector, quam vehementer erret iste, qui *Materiam* reddit per *pierres* i. *lapides*, quos fingit esse *de demi pied d'épez* i. *semipedali crassitudine*. Nam, ut taceam ejus crassitudinis lapides non fuisse ad ædificiorum pavimenta adsumtos, vox *Materiæ* eo loco ponitur pro incrustatione terrena, quam Plinius *l. c.* factam ait ex *sabulo, calce ac favillis mixtis*, quæ debet semipedalis esse crassitudinis, ut serviat extremæ crustæ sive supremæ in pavimento superficiei. Sic itaque extrema loci Pliniani verba reddenda fuissent: *Cette Matiere, qui étoit de demi pied d'épez, étoit mise à l'uny, a la reigle & à l'esquiere, & representoit la forme d'un Terris.*

4. Sic vero *Materiæ* vocem hoc loco capiendam, probamus auctoritate Leonis Baptistæ Alberti Florentini, Viri doctissimi, disertissimi & in Architectura (quam libris x. pereruditis illustravit) versatissimi atque excellentis; is *de Architect.* III. 26. de Terrena hac pavimentorum forma loquens sic ait: *Præterea spectantur vetustæ ex sola Materia, quæ fiat juncta calce, harena & tunc testa minutiore, quantum conjector ex tertia.* Ex quibus verbis apparet, *Materiam* in Plinii loco, intelligendam esse *ex Sabulo, calce ac favillis mixtis* compositam; licet loco *favillarum* Albertus habeat *tunsam testam minutiorem*, quam differentiæ caussa *minutiorem* vocat, distincturus eam a majusculis fragmentis testarum laterumve, quæ serviebant Ruderationi. Ex sequentibus, quæ paullo post idem Auctor subnectit, verbis, res clarius patet: *Crustas*, inquit, *quæ ex sola sint materia obductæ, experiri licet, verberatu crebriore & in dies iterato, acquirere spissitudinem & duritiem, prope ut superent lapidem.* Quod si enim *Materiæ* vox in laudato Plinii loco notaret *lapides*; eodem sane in argumento versans Albertus non diceret eam, *verberatu crebriore acquirere duritiem*; multo minus, quod sic *verberata prope superet lapidem*, si ipsa *Materia* lapis esset.

5. Est itaque *Materia*, non lapis, sed *Terra*, cujus *l. c.* Plinius describit compositionem. *Terra* est aut *Materia* similis illi, quam Cato *Terram Materinam* vocat *de R. R. cap.* 34. *Terram cave cariosam tractes: ager rubricosus & terra pulla Materina, rudeta, & arenosa.* Ad quam vocem hæc notat *Adv.* XXI. 25. Turnebus: *Ego Materinam putaverim a materia deduci, eoque verbo intelligi duram, solidam & prope ligneam, qua in notione nomen materiæ poni non est infrequens.*

6. Sane si usquam ex Turnebi sententia, *Materia* designat *duram, solidam & prope ligneam* terram, illa Plinii *l. c.* designabitur. Reperio enim Materiam istam aut compositionem sæpius factam ex arena aut pulvere, qui sua indole ad mirifica aptus est. *Pulverem* puto *Puteolanum*, quem, quia in Puteolanis collibus nascitur, sic vocat Vitruvius & pluribus *Archit.* II. 6. persequitur. Ex illis hæc accipe verba: *Est & genus pulveris, quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Bajanis, & in agris Municipiorum, quæ sunt circa Vesuvium montem, quod commixtum cum calce & cæmento non modo cæteris ædificiis præstat fir-*

mitates, sed etiam moles, quæ construuntur in mari, solidescunt. Pæne sicuti videmus albaria nostra opera e gypso paullo post solidescere, ut prope lapides ipsos æquent. Unde etiam ex illo fiunt Lutetiæ Parisiorum & alibi ædificiorum pavimenta, tam plano pede, quam contignata, quæ nobis optime exhibent extremam Pavimenrorum superficiem formæ Terrenæ.

7. *Pulverem* vero *Puteolanum* sæpius in usum venisse ad hujus notæ pavimenta, docet idem Albertus loco supra laudato, ubi de pavimentis formæ Terrenæ ait: *Sunt, qui Puteolanum pulverem, quem Rapillum nuncupant, huic operi probent mirum in modum*.

8. Ut tandem hanc Pavimenti speciem formæ Terrenæ magis solidarent & duriorem redderent, obducebant lituram quandam incrustationi, tempestatum injuriis inexpugnabilem. Vernigo ista, ut recentiorum vocabulo mentem clarius exprimam, componebatur ex *calce oleo linaceo subacta*. Audi iterum Albertum *l. c. Et crustis istius modi constat, si lotura calcis aspergantur, si oleo linaceo oblinantur, importari duritiem quandam vitream, & contra tempestates illæsam*.

SECTIO XX.

De altera specie superficiei Pavimentorum in Ædificiis formæ nimirum Plasticæ seu Testaceæ.

1. *Artis Terræ in duritiem excoquendæ nomen Græcum & Latinum; hujus divisio in Lateres & Testas*. 2. *Lateris species tres ratione usus, & etymon*. 3. *Tegula: Imbrex*. 4. *Lateres, Laterculi, πλίνθοι. πλίνθος quid in Architectura?* 5. *Laterum in suas species divisio*. 6. *Cur harum nomina Græca desinant in doron δῶρον?* 7. *Pavimenta Testacea. Testarum divisio in majores & minores. Tesseræ nomen & etymon. Quarreau*. 8. *Spicata Testacea*. 9. *Eorum descriptio*. 10. *Alberti de illis testimonium*. 11. *Spicare, & ejus prima significatio, hinc Inspicare faces apud Virgilium*. 12. *altera significatio, & hinc Pique, Piquer & Spicata Testacea*.

1. ARS Terræ argillosæ in duritiam excoquendæ apud Græcos generali vocabulo dicitur *Plastica*, apud Latinos *Figlina* vel *Figulina*, dividiturque in duo genera opificii; quorum alterum est cum opus conjicitur in protypum seu proplasma; alterum, cum opus fingitur ad rotam figularem. Verum tam hæc, quam illa opera vocantur *fictilia*, ut colligimus ex Plin. *H. N.* XXXV. 12. Fictilia opera, quæ in proplasmate finguntur, vulgo communi *Laterum* nomine veniunt, maximamque partem exstruendis ædificiis inserviunt; uti ea, quæ ad rotam finguntur, Fictilia vasa varii usus, domum instruunt. Atque hæc proprie ad Figulinam Artem attinent, cujus præcipuum opus est *Testa*, unde Fictilia vasa quæcunque etiam vocantur *Vasa Testacea* & *Opera Testacea*.

2. Quod ad *Lateres* attinet, eorum tres reperio species, quarum quævis Ædificiis inservit, hæc ad Tecta, illa ad Structuras, ista ad Pavimenta. Hanc nostrates *Tuile*, illam *Brique*, istam *Quarreaux*, distinctis nominibus, vocant. Latinis generatim *Lateres* vocatur a *latitudine*, teste Isidor. *Origin.* XV. 8. *quod lati formentur circumactis undique quatuor tabulis*.

3. Licet autem Pavimenta non fiant ex Lateribus primæ & alterius speciei, sed ultimæ tantum; quia tamen Laterum species & materia & arte in-
A ter se valde conveniunt, non ab re fuerit, de prioribus speciebus verbum facere, ut tanto melius tertia possit intelligi. Adde, quod & nomina adeo sint inter se affinia, ut sæpe alterum alterius vicem obeat. Initium faciemus a *Tegulis*, quæ nobis *Tuile*, liceat enim sic illas generatim vocare. Hæ aut planæ aut curvæ sunt. Tegula plana simpliciter *Tegula, quod ædes tegat*, teste Isidor. *Origin.* XV. 8. Curva autem eodem auctore *l. c. Imbrex, quod accipiat imbres*, dicitur. Ad Tegulas Curvas referendi etiam *Laterculi frontati*, Plinio *H. N.* XXXV. 12. sic dicti, quos nostra vernacula vocamus *Festieres*; dicuntur *Frontati*, quia utrinque
B hinc & inde ad superficiem sua fronte visuntur.

4. Quod ad *Lateres* illos, quos Galli *Briques*, eos Græci πλίνθους speciatim vocant; hinc & Architectura in vernacula Gallica Lingua adscivit vocem *Plinthe*, & artifices Latini *Plinthi* vel *Plinthidis*, ad denotandas quadras, quæ stylobatæ supra & infra interjiciuntur; aut & capitelli anaglyphum superius ad lateris plani quadrati formam factum; aut & pro serie lapidum laterumve, qui ex orthographia aut frontibus ædificii procurrunt, illudque instar zonæ ambiunt ad distinguendas contabulationes. At apud Latinos *La-*
C *terum Laterculorumve* generale nomen mansit etiam τῆς πλίνθων speciei, quam Gallis *briques* speciatim dici notavimus.

5. De hac *Laterum* specie sub hoc generali nomine agit Vitruv. *de Archit.* II. 3. ubi hos iterum triplices facit, qui tamen singuli ad Structuras ædificiorum, non item ad tecta aut pavimenta usurpabantur. Plinius *H. N.* XXXV. 14. eosdem recenset; sed primum genus, quo in Italia uterentur, *didoron* ait esse *longum sesquipede, latum pede*; alterum, *tetradoron*; tertium *pentadoron* dici.

6. Cur hæc trina Laterum nomina desinant in
D terminationem τοῦ *doron*, docet locis laudatis Plinius & Vitruvius, quos conferre libet. Sic vero Plinius: *Genera eorum* (Laterum) *tria: didoron, quo utimur, longum sesquipede, latum pede: alterum tetradoron: tertium pentadoron. Græci enim antiqui δῶρον palmum vocabant, & ideo δῶρα, munera, quia manu darentur. Ergo a quatuor & quinque palmis, prout sunt, nominantur. Eadem est latitudo. Minore in privatis operibus, majore in publicis utuntur in Græcia*. Vitruvius paria fere habet his verbis: *Fiunt autem Laterum genera tria; unum, quod Græce δίδωρον appellatur, id est, quo nostri utuntur, longum pede, latum semi-*
E *pede. Cæteris duobus Græcorum ædificia struuntur. Ex his unum πεντάδωρον, alterum τετράδωρον dicitur. Δῶρον autem Græci appellant palmum, quod munerum datio Græce δῶρον appellatur; id autem semper geritur per manus Palmum. Ita, quod est quoquo versus quinque palmorum, pentadoron, quod quatuor, tetradoron dicitur. Et quæ sunt publica opera, pentadoro: quæ privata, tetradoro struuntur*. Patet Plinio præivisse Vitruvium; sed circa modum hæret Plinius. *Didoro* Vitruvius *pedis longitudinem* & *semipedis latitudinem* adscribit, quæ latitudo posterior facit duos palmos, unde & *di-*
F *dori* nomen: at Plinius *didoro*, contra naturam nominis sui, addit *longitudinem sesquipedis* & *pedis latitudinem*. Sed cum δῶρον sive palmus pro communi modulo singulis tribus sit, videtur Plinius eo loco aut errasse, aut corruptus fuisse.

7. Sed transeamus jam ad Pavimenta Testacea, quæ ex *Lateribus* sic generatim dictis fiebant. Olim horum duo fuerunt genera, ex Lateribus majoribus & ex minoribus. Lateres Majores dicebantur *Tesseræ*, aut *Tesseræ magnæ*; Minores *Spicata Testacea*. *Tessera* eadem ratione ex Græco

derivatur, qua nostrum Gallicum *Quarreau* ex Latino. Utrumque a numero quaterno, ob quaterna latera totidemque angulos in Lateribus hisce. *Tesseram* Turnebus *Adv.* XIX. 26. *a verbo Græco τέσσαρα dictam esse putat*: quod & Isidor. *Origin.* XV. 8. confirmat: *Tessellæ sunt, e quibus domicilia sternuntur: a Tesseris nominatæ, id est a quadratis lapillis per diminutionem.* Ergo *Tessera* a Græco τέσσαρα, *Quarreau* a Latino *quadratum*: *Tessera* vero, ut docet *l.c.* Turnebus, etiam aliis rebus significandis inservit: verum primo sic dicta est, quod quadrata forma fingeretur.

8. A *Tessera* sunt *Tesserula* & *Tessella* per diminutionem: At hæc vocabulo magis conveniunt minusculis emblematibus lapideis aut marmoreis, quorum usus est in opere musivo aut vermiculato, quam pavimentis Testaceis. Hisce enim, quia Lateritiæ indolis sunt, apud Architectos nomen est *Laterculorum*; aliter *spicata Testacea* dicuntur, cujuscunque demum sint figuræ, triangularis; oblongæ; quadratæ; rhomboidis, qualem *en losange* vulgo dicimus; hexagonæ: quorum Spicatorum inventio Tiburtinis debetur. De his Vitruvium intellige *de Archit.* VII. I. cum ait: *Item Testacea Spicata Tiburtina sunt diligenter exigenda, ut non habeant lacunas, nec exstantes tumulos; sed sint extensa & ad regulam perfricata.* Eandem speciem intelligit Plin. *H.N.* XXXVI. 25. his verbis: *Similiter fiunt & Spicata Testacea*; quæ ejus Interpres Gallicus reddit: *Pavez faits a Pennes ou Arrestes de Poissons.* Figura *Spicatorum* videri potest in Commentariis Vitruvii *l.c.* & in ejusdem Auctoris *Epitome*, quam dedit Johannes Antonius Rusconi *pag.* 99.

9. *Spicatorum Testaceorum* nomen deinde pervenit ad omnes *laterculorum* species, quæ forma oblongula & angulis suis in opere collocata Spicæ frumentariæ feriem situ suo effingunt. Laterculi hi longi tantum erant trientem, lati sextantem, crassi unciam. Neque plani ad opus humi applicabantur, uti hodie fieri solet in lateritio Pavimento, sed in latus proclinabantur; pæne sicuti collocantur lithostilbæ Ardosiæ, sive illæ cærulei lapidis laminæ, & lateres, cum hisce foci insternuntur sub caminis. Versus extremitates oblongas acuminatæ erant, utrinque, supra & infra, unciam fere dimidiam, atque ita spicarum figuram quodammodo æmulabantur: sic ut in Pavimenti opere acumina seriatim inserta se invicem exciperent simul & exciperentur, idque hac figura, quam vides:



Hoc est proprie, quod primis initiis Architecti vocabant: *Spicatim Pavimenta insternere*, quoniam ad Spicarum compositarum & juxta se collocatarum seriatim imitationem & figuram hæc Pavimenti species accedebat. Postea tandem has voces fere ad omnia lateritia pavimenta adaptarunt, cujuscunque demum figuræ essent laterculi.

10. Hos autem laterculos a figura dici *Spicata Testacea*, locuples testis est Albertus *de re Ædificat.* III.16. *Visuntur*, inquit, *laterculi crassi unum, lati binum digitum, longi duplo quam lati, stantes in latus ad Spicarum imitationem*: ibidem, *Lateres*, ait, *vidi longos, digitos non plus sex, crassos unum, latos tres: sed his potissimum Spicatim pavimenta insternebantur.*

11. Ergo voce *Spicatorum* exprimitur nobis forma horum Laterculorum; quæ vox ortum debet verbo *Spicare*, quod proprie frugum est, cum extra culmum protrudunt spicas, qui maturus & plenus non unum, sed plura acumina ostentat, quæ Latini *Aristas* vocant: & inde ortum habet vox nostra *Arestes*, qua Gallicus Plinii Interpres utitur, agens de materia pavimenti hujus notæ. Hinc & Virgilio *Inspicare* deductum *Georg.* I. 292.

Ferroque faces inspicat acuto.

quod Servius ibi exponit, *incidere ad spici & aristarum imaginem*, nos vernacule diceremus, *fendre & barbeler le bout d'un flambeau à mode d'espy de bled.* Sic enim in Servio legendum, non *ad speciem*, uti habent nonnulli codices corrupti. Neque hic ferulam Prisciani timemus: dicitur enim eodem sensu tam *Spicus* & *Spicum*, quam *Spica*. De primo testis est Festus, *in voce Spicum*; de altero autem Cicero *in Phænom. Arateor. versione*, *de N. D.* II. 42.

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

Canit autem de stella primæ magnitudinis, quæ Astronomis est vulgo *Spica Virginis*.

12. Idem verbum significat & in unam eandemque cuspidem acuere, prout sic acuminati sunt singuli laterculi Spicatorum Testaceorum. Et sane aristæ spicarum, compositæ ex tot tenuibus filis ex palea surgentibus, nonnihil e longinquo mentiuntur intuenti & adumbrant, ceu unum mucronem, qui ex pluribus minoribus acuminibus in summum terminatur & coit. Sic *Spicandi* verbo utitur Gratius *Cynegetic.* I. 117.

Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos,
Quam longa exigui spicant hastilia dentes?

Longas enim & supervacaneas Macedonum hastas, sive sarissas, exiguo prefixas & acutas esse ferro, quod *dentes* vocat, miratur. Tales sunt hastæ, quibus hodie milites nostri utuntur, unde illæ *Piques*, hi *Piquiers* vocantur; *Hastam Macedonicam* appellat Turnebus *Adversf.* XXI. 25. ceu a Macedonibus imitatione sumtam. *Inde*, inquit, *putaverim apud nos hastam Macedonicam* Picam, *quasi* Spicam *vocari*, *quod ferro* spicata *sit exiguo. Inde* Picare (Gallis *piquer* id est cuspide aut mucrone tangere aut lædere.) *quasi* Spicare *dicimus*. Cum ergo Laterculi, de quibus agimus, non nisi unum supra & infra habuerint acumen, nec plura; mirandum non est, quod ratione convenientiæ cum figura spicæ frumentariæ, dicti fuerint *Spicata*, quæ appellatio formam, ut, *Testacea*, materiam denotat. Licet namque *Testa* proprie significet generatim quævis vasa & opera Testacea; sæpius tamen & speciatim pro *Lateribus* aut *Laterculis* ponitur, quod opera & vasa Testacea ac Lateres ex eodem Terræ genere, nempe argilla, fierent. Sed & pro figulino fragmento occurrit, ut apud Ovidium, *Metam.* VIII. 664.

Mensæ sed erat pes tertius impar,
Testa parem fecit.

SECTIO XXI.

De tertia Specie Superficiei Pavimentorum in Ædificiis, formæ Lapideæ.

1. *Pavimentorum formæ Lapideæ duæ species: ex lapidibus majoribus & minoribus*. 2. Tesserarum *variæ figuræ*. 3. Sectilium *seu segmentorum nomina & differentiæ ratione figuræ*; 4. *& ratione coloris*. 5. *Variæ Marmoris species quæsitæ ad opera Segmentata*. 6. *Sectilia picta ad opera Musiva*. 7. *Lithostrata*. 8. *Cerostroton*. 9. *Operis Segmentati & Musivi elegantia & artificium in duabus præcipue rebus consistit*. 10. *Utriusque Operis inventores Græci: Eorumque primus Repertor*. 11. *Cur dicta sint Asarota*. 12. *Pavimenta Scalpturata & Cælata*. 13. *Descriptio magnifici pavimenti opere Segmentato & Musivo facti in templo Sancti Remigii, quod Remis est*.

1. DIximus de Pavimentis formæ Terrenæ; reliqua est *Lapidea*, cæteris elegantia, firmitate, magnificentia superior. Duas hujus species reperio; alia enim instrata erant lapidibus Majoribus, alia Minoribus. Majores voco lapides, qui trientem & ultra; Minores, qui infra trientem ad fabæ usque parvitatem patent. Hi *Sectilia*, illi *Tesseræ* appellantur. Hanc differentiam diserte innuit Vitruvius *de Architect.* VII. 1. *Supra Nucleum ad regulam & libellam exacta Pavimenta struantur, sive Sectilibus, sive Tesseris*. Pavimenta tesseris structa Sueton. *in vit. Cæsar. c.* 46. *Tessellata* dicit, quasi *Tesserata*, a *Tesseris*; segmentis vero, *Sectilia* vocat: narrat enim inter alias lautitias illius summi Imperatoris, illum *in expeditionibus Tessellata & Sectilia pavimenta circumtulisse*: ubi eodem modo distinguit hæc pavimenta, quo *l. c.* Vitruvius.

2. Quod ad Tesseras illas, aliæ erant Triangulæ, aliæ Quadrangulæ, quæ iterum vel in quadrum æquilateræ, vel parallelogrammæ oblongæ, vel rhombi, vel rhomboides, vel alius figuræ, ad lubitum artificis. Omnes generali vocabulo *Tesserarum* Vitruvius *l. c.* comprehendit his verbis: *Si Tesseris stratum erit, ut ea omnes angulos habeant æquales, nullique a fricatura exstantes. Cum enim anguli non fuerint omnes æqualiter plani, non erit exacta, uti oportet, fricatura*. Tesseræ tales apud nos vulgo in Templis visuntur, ubi fere solent esse coloris simplicis, quandoque duplicis, in certos ordines digestæ & dispositæ.

3. Quod ad Tesseras minores, illæ generatim vocabantur *Sectilia*, aut *Segmenta*, quia in minores particulas sectæ ad convenientem proportionem operis conferendi & coagmentandi: hinc & ipsa opera illa dicuntur *Segmentata*, quæ nostra vernacula vocat *Ouvrages de Marqueterie*. Differentia horum *Segmentorum* erat cum ratione figuræ, tum & ratione coloris. Figura in his spectabatur aut in pavimenti jam conserti ipsa superficie, aut in Segmentorum sigillatim lateribus & circumscriptione. Superficies Pavimenti aut Plana & æqualis erat, aut insculpta: illa nominantur *Pavimenta Pura*; hæc variis figuris incisa & velut expressa vocantur *Scalpturata* vel *Cælata*. Quod ad Segmentorum figuram ratione laterum & circumscriptionis propriæ attinet, illa erant vel rotunda ad parvuli scuti fere formam, unde & *Scutula* audiunt: vel triangula, quæ plerunque *Trigona*: vel quadrangula, quæ *Quadrata*: vel sexangula, quæ *Favi*, quos apes constanter faciunt sexangulos sex laterum, appellantur. Potuerunt & alius figuræ, ut *pentagona*, *beptagona*, *octagona* fuisse; sed Vitruvius solum meminit quatuor priorum figurarum, tanquam usitatiorum in Operibus Segmentatis. Audi ejus ex *l. c.* verba: *Cum ea exstructa fuerint, & fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, ut si sectilia sint, nullibi gradus in Scutulis, aut Trigonis, aut Quadratis, aut Favis exstent: sed coagmentorum compositio planam habeat inter se directionem*.

4. Quod ad Segmentorum colores, alii erant nativi, seu ab ipsa natura; alii ab arte, sive picti. Nativi colores tot sunt, quot sunt diversæ colorum species Marmoris, Iaspidis, Porphyritis, aliorumve lapidum rariorum & exquisitorum, qui ad hæc opera adsumuntur. Hi lapides, sive marmoreæ sive alterius naturæ, erant vel colore simplici, uti marmor album & nigrum; vel undulato, vel vermiculato, vel maculoso, vel variegato maculis, venis, undulis, nubeculis, *punctis*, *guttis*, aliisque modis, quos omnes enarrare vix licet, cum per Naturæ lusum pro diversitate materiarum valde varientur, ut discere licet ex Plin. *H. N.* XXXVI. 5. 6. 7. & Dioscorid. *de Mater. Medic.* V. *c.* 142. *& seqq.*

5. Statius, poeta sublimis & maximus, dum decantat magnificentiam in *Balneo Hetrusci*, *Sylvar.* l. 1. *vss.* 34. *& seqq.* obiter recenset marmora notæ melioris, quæ ob nativos colores suos ad *Sectilia* hæc *opera* adsumebantur. Pavimentum vero illius balnei commendat non a marmore undulato, quod ex *Thaso* insula Thraciæ vicina, & *Caristo* urbe Eubœæ insulæ petitur; nec ab *onyche* alabastrite; nec marmore *ophite*, sic dicto, quod serpentium crispantibus maculis simile esset: hæc quatuor licet rariorum marmorum & exquisita genera & ad alia opera segmentata usitatorum, negat tam precioso pavimento satis digna fuisse; solum placuisse marmor ex lapicidinis *Numidiæ*, quod *purpureo* colore splendebat, & illud, quod *Synnadis*, majoris Phrygiæ urbe, cujus meminit Plinius *H. N.* V. 29. adferebatur, vermiculatum guttis & *maculis rubentibus* ac splendentibus, quas Poetæ fingunt sanguine suo *Atym*, cum a Matre Berecynthia castratus esset, excitasse: item placuisse Iaspides *Tyrias* & *Sidonias* niveo candore suo commendabiles; vix adscitum fuisse marmor Lacedæmonium, quod ad *Eurotam* fluvium cædebatur, quodque Plinius *H. N.* XXXVI. 7. ait esse *preciosissimi generis, viride cunctisque hilarius*. Reluxisse noctu hos lapides; ignemque, super tam preciosi pavimenti foco excitatum miratum esse tantam artem; beatum se duxisse, quod complecteretur tantas divitias; repressisse vim sui ardoris, ne tam pulchro operi noceret. Post hanc dilucidam expositionem audi jam ipsius Papinii Musam:

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Caristos:
Mœret Onyx longe, queriturque exclusus Ophites.
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura: sola, cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys:
Quasque Tyrus niveas secat & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ; viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat: non lumina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent: stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.

Atque hæc sunt, quæ de Segmentis nativi coloris potuimus dicere. Hæc ad Pavimenta Sectilia primo in usum venerunt circa tempora Catonis; speciatim quæ ex marmore Numidico fiebant segmenta, a quibus & totum opus *Pavimentum Pœnicum* cognominabatur. Festus *in voce, Pavimenta*, testatur: *Pavimenta Pœnica, marmore Numidico constrata*

significat Cato, cum ait in ea, quam habuit, ne quis Consul bis fieret: Dicere possum, quibus villæ atque ædes ædificatæ atque expolitæ maximo opere, citro atque ebore atque pavimentis Pœnicis stent.

6. Quod attinet ad Sectilia arte picta, illa certis quibusdam coloribus picta erant, super quos vel inducebatur vernigo quædam, sive litura, quæ illos præstaret adversus aeris, temporum, aliasque externas injurias illæsos & durabiles, vel color illis ope ignis inurebatur & inducebatur veluti crusta vitrea similis nostris encaustis, quæ *Esmaux* vocamus, exhibens & ostentans varias figuras. Inventi hujus tempora ad Claudii Imp. principatum refert Plinius, cujus verba sunt *H. N.* XXXIV. I. *Jam quidem & auro, nec tantum, ut parietes toti operiantur; verum interraso marmore, vermiculatis ad effigies rerum & animalium crustis. Non placent jam abaci, nec spatia montis in cubiculo delitentia; cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum.* Ex hisce Segmentis pictis proprie constant *Opera Musiva*, *Musæa*, vel *Musaica*, & vernacule nobis *à la Mosaique* dicta; ad differentiam *Operis Segmentati*, quod ex segmentis fiebat non arte pictis, sed sui coloris nativi, nobis *en Marqueterie*. Docet hoc præter alios Franciscus Marius Grapaldus, Parmensis, *in Lexico de Partibus Ædium* II. I. *verb. Pavimentum*: ubi de utriusque operis specie sic loquitur: *Pavimenta, quibus lacunarium nitor respondere debet, ex humo ad cameras primum Agrippam in thermis, quas Romæ fecerat, transtulisse legimus. Hæ fuere ex lapidibus, figlinisque crustis vitro tectis, atque encausto pictis; quod opus e Musaceo, ut nunc appellant. Tessellatum dicitur, quod Tessellis, id est, parvis quadratis lapillis intextum sit.* Musiva hæc opera maxime serviebant incrustandis muris & parietibus, in Templis, Palatiis, Cubiculis Magnatum. In antiquis nonnullis Templis visuntur adhuc hujus operis reliquiæ: sic Parisiorum Lutetiæ in Sacello Sancto occurrunt hinc & inde in pronao intervalla inducta hoc modo & incrustata paullo infra vitreas fenestras. Est vero illud picturæ genus, quod Græci *Encaustum*, quia inustione fit, vocant, a materia, quæ ad conciliandos per ignem colores usu veniebat.

7. Cæterum Pavimenta formæ Lapideæ, operis tam Segmentati simplicis, quam Musivi, Græcis dicta fuerunt una voce Λιθόστρωτα, quasi dicas *lapidibus strata*, sic ut per excellentiam Segmenta hæc Tesseris generale hoc nomen abstulerint sibique proprium vindicarint. Grapaldus *l. c.* calculum nobis addit: *Præterea*, inquit, *Lithostrota e parvulis crustis marmoreis, quasi Pavimenta lapidibus strata.* Atque inde est factum, ut Interpretes Vitruvii ac Plinii non distinxerint *opera Segmentata* vel *Sectilia* nativi coloris, a *Musivis* arte pictis, sed inter se confuderint, ac si foret unius ejusdemque operis species. Meminit horum Varro *de R. R.* III. I. ad Amicum Q. Pinnium scribens: *Cum enim villam haberes opere tectorio & intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam, parum putasses esse, ni tuis quoque literis exornati parietes essent.* Tale forsan quoque fuit pavimentum ad Tribunal Pilati, ubi D. Johannes XIX. 13. dicit τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ, *locum* fuisse *dictum Lithostrotum, Hebraice vero Gabbatha.*

8. Tertium adhuc Pavimenti genus reperimus hujus notæ, quod lapideæ aut testaceæ formæ non erat; sed fiebat ex schidiis sive assulis ligneis, quæ cum cornibus pictis & adaptatis conjungebantur & digerebantur in certas effigies, prout placebat opifici in arte hujus operis segmentati perficiendi perito & versato. Vocatur hoc genus operis, in Pavimentis quoque usurpatum, *Cerostrotum*: ut docet Plinius *H. N.* XI. 37. *Apud nos Cornua in laminas secta translucent, atque lumen inclusum latius fundunt; multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ Cerostrota picturæ genere dicuntur.* Vides ergo tria genera Operum ad ornanda & incrustanda Pavimenta, Parietes, Tabulata, in usu fuisse; de quibus sic Philander *Commentar. ad Vitruv.* IV. 6. *Vitreæ cameræ dictæ, quod tessellis vitreis versicoloribus inducerentur, quod vulgo Musaicum opus vocamus. Illud, si lapide, Lithostroton: si ramentis & tessellis pictorum cornuum variis coloribus & vermiculatim ligno insertis componeretur, Cerostroton fuit.*

9. Elegantia & Artificium Pavimenti ex Sectilium congerie consistebat præcipue in duabus rebus; quarum prior erat, ut tantum Sectilium coagmentarent signino, aut potius conglutinarent tenui lithocolla, ne juncturæ facile apparerent; ea tamen tenacitate ac temperatione, ut exinde fieret corpus æquale, firmum, solidum, quod perdurare posset ad ipsam ædificiorum ruinam. Sectilia illa minuta sunt, quæ Græci κύβους, Latini etiam subinde *tesseras* vocant. Est enim vox *tesseræ* valde ambigua, ut inter alia monstrat Turneb. *Adv.* XIX. 26. *Erant porro*, inquit, *Tesseræ olim frustilla lignea quadrata, certa insignita & notata forma, quæ dabantur iis, quibus petendi jus erat frumenti publici:* & deinde: *Polybius de Tessera militari scribens* πλατεῖον *appellat, quod taleola esset vel tabella lata inscripta: sed &* ξυλήφιον *ab eodem vocari videtur. Itaque, quanquam mutata forma & interpolata multis fortasse modis, nomen tamen retinebat: sed & eo verbo tandem figura senum laterum censeri cœpit, quæ* cubus *dicitur: quin &* tesseras, *quas spargebant imperatores,* σφαίεια, *id est,* globulos *vel* pilulas, *Dion in Nerone & in Tito appellat: usque adeo a prima figura recesserant. Idem denique interdum* σύμβολα *vocat, quod signa quædam impressa ad aliquarum rerum significationem haberent. Inveni &* Tesseram *declarari* σύμβολον συμποσίου χαράκινοι: *ut* Tessellatum, ψηφοθέτημα: *quod de pavimento accipiendum est:* quæ verba ultima capies melius, si scies Græcis generatim ψῆφον esse *calculum*, *tesseram*, & segmenta illa, quæ operi Sectili accedunt; adeo ut Tessellatum pavimentum ψηφοθέτημα hic sit, non quod ex Tesseris proprie sic dictis, ut supra, fit, sed sectile cubicum Pavimentum, aut alterius segmentatæ speciei. Posterior res, in qua Elegantia & Artificium consistebat operis Segmentati tam simplicis, quam Musivi, est figurarum, schematumque diversitas, quæ norunt artis hujus scientes exhibere variis Segmentorum coloribus. Ea Segmenta pro coloribus dispertiebant & ordinabant in effigies Hominum, Quadrupedum, Avium, Piscium, Plantarum, omniumque rerum, quas alma Natura producit.

10. Pavimenti segmentati tam nativo, quam arte picto colore, primi Inventores fuerunt Græci, si Plinio fides habenda *H. N.* XXXVI. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithostrota expulere eam.* Initio enim Pavimenta pingebantur eodem modo, ut hodie vulgo Parietes. Magnus fuit hac in arte Lithostrotorum Sosus. Pergit enim Plin. *l. c. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit, quem vocant* ἀσάρωτον οἶκον, *quoniam purgamenta cœnæ in Pavimento, quæque everri solent, veluti relicta, fecerat parvis e testulis tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro.* Alii pro *Soso* substituunt *Zenodorum*, teste Grapald. *in Lexic. de Partib. Æd.* II. I. qui Pavimentum illud fecerit Pergami, *in quo, cum aliis quibusdam imaginibus, reliquias cœnæ pinxit, &* οἶκον

ἀσάρωτον appellavit, non quod esset impurgatum, sed quod tale videretur.

11. Illud sane, teste eodem Grapaldo *l. c.* verum est, *ἀσάρωτον* esse ab *ἀ* privativo ex verbo *σαίρω*, vel *σαρόω*, *everro, scopis expurgo.* Hoc nomine postea venerunt omnia Pavimenta sectilia sive Lithostrota generatim, cujuscunque speciei, formæ, aut figuræ forent. Hinc & Statius illa voce utitur, cum describit insigne Pavimentum balnei, quod Manlius Vopiscus in Tiburtino fieri curarat, cujus lacunar inductum erat vitro, ceu speculo, in quo intrantibus Pavimenti effigies in oculos occurrebant. Sic vero Papinius canit *Sylv.* 1. 3. *vs.* 52. *et ss. in Tiburtino Vopisci*:

Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes: nam splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera testæ
Monstravere solum: varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis Asarota figuris.

Quo tempore Lithostrota apud Romanos cœperint, docet Plin. *l. c. Lithostrota cœptavere jam sub Sylla, parvulis certe crustis; exstat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneste fecit.*

12. Hactenus fuerunt *Pavimenta Pura*: dicendum etiam aliquid de elaboratis scalpro vel cœlo in summa superficie, quæ vocant *Scalpturata* vel *Cœlata*. Quando hæc Romæ cœperint, idem Plinius *l. c.* indicat: *Romæ Scalpturatum in Jovis Capitolini æde primum factum est, post tertium bellum Punicum initum.* Si insuper hæc *Scalpturata* diversis coloribus forent picta, vocabantur *Emblemata*: caussam dicet Grapaldus *l. c. Tesserulas autem, quibus instrata Pavimenta variantur, dum versicoloria fiunt, Emblemata quidam dixere, veluti sculptiones insertas, cum ἐμβάλλω sit intersero.* Ante Marii tempora hæc Emblemata jam in usu frequenti fuisse, ex Lucilii versu confirmat *l. c.* Plinius: *Frequentata vero Pavimenta (Scalpturata) ante Cimbricum (bellum) magna gratia animorum, indicio est Lucilianus ille versus: Ante Pavimenta atque Emblemata vermiculata.*

13. Sicco autem pede hic præterire non possum insigne Lithostroton Segmentati & Musivi operis, quod satis integrum hodieque visitur Remis in templo Monasterii Sancti Remigii, in quo & sacra Ampulla, quam vocant, Remensis, in ipsius S. Remigii sepulchro servatur. Illud Pavimentum, Templi Chorum, quem vocant, sive cellam ab uno extremo ad aliud occupat; quæ cella latitudine & longitudine non cedit illi, quæ est in Divæ Virginis Lutetiæ Parisiorum. Coagmentatum est ex segmentis marmoreis, partim nativo colore tinctis, partim adscititio pictis encausti ope; tam eleganter ordinatum & lithocolla coglutinatum, ut innumeras exhibeant figuras, tamquam penicillo depictas. Ad introitum chori se offert David psalterio, sive lyra canens: pone illius caput legitur: REX DAVID. Inter hanc & Aquilæ effigiem, interjicitur spatiosum quadrum, in cujus medio nomen est & effigies S. Hieronymi, & circa hunc nomina itidem & effigies omnium Prophetarum, Apostolorum & Evangelistarum, Scriptorum scilicet Veteris & Novi Fœderis: horum quisque librum suum penes se habet & nomine suo designatum, hi more nostro in modum libri clausi, illi more veteri in formam voluminis. Sic vero per quadrum hæ effigies sunt dispertitæ, ut Scriptores Novi Testamenti cum libris suis media occupent & interiora loca, Veteris exteriora & oras. Ad dextram Chori quatuor sunt Quadra parvis intervallis distincta, in quorum primo quatuor Fluvii Paradisi seu horti Edenis exhibentur ad antiquam

A speciem virorum, qui urnis sub brachio pronis aquas effundunt, singuli suis nominibus notati: TIGRIS. EUPHRATES. GEON. FISON. Quatuor autem hæ effigies Quadri hujus angulos occupant; quorum in medio conspicitur fœmina nuda Delphino insidens cum remo in manu & inscripta: TERRA. MARE. Alterum vero quadrum occupatur ramo arboreo cum foliorum ornamentis. Tertium deinde Quadrum in angulis suis ostentat quatuor Anni Tempora, quæ inscribuntur: VER. ÆSTAS. AUTUMNUS. HYEMS.
B in medio est Vir fluvio insidens inscriptus: ORBIS TERRÆ. Quartum denique Quadrum ostendit septem Artes Liberales, quarum figuræ maximam partem sub sellis Monachorum latent; leguntur tamen adhuc verba hæc: SEPTEM ARTES. Ad sinistram Chori ejusdem spatiosum est Quadrum, duplo longum quam latum: hoc continet duas zonas latiores in circulum rotundatas & æquales & per convexam partem contiguas. In priore sunt effigies duodecim Anni Mensium, in posteriore duodecim Zodiaci Signa. In prioris zonæ medio & quasi centro videtur Moses in cathedra sedens, Angelumque altero genu sustinens:
C circum legi possunt: LEX MOISIQUE FIGURAS MONSTRANT: HI PROCERES... nam cætera sub sellis Monachorum latent; sub quibus etiam obteguntur effigies Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ: item Orientis, Occidentis, Septentrionis: id conjicimus ex eo, quod adhuc videri possit effigies Feminæ tenentis serpentem & inscriptæ: PRUDENTIA: nec non Viri, qui MERIDIES inscribitur, eumque exhibet. In posterioris zonæ duodecim Signorum medio cernuntur binæ Ursæ, major & minor, stellis suis insignita, quarum altera caput obversum habet alterius caudæ, illo situ, quali & hodie in Globis Cœli depingitur. Omnes hæ figuræ, pluresque aliæ,
D quas recensere longum foret, factæ sunt ex Segmentis operis Musivi in Area flavi coloris eodem opere, cujus Sectilia majora non excedunt latitudinem unguis; si excipias nonnullos sepulchrales lapides nigros & candidos, & scutula quædam, sive rotundas lapsidis particulas, cum purpurascentes, tum diversis coloribus undatim variegatas, quæ illis, ceu gemmæ annulo, certis ex marmore areolis metatæ & insertæ sunt. Hinc duos passus versus Aram principem videas aliam pavimenti speciem, quod componunt sectilia marmorea, pro varietate nativi coloris in varias Segmentati operis effigies eleganter digesta & ordinata: super gradi-
E bus ad Aram eodem opere sunt effigies sacrificaturi filium Abrahami, Scalæ cœlestis Jacobi, aliaque ad venerabile Sacrum Novi Fœderis ex Vetere alludentes Historiæ. Hoc Templum solennibus ceremoniis dedicatum & inauguratum fuit a *Leone* IX. Pontifice Maximo, cum Remis anno a Nato Christo CIↃ. XLIX. initio Octobris celebraret Concilium. Quod si ex eo tempore factum fuit illud Pavimentum, necessarium fuit nonnulla mutare, ut sepulchralibus monumentis, quæ ibidem visuntur, locus maneret, ut & illis quæ postea accesserunt.

F

SECTIO XXII.

De Superficie Viarum Imperii Romani Publicarum in universum, hujusque in duas Species divisione.

1. *Via Terrena apud Ulpianum.* 2. *Divisio superficiei in eam, quæ Silice; & illam, quæ Glarea sterneretur.* 3. *Quid Silice significetur.* 4. *in Si-*

lice tria notanda, Substantia, Quantitas, Qualitas. 5. *Substantia Silicis pro ratione diversitatis in illis, quæ naturæ eorum propria sunt, consideratur.* 6. *Quantitatis ratione tres ejus sunt species.* 7. *Figuræ ratione sunt duæ species, Quadratorum sive Regularium: Incertorum sive Irregularium.* 8. *Romani in Viis sunt usi quadrato Silice.* 9. *Incerti lapides quinam.* 10. *His communior usus in stratura Viarum.* 11. *Ex his est Pavimentum Viarum Urbis Lutetiæ Parisiorum.* 12. *Differentia inter nostra bodierna & antiqua Romana Pavimenta ex incertis Silicibus.* 13. *Silices tam quadrati, quam incerti ad Vias Publicas rusticas adsciti.*

1. QUoniam lustravimus superficiem Pavimentorum in Ædificiis, pergendum erit ad illam in Viis Publicis, quantaque diligentia & industria materia fuerit præparata, quanta arte etiam ordinata, ostendendum. Transeo hic sicco pede Vias, quas Ulpianus *l. 1. ff. 1. de Via Publ. & Itin. Publ. refic.* vocat *Terrenas*; solum persequar illas, quas idem *l. c.* dicit *Glarea* aut *Lapide* sive Silice stratas fuisse, quæ veræ sunt Viæ Militares, & nostri Operis argumentum.

2. Duplex ergo species Superficiei in Viis Imperii Publicis fuit: nam vel *Silice*, vel *Glarea* fuerunt stratæ, secundum divisionem illam priscam, quando, ut Livio XLI. 27. teste etiam alias supra I. 8. §. 8. accepimus, Viæ solebant sterni *Silice in Urbe*, & *extra Urbem Glarea*. Quamvis enim deinde Viarum Publicarum Ruderatio, ut ostendimus, cum ageremus de Materia interiore, *Sect.* XVIII. §. 4. & 5. adsumeret quoque lapides; hæc tamen differentia, quantum ad Superficiem, Viis remansit, ut aliæ *Glarea*, aliæ *Silice* tam in Italia, quam in Provincia stratæ dicerentur.

3. Licet porro stratura Silicis rarior fuerit, e contrario Glareæ frequentior; attamen, quoniam illa Silicis, temporis ratione præcessit, utpote usurpata jam in Viæ Appiæ superficie, quæ omnium prima est: hinc & nos initium faciemus in perlustranda superficie Viarum Publicarum ab illis, quæ *Silice* constant, sive lapidibus, aut quadris. Illos intelligo lapides, qui ea sunt magnitudine, ut non possint referri ad *Glaream*, quæ ex minutis calculis lapillisque constat. Verum *Silicis* vox in Pavimentis non restringitur ad propriam illam significationem, qua lapidem durum igni eliciendo aptum notat, sed complectitur omnem lapidem duriorem & aptum pavimento, quales nos vernacule vocamus *Quarreaux*, quoniam quadranguli sive quadrati lapides, utpote frequentiores & usitatiores in Pavimentis etiam cæteris quibusvis ad Pavimenta aptis hoc nomen suum concesserunt.

4. Ut ergo initium faciamus a *Silicibus*, sive lapidibus durioribus & pavimento aptis, in illis tria veniunt consideranda ad opus Pavimenti, *Soliditas* scilicet & *Duritia naturalis*, *Magnitudo*, *Figura*. Ista, si cum Peripateticis loquamur, referuntur ad *Substantiam*, illa ad *Quantitatem*, hæc ad *Qualitatem*, & quidem illam ejus speciem, quam Aristoteles dixit *Formam* & *Figuram*.

5. De Substantia Lapidum nonnihil diximus supra *Sect.* IV. §. 2. & *seqq.* ubi eos divisimus in *Molles*, *Duros*, *Temperatos*. Verum hoc loco porro notandum est, quod Lapidum alii sint duri, graves, splendentes, resonantes, sicci, pleni, solidi, saxei & impenetrabiles: quales sunt Marmora, Silices, Scrupi, & Massæ quadrariæ, nobis dicuntur *le Frang Grez*, item quos vocamus *les Pierres de Liests*, *le Cliquart* (quos *sonoros* forsan reddere licet) & similes. Alii autem Lapidum sint molles, leves, obscuri, humidi, friabiles, spongiosi, fistulosi & penetrabiles: quales sunt, qui apud nostrates cognominantur *de S. Leu*, *de Vergelé*, *de Vernon*, *de Tonnerre*, & Silices cæmentitii molliores. Prudenter itaque Opifici dispiciendum secundum locorum naturam & ingenium, ut deligat aptissimos ratione loci ad pavimenta facienda, cæteros vero ineptos omittat. Meliores vero sunt illi, qui sua natura sic intus compacti sunt, ut resistant impervii gelicidiis, nivibus, pluviis & humiditati, ut ferre possint attritum, illisum, impetum, casum corporum, quæ illos alioqui lædere, offendere, collidere, rumpere aut deterere facile possent.

6. Hæc de Substantia sufficiant. Sequitur examinanda *Quantitas*, quæ ut cum Scholis loquamur, primum est corporis accidens, ab eodem inseparabilis, & materiæ coæva. Hujus ratione Silices jam nobis erunt vel *Prægrandes*, vel *Minuti*, vel *Justi*. Exponat nobis hanc differentiam Albertus de *Re Ædif.* III. 4. ait, *Lapides alii Prægrandes, hoc est, quos singulos nudæ hominum manus absque traha, vecte, rotulo & gerulis & istiusmodi, agere ad arbitrium nequeant: alii Minuti, quos vel una manu tollere collocareque possis ex sententia: tertii lapides inter istos, qui pondere & magnitudine medii sunt, Justos appellabimus.* Pro hujus quantitatis ratione diversa, ut in sequentibus porro videbimus, Silices ad Viarum sternendarum opus diversimode etiam adsumebantur.

7. Vidimus Quantitatem. Restat *Qualitas*, quæ, ut supra diximus, respicitur hic ratione *Formæ* & *Figuræ*. Utraque & *Forma*, quæ hic accidentalis, non essentialis aut naturalis est, ut iterum loquar cum Scholis, & *Figura* in duas species dividitur, *Regularem* & *Irregularem*: priore specie Silices nostri dicuntur *Quadrati*, posteriore *Incerti*. *Regulares* ergo sive *Quadrati* illi sunt, qui Geometrica ratione & arte elaborati sunt, & angulis lateribusque constant exactis ad certam mensuram & numerum; quales sunt Trianguli, Quadranguli, Pentagoni, Hexagoni & similes, qui tales non sunt casu & fortuna, sed facti ad lineam & perpendiculum. Tales sunt, quibus frequentantur pavimenta Templorum, Palatiorum, Ædificiorum Publicorum. *Quadratus* enim *Lapis* hic non stricte ad rigorem Geometricæ figuræ, pro quadrangulo æquilatero sumitur; sed generatim pro quovis Silice ad lineam & perpendiculum elaborato & expolito, cujuscunque demum formæ aut figuræ ille fuerit. Hinc recte Albertus *l. c. Lapidum*, ait, *alii planis superficiebus, rectis lineis, æqualibus angulis constant, quos Quadratos nuncupant*: & erudite Hadrianus Cardinalis titulo S. Chrysogoni idem jam olim observavit in libello *de Sermon. Latin. in phrasi, Lapide quadrato ædificare:* ubi ostendit *modum esse loquendi Veterum*: esse enim, *non vere quadratis lapidibus, sed sectis & politis, etiamsi non sint vere quadrati*, ædificare. Ibidem docet exemplis, *Quadratum sic dici, non, quod sit quadrum, sed quod quadret, hoc est, conveniat* operi; uti, ut cætera, quæ laudat, exempla, omittam, in illo Virgilii *Georg.* II. 278.

Arboribus positis secto Via limite quadret.

Atque hinc petitur differentia illa structurarum, quæ vel fiunt *lapidibus quadratis*, sive ad lineam & perpendiculum elaboratis & expolitis, regularibus; vel *lapide structili* sive rudibus & impolitis, irregularibus lapidum fragmentis, quales lapides vocant *Cæmenta* boni Auctores, & inde factas *structuras Cæmentitias*. Observavit & hoc idem ille purpuratus Sacerdos Hadrianus *l. c. Lapide autem structili, aut cæmentitio, vel structura aut ruderatione ædificare [illegible] etiam est remotius ab aperta intelligentia.*

Est enim lapidibus ædificare, non quadratis vel sectis, aut ad lineam vel perpendiculum collocatis, sed minutis concisisque frustulis, quæ Cæmenta dicuntur: quam in rem complura laudat bonorum Auctorum testimonia, quæ apud illum legantur. Lapides vero illos quadratos sive regulares Impp. Arcadius & Honorius appellant *Materiam Ordinatam*, in *l.* 77. *Tit. de Operib. Public. C. Theod.* qua adhiberi permittunt, ad refectionem Viarum Pontiumque, *per quos itinera celebrantur, cunctam materiam, quæ ordinata dicitur, ex demolitione Templorum provenientem*.

8. Sane inter Viarum Publicarum maxima est miracula, quod S. P. Q. R. nec non Imperatores Romani, in omnibus magnifici, magnificentiam suam ipsi hic superaverint, cum sternerent Vias in Urbe & extra Urbem lapidibus istis quadratis, tam accurata compagine junctis, ut juncturæ vix videantur, tam apte politis & ad libellam exactis, ut anguli nusquam in superficie universa totius operis eminerent; cum tamen Viæ Publicæ extra Urbem essent longæ incredibilem in modum, stratæ Silice, qualem dixi, substantiæ durissimæ & immensæ sæpe magnitudinis atque ingentis.

9. Lapides Irregulares, nobis *brisez*, sunt, qui scalpro cælove non elaborati, sed malleo sunt fissi & diffracti; unde & opifices, qui cæmenta silicea aut scruporum malleo frangentes sic ad pavimenta præparant, vulgo nobis vocantur: *Fendeurs ou Briseurs de Grez*. Silices hi nec ad superficiem politi, nec ad lineam directi, nec ad angulos sunt æquales, unde Artifices olim hos dixerunt *incertos*; sic ait *l. c.* Albertus: *Alii* (lapides constant.) *superficiebus, lineis, angulis multiplicibus & variis; nos Incertos appellabimus*.

10. Incerti hi Silices frequentius occurrunt in opere superficiei Pavimentorum: imo credo plerasque Urbis Vias his stratas fuisse, prout etiam extra Urbem plures, quæ Silice stratæ fuerunt, non Glarea. Tales per Italiam complures sibi visas testatur Andreas Palladius, Italus & ipse, cujus verba hæc sunt, *Archit.* III. 3. *Et era salicata di pietre incerte, cioe, di lati & d' angoli disequali: nel qual modo di salicare, come stato detto altrove, usavano una squadra di piumbo, la qual aprivano & serravano, come andevano i lati & gl' angoli delle pietre. Onde la commettavano benissimo insieme, & cio facevano con prestezza*. Quæ sic Latine sonarent: *Et erat strata lapidibus incertis; ii sunt, quorum latera & anguli sunt inæquales: quo in straturæ modo, ut alibi jam diximus, utebantur amussi sive norma plumbea, quam aperiebant & claudebant pro ratione angulorum laterumque in silice incerto: sic optime & facillime committebant bosce silices*.

11. Talis, aut certe non valde dissimilis est, Stratura Viarum Lutetiæ & in aliis melioribus Galliæ Urbibus; ut & in pluribus Viis Publicis Rusticis, qualis est Lutetia Aurelianum: cum Silice sint tam quadrato, quam incerto. Quamvis enim inter Silices incertos intercurrant plurimi quadrati, quadranguli scilicet & quadrilateri, iique nonnullis intervallis sint ordinati ea serie, ut directam oculis objiciant lineam; attamen si rem ex vero ad rigorem & regulas Geometrarum æstimes, cum isti quadrati sint rudes & mallei opera fracti, regularem figuram, licet ad hanc proxime accedant, non habent, nec ad opera æquali serie perfecta referri nequeunt, prout ea, quorum Silices quadrati ad lineam, libellam & perpendiculum sunt exacti.

12. Illa nihilominus notabilis intercedit differentia inter Straturam, quæ hodie in Gallia per Urbes & agros fieri solet, & illam antiquam Romanorum, quod nostras consistat in unico quadratorum corio, in simplici arena paviculæ ope solidatorum sine ullo alio statumine & fundamento, atque soli ipsius, cujuscunque sit naturæ, firma aut vacillantis, siccæ aut humidæ; unde etiam nec diu impetum vecturæ sustinere potest, & sæpissime refici debet. At illi silices quadrati, qui in Publicis Romani Imperii Viis insternebantur, muniti erant, ut exposuimus, per *Aggerem*, *Statumen*, *Rudum* & *Nucleum*; quæ ipsis Viis præstabant soliditatem inexpugnabilem & perpetuam firmitatem.

13. Verum enim vero Silices Quadratos & Incertos, Regulares & Irregulares, in superficiem Viarum Imperii Publicarum fuisse hinc inde adsumptos hoc etiam, quo dixi, modo, testis est oculatus Andreas Resendius *de Antiq. Lusitan.* l. II. *cap. de Viis Militarib. Sternebant*, ait, *alibi impolito rudive lapide; alibi pro Urbium claritate, quadratis saxis pæne insana profusione, ut memini in Narbonensi Gallia me vidisse*.

SECTIO XXIII.

De delectu silicum ad opera superficiei Viarum Publicarum, variisque modis eos in stratura coagmentandi.

1. *Lapis Fistulosus probatur ad Vias Publicas*. 2. *Duritia in Silicibus quæsita: Silices Formicarum itinere attriti*. 3. *Stratura ex medii generis, sive justis lapidibus in locis humilibus & ad pontes*. 4. *Duæ res observandæ in stratura silicea*. 5. *Prior, quomodo lapides & Silices in Terræ visceribus generentur*. 6. *Posterior observatio ad Artem tam structuræ, quam straturæ referenda. Tres structuræ species. prima, Ordinaria*: 7. *altera, Reticulata*: 8. *tertia, Incerta*. 9. *Tres hæ species æque ad straturam, atque structuram in usum vocatæ*.

1. SUpra diximus, Sect. IV. §. 6. quod Viarum Curatores, Mancipes, Redemtores selegerint Lapides Silicesque, quos poterant, durissimos, ut his insternerent superficiem sui operis, sive illud fieret lapide quadrato, sive incerto; maxime autem probabant pavimenta ex vero, nativo & genuino Silice, præcipue autem illo, qui haberet venas & cavitates quasdam inæquales, quæ perfectam in plano polituram non admitterent: non quod cæteris durior esset, sed quod aptior ad firmanda hominum jumentorumque vestigia. Hunc Silicem dixere *Fistulosum*. Hoc voluit doctissimus Albertus *de Re Ædif.* IV. 6. *Veteres huic operi Siliceum lapidem egregie probarunt. Inter Silices Fistulosus commodior; non quia durior, sed quia vestigiis minus lubricus*.

2. Hæc autem duo, Duritia & quædam in plana superficie Asperitas sive Scabritia, requiruntur in apto ad pavimenta sternenda Silice. Est enim operæ precium, seligere lapides firmos, & qui ferre possint impetum & attritum tam vecturæ, quam itineris ratione pedum vel Hominis vel Jumenti. Qua enim cunque fuerint duritie, temporum lapsu per molem & onera rotarum subteruntur, quæ rotæ & orbitas tandem in Viis excavant: imo Plinius *H. N.* XI. 30. vidit Silices itinere Formicarum attritos, & in opere semitam factam.

3. Deinde etiam prospiciendum est commodis Jumentorum, hisque præparandum solum, ne super eo facile lubrico lapsu ante præcipitentur, quam ungulam figere possint. Huic fini lubenter in hisce Operibus, præcipue in locis humilibus, declivibus & ad pontes utrinque, utebantur plerun-

que Silice nec nimis amplo, neque nimis puſillo. Recte enim monet *l. c.* Albertus: *Superinſternantur lapide nec puſillo, nec volubili, qui levi appulſu divellatur: nec item ampliſſimo, adeo ut illic, veluti in lubrico, prolabi jumentum ſi cœperit, ruat, priuſquam fixuram inveniat, ubi ungula reſtitet.*

4. Facto itaque Silicum delectu eum in modum, quem diximus ante, reliquum erat, ut coagmentarentur in unius veluti corporis opus. In hac coagmentatione duæ res erant obſervandæ, quarum altera naturam reſpicit Silicis, altera artificium Opificis. Illa recte obſervata præſtabat opus ſua ipſius natura durabile: hæc vero, conſervabat operis compagem & ſtaturam.

5. Prior obſervatio erat, Silices non collocare in latus, ſed proſternere, ut ſic loquar, in ventrem. Hoc certe plurimum ad opus facit; quemadmodum enim in ligno venæ quædam & fibræ obſervantur, pro quarum ratione hoc illove ſitu firmius collocatur; ita etiam ſe res habet in Lapidibus, quos natura in terræ viſceribus plano fere ſitu generat, non ſimul & ſemel, ſed temporis progreſſu, quo rupi inchoatæ paullatim terra vicina & proxima jungitur atque lapideſcit. Lapides enim revera creſcunt & augentur, non quidem, ut maſſa farinacea turgeſcit fermento addito, ſed accretione materiæ vicinæ, quæ lapideſcere poteſt, inſtar metallorum, quæ itidem generantur ex materiis qualitatem ſuam mutantibus & formam metalli per diverſas naturæ præparationes induentibus, quarum præcipua eſt condenſatio corporum contiguorum & continuorum. Neque enim Lapides creſcunt per ſe, ad modum Plantarum & Animalium, quorum alimenta mutantur in ipſorum ſubſtantiam; verum Lapidum fit incrementum condenſatione & tranſmutatione corporum contiguorum, pro ratione naturæ in unoquoque Lapide; veluti Militum cohors accreſcere dicitur, non, quod milites ipſa augeantur corporum mole; ſed addito hominum numero, qui prioribus anumerantur. Porro Lapidum accretio non fit converſione uniformi & perpetua materiæ vicinæ; ſed quaſi per venas, quarum altera alteri ſuperadditur, eamque obtegit, illique ſic agglutinatur, prout *materia materiæ ſuperinfuſa & obducta hæret*, ceu loquitur Albertus *de Re Ædif.* III. 7. propemodum fere ut ſi chartæ folia conglutines, unumque alteri ſeriatim ſuperinducas, uti inde ſurgat charta ſpiſſior. Erit itaque prudentis & induſtrii opificis, ne in latus vena Silicis ſtans collocetur, ne quid pluvia aliiſque aeris injuriis & tempeſtatibus decruſtetur: ſed jacebit proſtrata vena, eo fere ſitu, quem habebat in rupe viva, vena nempe ſuper venam, cruſta ſuper cruſtam; ſic quaſi tuta per ſe ipſam, preſſa mole ſuperincumbentium nuſquam pandet: hæc ergo erit forma ſitus, & contextus, quæ nativam Silicis firmitatem aut debilitatem reſpicit & fragilitatem.

6. Quod attinet ad diſpoſitionem & ordinationem ſtraturæ ipſius deſcribendæ, illius tres repeRiuntur ſpecies, quarum binæ priores Silices quadratos, ultima incertos comprehendunt. Prima igitur eſt, qua Silices quadrati, ſive fuerint prægrandes, ſive minuti, ſive juſti, collocantur uno & eodem ordine ad lineam rectam ſecundum regulam & libellam. Si magnitudine æquali ſint omnes ejuſdem operis Silices, Opifices ad elegantiæ gratiam ſic eos collocant, ut linea alterius ordinis ex duorum Silicum compoſitione exorta occupet in altero ordine medium Silicis objecti, qualem figuram adumbrat litera hæc inverſa ⊥. Dicitur vero hæc ſpecies *Ordinaria*: ſic Albertus *de Re Ædif.* III. 6. *Ordinaria enim ea ſtructura eſt, in qua lapides quadrati ſeu juſti, ſeu potius prægrandes, coagmentantur; ita ut ſint ſuis lineis ordine ad regulam, libellam & perpendiculum poſiti.*

7. Altera ſpecies Pavimenti coagmentandi, ſimilis eſt ſpatiolis illis in oblongum quadratis retium, unde etiam *Reticulatæ* nomen obtinuit: illam ita deſcribit Albertus *l. c. Reticulata ſtructura eſt, in qua Lapides quadrati, ſeu juſti, ſeu minuti ponuntur, non jacentes in latus, ſed in angulum ſtantes; fronte ad regulam & perpendiculum expoſita.* Talis ſpeciei pavimentum erat in aula majori *Palatii Pariſienſis* ante incendium, quod contigit anno CIↃ. IↃC. XIIX. ubi lapides quadrati nigri & candidi invicem ſic erant diſpoſiti, ut angulis ſuis, non vero lateribus, procurrerent directis verſus parietes, quibus Aula iſta erat circumſcripta & limitata.

8. Tertia ſpecies dicitur *Incerta*, quod Silicibus conſtaret incertis & irregularibus, qui ſecum invicem coagmentabantur per ſaturam, ut ſic dicam, nulla certa figura, &, *ut quodque latus, quoad per ejus lineas liceret, contigui lapidis lateribus cohæreret*, ut Alberti *l. c.* verbis dicam.

9. Quamvis autem hæ tres Species maxime uſu venerint in operibus ſtructurarum, in conſtruendis & in altum ſuſtollendis muris ædificiorum tam publicorum, quam privatorum; attamen etiam, ut cum Alberto iterum *l. c.* loquar, *hujuſmodi lapidum adjunctionibus in Silicea Viarum ſtructura utimur*, aut verius ſtratura: id quod deinde ipſis rerum exemplis docebimur.

SECTIO XXIV.

De Viis Publicis, quarum ſuperficies ſtrata Silice incerto: duabuſque hujus Silicis ſpeciebus, earumque natura.

1. *Romani ſtraverunt Vias ſilice quadrato & incerto.* 2. *Obſervatio in Hiſtoriis & Inſcriptionibus notanda, ratione ſuperficiei Viarum Publicarum.* 3. *Exemplum Viæ Publicæ ſtratæ Silice.* 4. *In Hiſtoriis differentia annotatur inter ſtraturam Silicis incerti & quadrati.* 5. *Quomodo Livius & Plutarchus intelligendi, cum mentionem faciunt ſtraturæ Silicis.* 6. *In Stratura Silicea notandæ duæ ſpecies lapidum, Silicis proprie dicti & Saxi ſtricte ſumpti.* 7. *Et hoc & illo uſos Romanos, pro locorum ingenio & commodo.*

1. EX præcedentibus conſtat, ad ſternendam Viarum ſuperficiem ad opus adſumtos Silices quadratos & incertos, & hinc fieri Straturam Regularem vel Irregularem, Certam vel Incertam: in ſequentibus monſtrandum erit per exempla & teſtimonia veterum, Romanis utrumque Silicem & utramque Straturam in ſuperficie Viarum Publicarum, tam Ruſticarum, quam Urbicarum in opere & uſu fuiſſe tritam.

2. Initium faciemus a Silice Incerto, tanquam uſitatiore in hiſce Operibus. Inſcriptiones Antiquæ & Hiſtoriæ diverſimode loquuntur de Viis Publicis, pro ratione ſuperficiei illarum: quod ſi enim narrant ſimpliciter ſtratam eſſe Viam a Magiſtratibus aut Privatis Publicam, tum intellige ſuperficiem fuiſſe Pavimentum ex *Glarea*, non vero ex Silice: illa enim vulgariter & plerunque uſu illo veniebat. Sic ergo intellige Inſcriptiones Viales priore libro allatas, in quibus non fit diſerta mentio *Silicis*. Quod ſi vero Pavimentum erat ex *Silice*, diſertam ejus mentionem faciunt Hiſtoriæ & Inſcriptiones antiquæ, tanquam operis extra ordinem magnifici.

3. Addamus exempli cauſſa Inſcriptionem de Via Silice ſtrata ad Paſſus CIↃ. CLXV. qui excedunt leucam noſtram dimidiam, quæ exſtat Sempronii Foro in Piceno ſive Marca Anconitana, *ap. Gruter.* CL. 4

AVGVSTALES. VI. VIR
C. PESCENNIVS. CLEMENS
L. VETTIENVS. C. F. TIRO
L. MAENVS. L. L. PHARNACES
C. VERNASIVS. C. L. TVMOLPHVS
C. VEIACVS. C. L. EPAPHRA
L. LVCILIVS. 7. L. CHRESTVS
CN. VETTIDIVS. CN. L. OPTATVS
C. VTTIEDIVS. C. L. QVARTIO
C. CVPIENNVS. C. L. SVCCESSOR
L. MAENVS. L. L. ATHOBVTIVS
L. CATELLIVS. L. L. BARBARVS
SEX. FIRMIVS. SEX. L. PRIMIO
CN. RVSTIVS. CN. L. CLARVS
VIAM. LONG. P. ∞ CLXV. EX. D. D.
OB. HONOREM. SEXVIRATVS
SVA. PECVNIA. SILICE. STERNEND
CVRARVNT.

4. Quod ſi vox *Silicis* ſimpliciter & ſine epitheto vel adjectione, ut in Inſcriptione mox allata, exprimitur, ibi tum illa Via erit Silicis incerti & ſtraturæ irregularis; hic enim erat vulgaris & communis modus Pavimenti ſilicei: illud vero ſi foret Silice quadrato & ſtraturæ regularis, tum Hiſtoria hoc adjectione aliqua annotavit, tanquam operis inter Vias ſtratas admirandi, & cæteris, quæ dixi, magnificentia anteferendi, uti tempore & loco per luculenta exempla demonſtrabimus.

5. Quando igitur Livius XLI. 27. ait, *Q. Fulvium Flaccum & A. Poſtumium Albinum Cenſores, Vias ſternendas ſilice in Urbe locaviſſe*, tum intelligit Silicem incertum, non vero quadratum. Idem dictum puta de Viis Publicis Ruſticis, quas Plutarch. *in vit. C. Gracch. c.* 9. ait ſtratas *lapide a C. Graccho*. *Lapis* enim ibi *Silicem* notat, ut docuimus ſupra *Sect.* v. §.4. Nec puto figuram aptiorem dari, quæ nobis quodam modo exhibeat ſupremam ſuperficiem Viarum antiquæ Urbis Romæ, quam Pavimenta hodierna Viarum Lutetiæ Pariſiorum, aliarumque Galliæ Urbium, nec non quarundam per Agros Publicarum Viarum, in illis ſcilicet intervallis, in quibus manu humana more licet noſtro ſunt ſtratæ.

6. In hiſce ſive Urbicis ſive Ruſticis Pavimentis viſuntur duæ ſpecies Silicis incerti, quæ apud Romanos ad opera Viarum ſervire potuerunt: prior eſt *Silicis* proprie dicti, & poſterior *Saxi*, ſtricte ſumta voce, ut reſpondeat noſtro vernaculo *Grez*. Ita enim opifices noſtri artis paviendi ſcientiores, diſtinguunt Silices incertos, quos ad Pavimenta uſurpant, & voces *Caillou* & *Grez* tanquam diverſa ſibi opponunt: nec male, ut puto. Licet enim Latini ſæpius confundant hæc bina vocabula *Silicis* & *Saxi*, ad denotandum omne genus Silicis pavimento apti: lingua tamen noſtra loquens valde improprie loqueretur, qui τὸ *Grez* vocaret voce τῶ *Caillou*; cum illud ad Silicis nativam duritiem non accedat, nec aptum ſit eliciendo igni; quin imo e contrario ſit friabile ac in pulverem redigi poſſit operibus figulinis quoque aptum: at, quem vocamus *Caillou*, Silix hic plane illi contrarius eſt, & malleo adeo reſiſtit, ut non niſi difficillimo labore & vi fortiore in pulverem poſſit reduci.

7. Ergo *Saxo* & *Silice* pavimenta fiunt, aut ſi Gallice diceres, *de Grez & de Caillou*, pro locorum diverſitate & commoditate, & prout hic vel ille lapis propius potuit peti. Hinc & Urbes integræ *Silice* ſolo ſtratæ reperiuntur, alibi ſolo *Saxo* aliæ, nonnuſquam etiam miſcentur Saxa Silicibus. Inde adducor, ut credam Romanis, in ampliſſimo illo per Orbem terrarum imperio, pro diverſo locorum ingenio, in ſternendis Viis tam Silices, quam Saxa in uſum veniſſe. Liceat diſtinctionis cauſſa ſic loqui, *Silex* enim proprie eſt nobis *Caillou*: at qua τὸ *Grez* Latine dicam, nondum reperi vocem propriam: eſt enim ſpecies Rupis comprehenſa communi nomine *Saxi*, unde liceat nobis doctrinæ cauſſa hanc vocem ad certam illam τῶ *Grez* ſignificationem reſtringere.

SECTIO XXV.

Quando & quali Silice Viæ Urbis Lutetiæ fuerint ſtratæ.

1. *Cur hic agatur de Pavimento Viarum Lutetiæ.* 2. *A quo tempore illud ſit ſtratum.* 3. *Philippus Auguſtus ejus primus Auctor.* 4. *Cur primo ſtraverit.* 5. *Ut Præfectus Urbis & præcipui cives Vias Urbis pavirent, juſſum regium.* 6. *Unde Lutetia a luto dicta credatur.* 7. *Etymologiæ hujus levitas.* 8. *Quorundam opiniones de voce Græca* Λουκοτεκία *&* τῶ *Pariſii.* 9. *Nomina propria majorum Galliæ Urbium deperdita; & quam nulla ratione horum etyma petantur ex linguis alienis.* 10. *Quando nomina propria Urbium cœperint mutari in nomina populorum, quorum erant caput vel metropolis.* 11. *Pavimenti Lutetiæ duplex ſpecies, ex Silice nativo & Saxo.* 12. *Silex fortior & durior Saxo.* 13. *Magna Urbium commoda ex vicinis lapicidinis.* 14. *Difficultas ſumtuoſa in advectione Silicum & Saxorum ad ſua loca in Viis Romani Imperii Publicis.* 15. *Viæ Publicæ ab Urbe Roma Silice in centeſimum uſque milliare ſtratæ.*

1. PRocul ullo eſt dubio, quod Pavimentum Viarum Lutetiæ ſupremum, ſatis bene oſtendat ſpeciem ſummæ cruſtæ Viarum Imperii Publicarum, ſtratarum ſcilicet Silice incerto. A re igitur non erit alienum hoc loco diſputare, quando & quali Silice fuerit facta & munita pro temporum ratione diverſa; ut ex magnitudine atque excellentia operis Silicei, in una ſolum urbe facti, melius poſſimus judicare de magnifica Romanorum virtute & nobili audacia: qua opera Viarum Militarium Ruſticarum per Orbem ſunt aggreſſi.

2. Mirum ſane eſt, Urbem Lutetiæ non fuiſſe ſtratam niſi abhinc annos CCCCXXXVII. numerandos ad annum uſque noſtri ſæculi decimi ſeptimi XXI. (*quo Auctor videlicet ſcripſit*) Id quod multis fortaſſe mirificum magis videbitur, quoniam Viarum ſtratarum inventio & uſus longe ſit antiquior. Verum teſtibus adeo certis hæc res confirmatur, ut plane extra dubitationis ullius aleam ſit ponenda.

3. Rigordus, Hiſtoricus, origine & habitatione Gallus, qui illo tempore vixit, docet *in vit. Philipp. Aug.* primum Viarum Lutetiæ ſternendarum auctorem fuiſſe *Philippum Auguſtum*. Si hic Rex virtutibus ſuis & rebus bello præclare geſtis meruit cognomen Auguſti; ſane idem illi ob magnanimum hoc molimen debetur, quo imitatus Cæſarem Auguſtum, qui primus eo cognomine Divinitatis æmulo mactatus eſt, quique in Viis muniendis nec ante nec poſt ſe habuit magis animoſum aut ſtudioſum Principem.

4. Hæc autem fuit cauſſa magnanimi, utiliſſimi & maxime neceſſarii hujus operis ſuſcipiendi, in loco præ cæteris lutulento & cœnoſo, quæ incom-

modo nec Pavimentum istud omnino tollit, quin inter Silicum juncturas & intervalla perpetuo exsudet inutilis luti humor. Rex, quem dixi, vicesimo ætatis suæ, quinto regni, nati Christi anno CIↃ.CCXXXIV. solus ambulans in quadam Palatii Parisiensis aula, quod Sequana alluit, fenestræ se applicuit, animi relaxandi gratia Sequanæ flumen & cursum spectaturus. Accidit, ut eo ipso tempore quædam plaustra præterirent juxta eundem locum, & sub illa fenestra commoverent lutum cœnumque: id quod tam fœdam exhalabat mephitim, ut Rex ejus impatiens fenestra abire debuerit. Sic autem occasio nata fuit Principi huic, ut ista juvenili ætate opus susciperet, quod Reges decessores ejus, ob impensæ magnitudinem nec in flore virilis ætatis ausi fuerant, ut Vias Lutetiæ sterneret Silice, verbis Rigordi dicam, *Arduum opus, sed valde necessarium, quod omnes prædecessores sui ex nimia gravitate & operis impensa aggredi non præsumserant.*

5. Uti ergo destinato operi initium fieret, ad se arcessivit Præfectum Urbis, & præcipuos Cives, illosque pro auctoritate regia jussit, ut sternerent Vias, Fora, Loca Publica per universam Urbem. Unicum certe hoc remedium erat vecturæ incommodis, & abolendo tetro fœtori, qui ex commoto surgebat cœno, quod cœnum gypso intermixtum (gypsi enim, quod calidæ est naturæ, ferax est solum Parisinum) acri illo fœtore & intolerabili ferit Viatorum nares, maxime illorum, qui nondum a longo tempore eidem sunt assueti.

6. Luti illius copia & fœtor multis fidem fecit hinc *Lutetiam*, ceu a *Luto*, sive lutulento solo, in quo condita, esse dictam. Wilhelmus Brito, qui XII. libris vitam Philippi Augusti cecinit, ex eorum numero est, *Philippid. lib.* I.

Cui, quamvis vere toti præluceat Orbi,
Nullus in Orbe locus, quoniam tunc temporis illam
Reddebat palus & terræ pinguedo lutosam,
Aptum Parisii posuere Lutetia nomen.

Idem credidit Rigordus *l. c. Ad hoc enim*, ait, *Christianissimus Rex conabatur, quod nomen antiquum auferret Civitati: Lutea enim a Luti fœtore prius dicta fuerat: sed Gentiles quidam hujusmodi nomen propter fœtorem abhorrentes, a Paride Alexandro, filio Priami Regis Trojæ, Parisius vocaverunt.*

7. Nolo immorari tam lepidis etymis: illud dico, vero simile non videri, priscos Gallos, Lutetiæ conditores, a Latinis vel Græcis petiisse nomen Urbi donandum. Urbs ea longe prius nomen habuit Gallicum, quam indigenæ ullam Latinorum aut eorum linguæ habuerint notitiam. Nomen priscum illud cum maxime ignotum videtur non abiisse procul a nomine *Lutecæ* vel *Leucotecæ*, cum ex eo Latini, secundum suæ linguæ indolem, fecerint *Lutetiam*, & Græci Λευκοτεσίαν, uti Strabo *Geogr.* IV. *p. m.* 353. vel Λευκοδέκτα, ut Ptolemæus *Geogr.* II. 8.

8. Me si quæras, non video minus rationis in petendo etymo a Græcis potius, quam a Latinis; nonnulli enim persuasum habent, Gallos usos literis non solum Græcis, quod Cæsar ait *de B. G.* VI. 14. sed & lingua Græca, cujus plurima adhuc apud nos supersunt vestigia. Nescio itaque, num melius forsan hi conjecerint, qui priscum nomen Gallicum Urbis petierunt a Græco Λευκοτεσία, quod inter Deæ Isidis nomina Græca ajunt esse, ceu quis *Albam Deam* sive *Candidam* diceret: & similiter insulæ & regionis incolas dictos volunt *Parisios*, quasi παρὰ τὸ Ἰσεῖον, id est, *circa Isidis templum habitantes*, olim sitæ eodem loco, ubi hodie est Templum *S. Germani de Pratis*, in quo idolum I-

A sidis ad nostra usque tempora visum ferunt.

9. Mea sententia verum nomen Gallicum Urbis *Lutetiæ* pristinum æque minus notum est, atque urbium *Biturigi* & *Nannetum*, quas Latini vocant *Avaricum* & *Condivicinum*, aliarumque, qui temporum injuria & Historiæ Gallicæ silentio perdiderunt pristina nomina, & acceperunt populorum vel regionum, quorum fuerant caput aut metropolis. Quod si ergo nomina propria & primæva una cum lingua Gallica prisca, cujus paucissima tantum restant vestigia, perierunt, frusta laborabimus
B in quærendis etymis nominum propriorum, quæ priscæ Galliæ urbibus fuerunt; & adhuc magis vano labore, harum urbium nomina, quæ supersunt, ratione etymologiæ petemus a linguis alienis, quarum Gallis, cum propria fuerit, nullus fuit usus. Melius certe foret, origines referre ad prisci Celtismi, vel Gallicæ linguæ natales, si hujus restarent certa & commoda pro hisce nominibus vestigia, uti Milæus *libro de Primordiis clariss. Urbis Lugduni* fecit in etymo *Lugduni*, quod ex *Lug*, id est, *longo*, & *dune*, id est, *ripa* componit, quasi a *longioribus ripis*, ob caussas eodem libro allatas. Ubi inter alia recte dicit: *Ad eam rem quidem facere illi*
C *non male videntur, qui ejusmodi urbium nomina, non tam ad Græcæ Latinæque Linguæ rationem, quam ad patriam Gentis linguam referunt.*

10. Cæterum spissus est Rigordi error, cum ait Lutetiam mutasse demum nomen, postea quam a Philippo Augusto fuerit strata pavimentis viarum. Mutatio illa longe vetustior est. Wilhelmus Brito eam adscribit temporibus, quo Chlodovæus sedem regiam Parisios transtulit, *Philippid. lib.* I.

Unus sit populus Franci cum Parisianis.
Urbs quoque Parisius meruit tunc primo vocari,
Cui prius indiderit situs ipse Lutetia nomen.

Illud nihilominus certum est, Ammiano Marcellino, qui duobus sæculis ante Chlodovæum vixit,
D jam in usu fuisse nomina populorum dare urbibus, quæ illarum erant caput, uti *civitatem Remos* appellat loco *Durocortori*, vel *Durocorti*; quod Scriptores Ecclesiastici tum, & post ea tempora faciebant in singulis provinciarum Galliæ populis: qua ratione in desuetudinem evanuere majorum urbium Galliæ nomina propria prisca Celtica, quæ non nisi forsan apud Græcos & Latinos hodie restant.

11. Sed nimium vagamur extra orbitam pavimenti viarum; revertamur itaque ad pavimentum Viarum Lutetiæ, cujus occasione eramus digressi. In illo hodieque duæ species Silicum observantur
E in superficie, *Silex* nimirum proprie dictus, & *Saxum* stricte sumtum; videturque secundum Rigordum primo usurpatus *Silex*, ejusque ævo totam per Urbem hoc vias stratas fuisse, cum Silici, quo Philippus vias fieri jussit, eadem, quæ Isidorus nativo Silici, epitheta adjungat, appellando *duros & fortes lapides*.

12. Vestigia certe & reliquiæ adhuc multis locis apparent, præsertim ubi vectura frequentior, cum Silex sit durior Saxo. Tales visuntur nonnullæ ad exitus Graviæ prope Curiam, vulgo *la Gréve*, ad Pontis D. Virginis aditum, pars quædam plateæ
F ducentis præter templum S. Magdalenæ ad passus admodum CL. & pars aliqua præter propter ad passus CC. versus pontem minorem ad S. Severini. Cæteræ Urbis viæ pleræque omnes stratæ sunt Saxo, quod magna copia Sequana advehitur a Fontebellaqueo. Saxa hæc paullatim occuparunt locum antiqui Silicis, prout viæ sæpius sunt refectæ: hodie enim reficiendis adhibentur saxa, quæ magna copia haberi possunt, loco Silicis, qui difficilius reperitur: sic ut conjiciam, lapsu temporis Silicis straturam, quæ superest, plane extritum iri.

13. Nec

13. Nec a mea conjectura judicium abit Strabonis *Geogr.* XIV. *p.m.* 367. *Non parva*, ait, *profecto utilitas est, cum ad cætera ædificia, tum ad templorum & aliorum publicorum operum fabricas, lapidariam copiam habere*. Quamdiu ergo Saxorum erit commoda copia, quorum videtur inexhausta fore, tamdiu alibi non videntur labore incommodo quærendi Silices. Gaudebunt ergo beneficio lapicidinarum Saxi, & Sequanæ, cujus flumine non magnis sumtibus Lutetiam advehi possunt.

14. Tam facile Saxa Silicesve ad Vias Imperii Romani Publicas non admovebantur. Hæ enim longo tractu per amplas Provincias continuatæ non habebant ubique vicinas lapicidinas; erant loca, ad quæ Silices viginti aut triginta leucis vectura deportabantur: id quod immensi sumtus & improbi laboris erat, quibus sola Roma triumphans & terrarum domina per suas divitias hominumque multitudinem par erat.

15. Virtus illa Romana inter alia apparet & ex eo, quod Viæ Publicæ ab ipsis portis Urbis in plures diversæ & divisæ per Italiæ regiones ad quinquaginta leucas Silice erant stratæ, magnæ & molis & duritiæ: testem adfero oculatum, Albertum, qui Italus ipse suis oculis eas vidit, cujus verba sunt *de re Ædific.* VIII. I. *Non illud refero in centesimum usque milliare stratas Vias lapide præduro, & maximorum lapidum strue coaggeratos*. Verum, mox ut Imperium Romanum concidit, & plures Provinciæ separatim in Regna & Respublicas abierunt, hæc opera contracta sunt, cum nulla Provincia singillatim per se tam magnis & immensis operibus sufficeret. Hinc & in Gallia, licet potentia exsuperet multa alia regna, Viarum Publicarum opera sunt neglecta, uti ubique terrarum, non sine publici boni damno; ipsæque Urbes ante Philippum Augustum non habebant vias aliter munitas, quam simplici aggere ex Glarea. Viæ vero antiquæ reperiuntur plures Remis, quas vulgo ibi Structores, cum eas inveniunt, appellant *Calceias Brunehildis*. Sunt illæ coopertæ septem vel octo pedes superingesta terra, & quandoque plures ex aggeratione arearum Urbis modo dictæ, & ex pavimento, quod illis postea superinstratum fuit.

SECTIO XXVI.

De Viis Publicis stratis Silice quadrato aut regulari, deque magna illa Via Appia.

1. *Altera Silicis species ad opera Viarum Publicarum.* 2. *Livii & Procopii testimonia de Viis Silice quadrato stratis.* 3. *Via Appia, prima & tempore & magnificentia, Viarum regina.* 4. *Ejus auctor Appius Claudius.* 5. *Ejusdem descriptio ex Procopio* 6. *Dubia quædam in loco Procopii.* 7. *Longitudo ejus Viæ Roma Capuam,* 8. *& Roma Brundusium.* 9. *Appius Viam suam extendit tantum usque Capuam, & cur.* 10. *Quis eam perfecerit Brundusium usque.* 11. *Silices in illa Via trium, quatuor, & quinque pedum quadrati.* 12. *Ex quibus locis Silices petierint. Primus locus.* 13. *Alter locus.* 14. *Varia locorum distantia, unde isti Silices advehebantur.* 15. *Via Appia per Theodoricum, Gothorum Regem, refecta.*

1. ALtera Silicis species, quæ ad opera Viarum Publicarum fuit adsumta, est ille, quem prædurum insanis sumtibus, e vivæ rupis visceribus per magnas massas quadrarias excisum, deinde insigni iterum magnificentia, non fortuitis mallei ictibus, sed scalpro cœloque ad libellam & amussim, elaborarunt; ut eos in Viarum stratura apte collocarent, non aliter ac Silices quadratos in structura. Tali Silice quadrato nonnullæ Viæ Publicæ tam per Italiam, quam per Provincias sunt stratæ.

2. Et quandoquidem in ejusmodi operibus magnitudo Romana se maxime ostentat præ cæteris straturæ generibus, hinc Auctores, ubi talis operis mentio fit, disertis verbis fere semper annotant *Lapides* vel *Silices quadratos*, aut saltem per circumlocutionem tales exacte designant. Sic Procopius de Via Appia loquitur *de Bell.Goth.lib.*1. hunc in modum: *Est sane hæc Via præter cæteras spectabilis, siquidem Appius ex alia & longinqua tunc, ut reor, regione excisos lapides, & hos quidem siliceos, ac suopte ingenio durissimos, in hanc Viam vehendos curavit: quos planos deinde ac læves redditos, & quadratos incisione factos junxit, & in ordine locavit*. Sic Livius meminit l.x.23. Cn. & Q. Ogulnios Ædiles Curules ex mulctaticia pecunia *semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis stravisse*: voluit autem notanter excellentiam operis denotare, id quod & alii boni Auctores faciunt, quos brevitatis caussa hic prætereo.

3. Sed quoniam Viæ Publicæ tam Urbicæ, quam Rusticæ, lapide quadrato stratæ omnium maxime eminent, & in his maxime conspicua est nobilis Romanorum audacia; extra Viam, ut puto, non errabimus, si horum operum quædam exempla lustremus, ac duas tresve Vias tales accurate perlustremus, ac veluti veris coloribus depingamus, ut ex his judicium fiat de cæteris, simul & de immensis divitiis ac magnificentia Romanorum. Initium melius fieri non poterit, quam a Via Appia, cum hæc duas habeat dotes, quod Temporis ratione antiquissima sit, & Straturæ omnium excellentissima; sic ut non sine caussa cecinerit Papinius, *Sylv.* II. 2. *vs.*11. *in Surrent. Pollii*:

—— *Qua limite noto*
Appia longarum teritur regina Viarum.

& Onufrius Panvinus *Comment. Reip. Rom. lib.* I. *de urbe Roma* jure dixerit *omnium maximam & laudatissimam*.

4. Auctor ejus sine ullo dubio est celebris ille *Appius Claudius Cæcus*, quod docet & historia Romana & sequens inscriptio, quam alii Florentiæ, Aretii vero alii ponunt, apud Grut. CCCLXXXIX. 4.

APPIVS. CLAVDIVS
C. F. CAECVS
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTERREX. II.
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III.
COMPLVRA. OPPIDA DE. SAMNITIBVS
CEPIT. SABINORVM. ET. TVSCORVM. EXER
CITVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM. PYRRHO
REGE. PROHIBVIT. IN. CENSVRA. VIAM
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN. VRBEM
ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE. FECIT.

5. Plures Auctores antiqui hujus mentionem faciunt, ut admirantes, verum nemo illam Viam exactius describit per omnes partes, quam Procopius *de bello Gothico lib.*1. *Hanc* Appiam Viam *Appius Romanorum Censor ante annos nongentos straverat, & a se dederat nomen. Longitudinem ejus quinque dierum spatio vir expeditus possit emetiri. Ab Urbe Roma Capuam pertinet, ea latitudine, ut duo currus ex adverso obvii, libere queant pervadere & commeare. Et est sane hæc via, præter cæteras, spectabilis. Siquidem Appius ex alia & longinqua tunc, ut reor, regione excisos lapides; & hos quidem siliceos, ac suopte ingenio durissimos, in hanc viam vehendos curavit. Quos planos deinde ac læves redditos, & quadratos incisione factos, junxit & in ordine locavit, metalli ni-*

hil vel alterius rei inserendo. Sunt tamen ita connexi, & valide inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Et quamvis tot jam sæculis atterantur assiduis plaustris jumentisque; tamen neque serie sua vel minimum exeunt & dimoventur, neque franguntur, aut lævorem suum amittunt. Hæc Græcus ille Scriptor, & oculatus arbiter, extra argumentum Historiæ suæ accurate inseruit, admiratione inductus, quæ stylum eo traxit.

6. Sunt tamen in hac descriptione nonnulla dubia examinanda, ut melius intelligatur: primo quod Procopius dicat, *ante nongentos annos* factam fuisse; obiter notandum, huic numero quinquaginta annos esse adimendos & plures, *ut constet* supputatio ab anno U. C. quo Via primum facta, CCCCXLII. ad sæculum Procopii: deinde se offerunt aliæ salebræ in metienda longitudine hujus Viæ. Alii enim scribunt ab Appio factam tantum usque Capuam; alii Brundusium usque. Auctor *de Viris Illustribus*, sive is Plinius, sive Nepos, disertis verbis affirmat, *Appiam Viam Bundusium usque lapidibus straviſſe*. Alii iterum scribunt quidem Viam Appiam stratam Roma Brundusium; sed non addunt, factum id ab Appio. Ita Strabo *Geogr. lib.* V. p. m. 425. *Hoc in loco* (Taracinæ ad litus maris Tyrrheni) *mari adjungitur Appia Via, strata a Roma usque Brundusium, & plurimum peragrata*. Tacitus *Ann.* II. 30. Libonem refert consultavisse, *An habiturus foret opes, queis Viam Appiam Brundusium usque pecunia operiret?* Horatius *Satyr.* I. 5. *vs.* 104. dum iter per Viam Appiam Brundisium usque describit, sic illud claudit:

Brundisium longæ finis chartæque viæque.

7. Cum vero Via Capua Brundusium longior sit ea, quæ Roma ducit Capuam, insignis videtur esse inter Procopium & Auctores mox laudatos contrarietas. En igitur, quot milliaribus Roma distet Capua ex *Itinerar. Antonin.* p. 23. ex descriptione Itineris Roma Columnam prope Rhegium ad fretum Siculum, hoc modo:

Item ab Urbe, Appia Via, recto itinere, ad Columnam.

Ariciam	M. P. XVI.
Tres Tabernas	M. P. XVII.
Appii Forum	M. P. XVIII.
Tarracinam	M. P. XVIII.
Fundos	M. P. XVI.
Formias	M. P. XIII.
Minturnas	M. P. IX.
Sinuessam	M. P. IX.
Capuam	M. P. XXVI.

Hos numeros si in summam colligas, habebis M. P. CXLII. quæ efficiunt leucas Francicas LXXI. quæ per quinarium diversæ dabunt leucas XIV. & unam quintam ejus partem. Tantum Viæ quotidie eundum foret expedito homini, quinque dierum spatio hanc Viam emetiri si velit, prout Procopius *l. l.* ait. Sequitur deinde *in eodem Itinerario* Iter Capua Brundusium *p.* 24. hoc modo:

A CAPUA.

Iter a Capua Equotuticum M. P. LIII. sic:
Ubi Campnia limitem habet

Caudium	M. P. XXI.
Beneventum	M. P. XI.
Equotuticum	M. P. XXI.

deinde *pag.* 25.

Ab Equotutico Hydruntum ad Trajectum M. P. CCXXXV. sic:

Ecas	M. P. XVIII.
Erdonias	M. P. XVIIII.
Canunsium	M. P. XXVI.
*	* *
Rubos	M. P. XXIII.
Brudruntum	M. P. XI.
Barium	M. P. XII.
Turres	M. P. XXI.
Egnatiam	M. P. XVI.
Speluncas	M. P. XX.
*	* *
Brundisium	M. P. XVIIII.
Lupias	M. P. XXV.
Hydruntum	M. P. XXV.

Hic si ad summam voces M. P. Capua Brundisium, qualia apponuntur, colliges ad minimum M. P. CCXXXVIII. quæ faciunt leucas nostrates CXIX.

8. Atque adeo secundum hoc Itinerarium Roma Brundusium erunt M. P. CCCLXXX. sive leucæ Franciæ CXC. aut, si Strabonem audis *Geogr. l.* VI. *p.* 516. *Tota* (Appia) *ex Roma Brundusium* CCC. & LX. *milliaria continet*, quæ erunt leucæ nostrates in universum CLXXX. & sic a Capua usque Brundisium CIX. leucæ supererunt. Sita est enim Brundisium in extremis Italiæ ad litus maris Hadriatici longitudine graduum XLII. & XXX. minutorum, latitudine graduum XXXIX. minutorum XL. teste Ptolemæo *Geogr. l.* VI. *tabula* VI. *Europæ*.

9. Dubium non est, quin eo usque Via Appia fuerit producta; verum Appius non fuit solus Auctor totius Viæ istius. Julius Frontinus, qui sub gente Flavia jam floruit, satis diu ante Procopium, *de Aquæduct. lib.* I. testatur, *Appiam Aquam inductam esse ab Appio Claudio Censore: qui & Viam Appiam a porta Capena ad urbem Capuam muniendam curaverit*. Sane Appius eam Viam ulterius produxisse non potuit, cum ejus ævo non essent ulteriores Romanis fines illic loci; sed alieni, sed hostes, quibuscum Romani tum semper bellum gerebant.

10. Si quæras, ecquando & a quo igitur illa Via fuerit perfecta, regererem, ex Horatii paullo ante laudato loco esse certissimum, jam Augusti ævo perfectam fuisse usque Brundusium, sed Auctorem esse in obscuro. Testis & Plutarchus *in vit. Jul. Cæs. c.* 8. Julium Cæsarem a Populo Rom. *Viæ Appia Curatorem esse constitutum*, sed nec addit, nec accurate designat, ecquid in illa fecerit. Sunt tamen plures Eruditi, qui sentiunt, a Julio Cæsare, viro ad maxima quævis nato, opus hoc perfectum, utpote quod pro superficiei suæ amplitudine & splendore meliori curæ mandari non potuisset: id quod vero valde est simile, cum Plutarchus *l. l.* dicat, quod Julius Cæsar *magnam a se pecuniam eidem Viæ impenderit*.

11. Silicum vero quadratorum modos & mensuram, quanti in ea Via sunt, nec Procopius, nec quisquam Veterum, quantum memini, accurate describit: & Lipsius, vir doctissimus, illam nos docet *de Magn. Rom.* III. 10. *Conspiciuntur hodie tales, id est, plani quadratique diversa magnitudine: trium, quatuor, quinque etiam pedum quaquaversus. Cætera de Junctura & Firmitate, utque unum corpus appareant, sunt miranda magis hodie, quam imitanda*.

12. Locum, unde hæ massæ quadrariæ Siliceæ sunt petitæ, & ad opus advectæ, si spectes, eum

Procopius non describit speciatim, cum tantum generatim putat, eas *ex alia & longinqua regione* esse advectas, nec veteres eundem describunt Auctores, neque distantiam determinant. Onufrius Panvinus, qui Patrum memoria scripsit, Vir talium rerum curiosus, *Comment. Reip. Rom. lib.* 1. *de Urbe Roma*, hæc memoriæ prodit: *Quidam referunt duos se montes in Campania vidisse, ex quibus Saxa illa coloris duritieque ferreæ exscindi solita: alterum prope Suessam, alterum ad mare inter Puteolos & Neapolim.* Prior igitur & Romæ propinquior fuit circa antiquam Sinuessam, quæ Ptolemæo *l. supra c.* est Σόεσσα, a Græcis olim ad mare condita & dicta *Sinope*, postea a Colonis Romanis *Sinuessa*, teste Livio x. 21. hodie in ruinis & exiguus pagus sub nomine *Rocha de monte Dragone*, distans Roma M. P. CXVI. secundum *Itinerarium Anton.pag.*23. quæ efficiunt leucas Francicas LVIII.

13. Posterior mons est prope Sinum Lucrinum versus Capuam Roma distans leucas admodum LXX. Forsan hic est Misenus, Lucrino proximus mari, quem Cyprianus Eychovius, oculatus testis, *in deliciis Italiæ*, sic depingit: *Hinc est, quod videmus magna ex parte Miseni montis exhausta viscera: imo totum fere concavum, & cacumine pensilem esse, in quo nunc etiam aparent lavationum solia, balnea, lacus & ad cœnas faciendas triclinia: nam cryptis, viis, ædificiisque fornicatis intus plenus est, quæ crebris hinc inde columnis incumbunt, partim lateritiis, partim ex ipso montis saxo cæsis.* Mirifica plane sunt, quæ Auctor iste in hisce ædificiis sibi visa narrat, item de *crypta Draconaria*, & *piscina* longa pedes IↃ. lata CC.

14. Nolumus hic repetere, quæ supra *Sect.* XVI. §.7. diximus de caute ab Appio perfossa juxta Terracinam: forsan & exinde magnam habuit Silicis copiam quadrati. Credibile namque est, operas, cum exciderent istam rupem & similes, ibi tum massas illas siliceas quadrarias formasse, quæ inde ad loca Viæ Publicæ, ubi opus erat, devehebantur; horum alia aliis longius aberant: indicare istam rem videtur Strabo, cum *Geogr. l.*v. *p.m.*429. commemorat *excisos colles* sive *montes* ad sternendas Vias. Sunt autem in Via Appia intervalla, ad quæ advehi debuerunt massæ quadrariæ Siliceæ usque a XL. leucis, idque profecto insanis sumtibus & hominum jumentorumque labore incredibili.

15. At quamvis Via Appia firmitate & junctura esset tali, qualis temporum injuriæ resistere posset, invenimus tamen illam, versus Terracinam, fuisse corruptam, confluentibus ab utraque parte paludum aquis: illæ forsan paludes Pomtinæ fuerunt, ubi & ante Trajanus Herculea perfecerat opera, quæ admirati sumus supra 1.17.§. 8. Theodoricus vero Gothorum Rex, qui satis feliciter aliquamdiu Romæ regnavit, corruptelas illas refecit, ceu apparet ex hac *Inscr.* quæ exstat Anxuræ, sive Terracinæ, in Cæsarei templo, ab Gruter. CLII. 8.

DN. GLORIOSISS. ADQ. IN
CLVTVS. REX. THEODORICVS VICT
AC. TRIF. SEMPER. AVG. BONO. REIP
NATVS. CVSTOS. LIBERTATIS. ET
PROPAGATOR. ROMANI. NOMINIS
DOMITOR. GENTIVM
DECENNOVII. VIAE. APPIAE. ID. EST. A. TRIP.
VSQ. TERRACENA. ITER. ET. LOCA. QVAE.
CONFLVENTIBVS. AB. VTRAQ. PARTE. PALVDVM
PER. OMNES. RETRETRO. PRINCIPVM. INVNDAVERANT
VSVI. PVBLICO. ET. SECVRITATE. VIANTIVM
ADMIRANDA. PROPITIO. DEO. FELICITATE
RESTITVIT. OPERI. INIVNCTO. NAVITER. INSVDANTE
ADQ. CLEMENTISSIMI. PRINCIPIS. FELICITER
DESERVIENTE. PRAECONIIS. EX. PROSAPIA. DECIO
RVM. CAEC. MAV. BASILIO. DECIO. V.C. ET. INL
EXPF. VRB. EXPPO. EXCONS. ORD. PAT. QVI. AD
PERPETVANDAM. TANTI. DOMINI. GLORIAM. PER
PLVRIMOS. QVI. ANTE. NON. ERANT. ALBEOS....
. . . . DEDVCTA. IN. MA
RE. AQV. IGNOTAE. ATAVIS. ET. NIMIS. ANTIQVAE
REDDI. . . . . . [desiderantur IV. lineæ.]

SECTIO XXVII.

De Via Domitiana.

1. *Viæ Domitianæ elegans descriptio apud Statium.* 2. *Error Domitii, interpretis Statiani, castigatur.* 3. *Via Domitiana partim strata marmore.* 4. *Opera Domitiani ad navigationem Vulturno fluvio restituendam.* 5. *Alter Domitii error super initio Viæ Domitianæ.* 6. *Hujus longitudo Sinuessa Puteolos; & ad hanc rem testimonia.* 7. *Quomodo Roma jungatur Baiis per Viam Domitianam.* 8. *Incommodum duplex vitatum per illam Viam.* 9. *Alterum incommodum quomodo vitatum.* 10. *Arcus triumphalis a S. P. Q. R. dedicatus Domitiano ob hanc Viam.* 11. *Rationes, quæ suadent, ut credamus materiam interiorem esse eandem, quæ cernitur & in aliis Viis.*

1. STatius Papinius proxime accedit ad majestatem Virgilii; inter cætera illius hoc probat descriptio Viæ Domitianæ, ubi stylus ejus æque admirabilis est, atque ipsa Via: si enim legas hoc poema, putabis te audire operas in opere, au-

dire sonum mallei & scalpri in excidenda rupe, cæli in formandis quadris; deinde videre te coagmentationem calce & arena factam; exscindi arbores, nudari montes sylvarum umbra viridium, ad palos fistucarios: tanta scilicet arte totum illud opus pæne oculis subjecit.

2. Unde Domitius, Statii Interpres, habeat, a Domitiano hanc Viam *lateribus* stratam fuisse, nescio. *Silice* enim stratam superficiem clarissime Poeta vel in ipso ostendit limine *Sylv.* IV. 3. *vs.* I. *& seqq.*

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?

Imo ex aliis ibidem locis constat, Viam istam Silice incerto stratam non fuisse, cum coagmentatio facta sit signino delicatiore ex calce & farina tophi: *vss.* 52. 53.

Illi saxa ligant, opusque texunt
Cocto pulvere sordidoque topho.

Ubi *coctus pulvis* non est later, ut Domitius putavit; sed calx, quæ arenæ & farinæ tophi commixta reddit signinum aptissimum coagmentandis Silicibus quadratis. Idem signinum innuit Albertus *de re Ædif.* III. 6. *Tessellatis affigendis utilior est calx, cui Tiburtini lapidis farina tritissima immixta est.*

3. Tantum abest, lateribus stratam fuisse hanc Viam, ut pluribus intervallis strata fuerit marmore quadrato ampliore: id quod Domitius præter opinionem ipse confirmat, cum versum 96. exponit.

Ingenti plaga marmorata dorso.

id est, longa via strata marmoribus. Re enim vera Domitianus insigni magnificentia magnam Viæ partem circa Vulturnum fluvium marmore straverat; qui fluvius ex *Apennino* ortus Campaniam Italiæ in duas regiones dividit, seque in mare Tyrrhenum ad urbem sibi cognominem effundit.

4. Hic fluvius antea & alveum & ripam nesciebat, atque exundans quasi per consuetudinem agros vicinos inundabat; quin imo ruptis ripis & limitibus naves flumine suo arcebat; intra quos eum Domitianus coercuit, & restringendo ripas easque firmando navigabilem denuo reddidit, ac utramque ripam ponte magnificentissimo palis fistucariis impo ito conjunxit, & non solum utrinque acclivia hujus pontis, sed & ipsum marmoreis quadris ingentibus satis longo itinere constravit. Sed audiamus ipsum Vulturnum, qui vate Statio interprete, Domitianum excellenter sic alloquitur, *vss.* 67. *& seqq.*

At flavum caput, humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulmis,
Vulturnus levat ora, maximoque.
Pontis Cæsarei reclinis arcu,
Pandis talia faucibus redundat:
,, *Camporum bone conditor meorum,*
,, *Qui me vallibus aviis refusum,*
,, *Et ripas habitare nescientem,*
,, *Recti legibus alvei ligasti:*
,, *Et nunc ille ego turbidus minaxque,*
,, *Vix passus dubias prius carinas,*
,, *Iam pontem fero, perviusque calcor.*
,, *Qui terras rapere & rotare sylvas*
,, *Assueram, pudet, Amnis esse cœpi.*
,, *Sed grates ago, servitusque tanti est,*
,, *Quod sub Te Duce, Te jubente cessi;*
,, *Quod Tu maximus arbiter, meæque*
,, *Victor perpetuus legere ripæ*
,, *Et nunc limite me colis beato,*
,, *Nec sordere sinis, malumque late*
,, *Deterges sterilis soli pudorem,*
,, *Ne me pulvereum gravemque cœno*
,, *Tyrrheni sinus obruat profundi.*
,, *Qualis Cinyphius tacente ripa,*
,, *Pœnos Bagrada serpit inter agros:*
,, *Sed talis ferar, ut nitente cursu*
,, *Tranquillum mare, proximumque possim*
,, *Puro gurgite provocare Lirim.*
Hæc Amnis: pariterque se levarat
Ingenti plaga marmorata dorso.

Alter Domitii error est, cum viam Domitianam init a Terracina, quæ verum habet initium Sinuessæ; hæc autem abest Terracina M. P. XLVII. sive leucas Francicas XXIII. & dimidiam: nam Via Appia adhuc continuatur Terracina Sinuessam secundum mare Tyrrhenum per urbes maritimas Fundos, Formias, Minturnas, nullo intervallo vacuo relicto inter illam & litus, unde Via Domitiana posset initium capere. Horatius *Satyr.* I. 5. iter Roma Brundisium describens per Viam Appiam, hanc Sinuessam usque continuat *vss.* 39. 40. 41.

Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius & Varius Sinuessæ Virgiliusque
Occurrunt.

Item Strabo *Geogr. l.* V. *p. m.* 425. *E maritimis Urbibus hæ solum attingunt (Viam Appiam) Taracina, & quæ deinceps Formii, Minturnæ, Sinuessa.* Patet idem ex loco *Itiner. Anton.* allato Sectione *praeced.* §. 7. quo Appia deducitur Sinuessam; nec non ex *Segmento* IV. Tabulæ Peutingerianæ, ubi Appia Sinuessam ducens inde in mediterranea ab litore recedit, & per Campaniam pergit Capuam.

6. Hoc in diverticulo Via Appia locum cedit Domitianæ, quæ inde exorta pergit juxta litus trans Savonem & Vulturnum prope vitiferos Gaurum & Massicum montes, & continuatur per paludem Linternam, atque inter lacus Avernum & Acherusium, deinceps salutatis Cumis terminatur ad Puteolos. Statius certe sic Viam illam Domitianam init, nulla mentione locorum inter Sinuessam & Terracinam facta, quæ procul ullo dubio non omisisset, si a Terracina initium caperet illa Via: sic enim canit *vss.* 62. *& seqq.*

It longus medias fragor per urbes,
Atque Echo simul h[illegible] inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Linterna palus, pigerque Savo.

Ut breves simus, audi Strabonis disertissima verba: *Geogr. l.* V *p. m.* 432. *Præclarissimæ sunt Viæ, Appia, Latina, Valeria: una quidem ad mare Latinæ partes separans usque Sinuessam protenditur, altera in Sabinam usque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Casinum oppidum conjungitur Appiæ, ab Capua* XIX. *distans stadiis.* Dio *l.* LXVII. *in eclog. Xiphilin.* verba faciens de Via Domitiana, eam inter Sinuessam & Puteolos terminat: *Iisdem,* ait, *temporibus ea Via, quæ inter Sinuessam & Puteolos, lapidibus strata fuit.* Noster Papinius eam deducere Bajas usque videtur, his *vss.* 24. 25. 26.

Gaudent Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque sinus, & æstuantes
Septem montibus admovere Bajas.

7. Veruntamen non ideo, quasi solum Via Domitiana Bajas Roma producatur; sed quod hinc Viæ Appiæ conjuncta, inde & Viæ antiquæ, quæ Puteolis ducit Bajas, hisce mediis Bajas admoveret Romæ, præberetque iter profecturo ab una ad alteram harum Urbium, continua & porrecta per leucas LXXII. sine ulla interruptione: nam per Viam Ap-

piam Roma Sinuessam sunt leucæ LVIII. inde per A Viam Domitianam Sinuessa Puteolos leucæ XIII.& per Viam antiquam Puteolis Bajas leuca I.

8. Hæc autem Via Domitiana quamvis usque adeo in longum porrecta non fuerit, hinc tamen jure merito poterat commendari, quod bina arceret incommoda satis magna, quibus alias loca, per quæ ducitur, Viatoribus molestissima erant, sive pedites, sive equo, sive curru vecti iter facerent. Prius incommodum erat in locis paludosis & stagnantibus; cui occurrit aggeribus & pontibus, ubi erant necessarii. Alterum erat in sabulo & arena incerta & quasi fluctuante, quæ tam multa erat, ut viatores, præcipue utentes vectura, in itinere B maligno hærerent; rotæ enim in arenas immersæ velut absorbebantur in illa via difficili, lenta & morosa, quæ homines æque ac jumenta delassabat: hoc incommodum Via Domitiana ita sustulit, ut quod antea solidi erat iter diei, compendifecerit ad horas vix duas. Sed audi hæc elegantissime canentem Statium *vss.* 27. *& seqq.*

Hic quondam piger axe vectus uno
Nutabat cruce pendula viator,
Sorbebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis. C
Nec cursus agiles, sed impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum pondus nimium querens sub alta
Repit languida quadrupes statera.
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis, carinæ.

9. Huic autem malo alteri remedium erat, ex- D pedire & expurgare, ad stabile & firmum usque solum, sabulum illud incertum & arenas fluctuantes, ut in earum locum substitueretur arena gravior & solidior, uti sic præparetur statumen satis solidum pro sustinendis Viæ illius interioribus exterioribusque materiis: docet hoc Statius noster *in præfat. l.* IV. *Sylv. ad Marcellum*: *Tertio Viam Domitianam miratus sum, qua gravissimam arenarum moram exemit: cujus beneficio Tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam Tibi in hoc libro a Neapoli scribo*: nec non in ipso carmine *vss.* 20. *& seqq.* E

Hic segnis populi vias gravatas,
Et campis iter omne detinentes,
Longos eximit ambitus, novoque
Injectu solidat graves arenas.

10. Hæc Via veluti brachium aut ramus erat Viæ Appiæ, cui ad Sinuessam conjungebatur, ubi S.P.Q.R. ob commoda hujus Viæ apertæ Domitiano Imp. magnificentissimum dedicaverat Arcum triumphalem, quem depingit Statius *vss.* 97. *& seqq.*

Hujus janua prosperumque limen, F
Arcus belligeri Ducis tropæis,
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur excitus Viator,
Illic Appia se dolet relinqui.

11. Sed Lectorem curiosum ad ipsum Statii carmen remitto & ad finem festino. Quod si ergo ad Pavimentum, ex simplici glarea, operæ materiam interiorem tam varie & apposite muniverunt, a ratione alienum non erit, nec ingentes illos Silices quadratos in hac Via ad lineam & circinum elaboratos, pro statumine habuisse simplicem arenam, sed plus delituisse materiæ intus, quam in extrema superficie viseretur. Si periculi faciendi caussa Via Appia aut Domitiana alicubi refoderetur & in visceribus suis lustraretur, nullum est dubium, quin sub summa crusta lateant omnes materiæ, quæ faciunt ad statumen, ruderationem, & nucleum, plane ut in Viis vulgaribus ex Glarea vidimus; imo credibile est, majore arte hic esse elaboratam & suffertam Viam, quam alias: id quod æris profusionem plane mirificam ultro arguit.

SECTIO XXVIII.

De pluribus aliis Viis Publicis majore Silice aut Marmore stratis.

1. *Via Publica massis quadrariis marmoreis strata Cajeta Capuam,* 2. *Alia Silice strata Tungris Lutetiam.* 3. *hujus excellentia, & hinc fabulæ fictæ.* 4. *Alia strata quadratis saxis in Gallia Narbonensi.* 5. *Duæ Viæ longæ & admirandæ in America a quo stratæ.* 6. *Diversæ super illarum longitudine sententiæ.* 7. *Palatia secundum illas structa, admiratione digna.* 8. *Saxa decem pedes quaquaversus quadrata ad opus ibi adhibita, sine ullis machinis aut tabulatis.* 9. *Rex Guaynacape illas Vias refecit.*

1. IN nonnullis recentioribus Scriptoribus inveni duas Vias, quæ merito suo ad excellentiores publicas referri debent, si tales sunt, quales nobis describuntur. Prior est Via Publica ducens Capuam Cajeta, quam Thevetus *Cosmograph.* Gallice scriptæ XVII. 8. sibi visam ait, seque ab indigenis ibidem accepisse, hanc Viam unius noctis spatio arte magica a Virgilio perfectam. Via hæc, ut ait, ab uno extremo ad alterum strata est ingentibus quadris marmoreis, quæ adeo longa & gravia sunt, ut reperiantur aliqua, quæ vix viginti hominum ope humo tolli queant: adjungit deinde: *Soit ce, que l'on voudra en dire: mais je sçay, que c'est une des choses nompareilles de tout le pais Neapolitain*: quæ verba Latine sonant: *Dicant alii, quæ ipsis placent; hoc scio, esse opus incomparabile inter cætera totius tractus Neapolitani.* Ex his apparet verbis, quod ineptis vulgi illic loci fabulis de Virgilio fidem minime habeat, quem nonnulli Magum fuisse scripserunt: nec ego facile fidem haberem tali testi, qualis est Thevetus, nisi oculatum se scribere profiteretur: at esto fides penes illum, cum certior aliunde non occurrat.

2. Altera Via Publica est in Gallia Belgica, de qua nihil constat, quam ex Guicciardini *commentariis de Belgio*, qui, ubi antiquos Tungros & Eburones commemorat, affirmat, videri adhuc plurimas reliquias Viæ Publicæ, quæ olim a Tungris Lutetiam duxerit, eamque appellat *admirabilem & prodigiosam*, tam ratione longitudinis, quæ ad LXXX. leucas porrigitur, quam straturæ, quæ olim tota fuit ingentibus silicibus, adhuc hodie hinc & inde per plurima intervalla integris visendis.

3. In hac Via singillatim hoc notatu dignum erat & plane admiratione, quod facta & continuata fuerit inter duos muros, sive lapideos utrinque parietes, quorum reliquiæ adhuc per Galliam conspiciuntur, qui Viæ veluti frontes hinc & illinc erant, inter quas ea utrinque molli clivo ad medium surgebat, ut eo melius aquæ defluerent per meatus & effluvia, quæ parietibus modo dictis dedita opera & studio erant inserta, sic ut quovis tempore Via esset firma & sicca: hinc populus tanti operis excellentia stupefactus & Herculeam auda-

ciam miratus fabellis locum dedit, & ad Cacodæmonem, qui trium dierum spatio totum fecerit & perfecerit, opus hoc retulit. Sic solent & debent ad Inferos descendere ignari virtutis S. P. Q. R. & Imperatorum, qui soli hæc miracula perficere potuerunt, per nostra sæcula hominum vulgo viribus majora nec imitanda, unde ista opera ad malos Genios & Magicas artes plerunque referunt.

4. Duabus hisce Viis addi potest & illa, cujus mentio facta est supra *Sect.* XXII. §. 13. quam Andreas Resendius, *Antiq. Lusitan. l.* II. *cap. de Viis Militarib.* ait sibi visam *in Narbonensi Gallia, stratam quadratis saxis pæne insana profusione.*

5. Quamvis autem hæ Viæ modo dictæ admirabiles sint, tam sumtuum, quam straturæ ingenti Silice tam apte contextæ & coagmentatæ ratione; comparari tamen nullo modo possunt duabus Viis mox ineundis, iisque ne quidem Romanis, sed Americanis, repertis in Peruano Imperio. Hoc vero loco tam commodo non puto me aberraturum, si in duas hasce Vias digressus fuero, tam longas, tam magnificas, tam splendidas, quarum longitudini, magnificentiæ, splendori nulla in toto Imperio Romano Via, si quamque separatim per se lustres, componi potest. Mirandum namque in modum productæ sunt, & stratæ atque coagmentatæ massis quadrariis, quæ magnitudine & gravitate superant omnes, quas in pavimentis Viarum vidimus Romanarum. Duæ hæ Viæ factæ olim erant a Regibus Peruanis, ductæ a capite Regni cognominis urbe *Cusco* urbem usque *Quito*: altera per plana excurrit agrorum & camporum, altera per ipsa transit montium juga: hodie tantum non omnino corruptæ sunt per bella Hispanorum cum indigenis. Prior directa est, æqualis & plana, lata passus XXV. utrinque substructa muris & nitidis & altis, juxta quos hinc & illinc inferius trepidant perpetuo flumine rivuli, obumbrati cinctique arboribus pulcherrimis, quas vocant sua lingua *Moly*. Posterior ejusdem latitudinis, infinitis locis, e viva rupe, excisa; item vero, ubi cœnosi erant gurgites, aut voragines, saxis calce conjunctis & substructis expleta, ut totum opus ad justam exsurgeret & planam æqualitatem.

6. Michael Montanus, (*des Essais* III. 6. *in fine.*) qui de sola priore verba facit, illi CCC. leucarum longitudinem adscribit: at Johannes de la Haye, (*en son Tresor des Cartes de tous les Pais du Monde,*) qui utramque describit, illas ad leucas IↃ. producit, quæ est distantia inter Urbes *Cusco* & *Quito*. Leucas illas puto designari Hispanicas, cum scriptorem adferre possim, qui longe magis hasce Vias producit. Est is Josephus Morletius, qui *Ptolemæi Tabulas* edidit *Venetiis anno* CIↃ. IↃ. LII. Hic unicuique harum Viarum, *Tabula* XXXIV. *additarum*, milliaria Italica adscribit ∞. ∞. CCCC. longitudinis, quæ redderent leucas Francicas CIↃ. CC. latitudinem vero XXV. passuum.

7. Magnificentiam deinde scriptor hic istarum Viarum æque, atque priores denarrat: adsita fuisse regia palatia ad quodvis diurni itineris spatium per mansiones, quas incolæ *Tambos* appellant; hæc sunt *l. l.* ipsa ejus verba: *Ante Christianorum adventum regio Peru subdita erat proprio Ungi, qui Regem sonat. Hic duas construere fecit Vias, quarum unaquæque continet milliaria 2400. longitudinis fere, & latitudinis 25. passuum, cum parietibus, ab extremis, erectis, & per singulum spatium unius diei itineris, singulam erigere fecit Regiam domum, in quibus servabantur arma & alia bello necessaria, & in quibus etiam Rex cum familia in itinere recipiebatur.*

8. Quod majus est, non alio lapide, quam qui decem pedes ad minimum quaquaversus in quadrum extenderetur, in hac stratura usi sunt: in quo difficultas eum loco movendi, novum offert prodigium: neque enim habebant vecturæ commoda per jumenta, ad advehenda onera tam gravia, sed illa ad locum destinatum traxerunt suis ipsi manibus; atque ad massas illas adeo portentosas apte componendas nec machinarum nec tabulatarum artem noverant; sola eorum ars fuit, locum aggere terreno pro modo operis futuri explere, & illi deinde insternere massas istas quadrarias. Ut breves simus, si oculatis testibus fides habenda est, hæ Americanorum Viæ utilitate, difficultate & structuræ atque straturæ magnificentia superarunt omnia apud priscos Ægyptios, Græcos, Romanos structuræ antiquæ opera.

9. Rex Guaynacape, qui vixit ante hos admodum CXX. annos, (*si epocham hujus libri, ad annum* C. N. CIↃ. IↃC. XXII. *scripti, cum Auctore sumas*:) refecit istas Vias, at primus illarum Auctor non fuit, cum ratio structuræ & straturæ longe antiquior videatur; ipsiusque Regis vita brevior fuerit, quam ut tantum opus & incipere & perficere potuerit, quod pluribus demum sæculis una cum palatiis juxta adsitis perfici potuit. Verum hodie & Palatia illa, & Viæ istæ fere plane in ruinis jacent: cum hinc Hispani illa opera dejecerint ad prohibendos indigenas, quibuscum bella gerunt; inde nec Peruani parem ob caussam ad Hispanos arcendos illis operibus pepercerint. Cæterum prodigio & portento simile videtur, in terris adeo barbaris tanta inventa esse opera; quæ si penes nos admiranda videntur, utpote facta ab hominibus rerum civilium sapientissimis, qui unquam fuerunt, & boni publici callentissimis Romanis, sane tanto magis geminam admirationem merebuntur ejusmodi opera apud illas gentes, quas nos & habemus barbaros & appellamus.

SECTIO XXIX.

De Materia tam interiore, quam exteriore Viarum Publicarum ipsius Urbis Romæ.

1. *Vias Publicas Urbis Romæ fecisse partem Viarum Militarium.* 2. *Hæ Viæ Urbanæ excellebant præ Publicis Rusticis.* 3. *Cloacas fecisse partem Viarum Urbis. Satisdare Scaurus debuit, cum super illas Cloacas in Palatium extraberet columnas.* 4. *Alberti testimonium de Cloacis & Viis Urbis.* 5. *Quid Alberto intelligatur per Instraturam & Substraturam in Viis Urbis.* 6. *Cur illæ æque atque Rusticæ deberint substerni.* 7. *Superficiem Viarum Urbis fuisse ex Silice.* 8. *Differentia inter Vias Urbicas ratione dignitatis.* 9. *Viarum Militarium in Urbe numerus, & harum celebriores.* 10. *Aliæ intra, extra Urbem aliæ incipiebant.* 11. *Vulgo sternebantur Silice incerto, aliquæ & massis quadratis.* 12. *Exemplum Viæ Urbis Silice quadrato stratæ.* 13. *Nonnullæ Viæ Urbicæ Peregrinæ, ut & Romæ, excellenti stratura factæ.* 14. *Loca quædam & Plateæ in Urbe marmore & saxis porphyreticis stratæ.* 15. *Quomodo Cloacæ Viarum munditiem præstiterint.* 16. *Tria ex Cloacis commoda. Smyrnæ & Senarum incommoda, quod non habeant Cloacas.* 17. *Quomodo Plateæ & Cloacæ purgarentur.* 18. *Mirifica res, quæ contigit in Cloacarum structura.* 19. *Quod Cloacarum admiranda cuncta Viis serviant Publicis.*

1. NOn solum Viæ Publicæ Rusticæ, sed & Urbicæ dicuntur *Militares*. Notat illud sæpius Albertus *de Re Ædific.* IV. 5. & VIII. 1. ubi diserte, *Viarum*, ait, *Militarium ductus non eosdem ipsum per agrum esse, atque intra Urbem, oportet*. Cum ergo argumentum nostri operis, seu, ut cum Scholis loquamur, *subjectum adæquatum* sint Viæ Militares, ratio ipsa exigere videtur, ut, postquam disputavimus de materia interna & externa Viarum Militarium Rusticarum, jam & in medium ea adferamus, quæ invenimus circa materiam & formam Viarum in Urbe Roma Militarium, quæ initium & originem dabant Viis Militaribus Rusticis, & ad quarum Urbicarum hanc vel illam hæ Rusticæ terminabantur vel per se, vel per mediam aliam: Rusticæ enim ideo factæ sunt, ut aditus ad Urbem faciliores redderent.

2. Verum hoc loco solum ingrediar præcipuas Urbis vias, & Militarium nomine dignas, quarum nomine & Loca Publica innuo. Ad hæc enim facienda & perficienda omni ex parte, Romani videntur miracula peregisse, quæ tantum superant Vias Rusticas & opera per agrum magnificentia sua & dignitate, quantum Urbis Romanæ solum cæteras Orbis terras Operum Publicorum magnitudine, splendore, majestate antecellebat.

3. Quid enim? Cloacæ, quas Cassiodorus *Variar.* III. 30. appellat *splendidas*, & Plinius *H. N.* XXXVI. 15. *Operum omnium dictu maximum*, non ne tantum pars Viarum Urbis erant, inter quarum materiam interiorem occupabant eum locum, quem *Aggeres* in sustinendis Viis Rusticis? & quid aliud hæ fossæ subterraneæ, quam veluti pontes, arcus, fornices camerati ingentis latitudinis & longitudinis, deducti subter medias Urbis Vias, pro sustinenda illarum tam externa, quam interna materia, quibus constratæ erant: nec non onera Columnarum, Obeliscorum, aliasque immensæ gravitatis moles, quæ quotidie super illas Vias vehebantur & trahebantur. Ex Plinio *H.N.* XXXVI. 2. & 15. *collatis*, discimus, M. Scaurum, cum vellet in Palatium ad suæ domus & atrii ornamenta extrahere CCCLX. columnas marmoris Lucullei, quarum maximæ duodequadragenum pedum erant, & quæ in Ædilitate ipsius Scauri ad scenam Theatri temporarii vix uno mense in usu fuerant; Scaurum, inquam, debuisse satisdare damni infecti Redemtoribus Cloacarum, si forte videlicet, tractis tam vastis molibus per & super illas, fatiscerent, de suo ut illas reficeret: placuisse Scauro conditionem; extractas columnas; sed obnixam Cloacarum firmitatem restitisse, non succumbentibus caussis operis, imo durasse illas jam a Tarquinio Prisco annis prope IↃCCC. inexpugnabiles.

4. At vero Cloacas fuisse partem Viarum illarum, sub quibus erant, clare satis & manifeste docet Albertus *l.l.* his verbis: *Cloacas ad opus Viarum spectare arbitrantur, quæ subter medias per Vias ducendæ sunt: quod ad insternendas, coæquandas, purgatioresque reddendas Vias conferant. Enimvero Cloacam quid esse ego aliud dixerim, quam Pontem, vel potius Arcum aliquem longe latissimum?* Quo ex loco duo præcipua colligimus commoda, quæ Viis Publicis præstant Cloacæ: prius est in illis insternendis & coæquandis; posterius in iisdem siccandis & purgandis. Sanæ hæc ipsa & Urbibus maxima præstant commoda.

5. Et quidem primo hi Arcus longe latissimi serviebant insternendis & coæquandis Pavimenti materiis, quæ, uti in Viis Rusticiis, vel internæ vel externæ sunt, quas sub nomine *Substraturæ* & *In-* A *straturæ* distinguit Albertus *l. l.* verba faciens de ponte lapideo faciendo: *Pontibus autem substratura & solum cæmentitio opere ad sui arcus parem crassitudinem erit coæquandum. Post id, quæ instraveris, calce fulcienda sunt.*

4. Subjungit deinde post formam sternendi pontis: *Nimirum idcirco in his Cloacis constituendis, quæ hactenus de ponte ipso adstruendo recensuimus, omnia admodum observabuntur*. Sed cum nec ibi, nec alibi speciatim exponat materiam internam Viarum sive in Urbe, sive extra Urbem, eam solummodo designans in universum voce *Substraturæ*; dubitandum nobis non videtur, quin super istos longos Cloacarum Arcus, velut super Aggerem B in Viis Rusticis, ordine dispositæ fuerint eædem materiæ, quæ in Viis istis Publicis per agrum, nempe, ut retulimus, *Statumen*, *Rudus*, *Nucleus*. Hæc commode licebit vocare cum Alberto *Substraturam cæmentitio opere factam*, tanto magis, quod Viarum Publicarum in agris *Statumen* & *Rudus* calculis ac fragmentis informibus & incertis constaret, quæ idonei Auctores vocant *cæmenta*. Licet autem hic diserto teste non gaudeamus, ratio tamen ipsa hoc a nobis credi postulat. Si enim quævis Via Publica extra Urbem, muniri C debuit, quantum ad Materiam internam, ut sic resisteret firma & inexpugnabilis atterentibus plaustris & gravantibus oneribus, quæ in Urbem invehebantur, quorum modo suam partem singulæ Viæ Rusticæ advehebant: quanto magis muniri & firmari debuerunt Viæ Publicæ ipsius Urbis, ceu capitis, sive malis, centri, in quo concurrebant, coibant, terminabantur, quæcunque toto Orbe terrarum per Vias Publicas extra Urbem sive Rusticas advehebantur Romam? Omnino itaque putandum est, nec Vias in Urbe Publicas caruisse tota illa, quam diximus, Materia interna.

7. Quod ad Materiam externam, jam sæpius hoc D nostro in libro docuimus, in Urbe *Silice*, non *Glarea*; extra Urbem vero *Glarea*, quæ quasi propria mansit Viis Rusticis, Vias sterni solitas. Diserte Livius XLI. 27. docet *Censores*, Q. Fulvium Flaccum, & Postumium Albinum, *vias sternendas Silice in Urbe, & extra Urbem Glarea substruendas marginandasque primos omnium locavisse*.

8. Attamen inter ipsas Vias tam Urbicas, quam Rusticas intercedit aliqua differentia: sunt aliæ communes & vulgares, aliæ celebriores & digniores: dicam verbis Alberti *de Re Ædific.* VIII. 6. *Sunt enim Viæ quædam multo digniores, quæ quidem esse natura sui & intra Urbem & extra Urbem* E *possunt: uti sunt, quæ in Templum, Basilicam, Spectaculumve ducunt*.

9. Guido Pancirollus *Rer. Memorab. Deperd. & Invent.* I. 21. ait fuisse in antiqua Roma *Vias Regias & Publicas* XXXI. *cæteras* communes CCCCXXIV. Andreas Palladius *de Antiquitatib. Urb. Romæ* Vias Militares in Urbe tantum XXIX. dicit, quarum celeberrimas cum Pancirollo ait *Appiam*, *Æmiliam*, *Flaminiam*.

10. Porro notandum est, nonnullas celebriorum Viarum Militarium in ipsa Urbe habuisse initium, unde portis exeuntes continuo tractu & nomen & straturam producebant in alias procul regiones, imo & quædam usque ad extremos Italiæ ter- F minos; quas inter Onufrius Panvinus recenset, *in Urbe Roma p. 122. Viam Flaminiam, Prænestinam, Lavicanam, Campanam, Appiam & Ardeatinam*. Quantum ad cæteras in Historiarum monumentis celebratas, illæ vel ad Urbem & Urbis portas initium capiebant, aut & in mediis lætorum agrorum campis; jungebanturque Viis ex Urbe pergentibus & exeuntibus, ceu rami præcipuo trunco.

11. His præmissis, & hoc notandum erit, Vias vulgares & communes instratas fuisse Silice incerto, qualis est hodie superficies in viis Urbium Galliæ majorum: cum vero Militares Viæ communibus dignitate anteirent, ita & straturæ elegantia ac magnificentia præ his fuerunt nobiliores; plures enim instratæ fuerunt Silice quadrato & ad lineam ac perpendiculum elaborato. Viam Appiam hoc in numero fuisse, non dubito: huic enim si Appius instravit, ut Procopius *de bell. Goth. l.* I. loquitur, *lapides Siliceos planos ac læves redditos, & quadratos incisione factos* Roma Capuam usque per LXX. leucas, illam procul ullo dubio eadem magnificentia in ipsa Urbe Silice quadrato stravisse videtur, cum opera Urbana hoc plerumque habeant præ Rusticis, ut sint majoris & artis & splendoris.

12. Hac in sententia confirmor, cum videam ad Martis ædem illam celeberrimam extra Portam Capenam, quam a Sylla Felice restitutam, ampliatamque, ac supra centum columnas positam ferunt, Viam fuisse perincommodam, ob aquæ desidis colluviem ibi loci, nam *Romæ, & maxime Appia ad Martis, mira proluvies*, ut testatur Cic. *ad Qu. Fr.* III. 7. Igitur Censores locaverunt semitam ex Via Appia a Porta Capena ad Martis sternendam, si Livium audimus; hanc semitam idem X. 23. dicit *Saxo quadrato* esse *stratam*, scilicet ut Viæ Appiæ par esset, & decorem obtineret Viæ, quæ ad ædem tanti nominis & dignationis celeberrimæ duceret.

13. Talis etiam Via Urbica fuit Bubasti in Ægypto ad *Templum directa per forum, & instrata lapidibus egregiis*, de qua videatur Strabo *Geogr. l.* XVII. item & alia Mylasis in Caria, quam idem Strabo *Geogr. l.* XIV. *p. m.* 368. sic depingit: *Mylasii duo Jovis templa habent, ejus qui Osogo, & ejus, qui Labrandenus vocatur; sed alterum quidem in Urbe: Labrauda est vicus in monte procul Urbe juxta transitum, qui ex Alabandis Mylasa est. In hoc Vico est pervetustum Jovis Militaris templum ac statua a circumvicinis & Mylasiis cultum. Via est per sexaginta fere stadia usque ad Urbem instrata, nomine Sacra, per quam Sacrorum pompa mittitur.* Sed etiam in ipsa Urbe Roma tales celebriores ad Templa Viæ fuerunt. Tradit Albertus *de Re Ædif.* VIII. 6. *Comperio inter cæteras apud Romam duas fuisse hujus generis Vias longe dignissimas admiratione: unam a Porta ad Basilicam usque Paulli, stadia circiter quinque: alteram a ponte ad basilicam usque Petri, pedes, ∞. ∞. Ↄ opertam porticu ex marmoreis columnis, & plumbea tectura.*

14. Verum super cæteras Urbis Plateas & Vias nobiliores, præcipuam notam merentur *Antoninianæ*, ab Elagabalo, monstro illo hominis, qui falso sibi Antonini nomen adsciverat, in Palatio stratæ, & quidem marmore, eoque non communi, sed Laconico, quod Plinius *H. N.* XXXVI. 7. ait *pretiosissimi generis, viride cunctisque hilarius*; & porphyrite. Sic Lampridius *in Elagab. vit. c. Stravit ex Saxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas vocavit: quæ Saxa usque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta & exsecta sunt.* Addit *in Antonini Caracallæ vit. c.* 4. Spartianus Viam quoque Urbis ab Antonino Caracalla munitam, quam sic deprædicat: *Idem Viam novam munivit, quæ est sub ejus thermis, Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias.*

15. Vidimus hactenus Materiam, cum externam, tum internam, cui insternendæ & coæquandæ, Cloacarum prior erat, ut diximus, usus. Alter illarum usus erat, ut Viæ in Urbe sic essent purgatiores & sicciores. Per Cloacas quidem Urbe tota Viæ præcipuæ cameris fornicatis fiebant pensiles; sic tamen ut certis spatiis essent veluti ostia, spiramenta, meatus, receptacula, ac aquarum defluvia per fornices pervia, quæ corrivabant & derivabant in Cloacas subjectas omne cœnum, lutum & sordes Pavimenti, adeo ut brevi temporis spatio Viæ simul siccarentur & purgarentur, singulæ suis quasi fossulis & defluviis instructæ, & nulla alterius servituti obnoxia esset in recipiendis alienis aquis aut sordibus.

16. Triplex inde commodum ad Urbem redundabat ex Cloacis. *Magnas enim*, loquor verbis Alberti *l. l.* IV. 7. *afferunt Cloacæ commoditates, & ad Urbis lautitiam, & ad publicarum privatarumque ædium munditiem, & ad aeris salubritatem sinceritatemque non inficiendam.* Narrantur Smyrna Asiæ, & Senæ Italiæ Urbes elegantissime ordinatæ Viis Publicis, stratis perbelle, directis, & pulcherrimorum ædificiorum serie hinc & inde cinctis; illic tamen offendi advenas maxime, ut non adsuetos tetris fœtoribus sordium, quæ singulis noctibus in publicam projiciuntur plateam, cum careant Cloacis immunditiem exhaurientibus.

17. At Roma per hasce fossas subterraneas hæc incommoda nesciebat; quicquid enim sordium conjiceretur in plateas, facile abripiebatur aquis, aut hominum opera statim immittebatur per meatus & defluvia pervia, quæ certis spatiis in longum Pavimenti sua habuerunt intervalla, in Cloacas, quæ istis sordibus nunquam oppleri poterant. Poterant enim, ut sic dicam, singulis horis purgari, per meatus corrivatis septem amnibus, cursu præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coactis & concitatis, id quod apertis claustris emissariis fiebat: exonerabantur enim ostia Cloacarum in Tiberim, quas hunc in finem Tarquinius Priscus, primus Auctor, eo deduxerat.

18. Non repetam, quæ *in Prooemio* hujus mei operis dixi de magnitudine & mirandis Cloacarum; nec adferam, ut per annos Ↄccc. durarint inexpugnabiles, quibus nec cursu præcipiti torrentes aquæ, & sæpe mole imbrium concitatæ, aut Tiberis retro infusi fluctus; & hinc intus pugnæ diversi aquarum impetus vada ac latera concusserunt; nec moles tot vastæ per & super illas tractæ cameras corruperunt; nec ruinæ sponte præcipites aut impactæ incendiis pulsarunt fornices; nec Terræ motus solum percusserunt. Illam rem, quæ contigit, cum primum struerentur Cloacæ, memorabilem hic silentio transire non possum, ut ex hac simul appareat ardua illa magnitudo Gigantei hujus operis suscipiendi: dicam Plinii verbis *H. N.* XXXVI. 15. *Cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, essetque labor incertum longior an periculosior, passim conscita nece Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora, spectanda civibus, simul & feris volucribusque laceranda. Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas servavit in præliis, tunc quoque subvenit: sed illo tempore imposuit, tum erubescens, cum puderet vivos, tanquam puditurum esset exstinctos.* Sic legimus & alibi, Virgines Milesias, post decretum, ut illæ, quæ voluntate obeundæ mortis se suspendissent ipsæ, omnes nudæ cum eodem laqueo, quo essent prævinctæ, efferrentur; tum, inquam, pudore solo deterritas tam inhonesti funeris virgines voluntariam mortem non amplius petiisse.

19. Hinc autem patet, quantæ molis, quantæ audaciæ, & tantum non Herculeæ fuerit, opus Cloacarum, quod Quirites ad tædium vitæ adegerit: verum esto magnificum, omnis illa tamen magni-

magnificentia & admiratio tandem ad Viarum Publicarum opera redit; quarum in Urbe Roma firmitati, soliditati, elegantiæ & munditiæ Arcus & fossæ hæ subterraneæ subserviebant.

SECTIO XXX.

De altera specie Superficiei sive Pavimenti in Viis Imperii Romani Publicis.

1. Superficies ex Glarea, omnium communissima fuit. 2. Per Italiæ Vias duplici modo strata. 3. Prioris testes; 4. & Posterioris. 5. Descriptio talium Viarum Galliæ & Belgicæ. 6. Conjecturæ, unde tantum Glareæ petitum fuerit ad Vias. 7. Glareæ in figura, colore & magnitudine diversitas. 8. Vias Publicas Hispaniæ Glarea stratas fuisse: 9. & Britanniæ. 10. Quomodo Glarea in facienda superficie Viæ Militaris fuerit ad opus addita.

1. HActenus de Viis egimus Publicis, quarum superficies sive pavimentum fuit ex Silice vel quadrato, vel incerto. Ingrediendæ nunc sunt nobis Viæ Publicæ, simplici Glarea stratæ & munitæ, quæ omnium frequentissimæ occurrunt, tam per Italiam, quam Provincias. Hoc præcipue Glareæ pavimento Imperatores Vias muniri curarunt per milites legionarios & per plebem provincialem, a finibus ad occidentem, Hispania & Mauritiania; usque ad ultimos in Oriente Romani Imperii terminos. Quod si enim abieris Viis Appia, Domitiana & paucis aliis, quas supra trivimus, cæteræ stratæ fuerunt minuto Silice, quem *Glaream* vocant, qui calce muniebatur in supremo corio, quod *Summam Crustam* vocari diximus.

2. Ut ergo initium fiat a Viis Italicis, notum jam est, primum Censores illas Glarea sternendas extra Urbem locavisse, quæ duobus in pavimento insternebatur modis per vias Italiæ: Opifices enim quandoque totam, qua patebat, Viæ latitudinem Glarea insternebant; quandoque solos utrimque margines, sic ut Agger sive Viæ medium stratum esset Silice: unde forsitan hic erit sensus Tibulli, canentis de Viis Tusculana & Albana per Messalam suo ipsius ære & sumtu factis: *Elegiar.* 1. 7. *vss.* 57. *& seqq.*

Nec taceant monumenta Viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic Glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte Silex.

quasi innueret, hic Silicem, hic Glaream in una eademque Via usu venisse. Hoc ut intelligatur, notandum Vias Publicas complures, quæ ex Urbe per agros ducebant, fuisse mox extra Urbem in tria divisas spatia: quorum medium sive Agger Silice incerto stratus erat, præbebatque iter pedibus eunti, qui isto Aggere semper sicco pede ire poterat, quoniam hic agger leni fastigio utrimque declivis erat, ut hinc & inde defluerent aquæ pluviæ: at reliqua bina, hinc & inde, spatia, quæ latera prætexebant aggeris, sive Margines, solum Glarea sternebantur, ad præbendum iter equis, jumentis, vecturæ: sic in una eademque Via Militari superficies & Silicem & Glaream simul habuit.

3. Mirum forsan videbitur, Aggerem medium pediti, Margines jumentis & equis tritos; cum pavimentum ex Silice, utpote durius & aptius ad sustinendum attritum itineris, vecturæ potius destinatum videatur veruntamen illud ipsum, quod modo dixi, confirmant duo testes, Viri doctissimi atque in operibus structuræ & straturæ versatissimi, Itali ipsi natione. Prior est Andreas Palladius, *de Architect.* III. 3. cujus verba ex Italico Latine reddita sunt hæc: *Veteres straverunt duobus modis Vias Militares, nempe vel Silice, vel Glarea. Prioris modi Viæ, ut ex reliquis nonnullis vestigiis conjicere licet, in triplex erant divisæ & partitæ spatium. Medium leni acclivitate surgebat, ut exinde aquæ tanto facilius decurrerent nec obiter desidere possent: & hoc erat iter pedibus eunti viatori, eratque hoc spatium Silice incerto munitum. Bina reliqua spatia, quæ Viæ utrimque margines paullo decliviores erant, operiebantur Sabulo aut minuta Glarea; ac per hos pergebant equi ac jumenta. Margines, & dexter & sinister, singuli mediam aggeris medii habebant latitudinem, & ab illo distinguebantur, lateribus Silicibus ad lineam directam in longum collocatis.* Posterior testis est Albertus *de Re Ædif.* IV. 6. his verbis: *Sed Veteres animadverti cum alibi, tum ad Tiburtinam, Viæ medium Siliceo lapide instravisse: Latera vero hinc atque hinc operuisse Glarea minuta; id quidem, quo istic rotæ instrata corrumperent minus, & ne recuteret jumentorum ungulas.*

4. Altera vero species Pavimenti ex Glarea in superficie Viarum Italiæ, est æqualis illi pavimento, quod teritur & in Provincialibus Viis, & totam latitudinem occupat Viarum Militarium. Illud ita describit *l. l.* Palladius ex nostra versione: *Alterius modi Viæ Militares munitæ erant Glarea. Veteres illas a medio aggere quodam modo faciebant declives, ne aquæ residerent, erantque factæ materia, quæ facile exsiccaretur, sic ut semper mundæ essent, expertes tam luti, quam pulveris.* Deinde exempli caussa tales aliquas Vias ultra & citra Alpes commemorat: *Talis visitur in tractu Forojuliensi, quam incolæ vocant* Postumiam, *recta ducem in Pannoniam: visitur etiam alia talis in tractu Patavino, quæ Patavii initium habet, in loco, cui nomen* Argeræ, *& transit* Ciconiam *oppidum Fratrum Oduardi & Theodori Comitum. Via illa adhuc integra ad Alpes, quæ Germaniam ab Italia dividunt, porrigitur.*

5. Sane, si rem ex vero æstimemus, non mirabimur hosce Auctores in hac pavimentorum specie, quam ante diximus, Silicem Viatori pediti, Glaream Vecturæ attribuere; superficies enim ex Glarea longe fuit durabilior, uti constat ex integris ejus notæ per Orbem reliquiis. Quantum ad Gallicas & Belgicas attinet, earum lata superficies simplici Glarea operitur. Admiranda tamen illa est maxime, adeo ut Carolus Bouellus, Ambianensis, Vir & doctissimus & eloquentissimus, qui vidit & perlustravit has Vias, velut in stuporem datus hyperbole quadam poetica sic loquatur: *de Hallucinatione Gallicor. Nomin. c.* 23. *Hæ Viæ id præsertim miraculi habent, quod subliminiores sint vicinis undique agris: quod inter insignia Galliæ oppida rectissimum iter conficiant: quod silicinis lapillis, qui etiam vicinis agris desint, sternantur; adeo ut vel ab humo ebullivisse Silices, vel ab æthere sublimi eos pluisse, vel alia, quam humana manu & opera, undecumque toto Orbe lectos in ejusmodi Viarum ruderationem quis demiretur.* Deinde, ceu dubius, quid sequatur, vulgi opinionem recenset, qui has Vias Cacodæmonum opus fabulatur; & ipse Lectori judicium permittit, num, quæ jactantur vulgo, Historiæ aut Fabellæ sint propiora; se quidem hærere incertum.

6. Re autem vera, difficile est dictu ex vero, unde tot lapilli potuerint ad Vias peti: puto, nonnunquam illos in ipsa terrarum superficie lectos, partim quoque ex earum visceribus effossos. Legi potuerunt e nonnullis super Terram agris cultis, aut vineis, quæ suopte ingenio operiuntur & per-

ſperſæ ſunt ejuſmodi lapillis: viſunturque montes & colles vitiferi declives, qui coli non poſſunt, niſi ligone bidente, qualis dedita opera huic culturæ aptatur propter lapillorum copiam, quæ obſiſtit, quo minus ligone vulgari aut marra poſſint coli. Sed & ex Terræ viſceribus effodi potuerunt: obſervavi namque per Vias Campaniæ iter faciens nonnulla loca, quæ trium quatuorve jugerum erant, cumulatim & undatim, ad inſtar maris a fluctibus agitati, tumeſcentia & plane ſterilia, atque omnino cooperta lapillorum fragmentis, ejus naturæ & coloris, cujus ſunt illi, e quibus Viarum noſtrarum ſuperficies conſternitur. Fluctus hi, ut ſic dicam, calculoſi indicio ſunt, terram ibi loci fuiſſe effoſſam, quod talium calculorum eſſet ferax, unde, tanquam ex commoda quaſi lapicidina, operæ ad opus Viarum petere & transferre potuerunt, pro ſuperficie ſternenda, hoſce lapillos.

7. In lapillis hiſce magna eſt diverſitas figuræ, & coloris, ſic ut plane mirum ſit, in tam prodigioſa copia pauciſſimos eſſe, qui ex aſſe conveniant; quamvis ratione magnitudinis ferre conſiſtant intra craſſitudinem ovi columbini & fabæ. In figuræ autem mirifica diverſitate Natura luſiſſe & ſibi quaſi indulſiſſe videtur: nonnulli enim rotundi ſunt ad ſpeciem ſphæræ aut globi torno rotundati: alii habent ſpeciem mali, piri, ficus, cucurbitæ, cucumeris, aliorumque fructuum: alii ovi ſpeciem tam belle exhibent, ut ſi candidi forent, viderentur ova illa marmorea, qualia Lutetiæ Pariſiorum in Palatio quandoque venum exponi ſolent: ut breves ſimus, alii iterum ſunt gibboſi, cornuti, inæquales, incerti; qui tamen omnes in eo cum cæteris conveniunt, quod ſuperficiem habeant lævem, ad inſtar marmoris, quod ultimam accepit polituram. Nec minus, ut figuræ, ita & colores lappillorum differunt. Licet enim generatim ad ferri colorem accedant, unde tales Viæ apud nos quoque vernacule vocantur *Ferrez*, ſive *Ferratæ*; reperiuntur tamen virides, cœrulei, rubri, cineracei: alii etiam mixtim varios referunt colores, variati maculis, ſcutulis, undis, guttis, punctis, aliiſque modis, qui omnes verbis exprimi vix poſſunt.

8. Si conſulamus Scriptores Hiſpanos & Britannos, qui aliquid de Viis ſuæ patriæ Militaribus memoriæ prodiderunt, reperiemus ſuperficiem harum eodem modo fuiſſe munitam. Initium fiat a Viis Hiſpaniæ Publicis. Alfonſus Ciacconius, *in Expoſitione Columnæ Trajanæ*, *pag*. 35. de Trajano hæc ait: *Hiſpaniæ Pontem de ſuo nomine Trajani appellatum ſuper Tagum ædificavit. Vias inibi conſtravit, & Glarea & Calce munivit, ut uſque ad noſtram ætatem integræ maxima ex parte perſeverent*. Sic & Camdenus, vir doctus & ſummi judicii meminit Viæ Militaris in Hiſpania, ducentis Salamanticam, quæ *Argentea* dicitur, quod Pavimentum ſit ſtratum Glarea coloris fere argentei, ut in Galliis fere ferrei; & hanc Gallicis, ut earundem manuum & materiæ opus, componit, excepto colore. Sic enim in libro qui inſcribitur, *Romani in Britannia*, *pag*.45. loquitur: *Videnturque in Hiſpania Via Salamantica, ſive Argentea; & in Gallia Viæ quædam Militares a Romanis conſtratæ*. Florianus Ocampius apud Suritam *in Annotat. ad Itinerar. pag*. 584. in eadem Via Argentea exſtare dicit Inſcriptionem, quam attulimus *ſupra* I. 17. § 4. ex qua diſcimus, illam Viam fuiſſe opus Veſpaſiani.

9. Verbum addamus de Viis Publicis Britanniæ, quas pavimento fuiſſe ex Glarea facto putamus, quia ſic fiebant ubique per Provincias. Verum inſuper & ex Camdeno illud conjicimus, qui in libro, *Dobuni*, *Glocester Shire. p*. 258. hæc habet: *Et Viæ illæ Romanorum Conſulares, quæ ſic tranſverſæ ſe interſecarunt: quarum illa, quæ ad Glanum, ſive Glocester duxit, conſpicuo aggere adhuc exſtat uſque ad Birdlip-Hill, & diligenter intuenti ſaxis conſtrata videtur*. Poſtremis enim hiſce verbis quaſi excipit hanc Viam cæterarum numero, quæ, ut vulgo alibi, Glarea conſtratæ fuerunt.

10. Ergo Viæ Publicæ Provinciales ſtratæ erant minuto ſilice, lapillis, calculis, qui Glareæ nomine veniunt: hi ſive Nucleo, ſive Ruderationi infererentur, coagmentabantur quodam ſignino cum calce commixto firmæ compagis, id quod Ciacconius *l. l.* vocabat, *Glarea & Calce munire*. Cæterum cum Viæ Militares in tantam longitudinem producerentur, quantam ſubinde diximus, magna profecto calcis copia uſus & opus fuit, ut mirum non ſit, ad hanc coquendam ſæpe ſylvas ex neceſſitate fuiſſe excidendas & igni præbendas, quandoquidem de ſola Via Domitiana non ita longa canit Statius *Sylv*. IV. 3. *vſ*. 50.

Hi cædunt nemus, exuuntque montes.

In hac autem coagmentatione Glarea non ſolebat per opificis manum ordinari & ſingillatim componi pro minutiis, ſed per ſaturam pala ſuperſpergebatur, deinde adigebatur & paviculæ crebris ictibus conſolidabatur, majuſculos, minuſculos, medios commiſcendo. Hi deinde adibant in cruſtam tantæ firmitatis & compagis, ut videamus eam pluviis, nivibus, pruinis, geliciidiis, aliiſque cœli humidioris incommodis; imo, quod plus eſt, etiam attritu & itinere continuo hominum, jumentorum, rotarum per hæc quindecim & ſedecim ſæcula inexpugnabilem manſiſſe.

SECTIO XXXI.

De Materia & Forma Viarum Publicarum, ratione Latitudinis earum.

1. *Forma Viarum ratione Latitudinis*. 2. *Partitio Viarum ſecundum latitudinem Media pars, Agger*. 3. *Latera bina, Margines; quos facere, Marginare dicunt*. 4. *Marginum lapides Silicei in ſtatumine ad lineam & amuſſim collocati*. 5. *Limbi lapidei in Via Appia, eorumque uſus*. 6. *Viæ per columnas milliares diſtinctæ in ſua intervalla & milliaria*, 7. *Lapides eminentiores in limbis non amplius viſuntur in Viis Galliæ publicis*.

1. DIximus *hujus libri Sectione* 8. *§*. 6. quod Materiæ ad opus Viarum ordinatio & diſpoſitio, pro triplici corporum dimenſione tribus quoque modis ſpectari poſſit, ratione profunditatis, latitudinis, atque longitudinis. Diſputavimus hactenus de Profunditate, accedemus nunc ad Latitudinem, alteram Viarum dimenſionem, & videbimus, quo nomine Materia & Forma hac conſideratione veniant. Hæc diſputatio non minus jucunda erit, quam illa de Profunditate, licet ſit brevior & reſtrictior futura. Nam cum de Profunditate ageremus, plurima debuimus adferre ex arte Structorum & Stratorum: at vero hic plurima ſe offerunt ex Architectura nobiliore, quæ Structuram vulgarem & ſimplicem excellentia artis & dignitatis tantum antecedit, quantum Forma Materiam, Anima corpus. Præcipue enim in Latitudine Viarum Publicarum, non ſine jucunda ſpectantis oculi voluptate & admiratione, videtur earum Forma, ſive Vias Urbicas ſpectes, ſive extra Urbem Militares Ruſticas. Juxta latera Viarum, ſecundum Latitudinem, addita illis ſunt ornamenta

varia, quæ & decorem & pulcritudinem conciliant: A prout in Profunditate, Materiarum consistit dispositio, in qua consistit Viarum soliditas.

2. Quemadmodum igitur, cum disputaremus de Profunditate, initium fecimus a Viis Rusticis, ita & hic de Latitudine acturi, eundem ordinem sequemur. Dividitur Latitudo generatim in duas partes; Mediam & Extremam. Media pars instar pulvilli altiuscula & leniter acclivis leviter intra utrumque limitem lateralem corrotundatur, ne aquæ in Via desides hæreant & vitium faciant, sed mox hinc & inde defluant, uti Via maneat sicca, & luti expers. Pars hæc *Agger* dicitur ab *aggerando*, cum coaggerata sit ex præcipuis materiis, e B quibus Viæ Publicæ componuntur, quæ coaggeratio verbo *struendi*, vel *substruendi* plerunque significatur. Isidorus *Orig.* XV. *c. ult.* Aggeris & formam & materiam accurate depingit his verbis: *Agger est media stratæ eminentia, coaggeratis Lapidibus, vel Glarea aut Silicibus strata: ab aggere, id est, coacervatione, dicta, quam Historici Viam Militarem dicunt.* Rectissime *Viæ Militari* ab Historicis nomen *Aggeris* aptari innuit; hic enim, veluti princeps pars, toti nomen Viæ suum subinde donat. Sic Ammianus Marcellinus ubi de Juliano Constantium incessente, & Illyrici atque C Thraciæ claustra intercipiente verba fecerat, subnectit XXI. 7. *Ubi lux excanduit tertia, morarum impatiens, percursis aggeribus publicis, Succos, nemine auso resistere, præsidiis occupavit.* Hos *aggeres publicos* alibi XIX. 6. vocat *Itinerarium Aggerem*: & Sidonius Apollinaris in Epitaphio Apollinaris Avi sui, quod habetur *Epist.* III. 12. *vs.* 5. *Tellurem* nominat *Inaggeratam*.

3. Altera, ut diximus, Latitudinis Viarum pars erant Latera, quæ utrimque oram Aggeris strin- D gebant; Latine *Margines* dicuntur, & *Marginare*, est eos munire. Hinc Liv. XLI. 27. in loco illo sæpius laudato; *Vias sternendas Silice in Urbe, & extra Urbem Glarea, substruendas marginandasque* ait. Nam *substruere* ad Aggerem: *marginare* ad Margines latera Viæ coæquantes & arctantes ac stringentes refertur. Ad marginandum vero opifices seponebant Lapides, Silices, Cæmenta grandioris notæ, quæ coagmentabant compactione firmiore, uti Aggerem medium præstarent undique tutum & solidum, ne difflueret, dissolveretur, aut hinc inde hisceret rimasve ageret.

4. Nec tamen in Publicis Galliæ nostræ Belgicæ E Viis magni illi lapides oculis visendi occurrunt; neque enim ad opus exterioris superficiei adsumti sunt, sed imi corii, quod *Statumen* dicitur: observavi enim in omnibus Viis, quas refodi curavi, fundationem muniri hinc & inde magnis lapidibus, quorum minimi pondus XX. aut XXX. librarum; alii & ultra C. libras habent. Magni hi Silices ordinati & metati sunt ad amussim, sic ut nullus a linea aberret huc aut illuc; atque ita compacti sunt, ut non solum firment statumen, cui proxime appositi sunt, sed & ruderationem & reliqua coria materiæ tam internæ, quam externæ F Viarum Publicarum.

5. Quomodo per Italiam Viæ Publicæ ex Glarea in Marginibus substratæ fuerint, & num majores illi lapides, quibus marginabant Vias, ad conspectum venerint externum, nescio; at tamen hoc loco annotandæ veniunt duæ res memorabiles in Viis ab Appio & C. Graccho factis: quorum ille, quid fecerit, dicat Cyprianus Eychovius *in Deliciis Ital.* ubi admiratur viam e duríssima caute excisam in Terracinensi promontorio: *Stupet*, inquit, *Spectator admirabundus rectæ viæ planum unius saxi pavimentum, sub pedibus porrectum per passus plus minus viginti in longitudinem, ac trinis fere passibus in latitudinem: munitum quidem, ut Appia tota fuit, ab utroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus, qui Viatori pediti semitam siccam præstabant: quibus adjecti lapides eminentiores, veluti bases quædam, per decimum quemque pedem, e queis in vehicula vel equos scansio fieret commodior:* quem locum nobis quoque supra *Sect.* 16. *§.* 7. allatum exscripsit totidem verbis Andreas Schottus, *Itinerar. Ital.* III. *de Terracina, p. m.* 497. Vides hic in oculati testis verbis, Appiam totam habuisse *limbos* eminentiores, & in his ad decimum quemque pedem *cippos*, ad commodiorem ascensum in equos aut vehicula & descensum ex iisdem faciliorem. Hæc commoditas ob Viæ Appiæ longitudinem mirificæ fuit impensæ & splendoris magnifici.

6. De C. Gracchi Viis loquatur *in ejus vit. c.* 9. Plutarchus ex Xylandri versione: *Porro singula milliaria dimensa diligenter lapideis columnis distinxit. Alios quoque lapides utrinque ad Viam haud procul a se invicem disposuit, quorum in conscendendis equis usus vicem servi in equum attollentis præstaret.* Vides hic *Columnas Milliares*, atque *Cippos*; sed horum non adnotavit Plutarchus inter se justam & distinctam distantiam; illarum vero Columnarum primus Auctor fuit C. Gracchus.

7. Credibile est, nec cæteras Vias Publicas per Italiam & Provincias ornamentis ejusmodi caruisse; licet de Cippis modo dictis non habeam alios testes, ac quos laudavi, nec in Galliis ulla Cipporum vestigia supersint reliqua: at, quantum ad lapides sive Columnas Milliares, complures idonei Auctores, veteres & recentiores, testantur, quod Augustus eumque secuti Imperatores ultimam operi Viarum defuisse manum putarint, nec illud perfectum, ni in Via Militari columnæ aut lapides notarent singula millia passuum, aut singulas leucas; quæ Columnæ aut Lapides Milliares plerumque inscriptum habebant nomen Imperatoris, qui istas Vias fecerat aut refecerat. Sed de Columnis Milliaribus disputabimus post *libro* IV. *Sectionib.* 39. 40. 41. 42. cum ibi maxime de fine & usu Viarum Publicarum, ad quem hæ Columnæ sunt referendæ, simus acturi.

SECTIO XXXII.

De Ornamentorum, quæ Vias Publicas utrinque cingebant, diversitate generatim.

1. *In quo consistat Viæ Publicæ ornatus & amœnitas.* 2. *Varia ædificia ad Vias Publicas usque ad octo vel decem leucas ab urbe Roma.* 3. *Urbes, per suburbia celeberrima & producta, Urbi Romanæ conjunctæ.* 4. *Via Ostiensis ædificiorum quasi perpetua serie utrinque cincta. Destinatio Neronis, promovere Urbis mœnia Ostiam tenus.* 5. *Unde Romam dicant esse triplicem.* 6. *Aristidis elegans comparatio nivis Homericæ ad Urbis magnitudinem.* 7. *Roma complexa plures Urbes & Nationes: Populus Romanus, Mundi populus.* 8. *Roma continuatis ædificiis etiam procul ab Urbe advenas velut in Urbem admittebat.*

1. VIa Publica Viatori est jucunda & amœna, si utrimque cingatur & ornetur rebus visu gratissimis, sive illæ sint Naturæ, sive Artis humanæ, sive utriusque opera. *Militarem Viam, quæ per agrum fit*, ut ait doctissimus Albertus *de Re Ædif.* VIII. 1. *vehementer ornabit ager ipse, per quem dirigatur: si erit ille qui*

dem cultus, refertus villis, diversoriis, rerum amœnitate & copia: si modo mare, modo montes, modo locum fluentem fontesve, modo aridam & rupem aut planitiem, modo nemus vallemque exhibebit. Quæ tamen pæne omnia sunt Naturæ, & diversimode pro locorum ingenio diverso occurrunt: nihil enim facile tædium & satietatem adfert, quam eadem semper spectare; nihil e contrario varietate gratius, qua ipsa rerum Natura delectatur.

2. Sed, ut transeamus Naturæ ludentis delicias, quæ Viatores delectare possunt; Humana quoque Ars plurima adjunxit pulcherrima, & quæ oculos Viatorum alliciant ac detineant amica quadam violentia, raptos in admirationem tot novorum jucundissimæ diversitatis ornamentorum, quæ se conspectui passim offerunt. In Italia enim, præ primis octo decemve ab Urbe leucis Viæ Publicæ utrimque cinctæ & ornatæ erant Templis, Ædibus, Fanis, Sacellis, Arcubus Triumphalibus, Sepulcris, Prætoriis, Villis, Hortis, quos commendabant insuper splendida & spatiosa ædificia, aulis & porticibus nitidissimis instructa, ut & omnibus illis commodis abundantia, qualibus vel beatissima in Urbibus majoribus domus affluit, ad ipsa usque balnea & fontes magnificentissimos Onufrius Panvinus *in Urbe Roma p.* 122. oculatus testis, *Ad Vias autem*, ait, *exædificatæ sunt Ædes, Domus, Arcus, Hippodromi, Prædia, Horti, Tabernæ, & Sepulcra, tanta frequentia, ut exterarum Gentium Legati per suburbana venientes, longe ante Urbis portas, jam in ipsa Urbe se esse existimarent.*

3. Neque hæc postrema valde miranda videantur; Plinius enim *H. N.* III. 5. diserte ait, Romæ *exspatiantia tecta multas addidisse Urbes:* scilicet Ædificiorum serie continua, quæ juxta Vias Publicas in agrum excurrebant, Urbes sic vicinas Urbi Romæ connectente. Sane tot sunt urbes, quot suburbia ipsa, quæ continuatis ad Viam Militarem ædibus denuo Urbi vicina addebant oppida, & inter hæc maxime *Tibur*, *Ocriculum*, *Ariciam*.

4. Ante omnes vero Ostiensis Via, ad portum & urbem Ostiensem ducens, perpetua quasi serie & vix interrupta ædificiorum utrimque cincta erat, ad M. P. XVI. quam Plinius *l. l. initio*, & *Itinerar. Antonin. p.* 68. illi Viæ longitudinem adscribunt. Unde Neroni consilium ac destinatio nata, *Ostiam tenus*, ut ait Sueton. *Neron. c.* 16. *mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere*, etsi non effecerit, operis ardua magnitudine, ut videtur, deterritus.

5. Cœterum multitudo frequentia ædificiorum per agros, quæ Romanæ Urbi ductu continuo conjungebantur, fecit, ut Roma triplex Urbs in una Urbe diceretur; hæc scilicet, quæ veteri ambitu contineretur; illa, quæ novo ab Imperatoribus addito; ista, quæ sine ambitu ex suburbiis in vicinos undique procurrebat agros. De hac postrema ex vero jam sua ætate professus *Antiq. Rom.* L. IV. Dionysius Halicarnasseus, *omnia loca circa Urbem sine mœnibus esse, in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum, ubi desinat Urbs, ubi incipiat; adeo suburbana ipsi Urbi adhærent, & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti.*

6. Hæc ipsa ædificiorum frequentia tam diffusa extra Urbis mœnia, Ælio Aristidi *Oration.*14. *tom.* 1. elegantem hanc cum Homerica nive comparationem dedit, cui Urbem assimilat, qualis erat in summo flore sub Hadriano & M. Antonino Impp. quorum ævo ille Rhetor vixit. Verba illius sunt: *Quæ tanquam nix Homerica tegit.*

Excelsas rupes, summique cacumina montis,
Florentes & agros, ac pinguia culta virorum,
Funditur & cani per inertia litora Ponti:

Similiter & Urbs, tum juga summa, tum mediam tegit terram, & ad mare usque descendit, ubi publicum est emporium, & communis rerum e terra nascentium administratio; nec impedit quicquam, quominus, quamcunque Urbis partem occupes, in media tamen consistas.

7. Imo spatiosa hæc & admiranda Urbis Romanæ quaquaversum amplitudo Timocrati *apud Athenæum Deipnosophist. l.* 1. magnificas hasce laudes expressit, quas, ut fidem mihi faciam, malo hic ipsius verbis Latine legi: *Gentem Romanam Mundi esse populum vere dixit Athenæus, ut a scopo non procul sit jaculaturus & aberraturus, qui Urbem Romam esse totius Orbis compendium asseruerit, civitates nimirum in universum omnes exstructas intra se complexam; & particulatim multas, quas licet cuivis agnoscere, ut auream Alexandriam, Antiochiam pulchram, Nicomediam speciosissimam, & splendidissimas omnium, quibus illucet Jupiter, Athenas inquam. Recensere me conantem, quot oppida Urbis cœlestis ambitus contineat, ob eorum multitudinem non unica dies tantum defecerit, sed quotquot annum conficiunt. Quandoquidem in ea Urbe Gentes etiam totæ habitant, ut Cappadoces, Scythæ, Ponti nationes, & aliæ complures, quarum concursus, habitabilis totius Terræ populus est.*

8. Cum ergo Urbs Romana complexa fuerit tot urbes & pæne integras nationes, mirum non erit, si veluti portis suis effusa per longissimas Vias, ceu totidem brachia per agros extensa, exceperit Viatores & advenas a septem octove leucis intra sua mœnia. Jam tecum reputa, quot Templa, Sepulcra, Villæ, Prædia, Prætoria, aliaque ædificia se obiter jucundissimo conspectui obtulerint, ornantia utrimque Vias Publicas, quas cingebant a lateribus: quam pulcher ille aspectus curiosis oculis vel medio cursu sufflaminandis, ut in tali spectaculo & tam jucunda tot rerum rariorum, de quibus mox singulis disputabimus, contemplatione, ut cum Lipsio dicam *de R. M.* III. 10. remorentur, subsistant, indormiant.

SECTIO XXXIII.

De Templis ad Vias Publicas exædificatis.

1. Divisio Ædificiorum, quæ cingunt Vias Italiæ Publicas. 2. De Templis & Diis Romanorum. 3. De Martis æde & Porta Capena. 4. Index complurium Ædium ad Vias Publicas, illarumque ornatus.

1. ÆDificia, quæ Vias Italiæ utrimque cingebant, in *Sacra* & *Profana* commode dividuntur. Ad *Sacra*, quæ & *Religiosa* dicuntur, referimus, *Templa* & *Sepulcra*, de quibus primo disputabimus; deinde & de Ædificiis Profanis tam publicis, quam privatis, quæ juxta cum Sacris Militares Vias, maxime circum Romam, exornabant.

2. Inchoabimus disputationem hanc ab *Ædibus Sacris* tam majoribus, quam minoribus: illæ communi in universum vocabulo *Templa* dicuntur; hæ *Fana* & *Sacella*, quæ respondent Christianorum *Capellis*, & *Ædes* vocantur, licet *Ædis* vox quoque & majori & minori Templo conveniat. Ante vero notandum, quam pergamus, Romanos Deorum cultui addictissimos in ea fuisse opinione, seu

verius errore, ut crederent, Deos dari tam Bonos, A
quam Malos. Bonos appellabant, quos prodesse, præstare bona & felicitatem, rerum gerendarum successus; hisque intra & extra Urbem Templa consecrabant. Malos e regione putabant, a quibus mali quippiam & incommodi metuebant; quibus non ideo minus Templa, Sacrificia, & vota dedicabant, non ut acciperent bona, sed ne quid mali, & ne obessent. Quamvis autem legamus Aram Febri sacram in Monte Palatino, Malæ Fortunæ fanum, & Murciæ sacellum intra Urbem fuisse, vulgo tamen mali hi Dei Deæque extra mœnia colebantur: *Deorum enim*, ut ait Panvinus *in Urb. Rom. p. 86. quos obesse arbitrabantur, Templa secundum stationis decorem extra Urbem ponebantur*. B

3. At inter Templa ad Vias Publicas extra Urbem eminebat *Martis Ædes*, haud procul a *porta Capena*; sive porta hæc nomen habeat ab Urbe veteri *Capena*, Albæ Longæ vicina & ab Italo condita, cum Janus ibi loci habitaret, ubi postea Roma fuit condita, a qua Roma per istam portam ibatur ad Urbem Capenam, ut vult Solinus; sive a Templo Musarum, quæ *Camœnæ* dicuntur, quod ad Viam Appiam pariter ut ad eandem Martis, erat, unde nonnulli *portam Camœnam* dixere; sive a *Lucis Capenis*, Camœnarum ædi vicinis, dicatur, C
ut vult Servius ad Virgil. *Æn.* VII. 697. Undecunque vero nomen habeat porta Capena, per hanc Via Appia extra Urbem, in qua initium duxit, in agros Italiæ egressa vicinam habuit Martis ædem, quam dicimus, teste Ovidio *Fastor.* VI. 191.

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum dextræ porta Capena viæ.

& Livio VII. 23. *Cum* (M. Popillius Lænas Cos.) *omnes extra Portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos jussisset*. Hoc Templum, cum vetustate ruinam minaretur, a L. Cornelio D
Sulla Felice restitutum ampliatumque, ac supra C. columnas positum ferunt, unde pulcherrima ejus structura intelligi potest.

4. At quis percensebit cuncta ad Vias extra Urbem Templa & loca Sacra? Talis fuit *Bonæ Deæ* ædes, juxta quam Clodius a Milone occisus; *Musarum*, a M. Fulvio Nobiliore dedicata; *Honoris & Virtutis*, ad Viam Numentanam; *Næniæ*, Funerum Deæ, a Præficis invocatæ, Sacellum. Tale erat *Bacchi* Templum, altero ab Urbe lapide, rotundum, circulare, & hemisphærico fastigio, quod post diu Constantinæ Genti Mausoleum præbuit ad sepulturam. Tale denique erat ad Viam E
Flaminiam *Fortunæ* Fanum, & plura alia, quæ silentio prætereo; cuncta exædificata ad priscæ Architecturæ symmetrias & rationes, atque, pro illarum formatione, ornamentis, quæ Ars ad imitationem Naturæ singulis præscribit ordinibus, exculta, qualia persequitur Vitruvius eruditis de Architectura libris, ex quibus discimus, nullum non Templum apud Veteres exædificatum fuisse vel Dorica, vel Ionica, vel Corinthia, vel Tusca, vel Composita formatione; quarum singulæ suas sibi habebant proprietates in stylobatis, basibus, columnis, epistyliis, zophoris, coronidibus, tympanis, anaglyphis & cæteris ornamentis, F
quæ oculis & animo voluptatem jucundissimam offerunt.

SECTIO XXXIV.

De Sepulchris ad Vias Militares.

1. *Altera Species Ædificiorum Sacrorum, Sepulcra.* 2. *Cur in Urbe nemini concessa sepultura.* 3. *Si paucos exceperis.* 4. *Lex, ne in Civitate sepulcrum fieret, illustrata exemplo Athenarum.* 5. *Sepulcra facta ad Vias Publicas Rusticas.* 6. *Ejus rei prima,* 7. *altera,* 8. *tertia,* 9. *quarta caussa.* 10. *Differentia inter Sepulchrum, Sepulturam, & Monumentum.* 11. *Alia differentia inter Sepulchrum & Monumentum.* 12. *Sepulcrorum apud Paganos religio.*

1. Altera Sacrorum Ædificiorum species erant *Sepulcra*, quæ una cum Templis *Loca Sacra* sive *Religiosa* habebantur: antiqua enim lex est: *ubi corpus demortui hominis condas, locus sacer esto*. Hoc autem loco ab re non erit alienum de *Sepulcris* agere, ut planum fiat, Viarum Publicarum per agros præcipuum ornatum fuisse adsita Sepulcra, præsertim circa Urbem, ubi plurima erant, & pæne innumerabilia.

2. Inter Leges XII. Tabb. etiam hæc a Cicerone *de Leg.* II 23. adfertur; *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito*. Duæ res vetantur hac lege intra Urbem fieri, prior, ne mortui corpus in Urbe humetur; quam lex Solonis, Græcorum primo, deinde & Romanorum, opinionem secuta jam olim vetuerat; credebant enim Civitatem, in quam illati forent mortui, pollutam esse & contaminatam. Eandem ob caussam Impp Diocletianus & Maximianus non solum Romæ, sed & in Municipiis, *mortuorum reliquias, ne sanctum Municipiorum jus polluatur, intra Civitatem condi, jampridem vetitum esse*, rescribunt *l.* 12. *C. de Religios. & Sumtib. Funer.* vel, ut loquitur Paullus *Sententiar.* 1. 21. §. 2. *ne funestarentur sacra Civitatis*. Posterior res vetita est, ne mortui corpus in Urbe ureretur; *credo* cum Cicerone *l. l. vel propter ignis periculum*, ex lignorum ingenti strue & igne, quo cadaver in cineres redigebant, & favillas; cui periculo sepultura proprie dicta non erat obnoxia: hinc *l. l.* Cicero; *Quod enim Lex addit, Neve urito, hoc indicat, non eum, qui uritur, sepeliri, sed qui humetur*. At præcipua utriusque rei vetitæ caussa, observante Cicerone *l. l.* ex jure Pontificio petita fuit, quo statuitur, *Locum publicum non posse privata religione* sepulcrorum *obligari*.

3. Excipiendi hic tamen sunt, quibus hujus legis gratia erat facta, Imperatores, Virgines Vestales, & quædam Gentes Romanæ, quibus hac lege solutis licebat intra Urbem sepeliri. Inter Gentes Romanas erant, docente *ibidem* Cicerone, posteri *P. Valerii Publicolæ*, & *A. Postumii Tuberti* hoc jure ante LL. XII. Tabb. donati: post eas & *C. Fabricius* virtutis caussa, ejusque posteri, quibus honoris jure publicum erat in Foro Romano sepulchrum; quo tamen usurpando omnino abstinuerunt, contenti funeribus in forum delatis ardentem facem subjicere & mox eam auferre, ut jus testarentur sibi esse, sed abstinere se honore; hoc enim facto, æque ac cæteri Quirites extra Urbem condebantur. Cum vero, paullo ante Duillii consulatum, nonnulli Quirites ex aliis Gentibus in Urbe sepulcra sibi vindicarent, hac de re ad Senatum retulit Duillius, eoque Cos. Lex illa XII. Tabb. restituta est, *Senatusque prohibuit & lege cavit, ne quis in Urbe sepeliretur*, ut colligimus ex Servio *ad Virgil. Æneid.* XI. 206.

4. Huc respexit etiam diu postea D. Hadrianus Imp. *in l.* 3. §. 5. *ff. de Sepulcro violat.* qui *rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in Civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit; & in magistratus eadem qui passi sunt, & locum publicari jussit, & corpus transferri*: scilicet, *ne sanctum Municipiorum jus pollueretur*, ut supra a nobis §. 2. dictum est. Hanc legem ex Solonis institutis serva-

runt quoque Athenienses. Exemplum adfert Servius Sulpicius, *in epist. Cic. quæ vulgo ad Fam. dicuntur* IV. 12. *Ibi pro ea*, ait, *copia, quæ Athenis erat, funus &* (M. Marcello Viro Consulari, quem P. Magius Chilo pugione percusserat) *satis amplum faciendum curavi. Ab Atheniensibus, locum sepulturæ intra Urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, uti, in quo vellemus Gymnasio, eum sepeliremus, nobis permiserunt; nos in nobilissimo Orbis terrarum Gymnasio Academiæ* (in quo Socrates & Plato floruerant) *locum delegimus, ibique eum combussimus, posteaque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent.*

5. Atque hæ quidem fuere caussæ, ob quas veterum, præsertim apud Romanos, Sepulcra & Monumenta extra Urbes erant. Licet vero nonnulli sepelirentur in agris fundisque suis a Via Publica remotioribus; plurimi tamen ex more sepulcra propter Vias habebant Militares, qui mos justis & pluribus ex caussis præ illo altero invaluerat.

6. Nam primum & admonitionem & voluptatem viatoribus Sepulcra ad Vias præstabant. Admonebant enim infirmæ & fragilis vitæ humanæ, cum in memoriam revocarent, ibi sitos jam mortuorum cineres olim vixisse homines, ipsosque Viatores ad eandem leti metam brevi properaturos. *Monumenta* enim, ut ait Varro *de L. L.* l. v. *p.m.* 23. *in sepulcris ideo secundum Viam sunt, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales.* Nempe, ut recte Seneca, *æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur.* Non mediocriter ista consideratio hominem intra modestiæ terminos constituit, cum videat ibi jacere tot tantosque Viros, qui olim ingentes duxerant exercitus, qui tot victorias reportarant insignes, qui amplissimas Imperio acquisiverant Romano Provincias, quorum ambitioni vix tot us suffecerat Orbis, jam vero illos exiguo quinque aut sex pedum spatio coerceri & concludi; ubi nemini quicquam boni aut mali facere queant, nisi forsan vitæ exemplo, cujus præcipua gesta in nonnullis monumentis exhibentur. Quod ad voluptatem Viatoris ista spectantis, illa profecto maxime fit, oportet, præprimis apud Viros erudite curiosos, qui hic contemplari poterant magno sepulcra numero, ornamentorum & Architecturæ ratione, quæ in singulis fere, grata varietate, diversa erant, admirabilia, & quæ jucundis nec non elegantibus obiter in via sermonibus occasionem præbebant.

7. Sed Virtutem Romanam ista consideratio acuebat, Fortunamque Civium Romanorum privatam, adeoque totius Reip. Publicam augebat. Quantum animorum excitavit conspectus ille Monumentorum, consecratorum tot Viris Illustribus & majorum Gentium Romanis, apud eorum posteros, ne ab avita virtute degenerarent, cum perlustrarent non tam cineres, quam vivam Majorum post funera virtutem & præclaram memoriam? Ita dulcis quædam necessitas illis imponebatur, non modo ad conservandam Gentilitiam famam, sed & bona atque possessiones, quas a Majoribus hereditatis jure acceperant, & quas, sine tacita hac admonitione, forsan complures aleæ, ventri & gulæ perdendas dedissent, aut vanis, stultis & insanis profusionibus dilapidassent, nisi eos pietas & veneratio Majorum cineri & memoriæ debita avocasset & in officio continuisset. Si Cives Romanos generatim respicias, quod si forte fortuna hostis ad Urbem accessisset, cinctam ita Monumentis Majorum, ecquis posterorum Quiritium adeo fuisset ignavus & a virtute desertus, quin arma sumeret in manus ad defendendam fortiter patriam & loca illa sacra, in quibus manes cineresque eorum quiescebant, qui toties antea aras focosque tutati fuerant, & Remp. conservarant atque amplificarant?

8. Quin imo sic demonstrabant cordati isti Quirites, animam hominis esse immortalem, nec, ut brutorum, interire cum corpore. Hæc immortalitatis persuasio homines ad virtutem & vitam pie agendam incitabat, ut hac vita decedentes redderentur feliciores & mala evitarent æterna; quorum nationes etiam maxime barbaræ aliquam habuerunt cognitionem, credentes, vitia & crimina mortalium post hanc vitam puniri. Disertis ista verbis Plato divinus, *de Legib. dialog.* XII. *in fine medii dialogi, p. m.* 1158. *Tom.* III. *editionis Latinæ minoris ap. Stoerium*, 1592. ex versione Marsilii Ficini: *Ac revera unumquemque nostrum animam ipsam immortalem esse, eamque ad Deos alios proficisci, rationem suorum operum reddituram, ut Lex patria continet. In quo certe bonis Viris confidendum esse, malis autem formidandum: quippe cum post mortem omni auxilio careant; viventibus autem necessarios omnes opem ferre debuisse, ut quam justissime atque sanctissime vivant, ne maxima eos scelerum post mortem supplicia maneant.* Cicero etiam parum hic a Christianorum veritate abest, cujus ipsa verba *Tusc. Qu.* I. 12. hic adscribi apposite merentur: *Itaque unum illud*, ait, *erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem, ut funditus interiret, idque cum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, & ceremoniis sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitæ, quæ in claris viris & fœminis dux in cœlum soleret esse, in cæteris humi retineretur, & permaneret tamen.* Quibus addi possunt, quæ Homerus & Virgilius de piarum Animarum in Campis Elysiis felicitate, deque scelerum apud Inferos pœnis cecinerunt.

9. Quid multa? Sepulcra secundum & propter Vias Publicas collocata erant, ut mortuorum apud vivos servarent memoriam; Viæ namque a populo maxime frequentatæ monumenta plurima habebant. Hoc ipsa homini Natura indidit, ut post mortem in perenni posterorum memoria velit vivere, quæ verissima immortalis animæ nota est, desideria sua & consilia destinantis in futurum ab excessu ex corpore tempus. Apparet hoc ejus notæ desiderium in Epitaphio sequenti: *ap. Grut.* CCCC. XXXI. 5. *Odolingi in Monteferrato ad Padum flumen, templo S. Michaelis*:

T. LOLLIVS. T. LOLLII. MASCVLVS
IIII VIR. BONDICOMENSIS
HIC. PROPTER. VIAM. POSITVS
VT. DICANT. PRAETEREUNTES.
LOLLI. VALE

10. Hinc etiam Sepulcro nomen venit *Monumenti*, quod admoneat, illic situm aliquando vixisse. Est tamen differentia, si proprie loqui velimus, inter *Sepulturam*, *Sepulchrum* & *Monumentum*: & quidem differt *Sepultura a Sepulcro*. Licet enim generatim, *Sepulcri appellatione omnis Sepulturæ locus contineatur*, ut ait Ulpianus *in l.* 3. *§.* 3. *π. de Sepulcro violat.* strictius tamen loquendo, potest quis *Sepulturam* habere, qui non habet *Sepulcrum*: nam *Sepulturæ* nomine venit, ut modo diximus, non solum omnis *Sepulturæ* locus, verum etiam ceremoniæ & ritus funebres, quibus corpora con-

debantur. Prisci enim Gentiles valde solliciti erant de Sepultura, credebantque animas, quarum corpora Sepultura carebant & inhumata erant, errare vagas, incertas, inquietas, inopes;

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt;

ut Maronis utar versibus *Æn.* VI. 327. 328. qui ibidem in hoc argumento versatur. Hinc illa miseri Palinuri ad Æneam obvium obsecratio & obtestatio apud Inferos *l. l. vss.* 362. *& seqq.*

Nunc me fluctus habet versantque in litore venti:
Quod Te per cœli jucundum lumen & auras,
Per Genitorem oro, per spem surgentis Juli,
Eripe me his, invicte, malis: aut Tu mihi terram
Injice, namque potes; portusque require Velinos.

& paucis interjectis rationem postulati sui addit *vs.* 371.

Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

At quod ad *Sepulcrum*, illud non tam necessitatis, quam decori & honoris erat; est enim *Sepulcrum* proprie structuræ & Architecturæ quoddam opus, vel super vel ante Sepulturæ locum, exstructum: de tali opere alia olim Germanis mens erat, qui Sepulturæ quidem honorem laudabant, defunctis gratum, viventibus solatio futurum; verum quantum ad ipsa monumenta, illis teste Tacito *de Mor. Germ c.27. Sepulcrum cespes erigit; monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis aspernantur.*

11. Porro inter *Sepulcrum* & *Monumentum*, si hæ voces proprie sumantur, hæc intercedit differentia, ut *Monumentum* sit quodcunque opus aut ædificium transmittendæ ad posteros memoriæ caussa factum. *Monumentum est, quod servandæ memoriæ gratia existat*, *l. 2. §. 6. π. de Religios. & sumt. Funer.* In hoc si mortui corpus inferatur, sacri & religiosi loci naturam induit: hinc *l. 42. π. d. t. Monumentum generaliter res est memoriæ caussa in posterum prodita: in quam si corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet Sepulcrum. Si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ caussa factum, quod* κενοτάφιον, *id est, inane sepulcrum appellant.* Hinc Virorum prisci ævi illustrium plura subinde occurrunt *monumenta*, inter quæ unum vere *Sepulcri* nomen habere potuit. Sic Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Roman. l. 1. p. m. 67. edit. Latinæ minoris ap. Vincentium* narrat, Æneam, magnum illum Ducem, ita sibi conciliasse hominum benevolentiam, ut, *postquam inter mortales esse desierit, multis in locis monumentis honoratus sit & sepulcris honorariis: nec enim alias facile caussam afferri posse, cur tot exstent per Italiam.*

12. Tanta autem veneratione apud Gentiles, maxime vero Romanos, religiosa erant *Sepulcra*, *ut jure dominii nullus ea vindicare posset*: *l. 4. C. de Relig. & sumt. fun.* Hinc etiam statuit Constantinus Imp. ut, *si quis de sepulcro abstulerit saxa, vel marmora, sive columnas, aliamve quamcunque materiam, fabricandi gratia, sive id fecerit venditurus, decem pondo auri cogatur fisco inferre*: *l. 4. vs Si quis. C. de Sepulcr. viol.* Imo &, ut, *si servus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, si id sine Domini scientia faciat, metallo addicatur: sin vero Domini auctoritate vel jussione urgetur, relegatione plectatur: & si forte detractum aliquid Sepulcro ad domum ejus villamve provectum reperitur, villa, sive domus, aut ædificium, quodcunque erit, fisci juribus vindicetur*: *l. 2. C. d. t.* Attamen hoc ad *Sepulcra hostium* non debet trahi, *quæ religiosa nobis non sunt, ideoque lapides inde sublatos in quemlibet usum convertere possumus, nec sepulcri violati actio competit*, ut docet Paulus JC. *in l. 4. ff. d. t.*

SECTIO XXXV.

De Sepulcrorum secundum & propter Vias Militares diversitate & differentia, ac quibus in rebus eorum consistat excellentia & pulchritudo.

1. *In Sepulcris duo consideranda, Forma sive Architectura & Inscriptio sive Titulus.* 2. *Architecturæ ratione, Sepulcra sunt maxima, mediocria, minora, adeoque triplicis Formæ.* 3. *Maxima, dicta Mausolea, propria Imperatoribus, Regibus, Principibus Viris. Mausoleum Cariæ.* 4. *Mausoleum Personæ in Hetruria.* 5. *Pyramides Ægypti; &, quare Reges illas fieri curarint, speciosæ quædam caussæ.* 6. *Mausoleum Augusti, & loca illi conjuncta.* 7. *Moles Hadriani, extra Urbem.* 8. *Mausoleum, quod dicitur Septizonium Severi, intra Urbem. Cur in Via Appia exstructum: ratio nominis.* 9. *Mausolea Augusti, Adriani & Severi, qua forma olim fuerint, qua hodie videantur.*

1. EA, quæ Viatorum oculos in veterum ad Vias Sepulcris allicere & remorari poterant, præsertim duo hæc erant, *Forma* Architecturæ sive structuræ, & elegantis atque argutæ Inscriptionis *Titulus*: de Forma igitur & Titulo ordine disputabimus, ut hinc appareat maxima illa animi voluptas & delectatio, quam Viatores olim capiebant ex ipsa rerum contemplatione, quarum elegantia & magnificentia, cum literarum monumentis depicta legitur, nos adhuc hodie vehementer delectat.

2. Ut ergo hinc ordiamur, Sepulcra propter Vias erant triplicis Speciei sive Formæ; non quod religione & sanctitate, quæ omnibus ex æquo erat eadem & communis, differrent; sed quod structuræ suæ magnificentia & splendore, Inscriptionisve gravitate & majestate. Quod ad structuram itaque attinet, alia Sepulcra erant Maxima & Magnifica, alia Mediocria, alia Humilia & Minora, si cum prioribus comparentur. Maxima illa Regibus, & Principibus & Illustribus; Mediocria ditioribus & honestioris loci & Patricii aut Equestris ordinis Hominibus; Minora Vulgo & Plebeiis fiebant.

3. Maxima jure merito erant sacra Maximis Viris: namque, dicente Tacito *Annal.* XVI. 16. *datur hoc Principum & Illustrium Virorum posteritati, ut exsequiis a promiscua sepultura separentur, & in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.* Superba hæc & magnifica Monumenta vulgo appellabantur *Mausolea*, sic dicta a *Mausolo* Cariæ Rege, cujus Cicero *Tusc. Qu.* III. 31. Plinius *H. N.* XXXVI. 5. Valerius Maximus IV. 6. *ext.* 1. & Gellius X. 18. meminerunt: ex quibus discimus, Artemisia Mausolum fato absumtum quanta amoris vehementia desiderarit, cujus duo maxima sunt indicia; primum, quod ossa cineremque ejus mixta odoribus contusaque in faciem pulveris potioni adspersa ebiberit, & sic ipsa Mausoli vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit: alterum, quod molita sit ingenti impetu operis conservandæ mariti memoriæ, Mausoleum illud exquisito marmore & structuræ magnificentia memoratissimum, dignatumque numerari inter septem Terrarum admiranda spectacula. Hoc postea no-

men dedit suum Regum Principumque Sepulcris, magnifico aliquo ædificio splendidis. Certe ea operis magnitudine atque omni ornamentorum magnificentia moti Ῥωμαῖοι μεγάλως δή τι αὐτὸν θαυμάζοντες τὰ παρὰ σφίσιν ἐπιφανῆ μνήματα, Μαυσωλεῖα ὀνομάζουσιν, *adducti rei miraculo Romani, magnificentissima quæque apud se monumenta Mausolea appellarunt*, teste Pausan. *Arcadic. p. m.* 150. *vel edit. Latin.Wechel.* 1624. *pag.* 441.

4. Tale fuit admirabile illud Hetruscorum Regis Porsenæ Sepulcrum, prope Clusium, antiquæ Hetruriæ oppidum. *Sed cum excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione ejus verbis: Sepultus est, inquit, sub urbe Clusio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum, inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quo siquis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latæ pedum septuagenum quinum, altæ centum quinquagenum; ita fastigiatæ, ut in summo orbis æneus, & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referant, ut Dodonæ olim factum: supra quem orbem quatuor pyramides insuper singulæ exstant altæ pedum centenum: supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adjicere. Fabulæ Hetruscæ tradunt, eandem fuisse, quam totius operis: adeo vesana dementia quæsisse gloriam, impendio nulli profuturo: præterea fatigasse regni vires, ut tamen laus major Artificis esset*. Hæc Plin. *H. N.* XXXVI. 13.

5. Similis fuit Ægyptiorum Regum dementia in *Pyramidum* Structuris, quas Plinius *libri laudati cap.* 12. jure appellat *Regum pecuniæ otiosam ac stultam ostentationem*, & Frontin. *de Aquæduct. l.* 1. *Pyramides otiosas, inertia opera*. Sunt tamen, qui existiment, ingentes hasce moles, tanta impensa, tot hominibus, tanto tempore exstructas non sine aliquo operæ precio & caussa exstructas; præsertim apud Ægyptios, penes quos prisco ævo illo florebant studia & rerum scientia. Ajunt itaque, latere in vastis hisce structuris aliquid reconditi, quod vel ad Religionum, vel ad Temporum ordinandorum rationes attineat. Temporum enim & Religionum doctrina solis olim patebat Sacerdotibus Ægyptiorum, Græcorum Hierophantis, Pontificibus Romanorum. Qui in hæc mysteria se nonnihil penetrasse putant, ajunt, Ægyptios primos deprehendisse cursum solis annuum, exactis rationibus calculorum, super quo acriter reliquæ Gentes contendebant, ceu re maximi momenti, a qua suspensa essent plurima divina & humana. Pyramides ergo hujus inventi monumentum fuisse hieroglyphicum ad posteros. Frequentibus enim solaris motus observationibus Ægyptios didicisse, annum solarem esse dierum CCCLXV. & horarum VI. quæ horæ singulis quadrienniis integrum diem perficerent, qui quarto cuique anno intercalatus annos ad solis verum motum exigeret. Id ut durabili quodam symbolo posteris significarent, struxisse eos vastas hasce Pyramidum moles, quæ a quatuor lateribus paullatim terminarentur in unum acuminis punctum, quemadmodum quatuor anni, in se singuli imperfecti, junctim perficiuntur paullatim & quasi in integrum solisque motui æqualem modum restituuntur tandem, unius diei additione, & sic quasi in summum desinebant conjunctim punctum. Hæc mens fuit Ludovico Demontiosio, in libro, qui inscribitur: *Gallus, Romæ Hospes, part.* 1. *pag.* 7. ubi sic judicat. *Hoc igitur cum vellent Ægyptii significare, Pyramides illas exstruxerunt quatuor laterum, quæ in unum coeuntia eodem puncto terminarentur: quemadmodum & anni singuli tetraeteridis finiebantur uno die, qui post confectum quadriennium intercalabatur, ut omnium idem esset finis, idem exitus*. Alii moles hasce structas mansioni æternæ ab Ægyptiis fuisse volunt: *namque hi Ægyptii errare quidem genus hominum prædicabant, qui domos, brevissimi temporis diversorium, lautissimas ædificarent: sepulcra vero, ubi diutissime essent requieturi, præ illis negligerent, l. l.* Sane leges Romanæ Sepulcra vocant *Defunctorum domos*, in *l.* 4. *c. de Sepulcr. violat.* adeo ut Ægyptii non adeo aberrarint a ratione: rident enim nonnulli palatinas illas ædes materia tam firma & solida exædificatas, quasi æternum victuris inhabitandas; & e regione tam sumtuosas gulæ lautitias, quam si altero die vita decedendum esset. *Vivimus, quasi altera die morituri: & ædificamus, quasi semper in hoc sæculo victuri*, ut ait Hieronymus *Epistol. ad Gaudentium*.

6. Romani, qui cæteros mortales Structurarum magnificentia superarunt, nec hæc opera in sepulcris Imperatorum neglexerunt. Inter maxima vero sepulcra excellebat Mausoleum Cæsaris Augusti. Hoc ita describit Strabo *Geogr. l.* V. *p. m.* 431. *Commemoratione dignissimum est, quod Mausoleum appellant, in excelsis fundatum collibus, lapide niveo & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum in summum usque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Cæsaris Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt ejus loculi & cognatorum & necessariorum. A tergo vero lucus est mirifica continens ambulacra. In medio autem campi spatio sui busti exstat ambitus, & ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius per se ferens populos*. Hoc Mausoleum ipse Augustus sibi vivus fieri curarat, & *id opus inter Flaminiam Viam ripamque Tiberis sexto suo consulatu exstruxerat: circumjectasque sylvas & ambulationes in usum populi tunc jam publicarat*, teste Sueton. *vit. Aug. c.* 100.

7. Hoc in Mausoleo Imperatores usque ad Hadrianum fere omnes fuerunt conditi; habebat enim plures loculos, quibus reliquiæ domus Augustæ condi poterant: atque hac in re Mausoleum a vulgari sepulcro differt; Mausoleum enim plura sepulcra habere potest. Cum vero Hadriani ævo loculi hi jam repleti essent, pari magnificentia *Hadrianus extra portam Æliam* sibi cognominem sub nomine Molis Hadriani, Mausoleum & *Sepulcrum construxit spectatu dignissimum, & quaternis partitum pari dimensione lateribus, eam porrectis in latitudinem, ut jactus ex angulo lapis alterum fere pertingat: altitudine autem hæc Urbis mœnia superant. Statuæ quoque illius Pario marmore*, quod ex Paro Cycladum Insula allatum niveus candor commendat, *& virorum equorumque, miro artificio factæ desuper insident*. usi hic sumus verbis oculati testis Procopii *Histor. l.* V.

8. Tertium est Antoninorum Mausoleum, quod in Historiis nominatur *Septizonium Severi*. Opus hoc fuit Septimii Severi Imp. in ipsa Urbe ad Viam Appiam sub Monte Palatino structum, teste *Spartian. in vit. Severi cap.* 6. Nam, ut supra §. 3. *Sect. præced.* diximus, Imperatoribus & Vestalibus Virginibus intra Urbem jus sepulturæ erat. Hoc Mausoleum, secundum Aurelium Victorem, in X. Urbis regione erat, ubi *Septizonium Severi* dicitur, ad differentiam *Septizonii veteris*, quod erat in regione XII. De ejus situ hæc Spartianus *in vit. Getæ cap. ult. Illatus est* Geta occisus *majorum Sepulcro, hoc est, Severi, quod est in Appia Via, euntibus ad portam dextram, specie Septizonii exstructum, quod sibi ille vivus ornaverat*. Sed & caussa notabilis est, cur

cur isto loco Sepulchrum sibi fieri voluerit, quam A indicat *in vita Severi c. ult.* Spartianus: *Quum Septimius Pertinax Severus Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per Præfectum Urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum, Palatinis ædibus, id est, regium atrium ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam post Alexander cum vellet facere, ab Aruspicibus dicitur esse probibitus, quum hoc sciscitatus non litasset.* Ceterum multi huic generi Sepulchrorum *Septizonii* nomen inditum putant, a *Septem* veluti *zonis* co- B lumnarum. Ita Jacobus Laurus in libro, qui inscribitur, *Antiquæ Urbis splendor*, exhibet & additis figura & verbis hisce: *Septizonium a septem columnarum ordinibus dictum est sibi mutuis in altitudinem superpositis.* At Demontiosius *in l. l. pag.* 23. ridiculam ait opinionem, quod septem columnarum ordinibus exstructum fuerit Septizonium; Septimio Severo nunquam destinatum fuisse, ultra quatuor ordines adstruere: subjicit deinde, Veteribus tantum ab re sua otii non fuisse, ut lapidi lapidem, columnæ columnam superponerent, sine aliqua ratione digna suscipiendi tanti operis, C quamvis recondita & parum cognita. E contrario ipse existimat, quo opus est altius & structuræ magnificentioris, pauci vero usus publici aut privati, eo magis suspicandum esse, sub ingenti ista mole latere aliquod mysterium & rem reconditam in recessu esse. Hinc ergo, postquam exhibuisset Septizonii formam tantum quatuor ordinibus, ichnographicam & orthographicam, hæc verba subnectit: *In singulis autem planis sunt novemdenæ columnæ, quarum quæ in imo sunt, Metonis Enneadecaeteriden ostendunt, quæ eodem annorum numero terminabatur. Tota vero operis constitutio ex quaternis ordinibus constans, periodum Calippicam significabat, annorum numerum pari numero columnarum referens, quum ex quater novendenis annis constaret.* Quæ verba ut cla- D riora fiant, notandum Metonis inventum fuisse *Cyclum Lunarem* annorum novemdecim, unde Græcis *Enneadecaeteris* dicitur, quo expleto, Luna & Sol ad idem punctum revertuntur: in his autem novemdecim annis, septem sunt *embolismæi*, sive *superabundantes*, singuli tredecim *Lunationum*. Hic Cyclus vulgo *Numerus Aureus* dicitur, qui, ante *Epactorum* usum, ad Novilunia & Solares Lunaribus annis æquandos in usu fuit; id quod fit annis admodum novemdecim. Si hos quatuor columnarum ordines junctim sumas, eveniet *periodus Calippica*, quæ adhuc magis æquat annos Lunares Solaribus: hæc enim Periodus habet qua- E tuor Enneadecaeterides, quæ annos septuaginta sex absolvunt, respondentes totidem quatuor ordinum in Septizonio columnis; quod a *septem* annis embolimæis, quos unaquæque *Zona* continet in novemdecim annis per columnas designatis, *Septizonii* nomen habet; non autem a septem ordinibus columnarum, ut vulgo structuræ hujus imperiti sibi persuadent.

9. Verum, ne nimium immoremur subtilibus hisce commentis vero similibus, illud constat, tres ordines columnarum Septizonii adhuc esse superstites, quales nobis depinxit Stephanus du Perrac in libro Italico, quo *vestigia Romanarum Antiqui-* F *tatum* exhibet, ex quorum conspectu apparet, illas fuisse formationis Corinthiæ columnas. Sic etiam idem ibidem exhibet Mausolea Augusti & Hadriani, qualia hodie videntur: at Bartholomæus Rossus, Florentinus, eadem figuris exhibet, quibus primi Auctores ea struxerant, in libro, qui inscribitur: *Ornamenti di Fabriche antichi di Roma*, unde curiosi harum rerum eas poterunt petere.

SECTIO XXXVI.

De Sepulchris Mediocribus Hominum ordinis Patricii, Equestris, aut honestioris loci, non e plebe.

1. *Platonis de Sepulchris lex.* 2. *Patriciorum & Equitum Romanorum magnifica Sepulchra.* 3. *In Sepulchrorum structura diversitas quæsita.* 4. *Plurimorum desideria transmittendi ad posteros sui memoriam Sepulchrorum magnificentia.* 5 *Illustrium Civium ad Viam Appiam Sepulchra* 6. *Duæ res in bis Sepulchris spectandæ.* 7. *Sacella, quid sint in re Sepulchrali:* 8. *Moles in eadem quid sit: descriptio imæ partis in Mole:* 9. *item trium superiorum partium, planæ formæ, loculamentorum, horumque altitudo.* 10. *Pyramides supra Sepulchra.* 11. *Opera acuminata super sepulchra. Coni:* 12. *Species acuminatorum operum angulosorum: quid Obeliscus, & de quibusdam Romæ Obeliscis.* 13. *Pyramides Ægyptiæ earumque dimensio.* 14. *Pyramides Romanæ, earumque forma: de ea, quæ visitur in Cestii monumento.* 15. *Situs & ornamenta Obeliscorum.* 16. *Columnarum duo genera:* 17. *& alterius generis duæ species.*

1. PLato ille divinus *de Legib. dialog.* XII. *p. m.* 1157. de Sepulchris hanc legem statuit: *Agger non altior sit eo tumulo, quem viri quinque diebus quinque construere possunt. Lapides quoque superstruantur non majores, quam ut possint defuncti laudes quatuor solum heroicis versibus comprebendere.* Sic Marsilius Ficinus eum locum vertit, reddens χῶμα per *aggerem*, tanquam si Plato terrenum tumulum Sepulturæ mortuorum superinjectum intellexisset, qualem intelligit Virgil. *Æn.* VII. 6.

Aggere composito tumuli.

Verum Cicero *de leg.* II. 27. χῶμα reddit per *Sepulchrum*, tanto melius, quod Plato ibi non intelligat terrenas moles aut *aggerem*, qui nec tot homines, nec tot dies requirunt ad sui exaggerationem; verum opus aliquod structuræ Architectonicæ, quod *Sepulchrum* constituit; id vero Plato noluit esse opus plurium, quam ad summum quinque hominum quinque diebus.

2. Talia autem Sepulchra ad Mediocria referri possunt, & quæ honestum locum præbere queunt nobilioris ordinis hominibus: sed Gentes Patriciæ Romanæ in multis hanc Mediocritatem excedebant; imo secundum & propter Vias Italiæ Publicas Sepulchra reperiuntur, quæ & Structuræ Architectonicæ & Materiæ ipsius excellentia proxime accedunt ad Mausoleorum magnificentiam & splendorem: videas ibi nonnulla exstructa, non solum marmore preciosissimi generis, secundum Architecturæ rationes scite exornata Columnis, Obeliscis, Pyramidibus; sed etiam adstructa illis Templa & Sacella, Domusque splendidas & commodas, quas inhabitarent certi homines, destinati conservandis & tutandis ornamentis atque divitiis, quas superba ista & magnifica ostentabant Monumenta.

3. Ante omnia, qui sibi sepulchra fieri curabant, id dabant operæ, ut suum opus a cæteris omnibus diversum esset; non quod illa despectui haberent, quæ ante facta erant, sed ut Viatorum oculos novitate operis allicerent. Ad hunc denique finem pervenerunt, maxima novorum inventorum multitudine, ut illi tandem, qui talia postmodum describebant & designabant opera, vix quicquam addere novi potuerint.

4. Verum equidem est, multos id tantum curasse,

ut honeste post obitum in Sepulchro quiescerent non nimis ambitioso, contenti marmore aut alio lapide minoris ostentationis, & quod tantum non occuparet spatium. Alii autem ambitionem ultra fata sua extendebant & promittebant, ac honores famamque etiam post obitum ex sepulchrorum splendore captabant: curantes sibi fieri opera ingentia forma Molis structuræ quadratæ, aut Sacelli, aut Columnarum, aliarumque rerum ex arte Architectonica, in quibus, ab excessu e vita, compositi ad seram posteritatem transmitterent rerum a se præclare gestarum & virtutis heroicæ, famam, laudem, memoriam.

5. Talia potuerunt esse Sepulchra illa ad Viam Appiam, de quibus Cicero *Tusc. Qu.* I. 7. quærit: *An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulchra vides, miseros putas illos?* Quod ad Scipiones P. & L. attinet, reperio apud Liv. XXXVIII. 56. eorum alteri, P. nimirum Africano, fuisse duo monumenta; alterum Literni honorarium, & huic statuam Africani superimpositam; alterum Romæ, de quo Cicero locutus est, P. & L. sacrum, in quo memorabiles tres statuæ, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia Poetæ Q. Ennii; quem P. Africanus tantopere dilexit, ut eum in omnibus bellicis expeditionibus comitem secum habuerit.

6. In superbis & magnis hisce Monumentis duo præcipue spectanda erant, ipsum primo operis corpus, ut sic dicam; & hujus deinde ornamenta. Operis corpus constituebat aut Sacellum, aut Structuræ Architectonicæ opus ad speciem & formam Molis, Pyramidis, Obelisci, Columnæ: quæ præ cæteris præcipuæ in Antiquis Sepulchris formarum sunt usitatiorum species, & de quibus singulis obiter nonnihil ante dicemus, quam disputemus de horum diversis ornamentis, ad pulchritudinis gratiam additis.

7. *Sacella* ergo, ut hinc ordiamur, structuræ erant ad instar parvi Templi, quales sunt nostræ Christianorum *Capellæ*: nam, ut Albertus definit, *de Re Ædif.* VIII. 3. *Sacella in Sepulchrorum ædificiis, sunt veluti pusilla templorum exemplaria.* Hæc Sacella a scientissimis Architecturæ artificibus describebantur, secundum hunc illumve artis illius ordinem. Materia erat vel lapis communis, vel marmor, variis figuris & formis cœlo aut scalpro exornata, ut materia hæc sic ad alias structuras esset inutilis, & proinde tutior esset a furum & sepulchri violatorum sacrilegiis. Recte enim Albertus *l. l.* ait: *Sed ornatus nimirum delectat, quo nihil ad conservandas res & posteritati commendandas commodius est.*

8. Quod attinet ad Sepulchra, quæ vocant *Moles*, eæ erant ædificia plene solida, facta ad formam templi alicujus vel sepulturæ, sine portis, sine fenestris, nihil vacui intus habentes; non plus, quam fere Sepulchra illa solidæ structuræ super solum eminentia, quadrangula, qualia subinde in medio Chori, aut in Capellis, quas vocant, per Templa Christianorum visuntur. Cave tamen, talem putes *Molem Hadriani*, aut hanc ad simplices Moles sepulchrales referas, quæ verius Imp. illius est Mausoleum, quo nomine illud & supra *Sect. præced.* §. 7. Mausoleo Augusti & Septizonio Severi accensuimus. *Moles* autem Sepulchrales communes erant in altum exstructæ forma quadrata Templi, cujus quatuor parietes, in altitudine ad minimum sextam, ad summum quartam areæ suæ partem, areæ, inquam, sive longitudinis soli aut loci, quem tales structuræ humi occupabant, habebant. Nonnullæ Moles simpliciter ornatæ erant anaglyphis circum extremum oræ ambitum, & quatuor parastatis in quatuor angulis:

A Aliæ autem erant exornatæ certo columnarum numero, secundum longitudinem unius cujusque lateris ordinatarum, & parietibus æquali distantia additarum, procurrentium tamen ad integræ diametri suæ modulum extra ædificii ipsius superficiem. Quod si tantum quatuor columnæ per singulos angulos erant, tum tota structuræ illius altitudo in quatuor partes æquales erat divisa, quarum tres unicuique columnæ cum sua basi & capitello adscriptæ erant, quarta & suprema continebat epistylium, zophorum & coronidem: & si unumquodque parietis latus ornatum erat plurium B columnarum serie, ibi tum quatuor in singulis angulis singulæ columnæ more Attico quadratæ erant, & altæ erant sexies suam diametrum; intermediæ autem columnæ figura erant rotunda, hoc vel illo ordine Architectonico.

9. Supra hujus ædificii quadrati superficiem superiorem eminebat alia structura operis plane rotundi, quod dictæ superficiei medium occupabat locum, altitudine ad minimum dimidiæ suæ diametri, quandoque & duarum tertiarum sive bessis diametri suæ. Postea iterum super hoc ædificio rotundo exsurgebat alterum opus quadratum, super C quo altero quadrato, alterum denuo exstabat opus rotundum quarti & ultimi ordinis sive zonæ, super quo, ceu propria sede, collocabatur simulacrum sive statua defuncti, cujus honori Moles Sepulchri structa erat. Hæc Moles conspectum exhibebat amœnissimum, cum tres ordines superiores eadem haberent ornamenta, quæ moles infima. Adde his quinque aut sex gradus e lapide quadrato, per quos Moles adiri poterat, quique pro plano aggere erant toti ædificio. Accedant his loculamenta inter columnas ornata suis statuis, inscriptionibus, aliisque ornamentis, quæ hic silentio prætereo; & invenies profecto in ædificiis hisce Sepulchralibus artem, quæ animum possit D morari elegantiarum curiosum. Cæterum considera etiam altitudinem, cujus erant hæc ædificia solida, ut non sine caussa Virgilius *Molem* vocet *ingentem*, quam excitaverat optimo tubicini suo Miseno Æneas, ornatam insignibus boni & terra & mari militis, *Æneid.* VI. 232. *& seqq.*

At pius Æneas ingenti mole Sepulchrum
Imponit, suaque arma Viro, remumque tubamque
Monte sub aereo; qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.

10. Molem operis & structuræ magnitudine se-E quuntur *Pyramides*, quas nonnulli majorum Gentium Romani super sepulchra sua excitabant. Illis nomen dedit Græca vox πῦρ, quod flammæ instar in acumen sursum tenderent.

11. At talium operum acuminatorum, quædam rotunda erant, quædam angulosa. Rotunda latiorem basin habentes ad instar columnæ finiebantur paulatim sursum in acumen. Græci κώνους & Latini hinc *conos*, nostri *quille* vocant, quod nomen ortum debet formæ nucis pineæ aut cupressinæ, aliarumve arborum, quarum nuces ab ima parte latiore in summum surgunt acumen, quas Græci F proprie appellant κώνους.

12. Opera Acuminata angulosa iterum sunt vel ex uno eodemque lapide facta, vel ex pluribus composita. Illa *Obelisci*, hæc proprie *Pyramides* vocantur: de illis consule Plinium *H. N.* XXXVI. 8. *& seqq.* Talium operum primi inventores fuerunt Ægyptii, aut Memoriæ, aut Sepulturæ caussa. Primus omnium Mitres, Ægypti Rex, *Obeliscos* instituisse dicitur: post hunc Semnesertes Rex Obeliscum excidi curavit CXXV. pedum & dodrantis, præter basin & stylobatam; totum ex integro &

uno lapide, qui Obeliſcus omnium eſt maximus. A Seſoſtri alius exciſus eſt, hoc maximo novem pedibus minor. D. Auguſtus alterum, & poſtremum Romam advexit; quorum maximum in circi magni medio ſtatuit, minorem in Campo Martio. Tertius Obeliſcus exciſus eſt a Rameſſe, Ægyptiorum Rege, quem D. Claudius Imp. Heliopoli Romam advexit, qui integer ad noſtram permanſit ætatem: eum feciſſe dicuntur XX. millia hominum. Hunc reſtituit Sixtus V. Pontifex Maximus & alios nonnullos, poſtquam diu ſub antiquæ Romæ ruderibus jacuerant ſepulti.

13. Quod ad Pyramides, inter eas eminent tres in Ægypto conſpicuæ, quæ Orbem Terrarum implevere fama: quarum ampliſſima octo jugera obtinet ſoli, quatuor angulorum paribus intervallis, per IↃCCC. XXCIII. pedes ſingulorum laterum, latitudo a cacumine eſt pedum XXV. Alterius ſive mediæ intervalla ſingula per quatuor angulos pares IↃCC. XXXVII. pedes comprehendunt. Tertia minor prædictis CCCLXIII. pedibus inter angulos aſſurgit. Cæterum *Obeliſci* ſic dicti ſunt a nomine Ægyptio, quo *radius Solis* ſignificatur: Solis enim Numini ab Ægyptiis ſacrati ſunt. Alii *Obeliſci* vocem derivant diminutam a voce ὀβελος, quæ *veru* notat. Quamvis enim Obeliſci Ægyptii, ut ante ſingillatim ex eorum menſura apparuit, ſint ingentes & arduæ molis, tamen voce diminuta Ὀβελίσκοι dicti ſunt, comparatione facta ad *Pyramides*, quæ longe erant vaſtioris molis, quam Obeliſci. Præterea Pyramides exſtructæ erant lapidum myriadibus, & per gradus aſſurgebant, qui ad ſummum uſque cacumen aſcenſum admittebant; at Obeliſcus ex uno erat lapide exciſus, a baſi ad cacumen æquali laterum ſuperficie aſſurgens.

14. Ad Ægyptiorum imitationem Romani Pyramides ſupra Sepulchra ſua excitarunt, minori quidem mole, ſed ſimili figura & forma ſtructuræ, hac obſervata ratione, ut altitudo æqualis eſſet latitudini. Porro lineas angulares Pyramidum eo educebant artificio, ut cum Sol medio meridie ſumma æſtate eas illuſtraret, nullam de ſe projicerent umbram, quod radii ſolares ſecundum ſuperficierum longitudinem lateralem laberentur, eaſque omni ex parte colluſtrarent. Latera vero alia ſilices quadratos, alia lateres habebant. Viſuntur adhuc hodie Romæ Pyramidis ex marmore reliquiæ, quæ olim ſepulchrum fuit *C. Ceſtio* VII. *viro Epulonum*, cujus ſitum & figuram nobis depingunt Demontioſius & du Perrac, libris antea laudatis, proxime portam D. Paulli ad Viam Oſtienſem.

15. Quantum ad Obeliſcos, illorum ima ſedes fuit planities aut baſis quadrata per plures gradus facta, ſuper cujus area ſive plano erat ſtylobata quadrata ornata ſuis toris, ſupra quam Obeliſcus, ceu ſedem ſuam, poſitus eminebat, & in ſummo ejus cacumine plerumque affixus erat globus ex ære inaurato, ſuper quem defuncti, cujus honori ſacer erat Obeliſcus, aut etiam alicujus Dei Deæve, quem quamve priſci Gentiles colebant, ſtatua erat erecta.

16. De *Columnis* aliquid adjiciendum eſt, quæ vel Ædificiis publicis vel privatis ſerviebant; vel extra ædificii uſum ſeparatim factæ erant, memoriæ ad poſteros ſervandæ cauſſa; imo hæ quandoqueadeo vaſtæ & ingentes erant, ut nulli ædificio eſſent aptæ & commodæ. Tales quandoque erant, quæ ſuperſtruebantur Sepulchris defunctorum, quales ex ſequentibus conſtruebantur partibus. Primo præparabatur planities quadrata, inſtar podii pluribus gradibus, ſed numero impari, educti, in cujus medio collocabatur ſtylobata quadrata, & ſuper hanc alia minor ſtylobata, utraque ornata propriis toris, pro ordine Architectonico, ſecundum quem ſtructa erat. Nonnulli, ut operi majorem gratiam, & exſtantiam conciliarent, inter utramque ſtylobatam interponebant plinthidem majorem quadratam & æqualem, in cujus fronte externa, per quatuor latera, exſculpebantur variæ figuræ, ſive vitam & geſta defuncti exhibentes, ſive fabulam aliquam aut Hiſtoriam antiquam. Dehinc ſequebatur baſis impoſita ſuperiori ſtylobatæ, cui inſiſtebat ipſum columnæ corpus, quod Græci στῦλον vocant, ornatum ſuo capitello, & ſuper id epiſtylio, zophoro & coronide; tandem erat ſedes imaginis ſive ſtatuæ, quæ in ſummo operis cacumine collocata defunctum referebat, quantum fieri poterat, veritati æmula & naturæ proxima.

17. Hæ *Columnæ*, ratione magnitudinis, in tres ſpecies diſtingui poſſunt, *Magnas*, *Medias*, *Parvas*. Inter *Magnas* nonnullæ tam vaſtæ & ingentes occurrunt, ut cum Mauſoleis componi poſſint; unde etiam non niſi Principibus Viris dicantur. Imo narrante doctiſſimo Alberto *de Re Ædif.* VIII. 3. *Fuere, qui Columnæ altitudinem ad pedes centenos duxerint, totamque circum aſperam ſignis & rerum hiſtoria conveſtitam reddiderint, introrſuſque* (quod magis adhuc mirificum) *gradus ad cochleam ſcalpſerint, quibus ad ſummum uſque conſcendas*. Talis fuit Columna cochlis illa celeberrima, quæ opere anaglypto res geſtas Trajani & præcipue bellum Dacicum expreſſit, quam & figuris nitidiſſimis & doctiſſimis commentariis expoſuit Alfonſus Ciacconius in *Hiſtoria utriuſque belli Dacici*. Super tales Columnas ſolum imponebatur capitellum ordinis Tuſci aut Dorici, qui omnium ſunt ſimpliciſſimi, ſine ullo alio præterea ornamento: at in Columnis Mediocribus aut Parvis ſemper capitello addebantur epiſtylium, zophorus & coronis, & cætera ex artis lege ornamenta: In Magnis tamen, Mediocribus & Parvis in ſummo addebatur aliqua baſis pro collocanda, quæ placeret, ſtatua.

SECTIO XXXVII.

De duabus aliis ſpeciebus Sepulchrorum Mediocrium.

1. *Pilæ, Stelæ & Styli, vel* κίονες, *qualis ſpecies Sepulchri*. 2. *Arcæ, duplicis ſpeciei*. 3. *Poſterioris ſpeciei primum exemplum Romæ*: 4. *alterum Remis*: 5. *tertium Lutetiæ Pariſiorum*. 6. *Arcæ cur dictæ Sarcophagi*.

1. AD Sepulchra Mediocria quoque referemus *Pilas* & *Arcas*, quippe quæ non ſolum medii ordinis hominibus, ſed & Principibus, imo Imperatorum uxoribus pro Sepulchris fuerunt. Sunt autem *Pilæ* columnæ incertæ & irregulares, ſic dictæ, quod non habeant certum ex quinque illis Architectonicis ordinem, cum ſint nimis breves, craſſæ & amplæ. Hæ autem *Pilæ* ſunt vel *Rotundæ*, vel *Quadratæ*: Rotundæ Græcis κίονες aut στῦλοι, Quadratæ vero στῆλαι nominantur, teſte Philandro *ad Vitruv.* VI. 11. Hinc Plinius *H. N.* VI. 28. pilas quadratas e lapide appellat *ſtelas lapideas*. Prioris ſpeciei eſt denſa illa pila rotunda in Sepulchro Pacuvii, Poetæ antiquiſſimi, quod hodie adhuc Romæ viſitur, quale illud nobis depingit in *Monumentorum Sepulchralium* libro Tobias Fendt, Pictor & Sculptor Polonus. Pila illa tantum tres habet diametros imæ partis, & capitello tegitur Dorici ordinis.

2. *Arcas* quod attinet, earum quoque meminit hoc ſenſu Cajus Jc. *in l. 7. ff. de Religioſ. & ſumt*

fun. & alii Auctores. Sunt autem massæ quadratæ, in suprema parte apertæ & excavatæ in modum arcæ, unde & nomen habent. Harum duæ reperiuntur species, aut enim *Lateritiæ* sunt, aut ex *Marmore* fiunt. Magis communes sunt *Lateritiæ*, vel ex fragmentis lapidum, seu cæmentis. Multis in locis reperiuntur, præcipue in Campania nostra. Ipsemet inter alias vidi novem, longas senum, latas duorum pedum, quæ repertæ fuerant circa annum N. C. CIↃ. IↃCVI. in colle ad pagum & castrum *Neufulisii*, quod abest Remis sex leucas, ad Returnum fluvium; in quarum arcarum unaquaque ossa reposita erant mortui hominis, cum gladio ac prope sinistrum humerum addito vasculo figlino, pleno liquoris cujusdam oleosi, quem pro aqua lustrali, quam benedictam vocant, imperita plebs ibi habebat.

3. *Arcæ Marmoreæ* fiebant ex magnis massis quadrariis marmoreis, & quidem integris, quæ cœlo & scalpro excavabantur in locum, qui apte & commode contineret unius hominis aut plurium reliquias, una cum preciosis vestibus, monilibus, ac reliquo aureo gemmeove ornatu, quibus ibi sepultus, cum viveret, solebat delectari. Talis fuit, quam vidit & descripsit Marlianus *Topogr. Rom.* V. 21. & ex eo Gruterus *Inscr.* CCLXXXVII. 4. his verbis: *Romæ, in æde D. Petri, quæ hodie vocatur Sacellum Regis Francorum, cum pilæ ibi fundamenta foderentur, inventa est Marmorea Arca, longitudine pedum octonum cum dimidio, latitudine quinum, senumque altitudine, in qua conditam fuisse Mariam, uxorem Honorii Imp. apertissimi constitit argumentis. In ea Arca corpore jam absumto, aliquot tantummodo dentes superarant, capillique ac tibiarum ossa duo: prætereaque vestis & pallium; quibus tantum auri fuerat intextum, ut ex iis combustis pondo* XXXVI. *collecta sint. Erat insuper capsula argentea, longa pedem unum & semissem, latitudine digitorum* XII. *in qua vascula multa ex crystallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata, item annuli aurei* XL. *variis gemmis adornati. Erat & Smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod creditum est, ipsum Honorium referre. Is quingentis aureis nostratibus æstimatus est. Præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus bulla, earum, quas hodie Agnus Dei vocant; per cujus ambitum inscriptum erat:*

MARIA. NOSTRA. FLORENTISSIMA.

Laminaque ex auro: in ea hæc nomina literis Græcis cælata:

ΜΙΧΑΗΛ. ΓΑΒΡΙΗΛ. ΡΑΦΑΗΛ. ΟΥΡΙΗΛ.

Item veluti racemus ex Smaragdis aliisque gemmis consertus, & discriminale ex auro longitudine XII. *digitorum, inscriptum hinc:*

DOMINO. NOSTRO. HONORIO.
hinc: DOMINA. NOSTRA. MARIA.

Adhæc inerat sorex ex chelidonio lapillo, cochleaque & patera ex crystallo: ita pila ex auro, lusoriæ similis, sed quæ in duas partes dividi poterat. Innumeræ pœne aliæ inerant gemmæ, quarum etsi plurimæ vetustate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant.

4. Talis speciei Sepulchrum quoque est Remis, in Templo monasterii S. Nicasii, ex solido & uno marmore candido Arca, in qua sepultus fuit Jovinus, olim sub Constantini Filiis equitum magister & dux eximius, cujus meminit sæpius Ammianus Marcellinus, maxime XXVII. 1. Hic otio suo Remensem urbem deligens ibidem sibi commorationis caussa magnificas exstruxit ædes, & in quo etiam

A Sepulchri locum delegit, templum, sacrum SS. Martyribus Vitali & Agricolæ, quod postea S. Nicasio dedicatum est. Hæc Arca inter pulcherrima Sepulturæ per Gallias antiquæ est opera: longa est octo pedes & bessem, lata tres & dodrantem, alta quatuor pedes & dodrantem. Operculo demto in cavitatem patet pedes quatuor, fundusque dividitur in tres partes per duo quasi tignorum capita distinctas, quarum unaquæque variis ossibus plena est, sibi invicem ordine superpositis. In fronte cælata est opere anaglypto eminentiæ plenæ, & ostentat insignem venationem alicujus aut Imperatoris aut Viri Illustris Romani; qui eques ibi visitur, pilum magno impetu dejiciens in vastum
B leonem, jam transfixum pilo, quod a jugulo per sinistrum latus inter costas exit cuspide sua. Circum istum equitem plures alii sunt equites; quorum duo, ad dextrum latus marmoris, videntur esse Meleager & Atalanta; quandoquidem in Veterum Monumentis sæpe exhibetur apri Calydonii venatio, uti docet Claudius Guichartus libro Gallico *de Funeribus* (*des Funerailles*) *pag.* 119. Plurimæ feræ tanquam cæsæ sparsim hinc inde jacent, & ornatum operi addunt. Reverendus Colinus, Ecclesiæ Metropolitanæ Remensis Canonicus & Thesaurarius, qui nobis Gallice dedit omnia Gra-
C natensis opera, Latina & Hispanica, Vir in re nummaria antiqua & prisci ævi reliquiis versatissimus, sæpe mihi retulit, se existimare, exhibitam in elegantissimo isto marmore venationem, esse illam Hadriani Imp. peractam in Libya Ægypto vicina, in qua ipse Imp. sua manu occidit terrificum & cuncta vastantem leonem; cujus rei adferebat idem doctissimus Colinus verosimiles satis conjecturas ex Historia Romana petitas; ut ex Spartiano *in vit. Hadriani c. ult. Armis & pilo se semper exercuit. Venatu frequentissime Leonem manu sua occidit*: item ex Athenæo *Deipnosophist. l.* XV. *p.*
D 577. qui singillatim *leonis* meminit *Maurusii*, & ait Poetam quendam ejus ætatis Pancratem Hadriano obtulisse herbam ab indigenis *lotum* dictam, quæ novo quasi miraculo in roseum mutata sit ruborem, adulatoria vanitate Imperatori ut persuaderet, istam coloris mutationem accidisse, quod *lotus* tincta & adspersa fuisset vasti illius leonis sanguine; nominanda in posterum hinc *Antinois*, ab *Antinoo* Hadriani Ganymede, ut tanto scilicet magis celebraretur, si tam nomen, quam colorem mutasset. Has conjecturas porro confirmare videtur, quod in marmore dicto juxta leonem conspiciantur duæ figuræ hominum nudorum macilen-
E torum, carne sua spoliatorum, labiis crassioribus & capillis crispa lanugine tortis, quales fere sunt Mauri in Africa; nec non juxta equitem, qui Leonem conficit, adstet nudus puer, manu gestans galeam, ut videtur, Principis. Hic forsan est Antinous, qui Hadriano usque adeo fuit in deliciis, ut sæpe ipsemet eum niveo marmore expresserit; nam hic Imperator *Atheniensium studia moresque hauserat*, Aurelio Victore teste *in Epitom. in Hadrian. non sermone tantum, sed & cæteris disciplinis canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictor ex ære, ex mar-*
F *more proxime ad Polycletos & Euphranoras*. Sane conjecturæ hæ vero perquam similes & eruditæ, rem ita esse, mihi fere persuasissent, cum ipse super hæc Dio Xiphil. *l.* LXVIII. testis sit, hunc Imp. *tanti laboris fuisse, ut suem eximiæ magnitudinis manu sua occiderit*, & in hoc ipso marmore, de quo agimus, spectetur ingens aprugnum caput juxta Principem, id quod hanc Dionis narrationem firmat: ut taceamus & illius Principis & Comitum vestem pro more prisci illius ævi Romanam. At cum abhinc biennium lubido me ceperit, uti con-

ferrem plures Hadriani nummos cum ea figura marmoris, quæ Hadrianum exhiberet, reperi illum in omnibus nummis barbatum, at in hoc marmore imberbem. Hæc res ſtatim aſſenſum noſtrum inhibuit, tanto magis, quod ipſe Dio *l. l. in Trajani rebus*, cum nummis conveniat; diſerte enim ait: *Ἀδριανὸς γὰρ πρῶτος γενειῶν κατέδειξεν*, *Hadrianus enim primus barbam nutrivit*. Hoc unum contrarium videtur eruditæ & ſatis alias veroſimili opinioni atque non uno tibicine fultæ Clariſſimi Colini ſuper figuris Arcæ hujus marmoreæ anaglyphis. Verum enim vero ſunto ſeu Hadriani, ſeu alius, neſcio cujus, Principis figuræ; illud ſine dubio ullo eſt, eas eſſe arte tam exquiſita elaboratas, ut omnes Pictores, Sculptores, aliique elegantiarum curioſi, qui tranſeunt Remos, cum eas ſpectant & luſtrant, oculos vix poſſint inde avocare, & ultro profiteantur, nihil ſibi ſimile per omnes Gallias eſſe viſum.

5. Talis item Arca e Marmore candido alabaſtrite, quam tertii exempli loco adferimus, circa annum hujus ſæculi undevigeſimum in Templo Abbatiali S. Genovefæ, Lutetiæ Pariſiorum, ad fundamenta Chori, e regione cœnobii, reperta. Longa eſt pedes ſex & ſemiſſem, lata tres, alta duos & beſſem. In latere anteriore undecim figuræ humanæ, plena enimentia, aliæ nudæ more Græcanico veſtitæ viſuntur, nulla inter has equeſtris. Harum elegantiarum curioſi putant exhiberi hic apri Calydonii venationem; & ſane medius omnium videtur eſſe Meleager: brachium ejus dextrum diffractum eſt, quo, ut vero eſt ſimile, pilum in aprum ſetoſum fulmineo impetu in ſe ruentem contorſit. Proxime illum Meleagrum fœmina viſitur comta priſcum in morem, levi cyclade tunicata & venatricis in modum ſuccincta, ad inſtar Dianæ. In imo humi cernuntur homo proſtratus, & feræ nonnullæ cæſæ. In latere dextro Arcæ apparent duæ figuræ humanæ proſtypæ, dimidia eminentia, & humeris ſuis ex haſtilibus ſuſpenſa ferentes retia alter poſt alterum. Ad ſiniſtram eodem opere Venator conſpicitur vertagum ad curſum dimittens. Tota figurarum ſymmetria & capillamenta nonnihil Gothici operis referunt; ſic ut putem hoc opus poſt Conſtantinos factum, cum Sculpturæ ars jam declinaret in deterius

6. Hiſce Arcis condebantur olim oſſa aut reliquiæ hominum honeſtioris ordinis, teſte Caſſiodor. *Variar.* III. 19. ubi Theodoricus Rex Danieli marmorario, ſcribit: *Artis tuæ peritia delectati, quam in excavandis atque ornandis marmoribus diligenter exerces, præſenti auctoritate concedimus, ut te rationabiliter ordinante diſpenſentur Arcæ, quæ in Ravennati Urbe ad recondenda funera diſtrahuntur, quarum beneficio cadavera in ſupernis humata ſunt lugentium non parva conſolatio*: & paucis interjectis: *Hinc quibuſdam veniunt ad precium dolores, & miſerabili ſorte votorum creſcit mercantibus de humana morte compendium, ita tamen, ut non ſit iniquitas ſub hac occaſione taxata: ne cogantur miſeri inter acerba luctuum gravia plorare diſpendia facultatum; & nefanda devotione conſtricti, aut urgeantur patrimonia pro mortuis prodere, aut delicta corpora viliſſimis foveis potius dolentes abjicere*. Lapides hi excavati etiam *Sarcophagi*, quod mortuorum corpora conſumerent, dicti: ſic in Inſcr. ſepulchri ad Viam Appiam *ap. Gruter.* CIƆXLI. 14.

D. M. S.
C. CAERELLIO. C. F. FAB. PVLCHERIANO
SABINO. VIX. AN. LXXI. M. IIII. D. VIII. H. VII.
C. CAERELLIVS. RAVCVS. SABINVS. SARCO
PHAGVM. FECIT. MARMOREVM. VI. NONAS. MAI
M. JVNIO. SVLLANO. ET. L. NORBANO. BALBO
COS. H. M. D. M. A.

SECTIO XXXVIII.

De Sepulchris Plebeiis & Vulgaribus.

1. *Irriſio aut indignatio, ſi Sepulchra hominum infimi ordinis magnifica eſſent, aut ſuperbas oſtentarent inſcriptiones.* 2. *Sepulchra Plebis & Vulgi, eorumque nomina.* 3. *Solonis lex de modo Sepulchri.* 4. *Cippi, quæ Sepulchra:* 5. *quid Menſæ,* Τράπεζαι, Τύμβοι, *Ponere Menſam.* 6. *Labellum,* Πύελος *quid.* 7. *Plures Sepulchrorum, aut partium in his ſpecies, earumque nomina a rebus, quibus ſimiles erant.* 8. *Labrorum, ſive Labellorum ſpecies, Arca, Arcula; harum deſcriptio.*

1. QUemadmodum Viris ſummis & principibus decora & honorifica erant magnifica Sepulchra, Medii ordinis Patriciis & Equitibus mediocria, ita e contrario irridebant aut indignabantur, ſi plebeii & infimi ordinis homines ab obitu conderentur Sepulchris magnificis & ſumtuoſis, & majori ornatu, quam qui pro ipſorum loco eſſet: hinc in Satyris nati aculei contra Licinum, Auguſti barbitonſorem, cujus Sepulchrum altero ab Urbe lapide in Via Salaria invidiam faciebat ſummorum Quiritium ſepulchris: indignatur hanc rem Varro Atacinus ſequenti diſticho, *in Catalect. Epigram. Vett. l.* III. *p.* 74.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo. Credimus eſſe Deos?

Tale etiam fuit Pallantis, Claudii Imp. liberti ad Viam Tiburtinam Sepulchrum uno ab Urbe lapide, hac arrogantia & ſuperbia inſcriptum, *teſte Panvin. in Urb. Roma*:

TI. CLAVDIVS. AVG. L.
PALLAS
HVIC. SENATVS. OB. FIDEM
PIETATEM. QVE. ERGA. PATRONOS
ORNAMENTA. PRAETORIA
DECREVIT. ET. HS. CENTIES.
QVINQVAGIES. CVIVS. HONORE
CONTENTVS. FVIT

2. Cæterum Cives Romani e plebe Sepulchra fere habebant non adeo ſplendida, & ſuo ordini convenientia. Eorum plures erant ſpecies & formæ ad Vias Publicas, quarum nomina: *Columellæ, Menſæ, Saxa, Cippi, Labella, Cupæ, Dolia, Maſſæ, Ollæ, Oſſuaria, Urna, Urnulæ, Ampullæ, Phialæ, Thecæ, Culignæ, Laminæ*, de quibus videatur etiam Gutherius *de Jure Manium lib.* II.

3. Verum cum Athenis aliiſque per Græciam locis luxus & profuſio circa Sepulchra invaleſceret, Solon ſumtibus legem dedit. *Sepulchris enim novis finivit modum: nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat*, ut teſtatur Cicero *de Legib.* II. 26. Solonis, inquam, lex iſta fuit, mox enim Cicero ad Atticum *l. l.* adjungit: *Hæc igitur Athenienſes tui*: quibus verbis certe Solonem Athenienſium Nomothetam innuit; non Pittacum, e Lesbo Mitylenæum: mentionem equidem ibi facit Cicero Pittaci, ſed obiter & in tranſitu, cum oſtendit, etiam Pittacum vetuiſſe, quemquam accedere in funus aliorum; hinc non immerito a Solone ſublatam eſſe in funeribus celebritatem Virorum & Mulierum, quo lamentatio minueretur: habet enim luctum concurſus hominum, unde apparet hanc legem cæteris Solonis legibus, de quibus *l. l. c.* 25. & 26. agitur, accen-

fendam, queis idem fanxit: ne quis Sepulchrum faceret operofius, quam quod decem homines efficerent triduo, neque id opere tectorio exornaret, nec Hermas, quos vocant, imponeret; ne ex agro culto, eove, qui coli poffit, ulla pars fumeretur fepulchro, fed quæ natura agri tantummodo efficere poffit, ut mortuorum corpora fine detrimento vivorum recipiat, ea potiffimum ut compleatur; quæ autem terra fruges ferre, & , ut mater, cibos fuppeditare poffit, eam ne quis minueret, neve vivus, neve mortuus.

4. Sed redeamus ad Sepulchra Plebeja, quorum nomina paullo ante recenfuimus. Ut eorum appareat differentia, verbum adjiciamus. *Columellæ* ergo, ut hinc ordiamur, erant, quod vox ipfa fonat, parvæ columnæ, fere fimiles *Cippis*, hac tantum diverfitate, quod *Columellæ* effent rotundæ, *Cippi* quadratæ aut incertæ figuræ, de *Columellis* intelligendus Propertius *Elegiar.* III. 22. *vf.* 23.

I Puer, & citus hac aliqua propone columna,
Et Dominum Efquiliis fcribe habitare tuum.

Ubi notandum, Exquilias fuiffe locum extra Portam Efquilinam, ubi pauperum viliumque reliquiæ fepeliebantur, & fceleratorum cadavera canibus projiciebantur; nam, ut cum Horatio dicam *Satyrar.* I. 8. *vf.* 10.

Hoc miferæ plebi ftabat commune Sepulchrum,

ut ibidem oftendit Venufinus Vates, & ejus Scholiaftes Porphyrius *ad Epod. od.* V. *vf.* 99.

Poft infepulta membra different lupi,
Et Efquilinæ alites.

5. Quod ad *Menfas*, quas Græci Τραπέζας vocant, attinet, eæ erant lapides quadrati, longiores, quam latiores, Sepulturæ loco impofiti, five ad fummam foli fuperficiem, five fuper quatuor lapidea fulcra, aut, ut fic loquar, tibicines & podia, alta pedes admodum tres duofve. Tale Sepulchrum noftri Francogalli appellant *Tombe*, a Græca voce Τύμβος, quæ proprie notat *Sepulchrum* aut *Sepulturam* generatim, quamvis Cicero *de Legib.* II. 26. eam reddat voce *bufti*, quia fæpius, ubi ufta erant corpora, ibidem quoque fepeliebantur, qui locus una cum defuncti cineribus dicebatur *buftum*. Sic quemadmodum Latini generatim in Sepulchrorum omnis generis ftructura & ædificio verbo *ponendi* utuntur, ita fpeciatim dicunt *ponere menfam*. Exempli loco efto hæc Inscriptio, quæ exftat Mediolani in Cœnobio Monachorum D. Ambrofii, *ap. Gruter.* IↃCCCL. 6.

M. M.
MINVCIAE. RVFINAE
INNOCENTISSIMAE. FEMINAE
QVAE. VIXIT. ANNIS. XXII.
MENSE. VNO. DIEB. XXIIII.
MINICIA. DOMITIA. SORORI
POSVIT. MENSAM. CONTRA
VOTVM.

6. *Labellum* erat lapis excavatus in formam labri, aut crateris ad fontem, quod alias etiam *Arca* vel *Arcula* vocatur; illud & Græci in re Sepulchrali vocant πύελον. Plurima enim vafa refervandis defunctorum reliquiis deftinata nomen habebant a rebus, quibus erant fimiles.

7. Hinc illa nomina *Cupa*, *Dolium*, *Maffa*, *Olla*, *Urna*, *Urnula*, *Phiala*, & nonnulla alia; quæ non tam fepulchra integra, quam horum partes, & vafa, quibus cineres corporum more Græco aut Romano uftorum recondebantur, fignificant: quæ tamen nihilominus fubinde feparatim fepulchrum fepulturamve tenuioribus præftabant.

8. Sed *Labra* vel *Labella*, ut ad illa redeamus, alia erant formæ exacte rotundæ, alia ovatæ, alia quadratæ. Quadratæ vocabantur, *Arcæ*, vel *Arculæ*, a fimilitudine, qua referunt Arcas Sepulchrales, de quibus fupra *fect. præced.* §§. 2. 3. 4. 5. 6. egimus; his enim per omnia fere fimiles erant, nifi quod quatuor latera *Labelli* externa non effent ad perpendiculum directa, fed primum in fumma parte contractiora & quafi finuata in toto ambitu, referentia eam figuram, quam in Architectura hodie *Gulam*, vel *Gululam* appellant: deinde paullatim hinc rotundo tumore defcendentia, & circa medium denuo declinantia & definentia in ventrem imum plane corrotundatum; quod opus plerumque fuftineri folet quatuor pedibus leoninis, aut alterius feræ aut fævæ beftiæ pedum forma.

SECTIO XXXIX.

De Sepulchrorum Infcriptionibus apud Veteres.

1. *Sepulchrorum Titulus, Infcriptiones, Epitaphia:* 2. *Breviffima babita pro elegantioribus: exempla.* 3. *Quinque Infcriptionum genera tam foluta dictione, quam verfu. Primi generis exempla:* 4. *Alterius, Sympatheticæ & commiferationis plenæ:* 5. *Tertii generis, Encomiafticæ, five ad laudem defuncti, quæ maxime in ufu.* 6. *Quarti generis, Ridiculæ; exempla. Ænigmaticæ; exemplum.* 7. *Quinti generis, Infames & ad ignominiam; exempla.* 8. *Literæ D. M. S. quid notent.* 9. *Infcriptiones morales, five Gnomologicæ, quibus defuncti nomen deeft.* 10. *Lipfius Infcriptionum Sepulchralium diverfitatem laudat.*

1. SUpra *Sect.* XXXV. §. 1. diximus, ea, quæ Viatorum oculos in Veterum ad Vias Sepulchris allicere & remorari poffent, duo hæc effe, *Formam Operis* & *Titulum* five *Infcriptionem*. Hactenus pro virili Formam & Figuram Sepulchrorum perfecuti fumus; reftant Titulus operis, five Sepulchrorum Infcriptiones, quas vulgo nominamus *Epitaphia*, a voce Græca τάφος, quæ proprie *fepulchrum* notat, quafi diceres Sepulchro infcriptionem additam, quæ eft fpecies Επιγράμματος, quo nomine Græci omne genus Infcriptionum comprehendunt.

2. Hæc Epitaphia fiebant aut foluta dictione, aut ligata, aut utraque: qua vero cunque forent dictione, breviffima habebantur optima & eleganttiora, ut Viator in tranfitu & obiter ab initio ad finem ea commode perlegere poffet. Hinc Cynthia apud Propertium *Elegiar.* IV. 7. *vf.* 85.

Hoc carmen media dignum me fcribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab Urbe legat.

Hinc & Plato loco, quem fupra *Sect.* XXXVI. §. 1. attulimus, vult e lapide nec excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incifam *quatuor heroicis verfibus*. Tale fane fuit Ennii Poetæ ad Viam Appiam Epitaphium, cujus etiam monumentum *in Monum. Sepulchral.* exhibet Tobias Fendt, hoc ornatum ipfius Ennii tetrafticho; (ex *Cic. Tufc. Qu. l.* 15.)

Afpicite, o Cives, fenis Ennii imaginis formam,
Hic veftrum panxit maxuma facta Patrum.
Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito vivus per ora Virum.

A Tale & fuit, sed alio versuum genere, Nævii, Poetæ veteris, Epitaphium plenum superbiæ Campanæ, quod recenset Gellius *N. A.* I. 24.

Mortaleis Immortales flere si foret fas,
Flerent Divæ Camœnæ Nævium Poetam.
Itaque, postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romæ loquier Latina lingua.

Soluta autem dictione, Epitaphia reperiuntur tam longa, quam brevia, innumera, quorum exempla, huc congerere opus non est. Suffecerit unum T. Livii, quod adhuc Patavii visitur, sub imagine T. Livii, sub introitum porticus ad Curiam (ap. Gruter. *in Spuriis* XIII. 5.) his verbis:

B

OSSA.
T. LIVII. PATAVINI. VNIVS. OMNIVM.
MORTALIVM. IVDICIO. DIGNI. CVIVS.
PROPE. INVICTO. CALAMO. INVICTI. P.R.
RES. GESTAE. CONSCRIBERENTVR.

3. Harum vero Inscriptionum Sepulchralium, sive versu, sive soluta dictione essent, quinque erant præcipua genera, ad quæ commode omnes referri possunt. Primum genus est, cum continentur tantum defunctorum nomina, vitæ ætas definita per annos, menses, dies; item dies e-
C mortualis: Alterum est earum, quæ plenæ sunt doloris & commiserationis: Tertium est Encomiasticarum, quæ laudes defuncti continent: Quartum, Joculares & Ridiculæ: Quintum, Infames & ignominiosæ. Quarum omnium aliqua proponemus exempla. Primi ergo generis exempla sunto hæ duæ Inscriptiones Sepulchrales, ex Tobiæ Fendii *Monum. Sep.* (& Gruter. *in Spuriis* XXIV. I.) Romæ:

INFER. D. DEAB. Q.
C. VIBIVS. ADVLESCENS
INTEMPERATO. AMORE
PERCITVS. PVTILLIAE
D SEX. PVELLAE. GRATISS. QVOD
ALTERI. VLTRO. TRADIT
NON. SVSTINENS. CRVENTO
GLADIO. SIBIMET. MORTEM
CONSCIVIT. VIX. ANN. XIX.
M. II. D. IX. HORAS. SCIT. NEMO

Altera est ibidem (*retro stabulum Vicecancellariæ Apostolicæ, ap. Gruter.* IϽCLXXXIX. 4.

C. JVLIVS. HERMIA
EPHOEBO. DVLCISSIMO
E FILIO. SVO. VIXIT. AN. III.
ORCVS. ERIPVIT. MIHI. IN
QVO. SPES

4. Alterius generis, quod Sympatheticum vocare liceat, esto hoc specimen doloris & commiserationis plenum, *ex Fendii l. l. Gruter.* IϽCVII. 4. *Romæ in urna marmorea quadrata*; (*Fabric. Monum. Antiq.* II. I. *p.* 69. & Boissard. *Antiq. Rom. l.* III. *p.* 83.) in medio urnæ latere anteriore legitur:

ATIMETVS. PAMPHILI
TI. CAESARIS. AVG. L. L.
F ANTEROTIANVS. SIBI
ET. CLAVDIAE. HOMONOEAE
COLLIBERTAE. ET
CONTVBERNALI

Η πολυ σειρηνον λιγυρωτερη, η παρα Βακχωι
Και θοιναις αυτης χρυσοτερη Κυπριδος,
Η λαλιη φλυαρη τε χελιδονος, ενθ Ομονοια
Κειμαι Ατιμητωι λειπομενη δακρυα,
Τωι πελον ασπασιη, βαιης απο. την δε τοσαυτην
Δαιμων απροιδης εσκεδασεν φιλιην.

PERMISSV. PATRON.
IN. FRONTE. LONGVM. P. V. LAT. P. IV.

In latere dextro, sub persona Atimeti legitur ad Uxorem:

Si pensare animas sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus:
Quantulacunque meæ debentur tempora vitæ
Pensarem pro te, chara Homnœa, libens.
At nunc, quod possum, fugiam lucemque deosque,
Ut Te matura per Styga morte sequar.

Et sub persona Homonœæ ad Maritum:

Parce tuam Conjux fletu quassare juventam,
Fataque mœrendo sollicitare mea.
Nil prosunt lacrimæ, nec possunt fata moveri;
Viximus, hic omnes exitus unus habet.
Parce, ita non unquam similem experiere dolorem:
Et faveant votis Numina cuncta tuis:
Quodque mihi eripuit mors immatura juventæ,
Id tibi victuro proroget ulterius.

At in latere sinistro, sub persona Homonœæ legitur:

Tu qui secura procedis mente, parumper
Siste gradum, quæso, paucaque verba lege:

de se jam ipsa narrat:

Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonœa brevi condita sum tumulo.
Cui formam Paphia, & Charites tribuere decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas compleverat annos,
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsa
Mœror Atimeti conjugis ille mei.

Tandem claudit Mariti aut Viatoris votiva apprecatio:

Sit tibi terra levis, mulier dignissima vita,
Quæque tuis olim perfruerere bonis!

5. Plurima vero Epitaphia erant Encomiastica, & dedicata laudibus eorum, quorum erant sepulchra. Supervacaneum foret recensere exempla, cum innumera exstent in Antiquarum Inscriptionum Syllogis, & vulgo etiam exstent.

6. Ridicula & Jocularia Epitaphia tam frequentia non erant. Ridiculorum unum alterumve apponam hic exemplum, & quidem primum ex Fendii *Mon. Sepulchr.* Alberti *de Re Ædif.* VIII. 4. (Grutero *in Spur.* XVIII. I.)

DIS. MANIBVS
HEVS. VIATOR. PAVLISPER. CONSISTE
MIRACVLVM
HIC. VIR. ET. VXOR. NON. LITIGANT
QVI. SIMVS. NON. DICO
AT. IPSA. DICAM. HIC. BAEBIVS
EBRIVS. ME. EBRIAM. NVNCVPAT
NON. DICO. AMPLIVS
HEI. VXOR. ETIAM. MORTVA. LITIGAS

Alterum, Heliodori, ex Fendii *l. l.* & *Gruter. in ſpur.* xv. 4. quod Gadibus eſſe dicitur : A

D. M. S.
SI. LVBET. LEGITO.
HELIODORVS. INSANVS. CARTHAGINIENSIS. AD.
EXTREMVM. ORBIS. SARCOPHAGO. TESTAM. ME. HIC.
JVSSI. CONDIER. VT. VIDEREM. SI. ME. QVISPIAM. IN
SANIOR. AD. ME. VISENDVM. AD. HAEC. VSQVE. LOCA. PENETRARET. B

Erant etiam Epitaphia Aenigmatica, quale eſt celebre illud, quod Bononiæ exſtare *l. l.* dicit Fendius :

AM. PP. D.
AELIA. LAELIA. CRISPIS.
NEC. VIR. NEC. MVLIER. NEC. ANDROGYNA.
NEC. PVELLA. NEC. JVVENIS. NEC. ANVS.
NEC. CASTA. NEC. MERETRIX. NEC. PVDICA.
SED. OMNIA.
SVBLATA. NEQVE. FAME. NEQVE. FERRO. NEQVE. VENENO. C
SED. OMNIBVS.
NEC. COELO. NEC. AQVIS. NEC. TERRIS.
SED. VBIQVE. JACET.
L. AGATHO. PRISCVS.
NEC. MARITVS. NEC. AMATOR. NEC. NECESSARIVS.
NEQVE. MOERENS. NEQVE. GAVDENS. NEQVE. FLENS.
HANC. NEC. MOLEM. NEC. PYRAMIDEM. NEC. SEPVLCRVM.
SED. OMNIA.
SCIT. ET. NESCIT. CVI. POSVERIT. D
HOC. EST. SEPVLCHRVM. INTVS. CADAVER. NON. HABENS.
HOC. EST. CADAVER. SEPVLCHRVM. NON. HABENS.
SED. CADAVER. IDEM. EST. ET. SEPVLCHRVM. SIBI.

Ad Epitaphia Jocularia referri quoque poſſunt nonnulla brutorum Epitaphia, quale eſt Mulæ a P. Craſſo poſitum, eleganti alluſione & lepida detorſione vocum ad rem ſepulchralem, quod habet Thomas Porcacius *de Funerib. Antiq. l.* III. & Gruterus *in ſpuriis*. XVII. 3. E

DIS. PEDIBVS. SAXVM.
CINCIAE. DORSIFERAE. ET. CLVNIFERAE. VT. INSVLTARE.
ET. DESVLTARE. COMMODETVR. P. CRASSVS. MVLAE. SVAE.
CRASSAE. BENEFERENTI. SVPPEDAMENTVM. HOC. CVM.
RISV. POSVIT. VIXIT. ANNOS. XI.

7. Epitaphiorum infamium & ignominiæ cauſſa ſcriptorum exempla ſunto, primum ex Fendii *l. l.* quod Ravennæ exſtare dicit : (at Gruter. *in ſpuriis*. XVII. v. *Romæ in Eſquilino ad S. Martini de montibus* :) F

F. I. DICAT.
CINERES. ET. OSSA. LAODICEAE. PHILOCAPTAE.
HIC. SITA. SVNT. PERPETVAE. MEMORIAE. FACTI.
ET. INFAMIAE. CAVSSA. QVAE. INSATIABILI. VENERE.
EXHAVSTA. SVBTER. VIVO. VIRO. MORTVA. EST.
VIXIT. ANN. XXIII. MENS. VIII. D. III.
INFELICISSIMI. PARENTES. TACITO. NOMINE.
EXTRA. SORTEM. AD. RVDERA. POSVERE.
O. VORAGINEM. ESVRIENTEM.
S. S. S.
EST F. F. F. F. F.
R. R.

Alterum ex *l. l.* Fendii, qui Beneventi exſtare ait : (at Gruterus IↃCCCC. 6. *Romæ* :)

PONTIA. T. PONTII. FILIA. HIC. SVM.
QVAE. DVOBVS. NATIS. A. ME. VENENO. CONSVMTIS.
AVARITIAE. OPVS. MISERAE. MIHI. MORTEM. CONSCIVI.
TV. QVISQVIS. ES. QVI. HAC. TRANSIS. SI. PIVS. ES.
QVAESO. A. ME. OCVLOS. AVERTE.

8. Plerumque ſepulchralibus inſcriptionibus initio præmittuntur hæ tres literæ D. M. S. aut hæ duæ D. M. quæ notant *Diis Manibus Sacrum* aut *Diis Manibus*, quo ſignificabant ſepulchrum ipſum & locum, in quo erat, *Diis Manibus* ſive inferis eſſe Sacrum & Defunctorum Manibus: aliquando hæ literæ ſingulares, aliquando vocibus integris, aut dimidiatis exarantur, ut in ſequenti Epitaphio, ubi dimidiatis partim, & ſoluta dictione & diſticho inſcriptio eſt *ap. Gruter.* IↃCCXXVI. I. *in hortis Mediceis*.

DIS. MAN.
CLAVDIAE. LEPIDILLAE.
EX. PROVINCIA.
BELGICA. AMBIANAE.
FECERVNT. LIBERI.
EIVS. LEPIDVS. ET
TREBELLIVS. MATRI
OPTIMAE
HIC. MATRIS. CINERES
SOLA. SACRAVIMVS. ARA
QVAE. GENVIT. TELLVS. OSSA.
TEGET. TVMVLO.

9. Erant etiam ſepulchra, non inſcripta defunctorum, quorum cauſſa erant facta, nominibus, ſed gnoma aut eleganti quadam & morali ſententia, quæ vivos exhortaretur aut admoneret ad Virtutem, ut in ſequenti apud Fendium *l. l.* inſcriptione :

NVLLI. PRAECLVSA. EST. VIRTVS.
OMNIBVS. PATET.
NON. QVAERIT. DONVM. NON. CENSVM.
SED. NVDO. HOMINE. CONTENTA. EST.

10. Verum nobis integrum libri opus foret conſcribendum, ſi cætera Epitaphia ad certa & peculiaria genera vellemus revocare. Qui horum ſunt curioſi, adeant Syllogas inſcriptionum Veterum Smetii, Lipſii, Panvini, Fendii, Gruteri & aliorum. Concludam verbis doctiſſimi Lipſii *de Magnit. Rom.* III. 10. *Præcipuus Viarum ornatus, ſi non in uſu, at ſplendore & voluptate fuit, quod Monumenta & ſepulchra paſſim ad viam aſſita, & latus utrumque prætexebant. Quam pulcher ille aſpectus viantibus? quanta & ſeriorum & jocorum materies? Illic illuſtrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria*

ria & inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum superba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erat: & quid in tot titulis & inscriptionibus pasci? Quædam enim a meliori ingenio & scitæ; quædam aliqua nota aut inventiuncula spectabiles.

SECTIO XL.

De Ædificiis profanis, quæ vias publicas extra Urbem ornabant.

1. *Ædificia profana vel Publica sunt vel Privata. Publicorum nomina.* 2. *Arcuum Triumphalium origo & eorum ornamenta.* 3. *Arcus Triumphales in viis celeberrimis exstructi.* 4. *Arcus Triumphalis in honorem victorum fiebat aut subitaneus e lignis, aut permanens ex lapide.* 5. *Arcus dedicati nonnullis Imperatoribus.* 6. *Exempla Arcuum Triumphalium prope portas Urbium in Italia erectorum:* 7. *Et in Provinciis: exemplum duorum Arcuum prope portas antiquas Urbis Remorum.* 8. *Descriptio prioris.* 9. *& posterioris.* 10. *Ab his duobus Arcubus Viæ Publicæ ibi initium habent. Ornamenta eorum per temporis injuriam disturbata.* 11. *Arcuum Triumphalium in Via Publica situs, ab aliis ædificiis & structuris differens.*

1. HActenus egimus de Ædificiis sacris & religiosis, quæ Vias Publicas per agros utrimque cingebant & ornabant: veniendum nunc erit ad Ædificia profana, quæ vel Publica sunt, vel Privata: in has enim duas species ea disponemus. Publica Ædificia profana erant varia & complura, quæ Viis Publicis tam in Urbe, & quam extra Urbem ornandis destinabantur. In Urbe præcipue erant *Fora*, *Basilicæ*, *Curiæ*, *Senacula*, *Theatra*, *Amphitheatra*, *Circi*, & alia, ad quæ veniemus singillatim, cum persequemur Urbis Romæ Vias Militares *l.* v. *sect.* 7. Quantum ad *Arcus Triumphales*, illi tam intra Urbem, quam extra eam erigebantur in Viis Publicis: unde ad hos separatim hoc loco accedemus & non nihil subsistemus; nam præcipue ad Viarum Publicarum extra Urbem ornamenta fuerunt erecti, quamvis eorum prima inventio & origo fuerit intra Urbem, & hinc extra eam fuerint progressi.

2. Conjici hoc potest ex Arcuum Triumphalium forma: sunt enim instar portarum Urbis, sine valvis, semper apertarum, vel, ut ait Albert. *de Re Ædific. Est Arcus Triumphalis veluti perpetuo patens porta.* Vero valde est simile, harum structurarum originem deberi Regibus aut Imperatoribus Romanis, qui Urbem amplificarunt, ejusque pomœrium protulerunt. Neque tamen promiscue cuivis Magistratui aut Imperatori jus fuit proferendi pomœrii, sed illi solum, qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerat. Nam ex auctis & amplificatis ac prolatis Imperii terminis oriebatur jus dilatandi pomœrium Urbis. Jam vero pomœrium proferentes non deturbabant aut demoliebantur portas priores, quæ potius majori securitati relinquebantur, ut hostilem ingruentem furorem ceu objecto vallo sisterent; cumque portæ essent locis celebrioribus, quod Viæ urbanæ proxime portas soleant plerumque latiores & pulchriores esse, hinc spolia bellica ab hoste capta, insignia victoriæ, &, uno verbo, *Tropæa*, super istis portis fuere collocata & suspensa. Paullatim deinde eadem Tropæa cœperunt ex lapide aut marmore sculpi, addique his statuæ, item bigæ aut quadrigæ triumphales, victoriæ alatæ; accesserunt denique inscriptiones, velut interpretes, in honorem & memoriam illorum, quibus Arcus erant dedicati. Namque ad imitationem portarum, quas sola antiquitatis memoria servabat, novæ fieri cœperunt, quæ vocabantur *Arcus Triumphales*: *Arcus*, quod lunato fornice sive arcu essent; *Triumphales*, quod illis maxime erigerentur, quibus honor & jus Triumphi erat decretus. Plerumque erigebantur in Viis Publicis, tam intra quam extra Urbem, per quas pompa ibat Triumphalis.

3. Neque hic agam de Arcubus intra Urbem Triumphalibus, quos suo ordine lustrabimus, cum accedemus ad Ædificia, quæ Vias ornabant Urbanas: illos tantum hic perlustrabimus, qui extra Urbem per agros in Viis Rusticis; aut ad Urbium portas & accessus, tam in Italia, quam Provinciis erant. Initium fiat ab iis qui per apertos erant agros & campos. Res est certissima, illos fuisse in Viis Publicis frequentioribus, celebrioribus, & majoribus, ubi a S. P. Q. R. erecti fuerant. Talis erat *Via Triumphalis*, cujus meminit P. Victor *de Reg. Urb. in fine.* Talis etiam fuit *Via Appia*, ornata magnificis Arcubus Triumphalibus pluribus. Hac etiam Via major pars Triumphalis pompæ Romam pergebat per Capenam portam, quod esset ampla & spatiosa, utrimque ad M.P. VIII. cincta splendidissimis & magnificis ædificiis, & quod Urbem subintrans per Viam ejusdem nominis spatiosam recta in Capitolium ducebat Triumphantes, ubi J.O.M. Capitolino Triumphator sacra ante faciebat ob victoriam datam & reportatam gratum animum testaturus, quam ulli alii operam rei daret.

4. In Appia & aliis Viis Arcus Triumphales fiebant duobus modis: alii enim Triumpho uni singillatim dicati post peractos Triumphi solennes ritus iterum destruebantur & removebantur. Hi ex ligno fiebant, & partim quoque spectatoribus Triumphi recipiendis & locandis accommodabantur; tales etiam sunt, qui Lutetiæ fiunt, cum Rex aut Regina in augurali triumphalive pompa ingrediuntur Urbem: tales item fuerunt quatuor illi Arcus in Urbe nostra Remensi, cum LUDOVICUS XIII. Galliarum Rex ibi Sacris pro more Regum nostrorum inauguraretur auspicalibus. Opera hæc vocantur *Arcus subitanei*, quod post peractam festivitatem, cui destinabantur, subito iterum loco suo eos amolirentur. At alii fiebant, ut permanerent, & posterorum perpetuæ memoriæ consecrarent virtutes & res fortiter ac præclare gestas ab illis, quorum honori erant dedicati. Hi posteriores itaque fiebant e marmore aliove lapide, ornati columnis & reliquo elegantioris ac perfectioris Architecturæ apparatu. Audi, sis, Pomponium Lætum *in Diocletian.* de his & illis: *Inferebantur fere omnes Triumphi Via Appia, porta Capena: ea enim via ampla octo millibus passuum ab Urbe frequens, ex utroque latere habitata, & inde in Capitolium rectum & amplum iter; in qua lignei primum continuique Arcus, post marmorei, columnis suffulti, unde multitudo satis commode Triumphum spectare posset.* Quod si Imperatores victores ante Triumphum decessissent ex vita, tamen illis publice virtutis caussa Arcus decernebatur, ut colligimus ex Suetonio *in vit. Claud. c.* 1. qui de Nerone Claudio Druso, rebus in Germania strenue fortiterque gestis illustri duce, verba faciens ait: *Præterea Senatus, inter alia complura, marmoreum Arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipsi posterisque ejus.* Confirmat & Dio *li.* LV. *p.m.* 628. ex versione Xylandri: *Drusi funus ab iis, qui ordinem equestrem cum dignitate servabant, & a patriciis in Campum Martium est allatum: ibi cremati reliquiæ in Augusti sepulcrum conditæ sunt,*

Germanicique cognomen & filiis datum; honoresque statuarum, fornicum & honorarii ad ipsum Rhenum tumuli dati.

5. Ad Appiæ quoque & Domitianæ Viæ coitionem S. P. Q. R. Domitiano Imp. ingentem Arcum dedicavit, quem Statius iridis arcui cœlesti comparat *Sylvar.* IV. 3. *vs.* 97. *& seqq.*

> *Hujus janua prosperumque limen*
> *Arcus, belligeri Ducis tropæis*
> *Et totis Ligurum nitens metallis,*
> *Quantus, nubila, qui coronat imbri.*
> *Illic flectitur excitus Viator,*
> *Illic Appia se dolet relinqui.*

Eundem Arcum Martialis *Epigr.* VIII. 65. *vs.* 8. *& seqq. ovantem* appellat:

> *Stat Sacer edomitis Gentibus Arcus ovans.*
> *Hic gemini currus numerant elephanta frequentem,*
> *Sufficit immensis aureus ipse jugis.*
> *Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis,*
> *Hos aditus Urbem Martis habere decet.*

Talis etiam fuit Arcus ad ingressum Portus Puteolani, quem nobis depingit Cyprianus Eichovius *in Delic. Ital. in itinere Roma Cumas, Bajas, Puteolos*, p. 152. *In cujus ingressu stetit sublimis Arcus marmoreus Antonino Pio Augusto quondam a Puteolanis erectus, gratitudinis ergo; quod ad molem Portus instaurandam liberaliter Reip. subvenisset.*

6. Veniamus ad Arcus Triumphales Imperatorum honori dedicatos, ad portas & urbium aditus, & quidem primo in Italia. Horum dabunt exempla Arcus Augusto dedicatus Arimini, cujus mentio facta supra I. 25. §. 3. Trajano Anconæ & Beneventi, quos descripsimus ibidem §. 5. Addamus hic Inscriptionem Arcus, *Veronæ ad portam Bursaream, ubi exstat in geminis portis, ap. Smet.* CXLV. 7. *Gruter.* CLXVI. 2. Galieno Aug. dedicati.

COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA GALLIENIANA
VALERIANO. II. ET. LVCILIO. CONS. MVRI. VERONENSIVM
FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM. DEDICATI
PR. NON. DECEMBRIS. IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO
AVG. N. INSISTENTE. AVR. MARCELLINO. V. P. DVC. DVC
CVRANTE. IVL. MARCELLINO.

7. Atque hæc exempla Arcuum Triumphalium per Urbes Italiæ sufficiant. Adeamus nunc Provincias, in quibus non dubito, quin priscæ Civitates liberæ & fœderatæ, aut Coloniæ ab Imperatoribus olim conditæ similes subinde Arcus dedicarint, de quibus hoc loco nihil dicam. At silentio tamen præterire non possum duos Arcus Triumphales antiquissimos, quos S. P. Q. Remensis olim erexerunt ad duarum portarum Urbis celeberrimarum aditum, quæ ex vetusto nomine hodie appellantur vulgo *Porte-Mars*, & *Porte Basee*. Dedicarunt illos honori & quidem, ut credibile videtur, ipso ævo magni illius & invicti Imperatoris C. Julii Cæsaris, quod ejus favore in Sequanorum, qui hodie Burgundiæ Ducatum habitant, principatum successerant, qui magnam Galliæ partem habebat, & quod non minori, quam Ædui, apud ipsum gratia florerent, qui Ædui se populi Romani Fratres vocabant, ut passim apud Cæsar. *de B. G.* videre est, præcipue II. 3. & VI. 12. ubi diserte: *Sequani principatum dimiserant; in eorum locum Remi successerant.* Eo tempore Populus & tota Civitas, sive, ut cum Cæsare loquar, pagus Remensis liberæ Reipublicæ, quam Democratiam vocant, formam habuit, singulis enim annis circa vernum tempus Magistratus eligebantur, qui & urbi & regioni Remensi præessent, ut ex iisdem Commentariis Cæsaris colligere licet. Sed hæc obiter. Antiquissimos vero esse Arcus illos Remenses etiam hinc constat, quod *SS. Sixtus & Sinicius*, ut habetur *in eorum vita ms*: primi nostræ Urbis Archiepiscopi, Roma Remos ad docenda Sacra Christiana advenientes tanto lubentius Remis substiterint, cum urbem intrantes auspicia & insignia sui Populi Romani super ipsas portas opere anaglypho animadvertissent: quæ alia non fuerunt, quam in istis Arcubus incisione sculptæ figuræ.

6. Harum portarum Urbis altera erat ad septem Triones, hodie plane in ruinis: at Arcus Triumphalis prope illam hodie superest. Hic Arcus Flodoardi tempore portæ loco fuisse urbi videtur. Audi enim ex *Histor. Ecclesiast. Remens.* I. I. ejus verba: *Probabilius ergo videtur, quod a militibus Remi patria profugis Urbs nostra condita, vel Remorum gens instituta; & editior porta Martis, Romanæ stirpis, veterum opinione, propagatoris ex nomine vocitata, priscum ad hæc quoque nostra cognomen reservaverit tempora. Cujus etiam fornicem, prodeuntibus dexterum, lupæ Remo Romuloque parvis ubera præbentis fabula cernimus innotatum: medius autem duodecim mensium juxta Romanorum institutionem panditur ordinatione desculptus: tertius, qui & sinister, cygnorum vel anserum figuratus auspicio. Nautæ siquidem cygnum bonam prognosin prodere ferunt, ut Æmilius:*

> *Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales;*
> *Hunc optant nautæ, quia se non mergit in undas.*

Debuimus hunc locum adscribere integrum, qui tam accurate nobis depingit tres illos antiquæ istius portæ fornices, tanto magis, quod ab anno N. C. CIↃ. IↃ. XLIV. fuerint superinjecta terra accumulati & exaggerati, ut ex certis habeo commentariis, quo in situ & hodie non sine elegantiæ curiosorum dolore jacent. Anno N. C. tamen CIↃ. IↃ. XCV. dexter fornix ad medium fere detectus fuit, ubi in testudinis stereobata vidi lupæ Romanæ figuram, & ab hujus uberibus pendentes Romulum & Remum, atque hinc & inde in duobus tetragonis, quæ declivitatem concamerationis sive testudinis excipiunt, Faustuli & Accæ Laurentiæ figuras, qui gemellos illos Martios lupæ subtraxisse, eosque ad annum usque ætatis duodevigesimum educasse narrantur. Duodecim vero Anni Menses in medio fornice, & cygnos sive aves sacras sinistri fornicis videre non poteram: illud tamen dicere possum, omnes trium istorum fornicum figuras referri ad originem, gesta & fortunam Julii Cæsaris. Remus & Romulus eadem sunt gente, qua Cæsar: illi enim interjecta inter matrem Rheam Silviam, Numitoris filiam & Amulium Numitoremque fratres, Procæ Regis filios, longa regum Albanorum serie quoque ab Ænea Trojano heroe, per Martem patrem, unde *Porta Martis* forsan dicta fuit nostra illa porta, genus repetunt. Martis prolem gemellos illos fuisse, vulgo Romanis persuasum fuit, quamvis alii Amulii ipsius, patrui Rheæ, filios fuisse scribant, ejusque jussu recens natos ad Tiberim expositos. Gens autem Julia, quam Tullus Hostilius excisa Alba Longa Romam transtulit, originem ducit ab Julo, Æneæ filio & Albæ conditore. Hinc Tacitus *Annal.* IV. 9. in funere Drusi inter imaginum pompam recenset spectatos, *originem Juliæ gentis Æneam, omnesque Albanorum Reges, & conditorem Urbis Romulum:*

& Ludovicus Vives, *in Addit. ad Sueton. in vit. Jul. c.* 81. hæc tradit: *Juliam Gentem pro indubitato creditur ab Julo Æneæ filio manasse, qui Lavinio relicto Albam Longam condidit, in qua & regnavit. Eo mortuo cum ad Ascanium, Laviniæ atque Æneæ filium, Latinum rediisset regnum, cura sacrorum ceremoniarumque Latinæ ac Trojanæ Gentis penes subolem Juli mansit, ex qua sunt Julii.* Hinc Poeta perfectissimi Operis I, 292. de ipso Julio Cæsare canit:

Julius a magno demissum nomen Iulo.

Quod ad duodecim Anni menses attinet, ex Sueton. *in Jul. c.* 40. ex Dione *lib.* XLIII. *p. m.* 257. aliisque pluribus constat, Cæsarem fuisse virum excelsi non minus animi, quam staturæ, qui maximorum Philosophorum & Mathematicorum sui temporis opera fastos emendavit, annum ad Solis cursum accommodavit, ejusque CCCLXV. dies in duodecim menses, quos & hodie servamus, descripsit. Cygni, qui nunquam aquis merguntur, in sinistro fornice expressi, alludunt ad illud, quod Cæsari prope Pharum Alexandriæ in Ægypto contigit, ubi *circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, cum desilisset in mare, nando per* CC. *passus evasit ad proximam navem, elata læva, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis*, narrante Suetonio, *in Cæs. c.* 63 & idem confirmante Dione *li.* LXII. *p. m.* 230. *Ita*, ait, *præsens periculum effugit, ne madefactis quidem inter natandum, quos sinistra manu tenuerat, libellis.*

9. Atque uti in Arcu Septentrionali Remenses exhibuerunt insignia originis Juliæ paternæ, cum Cæsar jactaret ab Anchise, per Æneam, Julum & Martem Deum, se fuisse natum; ita in Arcu opposito originis Juliæ maternæ figuras constituerunt: namque idem Cæsar a Venere Dea, Æneæ matre, se oriundum ferebat. Alter ille Arcus, quamvis fere ad mediæ dirutus, superest hodieque ab omnibus conspiciendus: ex tribus enim fornicibus, quibus constabat, restat solus medius, & paucæ reliquiæ binorum alterorum, appendices hinc & inde. Alter ille Arcus Triumphalis similiter exstructus prope portam antiquam, quæ jam olim in ruinis jacuit, a majoribus nostris primo dicta *Porta Collatitia* Latine, quod nomen in S. Remigii legitur Testamento, & vernacule *Porte Collectice*, forte a *conferendis* mercimoniis. Post recepta Sacra Christiana vocata est *Porta Basilicaris*, unde corruptum est nomen hodiernum vernaculum *Porte Basée* & *Baseil*, ut legitur in priscis Urbis nostræ Actis & Regestis, quod per illam portam iretur ad primas Christianorum *Basilicas*, sive Templa, quæ extra Urbem ad passus admodum D. erant exstructa, & hodie intra Urbis mœnia visuntur, quoniam Urbis pomœrium prolatum est eo usque abhinc quatuor, & quod excedit, sæculis; sic ut hic Arcus, licet nunquam habuerit valvas, pontes sublicios fune aut catena subductarios, aut alias portæ urbanæ notas, retinuerit tamen semper & hodie quoque habeat nomen *Porte Basée*, separans antiquam Remorum urbem a partibus per pomerii dilatationem adstructis. Fornix superstes ab ima Soli superficie altus est pedes admodum XXV. Camera nititur duabus crassis parastatis, quæ mediæ sunt illarum quatuor, quibus Arcus Triumphales sustineri fere solent: crassæ sunt pedes admodum octo. Parastatæ hæ ambæ utrimque additas habent columnas striatas, sive rectis lineis canaliculatas, projectione dimidiæ suæ diametri, ut apparet ex stylorum reliquiis. Fornix ipse per ambitum rotundum extra ornatur ingentibus acanthi foliis, exsculptis ad extremam fornicis oram. Verum infra testudinem fornicatam stereobata est quadrata & cincta limbo, quem exsculptæ more prisco rosæ exornant: in ipsa dictæ testudinis stereobata cernitur Triton, cujus pars inferior in piscem desinens in varium gyrum undatim torquetur & volvitur, super quorum uno Venus nuda sive Anadiomene insidet Tritonem complexa, plane uti hanc depingit Nonnus *Dionysiacon lib.* I. ubi describit Europam Tauri dorso receptam & per medias undas abreptam, ita tamen, ut ne hilum illius madefieret; sic ut, qui illam vidisset, dixisset esse, *aut Thetin, aut Galateam, aut Neptuni uxorem, aut Tritonis dorso insidentem Venerem:* si malis audire Græca:

Η Θέτιν, ἢ Γαλάτειαν, ἢ ἔυνετιν Εννοσιγάιου
Η λοφίῃ Τρίτωνος ἐφεζομένην Αφροδίτην.

Extremæ Tritonis caudæ sursum elevatæ & bifidæ insidet similiter Cupido Veneris filius alis expansis, unde certiores reddimur, Veneris esse, & non alius, figuram, quæ Tritonis dorso insidet. At quid notius, quam Julio Cæsari Venerem generis sui auctorem affectatam? hinc ab illo dedicata *Venus Genitrix*: hinc Propertius Venerem precatur, ut Augustum, Julii adoptione filium, prolemque ideo suam servet, *Elegiar.* III. 4. *vs.* 19.

Ipsa tuam prolem serva Venus; hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse caput.

Habemus ergo Martem Veneremque Gentis Juliæ auctores, ut proinde huic magis conveniat, quam quod de populo Romano in universum canit Rutilius *Itinerar.* I. 67.

Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum matrem Romulidumque patrem.

Adeo autem hanc *Genitricem* veneratus est Cæsar, ut ante pugnam Pharsalicam media nocte ejus facris sit operatus, simulque ædem Deæ voverit in Urbe sacrandam, si propitia juvaret victoriam Voti damnatus ædem Veneri Genitrici dedicavit in *Foro*, quod, ab eo auctore, *Cæsaris* cognominatur, fere proxime Viam Sacram, ut discimus ex Appiano Alexandrino *de Bell. Civ. lib.* II. *edit. Gryph. p.* 505. & 234. Templum hoc exornavit tabulis preciosissimis & statuis exquisitissimis; quas inter loco summo & celeberrimo enituit excellens super cæteras ex marmore candidissimo Veneris Genitricis statua, quam, ad effigiem Palladis, armatam fieri jussit ab Arcesilao, optimo ejus ætatis sculptore, *quam tamen festinatione dedicandi, priusquam absolveretur, posuit*, teste Plinio *H.N.* XXXV. 12. Hæc ergo in *Porta*, quam diximus, *Basilicari* exsculpta sunt; ut mirer, quid Andreæ Theveto, cum in *Cosmograph.* hanc Urbis Remensis portam describit, quam & a se perlustratam jactat, imposuerit, ut Bacchum hinc exsculperet, loco sive Tritonis, sive Veneris huic insidentis.

9. Ut ad metam veniamus, addo, duas Vias Publicas, ab Agrippa factas, ab his Arcubus Triumphalibus initium duxisse, quarum altera in S. Remigii Testamento dicitur *Via Cæsarea*, quod nomen etiam primum habuit; pars ejus in Urbem prolato pomœrio transiit, nota hodie nomine vernaculo *Rue du Barbatre*. eo loci S. Remigius *Ecclesiæ titulo S. Mauricii in Via Cæsarea* legavit *solidos duos*. Decora, quæ exornabant hosce Arcus, veluti stylobatæ, bases, capitella, epistylia, zophori, coronides & inscriptiones maximam partem temporis edacis injuria disturbata sunt, nec restat quicquam, præter extrema quædam epistylii & columnas, quæ permanserunt, quod ex eodem lapide, quo parastatæ, sint factæ.

10. Cæterum inter Arcus Triumphales & cætera ædificia, quæ Vias ornabant Publicas, hæc intercedebat differentia, quod hæc secundum & propter Vias in longitudinem & latera cingerent utrimque; illi vero Arcus Triumphales ex transverso in ipsa Via exstruebantur, cujus plus,quam totam occupabant latitudinem, ob fornices duos minores, qui medium altiorem a dextra & sinistra cingentes, velut alæ additæ, hinc & inde in agrum producebantur.

11. Sciendum namque est, eo loci, ubi Arcum Triumphalem moliebantur, Viam Publicam utrimque fuisse dilatatam, ad cubitos plus minus quinquaginta, atque sic, pro decoro, convenienti longitudine aliquousque fuisse productam. Totum structuræ Architectonicæ opus, sive ipse Arcus Triumphalis occupabat cubitos XXV. medios; reliqui XXV. distributi erant ad latera, sic ut hinc dextrum haberet XII. & dimidium cubitos; totidemque sinistrum inde, quæ latera viatoribus patebant, ne populi frequentia & concursu ordo pompæ Triumphalis turbaretur. Postea illi XXV. medii cubiti in octo partes æquales dividebantur, quarum duæ dabantur januæ, ut sic dicam, sive aperturæ medii & majoris fornicis, quæ semper arcuata erat: deinde quatuor parastatis sive columnis dabantur singulis singulæ octavæ partes; sic & utriusque fornicis minoris dextri & sinistri aperturæ singulæ unam octavam habebant partem. Hoc modo Arcus Triumphalis assimilabatur ponti ex quatuor crassis pilis composito, & tribus aperturis sive januis arcuatis; quarum media in media Viæ latitudine erat, & transitum dabat pompæ Triumphali, sive Militibus & Ducibus, qui Victorem Triumphantem præcedebant & sequebantur, quique cum eo in expeditione fuerant & prælio. Laterales fornices patebant dignioris ordinis Viris, Matronis, Virginibus, qui spectatum veniebant Triumphi pompam & celebritatem; maxime illis, qui amicitia, consanguinitate aut affinitate propinqui erant Triumphatori, eumque ad Templum usque J. O. M. Capitolini acturum Diis gratias deducebant. Nihil hic superaddam de Arcuum Triumphalium magnificentia, ornamentis, partibus architectonicis, quibus exornati jucundissimum præbebant visentibus spectaculum: nam de ornamentis Ædificiorum, quorum vel mentio facta est, vel porro fiet, generatim infra v. 10.15. disputabo.

SECTIO XLI.

De Ædificiis Privatis, quæ Vias Publicas utrimque prætexebant.

1. *Ædes & villæ Imperatorum & Civium Romanorum cur ad Vias Publicas.* 2. *Comparantur regum Persarum palatiis.* 3. *Luculli, Xerxis togati a Tuberone dicti, magnificæ villæ.* 4. *Gordianorum villa admirabilis Via Prænestina.* 5. *Villa Cæsarum, Augusti secessus, cur ad Gallinas dicta.* 6. *Hadriani villa Tiburtina mire exædificata.* 7. *Tres villæ Civium privatorum, mirifice a Statio descriptæ.* 8. *De infinitis Villarum spatiis, testimonia.* 9. *Villarum & Prætoriorum talium multitudo ex Urbibus etiam celebribus fecit obscuros vicos.*

1. POst Ædificia Publica, quæ ad Vias Imperii Romani Publicas erant, sequuntur Privata, quæ sunt Ædes & Villæ Imperatorum, Patriciorum, Equitum, Civium Romanorum; imo & Libertorum, quarum magnificentia Viatoribus stuporem & admirationem objiciebant. Hæ autem juxta Vias Publicas exstrui solebant duas præcipue ob caussas; quarum prior est, ut commodum semper haberent & facilem accessum, per viam planam, æqualem & munitam: posterior, ut majori spectaculo & admirationi illæ structuræ paterent, quod multitudo Viatorum & major & frequentior erat per Vias Publicas munitas, quam per alias.

2. Hæ Ædes & Villæ spectatu sane erant dignissimæ; pleræque enim tanta erant magnificentia, ut regiis Persarum palatiis, quæ tantopere deprædicat Antiquitas, compararentur. Audi Strabonem *Geogr. lib.* v. *p. m.* 404. *&* 405. *Tanta vero* (Lunæ in Liguria) *candidi & varii lapidis lucidissimi ac talis effossio est, ut unico integræ saxo tabulæ atque columnæ præbeantur, utque insignia Romanæ civitatis opera urbiumque reliquarum, maxima ex parte his ex locis copiam habeant.* Interjecta deinde Pisarum mentione, quæ urbs olim in Tuscia celebris fuit, nec hodie ignobilis ob saxorum opera, subjicit: *Nunc vero plus in ædificandis Romæ domibus Villarumque magnificentiis consumitur, quibus regio ritu Persarum apparantur.*

3. Tales quoque Luculli villæ fuerunt, præcipue illa, quæ prope Neapolim Baiis erat, propter quam non illepide *Xerxes Togatus* a Tuberone Stoico dictus est, teste Plutarch. *in vit. Lucull. c.* 82. cum is conspexisset illa magnifica ad oram maris ædificia, exhausta subtus terra colles pensiles factos, cursus in mari, & piscosos transitus ædibus circumductos, habitationesque in ipso mari exstructas, talia scilicet hic Xerxes faciebat Romanus per otium pacis & luxum, qualia Xerxes Persarum olim fecit necessitate belli coactus, quando montem Athon, ut classi suæ cursum aperiret, persodiebat.

4. Talis & *Gordianorum Villa via exstitit Prænestina, ducentas columnas uno peristylo habens; quarum quinquaginta Carystiæ Claudianæ, quinquaginta Syenitides, quinquaginta Numidicæ pari mensura sunt. In qua Basilicæ centenariæ tres: cætera huic operi convenientia, & Thermæ, quales, præter Urbem, ut tunc, nusquam terrarum.* Audivisti Julii Capitolini *in vit. Gordian. Jun. c. ult.* 5. verba, ex quibus apparet, Græciæ insulam Eubœam, Ægyptum & Africam, ut Italiam taceam, conspirasse ad illam Villam exornandam, & ab extremis Imperii terminis per mare Mediterraneum columnas fuisse advectas.

5. Talis etiam fuit Augusti Villa, dicta *Villa Cæsarum*, aut etiam *ad Gallinas*, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia Via. Nam Liviæ olim, post Augusti statim nuptias, Vejentanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam conspicui candoris, & quæ rostro tenebat laureum ramum suis baccis onustum, ex alto abjecit in gremium sedentis illæsam. Conservari nutririque alitem & subolem, ramumque eum pangi, seri ac custodiri jusserunt Aruspices, quod in hac Cæsarum Villa factum est, ubi tanta pullorum suboles provenit, ut illa *Villa ad Gallinas* vocaretur: tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent; duravitque mos triumphantibus,alias confestim eodem loco pangere. Observatum vero est sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse; novissimo Neronis, qui ultimus fuit Gentis Juliæ, anno & sylvam omnem exaruisse radicitus, &, quicquid ibi gallinarum erat,interiisse. Videri possunt super hac re Sueton. *in Galb. c.* 1. Plin. *H. N.* xv. 30. Procul ullo est dubio, hanc *Cæsarum Villam* fuisse inter pulcherrimas & magnificentissime exædificatas. Nam si recte Cassiodorus *Variar.* VII. 5. *Talis dominus esse creditur, quale ejus habitaculum comprobatur,* tum sane quo-

que e regione splendor hujus Villæ & magnificentia summa esse debuit, quæ summos orbis Terrarum Monarchas agnovit dominos.

6. Hadrianus Imp. Villam prope Tiburis oppidum magnificentissimam exstruxit, quæ super reliquas plane excellebat. Dicta fuit ab ejus nomine, æque ac Hierosolyma, *Ælia*, a loco *Tiburtina*. de ea hæc Spartianus *in Hadrian. c.* 14. *ult.* deprædicat: *Tiburtinam Villam mire exædificavit, ita ut in ea & provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret, &, ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit.*

7. Si quis magis speciatim hæc *Villarum* & *Prætoriorum* admiranda perlustrare velit, sumat ille in manum Statii Papinii *Sylvas*, ac legat I. 3. *Tiburtinum Manlii Vopisci*, & I. 5. *Balneum Hetrusci*, & II. 2. *Surrentinum Pollii*. Ibi in Civium Privatorum villis obstupescens admirabitur amplissimum spatium, structuræ magnificentiam, ædificii decorem, operum abundantiam & exactam pulchritudinem, quæ omnia longo post se intervallo relinquunt, quicquid hodie Reges Principesve in Prætoriis suis exædificant. Tanto autem magis Papinii lector delectabitur, quanto is hæc miracula præ reliquis graphice depingit & ad rei proxime veritatem accedit. Excellit enim insignis ille Poeta in descriptionibus Topographicis. Suæ ingenio artis & eloquentiæ, Geniique benignioris ope oculis pæne subjicit, non solum menti & animo lectoris, loca, quæ describit. Agnovit propriam hanc ipsius dotem Interpres ejus Domitius, & naturæ felicioris ingenium in depingendis stylo, quas vellet, rebus, cum hæc de illo ait: *Papinius ita hanc descriptionis locorum partem excoluit & variavit, ut quæ solet esse poematis pars, apud hunc perfectum & elucubratum opus videatis: nec enim tantum energiam & repræsentationem loci sectatus est, qua sola solet esse contenta descriptio; sed multa addit variis figuris, quæ supra descriptionis legem in opus consummatum conveniunt. Quod cum alibi, tum in villa Pollii describenda spectare licet.*

8. Imperante Tiberio luxus immensum proruperat ad cuncta, quibus pecunia prodigitur, in vestibus, ventris & ganeæ paratu, utensilium preciis, villarum magnificentia, ut Ædiles ex officio curæ sibi demandatæ de his rebus conquesti sint apud Senatum. At Patres de remediis consulti integrum id negotium ad Tiberium tum absentem distulerunt, ut ipse tam profusas cupidines coerceret. Tiberius re apud se pensitata, Senatui literas rescripsit, quibus ante omnia ipsos primores in limine notat: *Quid enim*, ait, *primum prohibere, & priscum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita spatia? Familiarum numerum & nationes? Argenti & auri pondus? Æris tabularumque miracula?* Nam Villæ agros culturæ suæ subtrahebant infinito spatio, nec sine numerosa servorum ex variis nationibus multitudine in decore suo conservari poterant, sumtuosæ hinc immensum auri argentique pondus requirebant, ut ad ornatum tot statuas, tot tabulas, quarum artificium spectator admiraretur. Unde idem Imperator antiquæ parcimoniæ plusculis interjectis subjicit: *Ac, nisi Provinciarum copiæ & dominis & servitiis & agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur?* Remedii dubius prævalida tandem & adulta vitia funditus quandoque Remp. tractura omittit, velut impar iis coercendis. Noli autem mirari *infinita* per medios agros *Villarum spatia*; in ipsa Urbe notat Ammianus Marcellinus *l.* XVI. 6. *lavacra in Provinciarum modum exstructa*; & Valerius Maximus de sua ætate ait: IV. 4. 7. *Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Is autem septem agri jugera possedit, ut idem Val. Max. *l. l.* narrat.

9. Horum Prætoriorum & Villarum per Italiam tanta erat frequentia & multitudo, ut propter illas non paucæ Urbes olim celebres & frequentes abierint in exiguos & tantum non vacuos vicos; scilicet infinita Villarum spatia eripiebant culturæ agros, unde urbes alerentur. Cumarum urbs olim ampla & populosa, ut apparet ex ruderibus & ruinis Templorum, Turrium, Aquæductuum, Ædificiorum, hoc fatum experta & hodie deserta horrorem spectatori offert. Sed & aliæ urbes *Romæ potentia & amplitudine oppressæ in obscuros decrevere vicos: maxime cum Campania universa capacissimis Romanorum Villis oppleta luxuriaret nimium. Tum Cumæ quasi vacuæ ad secessum tenuiorum ac plebejorum civium patebant, in introitu videlicet Bajarum, & Puteolani sinus ac litoris: quandoquidem horti, prætoria, & villæ locupletissimorum occupassent circumquaque vicinitatem omnem, ut agri nihil Cumanis relinqueretur*, uti testatur Cyprianus Eychovius *in Delic. Ital.* Neque mirum videri debet tot circum Villas esse exædificatas in Cumarum vicinia: illa enim urbs tum omnia habebat commoda, sita ad Viam Publicam facilis itineris, & in amœnissimo orbis terrarum angulo; nam recte de his tribus Albertus *de re Ædif.* IX. 2. *Villæ*, ait, *celebritatem dabit Urbis vicinitas, Viæ claritas, Regionis amœnitas.* Hinc beatiores Civium Romanorum hic Villas certatim ædificarunt ob hæc commoda, & Cumas quasi agris suis spoliarunt, sic ut huic urbi nihil magis nocuerit, quam tot bona, quibus eam benignior donarat Natura.

FINIS.

NICOLAI BERGIERII
DE
PUBLICIS ET MILITARIBUS IMPERII ROMANI VIIS
LIBER III.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum

HENRICUM DE SCHOMBERG,

Comitem *de Nantueil* & *de Durestal*, Equitem Regiorum Ordinum, Centuriæ Prætorianæ Regi apparentis Capitaneum, Provinciæ Marchicorum & Lemovicum Gubernatorem & Præfectum summum pro Rege, Tribunum Legionis stipendiariæ Germanicæ sub signis & auspiciis Regiis Franciæ militantis, & supremum Ærarii Gallici Præfectum.

EA est Galliæ laus, Illustrissime Domine, quam nec exteri eidem negant, quod homines æstimet non solum ex loci natalis aut patriæ celebritate, sed magis ex sua ipsorum industria, animo & ingenio; nec imitetur plures alias nationes, quæ communi errore in exteris & advenis peregrinitatis conditionem & nascendi sortem tantum non puniunt. E contrario, ubicunque terrarum homines sint nati & undequaque prodierint, Gallia nostra eos ingenuo amore & candida benevolentia amplectitur lubens volensque, si in illis elucescat Virtutis aut Ingenii splendor & elegantia; tantumque abest ab invidia, ut eos velut adoptionis jure in Gentem suam transcribat, & cum illis bona sua ac honores liberaliter communicet, adeo ut non immerito scripserit externus, sed idem simul summæ doctrinæ & eloquentiæ Auctor, nunquam Orbem dignas gratias hospitali Galliæ habere posse, quæ humanitatis templum videatur aperuisse, quo se omnium externorum fortuna conjiciat. Quemadmodum enim peregrinæ gemmæ, quanto ab Indis usque e longinquis & remotioribus adferuntur terris, tanto æstimantur carius: ita Gallia hospitum atque advenarum elegantia & decora ingenia miratur non solum, sed etiam complectitur, eaque corpori suo non indigna aut inutili adoptione tanto magis inserit, quæ laudem, famam, fortunasque Gallici nominis deinde proferant. Hac in re si unquam, certe tum Galliæ favit Fortuna, cum sibi adscripsit illustrissimum Patrem Tuum, Comitem SCHOMBERGIUM; *cujus spectatam multis experimentis virtutem & addictum bono Galliæ publico animum Reges decessores ornarunt summis in Rep. honoribus, ipsumque ex Germanis in Gallia, veluti florem rariorem & singularem, iterum plantarunt, Regio favore & gratia irrigarunt, uti adolesceret & in Gallis hinc copiosi fructus Reip. commodo profuturi suo tempore provenirent. Ex tam nobili germine, Illustrissime Domine, ortum duxisti, nec a patriis virtutibus degener ita Te cum Tuis Galliæ nostræ adseruisti, ut noster jure merito sis omnino. Agnovit hoc jam dudum Rex noster optimus, tuamque in sago virtutem, in toga prudentiam in oculis ferre cœpit, maxime autem in Te Genii excellentiam præclari, fidelitatem & integritatem singularem spectans Ærario suo Te præfecit, quæ provincia inter præcipuas & gravissimas Regni est, & in qua rite administranda industria, vigilantia, fidelitas maxime requiruntur. Nuper etiam idem Rex Te summum Armamentario suo Magistrum præfecit, quam Spartam Tibi creditam ita ornasti, ut*

appareret esse Te animo excelso & supra vulgarem hominum sortem, quasi Natura experiri voluerit, quousque se vires extendant humanæ; solus enim duas illas provincias, quibus singulis etiam vix dexterrima industria excellentes Viri sufficiunt, ita administrasti, ut feceris satis omnibus. Tanta autem Virtus Tua me, Excellentissime Domine, ultro cohortata est, ut Tertium hunc meorum de Viis Publicis & Militaribus Imperii Romani librorum perillustri Nomini Tuo inscriberem: in quibus videre licebit, militem legionarium & plebem provincialem, Imperatorum prudentia, ad consternendas Vias Publicas ab otio avocatos; ab Augusto juvenes, primo modicis intervallis per militares Vias, dehinc vehicula, dispositos, ut cognoscere quid vel in extremis Imperii provinciis gereretur, & literas ac fasciculos inde recipere, idque celeritate incredibili, possit; licebit videre numerosos Exercitus, istis Viis Publicis ab altero etxremo limite ad alterum Imperii extremum limitem promtissima facilitate pergere, insuper habitis hyemis aliisve inclementioris cœli incommodis; licebit videre Magistratus Romanos ad Provincias sibi demandatas Roma euntes, & iisdem Viis perfunctos facillimo itinere Romam redeuntes; licebit videre per ista itinera vehicula & naves sub mercium pondere veluti gementes, mirifica frequentia festinare ad tantæ Urbi, quæ Orbis quoddam erat compendium, annonam & necessaria ad victum, amictum, habitationem, delicias, subvehenda; licebit videre Pontes admirandos, qui Viarum itinera expedita contineunt & velut per compendium conjungant, ubi intercurrens fluvius aut lacus palusve eas diviserat; licebit tandem videre iter maritimum, ad navigandi commoditatem Portubus tutissimis per litora opposita sibi trans maria respondentibus instructum. Atque hæc omnia merentur a summis rei bellicæ præfectis cognosci, quibus secundum Bellonæ leges, perspectæ esse debent & notæ Viæ, Pontes, Portus, Aditus ejus regionis, in qua bellum est gerendum; neque illa scientia solum ex fama populari aut libris petenda, sed ex tabulis Geographicis, aliisque picturis, quæ Terrarum situs exhibent, cum hæ longe melius quam scripta aut dicta, singillatim omnia oculis subjiciant. Cum ergo Viæ Militares & Publicæ bene munitæ & curatæ maxime belli tempestate requirantur, ad exercitus ducendos, ad subvehenda stipendia, commeatus, arma, machinas ignivomas & reliquum Martis apparatum & instrumenta militiæ ac impedimenta; qui melius & facilius hoc Viarum Publicarum bonum Galliæ nostræ, ubi illud a tempore collapsi Imperii Romani jacuit neglectum, possit procurare, præter Te, Excellentissime Domine, video neminem. Ærarii enim curam geris, cujus impensæ maxime requiruntur ad restituendum Galliæ tantum bonum publicum; & Ipse rerum documentis cognovisti, quam difficulter machinæ bellicæ per Vias male curatas, lutulentas & corruptas, quales pleræque per Galliam sunt, trahantur, cum tot passim locis experimenta Tuæ virtutis & rerum bello pro salute & gloria Liliorum sive Gallici nominis præclare gestarum monumenta exstent. Lilia hoc loco mihi in memoriam revocant versum, subscriptum Scuto Gentilitio illustris Tui stemmatis, in porticu majore nobilissimi tui Prætorii, quod Nantuelii est:

CRESCITE GERMANAE VIOLAE LILIA FRANCA!

quod & votum est addictissimi Tui Clientis. Vale, Illustrissime Domine, & rem tuam ac publicam feliciter gere!

SECTIO I.

De Magnitudine & Amplitudine Imperii Romani

1. *Longitudo & Numerus Viarum Imperii Publicarum inter maxima ejus miracula.* 2. *Longitudo & Numerus computari debent initio facto a media Roma, ſive Milliario aureo.* 3. *Longitudo & Latitudo ipſius Imperii ante pernoſcenda, quam Viarum poſſit intelligi.* 4. *Totus vel univerſus Terrarum Orbis pro Imperio Romano.* 5. *Romani ultra tunc temporis cognitos Orbis fines terras quæſiverunt.* 6. *Verba illa* totius Terrarum Orbis *limitata & reſtricta ad meliorem & utiliorem Terrarum partem.* 7. *Ariſtidis &* 8. *Appiani Alexandrini in hanc rem teſtimonia.*



1. Ias Imperii Romani Publicas magnifice commendant primo loco Auctores earum longe illuſtriſſimi & nobiliſſimi, qui virtute & dignitate ſupra reliquos mortales omnes eminebant, quales erant Cenſores, Conſules, Imperatores. Porro inter maxima miracula eſt, tantum hominum, tantum impenſarum, tantum lapidum ſilicumque, & tam variæ alius materiæ illis Viis acceſſiſſe; admiranda quoque eſt ipſius Operis forma, quæ Vias per tot ſæcula durabiles & inexpugnabiles præſtitit, quarum veſtigia etiam hodie paſſim ſuperſunt. Tanti tamen cuncta hæc ipſa non forent, ſi intra unius Urbis ambitum, ut maxima pars Operum Publicorum, concluderentur, aut ſi extra Urbem forſan ad M. P. XX. XXX. aut XL. producerentur, uti Aquæductus. At hoc denique Vias Publicas præ cæteris Orbis operibus nobilioribus omnibus, admirandas reddit, quod immenſa longitudine per infinita Terrarum ſpatia productæ fuerint ab Ortu in Occaſum, a Septem Trionibus ad Auſtrum. Nec hoc tamen ipſum valde foret admirabile, ſi forſan una aut duæ tales Viæ ſolum eſſent; verum tot ſunt illæ numero, ut ad certos calculos definiri nequeant, ſi quis majores, minores, mediocres Vias velit computare. Certiſſimum enim eſt, in libris non fieri mentionem, niſi majorum & celebriorum Viarum ceu corporis aut ſtirpis, neglectis ut plurimum infinitis minoribus, quaſi artubus aut ramis, qui ab illis majoribus Viis oriuntur: prolixum etenim tædioſumque fuiſſet, ſingillatim omnes quaſcumque Vias recenſere.

2. Prioribus itaque libris duobus perſecuti ſumus pro virili Viarum Publicarum Auctores; Materiam, ex qua fiebant; Formam, quæ illas temporum injuriæ inexpugnabiles reddidit; hoc tertio libro perſequemur Viarum Numerum, & mirificam Longitudinem, quæ bina ordiemur a celeberrima illa Columna, quam Auguſtus in ipſo Urbis medio & quaſi umbilico ſtatuit, *Milliarii Aurei*. Hinc, tanquam a prima origine, per Urbis Vias Militares, Portas & Suburbia eas quaquaverſum deducemus, & per Pontes fluminibus impoſitos continuabimus, perque Portus trans maria ad extremos uſque Imperii terminos.

3. Cum ergo Imperium Romanum ſit quaſi tabula illa, in qua depingentur Viæ Publicæ, non poterimus animo comprehendere formam, illarum magnitudine & numero dignam, niſi prius perſpecta ſit tanti Imperii & longitudo & latitudo, item Provinciarum multitudo, quarum ſingulæ complures Vias habebant munitas, uti hoc libro in progreſſu videbimus. *Itaque, mirum & incredibile dictu*, Populus Romanus, *qui prope quingentos annos domi luctatus eſt (adeo difficile fuerat dare* ſoli *Italiæ caput) bis* CC. *annis, qui ſequuntur, Africam, Europam, Aſiam, totum denique orbem Terrarum bellis victoriiſque peragravit*; ut Flori verba II. 1. mea faciam, cui, ex Polybio I. 1. addo, *Univerſum prope Terrarum orbem ſub unius Populi Romani imperium* LIII. *annis, atque ipſis non totis, fuiſſe redactum.*

4. Noli mirari verba illa animoſa magis, quam ſuperba, quibus Imperium deſignant, *Univerſo* vel *Toto Terrarum Orbe*. His ipſis verbis innumeri alii utuntur, ad magnitudinem & amplitudinem Imperii Romani deſcribendam, *in quo totum Terrarum Orbem complector*, ut dicam cum Ariſtide *Tom.* I. *Orat.* 14. nam recte Ovidius *Faſtor.* II. 683.

Gentibus eſt aliis Tellus data limite certo:
Romanæ ſpatium eſt Urbis & Orbis idem.

& Petronius *Satyric. c.* 79.

Orbem jam totum Romanus Victor habebat,
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque.

uti & Cicero *Orat. de Provinc. Conſul. c.* 12. diſertiſſime: *Poſſum de omni regione, de omni hoſtium genere dicere: nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix exſtet; aut ita domita, ut quieſcat; aut ita pacata, ut victoria noſtra imperioque lætetur.* Hinc etiam D. Lucas Hiſtoriæ Evangelicæ *c.* 2. *commate* 1. Auguſti Imperium nominat *Univerſum Orbem*, ut reddit Interpres Antiquior πᾶσαν τὴν Οἰκουμένην. Hinc paſſim legas *Orbis Dominos; Imperii terminos Orientem Occidentemque ſibi feciſſe; ſolem utrumque in eorum Imperio currere.* Videantur Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiq. Rom.* I. *in proœmio, p. m.* 18. Appianus Alexandrin. *in præfat. in Hiſtor. Roman.* Veget. *de Re Milit.* I. 8. Unde non adeo præter verum Rutilius *Itinerar.* I. *vſ.* 57.

Volvitur ipſe Tibi, qui continet omnia, Phœbus:
Eque Tuis ortos, in Tua condit, equos.

& Æthicus *Coſmographiæ principio*, ita præfatur: *Lectionum pervigili cura comperimus S. P. Q. R. totius Mundi dominos, domitores Orbis & præſules: qui, cum quicquid ſubjacet cælo, penetrarent triumphis, omnem Terram Oceani limbo circumdatam invenerunt; atque eam, ne incognitam poſteris reliquiſſent, ſubjugatum virtute ſua Orbem totum, qua Terra protenditur, proprio limite ſignaverunt.*

5. Imo Romani ultro Orbis terminos tunc temporis cognitos Terras quæſiverunt: nobilis in hanc rem Agrippæ eſt oratio, quam hic ex Hegeſippo II. 9. adſcribere placet: *In Romanorum nomen elementa etiam tranſierunt: in quos etiam tranſivit Orbis Terrarum, qui Romano Imperio clauditur & definitur: denique a pleriſque Orbis Romanus appellatur. Nam, ſi verum quæramus, Terra ipſa infra Romanorum imperium eſt, ſupra quam progreſſa Romana Virtus ultra Oceanum alterum ſibi Orbem quæſivit, & in Britannia, remota a confinio Terrarum novam invenit poſſeſſionem. Denique quibus jus non ſolum Civitatis Romanæ, ſed etiam ipſius prope converſationis humanæ negatur, illo diriguntur, ut illic habitent, quaſi Mundi exſules. Ceſſit Oceanus finibus ſuis: novit Romanus interiora ejus petere ſecreta.* Huc alludit etiam Poeta, qui Claudii Imp. victoriam Britannicam celebravit, qua primus Britanniam, Julio Cæſari tentatam verius & monſtratam, quam domitam, Romano ſubjecit Imperio: *in Catalect. Vett. Epigr. & Poem. p. m.* 50.

Auſon...s

Ausoniis nunquam Tellus violata triumphis
Victa tuo, Cæsar, fulmine procubuit:
Oceanusque tuas ultra se respicit aras,
Qui finis Mundo est, non erit Imperio.

6. Dionysius Halicarnasseus hoc argumentum paullo magis exponit *Antiq. Rom. lib.* 1. *in præfat.* hisce verbis, quæ ob gravitatem lubet exscribere ipsius quoque lingua: Ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπων κατοικεῖται. πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς Ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, πρώτη καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων, ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας: quæ sic redduntur: *Romana Urbs imperat toti Terræ, qua quidem inaccessa non sit, habitaturque ab hominibus: sed & toti Mari imperat, non solum huic intra columnas Herculeas, sed ipsi Oceano, quacunque est navigabilis; primaque & sola ab omnis ævi memoria terminos sibi potentiæ fecit, Orientem & Occasum.* Ubi Imperio Romano terras omnes & maria tribuit, sed ut decuit Historicum bonæ fidei, cum aliqua restrictione aut exceptione; sejungit enim inaccessa & inhabitata loca, itemque maria ignota. Ac revera fatendum, Romanum Imperium dici *Orbem Totum* ea figura, quam magistri vocant Synecdochen, & qua nomen totius majori donatur parti. Enimvero, si propius inspicias, nec habitata quidem omnia loca sub imperio Roma habuit: multa sub Parthorum ditione fuerunt ad Orientem; item non habuit, quæ inter Indum & Gangem interjacent, Indorum Orientalium regna; nec ad meridiem, Æthiopum regna; ad septem Triones pæne universa Germania, & Polonia cum vicinis regionibus, quas Sarmatiam & Scythiam veteres dixerunt, nesciverunt Romanos. Ergo ut pro vero magis coerceam Imperium Romæ, quicquid opportunum aut dignum vinci videbatur, vicit: cætera non tam non potuit vincere, quam contemsit & judicio reliquit. Sed illud nemo negaverit, florem Asiæ, Africæ, Europæ in hoc Imperio fuisse: ipsa Gentium robora, ingenia, opes.

7. Hæc esse verissima, locuples est testis Ælius Aristides in Panegyrico Romæ, *Tom.* 1. *Orat.* 14. ubi inquit ad Romanos: Ἐκφύγει γὰρ ὑμᾶς οὐδὲν, οὐ πόλις, οὐ λιμὴν, οὐ χωρίον, πλὴν εἴ τινων ἄρα ἀχρηστίαν κατέγνωτε. Ἐρυθρὰ τε θάλασσα, καὶ Νείλου καταρράκται, καὶ λίμνη Μαιῶτις, ἃ τοῖς πρότερον ἐν πέρασι γῆς ἠκούετο, ἴσα καὶ αὐλῆς ἕρκια τῇδε τῇ πόλει· ὃν γε μὲν ἠπίστουν τινὲς τῶν λογοποιῶν, μὴ εἶναι τὸ παράπαν Ὠκεανὸν, μήτε περιῤῥεῖν τὴν γῆν, ποιητὰς δ᾽ εὑρόντας τοὔνομα ψυχαγωγίας ἕνεκα εἰς ποίησιν θεῖναι, τοῦτον οὕτω καλῶς ἀνεύρετε, ὥστε οὐδὲ ἡ ἐνταῦθα νῆσος ὑμᾶς διέφυγε. Hæc Latine sonant: *Quid quod nihil vos effugit, non portus, non locus ullus, nisi quem pro inutili habueritis? Rubrum vero Mare, Nili Cataractæ & Palus Mæotis, quæ majoribus nostris extremam Terram occupabant, Urbi vallorum vicem obtinent.. Oceanum autem, quem multi Scriptores nec exstare prorsus, neque terram ambire credebant, verum Poetas nomen hoc fictum ad delectationem versibus suis inseruisse, tam probe reperistis, ut nec, quæ in eo erat, insula vos latuerit.*

8. Appianus quoque Alexandrinus *in præfat. in Historias Rom.* luculentus super eadem re est testis. Postquam enim ordine recensuisset omnes Populi Romani Provincias intra & extra Italiam, initio a freto & columnis Herculis facto, pergens ad dextram per Mauros Carthaginem usque, hinc legens oras marium Ægyptii, Syrii, Cyprii, Rhodii, Ægei, Propontidis, Euxini, & Mæotidis paludis, ac rediens per mare Jonium, Siculum, Tyrrhenum, Ligusticum & Gallicum ad Hispaniam &

A fretum Herculeum, unde cœperat, docet omnes Gentes, quæ vel insulas istorum marium, vel oram, vel mediterranea habitarent, quarumque merito aliqua ratio haberi posset, Romanis paruisse: & hisce tandem subnectit, *ex versione Gelenii: Imperatores hi, veteres etiam provincias ampliores fecerunt; alias, conatas ab Imperio deficere, continuerunt in officio. In summa, ut sunt prudentes, contenti maritimis regionibus omnium optimis malunt has excolere, quam Imperium in infinitum proferre ad gentes Barbaras, inopes domi, & nil lucri afferentes dominis. Quarum aliquot ego vidi in Urbem legatos venisse, ut se suosque populares dede-*
B *rent, nec receptos ab Imperatore, ut ipsi inutiles: innumeris enim aliis gentibus ipsi dant Reges, quod Imperium his opus non habeat; & sunt provinciæ, in quas insumendum est, cum pudeat, quamvis damnosas, abjicere. Cæterum circumquaque in præsidio sunt magni exercitus, qui tantum terræ marisque, tanquam regionem aliquam* aut fundum servent ac *custodiant.*

SECTIO II.

De Imperii Romani Limitibus.

1. *Limites Imperii Romani in universum.* 2. *Limites secundum Pomponium Lætum.* 3. *Limites*
C *versus Ortum:* 4. *versus Occasum:* 5. *versus Meridiem:* 6. *& versus septem Triones, ultra quos Trajanus adjecit Imperio Dacias.*

1. M. Antonius Oratione funebri in Julium Cæsarem, apud Dionem Cassium, *Rom. Hist. lib.* XLIV. *p. m.* 297. hæc de ipso refert: *Navigatur non Rhodanus tantum Ararisque, sed & Mosa & Ligeris & ipse Rhenus, ipseque adeo Oceanus: quorum enim prius vix nomina ad nos pervenerant, quæque an essent, dubitabamus, hæc illa nobis ex ignotis accessa, ex inexploratis na-*
D *vigabilia, sua altitudine animi magnificentiaque effecit. Ac nisi quidem ei* Cæsari, *aut nobis verius, hunc successum invidentes, seditionibus motis ante constitutum tempus huc redire coegissent, utique totam Britanniam cum omnibus circumjacentibus insulis, omnemque Germaniam, ad Oceanum usque Septentrionalem, subegisset; ut Imperii nostri limites non amplius populi terræve, sed aer, & mare exterius ambiens fuissent.* At Julius Cæsar per bella Civilia in tanto opere impeditus, & paullo post crudeliter occisus, cum adversus Parthos expeditionem meditaretur, Imperium reliquit hinc inde limitatum fluviis, montibusve, qui illud a
E populis nondum pacatis, quos vulgo *Barbaros* vocabant, distinguebant. Limites hosce Oceano terminatos, qui alias Imperium finiebat, cum maxime lustrabimus, eorumque pro diverso tempore diversam formam & amplitudinem describemus. Sine dubio est, Imperii longitudinem fuisse majorem latitudine; longum vero dicimus ab Oriente in Occidentem, latum ab Austro ad septem Triones. At vero etiam hoc certum est, Terminos & Limites non semper fuisse iisdem locis; hæc enim pro temporum ratione Imperatorumque fortuna & arbitrio fuere subinde mutata. Augustus Imp. in Imperii Rationario, quod sua manu perscripse-
F rat, *addiderat consilium coercendi intra terminos Imperii*, referente Tacito *Annal.* 1. 11. qui addit, *incertum metu, an per invidiam.* Sive Augustus noluerit proferri terminos a posteris, quia jam satis partum videbatur, & metuendæ bellorum ac Fortunæ vices; sive per invidiam & ne gloriam suam vincerent. Laudatus tamen fuit Augustus ob *mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium,* teste Tacito *l. l.* 1. 9.

2. Hi generatim fuerunt Limites; lustremus

nunc illos singillatim, & videamus, quæ Oceani maria, qui Amnes longinqui Imperium limitarint ad Ortum, Occasum, Meridiem & septem Triones, ut tanto exactius per extremorum distantias queamus definire Vias, aut saltem proxime ad verum per rationes rite subductas. Pomponius Lætus, *in Diocletiano*, paucis Terminos circumscribit: *Ab Ortu usque ad Indos propagati Imperii fines; non Euphrates, non Tigris vetuere, non superbæ Regum Persarum minæ. A Meridie Æthiopes per Legatos accessere. Ab Aquilone Barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ. Ab Occasu Gessoriacus Oceanus admirabilis victoriæ testis est, simul & Britannicus.* Vides hic Limites, ad Ortum Indos, ad Austrum Æthiopas, ad Aquilonem Sarmatas, ad Meridiem Britannos. Hæc paullo magis sunt examinanda singillatim, ne male intellecta sibi sint contraria: distinguenda enim sunt tempora, ut variantibus Historicorum narrationibus sua constet fides.

3. Ab Ortu fiat initium. Augusti ævo *in Asia Euphrates fluvius & Caucasus mons, majorisque Armeniæ principium; Colchi & ad Euxinum Pontum habitantes, hujusque maris reliqua, fines erant Romanæ ditionis*, teste Appiano *l. l.* Cum vero Aurelius Victor, *in Claudio*, dicit sub Claudio Imp. *retentos fines seu datos Imperio per Orientem, Mesopotamiam*; hoc eo sensu capiendum, ut ipsa Mesopotamia finis esset, non ut finibus contineretur: eousque, inquam, productum Imperium, non & ultra ipsam, quæ Euphrate separabatur. Verissimum equidem est, diu postea Trajani victricibus armis totum Euphratem Romani juris factum, & Imperium ad Tigrim & ultra fuisse prolatum, adjectis provinciis tota Armenia, Mesopotamia, & Assyria usque ad Oceanum Orientalem, & sic promotos Imperii Terminos per quinque amplas Provincias Persis ereptas ultra Tigrim ad Indos usque, quæ forsan Læto caussa fuit & nonnullis aliis, ut Imperii Romani terminos ad Ortum ponerent Indiam, licet Romanorum arma nunquam penetrarint usque ad Indum fluvium, qui Indiæ nomen dedit Orientali. Hæc autem quinque provinciarum trans Tigrim possessio non fuit valde diuturna, siquidem, testante Sexto Rufo, *in Breviar. Rer. Gest. P. R. circa medium*, *Hadrianus, qui successit Trajano, invidens Trajani gloriæ, sponte sua Armeniam, Assyriam ac Mesopotamiam reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Euphratem esse voluit.* Verum imperante Diocletiano Galerius, hujus filius adoptivus, denuo fines Imperii ultra Tigrim produxit, & quinque Provincias, quas paullo ante diximus, recepit, & felici victoria falsum esse ostenderat Oraculum, quod cecinerat, Romana arma Ctesiphontem Persicæ ditionis urbem transire nefas esse, & duces, qui ausi fuissent, pœnas daturos: hinc M. Crassum id cogitantem cum exercitu periisse; M. Ulpium Trajanum transgredi ausum, Italiam non repetiisse, Valerianum superato Tigri cupientem transire Ctesiphontem ab Sapore Persarum Rege captum esse; Carum Imp. longius progredi volentem vel morbo absumtum, vel ictum fulmine cœlo turbido & coruscante: at nihilominus, narrante hæc *in Com. Hist. Rom. in Dioclet.* Pomponio Læto, *Galerius, de quo nunc sermo est, totam Assyriam expugnata Ctesiphonte cepit, & quinque Provincias Transtigritanas, quæ statim redeunte ad nos Trajano defecerant, subegit, & Imperio adjunxit.* At brevi post idem, quod post Trajanum, contigit: Romani enim & totam Mesopotamiam & quinque Provincias Transtigritanas denuo amiserunt, quas tertium recepit Heraclius Imp. devicto Cosroe Persarum Rege, cujus filio Siroi *pax*

A *data est iis conditionibus, ut limes Persici ac Romani Imperii Tigris esset, atque Persæ Mesopotamiam non attentarent*, ut testatur *l. l.* Pomp. Lætus, *in Heraclio*.

4. Quod attinet limites ad Occidentem, illi sine controversia ab Auctoribus ponuntur, ubi Oceanus Atlanticus alluit oras Africæ, Hispaniarum, Galliarum. Pro teste sufficiet Aristidis *l. l.* qui ubi ad Aquilonem limitarat Imperium Palude Mæotide; ad Ortum Mari Rubro; ad Austrum Nili Catarractis; pro Limite Occidentali hæc subjungit: *Oceanum autem, quem multi scriptores nec exstare prorsus, neque terram ambire credebant, verum* B *Poetas nomen hoc fictum ad delectationem versibus suis inservisse, tam probe reperistis, ut nec, quæ in eo erat, insula vos latuerit.* Neque abludit Poeta vetus, qui Claudii victoriam Britannicam celebravit, *inter Catal. Poem. vett. p.* 51.

Opponis frustra rapidum, Germania, Rhenum;
Euphrates prodest nil tibi, Parthe fugax.
Oceanus jam terga dedit, nec pervius ulli
Cæsareos fasces imperiumque tulit.

5. Ad Meridiem Limites Appianus *l. l.* satis accurate adnotavit. *Maurusiorum*, ait secundum veterem versionem, *pars est, quæ ad Æthiopes Oc-* C *cidentales spectat, ac calidiorem ferisque horrentem Libyam usque ad Orientales Æthiopes pertinet, qui Romani Imperii in Africa terminus est.* aut, ut rectius vertit Gelenius: *Mauritania vergens ad occidentalem Æthiopium, tum aliæ, propter nimium æstum aut noxias bestias, incultiores regiones Africæ, usque orientales Æthiopas, in Africa sunt Romanorum termini.* Quibus alii addunt eadem locorum serie Elephantinem & Syenen in Ægypti interioribus. Sic enim Tacitus *Annal.* II. 61. *Exin ventum Elephantinen & Syenen, claustra olim Romani Imperii, quod nunc Rubrum ad Mare patescit.*

D 6. Restat Imperii latus Aquilonare, quod limitaverat Augustus Danubio, Rheno, & Oceano, qui est inter ostia Rheni ac Britannias. Aurelius Victor, *in Claudio*, testatur & sub Claudio, *retentos fines Rhenum Danubiumque, ad Septentrionem*: quin & sub Hadriano Imperatore, sub quo floruit, qui hoc *l. l.* ait, Appianus, *in Europa fluvii duo Rhenus & Danubius Romanis fines imponebant.* Verissimum quidem est, quod Trajanus Imperio adjunxerit, victo Decebalo Rege, Dacias & ultra Danubium protulerit Imperium; at Hadrianus eadem, de qua ante, invidia, ut Trajani gloriam obscuraret, sponte omnia trans Da- E nubium reliquit & omisit, Danubiumque denuo Imperii limitem constituit, diruens superiora admirandi illius pontis, quem Trajanus Danubio imposuerat. Rheno Danubioque Aquilonem versus jungenda est Britannia usque ad Caledonios, qui hodie Scoti sunt; & Palus Mæotis, quatenus ea ad Aquilonem vergit. *Rubrum vero Mare*, ait *l. l.* Aristides, *Nili Catarractæ & Mæotis palus, quæ majoribus nostris extremam terram occupabant, Urbi vallorum vicem obtinent.*

F
SECTIO III.

De Imperii Romani Longitudine & Latitudine.

1. *Dimetiendi Imperii difficultas, ejusque cum aliis Imperiis comparatio.* 2. *Ejus Longitudo & Latitudo secundum Plinium:* 3. *item secundum Cosmographiæ regulas.* 4. *Varians Graduum Cœlestium mensura.*

1. VIdimus Limites antiqui Imperii cognitos, jam lustranda venit eorum distantia,

ut inde appareat Imperii ejusdem cum Longitudo, tum Latitudo. Hoc vero exacte ad unguem fieri non facile poterit, quod in Terrarum mensuris, harumque partibus nimium varient Historici & Cosmographi tam veteres, quam recentiores. Hæc tamen varietas non impedit, quo minus ex vero & merito de longitudine Imperii Romani prædicet *l. l.* Appianus, *neque Assyriorum, aut Medorum, aut Persarum, aut Macedonum, aut Græcorum Imperia cum Romano comparanda esse: eorum enim*, ait, *magnitudo nec ad dimidium Romanæ potentiæ, ut opinor, attigit*.

2. Plinius *H. N.* II. 108. de Terræ suo ævo cognitæ Longitudine & Latitudine agens, ait, ab India & Gange ad Oceanum & Hispaniæ oram, secundum Artemidori rationes, ubi Terra longissime ab Ortu in Occasum patet, esse *octuagies sexies centena octoginta quinque* M. P. quæ Leucæ nostræ forent quater mille trecentæ quadraginta duæ cum dimidia. Si ergo ad has rationes quis vellet supputare Imperii Romani longitudinem, demat, oportet, numeros distantiæ inter Gangem & Euphratem. Plinius autem *l. l.* ponit *a Gange ad Euphratem omnem quinquagies centena M. P. & XXI.* qui subtracti summæ priori a Gange ad Gades, reddent ab Euphrate ad extremam Hispaniæ oram, qui sunt termini longitudinis Imperii Romani, tricies sexies centena octoginta quatuor M. P. & IↃCCCCLXXIX. sive leucas nostras mille octingentas quadraginta duas & circiter dimidiam. Porro, teste ibidem Plinio ex rationibus Artemidori, *Latitudo Terræ a meridiano situ ad Septentrionem dimidio fere minor colligitur, quinquagies quater centena sexaginta duo millia*. Huic numero si demas M. P. CIↃ. CLXIV. qui ultra Romanum Imperium in Austrum excurrunt, ut colligere licebit ex Plinii *H. N.* II. 108. & V. 9. nec non eas locorum distantias, quæ in Aquilonem patent a Romanorum dominatione liberæ, Latitudo nonnihil excedet dimidiam Longitudinem Imperii. Calculi tamen ad liquidas rationes non veniunt ex Plinii *l. l.* qui omisit illa M. P. quæ ultra limites Imperii ad septem Triones excurrunt.

3. Quare Cosmographos consulamus, qui in globo secundum artem rite facto nobis accurate ostendent Longitudinem Latitudinemque Imperii Romani. Longitudinem deprehendes, si circini alterum crus oræ Occidentali Africæ aut Hispaniæ infigas, alterum ad confluentes Euphratis & Tigris, quæ duo extrema longissime patent. Circini hanc aperturam transfer ad Æquatorem, & metire quot gradus illa ibi inscriptos comprehendat: hos multiplica per M. P. LXII. & dimidium; tantum enim Ptolemæus cuique gradui cœlesti super Terram adscribit, & quod in summam colligeris, ostendet tibi, quot M. P. alterum ab altero distet extremo. Hoc modo ipse ergo in manum sumsi Gulielmi Janssonii Globum Terrestrem, qui omnium elegantissimus, maximus & novissimus est, atque, ut puto, quod ad graduum numeros, cæteris accuratior, editus Amstelædami anno a N. C. CIↃ. IↃC. XVI. In hoc ego reperi, Imperium Romanum esse longum gradus LX. ex quibus, ut supra dixi, multiplicatis per M. P. LXII. & dimidium, collegi tricies septies centena, quinquaginta & unum M. P. sive Leucas nostrates mille, octingentas, septuaginta quinque, & dimidiam; qui numerus a Plinii seu verius Artemidori rationibus abit excessu tantum XXXIII. leucarum, quæ diversitas in tam longa Terrarum mensura vix est alicujus notæ. Latitudinem in eodem Globo deprehendi graduum XXXII. scilicet a Nili Catarractis ad Paludem Mæotidem, & ab Atlante monte Mauritaniæ ad Caledoniam sive Scotiam; qui collecti fecerunt vicies centena M. P. sive leucas Francicas mille.

4. Non ignoro Alfraganum, Alcmæonem aliosque Mathematicos gradui cœlesti super Terram solum dare LVI. M. P. & CCCXXXIII. passus cum triente; scio etiam, nostri ævi Cosmographos tantum LIII. M. P. gradui super Terram adscribere, qui numerus est minimus, quo unquam gradus cœlestis in Terraqueo Globo fuit æstimatus a Mathematum peritis. At ego calculos secutus sum Ptolemæi, ut magis receptos & usitatos; si quis tamen malit minimum sequi numerum, qui est LIII. M. P. nihilo minus is mirificam Imperii Romani Longitudinem & Latitudinem reperiet. Nam LX. gradus Longitudinis sic dabunt tricies semel centena & octoginta M. P. sive leucas Francicas CIↃ. IↃ. XC. in longum: at XXXII. gradus Latitudinis dabunt ita decies sexies centena & nonaginta sex M. P. sive leucas IↃCCC. XLVIII. in latum; atque hæc tamen est omnium minima graduum cœlestium mensura.

SECTIO IV.

De multitudine Provinciarum Imperii Romani.

1. *Divisio Imperii in* XI. *Regiones & Regionum in Provincias.* 2. *Nomina & numerus Provinciarum Imperii in Europa:* 3. *in Asia:* 4. *in Africa.* 5. *Insulæ Maris Mediterranei:* 6. *Hæ quintam Imperii Romani partem æquabant.*

1. VIdimus ergo limites Imperii Romani quaquaversum; lustremus jam breviter Provinciarum multitudinem. Exstat *Provinciarum Romanarum libellus*, adjectus *Itinerario Antonini* ab Andrea Schotto *p.* 122. in quo universum Imperium Romanum dividitur in XI. *Regiones*, quæ sunt: *Italia, Gallia, Africa, Hispania, Illyricum, Thracia, Asia, Oriens, Pontus, Ægyptus, Britannia*. Hæ regiones iterum dividuntur in *Provincias* numero CXIII. scilicet *Italia* in XVII. *Gallia* in XVII. *Africa* in VI. *Hispania* in VII. *Illyricum* in XIX. *Thracia* in VI. *Asia* in XII *Oriens* in X. *Pontus* in VIII. *Ægyptus* in VI. & *Britannia* in V. quarum nomina ibidem singillatim ordine recensentur.

2. Verum ut omnes clare perspiciant, sub Imperio Romano fuisse meliorem & pulchriorem Orbis Terrarum partem, mecum constitui, has Provincias in suas tres Orbis partes distribuere, & velut per compendium ostendere, quid in unaquaque Terrarum parte sub Romano fuerit Imperio. Itaque in nostra *Europa* Romani habuerunt *Italiam, Hispanias, Gallias, Inalpinos, Rhætiam, Noricum, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Græciam, Thraciam, Mœsiam, Daciam, Pannonias*.

3. In *Asia* tenuerunt *Asiam* totam *Minorem*, quæ mari Cyprio, Cilicio, Rhodio, Carpathio, Ægeo, Hellesponto, Propontide & Euxino alluitur. Hæc olim in XIV. Regna dividebatur, quorum celebriora fuerunt *Phrygia, Pontus, Bithynia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Lycia, Lydia, Caria*, & *Pamphylia*: hinc in *Asia Majore* paruerunt Romanis *Colchis, Iberia, Albania, Bosphorus Cimmerius, Syria, Arabia, Palestina*, & olim *Mesopotamia* cum *Assyria*.

4. In *Africa*, quæ *Libya* quondam vocabatur, Romanæ ditionis fuerunt *Ægyptus, Cyrenaica, Marmarica, Gætulia, Africa proprie dicta* & in hac *Carthago, Numidia, Mauritaniæ Tingitana*, & *Cæsarea*.

5. En tibi nobiliores, majores & meliores Orbis partes, quibus sub unum conjunctis Imperium ad-

majorem felicitatem nullo opus erat incremento aliunde. Accedebant tot Insulæ per Mare Mediterraneum sparsæ, quod, interluens medium quasi Imperium, Provincias per commerciorum commoda Urbi & Imperio conjungebat, cum altera alteri opem ferret ex eo, quo abundabant, & vicissim reciperent; quod eo fiebat facilius, cum omnes Provinciæ, licet magnis disjunctæ intervallis, uni eidemque Domino parerent.

6. Quantum ad Insulas, sane illæ a freto Herculeo usque ad mare Syriacum & Ponticum tot & tantæ erant, ut Cosmographi censeant, eas æquare quintam Romani Imperii partem. Inter cæteras eminent *Sicilia*, *Creta*, *Cyprus*, *Corsica* & *Sardinia*, in quarum nonnullis complura olim floruerunt Regna, in Historiis adhuc celebria. Minores quod attinet, eæ perquam sunt commodæ navigationibus per Mare Mediterraneum.

SECTIO V.

Quod Viæ Publicæ, hominum manu munitæ, magno numero ab Ortu ad Occasum, ab Austro ad Aquilonem per Imperium Romanum fuerint productæ.

1. *Vias Publicas, hominum manu munitas, per omnes Imperii Provincias fuisse.* 2. *Isidori in eam rem testimonium*: 3. *& Aristidis*: 4. *ac Suetonii*. 5. *Idem probatur ex capite legis in Codice Justinianeo*. 6. *Hieronymus Surita*, 7. *& Justus Lipsius nobiscum sentiunt*.

1. NIhil egissemus in ostendenda mirifica illa Romani Imperii Magnitudine, & describendis ea, qua potuimus, cura Terminis ac Limitibus, nisi insuper clare & dilucide monstremus, vastam illam Terrarum amplitudinem excultam fuisse Viis Publicis, hominum manu munitis, ut Viatores per eas commode ire ac redire possent, non aliter ac si per ipsa strata Viarum Urbis Romæ ingrederentur: idque verum esse, non solum de Imperii amplitudine generatim sumta, sed ut ipsas quoque singillatim Provincias hisce Viis perambulemus. Faciemus id hoc loco tam idoneis testibus advocatis, ut nemini cordato ea de re dubium possit superesse.

2. Primum ergo, ut generatim hoc verum esse constet, adsit Isidorus Hispalensis *Origin.* XV. *c. ult.* supra etiam a nobis 1. 1. §. 3. sed alium in finem laudatus, cujus hæc sunt verba clarissima: *Primum Pœni dicuntur Vias lapidibus stravisse: postea Romani per omnem fere Orbem disposuerunt, propter rectitudinem Itinerum, & ne plebs esset otiosa.*

3. Comes huic eat rerum Romanarum scientissimus & eloquentissimus Orator Aristides, qui *Panegyrico Romæ* sæpius jam laudato ita Romanos alloquitur: *Quod Homerus cecinit:*

Terra tamen communis erat,

id Vos opere complevistis, Terramque omnem dimensi, pontibus variis fluvios junxistis; montesque excidistis, ut equitabilis fieret terra; & solitudines diversoriis replevistis; cunctaque diætæ & ordinis beneficio mansuetiora reddidistis. Quapropter eam vitæ rationem, quæ ante Triptolemum usurpata fertur, eandem fuisse existimaverim, quæ ante Vos in usu fuit, duram videlicet atque agrestem. Mansuetam vero illam, & quæ nunc viget, ab Atheniensibus quidem initium cepisse; a Vobis autem *pariter secundis, quod ajunt, melioribus esse confirmatam.*

4. Enimvero ut non solum regionatim, sed etiam provinciatim, si cum Suetonio loqui liceat, ostendamus Imperium Viis Publicis munitis fuisse exornatum, adferamus ex eodem Suetonio locum, supra quoque laudatum 1. 9. §. 5. *ex vit. Aug. c.* 49. ubi narrat, Augustum, *quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in Provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per Militares Vias, dehinc vehicula disposuisse; commodius id visum esse, ut, qui a loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.* Hinc certe sequitur *in Provincia quaque* fuisse *Militares Vias*, in quibus *dispositi* fuerint isti *juvenes*, & deinde *vehicula*.

5. Idem quoque probat *l.* 2. C. *de Immun. Nem. concedend.* in qua Impp. Honorius & Theodosius Anthemio P. P. scribunt: *Per Bithyniam cæterasque Provincias possessores in reparatione publici Aggeris, & cæteris hujusmodi muneribus pro jugerum numero, vel capitum, quæ possidere noscuntur, dare cogantur.* At frustra hæc Lex ad *cæteras* quoque *Provincias* in *reparandis publicis Aggeribus* seu Viis extenderetur, nisi & in *cæteris* Imperii *Provinciis* forent *publici Aggeres*, æque ac in *Bithynia*.

6. In eadem est sententia Hieronymus Surita, qui doctissimo explicavit Commentario *Antonini Itinerarium*, in cujus præfatione *pag.* 166. de Augusto loquens: *Neque*, ait, *Italiam modo, sed & universas Romani Imperii Provincias eo decore atque ornamento Viarum Munitarum idem Princeps Augustus affecit, ut Præsides, & qui pro Consulibus eo munere fungerentur, facilius Provinciarum Urbes atque conventus obirent.*

7. Nolo hic repetere, quæ ex eodem Surita & Plinii Panegyrico in præfatione hujus Operis, *sub finem p.* 13. laudavi: quæ etiam huc pertinent: hoc solum addam hoc loco, etiam Justum Lipsium in eadem esse sententia: postquam enim, *de Magnit. Rom.* III. 10. mentionem fecisset Viæ Flaminiæ, quæ inter Italiæ Vias munitissimas & pulcherrimas est, subjicit: *Nam quod ad munitionem, pleræque similes: nec in Italia solum plurimæ, sed in Provinciis ipsis.* Vias enim non vulgares, sed Romano more munitas ab ipso intelligi, satis constat ex ipsa *munitionis* mentione.

SECTIO VI.

De Libro, qui inscribitur ITINERARIUM ANTONINI, & quomodo singillatim Vias cujusque Provinciæ publicas persequatur.

1. *In unaquaque Provincia Vias Militares fuisse.* 2. *Hoc ut probetur, a Roma initium fieri.* 3. *Itinerarium Antonini huic fini peropportunum.* 4. *Super Auctore ejus libri opiniones quatuor: prima opinio. Rationes, quæ pro Julio Cæsare militant. Terræ in universum mensura.* 5. *Æthici & Aristidis loco de hac universali Terrarum dimensione.* 6. *Augusto forsan partem hujus Itinerarii deberi.* 7. *Altera opinio.* 8. *Cui Antoninorum debeat adscribi hoc Itinerarium.* 9. *Tertia opinio*: 10. *& Quarta.* 11. *Nostra in hoc opinionum divortio sententia.*

1. GEneratim huc usque ostendimus, Imperium Romanum a Populo & Impp. Romanis Viis Munitis fuisse excultum: at hoc non

ſufficit, ut aſſequamur numerum & longitudinem Viarum. Id uti fiat, provinciatim iter erit faciendum, & quaſi digito monſtrandum, ad quos menſuræ modos & numeros fuerint ibi Viæ factæ, & qua ratione cum vicinis convenerint Provinciis; quomodo termini extremi fuerint limitati; & quomodo, per mutuos Viarum concurſus in regionibus & provinciis contiguis, Roma licuerit proficiſci circumquaque ad extremos Imperii fines.

2. Roma ergo, ut a capite, proficiſcemur; ex cujus Urbis meditullio ducent nos Viæ Militares per Italiam, & hinc de Provincia in Provinciam per maria & portus oppoſitos; per diverſas terras pontibus conjunctas, uſque ad extremos tanti Imperii limites. Imitabimur itaque Anatomicos, qui, ut corporis humani nervos demonſtrent, a capite, unde oriuntur, initium faciunt, eoſque inde ad extremos pedum manuumque artus deducunt.

3. Eo ut perveniamus, multi Auctores viam facere poterunt, quos ſuis locis conſulemus. Nemo autem melius nobis viam monſtrare poterit ad noſtros fines, quam Auctor libri in Doctorum manibus verſantis, qui inſcribitur: *Itinerarium Antonini Auguſti:* hic enim omnes Vias Militares majores & nobiliores annotavit, eaſque, per Urbes, Oppida, Vicos, Manſiones & Mutationes cujuſque Provinciæ perſequitur, per Europam, Aſiam, Africam, qua Romanum patebat Imperium, adſcriptis ubique locorum intervallis & diſtantiis per *M. P.* aut *ſtadia*, aut *leucas* Gallicas pro regionum diverſitate. Quemadmodum ergo hic liber olim dux erat Via Publica iter facturis per Orbem Romanum; ita & hodie nobis ſe præbebit ducem itineris, quod hoc libro tertio proficiſcemur. Comitem illi addemus *Chartam* ſive *Tabulam Peutingerianam*, ut quæ lineis & figuris exhibeat, quod in *Itinerario* fit per Scripturam.

4. Quamvis autem parum noſtra referat, quiſnam ſit illius *Itinerarii* Auctor, aliquid tamen conferet, ad majorem iſtius Scriptoris auctoritatem & fidem, ſi innoteſcat ipſe. Ab re itaque non erit, quatuor diverſas ſuper hoc Auctore opiniones hic recenſeri; quarum tres priores ab inſcriptionum & titulorum diverſitate dependent, quarta autem a conjecturis: namque tam a Veteribus, quam Recentioribus ille liber tribus diverſis nominibus, *Julii Cæſaris*, *Antonii* vel *Antonini Auguſti*, & *Æthici* in medium adfertur. Primum quod attinet, Felix Malleolus, *dialogo de Nobilitate*, meminit deſcriptionis totius Orbis, quam inchoarit Julius Cæſar perfectam & abſolutam ſub Auguſto, in qua ait, *Gentes & Civitates ſingulas cum ſuis diſtantiis annotatas*. Joſias Simlerus, qui hos legit Dialogos, putat, *in præfat. ad Æthici Coſmograph.* hanc deſcriptionem, cujus meminit Malleolus, non eſſe aliam, quam Æthici *Coſmographiam*, & *Itinerarium Antonini*, quorum poſterius pro temporum diverſitate diverſos habuit titulos ſive inſcriptiones. At Julium Cæſarem fuiſſe hujus primum Auctorem, pluribus ex cauſſis conjici poteſt. Prima eſt, quod reperiantur Codices mss. qui conveniunt cum *Itinerario Antonini*, inſcripti nihilo minus *Julii Cæſaris* nomine. Talem habuit Johannes Cuſpinianus, inſcriptum: *Itinerarium Julii Cæſaris*: deinde etiam ipſe Æthicus, *initio Coſmograph.* videtur *Julio Cæſari* Terræ univerſam dimenſionem adſcribere.

5. Adſcribamus ipſa Æthici *l. l.* verba: *Lectionum*, ait, *pervigili cura comperimus, S. P. Q. R. totius Mundi dominos, domitores Orbis & præſules; qui cum, quicquid ſubjacet cœlo, penetrarent triumphis, omnem Terram Oceani limbo circumdatam invenerunt; atque eam, ne incognitam poſteris reliquiſſent, ſubjugatum virtute ſua Orbem totum, qua terra protenditur, proprio limite ſignaverunt: & ne divinam eorum mentem omnium rerum magiſtram aliquid præteriret, quam vicerant, quadripartito cœli cardine inveſtigarunt, & intellectu æthereo totum, quod ab Oceano cingitur, tres partes eſſe dixerunt, Aſiam, Europam & Africam reputantes*. Paullo poſt pergit; *Itaque Julius Cæſar biſſextilis rationis inventor, divinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cum conſulatus ſui faſces erigeret, ex Sc. cenſuit omnem Orbem jam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos Viros, & omni Philoſophiæ munere decoratos. Ergo a Julio Cæſare & M. Antonio Coſſ. Orbis Terrarum metiri cœpit, id eſt, a conſulatu ſupra ſcripti uſque ad conſulatum Auguſti tertium & Craſſi annis* XXI. *menſibus* V. *diebus* IX. *Zenodoxo omnis Oriens* (Aſiam innuit) *dimenſus eſt, ſicut inferius demonſtratur. A conſulatu item Julii Cæſaris & M. Antonii uſque in conſulatum Auguſti decimum annis* XXIX. *menſibus* VIII. *diebus* X. *a Theodoto Septentrionalis pars* (Europa) *dimenſa, ut evidenter oſtenditur. A conſulatu ſimiliter Julii Cæſaris uſque in conſulatum Saturni & Cinnæ a Polyclito meridiana pars* (Africa) *dimenſa eſt, annis* XXXII. *menſe* I. *diebus* X. *ſicut definita monſtratur. Ac ſic omnis Orbis Terræ intra annos* XXXII. *a dimenſoribus peragratus eſt, & de omni ejus continentia perlatum eſt ad Senatum*. Neque forſan aliam dimenſionem Orbis intellexit Ariſtides *l. l.* quem & Sectionis præcedentis §. 3. attulimus, cum ait, Romanos *Terram omnem eſſe dimenſos*.

6. Cum ergo hæc univerſi Orbis Terrarum dimenſio a Julio Cæſare cœpta ſub Auguſto demum fuerit perfecta, credibile ſane eſt, Auguſto, Principi tam ſtudioſo Viarum per Imperium muniendarum, omiſſam non fuiſſe earum deſcriptionem & dimenſionem, cum multo ſit difficilius & ſumtuoſius Vias munire, quam munitas in charta deſcribere Sane Auguſtus talium deſcriptionum fuit curioſiſſimus, quas ab Agrippa genero, Viro in Terrarum dimenſionibus obſervandis & annotandis verſatiſſimo, fieri curavit, ut ſectionis ſequentis §. 3 videbimus. Hinc multi Eruditi putarunt, Auguſto æque atque Julio Cæſari hoc *Itinerarium* deberi.

7. Altera Inſcriptio, qua hic liber innotuit publico, eſt: *Itinerarium Antonii*, aut *Antonini Auguſti*. Nam & hæc & illa in Codicibus mſſ. reperitur. Liber ms. doctiſſimi Pithœi, qui poſtea acceſſit Bibliothecæ Thuaneæ, hanc habet rubricam, ſive rubris literis inſcriptionem: *Incipit Itinerarium Provinciarum Antonii Auguſti*. Simleri Liber ms. eandem inſcriptionem habuit; verum addit *l. l.* ſibi viſum Codicem ms. alium, qui hunc laborem vindicaret *Antonino Auguſtali:* quicum convenit in *Antonini* nomine vetuſtiſſimus Codex bibliothecæ Philippi II. Regis Catholici, quem ſecutus eſt in Commentariis ſuis Hieronymus Surita, unde ejus editio inſcribitur: *Itinerarium Antonini Auguſti*: vide *pag. ejus* 174.

8. Plures putant, Antoninum Pium eſſe hujus libri Auctorem, aut ſaltem, qui ſymbolam contulerit illi. Sane Simlerus *l. l.* adfert fragmentum *Itinerarii Antonini*, ſed quo tantum itinera ab Urbe in Gallias continentur, nullæ autem locorum ſeu manſionum diſtantiæ adnotatæ ſunt; quod fragmentum, inſcriptum *Antonini Pii Itinerarium*, in lucem edidit & commentario expoſuit Annius Viterbienſis. At *Itinerarium*, quod integrum in manibus habemus, *Antonino Auguſto* tribuitur vulgo, ita tamen, ut cui *Antoninorum*, inter tot decem aut duodecim hujus nominis, quorum alter alteri ſucceſſit, retento Imperatore debeamus hunc

librum, incerti hæreamus. Doctiores Critici & acumine judicii pollentes eum adscribunt Bassiano Caracallæ, Septimii Severi Filio, cui Pater in Imperii societatem adscito nomen *M. Aurelii Antonini* dedit; nec Antonino Pio posse adjudicari putant, quod in hoc *Itinerario* mentio fiat locorum, urbium, vicorum, qui hujus ævo nondum erant.

9. Tertius Auctor, cui hoc *Itinerarium* quoque adscribitur, est *Æthicus*, qui supra laudatam *Cosmographiam* conscripsit. Flodoardus Presbyter, *Historiæ Remens. Pontificum lib.* 1. laudat hæc ex *Æthico in Cosmographia*, probaturus videlicet, Remos urbem olim *Durocortori* nomen habuisse.

A MEDIOLANO
Per Alpes Cottias PM.
Viennam M. CCCCIX.
Inde Durocortorum M. PM. CCCXXXI. *quæ sunt leugæ* CCXXI
ITEM A DVROCORTORO
Divodurum usque M. PM. LXII.

Hæc autem ex *Antonini Itinerario* desumta esse, non est dubium, videas modo *pag.* 80. & 82. Caussa forsan fuit, quod in vetustis libris mss. hoc *Itinerarium* plerumque sequatur post *Æthici Cosmographiam*, tanquam si idem unius ejusdemque Scriptoris esset opus, quamvis *Itinerarium* suo inscribatur singillatim titulo. Sic in ms. Pithœano, cujus mentio supra §. 7. est facta, ubi desinit *Æthici Cosmographia*, eadem pagina atque columna incipit *Itinerarium Antonini*, hoc modo:

Ex æterna urbe Roma initium sumens,
Quæ caput est Orbis & domina.
Explicit
Feliciter Descriptio Orbis tripertiti.
Incipit Itinerarium Provinciarum
Antonini Augusti.

Porro in nonnullis mss. libris *Itinerarii Antonini* eadem reperitur præfatio, quam Æthicus *Cosmographiæ* suæ præmisit, de dimensione Orbis Terrarum jussu Senatus Romani sub Julio & Augusto facta; quæ præfatio cum sine ullo dubio sit *Æthici*, occasionem præbuit, uti crederetur, & opus *Itinerarii*, quod eam proxime sequebatur, esse ab *Æthico* profectum.

10 Quarta, super Auctore hujus Itinerarii, opinio est Philippi Cluverii *German. Antiq.* II. 5. qui, cum de nonnullis Germaniæ urbibus, quarum summam antiquitatem ad Valentiniani Imp. tempora refert, verba fecisset, hæc addit: *Nec me facile dimovet ab hac sententia, quod* Itineraria *illa* (Antonini & Tabulæ Peutingerianæ) *Valentiniani ætate antiquiora esse dixeris: nam hoc nulla alia re, quam nudo Antonini nomine contendere queas; quasi Imperator Antoninus fuerit Auctor Itinerarii. Certe nihil minus: nam si id paullo diligentius cum* Tabula *contuleris, facile ex itinerum & millium numerorum, non modo verorum justorumque, sed & corruptissimorum parilitate deprehendes, aut unum eundemque fuisse utriusque Operis Auctorem, aut certe duos sibi invicem coætaneos. At* Tabulæ *Auctor fuit Christianus; quod manifesto patet ex iis, quæ de* divo Petro, *de* Mose, *de* Filiis Israelis, *de* Lege in monte Sinai *accepta adnotavit: quæ certe sub Antoninorum imperiis nemo Militaribus Itinerariis inseruisset. Tum vero in* Antonini *hujus* Itinerario, *simulque in* Tabula, *pleræque* Galliarum Urbes, *quæ capita fuerint Nationum, ipsarum Nationum, ut ante dictum, vocabulis appellantur, propriis nominibus abjectis: quod* Antoninorum *sæculo factitatum fuisse, vel una*

A *Ptolemæi Galliæ tabula satis negat. Sed idem cum illis facit Ammianus in Historiis suis. Unde etiam sæpius suspicatus sum, hunc fuisse Auctorem utriusque Operis. Verum quicumque is fuerit, certum est, circa hujus sæculum utrumque fuisse compositum. Nam tum temporis cum aliorum Imperatorum, tum maxime Valentiniani sedes atque domicilium fuit* Augusta Treverorum, *ut infra in Treveris ostendam.* Auctor *autem* Itinerarii, *quod* Antonini *nomine inscribitur, primum* iter de Pannoniis in Gallias, a Sirmio ad Treveros usque *describit: nulla scilicet alia de caussa, nisi quod illud tunc temporis maxime frequentatum, ut patet ex Ammiani* B *Historiis.* Hæc Cluverius.

11. In tanta Opinionum diversitate quid nobis erit statuendum? quemnam agnoscemus hujus *Itinerarii* Auctorem? Certe a vero non aberrabimus valde, si neque *Julium*, neque *Augustum*, neque *Antoninum Pium*, aut alium Imp. hujus nominis, *Itinerarii*, quod hodie sub *Antonini* nomine circumfertur, Auctorem existimemus, quoniam multa Urbium nomina hic ponuntur, quæ ante, atque etiam diu post illorum ætatem incognita prorsus fuerunt, ut *Constantinopolis*, *Maximianopolis*, *Diocletianopolis*, *Constantia*, & alia, quæ silentio transeo. C Non tamen propterea nihil ad *Julium*, ad *Augustum*, aut *Antoninos* hoc Opus pertinere censemus, sed existimamus jam ab Julii & Augusti ævo, jussu Senatus, factam aliquam Orbis descriptionem per suas regiones, in qua Viæ Publicæ per urbes, oppida, colonias, municipia, mansiones, mutationes & similia loca, quæ ad Vias, vel propter, juxta aut secundum eas erant in unaquaque Provincia sita, fuerint dimensæ; *Antoninum* Imp. sive Pium sive alium hujus nominis huic descriptioni aliquid addidisse de suo ævo, ut etiam sequentes Impp. credibile est, adjecisse suæ ætatis urbes & alia loca, pro ratione temporis, quo fuerunt condita sæculis sequioribus. D Quod ad *Æthicum*, cujus *Cosmographia* subinde conjungitur huic *Itinerario*, credibile est, illum opus utrumque, a majoribus Romanis acceptum, descripsisse, & pro sui ingenii ac temporum modo auxisse, styloque suo & ætati adaptasse, unde & factum videtur, ut a multis sub ejus nomine laudaretur. Ipse certe *de Cosmographia* sua, *l. l. in præfat.* testis est, ejus & argumentum & ordinem esse eundem, quem mensores Orbis sub Julio & Augusto, Zenodoxus in Oriente, Theodotus ad septem Triones, Polyclitus ad Meridiem observarint. Singulis enim de suo subjicit instituto; Isti: *sicut inferius demon-* E *stratur*; Illi: *ut evidenter ostenditur*; Huic: *sicut definita* (Africa) *monstratur*. Vero itaque valde est simile, eodem modo sibi Æthicum sua instituto adaptasse *Itinerarium*: quod cum sub *Antonini* nomine invenisset, nomen illud ipse mutare noluit, aut cum sua confundere & conjungere *Cosmographia*, sed servata prisca inscriptione a suo labore separavit hoc opus, additis tamen pro sua diligentia Urbium nominibus, quæ ad suam ætatem, sive Constantini tempora, erant instauratæ aut conditæ per Imperium Romanum. Nam de ejus sæculo conjectura duci potest ex hoc *Itinerario*, in quo fit F mentio *Constantinopolis*, aliarumque Urbium paullo post Constantini ætatem conditarum. Huic nostræ sententiæ vicinus est Josias Simlerus, cujus *l. l.* hæc sunt verba: *Cæterum an* Æthicus *scripserit* Itinerarium *vel auxerit, ut Flodoardus censere videtur, affirmare non ausim: etsi animus huc inclinat, eundem utriusque libelli* (Cosmographiæ & Itinerarii) *Auctorem esse. Attamen quoniam in vetustis & mss. exemplaribus prior* Æthico, *posterior* Antonino Augusto *inscribitur, nihil hic mutare voluimus.* Ergo ut ad metam, non amplius solli-

citi de hujus *Itinerarii* Auctore, properemus, illo ad noſtrum inſtitutum & argumentum utemur, prout ad nos pervenit, & laudabimus illud ſub nomine *Itinerarii Antonini*, quo in lucem editum eſt *Coloniæ ad Rhenum anno* CIↃ. IↃC. forma, quam vocant librarii *in Octavo*, ab Andrea Schotto, Viro doctiſſimo, qui & Hieronymi Suritæ commentarios, ſuaſque ipſius notas ei adjecit.

SECTIO VII.

De CHARTA ſive TABULA, quæ vulgo dicitur PEUTINGERIANA.

1. *Vegetii præceptum in re Militari ſuper Itinerariis Tabulis.* 2. *Tabularum Geographicarum & Itinerariarum antiquitas.* 3. *Charta Putingeriana, cur ſic dicta.* 4. *Ejus Auctor ignotus. Chriſtianus fuit.* 5. *Quo tempore fuerit facta.* 6. *M. Velſeri judicium de Auctoris ejus imperitia.* 7. *Hanc Tabulam maximis erroribus eſſe plenam, ſi Geographica dicatur & habeatur.* 8. *Inſignes aberrationes a regulis Geographicis in hac Tabula.* 9. *Opinio noſtra de ſcopo Auctoris hujus Tabulæ.* 10. *Conjecturæ ad Opinionis illius veriſimilitudinem facientes.*

1. INter alia in Re Militari præcepta Vegetii, hoc ſequens eſt notatu dignum, cum *de. R. M.* III. 6. *pr.* ait: *Primum Itinerar. a omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſime debet habere præſcripta, ita ut locorum intervalla, non ſolum paſſuum numero, ſed etiam Viarum qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina ad fidem deſcripta conſideret. Uſque eo, ut ſolertiores Duces Itineraria Provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantum adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur; ut non ſolum conſilio mentis, verum aſpectu oculorum viam profecturis eligerent.*

2. Hunc in finem utebantur *Tabulis* ſive *Chartis Geographicis* aut *Itinerariis*, quarum inventio tam apud Græcos, quam Romanos eſt antiquiſſima. Anaximander enim Thaletis auditor, civis & familiaris, qui Servio Tullio Romanorum ſexto Rege floruit, primus Geographicam Tabulam exhibuit, ſi Straboni fides *Geogr. lib.* I. *p.* 11. qui affirmat, *illum prius de ſitu Orbis deſcriptam edidiſſe Tabulam.* Athenienſes quoque Socratis ævo habuerunt *πινάκιον ἔχον γῆς περίοδον*, *tabulam quæ deſcriptionem Terræ continebat.* Socrates enim, ut Alcibiadis faſtum, qui agrorum ad Urbem poſſeſſionibus inſolentior erat, retunderet, referente Æliano *V.H.* III.28. juſſit ab eo in dicta Tabula Atticam requiri; qua reperta, etiam fundos ut ipſe ſuos ibi oſtenderet; quos cum non apparere reſpondiſſet: Quid igitur, inquit, his tibi divitiis & poſſeſſionibus, quæ nulla pars ſunt terræ, & quarum nullam Geographus rationem duxit, tantopere places? Theophraſtus quoque Ariſtotelis auditor & in Schola ſucceſſor, teſtamento juſſit inter alia, *τὸ στοΐδιον οἰκοδομηθῆναι τὸ πρὸς τῷ Μουσείῳ, μὴ χεῖρον ἢ πρότερον, ἀναθεῖναι δὲ καὶ τοὺς πίνακας, ἐν οἷς αἱ τῆς γῆς περίοδοί εἰσιν εἰς τὴν κάτω στοάν*, ut refert *in ejus vita* Diogenes Laertius *de vit. Philoſophor. l.* v. quæ Johannes Sambucus ita reddit: *Deinde juſſit porticum, quæ ſecundum Scholam erat, exædificari, priore non deteriorem, tabulaſque, in quibus Orbis ſitus ſunt, in inferiore porticu reponi*, aut ut melius & verius reddi debet, *ſuſpendi*. Propertius quoque, qui Auguſti ætate floruit, ſatis docet ſuo ævo exſtitiſſe Tabulas totius Orbis Geographicas, *Elegiar.* IV. 3. *vſ.* 37. *& ſeqq.* ubi Arethuſa Lycotæ ſcribit.

Cogor & e Tabula pictos ediſcere Mundos,
Qualis & hæc docti ſit poſitura Dei.
Quæ Tellus ſit lenta gelu, quæ putris ab æſtu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.

& Vitruvius, qui eadem vixit ætate, *Architect.* VIII. 2. ait: *Hæc ſic fieri, teſtimonio poſſunt eſſe capita fluminum, quæ Orbe Terrarum chorographiis picta, itemque ſcripta, plurima maximaque inveniuntur egreſſa ab Septentrione.* Diognetus & Beton itinerum Alexandri Magni fuere menſores, qui loca, quæ adiit, eorumque diſtantias literis commendarunt, quorum commentarii Plinii ætate adhuc exſtabant, ut conſtat ex hujus *H. N.* VI. 17. qui illis, ut & Auguſti Cæſaris, Agrippæ hujus generi, Jubæ Regis Mauritaniæ, commentariis eſt uſus, ut apparet ex *H. N.* libris III. IV. V. VI. Auctorumque Indice, qui libro I. præmittitur: hi enim tres poſtremi diligenter admodum in dimenſionibus terrarum, regionumque deſcriptionibus, ad itinerum commoda & facilitatem, obſervandis & annotandis fuerunt verſati. Neque dubium eſt, quin habuerint Vias figuris deſignatas, ut coram quaſi poſſent cerni. Nam recte Horatius *de A. P. vſ.* 180. *& ſeqq.*

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Imo Plinius *H. N.* III. 2. meminit Tabulæ, quo Orbem per milliaria dimenſum, Urbi ſpectandum propoſuerint Agrippa & Auguſtus, ceu operis perfecti & abſolutiſſimi: ita enim de Bæticæ in longum & latum dimenſione agens loquitur: *Agrippa quidem in tanta Viri diligentia, præterea que in hoc opere cura, cum Orbem Terrarum Urbi ſpectandum propoſiturus eſſet, erraſſe quis credat, & cum eo Divum Auguſtum?*

3. Inter cæteras Antiquitatis reliquias ad noſtra pervenit tempora *Charta* ſeu *Tabula Itineraria*, vulgo cognominata *Peutingeriana*, quia primus eam poſt Celtem repertorem Conradus Peutingerus, (quem Geſnerus *in Bibliotheca* ait fuiſſe Juriſconſultum) Auguſtæ Vindelicorum in Germania, Vir Eruditus & rerum antiquarum curioſus poſſedit. Hanc apud Peutingerum, præter alios, viderunt Beatus Rhenanus *Rer. Germanicar. lib.* I. ubi agit *de Francis p. m.* 35. eamque vocat *Tabulam Provincialem*; Gerardus Noviomagus, *in Hiſtor. Batavica, edit. Scriverii p.* 65. qui appellat *Chartam vetuſtiſſimam, quæ itinera Romanorum militum ex Provinciis nonnullis depicta continet*; Franciſcus Irenicus, *Exegeſ. Germaniæ* IX. 6. & 7. qui *Itinerariam* nominat *Tabulam*. Hic & alii etiam a loco, ubi primum innotuit, dixerunt *Itinerarium Auguſtanum*.

4. Auctor hujus *Tabulæ*, non magis, quam *Itinerarii*, notus eſt, niſi per conjecturas allatas *ſect. præced.* §. 10. ubi Cluverius *ſuſpicatur, Ammianum eſſe auctorem utriuſque operis.* Chriſtianum fuiſſe, arguunt res ex Veteri & Novo, quod vocant, Teſtamento allatæ. Hinc Bertius *in præfat. ad Theatrum Coſmograph. Vet.* ait: *Chriſtianum Auctorem fuiſſe res clamat*: & Moretus *initio ipſius Chartæ* dicit: *Addimus Auctorem Chriſtianum fuiſſe. Id vero ex S. Petri nomine, & iis, quæ de Moyſe Iſraelitiſque tradit, intelligi.*

5. Quod ad tempus, quo hæc Tabula facta, Beatus Rhenanus *l. l.* ait *ſub ultimis Imperatoribus depictam*, quos tamen nominatim non addit. M. Velſerus *in Comment. ad hanc Tab.* ultimos hoſce Imperatores credit Theodoſium, ejuſque filios Arcadium & Honorium, quorum ævo Imperium ad-

huc erat integrum, & Regiones ac Provincias, quarum est in *Charta* mentio, habebat: hæ autem, in ista *Tabula* profecto, ut vero est simile, non exstarent, si post Theodosios facta esset. Neque enim credibile est, scriptorem Romanum in ista *Tabula* descripturum Imperii Provincias, voluisse ibidem describere Provincias, occupatas jam ab aliis, nec amplius Imperio Romano subjectas. Attamen eadem Tabula Theodosianum ævum ante non cedit, cum in illa fiat mentio populorum, urbium, vicorum, aliorumque locorum, qui aut plane non erant, aut saltem ignota ante sæculum Theodosii: unde nonnulli eam vocarunt *Chartam Theodosianam*.

6. Verum Auctor, quisquis ille fuerit, a Velsero ejus interprete *l. l.* accusatur imperitiæ in Geographicis & Mathematicis. Sic enim in eum invehitur: *Auctorem Geographiæ imperitum, Mathematicas literas in universum non doctum fuisse, necessario fatendum. Res enim loquitur, cum neque Provinciarum circumscriptiones & figuræ, neque litorum extremitates, neque fluviorum decursus, neque locorum intervalla Geographicis canonibus respondeant. Inde fit, ut non temere suspicer, hæc in turbido castrensi potius, quam erudito Scholarum pulvere nata, manu Metatoris alicujus descripta esse*. Deinde alio loco, ubi de Sequana locisque huic vicinis, quæ cum longe remotis componuntur, agit, hæc addit: *Quæ cum considero, Auctorem nostrum culpa difficulter libero: nisi ad ruditatem, qua per omnem sane descriptionem usus, confugiamus*: & paullo post: *sed fortassis simplicius & rectius facturi sumus; si Auctoris errorem fateamur*.

7. Si hæc *Charta Peutingeri* veniat examinanda ad Geographiæ aut Matheseos amussim, dubium non est, quin ibi sis visurus errores enormes, manifestos & intolerabiles, quales haud in alio quocunque opere; sive consideres totius Romani Imperii, cujus describit Vias, dimensionem; sive Provinciarum singularum. Primo enim supra vidimus *Sect.* III. §. 2. & 3. ex rationibus Artemidori & Plinii, nec non supputatione Globi Terrestris, Longitudinem Imperii non esse exacte in ratione dupla ad Latitudinem, quæ dimidio fere minor est Longitudine; sed esse circiter ut LX. ad XXXII sive malis, quod eodem redit, ut XV. ad VIII. quam Mathematici artis suæ vocibus appellare solent *rationem superpartientem septem octavas*: nam in XV. habes primum tantumdem atque in VIII. & porro VII. partes octonarii, sic ut una pars octava desideretur, uti Longitudo Imperii exacte sit dimidio major Latitudine. In hac tamen Imperii descriptione, qualis exstat in ista Tabula, Longitudo novies decies habet latitudinem, uti digito monstrari & oculis evidenter cerni potest, si quis circino utramque metiatur. Potestne error magis enormis admitti in rebus, quæ ad mensuram & numerum exigi debent, quam dare undeviginti Latitudines Longitudini, quæ vix duas habet? Neque hoc solum verum est, quantum ad totam Imperii universi mensuram, sed etiam quantum ad singulas ejus Provincias, quæ in ista Tabula mirum in modum producuntur & extenduntur in longum, in latum vero valde coarctantur.

8. Præterea neque littoralis ora maris, sive Oceani, sive Mediterranei, neque sinuum, neque promontoriorum latitudo in hac Tabula secundum proportionem veritati naturali respondent. Majores fluvii, qui super terras a Meridie ad Aquilonem decurrunt, in ista Charta ab Ortu in Occasum convertuntur, una cum urbibus, coloniis & cæteris locis secundum & juxta illos sitis. Quid multa? quo procul magis ab Urbe Roma, quæ istius

A Chartæ non minus, ac Viarum Publicarum ibi depictarum veluti centrum haberi debet, abitur, eo major in situ Urbium, imo & totarum Provinciarum, occurrit perturbatio ac confusio, sic ut vehementer opinio eum fallat, qui sub leges Geographicas hanc Tabulam reducere, atque ad Geometricæ proportionis normam exigere voluerit.

9. Longitudo illa Tabulæ plane præter modum excedens Latitudinem adeo arctam, videtur sane innuere propius consideranti, illud sine ratione aliqua, licet recondita jam & parum intellecta, factum non esse. B Si mihi liceat animi mei sententiam in medium proferre, cum nondum, qui me doceret meliora, auctorem invenerim; bona cum venia doctiorum, qui me errantem corrigere poterunt, dicerem, non ignorantia aliqua, sed dedita opera & de industria datam esse hanc isti Tabulæ formam, qualem videmus. Cujuscunque enim fuerit Auctoris, institutum ejus fuisse videtur, exhibere totum Imperium Romanum, tanquam plateam aliquam sive iter longissimum & coactum in arctum, atque in eo Vias Imperii Publicas quasi *per Synopsin* uno oculi intuitu videndas depingere, & sic subjicere oculis per earum longitudinem & C multitudinem, quam longa & multa fuerint opera illa, hominum industria elaborata, quæ duabus istis, Longitudine & Multitudine, omnia totius Terrarum Orbis opera superarunt. Ut paucis dicam, oculis visendam quasi objicere voluit Romanam Magnitudinem & Potentiam, & maximum in Terris miraculum. Estne enim inter opera, manu humana perfecta, ullum toto Orbe, quod exempli caussa opponi possit hisce Viis, quæ numero XXV. aut XXX. continuantur ab Ortu in Occasum, per longitudinem cIↃ IↃC ac cIↃ. IↃCCC. leucarum Francicarum; a Meridie in septem Triones per spatium hic IↃCCC. ibi IↃCCCC. alibi etiam D cIↃ. leucarum? Neque hic ad rationes veniunt Viæ Vicinales & Militares minoris notæ, quæ magno numero per Imperii Provincias erant. Sane si quod usquam est miraculum in Orbe Terrarum, Viæ Publicæ illud sint, oportet, quod si videlicet consideres excisos aut perfossos montes, exsiccatas paludes, exaggeratas convalles, si materiæ, quæ ad Vias sternendas veniebat, spectes cum varietatem, tum copiam; si tot pontium & portuum, qui tantum opus continuarent, structuras; ad cujus operis perfectionem denique Romani plus hominum coegerunt, plus impensarum contulerunt, quam ad ullum aliud opus, cujus aliqua celebraretur E magnificentia.

10. Mirum itaque non est, si hujus Tabulæ Auctor, cum hoc tantum persequi vellet institutum, non vero aliud quodcunque; non distribuerit singulas Provincias accurate in suum locum, nec depinxerit oras littorales secundum earum flexus & situs: neque enim animus ejus tulit, dare Tabulam Geographicam, aut depingere Imperium Romanum ejusque Provincias; sed solum in isto Imperio & per istas Provincias conspectui exhibere Vias Publicas. Hoc voluit, hoc egit, aliud nihil: nam depinxit Vias simplicibus lineis, nec alias adF didit urbes, oppida, vicos, mansiones, quam quæ juxta, vel secundum vel ad Vias illas erant; quæ inter, loca sunt plurima parvi nominis, quæ in nullis occurrunt Tabulis Geographicis: e contrario præteriit plurimas urbes multi nominis & celeberrimas, quod a Viis istis aberant remotæ. Illud profecto non fecisset, si voluisset secundum regulas Geographicas depingere Provincias Imperii, non vero Vias ejus Publicas & Militares in Provinciis. Agnovit hoc aliqua ex parte *l. l.* M. Velserus, quamvis ignorantiæ non absolverit Auctorem Tabulæ.

postquam enim dixerat, Tabulas Itinerarias solum factas, ut Imperatoribus aut Ducibus cum Exercitu profecturis Viam quasi unico obtuitu monstrarent, addit: *Et nostram Tabulam huic fini paratam, non dubie innuunt dicta hactenus. Clarius adhuc ostendunt lineæ Viarum, & numeri spatiorum indices: ut quod illæ tantum mansiones expressæ, quæ in Vias delineatas incidunt, præteritis aliis non obscuri nominis urbibus. Quorum nihil commisisset Auctor, si ipsas Provincias, non certa in Provinciis itinera describenda sumsisset. At privatum institutum respexit: Metatorem, non Geographum præstitit.*

SECTIO VIII.

Institutum Auctoris Tabulæ Peutingerianæ adhuc paullo magis declaratur.

1. M. Velserus fatetur Tabulam esse non Geographi, sed solum Metatoris. 2. Probatum iri, Auctorem Tabulæ præstitisse nec Geographum, nec Metatorem. 3. Mensurarum tria genera secundum Frontinum. 4. Quales res tribus hisce generibus metiamur. 5. Auctoris Tabulæ scopus, & cur Milliarii Romani mensuram secutus sit. 6. Cur Tabula tam productæ & prolixæ sit longitudinis collata cum sua latitudine adeo arcta. 7. Cur Tabula Peutingeri non sit secundum veram proportionem exacta. 8. Similitudo ad demonstrandum Auctoris scopum: 9. Ejusdem porro declaratio. 10. Exemplo Rheni explicatur Chartæ hujus Anomalia. 11. Hanc Anomaliam non esse decipiendis lectoribus. 12. Planarum Tabularum duplex ratio, verum sub falsa hypothesi monstrans. 13. Chartæ argumentum est Viarum longitudo, nulla ratione habita partium Orbis. 14. Similitudo ad assequendum modum, quo Auctor in Charta componenda fuit usus. 15. Nec præstitit in ea describenda Metatorem, nec Geographum.

1. M. Velserum audivimus supra, fatentem, quod *Tabulæ* Auctor in ea non præstiterit Geographum; unde *l.l.* pergit: *Idque vel idcirco animadvertendum, ne Antiquitatis nomine decepti, Tabulæ auctoritatem, quam Auctor non petit, non meretur, tribuamus. Si quis enim usum sperat, quem ex Geographicis pinacibus diligentissime & scientissime confectis, fallitur.*

2. Recte autem Velserus negat Auctorem Tabulæ *præstitisse Geographum*: at quod affirmat, eum præstitisse tantum *Metatorem*, in eo illum falli puto; nam nec Geographum, nec Metatorem præstare voluit, quod solidis & validis rationibus me persuasurum confido, si licebit paullo amplius & propius istius Auctoris institutum in hac Tabula sua conscribenda indagare.

3. Itaque, ut hinc ordiamur, Rerum *Mensuræ aguntur generibus tribus: per longitudinem, latitudinem & crassitudinem: hoc est, rectum, planum, solidum*: uti docet Julius Frontinus *de Agror. Qualit. in exposit. formar. inter Auct. Rei Agr. ult. edit. p.* 31. Quod Frontinus hic *rectum, planum, solidum* vocat, nostri Geometræ & Physici appellant *Lineam, Superficiem* & *Corpus*. Linea longitudinem sine latitudine metitur, & varias mensuræ species, in quibus sola spectatur longitudo, continet. Talis est *Pes*, quem *l.l.* Frontinus appellat *Pedem rectum* ad differentiam *Pedis plani* & *solidi*. Tale est *Stadium* Græcorum, *Milliarium* Romanorum, *Leuca* Gallorum, *Schœnus* Ægyptiorum, *Parasanga* Persarum. *Rectum est*, ut ait *l.l.* Frontinus, *cujus longitudinem sine latitudine metimur: ut lineas, perticas, stadia, milliaria, fluminum longitudines & similia*. Superficies, quam Frontinus *Planum* appellat, metitur longitudinem & latitudinem, uti Pes planus quadratus, *quem Græci ἐπίπεδον vocant*, Latini *constratum pedem*, teste Frontino *l.l.* Tales sunt mensuræ, quas Latini dicunt *Clima*, *Actum majorem* vel *minorem*, & *Jugerum*; quæ quodammodo conveniunt cum illis agrorum mensuris, quas nostrates sua lingua nominant *Quartels*, *Boisseaux*, *Septiers*, *Arpens*, *Jours*, *Journels*. Corpus, quod Frontinus *Solidum* dicebat, est, cujus metimur longitudinem, latitudinem & crassitudinem, qualis est *Pes Cubicus*, quem Græci στερεὸν appellant, & Frontinus *l. l.* improprie *Quadratum*, cum debuisset potius *Cubicum*.

4. His tribus Mensurarum generibus diversimode res metimur, pro diversa earum natura & ingenio. Nam Stadiis, Milliariis, Leucis, longitudinem Viarum metimur, nulla habita ratione latitudinis aut crassitudinis, quarum aliæ sunt mensuræ. Pede quadrato sive constrato, Climate, Actu majore vel minore, Jugero, quæ longitudinem & latitudinem habent, metimur agros, ædificiorum sola, opera tectoria, inauraturas, tabulas & his similia. At Pede Cubico sive Solido metimur parietum structuras, pilarum, columnarum, obeliscorum, pyramidum, lapidum macerias, & his similia, quorum longitudinem, latitudinem & crassitudinem metimur.

5. Sed redeamus ad Auctorem *Tabulæ Itinerariæ*, cujus institutum non fuit aliud, quam exhibere Viarum Publicarum longitudinem per Imperium, nulla habita ratione latitudinis ejusdem Imperii, nec partium ejus: cumque certa opus haberet mensura ad Vias applicanda, uti ulna solet applicari textili laneo, ut ex ejus multiplici iteratione sciatur hujus longitudo; ita Milliarium Romanum selegit ad dimetiendas Vias Publicas, quod Frontinus paullo ante ajebat usu venire, cum metimur longitudines, insuper habita latitudine. Sumens ergo Milliarium ad sui Operis dimensionem, non habuit rationem latitudinis, quæ ad illius institutum non faciebat. Hinc Imperium sub forma Itineris proposuit, cui dat longitudinem, quæ latitudini comparata apparet prima fronte sine ulla ratione & regula; quamvis secundum Auctoris institutum sumta latitudo habeat & regulam, & rationem, & mensuram.

6. Primo enim oculis subjecturus & numerum & longitudinem Viarum Publicarum, non simpliciter aut ruditer, sed convenienti mensura, qualis est Milliarii, opus habuit pæne infinito & mirifico spatio, ad notandam quamque urbem ad istas Vias, illarumque inter se distantias, & numerum Milliariorum, quibus istas distantias dimetiretur. Ut ergo spatium suo instituto conveniens adaptaret, totum Imperium in minimam contraxit formam, in quam cum id reduceret, vidit, ut urbes, colonias, mansiones, mutationes ad Vias Militares commode adnotaret, sibi aptissimum fore, si *Chartæ* suæ XII. pedum longitudinem daret, quorum X. & dimidius Imperii terras haberent: quantum ad latitudinem, illi adaptavit sex pollices sive semissem, & octo, quæ vocant, minuta; at hæc longitudinis pars est undevigesima, cum alias ex vero ultra longitudinis dimidium habeat, ut ante docuimus. Fecit id, quod judicaret in tam arcta latitudine, tanquam satis patente itinere, se posse depingere omnes Imperii Vias Militares, quas solum delineavit, ceu longitudinem sine latitudine.

7. Cum vero Longitudo vera Imperii ab Ortu in Occasum extendatur, & Latitudo ab Austro pateat in Aquilonem, hinc etiam noster Auctor ab

Ortu in Occasum Imperii longitudinem secutus A est. Quod si voluisset proportionem aut symmetriam latitudinis inire ad longitudinem in ista descriptione Tabulæ, prout secundum veritatem & naturam utraque est, coactus fuisset, secundum regulas supra laudatas, Tabulæ dare latitudinem paullo plus quam pedum VI. & dimidii, ut servaretur proportio, quæ est inter XV. & VIII. quanta est in Imperii terris hic delineatis. Hinc duo incommoda evenissent ipsius instituto minime necessaria. Primum fuisset magnitudo & enormis latitudo talis Chartæ, quæ longa fuisset pedes XII. lata ultra pedes VI. & dimidium, atque adeo, in universum planum saltem pedum quadratorum LXXV. B quæ forma non solum incommoda, sed & vix portatilis, fuisset: deinde in tam vasta latitudine paucissimæ fuissent lineæ, scilicet illæ ipsæ, quæ jam videntur in latitudine digitorum VI. & minutorum VIII. Nam ad XX. aut XXX. lineas, alteram alteri subnotandas, nimium vacui spatii in Tabula fuisset relictum, nullius usus futurum, si lata fuisset VI. pedes & dimidium; adeo ut de tam paucis lineis in tam vasto spatio potuerit Tabulæ adscribi ille Virgilii versus *Æn.* I. 122.

Apparent rari nantes in gurgite vasto. C

Hoc sane dicere potuissent, qui Auctoris institutum nescivissent, quod fuit, solum annotare in ista Charta urbes & alia loca, licet minora & obscura, quæ in itinere per Vias Publicas occurrunt, præteritis Urbibus pluribus magni nominis & celebritatis, quod a Viis Militaribus, quas delineabat, essent remotiores.

8. Atque ideo Auctor istius Tabulæ tantum modo latitudinis in ea spatium sibi sumsit, quantum sufficiebat ad Vias Publicas lineis simpliciter designandas, nec majus aut amplius desideravit. Ita videlicet in vera Imperii magnitudine propemodum se gessit, D ut pistor dulciarius, cum siligineam aut farream massam, quæ longa sit unum pedem, lata dimidium aut paullo plus, in longum producit ad X. pedes & dimidium, servata eadem latitudine, aut nihil eidem addendo; sic enim faciet, ut longitudo, quæ antea latitudinem non omnino bis continebat, jam eam novies decies habeat, sive Arithmeticis verbis, ut longitudo, quæ antea vix erat in ratione dupla ad latitudinem, postea sit in ratione ad eandem novemdecupla. Talis scilicet quoque fuit formæ modus, quem Tabulæ Itinerariæ Auctor dedit Orbi Imperii Romani.

9. Quemadmodum igitur, cum in longum ducitur massa siliginea, E fit, ut partes contiguæ manibus subactæ retro cedant; aliæ, quæ anteriores erant, fiant posteriores; dextræ abscedant in sinistras & versa vice: ita quoque necessario factum est in Regionibus, Provinciis, Urbibus Imperii. Hoc enim dum in longum tantopere producitur & extenditur ad instar itineris, necessario & Terræ & Maria pariter porrigi, velut intestina, debuerunt; ac Provinciæ in adeo angustam latitudinem coactæ sunt, ut, quæ antea inter se remotissimæ fuerant, jam mutuas se quasi intra viscera recipiant. Idem accidit majoribus Imperii fluviis, adeoque & urbibus juxta illos sitis. F

10. Rhenus, exempli gratia, olim Imperii limes inter Germaniam & Gallias, longissimo cursu a Meridie ad septem Triones pergit, atque ita, si secundum veram rei naturam loquimur, fertur per Imperii latitudinem. At cum ista latitudo tantopere in angustum esset coarctata, ut per illam Rhenus commode porrigi nequiret, ad recipiendas secundum fluminis sui cursum cunctas Urbes, Vicos, Mansiones, quæ ad ipsius ripam adjacent & per quas ducit Via Militaris Imperii; hinc Auctor Tabulæ coactus fuit, ut justam Rheno longitudinem daret, in Tabula mutare ejus cursum, sic, ut cum secundum naturam fluat ad septem Triones, jam secundum Tabulæ picturam ac descriptionem feratur versus Occasum, detorto flumine in longum Chartæ, quod in latitudine exhiberi non poterat. Ita Rhenus in Oceanum Septentrionalem influens secundum Naturam, & a Sequana longe remotus, jam secundum descriptionem Chartæ in Oceanum influit Occidentalem prope Sequanæ Ostium. Hoc modo deflectere debuit Auctor omnes fluvios majores, qui ab Austro in Aquilonem defluunt, atque adeo etiam Urbes illis adsitas, quæ proinde ita situm mutarunt, ut, quæ ante vicinæ secundum rei naturam & veritatem patebant ab Austro in Aquilonem, jam secundum Tabulæ picturam porrigantur ab Ortu in Occasum.

11. Neque tamen putandum est, Chartæ Auctorem voluisse lectores suos delusos aut deceptos, aut his persuasum, ea, quæ in septem Triones patent, porrigi in Occasum. Credidit enim Charta hac, quæ tantum *Itineraria* est, usuros, jam ex aliis Tabulis Geographicis perspexisse verum Urbium Provinciarumque situm, verumque fluviorum cursum. Quantum namque ad ipsum, illi perinde fuit, quo Provinciæ vergerent, quo fluvii pergerent, modo in isto spatio commode posset depingere Viarum Publicarum longitudinem: hoc unice in Tabula ista describenda intendit, hoc egit.

12. Namque, ut partim Bertii verbis, Viri in Geographicis versatissimi, *ex præf. in Theatr. Cosmograph. Vet.* utamur, *Planarum Tabularum*, Orbis aut partium ejus, *duplex ratio fuit: una rudior, ad Itinerum tantum directionem comparata*, neglectis Ortus, Occasus, Austri, Aquilonis accuratis distributionibus; *qualis est* hæc *Theodosiana seu Peutingeriana, quam nos damus. Altera accuratior, facta ad constitutionem cœlestem*, & versus quatuor Mundi distincta plagas, *quæ Sphæræ Orbem universum repræsentantis positionem, quoad ejus fieri potest, in plano refert*, observatis gradibus longitudinum & latitudinum; quales sunt Chartæ Cosmographicæ Ortelii & Mercatoris, & Mappæ, ut vocant, contractæ ipsius Bertii. *Illa Græcis πιναχογραφία dicta est; hæc σφαιρογραφία. Utraque autem ita verum assequitur, ut sub falsa hypothesi certam rerum ipsarum constitutionem animo proponat, & quidem sine errore.* Neque mala fide nobiscum agitur, cum falsæ hypotheses proponuntur. Cosmographus exempli gratia alium docens cum ait: Ibi gradus cœlestes sunt XX. quorum unusquisque continet leucas XXXI. & leucæ quadrantem; & tamen gradus illi, quos hoc dicens digito monstrat, cuncti vix dimidium digitum erunt longi. In ejus itaque verbis est manifesto falsa hypothesis. utique sane: at hac falsa hypothesi nos nihilominus verum docet, cum per minimos istos gradus, sive lineolas in Charta descriptas, intelligat gradus cœlestes, Terræ applicatos, qui secundum veram rei naturam in hanc extenduntur longitudinem.

13. Nostra ergo Charta, quamvis eo, qualem diximus, modo detorta, veritatem tamen exhibet sub falsa hypothesi, secundum Auctoris institutum: quod non fuit, ut oculis subjiceret, in quam Mundi plagam versus Ortum, Occasum, Meridiem aut Aquilonem tenderent Viæ Imperii Publicæ; nec, sub quo longitudinis & latitudinis gradu quæque Urbs esset sita. Satis ipsi fuit, exhibere visendam Viarum longitudinem, additis a loco ad locum distantiis, per milliariorum suorum numeros dimensis. Hoc, ut Scholæ vocant, *subjectum adæquatum*

est Chartæ, cujus Auctor cætera ab instituto suo A aliena volens præteriit, eaque Chartis reliquit Geographicis.

14. Si quis desideret perspicere modum, quem in disponendis Viis Militaribus, & locis ad Vias adsitis servavit Auctor istius Chartæ, illi aliqua ex parte poterit fieri satis hac similitudine. Finge tibi magnam arborem, quæ a solo ad cacumen usque ramos in rotundum ambitum, versus quatuor Mundi plagas, quaquaversum extendat æqualiter: hanc arborem finge a summo cacumine ad imum stipitem, ducta quasi linea, a parte australi versus septentrionalem, per mediam rotunditatis diametrum, findi & dividi in duas partes æquales: porro B finge per vim cogi & contrahi ramos, tam hinc australes & septentrionales, quam inde ab altero latere similiter australes & septentrionales: utrosque ramos sic collectos hinc & inde, æquis partibus in oppositum deflecti utrimque, huc ad Ortum, illuc ad Occasum: fiet proinde, ut extrema nonnullorum ramorum vicinorum, qui in situ & statu naturali sese mutuos pæne contingebant, in oppositas deflexa partes magno separentur intervallo; uti e regione coibunt extrema ramorum orientalium & occidentalium, quæ antea maxime distabant. Plane quasi idem contigit in hac Viarum C Imperii Militarium Tabula, quæ ab Urbe Roma, velut rami a sua arbore, extensæ per circuitum in omnes Terrarum partes excurrebant. Hinc Auctor Tabulæ eas inchoavit, una cum ramis inde exortis, qui suis urbibus, vicis, mansionibus, mutationibus, ceu foliis, ornantur, easque Vias deduxit versus aut Ortum aut Occasum, ad quas plagas etiam coegit & produxit Vias, qua versus Austrum & Aquilonem patebant. Hoc modo hasce posteriores contrahens & quasi coarctans non habuit opus majore latitudine in Charta Itineraria. Et quemadmodum ramorum folia situm & locum D non mutant, quem habebant inter se, licet rami ipsi a naturali statu fuerint in aliam partem deflexi; sic etiam series & ordo urbium, quæ ad hanc illamve Viam Militarem erant, mutatus non est, quamvis ipsæ Viæ versus aliam Orbis plagam deflecterentur. Hæc tantum fuit diversitas, quod, quæ secundum rei veritatem ab Austro patebant in Aquilonem, hic secundum descriptionis in Tabula figuram porrigerentur ab Ortu in Occasum; cuncta sine ullo longitudinis Viarum detrimento, quæ sola mensura in ista Tabula spectatur. Porro quemadmodum folia ramorum arboris, quo stipiti sunt propiora, eo minus deflectunt, nec valde dispergE guntur aut separantur inter se; ita quoque comparatum est cum Urbibus ad Vias Militares, quæ ex ipsa Urbe proxime porriguntur: in Urbes enim his adsitas iter est minus flexuosum magisque rectum, quam in Urbes versus extrema Imperii sitas. Ibi enim situs locorum mirifice aberrant, cum urbes in ipso Austro quasi & Aquilone se contingant, quæ ab Ortu in Occasum distant; propter flexus & contractionem scilicet fluviorum aut totarum provinciarum, ab Auctore profectam, in quibus Provinciis & ad quos fluvios istæ Urbes collocandæ tamen veniebant. Charta nihilominus instituto Auctoris satisfacit, ut uno quasi intuitu F commonstret mirificam Viarum Imperii Militarium longitudinem.

15. Ex illis, quæ supra diximus, tantum abest, ut Auctor noster *Geographum* præstare voluerit, ut ne quidem *Metatoris* partes susceperit. Metatores enim metas & terminos designant castris non solum in longum, sed & in latum, ubi exercitus commode castra possit metari: neque enim velut gallinæ in pertica aut aves in amite, possunt collocari milites. Neque castrorum metatio fieri solet pede recto, sed plano & quadrato, vel orgya, sive in longum & latum, quæ a *Mensoribus* fiebat, & *dimensio ad podismum* dicitur. Ipse Velserus hoc agnovit, cum laudavit hæc Vegetii *de R. M.* II. 7. *Metatores sunt, qui præcedentes locum eligunt castris*: & paullo deinde post: *Mensores, qui in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant.* Auctor vero nostræ Tabulæ nullam habuit rationem latitudinis, quam quasi proscripsit & plane neglexit, ut locum faceret longitudini, in qua spatium esset sufficiens disponendis ordine Urbibus & Mansionibus secundum Vias adsitis, & observandis distantiis, ac adscribendis Milliariorum ab altera ad alteram numeris. Hoc ipsum passim hoc libro III. & singillatim demonstrabimus: adeoque jure merito concludimus, Auctorem *Chartæ Peutingerianæ* nec Geographi, imo nec Metatoris partes egisse. Quam rem non animadvertentes Velserus & alii, Auctorem Geographiæ imperitum & Mathematicas literas in universum non doctum pronunciarunt.

SECTIO IX.

Comparatio CHARTÆ PEUTINGERIANÆ cum ITINERARIO ANTONINI.

1. *Complures cum Imperatores, tum viri docti Itinera scripserunt: ante omnia Itinerarium Antonini & Peutingeri antecedunt.* 2. *Cur de his postremis disputemus per aliquot sectiones.* 3. *Prima convenientia inter utrumque Itinerarium.* 4. *Altera convenientia.* 5. *Cluverii super hac testimonium.* 6. *Unde tot corruptelæ Chartæ Peutingeri.* 7. *Depravationes illas non obstare, quo minus Auctoris instituto faciat satis.* 8. *Differentia prima inter utrumque Itinerarium:* 9. *Altera:* 10. *Tertia:* 11. *Quarta & Quinta:* 12. *Sexta & ultima.* 13. *Num Charta Peutingeri facta sit ad Itinerarium Antonini.* 14. *Facilitas illam emendandi, vel novam faciendi ex Itinerario Antonini.*

1. FUerunt nonnulli Imperatores & Viri docti, qui delectati itineribus singularibus Roma in longinquas provincias, ea ipsa scripta posteritati prodiderunt, ut eandem viam profecturis usui essent. Talia sunt *Iter Hispaniense Julii Cæsaris, Dacicum Trajani Imp. Persicum Alexandri Severi Augusti, Brundusinum Horatii, Milesium Ovidii, Africanum Firmiani, Gallicanum Rutilii*, quorum meminit Onufrius Panvinus *in præf. ad Itineraria Rutilii*. Verum super illa omnia laudari debent *Itineraria*, quorum mox comparationem instituemus. Itinera enim supra dicta sunt tantum singularia, & viarum quasi descriptiones ab Urbe in unam aliquam Imperii Provinciam: at *Itineraria Antonini* & *Peutingeri* quaquaversum in universum ducunt Imperium per omnes Vias Militares, aut certe maximam & præcipuam harum partem, quæ ab Urbe ad extrema Terrarum pergunt; quorum alterum scripto exhibet urbes, vicos, mansiones & mutationes, quæ sunt ad Vias Publicas, una cum distantiis per numeros milliariorum adscriptis; alterum easdem Vias & scriptura & simul pictura junctim oculis subjicit.

2. Nec quisquam miretur, cur per tres quatuorve sectiones super utroque hoc disputemus *Itinerario*, cum præ cæteris hoc libro tertio nobis usu veniant, ubi de numero & longitudine Viarum Publicarum agemus; quæ bina longe melius ex his duobus *Itinerariis* percipiemus, quam ex aliis omnibus, quæ forsan adducere potuissemus; modo

recte intelligantur utriusque Operis dotes.

3. Ut ergo institutam comparationem ordiamur, illud certissimum est, quod in multis & conveniant & differant. Primo conveniunt in præcipuo nostri operis argumento: utrumque enim exhibet vias antiqui Imperii non communes quasvis, sed munitas, scilicet ab Auctoribus dictas *Consulares*, *Prætorias*, *Imperatorias*, *Basilicas* sive *Regias*, & ab usu *Militares*. De *Itinerario Antonini* illud passim hoc opere docuimus, tam auctoritate Suritæ, cujus verba legi possunt *in præf. ad Comment. in Itin. Ant.* quam aliorum. Quantum ad *Chartam Peutingeri*, audiatur hujus Interpres M. Velserus, qui *in procæ. ad Chart. Peut.* disertis verbis ait: *Linearum ductus, quibus stationes aut mansiones (sunt ea solennia Metatoribus nomina) conjunguntur, Vias Publicas exprimunt, quas Consulares, Prætorias & Militares appellant*: & paullo post: *Verum ego in schedis nullam non Consularem, aut, quod idem est, Militarem delineatam opinor*.

4. Dein *Itinerarium Antonini* & *Charta Peutingeri* in eo conveniunt, quod describant Vias per nomina urbium, mansionum, mutationum, quæ ad illas Vias erant, & quod distantias definiant milliariorum numeris. Præterea & hoc commune habent, quod in nominibus urbium, mansionum, mutationum, & numeris milliariorum plurimæ & magnæ sint depravationes. Quod ad *Itinerarium Antonini*, satis manifestæ sunt istæ depravationes in locorum nominibus propriis, sic ut Hieronymus Surita maxime in *Commentario* laboret, uti conciliet varias lectiones librorum mss. Ex quinque enim libris mss. quibus est usus, vix duo in locorum vera scriptura sive orthographia conspirant. Quod ad *Chartam Peutingeri*, ipse, cujus cognomen gerit, corruptelarum multitudine deterritus, quæ in nominibus urbium, mansionum, mutationum tam frequenter occurrunt, ut ex denis nominibus vix unum recte exaretur in ista Tabula, noluit eam in lucem dare. *Nam, aut ego fallor*, ait M. Velserus, *aut his ipsis salebris impeditus Peutingerus, quo nemo Antiquitatis studia promovit cupidius, ab editione abstinuit*. Attamen Peutingero satis & studii & eruditionis fuisse ad Chartæ editionem, apparet ex aliis libris ejus in lucem datis, quos inter sunt *Sermones Convivales*, in quibus multa de mirandis Germaniæ antiquitatis referuntur, & *de Gentium quarundam emigrationibus*, quorum meminit Gesnerus *in Bibliotheca*. Quid enim? adeo hæc Charta corruptelis nominum & orthographiæ referta est, ut nec ipse Velserus, cum primum aliquot ejus schedas emitteret in lucem, ausus fuerit sine Commentario eas publicare. *Et periculum fuerit*, at in ejus procem. *si schedas nudas emitterem, ne permulti, quibus illæ jam usui erant, vix inspectas abjicerent, tædium non laturi corrigendi, quæ a descriptoribus errata; commode explicandi, quæ ab Auctore inconcinnius posita; confirmandi, quæ in speciem dubia, incerta; annotandi denique, si qui ab autographo errores viderentur*.

5. Idem est de utroque Itinerario Philippi Cluverii *in præf. ad Germ. Antiq. ubi de Geographia antiqua disputat fol.*4 judicium: *Restant*, inquit, *duo Itineraria; quorum alterum Antonini, sive Antonii cujusdam nomini adscriptum; alterum Tabula illa incerti Auctoris refert, in prælongum producta: utrumque ingentis usus opus, si barbarum illud sæculum, quo librariorum incredibili imperitia incuriaque corrupta fuerunt, salva ad nos sanaque transissent: nunc mutila, manca, detorta, ac plurima ex parte depravata, nil nisi meras tenebras Geographiæ antiquæ ignaris offundunt*.

6. Fieri potuit, ut hæc Charta ab initio distantias habuerit ad numerorum proportionem exactas, verbi gratia, si distantia erat duplo major altera, ut numerus quoque distantiæ duplo major esset; si triplo, aut quadruplo, numerus millium similiter triplo aut quadruplo major esset; tales in Charta nonnullæ reperiuntur, distantiæ numeris suis convenienter dimensæ & respondentes. At fatendum est, negligentia descriptorum in dimetiendis circino lineis, distantias fere omnes depravatas esse & corruptas: sunt enim minimæ distantiæ maximis notatæ numeris, & e contrario maximæ distantiæ minimis.

7. Sed licet hæc Charta adeo sit corrupta, tam in nominum propriorum orthographia, quibus restituendis maxime studuit M. Velserus, quam in distantiis & millium numeris; laude tamen sua fraudari non debet, tum quod facem præferat multis obscuris Historicorum & Poetarum locis, tum quod instituto Auctoris faciat satis, quod diximus supra fuisse, ut exhiberet uno conspectu numerum & longitudinem Viarum Imperii Publicarum. Huc enim rei summa redit: hic unice Auctoris in componenda Tabula fuit finis, hic scopus.

8. Atque in his, quæ diximus, utrumque convenit *Itinerarium*; videamus etiam, in quibus differat. Prima est differentia, quod *Itinerarium Antonini* nobis Vias Publicas exhibeat solum scripto; at *Charta Peutingeri* & literis & lineis. Illud recenset nomina urbium & locorum ad Vias, & numerum millium, quibus inter se singula loca distant: hæc Vias depingit exiguis lineis, super quas disponit urbes & locos certis intervallis, atque adnotatis millium inter illa intermedia intervalla numeris.

9. Altera differentia est in frequentia & numero Viarum Publicarum, quæ in hac & illo sunt. In illo *Itinerario Antonini* videmus Vias admodum CCCLXXII. In hac Charta numerus Viarum certus sciri nequit, propter frequentes Viarum concursus & commistionem; item quia ex Charta judicari non potest, ubi Viæ initium, ubi finem habeant, nisi duce utaris *Itinerario Antonini*, quod cujusque Viæ initium & finem definit.

10. Tertia differentia est, quod utrumque Itinerarium sæpe ab iisdem urbibus, mansionibus, mutationibus incipiat iter, at idem non prosequatur eodem modo nec finiat. Sæpe enim in Viis duabus tribusve *Chartæ*, quærendæ sunt urbes & loca alia, quæ in *Itinerario Antonini* tantum unam faciunt Viam. Id factum est in *Charta*, mutatis & transpositis, ob rationes supra dictas, Provinciis. Hinc Via ex *Itinerario Antonini* in *Charta* videtur in duas tresve secta & divisa, nisi per rationem animo concipiamus imaginem, quæ in *Charta* deest conspectui & situi locorum.

11. Porro, quæ differentia est quarta, si conferas utriusque Itinerarii Vias, invenies subinde plures urbes, mansiones & mutationes in hoc, quam in illo. Modo enim tres quatuorve habebit *Itinerarium Antonini*, quæ non erunt in *Charta Peutingeri*; & e contrario subinde totidem *Charta* habebit, quas *Itinerarium* nesciet *Antonini*. Quinta differentia est juxta hanc, quod etiam in illis nominibus, quæ communia habent, duobus modis alterum Itinerarium ab altero longe abeat: prior est, quod nomina *Itinerarii Antonini* efferantur *accusandi* casu, *ad quæstionem factam per QUO*: at *Chartæ* per *auferendi* casum, *ad quæstionem factam per QUA vel UNDE*. Illud vero accipi volumus de *Itinerario Antoninii* ex editione *Schotti*, cum ejusdem & *Suritæ* notis. Sunt enim alias libri mss. illius operis, qualis fuit ille in Thuanea Bibliotheca, in quibus æque, atque in *Charta*, omnia nomina *auferendi*

casum habent, ut cum Grammaticis hic loquamur. Posteriore modo per Orthographiam nomine differunt: ut enim differentiam casuum seponamus, inter decem nomina vix invenies duo, quæ per omnia & ex asse conveniant ratione Orthographiæ.

12. Sexta & ultima differentia sita est in numeris, qui distantias locorum per sua milliaria definiunt. Licet enim hac ratione utrumque Itinerarium in multis conveniat, in plurimis tamen differt. Quæ res supra omnes alias dubium facit, Chartam esse descriptam ad fidem *Itinerarii Antonini*.

13. Videtur enim ex mutua utriusque convenientia, quam antea recensuimus, colligi posse, quod Auctor *Chartæ* in isto opere secutus sit *Itinerarium Antonini*, & hoc in figuras & tabulam voluerit redigere, ut, cujus imago ante solo animo ex nudis & simplicibus locorum nominibus concipi debebat, jam oculis coram quasi uno intuitu cerni posset, figuras Viarum lineis ab altero extremo ad alterum deductis addendo & disponendo. Verum diversitas illa cum in nominum & locorum Orthographia, tum in numeris millium, videtur persuadere, diversa quoque hæc esse opera, quamvis utrumque ad eundem pergat finem. Quod si *Charta* ad *Itinerarium Antonini* descripta sit, accusanda forsan erit Auctoris infelicitas, qui in hac Tabula describenda & depingenda usus fuerit libro mirum in modum corrupto.

14. Cæterum perfacile ad fidem *Itinerarii Antonini* hæc *Tabula* emendari posset: imo ex *Itinerario Antonini* adhuc facilius plane nova Tabula fieri posset, in qua, reducta ad minimam formam Imperii Romani magnitudine, circini ope observarentur milliaria inter locorum distantias ita ut distantiarum & numerorum proportio mutua esset; uti, exempli caussa, distantia XXX. leucarum, ter habeat longitudinem distantiæ X. leucarum, quia in XXX. ter est denarius numerus; atque hoc modo & Geometria & Arithmetica in tali conspirarent Tabula, quod opus majoris foret temporis & otii, quam laboris aut ingenii subtilioris.

SECTIO X.

De Mensuris generatim, & speciatim de iis, quibus dimetiri solebant Vias Imperii Militares.

1. *Divisio Terrarum orbis in partes majores, harumque in minores, & quomodo hæ mensuris definitæ.* 2. *Mensura secundum Frontinum quid sit & quot ejus species.* 3. *Mensurarum a minimis ad majores accuratior enumeratio.* 4. *Passus, Stadium, Milliare, Leuca, communes Viarum Publicarum mensuræ. Passuum tres differentiæ.* 5. *Passus Geometricus solus Viis Publicis dimetiendis inserviebat. Passus unde dictus.* 6. *Differentia inter Passum Geometricum & Communem. Mensuræ omnes per artem definitæ.* 7. *Milliarium in omnibus Chartæ Peutingerianæ numeris subaudiri debet.* 8. *Quomodo millia passuum in Itinerario Antonini notentur, & quid significent literæ singulares P. M.* 9. *Refutantur, qui has exponunt per* Millia plus Minus. *Prima ratio contra hos:* 10. *Altera:* 11. *Tertia ratio contra eosdem.* 12. *Hieronymi Suritæ super illa expositione judicium.* 13. *Nostra opinio.*

1. VEteres Orbem Terrarum diviserunt in Partes; Partes iterum in Imperia; Imperia in Regna; Regna in Provincias; Provincias in Regiones; Regiones in Civitates & Communia; Civitates in Regiones minores, quas nostrates *Cantons* vocant; has iterum in Territoria; & hæc in Sylvas, Paludes, Vineas, Agros. Hæ partes ut essent inter se distinctæ, & suis possessoribus usui ac fructui, fuerunt per limites finesque certis lineis ad Terminales lapides definiendæ ac describendæ, ut ad oculum appareret divisio, separatio ac limitatio. Id sine mensuris fieri non potuit, quæ pro natura rerum metiendarum inter se differunt. Aliter enim Imperia, aliter Regna, aliter Agros ac Possessiones metimur; quamvis inter omnes hasce mensuras mutua quædam intercedat relatio & proportio.

2. *Mensura*, secundum Frontinum *de Agror. Qualit. in exposit. Formar. inter Auct. Rei Agrar. p. m. 29. est complurium & inter se æqualium intervallorum longitudo finita. Finitur, ut pes per uncias, per pedem decempeda, per decempedam actus, per passus stadium, per stadium milliarium, & his similia. Mensurarum* autem *rationes, quibus utimur sunt duodecim: Digitus, Uncia, Palmus, Sextans, Pes, Cubitus, Gradus, Passus, Decempeda, Actus, Stadium, Milliarium.* Hæc vero referenda sunt ad Agrorum dimensiones. Nam ut habent Excerpta vetera *de Mensuris, inter Auct. R. A. p. m. 320. Digitus est pars minima agrestium Mensurarum.*

3. At qui accuratius has Mensuras perspexerunt, ajunt, quemadmodum *unitas* in Arithmeticis, *punctum* in Geometricis sunt extrema minima, ad quæ tandem venimus; sic minimam Mensuram esse *granum hordei*, secundum latitudinem suam. Quatuor talia grana juxta se posita in transverso aut secundum latitudinem facere digitum, ex quatuor digitis aut tribus pollicibus fieri palmum; ex quatuor palmis pedem; ex quinque pedibus passum; ex CXXV. passibus stadium; ex octo stadiis milliare; ex duobus milliaribus leucam Francicam. In his Geometræ conveniunt, & memoriæ gratia hos qualescumque versus vulgarunt:

Quatuor ex Granis Digitus formabitur unus,
Est quater in Palmo Digitus, quater in Pede Palmus,
Quinque Pedes Passum faciunt, Passus quoque centum,
Quinque & viceni Stadium dant: sed Miliare
Octo dabunt Stadia, & duplicatum dat tibi Leucam.

4. Quamvis autem omnibus hisce Mensuris Vias possimus metiri Publicas; *Passus* tamen, *Stadium, Milliarium* & *Leuca* communiores & usitatiores sunt Mensuræ præ cæteris. Hinc etiam in *Antonini Itinerario* & *Peutingeri Charta* frequentiores sunt, & ubique observantur. Quare ab re non erit, quatuor has Mensuras persequi accuratius. Inchoemus a *Passu*, qui inter has minima est. *Passus* significatio valde est ambigua, quod Geometræ tres *Passuum* differentias faciunt, quarum unaquæque iterum habet *Passum Simplicem* & *Duplicem*. Primæ differentiæ *Passus Simplex* longus est pedes II. *Duplex* longus pedes IV. Alterius differentiæ *Passus Simplex* est longus pedes II. & dimidium, *Duplex* longus est pedes V. Tertiæ differentiæ *Passus Simplex* longus est pedes III. *Duplex* longus pedes VI.

5. Inter hasce *Passuum* differentias dimetiendis Viis Publicis unus tantum inservit, scilicet *Duplex* alterius differentiæ, quem diximus longum esse pedes V. hic enim *Stadia* & *Milliaria* metitur, unde κατ' ἐξοχὴν dicitur *Passus Geometricus*. Dicitur autem *Passus* Latinis a *pandendo*, ab *expansis* scilicet manibus: communis enim hominum mensura est quinque pedum, qui etiam inter extrema utriusque manus expansæ, extensis brachiis, porriguntur; & credunt vulgo, quanta sit in quocunque homine hæc manuum expansio, tantam

& exacte parem esse staturam illius hominis naturalem.

6. *Passus* hic *Geometricus* ita dictus est ad differentiam *Passus communis*, quem Latini vocant *Gressum* sive *Gradum*, cui dant pedes duos & dimidium, sive dimidiam mensuram *Passus Geometrici*, qui pedes v. continet. Sic Frontinus *l. l. p.* 30. *Gradus habet pedes* II. S. *Passus habet pedes* v. Hic vero *Gressus* vel *Gradus* æqualis fere est naturali hominis incessui sive pedum passui, cum progreditur; quam nos Mensuram vernacule vocamus *un Appas*, unde nobis *Appasser quelque chose*, est aliquam rem eundo passibus pedum emetiri, sive crurum pedumque expansione obiter dimetiri, uti solemus expansis circini cruribus aliquid metiri. Quamvis autem in rerum Natura homines valde differant alter ab altero ratione corporis, staturæ, magnitudinis; Ars tamen Passuum per v. pedes definivit, uti factum est & in aliis Mensuris, quæ a partibus humani corporis denominantur. Cum enim membra humana pro diversa magnitudine corporum, sint varia quoque magnitudine, Ars, quæ Naturam juvat & perficit, hæc omnia ad certam definivit magnitudinem, *Gradum* ad pedes II. S. *Cubitum* ad sesquipedem; *Pedem* ad uncias XII. vel digitos XVI. *Digitum* ad IV. grana hordei transversim posita. Noluit scilicet has mensuras esse incertas, & in unius cujusque privati arbitrio positas, tales, quales quisque vellet; verum certas esse voluit, & communi quasi hominum usu sancitas, ad commoda vitæ & commerciorum, cum intersit Reip. illa per Artem certa definiri, quæ per Naturam incerta erant & varia.

7. Veniamus jam ad *Milliare* sive *Milliarium*, quod a mille passibus Geometricis sic vocatur Latine. Horum vocabulorum alterutrum semper debet subaudiri in numeris *Chartæ Peutingerianæ*: exempli gratia in ipso initio: *Burdegalo* IX. id est, *novem milliaria*. *Serione* XX. id est, *viginti milliaria*. Si malis sequi morem *Itinerarii Antonini*, in quo nec *Milliare* nec *Milliarium* legas, sed *Mille passus*, aut *Millia Passuum*, eodem res redibit, cum *Milliarium* sit mensura *mille passuum*.

8. Hæc bina vocabula, *Mille Passus*, aut *Millia Passuum*, vulgo in *Itinerario Antonini* notantur duabus literis majusculis M. P. ut in ipso limine, *p.* I. *Ab exploratione, quæ ad Mercurl dicitur, Tingim usque* M.P.CLXXIV. id est, sunt *millia passuum* 174 aut *milliaria Italica*, aut *millia* totidem: sic porro: *ibid.*

Salaconiam	M. P. XVI.
Thamusidam	M. P. XXXII.

& ita in cæteris per istum librum passim.

9. Fuerunt tamen eruditi, qui has literas singulares M.P. in *Itinerario* exposuerunt *Millia plus minus*, sed vehementer errarunt, ut ex pluribus clarissimis rationibus apparet: quarum prima est, quod ex Plutarcho *in vit. C. Gracch. c.* 9. & pluribus aliis sciamus, Viarum Militarium mensuram fuisse certam & definitam, Viasque dimensas ad decempedam & lineam, & singula milliaria lapidibus, quæ & numerum & fines indicabant, fuisse distincta. At si hæ literæ singulares M. P. significarent *plus minus*, nihil certi, nihil definiti in omnibus *Itinerarii* numeris foret; quod contra Mensurarum veritatem esset, a quibus, ut certis, plures mansiones & mutationes nomina sua propria habuerunt, ut in hoc ipso *Itinerario* leguntur: *p.* 102. *Ad Septimum Decimum*: *p.* 25. & 49. *Ad Vigesimum*: *p.* 63. *Ad Tricesimum*: *p.* 70. *Ad Centesimum*, & alia, quibus certe hæc nomina non convenirent, nisi justa secundum istos numeros fuisset mensura.

10. Altera ratio est, quod si *Milliaria* computata forent *plus minus*, adeoque non definita certo numero, *Stadia* quoque & *Leucæ* tali modo, ubi in *Itinerario* usu veniunt, computarentur: sic exempli caussa legendum esset *p.* 95.

Aquas Celenias	*Stad.* CLXV. P. M.
Vicum Spacorum	*Stad.* CXCV. P. M.

sic & distantiæ Leucarum *p.* 84. legerentur hoc modo:

Bedam Vicum	*Leug.* XII. P. M.
Ausavam Vicum	*Leug.* XII. P. M.

ut notaretur, ab altero ad alterum tot esse *Stadia* vel *Leucas plus minus*. At hoc fieri nec potuit, nec debuit, cum certus esset & definitus Stadiorum Leucarumque numerus, æque ac Milliariorum.

11. Tertia ratio peti potest, a modo computandi intervalla inter Urbes majores & celebriores, ubi primum ponit numeros Milliariorum summatim: exempli gratia Viam Durocortoro Divodurum summatim sic dimetitur *p.* 82.

Item a Durocortoro Divodurum usq; M.P. LXII. *sic.* Deinde numerum hunc per vocem *sic* singillatim dividit & partitur:

Basilia	M. P. X.
Axuenam	M. P. XII.
Virodunum	M. P. XVII.
Fines	M. P. IX.
Ibliodurum	M. P. VI.
Divodurum	M. P. VIII.

Jam vero hosce sex numeros si in unam summam colligas, invenies *Milliaria* LXII. quod non fieret, *si Milliaria* justo certoque non convenirent numero.

12. His accedat Suritæ judicium, quod in *Comment. p.* 180. habetur: *Illud tamen*, inquit, *mirum videri debet, in omnibus exemplaribus, unico vetustissimo excepto, ineruditum, ne dicam ineptum, aliquem Virum, notas illas* M.P. Millia plus minus *fuisse interpretatum: cum confirmare hoc liquido possimus, Vias eas certis & constantibus lapidum dimensionibus fuisse demetatas; ut inepti ac stupidi ingenii sit*, plus minus *pro* M.P. *transferre*. Talis quoque est ille, cujus meminimus, Bibliothecæ Thuaneæ liber ms in quo mox a limine hæc verba plenis literis scribuntur: *Tingi usque milia plus minus* CLXXIV. *Rusader milia plus minus* CCCXXVIII. *Cæsarea Mauritaniæ milia plus minus* CCCCXCIV. *Saldis* M. PM͂. CCXVIII. & infra has notas M. PM͂. inter lineas, minutis, sed tamen antiquis, literis scriptum est: *i. milia plus minus*. Cæterum fere per totum librum Milliaria sunt scripta tribus hisce literis M. PM͂. circumflexo, ut vides, addito; quarum prima M. si verum amamus, primo initio notavit *millia*; alteræ binæ P.M. sunt literæ prima & ultima *τοῦ passuum*, quæ nota circumflexi in compendium scriptionis redactæ sunt, & notant quoque *passuum*, non vero *plus minus*.

13. Quod si mihi licet meam super isto errore opinionem in medium adferre, putem inde ortum, quod Viarum Milliaria duobus modis in illo *Itinerario* proponantur: primo summatim ab altero extremo ad alterum; deinde singillatim per loca intermedia, ut paullo ante monuimus: cumque in præmissa numerorum summa subinde sit plus minusve, quam in singulis deinde in summam unam collectis reperitur, fieri potuit, ut numerorum summæ præmissæ eo casu adscripserit *Itinerarii* Auctor: *Millia plus minus*, ut quæ non sit plane æqualis numeris suis singularibus in unam summam collectis: & deinde per errorem *τὰ plus minus* adscripta quoque numeris singularibus æque

ac summæ præmissæ, quæ tam certa non est, quam numeri singulares, quia in supputandis numeris singularibus & in unam summam colligendis facilior est error; aut quia error unitatis aut binarii, plus minus, in majori numero sive summa vix animadverti meretur. Exempli gratia, Durocortoro Divodurum Via duobus itineribus describitur, quorum prius §. 11. jam allatum est, ubi summa ipsa & singuli numeri summatim collecti pares sunt; posteriore, summa præmissa & singuli numeri summatim collecti unitate differunt, unde Auctor summæ huic præmissæ adscribere potuit: *Millia plus minus*, & sic in aliis similibus, ut ita significaret, summam præmissam non ita exacte & omnino convenire cum numeris singularibus summatim sumtis: en tibi ipsum posterius iter: *p.* 82.

Alio itinere a Durocortoro Divodurum usque M. P. LXXXVII. *sic*:

Fanum Minervæ	M. P. XIV.
Ariolam	M. P. XVI.
Caturigas	M. P. IX.
Nasium	M. P. IX.
Tullum	M. P. XVI.
Scarponam	M. P. X.
Divodurum	M. P. XII.

In hisce summa præmissa M. P. LXXXVII. unitate major est, quam numeri singuli in unam summam, quæ reddit M. P. LXXXVI. collecti. Plures similes, unitate aut binario plus minus differentes, summas, quisquis voluerit comparare summas, & singulares earum numeros in summam denuo collectos, reperiet: unde forsan potuit fieri, ut summis adscriberentur τὸ *plus minus*, non vero singularibus numeris. Verum in re adeo incerta nihil affirmo.

SECTIO XI.

Comparatio & Ratio inter Stadium Græcorum, & Milliarium Romanorum.

1. *Celebriores Nationes proprias Mensuras habuerunt Viarum.* 2. *Natio eadem in Viarum mensuris iisdem sæpe sibi non constat.* 3. *Unde tam incertæ mensuræ in Viis quandoque usurpatæ.* 4. *Milliaria in Viis Imperii Publicis fuisse certa.* 5. *Quando Milliaria cœperint per Lapides numerari.* 6. *Cum Viarum Publicarum mensura sit certa quantitate definita, qualis illa sit & quanta, inquirendum.* 7. *Mensuram Stadii esse* CXXV *passuum aut* IↃCXXV. *pedum apud Latinos.* 8. *Suidas & Plutarchus Stadium faciunt longius* CXXV. *passibus*: 9. *Polybius vero minus* CXXV. *passibus.* 10. *Tutissimum medio ire.* 11. *Græcarum & Romanarum, quæ Stadium metiuntur, mensurarum Comparatio.*

1. EX Græcis Latinisque constat Auctoribus, celeberrimas per Terrarum Orbem Nationes habuisse suas sibi mensuras, ad dimetiendas distantias & limitanda locorum intervalla, ut sic viæ & itineris instituendi longitudinem ad calculos & rationes possent vocare. Hebræis in usu erat *Cubitus*, non vulgaris, qui secundum Frontinum *l. l. p.* 30. & alios habet sesquipedem; sed ille, qui *Geometricus* cognominatur, ex Cubitis sex simplicibus & vulgaribus compositus, adeoque novem pedes longus, quem Hebræi etiam aliter vocant *Ulnam*, si credimus Antonio du Pinet, *in libro vernaculo de Ponderib. & Mensuris*. Persæ Vias dimetiebantur *Parasangis*: Ægyptii

A *Schœnis*: Græci *Stadiis*: Latini *Milliariis*: Galli *Leucis*: Germani primum *Diebus* simpliciter, deinde certa mensura, quæ ipsis dicebatur *Rasta*. Docet D. Hieronymus *in Commentar. super Joel.* III. 18. cum ait: *Unaquæque Gens certa Viarum spatia suis appellat nominibus. Nam & Latini Mille Passus vocant, & Galli Leucas, & Persæ Parasangas, & Rastas universa Germania.*

2. Neque solum inter diversas Nationes diversa est Viarum mensura; sed neque inter se ipsa eademque Natio singillatim fere convenit ulla, quæ plerumque in mensuris, ejusdem licet nominis, re tamen ipsa diversitatem aliquam habet: unde nec *Schœni* Ægyptiorum, nec *Leucæ* Gallorum, B nec *Milliaria* Latinorum, nec *Stadia* Græcorum habent æqualitatem penes eas ipsas, apud quas sunt in usu, Nationes. *Schœnus Ægyptius* vulgo habet LX. Stadia, ut discimus ex Herodoto *Euterp. sive lib.* II. *p.* 40. *edit. Steph & p.* 90. *Latinæ Wechelianæ*, ubi ait: *Constat autem Parasanga tricenis; Schœnus, qui mensura est Ægyptiaca, sexagenis Stadiis.* Vides hic Schœnum continere duas Parasangas, secundum communes, certas & consuetas illarum regionum mensuras. E contrario tamen Strabo *Geogr. lib.* XVII. *p. m.* 608. ait: *Nobis* C *autem navigantibus alia atque alia Schœnorum mensura distantias reddiderunt, ut quibusdam in locis* XL. *Stadiorum Schœnum ac plurium esse concederent. Quod autem etiam apud Ægyptios inconstans sit Schœnorum mensura, ipse Artemidorus deinceps declarat. A Memphi enim usque in Thebaidem Schœnos singulos facit* CXX. *Stadiorum, a Thebaide usque in Syenem* LX. Idem accidit *Leucæ*, idem *Milliario Latino*, idem *Stadio*. In Gallia vix duos reperias Mensores, qui in longitudine Leucæ conveniant definienda. In Italia quoque ibi non constant *Milliaria* pari æqualitate: videbis subinde distantiam locorum uno definiri Millia- D rio, quæ a II. M. P. parum abest. Tempus quoque, ut omnia, ita & Milliaria mutavit & variavit Italica. Fatetur hoc Leander Albertus, ipse Italus, qui *Italiam* Italice descripsit vernacula lingua, cujus verba interprete Guil. Kyriandro Hœningeno JC. hæc sunt, ubi de *Umbria* agit *p. m.* 135. *Dictus ita fortasse* (Pons Centesimus) *quod hinc* M. P. *centum usque Romam intercederent: quanquam hac ætate non eadem distantia censeatur, cum illis temporibus diversa ratione computandi locorum intervalla milliariaque videantur usi. Ejus rei argumentum ex Antonini Itinerario manifestum sumi potest; etenim haud obscure veterum* M. P. *nostris* E *fuisse minores inde discimus, ut curiosos ac diligentes latere minime potest.* Si malis verba ipsius Auctoris lingua, quæ huc faciunt, en illa ex *edit. Italic. p.* 91. *Conciosia cosa che secondo la misura, che usa Antonino nel suo Itinerario, pare, que fessero gli antichi piu brevi, que non sono i moderni.* Ita quoque comparatum est cum Græcorum *Stadio*.

3. Nihilo tamen minus certum est, omnes istas Mensuras certa longitudinis quantitate, vulgo in singulis regionibus recepta & usitata, fuisse definitas, quarum usus erat in distantiarum & agrorum dimensionibus: Hoc enim Ponderibus, Numeris & Mensuris proprium est, ut ad certam definiantur quantitatem, cui si quid addas demasve, statim speciem suam priorem, ut cum Scholis loquar, F auferas, eamque mutes, necesse est. Unde ergo tantopere variant distantiarum mensuræ? Forsan quod, exceptis Viis Publicis, omnes distantiæ & intervalla inter urbes, vicos, aliaque loca non adeo ad numerum certum essent dimensa, uti alias agri aliqua pars solet ad decempedam definiri per mensores: plerumque enim ad prospectum distantiarum exigebant mensuræ rationes: quare in ejus-

modi mensuris sæpe occurrit *τὸ circiter*. Sic Cæsar *de B. Gall.* v. 2. *Ex Portu Itio commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat, circiter* M.P. XXX. *a continenti*. Strabo *Geograph. l.* IV. *p. m.*336. *Ad ipsum* (Lugdunum) *pedestri per Allobroges itinere stadia sunt circiter ducenta*. Hinc Philippus Cluverius *de trib. Rheni alveis c.* 4. *p.*31. *edit. Scriver.* contendit: *Neque Cæsarem, neque Plinium adeo exacte sua quemque millia passuum pedibus dimensos fuisse, uti ne unis quidem millibus computatio aberret*. Neque enim hi Scriptores & ipsi decempedatores fuerunt, sed secuti sunt communem opinionem, & rationes numerorum in singulis regionibus a vulgo receptas; id quod, si Viis abeas Publicis certa semper distantia dimensis, fieri aliter non solebat.

4. Verum quod ad *Stadia*, *Milliaria*, aut *Leucas* in *Antonini Itinerario* adnotatas, mensuræ illæ sunt certæ ac ad dimensionem definitæ, lapidibus aut columnis, a ratione mensuræ in Viis Romanis usitatæ, *Milliaribus* dictis, distinctæ, quæ inscriptos habebant Milliariorum numeros, quot inter utrumque extremum ad locum aliquem celebriorem, quo vel unde ducebant, erant interjecta.

5. Hinc Augusti ac Tiberii ævo cœperunt milliaria lapidibus inscripta per ipsos *lapides* numerari, ut, *ad octavum*, vel, *decimum lapidem*, pro *ad* VIII. aut X. M.P. Livius v. 49. *Ad* VIII. *lapidem Gabina Via*. Cornelius Nepos *in Vit. Attici* c. 22. narrat Pomponium Atticum *sepultum esse juxta Viam Appiam ad* v. *lapidem in monumento Q. Cæcilii avunculi sui*. Sic etiam Jcc. voce *lapidis* utuntur, ad limitandos & describendos Magistratuum Romanorum in jure dicundo & notione observanda terminos. Sic *l.* 1. §. 4. *ff. de officio Præf. Urb. Sed & si quid intra centesimum Milliarium admissum sit, ad Præfectum Urbi pertinet: si ultra ipsum lapidem, egressum est Præfecti Urbi notionem*: eodem modo *Lapidis* vox accipienda in *l.* 21. §. 2. *& 3. ff. de Excus. Tut. & l. 2. C. de Erogat. milit. Annon.*

6. Cum ergo Mensuræ Viarum Publicarum, per Stadia, Milliaria & Leucas definitæ in *Antonini Itinerario*, sint mensuræ certæ, inquirenda nobis erit vera earum longitudo inter tot aberrantes; si velimus accurate & certo nosse Viarum Imperii Publicarum, tam in universum, quam singillatim longitudinem. Fieri autem hoc non poterit, nisi pro Mensurarum ratione eas inter se comparemus alteram alteri.

7. Ut ergo a *Stadio* fiat initium, etiam ipsi Græci, qui eo in dimensionibus utuntur, super eo non conveniunt. Communior est sententia, longitudinem certiorem illius esse CXXV. passuum Geometricorum qui justis rationum calculis æquant IↃCXXV. pedes. Frontinus, *de Agror. Qualit. ubi de formis p.* 30. ait *Stadium habet pedes* IↃCXXV. Idem dicunt antiquiores & celebriores Auctores, qui Mensuras commemorant. Plinius disertis verbis affirmat *H.N.* II. 23. *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque*. Unde hac proportione Stadia Eratosthenis in dimetiendo Orbis circuitu ad Milliaria reduxit Romana: *l.l.* II. 108. *Universum autem hunc* (Orbis) *circuitum Eratosthenes, in omnium quidem literarum subtilitate, & in hac utique præter cæteros solers, quem cunctis probari video, ducentorum quinquaginta duorum millium stadium prodidit: quæ mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum*. Cum enim Milliarium æquet octo Stadia secundum mensuram communem, si CCLII. *Millia Stadiorum* Eratosthenis dividas per VIII. habebis certis calculis *trecenties quindecies centena*, M.P. Plinii; vel notarum Arabicarum compendio: 252000. Stadia per 8. divisa reddunt Milliaria 31500. vel aliter: Stadium quodque habet 125. passus, ergo si per 125. multiplices 252000. habebis passus 31500000. qui Plinio sunt *trecenties quindecies centena* M. P. Columella ejusdem fuit sententiæ, *de R.R.* v. 1. *Stadium habet passus* CXXV. *id est, pedes* IↃCXXV.

8. Attamen hæ auctoritates non obstant, quo minus alii longius, alii brevius faciant Stadium. Suidas paullo facit longius Stadium, cum *verb. σάδιον* ait: *Επτα ἥμισυ σάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν. Septem Stadia & dimidium faciunt milliarium unum.* Hac ratione Stadium habebit passus CXXXIII. & trientem, non vero passus CXXV. Hoc nonnihil ad illud accedit, quod in Plutarcho legimus *in vita C. Gracchi, edit. Græco-Lat. p.* 1535. *Τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σαδίων ὀλίγον ἀποδεῖ. Milliarium octo Stadiis paullo minus est*. Idem Auctor narrat *in vit. Camilli* c. 48. Brennum *noctu cum exercitu ab Urbe discessisse, ac sexaginta stadia progressum, ad Gabinam Viam castra posuisse*: quod idem Livius v. 49. ait factum, *ad octavum Lapidem Gabina via*. Sane si Milliaria sumas pro Stadiis VII. & dimidio, LX. Stadia Plutarchi erunt VIII. M. P. Livii.

9. Verum e contrario Polybius Milliario plura quam octo Stadia adscribit, adeoque Stadio pauciores quam CXXV. passus adsignat. Audi super hac re Strabonem, *Geogr. l.* VII. *p.*590. *edit. Lat. Janson.* ubi meminit *Viæ Egnatiæ*, quæ ab Apollonia usque Cypselum & Hebrum amnem habet lapideas columellas milliares, longa IↃXXXV. M.P. *Computatis vero*, addit, *per singula millia stadiis octo, stadiorum erunt* IV. *millia &* CCLXXX. *Adjungit Polybius unicuique Stadio diplethrum, id est, jugera duo, quæ Stadii pars tertia est: unde adjicienda sunt Stadia* CLXXVIII. *& tertia Stadii pars Milliariorum numero*. Græca sic sonant: *Λογιζομένῳ δὲ, ὡς μὲν οἱ πολλοὶ, τὸ μίλιον ὀκτασάδιον, τετρακισχίλιοι ἂν εἶεν σάδιοι, καὶ ἐπ' αὐτοῖς διακόσιοι ὀγδοήκοντα. ὡς δὲ Πολύβιος προστιθεὶς τῷ ὀκτασαδίῳ δίπλεθρον, ὅ ἐστι τρίτον σαδίου, προσθετέον ἄλλους σαδίους ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ὀκτὼ, τὸ τρίτον τοῦ τῶν μιλίων ἀριθμοῦ.*

10. In tanta opinionum varietate optimum erit sequi communiorem, quæ Stadio CXXV. passus, & VIII. Stadia adscribit Milliario: cum & ipse Strabo *l. l.* totidem Stadia in Milliario computet: & quod ad Polybium, ille, quamvis Milliarium diplethro longius faciat *l. l.* Strabonis, tamen communem sequitur computationem: hæc enim ipsius sunt verba, *Histor.* III. 8. *p.* 204. *edit. Latin. Stærianæ minoris ex versione Nic. Perotti*, ubi nonnullas Hispaniæ distantias enumerans ait: *Hæc enim a Romanis diligenter stadiis octo dimensa sunt & signata*. Græce ita habent *edit. Græc. L. p.* 193. *Ταῦτα γὰρ νῦν βεβηματισαι καὶ σεσημείωται μετὰ σαδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς*. *signata*, scilicet lapidibus milliaribus: narrat hæc Polybius de Via, quæ ex Hispania per Galliam Aquitanicam ducit ad Alpes. Cum ergo Romani hanc Viam sint dimensi per singula octo stadia, quis non videt hæc singula octo stadia esse totidem milliaria, quæ Publicarum Imperii Viarum communis erant mensura, unde & ipsi *lapides* dicti *Milliares*. Plutarchus ipse, qui paullo minus facit Milliare octo stadiis, pluribus tamen locis communem Milliarii computationem per octo Stadia sequitur. Sic *in vita Fabii Maximi c.*40. ubi narrat post receptum a Fabio Tarentum, Hannibalem a Fabio *τεσσαράκοντα μόνους ἀπολειφθῆναι σαδίους*, *abfuisse tantum* XL. *Stadiis*, quam mensuram ex Livio habuit, qui XXVII. 16. de eadem re loquens ait, Hannibalem *quinque millia ferme ab Urbe* Tarento *posuisse castra*. Jam vero

evidens est, v. Milliaria Italica esse XL. Stadia Græca. Quantum ad Suidam, quem nonnulli adferunt, ut probent, Milliariorum fuisse VII. Stadiorum & dimidii, ille ipse sibi mox contrarius est, dum Milliarium ad VIII. Stadia reducit; hæc enim illius sunt verba, *in voc.* στάδιον, inquit, ὁ τόπος τοῦ ἀγῶνος, καὶ μέρος τι τοῦ λεγομένου μιλίου. ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν· καὶ τὰ δέκα μίλια π′. τὸ στάδιον ἔχει πόδας χ′. τὸ δὲ μίλιον πόδας δσ′. τὸ δὲ πλέθρον πόδας ρ′. καὶ ἡ ἄρουρα πόδας ν′. ὁ ποὺς δακτύλους ις. ὁ πῆχυς πόδας αϛ. vertimus: *Stadium, locus certaminis, & pars Milliarii, quod dicitur. Septem enim Stadia cum dimidio faciunt unum milliare: & decem Milliaria faciunt Stadia* LXXX. *Stadium habet pedes* IↃC. *Milliarium vero pedes* IV. M. *&* CC. *Plethrum sive Jugerum pedes* C. *Arura sive Arvus pedes* L. *Pes digitos* XVI. *Cubitus sesquipedem*. Qui vel a limine Arithmeticam salutarunt, statim videbunt, Suidam hæc ex diversis collecta Auctoribus, sine ulla comparatione instituta inter singulas mensuras, commiscuisse: nam si stadia VII. cum dimidio sufficiunt Milliario, tum certe X. Milliaria habebunt Stadia LXXV. Ipse autem ait: *Milliaria faciunt Stadia* LXXX. Ergo ibi VIII. Stadia ad Milliarium computavit: sic enim fiunt LXXX.

II. Sequemur ergo communem Græcorum computationem, qui *Jugero*, quod πλέθρον vocant, c pedes adscribunt, ut Herodotus *in Euterp. sive lib.* II. *p.* 65. *edit. Steph.* & *p.* 146. *edit. Latin. Wechel.* ac Suidas *l.l.* observant, & qui Stadio IↃC. tantum pedes dant, uti Auctores modo laudati, nec non Strabo *l.l. lib.* VII. *p.* 590. & Gellius *N. A.* I. I. qui Stadium ἑξάπλεθρον faciunt. Cum vero Pes Romanus paullo minor sit Pede Græco, hinc Plinius, Columella, aliique Auctores tam Græci, quam Latini, ut hunc defectum supplerent, Stadio addiderunt pedes Romanos XXV. ut IↃC. pedibus Græcis æquarentur IↃCXXV. pedes Romani, sive CXXV. passus. Hæc est communis computatio penes Antiquos vulgo recepta, quicquid etiam alii in contrarium dicant. Illa utique utemur, cum in Viarum longitudine Stadia ad Milliaria reducemus.

SECTIO XII.

Comparatio inter Milliare Italicum, Leucam Gallicam antiquam, & Francicam hodiernam.

1. Ratio & proportio Leucæ Francicæ & Milliarii Italici valde perplexa. 2. Leuca inter Francos & Exteros differt, & iterum inter hosce ipsos. 3. Sex Leucæ species secundum alios Auctores. 5. Leucam Francicam limitandam esse duobus Milliariis Italicis. 6. Objectio Clavii ratione Leucæ Gallicæ, cui respondetur, & ostenditur notabilis differentia inter Leucam Gallicam & Francicam. 7. Vigenarii opinio super Leuca Francica. 8. Tres Vigenarii rationes, & ad has responsa nostra. 9. Leucam Gallicam habuisse CIↃ. IↃ. *passus, non plures. Jornandis & Ammiani Marcellini testimonia. 10. In Itinerario Leucam Gallicam semper esse in ratione sesquialtera ad Milliare Italicum. 11. Ratio inter Leucam Gallicam & Francicam. 12. Differentia inter Leucam Germanicam & Alemannicam.*

I. INter Scriptores nostri sæculi valde agitata est quæstio, super ratione & proportione *Milliarii Italici* & *Leucæ Francicæ*: hæc autem quæstio eo magis impedita est & perplexa, adeoque difficilior cognitu, quod nemo inter *Leucam Gallicam* & *Francicam* distinguat, quarum illa, non hac, utitur *Itinerarium* Antonini pluribus locis ad Viarum Publicarum dimensionem describendam. Quare necessarium erit, ante *Leucam* certa quantitate definire, quam utamur Antonini *Itinerario*, ut ex hoc ostendamus Viarum longitudinem ibidem per *Leucas* dimensarum.

2. Illud equidem verum est, vocem *Leucæ* a Latinis effictam esse ex prisca aliqua voce Gallica; siquidem uno consentiunt ore, *Leucæ* vocem esse Gallicam. Vicinæ Gentes eandem vocem ad suas Vias dimetiendas adoptarunt, quamvis non retinuerint veram ejus longitudinem. Imo, quod magis mirum, in ipsis Galliarum Provinciis variat Leucarum mensura & longitudo, cum pro lubitu ab his producatur, ab illis contrahatur. Hinc tot *Leucarum* species prodierunt, quas inter difficile est, veram *Leucam Francicam* agnoscere, & quam habeat rationem collata cum *Leuca Gallica* antiqua, ut postea possit certa institui comparatio hujus & illius cum Milliario Italico.

3. Orontius Fineus, Mathematicus insignis, sex *Leucæ* species facit, scilicet *Leucam Italicam*, *Leucam proprie dictam*, *Leucam Francicam*, *Communem*, *Majorem*, *Maximam*. Ubi enim Globum metitur Terraqueum, secutus Ptolemæum, qui Gradui adscribit LXII. Milliaria cum dimidio, ita supputat, *Cosmograph.* v. 4. *p.* 149. *Cuilibet*, ait, *Gradui maximi cœlestis circuli subrespondent in Terra Leucæ Italicæ (quæ vere Milliaria nuncupantur)* LXII. *una cum Milliarii dimidio: propriæ vero Leucæ* XLI. *Gallicæ* XXIX. *Communes autem* XX. *Majores denique* XV. *& ex iis, quæ Maximæ vocantur* XII. *Hinc facile colligemus, universum ambitum ipsius conglobati ex Tellure & Aqua corporis, seu quemvis maximum in Terra circulum, continere* 22500000. *passus duplices, sive stadia* 180000. *aut* 22500. *milliaria. Leucas vero proprie nuncupatas circiter* 14760. *Gallicas* 11160. *Communes* 7200. *Majores autem* 5400. *Maximas denique* 4320. At quamvis Fineus neque hic, neque alio loco passuum definiat numerum, quem unaquæque harum Leucarum in longum contineat, illi tamen facile arithmetices ope colligi poterunt, si 22500000. passus, qui ambitum Globi Terraquei continent, dividas singillatim per illos numeros, quos unicuique harum Leucarum speciatim adscribit. Sic reperiemus

Milliarium Italicum, quod ipse sub *Leuca* quoque comprehendit, quam *Italicam* vocat, continere pro nominis sui origine & significatione passus 1000.

Leucam proprie dictam	passus 1524 $\frac{16}{41}$.
Leucam Francicam	passus 2000.
Leucam Communem	passus 3125.
Leucam Majorem	passus 4116 $\frac{18}{27}$.
Leucam Maximam	passus 5208 $\frac{1}{2}$.

4. Franciscus Garaultus *in li. vernaculo de Pond. & Mens.* meminit cujusdam *Leucæ*, quam *Regiam* cognominat, quæ porrigatur ad 2000. circuitus, quos orbis rotæ, diametri v. pedum, complectitur; qui secundum illius Garaulti calculos forent 6000. passus, ter sumta diametro. Justa foret hæc dimensio & æqua, si circuli peripheria esset exacte triplo major, quam diameter; id quod non est exacte verum. Guicchiardinus *in descript. Belgii, in princ.* narrat, duas præcipue Leucarum species per Gallias esse in usu. Has prioris speciei vocari

Flandricas, & continere circiter tria Milliaria Italica: usu autem has venire in Flandria, quam, quod Lingua Belgica utatur, vulgo cognominant *Flamingante*; item pæne per omnem Bramantiam, per Hollandiæ partem, per Zelandiam, per terras Leodicenses & Namurcenses. Has Leucas majores esse in ducatu Luxemburgico, & adhuc hisce multo majores inveniri in pluribus Gelriæ partibus. In Frisia esse maximas Leucas, & Alemannicis pares Leucis, quarum posteriorum, ex illius computatione, unaquæque habet V. aut VI. Milliaria Italica, & sæpe plura. Illas posterioris speciei, esse *Leucas Francicas*, quæ contineant circiter II. Milliaria Italica, & observari in Flandria, quæ *Gallica* vel *Francica* cognominatur, quod Walonica, sive minus polita & corrupta, utatur Francicæ linguæ dialecto, item in Artesia & maxima parte Hannoniæ. Antonius de Pinet, *libr. vernaculo de Pond. & Mensur.* Leucam in tres species partitur, quas vocat *Leucam Majorem*, *Mediam*, *Minorem*. *Majores* dicit Alemannicas, ex IV. M. P. Italicis compositas: *Medias*, quales sunt in Delphinatu & Occitania, continentes III. M P. *Minores*, quales sunt Francicæ, quæ habent II. M. P. & in nonnullis locis tantum cIↃ.IↃ. passus. Tandem Clavius, Vir in Mathematico pulvere versatissimus, testatur, *Leucam*, quam *Gallicam* appellat, esse tantum Milliarii unius cum dimidio, sive cIↃ. IↃ. passuum, quæ XII. æquant Stadia. Adeoque Leuca Gallica æqualis foret Mensuræ Græcæ, quæ Δίλιχος vocatur, & quam Glareanus, *de Pond. ac Mens.* dicit longam esse XII Stadia. Atque hæ fuerunt Mensurarum species, quas sub *Leucæ* prisco nomine Gallico comprehensas inveni.

5. In hac tamen varietate, *Leucam Francicam* licet discernere: vides enim plures, quos attuli, scriptores eam ad II. Milliaria Italica dimetiri; quod etiam confirmat auctoritas meliorum Auctorum Gallorum, Amioti & Genebrardi; quorum ille in erudita Plutarchi versione, dum reddit nostratem *Leucam*, eam exæquat vel XVI. Stadiis Græcis, vel II. M. P. ut *in vit. C. Gracchi c.* 9. ubi VIII. Stadia Græca reddit per dimidiam leucam Francicam. Hic vero Genebrardus, *in Chronogr. ed. Paris. p.* 331. *ad A. M.* 4043. ait: *Maris profundissimum perpendiculo in* XV. *Stadia protendi, id est, in Gallicam fere Leucam*, non sine ratione addit *τὸ fere*; ut enim integra Leuca Francica fiat, addendum adhuc unum stadium, ut sic æquet II. M. P. Nobilissimus de Mesme *in Institut. Astronom. vernacule conscriptis*, in eadem est sententia: nam verba faciens de Viarum Mensuris ait, *Milliarium Italicum* esse passus mille, qui faciant VIII. *stadia*; IV. Milliaria facere *Leucam Alemannicam* aut *Vasconicam*; II. vero Milliaria reddere *Leucam Francicam*.

6. At quid respondebimus Clavio, cujus sententia *Leuca Gallica* habet passus cIↃ. IↃ. qui sunt tantum Milliarium unum cum dimidio? Regerimus, illum, si per *Leucam Gallicam* intellexerit priscam illam, rectissime & optime dixisse. Magna enim est differentia inter *Leucam Gallicam* & *Leucam Francicam*, quamvis Latine scribentes utramque nominent *Gallicam*, secuti vulgarem loquendi morem, quo sæpissime *Gallia* pro *Francia* accipitur, applicando parti nomen totius; hinc vulgo tam nos, quam Exteri *Regem Gallorum* dicimus pro *Francorum*. At hic loquendi scribendique mos a *Leucis* abesse potius debet, cum *Gallica Leuca* sit longa passus cIↃ.IↃ. qua Galli usi sunt primorum Imperatorum Romanorum ævo, diu ante, quam *Franci* nomen & sedem in Gallias transtulerunt: *Leuca* autem *Francica* habet II.

A M. P. qua hodie communiter in media utimur Gallia; has sequuntur Eruditi, quando in vertendis Gallice Græcis Latinisque libris Stadia Græcorum & Milliaria Italica per Leucas reddunt Francicas.

7. At horum numero excipiendus tamen erit Vigenarius, qui *in Gallica Julii Cæsaris versione* semper Leucæ adscribit IV. M. P. nec *Francicam* ab aliis distinguit. Imo *in Annotationibus ad Commentarios Cæsaris* affirmare audet, æque in Francia atque alibi locorum, *quatuor Milliaria Italica* Leucæ esse adsignanda. Hujus Viri auctoritas me inducit, ut nonnullas ejus rationes adferam, quibus respondendo etiam cæteris responsum erit omnibus. Ergo ad locum Cæsaris *de B. G.* I. 2.
B *Qui in longitudinem millia passuum* CCXL. *in latitudinem* CLXXX. *patebant*, hæc vernacule, quæ nos Latina facimus, annotavit: *Quidam Eruditi nostro sæculo in ea sunt opinione, Leucam esse tantum* II. M. P. *& sic ubique reddiderunt. A quibus cum hoc loco dissentiam; mihi enim Leuca est major altero tanto, scilicet* IV. M. P. *nec sane contra dicendi pruritu, sed veritatis studio impellar; non ab re erit, paullo altius repetere rationes, quæ ad hanc sententiam me perpulerunt.* Hæc Vigenarius.

C 8. In sententiæ itaque suæ patrocinium primo defert auctoritatem duorum Hispanorum, Gonsali Fernandi de Oviedo & Fernandi Cortesii: quorum prior *lib. de reb. Indic.* ab Hispania ad Insulas ait Canarias esse CCL. *Leucas*, singulas *ad* IV. M. P. computando; posterior *in Narrat. de nova maris Oceani Hispan a*, ait, a *Cimpual*, Hispaniæ novæ urbe, ad *Sanctam Crucem* esse circiter IV. Leucas, quarum quæque habeat IV. *Milliaria Italica*. His responderi potest, hosce Auctores, cum essent Hispani, & varias nossent Leucarum per Orbem esse mensuras, ne illa sumeretur pro hac, disertis verbis addidisse, quod *Hispanicam* intelligerent,
D quæ habet IV. Milliaria Italica. Nam *Leucam Hispanicam*, æque ac *Alemannicam*, habere IV. M. P. satis ostendit Andreas Resendius, Lusitanus, *Antiquit. Lusit. lib.* III. *cap. de Viis Militarib.* uti ait: *Nam recto itinere ab Olyssipone Emeritam numeramus tres & quinquaginta Leucas: ea conficiunt ducenta duodecim millia passuum.* Hic si dividas CCXII. M. P. per LIII. Leucas, habebit unaquæque Leuca exacte IV. Milliaria Italica. Janus Gruterus vero *Inscr. Antiq.* CLVI. I. disertis verbis ait: *Ex harum Columnarum* (Milliarium Hispanicarum) *distantiis compertum est, spatium ab Hispaniis Leucam appellatum, passuum non tribus,*
E *ut vulgo etiam docti opinantur, sed quatuor Milliaribus, seu passuum millibus constare.* Horum ergo Hispanorum auctoritas, qui in Hispania utuntur Leuca Hispanica IV. M. P. nihil valet ad Leucam Francicam II. M P. qua Franci uti solent in Francia, & ubique, ubi Stadia Græcorum aut Milliaria Italica reddere volunt vernacula sibi lingua; nisi sicubi Vias Hispaniæ aut Germaniæ metiri velint Leucis Gentium illarum, quod tamen fieri non decet, nisi prius admonito lectore. Deinde Vigenarius adfert auctoritatem Diodori Siculi & Plinii pro firmanda sententia sua. Diodorus *Histor. l.* XIX. p. 692. *ed Steph.* 683. *ed. Wechel.* narrat, *Camelos dromadas* uno die *non multo minus* cIↃ.
F IↃ. *stadiorum emetiri*. Jam vero si Leuca foret tantum XVI. stadiorum aut II. M. P. hic numerus, secundum calculos Vigenarii, accederet ad XCV. Leucas; ideoque res foret, judicio Vigenarii, plane incredibilis; quam ut credibilem faciat, Leucæ attribuit IV. M. P. & sic reperit tantum Leucas XLVII. & dimidiam, qui numerus ipsi credibilior videtur præ illo XCV. Leucarum. Verum homo noster non animadvertit, caussam mi-

rificæ hujus dromadum celeritatis fitam effe in ftadiorum numero, non vero Leucarum: quæ Leucæ quomodocunque fumantur, nec augent nec deminuunt Stadiorum numerum aut Viæ longitudinem. Tantundem enim eft in Leucis XCV. fi leuca fit XVI. ftadiorum aut II. M. P. atque in Leucis XLVII. cum dimidia, fi Leuca fit XXXII. Stadiorum aut IV. M. P. Clariffime hoc patet, fi cuncta reducas ad fua principia, quæ funt paffus Geometrici, ex quibus Stadia, Milliaria, Leucæ conftant. Si enim multiplices II. M. P. per XCV. Leucas, aut IV. M. P. per XLVII. Leucas cum dimidia, qui numerus eft dimidia pars τῶ XCV. tum utrobique hinc & inde invenies CXC. M. P. Plinius *H. N.* II. 71. & VII. 20. narrat, *Alexandri curforem Philoniden ex Sicyone Elin.* cIↃ. & CC. *Stadia novem diei confeciffe horis*. Hæc cIↃ. CC. Stadia reddunt LXXV. Leucas, fingulas II. M. P. Vigenarius hæc pro Stadiorum numero probat; at Leucarum numerum, quafi nimius & fupra fidem fit, plane improbat, unde Leucarum numeri dimidium adfumit, nimirum Leucas XXXVII. & dimidiam; at e regione Leucam duplicat, eidem IV. M. P. loco II. M. P. adfignando. At quis adeo caret communi fenfu, ut non ftatim prima fronte videat, Leucas LXXV. quarum fingulæ habent II. M. P. non effe longiores Leucis XXXVII. & dimidia, quarum fingulæ IV. M. P. habeant? quod enim in numero deminuitur, illud reipfa per duplicatam longitudinem compenfatur: tantum accedit re ipfa, quantum decedit numero. Porro Vigenarius ex Plinii *H. N.* VII. 20. narrat, *Nocte ac die longiffimum iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emenfum, feftinantem ad Drufum fratrem ægrotantem in Germania; in eo fuiffe* CC. M. P. Jam vero, fi Leuca foret II. M. P. tum C. Leucas emenfus effet XXIV. horarum fpatio Tiberius: id quod ipfi Vigenario plane a vero & ratione alienum videtur: ut ergo vero fiat fimilius, tantum L. Leucas computat, fed denuo cuique adfcribit IV. M. P. Prodigio fimile eft, virum alias a judicio non defertum, non vidiffe, quam, non dicam ineptæ, fed plane nullæ fint hæ rationes. Ecquis enim adeo ftupidus eft, cui non æque fit credibile, Tiberium XXIV. horis emenfum C. Leucas, quæ habent fingulæ II. M. P. atque L. Leucas, quæ fingulæ IV. M. P. habeant, cum diftantiarum & hic & illic eadem fit longitudo & dimenfio? Et tamen Vigenarius hanc admifit computationem, illam vero noluit credere, licet non neget ea quæ Auctores fcripferunt, & utraque computatio ad eandem fummam redeat. Si illi mirum videatur, tot leucas tam brevi tempore emenfas curfu, fane & Diodoro & Plinio tot ftadiorum ac tot paffuum ingens numerus admirabilis vifus eft; neque ifta aliter retulerunt, quam exempla velocitatis pæne incredibilis. Quæ tandem Vigenarius addit de longitudine Helvetiæ terræ, fluvii Mofæ, Rheni apud Batavos, ea Franciam non attinent, cum fint extra illam in Regionibus, in quibus Leucæ funt IV. M. P. adeoque male ad Francicam transferuntur. Omitto reliquas Vigenarii rationes, cum non fint magis folidæ, quam allatæ, imo nullius quoque momenti. Error ejus inde cœpit, quod contra ufum Gentium, quæ diverfæ menfuræ Leucis utuntur, omnes voluerit ad eandem menfuram & modum æqualem reducere. Nos ergo, fecundum doctiores & communiorem Scriptorum confenfum, qui Leucam Francicam faciunt II. M. P. feu æqualem duobus Milliariis Italicis, tantam quoque ut ante, ita & in pofterum fequemur.

9. *Leuca Gallica antiqua* habebat tantum cIↃ. IↃ. paffus, five tres quartas aut dodrantem *Francicæ*, inter quam & Milliare Italicum media ibat. Conftat hoc ex clariffimis veterum teftimoniis. Jordanus ex Notario Gothorum Epifcopus Ravennas *de Rebus Geticis*; five is eft Jornandes, *de Reb. Goth. edit. Genev. ubi Caffiodoro jungitur*, c. 60. p. 733. *aut ed. Grot. p.* 618. *inter Auctores Gothic.* ubi cladem Attilæ in campis Catalaunicis defcribit, hæc habet: *Convenitur itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauricii nominantur,* C. *leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes, &* LXX. *in latum. Leuga autem Gallica mille & quingentorum paffuum quantitate metitur*. Ammianus Marcellinus, qui fæpe Viarum Galliæ Publicarum meminit, & prifca *Leucæ* voce in fupputandis utitur diftantiis, *Hift.* XVI. 9. ita diftantiam inter Juliani Imp. adverfus Alemannos bellum gerentis in Galliis caftra & Barbaricum vallum dimetitur: *A loco, unde Romana promota funt figna, adufque vallum Barbaricum quarta Leuca fignabatur & decima, id eft, unum & viginti millia paffuum*. Ex hifce verbis facile licet colligere, veram *Leucam* Gallicam olim fuiffe cIↃ. IↃ. paffuum, quia XXI. M. P. æquantur hic XIV. Leucis. Eadem namque eft ratio & proportio inter 1000. & 1500. quæ eft inter 14. & 21. quam Arithmeticorum periti vocant Latine *Rationem fefquialteram*, Græci ἡμιολίαν, Galli noftri *Raifon d' autant & demy*, quia reperitur inter duos numeros, in quorum majore tantum eft, quantum in minore, &, fuper hoc, dimidium alterum minoris acceffit majori. Sic in 1500. paffibus, quos continet Leuca Gallica, tantum eft, quantum in 1000. paffibus, quos habet Milliarium Italicum, fcilicet 1000. porro majori numero τῶ 1500. acceffit dimidius minoris τοῦ 1000. qui eft 500. & hinc eft *ratione fefquialtera* Leuca Gallica ad Milliarium Italicum. Eadem eft ratio τοῦ 21. ad 14. nam in τοῖς 21. tantum eft, quantum in τοῖς 14. & acceffit porro dimidium τοῦ 14. quod eft 7. unde fiunt 21.

10. Hinc factum, ut, ubicunque Leucæ Gallicæ comparantur Milliariis Italicis, numeri femper inter fe habeant rationem fefquialteram; uti innumeris in Antonini *Itinerario* exemplis videbimus, ubi numeri Milliariorum Italicorum femper numeros Leucarum Gallicarum excedunt, fuperaddito illorum Milliariorum dimidio numero: ut quod deeft longitudini Milliariorum in comparatione ad Leucam Gallicam, compenfetur numerorum fumma & adjectione: ita videbis XV. M. P. æquari X. Leucis Gallicis, XIV. Leucis XXI. M. P. XVI. Leucis XXIV. M. P. XVIII. Leucis XXVII. M. P. & fic porro.

11. Quifquis igitur in Viarum Publicarum longitudine evitare cupiet errores & dubia, oportet, non folum diftinguat *Milliarium* a *Leuca Gallica*; fed etiam *Leucam Gallicam* a *Francica*, imo & fciat harum menfurarum inter fe invicem proportiones & rationes. Et cum *Leuca Gallica* fit 1500. paffuum, & *Francica* 3000. paffuum, poffumus dicere, eas inter fe comparatas habere *rationem fefquitertiam*: Nam in τοῖς 2000. funt τὰ 1500. & horum 1500. tertia pars, quæ 500. funt eft, adjecta, quæ juncta faciunt 2000.

12. Germani fimiliter diftinguere debent inter *Leucam Germanicam* & *Alemannicam*, ut Galli inter *Gallicam* & *Francicam*. Antiqua enim *Leuca Germanica*, quam vocabant *Raftam*, ut didicimus fupra *fect.* XI. §. I. ex Hieronymo, habebat tantum III. M. P. cum *communis Alemannica Leuca* habeat IV. M. P. fecundum receptam apud doctiores ubique fententiam. Docuit hoc nos Vetus Auctor *de Menfuris, inter Auctores Rei Agr. five Finium regund. edi. Rigalt.* 332. *Goefian. p.* 322. his verbifquibus ea, quoque, quæ ante de menfuris diximus, confirmantur: *Illud etenim fciendum eft, quia funt menfuræ, quæ ad Viatores feu Curfores per-*

tinent : minima pars Stadium est, habens passus CXXV. *Octo stadia Milliarium reddunt, mille passus habentem. Milliarius & dimidius apud Gallos Leucam facit, habentem passus mille quingentos. Duæ Leucæ sive Milliarii tres apud Germanos unam Rastam efficiunt.*

SECTIO XIII.

De Columna Milliari, quam Latini vocant Milliarium Aureum.

1. *A Columnæ Milliarii Aurei basi initium erat dimensionis Viarum Publicarum.* 2. *Augustus Imp. Milliarium Aureum in foro Romano statuit.* 3. *Dionis & Plutarchi testimonia. Mensuræ Viis Publicis quasi pro anima sunt.* 4. *Milliarium Aureum sæpius restitutum est, quo translatum sit,* 5. *Descriptio ejus: figura quibus in libris exstet.*

1. POstquam ergo Viarum Publicarum mensuras diligenter perlustravimus, ad ipsum opus fidenter accedere, & de Viarum longitudine accuratius & exactius definienda poterimus disputare. Verum ante omnia hic locus & terminus erit quærendus & constituendus, unde hæ Viarum Imperii Publicarum mensuræ & ipsa dimensio habeant initium. Locus ille est Columna illa Milliaris notissima, quæ Auctoribus celebratus sub nomine *Milliarii Aurei*. Ab hujus enim basi Viæ Publicæ initio ducto circum quaquaversum ad proxima & extrema Imperii Romani pergebant & porrigebantur.

2. C. Gracchus legitur primus *singula Viarum Milliaria dimensa lapideis columnis distinxisse*, teste Plutarcho in *ejus vit. c.* 9. Verum quo in loco Viarum dimensiones inchoarit, in Urbis ne medio, an ad portas, nescitur. Ex Historiis certo constat, ab Augusto Imperatore statutam *Milliarii Aurei* Columnam fuisse in capite Fori Romani, quod in media est Urbe, sub ædem Staturni, testibus Plinio *H. N.* III. 5. Tacito *Histor.* I. 27. Suetonio *in Othon. c.* 6. Quia vero Augustus hanc Columnam totam inauravit, atque inde, per Milliaria, Viarum Publicarum dimensiones inchoari & numerari jussit, hinc nomen accepit *Milliarii Aurei*.

3. De Auctore Augusto idoneus est testis Dio Cassius *Histor. l.* LIV. *edit. Steph. p.* 602. *Tunc autem ipse* Augustus *Viarum, quæ sunt circa Romam Curator constitutus, Milliarium Aureum, quod vocatur, fecit.* Usum ejus docet Plutarchus, *in vit. Galbæ c.*31. quod in eam *omnes Italiæ Viæ* Militares *desinerent* & competerent. Sane dignum Augusto opus fuit, non solum fecisse corpus Viarum Militarium in Italia & per Provincias, sed & mensuris Vias velut animare. Hæ enim Viarum distinctiones per Columnas Milliares, quæ notabant & numeros & distantias, sunt quasi Viarum animæ, quæ per suas Inscriptiones Viatorem docebant & locum, ubi esset, & quot passuum millibus Roma, vel alia aliqua urbe celebri abesset. At has inter Columnas Milliares *Milliarium Aureum* prima omnium erat, ad quam cæteræ omnes, ceu principium & initium suum, referebantur, eo modo quem ostendemus infra *lib.* IV. *sectione* 40. *§§.* 1. *& seqq.*

7. Stetit hæc Columna in Foro Romano usque ad tempora Vespasiani, qui, cum inclinatam & ruinæ pronam cerneret, eam restituit & sede firma reposuit; ut, cum ad instar Augusti valde studiosus esset Viarum, tum veterum reficiendarum, tum & novarum muniendarum, repararet quoque Columnam, ad quam omnes concurrebant, & unde dimensionem suam inchoabant. Apparet hoc ex ipsa *Milliarii Aurei* inscriptione, quam habet Columnæ stylus prope capitellum, *ap. Gruter.* CLIV. 4.

IMP. CAES. VESPA
SIANVS. AVG.
PONT. MAX. TRIB.
PONT. VII. IMP.
XVII. P. P. CEN
SOR. COS. VII. DE
SIGN. VIII.

Deinde & Nerva Imp. eandem denuo refecit, ut sequens in eadem inscriptio docet, quæ in medio styli corpore, sub præcedente legitur, *ap. Grut.* CLIV. 5.

IMP. NERVA. CAES
AVG. PONT
MAX. TRIB. POT
COS. III.
PATER. PATRIAE
REFECIT.

Tandem sub Hadriano Imp. nonnulli privati eandem Columnam in nova collocarunt stylobata, ut patet ex sequenti inscriptione, quæ exstat in uno laterum stylobatæ *ap. Grut.* CLIV. 6.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. II. COS. II.

VIATORES. QVI. IPSI. ET. COS. ET
PR. CETERISQ. MAGISTRATIB
APPARENT. ET. H. V.

Tandem denique diu postea hæc Columna ante complures annos extra Urbem, in Via Appia, extra portam Sebastiani, inter antiquitatum ruinas detecta & a S. P. Q. R. ad Urbis ornamentum in Capitolium translata, & ad gradus laterales publico cum testimonio est erecta.

5. Figura ejus est rotunda, & rudior, quam quæ ad ullum ordinem Architectonicum rite possit referri. Collocatur in stylobata ordinis Corinthii, & in capitello Tuscanico sustinet globum, veluti designatura Orbem Terrarum, super quo Romani & Imperium & Vias porrexerunt Publicas. Figuram *Milliarii* hujus *Aurei* exhibent visendam Bartholomæus Rossi in lib. Italico, qui inscribitur: *Ornamenti di Fabriche antichi & moderni*, sive *Ornamenta structurarum Veterum & Recentium*; nec non Janus Gruterus *Inscr.* CLIV. 4.

SECTIO XIV.

Milliarium Aureum in ipso Terrarum medio fuisse statutum.

1. *Tres propositiones, ut probetur, Milliarium Aureum in medio Orbis Terrarum situm & statutum fuisse.* 2. *Quomodo medium Orbis Terrarum sit intelligendum.* 3. *Italia, Terrarum ocellus & Naturæ pulcherrimum opus, ubi sita.* 4. *Eam Homerus* Μέσην *i. Mediam vel in medio sitam appellat.*

5. *Strabo eam mediam dicit inter Orbis Gentes amplissimas & excellentissimas.* 6. *Furius Camillus Romam in medio Regionum Italiæ collocat.* 7. *Hoc medium accipi, non in latum, sed in longum.* 8. *Romam in medio Italiæ & Orbis sitam esse.* 9. *Quomodo hoc medium accipiatur.* 10. *Similitudo, qua clarius ob oculos ponitur hoc medium.* 11. *Milliarium Aureum in ipso Urbis erat medio.* 12. *Objectionibus circa Milliarii hujus in medio Urbis situm respondetur.*

1. QUandoquidem sæpius Urbem Romam, & in ea Milliarium Aureum comparavimus centro circuli, unde Viæ Publicæ Imperii instar linearum ducuntur ad circumferentiam, non erit ab re alienum, rationibus & testimoniis clarissimis demonstrare, *Milliarium Aureum* in ipso Orbis medio fuisse statutum, cum locus commodior, unde Viarum Publicarum opera initium haberent, non esset, quæ velut lineæ ab illo Milliario versus extrema Imperii producuntur, quod Imperium nomine *Orbis* sæpius venire diximus, quod ejus majores & meliores partes complecteretur. Huic instituto satis fecero, ut puto, si ostendero, Italiam esse in medio Orbis, Romam in medio Italiæ, Milliarium Aureum in medio Romæ. Hæ propositiones solidis rationibus confirmatæ extra dubitationis aleam constituent, quod modo diximus. Neque hoc parum faciet ad clarius visendam Viarum Publicarum longitudinem, per omnes Orbis partes porrectam; imo & ultra Orbis terminos, siquidem Veteres nonnulla loca ab Orbe divisa extra ordinarios ejus terminos collocarunt.

1. Ordiemur rationes nostras ab Italia, & ostendemus, Veterum doctiores statuisse Italiam in Orbis medio, neque id sine ratione. Quamvis enim corpus globosum & sphæricum, quale est Terrarum Orbis, si totum respicias, proprie nec initium, nec medium, nec finem habeat: si tamen Orbem complectaris, ut habitatur & Veteribus cognitus fuit, ac divisus in tres partes, Europam, Asiam, Africam, videbis, non sine causa Italiam ab Eruditis habitam & collatam esse in Orbis medio.

3. C. Plinius Secundus post plures alios Terram descripsit, & rerum omnium maxime memoranda recensuit; postquam tamen omnia Naturæ opera, quæ infinita per *Historiam Naturalem* commemoravit, ad animi & judicii trutinam revocasset, ita nobile & æternum illud opus suum concludit: XXXVII. 13. *Jam peractis omnibus Naturæ operibus discrimen quoddam, tum rerum ipsarum, atque Terrarum facere conveniat. Ergo in toto Orbe, & quacunque Cœli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque merito principatum Naturæ obtinens Italia, rectrix parensque Mundi altera, Viris, Fœminis, Ducibus, Militibus, Servitiis, Artium præstantia, Ingeniorum claritatibus, jam situ ac salubritate Cœli atque temperie, accessu cunctarum Gentium facili, littoribus portuosis, benigno ventorum afflatu; etenim contingit recurrentis positio in partem utilissimam, & inter Ortus Occasusque mediam; aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quicquid est, quo carere Vita non debeat, nusquam est præstantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci. Ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit: & iis nunc in se gravida pro omni dote varios succos, & frugum pomorumque sapores fundit.*

4. Strabo *Geograph. l.* 1. ubi ab initio libri multa disputat, de Homeri ingenio excellenti ac ejus in Geographicis peritia, inter alia hujus peritiæ specimina adfert, *p.m.* 10. quod *Italiæ Promontoria noverit, eam* Μέσην *sive Mediam vocans*, ut quæ sita sit in Orbis medio. Objicienti quoque Eratostheni: *Poetas omnes non docendi, sed oblectandi gratia conjecturis agere*, respondet Strabo: *Contra vero Sapientissimos, qui de Poeticis quicquam elocuti sunt, primam quandam Philosophiam Poeticam esse, asserere*: id quod longa disputatione deinde multis confirmat, atque demonstrat, ea, quæ Poetæ, præsertim Homerus, de situ Terrarum & Urbium canunt, naturæ & veritati respondere: tandem addit de Homero, *p.m.* 28. *Utrum igitur vates, qui ista canit, delectare, an docere velle videtur? docere per Jovem.*

5. Idem Strabo postea alio loco, *Geogr. lib.* VI. *p.m.*523. non ex Homeri iterum, sed ipsius sententia, de Italiæ situ verba faciens, ait: *Inter Gentes quidem amplissimas, & Græciam ipsam, & excellentissimas Asiæ partes, media consistens Italia, virtutis præstantia & amplitudine, ad circumstantibus imperandum nata est, ex vicinitate subjugandorum facultatem nacta.* Sane si paullo accuratius Italiæ situm perlustremus, videbimus, eam non sine caussa ab Auctoribus dictam esse, in Orbis medio sitam: nam ab Ortu habet Græciam & Asiam; ab occasu Gallias & Hispanias; ab Austro Africam & Ægyptum; ad Aquilonem tenet Germaniam, Illyricum, Pannonias, Dacias: quæ sunt Orbis Terrarum præcipuæ provinciæ & regiones.

6. Cum ergo tot tantisque testibus Italia in Orbis medio sita sit, demonstrandum porro est, Romam in medio Italiæ sitam esse. Audiamus itaque Furii Camilli Dictatoris ad Populum Romanum verba: *ap. Liv.* V. 54. *Non sine caussa Dii hominesque hunc Urbi condendæ locum elegerunt; saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum Urbis natum unice locum.*

7. Hic notandum est, *medium Italiæ* accipiendum esse, non in latitudinem suam, sed in longitudinem: nam si longitudinem & latitudinem junctim sumas, creditur Italiæ medium esse loco quodam, qui vulgo *Pie di luco* dicitur, quique medium & quasi umbilicum tenet Italiæ. Si latitudinem consideres separatim, Roma erit sita proxime alterum Italiæ extremum, ut vel fugitivo oculo chartas Geographicas lustranti apparebit, in quibus omnibus circa oram Australem juxta mare Tyrrhenum & prope portum Ostiensem collocatur: valde autem mari vicina est. *Roma Terrarum caput* XVI. M. P. *intervallo a mari* tantum abest, teste Plinio *H. N.* III. 5. quocum facit *Itinerarium Antonini p.* 68.

Ab Urbe Ostiam : M. P. XVI.

Quod ad oram Aquilonarem, quæ Mare Hadriaticum spectat, abest Roma ab hoc M.P. CXX. sive LX. Leucas Francicas. In longum ergo Roma Italiæ medium occupat; docet *l.l.* Plinius: *Latitudo ejus Italiæ varia est*: & mox: *Mediæ, atque ferme circa Urbem Romam, ab ostio Aterni amnis in Hadriaticum mare influentis, ad Tiberina Ostia* (M.P.) CXXXVI. Liquet ex hisce verbis, Romam in media, qua in longum porrigitur, Italia circiter esse sitam, quanquam non plane ad amussim. Patet vero in Latitudine Romam non esse mediam, ex ipso *l.l.* Plinii: nam a Roma ad oram Aquilonarem & mare Hadriaticum sunt M.P.CXX. ut diximus, cum Latitudo Italiæ circa Romam sit M.P.CXXXVI. huic

A enim numero si demas M.P. XVI. qui Roma ad Tyrrhenum mare sunt, restabunt M.P.CXX. pro distantia a mari Hadriatico.

8. Sed redeamus ad Longitudinem. Si quis in manum summat circinum, & dimetiens Italiam in duas partes æquales dividat inter Alpinum finem Prætoriæ Augustæ & oppidum Rhegium, quos terminos, in longum, Italiæ Plinius *l.l.* adscribit, Urbem Romam aut in ipso medio, aut proxime ipsum medium inveniet. *Neque* enim, ut ibidem Plinius recte ait, *situs orginesque* Urbium *persequi facile est*. Quare non sine ratione Vitruvius *Arch.* VI. 1. *fin. Placuit* Naturæ, ait, *ut inter spatia to-*
B *tius Orbis Terrarum regionumque medio mundi Populus Romanus possideret fines. Namque temperatissimæ ad utramque partem, & corporum membris animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia Gentes. Quemadmodum enim Jovis stella, inter Martis ferventissimam & Saturni frigidissimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter Septentrionalem Meridianamque ab utraque parte mixtionibus temperatas & invictas habet laudes. Itaque consiliis refringit Barbarorum vires, forti manu Meridianorum cogitationes. Ita Divina Mens Civitatem Populi Romani egregia temperataque ratione collocavit, uti Orbis Terra-*
C *rum Imperio potiretur*. Ergo, cum Roma in medio Italiæ, Italia in medio sita sit habitati Orbis, etiam ipsa Roma in medio erit sita Orbis habitati.

9. Medium hoc recte est accipiendum: dubio enim procul est, si terras Orbis habitati in duas æquales partes dimetiaris, separatim quoque Imperii Romani Provincias spectando, medium Orbis procul a Roma & Italia inventum iri. Propior enim est Italia oræ Oceani Atlantici, qui Imperii limes est ad Occasum, quam Euphrati, qui ad Ortum limitabat Imperium. Nihilo tamen minus verissimum sano sensu est, Romam & Italiam esse in Orbis medio, quoniam sunt in medio præcipua-
D rum Orbis regionum.

10. Facilius rem percipies hac similitudine. Si hominem spectes a summo capite ad imos talos, medium in corpore ejus erit, ubi desinit abdomen sive venter imus, si videlicet medium sumas in externa superficie & obiter. At si spectes partes corporis principes, sine quibus homo vivere nequit, quales sunt partes vitales & naturales, ut cum Æsculapii Filiis loquamur, ibi tum cor, in longum, latum & densum, obtinebit medium. Ita quoque comparatum est cum Roma & Italia, si respicias præcipuas & principes Orbis regiones, & quasi
E vitales Terræ partes. Hæ enim circum Romam sunt, uti pulmo, hepar, aliæque partes vitales sunt circum cor. Quod si de vita per motum & actionem judicari verum est, certissimum utique erit, Terras, quæ propius Italiam cingunt; quales sunt hinc Galliæ & Hispaniæ, inde Græcia & Asia minor cum Africa, qua mari Mediterraneo alluitur; majora & plura Vitæ, ut sic dicam, vitalis τεκμήρια & indicia præbuisse quam regiones in Ortum, Aquilonem, Austrum remotiores. Illæ regiones remotiores sunt veluti artus Mundi, sive quasi brachia & pedes sunt Orbi, sine quibus nihilominus
F Vita permaneret, ut videmus homines satis diu vivere, amissis licet brachiis pedibusve. Ista autem Vitæ vitalis τεκμήρια & indicia sunt, rerum excellentia, quas præ cæteris Telluris extremis partibus ferunt mediæ: ante omnia vero, ingenia clarissima & maxime vivida, quæ Orbem scientiis & artibus cultiorem reddiderunt, sine quibus Vita minime fuisset vitalis, & mortuum quasi Orbis corpus: has vero scientias & artes non a Sarmatis, Scythis, Indis, Æthiopibus, aut Garamantibus accepimus, quorum regiones sunt veluti Terræ præsegmina; verum a mediis habitati Orbis regionibus, quæ præcipuam totius Orbis, ut corporis, partem faciunt; & quæ Romæ sunt propiores, quemadmodum vitales naturalesque corporis humani partes suo cordi.

11. Hoc igitur modo Italia & Urbs Romana a doctioribus habitæ & collocatæ sunt in Mundi medio. Superest, ut probemus, *Milliarium Aureum* in medio Romæ situm fuisse. Hoc ut intelligatur, notandum erit, ab Augusto Cæsare Urbem in quatuordecim Regiones fuisse divisam, quarum octava nomine *Fori Romani* vocata, fuit omnium media, sine ulla controversia. Ad oculum hoc apparebit visuris Romæ veteris figuras æri aut ligno incisas & expressas. Sane hac in regione VIII. Aurelius Victor, *de Region. Urb. Rom.* collocat pilam quandam nomine *Umbilici Urbis*, quod medium Urbis designaret. Idem Auctor *l.l.* proxime *Urbis Umbilicum* in eadem regione VIII. collocat *Milliarium Aureum*; sic ut jure merito possimus affirmare, hoc in medio Urbis fuisse statutum. Quod *Milliarium in capite Fori Romani statutum sit*, testis est Plinius *H.N.* III. 5. Illud autem *Forum* inter pulcherrima & maxime admiranda Romæ opera erat, unde toti Regioni VIII. nomen dedit.

12. Si quis objiciat nobis, *Umbilicum Urbis*, non vero *Milliarium Aureum* fuisse in Urbis medio; respondemus, nos, cum *Milliarium* hoc in Urbis medio collocamus, non ita ad unguem dimetiri distantias, ut nihil possit opponi. Sufficit nobis, si prope medium, si non procul a medio fuerit. Ipse Umbilicus, qui vulgo in hominis corpore medium obtinere dicitur, non adeo exacte medium occupat: forsan & *Urbis Umbilicus*, ut nominis similitudinem referret, non tam in ipso Urbis medio, quam circa & prope illud fuit. Sane Plinius *l. l.* distantias a media Urbe ad singulas portas dimetiens suo ævo, mensuras non ab *Umbilico* isto *Urbis*, sed a *Milliario Aureo* currentes inchoat: cumque illius ætate Roma ad rotundam fere in ambitu figuram accederet, deprehendit singulas portas æquali distantia a *Milliario* abesse *Aureo*, ut radii sive lineæ circuli a suo distant centro; scilicet *per directum* esse a Milliario ad singulas Portas M. P. III. *& passus* IↃCCLXV. ex Lipsii emendatione. Quin imo si vel *Milliarium Aureum* non foret in ipso medio quasi Urbis puncto, saltem erit illi adeo propinquum, ut, si quid mensuræ desit, id nullam sui rationem mereatur. Animadvertit idem hoc Lipsius *de Magn. Rom.* III. 2. de hoc ipso Milliario Aureo loquens: *Sed esto tamen non exacte in medio, quid refert? Non sic γεωμετρικῶς omnia, & ad lineam regulamque Veteres metiuntur.*

SECTIO XV.

Quæ potuerit esse mystica & recondita caussa situs Urbis Romæ in medio Orbis; cujus caussa quidam Auctores Gentiles levem habuere cognitionem.

1. *Consideratio situs Urbis Romanæ & loci, unde Viæ Publicæ initium habent, attentior.* 2. *Roma quasi Cor Terrarum.* 3. *Quomodo Natura prospexerit securitati Urbis Romæ. Rutilii in hanc rem locus.* 4. *Plinii testimonium de Romæ & Italiæ excellentia.* 5. *Plutarchi & Homeri testimonia super Romæ æternitate.* 6. *Romam a Romulo conditam esse, instinctu divino: Augustum eodem instinctu munivisse Vias Publicas.* 7. *Opinio Auctoris, & verborum Plinii applicatio ad Urbem Romam, quæ hodie per totum Terrarum Orbem Sacris Christianis & ceremoniis religionibusque præest, tanquam Caput, ut*

A *vocant, Spirituale.* 8. *Opera Viarum Publicarum valde utilia spargendæ per Orbem Evangelicæ Doctrinæ.* 9. *Per has Vias Apostolos facilius Orbem peragrasse.* 10. *Romam debere plurimum Evangelii Christiani Præconibus.* 11. *Virgilii & Suetonii de duraturo sine fine Romano Imperio testimonia.*

1. QUandoquidem clarissimis & rationibus & testimoniis demonstravimus, Milliarium Aureum fuisse statutum in capite Fori Romani, Forum Romanum fuisse in medio Urbis Romæ, Romam in medio Italiæ, & Italiam in medio B Orbis, nonne justa ratione dicere poterimus, *Milliarium Aureum*, quod Viis Imperii Publicis initium & originem dabat, fuisse situm in medio Orbis? Et profecto, quisquis attentius considerabit situm Urbis Romanæ, Viarumque Publicarum loco tam commodo & opportuno initium & originem, mecum judicabit, hoc sine mystica & recondita aliqua ratione factum non esse, quam diligentius & accuratius perscrutari atque perquirere, dignum utique operæ attentioris precium erit.

2. Primum igitur de Urbe agemus. Videtur Natura, aut potius ipse Naturæ Auctor Deus, huic Urbi præparasse sedem, clausam cinctamque C multis rebus, quæ ad ipsius conservationem & tutelam faciunt, ut quæ quasi cor orbi Terrarum esset futura. Sicut igitur, secundum Medicos, cor est primum vivens & ultimum moriens, & ab eo, ceu fonte perenni, vita derivatur in omnia cætera membra: ita etiam Roma, ante destinata fuit, quam conderetur, ut inter primas acciperet vitam, quam deinde suo tempore cum omnibus ingentis hujus globi terrestris membris & partibus communicaret, & quaquaversum spargeret ac distribueret.

3. Nonnulli Auctores Gentiles velut e longinquo per nebulam viderunt, subesse reconditum in D hac Urbe miraculorum plena mysterium, in quod tamen claram mentis aciem defigere non potuerunt: instinctu saltem divino agitati videntur, cum Providentiæ Divinæ acceptum retulerunt hujus Urbis situm adeo opportunum ad Imperii incrementa, ad sui tutelam, & ad se salvam ac incolumem præstandam, arcendosque quoscunque hostes. Dixerunt ista, contemplantes situm in medio longi Terrarum tractus, qui clauditur & cingitur undique aut mari, aut inaccessis Montium jugis; ad Meridiem scilicet mari Tyrrheno; Ionio ad Ortum; Hadriatico ad septem Triones, quæ ad E instar trium fossarum longarum & profundarum eum communiunt. Ad Occasum Alpes, veluti muri & vallum, seu fauces & claustra objiciuntur aggressuris terrestri itinere hostibus. Porro Natura non contenta munitionibus hisce in extremo limite, longo dorso per mediam Italiam porrexit montem Apenninum, ceu alterum Urbis murum vallumque contra procellas Septentrionales; maximæ enim bellorum tempestates ab Aquilone insurgere solent. Eleganter, sed ut Gentilium religionibus addictus, hæc decantat Rutilius *Itinerar* II. 31. & *seqq.*

F *Si factum certa Mundum ratione fatemur,*
Consiliumque Dei machina tanta fuit;
Excubiis Latii prætexuit Appenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit Natura, parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis.
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel includit, quæ preciosa tulit.
Jam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosque habuit Roma futura Deos.

4. Plinius in Italia, quæ Urbi æternæ sedem præbet jam olim fato destinatam, describenda fatetur, se illi operi imparem: meretur, ne quid de meo addere vel fingere videar, integer adscribi locus, ex *H. N.* III. 5. cum Plinius alias minus pie de rebus divinis sentiat: *Nec ignoro*, ait, *ingrati ac segnis animi existimari posse merito, si breviter atque in transcursu ad hunc modum dicatur Italia: Terra omnium Terrarum alumna, eademque & Parens, numine Deum electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret Imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum Gentium in toto Orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit? tanta rerum singularum populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel sola in ea, & digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere?*

5. Hinc Veteres Romam dixerunt *Urbem Æternam*. Hinc Plutarchus *de Fortun. Roman. c.* 5. ex versione Xylandri: *Fortuna*, inquit, *Persis & Assyriis desertis, cum leviter pervolasset Macedoniam, celeriterque abjecisset Alexandrum, Ægyptumque deinde & Syriam peragrando regna distulisset, & sæpe conversa Carthaginenses tulisset, postquam transmisso Tiberi ad Palatium appropinquavit, alas deposuit, talaria exuit, ac infideli & versatili illo globo misso facto, ita Romam intravit, ut mansura.* Ipse Vatum Princeps Homerus videtur Æneæ ac ejus posteris Imperium in Italia æternum prædixisse, cum *Iliad.* Υ. *vs.* 307. & 308. cecinit;

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quos Latinorum Vatum Princeps ita reddit æterni operis III *vs.* 97. & 98.

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Secundum hæc vaticinia Romulus, primus Romanorum Rex, & Julius Cæsar, eorundem primus Imperator, quos omnis Antiquitas ex Æneæ sanguine & posteris esse credidit, Romæ imperium habuerunt, atque illud tantopere confirmarunt, ut cum nomine etiam reliquiæ ejus hodieque perdurent, quamvis in plures alias domos sive gentes ac familias translatum sæpius fuerit.

6. Quod si Auctores Gentiles veluti per nebulam viderunt, Romam tali loco non sine arcana & singulari Dei providentia conditam; nos, quibus Christianorum Sacrorum lumen præfulget, nonne ad hujus Urbis & Imperii fata magis penetrare eaque penitus introspicere decebit? Dicemusne Deum, sine cujus providentia singulari, magna Orbis Imperia nec surgunt, nec cadunt; ideo tam vastam Imperii Romani molem cœlo proximam extulisse, ut postea ludibrio esset Caligulæ, Claudio, Neroni, aliisque Imperatoribus Gentilibus, quorum plures crudelissime Christianos vexarunt? Imo vero credibile est, nec Romulum sine instinctu divino hunc condendæ Urbi locum selegisse; nec Augustum sine incitatione arcana Numinis, cum totum pæne Terrarum Orbem sub ditione haberet, animum appulisse ad opus tam vastum & Herculeæ audaciæ, ut Romam conjungeret cum omnibus Terrarum regionibus per Vias Publicas munitas; veluti si quis ædificia minora per porticus subdiales conjungeret cum splendidæ & magnificæ alicujus arcis medio & supremo propugnaculo. Ipse Dei Filius inter cætera Imperia non elegisset Romanum, in quo nasceretur; nec Augusto Cæ-

sari ex natalis loci conditione se civem subjecisset, nisi ad salutem publicam totius Generis humani eo Imperio aliquando pro re nata usurus fuisset.

7. Mihi, ut homini, non licet arcana Dei fata introspicere: illud tamen forsan dicere possum, videri, divinam & æternam Providentiam Ducibus ac Imperatoribus Romanis præsto fuisse, ut Urbi Romanæ tam vastum acquirerent Imperium, si Patrum vocibus uti licet, terrenum & sæculare, uti aliquando in eadem Urbe constitueretur majus adhuc Imperium Christianæ Ecclesiæ, cujus Roma caput est, cui verba Plinii supra laudata eam ob rationem magis conveniunt & melius, quam Romæ profano ritu triumphanti. Hujus Imperii Spiritualis, ut nostrorum Sacrorum verbo utar, nomine, numine Dei Roma electa fuit, ut esset omnium Terrarum alumna & parens, quas peperit & Doctrinæ Christianæ lacte nutrivit, ut cœlum ipsum clarius faceret, Fidelium Animarum quasi colonias in illud adducens, & sparsa congregans in unum Imperia, eorumque profanos ritus per meliores, veras & sanctiores ceremonias Sacrorum molliens, & tot populorum discordes ferasque linguas ad divini sermonis commercium & societatem mutuam contrahens; paucis, ut humanitatem hominibus redderet, quæ consistit in vera agnitione & cultu supremi hominum Auctoris.

8. Hoc ergo Imperium in tam ingentem se diffudit amplitudinem, ut publicando per Orbem Evangelio quasi campum & aream præparatam præberet, cui rei mirum in modum utilia & commoda erant opera Viarum Publicarum. Cum enim *Sonus Evangelii* per Apostolos *in omnem terram exire deberet*, ut loquitur D. Paullus *ad Rom.* X. 18. & ut Vates Regius *Psalm.* XIX. 5. canit, *in ipsam Orbis habitabilis extremitatem*, huic fini nihil erat commodius, nihil aptius, quam Imperium aliquod maximum, quod hæc tria junctim & simul haberet, scilicet Monarcham supremum & αὐτοκράτορα; Urbem Imperii caput & sedem in medio Orbis; & Vias munitas ac ab Urbis medio versus ultimos limites & extrema Terrarum porrectas. Hoc videtur D. Leo innuisse *Sermon.* I. *in fest. SS. Petri & Pauli*; ait enim: *Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur Imperio: & cito pervios haberet populos Prædicatio generalis, quos unius teneret regimen dignitatis.* Genebrardus hoc ait vaticinio Esaiæ *c.* XI. prædictum fuisse, *in Exposit. Symbol. D. Athanasii*, ubi hunc in modum loquitur: *Neque enim fragrantissimum unguentum latius odorem suum spargit, quam verbi Christi odor permanavit; quod ut commodius celeriusque fieret, Deus, uti per Esaiam promiserat, Imperiorum omnia impedimenta sustulit, & unum longe maximum conflavit, quo de gente in gentem tutus esset transitus, neque ut peregrini & exploratores e finibus alienis Apostoli exigerentur.*

9. Porro, sicut Deus ab omni ævo Urbem Romam ante destinaverat sedem illi, quem Dei Filius conspicuum Ecclesiæ suæ caput & velut Sacrorum Regem esset facturus, ut ex ea Urbe, velut Orbis totius capite, in omnes Terrarum partes mitterentur, qui Sacra Christiana propagarent & promulgarent: ita pariter non minus utile, quam necessarium fuit, uti ad tam longinqua & tot itinera, quæ Apostoli, & qui ab Apostolis porro in Provincias missi fuerant, fecerunt, Viæ essent præparatæ & munitæ. Atque adeo, si quis respiciat Vias jam factas & munitas in primo promulgati Evangelii ævo, non mirabitur tantopere, tam paucorum annorum spatio ab Apostolis totum Orbem peragratum: nec difficile erit creditu, D. Petrum ad Britannos, D. Jacobum in Hispanias penetrasse,

A cum Claudii & Neronis ævo, sub quibus maxime Evangelium promulgarunt, illæ ipsæ provinciæ uni eidemque Domino parerent, & Viæ ad illas Publicæ jam essent munitæ. Tandem sicut Imperatores Orbem Terrarum in potestatem suam redegerant, ut longe lateque eum sub ditione haberent in omnibus, quæ ad Terrenam pertinent dominationem, quod facillime Viarum Publicarum & munitarum commodo fiebat: eodem plane modo D. Petrus in eadem Urbe sedem ditionis Spiritualis collocans, majori facilitate per Vias istas Publicas, quaquaversum per Orbem Terrarum, Evangelii

B præcones mittere potuit, quam si mansisset Antiochiæ, aut alia quadam Urbe, quæ non esset Imperii caput, & ad quam Viæ Publicæ in universum non ducerent; quod tamen ipsum necessarium illi fuisse videtur, qui toti Terrarum Orbi in Sacris erat præfuturus.

10. Hinc si Roma Imperatoribus suis plurimum debet, quod ei subjecerint majorem & meliorem Orbis partem, imperio tamen caduco & fluxo. multo plus debet Divis Petro & Paullo, quorum opera & populus ex gente profana & idololatrica evasit sanctior ac electus, & ipsa Roma ex Babylone, qualis ante erat, facta est civitas sacerdotalis & regia, omnium Orbis civitatum & urbium ca-

C put Spirituale; qua laude non floruit, cum maxime floreret ejus imperium terrenum & temporale. D. Leo *l. l.* optime hæc exponit, verba faciens ad Romam de SS. Petro & Paullo Apostolis: *Isti sunt, qui Te ad hanc gloriam provexerunt, ut Gens sancta, Populus electus, Civitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri sedem caput Orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim, multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.* Eadem affir-

D mat D. Ambrosius, *de vocat. Gent.* II. 6. *Roma per Apostolici Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

11. Amplificatio hæc Imperii, non est alius, quam Spiritualis, quod per omnem, sine exceptione ulla, Terrarum Orbem *actu* vel *potentia* extenditur: *actu*, ubi sunt Christiani: *potentia*, ubi esse possunt. De hoc Imperio videtur cecinisse Virgilius, quamvis non satis illud ipse intellexerit, cum ita de Imperio Romanorum Jupiter apud eum fatur *Æn.* I. 282.

Hic ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

E De eodem futuro Imperio universali & infinito totus olim Oriens fuit persuasus. Suetonius *in Vespas. cap.* 4. *Percrebuerat*, ait, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo* (Vespasiani) *tempore Judæa profecti rerum potirentur*. Licet autem priscum illud Oraculum Tranquillus non sine ratione de Imperio Romanorum terreno prædictum asserat, & de Vespasiano, qui ex Judæa redux Imperator factus est: vero tamen longe est similius per istos *Judæa profectos* potius intelligi *SS. Petrum & Paullum*, *Judæos* origine & olim professione, eductos in *Judæa* & ex eadem *profectos*, quam *Vespasianum*, qui natione erat

F Italus. Imo hi *Judæa profecti* videntur omnino accipiendi pro Judæis origine, quales erant bini hi Apostoli, qui illo ævo Romam caput Imperii Spiritualis, cui eos Servator præfecerat, constituerant. Si verum amamus, solum hoc *Imperium* Spirituale *sine fine* dici jure potest, sive ratione locorum, quæ metas nesciunt aut limites, quales habent Terrena Imperia; sive ratione temporis, quo perdurabit perpetuum, secundum certissima ipsius Domini Deique nostri Jesu Christi fata,

usq;

usque ad consummationem sæculorum. ap. Matth. XXVIII. 20. Constat autem ex iis, quæ diximus, ipsos etiam Gentiles, Imperii adeo durabilis, cujus Roma caput esset futura, habuisse aliquam notitiam.

SECTIO XVI.

De longitudine Viarum Urbis Romæ generatim.

1. Magnitudo Romæ magnitudinem Viarum ejus ostendit; & ambitus ejus, harum numerum. 2. Plinii locus super longitudine Urbis. 3. Roma quasi Urbs duplex, mœnibus cincta, & Suburbana extra mœnia. 4. Longitudo Urbis mœnibus cinctæ. 5. Longitudo Urbis & Suburbiorum junctim sumptorum. 6. Quomodo hic accipiantur Suburbia, eorumque longitudo. 7. Quot lapides Milliares fuerint intra Urbem & in Suburbiis. 8. Quomodo Viæ Militares ad Milliarium Aureum concurrerint. 9. Via Appia & Flaminia in Foro concurrentes Romano longæ sunt per Urbem ultra tres leucas & dimidiam. 10. Plinii locus, qui Mensuras modo dictas exhibet.

1. CUm Romæ initium Viæ Publicæ & veluti centrum, unde ducerent, habuerint, ratio ipsa postulat, ut disputationem de Viarum istarum longitudine & numero inchoemus a viis Militaribus Romæ ipsius. Optime procedet disputatio nostra, si Urbis magnitudinem prius & amplitudinem perlustremus, ut ex hac appareat quoque Viarum magnitudo: deinde etiam mirificus ejus ambitus erit perlustrandus, ut hinc colligere possimus, quot in circuitu isto fere rotundo mœnibusque suis cincto fuerint Viæ Militares, & non Militares, sive vulgares.

2. Prius ergo verba faciemus de Romæ ipsius longitudine. Sequemur hic Plinium *H. N.* III. 5. qui mensuras definit, non metiendo distantiam inter portas oppositas e regione; sed initium faciens a Columna Milliari, quam diximus in medio Urbis sitam, & inde ducens ad singulas portas; ut si quis Lutetiæ longitudinem metiri vellet, a medio Insulæ Palatii versus singulas XIV. portas. Id autem ad lineam directam fieri semper non potest; quin subinde deflectendum & declinandum est quandoque ad initia Viarum præcipuarum invenienda, quæ ad singulas portas ducunt.

3. Ut de Urbis itaque longitudine, secundum Plinium, disputemus, notandum prius, Urbem Romam, quasi duplicem fuisse Urbem, quarum altera pars intra mœnia, altera suburbana & extra mœnia fuit, quæ priorem circuitu & ambitu suo cinxit: altera mœnibus conclusa, altera sine mœnibus aperta fuit; unde Plinius duplicem Urbis mensuram facit; priorem inchoat a Milliario Aureo ad singulas Urbis portas, posteriorem ab eodem Milliario usque ad fines & ultimas domos Suburbiorum, sive, ut ipse loquitur, *ad extrema tectorum*: ut si quis Lutetiam metiretur inter fines oppositos Suburbiorum S. Martini & S. Jacobi.

4. Plinii ætate priore mensura sub Vespasiano, Tito, & Domitiano Impp. Romæ a Milliario Aureo ad singulas portas fuerunt III. M. P. & passus IƆCCLXV. cum vero a Milliario Aureo ad singulas portas eandem mensuram dicat Plinius, in medio ipso Urbis Milliarium illud fuerit, oportet: quod si forsan, ut credibile est, plus minusve passuum fuerit ad nonnullas portas, ille numerus adeo exiguus fuit, ut nullam sui rationem meruerit. Hæc autem longitudo est Urbis dimidia, sive diametri dimidiæ, quæ pro mensura Italica habet III Milliaria cum dimidio, & passus Geometricos CCLXV. pro mensura Francica Leucam unam cum dodrante, & totidem passus CCLXV. Si ergo integram diametrum nosse & totam Urbis longitudinem perspicere a porta ad portam e regione oppositam volumus, duplicandus erit hic numerus, quo habebimus, mensura Italica, Milliaria VII. cum dimidio & XXX. passus; mensura vero Francica, Leucas III. cum dodrante & passus XXX.

5. Posteriore mensura Plinius Urbem & Suburbia junctim a Milliario Aureo metitur, quæ Suburbia tam rotundo & æquali ambitu Urbem Romam ejusque mœnia cingebant, ut Plinius multiplici mensura opus non habuerit; sed generatim a Milliario Aureo per Urbis portas ad extrema tectorum in Suburbiis dinumerat paullo amplius VII. M. P. sive Leucas Francicas III. cum dimidia: quæ est longitudo dimidia Urbis cum Suburbiis suis: eam integram duplicati dabunt numeri ad XIV. M. P. sive VII. Leucas Francicas.

6. Suburbia vero adeo in longum porrigebantur, ut Plinius dicat, *exspatiantibus tectis multas additas* esse *Urbes* Romæ. Nam ex ante dictis dimensionibus constat, præter Urbis amplitudinem satis per se spatiosam, Suburbia porrecta in agrum circumcirca fuisse ad III M. P. & CCXXXV. passus; quorum pro dimidia parte ad minimum ultra singulas portas porriguntur passus mille sexcenti septendecim cum dimidio. Accipienda est hæc longitudo de ædificiis contiguis & continua serie, sine ullo alio, atque Viarum, quæ illa ædificia utrimque separabant, intervallo, structis. His si addas urbes, oppida & loca vicina, quæ suis & propriis adhuc gaudebant nominibus, nec Suburbiis accesserant, velut illis innexa & adhærentia, poteris jure cum Dionysio Halicarnasseo *lib.* IV. *Antiq. Rom. p. m.* 266. *hærere, ubi desinat Urbs, ubi incipiat;* quem locum supra II. 32. §. 5. laudavimus.

7. Quod si igitur lapides aut columnæ Milliares inscriptæ, & Milliariorum Italicorum intervalla & numerum notantes initium habuerunt a Milliario Aureo; ultro sequitur, primas tres columnas Milliares Viarum, quæ ad singulas ducebant portas, fuisse intra Urbem: hinc etiam sequitur, septimum lapidem Milliarem, qui a Milliario Aureo Viam per singulas portas notabat, fuisse ferme circa fines singulorum Suburbiorum. Sic ut eunti ab extremo alicujus Suburbii per mediam Urbem ad alterius oppositi extremum, numerarentur lapides XIV. sive totidem millia passuum: unde facile licet cognoscere, quanta nonnullarum Viarum per Urbem & Suburbia fuerit longitudo per tantum VII. Leucarum Francicarum spatium.

8. Sed relinquamus Suburbia, & intra Urbis ambitum intremus. In hac quævis Via Militaris non pergebat directa ad Milliarium Aureum, speciatim illæ, quæ non erant ad aliquam portarum porrectæ: harum nonnullæ circum ipsum Forum Romanum ad dextram sinistramque pro diverso situ pergebant: at quæ ad portas erant porrectæ, cum Urbs esset ambitu rotundo, ut versus Forum Romanum & Milliarium Aureum ferrent, necesse erat; aliæ per directum, aliæ nonnullo flexu per obliquum. Porro aliæ per se ducebant ad Milliarium Aureum, quales erant longiores & rectiores; aliæ, aut non satis longæ, aut non per directum versus Urbis medium stratæ, per se non ferebant ad Milliarium, sed in alias intrando per has eo ducebant, quemadmodum rami arboris a stipite remotiores per propiores ramos conjunguntur & inserun-

tur. Inde colligimus, Vias, quæ per se uno eodemque sub nomine a Foro Romano ad aliquam Portarum ducebant, longas fuisse amplius Leucam unam cum dimidia. Nihil his simile habet amplissima Parisiorum Lutetia, cujus integra longitudo ne quidem dimidiam æquat antiquæ Romæ. Illi enim, qui dimensi sunt Lutetiam, ut didici *ex antiqua quadam Charta Urbis Lutetiæ Parisiorum*, in longum a *Porta Nova* usque ad saxeum aggerem retro Armamentarium, (vulgo *au Bastion derriere l' Arcenal*,) adscribunt perticas, sive *Tosias* nostrates, mille septingentas & decem; & in latum a porta *S Martini* ad portam *S. Jacobi*, mille quingentas & sexaginta *Tosias*. Si has *Tosias* ad passus Geometricos reducas, & horum II. millia Leucæ adscribas, habebis in longum passus bis mille quinquaginta duos, qui reddunt Leucam unam, & duos passus ultra quadragesimam Leucæ partem: in latum habebis passus mille octingentos septuaginta duos, quibus ad integram Leucam desunt CXXVIII. passus, sive Leucæ fere quintadecima pars.

9. Viæ proinde, quæ Romæ ab oppositis regionibus in Foro concurrebant Romano, ut Parisiis in Insula plateæ *S. Martini* & *S. Jacobi*, junctim longæ erant ultra III. Leucas. Tales erant Via *Appia* & *Flaminia*, quarum altera a porta veniebat *Capena*, altera a *Flumentana*, quæ portæ Romæ e regione sibi oppositæ erant, ut Lutetiæ *S. Martini* & *S. Jacobi* portæ. Quod ad cæteras portas, si una & continua Via sub eodem nomine non poterat ab Urbis medio ad portam pergere, tum plures aliæ, aut per directum aut per obliquum, intervalla excipiebant intermedia; per quas nihilominus currebat mensura ab Aureo Milliario ad aliquam portarum, ut posset sciri distantia.

10. Verum operæ precium est, ut adscribamus Plinii locum integrum, §. 2. *hujus sectionis* laudatum, quia nostris mensuris facem prætulit: non quidem, ut vulgo legitur, numeris plane corruptis, sed ut eum Lipsius *de Magn. Rom.* III. 2. certissimis & necessariis conjecturis emendavit: *Mœnia*, ait, *ejus* Romæ *collegere ambitu, Imperatoribus Censoribusque Vespasianis, anno conditæ* IƆCCCXXVIII. *passuum* XXIII. *millia. Complexa Montes septem ipsa dividitur in Regiones* XIV. *Compita earum* CCLXV. *Ejusdem* (ambitus) *spatii mensura currente a Milliario, in capite Fori Romani statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero* XXIIII. *ita ut* XII. *portæ semel numerentur, prætereantur ex veteribus* VII. *quæ esse desierunt, efficit passuum per directum* CIƆ. CIƆ. CIƆ. IƆCC LXV. *Ad extrema vero Tectorum, cum Castris Prætoriis, ab eodem Milliario, per Vicos omnium Viarum mensura colligit paullo amplius* VII M. P. Atque hæc sunt, quæ de Longitudine Viarum Militarium ipsius Urbis dicere potuimus; in sequenti autem sectione de earundem numero disputabimus.

SECTIO XVII.

De numero Viarum Militarium ipsius Urbis Romæ.

1. *Ex ingenti Ambitu Romæ colligi potest Viarum multitudo.* 2. *Ambitus ut sciatur exacte, ad regulas Mathematicas recurrendum.* 3. *Circumferentiam circuli majorem esse triplicata diametro sua.* 4. *Vera proportio circumferentiæ ad diametrum, secundum Archimedem. Mensura Ambitus solius Urbis Romæ.* 5. *Mensura Ambitus Urbis & Suburbiorum simul & junctim.* 6. *Numerus Viarum Urbis Romæ tam Militarium, quam non Militarium, sive vulgarium. Earum nomina.* 7. *Non omnes Vias, quarum nomina recensita sunt, fuisse intra Urbem.* 8. *Earundem divisio & distinctio secundum Panvinum.* 9. *Alia necessaria divisio & magis generalis.* 10. *Differentia in una eademque Via, qua est Via Romana in Urbe, & qua est Via Militaris extra Urbem.* 11. *Unde habeant sua nomina Viæ illæ tam in Urbe, quam extra Urbem.* 12. *In Urbe Roma Viarum illarum tredecim sunt Militares.*

1. QUemadmodum ad lustrandam generatim & describendam Viarum Urbis longitudinem decurrimus ad ipsius Urbis longitudinem; ita jam circumeundus erit ejusdem Ambitus, ut Vias easdem numeremus: quo ex circuitu constabit, mirum non esse, in tam vasto locorum complexu, qui fere rotundo erat ambitu, fuisse tot Vias, tot regiones, & in his tot templa, tot insulas & ædes magnificas, tot theatra, amphitheatra, aliaque ædificia tam sacra, quam profana, tam publica, quam privata, quæ hujus operis libro ultimo sive V. recensebimus. Jam vero Ambitum Urbis spectabimus, partim solius Urbis separatim, partim Urbis ejusque Suburbiorum junctim.

2. Facile utrumque iter faciemus, si sequamur certam Geometrarum & Matheseos viam, quæ ducit ad circuli integram circumferentiam recte dimetiendam. Geometræ vulgo ajunt, circulum esse ad diametrum suam triplicatum, sive triplum diametri suæ; & ad longitudinem circuli inveniendam, triplicandam esse diametri longitudinem. Hanc viam ingressi sunt Justus Lipsius *de Magn. Rom.* III. 2. & Daniel Cellarius Ferimontanus *in Speculo Orb. Terrar.* ut invenirent Ambitum Urbis Romæ. Nec tamen exacte secuti sunt & ad numeros *κατ' ἀκρίβειαν*, sed præter propter Viam: nam si integram Urbis Romæ diametrum, quam diximus esse VII. M. P. & passus IƆXXX. ter multiplices, ad justam in Ambitu summam venient XXII. M. P. & passus IƆXC. Lipsius vero insuper habuit, ad severiores calculos summam computare, cui solum adscribit XXII. M. P. & IƆ. passus: Cellarius tantum XX. M. P.

3. Ambitum vero Urbis adhuc ampliorem inveniemus, si illum computemus ad accuratiores Geometrarum rationes. Circuli enim circumferentia paullo major est triplicata diametro, propter curvaturam, quam tres illæ circuli partes per diametrum suam in tres arcus divisæ habent: certissimum namque est, lineam curvam aut circularem semper esse majorem & longiorem linea recta, quæ illi subtenditur; prout arcum semper videmus majorem subtenso nervo suo. Illi autem, qui circulum per tres diametros suas metiuntur, lineas rectas assumunt, negligunt curvas; quasi non tam arcus, quam nervi longitudo foret dimetienda. Hinc in illorum rationibus oborti errores.

4. Si quis ex me quærat justam proportionem Circuli ad suam diametrum, respondebo cum Archimede, qui in erudito Matheseos pulvere princeps regnavit, esse *illam in ratione tripla, & ultra paullo minus una septima parte, & paullo plus decem septuaginta-unis partibus*, aut per notas vulgares, *ut* 21. *& paullo minus* $\frac{1}{7}$ *& paullo plus* [illegible] *ad* 7. sic vertimus enim hæc ipsa, quæ definit Archimedes sua lingua, *libello de dimensione Circ. Theor.* 3. *Παντὸς κύκλου ἡ περίμετρος τῆς διαμέτρου τριπλασίων ἐστὶ, καὶ ἔτι ὑπερέχει ἔλασσον μὲν ἢ ἑβδόμῳ μέρει τῆς διαμέτρου, μεῖζον δὲ ἢ δέκα ἑβδομηκοστομόνοις.* Secundum hanc regulam si quis comparationem instituere velit, quæ proxime accedat ad ve-

ram rationem diametri Urbis Romæ cum suo ambitu, addat, oportet III. M. P. & passus CCXXVII. quæ fere septima pars est totius summæ XXII. M. P. & passuum IↃXC. sic habebit verum & justum Urbis Ambitum ad XXV. M. P. & IↃCCCXVII. passus, sive ad Leucas Francicas XII. cum quadrante, & CCCXVII. passus. Hunc ad ambitum minime accedit circuitus Lutetiæ Parisiorum, nec ullo modo cum isto Romano comparari meretur; qui enim hunc dimensi sunt, ajunt, complecti *Tosias* nostrates sive perticas quinquies mille quadraginta octo, quæ ad passus Geometricos reductæ reddunt VI. M. P. & passus LVII. sive Leucas Francicas III. & paullo plus, quam unam partem trigesimam quintam Leucæ; sive, notis vulgaribus, Leucas 3. & paullo plus $\frac{1}{35}$.

5. Eodem modo procedendum est in Ambitu Urbis Romæ & Suburbiorum junctim; horum simul diameter habet XIV. M. P. Hinc numerum triplica, & habebis XLII. M. P. horum septima pars VI. M. P. addenda erit toti summæ, & erunt in Ambitu Urbis & Suburbiorum Romæ junctim XLVIII. M. P. sive Leucæ Francicæ XXIV. Atque hic est numerus, qui proximus vero dari potest, quamvis nondum sit omnino exactus ad verum, siquidem diameter circuli æque est incommensurabilis, ut cum Geometris loquar, suæ circumferentiæ, atque diameter quadrati suis lateribus.

6. Inde vero unusquisque domi suæ conjicere facile potest, intra amplissimum XXIV. Leucarum spatium, cujus Lutetia cum suis Suburbiis ne quidem habet quadrantem, fuisse plurimas Vias Publicas, Communes, Vicinales, Privatas. Sed maneamus jam in ipsa solum Roma. Qui memoriæ prodiderunt Viarum ipsius Romæ, tam Militarium quam non Militarium & Vulgarium numerum, inter se parum differunt. Quantum ad Communes Vias & non Militares, in earum numero, fuisse nempe CCCCXXIV. consentiunt: Quantum vero ad Militares, Andreas Palladius *in Antiq. Urb. Rom. Romæ* ait, fuisse *Vias Principales*, ut vocat, numero XXIX. quarum *celeberrimæ* fuerint Viæ *Appia*, *Flaminia*, *Æmilia*: at Guido Pancirollus *Antiq. Deperditar.* I. 21. aliter: *Romæ*, ait, *Viæ Regiæ & Publicæ erant* XXXI. *cæterarum* CCCCXXIV. Eundem numerum Publicis Viis intra Urbem quoque olim Publius Victor *libell. de Reg. Urb. sub finem*, adscripsisse videtur: postquam enim res & loca insignia, quæ ejus ævo in Urbe visebantur, & numerum eorum, ut *Senaculorum*, *Bibliothecarum*, *Obeliscorum* & similium, quæ sine controversia erant intra Urbem, recensuerat, porro subjungit *Vias* XXXI. non addens, num intra an extra Urbem, integræ vel ex parte fuerint: Hoc autem modo eas recenset:

VIÆ XXXI.

Via Appia.
Latina.
Lavicana, alias *Labicana*.
Campana.
Præneſtina.
Tiburtina, vel *Gabina*.
Collatina.
Nomentana, vel *Figulensis*, alias *Ficulnensis*.
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Claudia, vel *Clodia*.
Valeria Nova & *Vetus*.
Ostiensis.
Laurentina.
Ardeatina.

R. Tom. X.

A *Setina.*
Quintia.
Gallicana.
Triumphalis.
Patinaria.
Cimina.
Cornelia.
Tiberina.
Aurelia.
Cassia.
Portuensis.
B *Gallica.*
Laticulensis, alias *Janiculensis*
Flavia, &
Trajana.

7. Plures hinc crediderunt, omnes hasce Vias fuisse intra Urbem Romam, sed male: nam harum XXXI. Viarum multo plures erant extra Urbem, quam in Urbe. Hinc Daniel Cellarius *l. l.* cum Andrea Palladio in numero XXIX. *Viarum* consentiens, ubi nominatim eas recenset, quæ, duabus, quas omisit ex numero Victoris, præteritis, sunt illæ ipsæ Victoris, ait, hæc esse *Viarum* XXIX.
C *tam intra Romam, quam extra, nomina.*

8. Onufrius quoque Panvinus, *in Urbe Roma p.* 68. ubi de Viis Militaribus Urbis & Italiæ generatim verba facit, videtur in eadem opinione fuisse, cum eas sic distinguat; *Viarum autem quædam extra Urbem, quædam intra initium habuerant: ut Flaminia, Prænestina, Lavicana, Campana, Appia & Ardeatina. Reliquæ vero omnes ab ipsis portis incipiebant, atque extra Urbem protendebantur.*

6. Mihi utique hæc Panvini divisio Viarum Urbis & Italiæ, ne quid diffitear, nec satis generalis, nec omnes complexa Vias videtur. Namque
D invenio Viarum, si Urbem & Italiam respicias, Publicarum sive Militarium species quatuor; quarum prima est Viarum, quæ intra Urbis mœnia & initium & finem habent, & quæ extra Urbem non producuntur. Tales sunt *Via Sacra*, *Via Suburrana*, *Via Nova*, *Via Fornicata*, *Via Recta*, & nonnullæ aliæ, a quibus Regiones quædam, ex XIV. Urbis, nomina habent, ut Regio VI. *Alta Semita*, Regio VII. *Via Lata*. Altera species Viarum est illarum, quæ intra Urbem initium habent, & per aliquam portarum ac Suburbia porriguntur longo tractu in agros & aperta camporum; quales
E sunt sex illæ paullo ante a Panvino commemoratæ; & præter has quædam aliæ a Panvino præteritæ, quas suis locis persequemur. Tertia species est illarum, quæ ab ipsis portis Urbis Romæ initium habent, & per agros ducunt, uti *Via Aurelia*, *Latina*, *Ostiensis*. Quarta species est illarum, quæ nec Urbem Romam nec ejus Suburbia usquam contingunt, sed vel in mediis camporum & agrorum, vel in aliqua urbe, procul a Roma, initium habent: quales sunt *Via Domitiana*, cujus initium prope Sinuessam: *Æmilia*, quæ Arimini incipit; aliæque magno numero; quas itidem postea suis locis persequemur.

F 10. Nihilo minus hæ Viæ omnes Publicæ possunt jure etiam dici *Viæ Romanæ*: aut enim ab ipsa Urbe Roma porriguntur, aut eidem Urbi connectuntur per alias Vias, quæ Romam ducunt. Verum inter plateas *Urbis* vel vias *Urbanas* vel *Urbicas* possunt tantum censeri illæ, quæ intra ipsum Urbis ambitum sunt sitæ: imo ipsi scriptores Latini quandoque in una eademque Via hanc differentiam agnoscunt; inter plateam sive Viam Publicam Urbicam, quæ intra Urbem est; ac Viam Publicam & Militarem, quæ extra Urbem pergit, distinguentes. Sic est accipiendus Festus Pompejus,

in voc. Initium, cum sic ait: *Initium est principium: sed alias, quo quid incipiat, ut Viæ Appiæ Porta Capena; alias ex quo quid constet, ut aqua, terra, aer*. Hoc loco vides a Festo, quicquid Viæ Appiæ est intra Urbem, tanquam plateam urbanam, distingui a Via Appia Publica & Militari, quæ a Porta Capena extra Urbem habet initium; quamvis plateæ Urbicæ & Viæ Militares, in Urbe & extra illam, Latinis communi & generali nomine *Viæ* veniant. Habuit sane *Via Appia* initium in ipsa Urbe, testante omni Antiquitate, unde Panvinus *l. l.* eam inter sex illas retulit, quæ intra Urbem habuerunt initium: At Festus hoc loco per *Viam Appiam* intelligit Viam illam Publicam & Militarem in agros longo tractu porrectam, non vero partem eam, quæ intra Urbem Romæ erat & quasi platea Urbica haberi poterat.

11. Omnes hæ Viæ nomina sua acceperunt a pluribus caussis & occasionibus diversis. Quædam cognominatæ sunt a suis Auctoribus aut Curatoribus, ut *Via Appia, Flaminia, Æmilia, duæ Cassiæ, Clodia sive Claudia, Annia, Augusta, Quintia, Junia, Sempronia, Valeriæ duæ, Numicia, tres Trajanæ, Vitellia, Aurelia, Cornelia, Domitiana, Postumia, Flavia, Pompeja* & *Domitia*. Aliæ denominatæ sunt ab Urbibus, in quas ducebant & ad quas productæ erant; ut *Via Collatina, Numentana, Tiburtina, Gabina, Prænestina, Labicana, Laurentina, Setina, Ardeatina, Ostiensis, Portuensis, Amerina*. Aliæ cognomina sumserunt a Provinciis, in quas ducebant; ut *Via Campana, Ausonia*, quæ & *Latia* vel *Latina, Gallicana* & *Gallica*. Aliæ a forma sua, ab usu, quem præstabant, aliove casu aut eventu nomina sortitæ erant; ut *Via Salaria, Asinaria, Cimina, Triumphalis, Tiberina, Sacra, Nova, Lata, Alta, Recta, Fornicata*. Cæteræ caussam sui nominis manifesta nesciunt, sed a casu aut occasione, jam ignota, olim acceperunt, ut *Via Patinaria, Laticulensis* & similes.

12. Ex hisce cunctis Viis Publicis, tantum XIV. aut XV. intra Urbem fuisse invenimus. Sunt autem *Via Appia, Flaminia, Prænestina, Lavicana, Campana, Ardeatina, Triumphalis, Nova, Nova altera, Fornicata, Recta, Lata, Alta Semita, Sacra, Suburrana*. In præsens tempus non persequemur has singillatim, sed & cæteras tum perlustrabimus, cum Vias Publicas, quæ ab ipsis Romæ portis initium habent, ingrediemur.

SECTIO XVIII.

De Longitudine Viarum Italiæ Publicarum in universum.

1. *Quomodo Longitudo Viarum Italiæ Militarium, & earum Numerus quæri debeat.* 2. *Limites Italiæ partim a Natura facti, partim ab Hominum arbitrio & jure.* 3. *Plinii locus de longitudine & latitudine Italiæ. Longa est* IϽX. *Leucas.* 4. *Via Mediolano Columnam longa Leucas* CCCCLXXVIII. 5. *Itinerarium Antonini Vias Publicas suis nominibus inter itinera vix designat; sed tantum extremas, quas inter Viæ sunt sitæ, urbes adnotat.* 6. *Cur Itinerarii Auctor Vias ita denotarit.* 7. *Ratio hujus instituti, & cur Auctor ille Itineribus descriptis non addiderit nomina Viarum propria, quæ in Historiis occurrunt.*

1. QUod paullo ante summatim in Urbe Roma faciebamus, illud jam per universam Italiam eodem modo persequemur; ut scilicet generatim doceamus longitudinem & nu- A merum Viarum Militarium, quas Magistratus & Imperatores Romani in ea fecerunt. Fiet hoc eodem ordine, quem supra observabamus, ut prius de Longitudine, & postea de Numero Viarum Italiæ agamus.

2. Hæc longitudo Viarum clarius cerni poterit, si spectemus ipsam Italiæ Longitudinem & Latitudinem. Italia enim Viis Publicis omnem in modum munitis præ reliquis Imperii Provinciis ornatissima & instructissima erat. Notandum vero Italiæ fuisse duplices Limites, alios a Natura, alios ab Hominum arbitrio & jure, quos inter limites utrosque notabilis intercedit differentia. A Natura B limitatur Alpibus & mari Mediterraneo, qua Siciliam & Macedoniam respicit. Hos Limites Siculus Flaccus *de Condit. Agror. inter Auctores Rei Agr. edit. Goesian. p.* 2. innuit, cum dicit, *Italiam ab Alpibus in Mare porrigi, ac tribus lateribus exteras gentes intueri a Sicilia usque ad Galliam, omne littus Africum esse contrarium: rursus a Leucopetra partem, quæ ad mare attingit, Macedoniam & aliquam Epiri partem spectare: Hadriaticum vero littus Illyricum contra se habere*. Limites ab hominum arbitrio & jure dati sunt illi, quos Populus Romanus pro temporis diversitate diversos constituit, & sæpe transposuit. Antea quidem C versus Hadriaticum mare Æsin flumen terminum faciebat, rursus Rubiconem fluvium, qui fluvii in Hadriaticum mare excurrunt: versus mare Tyrrhenum termini fuerunt fluvii modo Varus, modo Arnus; secundum ea, quæ variis locis *Geogr. lib.* V. *p. m.* 381. 404. 413. Strabo tradit. Quando igitur nos disputabimus de Longitudine Italiæ, intelligi volumus illam, quam ipsa limitavit Natura, semper eandem & immutabilem; non vero profectam ab arbitrio & dispositione Romanorum, mutationibusque variis obnoxiam. Recte enim Strabo, *l.* IV. *p. m.* 321. *Quæcunque secundum Naturæ par-* D *tes distincta sunt, Orbis descriptori dicenda sunt, & quæ secundum Gentium habitationes, & quicquid mentione dignum est. Quæcunque vero Principes Reipublicæ, temporibus obsequentes, variis modis instituunt, summatim commemorasse satis est.*

3. Ut ergo ad naturalem Italiæ Longitudinem lustrandam accedamus, cum maxime solo Plinio itineris duce erimus contenti: is *H. N.* III. 5. de Italia agens ait: *Patet longitudine & Alpino fine Prætoriæ Augustæ, per Urbem Capuamque cursu meante Rhegium oppidum, in humero ejus situm, a quo veluti cervicis incipit flexus, decies centena & viginti* M.P. *multoque amplior mensura fieret Laci-* E *nium usque, ni talis obliquitas in latus digredi videretur. Latitudo ejus varia est,* CCCX. *millium inter duo Maria, Inferum & Superum, amnesque Varum atque Arsiam: mediæ atque ferme circa Urbem Romam, ab ostio Aterni amnis in Hadriaticum Mare influentis, ad Tiberina ostia* CXXXVI. & *paullo minus a Castro Novo Hadriatici maris Alsium ad Tuscum æquor, haud ullo loco* CC. *in latitudinem excedens.* Hæc Plinius ipse Italus. Inchoat vero Italiam ab *Augusta Prætoria*, quam Itali incolæ hodie vocant *Aosta*, Germani *Augst*, Galli *Oste*, quæ Salassorum, quos Plinius inter Gentes Alpinas recenset III. 20. quondam oppidum, teste Cluverio *Germ. Antiq.* II. 6. hodie vero Lom- F bardiæ oppidulum, quod *Valli Augustæ, Val d'Aosta* nomen dedit, in cujus faucibus juxta Arcum Triumphalem antiquum, hodie ornamentis suis spoliatum, est situm sub XXX. gradu longitudinis, & latitudinis XLIV. gradus XXX. minuto, ut collocatur in Charta Geographica Universæ Italiæ, quam Romæ anno CIϽ. IϽ. XCII. edidit Jacobus Castaldus, Pedemontanus. Ab hoc oppido Plinius Italiæ longitudinem ducit per Urbem Capuamque

usque Rhegium, quod alterum Italiæ extremum, ad Fretum Siculum est, situm sub longitudinis gradus XXXVI. minuto XLV. ac latitudinis gradus XXXVII. minuto XLV. Inter hæc utraque extrema dinumerat Plinius passus 1020000. sive Milliaria Italica CIↃ. XX. quæ reddunt Leucas Francicas IↃX. imo alicubi majorem longitudinem agnoscit. Latitudinem esse ait variam; inter Varum, qui in Tyrrhenum, & Arsiam, qui in Hadriaticum mare se effundunt, amnes, Milliaria patere CCCCX. quæ sunt Leucæ Francicæ CCV. minorem multo esse alibi latitudinem, maxime in medio, ferme circa Urbem Romam, ubi inter duo Maria Superum & Inferum tantum sint CXXXVI. M. P. sive Leucæ Francicæ LXVIII.

4. Quare patet, per IↃX. Leucas Francicas potuisse porrigi Viarum Italiæ Publicarum longitudinem. Sane *Itinerarium* Antoni *p.* 22. primum *Iter* Militare, *quod a Mediolano per Picenum & Campaniam ad Columnam, id est, Trajectum Siciliæ ducit*, ait esse IↃCCCCLVI. M. P. qui sunt Leucæ Francicæ CCCCLXXVIII. ut tantum desint Leucæ XXXII. ad totam summam distantiæ inter utrumque extremum explendam: at hæ XXXII. Leucæ desunt modo dictæ summæ integræ, quod iter illud Antonini non inchoetur *ab Alpino fine*, ubi in Lombardiæ finibus est *Augusta Prætoria*; sed *a Mediolano*, capite suæ provinciæ, quod facile ab *Augusta* XXXII. Leucis abesse potuit, ut magis versus Italiam admotum. Alterum hujus itineris extremum, *Columna*, oppidum aut verius vicus est proxime *Rhegium* in littorali ora Italiæ prospiciens oppositum sibi Siciliæ promontorium *Pelorum*. Hermolaus Barbarus *in Correctionib. Plinian.* III. 5. dicit, a Græcis vocari *Stylidam*, i. *Columellam*, unde quoque illi accesserit nomen *Stylarion*, quod complures eidem hodie, loco *Columnæ*, donent.

5. Si ex me quæras nomen Viæ hujus Publicæ, quæ fere per IↃ. porrigitur Leucas nostrates, scias, Auctorem *Itinerarii* Antonini, cum Militarium Indicem Viarum & Itinerum per universam Italiam conscriberet, vix unam suo denotasse nomine, aut saltem iis nominibus propriis quæ Publius Victor *de* XIV. *Urb. Reg. sub finem*, recenset: sed nec Provinciales Vias nominibus suis appellavit: namque Vias Militares inter se alia forma ac ratione non distinxit, quam designans easque definiens per nomina duarum Urbium, quarum altera hinc, altera inde extremum occupabat. exempli caussa:

p. 27.	*Ab Urbe Mediolanumm*	M. P. IↃXXVIII.
	Inde Aquilejam	M. P. CCLX.
p. 28.	*Ab Arimino recto itinere Ravennam*	M. P. XXXIII.
p. 65.	*A Cremona Bononiam*	M. P. CXII.

& sic in cæteris: atque hoc modo per totam Italiam Vias admodum L. describit, quas certis locis inchoat, aliis iterum finit; neglectis earum nominibus propriis, quæ in Historiis occurrunt. Satis ipsi fuit, aliquas insignes Urbes, aut loca celebriora pro initio & fine Viæ adnotare; neque addidit, num Itinera, de quibus agit, fierent per Viam Appiam, Flaminiam, aut alias: rarissime tamen nominatim aliquas Vias indicavit.

6. Licet autem, sed rarissime mentionem *Viarum Appiæ*, *Flaminiæ*, *Clodiæ*, *Valeriæ* aliarumque faciat, tamen id per accidens, ut cum Scholis loquar, contigit. Nam institutum ejus Auctoris non est, singillatim Vias hujus illiusve nominis ab initio ad finem persequi & integras describere: verum Vias inchoans & finiens, ubi visum ipsi fuit commodum, aliquando obiter admonet, iter, quod describit, pergere per *Viam Appiam*, *Flaminiam*, A aut alias illarum, quarum in Historiis celebrantur nomina propria, vel ab Auctoribus, vel ab Urbibus Provinciisque, ad quas ducebant, vel ab aliis caussis supra *Sect. præced.* §. 11. allatis, desumta. Videbis hinc aliquas in *Itinerario* Vias, quæ partem faciunt illarum, quarum in Historiis celebrantur nomina: aliquas inchoari a Via Publica celebriore, & desinere in aliam, quæ iterum intrat in Viam Militarem celebriorem, quemadmodum rami minores inserti majoribus sic per hos stipiti suo connectuntur.

7. Ut breves simus, Auctor *Itinerarii* se non B continuit intra definitos alicujus Viæ Militaris terminos & limites; sed ex singulis tantum spatii & distantiæ, quantum ipsi opus erat ad describendas Vias, adsumsit: id tamen rigide observans, ne ullam Urbem, mutationem, mansionem, aliumve locum ad Itinera sua apponeret, nisi quæ re ipsa ad Vias Militares essent, aut propter & secundum easdem. Fecit id non sine caussa; neque enim Viarum Publicarum historiam dare voluit, ubi ab Auctoribus suis inchoatæ, ubi finitæ sint: verum hoc egit, ut quasi digito monstraret, quomodo per Vias istas Publicas ex urbe in urbem aliam, ex Provincia in Provinciam aliam, iter posset institui; C qui unicus & verus est Itinerarii libelli finis & scopus. Nam cum Viæ Militares præcipue factæ sint, ad ducendi exercitus & cursus publici commoditatem & facilitatem; omnes exercitus, iter facturi, non erant semper Romæ, velut in centro, unde Viæ Militares initium & nomen inchoabant; nec omnes cursores publici ex sola excurrebant & proficiscebantur Urbe Roma: verum longe lateque per Imperii terras & Provincias, hinc & inde, itinera fuerunt facienda. Ideo quemadmodum in Chartis Hydrographicis, in usum nautarum, plures ventorum rhombi in pluribus quoque per mare distantiis sive areolis hydrographicis occurrunt, D ut navigantes possint proximum illi loco, in quo navigant, ut cursui suo commodissimum & aptissimum institutæ velificationi eligere; sic *Itinerarii* Auctor per Italiæ regiones instituit veluti varias partitiones & descriptiones, quas præcipuis limitavit & definivit urbibus, circum quas exercitus aliquamdiu commode commorari & interquiescere potest: & cum subinde una aut plures Viæ istas urbes percurrerent, itineris sui descriptionem ab una aliqua inchoat, & in alia Via finit, prout ipsi maxime commodum videtur iter futurum: neque curavit, num Viæ Militares designandæ per nomen suum proprium ibi initium, an finem haberent, E aut num hæc Via intret in aliam contiguam, & sic continuetur: sic, exempli gratia, non describit *Viam Flaminiam* ab initio suo ad finem separatim, nec deinde *Viam Æmiliam* separatim; sed quandoque aliquod iter in *Itinerario* suo inchoabit a medio Viæ in Historiis nomine proprio celebratæ, & hoc deinde finiet in medio alterius Viæ, unumque iter ex pluribus Viis conscribet. Atque hinc nomina propria suis Viis non dedit, sed eas generatim designat & definit per nomina Urbium, quæ extremum utrumque terminum hinc & inde occupant, ut pluribus exemplis sectione sequenti videbimus. F

SECTIO XIX.

De numero Viarum Italiæ Publicarum.

1. Duplici modo Viarum Publicarum Italiæ numerus exhiberi potest, secundum Historiam, & secundum Itinerarium. 2. Numerus Viarum Italiæ Publicarum nominibus propriis celebratarum in Historiis. 3. Numerus Viarum Militarium per Italiam se-

cundum Itinerarium Antonini. 4. XLVII. *Viæ Militares, ſecundum Itinerarium, junctim longitudine ſua excedunt* 45CO. *Leucas*.

1. HÆc ſunt, quæ generatim dicere poſſumus de Viis Italiæ Publicis, quæ in longum plures, quam IↃ. Leucas; in latum plures quam CC. Leucas pro ſpatio & velut area habent: Jam ad Numerum Viarum earundem accedamus, de quo duobus modis diſputabimus, priore ſecundum *Hiſtoriam*, poſteriore ſecundum *Itinerarium Antonini*. Secundum *Hiſtoriam* Viis Militaribus ſua propria dabimus nomina: at ſecundum *Itinerarium* aliter eas non deſignabimus, atque per Urbes, quæ terminos utrimque itineris conſtituunt. Nihilominus tamen uterque Viarum numerus non valde diſtat. Hoc etiam commune habent tam in *Hiſtoria*, quam *Itinerario*, imo & *Charta Peutingeri*, ut quædam ad portas Urbis Romæ, quædam in media Italia & in agris initium habeant.

2. Viæ Militares, quæ ab ipſis Romæ Urbis portis porriguntur, & ſua in Hiſtoriis nomina propria habent, ſecundum *Tabulæ Peutingerianæ*, *Segm.* III. & IV. ſunt numero undecim, diſpoſitæ circum Urbis ambitum, & ſic nominatæ: *Viæ Flaminia, Salaria, Numentana, Tiburtina, Præneſtina, Lavicana, Latina, Appia, Hoſtienſis, Aurelia, Triumphalis*. Hiſce XI. nos addemus ſequentes XII. quas Panvinus *l. l.* ait æque ab ipſis portis Romæ porrigi, atque modo dictas. Sunt autem: *Viæ Collatina, Gabina, Campana, Valeria nova, Valeria vetus, Tuſculana, Albana, Ardeatina, Laurentina, Portuenſis, Vitellia, Aurelia Nova*. Militarium vero Viarum, quæ in Italiæ mediterraneis & in Agris initium habebant procul Urbe, nomina hæc ſunt: *Viæ Æmilia Lepidi, Caſſia, Clodia vel Claudia, Annia, Auguſta, Cimina, Amerina, Sempronia, Poſtumia, Quintia, Junia, Trajana, Numicia, Setina, Domitiana, Aſinaria, Cornelia, Æmilia Scauri*. Præter has Vias ſunt adhuc ſeptem octove, quarum poſitio incerta, cum locus neſciatur, fuerint ne intra an extra Urbem, neque initium vel finis poſſit certo notari; ſunt autem *Viæ Trajana altera, Trajana tertia, Patinaria, Tiberina, Gallicana, Gallica, Laticulenſis, Flavia*. Atquæ hæ quidem ſunt Viæ Publicæ Italicæ, quarum nomina propria occurrunt in Hiſtoriis, numero XLIX. & forſan plures ſunt, cum aliquas poſſimus memoriæ culpa aut lectionis inopia prætetiiſſe.

3. Accedamus nunc ad Vias, quæ in Antonini *Itinerario* recenſentur, porrectæ longe lateque per Italiam, ſive ab Urbe Roma, ſive ab Urbibus & locis celebrioribus, ut ſequitur:

VIÆ ITALIÆ.

p. 22.	1.	*Iter quod a Mediolano per Picenum & Campaniam ad Columnam, ideſt, Trajectum Siciliæ, ducit*	M. P. IↃCCCCLVI.
p. 23.	2.	*Item ab Urbe Appia Via recto itinere ad Columnam*	M. P. CCCCLV.
p. 24.	3.	*Iter a Capua Equotuticum*	M. P. LIII.
	4.	*Ab Equotutico per Roſcianum Rhegium*	M. P. CCCCLXXVIII.
p. 25.	5.	*Ab Equotutico Hydruntum ad Trajectum*	M. P. CCXXXV.
p. 26.	6.	*A Brunduſio Tarentum ad littus*	M. P. XLIIII.
	7.	*A Bario per compendium Tarentum*	M. P. LX.
	8.	*A Benevento Hydruntum*	M. P. CLXV.
	9.	*Item a Benevento Tarentum*	(M. P. CLXVI.)
p. 27.	10.	*Item a Tarracina Beneventum*	M. P. CXIII.
	11.	*Item a Tarracina Neapolim*	M. P. LXXXVII.
	12.	*A Neapoli Nuceriam Conſtantiam*	M. P. XXXVII.
	13.	*A Literno Miſenam*	M. P. XII.
	14.	*Ab Urbe Mediolanum*	M. P. IↃCCXXVIII.
	15.	*Inde Aquilejam*	M. P. CCLX.
p. 28.	16.	*Ab Urbe* Ariminum	(M. P. CCXXII.)
	17.	*Ab Arimino recto itinere Ravennam*	M. P. XXXIII.
	18.	*Inde Concordiam*	M. P. XXXI.
	19.	*Ab Arimino* Aquilejam	(M. P. CCCCLXXXV.)
p. 63.	20.	*A Brigantia per Lacum, Mediolanum uſque*	M. P. CXXXVIII.
	21.	*Alio itinere a Brigantia Comum*	M. P. CXCV.
p. 64.	22.	*Ab Opitergio Tridentum*	M. P. CX.
	23.	*Item ab Aquileja Bononiam*	M. P. CCXVI.
	24.	*A Verona Bononiam*	M. P. CV.
	25.	*A Vercellis Laudem*	M. P. LXX.
p. 65.	26.	*A Cremona Bononiam*	M. P. CXII.
	27.	*Iter a Faventia Lucam*	M. P. CXX.
	28.	*Iter a Parma Lucam*	M. P. C.
		VIA CLODIA.	
	29.	*Iter a Luca Romam per Clodiam*	M. P. CCXXXVIII.
p. 66.	30.	*Item a Roma Forum Clodii*	M. P. XXXII.
	31.	*Iter ab Arimino Dertonam*	M. P. CCXXIX.
	32.	*Item a Luca Piſas*	M. P. XII.
	33.	*Item a Luca Lunam*	M. P. XXXIII.
		VIA AURELIA.	
	34.	*A Roma per Tuſciam & Alpes Maritimas Arelatum uſque*	M. P. IↃCCXCVI.
p. 68.	35.	*Aliter a Roma Coſſam*	M. P. LXI.
	36.	*Item a Roma per Portum, Centum Cellas*	M. P. LXIX.
	37.	*Ab Urbe Oſtiam*	M. P. XVI.
	38.	*Laurentum*	M. P. X.
p. 69.	39.	*Lanuvium*	M. P. XVI.

	PRÆNESTINA.	
	40. *Ab Urbe Beneventum usque*	M. P. CLXXXVIII.
	LAVICANA.	
	41. *Ab Urbe Beneventum usque*	M. P. CLXX.
	LATINA.	
	42. *Ab Urbe Compitum*	M. P. XLVIII.
p. 70.	*Intrat in Lavicanam Salaria.*	
	43. *Ab Urbe Hadriam usque*	M. P. CLVI.
	VALERIA.	
	44. *Ab Urbe Hadriam usque*	M. P. CLXVIII.
p. 71.	**FLAMINIA.**	
	45. *Ab Urbe per Picenum Anconam & inde Brundusium*	M. P. IↃCXXVII.
p. 72.	46. *Ab Heluillo Anconam*	M. P. L.
	47. *A Septempeda Castrum Truentinum*	M. P. LXXIV.
p. 77.	*De Italia in Gallias.*	
	48. *A Mediolano Arelate per Alpes Cottias*	M. P. CCCCXI.
p. 78.	49. *Iter a Mediolano per Alpes Grajas Viennam*	M. P. CCCVIII.
p. 79.	50. *Iter a Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum*	M. P. IↃLXXVI.
	51. *Iter a Mediolano per Alpes Penninas Maguntiacum*	M. P. CCCCXIX.
p. 80.	52. *A Mediolano per Alpes Cottias Viennam*	M. P. CCCCIX.

(Norit Lector Auctorem in hac recensione obiter & fugitivo oculo fuisse versatum, & forsan indocti ac imperiti alicujus, qui indicem hunc excerperet ex *Itinerario*, opera usum. nam nec paginæ ullæ annotatæ erant, nec verba numerique Itinerarii distinguebantur ab illis, quæ Bergierius aut exscriptor supplementi gratia adjicere voluit. Numeri etiam ipsi sæpe minime respondebant summis, quæ leguntur in editione *Itinerarii cum Commentario Hieron Suritæ & notulis Andr. Schotti*, *Coloniæ anno* CIↃ. IↃC quam tamen Bergierius secutus est; sed vitiosissimi subinde erant. Vias quoque, alias per errorem ex simplicibus duplices fecit, alias per incuriam omisit, & tantum XLVII. recenset, cum revera in *Itinerario* enumerentur LII. In Computatione deinde non potuit non errare, cum sæpe bis, ter, quaterve unius ejusdemque Viæ numeros in universam summam colligeret, & aut vitiose exscriptas, aut non consentientes cum collectis singularibus numeris summas, nulla vitii ratione habita, sequeretur. Quare Interpres alienum a sua industria non putavit, ut hæc omnia ad fidem ipsius *Itinerarii* recenseret, & errores emendaret, calculos quoque ad certiorem rationem denuo poneret. Hujus otii operam Lectoribus hanc reddit.

Numero 1.) Summa a Bergierio unitate deminuta erat. vitio, ut puto, scripturæ. at eadem ad numeros singulos exacta erat M. P. IↃCCCCLXI.

Numero 2.) Numeri singulares in summam collecti reddunt M. P. CCCCLXXXVI. Sed porro notandum, hic denuo occurrere Viam a *Nerulo* ad *Columnam*, quæ jam iisdem mansionibus adfuit numero 1. ad M. P. CLXXVII. qui, ut rationes postea sint certiores pro computatione totius summæ in universum, erunt huic numero demendi, ut solum ad calculos veniant pro *numero* 2. secundum singulares collecto, demtis istis M. P. CLXXVII. iteratis, M. P. CCCVIII.

Numero 3.) Ante hanc Viam Bergierius loco tertio collocaverat, ex *pag*. 24. quasi novum iter: *In medio Falerno ad Tanarum* M. P. XXV. male. Sunt enim loca intermedia, quæ ad Iter *num*. 2. referuntur, inter *Urbem* & *Columnam* sita, in cujus numeri summa, ista M. P. XXV. jam insunt. Si vero hoc novum foret iter, tum vel sexcenta potuisset enumerare, inter singula loca intermedia novum iter faciendo. At tantum itinera, quorum terminos designat Auctor *Itinerarii* summatim, & quorum deinde, ubi notanda sunt, loca intermedia describit, Bergierius dinumerare voluit.

Numero 4.) Summa hæc secundum singulares numeros collecta est M. P. IↃIIII.

Numero 9.) Summa omissa est in *Itinerario*. Bergierius annotat M. P. LXVI. per errorem, ut puto, scripturæ, aut typothetæ, omisso c. Numeri enim singulares collecti reddunt summam M. P. CLXVI. Notandum vero numero 8. & 9. esse iter unum per easdem mansiones usque ad *Canales*. Sic ut ex numero 9. ad computationem in universum faciendam tantum XX. M. P. veniant, a *Canalibus* scilicet *Tarentum*.

Numero 10.) hic a *Tarracina Minturnas* XXXV. M. P. jam numerata sunt *num*. 2. eadem Via & iisdem mansionibus. quare tantum LXXVIII. M. P. ad rationem totius summæ venire poterunt ex hoc numero.

Numero 11.) Bergierius hic iterum unitate in summa deficit. at M. P. XLIII. *Tarracina Sinuessam* jam annumerata sunt *num*. 2. quare hic in computatione universali omittenda erunt, & tantum numeranda M. P. XLIII. pro hoc *numero* 11.

Numero 12.) Bergierii summa errore, ut puto, typographico unitate minor est.

Numero 16.) Hæc summa in Itinerario non exstat, sed ex singularibus numeris est collecta.

Numero 19.) Et hæc summa ex singularibus numeris collecta non exstat in *Itinerario*. hic vero denuo occurrunt CXXIV. M. P. inter *Mediolanum* & *Ariminum*, quorum mansiones quoque eædem adfuerunt jam *num*. 1. quare in universali computatione ex hoc numero sumantur tantum M. P. CCCLXI.

Numero 21.) hic *Brigantia Curiam* L. M. P. jam insunt in *num*. 20. præcedente. quare ex hoc itinere tantum veniunt ad summam generalem M. P. CXLV.

Numero 22.) Hoc iter, quod ad Italiam adhuc referri debet, oblitus erat Bergierius.

Numero 23.) Summa secundum numeros singulos est CCVIII. M. P. Sed Viæ *Mutina Bononiam* XXV. M. P. & *Patavio Concordiam* M. P. LXII. quæ jam sunt in itinere *numero* 19. hic in Computatione generali omitti debent: ergo hoc numero ad rationes accedent M. P. CXXIX.

Numero 24.) Et hic *Mutina Bononiam* XXV. M. P. fuerunt in *num*. 19. quare omittantur in computanda universa longitudine Viarum Italiæ, & solum LXXX. M. P. ponantur.

Numero 26.) Summa secundum singulos numeros collecta est CXXII. M. P. ut credam in Itinerario esse erratum typothetarum. Hic quoque *Mutina Bononiam* XXV. M. P. omitti debent, cum adferuerint *num*. 23. item XVIII. M. P. *Mutina Regium*, qui jam fuerunt in itinere *num*. 19. ergo supersunt pro computatione universæ longitudinis M. P. LXXIX.

Numero 29.) Summa secundum numeros singulos collecta unitate auctior est. Sed L. M. P. *Florentia Lucam* sunt in *num*. 27. quare hic omittenda erunt itaque ad universam summam hic supersunt M. P. CLXXXIX.

Numero 30.) Bergierius hoc iter præterierat, ut puto, per ἀβλεψίαν.

Numero 31.) Totum fere hoc iter *Arimino Placentiam* usque iisdem mansionibus adfuit *num*. 19. quare hic *Placentia Dertonam* supersunt pro computatione generali facienda M. P. LI.

Numero 32. & 33.) Hæc quoque itinera Bergierius non animadverterat.

Numero 34.) Bergierius nec veram singulorum numerorum, quæ habet IↃCCLXII. M. P. nec *Itinerarii* summam expressit, quam nos dedimus. minus accurate idem quoque Bergierius, dum agit de longitudine Viarum Italiæ, Gallicas admiscet. quare nos *ad Alpem summam* ex hoc itinere tantum IↃXXXVIII. M. P. adscribemus computationi generali longitudinum: hi enim ad Italiam, reliqui ad Galliam proprie attinent: quare *Itinerarii* Auctor post *Alpem summam* addit *p*. 67. *Hucusque Italia: abhinc Gallia*.

Numero 36.) XXV. M. P. a *Turribus Centumcellas* jam numerata sunt *num*. 34. quare illa demandatur huic summæ, ut pro computatione longitudinum supersint XLIV. M. P.

Numero 38. *D*. 39.) Hæc etiam Itinera sicco pede præterierat Bergierius.

Numero 40.) Summa secundum numeros singulos est M. P. CLXXX. tantum.

Numero 41.) Summa secundum numeros singulos colligitur ad M. P. CLVIII. Sed in hoc itinere, ut dicit ipse Itinerarii Auctor, *Frusinone Beneventum mansionibus, quibus & in Prænestina* num. 41. sunt M. P. CI. ergo hæc si summæ demas, reliqua erunt M. P. LVII. ad rationes longitudinum.

Numero 42.) XV. M. P. a *Pictis Compitum* jam numerata sunt *num.* 41. quare supersunt tantum XXXIII. M. P. ad summas longitudinum.

Numero 43.) Summa secundum numeros singulos collecta denario auctior est, M. P CLXVI. ut credam denarii notam librariorum culpa periisse. Via *Truento Castrum* XII. M. P. jam adfuit *numero* I. quare hic remanent M P CLIV. demtis istis.

Numero 44.) Summa e numeris singulis collecta unitate auctior est, M. P. CXLVIIII.

Numero 45.) Summa secundum numeros singulos est M. P IↃCXIX. Sed huic demas *Ancona Castrum* M. P. LXVI. quæ jam *num.* I. connumerata & *Truento Hadriam* M. P. XXII quæ *num.* 43. addita fuerunt; & supererunt ad instituendam computationem longitudinum M. P. IↃXXVI.

Numero 46.) Hic summæ iterum denarius excidit; nam secundum singulares numeros sunt M. P. LX.

Numero 47.) summæ pro calculis longitudinum ponendis demenda XX. M. P. *Asculo Tarentum*, jam in numeros recepta *num.* 43. Supersunt igitur LIV. M. P.

Numero 48.) Bergierius hic denuo præter institutum Gallicas Vias conjungit Italicis; licet de harum Italicarum longitudine se acturum dixerit. Summa secundum numeros singulos est M. P. CCCCXXXIX. Sed ad *Eburodunum* sunt tantum M. P. CCLVIII. qui vere ad Italiam attinent: nam *Ebroduntios* Galba Imp. Galliæ Narbonensi adscripsit, teste Plin. *H. N.* III. 4. *in fin.* Hic autem porro demenda XXII. M P. *Laumello Ticinum*, jam adnumerata supra *num.* 25 quare supersunt M. P. CCXXXVI. pro longitudinum computatione.

Numero 49.) Ad *Augustam Prætoriam* finem Italiæ Alpinum sunt tantum M. P. CXXVIII.

Numero 50.) Secundum numeros singulos collecta summa est IↃCCXXXI. M. P. Sed ad *Augustam Prætoriam* usque ad Italiæ Vias referri debent M. P. CXLIX. quibus si demas denuo XXII. M. P. *Laumello Ticinum*, quæ, ut dixi, jam *num.* 25. adnumerata sunt, habebimus pro computatione longitudinum reliqua M. P. CXXVII.

Numero 51.) Summa secundum numeros singillatim collecta est IↃVIII. M. P. verum ad Italiam pertinet hoc iter tantum usque ad *Prætoriam Augustam*, cujus numeros jam dedimus ad *num.* 49.

Numero 52.) Summa, ex numeris collecta singulis, unitate auctior est, M. P. CCCCX. Est autem *Eburodunum* usque eadem Via, quæ *num.* 48. per easdem mansiones, nisi quod hic sint M. P. CCXXVII. numerorum, ut vero est simile, corruptelis: quare sequemur prioris fidem.

Si omnes hosce numeros, ea, qua jam dixi, ratione computemus, calculis recte positis, omnis Viarum Militarium Italiæ longitudo per hæc LII. itinera, porrecta, Milliaria habebit septies mille nongenta triginta unum: sive Leucas Bergierii. Fr[illegible] ter m[illegible] no[illegible] [illegible] cum dimidia. At si velimus omnes numeros, ut in *Itinerario* leguntur & a nobis excerpti sunt; simpliciter in unam summam per saturam colligere, nulla aut erroris aut iterati ejusdem numeri ratione habita, tum summa erit decies mille quingentorum nonaginta octo Milliariorum, & Leucarum ex Bergierii nostri computatione quinquies mille ducentarum nonaginta novem: at hic numerus, ut ex dictis apparet, a vero mirum quantum abit: nihilo tamen minus suos numeros hac ferme ratione computavit noster doctissimus Bergieri[illegible].)

4. Hoc itaque modo Auctor Itinerarii Vias Italiæ Militares dispofuit per urbes, quæ Vias hinc & inde terminant, quæ numero sunt XLVII. descriptas per Milliariorum inter utrumque extremum distantias. Hæc milliaria si computemus in unam summam, inveniemus, in Italia sola, Romanos humana opera & manu constravisse Viarum Militarium plures quam quater mille quingentas Leucas, vel glarea, vel silice, easque in statumine, ruderatione & nucleo fuisse minutas ea forma & modo, quem altero libro exposuimus; ut taceamus pontes, qui eas per terram continuabant, & portus, qui easdem ad oram maris littoralem finiebant.

SECTIO XX.

De Portis Urbis Romæ, a quibus Viæ Militares Italiæ habebant initium.

1. *Viarum Publicarum Termini initiales & finales, tam terrestres, quam maritimi. Portarum ratio Viarum numero respondere debet.* 2. *Plures Italiæ Viæ Publicæ ab una Porta deductæ.* 3. *Numerus Portarum inservit noscendis Viis inde deductis.* 4. *Historici super numero & situ Portarum differunt.* 5. *Qui Romæ ambitum dilatarint.* 6. *Numerus Portarum post Urbis pomœria postremum prolata.* 7. *Plinius & Procopius super numero Portarum conciliantur. Nomina* XIV. *Portarum secundum ordinem situs.* 8. *Nomina* X. *minorum Portarum.* 9. *Porta Triumphalis aliæque non relatæ inter principes & præcipuas.*

1. RECte Leo Baptista Albertus *de Re Ædific.* VIII. 6. *Viarum quidem*, ait, *& earum, quæ extra urbem sunt, caput & quasi terminus quidam, est terrestribus Porta; maritimis, nisi fallimur, Portus.* Idem alibi IV. 5. docet secundum artis regulas in structuris & ædificiis magnarum Urbium observandis, *Portarum rationem pro Viarum Militarium numero habendam esse.*

2. Verum Romani Portarum Urbis suæ non tam rationem habuerunt pro Viarum Militarium numero, quam e converso Vias Militares Portis accommodarunt, a quarum pluribus non unam, sed duas pluresve Militares Vias deduxerunt. Recte enim Panvinus *in Urb. Rom. p.* 68. *Ab una autem Porta plures Vias deduci, atque eas in diversa loca dividi, manifestum est.* Atque hinc plures Portæ nomen habuerunt a Viis Militaribus, & e contrario nonnullæ Viæ Militares a Portis, unde deducebantur.

3. Ut ergo recte & ordine persequamur Vias Italiæ Militares, de Portis Romæ veteris nonnihil erit præmittendum; ut ex harum numero & situ intelligatur numerus & situs Viarum Publicarum, quæ inde per Italiam porriguntur, sive ab ipsis Portis initium ducentes, sive in has ab Urbe ductas intrando velut insertæ.

4. Certum est, Portarum numerum ac situm pro temporum diversitate fuisse quoque diversum. Principio enim Urbis conditæ, cum solum complecteretur Montem Palatinum, eique subjectam vallem, ubi Forum erat Romanum; tres tantum fuerunt Portæ. Postea cum Sabinos in civitatem Romanam accepisset Romulus, pomœrium fuit prolatum & Capitolium Urbi adjectum, & quarta Porta addita, qua Urbs ab ea parte adiretur. Tres priores & hanc quartam Plinius innuit *H. N.* III. 5. his verbis: *Urbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut, ut plurimas tradentibus credamus, quatuor.* At cum Plinius nomina taceat, ea doceat Varro *de L. L. lib.* IV. *p. m.* 39. quantum ad tres priores: *Præterea intra muros vides Portas dici: in Palatio Mucionis, a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant: Alteram Romanulam, quæ dicta est ab Roma, quæ habet gradus in nova Via* (sic emendat Scaliger pro *novalia*) *ad Volupiæ Sacellum: Tertia est Janualis, dicta ab Jano*; (qui olim ibi loci habitasse credebatur) *& ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit. Nusquam traditum est memoriæ, Pompilio Rege fuisse apertam: & post T. Manlio cos. bello Carthaginiensi primo confecto, & eodem anno apertam.* Quarta Porta dicta fuit. *Carmentalis*, a *Carmenta* Evandri matre: docet Solinus *Polyhist. c.* 2. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit; ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portæ nomen datum.* Livius II. 49. & Plutarchus *in vit. Camilli c.* 40. hujus meminerunt, nec non Princeps Vatum Perfectissimi operis VIII. 338.

Et Carmentalem Romano nomine Portam.

5. Roma

A 5. Roma tunc temporis quadrata erat, cujus aditus, quatuor portas commode admittebant: at sæculis sequentibus, cum toties Pomærium proferretur, sæpius novæ planæ portæ exstrui debuerunt, ut tandem quatuor primæ veteres nec claudendæ nec muniendæ Urbi amplius inservirent. Nam brevi post U. C. Numa Pompilius, qui Romulum excepit, Urbi adjecit Montis Quirinalis partem: porro cum frequentia & multitudo populi sub Regibus sequentibus valde augeretur, Tullus Hostilius addidit montem Cœlium; Ancus Martius Janiculum; Servius Tullius montem Viminalem & reliquum Quirinalem. Diu post Sylla, B Julius Cæsar, Augustus, & Tiberius Urbis ambitum amplificarunt, complura loca ampla intra Urbis mœnia accipiendo: Nero autem post incendium eandem ampliorem facit, quam ante fuerat. Suam quoque partem addidit Trajanus, ut & Aurelianus, qui primus Campum Martium intra mœnia admisit. Tandem Constantinus Magnus postremum Urbem versus Viminalem Tiburtinamque portas dilatavit, destructis ideo, quæ illic locorum olim erant, Castris Prætoriis.

6. De hisce ergo tam spatiosæ Urbis portis erit nobis agendum; hinc enim Viæ Publicæ per Italiam initium ducebant, & per has cæteræ in omni- C bus Imperii Provinciis. At numerum Portarum Auctores faciunt diversum. Plinius *H. N.* III. 5. de sua ætate, sub Flaviis Imperatoribus, ait: *sunt hodie numero* XXIV. portæ. Sic enim legendum, non XXXVII. quem numerum vulgati libri præ se ferunt, ut supra *sect.* XVI. §. 10. docuimus. Alii tantum XIV. numerant, quos inter est Procopius *de Bell. Goth. lib.* I. *Habet autem*, ait de Roma, qualis erat Justiniano imperante, *circumjectus Urbi murus Portas decem & quatuor, Portulasque alias quasdam*.

7. Ut conciliemus hos Auctores, dicere lice- D bit, verum esse, Romæ tantum XIV. aut XV. Portas fuisse præcipuas, &, ut sic loquar, Prætorias, quas etiam Regias aut Militares forsan vocare licet, ad quas ducebant omnes per Italiam Viæ Militares, sive per se, velut rami ad stipitem, continuæ eodem sub nomine, sive per has exceptæ, & velut ramis insertæ, ad communem ortum pergerent. Harum XIV. Portarum Militarium hæc sunt nomina, secundum situm in ambitu Romæ disposita:

Porta Flumentana, post *Flaminia*, nunc *Populi*.
Porta Collatina, post *Pinciana*.
E *Porta Agonensis*, post *Quirinalis*, deinde *Collina*, postea *Salaria*.
Porta Viminalis, post *Sanctæ Agnetis*.
Porta Gabina, nunc *Sancti Laurentii*.
Porta Esquilina, alias *Labicana*, post *Prænestina*, nunc *Major*.
Porta Cœlimontana, post *Asinaria*, nunc *Sancti Johannis*.
Porta Ferentina, postea *Latina*.
Porta Capena, post *Appia*, nunc *Sancti Sebastiani*.
Porta Trigemina, post *Ostiensis*, nunc *Sancti Paulli*.
F *Porta Navalis*, post *Portuensis*.
Porta Janiculensis, post *Sancti Pancratii*.
Porta Fontinalis, post *Septimiana*.
Porta Aurelia, prope Molem Hadriani.

8. Cæteras X. Portas, quæ Plinii ætate Romæ erant, credibile est, fuisse minoris notæ, quales Procopius dixerit *Portulas*, quarum hæc sunt nomina:

Porta Querquetularia vel *Querquetulana*, in Viminali.
Porta Piacularis.
Porta Catularia
Porta Minutia.
Porta Mugonia.
Porta Sanqualis.
Porta Nævia.
Porta Raudusçula, alias *Rauduſculana*.
Porta Lavernalis.
Porta Libitinensis.

9. Præter has XXIV. Portas fuit & alia, ad montem Vaticanum ultra Tiberim, per quam Urbs adibatur, licet inter Portas præcipuas non recenseatur, cujus rei caussam nescire me fateor, cum tamen inter celeberrimas fuerit, per quam triumphantes Romam intrabant, unde & *Porta Triumphalis* dicta, & per quam eandem pergebat Via ejusdem cognominis celeberrima, de qua agemus post *sect.* XXVII. §. 7. & *seqq*. Reliquæ Portæ nonnullæ, quarum in Historiis subinde fit mentio, ut *Portæ Saturnia* vel *Pandana*, *Ratumena*, *Salutaris*, *Stercoraria*, intra Urbem erant, nec aditum ad illam, nec exitum ex eadem amplius præbebant: fueruntque forsan ex VII. illarum numero, de quibus *l. l.* Plinius: *Prætereuntur que ex veteribus* Portis *septem*, *quæ esse desierunt*.

SECTIO XXI.

De Viis Italiæ Publicis; quæ initium habebant a Portis Urbis Romæ.

1. Ratio deducendi porro Vias Italiæ Publicas singillatim. 2. Post ramos sive Vias præcipuas actum iri de ramis sive Viis secundi ordinis seu minoribus. 3. Cur initium fiat a Flaminia. 4. Portæ Flumentana unde dicta. 5. Quæ nomina deinde habuerit. 6. Quomodo Via Flaminia ab hac Porta habuerit initium. 7. Viæ Flaminiæ longitudo erat Roma Ariminum. Strabonis testimonium: 8. & Suetonii, nec non Itinerarii Antonini super eadem longitudine. 9. Distantia inter Urbes Romam & Ariminum in Itinerario & Tabula Peutingeriana differt. 10. Viæ Flaminiæ vestigia, & reliquiæ sepulcrorum Veterum ad eam. 11. Ædificia ad eandem. 12. Monitum nostrum de locorum distantiis & diversa nominum propriorum orthographia tam in Antonini Itinerario, quam in Tabula Peutingeriana.

1. TAndem denique tempus est, ut a Portis Urbis Romæ deducamus Vias omnes singillatim, de quibus egimus antea generatim, easque persequamur ordine longe lateque per totam Italiam. Hunc in finem initium faciemus ab illis, quæ in Historiarum monumentis nomina sua sibi propria habent, easque pro ingenio situs, quem ab ipsa habent Natura, ordine singulas ingrediemur. Unicuique harum Viarum accommodabimus illas, quæ in *Antonini Itinerario* nominibus propriis nudatæ exstant, ut & illas, quas *Tabula* depingit *Peutingeriana*, quarum aliquæ nomine proprio designantur, aliæ eodem omisso pinguntur. Has & illas *Tabulæ* & *Itinerarii* Vias ubique, quantum poterimus, inter se proxime conferemus.

2. Porro hunc ordinem sequemur, ut, postquam disputavimus de aliqua Via Militari, ab aliqua Portarum Urbis continuo tractu oriunda, subjiciamus statim omnes Vias, quæ cum ista cohærent, ac in eandem insertæ intrant, ut rami minores accedunt inserti majoribus ad communem stipitem. Sic optime intelligemus singularum Viarum

cum Urbe mutuam convenientiam & inter ſe relationem, ſimul & quaſi oculis objiciemus mirificam earum longitudinem & ſpatioſiſſimum tractum.

3. Initium fiat a *Via Flaminia*, non ſolum, quod ſit inter antiquiſſimas & celeberrimas omnium; ſed etiam propter ſitum *Portæ Flumentanæ*, a qua ducto initio pergit in agrum: nam ſecundum ſitum & ordinem Portarum nobis deducendæ erunt Viæ Publicæ. Jam vero hæc Porta nobis cis Tiberim ſita eſt, eique flumini proxima omnium; unde ab ea porro pergemus ad alias Portas verſus agrum Veteris Latii, ſingulas Portas & ſingulas inde Vias ordine luſtraturi, donec ad alteram & oppoſitam Urbis partem denuo Tiberim attingamus; inde ibi Tiberim tranſeuntes iter pergemus ad Portas Urbis trans Tiberim, uſque dum ad poſtremam & ultimam pervenerimus.

4. Portam vero *Flumentanam* propter Tiberim fuiſſe ſitam, vel ipſum docet nomen, quod a *fluminis* vicinia habet. *Flumentana Porta*, ait *in voc. Flumentana*, Feſtus, *Romæ appellata, quod Tiberis partem ea fluxiſſe affirmant*. Hinc etiam intelligimus Livium XXXV.21. cum ait: *Tiberis infeſtiore, quam priore, impetu illatus Urbi, duo pontes, ædificia multa, maxime circa Portam Flumentanam, evertit*.

5. Fatemur tamen, illam hodie Tiberi non adeo propinquam, ac fuit ante Aureliani imperium. Hic enim Imperator Urbi additurus Campum Martium, qui ad ea uſque tempora extra Urbem fuerat, coactus fuit deſtruere Portam Flumentanam, quæ proxima erat Campo Floræ, eamque alium in locum tranſportare, qui in ipſa fuit *Via Flaminia*; quam Porta iſthæc intrantem, ceu janua, tranſmiſit, unde etiam ab eo tempore dicta fuit *Porta Flaminia*. Sic eam Procopius *l.l.* vocat: *Inter portam namque Flaminiam*, ait, *& Prænestinam cis Tiberim caſtra una locaverant*: & alibi *Beliſarius Prænestinam portam Beſſæ tradiderat cuſtodiendam, Flaminiæ Conſtantium præfecerat.* Eſt autem illa ipſa porta, quæ hodie, tertium mutato nomine, appellatur *Populi*.

6. Ab hac igitur Porta, *Viæ Flaminiæ* initium pergebat in aperta camporum; ut Feſtus *voc. Initium*, docet *Viæ Appiæ initium* fuiſſe *Portam Capenam*, quæ illi porta quaſi e diametro opponitur: primum tamen & verum originis initium intra Urbem habebant iſtæ Viæ. Nam *Via Flaminia*, per portam cognominem tranſiens, Urbem intrat & ad Forum pergit Romanum, prope quod a *Via Lata* excipitur, quæ inter illam & Forum interjacet, & Flaminiam illam intrantem nonnullo flexu ad Milliarium ducit Aureum.

7. Verum ut ad hujus Viæ Flaminiæ partem accedamus præcipuam, quæ extra Urbem pergit, non repetam hic, quæ de ejus Auctore dixi ſupra 1. 8. §. 6. & 7. Solam hic ejus perſequar longitudinem. Sive enim Auctor ſit Flaminius, qui ad lacum periit Tranſimenum, ſive hujus Filius, illud ſine ullo dubio certum eſt, fuiſſe eam ſine interruptione continuam Roma Ariminum, urbem ad oram maris Hadriatici ſitam, ad quam per Hetruſcos & Umbros, qui hodie *Toſcani* & *Spoletini* vocantur, ducebat. Strabo de Flaminio F. hæc teſtatur: *Geogr. lib. v. p. m.* 395. *Eodem enim in conſulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuerunt. Victores autem Ligurum, ſtravere, hic quidem Flaminiam e Roma per Tuſciam & Umbriam uſque Ariminum. Alter reliquam porro uſque Bononiam, & ex ea in Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa Paludes opere*.

8. Deinde cum Auguſtus Imp. eam reficeret, diſertis verbis ait Suetonius *in Aug. c.* 30. *deſumtam illi Flaminiam Viam, Arimino tenus muniendam*. Confirmatur id ipſum ex *Antonini Itinerario*, qui inter cætera itinera recenſet unum Roma Ariminum, quod alia Via non potuit eſſe, quam *Flaminia*, quamvis ſimpliciter præmiſit verba: *Ab Urbe*, nec addit, *Ariminum*: quod in cæteris obſervat Itineribus, ubi primam & ultimam urbem, ſive terminos diſtantiæ in univerſum, in limine præmittit. Habes hic Viam illam ex *Antonini Itinerario pag.*28. excerptam, cui adjunxi eandem, prout depicta & deſignata eſt in *Tabula Peutingeriana*, *ſegmento* III. ut poſſit fieri comparatio utriuſque operis:

Ex Itinerario Antonini:

AB URBE.

Roſtratam Villam	M. P. XXIIII.
Ocricoles Civitatem	M. P. XXV.
Narniam Civ.	M. P. XII.
Interamniam Civ.	M. P. VIII.
Spoletium Civ.	M. P. XVIII.
Forum Flaminii Vicum	M. P. XVIIII.
Helvillum Vicum	M. P. XXVII.
Callem Vicum	M. P. XXIII.
Forum Sempronii	M. P. XVIII.
Fanum Fortunæ	M. P. XVI.
Piſaurum	M. P. VIII.
Ariminum	M. P. XXIIII.

Ex Charta Peutingeriana:

VIA FLAMINIA.

Ad Rubras	VI.
Ad Viceſimum	XI.
Aqua viva	VII.
Interamnio	VIII.
Adtine Recine	XI.
Fano Fugitivi	II.
Spoleto	V.
Mevanio	XII.
Foro Flaminii	XVI.
Nucerio: Camellaria	XII.
Halvillo	XV.
Ad Enſem	X.
Ad Calem	VII.
Ad Intercifa	XIIII.
Foro Sempronii	XII.
Fano Fortunæ	XVI.
Piſauro	VIII.
Arimino	XXIII.

9. Quod ſi exacte velis noſſe diſtantiam Roma Ariminum per *Antonini Itinerarium* ſuper iſta Via Flaminia, omnes numeros ſingulares in unam colligas ſummam, & invenies M. P. CCXXII. ſive Leucas Francicas CXI. ſi per *Tabulam Peutingeri*, invenies tantum M. P. CXCIV. ſive Leucas Francicas XCVII.

10. Panvinus *in Urbe Roma p.* 68. ait, paſſim per Spoletinum Ducatum hujus Viæ hodie videri veſtigia, maxime inter Romam & Otriculum; ſecundumque hanc Viam apparere plurima ſepulcra, ſed temporis longinqua vetuſtate conſumta & ignota. Olim in hac Via excellebant duorum Libertorum ſplendida ſepulcra, quæ ex marmore illis Patroni conſecraverant. Alterum fuit Paridis hiſtrionis, Ægyptii, liberti Neronis, qui valde iſthoc hominum genere delectabatur. De hoc ſepulcro Martialis XI. 14.

Quiſquis Flaminiam teris Viator,
Noli nobile præterire marmor.

Urbis deliciæ ſaleſque Nili,
Ars & Gratia, Luſus & Voluptas,
Romani decus & dolor theatri,
Atque omnes Veneres Cupidineſque,
Hoc ſunt condita, quo Paris, ſepulcro.

Alterum fuit Glauciæ in pueritia exſtincti, liberti Atedii Melioris, Civis Romani, cui Papinius Statius *Sylv.* II. I. Epicedium conſecravit longe nobilius & durabilius marmoreo tumulo, quem eidem Glauciæ excitavit Patronus: inter alia ſolatia Statius ibidem ita canit *vſ.* 175. *& ſeqq.*

B *Quid mirum? Plebs cuncta nefas & prævia flerunt*
Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger
Tranſvehit.

De eodem Sepulcro Martialis VI. 28. in arguto illo Glauciæ hujus epitaphio:

Hoc ſub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet ſepulcro.

11. Porro ad eandem Viam ſita erat Villa Auguſti Imp. ſive *Villa Cæſarum ad Gallinas*, de qua
C egimus ſupra II. 41. §. 5. in eadem fuit *Petra Pertuſa*, ſive Mons a Veſpaſiano cavatus, longitudine CIↃ. pedum, ut recto itinere continuaretur *Via Flaminia*, de quo opere diximus ſupra I. 17. §. Tandem & fuerunt *Clitellæ in Via Flaminia*, *loca quædam devexa ſubinde & acclivia*, ſi Feſto credimus, *in voce Clitellæ*; qui a ſimilitudine ſic dictæ videntur.

12. Monendus autem ſemel hic es, benigne lector, me nolle cum quoquam reciprocam trahere contentionis ferram ſuper veritate diſtantiarum, quæ in *Antonini Itinerario* & *Peutingeri Tabula*
D leguntur; nec me velle examinare, uter Auctor vero propius & melius diſpoſuerit Urbes, Mutationes, Manſiones; aut uter calculos in computandis Viis poſuerit certius, & rectius deſcripſerit milliaria; item uter ſcripſerit nomina propria correctius. Qui horum ſunt curioſi, adeant Commentarios, quos ad *Itinerarium* Hieron. Surita, ad *Chartam Peutingerianam* M. Velſerus conſcripſerunt, in quibus uterque pro virili emendare vitia, & nominum propriorum reſtituere laborant orthographiam; quod perficere conantur ex utriuſque operis, cum Hiſtoriarum monumentis, nec non cum vetuſtis *Itinerarii* libris mſſ. inſtituta
E collatione, qua in opera maxime labor deſudat Suritæ.

SECTIO XXII.

De Viis Italiæ Publicis, quæ cum Via Flaminia cohærent.

1. *Novem Viæ, quarum nomina celebrat Hiſtoria, cohærent cum Flaminia.* 2. *Viæ Æmiliæ antiquitas, excellentia, longitudo.* 3. *Notata quædam ſuper collatione Itinerarii cum Tabula.* 4. *Alia nota ſuper eadem collatione.* 5. *Livii & Martialis loci de Via Æmilia.* 6. *Regiones Italiæ a Viis Flaminia & Æmilia nomen ſortitæ.* 7.
F *Via Caſſia, alter Flaminiæ ramus.* 8. *Via Claudia, tertius ejuſdem ramus.* 9. *Nomina ſex cæterorum ramorum, ſive Viarum, quæ cum Flaminia cohærent. Inſcriptio antiqua harum nomina complectens.*

1. REperio Vias omnino novem Militares, nominatim Hiſtoriarum monumentis celebratas, quæ, ut rami ſuo ſtipiti, ſic Viæ cohæ-

A rent & inſeruntur Flaminiæ. Harum *Via Æmilia* antiquior, celebrior & cæteris longior eſt. Longitudine *Flaminiam* ipſam plurimum excedit, cui par eſt antiquitate & celebritate.

2. Ex Strabone enim *l. l.* vidimus illam Flaminiæ eſſe æqualem ætate. Quod ad celebritatem attinet, eam Andreas Palladius, ut ſupra *ſect.* XVII. §. 6. diximus, inter celeberrimas addit *Appiæ* & *Flaminiæ*. Si longitudinem ſpectes, Arimino porrigitur Bononiam & inde Aquilejam, per Urbes, vicos, Mutationes, & Manſiones, quas hoc ordine recenſent, *Itinerarium* p. 28. & *Charta Peutingeri*, *ſegm.* III. & II.

Ex Itinerario Antonini:

Ab Arimino Cæſenam Civitatem	M. P. XX.
Faventiam Civ.	M. P. XXIIII.
Forum Cornelii Civ.	M. P. X.
Bononiam Civ.	M. P. XXIIII.
Mutinam Civ.	M. P. XXV.
Regium Civ.	M. P. XVIII.
Parmam Civ.	M. P. XVIIII.
Fidentiolam Vicum	M. P. XX.
Placentiam Civ.	M. P. XXIIII.
Laudem Civ.	M. P. XXIIII.
Mediolanum Civ.	M. P. XVI.
Bergomum Civ.	M. P. XXXIII.
Brixiam Civ.	M. P. XVIII.
Sirmionem Manſionem	M. P. XXII.
Veronam Civ.	M. P. XXXIII.
Vicetiam Civ.	M. P. XXXIII.
Patavium Civ.	M. P. XXVII.
Altinum Civ.	M. P. XXXIII.
Concordiam Civ.	M. P. XXXI.
Aquilejam Civ.	M. P. XXXI.

Ex Charta Peutingeriana:

Ab *Arimino*	
Rubico Fl.	XI.
Ad Novas	III.
Sabis	XI.
Curva Cæſena	XI.
Foro Populi	VII.
Foro Livii	VII.
Faventia	X.
Sinnum Fl.	III.
Foro Cornelii	VI.
Silarum Fl.	VII.
Claterna	VII.
Iſex Fl.	VI.
Bononia	IIII.
Foro Gallorum	XVII.
Mutina	VIII.
Lepido Regio	XVII.
Tannetum	XI.
Parma	XI.
Fidentia	XV.
Florentia	X.
Placentia	XV.
Laude Pompeja	XXII.
Mediolanum	XVI.
Como	XXXV.
Bergomum	XX.
Leuceris	XXXV.
Brixia	XXXII.
Ariolica	XIII.
Verona	XXXIII.
Vicentia	XXII.
Patavis	XXX.
Altino	XXX.
Concordia	XXX.
Aquileja	XIIII.

3. Si ergo *Itinerarium* cum *Tabula* conferas, ex hoc exemplo singulari videbis, quod supra *sect.* IX. in utriusque Operis comparatione diximus, differre nimirum illa in nominibus numerisque Urbium, Vicorum, Mutationum, Mansionum, aliisque locis, quibus Viæ describuntur. Numeri quidem nonnulli sunt pares, sed maxima horum pars tamen tam singillatim; quam summatim inæquales sunt nec sibi respondent. Secundum *Itinerarium* Arimino Aquilejam sunt M. P. CCCCLXXXV. sive Leucæ Francicæ CCXLII. cum dimidia: at secundam *Tabulam*, IↃXXVII. M. P. sive Leucæ Francicæ CCLXIII. cum dimidia.

4. Porro in comparatione *Itinerarii* cum *Charta*, videbis in hac a *Curva Cæsena* ad *Forum Populi* saltum fieri ex Via alia in aliam, nulla linea intermedia; hæc autem loca ad diversas adjacere lineas, nec per lineam transversam ibi connecti. Sed *Placentia Laudem Pompejam*, *Mediolano Comum*, *Altino Concordiam* Via mutatur intercedentibus lineis aut Viis transversis, quæ Vias Publicas inter se connectunt. Sæpius tales saltus nec non linearum mutationes occurrunt, si conferas *Itinerarii* Vias cum *Tabula Peutingeri*; sic ut subinde una Via *Itinerarii* videatur in *Tabula* quandoque ad duas tresve Vias referri. De singularibus cunctis hisce notis lector semel monendus est; neque enim deinde istas repetam, sed cujusque relinquam industriæ, ut singillatim quasvis conferant Vias, si libuerit, *Tabulæ* & *Itinerarii*.

5. Verum redeamus in *Viam Æmiliam*. Livius illam *Arimino* tantum *Placentiam* videtur deducere. Sic enim de Æmilio XXXIX. 2. loquitur: *Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, Viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit*. Martialis III. 4. hujus & Viæ & ad eam Fori Cornelii meminit librum alloquens:

Romam vade, liber: si, veneris unde, requiret,
Æmiliæ dicas de regione Viæ.
Si quibus in terris, qua simus in Urbe, rogabit,
CornelI referas me licet esse foro.

6. Hoc in loco non sine caussa argutus hic Poeta nominat *Æmiliæ Viæ regionem*, cum ex XI. Regionibus, in quas Augustus Imp. totam divisit Italiam, binæ dictæ sint, altera *Flaminia*, altera *Æmilia*, a Viis, quæ per eas ducebant, sic cognominatæ. Illæ Regiones eadem nomina retinuerunt, cum sub postremis Imperatoribus Italia in XVII. *Provincias* divideretur, ut constat ex *Provinciarum Romanorum libello*, adjecto *Antonin. Itineribus per A. Schottum*, *p.* 122.

7. Alter Viæ Flaminiæ ramus est *Via Cassia*, ab Auctore Cassio sic dicta. Cicero *Philippic.* XII. 9. docet, *tres Vias* Roma esse *Mutinam*; *a supero Mari Flaminiam, ab infero Aureliam, mediam Cassiam*: non quod *Via Cassia* initium habeat Romæ, sed quod Flaminiæ cohæreat ad Pontem Milvium, qui hodie *Ponte Mole* dicitur, super Tiberim ad alterum ab Urbe lapidem. Juxta hunc Pontem Constantinus Magnus Maxentium devicit Tyrannum, qui fugam meditans Romamque se recepturus rupto per nimiam fugientium multitudinem ponte in Tiberim decidit, ubi & vitam & imperium adeo petitum pariter amisit. Hujus Pontis nomen ac figura videri potest, in *Charta* sive *Mappa Agri Romani*, sive Italice *Paese di Roma*, quam excudit Petrus de Nobilibus. In hac Charta cernitur *Via Flaminia* deducta secundum Tiberim ad hunc Pontem, ubi a *Via Cassia* abscedit ad dextram, uti *Cassia* ad sinistram recta pergens *Sutrium*: ajuntque etiam hodie hujus *Viæ Cassiæ* vestigia exstare inter urbes Sutrium, Viterbium & Vulsinium.

8. Tertius Flaminiæ ramus est *Via Claudia*, de qua Naso *de Ponto* I. 9. *vs.* 43.

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta Viæ.

Hæc in *Itinerario* describitur non Roma Lucam, quæ ejus termini sunt, sed *Luca Romam*, *pag.* 65. hac forma, qua etiam forma eidem comparavimus eandem Viam, exceptam ex *Charta Peutingeri*, *segm.* II. & III.

Ex Itinerario:
VIA CLODIA.

Iter a Luca Romam per Clodiam	M.P.CCXXXVIII.
sic. Pistorium	M. P. XXV.
Florentiam	M.P. XXV.
Ad Fines sive Casas Cæsarianas	M.P.XXV.
Arretium	M.P. XXV.
Ad Statuas	M.F. XXV.
Clusium	M.P. XII.
Vulsinios	M.P. XXX.
Forum Cassii	M. P. XXVIII.
Sutrium	M. P. XI.
Baccanas	M. P. XII.
Romam	M. P. XXI.

Ex Charta Peutingeriana:

A *Luca*	
Ad Martis	XII.
Ad Pistoris	VIII.
Hellana	VI.
Ad Solaria	VIIII.
Florentia Tuscorum ad Aquileja	VIIII.
Bituriba	VIIII.
Adretio	X.
Ad Novas	XXIIII.
Clusio	VIIII.
Volsinis	VIII.
Aquas Passarias	VIII.
Foro Cassii	XI.
Vico Matrini	IIII.
Sutrio	XVI.
Vejos	XII.
Ad Sextum Via Clodia	VI.
Roma	III.

Hosce numeros singulares si in suas summas utrosque colligas, in *Itinerario* habebis M.P.CCXXXVIIII. quæ summa fronti præmissam summam excedit unitate: at hi numeri nec singillatim, nec summatim cum numeris *Tabulæ* conveniunt, quæ tantum M.P. CLXIIII. habet, licet urbium & mansionum numerus hic longe major sit, sic ut *Tabulam* excedat Via *Itinerarii* XXXVII. Leucis Francicis cum dimidia.

9. Sequuntur hinc *Viæ Annia*, *Augusta*, *Ciminia*, *Amerina*, *Sempronia* & *Postumia*, quæ diversis locis Flaminiæ inferuntur & cohærent, atque ab ea hinc & inde, ceu rami, per Italiæ regiones, quæ inter Romam & Eridanum sive Padum sunt, porriguntur. Fit plerarumque mentio in *Inscriptione antiqua*, quæ exstat *Aximæ*, sive *Axumæ*, quæ urbs est hodie Lombardiæ, dicta *Berinson*; in qua, ut vicinarum, unus legitur Curator: attulimus eam Inscriptionem I. 4. §. 7. *Anniam* non invenimus, nisi in hac *Inscr. Augustæ* mentio est in *Inscr.* allata I. 24. §. 3. *Cimina* ducebat ad Montem Lacumque Ciminum proxime Viterbium, cujus meminit Virgilius *Æn.* VII. 697.

Et Cimini cum Monte Lacum, lucosque Capenos.

Amerina nomen habebat ab *Ameria* urbe, quæ hodie *ducatus Spoletini* urbs est *Amelia*. Ibidem orie-

batur *Sempronia* a *Foro Sempronii* cognominata, unde versus *Fulginiam* aut *Fulcinium in Umbria* porrigebatur. *Postumia* per Galliam Togatam ducebat, ut conjicimus ex Tacito *Hist.* III.I. *Sistere tertiam legionem in ipso Viæ Postumiæ aggere jubet*.

SECTIO XXIII.

De Portis & Viis Collatina, Collina, Salaria, Gabina & Tiburtina.

1. *Porta Collatina & origo nominis*. 2. *Via Collatina partim in Urbe, partim extra illam*. 3. *Porta Collina ejusque varia nomina*. 4. *Via Salaria & nominis caussa*. 5. *Ejus descriptio secundum Itinerarium & Tabulam*. 6. *Templa & Sepulcra ad istam Viam*. 7. *In eadem Romani a Gallis victi: mentio ejus in Inscriptione antiqua*. 8. *Viæ Quinctia & Junia Salariæ cohærent*. 9. *Porta Viminalis, & nominis ejus etymon, situsque varietas*. 7. *Via Nomentana, alias Ficulnensis ab illa porta incipit*. 11. *Ad illam Viam Nero se ipse interfecit. Templum Bacchi: mentio ejus Viæ in Inscriptione antiqua*. 12. *Porta Gabina vel Gabiusa, Tiburtina*. 13. *Viæ Gabina & Tiburtina ab illa porta incipiunt*.

1. POst Portam Flumentanam sequebatur *Collatina*, structa in *Colle Hortulorum*, sic dicto a magnificis hortis, quos ibidem Cives habebant Romani: neque tamen putes ab hoc *Colle* nomen datum *Portæ Collatinæ*. Originem aliam nominis docet Festus, *in voce Conlatia*, his verbis: *Conlatia oppidum fuit prope Romam, eo quod ibi opes aliarum Civitatum fuerint conlatæ; a qua porta Romæ Conlatina dicta est*. Porta ea olim propius Tiberim Campumque Floræ fuit; at eam Aurelianus in *Collem Hortulorum* transportavit, cum ibi loci Urbem ampliorem faceret: postea dicta est *Porta Pinciana*, a vicina *Pinciorum* magnifica domo: & hoc nomine eam appellat Procopius de Belisario agens, *de Bell Goth.lib.*I.*Pincianam is ferme, & proximam huic Salariam portam tenebat, ut suspectiores & necessarias: ea namque parte oppugnari facile poterat murus*.

2. Ab hac *Porta Collatina* incipiebat Via cognominis, quæ in ipsa Urbe verum initium habebat. per istam namque Portam Via pergebat versus Forum Romanum, ad *Aquæ* usque *Virginis ductum*, & prope *Viam Latam* conjungebatur quasi Flaminiæ, quæ *Via Lata* utramque Viam deferebat ad Forum Romanum, ut videri potest apud Stephanum du Perrac, qui Italica lingua *Vestigia Antiquitatum Romanarum* investigavit. Inde itaque *Via Collatina* porrigitur per portam cognominem in patentes campos, recta versus septem Triones: & aliqua ab Urbe distantia occurrit *Viæ Salariæ*, quæ a *Porta Collina* oritur. *Collatinæ* Frontinus *de Aquæduct.* meminit, ubi narrat, *Aquæ Alsietinæ Augustæ ramum proxime Viam Collatinam accipere fontem*; item cum dicit, *concipi Aquam Virginem Via Collatina ad milliarium octavum palustribus locis*.

3. Sequitur Porta, quæ ab *Hortulorum Colle* appellatur *Collina*, olim dicta *Agonensis*, deinde *Quirinalis*, & tandem *Salaria*. Festus *in voc. Agonium*: *Agones*, ait, *dicebant montes. Agonia Sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina Porta Agonensis*. Idem alibi *in voce Quirinalis*: *Quirinalis Porta dicta, sive quod ea in Collem Quirinalem itur, sive quod proxime eam est Quirini Sacellum*.

A Livius V. 41. narrat, Gallos hac *Porta Collina* patente Urbem ingressos, cum postea direptis atque exhaustis tectis injicerent ignem. Ad hanc quoque portam Hannibal admovebat castra, cum ab ipsis Urbis mœnibus conspici poterat. Juvenalis hinc VI. 291.

Proximus Urbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.

Salariæ nomen huic portæ adhæsit, a Via cognomine quæ ab illa habebat initium, ut ex Taciti colligimus verbis *Hist.* III. 81. *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat*.

B 4. Ab hac itaque *Porta Collina*, *Via* incipiebat *Collina*: inde porrigebatur per Sabinos ad septem Triones, & *Nomentanam Viam* ad XVIII. lapidem ab Urbe prope *Heretium* vicum ad ripam Tiberis recipiebat. Stabo *Geogr.* V.*p.m.*416. *Per ipsos Sabinos Via Salaria non magnæ longitudinis strata est, in quam & Nomentana incidit, apud Heretum Sabinorum vicum, supra Tiberim jacentem, ex eadem Collina porta inchoans*. Cur *Salaria* dicta sit, docent *in voc. Salaria* Festus: *Salariam Viam incipere ait* (Verrius Flaccus) *a Porta, quæ nunc Collina a Colle Quirinali dicitur. Salaria autem propterea appellabatur, quod impetratum* C *fuerit, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari*: nec non Plinius *H. N.* XXXI. 7. *Honoribus etiam militiæque* (vocabulum Salis) *interponitur, Salariis inde dictis, magna apud Antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ Viæ, quoniam illa Sal in Sabinos portari consueverat*.

5. Subjiciamus hic *Viæ Salariæ* descriptionem ex *Itinerarii pag.* 70. & *Tabulæ segm.* III. & IV.

Ex Itinerario:

INTRAT IN LAVICANAM SALARIA.

D *Ab Urbe Hadriam usque*	M. P. CLXVI.
sic: Eretum	M. P. XVIII.
Vicum novum	M. P. XIIII.
Reate	M. P. XVI.
Cutilias	M. P. XVIII.
Interocrium	M. P. VI.
Falacrinum	M. P. XVI.
Vicum Badies	M. P. IX.
Ad Centesimum	M. P. X.
Asclum	M. P. XII.
Castrum Truentinum	M. P. XX.
Castrum novum	M. P. XII.
Hadriam	M. P. XV.

E Ex Tabula Peutingeriana:

Ereto	XIII.
Ad Novas	XIIII.
Reate	XVI.
Aquæ Cutilliæ	VIIII.
Interocrio	VII.
Foroecri	XII.
Palacrinis	IIII.
Ad Martis	XVI.
Firmo Viceno	X.
Castello Firmani	XII.
F *Cupra Maritima*	XII.
Castro Trentino	XVII.
Castro novo	XVIII.
Hadria	VII.

Si *Itinerarii* numeros in unam summam computes, habebis M. P. CLXVI. ut vitiose in libris impressis legatur CLVI. in summa generali, quæ præmittitur.

6. Juxta & secundum hanc *Viam Collinam* erant ædes *Veneris Erycinæ*, *Veneris Verticordiæ*, & *Honoris*, de qua postrema Cicero *de Legib.* II.

23. hæc tradit: *Nostis extra Portam Collinam ædem Honoris; & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est: ad eam cum lamina esset inventa, & in ea scriptum: DOMINA HONORIS, ea caussa fuit ædis hujus dedicandæ.* Ad eandem Viam complura similiter magnifica erant sepulcra, & inter ea C. Marii VII.Cos. ac Licini, cujus tonsoris ambitionem Satyræ notarunt, ut diximus supra II. 38. §. 1.

7. Ad hanc Viam, XI. ab Urbe lapide, Galli Senones duce Brenno, qua flumen Allia, Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multum infra Viam Tiberino amni miscetur, Romanos devicerunt. Meminit quoque hujus Viæ *Inscriptio antiqua*, allata supra I. 4. §.7. ex Grutero CCCCLXIII. 4.

8. Ex *Via Salaria*, ceu stipite, porrigebantur duæ Viæ longe minores, *Quinetia* & *Junia*. Utriusque meminit Dionysius Halicarnasseus *Antiqu. Rom. lib.*I. (*p.m.*28. *ex edition.versionis Sigism.Galenii apud Vincentium, Lugduni* 1561.) ut Lapus Biragus vertit: *Palatium quidem quinque & viginti stadiis a Reate distans, Urbe nunc etiam a Romanis habitata, Viæ Quinetiæ proximum,* & paucis interjectis: *A Reate rursus stadiis* LXXX. *Via Junia eundo juxta Coritum montem Cursula est nuper diruta.* Prioris quoque mentio est in sequenti *Insc.ap. Gruter.* CXXIX.5.

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILIVS. P. F. ARNIEN. PAETINVS. IIII. VIR
C. RVSTIVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII. VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS. IIII. VIR
ARAM. ET. SIGN. VIA. QVINCT. D. D.

9. *Collinæ Portæ* succedit *Viminalis*, a *Colle Viminali*, in quo sita est, sic dicta. Festus *in voc. Viminalis*: *Viminalis*, ait, *Porta & Collis appellabantur, quod ibi Viminum silva fuisse videtur, ubi est & ara Jovi Viminio consecrata.* Primum sita fuit in Aggere Tarquinii, teste Strabone *Geogr. v. p. m.* 427. *In aggere autem medio tertia est porta ejusdem nominis cum Colle Viminali.* Vocat autem *tertiam portam*, quod eo tempore ab ea parte tantum ante hanc essent Portæ *Flaminia* & *Collina*. Nam *Collatina* post Strabonis ætatem ab Impp posterioribus addita est, cum Urbis pomœria proferrentur. Tum *Porta Viminalis* est transportata in locum, quo hodie appellatur *S. Agnetis*, a vicino ejusdem nominis templo.

10. A *Porta Viminali* incipit *Via Nomentana*, quæ porrigitur versus Aquilonem usque ad *Nomentum*, quam Leander vocat hodierno nomine *Lamentanam*, urbem Sabinorum in Veteri Latio, cujus partem habebant *Sabini*. Ovidius Fastor. IV. 903. & urbis & viæ meminit:

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba Via.

Ficulnensem quoque hanc *Viam* fuisse dictam, dicit Livius III. 52. *Via Nomentana, cui tum Ficulnensi nomen fuit, profecti castra in monte Sacro locavere.*

11. Inter hasce Vias Publicas *Salariam* & *Nomentanam* circa quartum ab Urbe milliarium, in Phaontis liberti sui suburbano, Nero hostis a Senatu judicatus ferrum jugulo adegit. Ad alterum ab Urbe milliarium ad *Viam Nomentanam* erat *Bacchi* templum circulare & hemisphærii in modum, quod postea Constantinorum familiæ Sepulturæ proprium locum præbuit. Plura alia Templa & Sepulcra sicco pede prætereo. *Nomentanæ Viæ* mentio quoque est in *Inscr.*quam supra I.4. §.7.ex Grutero CCCCXXXIX. 5.attulimus.

12. Nolo hic morari ad *Portam Querquetulanam*, quæ a Procopii ætate occlusa fuit, nec ad Viam ejusdem nominis, quæ inter *Castra Prætoria* & proximum his *Vivarium* porrigebatur: cum Porta non sit ex XIV. præcipuis Romæ, verum ex his, quæ ultra CIↃ. annos esse desierunt. Venio ad *Portam Gabinam* vel *Gabiusam*, quæ eadem creditur ac *Tiburtina*, hodie nota sub cognomine *S. Laurentii*. Nonnulli etiam *Viam Tiburtinam* & *Gabinam* eandem esse dixerunt. Porta *Gabina* vel *Gabiusa* dicta fuit, quod per eam iretur ad *Gabiorum* oppidum, quod hodie *Gallicani* dicitur; similiter *Tiburtina* dicta fuit, quod per eandem rectum iter esset Tibur, quod hodie est *Tivoli*.

13. Sunt tamen, qui putent Vias esse diversas ab eadem Porta oriundas. Via enim *Gabina* magis versus Orientem vergebat, quam *Tiburtina*, & recta pergebat versus *Viam Prænestinam*, secundum quam ager erat Gabiorum, teste Strabone *Geogr. li.* v.*p. m.* 433. *Gabii sane exstant in Prænestina Via siti.* At *Tiburtina* ad sinistram pergebat, versus Aquilonem recto itinere ducens ad Villas Tiburtinas, ut videri potest ex *Agri Romani* descriptione edita per Petrum de Nobilibus, in qua separatim utraque Via & Tibur & Gabii describuntur. In *Gabina Via* Galli post Urbem incensam a Camillo sunt victi. Livius v. 49. *Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina Via, quo se ex fuga contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli, Galli vincuntur.* Ad eandem Viam erat superbum illud Pallantis, liberti Tiberii Imp. Sepulcrum cum inscriptione multo superbiore & arrogantiore, quam retulimus supra II. 38. §. 1. ubi videatur.

SECTIO XXIV.

De Portis Esquilina & Cœlimontana, ac Viis Prænestina, Lavicana, Campana, & ceteris quæ his cohærebant.

1. *Porta Esquilina, ejus varia nomina, & ab ea duæ Viæ incipientes.* 2. *Viæ Prænestinæ initium, progressus, finis.* 3. *Viæ Lavicanæ longitudo.* 4. *In Esquiliis sumtum de nocentibus supplicium, sepulti ibidem pauperes & viliores. Sepulcra ad Vias Prænestinam & Lavicanam.* 5. *Porta Cælimontana, Asinaria, aut S. Johannis, per quam a Gothis Urbs bis capta.* 6. *Viarum Campanæ, Tusculanæ, & Albanæ longitudo.* 7. *Situs Viæ Asinariæ dubius.*

1. AB *Esquilio monte*, qui inter septem Urbis est, *Porta Esquilina* nomen accepit, quæ proxime sequitur Portam Gabinam, ab illa duæ Viæ Publicæ, *Prænestina* & *Lavicana* initium habebant, teste Strabone, *Geogr. p. m.* 432. *Porro in unum cadit Labicana, a porta quidem Esquilina incipiens; a qua & Prænestina.* Hodie *porta Esquilina* dicitur *Major*, quod sita sit sub magnifica structura ductus Aquæ Claudiæ.

2. Verum ut redeamus ad nostras Vias; *Prænestina* in urbe Roma initium habebat, prope Forum Romanum ad *Clivum Urbicum*, ubi *Viæ Patriciæ* connectebatur. Hinc per directum pergens per *portam Esquilinam* ab ea porrigebatur versus Cæciam, nobis *Est-Nort-Est*, & ducens ad sinistram, si *Lavicanam* respicias, nomen suum usque ad *Anagniam* oppidum deferebat, ubi jungebatur *Viæ Latinæ*, & Beneventum pergebat, uti nobis describitur in *Itinerarii p.*69. & *Tabulæ, segm.* IV. his modis:

Ex Itinerario:

PRÆNESTINA.

Ab Urbe Beneventum usque		M. P. CLXXXVIII.
sic:	*Gabios*	M. P. XII.
	Præneste	M. P. X.
	Sub Anagniam	M. P. XXIIII.
	Frusinonem	M. P. VII.
	Fregellanum	M. P. XIIII.
	Fa ateriam	M. P. III.
	Aquinum	M. P. VIII.
	Casinum	M. P. VII.
	Venafrum	M. P. XVI.
	Teanum	M. P. XVIII.
	Alifas	M. P. XVII.
	Telesiam	M. P. XXV.
	Beneventum	M. P. XVIII.

Ex Charta Peutingeri:

VIA PRÆNESTINA.

(Ab Urbe)

	Gabios	XII.	
	Præneste	XI.	
	Treblis	XI.	
	Carsulis	XV.	
	In monte Grani	VI.	
	In monte Carbonario	V.	
	Vignas	V.	
hic Via mutatur.			
ab	*Anagnio*		
	Ferentinum	VIIII.	
	Fabrateriæ	VII.	
	Melfel	IIII.	
	Aquino	IIII.	
	Casinum	VIIII.	
	Ad Flexum	VIII.	
	Teano Scedicino	VIIII.	
Hic, per Viam transversam, in aliam fit saltus.			
	Cliturno	VIIII.	
	Ebutiana	IIII.	circiter, quia Via
	Ad Lefas	VIIII.	transversa incidit
	Sepinum	VI.	in mediam fere
	Sirpium	XII.	spatium inter ista
	Benevento	XVIII.	bina loca, Cliturnum & Ebutianam.

3. *Via Lavicana* in Urbe etiam suum habebat initium, unde per *portam Esquilinam* porrigebatur in patentem campum inter *Aquæ Martiæ Tepulæ*, & *Juliæ* & *Claudiæ ductus*, & Anagniæ æque ac *Prænestina*, cum *Latina* jungebatur, ut ex *Itinerarii pag.* 69. & *Tabulæ segm.* IV. licet colligere, in quibus hæ mansiones occurrunt:

A

Ex Itinerario:

LAVICANA.

Ab Urbe Beneventum usque		M. P. *C*LXX.
sic:	*Ad Quintanas*	M. P. XV.
	Ad Pictas	M. P. X.
	Compitum	M. P. XV.
	Ferentinum	M. P. VIII.
	Frusinonem	M. P. VII.
	Beneventum Mansionibus quibus & in Prænestina	M. P. CI.

Ex Tabula Peutingeri:

VIA LAVICANA.

(Ab Urbe)

Ad Quintanas	XV.
Ad Statuas	III.
Ad Pactas	VII.
Ad Dirium	V.
Sublanubio	*.
Compito	X.
Anagnio	VIIII.

Strabo tamen *l. l.* hanc Viam breviorem facere & *ad Pictas* terminare videtur: hæc enim ejus sunt de *Via Lavicana* verba: *A sinistra vero & hanc* Viam Prænestinam, *& Esquilinum omittens campum, ultra* CXX. *stadiis* (quæ M. P. XV. sunt) *pergit. Cum autem Labico, vetusto sane oppido, cæterum disjecto & in sublimi sito propinquat, & hoc & Tusculum relinquit a dextra, ad Pictas vero & Latinam finem accipit.* Oculis cernitur in *Tabula Peutingeri*, finem *Viæ Lavicanæ* esse *sub Lanuvio*, quod M. P. XVIIII. propius Romam collocat: quam *Anagniam*. Quod si vero hæ duæ Viæ *Prænestina* & *Lavicana*, ut ex Strabone & *Itinerario* discimus, connectebantur *Latinæ*, necessario aut trans *Viam Campanam* transierunt, cum hæc, uti certo constat, media fuerit inter *Lavicanam* & *Latinam*, ut licet videre in omnibus Veteris Romæ figuris & chartis; aut quatuor hæ Viæ omnes concurrerunt Anagniæ, ubi *Campana* & *Latina* altera alteram in transversum secat, & utraque utrimque in diversas partes pergit, uti licet videre in *Romani Agri* charta sive *mappa* superius laudata, quam Petrus de Nobilibus expressit formis.

4. Nolo immorari porro Milliariorum numeris morose examinandis, forem namque ita Lectori tædio: hoc tantum addam, quod supra etiam tetigi II. 38. §. 4. sumtum fuisse more prisco extra Esquilinam de nocentibus supplicium, ut Tacitus *Ann.* II. 32. innuit: nec non ibidem corpora pauperum viliumque combusta, aut projecta fuisse, ut Porphyrio Horatii Scholiastes tradit ad *Epod.* V. *vs.* 99.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

Ad *Viam Prænestinam* erat sepulcrum Q. Attii, Poetæ Comici; & teste Spartiano in *Didii Julian. vit. c. ult.* ad *Viam Lavicanam* milliario quinto in proavi sui Salvii Juliani monumento sepultus fuit Didius Julianus Imp. qui imperium numerata & præsenti emerat pecunia.

5. Persequentes porro iter ambitus Romæ pervenimus ad *Portam* quæ a *monte Cœlio* olim dicta, fuit *Cœlimontana*, postea *Asinaria*, & cum maxime *S. Johannis*, quod juxta eam Divus ille Evangelista in oleum fervens fuerit immersus. Per eandem Alvaricus, & deinde Totila Romam ceperunt. Vide Procopium *de Bell. Goth. lib.* I. & audi verba *ex libro* III. Ejusdem: *Cum itaque perpauci, ut diximus, admodum ad murorum custodiam relinquerentur, etsi quidem jam fame confecti; quaterni custodes quidam & Isauri genere, ad Portam Asinariam custodias nacti, excepturos se Gothorum intra Urbem exercitum pollicentur:* & paullo post: *Qui nocte statim eadem, qua & Isauris ipsis obvenerat per vices custodia, dormitantibus cæteris, ad fores Asinarias operiendas descendunt, præcisaque lignea securibus obice refractisque ferreis claustris Gothis aditum patefaciunt.*

6. Ab hac *Porta Cœlimontana* sive *Asinaria* porrigebatur *Via Campana*, quod versus Ortum in *Campaniam* duceret Italicam, quæ hodie vulgo dicitur *Terra di Lavoro*, sic cognominata. Hæc quoque Via verum ortum Romæ habebat, eratque plurimis magnificis Templis ac Sepulcris ornatis-

A sima, quæ hic silentio transire libet, ut locum cedamus duabus *Inscr.* in quibus hujus Viæ exstat mentio. Prior est apud Gruterum IↃCXI. 13. *in cippo Romæ in ædibus Delfinorum:*

HVIC
MONVMENTO ITER
ADITVS AMBITVS DEBETVR
EX SENTENTIA EROTIS AVG. L
IVDICIS A VIA CAMPANA
PVBLICA DEXTROSVS INTER
MACERIEM CALAMIANAM
ET INSVLAM EVCARPIANAM
B PER LATITVDINEM PEDES DVO
SEMIS VSQVE AD HOC
MONVMENTVM ET HINC
PER CIRCVITVM TOTIVS
MONVMENTI VSQVE IN VIA
QVAE DVCIT IN AGRO ITEM
IDEM MONVMENTI ITER
ADITVS DEBETVR HINC
SECVNDVM MONVMENT
VM ATINIAE TYCHES ET
INDE SECVNDVM MACERIEM
EVCARPIANAM IN QVA OLEAE
C SVNT ET INDE RECTO QVAQVE
VSQ. AD VIAM PVBLICAM CAMPANAM
....

Posterior exstat, *in Tabula olim reperta Hydrunti, posteaque translata Neapolim*, apud eundem Gruterum CCCLXXIV. 5.

M. BASSAEO. M. F.
PAL. AXIO

D PATR. COL. CVR. R. P.
II. VIR. MVNIC. PROC.
AVG.

VIAE. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG
XIII. GEM. PROC. REG. CALABR
OMNIB HONORIB. CAPVAE. FVNC
PATR. COL. LVPIENSIVM. PATR
MVNICIPI. HYDRENTINORVM
VNIVERSVS. ORDO. MVNICIP. OB
REM. PVBL. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM
E HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES
CAMPANIAE. PRECIS. ET. AESTIM.
PARIA. GLADIAT. EDIDIT
L. D. D. D.

Ab eadem Porta, aut certe prope illam, incipiebant *Viæ Tusculana* & *Albana*, quas M. Messala sub Augusto suis impensis refecit, ut ex Tibullo diximus II. 30. §. 2.

7. Cum ergo Viæ Publicæ ab Urbis portis cognominatæ ab hisce quoque incipiant, vero videtur valde simile, *Viam Asinariam* quoque a *Porta* incepisse *Asinaria* sive *Cœlimontana*, quemadmo-F dum Viæ *Collatina*, *Gabina*, *Latina*, *Portuensis* & *Triumphalis* a cognominibus sibi portis procedunt. Attamen Festus, *in voc. Retricibus*, videtur hanc *Viam Asinariam* procul a *Porta Cœlimontana* collocare inter *Vias Ardeatinam* & *Latinam*, quæ magis ad dextram vergunt: hæc sunt ejus verba: *Retricibus cum ait Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra Viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, qua irrigantur horti infra Viam Ardeatinam & Asinariam usque ad Latinam.* Verba hoc ordine collocata persuaserunt Panvino, *in Urb. Rom.p.*68. eundem esse & Viarum ordinem & Vias *Ardeatinam* ac *Asinariam* vicinas: unde ait: *Post Asinariam erat Via, quæ ab Ardea, quo protendebatur, Ardeatina dicta est.* Si tamen *Viam Asinariam* a porta deducas *Cœlimontana* aut *Asinaria*, ut vero est simile, invenies Vias *Latinam* & *Apiam* intercedere inter *Ardeatinam* & *Asinariam*, ut videri potest in laudatis Veteris Romæ agrique Romani mappis sive figuris. Sed hanc rem curiosis accuratius inquirendam relinquo.

SECTIO XXV.

De Portis Latina & Capena, ac Viis Valeria, Latina, Appia, & cæteris, quæ his cohærent.

1. Portæ Latinæ situs, & conjecturæ super cognomine Ferentinæ. 2. Viarum Latinæ, Appiæ & Valeriæ situs. 3. Duæ Viæ Valeriæ, deque earum situ conjecturæ. 4. Via Latina dicta & Ausonia ejusque longitudo. 5. Templa & Sepulcra ad eam. 6. Porta Capena, &, quæ hinc incipit, Via Appia, hujusque ramus, Domitiana. 7. Viæ Trajana, Numicia & Setina ex Appia deductæ.

1. Cœlimontanæ Portæ succedit *Latina*, quæ, quod in medium mitteret Latium, obtinuit hoc nomen, idque immutatum etiam nunc manet: incertum est, num olim aliud habuerit nomen, nisi forsan *Ferentinæ*; cujus conjecturæ possunt duæ adferri rationes, quarum prior, quod teste Strabone *lib.* V.*p.m.* 432.urbs *Ferentinum* sit ad *Viam Latinam*: posterior, quod Plutarchus *in vit. Romuli c.* 45. dicat: *Lustravit urbes Romulus, quod genus expiationis hodieque ad Ferentinam Portam peragi adserunt.* Fieri itaque potest, ut, cum Porta Viaque *Latina* iter esset ad Ferentinos, *Ferentina porta* sit eadem, quæ *Latina*.

2. Verum non morabimur ad eam diutius, & accedemus potius ad *Viam Latinam*, quæ ab ea porta initium ducebat, & recta pergens inter Ortum & Meridiem ad Casinum Appiæ conjungebatur, Sic Strabo *l. l. Aliarum vero*, ait, *in Latina Civitatum, quædam aliis insignibus, quædam nobilissimis discernuntur Viis, quæ per Latinam stratæ visuntur. Præclarissimæ sunt Appia, Latina, Valeria; una quidem ad mare Latinæ partes separans usque Sinuessam protenditur: Altera in Sabinam usque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Casinum oppidum conjungitur Appiæ, ab Capua* XIX. *distans stadiis.* Ex hisce verbis situs & ordo trium Viarum Publicarum celeberrimarum, *Appiæ*, *Latinæ* & *Valeriæ* quæ Latium Vetus peragrant, intelligi potest: nam *Valeria*, si Roma iter facias, est ad sinistram, *Appia* ad dextram, *Latina* inter utramque media est.

3. *Valeriæ* nomine duæ Viæ gaudent, *Vetus* & *Nova*, ut docet P. Victor, *de Reg.Urb.sub fin. in Indice Viarum:* cujus locum vide supra *sect.* XVII §. 6. allatum. Alterius Viæ, *Itinerarium*; alterius Strabo *l.l.* facit mentionem: at incertum est, qua porta Strabonis illa inceperit; nam cum eam Viæ Latinæ, ad sinistram, faciat vicinam, a *Porta* inceperit *Cœlimontana*, oportet, æque ac *Via Campana*, ac inter hanc Viam & *Latinam* fuerit media: nihilominus videtur, cum in Sabinos pergeret, media potius fuisse *Campana* inter hanc *Valeriam* & *Latinam*, quod dubium certe nemo facile expedi-

expediverit. *Valeria* autem, cujus meminit *Itinerarium*, videtur incepisse a *Porta Tiburtina*, & fuisse dextras illi Vias *Tiburtinam* & *Gabinam*; nam *Itinerarium* illam finit Hadriæ cum *Salaria*, ut apparet ex *pag.* 70. cui conferemus excerptam ex *Tabulæ Peutingerianæ segm.* IV.

Ex Itinerario:

Ab Urbe Hadriam usque	M. P. CXLVIII.
sic: Tibur	M. P. XX.
Carseolos	M. P. XXII.
Albam Fucentiam	M. P. XXV.
Cerfinniam	M. P. XXIII.
Corfinium	M. P. XVII.
Interbromium	M. P. XI.
Teate Marrucinum	M. P. XVII.
Hadriam	M. P. XIV.

Ex Charta Peutingeri:

(Ab Urbe)

Ad Aquas Albulas	XVI.	
Tiberi	*	circiter IIII.
Varie	VIII.	
Lamnas	V.	
Carsulis	X.	
Cirfenna	...	hic saltus est.
Corfinio	...	hic saltus est.
Inter primum	VII.	
Tea Nomarrucinoceio	V.	
Alba	...	hic iterum saltus est.
Frustemas	...	hic etiam saltus est.
Hadria	...	

4. Sed redeamus in *Viam Latinam*: eadem olim quoque *Ausonia* dicta fuit; ut colligimus ex comparatione locorum Martialis IX. 65. cum *Epigr.* 104. priore enim canit:

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus, Latiæ dat nova templa Viæ.

at posterior, de eadem imagine:

Appia, quam simili venerandus imagine Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama Viæ.

LATINA.

Ab Urbe, ad Decimum	M. P. X.
Roboraria	M. P. VI.
Ad Pictas	M. P. XVII.
Compitum	M. P. XV.

Posterius ab *Anagnia* usque ad *Beneventum* est *pag.* 69. quod in *Via Prænestina*, supra *sect.* XXXIII. §. 2. recensuimus. In *Inscr. apud Gruter.* CCCLIV. 5. quam attulimus supra I. 4. §. 7. *L. Annius Fabianus* legitur *Viæ Latinæ Curator*.

5. Ad *Viam Latinam* erat templum *Fortunæ Muliebris*, ejusdemque Deæ simulacrum, quod nefas attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsit. Ad eandem fuit suburbanum Phyllidis, nutricis Domitiani, in quo ipsum funeravit. Similiter ad eandem Viam plurima erant sepulcra, ex quibus notabile hoc Epitaphium Ausonius, *in Epitaph.* 38. *edit. Jac. Tollii p* 214. memoriæ prodit:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum sum, cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram: genitus tamen e nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

6. Post *Portam Latinam* parvo intervallo sequitur *Porta Capena*, quam Festus, *voc. Initium*, dicit esse *Viæ Appiæ initium*, quod respicit partem

A eam, quæ extra Urbem in aperta camporum porrigebatur. *Via* enim *Appia* veluti in duas partes ad *Portam Capenam* concurrentes dividebatur, quarum altera Viam Urbi Militarem præbebat, ab hac porta ducentem aliquo cum flexu versus admirabile illud *Severi Septizonium*, prope Viam Novam, quæ erat secundum *Circum Maximum*; & porro versus *Forum Romanum*. Andreas Palladius *de Architect.* III. 3. illius initium collocat ad *Amphitheatrum Titi*: hoc enim sua lingua dicit: *Haveva questa strata il suo principio dal Coliseo*. Altera *Appiæ* pars extra Urbem a *Porta Capena* porrigebatur Capuam, munita ab Appio ad M. P.
B CXLII. & Capua Brundisium continuata per Julium Cæsarem ad M. P. CCXXXVIII. quæ secundum *Itinerarium* longitudo est M. P. CCCLXXX aut, si Strabonem audias, M. P. CCCLX. ut diximus II 26. §§. 7. & 8. ubi tota sectione de hac Via egimus, quare hic plura non addemus, uti nec de *Via Domitiana*, quam eodem libro *sectione* XXVII. sequente persecuti sumus, ut *Appiæ* cohærentem. Nec Templa aut Sepulcra hic relegam, quæ *Appiam* utrimque prætexebant, cum nonnulla recensuerim supra II. 33. §. 3. & 35 §. 8. Hoc tantum addam, Procopium, *de Bell. Goth. li.* I. recte narrasse, Belisarium, via
C Latina venientem Neapoli Romam, Appiam a sinistra habuisse: hic enim est ejus situs.

7. Tres præterea Viæ Publicæ cum *Appia* cohærebant, ut rami adhærent suo stipiti. Prima est *Trajana*, a Trajano munita Benevento Brundisium: Altera *Numicia*, ab auctore Numicio dicta, per quam iter quoque Roma Brundisium fieri poterat, ut colligimus ex Horat. *Epist.* I. 18. *vs.* 20.

Brundusium Numici melius via ducat, an Appi.

Tertia denique erat *Setina*, ab urbe Campaniæ Italicæ *Setia*, ubi videtur incepisse, cognominata,
D cujus *l. l.* meminit P. Victor.

SECTIO XXVI.

De Portis & Viis Ardeatina & Ostiensi, ac Viis, quæ cum his cohærent.

1. *Viæ Ardeatinæ situs dubius.* 2. *Via Laurentina.* 3. *Porta Ostiensis, & diversus ejus pro temporum varietate situs.* 4. *Via Ostiensis, ejusque situs & antiquitas.* 5. *ac Longitudo ejusdem.*

E 1. VIæ *Ardeatinæ* situm invenio diversum: nonnulli enim illam inchoant a Via Appia proxime *Portam Capenam*, uti fecit Ambrosius Brambilla in Charta edita anno cIↃ. IↃ. LXXXII. qua exhibuit præcipua Urbis loca, montes, aggeres, & portas, addita Viarum figura, quæ a singulis Portis incipiunt, ubi videbis *Ardeatinam Viam* inchoari extra Urbem a *Via Appia*, & in agrum porrigi versus dextram. Sed alii initium *Ardeatinæ* in Urbe collocant sub monte *Aventino* prope Thermas Antonini Caracallæ, unde eam per ejusdem cognominis Portam deducunt *Ardeam*, inter *Appiam* & *Ostiensem*. Panvinus loco sæpius laudato disertis verbis ait: *Hæc*
F *Ardeatina intra Urbem sub Aventino juxta Thermas Antonianas initium habebat.* Illa *Porta Ardeatina* in pluribus veteris Romæ chartis sive mappis, ut vocant, & figura & scriptura exhibetur, inter cæteras in Pyrrhi Ligorii, Romani, ac Stephani du Perrac, Galli, descriptionibus, in quibus *Via Ardeatina* pingitur ab ejusdem cognominis porta incipiens, & primum porrecta versus Austrum, deinde ad aliquam ab Urbe distantiam versus Ortum flexa.

2. Si a *Via Ardeatina* versus dextram continuemus iter nostrum, occurrit *Laurentina*, quam Gellius inter *Ardeatinam* & *Ostiensem* ponit. Plinius certe Junior, in *Epist.* II. 17. *edit. Henr. Stephani, ad Gallum*, propinquas innuit Vias *Laurentinam* & *Ostiensem*: *Aditur*, ait de suo Laurentino, *non una Via. Nam & Laurentina & Ostiensis. Sed Laurentina a* XIIII. *lapide, Ostiensis ab* XI. *relinquenda est*.

3. Postrema Romæ Porta cis Tiberim nobis est *Porta* hodie *S. Paulli*, olim *Trigemina*, sic denominata, quod ea contra Curiatios Trigemini Horatii egressi sint. Primum fuit ad montis Aventini radices, quod ex Livii variis locis constat, præsertim XLI. 27. ubi narrat, *Ædiles extra portam* Trigeminam *in Aventinum porticum silice stravisse*. Postea vero quam Claudius Imp. montem Aventinum intra pomœrium recepit, translata est eum in locum, quo hodie videtur, ubi ab Ammiano Marcellino, Procopio & aliis ejus ævi Scriptoribus celebratur sub nomine *Portæ Ostiensis*, juxta Cestii pyramidem sepulcralem, quæ aggerem huic portæ vicinum proxime contingit.

4. Vero simile videtur, hoc Portæ nomen adhæsisse a Via munita, quæ Roma ad Portum Ostiensem ducebat, ab Urbe versus Austrum. Sane in figura laudata Stephani du Perrac hæc *Via* sub nomine *Ostiensis* recta ad Austrum porrigitur: de qua eadem ceu jam olim strata testatur Procopius *de Bell. Goth. lib.* I. *A Portu via recta ad Urbem ducit, plana quidem, & prorsus nil impedita. Hanc a principio Romani constrarunt*.

5. Quod ad Longitudinem ejus attinet, supra *sect.* XIV. *§.* 7. ex *Itinerarii pag.* 68. ostendimus, eam esse ad M. P. XVI. At Procopius *l. l.* paullo breviorem facit, *Vitiges*, ait, *locum, quem Portum vocant Romani, præoccupare animo destinat: qui ferme ab Urbe centum sexque & viginti stadiis abest. Hac tantula & sola intercapedine, ne maritima sit urbs Roma, dirimitur*. Jam vero hæc CXXVI. stadia reddunt tantum milliaria Italica XV. & passus IↃCCL.

SECTIO XXVII.

De Romæ trans Tiberim Portis, Portuensi, Janiculensi, Septimiana, & Triumphali, ac Viis Militaribus, quæ ab illis deducuntur.

1. *Ultra Tiberim Portæ sunt Urbis quinque numero.* 2. *Prima, Porta Navalis.* 3. *Ad quæstionem super ea Porta & Via respondetur.* 4. *Descriptio Viæ Navalis aut Portuensis.* 5. *altera, Porta Janiculensis, aut S. Pancratii.* 6. *tertia, Porta Fontinalis, aut Septimia.* 7. *quarta, Porta Triumphalis.* 8. *Augusti funus ex singulari legis gratia ductum hac porta.* 9. *Vespasiani Titique triumphus per Portam & Viam Triumphalem.* 10. *Via Triumphalis in duas partes diversa.*

1. HUc usque per ordinem circuitus lustravimus Portas Urbis citra Tiberim, & Vias, quæ ab his porrigebantur versus septem Triones, Ortum & Meridiem: jam aggrediamur Vias & Portas, quæ sunt ultra Tiberim ad Meridiem & Occasum. Portæ autem illæ & Viæ non sunt magno numero, cum & pars Urbis trans Tiberim sit multo minor, comparata ei, quæ est cis Tiberim. In hoc nihilominus spatio, quinque præcipuæ occurrunt Portæ, quarum priores quatuor hac sectione persequemur, & in sequenti separatim quintam.

2. Prima ergo, quæ ultra Tiberim occurrit, est *Porta Navalis* veterum, sic dicta, quod esset proxima loco, ubi naves semper habuere stationem, etiam ante, quam Claudius & Trajanus Portum exstruxerunt Ostiensem: sic enim Festus, *in voc. Navalis*: *Navalis*, ait, *porta, item navalis regio videtur utraque ab Navalium vicinia ita appellata fuisse*. Post vero Portum istum admirandum a Claudio prius exstructum, deinde a Trajano ampliorem redditum, *Porta* hæc & *Via* munita, quæ eo ducebat versus Austrum, dicta fuit *Portuensis*.

3. Si quis ex me quærat, cur potius huic Portæ & Viæ *Portus* ille dederit nomen, quam *Ostiensi* citra Tiberim, cum utraque ad istum Portum duceret: responsum habeat, Tiberim prope mare Tyrrhenum in duo brachia quasi dividi, & hinc fieri *Insulam* triangularem fere, Veteribus *Sacram* cognominatam. Horum vero brachiorum sinistrum est majus & amplius, videturque nomen Tiberinum fluvii alveo satis grandi in mare effundere: ad hujus brachii ripam sinistram sita est *Ostia* in veteri Latio: quare mirum non est, si Porta & Via citra Tiberim, ducens Ostiam, potius *Ostiensis*, quam *Portuensis*, nomen habeat. Alterum Tiberis brachium porrigitur ad dextram versus Umbros & Tuscos, quod, cum sit priori minus, vulgo vernacule dicitur *Fiumicino*, ceu si dicas *fluviolum*. Ad hujus ripam dextram situs est celebris ille *Portus Ostiensis*, sic dictus, non quod *Ostiam* proxime alluat; nam illum ab hac separant bina Tiberis brachia & intermedia insula sacra; sed quod propinquior Urbs non esset, a qua commodum cognomen Portus ille acciperet. Adde, quod cum *Ostium* significet locum, quo fluvius mari excipitur, unde & *Ostia* nomen habet a situ ad alterum Tiberis ostium, sic & *Portus* hic potuerit *Ostiensis* cognominari, ab altero Tiberis ostio. Et quemadmodum illi trans Tiberim terrestri itinere continuo *Porta* & *Via Portuensi* Portum hunc adire potuerunt, hinc *Portuensis* quoque cognomen eidem potius adhæsit, quam *Ostiensis*, qua Porta & Via Portus Ostiensis adiri non poterat, nisi trajecto Tiberi. Hoc in Agri Romani mappa, quam de Portu Ostiensi confecit Stephanus du Perrac, licet oculis videre, ubi eum collocat ad dextram minoris brachii Tiberini, quod *Fiumicino* vocat, ripam. De hac Porta & Via est intelligendus Procopius *de Bell. Goth. li.* III. cum ait: *Ex altera ripæ fluminis parte Portuensique Via pedestris exercitus subsidio veniebat*: & paullo post: *Navibus statim ad terram Viæ Portuensis e regione subductis*.

4. Via hæc præ cæteris omnibus commodissima & ornatissima erat: audi de ea Albertum, *de Archit.* IV. 5. *Ad rem fit, quod ad Viam Portuensem annotavi. Quando enim Ægypto, Africa, Libya, Hispaniis, Germania, Insulis, hominum ingens numerus, mercium maxima vis confluebat, stratam effecere duplam, & in medio lapidum ordo eminens, ut linea, exstabat pedem, ut prodirent altera, redirent altera, vitata properantium offensione*.

5. Altera ultra Tiberim *Porta* est *Janiculensis*, sic dicta a situ in monte Janiculo inter Meridiem & Occasum, juxta quam a Procopii jam ætate Templum fuit *S. Pancratio* sacrum, unde ab eo tempore cognominata fuit *Porta S. Pancratii* vel *Pancratiana*: sic enim loquitur *de Bell. Goth. li.* I. *Inter hæc Bessus, qui Prænestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nunciaret teneri ab hostibus Urbem, per portam aliam introgressis, quæ supra Tiberim est, & S. Pancratii dicitur*. Ab hac Porta incepit *Via Vitellia*, porrecta versus Austrozephyrum, unde Sueton. *vit. Vitell. c.* I. narrat, Vitelliæ *indicia*

stirpis diu mansisse, *Viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque*, *item Coloniam ejusdem nominis*.

6. Tertia *Porta*, ultra Tiberim est *Septimia*, sita ad ripam Tiberis dextram prope Janiculum, porrecta versus Occasum. Eadem dicta olim *Frontinalis*. Originem nominis indicare videtur Festus, *in voc. Fontinalia*: *Fontinalia*, ait, *Fontium sacra*, *unde & Romæ Fontinalis porta*: meminit hujus & Livius XXXV. 10. ubi narrat, Ædiles porticum *a Porta Fontinali ad Martis aram*, *qua in campos iter esset*, *perduxisse*. At postea Septimius Severus Imp. cum Thermas Severianas ad Janiculum prope hanc Portam exstruxisset, a suo *Septimiæ* nomen donavit, ut *in ejus vit. c.* 6. testatur Spartianus: ab hac Porta porrigebatur Via quædam munita ad Occasum decurrens secundum marginem acclivem fossæ Urbis, haud procul inde *Viam Triumphalem intrans*.

7. *Triumphalis* hæc *Porta* & *Via* inde nomen habuit, quod Imperatores ducesque Romani devictis hostibus, cum a Senatu illis triumphi honos decretus esset, hac Via triumphalem pompam deducerent in Urbem. Sita fuit Porta inter *Septimiam* & *Aureliam* prope montem Vaticanum & *pontem Triumphalem* super Tiberim. Hæc Porta Procopii ætate jam desierat. Conjicimus hoc ex eo, quod, cum primum & iterum Romam a Gothis obsessam narret, qui ab ea parte Urbis mœnia maxime oppugnabant, nullius meminerit *Portæ Triumphalis*, cum vicinarum frequenter mentionem fecerit: quin imo, si hæc Porta ejus ætate superfuisset, Romæ non XIV. sed XV. Portas præcipuas dixisset.

8. Suetonius *in Aug. c.* 100. narrat, Senatum in funere Augusti ornando & in illius memoria honoranda, inter alia complura censuisse, ut, singulari ex privilegio, *funus Triumphali porta duceretur*: quicum consentit Tacitus *Ann.* I. 9. ubi ait: *Tum consultatum de honoribus*, in funere Augusti, *ex queis maxime insignes visi*, *ut Porta Triumphali funus duceretur*.

9. Quomodo Imperatores Victoriæ superstites pompa triumphali fuerint ingressi, exemplo sit triumphus, quem communem de Judæis in suam ruinam obstinatis & devictis & capta Hierosolyma egerunt hac porta ingressi, a Josepho, *de Bell. Jud.* VII. 24. graphice descriptum, ubi inter alia: *Die Triumphali Principes*, *qui non in Palatio*, *sed prope Isidis templum*, *nocte illa quieverant*, *prima jam Aurora incipiente procedunt*, *lauro quidem coronati*; *amicti vero patria veste purpurea*: deinde paullo post: *Ibi cum Milites allocutus fuisset*, *solennibusque votis susceptis solvisset*, *Imperator ipse cum Tito Cæsare ad Portam recedit*, *quæ ab eo*, *quod per illam semper triumphorum pompa ducitur*, *nomen accepit*. *Ibi triumphalibus vestibus amicti*, *Diis ad Portam collocatis*, *cæsa hostia*, *inter spectacula transeuntes Triumphum ducebant*. Portæ hujus mentio est in *Inscr.* apud Gruterum LXXIX. 3. *quæ exstat Prænesti ad domum privatam in basi*:

FORTVNAE. SANCTAE
ATINIA. TYRANNIS
SEMINARIA. A. PORTA
TRIVMPHALE
P. TERENTIVS. FORTVNATVS
VIR. CLARISSIMVS
CVI. GRATIAS. MAXIMAS
SEMPER. EGI
CVM
TERENTIA. FAVSTINA
FILIA
DONVM. DEDIT
L. D. D. D.

10. *Via* autem *Triumphalis*, quæ per hanc Portam intrabat Urbem, & qua ibat pompa Triumphalis, ut multæ aliæ Viæ, in duas partes erat diversa, quarum altera erat intra, altera extra Urbem. Prior a Porta cognomine per pontem ejusdem cognominis pergebat ad Capitolium relictis a dextra Pompeii Marcellique Theatris: Posterior a dicta porta, inter montes Janiculum & Vaticanum, secundum Circum Caii & Neronis Principum, qui ad eam Viam erat a dextra, in campos porrigebatur.

SECTIO XXVIII.

De Porta & Via Aurelia, nonnullisque aliis Italiæ Viis.

1. *Porta Aurelia diversa est a Pancratiana*. 2. *Via Aurelia cur Consularis dicta*: *duæ Viæ Aureliæ*: *prioris longitudo*. 3. *Pars Viæ Aureliæ cur dicta Æmilia Scauri*. 4. *Via Aurelia nomen suum produxit Arelatum usque*. 5. *Ejus longitudo comprobatur etiam Inscr. antiquis Milliaribus*. 6. *Columnæ Milliares adhuc exstantes in Campo Petroso*, *vulgo* la Crau. *hujus nominis etymon*. 7. *Via Cornelia*. 8. *Viæ quædam Militares Italiæ*, *quarum situs ignoratur*.

1. POstrema Urbis ultra Tiberim Porta est *Aurelia*, sic dicta a Via Militari ejusdem nominis, quæ per eandem ducit, aut ab ædificio quodam, *Aurelio Tribunali*, huic Portæ vicino, cujus meminit Cicero, *in Pison. c.* 5. ut vult Panvinus, *in Roma*, *p.* 116. Porta hæc sita fuit proxime *Hadriani molem*, ubi hodie *Castellum S. Angeli* est; verum post a Leone IV. Pontifice maximo dejecta & amolita, cum ab ea parte Urbem proferret, & in eam acciperet *Montem Vaticanum* cum *Basilica S. Petri*. Sunt, qui putent fuisse eandem, quam *S. Pancratii*. Sed *Procopius de Bell. Goth. lib.* I. sæpius diserte utramque distinguit, maxime hoc loco: *Itaque factum*, *ut circa Aureliam Portam omnia in tuto jam essent*. *Ad Portam vero Pancratianam*, *quæ trans Tiberim est*, *cum hostium copiæ pervenissent*, *ob loci difficultatem*, *nihil per eas gestum est memoria dignum*.

2. *Viam Aureliam* nonnulli dictam volunt a cive quodam Romano Aurelio, ejus curatore vel auctore: sic inter alios Andreas Palladius, *de Architect.* III. 3. *Celebratissima la Via Aurelia, chiamata così da Aurelio, Cittadino Romano, che la fece*. vult, *celeberrimam Viam Aureliam sic dictam esse ab Aurelio*, *Cive Romano*, *qui eam fecerit*. Aliqui addunt, hunc *Aurelium* fuisse cos. & ab eo, velut per excellentiam, dictam fuisse, *Viam Consularem*. Per Italiam vero duæ fuerunt *Viæ Aureliæ*, *Vetus* & *Nova*. *Vetus* per *Portam Aureliam* porrigebatur secundum littus maris Tyrrheni usque ad *Forum Aurelii* per M.P.LXXXV ut docet *l.l.* Panvinus. Ad *Forum* namque illud, cujus auctor est Aurelius, ab eodem Via hæc producta est, quæ postea per alios plures usque in ipsam Galliam Narbonensem, eodem *Aureliæ* cognomine servato, est continuata.

3. Ex Strabonis *Geogr. lib.* V. *p.* 395. colligimus, hanc Viam per *Æmilium Scaurum* munitam fuisse a *Foro Aurelii* usque *Sabatios*, ad CCCLXXX. M.P. item a *Genua Dertonam*, nonnullo flexu redeunte, tantum ad M. P. XXVI. *Hic*, ait, *est ille Scaurus*, *qui per Pisas & Lunam usque Sabatios Viam stravit Æmiliam*, *& hinc per Dertonam*. Dicta fuit *Via Æmilia Scauri*, ad differentiam *Æmiliæ*, quæ *Flaminiam* excipit, ab *Arimino Aquilejam productæ*.

4. Quamvis autem Æmilius Scaurus eo usque, ut dixi, Viam continuarit, nomen tamen *Aureliæ* eidem & ultra mansit. Eutropius eam ad Alpes Maritimas porrigit: *Hetruriæ*, ait, *per Aureliam usque ad Alpes Maritimas ingentes agri sunt, bique fertiles & silvosi*. Antonini Itinerarium *p.66.* hanc Viam *Roma* trans Alpes per continuam seriem Urbium, Mutationum & Mansionum describit usque in *Galliam Narbonensem*, ubi illam *Arelati* terminat, uti facit & *Tabula Peutingeri segm.* III. II. & I. Quare, cum hæc Via Militaris sit inter celeberrimas & longissimas, non dubitavi exscribere, ex utroque opere, ejus descriptionem, ut possit altera alteri comparari. Sic autem habent illa antiquitatis monumenta: A B

Ex Itinerario:

VIA AVRELIA

A Roma per Tusciam & Alpes Maritimas Arelatum usque sic:	M. P. IↃCCXCVI.
Lorium	M. P. XII.
Ad Turres	M. P. X.
Pyrgos	M. P. XII.
Castrum novum	M. P. VIII.
Centum cellas	M. P. V.
Martham	M. P. X.
Forum Aurelii	M. P. XIIII.
Cossam	M. P. XXV.
Ad Lacum Aprilem	M. P. XXII.
Salebronem	M. P. XII.
Manliana	M. P. VIIII.
Populonium	M. P. XII.
Vada Volaterrana	M. P. XXV.
Ad Herculem	M. P. XVIII.
Pisas	M. P. XII.
Papiriana	M. P. XI.
Lunam	M. P. XII.
Boaceas	M. P. XII.
Bodetiam	M. P. XXVII.
Tegulatam	M. P. XII.
Delphinos	M. P. XXI.
Genuam	M. P. XII.
Libanum	M. P. XXXVI.
Dertonam	M. P. XXXV.
Aquas	M. P. XXVIII.
Crixiam	M. P. XX.
Canalicum	M. P. X.
Vada Sabbatia	M. P. XII.
Pullopicem	M. P. XII.
Albingaunum	M. P. VIII.
Lucum Bormani	M. P. XV.
Costam Balenæ	M. P. XVI.
*	* *
Albintimilium	M. P. XVI.
Lumonem	M. P. X.
Alpem summam	M. P. VI.
Hucusque Italia; abhinc Gallia:	
Cemenelum	M. P. VIIII.
Varum flumen	M. P. VI.
Antipolim	M. P. X.
Ad Horrea	M. P. XII.
Forum Julii	M. P. XVIII.
Forum Voconii	M. P. XII.
Mautavonium	M. P. XII.
Ad Turrem	M. P. XIIII.
Tegulatam	M. P. XVI.
Aquas Sextias	M. P. XVI.
Massiliam	M. P. XVIII.
Calcariam	M. P. XIIII.
Fossas Marianas	M. P. XXXIIII.
Arelate	M. P. XXXIII.

C D E F

Ex Tabula Peutingeriana:

(Ab Urbe)

Lorio	XII.
Bebiana	*
Alsium	VI.
Pyrgos	X.
Punicum	VI.
Aquas Apollinaris	*
Gravisca	*
.....*co*	*
Tabellaria	V.
Marta Fl.	*
Foro Aurelii	III.
Armenta Fl.	IIII.
Ad Novas	III.
Succosa	II.
Cosa	*
.....*co*	*
Albinia Fl.	VIIII.
Telamone	IIII.
Hasta	VIII.
Fluvius Umbro	VIIII.
Saleborna	XII.
Manliana	VIIII.
Populonio	XII.
Vadis Volateris	X.
Velinis	X.
Ad Fines	XIII.
Piscinas	VIII.
Turrita	*
Pisis	*
Fossis Papirianis	VIII.
Ad Taberna frigida	XII.
Luno	X.
Boron	*
In Alpe Pennino	II.
Ad Monilia	XIII.
Ad Solaria	VI.
Ricina	XV.
Genua	VII.
Liburnum	XXVI.
Dertona	XXVII.
Aquis Tatelis	X.
Crixia	XXII.
Calanico	XX.
Vadis Sabates	XII.
Albingauno	XXXVIIII.
Luco Boramni	XV.
Costa Bellenæ	*
Albentimillo	XVI.
In Alpe Maritima	VIIII.
Gemenello	VIIII.
Varum	VI.
Antipoli	X.
Ad Horrea	XII.
Foro Julii	XVII.
Foro Voconii	XVII.
Matuone	XXII.
Ad Turrem	XVII.
Tegulata	XVI.
Aquis Sestis	XV.
Massilia Græcorum	XVIII.
Calcaria	XXXIII.
Fossis Marianis	XXXIII.
Arelato	XXXIII.

5. *Viæ Aureliæ* longitudinem Arelatum usque adhuc magis comprobat nomen, quod & hodie in *Provincia* Gallica apud indigenas habet *lou grand cæmin Aurelian*, sive *Viæ Publicæ Aureliæ*, ut me docuit Amplissimus Peirescius, Regius in suprema

curia sive Parlamento Aquis Sextiis Senator. Non quod *Aurelius*, qui ei & nomen & originem dedit, eam deduxerit *Arelatum*, sed quod credibile sit, Romanos, prout victricia arma in Galliam Narbonensem protulerunt, produxisse quoque hanc Viam in signum Imperii, diu ante Augustum; nam antea *sect.* XI. §. 10. ex Polybio III. 8. didicimus, jam Scipionum ætate fuisse Viam Publicam munitam & milliaribus distinctam lapidibus, ab Alpibus ad montes Pyrenæos porrectam. Saltem plures columnæ milliares, quæ adhuc hodie in ista Via exstant, aut ex eadem translatæ sunt, testantur, Augustum & sequentes Imperatores nonnullos curam ejus Viæ cis Alpes gessisse. Didici hoc, non ex Auctore aliquo veteri aut recentiore, sed ex *Inscriptionibus*, quas Peirescius, Vir non minus generis nobilitate, quam rerum antiquarum peritia celeberrimus, mecum communicavit, quas ipsemet ex ipsis columnis milliaribus exscripserat. Tres priores sunt in parte *Viæ Aureliæ*, vel circa eandem inter *Forum Julii*, quod hodie *Frejus*, & *Aquas Sextias*. Prima est *Pugeti* ad *Forum Julii* in *Templo parochiali*, ut vocant, *S. Andreæ*, in trunco rotundæ columnæ, sub vase aquæ lustralis his verbis;

IMP. CAESAR. DIVI. F.
AVGVSTVS. IMP. XI.
TRIBVNITIA.
POTESTATE. XI.
IIII.

In pago *Luc* terræ Forojuliensis in *Via Aurelia* exstat altera hæc:

NERO. CLAVDIVS.
DIVI. CDAVDI. F.
GERMANICI. CAESAR.
N. TI. CAESAR. AVG. PRO
NEP. DIVI. AVG. ABNEPOS.
CAESAR. AVG.
GERMANICVS. PONTIFEX.
MAX. TRIB. POT. IIII.
IMP. ITER.
COS. III. P. P.
RESTITVIT.

In *Templo S. Pontii*, in pago *Cabassæ*, haud procul a *Via Aurelia* tertia legitur *Inscr.* in duobus ejusdem columnæ fragmentis, sub *ara S. Antonii*:

IMP. CAES.
FL. VAL.
CONSTAN
TINO. P. F.
AVG.
DIVI. MAXIMI
ANI. AVG.
NEPOTI.
DIVI. CONS
TANTI. AVG.
PII.
FILIO.
XXXIIII.

6. Reliquæ duæ columnæ adhuc exstant, quamvis eas oppugnet ventorum illic loci frequens impetus. Loci illius ingenium optime descripsit Strabo *lib.* IV. *p.m.* 330. *In medio*, ait, *Massiliæ & Rhodani, ubi erumpit, spatio, campus est, a mari centena distans stadia; tantus enim ipsius diameter existit*, (nobis sunt Leucæ Francicæ VI. cum quadrante) *cum forma constet circuli. Ab eo vero, quod accidit, petrosus appellatur*, (vel lapideus *lapidibus, qui manus impleant, plenissimus, sub quibus gramen exoritur, a quo pecoribus pabuli suppeditatur ubertas. In medio salsæ scatent aquæ, salisque vis magna. Universa circumadjacens ora, ventis exposita est. Egregie autem campum hunc Melamborius ventus vehemens, terribilis violentissimis procellis infestat*. Plura super hoc Campo addit Strabo lectu digna. Incolæ hunc Campum ab ultima temporum memoria vocant *la Crau*, ceu dicerent locum plenum τοῦ *Greve* aut τοῦ *Gravois*, seu Glareæ. Vinum quoque illius loci, quod in montibus & collibus hisce petrosis colligitur, cognominant vulgo *vin de Grave* quasi dicerent *vinum ex glareosis locis* collectum. Britanni, qui a nobis multa vocabula Celtica sunt mutuati, eadem voce adhuc utuntur, pronunciatione pæne eadem; lapidem enim vocant *Craig*. Camdenus, *in Britannia, tract. de primis incolis*, de hoc ipso *Campo petroso* agens idem observavit. *Ad littus*, ait, *Galliæ Narbonensis, ubi Herculem & Albionem concertasse fabulantur, lapides adeo multi passim & late jacent, ut lapides pluisse credas; unde Littus Lapideum & Campus Lapideus ab Auctoribus nuncupatur. Gallis hodie* la Crau *dicitur; nominis tamen rationem nesciunt: at lapides* Craig *Britannica lingua nuncupantur*. Sed redeamus ad nostras columnas Milliares, quæ ambæ Augusto debentur, quamvis a temporis injuria fere deletæ Prior visitur in Via, quæ ducit a *Mas de Brau* ad *Salon*, hoc modo;

.... AE.
...... DIVI. F.
.... PONTIFEX.
.... XII. COS.
.... ATVS. XIII.
..... POTEST. XXI.

Posterior legitur in eadem Via, ad *Sylvam*, quæ *Aurelia*, ab Aurelio Viæ nostræ auctore, cognominatur, his verbis;

- - - - - - - - - - - -
CAESAR. DIVI. F.
AVGVSTVS. PONTIF.
MAXIMVS.... COS.
DESIGNATVS....
..... POTESTATE.
IIII.

7. Ex Viis Publicis Italiæ, quæ aliquo in Historiis nomine celebrantur, nulla nobis aggredienda superest, quam *Via Cornelia*, cujus situm sola conjectura divinamus, per has Inscriptiones, quæ illam inter *Aureliam* & *Triumphalem* mediam faciunt. Prior & Altera sunt *Romæ in duabus statuarum basibus*, illa in *hortis Cæsianis* posita, hæc in *Palatio della Crepanica* abjecta jacet: illa est apud Gruterum CCCCLXV. 5.

C. SALLIO. ARISTAENETO. C. V.
SEPTEMVIRO. EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDICO
PER. PICENVM. ET. APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELIAE
CORNEILAE. TRIVMPHALIS
PRAETORI. K. TVTELARIO
QVAESTORI. DESIGNATO. ET. EODEM. ANNO. AD
AEDILITATEM. PROMOTO. X. VIRO
STLITIB. IVDICAND. ORATORI
MAXIMO
DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE. ASCVLANO
RVM. PROPTER. HVMANITATEM. ABSTINENTIAM,

in sinistro latere erat:

CVRA. AGENTIBVS
AETRILIO. PRISCIANO. ET
TETTIENO. PROCVLO.

Altera Inscr. *ibid. num.* 6. huic per omnia similis, nisi quod *decuriones & Plebs Coloniæ Anconitanorum propter humanitatem, abstinentiam, efficaciam* posuerint. Tertia & postrema *Insc.* exstat *Tibure*, XVI. ab Urbe milliari, in æde *D. Paulli*, in basi:

C. POPILIO. C. F. QVIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO. EPVLON.
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. CAESARIS. ANTONINI. AVG
PII. PROPR. GERMANIAE. SVPER. ET. EX
ERCITVS. IN. EA. TENDENTIS. CVRATOR
OPER. PVBLICOR. PRAEP. AERAR. SATVR
CVRATORI. VIAR. AVRELIAE. VETERIS. ET
NOVAE. CORNELIAE. ET. TRIVMPHALIS
LEGATO. LEG. X. FRETENSIS
A. CVIVS. CVRA. SE. EXCVSAVIT. PRAETORI
TRIBVNO. PLEBIS. Q. DIVI. HADRIANI. AVG
IN. OMNIBVS. HONORIBVS. CANDIDATO
IMPERATOR. TR. LATICLAVIO. LEG. III.
CYRENAICAE. DONATO. DONIS. MILI
TARIBVS. A. DIVO. HADRIANO. OB
IVDAICAM. EXPEDITIONEM. X. VIRO
STLITIBVS. IVDICANDIS. PATRONO
MVNICIPI. CVRATORI. MAXIMI. EXEMPLI
SENATVS. P. Q. TIBVRS
OPTIME. DE. REPVBLICA. MERITO

8. Sunt adhuc nonnullæ aliæ Viæ extra Urbem munitæ, quæ nomina in Historiis propria habent, præsertim apud P. Victorem *de Reg. Urb. sub fin.* quales sunt *Viæ Patinaria, Tiberina, Gallica, Gallicana, Laticulensis* & *Flavia*, quarum situm nondum potui invenire. Non dubito tamen, quin partem faciant illarum, quæ per lineas designantur in *Charta Peutingeri*, sine ullo nomine proprio addito, quo distinguerentur, & sine ullá nota initii aut finis earum. Quare plura hic non addo, & finem facio disputationis de Viis Italiæ Publicis.

SECTIO XXIX.

De Transitu & Continuatione Viarum Italiæ Publicarum in Provincias Imperii.

1. *Continuatæ Viæ Militares aut terra, aut mari.* 2. *Terra continuatæ usque ad extrema Europæ.* 3. *Qua parte Italia Vias suas cum Provinciis communicet.* 4. *Gallia Cisalpina prima ab Italia Vias accepit. Galliæ divisio.* 5. *De Gallia Cisalpina fragmentum Itinerarii Antonini esse accipiendum.* 6. *Fragmentum ipsum Itinerarii Antonini.* 7. *De Auctore ejus dubitatur.* 8. *Dividitur Transitus Viarum Italiæ Publicarum in Europæ Provincias.*

1. Diximus, Vias Publicas per Italiam in Historiis celebratas initium habuisse a Portis Urbis Romæ, aut per se ipsas, aut per alias, insertas scilicet in illas priores; & circum circa quaquaversus porrectas fuisse, ut facilior esset undecunque ad Urbem aditus. Jam egrediamur Italia, & Vias Publicas persequamur in Provinciis. Fiet hoc duobus modis, Terra vel Mari. Terra, per fluvios & montes; Mari, a portu quovis Italiæ ad oppositos portus Provinciales.

2. Initium faciamus a Terrestri itinere, ut ostendamus Vias Imperii Publicas, sine ulla interruptione, Terra de provincia in provinciam fuisse continuatas, & qua ratione Terræ continenti Italæ, proximæ Provinciæ Viæ in sinum acceptas, cum cæteris sibi vicinis Provinciis, secundum situm cujusque propinquioris aut longinquioris per Europam communicarint, & sic Vias ad extremos Imperii limites, qui fere iidem sunt atque Europæ, porrexerint. Europa enim & Imperium Romanum communibus terminis limitabantur ad Ortum Tanai fluvio, Mæotica palude ac Ponti Euxini extremis; ad Occasum mari Hispanico & Oceano Atlantico; ad Austrum mari Mediterraneo; ad septem Triones Oceano Britannico & Germanico.

3. Cum vero Italia instar cruris humani in longum porrigatur, cujus pes Siciliæ opponitur, hinc ex hujusce pedis regione opposita, Terræ continenti, velut crus femori, connectitur. Ab hac sola igitur parte, quæ respicit Boreazephyrum, Italia Vias suas Publicas terrestri itinere cum Europa communicare potest: cæteras enim tres partes mari cincta est, Hadriatico ad Aquilonem, Tyrrheno & Ligustico ad Austrum, ac Ionio ad Eurum: sic ut Italia sit peninsula, Terræ continenti juncta ad Alpes, quæ illam separant a Gallia & Germania. Ita & Strabo *Geogr. lib.* 11. *p. m.* 230. *Facit autem Italiam peninsulam Tyrrhenum mare incipiens a Ligustico, & Ausonium & Hadriaticum*: & *lib.* v. *p.* 384. *Reliqua Italia angusta quidem & oblonga in duos excurrit vertices; hinc quidem in Siculum fretum, hinc autem ad Japygium: utrimque vero stringitur & ab Hadriatico sinu & a Tyrrheno mari.*

4. Prima & proxima Provincia, quæ Vias Italiæ Publicas excepit cum aliis Provinciis terrestri itinere communicandas, fuit *Gallia Cisalpina*. Hæc enim, licet Italiæ in universum sumtæ faciat partem, ante tamen Augustum Cæsarem extra Italiam fuit. Romani namque Gallias partiti erant in *Togatam, Braccatam* & *Comatam*, quarum nobis prima trans Alpes, cæteræ citra Alpes sunt. Romani primam a situ, si Romam spectes, *Cisalpinam* dixerunt, quæ hinc a Varo fluvio & Alpium radicibus porrigitur ad Arnum fluvium in ora maris Tyrrheni, & inde ab iisdem Alpium jugis secundum Venetos ad Rubiconem amnem. Porro *Galliam Cisalpinam* in duas regiones diviserunt, medio Pado fluvio, *Cispadanam* & *Transpadanam*. Altera Galliarum pars est Romanis *Transalpina*, quam dixerunt *Narbonensem*, sive *Braccatam*, quod patria *braccarum* veste uterentur, ut Cisalpina Gallia *Toga*, unde *Togata* dicta fuit. Tertia item Romanis trans Alpes, cognominata est *Comata*, quod indigenæ comam alerent: quæ iterum dividebatur in tres partes, *Belgicam, Celticam* & *Aquitanicam*, ut docet Julius Cæsar *de B. G.* 1. 1.

5. Galliarum itaque *Cisalpina* Romanis, omnes Vias Publicas in Occasum & septem Triones porrectas prima ab Urbe excepit. De hac Gallia, non item de cæteris, accipiendum est Fragmentum *Itinerarii Antonini*, cujus meminit Josias Simlerus, *in præf. Itin. Ant. edit. Basiliens.* 1575. *quam in suam editionem tacito Simleri nomine transtulit A. Schottus, ubi l. l. habetur pag.* * 8. *versa*: & quod inscribitur: *in Gallias itur itineribus sex*: *Maritimo, Littoreo, Aureliano, Cassiano, Tiberino, Flaminio*: quorum tamen itinerum nullum, prout ibi describuntur, in *Gallias* transit *Transalpinas*.

6. Licet hoc videre ex ipso, quod dixi, *Fragmento*, in quo Urbes, Oppida & cætera loca non habent appositos numeros, neque Milliaria: habet se autem hoc modo, *in dicta Simleri edit.*

ITER
Maritimum tenet:
Pheregenas.
Castrum novum.
Cellas.

Herculem.
Thelamonem.
Caput Hetruriæ.
Phaliſcas.
Trajanum.
Populonium.
Vada.
Lygurnum.
Erycis.
Entelliam.
Delphinum.
Genuam inter Porſenam & Pheritonem.
Monachum.
Niceam.

Littoreum continet:

Alſium.
Cœre.
Pyrganum.
Forum Cellæ.
Graviſcas.
Coſas.
Volaterras.
Piſam.
Lunam.
Et ipſum tranſitum in Gallias.
Cariaram.

Aurelianum, quod & Claudianum, fertur per ipſam Aureliam:

Thermas Stygianas.
Forum novum.
Pagorum Claudii.
Tarquinias.
Saturniam.
Volcem.
Tunniatem montem.
Roſellas.
Roſetum.
Turſenam.
Et tranſitum Apuam.

Caſſiano Itinere itur per

Politorium.
Arcenum.
Minionem.
Forum Caſſii.
Aruntes.
Camillarios.
Tudernum.
Verentanum.
Umbronem montem.
Senam Coloniam.
Phocenſes.
Lucam, & Capberonianum, tranſitum in Gallias.

Tiberinum, quod & Cyminium, fertur:

Galera.
Parthenіano, ſive Vejente.
Roſulo.
Sutrio.
Lacu Elbii & jugis Cyminis.
Fano Volturnæ, cujus claris geſtis invidit Livius.
Saleumbrone.
Volturnæ.
Larthe amni.
Volſinis.
Cluſio veteri, olim Comerſolo.
Cluſio novo, a quo dictus Cluſentinus tranſitus Annibalis.
Et Pheſulæ tranſitus.

Flaminium habet:

Caſtrum novum, Ocream & Ocriculum.
Narniam, olim Nequinam.
Tuder.
Hiſpellum.
Aut a Caſtro novo
Spoletum.
Camerinum.
Urbinum.
Piſaurum.
Ariminum.

7. Fragmentum hoc in aliquibus convenit cum *Itinerario Antonini*, & *Tabula Peutingeri*, at in plurimis differt: imo forſan ſuppoſitum eſt ab Annio Viterbienſi, qui in illud *Commentarios* quoque edidit: accuſatur & idem falſi ab Eruditis, quod Beroſo & Manethoni, quæ ipſe confinxerat, ſuppoſuerit ac falſis his nominibus vulgarit. Illud tamen ſine ullo eſt dubio, quod per *Galliam* Romanis *Ciſalpinam* Viæ Militares in remotiſſimas tranſierint Provincias.

8. Fit Hoc duobus modis; quorum prior ducit per Alpes in Hiſpanias, Gallias, Britannias, & Germaniam: poſterior ſecundum radices Alpium flexu facto circum maris Hadriatici ſinum ducit in Illyricum, & hinc in Pannonias, Mæſiam ſuperiorem & inferiorem, Scythiam, Thraciam, uſque ad Conſtantinopolim, & cæteras Europæ partes verſus ſeptem Triones & Ortum.

SECTIO XXX.

De tranſitu Viarum Italiæ Publicarum per Alpes in Gallias, generatim.

1. *Conſideratio titulorum generalium Itinerarii; & quæſtio ſuper Gallia Ciſalpina.* 2. *Diverſa Galliæ Ciſalpinæ nomina.* 3. *Mutatio, quæ ſub Conſtantino accidit Galliæ Ciſalpinæ, & reſponſum ad priorem quæſtionem.* 4. *Reſponſionis hujus rationes.* 5. *Quomodo intelligendus titulus generalis:* De Italia in Gallias. 6. *Nota animadvertenda circa Urbes Metropoles Provinciarum.*

1. UT Vias Publicas ordine extra Italiam deducamus, initium faciemus ab illis, quæ per *Galliam* Romanis *Tranſalpinam* tranſeunt, utpote quæ omnium ſit proxima Provincia, per quam omnes Viæ Publicæ in Hiſpanias, Britannias, Germaniam, quæ Transrhenana dicitur, ſuperiorem & inferiorem tranſire debent. Hoc ut ordine & facile fiat, notandum ante, in *Antonini Itinerario* plures inſcriptiones ſive titulos generales reperiri, qui poſtea denuo in ſpeciales dividuntur, qui a generalibus, velut membra a ſuo corpore, aut partes a ſuo toto, deducuntur. Talis eſt verbi cauſſa *pag.* 52. titulus: *Iter de Pannoniis in Gallias*, qui plures ſub ſe habet Vias & Itinera ſpecialia, quæ ex *Pannoniis* in *Gallias* ducunt. Talis quoque generalis eſt titulus, de quo cum maxime agemus, *p.* 77. *De Italia in Gallias*. Titulus hic generalis poſtea in plures Vias & Itinera, quæ in Gallias ſingulæ ducunt, dividitur, quæque omnes *Mediolani*, tanquam Urbe Italiæ, initium habent. At cum ſectione præcedente §. 5. viderimus, in Fragmento allato *Itinerarii* appellari *Galliam Ciſalpinam* Provinciam illam, in qua Mediolanum eſt ſitum: ſitum namque eſt in *Gallia Romanis Tranſpadana*, quæ *Ciſalpinæ* pars eſt: quæri poſſet, cur iſto titulo ge-

nerali *Itineris de Italia in Gallias*, describat *Itinerarium* Vias eas, quæ *Mediolano* ducunt *Arelatum*, A *Viennam* & alias in Urbes trans Alpes? nonne melius talibus verbis titulus generalis fuisset præmissus: *Iter a Gallia Cisalpina ad Transalpinam?*

2. Quare, ut hic titulus generalis intelligatur, notandum maximam Orbis Terrarum partem pro tempore diversa quoque habuisse nomina: ex harum numero *Gallia* est *Cisalpina*. Nam ab ultima sæculorum memoria, quæ de rebus Italicis exstat, ea pars, quæ a Tiberi ad Alpes patet, tota & omnis fuit *Umbrorum* & *Hetruscorum*. Verum Gallorum Transalpinorum magna vis penetratis Alpibus, B & ejectis *Hetruscis* hac sedium suarum parte, eidem terræ partique occupatæ dederunt *Galliæ* nomen. Hæc porrigebatur ad *Rubiconem* usque, exiguum fluvium, qui in mare Hadriaticum effunditur, & diu limes inter Galliam & Italiam fuit: nam ad ætatem usque Julii Cæsaris hanc Italiæ partem Romani adhuc pro Gallia habuerunt; constat enim ex Julii Cæsaris vita & rebus ejus, quod, cum illi S. P. Q. R. sæpius & in plures annos decrevisset provinciam *Galliarum*, æque *Cisalpinam* ac *Transalpinam* administrarit; exercitusque in utraque duxerit salvis Reip. legibus, quod idem in Italia per eas leges non licebat. C Neque enim prius *Rubiconem* exercitu armatus transiit, quam jacta, ut ipse ajebat, alea, & bellum civile patriæ illaturus.

3. Postea vero temporis Res Publica Romana insignes subiit mutationes tam ratione sui ipsius, quam terrarum ei subjectarum; præcipue sub *Augusto*, *Hadriano* & *Constantino* Impp. Primum enim Augustus Italiam per Galliam Cisalpinam citra & ultra Padum produxit, cum Italiam totam in XI. *Regiones* divideret. Constantinus denuo Italiam divisit, & XI. *Regiones* commutavit in XVII. *Provincias*, quas in duas *Diœceses* partitus est. Prior, ut discimus ex *Notit. Imp. Occid. ed. opt. p.* 117. D fuit *Romana*, cui suberant hæ Provinciæ: *Campania*, *Tuscia cum Umbria*, *Picenum suburbicarium*, *Sicilia*, *Apulia*, *Calabria*, *Brutii* & *Lucania*, *Samnium*, *Sardinia*, *Corsica* & *Valeria*. Posterior vero Diœcesis erat *Italica*, quæ habebat has Provincias: *Venetiam cum Istria*, *Æmiliam*, *Flaminiam cum Piceno Annonario*, *Liguriam*, *Alpes Cottias*, *Rhætiam primam*, *Rhætiam secundam*. Posterior hæc *Italica Diœcesis* dicta fuit, quod composita esset ex *Gallia Cisalpina* tam *Cispadana* quam *Transpadana*, quæ per Augustum Italiæ corpori redditæ & cum ea rursum conjunctæ nomen sibi *Italiæ*, E tanquam proprium & peculiare, lapsu temporis vindicarunt. Sane Constantinus instituit duos *Vicarios Præfecti Prætorio Italiæ*, quorum alterum dixit *Vicarium Urbis*, qui Romæ sedem habebat; alterum *Vicarium Italiæ*, qui *Mediolani* sedebat.

4. Sic illo ævo factum, ut *Italiæ* nomen plura significaret, modo laxius, modo strictius sumtum, tam in re ac disciplina Civili, quam Ecclesiastica; prout nomen illud vel ad *Præfectos* vel ad *Episcopos* referebatur. Si enim dicas *Præfectum Prætorio Italiæ*, certum est, hac voce notari universam Italiam, cum insulis Sicilia, Corsica, Sardinia, quibus hic magistratus præerat æque ac Italiæ. F Si *Vicarium Italiæ* dicas, *Italiæ* nomen tantum notat VII. Provincias illi subjectas. Si de re & disciplina Ecclesiastica sit sermo; quamvis hæc plane ad Civilem videatur conformata, cum *Ecclesiæ Metropolitanæ* sint institutæ in *Urbibus Metropolibus*; ibi tum vox *Italiæ* magis stricte sumitur. Sic cum D. Athanasius *Epist. ad Solitarios*, *Mediolanum* appellat τῆς Ἰταλίας μητρόπολιν, *Italiæ metropolin*, putandum non est, fuisse illam *metropolin* illius partis Italiæ, quæ *Vicario Italiæ* parebat, cum illa pars nonnullas haberet terras, in quas Archiepiscopo Mediolanensi nulla erat potestas in Sacris, quamvis D. *Athanasii* ætate haberit sub se Urbes *Ravennam* & *Aquilejam*, quæ postea titulo *metropolico* sunt donatæ.

5. In posteriorum duarum significationum alterutra, sumendum est nomen *Italiæ* in generali illo titulo *Itinerarii*: *De Italia in Gallias*; sub quo enumerat Vias Militares, quæ *Mediolano* trans Alpes in *Galliam* ducunt. Quem inter titulum & inter Fragmentum *Antonini sect. præced. §.* 5. laudatum mirifica intercedit in nomine *Italiæ* commutatio. In *Fragmento* enim hoc, Italiæ pars ab Alpibus ad Varum & Rubiconem designatur sub nomine *Galliæ*, tanquam si ab *Italia* plane esset aliena: at in illo, de quo agimus, titulo: *De Italia in Gallias*; illa ipsa Italiæ pars, quam modo diximus, simpliciter dicitur *Italia*, qua in significatione excluditur Roma Urbs, ejusque Provinciæ, quæ olim ejus *diœcesi* adscriptæ erant sub *Vicario Urbis*.

6. Notandum itaque diligenter est, quemadmodum vidimus ex Urbe, Imperii capite, complures Vias Militares circum circa quaquaversus exivisse; sic & rem se habuisse Mediolani in Italia, Lugduni in Gallia Celtica, Remis in Gallia Belgica, & in pluribus aliis *Metropolibus* Provinciarum Europæ, Asiæ & Africæ; a quibus Urbibus Romam straverunt plures Vias Publicas, ut Urbes minores & oppida facilius adirentur, & ut *Metropoles* altera alteri sic connecterentur ad negotia publica tanto commodius peragenda, ut postea ex pluribus exemplis demonstrabimus.

SECTIO XXXI.

De Viis Militaribus, ductis per Alpes Maritimas, Cottias & Græcas, deque Via a Pompejo facta.

1. *Ordo persequendi transitum Viarum ex Italia in Gallias.* 2. *Quatuor Viæ secundum Polybium. Plures deinde factæ.* 3. *Prima Via trans Alpes Maritimas.* 4. *Altera Via per Alpes Cottias, sic dictas a Rege Cottio.* 5. *Duæ Viæ Publicæ in Itinerario per Alpes Cottias.* 6. *Initium & finis Alpium Cottiarum, in latum. Earum descriptio.* 7. *Alpes Græcæ in ordine tertiæ: duæ per has Viæ Publicæ.* 8. *Unde Alpibus nomen Græcis. Earum descriptio.* 9. *Via per Alpes Græcas a Pompejo facta, dicta* Strata Romana.

1. UT ordine persequamur commodo omnes Vias Publicas, quæ ex *Italia* in *Gallias* per *Alpes* ducunt, initium faciemus ab illis, quæ versus mare Ligusticum procurrunt, & hinc persequemur eas ordine versus mare Hadriaticum, inter quæ maria patent Alpes. Ordo hic eo magis Naturam sequitur, cum Strabo *Geogr. lib.* IV. *p.m.* 320. doceat, *Alpes ab ora incipere Ligustica*, unde velut Luna corniculata aut semicirculi in modum curvatæ finiuntur in Istria, proxime sinum maris Hadriatici.

2. Polybius, teste Strabone *l.l. fin. p.m.* 380. sua ætate ex Italia in Gallias *Transitiones tantum quatuor nominat: unam quidem per Ligures Tyrrheno mari proximam; alteram deinde per Taurinos* (Piemont) *qua transmisit Hannibal; tertiam deinde per Salassos;* (Valle d'Aosta) *quartam per Rhætos;* (Grisons) *omnes præruptas atque præcipites*. At post Polybii ætatem hic Viarum numerus valde auctus est, cum Romani aliique deinde Vias plures fecerunt, per partes Alpium, quæ in Historiarum Monumentis appellantur; *Alpes Maritimæ*, *Cottiæ*, *Græcæ*,

Græcæ Penninæ, *Lepontiæ*, *Rhæticæ*, *Tridentinæ*, *Juliæ*, *Venetæ*, *Carnicæ* & *Noricæ*, quarum præcipuas hic ordine persequemur.

3. Prima omnium Via est, quam supra sect. XXVIII. §. 4. descripsimus, quæ, ut dicit *Itinerarium p.* 66. in titulo generali: *VIA AURELIA a Roma, per Tusciam & Alpes Maritimas Arelatum usque M. P.* IↃCCXCVI. habet. Nihil hic addo ibidem supra dictis: nisi *Alpes* has *Maritimas* esse dictas a vicinia maris Ligustici, secundum quod in latitudinem patent, a *Vadis Sabatiis* in Italia, ad *Tegulatam* usque in Gallia. Diserte Strabo *lib.* IV. *p. m.* 367. ait: *Alpes vero a Sabatiis initium capiunt*. Doctiores putant, Viam per *Alpes Maritimas* esse primam omnium, quæ transitum præbuerit ex Galliis in Italiam: conjiciunt hoc, quod loca maritima prius fuerint habitata, & quod Alpes hæ non sint adeo asperæ, nec adeo difficiles ascensu, velut illæ in mediis rupibus, & altioribus. Hinc, in Via *Itinerarii* modo laudata, *Alpem Summam* cave putes esse omnium omnino altissimam; sed locum in summo *Alpium Maritimarum* situm, per quem Via ducebat.

4. Post *Alpes Maritimas* sequuntur *Cottiæ*, sic dictæ a *Cottio* Allobrogum Rege, qui, cum Julius Cæsar Gallias subigeret, *perdomitis Gallis*, ut testatur Ammianus Marcellinus XV. 9. *p. m.* 62. *solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem timore in amicitiam Octaviani receptus Principis, molibus magnis exstruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas*. Habuit Rex hic, cui memorabile hoc munus debemus, sub suo regno XIII. civitates, teste Plinio *H. N.* III. 20. hæ erant sitæ ad radices Alpium versus Italiam: hinc *in lib. Provinciar. Roman. qui exstat in Itin. Anton. p.* 122. inter XVII. Italiæ Provincias recensentur *Alpes Cottiæ*: est tractus ille Terrarum, qui hodie *Pedemontium* dicitur, juris Sabaudici; nam Sabaudiæ Duci paret, cum magna parte veterum Salassorum, Alpium Græcarum, Penninarum, & populorum, qui mari Ligustico sunt propinqui. Situs ordinem *Cottiarum Alpium* clare satis docet Plinius *l. l. Sunt*, inquit, *præterea Latio donati incolæ, ut Octodurenses & finitimi Centrones, Cottianæ Civitates, Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur*: ubi in ordine Alpinarum Gentium *Civitates Cottianas* ponit inter *Centrones*, qui *Alpes Græcas* inhabitant, & *Caturiges* ac *Ligures*, qui *Maritimas* incolunt *Alpes*.

5. Antonini *Itinerarium* duos transitus ex Italia in Gallias per *Alpes Cottias* recenset, in quorum priore Probus Imp. nonnihil fecit, ut constat ex sequenti *Inscr.* quam ex Columna ad Viam Milliari inter *Castelane* & *Taulane* a se exscriptam mecum ita communicavit illustris Peirescius:

IMP. CAES.
M. AVR.
PROBO. P. F.
INV. AVG.
III. COS. P. P.
II.

Priorem Viam sive Transitum hoc modo exhibent *Antonini Itinerarium p.* 77. & *Tabula Peutingeri segm.* II. & I.

Ex Itinerario,
DE ITALIA IN GALLIAS.

A Mediolano Arelate per Alpes Cottias M.P.CCCCXI.
sic:

Ticinum	M. P. XXII.
Laumellum	M. P. XXII.

Cottias	M. P. XXIII.
Carbantiam	M. P. XII.
Rigomagum	M. P. XII.
Quadratas	M. P. XVI.
Taurinos	M. P XXIII.
Fines	M. P. XVIII.
Segusionem	M. P. XXXIII.
Ad Martis	M. P. XVI.
Brigantionem	M. P. XXIV.
Rame	M. P. XVIIII.
Eburodunum	M. P. XVIIII.
* *	*
Caturigas	M. P. XVII.
Vapincum	M. P. XII.
Alabontem	M. P. XVIII.
* *	*
Segusteronem	M. P. XVI.
Alaunium	M. P. XXIIII.
Catolucam	M. P. XVI.
Aptajuliam	M. P. XV.
Fines	M. P. XVI.
Cabellionem	M. P. XII.
Glanum	M. P. XVI.
Ernaginum	M. P. XII.
Arelate	M. P. VII.

Ex Tabula Peutingeri:

(A *Mediolano*)

Ticeno	* hic fit saltus.
Laumelum	XXI.
Cutias	XII.
Vergellis	XIII.
Eporedia	XXXIII.
Augusta Taurinorum	* via transversa
Finibus	XVIII.
Segusione	XXII.
Martis	XVII.
Gadaone	VIII.
Brigantione in Alpe Cottia	VI.
Rama	XVIIII.
Eburuno	XVII.
Catorigomagus	VII.
Ictodurum	VI.
Vapincum	*
Alarante	XVIII.
Alarante	XVI.
Segusterone	XVI.
Alaunio	XIIII.
Catuiacia	XVI.
Apta Julia	XII.
Ad Fines	XII.
Caballine	XII
Clano	XII.
Ernagina	VIII.
Arelate	VI.

Numeri singulares *Itinerarii* in unam summam collecti reddunt M. P. CCCCXXXVIIII. adeoque summam generalem præmissam superant M. P. XXVIII. Posterior ex Italia in Galliam transitus infra *sect.* XXXVI. §. 3. & *seqq.* diligenter recensebitur.

6. Obiter tamen hic notandum, *Segusione*, quæ hodie *Susa* dicitur, versus Italiam inchoari *Alpium Cottiarum* latitudinem, unde patent versus Galliam *Eburodunum* usque, quod hodie *Ambrun*, caput Caturigum & *metropolis Provinciæ Alpium Maritimarum*, ut vocatur in *libello Provinc. Rom. p.* 134. Viam *Segusione Virgantiam* usque, sive totam pæne *Alpium Cottiarum* latitudinem tam graphice depinxit Ammian. Marcellin. *l. l.* ut eam sicco pede nequeam præterire: *In his*, ait, *Alpibus Cottiis, quarum initium a Segusione oppido est, præcelsum eri-*

X

gitur jugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Est enim, e Galliis venientibus prona humilitate devexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore; quum liquente gelu nivibusque solutis flatu calidiore ventorum, per diruptas utrimque angustias & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt & carpenta: idque remedium ad arcendum exitium repertum solum, quod pleraque vehicula vastis funibus illigata, pone cohibente virorum vel boum nisu valido, vix gressu reptante, paullo tutius devolvuntur. Et hæc, ut diximus, anni verno contingunt. Hyeme vero humus crustata frigoribus & tanquam levigata, ideoque labilis incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles per spatia plana glacie perfidæ vorant nonnunquam transeuntes, ob quæ locorum callidi eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, ut eorum series viatorem ducat innoxium; qui si nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis eversi, agrestibus præviis facile pervaduntur. A summitate autem hujus Italici clivi planities adusque stationem nomine Martis, per septem extenditur millia: & hinc alia celsitudo erectior, ægreque superabilis ad Matronæ porrigitur verticem, cujus vocabulum casus fœminæ nobilis dedit. Unde declive quidem iter, sed expeditius, adusque castellum Virgantiam patet. Hujus sepulchrum Reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum, Manesque ejus ratione gemina religione coluntur: quod justo moderamine rexerat suos; & adscitus in societatem Rei Romanæ, quietem Genti præstitit sempiternam.

7. Post Alpes Cottias sequuntur proxime *Alpes Græcæ*, sitæ inter *Centrones*, hodie *Tarantasios*, & *Salassos*, hodie *Valle d' Aosta*: de *Salassorum* & *Græcarum Alpium* vicinia hæc Plinius *H. N.* III. 17. *Salassorum Augusta Prætoria, juxta Geminas Alpium fauces, Grajas atque Penninas.* Fauces hæ, sive angusti transitus, sunt illi ipsi, de quibus Strabo *lib.* IV. *p. m.* 372. *Illis itaque*, inquit, *qui ex Italia super montes positi sunt, una per vallem* Salassorum *jam memoratam Via est. Inde bifariam dividitur, una quidem per Pœninum, sic enim dicitur, ducit per Alpium summitates, jumentis inaccessibilis: altera per Centrones prolixior:* adeoque admittens jumenta & plaustra, sed longior. Mirifica hæc duarum Viarum per Alpes opera perfecit Augustus, ut diximus *supra* I 28. §. I. & 5. quo Lectorem remittimus. Hinc etiam in *Antonini Itinerario* duas Vias invenimus, quæ ex Italia ducunt per *Alpes Græcas* in Gallias; ambæ autem feruntur per *Augustam Prætoriam*, quæ hodie *Valle d' Aosta*, ut diximus. Prior Via descripta ex *Antonini Itinerario p.* 78. & *Tabulæ Peutingeri segm.* II. & I. est hæc:

Ex Itinerario:

A Mediolano per Alpes Grajas Viennam M. P. CCCVIII

sic:

Novariam	M. P. XXXIII.
Vercellas	M. P. XVI.
Eporædiam	M. P. XXXIII.
Vitricium	M. P. XXI.
Augustam Prætoriam	M. P. XXV.
Arebrigium	M. P. XXV.
Bergintrum	M. P. XXIIII.
Darantasiam	M. P. XVIIII.
Oblimum	M. P. XIII.
Ad Publicanos	M. P. III.
Mantanam	M. P. XVI.
Lemincum	M. P. XVI.
Labisconem	M. P. XIIII.
Augustum	M. P. XIIII.
Bergusiam	M. P. XVI.
Viennam	M. P. XX.

In Tabula Peutingeri:
(A *Mediolano*)

Ticeno	* saltus
Laumellum	XXI.
Cutias	XII.
Vegellis	XIII.
Eporedia	XXXII.
Utrico	XXI.
Augusta Prætoria	XXVIII.
Arebrigium	XXV.
Ariolica	XVI.
In Alpe Graja	VI.
Bergintrum	XII.
Axunam	VIIII.
Darantasia	X.
Obilonna	XIII.
Ad Publicanos	III.
Mantala	XVI.
Lemnico	XVI.
Laviscone	XIIII.
Augustum	XIIII.
Bergusium	XII.
Vigenna	XXI.

Posterior Via a *Mediolano* per *Alpes Græcas* ducit recta *Argentoratum*. Ea ex *Itinerarii p.* 79. & *Tabulæ segm.* III. est hæc:

Ex. Itinerario:

Iter a Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum M. P. IↃLXXVII.

sic:

Ticinum	M. P. XXII.
Laumellum	M. P. XXII.
Vercellas	M. P. XXVI.
Eporædiam	M. P. XXXIII.
Vitricium	M. P. XXI.
* *	*
Augustam Prætoriam	M. P. XXV.
* *	*
Arebrigium	M. P. XXV.
Bergintrum	M. P. XXIIII.
* *	*
Darantasiam	M. P. XVIII.
Casuariam	M. P. XXIIII.
Bautas	M. P. XVIII.
Cenabum	M. P. XXV.
Equestrim	M. P. XVII.
Lacum Lausonium	M. P. XX.
Urbam	M. P. XVIII.
Arioricam	M. P. XXIIII.
Visontionem	M. P. XVI.
Velatudurum	M. P. XXII.
Epamantadurum	M. P. XC.
* *	*
Gramatum	M. P. XIX.
Largam	M. P. XXV.
Uruncim	M. P. XVIII.
Montem Brisiacum	M. P. XXIIII.
Elcebum	M. P. XXV.
Argentoratum	M. P. XXX.

Quod ad *Tabulam Peutingeri*, illa quidem aliqua loca, quæ in *Itinerario* exstant, habet, sed eo modo, qui ordinem & seriem fere nescit; unde propter ambages modo ab Ortu in Occasum, modo ab Occasu in Ortum, in diversis lineis, inter quas, cum sint transversæ & subinde plures saltus fieri deberent, non audeo utramque sic committere descriptionem. Hoc tanto magis fidem facit, Auctorem *Itinerarii* alium esse, atque *Tabulæ*. At Via *Argentoratum Mediolano*, quasi continuo filo,

his Urbibus & Mansionibus, plane differentibus ab *Itinerario*, describitur:

In Tabula:

(*A Mediolano*:)	
Como	XXXV.
Clavenna	XVIII.
Tarvessedo	XX.
Cunuaureum	X.
Lapidaria	XVII.
Juria	XXXII.
Magia	XVI.
Clunia	XVIII.
Brigantio	XVII.
Arbor Felix	X.
Ad Fines	XXI.
Vindonissa	*
Augustam Ruracum	XXII.
Arialbinum	VI.
Cambete	VII.
Argentonaria	XII.
Helellum	XII.
Argentorate	XII.

8. Cæterum *Alpes* creduntur *Græcæ* cognominari, quod per eas magnus ille Hercules cum Græcorum lecta manu transierit. Per easdem & Julius Cæsar transiit cum exercitu, cum a pacatis Galliis post novem annos, quam ibi fuisset, in Italiam viribus tam Romanis quam externis succinctus descenderet Pompejo bellum illaturus. Has Alpes & hos transitus Petronius Arbiter graphice & breviter depingit *Satyric. c.* 82. *in Bell. Civ. vs.* 148. *& seqq.*

Exsuit omnes
Quippe moras Cæsar: vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia sustulit arma.
Alpibus aereis, ubi Grajo nomine vulsæ
Descendunt rupes, & se patiuntur adiri.
Est locus Herculeis sacer aris; hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
Cælum illinc cecidisse putes. Non Solis adulti
Mansuescit radiis, non verni temporis aura:
Sed glacie concreta, rigens hiemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus Orbem.

9. At non possum hic præterire, quin digito monstrem Viam a Pompejo Magno prope hunc locum per Alpes denuo apertam; scilicet per summum montem Cinisium: quandoquidem enim agimus de Viis Publicis, factis a Populo & Imperatoribus Romanis, non deceret sane, silentio transiri Viam, a maximo Romanorum Imperatore & duce, loco tam aspero & difficili, inter transitus Herculis & Hannibalis factam. Describit Appianus hanc Viam, *de Bell. Civ. lib.* I. *sub finem p. m.* 436. *ex versione Sig. Gelenii*, his verbis: *In Italiam expeditionem* Sertorius *facturus videbatur, ni Senatus id veritus in Hispaniam ad priorem exercitum submisisset cum novis copiis Pompejum, juvenem quidem, sed jam clarum rebus Syllæ auspiciis gestis vel in Africa, vel in ipsa Italia: qui per Alpes iter aggressus magno animo, ad æmulationem Hannibalis* (ne hoc minor haberetur) *alias fauces aperuit, medio inter Padi Rhodanique fontes spatio, qua uterque amnis modicis jugis* Cinesii montis *origines dispescentibus in diversa cursus concitat, hic per transalpinam Galliam in mare inferum properans, ille per citeriorem in intimum fere superi sinum, Græcis dictus Eridanus.* Hanc ipsam Viam ipse Pompejus, *in epistola ad Senatum*, jactat, *in Fragm. Sallust. ex Hist. lib.* III. *ap. Priscian. lib.* X. cum scribit ad P. C. *Hostes in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam*

A *summovi: per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci.* Opportunitatem & facilitatem hujus Viæ ita Simlerus, *de Alpib. p.* 92. depingit: *Illud enim iter multo opportunius est Penninis Alpibus, per quas Hannibal transivisse creditur. Ac hodie propterea, quod omnium usitatissimum sit ex Hispania & Gallia & Britannia Romam euntibus,* Strata Romana *ab Italis nominatur:* scilicet quod a maximo Imperatore Romano facta velut Romanorum propria sit, aut quod facillima ex Gallia Romam euntibus.

B

SECTIO XXXII.

De Alpibus Penninis, Summis, Lepontiis & Rhæticis; ac Viis per eas Publicis.

1. *Alpes Penninæ: cognominis hujus origo.* 2. *Montes Pennini, alias Jovis aut S. Bernardi.* 3. *Via per Alpes Penninas secundum Itinerarium & Tabulam.* 4. *Duæ opiniones super Alpibus, quæ Summæ vocantur.* 5. *Alpes Lepontiæ.* 6. *in his duo tramites periculosi.* 7. *Alpes Rhæticæ.* 8. *per has Viæ tres celebriores: prima.* 9. *Speluga mons, & tres Rheni fontes.* 10. *Altera Via per Alpes Rhæticas.* 11. *Stiliconis per hanc transitus.* 12. *Tertia Via.* 13. *Descriptio loci cujusdam periculosi in hac Via.*

C

1. SAtis dictum est de *Græcis Alpibus*, ascendamus ad *Penninas*. Plurimi putant has ita dictas, quod per eas Hannibal cum *Pœnorum* exercitu transierit in Italiam, qua in opinione sunt C. Sempronius, Plinius, Ammianus, Servius aliique plures: sed Livius XXI. 38. aliter sentit, sic nimirum dictas a Deo *Pennino*, quem Veragri, hodie *Gavotenses*, in summo sacrarent vertice. Alii a *pinna*, quæ supremam alicujus rei partem notat, quasi *Pinninas* dici putant, quod cæteris Alpibus sint altiores.

D

2. Alpes hasce alii appellant *montes Jovis*, qui sunt Alpium omnium altissimi montes, vulgo sub cognomine *S. Bernardi* noti. *Bernardus* hic non fuit Abbas ille Clarevallensis, qui ante hæc sex fere sæcula in Gallis vixit, vitæ sanctitate & pia eruditione illustris, sed Presbyter quidam hujus nominis ex *Aosta* valle, qui *Pennini* idolum in summa *Alpe Pennina* dejecit, & malignum Spiritum, qui Viatores ibi locorum plerumque vexabat, precibus suis abegit. Idem dicitur ibidem pro Viatorum commodo condidisse monasterium, quod ab ipsius nomine, ut & mons ipse, temporum lapsu accepit cognomen *S. Bernardi*. Per has *Alpes Penninas* ducit Viarum duarum, *quæ Lugduni deinde concurrunt*, altera, quæ versus ortum est & angustior, cujus Strabo meminit bis *lib.* IV. *p.* 372. *&* 378.

E

3. Describitur autem, *pag.* 79.

In Itinerario,
Iter a Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum M. P. CCCCXIX. *sic*:

F

Novariam	M. P. XXXIII.
Vercellas	M. P. XVI.
Eporædiam	M. P. XXXIII.
Vitricium	M. P. XXI.
Augustam Prætoriam	M. P. XXV.
Summum Penninum	M. P. XXV.
Octodurum	M. P. XXV.
Tarnadas	M. P. XII.
Pennelocos	M. P. XIII.
Ubiscum	M. P. VIIII.

Bromagum	M. P. VIIII.
Minnidunum	M. P. VI.
Aventicum Helvetiorum	M. P. XIII.
* *	*
Penesticam	M. P. XIII.
Salodurum	M. P. X.
Augustam Rauracum	M. P. XXII.
Cambetem	M. P. XII.
Stabula	M. P. VI.
Argentonariam	M. P. XVIII.
Elcebum	M. P. VI
Argentoratum	M. P. XII.
Saletionem	M. P. VII.
* *	*
Tabernas	M. P. XIII.
Noviomagum	M. P. XI.
Borbitomagum	M. P. XIIII.
Bauconicam	M. P. XIII.
Maguntiacum	M. P. XI.

at *segm.* II. eadem sic depingitur Via

In Tabula Peutingeri:

(A *Mediolano*) saltus fit

Ticeno	*
Laumellum	XXI.
Cutias	XII.
Vergellis	XIII.
Eporædia	XXXIII.
Utricio	XXI.
Augusta Prætoria	XXVIII.
Eudracinum	XXV.
In summo Pennino	XIII.
Octoduro	XXV.
Tarnajas	XII.
Pennolucos	XIIII.
Vivisco	VIIII.
Viromagus	VIIII.
Minodum	VI.
Aventicum Helvetiorum	XVIIII.
Hucusque Via ab Ortu in Occasum pergit, hinc vero redit in Ortum.	
Petenisca	XIIII.
Soladurum	X.
Augusta Rauracum	XXII.
hinc denuo Via in Occasum pergit.	
Arialbinum	VI.
Cambete	VII.
Argentovaria	XII.
Helellum	XII.
Argentorate	XII.
Brocomacus	VII.
Saletione	XVIII.
Tabernis	XI.
Noviomago	XII.
Borgetomagi	XIII.
Bonconica	XI.
Mogontiaco	IX.

4. Quod ad *Alpes*, quas Cæsar, *de B. G.* III. I. *Summas* vocat, cum ait, *Nantuates, Veragros, Sedunosque a finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad Summas Alpes pertinere*; eas hoc loco propius perlustrare non libet, nec perquirere, num illa pars Alpium hoc cognomen velut proprium habuerit, ut putarunt Glareanus, *ad h. l.* Alciatus, *ad Tac. Annal.* XV. 32. *tom.* IV. *Oper. p.* 883. & alii, qui crediderunt hanc Alpium partem esse, quæ hodie *mons S. Gothardi* dicitur; an vero hoc ceu nomine adjectivo, ut cum Grammaticis loquar, per *Alpes summas* Julius Cæsar intellexerit generatim summa Alpium cacumina, ut vero videtur similius. Illud ajo, si pars certa Alpium

A sit definienda aut definita nomine proprio *Alpium Summarum*, tum certe illa pars pertinebit ad tres illos populos, *Nantuates*, quorum regio vulgo hodie *pais de Vau* nobis dicitur; *Veragros*, qui *Vallesiam inferiorem* hodie, quæ & alias vulgo *pais de Gavot*, habent; & *Sedunos*, qui *Vallesiam superiorem* hodie incolunt, quorum caput est *Sedunum*, quæ urbs Sabaudis, *Syon*, Germanis *Sitten* appellatur. Sed cum in *Itinerario* nullam Viam, quæ per *Alpes* has *Summas* transeat, reperiam, nolo in illis diutius morari, sed accedam ad *Alpes Lepontias*, quæ *Penninis* sunt proximæ.

B 5. Cæsar *de B. G.* IV. 10. ait, *Rhenum oriri ex Lepontiis, qui Alpes incolunt*; & Plinius *H. N.* III. 20. affirmat, eos *Lepontiorum, qui Viberi vocantur, fontem Rhodani accolere*: unde licet colligere, omnes *Alpes*, quæ sunt inter Rheni Rhodanique fontes, esse *Lepontias*, quarum tractum Itali hodie vocant *Levontina Valle*. Est is Alpium altissimarum tractus, hodie notus sub nomine *Montis S. Gothardi*. *Lepontii* autem feruntur *Majores* & *Minores*. *Majores* sunt, per quorum loca iter est ad *Rhætos*, hodie *Grisones*, per *lacum Larium* sive *Comensem*. *Minores* sunt qui ab urbe *Belinsson* in Italia porriguntur ad *Vallem Ticinam* & in-
C de ad primam Helvetiorum Urbem *Torfanum*. Via hæc omnium per Alpes foret planissima & facillima, nisi vertex *montis S. Gothardi* asperrimus & ascensu esset difficillimus; ac *Vallis* quædam, vulgo *Inferni* dicta, ob summam profunditatem Viatoribus horrorem ipso conspectu incuteret.

6. In *Valle Lepontina* duo sunt tramites periculosissimi; alter qua spectat Italiam, supra vicum, qui Italis *Airolo* dicitur, ubi, cum ad medium fere adscenderis, *Pontem* super *Ticinum* offendis, qui *Tremulus* cognominatur, de quo hæc Simlerus, *de Alpib. Videtur itaque hic Ticini pons, Tremulus dictus, non qua ipse tremat; sed quod montem ad-*
D *scendentes, ubi huc pervenerint, tremere, & sibi metuere incipiant. Itaque viso præsenti periculo, & ipso quoque montis præcipitis & horridi aspectu perculsi, taciti & trementes, quam citissime fieri potest, locum hunc prætereunt.* Alter trames periculosus hujus Vallis est prope vicum *Ursarium*, sic dictum, quod ad *Ursam* fluvium situs sit, ubi itidem *Pons* occurrit, *Diaboli* aut *Inferni* cognomine. Ascenditur ad ripam dextram istius fluvii per callem adeo angustum, ut pluribus locis ipsa rupes excidi debuerit, ut semita paullo largior fieret. *Ursa* vero fluvius præcipiti impetu delapsus per medias
E rupes, vicibus in subjectas cautes terrifico cum fragore illiditur; deinde a præcipitio prætalto & prærupto ad pontis, quem dixi, partem dejectus, instar continuæ pluviæ guttarum spumantium subsultu & aspergine transeuntes madefacit. Longe vero magis periculosum est, a summo isto ponte descendere, præcipue per hiemem, cum glacie omnia rigent, cujus lubricitas firmum gradum non admittit; sic ut Viatores cogantur pallio, aut alii vesti insidere, atque sic manuum quasi remigio lubricum delapsum adgubernare, uti solent per lusum quandoque pueri ex declivi altiore loco deorsum ferri.

7. In *Antonini Itinerario* nullam invenio Viam
F Militarem, quæ per *Alpes Lepontias* transeat. Quare ab iis ad sequentes proxime *Alpes Rhæticas* proficiscamur. Per has Strabo *lib.* IV. *p. m.* 380. *sub fin.* ex Polybio *quartam transitionem* sive Viam fuisse commemoravit. Alpes hæ a parte Italica supra Comum & Veronam porriguntur. Sic enim Strabo *l. l. p.* 374. *Rhæti ad Italiam usque pertinent, quæ supra Veronam & Comum est.*

8. Complures sunt montes singulares, qui generatim ad *Alpes Rhæticas* pertinent; plures quoque sunt Viæ, quæ ex Italia ducunt ad Helvetios &

Rhætos a parte Germanica, quarum non niſi tres celebriores perſequemur. Prima juxta *lacum Larium* ſive *Comenſem* recta ducit per *Clavennam* urbem munitiſſimam, ad *Curiam Rhetorum*, quæ Gallis hodie *Coire*, Germanis *Chur* dicitur. Via hæc prima in duos ramos dividitur, quorum alter per *Septam montem*, alter per *Spelugam* ducit, uterque in *Antonini Itinerario* deſcriptus: prior per *Septam montem* exſtat *p.* 63. hoc modo:

A Brigantia per Lacum Mediolanum uſque M. P. CXXXVIII.
ſic:

Curiam	M. P. L.
Tinnetionem	M. P. XX.
Murum	M. P. XV.
Summum lacum	M. P. XX.
Comum	M. P. XV.
Mediolanum	M. P. XVIII.

Hæc Via denuo in duos ramos dividitur, eo loco, quem incolæ vocant *Bevio*, quaſi *bivium* diceres. alter per *montem Septam* pergit *Clavennam* & ad *Lacum Comenſem*: alter ad *Engadinos* per *Julii montem*, ſic dictum a columna in honorem Julii Cæſaris erecta, quæ in eo adhuc viſitur. Via autem poſterior, quæ per *montem Spelugam* ducit, ibidem in *Itinerario* ſic deſcribitur:

Alio itinere a Brigantia Comum M. P. CXCV.
ſic:

Curiam	M. P. L.
Taveſede	M. P. LX.
Clavennam	M. P. XV.
Ad lacum Comacenum	M. P. X.
Per lacum Comum uſque	M. P. LX.

9. Ad hanc Viam pagus eſt celebris *Speluga*, qui & monti nomen dedit: diſtat *Curia* XXXVI. & *Clavenna* XXVII. milliaribus. *Mons Speluga*, eſt idem, quem Rhæti appellant *Colmen del Orſo*, ſitus prope *montem Adulam*, *Abduam* aut *Abuam*, quem iidem nominant *Colmen del Olcello*, Itali *Montbrajo*, aut *Montgrajo*, per quem *Spelugam* a Rhætis itur *Bellinſonium*. Ex hoc monte oritur unus trium Rheni fontium. Hic enim fluvius tres diverſos habet fontes, quorum alter exoritur a ſummis Alpibus Lepontiis, ubi *mons Cadelinus* dicitur, unde exortus defluit ſub nomine *Frodæ*, donec attingat vallem occidentalem *montis Lucumonis*, ubi accipit nomen *Rheni medii*, quod inter tres originis primæ canales ſit medius: tertius fons exoritur a *monte Chriſpalto*, qui *montem S. Gothardi* ab altera parte, & ab oppoſita *Lepontios*, *Urſæ* fluvii vicinos contingit. Sic ut, cum in Cæſare *de B. G.* IV. 1. & Ammiano XV. 3. legimus Rhenum apud *Lepontios* oriri; in Tacito, *de Germ. c.* 1. *in Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice*; apud Ptolemæum *in Geogr in Adula monte*; putandum non ſit, hos Auctores ſibi eſſe contrarios. *Alpes* enim *Lepontiæ* partem creduntur facere *Rhæticarum*, & *Adulæ montis* juga continent Alpes & Lepontias & Rhæticas.

10. Altera Viarum celebriorum per Alpes Rhæticas ducit a *Lario lacu* recta in Germaniam, per *Volturenam Vallem*, ſupra Rheni fontem illum, qui ex monte *Abdua* oritur: de ea ſic Alciatus *in Notis ad Tac. Annal.* XV. 32. *Oper. Tom.* IV. *p.* 883. *Sunt*, inquit, *Rhæticæ Alpes, quibus in Rhætos vadimus, quos vulgo Chriſons vocant: incipiunt ab Adya monte* (*Straboni corrupte legitur nunc Adula, nunc Aduella*) *id eſt, inacceſſo: vernacula ſimplicitas montem Bralium nuncupat in Volturrena, ſeu, ut imperiti in Valle Telina, & in Venetiam protenduntur, donec Ocræ ſubeant.* Similiter Jovius *H. ſt. l.* XV. *p. m.* 669. *His aliæ Rhæticæ ſuccedunt, quæ ab Lario lacu per Volturrenam Vallem ſupra Abduæ fontes & Burmias aquas, celſiſſimum Aduæ montis culmen habent, quod hodie Mongrajum vocant.*

11. Per has *Alpes Rhæticas* creditur Stilico exercitum ex Italia in Germaniam, bellum ibi geſturus, traduxiſſe: ſic enim Claudianus *de Bell. Got. vſ.* 319. canit:

Protinus umbroſa veſtit qua littus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum prætervolat ocius: inde
Scandit inacceſſos brumali frigore montes,
Nil hiemis cœlive memor.

Paulo deinde poſt pro more Poetarum, graphice depingit tranſitus difficultatem *vſ.* 340. *& ſeqq.*

Sed latus, Heſperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra jugis: panditque tremendam
Vix æſtate viam: multi, ceu Gorgone viſa,
Obriguere gelu; multos hauſere profundæ
Vaſta mole nives; cumque ipſis ſæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.
Interdum ſubitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina ſubruit Auſtris
Pendenti malefida ſolo: per talia tendit
Frigoribus mediis Stilico loca.

12. Tertia per *Alpes Rhæticas* Via ducit *Tridentum*. Eam ita Jovius *l. l.* deſcribit: *Secundum eas ſunt Rhæticæ, quibus a Tridento per montis Cremeris clementia juga in Vindeliciam, & ad loca ad Oenum amnem, Hiſpurcho oppido proxima, penetratur.* Sunt, qui *Alpes Rhæticas* ac *Tridentinas* diſtinguunt, verum ego Jovio accederem, qui eaſdem putat, cum Plinius *H. N.* III. 19. & Strabo *l.* IV. *p.* 371. videantur *Tridentinos* accenſere *Rhætis*. Via hæc, cum in Teriolorum comitatum pervenit, prope *Oenipontem*, Germanis *Inſpruch*, quod *pontem Oeni* ſignificat, dividitur ibi in duos ramos, quibus in Germaniam pergit: alter eſt a dextra eorum, qui ſecundum ejus fluvii curſum deſcendunt, recta ducens in *Noricum*, quod hodie *Bavariæ ducatum* putant; verum ad ſiniſtram alter recta ad *Vindelicos* ducit, qui ſecundum Aventinum *in Chorogr. Vindelic.* hodie ſunt *Bavari*, ſecundum Tſcudum *in deſcript. Rhæt. vet.* tractus *Lindgovv.* Ad hanc poſteriorem viam ſub Alpium exitum loco altiſſimo ſita eſt Urbs *Frebergum*, ut & *Fieſſa*, quæ nomen ab oſtio & prima Alpium fiſſura in ea parte accepit. Via hæc in *Antonini Itinerario p.* 62. hoc modo deſcribitur:

Iter ab Auguſta Vindelicorum Veronam M. P. CCLXXII.
ſic:

Abuzacum	M. P. XXXVI.
Parthanum	M. P. XXX.
* *	*
Veldidenam	M. P. XXX.
Vipitenum	M. P. XXXVI.
Sublavionem	M. P. XXXII.
Endidas	M. P. XXIIII.
Tridentum	M. P. XXIIII.
Ad Palatiam	M. P. XXIIII.
Veronam	M. P. XXXVI.

Quod ad duos illos prope *Oenipontem* ramos hujus Viæ, illi ſic *p.* 57. *Itinerarii* deſcribuntur:

Iter a Ponte Oeni ad Caſtra M. P. CL.
ſic:

Turum	M. P. XLIIII.
Joviſuram	M. P. LXIIII.
Ad Caſtra	M. P. XLII.

Item a Ponte Oeni Veldidenam M. P. XC. A
sic:

Albiancum	M. P. XXXVIII.
Mastiacum	M. P. XXVI.
Veldidenam	M. P. XXVI.

13. In Via illa, quam mox ab Augusta Vindelicorum Veronam deducebam ad Alpium fines, secundum tractum Veronensem, angustiæ nonnullæ sunt superatu difficillimæ, quas elegantissime supra sui sæculi tenebras depinxit, *Ligurini lib.* IV. vs. 433. *& seqq.* Gunterus:

B
Ventum erat ad fauces, angustaque claustra viarum,
Qua se nubiferis horrendæ rupibus Alpes
Exiguo tantum penetrandas limite præbent:
Uniusque capax scopuloso semita calle,
Arcta laboranti pandit vestigia turbæ.
Hinc fractis prærupta jugis tenebrosa vorago
Pandit inane chaos, barathrique simillimus horror
Exanimes fecisse potest, Athesimque, fragosis
Sub pedibus rauco certantem murmure saxis,
Accipit attonita, quam non videt, aure viator.
Hinc se nubifero super æthera vertice nubes
C
Tollit, & ingenti late loca protegit umbra,
Eque supercilio scopulosi verticis unus,
Conatu facili, lapsuraque saxa movendo,
Mille potest arcere Viros, aditusque viarum
Claudere, vel missis incautos perdere saxis.

SECTIO XXXIII.

De Alpibus Juliis, Carnicis, Noricis; & Viis Militaribus per eas factis.

1. *Tres Alpes Juliæ.* 2. *Mons S. Crucis, & in eo Inscriptio Julii Cæsaris.* 3. *Alpes Carnicæ, Noricæ, Juliæ.* 4. *Via ex Itinerario per Alpes Carnicas.* 5. *Unde nonnullæ Viæ Publicæ Alpinæ & nomen & situm mutarint.* D

1. POst *Alpes Rhæticas* sequuntur, quæ a Julio Cæsare cognominantur *Juliæ*, quod per eas Via fuerit facta tempore, &, ut credibile est, jussu Cæsaris atque Augusti. Saltem Sextus Ruffus Festus *in Breviario, sub finem initii inter Auct. Epitomæ Hist. Rom. edit. minim. p. m.* 282. testatur, *sub Julio & Octaviano Cæsare Augusto per Alpes Julias iter factum esse.* Notandum vero est inter Alpes tribus intervallis occurrere co- E gnomine *Julias*. De primis loquitur Livius v. 34. si lectio ibi proba est, cum ait, Gallos *Taurino saltu Julias Alpes transcendisse*: id si verum sit, necesse est, in Pedemontano quoque tractu *Alpes* fuisse *Julias*: id vero est, quod plures ibi frustra *Alpes Julias* quæsiverint, unde nonnulli crediderunt legendum ibi *invias Alpes*, non *Julias*. Aliæ sunt inter *Alpes Rhæticas* prope *montem Septimum* satis celebrem. Alpes illæ sunt longe altissimæ & per hiemem plane insuperabiles. Hac Alpium parte *Ænus* sive *Oenus* fluvius exoritur. Tandem denique tertiæ *Alpes Juliæ*, quæ proprie hoc nomine gaudent, & quæ ad Venetos descendunt: de his F loquitur Tacitus *Hist.* III. 8. *Interjectus exercitus Rhætiam Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.* Narraverat ante a Vespasianis ducibus Veronam & Vicentiam possessas. Sed Ammianus meminit *Hist.* XXXI. 17. *sub fin. p. m.* 566. *Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat Antiquitas.*

2. Sitæ sunt inter *Alpes Tridentinas* & *Carnicas*, & porriguntur a Via *Tarvisina* prope fluvium *Anaxum* per urbes *Bellunum* & *Feltriam* in *Bavariam* usque & *Austriam*: & puto hanc esse partem Viæ per *Alpes Julias*, quam *Itinerarium Antonini pag.* 64. describit hoc modo:

Ab Opitergio Tridentum M. P. CX.
sic:

Ad Cepasias	M. P. XXVIII.
Feltriam	M. P. XXVIII.
Ausugum	M. P. XXX.
Tridentum	M. P. XXIIII.

7. Tradit Sabellicus *de Vetustate Aquilejæ*, *l.* I. *iter Auctt. Ital. Illustrat. p.* 57. prope locum, qui *Julium Carnicum* dicitur, esse montem arduum & accessu difficillimum, qui hodie vocetur *Mons S. Crucis*: quod medio hujus ascensu occurrat rupes prærupta, & in ea callis valde angustus, olim Julii Cæsaris jussu a Militibus Romanis excisus; hoc colligi ex reliquiis epigrammatis insculpti in præcipiti saxo, cujus literæ vetustate sint abolitæ, reliquis solum primis, quæ legi possint, hisce:

C. IVLIVS. CAESAR

Alii vero hanc ipsam Inscriptionem pleniorem exhibent, quam dicunt esse, *in Forojuliensi regione, medio ferme montis Crucis ascensu, præcipiti saxo incisam, apud Gruterum* CXLIX. I. hoc modo:

C. IVLIVS. CAESAR. VIAM. INVIAM
SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB
REDD

Idem Sabellicus *l. l. p.* 66. putat, per has Alpes a Julio Cæsare ductas esse quinque legiones in Galliam ulteriorem, quod hæ Alpes sint vicinæ *Aquilejæ*, circum quam tres ex illis legiones hiemaverant. Attamen, si spectemus hanc Viam ducentem in Bavaros, longe a Gallis; & quod ipse Cæsar *de B G.* I. 10. scribat, se, *qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum* illis *quinque legionibus contendisse*; facile poterimus inde judicare, non per *Alpes Julias*, sed tunc per aliam Viam in Galliam profectum fuisse Cæsarem.

4. Ultimæ sunt *Alpes Carnicæ*, lingua incolarum *die Krainer Alpes*. Hæ & *Juliæ* sæpius communiter dicuntur *Alpes Noricæ*, quod ad Aquilonem descendant in *Bavariam*, quæ veteris *Norici* apud Romanos pars fuit. *Alpes Carnicæ* & *Juliæ* Illyrici & Sclavoniæ provincias ab Italia dividunt; id quod conjicere licet *ex Epitaphio Nepotiani ap. D. Hieronymum tom.* I. *Oper. ex edit. Froben. Erasmi p.*26. ubi hic sui temporis miserias deplorans, & illuviem Gentium Borealium effusam in Romani Imperii provincias, quæ sunt ad Sclavoniam & Græciam, ait: *Horret animus temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt.*

5. Per *Alpes Carnicas* transit Via *in Itinerario p.* 63. descripta:

Iter ab Aquileja per compendium Veldidenam M. P. CCXV.
sic:

Ad Tricensimum	M. P. XXX.
* *	*
Juliam Carnico	M. P. XXX.
Loncium	M. P. XXII.

Aguntum	M. P. XVIII.
Littamum	M. P. XXIII.
Sebatum	M. P. XXIII.
Vipitenum	M. P. XXXIII.
Veldidenam	M. P. XXXVI.

6. Non dubito, quin adhuc plures Viæ Publicæ per Alpes sint, quarum hic mentio non fit, cum satis mihi fuerit, recensuisse notiores & in Historiis celebriores, præcipue a Romanis factas. Quod ad cæteras, quæ vel in Historiarum monumentis, vel in *Itinerario* supersunt, illas studio præterii, quod certus earum situs mihi esset ignotus aut dubius: sed & generatim Alpinæ Viæ sæpe nomina mutarunt, imo & situm per Terræ motus. Observavit hoc Cuspinianus *in descript. Austriæ*, cujus verba addo: *Ego Alpium nomina & itinera tam ex Terræ motibus, quam ex arbitrio Principum & accolarum crediderim sæpissime variata; & opinionibus scribentium nomenclaturam crebro, pro uniuscujusque constanti æstimatione inversam, ut integre de singulis nihil asserere possimus. Nam & Urbium nomina plerumque nobiscum intereunt & renascuntur; nedum montium & collium, quibus crebro pastores rustica simplicitate nomina imponunt.*

SECTIO XXXIV.

De multitudine Viarum Militarium, quæ ex Præcipuarum Imperii Provinciarum Urbibus præcipuis exoriebantur.

1. *A Pluribus Imperii Urbibus, æque atque ab Roma, complures Vias Publicas exortas & deductas fuisse.* 2. *Similitudo ad intelligendam Viarum longitudinem, & mutuam earum inter se connexionem.* 3. *Via, quæ Roma Mediolanum ducit, postea Mediolani in plures alias dividitur.* 4. *Exemplum Mediolani accommodatur ad alias Provinciarum Urbes præcipuas.* 5. *Viarum duæ species, Directarum & Transversarum.* 6. *Harum & illarum exempla.*

1. DEduximus Vias Publicas per Alpes ex Gallia Cisalpina in Transalpinam, aut si malis, ex Italia in Gallias, ut inde porro communicentur cum Hispaniis, Britanniis & Germania: ante vero, quam Vias diducamus & continuemus usque ad extrema Imperii ad Ortum & Occasum in Europa, notandum, non ex sola tantum Urbe Roma Vias plurimas circum circa quaquaversum a Romanis fuisse deductas, ut ante docuimus; sed etiam eodem modo a pluribus Imperii præcipuis Urbibus, quæ per præcipuas erant Provincias, Vias Publicas circum circa quaquaversum fuisse deductas.

2. Quemadmodum igitur in chartis Hydrographicis figura rhombi ventorum non uno, sed pluribus locis pingitur, sic ut a singulis rhombis recta linea versus Polum Arcticum ducat, uti sive Oceanum, sive Mare Mediterraneum navigantes ad cursum navigationis dirigendum illis uti possint, secundum locorum, quæ navigant, elevationumque, ut cum Geographis loquar, diversitatem; & sicut porro, præter hanc lineam polarem, ex centro cujusque rhombi ventorum plures lineæ versus omnes Orbis plagas ducuntur, quarum linearum quædam rectæ ab hoc per illum rhombum transeunt; Prout tandem per aliquam harum linearum navarchi, qui ad clavum & pyxidem nauticam sedent, cursum instituunt, ut recta ad eas, quas petunt, terras adnavigent: ita etiam se res habet in Viis Imperii Publicis. Romani enim ex majoribus & celebrioribus Italiæ & Provinciarum urbibus circum circa quaquaversum complures Vias Publicas deduxerunt, quarum una semper Romam velut pro cynosura habet, cæteræ cum aliis urbibus invicem connectuntur & communicantur, ut rhombi ventorum alter cum altero in Chartis Hydrographicis, quæ tandem cunctæ Romæ concurrunt, tanquam ad primam originem & initium omnium Viarum Imperii Publicarum.

3. Sic ex tot Viis Militaribus, quæ Roma exeunt, una est, quæ recta ducit Mediolanum, cujus meminit *Itinerarium p. 27. Ab Urbe Mediolanum* M. P. IↃXXVIII. Mediolani hæc Via dividitur in plures urbes propinquas & longinquas tam intra, quam extra Italiam. Ita etiam comparatum est cum pluribus urbibus Provinciarum majorum, quæ unam ab Urbe Roma Viam sive per se, sive per intermediam aliam Mediolano aut ab alia celebri urbe, deductam, postea in plures ramos circum circa quaquaversum dividunt, & cum urbibus locisque celebrioribus cujusque Provinciæ communicant. Quantum ad Mediolanum, ab ea urbe sequentes Viæ, ut lineæ a rhombo ventorum, diducuntur, quarum meminit *Itinerarium* hoc modo:

p. 27. Inde (a Mediolano) *Aquilejam* M. P. CCLX.
p. 22. Iter, quod a Mediolano per Picenum & Campaniam ad Columnam, id est, Trajectum Siciliæ ducit M. P. IↃCCCCLVI.
p. 77. A Mediolano Arelate per Alpes Cottias M. P. CCCCXI.
p. 78. Iter a Mediolano per Alpes Grajas Viennam M. P. CCCVIII.
p. 80. Iter a Mediolano per Alpes Cottias Viennam M. P. CCCCVIIII.
p. 79. Iter a Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum M. P. IↃLXXVI.
p. ead. Iter a Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum M. P. CCCCXVIIII.
p. 88. Iter de Italia in Hispanias a Mediolano Vapincum trans Alpes Cottias, mansionibus supra scriptis M. P. CCLV.

4. Quamadmodum igitur Mediolanum Viam Roma deductam in plures deinde ramos dividit, sic in Hispaniis, in Galliis, & alibi locorum, urbes celebriores Viam Mediolano aut alia urbe ad se deductam postea in plures quoque ramos dividunt. Hinc majores minoresque urbes Provinciarum Europæ mirifica connexione per Vias transversas cohærent, quæ Viæ connectunt Hispaniis Gallias, Galliis Germaniam, Germaniæ Pannonias, Pannoniis Mœsias, Mœsias Scythiæ, Scythiam Thraciæ, Thraciam minori Asiæ, minorem Asiam Armeniis & Syriæ, Syriam Palæstinæ, Palæstinam Ægypto, Ægyptum Carthagini & cæteris Africanis Provinciis, usque ad Herculis columnas, ubi finis quasi denuo conjungitur cum initiis Occidentalibus Viarum Hispaniæ Publicarum: & sane re ipsa connecterentur Viæ, nisi fretum intercederet Herculeum. Hæc postea singillatim clariori in luce perlustrabimus. Hac autem ratione celebriores Provinciarum urbes non solum Romæ, ut membra cum suo capite, cohærent, per Vias continuas, easque sive per se, sive per medias alias: sed etiam porro per Vias transversas altera alteri connectitur urbi, uti tendines nervosi singula inter se corporis membra connectunt, quæ deinde in universum capiti mutua conspiratione cohærent.

5. Hinc in *Antonini Itinerario & Peutingeri Tabula* duæ, hac ratione habita, Viarum species occurrunt: aliæ Roma ad extrema Imperii, ut radii

circuli a centro ad circumferentiam, ducunt *Directæ*: aliæ ſunt *Tranſverſæ*, velut in circulo lineæ, quæ non ducuntur a centro aut ad centrum, ſed parti circuli ſubtenduntur, ut chorda ſive nervus ſuo arcui.

6. Prioris ſpeciei Via eſt, quæ *Roma Gades*, ubi Orbis veteris, Europæ & Imperii Romani limes & terminus ad Occaſum erat, ducit, quæ, ſi non ſemper recta linea, ſaltem a medio ad finem, ſecundum naturam & ſitum locorum, obliquata nonnihil porrigitur. Via hæc in *Antonini Itinerario* per intervalla & partes exhibetur hoc modo:

p. 66.	*VIA AURELIA.*	
	A Roma per Tuſciam & Alpes Maritimas Arelatum uſque	M. P. IↃCCXCVI.
p. 89.	*Iter ab Arelate Narbonem*	M. P. CI.
	Inde Tarraconem	M. P. CCXXXIIII.
p. 90.	*Inde Chartaginem Spartariam*	M. P. CCCLX.
	Inde Caſtulonem	M. P. CCCIII.
p. 91.	*Iter a Caſtulone Malacam*	M. P. CCXCI.
p. 92.	*Iter a Malaga Gades*	M. P. CXLV.

Vides hic Viam Roma Gades habere Milliaria ∞. ∞. CCXXX. ſive Leucas Francicas CIↃ. CXV. Hæc eſt illa ipſa Via, quam Auguſtus Imperator ſuperiorum Coſſ. tempore inchoatam, & multis locis intermiſſam, pro dignitate Imperii latiorem longioremque Gades uſque perduxit, ut diximus *ſupra* I. 15. §. 4. Pro exemplo Viarum alterius ſpeciei, quas *Tranſverſas* diximus, ſunto hæ ex *Itinerario*:

p 52. *Iter de Pannoniis in Gallias, per mediterranea loca: ideſt, a Sirmio per Soppanas Treveros uſque.*
p. 53. *Iter per ripam Pannoniæ a Tauruno in Gallias ad Leg.* XXX. *uſque.*
p. 103. *De Hiſpania in Aquitaniam.*
p. 104. *De Aquitania in Gallias.*

& plures ſimiles, quæ nec recta pergunt Romam, nec Roma veniunt; ſed Tranſverſæ ſunt, quæ Provincias inter ſe connectunt, & ducendis exercitibus facile iter præbent.

SECTIO XXXV.

De Viis Hiſpaniæ Publicis, earumque cum Gallicis & Italicis Viis mutua connexione.

1. *Cur in diſputatione, de Viis Publicis per Europam, initium fiat ab Hiſpania.* 2. *Duobus modis de hujus Viis diſputari poteſt, & ope Itinerarii, & ope Hiſtoriarum.* 3. *Via a Mediolano continua uſque in Gallæciam.* 4. *Cur Viæ Hiſpaniæ generatim recenſeantur, non ſingillatim. Computatio quot Millia habeant.* 5. *Inſcriptiones docent has Vias Itinerario commemoratas humana manu factas.* 6. *Reſendius adhuc octo Vias Militares per Luſitaniam ſupereſſe teſtatur.* 7. *Duæ columnæ Milliares ab eodem allatæ.* 8. *Breviter recenſetur, quomodo urbes Hiſpanicæ ſecum invicem Vias communicent.*

1. UT ordine & breviter perſequamur Vias Publicas, quas Gallia per Alpes, ad ſe traductas admittit, ut eas iterum ſive per proprias, ſive per vicinas regiones dimittat quaquaverſum, initium faciamus ab Hiſpaniis, ut quæ maxime ſunt ad Occaſum remotæ, unde iter noſtrum deinde proficiſcemur per Galliam & Germaniam, & finiemus illud tandem ad limites maxime Orientales, quos Romani Imperatores per Europam habuerunt.

2. Verum de Viis Publicis per Hiſpanias aliaſque Imperii Provincias diſputaturi duobus modis adjuvabimur, qui, ut puto, harum rerum curioſis ſatis poterunt facere: Primum ab *Itinerario*, quod Viarum iſtarum continuationem quaſi oculis ſubjicit, ſimul & mutuam connexionem, qua cum Urbe Roma cohærent: Deinde & ab Hiſtoriarum monumentis, quæ quidem ſimpliciter harum Viarum meminerunt, ſed non docent, quomodo cum Urbe Roma cohærent.

3. *Itinerarium*, præter Viam *Roma Gades*, quæ deſcripta eſt a nobis, *ſect. præced.* §. 6. deſcribit & aliam *p.* 88. & 89. quæ a *Mediolano* per *Galliam Narbonenſem* in *Gallæciam* uſque, in remotiſſimo Hiſpaniæ ab Italia extremo ſitam, porrigitur continuo tractu. Ea, quæ Gades ducebat, Via ſecundum oram Hiſpaniæ, quæ alluitur mari Mediterraneo, pergit; at hæc, quam modo terimus, per mediam Hiſpaniam tranſit ab altero ejus extremo ad alterum e regione oppoſitum.

Via eſt hæc:

IN HISPANIAS.

Iter de Italia in Hiſpanias a Mediolano Vapincum trans Alpes Cottias manſionibus ſupra ſcriptis M. P. CCLV.
Inde ad Gallæciam ad Legionem VII. *Geminam* M. P. IↃCCCCLXXV.
ſic:

Alamontem	M. P. XVII.
Reguſturonem	M. P. XVI.
Alaunium	M. P. XXIIII.
Aptajuliam	M. P. XXVIII.
Cabellionem	M. P. XXII.
Arelate	M. P. XXX.
Nemauſum	M. P. XVIIII.
Ambruſſum	M. P. XV.
Sextationem	M. P. XV.
Forum Domitii	M. P. XV.
Arauram ſive Ceſeronem	M. P. XVIII.
Beterras	M. P. XII.
Narbonem	M. P. XVI.
Salſulas	M. P. XXX.
Ad Stabulum	M. P. XLVIII.
Ad Pyrenæum	M. P. XVI.
Juncariam	M. P. XVI.
Gerundam	M. P. XXVII.
Barcinonem	M. P. L*XVI.
Stabulum novum	M. P. L.·.I.
Tarraconem	M. P. XXIIII.
Ilerdam	M. P. LXII.
Toloum	M. P. XXXII.
Pertuſam	M. P. XVIII.
Oſcam	M. P. XXVIIII.
Cæſarauguſtam	M. P. XLVI.
Caſcantum	M. P. L.
Calagurrim	M. P. XXVIIII.
Variam	M. P. XVIII.
Tritium	M. P. XVIII.
Olbiam	M. P. XVIII.
Segeſamunclum	M. P. VII.
Veroveſcam	M. P. XI.
Segeſamonem	M. P. XLVII.
Lacobrigam	M. P. XXX.
Camalam	M. P. XXIIII.
Lanciam	M. P. XXVIIII.
Ad Leg. VII. *Geminam*	M. P. VIIII.

Quare, ſi ſummæ generales *conſtant*, a *Mediolano* ad *Legionem* VII. *Geminam* erant M. P. CIↃ. CCXXX.

ſive

sive Leucæ Francicæ IↃCXV. Cæterum hæc Via videtur illa ipsa esse, quam per *Rhodani transitum* in Hispanias usque Polybius III. 8. *p. m.* 204. a Romanis munitam, & singulis octo stadiis per columnas milliares dimensam narrat; de qua egimus *hujus libri sect.* XI. §. 9. item, quam Andreas Resendius *Antiq. Lusit.* II. *cap. de Viis Militarib.* ait, sibi in Narbonensi Gallia visam, quadratis saxis pæne insana profusione stratam, ut supra II. 22. §. 13. diximus.

4. Sunt præterea plures Viæ Publicæ per Hispanias, quarum fit mentio in *Itinerario*; non autem in *Peutingeri Tabula*, quæ nullam Hispaniæ partem habet. Verum cum prolixus nimis & tædio forem, si *Tabulæ* & *Itinerarii* singulas Vias enarrare & describere vellem, atque sic sine ulla necessitate molem hujus operis mei augerem, in posterum tantummodo titulos Viarum generales ex *Itinerario* excerpam, addito paginarum indicio, ubi singillatim Viæ describuntur, ut curiosus harum rerum lector & numerum milliarium & longitudinem Viarum accuratius, si velit, possit ad calculos revocare. Hæ itaque porro sunt Viæ Militares Provinciarum Hispaniæ, & partis Galliæ, per quam transeunt in illas, ex *Itinerario* excerptæ generatim:

p.89. *Inde* (a Narbone) *Tarraconem* M.P. CCXXXIV.
p.90. *Inde Carthaginem Spartariam* M.P. CCCLX.
Inde Castulonem M. P. CCCIII.
p.91. *Iter a Corduba Castulonem* M. P. XCVIIII.
Alio itinere a Corduba Castulonem M. P. LXXVIII.
Iter a Castulone Malacam M.P. CCXCI.
p.92. *Iter a Malaca Gadis* M. P. CXLV.
Iter a Gadibus Cordubam M.P. CCXCV.
p.93. *Iter ab Hispali Cordubam* M. P. XCIII.
Iter ab Hispali Emeritam M.P. CLXII.
Iter a Corduba Emeritam M. P. CXLIIII.
p.94. *Iter ab Olisipone Emeritam* M.P. CLXI.
Iter a Salacia Ossonobam M.P. XVI.
Iter ab Olisipone Emeritam M. P. CXLV.
Item alio itinere ab Olisipone Emeritam M.P. CCXX.
p.95. *Iter ab Olisipone Bracaram Augustam* M.P. CCXLIIII.
Iter a Bracara Asturicam M.P. CCXLVII.
Iter per loca maritima a Bracara Asturicam M.P. CCVII.
p.96.* *Iter de Esuri Pacem Juliam* M. P. CCLXIIII.
Item alio itinere a Bracara Asturicam M.P. CCVII.
p.97. *Iter a Bracara Asturicam* M. P. CCCXCIX.
Iter ab Esuri per compendium Pacem Juliam M. P. LXXVI.
Iter ab ostio fluminis Anæ Emeritam usque M.P. CCCXIII.
p.98. *Iter ab Emerita Cæsaraugustam* M.P. IↃCXXXII.
p.99. *Alio itinere ab Emerita Cæsaraugustam* M.P. CCCXLIX.
Iter ab Asturica Cæsaraugustam M.P. CCCCXCVII.
p.100. *Item ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugustam* M.P. CCCI.
Item a Turiasone Cæsaraugustam M.P. LVI.
Per Lusitaniam ab Emerita Cæsaraugustam M.P. CCCCLVIII.
p.101. *Iter a Laminio Toletum* M. P. XCV.
Iter a Laminio alio itinere Cæsaraugustam M.P. CCXLIX.
Iter ab Asturica Tarraconem M.P. CCCCLXXXVI.
p.102. *Iter a Cæsaraugusta Beneharnum* M.P. CXII.

Quod si numeros hosce ad calculos junctim colligas, & Vias subinde repetitas semel tantum computes, saltem invenies generatim admodum *septies millena* M. P. sive *Leucas Francicas ter mille & quingentas* Viarum, quas Romani per Hispanias muniverunt, ut ne quidem veniant ad rationes nonnullæ aliæ Viæ, per quas ex Hispaniis in Gallias fit reditus.

5. Sed ne quis putet, has Vias alias esse, atque a Romanis militari aliove opere munitas, inscriptiones vetustæ fidem faciunt, illas ab Imperatoribus Romanis factas. Initium faciam ab urbe *Arelate*, quia per eam Via ex *Italia* in *Hispaniam* ducit, ubi *in ædibus Dominæ Vallensis* hæc Inscr. *apud Gruter.* CLIX. 8.

SALVIS. DD. NN.
THEODOSIO. ET
VALENTINIANO
P. F. V. AC. TRIVM
SEMPER. AVG. XV
CONS. VIR. INL.....
AVXILIARIS. PRAE
PRAETO. GALLIA....
DE. ARELATE. MA...
MILIARIA. PONI....
M. P. I.

Sic & Bassianus Caracalla Viam in Hispania munivit, ut patet ex Inscr. *ap. Grut.* CLVIII. 5. quæ allata a nobis *supra* I. 19. §. 3. Item Gallienus, cujus Inscr. *ex Grut.* CLVIII. 9. allata *supra* I. 20. §. 5. nec non Constantinus, ut docet Inscr. *ap. Grut.* CLIX. 4. laudata nobis I. 20. §. 7. & Gratianus, teste Insc. *ap. Grut.* CLIX. 7. item laudata a nobis *ibid.* sed & C. Julius Verus Maximus, ut est in Insc. *ap. Grut.* CLVIII. 7. allata a nobis I. 20. §. 4. Maximianus quoque, ut ostendit Inscr. *ap. Grut.* CLVIII. 10. ante nobis quoque allata I. 20. §. 6. Quæ omnes Inscriptiones per Hispanias in columnis milliaribus reperiuntur.

6. Neque hic repetam cæteras Inscriptiones, tam Augusti, quam sequentium Imperatorum, qui Vias Hispaniæ Publicas muniverunt, ne bis eadem repetam: videri possunt Inscriptiones per Hispanias I. 15. §. 7. Tiberii, I. 16. §. 5. Neronis, I. 17. §. 4. Vespasiani, *ibid.* §. 5. Titi & Domitiani, *ibid.* §. 9. Trajani, I. 18. §. 3. Hadriani, I. 19. §. 3. Septimii Severi & Caracallæ, (*ad quem posteriorem referenda quoque Inscr. numero tertia*, I. 18. §. 4. *quam Bergierius male ad Antoninum Pium retulit.*) *ibid.* §. 4. Elagabali, I. 20. §. 4. Maximini Patris, & Filii C. Julii Veri Maximi, *ibid.* §. 5 Gallieni & Taciti, *ibid.* §. 6. Maximiani, *ibid.* §. 8. Constantini & Gratiani. Hoc tantum addo, in Hispaniis æque atque in cæteris Imperii

Provinciis supereſſe plures Vias Publicas, non qui dem integras, ſed interruptas, &, quia non reficiuntur, corruptas. Octo talium per Luſitaniam meminit Andreas Reſendius *Antiq. Luſitan.lib.*II. *cap. de Viis Militarib. p.* 176. his verbis: *Talium Viarum ſeptem in Luſitania, eæque in Bracaris ſuperſunt adhuc: & una in Vettonia altera Luſitaniæ Provincia: verum magna ex parte aggeſtionibus ſtratiſque vetuſtate corruptis & collapſis milliariorum columnis. Prima, cujus meminit Antoninus Pius in Itinerario pag.*94. *ab Oliſipone ducebat Emeritam, cujus verba apponam aliquanto emendatius quam vulgo Codices circumferunt.* Subjicit deinde Viam iſtam ex *Itinerario* excerptam, & ſuam addit emendationem hoc modo:

Itinerarium:		Reſendius:	
Iter ab Oliſipone Emeritam	M. P. CLXI.	*Iter ab Oliſipone Emeritam*	M. P. CCIIII.
ſic:		ſic:	
Equabonam	M. P. XII.	*Equabona*	M. P. XII.
Catobrigam	M. P. XII.	*Cæciliana*	M. P. XII.
Cæciliana	M. P. VIII.	*Salacia*	M. P. XII.
Malcecam	M. P. XVI.	*Ad Anam flumen*	M. P. LX.
Salaciam	M. P. XII.	*Dippone*	M. P. XII.
Eboram	M. P. XLIIII.	*Celtebrica*	M. P. XII.
Ad Adrum flumen	M. P. IX.	*Malceca*	XVI.
Diponem	M. P. XII.	*Ebora*	M. P. XLIIII.
Euandrianam	M. P. XVII.	*Euandriana*	M. P. XVII.
Emeritam	M. P. IX.	*Emerita*	M. P. IX.

7. Idem Auctor binas adfert *l. l.* columnas milliares inſcriptas, quarum altera humi ſtrata jacet, inter Oliſiponem & Eboram, in agro Stermotienſi, non procul a pago Borbacena, cujus ex Inſcriptione hæc reſtant verba:

IMP. CAES. DIV...
RI. PII. FIL.....

Altera ibidem adhuc exſtat, Elagabalo, qui poſtremus Antonini nomen geſſit, conſecrata, quam & Gruterus CLVIII. 3. habet, & nos attulimus ſupra I. 19. §. 4.

9. Complura autem per Hiſpanias habemus exempla ejus rei, quam in præcedentibus diximus, quod nimirum ab urbibus præcipuis & metropolibus præcipuarum Imperii Provinciarum, æque atque ab Roma, longe lateque circum circa in vicinas regiones Viæ plures militares perrexerint. Sic in *Itinerarii* locis laudatis videmus ab *Emerita* ſola, quæ hodie *Medina*, novem Vias quaquaverſum pergere: a *Cæſarauguſta*, hodie *Sarragoſa*, deduci octo Vias: ab *Aſturica*, hodie *Aſtorga*, ſeptem: quinque a *Corduba*: quatuor ab *Oliſipone*, quæ hodie *Liſbona*: & totidem a *Bracara*, quæ hodie *Braga*: tres a *Caſtulone*, hodie *Caſlona la veja*: binas ab *Hiſpali*, hodie *Sevilla*. Porro in *Itinerario* clariſſime videmus, quomodo ſingulæ hæ urbes cum vicinis cohæreant, & qua ratione Hiſpaniarum Provinciæ Viis Militaribus munitis adeo fuerint ornatæ, ut per has iter commodiſſimum fuerit ab altera ad alteram, cum urbes modo dictæ fuerint ſingulæ ſuarum regionum veluti capita & metropoles, hinc inde per omnes Hiſpanias diſperſæ.

SECTIO XXXVI.

De numero & longitudine Viarum Publicarum per Gallias.

1. *Gallia quænam: ejus limites:* 2. *Vias Imperii Publicas ex tribus accipit regionibus.* 3. *Via directa a Roma Mediolanum, & inde in Gallias.* 4. *Eadem excerpitur ex Itinerario Antonini ſecundum Suritæ recenſionem: item ex Tabula.* 5. *Longitudo ejus admiranda.* 6. *Numeri & nomina hujus Viæ valde corrupta in Itinerarii recenſione per Suritam.* 7. *Corruptelæ hæ maxime numeros & Leucas tetigerunt Gallicas.* 8. *Numeri & Leucæ Gallicæ ex codicibus mss. allatæ a Surita, erroris accuſantur.*

1. DIſputaturus cum maxime de *Gallia*, eam intelligo integram, quam Romani, pro ſitu Romæ, *Tranſalpinam* vocarunt, ſed quæ nobis revera eſt *Ciſalpina*, complexam, quicquid eſt terrarum inter alpes, mare Mediterraneum, montes Pyrenæos, Oceanum & Rhenum; qualem Baptiſta Spagnolus Mantuanus Carmelita, Theologus & Poeta, nitide ſatis deſcribit his verſibus:

Gallia terreni pars eſt non infima mundi,
Sed longe lateque patens. Hiſpanica tangit
Oppida ab Occaſu; ſeſe conjungit ab Ortu
Italiæ; noſtro hinc pelago, qua reſpicit Auſtrum,
Clauditur; Oceano, geminas ubi reſpicit Urſas;
Unde venit Boreas hibernaque frigora ſurgunt,
Et vada Teutonici tangit vaſtiſſima Rheni.

Hic autem Terrarum ambitus comprehendit Regnum Franciæ, Belgicam, Lotharingiam, Germaniam ſuperiorem & inferiorem, quæ nobis cis Rhenum eſt, Rhætos & Helvetios, quos Cæſar *de B. G.* I. I. accenſet Gallis, quamvis hodie cenſeantur & origine & lingua Germani.

2. Gallia his finibus limitata Vias Imperii Publicas ex tribus diverſis regionibus accipit, quas ordine ſingulas perluſtrabimus. Primum Viæ Publicæ ad nos per Alpes ex *Italia* veniunt; deinde per montes Pyrenæos ex *Hiſpaniis*; denique ex *Pannoniis* per Iſtriam & Noricum. Priores Viæ directæ ducunt Roma in Gallias; at poſteriores duæ tantum tranſverſæ ſunt, quamvis inter ſe mutua connexione pro bono publico & Rei publicæ ac Imperii negotiis omnes cohæreant.

3. Ut ergo initium fiat a Viis, quæ Roma directæ ad nos ducunt, vidimus antea Viam Publicam *Roma* pergere *Mediolanum*: *Mediolani* plures alias, ceu diverſos ramos per *Alpes* porrigi in *Gallias*, quæ Viæ deinde in varias dividuntur Imperii regiones: verum ne eandem Viam denuo teramus, ac repetamus ſæpius alibi paſſim dicta hoc in opere, ingrediamur ſolum illam Viam, quam ſtudio huic itineri deſtinavimus accurate perluſtrandam, quæ maxime recta ducit Roma in Gallias, quas præ cæteris medias proxime ſecat, & pergit per earum urbes celebriores & Hiſtoriarum monu-

mentis clariores, atque pertinet ad extrema Orbis inter Occasum & septem Triones ab Italia. A

4. Hæc itaque Via in *Antonini Itinerario* secundum Hieronymi Suritæ recensionem *p.* 80. *& seqq.* talis est:

A Mediolano per Alpes Cottias Viennam M.P.CCCVIIII.

*Inde Durocortorum, quæ fuit Leg.*xx. M.P.CCCCXXXII.

Inde Gessoriacum, quæ fuit Leg. xx. M.P. CLXXIIII.

sic:

Ticinum	M. P. XXII. B
Laumellum	M. P. XXII.
Rigomagum	M. P. XXXVI.
Quadratas	M. P. XVI.
Taurinos	M. P. XXI.
Ad Fines	M. P. XVI.
Segusionem	M. P. XXIIII.
Ad Martis	M. P.XVI.
Brigantionem	M. P. XVIIII.
Rame	M. P. XVIII.
Eburodunum	M. P. XVII.
Caturigas	M. P. XVI.
Vapincum	M. P. XII.
Montem Seleucum	M. P. XXIIII. C
Lucum	M. P.XXVI.
Deam Vocontiorum	M. P. XII.
Augustam	M. P. XXIII.
Valentiam	M. P.XXII.
* *	*
Ursolim	M. P. XXII.
Viennam	M. P. XXVI.
Lugdunum	M. P. XXIII.

Aut per compendium:

Assa Paullini	M. P. XV.	*Leg.* X. D
Lunnam	M. P.XV.	*Leg.* X.
Matisconem	M. P. XV.	*Leg.* X.
Tinurtium	M. P. XVIIII.	*Leg.* XIII.
Cabellionem	M. P. XXI.	*Leg.*XIIII.
Augustodunum	M. P. XXXIII.	*Leg.* XXII.
Sidoloucum	M. P. XXVII.	*Leg.* XVIII.
Aballonem	M. P. XXIIII.	*Leg.* XVI.
Autesiodorum	M.P. XXXIII.	*Leg.*XXII.
Eburobrincam	M. P. XVIII.	*Leg.*XII.
Tricases	M.P. XXXIII.	*Leg.* *XXII.*
Artiacam	M. P. XVIII.	*Leg.* XII.
Duroratelaunos	M.P. XXXIII.	*Leg.*XXII.
Durocortorum	M. P. XXVII.	*Leg.* XVIII. E
Suessonas	M.P.*XXXVII.*	*Leg.* XXV.
Noviomagum	M. P. XXVII.	*Leg.* XVIII.
Ambianos	M. P. XXXIIII.	*Leg.* XXIII.
Pontes	M. P. XXXVI.	*Leg.* XXIIII.
Gessoriacum	M. P. XXXIX.	*Leg.* XV.

In *Peutingeri* vero *Tabula* eadem Via *segm.*II. & I. ita describitur:

[A *Mediolano*]

Ticeno	*	saltus.
Laumellum	XXI.	
Cutias	XII.	
Vergellis	XIII.	
Eporedia	XXXIII.	
Augusta Taurinorum	*	
Finibus	XVIII.	
Segusione	XXII.	
Martis	XVII.	
Gadaone	VIII.	
In Alpe Cottia	V.	
Brigantione	VI.	
Rama	XVIIII.	
Eburuno	XVII.	
Catorigomagus	VII.	
Ictodurum	VI.	
Vapincum	*	
Alarante	XVIII.	
Luco	*	Hic fit saltus.
Ad Deam Bocontiorum	XII.	
Augustum	XIII.	
Valentia	XXII.	
Tegna	XIII.	
Figlinis	XVI.	
Vigenna	XVII.	

F

Luguduno caput Galliarum:
usque hic legas.

Ludnam	XVI.	
Matiscone	XIIII.	
Tenurcio	XII.	
Cabillione	*	
Augustodunum	XXI.	
Sidotoco	XVIII.	
Aballo	XVI.	
Autessio Duro	XXII.	
Eburobriga	*	Hic fit saltus.
Durocortoro	*	
Aug. Suessorum	XXI.	
Lura	XVI.	
Rhodium	VIIII.	
Setucis	X.	
Sammarobriva	XXXI.	
Teucera	XII.	
Nemetaco	XIII.	
Teruanna	XXII.	
Castella Menapiorum	XII.	
Gesogiaco, quod nunc Bononia	XXIIII.	

5. Hæc Via præ cæteris Galliæ Viis longitudine est admiranda. Initio enim ex Italia ducto porrigitur per mediam Galliam, ceu diameter, ab uno ejus extremo ad oppositum alterum, per M. P. CIↃ. XV. sive *Leucas Francicas* IↃVII. & dimidiam, si summas generales *Itinerarii* a *Mediolano Bononiam* computes, ubi olim celeberrimus ille portus fuit, Julio Cæsari *Itius* vel *Ictius*, & sequioribus Scriptoribus *Gessoriaci* nomine celebratus.

6. Verum si ulla Viarum in toto *Antonini Itinerario* numeris & nominibus corrupta est & mendosa, sane hæc est: tanto magis, quod Surita, cujus cum maxime recensionem præ manibus habemus, corruperit passim & nomina & numeros, tam generales, quam singulares. Nomen *Legionis* ubique substituit, pro nomine *Legæ* vel *Leugæ*; Numeros nonnullos diminuit, & ex cardinalibus, ut cum Grammaticis balbutiam, *Leucarum*, fecit numeros ordinales *Legionum*, ut mox videbimus.

7. Numeri Milliares *Mediolano Viennam* minus mendosi sunt, ut & *Vienna Durocortorum*, & *Durocortoro Gessoriacum*: sed corruptela maxime infecit numeros *Leucarum Gallicarum*, quas *Itinerarii* Auctor addidit milliaribus Italicis ab Urbe *Lugduno Gessoriacum* usque, ut testantur codices mss. quibus & ipse Surita in emendando & recensendo hoc *Itinerario* usus est. Verum Surita, vir alias & judicio acri & perdoctus, levibus quibusdam conjecturis inductus nomen *Legæ* vel *Leg.* quod ibi *Leugam* notabat, mutavit in nomen *Legionis*. Hoc generatim & singillatim ubique fecit, unde necessario debuit corrumpere numeros, ut illos suis adscititiis *Legionibus* accommodaret: exempli gratia Surita edidit *p.* 80.

Inde Durocortorum, quæ fuit Legio XX. M. P. CCCCXXXII.

cum libri mss. antiqui habeant:

Inde Durocortorum	M.P. CCCXXXII.
Quæ sunt Leugæ	CCXXI.

Surita porro *ibidem* edidit:

Inde Gessoriacum, quæ fuit Legio XX. M.P. CLXXIIII.

cum iidem libris mss. legant:

Inde Gessoriacum	M.P. CLXXIIII.
Quæ sunt Leugæ	CXVI.

Idem & in singularibus numeris fecit, qui post vocem *Leg.* apponuntur, quam, cum compendio notet *Legam* sive *Leugam*, ille ubique *Legionem* legit & interpretatur.

8. Hic itaque Surita, quem ob doctrinam alias magni facimus, hæc annotat *p.*511. ad verba: *Inde Durocortorum &c.*) *In Regio* Exemplari ms.

Inde Durocortoro	CCCXXX.
quæ fiunt Leg.	CCXX.
In Blandiniano:	
In de Durocortoro	M P.CCCXXXII
quæ fiunt Leugas	CCXXI.
Neapolitanum:	
Induro Cortoro	M.P.CCCXXXII.
quæ fiunt Leg.	M. P. CCXXI.
Longolianum:	
Inde Durocordorum	M.P.CCCXXXII.
quæ fiunt Leugæ	CCXXI.

quibus deinde subjicit: *Quorum si scripturam conferas, satis manifeste elicies ex nota* Legionum, Leugas *vertisse librariorum inscitiam, & ex singulis itineribus bina concinnasse*. Deinde idem notat *p. ead.* ad verba: *Inde Gessoriacum &c.*) *in Regio* exemplari ms.

Gessoriaco	M. P. CCCXXIIII.	
que fiunt Leg.	CXX.	
Blandinianum:		
Inde Gessoriaco	M. P. CLXXIIII.	
quæ fiunt Leugas	CXVI.	*sic.*
Neapolitanum:		
Inde Soforiaco	M.P. CLXXIIII.	
quæ fiunt Leug.	CXVI.	*sic.*
& in Longoliano:		
Inde Gessoriaco	M.P. CLXXIIII.	
quæ fiunt Leugæ	CXVI.	*sic.*

quibus iterum subjicit: *simili errore atque in proximi itineris titulo*: scilicet voluit, & hic vocem *Leugæ* ex *Legione* a librariorum inscitia esse versam. Hanc autem opinionem suam Surita nulla ratione, nulla auctoritate qualicunque probat: at idem, dum librarios arcessit inscitiæ, manifesto se errore impedit, dum & hic & alibi contra mss. fidem, *Legiones* ex *Leugis* vel *Legis* facit.

SECTIO XXXVII.

Refutatur Hieronymi Suritæ opinio super voce *Leg.* in Itinerario Antonini, eaque primo duabus rationibus.

1. *Numeri & dimensiones in Itinerario necessario requiruntur. Tres contra Suritam rationes.* 2. *Prima ex vetustis mss.* 3. *Altera ex natura numerorum.* 4. *Ratio & proportio inter Miliare Italicum & Leucam Gallicam.* 5. *Emendantur aliquot numeri in Itinerario.* 6. *Observationes binæ, notandæ super vocem Legionis.* 7. *Duo absurda sequerentur, si* Leg. *esset* Legio *his locis.* 8. *Error Suritæ ex eo natus, quod nonnulla loca alicujus Legionis nomen habeant.*

1. INter præcipuas Itinerarii alicujus dotes est, si numeri & dimensiones ibi recte observentur. Cum vero Hieronymus Surita & has & illos in Via Publica, quam sectione præcedente sumus persecuti, perverterit, mecum constitui restituere ea, quæ Surita in locorum dimensionibus, & intervallorum numeris corrupit: id quod tribus evidentissimis rationibus peragam.

2. Primam rationem subjiciunt nobis ultro ipsi illi libri mss. quibus Surita est usus, qui omnes vocem *Leugæ* aut *Legæ* habent, non vero *Legionis*. His adde & libri ms. Thuanei lectionem, quam ita excerpo:

A Mediolano per Alpes Cottias Viennam	M.P.M.CCCCVIIII.
Inde Durocortoro,	M.P.CCCXXXII.
quæ fiunt Leugas	CCXXXI.
Inde Goforiaco	M.P.CLXXIII.
quæ fiunt Leugas	M. P. CXVI.

Cum deinde in recensione locorum intermediorum pervenit *Lugdunum* usque, ita Viam cis Rhodanum persequitur:

Asa Pauli	M.P.M. XV.	
Leugas	M.P.M X.	
Lunna	M.P.M.XV.	*Leg.*X.
Tinnitium	M P.XVI III.	*Leg* XIIII.
Matiscone	M.P.XV.	*Leg* X.
Gapilumno	M.P.XXI.	*Leg.*XIIII.
Augustoduno	M.P. XXXIII.	*Leg.*XXII.
Sidolucum	M.P.M.XXVII.	*Leg.*XVIII.
Aballone	M.P M.XXIIII.	*Leg* XVI.
Antesiodor.	M.P.M. XXXIII	*Leg.*XXI.
Eburobrica	M.P.M.XVIII.	*Leg.*XII.
Tricasis	M.P.M.XXXIII.	*Leg.*XXII.
Artiaca	M.P.M.XVIII.	*Leg.*XII.
Durocatalaunos	M.P.M.XXXIII.	*Leg.*XXII.
Suessonas	M.P.M.XXXVI.	*Leg.*XXIV.
Noviomago	M.P.M.XXVII.	*Leg.*XVIII.
Ambianis	M.P.M.XXXIIII.	*Leg.*XXIII.
Pontibus	M.P.M.XXXVI.	*Leg.*XXIIII.
Gessoriaco	M.P.M.XXXVIIII.	*Leg.*XXVI.

3. Altera omniumque fortissima ratio ad demonstrandam hujus veritatis certitudinem est in ipsa numerorum natura, qui adeo certi sunt & determinati, liceat hoc loco cum Scholis loqui, uti cum species comparantur ad numeros. Quemadmodum namque species rerum naturalium definiuntur & limitantur per suum genus proximum & differentiam specificam, ita ut in se sint unum, & a cæteris omnibus differens & diversum, unde, ut dicunt, *Species non miscentur*: ita & cum numeris comparatum est, qui nullam admittunt mixturam aut confusionem, quique adeo certi sunt, ut si unitatem vel addas vel demas, non amplius sit idem, qui ante, numerus, sed specie differens: unus enim denique numerus, salva sua *identitate numerica*, si cum Scholarum barbaria licet loqui, nec plus nec minus recipit. Atqui inter *Milliare Italicum* & *Leucam Gallicam* ratio & proportio certis numeris intercedit, quæ est *sesquialtera*, uti firmis rationibus docuimus, *hujus libri sect.* XII. *§.*6. *& seq.* Hinc, si conferas hujus, quam terimus, Viæ numeros milliares Italicos, cum numeris Leucarum

Gallicarum; omnes tam generatim, quam singillatim in ratione & proportione sesquialtera reperies.

4. *Milliare* a *mille* passibus, ex quibus fit, ita dicitur; *Leuca* autem *Gallica*, testibus *Ammiano* & *Jornande*, quos laudavimus *hujus libri sect.* XII. §. 9. habet passus CIↃ. IↃ. Cum ergo in *mille quingentis* tantum sit, quantum & in *mille*, & ultra dimidia millium pars, sive *quingenta*; ita & hanc rationem ac proportionem sesquialteram videbimus constanter ubique servatam inter numeros, qui significant *mille passus*, & qui *Leucas Gallicas*. Confirmat hoc, quantum ad numeros generales, illud ms. primum, quod Surita *Exemplar Regium* vocat; hoc enim modo legit, *pag.* 511.

Inde Durocortoro	M. P. CCCXXX.
quæ sunt Leg.	CCXX.

Inter hos numeros accurate ratio sesquialtera intercedit: nam in *trecentis triginta* tantum est, quantum in *ducentis viginti*, & ultra horum dimidia sive altera pars, *centum* & *decem*. Si ad numeros singulares veniamus, videbimus similem eandemque rationem sesquialteram observatam, quantum per numeros licuit, in ipsa etiam Suritæ recensione: sed exempla prodeant. *p.* 81. habetur:

Assa Paulini	M. P. XV.	*Leg.* X.
Lunnam	M. P. XV.	*Leg.* X.
Matisconem	M. P. XV.	*Leg.* X.

In tribus hisce mansionibus Milliaria Leucis Gallicis conveniunt ratione sesquialtera: nam XV. sunt X. & horum dimidium V. *ibid.*

Cabellionem M. P. XXI. *Leg.* XIIII.

Hoc exemplo confirmantur Ammiani verba supra III. 12. §. 9. laudata, qui XIIII. Leucas comparat M. P. XXI. nam in XXI. tantum est, quantum in XIIII. & ultra horum dimidia pars, VII.

5. Hinc apparet corruptela numeri ultimi hujus Viæ in recensione Suritæ *pag.* 82. quæ talis est:

Gessoriacum M. P. XXXVIIII. *Leg.* XV.

cum, vel teste Surita *p.* 518. libri mss. Blandinianus, Neapolitanus & Longolianus habeant *Leg.* XXVI. qui numerus recte convenit: nam in XXXVIIII. tantum est, quantum in XXVI. & ultra horum altera dimidia pars, XIII. Sic etiam corrigendi sunt numeri *pag.* 55.

Uruncim M. P. XXII. *Leg.* XV. non X.

Argentoratum M. P. XXXVIII. *Leg.* XIX. non VIII.

Certissimum porro est, ubicunque in *Itinerario*, extra Narbonensem Galliam, recensentur Viæ Publicæ Gallicæ, & ubi ad loca adscribitur hæc vox *Leg.* per compendium cum suis numeris, sine ullo dimensionis alterius numero; ibi procul ullo dubio intelligendas esse *Legas* sive *Leucas Gallicas*, non vero *Legiones*. Sic in Via *Durocortoro Treviros*, quam Cluverius quoque *Germ. Antiq.* II. 14. *p.* 64. adfert paullo diversam, quod ad priorum duorum locorum orthographiam: de qua Via idem ait: *Iter inter Augustam Trevirorum & Durocortorum Rhemorum Antoninus per Leugas computat hujusmodi.* Via autem illa sic describitur *Itinerarii pag.* 82.

Item a Durocortoro Treviros usque:

Vungum vicum	*Leg.* XXII.
Sepoissum	*Leg.* XXII.
Orolaunum vicum	*Leg.* XX.
Andetannale vicum	*Leg.* XV.
Treviros Civit.	*Leg.* XV.

A Sic & intelligenda Via *Treviris Agrippinam*, *p.* 84. aliæque similes. Forsan & *pag.* 56. ubi hæc legas:

Coloniam Agrippinam Leg.		
Durnomagum	*Leg.* VII.	*Ala.*
Buruncum	*Leg.* V.	*Ala.*
Novesium	*Leg.* V.	*Ala.*
Geldubam	*Leg.* IX.	*Ala.*
Calonem	*Leg.* IX.	*Ala.*
Vetera castra		
Leg. XXX. *Ulpia*		
Burginacium	*Leg.* VI.	*Ala.*
Harenacium	*Leg.* X.	*Ala.*

B Nonnulli hæc ita legunt & interpretantur; *Legionis Septimæ Ala; Legionis Quintæ Ala*, & sic porro. Verum cum hæc loca & mansiones non habeant additas alias dimensiones; *Legæ* sive *Leucæ* videntur legi & intelligi debere, non obstante voce *Ala*, quæ Legionis partem notat. Alias nihil hic intervalla locorum denotaret, quod tamen cuique Itinerario quasi proprium est, ut diligenter distantiæ ubique annotentur. Sed hanc rem Eruditorum judicio relinquo.

C 6. Nec tamen negare velim, complures urbes, oppida & alia per Gallias loca a Legionibus earumque numero cognominata fuisse, ut *Legio* X. *Legio* XIII. *Legio* IX. *Legio* XXX. sic ut loca proximæ Viæ, laudata statim, possint forsan a *Legione* aliqua, ob additam *Alæ*, quæ partem Legionis notat, vocem, cognominatæ videri. Sed quo minus hæc sententia placeat, est, quod fere nusquam *Legionis* nomen occurrat, quin præter numerale ordinis cognomen, habeat & aliud quasi proprium nomen additum. Sic in ipso nostro *Itinerario pag.* 50. *Legio I. Italica, Legio I. Jovia*; *pag.* 54. *Legio I. Adjutrix*, *Legio* XIIII. *Gemina*, *Legio* X. *Gemina*; *pag.* 56. *Legio* XXX. *Ulpia*. Sed & idem luce meridiana clarius apparet ex *Notit. Imp.* passim. Jam vero in Via proxima laudata, compendium τȣ *Leg.* occurrit sine ullo nomine tali proprio, sed tantum simplicibus numeris additis, quod ostendit potius *Legas* sive *Leucas* esse *Gallicas*, quam *Legiones*. Adde denique, quod in veris Legionibus, præter numerum ordinalem & nomen ipsis quasi proprium, superaddatur etiam numerus cardinalis, ut vocant Grammatici, distantiæ index: ut:

p. 50. *Novas*, *Leg.* I. *Ital.*	M. P. XVII.
Dorostoron, *Leg.* XI. *Cl.* (Claudia)	M. P. XII.
Trosmin, *Leg.* I. *Jovia*,	M. P. XVIII.
p. 54. *Leg.* I. *Adjut.*	M. P. XXIII.

At in ea, in quam digrediebamur paullo ante, Via nullus ita foret numerus, qui distantias designaret, quod tamen præcipue & maxime in libello Itinerario erat observandum.

7. Imo si numeri ad τȣ *Leg.* adjecti forent numeri ordinales *Legionum*, non vero cardinales *Legarum*, inde necessario hæc bina sequerentur absurda: primum ut una eademque Legio simul duobus pluribusve fuerit locis; deinde ut in uno eodemque loco simul fuerint plures Legiones. Sic *Legio* XX. simul fuisset *Durocortori* & *Gessoriaci* secundum opinionem & recensionem Suritæ *Itinerar. p.* 80. ubi *Legio* XX. utrobique legitur. E contrario Durocortori fuissent duæ Legiones, *Legio* XX. secundum numerum generalem *p.* 80 & *Legio* XVIII. secundum numerum singularem *p.* 82. item duæ Legiones Gessoriaci fuissent, *Legio* XX. si generalem numerum *p.* 80. & si respicias singularem *p.* 82.

Legio XV. ex editione Suritæ, aut, secundum mss. libros, XXVI. quæ tamen minime vero sunt similia.

8. Tandem denique nec Romani tot Legiones in Galliis sive pacandis & sub ditionem redigendis, sive pacatis conservandis & tuendis habuerunt unquam. C. Julius Cæsar, teste Sex. Ruffo Festo *in Breviar. p. m.* 282. *int. Auct. Epitom. Hist. Rom. edit. min. cum decem Legionibus quæ tercena millia militum habuerunt, per annos octo ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias subegit*. Sub Tiberio Imp. ut meminit Tacitus *Annal.* IV. 5. *Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant*, quæ tutarentur Gallias. Sub Vespasiano Imp. ut docet in sua ad tumultuantes Judæos oratione Agrippa Rex, *ap. Joseph. de B. Jud.* II. 16. tam libentes volentesque Romanis paruerunt, ut *sub mille & ducentis militibus servierint, quibus pæne plures habuerunt civitates*. Imo & ipsæ illæ legiones magis ad prohibendos Germanos transitu in Gallias, quam ad continendos aut adversus Gallos ibidem erant. Hinc & stativa sua, maxime hiberna, juxta & secundum Rhenum habuerunt. Nam Romani in Galliis, & alibi per Imperii limites, duum generum habebant castra, quæ, a *stando*, *Stativa* vocabant, *Hiberna* scilicet & *Æstiva*. *Hiberna* maxime erant secundum Rhenum, aliosque fluvios, qui limitabant Imperium, ad quorum ripas Legiones tendebant & præsidio erant, ut resisterent vicinis Barbaris, si qui Romanas terras infestare vellent: præcipue Germanis, qui per hiemem Rheno gelu constricto & conglaciato, tanquam ponte, usi, in Gallias armati irruere & prædas agere solebant. Ex his *Stativis* paullatim factæ sunt urbes, oppida, castella & alia loca munita, quæ Legionum nomina ibidem tendentium obtinuerunt. Hinc etiam urbes a Legionibus nominatæ in partibus Rheno propinquis, non item longinquis fere sunt sitæ. Inter longinquas autem a Rheno partes maxime fuit & Durocortorum, quæ urbs non debet originem Legionibus Romanis, ut quæ diu ante fuerit, quam Romani Gallias sint ingressi. De his locis Legionum Zosimus *Hist. lib.* II. loquitur: *Nam*, ait, *cum Imperium Romanum extremis in limitibus ubique, Diocletiani providentia, oppidis & castellis atque burgis munitum esset, omnesque copiæ militares in iis domicilium haberent, fieri non poterat, ut Barbari transirent, ubique copiis, hostium repellendorum caussa, occurrentibus*. Hæc Zosimus: at quanquam in *Itinerario Antonini* fiat mentio locorum, quæ a Legionibus denominantur; inde tamen non sequitur, ubicunque compendium vocis *Leg.* occurrit, ibi mox ergo legendam & intelligendam esse *Legionem*, quod tamen eandem ob caussam placuit Suritæ: cum certissimum, τὸ *Leg.* æque posse notare *Legam* sive *Leucam*, præprimis in illis ipsis, quos ante vidimus, *Itinerarii* locis.

SECTIO XXXVIII.

Adfertur & explicatur Ratio tertia, quæ probat, compendium vocis *Leg.* in Itinerario Antonini esse *Legam*, non vero *Legionem*.

1. *Galliarum prima divisio, & cur in una tantum Provincia per* M. P. *in cæteris per Leucas Viarum intervalla sint dimensa*. 2. *Altera Galliarum divisio in Partes quatuor*. 3. *Tertia divisio in Partes septem*. 4. *Quarta divisio in septendecim Provincias*. 5. *Binæ Provinciæ Narbonenses earumque limites*. 6. *Ratio numerandi distantias per* M. P. *cur manserit in Provincia sive Narbonensi Gallia, etiam post illas divisiones*. *Galliæ & quinque Provinciæ Narbonensis distinguuntur & opponuntur apud Auctores*. 7. *Dimensio & computatio distantiarum inter Narbonensem & Aquitanicam Galliam mutatur*. 8. *Ut & inter Narbonensem & Lugdunensem*. 9. *Quamdiu hæc dimensionum diversitas in usu fuerit*.

1. TErtia ratio, quæ probat τὸ *Leg.* esse legendum *Legas*, quæ vox idem notat, quod *Leuca*; non vero legi debere *Legionem*, arcessitur ab antiquo modo dimetiendi Vias per Gallias, qui pro partium diversitate quoque fuit diversus. Nam *in Gallia Narbonensi* distantiæ Viarum numerabantur per M. P. ut in Italia; at in *Aquitanica*, *Celtica* & *Belgica* per *Leucas Gallicas*. Hujus rei caussa est, quod Romani, cum arma victricia trans Alpes transtulissent, & sub ditionem redegissent eas terras, quas hodie *Provinciæ* & *Langodociæ* nomine vocamus, omni illi regioni pacatæ citra & ultra Rhodanum donarunt nomen *Provinciæ Romanæ*, per excellentiam. Hujus partem Galli postea ex Latina voce detorta dixerunt *Provence*. Nam *Provincia* hæc apud Romanos olim latius patebat, quam quæ hodie isto nomine apud nos frequentatur. Præter enim *duas provincias Narbonenses*, quas mox aggrediemur, continebat & *Viennensem*, *duasque* porro alias, quas dixerunt *Alpes Maritimas* & *Penninas*; quæ sunt *quinque Provinciæ* ex illis septem & decem, in quas postea Galliæ sunt divisæ. Colligimus hoc ex Ausonii *Claris Urbib. numero* XIII. *quæ Narbo inscribitur vs.* 4. *& seqq. pag.* 254. *ed. Jac. Tollii*:

Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris;
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines;
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi;
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno;
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ;
Usque in Tectosagos paganica nomina Volcas,
Totum Narbo fuit.

Cum Romani ergo primum bello quæsivissent hanc regionem, quinque illæ Provinciæ, quas modo dixi, velut a reliquo Galliarum corpore sunt avulsæ & Italiæ adnexæ. Hinc Julius Cæsar *de B. G.* I. 1. in generali illa Galliarum divisione omittit Narbonensem: *Gallia*, ait, *est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ; nostra Galli appellantur*: tanquam si *Narbonensis Gallia* per Romanos sub ditionem redacta non esset amplius corporis Gallici pars, sed Italiæ appendix.

2. Verum equidem est, post Gallias per Julium Cæsarem novennali bello plane & omnino sub imperium redactas, ab Augusto Imp. & successore Julii, cum omnes Imperii Provincias denuo divideret, *Provinciam Narbonensem* corpori Galliarum esse redditam, quas velut in quatuor membra partitus est, quæ dixit *Galliam Narbonensem*, *Lugdunensem*, *Aquitanicam* & *Belgicam*. Verum nova hæc divisio & Galliarum conjunctio non mutavit morem priscum & longa consuetudine in Gallia Narbonensi confirmatum numerandi distantias per *Milliaria Italica*, qui ab eo tempore, quo Romanis primum subesse cœpit, est continuatus porro; nec cæteris tribus partibus hac ratione conveniebat, quæ per *Leucas Gallicas* CIↃ.IↃ. passuum dimetiebantur distantias: qua de *Leuca Gallica* diximus hoc libro supra *sect.* XII. *§.* 9. *& seqq.* ejusque a. *Francica Leuca* differentiam ibidem documus.

3. Hæc ipsa consuetudo permansit, etiam posteaquam alias divisiones novas Galliæ subierunt, Nam

temporibus Antonini Pii, cui vulgo noſtrum adſcribitur *Itinerarium*, videmus Galliam jam fuiſſe diviſam in *ſeptem Provincias*, quarum nomina: *Germania*, *Belgica*, *Lugdanenſis*, *Aquitania*, *Narbonenſis*, *Viennenſis* & *Alpes*. Hinc Gallia omnis nomine *Septem Provinciarum* quandoque dicta eſt, quod ipſi manſit etiam poſtea, quam Conſtantinus M. illam in XVII. *Provincias* diviſiſſet. Sic *ſeptem Provinciæ* pro omni Gallia ponuntur, in *Notit. Imp. Occid. edit. ult. Lugduni* 1608. *pag.* 117. ubi legis: *Sub diſpoſitione Viri Illuſtris Præfecti Prætorio Galliarum, diœceſes infra ſcriptæ: Hiſpaniæ, Septem Provinciæ, Britanniæ*: & *pag.* 157. *Sub diſpoſitione Viri Spectabilis præfecti Septem Provinciarum*: quo loco doctiſſimus Guido Pancirolus, qui utramque *Notitiam Imperii* erudite illuſtravit, annotavit: II. 68. *Hæc diviſio* (Galliæ in XVII. Regiones) *noſtræ Notitiæ tempore obſervabatur, quæ tamen tam hic, quam in Indice ſemper* VII. *Provincias pro Galliis nominat, ut tunc vocari videbantur, etſi re eſſent* XVII. *Nam Lugdunenſibus, Germaniis, Belgicis, Alpibus, Aquitaniis, tum Novempopulana & Narbonenſibus, quibus Viennenſis adſcribebatur, pro unis poſitis, ad numerum* VII. *Provinciarum rediguntur*. Confirmat hanc ſententiam Philippus Bertherius, *Pithanon*, *Diatr.* I. *c.* 5. ubi ait: *Verum, aucto Provinciarum numero, exſtincta non eſt Septem Provinciarum appellatio: qua Conſtantinus Tyrannus univerſam Galliarum diœceſin intellexit*.

4. Poſtea enim Conſtantinus M. denuo Gallias in XVII. *Provincias* diviſit, non tam mutans VII. priorum Provinciarum nomina, quam eadem nomina numeris diſtinguens. Fecit enim *Germanias* duas, *primam* & *ſecundam*: *Belgicas* duas, *primam* & *ſecundam*: *Lugdunenſes* quatuor, *primam*, *ſecundam*, *tertiam* & *quartam* ſive *Senoniam*: *Alpes* duas, *Maritimas*, & *Grajas* cum *Penninis*: *Aquitanias* duas, *primam* & *ſecundam*: *Narbonenſes* duas, *primam* & *ſecundam*: unam *Viennenſem*: *Maximam Sequanorum*, quæ hodie *Burgundiæ Comitatus*, olim *Viennenſis Provinciæ* partem: & *Novempopulanam*, quæ hodie *Gaſconia ſive Vaſconia*, olim *Aquitaniæ* accenſitam.

5. Hæc diviſio videri poteſt *in libello Provinciar. Romanar. ſub fin. Itinerario Antonini adjecto p* 123. in quo etiam *pag.* 133. *Provinciæ Narbonenſis Primæ metropolis* dicitur *Civitas Narbonenſium*; quæ provincia porrigitur a Rhodano ſecundum littus maris mediterranei, uſque ad Garumnam, complectens urbem antiquiſſimam *Toloſam*, cujus ab Auguſti uſque ævo fuit caput *Narbo*. Hunc terrarum tractum hodie vocamus *Langodociam*. Porro *pag. ead. Provinciæ Narbonenſis ſecundæ metropolis* dicitur *Civitas Aquenſium*, quæ provincia ultra Rhodanum ad Lugdunenſem uſque patebat, hodie etiam veteri *Provinciæ*, noſtra lingua *Provençe* nomine, cum quibuſdam terris proximis & adjacentibus, nota.

6. Verum omnes hæ mutationes & diviſiones non potuerunt, in hac *Provincia* antiquiſſima Romanorum, abolere veterem morem computandi diſtantias per milliaria Italica, ne quidem in ulla quinque ejus partium, in quas poſtea diviſa fuit. Imo licet Romani ſui feciſſent juris Aquitanicam, Celticam & Belgicam; Narbonenſis tamen his tribus Galliis ſemper pluris fiebat, & apud veteres Scriptores velut opponuntur, tanquam diſtinctæ, *Galliæ* & *quinque Provinciæ*; per *Gallias* enim intelligunt, XII. illas Provincias per Aquitaniam, Celticam & Belgicam: & per *quinque Provincias* Narbonenſem. Ita Symmachus, ad Protadium, *Epi.* IV. 30. *Aut Treviros civica religione, aut quinque Provincias otii voluptate commutas*. Sic in inſcriptionibus, quæ leguntur *in Conciliis*, *Valentino* & *Taurinenſi*: *Dilectiſſimis Fratribus per Gallias & quinque Provincias*. Hinc Ammianus Marcellinus, qui ſatis diu poſt Conſtantini M. diviſionem Galliæ in XVII. Provincias floruit, Narbonenſem adhuc Galliis opponit, cum *Hiſt.* XV. 10. *p. m.* 65. *exordium Galliarum* Lugduni conſtituit ad confluentes Araris & Rhodani. Eodem reſpiciunt verba *Tabulæ Peutingeri ſegm.* I. *Lugduno caput Galliarum*. Nam in Via Militari, quam Mediolano in Gallias per Alpes Cottias depingit, cum pervenit Lugdunum, ibi *caput*; quod idem eſt, atque Ammiani *exordium*; ſive initium Galliarum conſtituit. Sic & Velſerus *caput Germaniarum*, quod in *Antonini Itinerario p.* 83. legitur *Lugdunum*, interpretatur *initium Germaniarum*; ſcilicet quod ab illa urbe, quæ hodie *Leyden* apud Batavos dicitur, *Germaniæ* nobis cis Rhenum incipiant. Sic & Fluviorum fontes ac origines eadem voce *capitis* ſignificari ſolent.

7. Quemadmodum itaque conſuetudo manſit numerandi per Milliaria diſtantias in *Gallia Narbonenſi*, quod prima omnium a Romanis Provincia facta fuit; ſic e contrario, ſimul ac ex hac in *Galliam Aquitanicam*, aut *Lugdunenſem* fiebat tranſitus, non amplius per Milliaria, ſed per *Leucas Gallicas* Viarum diſtantiæ numerabantur. Quantum ad Aquitaniam, teſtem adfero Auctorem *Itinerarii a Burdigala Hieruſalem uſque*, quod a Petro Pithœo vulgatum, ab Andrea Schotto *Itinerario Antonini* adjectum eſt, anonymum quidem, ſed cujus tamen ætas ex ipſo opere ad Conſtantini M. Imperium refertur. Nam *pag.* 147. ait Auctor ille, ſe *a Chalcedonia ambulaſſe Xenophilo Coſ.* III. *Kal. Jun. & reverſum CP.* VII. *Kal. Jan. Coſ. ſupraſcripto*: hic autem Cos. fuit ſub Conſtantino M. Atqui iſte Auctor ſuum incipit *Itinerarium* ab urbe Aquitaniæ *Burgidala*, atque deinde per manſiones & mutationes ſingillatim per Aquitaniam deducit, dimetiens diſtantias per *Leucas*, ſimul ac vero pervenit *Toloſam*, & trans Garumnam intravit in *Galliam Narbonenſem*, *Leucarum* dimenſione omiſſa, deinde per totum opus, Toloſa Hieroſolymam uſque, diſtantias dimetitur per *Milliaria*. Sed operæ precium erit ipſum initium hoc Lectorum ſubjicere oculis: *pag.* 139.

Itinerarium a Burdigala Hieruſalem uſque, & ab Heraclea per Aulonam, & per Urbem Romam Mediolanum uſque.

Sic:

Civitas Burdigala, ubi eſt fluvius Garonna, per quem facit mare Oceanum acceſſa & receſſa per Leugas plus minus centum.

Mutatio.	*Stomatas*	*Leugas*	VII.
Mutatio.	*Sirione*	*L.*	VIIII.
Civitas.	*Vaſatas*	*L.*	VIIII.
Mutatio.	*Tres Arbores*	*L.*	V.
Mutatio.	*Oſcinejo*	*L.*	VIII.
Mutatio.	*Scittio*	*L.*	VIII.
Civitas.	*Eluſa*	*L.*	VIII.
Mutatio.	*Vaneſia*	*L.*	XII.
Civitas.	*Auſcius*	*L.*	VIII.
Mutatio.	*Ad Sextum*	*L.*	VI.
Mutatio.	*Hungunuerro*	*L.*	VII.
Mutatio.	*Bucconis*	*L.*	VII.
Mutatio.	*Ad Jovem*	*L.*	VII.
Civitas.	*Toloſa*	*L.*	VII.
Mutatio.	*Ad Nonum*	*Mil.*	IX.
Mutatio.	*Ad Vigeſimum*	*Mil.*	XI.
Manſio.	*Eluſione*	*M.*	VIIII.

Mutatio.	*Sastomago.*	*M.*	VIIII.
Vicus.	*Hebromago*	*M.*	X.

Atque ita Auctor hic iter suum per *Leucas* persequitur Tolosam usque, ubi Aquitaniæ finis & Narbonensis Galliæ initium. At hinc porro totum iter per *Milliaria* Italica dimetitur. Ita & supra *sect.* XII. §. 10. ex Polybio III. 8. totam Viam Militarem, quæ a Pyrenæis montibus ad Alpes porrigitur, lapidibus per singula octo stadia, quæ Mille passus Italicos habent, fuisse dimensam & distinctam.

8. Idem contigit in Galliæ Narbonensis partibus, quæ sunt ultra Rhodanum versus Galliam Celticam aut Lugdunensem: nam & ibi secundum consuetudinem a Romanis acceptam Viæ erant dimensæ per *Milliaria*: At simul ac trans Rhodanum ingressus fit in Galliam Celticam, quam Veteres per excellentiam dixerunt *Galliam* simpliciter, ibi tum *Leucarum* redit dimensio, & *Milliaria* cessant. Docet hoc *l. l.* evidenter Ammianus Marcellinus his verbis: *Unde* (lacu Lemanno) *sine jactura rerum per densa paludum* Rhodanus *fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia fluctuosa, Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit, qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur, ubi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior vehit grandissimas naves.* Locus hic lucem accendit *Tabulæ Peutingeri segm.* I. ubi ad confluentes Araris & Rhodani, Lugduni, adscribitur: *Lugduno caput Galliarum, usque hic Legas*: quasi diceret; huc usque Leucas Gallicas servari, sed ex hac Gallia in Provinciam transitu facto, denuo veterem per M.P. dimetiendæ distantiæ modum redire. Philippus Bertherius, Parlamenti, quod vocant, sive supremi Senatus Tolosani Præses, adeoque Provinciarum Aquitanicæ & Narbonensis vicinus, nostram sententiam suo calculo approbat, cum *l. l.* ait: *In Lugdunensi Provincia initium Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur. Optime convenit cum Tabula Peutingeri, quæ sic habet: Lugduno caput Galliarum, usque hic Legas; quod purum & putum Gallicum est*: innuit nimirum τὸ *Legas* esse Gallicum *Leucas*, vel *Leugas*.

9. Hæc distantiarum dimetiendarum diversitas inter *quinque Provincias* Narbonenses & *Gallias*, quas vocabant, permansit usque ad Imperii declinantis tempora, & Regni Francici per Provinciam & Langodociam incrementa. Romanis enim Gallia Narbonensi ejectis per Gothos; & deinde Gothis per Francos, usus & nomen *Leucarum* per universam Galliam & ubique restitutus est, uti & fuerat ante, quam Romani illam Narbonensem fecissent provinciam. Illud vero confirmat ipsa rerum experientia, qua constat, Viarum distantias jam olim ab eo ævo fuisse dimensas per *Leucas*, non solum in Provincia & Langodocia, verum & in Hispania ac Germania, quamvis eadem hæc *Leucæ* vox pro regionum diversitate variam habuerit mensuram. Sed ut tandem brevibus hanc disputationem concludamus, luce meridiana clarius est, alterum numerorum ordinem, qui in mss. codd. antiquis *Itinerarii*, in hac, de qua jam egimus, Via legitur, esse *Leucarum Gallicarum*, non *Legionum*; cum initium eorum sit Lugduni ad confluentes Araris & Rhodani, ubi disertis verbis & Ammianus & Auctor *Tabulæ* exinde per Gallias itinera *Leugis* dimensa cœpisse testantur: Adeoque, ut Surita *p.* 511. volebat, non *ex singulis itineribus bina concinnarunt* librarii in *Itinerario* per errorem: sed & ex more loci eandem Viam idemque iter dimensus est Auctor duplici distantiarum mensura, & per *Milliaria Italica*, & per *Leucas Gallicas*.

SECTIO XXXIX.

De Viis Transversis, quæ a Via Militari tam Lugduni, quam Durocortori deducuntur.

1. *Historia æque ac Itinerarium necessaria ad pernoscendam Viarum Imperii Publicarum multitudinem.* 2. *Quod ostenditur exemplo Urbis Lugduni.* 3. *Durocortorum pluribus Viis Militaribus ornatum, & cur.* 4. *Quomodo Durocortorum cum Roma connectatur per unam Viam Imperii Publicam. Durocortoro oriuntur septem Viæ Militares.* 5. *Prima, Via Cæsarea.* 6. *Viam Cæsaream S. Remigio non esse intra, sed extra Urbem, sive Rusticam.* 7. *Altera & tertia, Viæ, Durocortori ortæ.* 8. *Nomina propria Urbium aliorumque locorum, in Itinerario, sæpe incerti aut dubii situs.* 9. *Hæc nomina plerumque difficulter ad certas positiones reduci possunt. Mutata fere sunt nomina propria celebriorum Galliæ Urbium.* 10. *Quarta Via Durocortoro oriunda.* 11. *Illustratio nominum in Itinerario propriorum hujus Viæ.* 12. *Quinta Via ejusque descriptio.* 13. *Hujus Viæ nomina propria vetera cum novis conferuntur.* 14. *Sexta Via.* 15. *Septima Via, ejusque nominum propriorum illustratio.* 16. *Gessoriacus portus olim creditus Orbis extremus, sive Terrarum finis.* 17. *Vestigia binarum aliarum Viarum, quæ a Romanis munitæ Durocortori visuntur.*

1. NOn sine ratione supra *sect.* XXXV. §. 2. diximus, Vias Galliarum publicas cognosci, partim duce *Itinerario*, partim *Historiarum* ope: neque enim in *Itinerario* omnes recensentur Viæ, quas ibi terrarum muniverunt Romani, quæ tamen *Historiarum* beneficio ad memoriam posterorum sæpe pervenerunt. Exemplo sit *Lugdunum* urbs, per quam in *Itinerario* unica tantum Via ducitur: verum audi Strabonem, *Geogr. lib.* IV. *p. m.* 378. & aliter senties: *Cæterum*, ait, *Lugdunum in medio, instar Arcis, situm est, cum ibi amnes confluant*, (Rhodanus & Araris) *& partibus omnibus propinquum sit. Ea propter Agrippa hoc ex loco partitus est Vias: unam, quæ per Cemmenos montes, usque ad Autones & Aquitaniam: aliam ad Rhenum: tertiam ad Oceanum, & Belloacos & Ambianos: quarta ducit in agrum Narbonensem Littusque Massiliense.*

2. Vides hic, *Lugdunum* a Strabone disertis verbis pro prima & præcipua Viarum per Gallias Publicarum origine & initio haberi, unde Agrippa quatuor Vias versus quatuor plagas ejus deduxerit. Nihilo tamen magis *Itinerarium* ullam ab ea Urbe Viam deducit, ceu origine & initio, nec inde producit ad finem usque. Nam ultimus Viarum per Gallias Publicarum in *Itinerario* titulus *p.* 105. *Iter ab Aginno Lugdunum*, non designat *Lugdunum*, quod hodie *Lyon* est; sed Urbem Aquitanicam *Oleron*, quam Ortelius *in Thesaur. Geogr.* dicit esse *Cugnenorum Urbem in Gallia Aquitanica*; & cujus Ptolemæus *in Geogr.* meminit, ubi eandem nominat Πόλιν Λουγδοῦνον.

3. Verum si ulla per Gallias nostras cis Alpes Urbs est, ad quam undique complures Viæ Militares ducant, est illa sane *Remorum* urbs, hodie *Reims*, quam, prisca lingua Gallica *Durencourt* dictam,

dictam, *Itinerarii* & *Tabulæ* Auctores vocant *Durocortorum*. Priscum scilicet nomen & Græci & Latini secundum suæ quisque Linguæ indolem & genium variis modis inflectunt. Cæsari *de B. G.* VI. 44. optime omnium dicitur *Durocortorum*: Straboni *lib.* IV. *p.m.* 353. Δυρικόρτορα: Ptolemæo *Geogr.* II. 9. Δυροκόττορον, & Stephano *de Urbib.* Δυροκόττορος. Neque valde mirandum est, quod Imperatores Romani hanc urbem, simul atque sub ditionem eorum venit, exornarint tot Viis Publicis, cum ab ipso Julii Cæsaris ævo Remi in Gallia Belgica floruerint magna auctoritate, imo *Sequani*, qui sunt Burgundi, *principatum* in Gallia Celtica *dimiserant, in eorum locum Remi successerant*, teste Cæsare *de B.G.* VI. 12. Strabo, qui sub Augusto floruit, *l. l.* satis indicat, quanti Remos fecerint Romani: postquam enim locutus fuerat de Parisiis, Meldis, Lexoviis, & aliis circa Sequanam fluvium populis, subjicit: *Super omnes autem ejus tractus incolas Rhemi dignitate præcellunt; metropolim Duricortoram frequentissimam habent civitatem, Romanos accipientes doctores*. Plinius *H. N.* IV. 17. *Remos* addit populis per Gallias *Fœderatis*, sive justa & æqua libertate ac fœdere cum Romano Imperio conjunctis, quales sunt, quos *Socios*, *ac bene meritas Civitates* vocant; & a Julio Cæsare in provinciæ formam, cum ad hanc devictas a se Gallias redigeret, non fuisse redactas commemorat Suetonius *in vit. Jul. Cæs.* c. 25. His enim Julius & Augustus suas leges & magistratus, sive αὐτονομίαν reliquerunt.

4. Cum ergo Durocortorum urbs esset & maxima & frequentissima ab eo usque ævo, in qua Romani in magistratibus imperiisque versantes plurimum commorarentur rei publicæ & privatæ caussa; mirum sane non est, si inde plures deduxerint Vias Militares, ut & Romam & in viciniam quaquaversum facile & expeditum foret iter. Romam iter erat Via, quam descripsimus *sectione* XXXVI *§.* 4. *& seqq.* per urbes *Catalaunum*, hodie *Chalons sur Marne en Champagne*, *Artiacam*, hodie *Arcy sur-Aube*; *Augustobonam Trecassium*, hodie *Troyes*; *Antissiodorum*, hodie *Auxerre*; *Augustodonum*, hodie *Autun*; *Cabillonum*, hodie *Châlons sur-Saone*; *Matisconem*, hodie *Mascon*; *Lugdunum*, hodie *Lyon*; *Viennam*, & hinc per plures Vias trans Alpes *Mediolanum*, qua urbe media *Durocortorum* & plurimæ aliæ innumeræ urbes connectuntur cum urbe Roma. Ab hac ergo Via initium faciemus Militarium Viarum, quæ ex urbe Remorum *Durocortoro* porriguntur; quarum septem numero invenio, tam in *Itinerario* descriptas, quam in urbe & agro Remorum priscæ ditionis reverà reperiendas.

5. Via igitur prima, de qua modo dicebamus, initium habet in veteri Remorum urbe & inde in patentes campos porrigitur per *Portam Basilicarem*, vulgo *Basée*, de qua egimus II. 40 *§.* 9. ubi diximus juxta hanc fuisse Arcum Triumphalem, cujus aliqua adhuc pars exstat, quæ portæ cognomen retinuit. Sane Arcus Triumphales solebant constitui ad Viarum Publicarum initia & principia. Quemadmodum ergo Arcus ille Triumphalis, ut *l.l.* docuimus, dedicatus fuit a S.P.Q.Remensi, honori Cæsarum, sic & Via Militaris, quæ per illum inde pergebat, dicta fuit *Via Cæsarea*: unde satis clare videmur doceri, hanc Viam esse partem illarum, quas Agrippa Augusti jussu in Galliis munivit. *Cæsareæ* cognomen huic Viæ dat etiam S Remigius, *in Testamento*, quo *Ecclesiæ*, quæ tum temporis extra pomœrium Urbis fuit, *titulo S. Mauritii in Via Cæsarea solidos duos* legavit.

6. Ne putes his verbis S. Remigio intelligi plateam urbis, quæ vulgo *du Barbastre* dicitur,

R. Tom. X.

A ad quam hodie situm est *S. Mauritii* templum: Divi enim Remigii ætate hæc platea nondum erat, quippe illo junior quinque sæculis & quod excedit: nam ex Regum nostrorum literis, quæ in Tabulario sive Archivo Scabinatus Remensis servantur, constat, ante hos CCCC. & quod excedit, annos, urbis Remensis pomœria demum ab ea urbis parte fuisse prolata. Idem & clarissimis verbis docet Flodoardus *Hist. Eccl. Rom.* I. 4. cum de primis aliquot nostrorum martyrum agens ait: *Illi autem cum magna fiducia producti sunt extra civitatem, in Via, quæ appellatur Cæsarea, in locum, qui Buxitus dicitur*. Hinc facile judicare licet, *Viam*, quæ S. Remigio dicitur *Cæsarea*, fuisse Viam Rusticam, & partem Viarum Militarium, quæ a prisca Remorum urbe inchoabantur. Longitudinem B ejus si spectes, ab ea, quam dixi, porta porrigitur recta versus locum, ubi hodie porta est sita, sed obstructa, sub cognomine *S. Nicasii*: hinc denuo recta per Remensem agrum pergit ad locum *la Pompelle* dictum, inde supra oppidum *Sillery* ad duas ab Urbe leucas dividitur in duos ramos, quorum alter recta via pergit per paludes fluvii *Vesla*, quem lapideo ponte prisci operis transit, qui hodie *Pontvray* dicitur, quasi dicas *Pontem Verum*, a C quo vicina cognomen adhuc retinuit villa. Inde paludibus Via hæc emersa proxime locum *des Logettes*, iter suum continuat per plateam longam & directam pagi *Beaumont sur-Velse*: unde sine ullo flexu aut obliquatione ducit per loca, quæ nostratibus *les petites & grandes Loges, & la Vesve* dicuntur, directa *Catalaunum*, *Arcy sur-Aube*, & porro, ut ostendit *Itinerarium p.* 82.

Tricases	M. P. XXXIII.	*Leg.* XXII.
Artiacam	M. P. XVIII.	*Leg.* XII.
Durocatelaunos	M. P. XXXIII.	*Leg.* XXII.
Durocortorum	M. P. XXVII.	*Leg.* XVIII.

D Verum equidem est, per numeros *Itinerarii*, Viam *Durocortoro Catalaunum* & *Tricasses* paullo longiorem esse, quam a nobis agnoscitur: nam si milliaria *Itinerarii* ad *Leucas Francicas* reducas, habebis *Durocortoro Tricasses* Leucas Francicas XXXIX. cum non nisi XXXII. vulgo computentur per nostrates; & *Catalaunum* Leucas Francicas XIII. cum dimidia, cum non nisi X. a nostris numerentur: unde alterutrum verum sit, oportet; aut in numeris *Itinerarii* corruptelam esse, aut pedem, quo Milliaria Italica sunt dimensa, minorem fuisse nostro pede Regio, quo Leucæ E Francicæ sunt dimetiendæ: nec male forsan, ut supra innuimus *sect.* XI. *§.* 2. Leandrum Albertum, *in Descript. Italiæ*, *ed. Lat. p.* 135. dixisse, Mensuras, quibus in *Itinerario* usus est Antoninus, fuisse nostris minores, a qua diversitate, distantiarum quoque diversitas oriri potuit.

7. Altera Via, quæ *Durocortoro* oritur, & in *Itinerario* describitur *p.* 82. est una illarum, quæ *Divodurum Mediomatricum* ducit, hoc modo: *Item a Durocortoro Divodurum usque* M. P. LXII. *sic*:

Basilia	M. P. X.
Axuenam	M. P. XII.
Virodunum	M. P. XVII.
Fines	M. P. VIIII.
Ibliodurum	M. P. VI.
Divodurum	M. P. VIII.

F Tertia Via eodem ducit *p. ead. Itinerar.* *Alio itinere a Durocortoro Divodurum usque* M.P.LXXXII. *sic*:

Fanum Minervæ	M. P. XIIII.
Ariolam	M. P. XVI.

Z

Caturigas	M. P. VIIII.
Nasium	M. P. VIIII.
Tullum	M. P. XVI.
Scarponam	M. P. X.
Divodurum	M. P. XII.

In *Peutingeri Tabula segm.* I. & II. hæc Via ita depingitur:

(A *Durocortoro*)	
Tanomia	XVIIII.
Caturices	XXV.
Nasio	VIIII.
Ad Fines	XIIII.
Tullio	V.
Scarponna	X.
Divoduromedio Matricorum	XIIII.

Binæ hæ Viæ separatim usque ad portas urbis Remensis non accedunt, sed ambæ conjunguntur in itinere, Viæ, quam primam diximus, *Catalauni*, ubi tres hæ Viæ, ceu tres rami communi suo stipiti inserti, junctim uno quasi stipite ad Urbem pergunt. Notandum namque, ut paullo ante diximus, Viam Publicam, quæ Porta Basilicari urbe Remorum porrigitur, ad alteram ab Urbe Leucam Francicam dividi supra oppidum *Sillery* in duos ramos, quorum alter pergit Catalaunum inter Ortum & Meridiem: alter abit ad sinistram directus ad Ortum & Subsolanum, transit locum dictum *Deux Maisons*, quem inter & pagum *Prosne*, ad quartam circiter ab Urbe Leucam Francicam, denuo hæc Via in duos ramos dividitur, quorum uterque per diversas urbes & mansiones, quæ in *Itinerario* annotantur, ducit *Divodurum*.

8. Quantum ad nomina Urbium locorumque, quorum fit mentio in hisce Viis, illa quænam sint hodie, & ubi convenientem sibi situm habeant, dictu est longe difficillimum, quod Latini mirum in modum nomina Gallica immutarint: imo & ipsa ævi longinqua vetustas multa delevit, & nova substituit recentior ætas. Philippus Cluverius, *de Germ. Antiq.* II. 9. *p. m.* 34. *Basiliam* ait esse flumen *Vesle*, & *Axuenam* fluvium *Aisne* vel *Aixne*. Fluvius *Vesla* oritur ad quartam *Catalauno* Leucam Francicam, in pago dicto *Somme-Vesle*, ad XII. aut XIII. Leucas Francicas Remis distante. Inde *Vesla* Remos perluens infra eam urbem, ad XII. aut XIII. Leucas, effunditur in fluvium *Axonam* sive *Aisne*, prope oppida *Condé* & *Velly*, postquam *Vesla* alluerat oppida *Fismes* & *Braine*, sita secundum ejus flumen, cujus cursus est ad summum circiter Leucarum Francicarum XXVIII. Certum est binas hasce Vias, Alteram & Tertiam, pergere secundum fluminis *Veslæ* cursum, & satis ad fontem ac originem appropinquare; at num usquam *Veslam* transeant, compertum non habeo. Fluvius vero, quem sub nomine *Basiliæ* Cluverius nobis depingit in *Tabula Germaniæ Cisrhenanæ, ut inter Julii Cæsaris & Trajani fuit Imperium*, potius exhibet situm fluvii *Suippæ*, quam *Veslæ*; neque enim eum quasi urbem Remorum allueret, pingit, sed procul ea urbe, ad sinistram, ad quam euntibus Durocortoro in Mediomatricos *Suippa* fluvius est situs: fluvium vero, qui Durocortorum alluit, *in eadem Tabula* sine nomine pingit. Quare verius crederem, *Basiliam* esse loci nobis hodie ignoti nomen, quam fluvii: adde, quod in priscis Chartis Remensibus nec Tabularii Urbis, nec Ecclesiæ Metropolitanæ, item nec in *libris* Hincmari, nostri quondam Archiepiscopi, nec Flodoardi nostræ Ecclesiæ Remensis Historici, usquam *Vesla* vocetur *Basiliæ* nomine, sed constanter *Vidula*.

9. Quod *l. l.* Cluverius ait: *Frustra laboraverit, qui duobus locis interpositis, Finibus & Bibliodurо, certos situs investigare velit.* Idem nos dicere possumus de pluribus urbibus, oppidis, vicis, mansionibus, mutationibus, sitis ad Vias Publicas & in *Itinerario* recensitis, quarum situs hodie non potest investigari & assignari. Conjicio tamen in hac recensione nostræ, de qua agimus, Viæ, *Fanum Minervæ* forsan esse pagum celebrem satis *Suippam*, septem Leucas Francicas Durocortoro distantem, quandoquidem hæc distantia illis XIIII. M. P. par est, quos *Itinerarium*, *Durocortoro Fanum Minervæ* numerat. Cæterum solæ Urbes celebriores sua fere conservarunt nomina, & sic posterorum agnoscuntur & celebrantur memoria. Ita in priore Via *Durocortoro Divodurum* notæ sunt urbes *Virodunum*, nunc *Verdun*; in posteriore Via, *Nasium*, nunc *Nancy*; *Tullum*, nunc *Toul*; & ipsum *Divodurum*, hodie *Metz*. Tacitus omnium primus hoc nomen *Divoduri* Historiæ prodidisse videtur *Hist.* I. 63. Ptolemæus *Geogr. lib.* II. 9. hanc urbem facit metropolim *Mediomatricum*, quem Latini populum *Mediomatricos* appellant. Posteriore hoc nomine Ammianus Marcellinus XV. 10. pro more ævi sui ipsam urbem appellat, totius gentis vocabulo. Eo namque ævo cœperunt nomina prisca & propria urbium per Gallias mutari in nomina populorum, quorum erant metropoles. Sic *Durocortorum*, dictum *Remi*, nunc *Reims*, *Lutetia*, *Parisii*, nunc *Paris*; *Augusta Treverorum*, *Treveri*, nunc *Treves* Gallis, & *Trier* Germanis; *Samarobriga*, *Ambiani*, nunc Amiens; *Andomatunum*, *Lingones*, nunc *Langres*, *Agendicum*, *Senones*, nunc *Sens*; *Autricum*, *Carnutes*, nunc *Chartres*, & sic plures aliæ.

10. Quarta Via, quæ *Remis* oriunda extra urbem porrigebatur, pergebat *Treviros*. Eam exhibet *Itinerarium p.* 82. & 83.

Item a Durocortoro Treveros usque:	
Vungum Vicum	*Leg.* XXII.
Sepoissum	*Leg.* XXII.
Orolaunum Vicum	*Leg.* XX.
Andetannale Vicum	*Leg.* X.
Treveros Civit.	*Leg.* XV.

Hæc Via egreditur porta antiquissima, quæ hodie adhuc urbem claudit & aperit, & pro temporum varietate varia quoque habuit cognomina. Primum & antiquissimum fuit *Porta Treverensis*, ut eam *in Testamento* suo nominat S. Remigius, quod per illam iter esset Via Militari, quæ modo est descripta, *Treveros* & in Germaniam: uti e regione porta opposita, quæ hodie *Porte aux Ferrons* dicitur, vocabatur *Porta Valesia*, sive vulgo *Valoise*, *Baloise*, *Gauloise*, quæ voces ejusdem apud Majores nostros significationis *Gallicam* sonant, quod ea iter esset in *Galliam* e regione Germaniæ oppositam: postea temporis *Porta Treverensis* etiam Carceri locum præbuit, qui ante hos fere quingentos annos in ea adhuc erat, unde dicta fuit *Porta Carceris*, & vernacula corruptela *Porte Chartre*, quod nomen ante hos admodum L. aut LX. annos (*Auctor Bergierius scripsit hoc opus circa A. Christi* CIƆ. IƆC.XXI.) cœpit corrumpi in *Porte Cere*, ac si quis diceret *Portam Cereris*, ob frumenti scilicet copiam, quod ea parte in Urbem advehitur: videatur Ægidius Leodicensis, *in vita S. Alberti Leodicensis Episcopi*. Hæc autem Via est una illarum, quas refodi curavi, ut in ea perlustrarem materiarum seriem. Est ea profecto inter pulcherrimas, eminentiores & integerrimas totius Galliæ Belgicæ. Est quidem partim interrupta, partim per superingestam terram cooperta a Porta, quam diximus, usque ad locum vulgo

A dictum *le Linguet*, qui distat Remis leuca Francica una & dimidia: at inde, velut e suis emersa ruinis alio aggere eminet & directa ducit ad oppida & loca nostratibus dicta *Vaudeteré*, *Juniville*, *Attigni*, *le Chesne*, *Mouzon* & *Yvois*, unde itinere continuato per *Sylvam Arduennam* transit oppida *Arlon* & *Echternacum* & recta tendit *Treveros*, metropolim Belgicæ primæ; qua media urbs Remorum, metropolis Belgicæ secundæ connectitur cum Germanis, Norico & Pannoniis, ut post deinde videbimus.

11. Quod attinet nomina locorum & mansionum hujus Viæ in *Itinerario*, Cluverius *de Germ.* B *Ant.* 11. 14. *p. m.* 64. *Vungum* vel *Tungum* ex intervallo, itineris tractu & nominis similitudine judicat esse oppidulum *Ligny*, ad *Axonam* amnem, in Remorum finibus; literaque V transversa in L legendum esse *Longum*: verum locus hic *Ligny* incolis ejus tractus plane ignotus est, ut putem, illi in mente fuisse pagum *Attigny*, qui x. aut xi. Leucas distat Remis, secundum intervallum *Itinerarii*, quod primæ huic mansioni distantiam Remis XXII. M. P. adscribit. Cæterum ego crederem τὸ *Tungo*, ut legunt quædam editiones, pro *Vungum*, non esse proprie vicum aut pagum *Attigny*, sed *prætorium Yonni*, quod olim vulgo *le Palais* C *d'Tonne*, cujus sedem & locum hodie occupat *Prioratus*, ut vocant, sive Monasterium *S. Walburgis*. Ex Flodoardi enim Chronologia, & nonnullis antiquissimis monumentis, quæ ipse illis in locis conspexi, didici, temporibus Caroli M. & Ludovici Pii *Attiniacum* fuisse urbem, non quidem amplam valde, sed commodis domibus, ac magnificis ædibus exornatam, in qua urbe, Ludovici Pii ævo, *Concilium Attiniacense primum* & *secundum* sunt celebrata. Prope *Attiniacum* fuisse prætorium regium, quo Imperatores diverti & commorari, & venationibus libenter indulgere D solebant: hoc Prætorium dictum fuisse *le Palais d'Yonne*, quod non valde abit a nomine *Yungo*; diu deinde postea Campaniæ quendam Comitem ex hoc Prætorio ad Ecclesiam Remensem transtulisse XII. Canonicos, quos vocant, qui a reliquis Remensibus in Collegium idem fuerint cooptati, ea tamen conditione, ut oppidum *Attiniacum* dono cederet in ditionem perpetuam Archiepiscoporum Remensium, qui & hodie illo gaudent oppido, quod inter septem Præfecturas illorum, *Castellanatus* sive vernacule *Chastellenies* vocant, locum habet. Prætorium vero sive *Palatium Yonnæ* idem Comes transmutavit in *Monasterium* in- E stituti Benedictini, sive *ordinis S. Benedicti*, sub nomine *S. Walburgis* dedicatum, a qua hodie locus ille denominatur vulgo *la Prieuré de S. Waubourg*. Porro in hoc itinere, *Sepoissus*, aut, ut aliæ editiones legunt, *Epoissus*, qui locus *in Notitia Imp. Occid. p.* 179. *versa Edit.* 1608. dicitur *Epusus*, est oppidum, quod hodie Gallis *Yvois* dicitur, Germanis *Ipsch*, in priscis Treverorum finibus. *Orlaunus vicus* haud dubie est *Arlon* oppidum; & *Andetannalis vicus* hodie *oppidum Echternach*; quæ ex distantiarum in *Itinerario* intervallis, nominum similitudine & allusione, & itineris tractu ac situ colliguntur.

F 12. Quinta Via, quæ a Remis porrigitur, est ea, quæ recta pergit *Bagacum Nerviorum*, hodie *Bavais en Hainault*; aut si mavis *Itinerarii* ordinem, *Bagaco Durocortorum*, in quo describitur *p.* 86.

Iter a Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum usque sic:	M. P. LIII.
Duronum	M. P. XII.
Verbinum	M. P. X.
Catusiacum	M. P. VI.
Minaticum	M. P. VII.
Muennam	M. P. XVIII.
Durocortorum	M. P. X.

Hæc Via in agrum ex Urbe porrigebatur per antiquam *Martis Portam*, ducens versus dextram recta ad locum *Cren de Brimont*, quasi diceres *fissuram Brimontis*. Est enim mons ille apertus & excisus per Romanos, prope pagum *Brimont*, ut planum daret transitum Viæ Militari, de qua agimus, uti & alibi locorum iidem Romani solebant excidere montes ad Viarum Publicarum compendia & commoda. Via hæc ibi plane corrupta est, sed inde directa porrigitur per loca, hodie dicta *Pont-Givar*, *Neuf-chastel*, *Lor*, *Nisi le Comte*, *Dizi*, *Taveau*, *Montigny*, *Vervin*, *la Chapelle*, qui locus munimentum est in limitibus Galliæ; *Doren* & tandem *Bavais*.

13. Si nomina prisca velimus conferre cum recentioribus, Cluverius *de Germ. Ant.* 11. 24. *p. m.* 116. dicet, *Duronum* esse vicum Tirassii *Doren*; cui contrarius esse nolo, nihil enim eo de loco habeo compertum. *Verbinum* sine dubio est elegans illud oppidulum *Vervin*, rotundo situ in colle clementi nec valde edito positum, juxta cujus radicem Via hæc Publica præterit. Hic locus qui in turbis Galliæ civilibus a *Liga* cognominatis, sexies aut septies gravem hostium perduravit obsidionem, postea Henrico Magno, Francorum Regi, ad pacificationem cum Philippo Hispaniarum Rege per oratores ibi perficiendam anno Christi cIↃ. IↃ. XCVIII. placuit. *Catusiacum* forsan est *Chaoux*, situm admodum passus IↃ. infra *Monticornetum*, quod *Vervino* distat tribus leucis Francicis, quæ æquant VI. M. P. quibus *Itinerarium* hanc distantiam metitur. *Minaticum* mihi est ignotum: nisi forsan sit *Nisi le Comte*, quod tribus Leucis Francicis cum dimidia distat a *Choaux*, atque ita convenit cum dimensione *Itinerarii*, quod numerat VII. M. P. at *Muenna*, quam *Tabula Peutingeri segm.* 1. correctius videtur appellare *Auxenam*, id est, *Axonam*, videtur collocanda ad oppidum *Neuf-chastel*, ubi *Axona* fluvius, quatuor Leucis Francicis ab urbe Remorum, transitur.

14. Sexta Via Remis eadem *Martis porta* porrigitur, ad cujus aditum a Quinta Via divortium facit. At illam valde diversam reperio ratione initialium locorum & mansionum in *Itinerario p.* 68. in quo *Taruennam* quidem ducitur per *Augustam Veromanduorum*, verum eo ducitur longo circuitu & flexu per *Fines*, & *Augustam Suessonum*, cum recta, secundum ipsum Viæ tractum, qualis re ipsa est, potuisset duci *Durocortoro Augustam Veromanduorum*. Sed videamus primo *Itinerarium*:

Iter Taruenna Durocortorum sic:	M. P. CIII.
Nemetacum	M. P. XXII.
Camaracum	M. P. XIIII.
Augustam Veromanduorum	M. P. XVIII.
Contra Aginum	M. P. XIII.
Augustam Suessonum	M. P. XIII.
Fines	M. P. XIII.
Durocortorum	M. P. XII.

Quod si hoc iter retrorsum *Durocortoro Taruennam* proficiscamur, primo transibimus *Fismes* oppidum, quod in *Itinerario* dicitur *Fines*; forte quod paullo supra illud oppidum erant *fines* & limites Remorum & Suessonum; quin imo visitur etiam hodie Terminalis lapis antiquus in Via ad oppidum *Braine* positus, qui ad hoc usque tempus diœceses

Remorum & Suessonum dividit & limitat. Ratione situs oppidum *Fismes* plane convenit cum distantia XII. M. P. in *Itinerario* notata; nam Remis eo usque numerantur VI. Leucæ Francicæ, & ab oppido *Fismes Augustam Suessonum*, nunc *Soissons*, paullo plus numeratur distantiæ, unde hæc Via iter continuat *Augustam Veromanduorum*, nunc *Saint Quentin*: hinc pergit *Camaracum*, *Nemetacum*, *Taruennam*, ut habet *Itinerarium*; quæ nunc sunt *Cambray*, *Arras* & *Terouenne*. Visitur tamen quoque alia Via Militaris, quæ rectior & compendio ducit *Durocortoro Augustam Veromanduorum*, nimirum per *Bacum* ad oppida *Berry*, *Corbeny*, *Festicu*, *Vernueil* & tandem *Saint Quentin*: est hæc Via quidem interrupta & dissipata *Remis* ad *Bacum* usque per quatuor admodum Leucas Francicas; at inter *Corbeny* & *Saint Quentin* adhuc integra pluribus intervallis satis longis visitur.

15. Superest septima & ultima Via *Remis* oriunda, quæ in *Itinerario p.* 82. hoc modo describitur:

(A Durocortoro Gessoriacum M. P. CLXIII.)
(*sic*:)

Suessonas	M. P. XXXVII.	*Leg.* XXV.
Noviomagum	M. P. XXVII.	*Leg.* XVIII.
Ambianos	M. P. XXXIIII.	*Leg.* XXIII.
Pontes	M. P. XXXVI.	*Leg.* XXIIII.
Gessoriacum	M. P. XXXVIIII.	*Leg.* XXVI.

Hæc Via est pars illius, quæ *sectione* XXXVI. §. 4. descripta est *Mediolano Gessoriacum*, in qua τὸ *Leg.* XV. ad *Gessoriacum* male legitur in editione Suritæ, pro quo recte ms. liber Thuaneus, ut vidimus *sect.* XXXVII. §. 2. & 5. legit *Leg.* XXVI. Ejus loca facile agnoscuntur, sunt enim nunc: urbes *Soissons*, *Noyons*, *Amiens*, *Pontieu* & *Boulongne*. Tria priora dubio carent: at *Pontes* aliter collocat Cluverius *Germ. Antiq.* II. *pag.* 113. *Medio*, inquit, *fere itineris cursu occurrit hodie oppidum Condé, Scaldi ponte junctum: qui locus ex nomine, P mutato in C, simulque situ atque intervallo haud dubie vetus ille est pons Scaldis*. Ubi Cluverius mutatione literarum ex *Ponte* facit *Condé*. Verum non animadvertit, nomen *Condé* in Gallia Belgica aliam habere etymologiam. Nam pagi, urbes, oppida, hoc nomine appellata, cuncta sunt sita ad fluvios aut rivos confluentes, ut *Condé ad Axonam*, *Condé ad Matronam*, *Condé ad Suippam*: & alia, quæ in *Itinerario* exempli caussa *p.* 83. 87. 88. & libris nostris mss. habent nomen *Condatum* aut *Condate*, quasi a *condando*, seu congregando sive confluendo: sic *Condé sur-Marne* dicitur, quod sit juxta confluentes Matronæ & fluvioli, qui ex montanis Remensium oritur; uti colligitur ex hisce verbis, excerptis ex indice ante hos IↃCCLX. annos (*Auctor Bergierius hæc scribebat A. CHR.* CIↃ. IↃC. XXI.) ms. redituum Abbatiæ S. Remigii, quæ Remis est: *Anno incarnationis Domini* IↃCCCLXI. *Episcopatus autem domini Hincmari*, XVII. *veniens Missus domini Regii Caroli in villam Condatum*, *situm super fluvium Matronam tradidit ipsam villam Missis domini Hincmari*. Superest *Gessoriacum*, de quo varia sunt opinionum divortia. Hermolaus Barbarus *Castig. in Melam* III. 2. urbem *Brugas* Flandrorum putat; Hector Boethius *in Hist. Scot.* credit *Slusam* Flandrorum: Turnebus *Adversf.* VIII. 21. ex sententia Gallandii ait *S. Audomari fanum*, vulgo *Saint Omer*; cui videtur accedere Surita *in Comm. in Itin. Ant. p.* 518. Ortelius *in Thesaur. Geogr* nihil definire audet, non tamen abludit a Lhuydi sententia, quæ *Caletum*, vulgo *Calais*, hic ponit. Sed M. Velseri *Comm. in Tabul. segm.*

A 1. opinio videtur præ reliquis certior, qui hunc portum esse eundem asserit qui nunc *Bononia* dicitur, olim Cæsari *de B. G.* V. 2. & 5. *Iccius*, *Ittius*, *Itius* aut *Icius*, varie enim legitur, *portus*: ex quo *brevissimus*, *de B. G.* IV. 21. & *commodissimus*, *ibid.* V. 2. *erat transjectus in Britanniam*. Hanc sententiam Philippus Cluverius validis & solidis rationibus confirmat *Germ. Ant.* II. 28. *p.* 122. & *seqq.* quam nos, ut certiorem, sequemur. Sic autem breviter sententiam suam proponit Cluverius *p.* 123. *Hunc vero* Portum *tria diversis temporibus diversa obtinuisse nomina apud Auctores reperio: primum fuit Icii, a Cæsare ac Strabone ei tributum: alte-*
B *rum Gessoriaci, a pluribus memoratum: tertium Bononiæ a posterioris sæculi Scriptoribus traditum, quod etiamnum tenet; vocaturque Gallis incolis Boulogne, Germanis proximis Buenen*: adde hic auctoritatem *Tabulæ Itinerariæ*, quæ diserte ait *segm.* 1. *Gesogiaco*, *quod nunc Bononia* XXIIII. ubi τὸ *Gesogiaco* corruptum est ex *Gessoriaco*, ut plura alia ejus *Tabulæ* nomina.

16. Portus hic credebatur olim esse Terrarum ad eam plagam finis, & *Morini* generatim, quorum in regione, quæ circa *Teruannam* creditur esse, hic Portus erat, habebantur hominum ultimi. Hinc Virgilius *Æn.* VIII. 727. eos vocat *extre-*
C *mos hominum*, ut monuimus I. 29. §. 7. Huc respicit Mela III. 2. *Ab illis* Osismiis ait, *iterum ad septem triones frons littorum respicit*, *pertinentque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos*, *nec portu*, *quem Gessoriacum vocant*, *quicquam habent notius*. Sane hæc Galliæ Belgicæ pars ab Italia longissime erat remota; quæ cum fuerit ornata Via Militari, quæ a Roma ad istum usque Portum ducebat, comprobat verissimum esse, quod supra *sect.* V. & alias passim diximus, Romam ad extremos Orbis fines & limites suas produxisse Vias Militares. Sed ut ad Viam hanc nostram postremam
D redeamus, oriebatur illa ab antiqua *Martis porta* æque, atque binæ priores; ex qua porrigebatur ad sinistram trans *Veslam* fluvium, & recta ducebat ad pagum *Champigny*, qui distat Remis unam Leucam Francicam, sed usque ad hunc hodie rara supersunt Viæ ejus vestigia: neque hoc valde mirandum: reperio enim in nonnullis Chartis vetustis, Vias Publicas ab ea parte alium in locum esse traductas & translatas, quod cum antiqua *Porta Martis* & illa, cui nomen est a *Regnero Buiron*, fuerint obstructæ; necessario Viæ Publicæ ad Portam, fuerunt traducendæ & transferendæ, quæ abhinc tribus, & quod excedit, sæcu-
E lis a Civibus loco duarum mox dictarum, ut in urbem euntes ab ea parte admitteret, fuit exstructa. Cum vero nova hæc porta non esset procul ab antiqua *Martis porta*, ab ejusdem vicinia idem nomen mutuata est, quo etiam nunc gaudet. At cum ex pago *Champigny* iter facis ad oppidum *Fismes*, ibi hæc Via iterum eminet satis integra, & continuatur ad *Fismes*, hinc *Suessonas* per oppidum *Braine*, quamvis in nonnullis intervallis, licet brevioribus, adeo interrupta sit, ut pæne in illis evanuisse videatur.

17. Præter has septem Vias, vidi etiam vestigia duarum aliarum operis Romani, quarum altera
F ducebat Remis ad *Chastel en Portien*, quæ adhuc locis nonnullis satis integra per patentes campos visitur. Altera est ea, quam primam jussi refodi, in horto Capucinorum, ut dixi II. 18. §. 2. Verum quoniam hæ posteriores Viæ non adeo longæ sunt, nec in *Antonini Itinerario* recensitæ, nolo diutius illis immorari.

SECTIO XL.

De Viis Publicis Transversis, quæ Gallias cum Hispaniis, & cum Pannoniis connectunt.

1. *Viæ ex Hispaniis in Galliam. Gallia quid proprie notet.* 2. *Via de Hispania in Aquitaniam.* 3. *Binæ aliæ Viæ in Aquitaniam.* 4. *Cur Gallia Celtica significetur per Gallias.* 5. *Duæ Viæ militares ex Aquitania in Gallias.* 6. *Quomodo Via Militaris Augustoduno cum aliis Galliæ Celticæ & Belgicæ cohæreat.* 7. *Index aliquot Viarum per Belgicam.*

1. Postea quam perlustravimus Viam omnium rectissimam, quæ ab ipsa Roma per Gallias ad finem quasi & limitem *Gessoriacum* ducit; lustrandæ veniunt Viæ Transversæ, quæ Gallias Provinciis vicinis connectunt, tam hinc, quam inde. Initium faciemus ab illis Viis, quæ in Gallias veniunt ex Hispaniis, per montes Pyrenæos ad Occasum, & quæ inde porriguntur, velut in duas diversas partes sectæ & divisæ, quarum tamen altera alteram proxime insequitur, secundum *Itinerarii* descriptionem. Harum prior ibi *p* 103. ex *Hispania* in *Aquitaniam*; posterior *pag.* 104. ex *Aquitania* in *Gallias* ducit; tanquam si *Aquitania* versus Hispaniam separata & distincta esset a reliquis Galliis, ut docuimus *sect.* XXXVIII. §. 1. *Provinciam Narbonensem* distinctam & separatam fuisse a reliquis Galliis versus Italiam; quamvis utraque fecerit partem Galliæ universæ, quæ Romanis *Transalpina* vocabatur. Sed per *Galliam* hic proprie intelligi debet *Gallia Celtica*; in quam fit transitus tam hinc a Provincia Narbonensi transeundo Rhodanum Lugduni, quam inde ab Aquitania transeundo Garumnam. *Galliæ* enim appellatio quod soli *Celticæ Galliæ* apud Romanos proprie & stricte data fuerit, docet Julius Cæsar *Comm. de B. G.* I. 1. ubi ait: *Tertiam* partem Galliæ incolunt, *qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona & Sequana dividit.* Hic clarissime vides, *Gallorum* generale nomen speciatim *Celtis* per Romanos dari. Idem Cæsar *Galliam* pro *Celtica* ponit, *B. G.* II. 3. ubi *Remos* ait *proximos Galliæ ex Belgis* esse. Sic & Strabo *Geogr lib.* IV. *p.* intelligendus, cum ait: *Ut simpliciter dicam, Aquitani a natione Gallica corporis habitu & lingua differunt, magis Hispanis similes.*

2. Hoc ergo modo intelligendæ sunt *Aquitania* & *Galliæ*, cum in *Itinerarii* titulis legitur:

p. 103. *De Hispania in Aquitaniam*
p. 104. *De Aquitania in Gallias.*

Viarum autem Aquitaniæ Militarium aliæ ab externis & aliis regionibus adveniunt, aliæ intra proprios ejus limites manent & in ea continentur. Prioris notæ est Via, quæ Hispaniam cum Aquitania connectit, cujus initium est *Asturicæ Augustæ*, Asturum metropoli, nunc Hispanis *Astorga*, unde per montes Pyrenæos porrigitur *Burdigalam* usque. Recensetur in *Itinerario p.* 103. hoc modo:

DE HISPANIA IN AQVITANIAM.

Ab Asturica Burdigalam sic:	M. P. CCCCXXI.
Vallatam	M. P. XVI.
Interamnium	M. P. XIII.
Palantiam	M. P. XIIII.
Viminacium	M. P. XXXI.
Lacobrigam	M. P. XV.
Segisamonem	M. P. XV.
Deobriculam	M. P. XV.
Tritium	M. P. XXI.
Virovescam	M. P. XI.
Vindeleiam	M. P. XII.
Deobrigam	M. P. XIIII.
Beleiam	M. P. XV.
Suissatium	M. P. VII.
Tullonium	M. P. VII.
Albam	M. P. XII.
Aracælim	M. P. XXI.
Alantonem	M. P. XVI.
Pompelonem	M. P. VIII.
Turissam	M. P. XXII.
Summum Pyrenæum	M. P. XVIII.
Imum Pyrenæum	M. P. V.
Carasam	M. P. XII.
Aquas Tarbellicas	M. P. XXXIX.
Mosconnum	M. P. XVI.
Segosam	M. P. XII.
Losam	M. P. XII.
Bojos	M. P. VII.
Burdigalam	M. P. XVI.

3. Viarum Publicarum, quæ in ipsa manent Aquitania, hæc duo sunt exempla *p.* 104. *Itinerarii*:

Item ab Aquis Tarbellicis Burdigalam M. P. LXIV.
Item ab Aquis Tarbellicis Tolosam M. P. CXXX.

Viæ hæ ambæ oriuntur eadem urbe, quæ hodie vulgo *Acqs* dicitur, & in oppositas partes porriguntur: prior *Burdigalam*, vulgo *Bordeaux*, ad Leucas Francicas XXXII. posterior recta *Tolosam* ad extremam Aquitaniam, per Leucas Francicas LXV.

4. Ex Hispania venimus in *Aquitaniam*, & Vias eo ducentes lustravimus: jam ergo continuemus iter ad provincias vicinas, quas *Itinerarium* numero multitudinis indicat *p.* 104. *De Aquitania in Gallias.* Hæ *Galliæ* sunt, quæ *Celticæ* nomine comprehenduntur; quæ est *Lugdunensis*, sub Constantino M. divisa in quatuor provincias, quas per *Gallias* intelligit Auctor *Itinerarii*, scilicet, *Lugdunensem primam*, cujus metropolis *Lugdunum*; *secundam*, quæ habet metropolim *Rothomagum*; *tertiam*, cui metropolis est *Turonum*; & *quartam* sive *Senoniam*, in qua metropolis est civitas *Senonum*: vide *libell. Provinciar. Rom. in Itinerario p.* 127. & 128. Ad has ergo *Gallias* ex *Aquitania* duplex est iter in *Itinerario*.

5. Prius est *Burdigala Augustodunum*, nunc *Autun*, quod exhibetur *p.* 104. hoc modo:

DE AQVITANIA IN GALLIAS.

Iter a Burdigala Augustodunum sic:	M. P. CCLXXIV.
Blauutum	M. P. XVIIII.
Tamnum	M. P. XVI.
Novioregum	M. P. XII.
Mediolanum Santonum	M. P. XV.
Aunedonnacum	M. P. XVI.
Rauranum	M. P. XX.
Limonum	M. P. XXI.
Fines	M. P. XXI.
Argantomagum	M. P. XXI.
Ernodurum	M. P. XXVII.
Avaricum	M. P. XIII.
Tinconium	M. P. XX.

Decidas	M. P. XXII.
Alisincum	M. P. XIIII.
Augustodunum	M. P. XXII.

Posterius iter non putarem penetrare in *Galliam Celticam*, nisi titulus ipse hoc diceret: saltem non producitur usque in illam regionem, nisi forsan *Argantomagum*, de quo nihil compertum habeo, quam quod in hac Via collocetur ultra *Augustoritum*, nunc *Poictiers*, distantia XXI. M. P. at vero in *libello Provinc. Roman. sæpius laudato p.* 131. *Civitas Pictavorum*, quæ est *Augustoritum*, *Aquitaniæ secundæ* urbibus accensetur, non *Celticis* sive *Lugdunensibus*; ejusque metropolis dicitur civitas *Burdigalensium*. In *Itinerario p.*105. hoc modo recensetur:

DE AQVITANIA IN GALLIAS.

Iter a Burdigala Argantomagum sic:	M. P. CXCVII.
Sirionem	M. P. XV.
Ussubium	M. P. XX.
Fines	M. P. XXIIII.
Aginnum	M. P. XII.
Excisum	M. P. XIII.
Trajectum	M. P. XXI.
Vesunnam	M. P. XVIII.
Fines	M. P. XXI.
Augustoritum	M. P. XXVIII.
Argantomagum	M. P. XXI.

6. Viæ hæ cum pervenerant in *Galliam Celticam*, ibidem præcipuas ejus urbes connectebant, a quibus postea communicabantur cum *Belgica prima* & *secunda*. Sic *Augustodunum* urbs Viam Publicam a *Burdigala* deductam habebat; & cum *Lutetia Parisiorum* postea aliam Viam Publicam communicabat; *Lutetiæ* vero iterum Via Militaris in duos abibat ramos, quorum alter pergebat *Rothomagum*, nunc *Rouen*; alter *Cæsaromagum*, nunc *Beauvais*, ut constat ex *Itinerarii* titulis:

p.83.	*Ab Augustoduno Lutetiam Parisiorum*	M. P. CLXXXVII.
p.87.	*Iter a Rotomago Lutetiam usque*	M. P. LXXVI.
ibid.	*Iter a Cæsaromago Lutetiam usque*	M. P. XLVI.

7. Si quis vellet omnes & singulas *Itinerarii* Vias inter se componere, ut, quomodo per eas cohærеant urbes celebriores, ostenderet, & quibus Viis *Gallia Celtica* ejusque urbes celebriores connectantur cum *Belgica*, & hujus urbibus celebrioribus, ingrederetur ille profecto stadium fugitivo pede minime percurrendum, sed lento gressu & longo temporis tædio obeundum. Quare cætera Lectorum industriæ relinquo, & solum ex *Itinerario* adferam reliquos titulos generales Viarum Publicarum *Celticæ* & *Belgicæ*, qui hoc ordine & his distantiis recensentur.

p.85.	*Iter a Portu Gessoriacensi Bagacum usque*	M. P. LXXXIII.
	A Castello per Compendium Turnacum usque	M. P. XXXVIII.
	Iter a Taruenna Turnacum	M. P. XLIX.
p.86.	*A Samarobriva Suessonas usque*	M. P. LXXXVIIII.
p.87.	*Iter ab Antematunno Tullum Leucorum usque*	M. P. XLIII.

SECTIO XLVI.

De Viis Transversis, quæ Gallias Germaniis & Pannoniis connectunt.

1. *Provinciæ Belgicæ, & Germaniæ, quomodo accipiendæ.* 2. *Viæ ex Belgica secunda & Lugdunensi prima ad Belgicam primam ducentes.* 3. *Viæ ex Belgica prima in Germanias.* 4. *Viæ, quæ aliunde in Germanias veniunt; aut quæ in illis initium & finem habent.* 5. *Pannoniæ quænam, earumque divisio.* 6. *Via Publica Sirmio & Tauruno in Gallias ducens.* 7. *Cur tot Viæ Treveros ducant, ibique concurrant.* 8. *Viarum munitarum in Pannoniis antiquitas.* 9. *Viæ ad Danubium usque munitæ.* 10. *Brevis cæterarum Viarum Pannonicarum index generalis.*

1. PErlustratæ sunt Viæ Publicæ, quæ ad nos ab Occasu veniunt; lustrandæ jam veniunt, quæ Galliam connectunt cum Provinciis Romanis ad Ortum. *Germaniæ* nobis ad eam plagam sunt proximæ, & pertinent sive attingunt ad Provincias *Belgicas* & *Celticas*. Per Provincias *Belgicas* intelligo *primam* & *secundam*, quarum metropoles *Treveri* & *Remi*: Per *Germanias*, *superiorem* & *inferiorem*, nobis cis Rhenum; quarum prior metropolim habet *Magontiacum*, nunc Gallis *Mayence*, Germanis *Mayntz*; posterior *Coloniam Agrippinam*, quæ Germanis *Colln*, Belgis *Keulen*, Gallis *Cologne*. Nec mirare, numero multitudinis dici *Germanias*, non *Germaniam*; quia Constantinus M. Germaniam nobis cis Rhenum in duas partes dividens, cum satis commodum nomen proprium ad eas distinguendas se non offerret, debuit *primæ* cognomen priori; posteriori *secundæ* aptare: id quod & pluribus aliis Provinciis accidit. Hinc *Itinerarii* Auctor passim habet *Gallias*, *Germanias*, *Pannonias*, ut jam antea vidimus, & porro hoc in opere videbimus.

2. Ut redeamus in Vias nostras; plures in *Itinerario* recensentur, quæ ex *Belgica secunda* & *prima Lugdunensi* ad præcipuas *Belgicæ primæ* urbes ducunt. Tales Viæ sunt tres illæ, quæ *Remis* oriundæ, prior recta *Treveros*, reliquæ *binæ Divodurum* ducunt; recensitæ a nobis supra *sect.* XXXIX. §. 7. & 10. quare hic sufficiat, earum connexionem verbo indicasse. *Lugdunensis prima* duas Vias Militares dimittit in *Belgicam primam*, quarum altera *Cabellione*, *nunc Chalons Sur-Saone*, *Treveros* pergit, teste *Itinerario p.* 13. ubi simplex titulus est: *Item a Cabellone Treveros*. Altera *Antematunno*, nunc *Langres*, ducit *Tullum Leucorum*, nunc *Toul en Lorraine*; quæ urbs cum *Virduno* & *Divoduro* metropoli subest *Treveris*. In *Itinerario* hæc Via recensetur, *p.* 87. cujus titulus est:

Iter ab Antematunno Tullum Leucorum usque	M. P. XLIII.

3. Ingressi sumus *Belgicam primam*: lustremus ergo Vias, quæ hinc in *Germanias* & cæteras partes Orientales ducunt. Duas Vias Militares, præ cæteris notabiles reperio, quæ metropoli *Treveris* oriuntur; quarum altera *Coloniam Agrippinam*, altera *Argentoratum* ducit. Prior non per M.P. ut aliæ Viæ, sed per Leucas Gallicas CIↃ. IↃ. passuum est dimensa. Eam exhibemus ex *Itinerario p.* 84. Sed sequendo in summa generali numeros librorum mss. quos laudat Surita ipse *p.* 523.

A Treveris Agrippinam [sic:]	Leg. LXVII.
Bedam Vicum	Leg. XII.

Ausavam Vicum	*Leg.* XII.
Egorigium Vicum	*Leg.* XII.
Marcomagum	*Leg.* VIII.
* *	*
Belgicam	*Leg.* VIII.
Tolbiacum Vicum Supenbrum	*Leg.* X.
Agrippinam Civit.	*Leg.* XVI.

Surita, qui per errorem, quem supra ostendimus, τὸ *Leg.* credit *Legiones*, cum in Historia Romana non reperiret *Legionem* LXVII. coactum se vidit, ut substitueret *Legionem* XVI. adeoque *p.* 84. edidit *Leg.* XVI. contra fidem omnium mss. quibus usus est, ut videre licet ex ejus *commentario p.* 523. Verum hunc errorem satis superque castigavimus; quare ad alteram accedamus Viam, quæ in *Itinerarii p.* 84. recensetur hoc modo:

Item a Treveris Argentoratum M. P. CXXIX. *sic:*

Baudobricam	M. P. XVIII.
Salissonem	M. P. XXII.
Bingium	M. P. XXIII.
Magontiacum	M. P. XII.
Brocomagum	M. P. XVIII.
Noviomagum	M. P. XVIII.
Argentoratum	M. P. XVIII.

4. Sunt adhuc & aliæ quædam Viæ, quæ aliunde in *Germanias* adveniunt, & vel per hanc, vel per illam porriguntur. Talis est, quæ *Castello*, nunc *Cassel*, *Belgicæ secundæ* urbe, ducit recta *Coloniam p.* 85. hoc titulo:

A Castello Coloniam M. P. CLXXII.

Item quæ *Antematunno* ducit *Gambatem*, hodie *Kamps*, ad Rhenum, *p.* 88. hoc titulo:

Iter ab Antematunno Cambatem M. P. CII.

Præter has sunt etiam Viæ Militares, quæ aliunde in Germanias non adveniunt, sed in illis ipsis initium & finem habent, præcipuasque inter se urbes tantum connectunt. Talis est, cujus titulus *p.* 83.

A Lugduno capite Germaniarum Argentoratum M. P. CCCXXV.

Quo loco τὸ *caput* non significat metropolim, aut principem urbem; sed *Lugdunum*, nunc *Leyden* esse initium, principium, primum aditum ac veluti limen *Germaniæ* utriusque, præcipue *inferioris*, apud *Batavos* ad littoralem Oceani regionem, unde *Lugdunum Batavorum* cognominatur. τὸ *Caput* vero ita quandoque accipi, supra *sect.* XXXVIII. §. 6. probavimus. Hæc quoque Via, cujus titulus *p.* 84.

Item a Colonia Trajana Coloniam Agrippinam M. P. LXXI.

intra Germaniam inferiorem incipit & finitur. Est & alia Via *Argentorato*, nunc *Strasburg* esse credunt, ad *Vetera Castra*, quæ putant esse nunc urbem *Santen* in ducatu *Cliviensi* sitam, unde *Ultrajectum* in Batavos pergit. (Si ea urbs olim nomen & stativa habuit *Legionis* XXX. *Ulpiæ*; nisi forsan vero similius est, *Harenacium*, nunc *Arnhemium*, Gelrorum caput, fuisse Viæ hujus terminum, ut apparet ex ipsa Via quæ pars est itineris Militaris longioris, & recensetur *p.* 55 & 56. hoc modo:

(*Ab Argentorato:*)

Brocomagum	M. P. XX.	
Concordiam	M. P. XVIII.	
Noviomagum	M. P. XX.	
Bingium	M. P. XXV.	
Antunnacum	M. P. XVII.	
Baudobricam	M. P. XVIIII.	
Bonnam	M. P. XXII.	
Colonium Aggrippinam	*Leg.* *	
Durnomagum	*Leg.* VII.	*Ala.*
Buruncum	*Leg.* V.	*Ala.*
Novesium	*Leg.* V.	*Ala.*
Geldubam	*Leg.* IX.	*Ala.*
Calonem	*Leg.* IX.	*Ala.*
Vetera castra	*	
Leg. XXX. *Ulpia*	*	
Burginacium	*Leg.* VI.	*Ala.*
Harenatium	*Leg.* X.	*Ala*,

ubi super lectionum in mss. varietate, ratione τῶ *Leg.* & *Vetera castra*, & *Leg.* XXX. *Ulpia*, consule Suritam *pag.* 421. & 422.) Pergamus porro ad Vias Militares, quæ ex Provinciis *Belgicis* aut *Germaniis* penetrant in ipsas *Pannonias*.

5. Hæc *Pannoniarum* regio secundum Danubium juxta Sclavoniam, ut hodie vocatur, porrigitur: &, ut cæteræ Provinciæ, in *primam* & *secundam* dividitur. *Prima* & superior complectitur tres vicinos ducatus, qui hodie sunt *Austria*, *Carinthia* & *Carniola*: *secunda* & inferior est illa, quæ nobis hodie dicitur *Hungaria*. Prior metropolim habet urbem amplam & populosam *Vindobonam*, ut in *Itinerario p.* 52. 54. 58. & 60. scribitur, nunc *Wien*: posterior priscam habuit metropolim *Sirmium*, nunc *Sirmisch* aut *Simach*.

6. A *Sirmio* deducit *Itinerarium* Viam Militarem, quæ *Belgicæ primæ* connectit *Pannonias*: transit ea *Soppanas*, nunc *Seebach*, *Pannoniæ inferioris* oppidum, & terminum habet *Treveris*; ea summatim primo exhibetur ita *p.* 52.

ITER DE PANNONIIS IN GALLIAS.

Per mediterranea loca, id est, a Sirmio per Soppanas Treveros usque.

A Sirmio Lauriacum	M. P. CCCCXXXVI.
Augusta Vindelic.	M. P. CCXVI.
Ad Fines	M. P. CXXXVI.
Ad Treveros	M. P. CCXXXI.

Nimis forem prolixus, quod si iter hoc singillatim per suas mansiones recenserem, cum ex titulis summatim constet, illud porrigi per M. P. CIↃ. XX. sive Leucas Francicas IↃX. Hoc addo *Lauriacum* esse Austriæ urbem, quam Lazius *in Chorogr. Pannoniæ*, credit nunc esse *Eusch*; at Simlerus, *ad h. l. Itinerarii*, vero forsan similius, *Lorch*: *Augusta Vindelicorum* communi consensu nunc habetur *Augspurg*: *Fines*, qui toties in *Itinerario* occurrunt, num simpliciter significent hoc loco provinciarum fines & limites; an vero nomen sint urbis, mansionis mutationisve singularis, uti urbs *Fismes* olim *Fines*, inter limites Remorum & Suessonum sita; illud, inquam, certo definire non possum. Est præterea & alia Via Militaris, quæ ex *Pannonia inferiore* in *Germanias* & *Gallias* producitur, porrecta *Tauruno*, nunc *Belgrado*, *Argentoratum*, & inde in *Belgicam primam*, cujus tituli generales sunt *p.* 53.

Iter per ripam Pannoniæ a Tauruno in Gallias ad Leg. XXX. *usque.*

Ad Tauruno Lauriacum	M. P. IↃLXXXVII.
Inde Augustam Vindelicam	M. P. CCXXII.
Argentoratum	M. P. CCCXXII.
Ad Leg. XXX *	M. P. * R *

7. Neque mirari debemus, Vias tam longas ex A
Pannoniis in *Galliam Belgicam* deduci; præcipue *Treveros*, ubi plures ex diversis Provinciis conveniunt. *Augusta* enim *Treverorum* longe tempore sedem & domicilium præbuit Imperatoribus, qui loco tam amœno libenter commorabantur, quam commendat Mosellæ alluentis fluvius. Passim hoc notat Ammianus Marcellinus, singillatim vero XV. 10. *p. m.* 64. *Belgica*, ait, *prima Mediomatricos prætendit*, *& Treviros*, *domicilium Principum clarum*. Huc respicit Ausonius Mosellam alloquens *Mosell. vs.* 23. *&* 24.

Salve amnis laudate agris, laudate colonis:
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ. D

& deinde *vs.* 420. *& seqq.*

——— *Nec præmia in undis*
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos Natique Patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum.

Quo loco Ausonius digitum intendit in Victoriam, quam Valentinianus Pater & Gratianus Filius reportarant de Germanis. Hi enim Imp. acer- E rima gesserunt bella cum Sarmatis, Gothis, Quadis & aliis Germaniæ magnæ populis, unde etiam quasi excubare debuerunt ad ripas Rheni & Danubii, præprimis per hiemem. Hiberno enim gelu conglaciati Rhenus & Danubius veluti pontem Barbaris præbebant ad invadendas Imperii provincias: hinc per hiemem fere Imperatores *Treviris* commorabantur, teste Ammiano Marcellino XXVII. 9. *p. m.* 424. ubi de hac ipsa victoria de *Alemannis* reportata loquens ait: *Milites ad biberna, Imperatores Treveros reverterunt*: hinc & Pomponius Lætus, *in Hist. Rom. comp. in Valentiniano*: *p. m.* 459. *edit. Froben. inter Vitas Cæsarum*: F *Valentinianus*, *exacta Treviris bieme*, *in Gallias revertitur*. Hoc vero ipsum movit Imperatores, ut complures Vias Publicas jam olim secundum Rhenum & Danubium inchoatas continuarent, easque per Noricum & regiones vicinas connecterent, ut exercitibus pro re nata in hanc illamve provinciam ducendis iter commodum, facile & expeditum esset.

8. Cave tamen, putes, ante Valentiniani tempora non fuisse complures Vias munitas per *Germanias*, *Pannonias* & *Noricum*. Constat enim ex Inscriptionibus, laudatis I. 19. §. 5. a Septimio Severo & ejus Filiis Caracalla & Geta munitas esse Vias in *Norico*, *Germaniis* & *Pannoniis*.

9. Sed ut constet plane, Vias Publicas munitas & columnis milliaribus distinctas jam olim in *Pannoniis* fuisse, usque ad Danubii ripam; lustremus inscriptionem columnæ miliaris, ex qua apparet *Vias & Pontes vetustate collapsos*, adeoque jam olim factos, esse a *Valeriano* Gallieni Augusti fratre natu minore *restitutos*: adfert hanc Leonclavius *in Pandecte Hist. Turcic. p. m.* 187. *edit. Wechel.* Gruterus vero CLVIII. 8. & minus emendate:

IMP. CAES.
P. LICINIO. CORNEL
VALERIANO. NOBILISS..
CES. PRINCIPI
IVVENTVTIS. VIA
ET. PONTES. VETVSTA
CONLAPSA. RESTI
A. . . . . VIND. M. P.
I I.

Præmiserat ei Leonclavius ista: *Hi* Romani *filios Imperatorum natu minores Nobilissimos vocabant*, *Illi* Græci *Novellissimos*, *voce nonnihil corrupta*, *sicut patet ex Historiis*, *Inscriptionibus*, *Numismatibus antiquis*, *& Fastis*. *Unicam tantum hoc loco lubet Inscriptionem fidei caussa*, *licet in re manifesta*, *ponere*: *tum quod pro se vetus*, *jam nova sit*; *hoc est*, *recens primum inventa*: *tum quod antiquitatem nobilis Urbis Austriæ Viennensis quondam*, *seu Vindobonæ*, *seu Vindonianæ*, *quod magis probamus*, *insigniter illustret*. *Eam magnifici Equitis DN. Hieronymi Beck a Leopoldstorf*, *Cæs. Majestat. Cameræ Aulicæ Consiliarii*, *studio liberali debemus*: *qui columnæ fragmentum veteris*, *quæ integra milliarium Romanorum fuit*, *in vinea quadam*, *haud procul a S. Marci nosocomio*, *ad unum a Vienna lapidem*, *repertum cum intelligeret*, *operam dedit*, *ut domum suam deportatum posteritati conservaretur*. *Ejus Inscriptionis hæc verba sunt*, *literis expressa nobis familiaribus*: *nam ductus earum*, *quales in archetypo conspiciuntur*, *hoc quidem tempore dare non potuimus*. Quæ ideo libentius hic adfero, ut obiter notem, Leonclavium minus recte sentire, cum *filios Imperatorum natu minores* a Romanis vocatos *Nobilissimos Cæsares* asserit, quandoquidem eodem modo vocati reperiuntur etiam *natu majores*, qui a Patre ad Imperii consortium adsumti erant, ut ex Inscriptionibus & Nummis constat. Primus Filiorum, qui in *Nummis* & apud Auctores, qui ea de re agunt, occurrit hoc honore insignitus, est *M. Julius Philippus*, *Philippi Imp. Filius* unicus, Patris in Imperio consors: *Decius* deinde *Imp.* cum Filiis duobus *Hetrusco* & *Hostiliano*; pariter *Carus* cum *Carino* & *Numeriano* Filiis in *Numismatibus* indifferenter *Nobilissimi Cæsares* appellantur: & quamvis, *Cæsar*, sequiori ævo non tam Imperatorem, quam designatum & Imperio destinatum successorem denotarit, tamen nonnulli Imperatores, qui ex jure imperii in his Nummis salutabantur *Augusti*, in illis Nummis voluerunt dici *Nobilissimi Cæsares*: neque enim unquam, aut certe vix reperietur junctim *Nobilissimus Augustus*; sed fere semper *Nobilissimus Cæsar*. Debeo hanc observationem illustri *Colberto*, *Terroni* Toparchæ, Viro rerum antiquarum studiosissimo & rei Nummariæ scientissimo in hac urbe Remensi. Idem, ut Inscriptiones quoque addam, indicium mihi fecit Inscriptionis, quæ exstat in Eminentissimi Baronii *Annal.* II. *ad an. Chr.* CCLXXXIII. §. 6. & 7. in qua filius Cari Imp natu major dicitur *Nobilissimus Cæsar*. (Eandem habent Panvinius *in Fastis*, & *Inscr. Antiq. Smet. & Lipf. edit. Plantin. p.* 156. ex quibus purpuratus Annalium conditor eam laudavit. Gruterus quoque ex Panvinio illam habet CCLXXVIII. 1. hoc modo:

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENT.
M. AVRELIO. CARINO
NOBILISS. CAESARI
COS. PRO. COS.

FORTISSIMO. ATQVE
CLEMENTISSIMO
IMP. CAES. M. AVRELIO
CARO. INVICTO. AVG.
P. M. TR. POT. II. COS. II.
P. P. PRO. COS.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI IVVENTVT
M. AVR. NVMERIANO
NOBILISS. CAESARI
PRO. COS.

M. AVRELIVS. VALENTINIANVS. V. C. LEG. AVGG. PRO. PR. PROVINCIAE HISPANIAE. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM.

Exstat

Exstat autem hæc Inscriptio *Tarracone in summo Templo*. Sic idem Gruterus habet *Inscr.* CCLXXVII. 8. quam per incuriam repetit, cum sit eadem, CCLXXVIII. 4. quæ hic legi meretur;

IMP. M. AVR. CARINO
NOBILISSIMO
CAES ◊ PIO ◊ FELICI
INVICTO. AVG
PONT. ◊ MAXIMO
TRIB. POT. ◊ P ◊ P. COS.
PROCOS

Exstat hæc *columna marmorea in Via Publica Saeunti*. Sic & idem *M. Aurelius Carinus*, *victoriosissimus Princeps Juventutis & Nobilissimus Cæsar* vocatur in duabus Inscr. *Tarracone*, ab eodem *M. Aurelio Valentiniano* dedicatis: prior exstat *ad D. Teclæ in basi altaris*, posterior ad *D. Annæ*; *apud Gruter.* CCLXXVIII. 3. & 4.)

10. Quod attinet ad cæteras Vias, quæ per *Vindeliciam*, *Noricum* & *Pannonias* ducunt, & quarum mentio facta nondum est, earum tituli generales ex *Itinerario* excerpti sunt hoc isti:

p. 56.	*Iter a Lauriaco Veldidenam*	M.P.CCLXVI.
p. 57.	*Iter ab Æmona per Sisciam Sirmium usque*	M.P.CCCXI.
p. 58.	*Iter a Vindobona Pœtovionem*	M.P.CLXXXIIII
	Iter a Pœtovione Carnuntum	M P.CLXIIII.
	A Sabaria Bregetionem	M.P.CII.
p. 59.	*A Sabaria Acincum*	M.P.CLXVIII.
	A Sopianis Acincum	M.P.CXXXV.
	Item a Sopianis Bregetionem	M.P C.
	Iter a Siscia Mursam	M.P CXXXIIII.
p. 60.	*A Pœtovione Sisciam*	M.P.CX.
	A Sabaria Vindobonam	M.P.LXXXVIII.
	Iter ab Acinco Crumero, quo castra constituta sunt	M.P.LXII.
	Iter a Sirmio Carnuntum	M.P.CCCXI.
p. 61.	*Iter a Sirmio Salonas*	M.P.CCLXXVI.

SECTIO XLII.

De Via Militari, quæ terrestri itinere ex Italia in reliquam Europam pergit.

1. *Dictorum brevis repetitio, & dicendorum propositio & argumentum*. 2. *Duæ Viæ Militares ex interiore Italia ductæ Aquilejam*. 3. *Aquileja, extrema Italiæ urbs*. *Transitus in Dalmatias & Pannonias*. 4. *Via Publica ducens Aquileia Constantinopolim & Nicomediam*. 5. *Via Militaris Viminacio Nicomediam*. 6. *Urbes præcipuæ, per quas ea Via transit*, 7. *Scythia Viis Militaribus Romanis ornata fuit*. *Strata vetus, sive Via munita in Scythia & Thracia*.

1. DIximus *sect.* XIX. *hujus libri*, per Galliam Cisalpinam a Romanis Vias Militares productas esse in diversa terrarum, & provincias Imperii in Europa ita illi fuisse connexas. Fiebat hoc duobus modis & intervallis; altero *per Alpes* ad sinistram; altero ad dextram secundum radices *Alpium*, & juxta oram littoralem *sinus Hadriatici*. Prioris modi & intervalli Vias persecuti sumus, demonstravimusque, inde Vias plurimas esse porrectas per Gallias, Hispanias & Pannonias, ac quomodo Viæ inter se mutua convenientia passim cohæreant, omnesque concurrant *Mediolani* & *Romæ*. Ergo jam aggrediamur Vias posterioris modi & intervalli, quæ iter suum peragunt per aperta & patentia camporum ac plana

A terrarum, quæ inter Alpes & oram sinus Hadriatici interjacent ad *Aquilejam* usque.

2. In *Itinerario* complures Viæ Militares ex interiore Italia *Aquilejam* ducunt, aut, si vis, *Aquileja* in *Italiam*, singillatim *Bononiam*, pergunt. Sæpe namque in *Itinerario* Viæ incipiunt a fine: sic *pag.* 64.

Iter ab Aquileja Bononiam	M. P. CCXVI.
sic:	
Concordiam	M. P. XXXI.
* *	*
Altinum	M. P. XXXI.
B *Patavium*	M. P. XXXII.
Ateste	M. P. XXV.
Anneianum	M. P. XX.
Vicum Varianum	M. P. XVIII.
Vicum Serninum	M. P. XX.
Mutinam	M. P. XXIII.
Bononiam	M. P. XVIII.

Alia Via *Arimino Bononiam* ducit, & inde *Aquilejam* itinere nonnihil diverso, quamvis postremis mansionibus aliquot iisdem; *pag.* 28.

C *Item ab Arimino*	
Cæsenam Civ.	M. P. XX.
Faventiam Civ.	M. P. XXIIII.
Forum Cornelii Civ.	M. P. X.
Bononiam Civ.	M. P. XXIIII.
Mutinam Civ.	M. P. XXV.
Regium Civ.	M. P. XVIII.
Parmam Civ.	M. P. XVIIII.
Fidentiolam Vicum	M. P. XX.
Platentiam Civ.	M. P. XXIIII.
Laudem Civ.	M. P. XXIIII.
Mediolanum Civ.	M. P. XVI.
Bergomum Civ.	M. P. XXXIII.
D *Brixiam Civ.*	M. P. XVIII.
Sirmionem Mansionem	M. P. XXII.
Veronam Civ.	M. P. XXXIII.
Vicetiam Civ.	M. P. XXXIII.
Patavium Civ.	M. P. XXVII.
Altinum Civ.	M. P. XXXIII.
Concordiam Civ.	M. P. XXXI.
Aquilejam Civ.	M. P. XXXI.

3. Atque ita Viæ Militares *Aquilejam* ducuntur, quæ Italiæ extrema urbs est ab ea parte. quod ipsum innuit *Itinerarium*: nam dum Vias continuat E in vicinas provincias, transitu & initio facto ab hac urbe, indicat, hanc urbem adhuc Italiæ accensendam, ut patet *p.* 61.

DE ITALIA PER ISTRIAM IN DALMATIAS.

Iter ab Aquileja per Istriam extra mare Salonas	M. P. CXCVIII.
sic:	
Fontem Timavi	M. P. XII.
Tergeste	M. P. XII.
F *Ningum*	M. P. XXVIII.
Parentium	M. P. XVIII.
Polam	M. P. XXXI.
Trajectus sinus Liburnici Iader usque Stadia	CCCCL.
Blandonam	M. P. XX.
Arausam	M. P. XX.
Prætorium	M. P. XXX.
Tragurium	M. P. XVI.
Salonas	M. P. XIII.

Salonis, urbe natali *Diocletiani Imp.* ubi & Imperio ſponte depoſito privatus vixit, Via Militaris ducebat *Sirmium*, *Pannoniæ inferioris* caput, ut apparet ex *pag.* 61.

Iter a Sirmio Salonas M. P. CCLXXVI.

Unde facile poteſt videri, qua ratione urbes celebriores per Vias Militares mutuis itineribus cohæſerint. Sic *Sirmium Romæ* connectebatur per *Salonas*, *Aquilejam*, *Mediolanum*, *Bononiam* & *Ariminum*; ſic ab alia plaga *Treveris*, per *Vindeliciam*, *Noricum*, & urbes ſecundum Rhenum ſitas. *Salonæ* porro urbi *Dyrrachio* ſive *Epidamno*, nunc *Durazzo*, per *Macedoniam* connectebantur, ut liquet ex *pag.* 76

Item de Dalmatia in Macedoniam.
id eſt, Salonis Dyrrhachium M. P. CCCIII.

Ducebat quoque Via *Aquileja Siſciam*, nunc *Siſſeck*, *Pannoniæ ſuperioris* ad *Savum* urbem, *p.*62.

Ab Aquileja per Liburniam Siſciam M. P. CCXIII.

4. At Via omnium longiſſima & maxime notanda eſt, quæ *Aquileja* ducit ad ſedem Imperatoriam *Conſtantinopolim*, ſitam in extrema Europa, e regione Aſiæ minoris: verum ut hic ſingillatim recenſeatur, nimis quam longa eſt: videantur *Itinerarii pag.* 29. 30. & 31. ſed neque *Conſtantinopoli* finitur, ſed trans Boſporum Thracium intrat in Aſiam minorem, ibique ducitur *Chalcedoniam*, & inde *Nicomediam Bithyniæ*. Quod ſi ejus Viæ numeros ſingulares in unam ſummam colligas, *Aquilejæ* diſtantia a *Nicomedia* erit M. P. CIƆCCXLV. ſive Leucarum Francicarum IƆCXXII. cum dimidia. Hæc Via ab *Aquileja* pergit per urbes *Pœtovionem*, nunc *Pettauw*; *Murſam*, nunc *Marowiſch*; *Sirmium*; *Taurunum*; *Aureum Montem*, nunc dictum Hungaris *Machectz*; aliaſque urbes *Mœſiæ* & *Thraciæ*; in hanc autem Viam plures aliæ intrant, ut quæ *Cabyla Hadrianopolim* ducit; & quæ *Plotinopoli*, nunc *Ploudin*, *Heracleam*, & quæ *Viminacio*, nunc *Vidin*, *Nicomediam*. Harum tituli ſunt:

p. 37.	*Iter Thraciæ a Cabyle per compendium Hadrianopolim*	M. P. LXXVIII.
ibid.	*A Plotinopoli Heracleam*	M. P. XCII.
*p.*49.	*Item per ripam a Viminario Nicomediam* XII.	M. P. LXXII.

5. Via hæc poſtrema *Viminacio Nicomediam* eſt inter longiſſimas totius *Itinerarii*, ut ex numeris ſingularibus in unam ſummam collectis apparet, quæ habet M. P. CIƆCL. ſive Leucas Francicas IƆLXXV. unde conjicimus, numeros XII. & LXXII. qui in *Itinerario* leguntur, eſſe corruptos. Prior enim ſignificaret duodecies mille M. P. ſi pro more Veterum virgula tranſverſim ſuper numerum ſcripta notaretur, quæ tot millia notat, quot numerus ſubſcriptus habet unitates. Sic $\overline{\text{I}}$. notat unum mille, $\overline{\text{X}}$. decem millia. Sed longe abeſt a vero numerus M. P. $\overline{\text{LXXII}}$. qui mirum quantum differt a $\overline{\text{CIƆCL}}$. M. P. hæc enim ex computatione ſingularium ſumma juſta conficitur.

6. Hæc Via in *Itinerario* porrigitur *Viminacio*, ſito ad ripam *Danubii*, in *Mœſiam ſuperiorem* uſque ad *Sucidavam* urbem, quæ extrema Mœſiæ inferioris urbs eſt, unde pergit in *Scythiam*, quæ juris & ditionis erat Romanæ: quamvis enim in recenſione Viæ hujus Militaris *p.* 50. SCYTHIA demum ſcribatur poſt *Troſmin*; ex *Notitia* tamen *Imperii Orient. p.* 100. *verſa*, & 102. diſcimus, *Axiupolim*, *Capidavam*, *Carſum*, *Cium*, *Breum* & *Troſmos* fuiſſe *ſub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Scythiæ*. Via hæc deinde a *Sucidava* pergit ad oſtia *Danubii*, qui in Scythia *Iſter* appellatur, & recta ducit ad antiquiſſimam urbem *Tomon*, parricidio Medeæ Abſyrtum fratrem ibi concidentis ac lacerantis, nec non Ovidii exilio nobilem, qui infelix vates ab hoc parricidio nomen urbis arceſſit *Triſt.* III. 9. *vſ.* 33.

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra Soror Fratris diſſecuiſſe ſui.

Hinc deinde hæc Via in *Thraciam* redit, in qua ad urbem *Oſtudizum* in illam Viam intrat alia Via, cujus fit recenſio *p.* 30. unde per eaſdem urbes & manſiones ducunt *Conſtantinopolim*, & hinc *Nicomediam* per *Boſporum Thracium*.

7. Sic & ipſa *Scythia Imperii* Romani Viis Militaribus ornata fuit, ad terras uſque non habitabiles, *Boſporum Cimmerium* & *Scythiæ paludes*: audi Ovidium quiritantem ſuper hac re, *Triſt.* III. 4. *vſ.* 51. & *ſeqq.*

Boſporus, & Tanais ſuperant, Scythiæque paludes,
Vixque ſatis noti nomina pauca loci:
Ulterius nihil eſt, niſi non habitabile frigus,
Heu quam vicina eſt ultima terra mihi!

Quin clariſſime apparet, Viam quæ per *Thraciam* & *Scythiam* pergebat, fuiſſe ex Viis Publicis Romanis militari opere munitis; hinc *Stratæ Veteris*, quæ Viam olim munitam ſignificat, nomen habuit. Sic diſerte appellat Eutropius, *Hiſt. Rom. p. m.* 356. *Interfectus*, inquit, *eſt* Aurelianus *itinere medio, quod inter Conſtantinopolim & Heracleam eſt Stratæ Veteris. Locus Cœnophrurion appellatur.* Manſionis hujus, *Cœnophrurii*, mentio fit in *Itinerario p.* 51. 73. & 76.

SECTIO XLIII.

De Tranſitu & continuatione Viarum Publicarum trans mare in alias Provincias, ſpeciatim Britannias.

1. *Extra Italiam duo tractus, per quos Viæ Publicæ trans Mare continuantur.* 2. *Prior ex Gallis in Britannias per portum Bononienſem:* 3. *hic primo dictus Icius, deinde Geſſoriacus;* 4. *quod ex Plinio & Suetonio confirmatur:* 5. *nec non ex Ammiano & Olympiodoro. Julii Cæſaris ævo Morini nullas habuerunt urbes.* 6. *Titulus Generalis; iter Britanniarum, illuſtratur. Provinciæ Britanniarum.* 7. *Portus Rutupenſis aut Ritupenſis; ejuſque nomina recentiora apud incolas.* 8. *Diverſitas diſtantiæ inter Gallias & Britannias conciliatur.* 9 *Titulus primæ Viæ per Britannias illuſtratur. Vallum, ſive Murus Britannicus, ejuſque vera longitudo.* 10. *Ab hoc Vallo pleræque Viæ Britannicæ ducunt initium.* 11. *Brevis recenſio Viarum Britannicarum, earum numerus & longitudo junctim ſumta.*

1. HUc uſque perluſtravimus Vias Militares, quas quidem novimus, quæ terreſtri itinere ex Italia in Provincias Imperii pergunt: tempus jam eſt, ut luſtremus Vias Publicas, quæ ex Italia & Provinciis tranſeunt in regiones, quæ non niſi per mare poſſunt adiri, & quarum Viæ Publicæ per littora, oras & portus ex oppoſita regione ſitos ſibi reſpondent invicem. Quemadmodum igitur, cum terreſtri itinere perſequeremur Vias Publicas, ab Occaſu eas per ſeptem Triones in Ortum uſque in Europa maxime duximus:

ita eandem rationem sequemur in Viis Publicis, quæ maritimo itinere sive trans mare continuantur. Triplici autem transitu, quo Viæ extra *Italiam* ducuntur, prior ad Occasum, posteriores duo ad Orientem vergunt: de priore prius agam, de posterioribus postea. Ad Occasum deducam Vias Militares per *Britannias*; per posteriores duos ad Ortum deducam Vias Publicas per *Asiam minorem*, *Armenias*, *Mesopotamiam*, *Syriam*, *Palæstinam* & *Ægyptum*.

2. Prior ergo transitus ex *Gallis* in *Britannias* ducit per Portum *Bononiensem* in veterum *Morinorum* regione, quos *sect.* XXXIX. *§.* 16. diximus habitasse circa *Teruannam*. Licet enim loca quædam fuerint Julii Cæsaris ævo, quæ stationem potius, quam portum profecturis in Britannias præstabant; tamen *Bononiæ* fuit ille Portus, quem ipse *in Commentariis de Bello Gallico* appellat *Ictium* vel *Itium*. Inde enim, ut ex eo colligimus, erat brevissimus & commodissimus transjectus in *Britannias*. Cum enim iterum transjiceret in eam insulam, 5. 2. *omnes ad Portum Itium convenire jussit; quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat, circiter millium passuum* XXX. *a continenti*. Ex hoc enim ipso Portu primum quoque transjecit, unde ait IV. 21. *Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam transjectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus, &, quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat, classem jubet convenire*.

3. Portus hic ille ipse est, quem *Itinerarium* p 105. pro transitu maritimi itineris in *Britannias* collocat; nam Auctores posteriores eum dixerunt *Gessoriacum*, qui idem est atque olim *Itius*, nunc *Bononiæ*. Sed & *Tabula Peutingeri segm.* 1. aperte hoc confirmat istis verbis: *Gesoriaco, quod nunc Bononia*: cur autem Ortelius *in Thesaur. Geogr.* aliique de hoc Portu scribentes noluerunt *Tabulæ Itinerariæ* Auctori fidem habere, illud plane assequi aut perspicere non possum; siquidem hic Auctor majorem fidem meretur, quam vulgo sibi persuadent, longeque foret melior, si a temporis & librariorum erroribus esset liber, uti in hac ipsa voce *Gesogiaco*, quam pro *Gessoriaco* scripserunt.

4. Porro ad hunc ipsum terminum Antoninus, aut quisquis fuit *Itinerarii* Auctor, finem facit Viarum Publicarum per *Gallias*: cujus testimonium tanto magis fidem meretur, cum ab aliis confirmetur, qui ajunt, ex *Portu Gessoriaco* esse transjectum in Britannias e Galliis. Suetonius Claudii expeditionem Britannicam narrans, qui Imp. primus post Divum Julium hoc fretum transjecit, eam Insulam tentavit, ejusque maximam partem in deditionem recepit, ait: *Claud. c.* 17. *A Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit*. Plinii quoque disertissimo demonstratur testimonio. Is *H. N.* IV. 23. ubi Europæ universæ mensuram persequitur. *Est autem*, inquit, *ipsius Italiæ, ut diximus*, XII. *M.* XX. *ad Alpes: unde per Lugdunum ad Portum Morinorum Britannicum, qua videtur mensuram agere Polybius*, XI. *M. LXVIII.* quibus verbis haud obscure significat, unum tantum fuisse in Morinis portum, ex quo in Britannias transjectus: nam plures, aut saltem duo si fuissent, *Gessoriacus* & *Itius*, proprio nomine haud dubie alterutrum indicasset, quem ex duobus intelligeret.

5. Si quis ex me quærat, quo loco situs sit hic Portus, præter auctoritatem *Tabulæ* paullo ante laudatam, indicem adferam Ammianum Marcellinum, qui XX. 10. *p. m.* 206. *Quoniam*, ait, *quum hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agensque etiam tum apud Britannos, homo superbæ mentis & turgidus; eratque suspicio, quod*

A *si hæc trans mare didicisset, novarum rerum materias excitaret: notarius Bononiam mittitur, observaturus sollicite, ne quisquam fretum Oceani transire permitteretur. Quo vetito, reversus Lupicinus, antequam horum quicquam sciret, nullas ciere potuit turbas*. Sed & præter hunc adsit Olympiodorus, *in Historia* Honorii Senioris, & Theodosii Honoriique Junioris, de Constantino Tyranno loquens: Τὰς, ait, Βρεττανίας ἐάσας, περαιῦται ἅμα τοῖς αὐτῦ ἐπὶ βονωνίαν πόλιν, ὅτω καλυμένlω, παραθαλασσίαν ϗ πρώτην ἐν τοῖς τ̃ Γαλατῶν ὅροις κειμένlω. id est: *Relictis Britanniis, trajecit cum suis ad Bononiam, quod maritimum est, ac primum*
B *in Gallorum finibus oppidum*. Quo ex loco satis perspicitur, *Caletum* oppidum tum temporis exstitisse nullum: cum nec Julii Cæsaris ævo, nec diu post, Morini ullas habuerint urbes, ut disertis verbis testatur Dio Cassius *Hist.* XXXIX. *p. m.* 124. de Morinis ac Menapiis verba faciens: Ουτε γὰρ πόλεις ἔχοντες, ἀλλ' ἐν καλύβαις διαιτώμενοι: id est: *Neque enim urbes seu oppida habent, sed in tuguriis habitant*: unde & ejus ævo, ac sub Vespasiano ejusdem filiis Tito & Domitiano *Gessoriacum* non habuit nomen urbis, sed tantum *pagi*, quod vicum notabat. Hinc Plinius *H. N.* IV. 17. *Deinde Me-*
C *napii, Morini, Oromansaci juncti pago, qui Gessoriacus vocatur*: neque putes hic per *pagum* intelligi totam regionem, qua significatione sæpe occurrit, quia gentis & regionis nomen, *Morini*, præcesserunt. Confirmat nostram sententiam Florus I. 11. ubi comparationem facit inter primordium Imperii Romani & summum ejus fastigium: *Idem*, inquit, *tunc Fæsulæ, quod Carræ nuper; idem nemus Aricinum; quod Hercynius saltus; Fregellæ, quod Gessoriacum; Tiberis, quod Euphrates*. Locum scilicet cum loco, oppidum Italiæ, cum pago seu vico Morinorum; non regionem cum regione confert.

D 6. Sed lustremus jam duce *Itinerario* transitum ex *Galliis* in *Britannias*, p. 105.

ITER BRITANNIARUM.

A Gessoriaco de Gallis Ritupas in portum Britanniarum Stad. num. CCCCL.

Antequam Romani *Britannias* suo adjecerant imperio, omnes insulæ versus Aquilonem Galliis oppositæ communi nomine dicebantur *Britanniæ*, ut colligimus ex Plinii *H. N.* IV. 16. Sic eo sensu intelligendus Catulli in Cæsarem versus *Carm.*
E XXX. vs. 21.

Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ?

At posteaquam venerunt sub Imperii Romani ditionem, hoc nomen *Britanniarum* attributum Provinciis est Britannicis, quas Ruffus Festus *in Breviario rer. gest. Pop. Rom. p. m.* 282. recenset quatuor: *Maximam Cæsariensem*, *Flaviam Cæsariensem*, *Britanniam primam*, *Britanniam secundam*. Quibus *Not. Imp. Occid.* addit quintam: *Valentiam*: neque dubium est, quin numero multitudinis per *Iter Britanniarum*, in *Itinerario*,
F intelligantur diversæ hæ Provinciæ.

7. Portus vero Britannicus, qui erat e regione oppositus *Gessoriaco*, eique ad continuandas Vias Publicas respondebat, fuit *Rutupensis* aut *Ritupensis*, dictus a *Rutupiis*, loco vicino, qui deinde *Reptacester*, & nunc *Sandvvich* est dictus. Alii potius volunt esse ruinas castelli haud procul siti, vulgari vocabulo *Richborrovv*, quod veteris *Ritupiarum* nominis vestigia quodammodo servat. Ammianus Marcellinus *Rutupias* vocat *Hist.* XX. 1 *p. m.* 187. *Adulta*, ait, *hyeme dux antedictus* Lupicinus *Bononiam venit; quæsitisque navigiis & omni imposito mi-*

lite, observato flatu secundo ventorum, ad Rutupias, sitas ex adverso, defertur, petitque Lundinium. Alii hunc Portum quoque *Ritupas*, alii *Rutubum* nominant. Hos inter venerabilis est Beda, *Hist. Anglor.* I. I. ubi ait: *Britannia habet a meridie Galliam Belgicam, cujus proximum littus transmeantibus aperit civitas, quæ dicitur Rutubi portus: qui portus a gente Anglorum nunc corrupte Reptacester vocatur, interposito mari, a Gessoriaco, Morinorum gentis littore, proximo trajectu, millium quinquaginta; sive, ut quidam scripsere, stadiorum quadringentorum quinquaginta.* Præter portum Rutupensem erat etiam alius propinquior *Dubris*, nunc incolis *Dovver*. Utrumque indicat Cæsar, cum *de B. G.* IV. 23. narrat, se *tertia fere vigilia* portu Morinorum solventem, *hora circiter diei quarta cum primis navibus Britannias attigisse*; deinde *ad horam* IX. *in anchoris exspectasse*, tandem *sublatis anchoris, circiter millia passuum* VIII. *ab eo loco progressum aperto ac plano littore naves constituisse*. Unde licet conjicere *Portum Dubrensem Gessoriaco* esse viciniorem & propinquiorem VIII. M. P. quam *Rutupensem*.

8. Distantia inter *Gallias* & *Britannias* apud Auctores diversa narratur. Julius Cæsar V. 2. quem locum §. 2. laudavimus, *circiter* XXX *M. P.* numerat; videturque hic majorem mereri fidem præ cæteris, quod primus illud fretum trajiciens insulamque tentans, diligenter & distantiam & plura alia, quæ ad eam regionem attinent, inquisiverit, & quod deinde iterum idem fretum trajecerit. Dio Cassius *libro* XXXIX. *p. m.* 127. *ad minimum Stadia* CCCCL. computat, quæ sunt M. P. LVI. cum passibus CCL. Strabo *Geogr. l.* IV. p. m. 363. habet *Stadia* CCCXX. quæ sunt M. P. XL. Medium tenet Plinius *H. N.* IV. 16. cum dicit: *Hæc* Britannia *abest a Gessoriaco, Morinorum gentis littore, proximo trajectu quinquaginta M.* At hæc mensurarum diversitas orta est ex terminorum varietate, quos singuli Auctores posuerunt. Julius Cæsar militem primo non trajecit ex *Portu Itio* recta *Rutupias*, sed naves appulit *Dubrim*, qui locus VIII. M. P. *Itio portui* propinquior est, quam *Rutupiæ*. Hinc Cæsar rotundo numero XXX. M. P. distantiam definit inter *Gallias* & *Britannias* proximi trajectus. Hæc VIII. M. P. si addas XXX. M. P. habebis M. P. XXXVIII. sive rotundo numero XL. M. P. inter *Itium* scilicet & *Ritupensem portum*, quæ erunt Strabonis CCCXX. *Stadia*. Plinius L. M. P. dum ponit, a cæteris ultra X. M. P. longius abit. Sed *Itinerarium* & Dio Cassius, ultra XVI. M. P. a cæteris in diversa abeunt: numerant enim, ut vidimus, CCCCL. *Stadia* distantiæ, quæ sunt M. P. LVI. cum passibus CCL.

9. Sed nolumus immorari diutius in concilianda distantiæ varietate: persequemur potius Vias *Britanniarum* Publicas: sed nec repetemus, quæ supra I. 30 diximus de harum Viarum Auctoribus. Quæ vero hic de earum numero & longitudine dicemus, erunt ab illis dictis diversa, non tamen iis contraria: nam ibi velut obiter Vias hasce & in transitu fugitivo pede ingrediebamur; hic autem locus est earum proprius, quo eas accurrate & ordine perlustrari decet, ea tamen, qua fieri potest, brevitate. Primæ Viæ titulus *in Itinerario p.* 105. est:

A Limite, id est, a Vallo Prætorium usque M. P. CLVI.

Prætorium volunt esse urbem *Westchester* aut *Conventry*. Sed ut intelligas, quod per *Limitem* sive *Vallum* describatur, audi Historicos, prisci ævi, Spartianum *in vit. Hadrian. c.* 6. qui ait: Hadrianus *Britanniam petiit, in qua multa correxit: murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret*, Deinde Septimius

A Severus Britanniam, *quod maximum ejus imperii decus est, muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit, unde Britannici nomen accepit:* teste eodem Spartiano *in vit. Sever. c.* 5. Murus hic *Valli* nomine sæpius in Historiis occurrit: hinc Sex. Aurelius Victor *in Epitome Impp. Rom. p. m.* 264. ait: *Hic* Septimius Severus *in Britannia Vallum per triginta duo passuum millia a mari ad mare deduxit*: quo loco numerus omnino est corruptus aut mutilatus saltem integro centenario: nam *Vallum* illud per CXXXII. M. P. porrectum fuit & continuatum. Id ut clarissime videatur, duos testes antiquos fide dignos adduce-
B mus: prior est Eusebius *in Hist. Eccl.* qui ait: *Severus in Britannos transfert bellum; ubi, ut receptas provincias ab incursione Barbarica faceret securiores, Vallum per* CXXXII. *M. P. a mari ad mare duxit*. Alter est Paullus Orosius Hist. VII. 17. idem affirmans: *Severus victor in Britanniam defectu pæne omnium sociorum trahitur, ubi magnis gravibusque præliis sæpe gestis, receptam partem Insulæ a cæteris indomitis gentibus Vallo distinguendam putavit. Itaque magnam fossam firmissimumque Vallum, crebris insuper turribus communitum, per* CXXXII. M. P. *a mari ad mare duxit*.

C 10. Est autem *Murus* ille ipsum hoc *Vallum*, quod hoc nomine significat *Itinerarium*. Erat enim ceu *Vallum* objectum Barbaris Pictis per Romanos eo in limite; & ab eo, ut loco maxime notabili, Vias Publicas *Britanniarum* deduxit. Licet enim proprie a *Portu Ritupensi* deberent inchoari Viæ Publicæ in *Britannias*: *Itinerarium* tamen initium Viarum arcessit a fine, & finem facit in ipso initio: uti patet ex Via secunda, quæ Britannias Romanas ab initio ad finem peragrat, quæ recensetur hoc modo *p.* 106.

Iter a Vallo ad Portum Ritupas M. P. CCCCLXXXI. *sic*:

D *A Blatobulgio Castra Exploratorum*	M. P. XII.
Luguvallum	M. P. XII.
Voredam	M. P. XIIII.
Brovonacim	M. P. XIII.
Verterim	M. P. XIII.
Lavatrim	M. P. XIIII.
Cataractonem	M. P. XIII.
Isurium	M. P. XXIIII.
Eboracum	M. P. XVII.
Calcariam	M. P. VIIII.
Camalodunum	M. P. XX.
Mamucium	M. P. XVIII.
E *Condate*	M. P. XVIII.
Devam L. XX. Vitrix	M. P. XX.
Bovium	M. P. X.
Mediolanum	M. P. XX.
Rutunium	M. P. XII.
Viroconium	M. P. XI.
Uxaconam	M. P. XI.
Pennocrucium	M. P. XII.
Etocetum	M. P. XII.
Manduessedum	M. P. VI.
Venonim	M. P. XII.
Bennavennam	M. P. XVII.
F *Lactodurum*	M. P. XII.
Magiovintum	M. P. XVII.
Durocobrivim	M. P. XII.
Verolamium	M. P. XII.
Sulloniacim	M. P. VIIII.
Londinium	M. P. XII.
Noviomagum	M. P. X.
Vagniacim	M. P. XVIII.
Durobrivim	M. P. VIIII.
Durolevim	M. P. XIII.
Durovernum	M. P. XII.
Ad Portum Ritupas	M. P. XII.

11. Cæterarum Viarum per Britannias Militarium, ut breves simus, tituli indices sunt hi:

p. 107.	*Iter a Londinio ad portum Dubrim*	M.P.LXVI.
	Iter a Londinio ad portum Lemanis	M.P.LXVIII.
	Iter a Londinio Luguvallum ad Vallum	M.P.CCCCXLIII
p. 108.	*Iter a Londinio Lindum*	M.P.CLVI.
p. 109.	*Iter a Regno Londinium*	M.P.XCVI.
	Iter ab Eboraco Londinium	M.P.CCXXVII.
	Iter a Venta Icenorum Londinium	M.P.CXXVIII.
p. 110.	*Iter a Clano Venta Mediolanum*	M.P.CL.
	Iter a Segoncio Devam	M.P.LXXIIII.
	Iter a Muridono Viroconium	M.P.CLXXXVI.
p. 111.	*Iter ab Isca Callevam*	M.P.CVIIII.
	Item alio itinere ab Isca Callevam	M.P.CIII.
	Iter a Calleva Iscadum Nuniorum	M.P.CXXXVI.

Quod si quis in unam summam colligat numeros singularium itinerum, inveniet Vias Publicas ab Imperatoribus munitas XV. quarum VII. *Londinii*, ut metropoli Britanniarum, initium aut finem habent. Si deinde per saturam milliaria computes singulorum Itinerum conjunctim, saltem invenies ultra CIƆ. CIƆ. M. P. per Vias militari opere munitas: plura equidem sunt passuum millia, sed non nullæ Viæ per easdem mansiones decurrunt, quarum earundem ratio bis terve haberi non debet. Non sine caussa proinde incolæ Britanniarum posteriores, ignari originis horum operum, ea præ stupore ad Gigantes & Magicas Dardaniasque artes retulerunt, ut supra I. 30. §. 2. dicebamus.

SECTIO XLIV.

De Transitu duplici ex Thracia in Asiam minorem.

1. *Ad Ortum duplex transitus ex Thracia in Asiam.* 2. *Prior transitus per Bosporum Thracium. Prima Via inde deducta.* 3. *Portus Constantinopolis.* 4. *Altera Via ab hoc deducta:* 5. *ejusdem continuatio.* 6. *Longissima Itinerarii Via primum in partes suas secta, deinde rursus conjuncta: ejusdem longitudo.* 7. *Viæ Publicæ per Ægyptum, earumque longitudo.* 8. *Omnes Asiæ minoris & majoris Provinciæ fuerunt Viis Militaribus ornatæ.* 9. *Cur Viæ Militares Asiæ & Ægypti tantum summatim describantur.* 10. *Situs urbium celebriorum, quarum in hac recensione fit mentio.* 11. *Duæ Viæ militari opere munitæ in Mesopotamia.* 12. *Phœniciæ & Palæstinæ urbes celebriores.* 13. *Posterior transitus ex Europa in Asiam.* 14. *Hujus descriptio singillatim ex Itinerario excerpta.*

1. POstquam demonstravimus Vias Publicas *Galliarum*, ad Occidentalem Europæ partem, continuari cum Viis *Britanniarum* Publicis, per Portus in continenti sibi invicem ex adverso oppositos: nunc maxime, ad Orientalem Europæ partem, quæ priscum *Thraciæ* regnum habet, quod hodie nonnullis est *Romania*, aut *Turcia*, idem notis agendum est. Non dubito, quin plurimi sint portus & transitus, qui per diversos *Græciæ* & *Macedoniæ* tractus ad omnem *Asiam* & *Africam* ducant; verum enim vero quatenus nihil cum nostris Viis Publicis communicant, illos A hic loci sicco pede prætereo. Sed, quod attinet ad continuandas Vias Romanorum Militares per mare Mediterraneum versus Orientem, duos tantum invenio transitus, utrumque ex *Thracia* in *Asiam minorem*: alterum per *Bosporum Thracium*, hodie *fretum Constantinopolis*; alterum per *Hellespontum*. Utrumque transitum Plinius depingit *H. N.* IV. 12. *in medio*, ubi inquit: *Vastum mare præjacens Asiæ, & ab Europa porrecto Cherrhonesi littore expulsum, angusto meatu irrumpit in terras, septem Stadiorum, ut dictum est, intervallo Europam auferens Asiæ. Primas angustias Hellespontum vocant. Hac Xerxes Persarum Rex, constrato in* B *navibus ponte, duxit exercitum. Porrigitur inde tenuis Euripus* LXXXVI. M. P. *spatio ad Priapum urbem Asiæ, qua Magnus Alexander transcendit. Inde exspatiatur æquor, rursusque in arctum coit laxitas; Propontis appellatur, angustiæ Thracius Bosporus* (inter Byzantium & Chalcedoniam) *latitudine* IƆ. *passuum, qua Darius pater Xerxis copias ponte transvexit. Tota ab Hellesponto longitudo* CCXXXIX. M. P. De duplici hoc trajectu ordine agemus; initium faciemus ab eo, qui est ad *Constantinopolim*, ut rursum continuemus inde Vias Publicas, quas eo usque ex Italia & Pannoniis an- C tea deduximus, uti exinde easdem porro persequamur ad extremos Imperii versus Ortum limites in *Asia majore*; & versus Meridiem in *Ægypto*.

2. Prior transitus, qui in *Itinerario p.* 31. vocatur *Trajectus in Bithyniam Constantinopoli* transit *Chalcedoniam* per *Bosporum Thracium*: nam iis locis Viæ Imperii Publicæ continuabantur ex *Europa* in *Asiam* per regna *Thraciæ* & *Bithyniæ*. Hic *Europa* & *Asia*, secundum Plinii mensuram, non nisi IƆ. passibus distant inter urbes, quas modo dicebamus; qui a continenti ad continentem proximam ex adverso numerandi sunt: at ipsæ Urbes *Byzantium* & *Chalcedonia* distabant IIII. M.P. se- D cundum *Itinerarium*, quod ita distantias metitur *p.* 31.

(*Melantiade*:)	
Byzantium, quæ & Constantinopolis	M. P. XVIII.
Chalcedoniam: Trajectus in Bithyniam	M.P. IIII.
Pantichium	M. P. XV.
Libyssam	M. P. XXIIII.
Nicomediam	M. P. XXII.

3. Portus Byzantini in Thracia, meminit Zosimus *Hist. lib.* II. *p. m.* 791. *inter Hist. Aug. Auct. ed.* 1592. *tom.* II. in rebus Constantini M. ubi narrat, quo modo veteris Byzantii loco condita sit Constantinopolis: *Eodem modo*, ait, *& ab Aqui-* E *lonari colle deorsum ductus erat* murus a Severo Imp. *usque ad Portum, quod Navale dicunt, & ulterius usque ad mare, quod directo situm est ad id ostium, per quod in Euxinum Pontum navigatur.* Hoc autem ex Portu trajectus erat ex *Europa* in *Asiam*, & Auctor *Itinerarii* hinc Primæ Viæ fecit initium, quam deinde per *Chalcedoniam* ducit *Nicomediam*. Harum urbium ita situm describit Strabo *Geogr. lib.* XIV. *p. m.* 207. *Hujus* Hellespontiæ Phrygiæ *est Chalcedon, in Ponti ore sita, quam Megarenses condidere: & Chrysopolis vicus, & Chalcedonium fanum. Hæc regio paullo supra ma-* F *re fontem habet nomine Azaritium, qui parvos crocodilos nutrit. Post Chalcedonem sequitur littus, quod Astacenus sinus appellatur, qui Propontidis pars est. In eo condita est Nicomedia, dicta de nomine Regis cujusdam Bithyni, qui eam condidit.*

4. Altera Via Publica inde ex hoc Trajectu oriunda titulo notatur isto *p.* 31.

A Constantinopoli usque Antiochiam
M. P. IƆCCCXVI.

(A) Ducit hæc Via per *Bithyniam* uſque *Dadaſtanam*, urbem in confiniis Bithyniæ & Gallatiæ ſitam, ubi ſubita morte periit Jovianus Imp. teſte Ammiano *Hiſt.* XXV. 14. *p. m.* 371. *Cum enim*, inquit, *veniſſet Dadaſtanam, qui locus Bithyniam diſtinguit & Galatas, exanimatus inventus eſt noƈte.* Hinc pergit *Ancyram* Galatiæ, pluresque ad urbes *Cappadociæ* & *Piſidiæ*, ubi montem *Taurum* penetrat, & *Ciliciam* regione *Ægeatarum* intrat, unde in Syriam tranſit per *Iſſum*, hodie *Aiazzo*, extremam *Ciliciæ* urbem, quam nonnulli *Syrias pylas* vel *portas* nominant: Hinc tandem ducit *Antiochiam* ad (B) Orontem fluvium, quæ diſtat *Conſtantinopoli* M. P. IↃCXCV. ſi numeros ſingulares itineris in unam ſummam colligas. *Antiochia* urbs olim toto Oriente celeberrima fuit, *Chriſtiani* nominis prima origine & Divi Petri ſede nobilitata, nunc adeo in ruinis, ut non niſi bubonibus frequentetur & feris.

5. Nec tamen ibi hæc Via Militaris ſubſiſtebat, ſed ulterius pergens porrigebatur per *Syriam*, *Phœniciam*, *Palæſtinam* & *Ægyptum*, uſque *Alexandriam*. neque hic ejus eſt finis: verum inde iter denuo peragit in *Ægypti* partem, quæ eſt ad Nilum verſus Occaſum, terminum ponit in extrema (C) Imperii urbe, in confiniis *Æthiopiæ* ſita, quam *Itinerarium* vocat *Hieraſycaminon p.* 34. alii *Hieran Sycaminon*, quaſi diceres *Sacram Morum*. Quantum abſit *a Syene*, dicant illi, quos Nero Imp. ad explorandam *Ægyptum* verſus *Æthiopiam* miſerat; apud Plinium *H. N.* VI. 29. *circa fin. Neronis exploratores renunciavere his modis: A Syene Hieran Sycaminon* LIIII. M. P. *Inde Tama* LXXV. M. P. *Regionem Euonymiton, Æthiopum primam* CXX. Tandem denique trans Nilum hæc Via verſus *Arabiam* redit, & tranſit *Syenen* urbem, aliaſque in Orientali *Ægypti* parte ſitas, (D) inde per Troglodytas ad oram *Maris Rubri* porreƈta finem habet & terminum ad urbem *Clyſmon p.* 36. aut, ſi Ptolemæum *Geogr.* IV. 5. audimus, *Clyſma*, qui *Præſidium* eam cognominat, quod Romani urbem eam milite præſidiario firmarant.

6. Atque ita *Roma* pervenimus ad confinia *Æthiopiæ* per varias Viarum partes, quas ſparſim & paſſim hoc libro trivimus; eas vero rurſum conjungi & ordine aptari, erit operæ præcium. Sane nec in toto *Antonini Itinerario* ullæ ſunt Viæ, quæ magis ordinata ſerie, proxima proximam, ſubſequentur, aptius conneƈtantur & conjungantur, (E) quam hæ ipſæ, de quibus agimus. Verum ordo, quem mihi per Provincias, & continuandis terra marique aliis Viis Militaribus obſervandum ſtatueram, juſſit has Vias quaſi in partes ſecari, & ſeparari inter ſe, eo tamen omine, ut eaſdem rurſus hoc loco conneƈterem & conjungerem in corpus continuum; & integram longitudinem *Roma Clyſmon*: cujus præcipuæ partes ſunt hæ:

p. 28. *Ab urbe* (*Ariminum*	M. P. CCXXII.
p. ead. Ab Arimino (*Mediolanum*	M. P. CCXXIIII.)
p. 29. (*A Mediolano Aquilejam*	M. P. CCLXI.)
(F) (*Ab Aquileja Aureum Montem*	M.P.CCCCLXXXI.)
p. 30. *Ab Aureo Monte* (*Conſtantinopolim*	M. P. IↃCCX.)
p. 31. *A Conſtantinopoli uſque Antiochiam*	M. P. (IↃCXCV.)
p. 32. (*Ab Antiochia Alexandriam*	M.P.IↃCCCXXI.)
p. 33. (*Ab Alexandria Hieraſycaminon*	M.P.IↃCCLXIII.)
p. 3. *Item per partem Arabicam trans Nilum* (*Clyſmon*	M. P. IↃCCCII.

Quod ſi omnes hoſce numeros in unam colligas ſummam, habebis *Roma* ad extremam *manſionem ad Mare Erythræum* M. P. CIↃ. CIↃ. CIↃ. IↃCC. LXXIX. ſive Leucas Francicas CIↃ. CIↃ. CCC. LXXXVIIII. & dimidiam, quæ in *Itinerario* non interruptæ continuantur.

7. Cæteræ Viæ Militares per *Ægyptum* ſequentibus titulis deſcribuntur:

p. 34. *Item a Peluſio Memphim*	M. P. CXXII.
p. 36. *Item a Serapiu Peluſium*	M. P. LX.
Item a Copto Beronicem uſque	M. P. (CCLXVI.)
Item a Copto Berenicem	M. P. (CCLXXI.)

In poſtremis duabus ſummis ſingulares numeros in ſummam collegi, neque ſecutus ſum ſummas in *Itinerario* editas, quæ ſunt M. P. CCVIII. & CCLVIII Si quis itaque ſeparatim Vias Publicas per *Ægyptum* computet, inveniet longitudinem militari opere a Romanis munitam admodum ad CIↃ. IↃ. M. P. ſive Leucas Francicas IↃCCL.

8 Superſunt luſtrandæ Provinciæ *Aſiaticæ*, earumque Viæ Militares. In his autem non ſequemur ordinem *Itinerarii*, ſed cujuſque Provinciæ ſitum, initio facto a parte Europæa & trajeƈtu *Conſtantinopolitano*. Inchoabimus a *Bithynia*, & pergemus in *Galatiam*, *Paphlagoniam* & *Phrygiam*: in quibus, præter Viam §. 2. recenſitam, hæ Viæ occurrunt Militares titulis ſequentibus:

p. 43. *Item a Claudiopoli Ancyram*	M P. CXXXIII.
Item a Peſinunte Ancyram	M. P. LXXXXVIIII.
p. 44. *Item a Tavia Cæſaream uſque*	M. P. CVIIII.
(D) *Item a Dorilæo Ancyram*	M. P. CXXXXI.
Item ab Ancyra Taviam	M. P. CXVI.
p. 47. *Item a Sebaſtia Cocuſum*	M. P. CCVI.
p. 48. *Item a Cocuſo Arabiſſum*	M. P. LII.
Item a Cocuſo Melitenem	M. P. CXXXXII.

Viæ ex *Galatia* in *Cappadociam*:

p. 44. *Item a Tavia Sebaſtiam*	M. P. CLXI.
p. 45. *Item a Tavia per Sebaſtotolim Sebaſtiam uſque*	M. P. CLXVI.
p. 38. *Item a Sebaſtia Cocuſon per Cæſaream*	M. P. CCLVIII.
(E) *Item a Sebaſtia Cocuſon per Compendium*	M. P. CCVI.

Viæ per *Lydiam* & *Mœoniam* in *Piſidiam*:

p. 45. *Item ab Ancyra per Nyſſam Cæſaream uſque*	M. P. CLXXXXVIII.

Viæ ex *Pyſidia* in *Mœoniam*:

p. 45. *Item a Cæſarea Satalam*	M. P. CCCXX.

Viæ ex *Armenia Minore* ad *Euphratem* uſque:

p. 38. *Item ab Arabiſſo per Compendium Satalam*	M. P. CCLXVIII.
(F) *p.* 47. *Item a Nicopoli Arabiſſum*	M. P. (CCXXVI.)
p. 49. *Item a Nicopoli Satalam*	M. P. CXXII.
Item a Trapezunte Satalam	M. P. CXXXV.

Viæ ex *Mœonia* per confinia *Myſiæ*, *Lydiæ*, & *Phrygiæ*, ad *Euphratem* uſque & extrema *Syriæ*, ac Imperii limitem:

p. 46. *Item a Satula Melitenem per ripam Samoſata uſque*	M. P. CCCXXXXI.
Item a Caſarerea Melitenem	M. P. CCXXXXII.

p. 48. *Item a Melitene Samosata* M. P. LXXXXI. A

Viæ per *Ciliciam*:

p. 47. *Item a Cæsarea Anazarvum* M. P.(CCXXII.)

Viæ per *Syriam* & *Mesopotamiam* trans *Euphratem*:

p. 39. *A Germanicia per Dolichen & Zeugma Edissam usque* M.P.LXXXVII.
Item a Germanicia per Samosata Edissam M. P. LXX.
p. 40. *Item a Germanicia Edissam* M.P.LXXXIIII. B
Item a Cyrrho Edissam M.P.LXXXXII.
Item a Nicopoli Edissam M.P.CCXXXVII
p. 41. *Item a Callecome Edissam* M.P.LXXXV.
Item a Carris Hierapolim M.P.LXXXIII.

Aliæ per *Syriam* Viæ Militares:

p 39. *Iter ab Antiochia Emesam* M. P. CXXXIII.
p. 41. *Item a Cyrrho Emesam* M. P. CLI.
Item a Doliche Serianem Anunea M. P. CXXVIII.
p. 42. *Item a Callecome Larissam* M. P.LXXVIIII. C
p. 43. *Item a Damasco Emesam* M. P. CLII.
Viæ per *Phœniciam* & *Palestinam*:
p. 42. *Item a Bemmari Neapolim* M. P. CCXXVII.
Item a Seriane Scythopolim M. P.CCCXVIII.
p. 43. *Item a Cæsarea Eleutheropolim* M. P. LXXVII
Item a Neapoli Ascalonem M. P. LXXIIII.

9. Satis fore putavi, si cujusque Militaris Viæ per *Asiam* & *Ægyptum* titulos summatim recenserem, nec singillatim unamquamque persequerer, quo nimis forem prolixus; videri possunt illarum recensiones singulares per suas cujusque mansiones in *Itinerario*, paginis laudatis. Attamen ne titulos Viarum *Asiæ*, quæ plurimæ numero sunt, in tenebris relinquam, eosque sine ulla commentarii luce prætercam, mecum constitui, ut adnotarem, in qua Provincia unaquæque urbs, quarum in titulis illis fit mentio, sita sit, uti tanto clarius cernantur loca, per quæ Viæ Imperii Publicæ in Asia minore & majore porriguntur: Lectoris autem curiosæ industriæ, si tanti putet, relinquo singulorum, cujusque Viæ locorum & mansionum situm accuratius investigandum: cui operæ optime aderunt & amplissime Strabo, Plinius, Ptolemæus, & qui hos illustrarunt, nec non Suritæ *Commentarii* in *Itinerarium*.

10. Sequar ergo eundem ordinem, quem in disponendis Viis servabam, scilicet secundum Provinciarum situm. Prima urbs occurrit *Claudiopolis*: hoc nomen duabus in *Asia* urbibus commune est; altera sita est in *Galatia*, quam Ptolemæus *Geogr.* v. 4. ponit in *Trogmis*: altera in *Bithynia*, aliter dicta *Bithynion*, cui natalem debuit Antinous, delicium Hadriani. *Ancyra* quoque duplex est; altera in Phrygia prope Blairou, altera in *Galatia*, *Gallorum Tectosagum* regione, nunc *Angoury*. *Pesinus* aut *Pessinus*, quæ nonnullis est *Tribauta*, aliis *Possene*, est in *Paphlagonia*. *Tavia* in *Galatia* urbs fuit Episcopalis, cujus Episcopus *Dicasius* subscripsit *Concilio Nicæno*. *Arabissus*, ut & *Sebastia* & *Sebastopolis* sunt in *Cappadocia*, si Plinium *H. N.* VI. 3. & Ptolemæum *Geogr.* v. 6. sequimur. *Cocusos* aut *Cocusus* in *Itinerario* nobilis & celebris per Asiam urbs exhibetur, cum tot undique ad eam ducant Viæ Militares: miramur tamen, nullam fieri ejus apud Geographos mentionem. D. Johannes Chrysostomus *in Epistol. ad Constantium Presbyterum* ostendit, fuisse urbem sitam ad mare Ponticum, in vasta *Armeniæ* solitudine: LXX. dierum itinere *Constantinopoli* distans, ad quam ipse sub Arcadio in exilium fuit missus. *Septuaginta*, ait, *diebus in itinere consumtis, aliquando tandem Cocusum pervenimus, locum totius Orbis propter solitudinem gravissimum*: & paullo post: *Quandoquidem & nos tertium jam annum in exilio agentes, in fame, peste, bellis continuis, obsidionibus, solitudine incredibili, morte quotidiana, ensibus Isauricis, non mediocriter animos adjicit, & consolatur affectionis vestræ abundantia & constantia & fiduciæ stabilitas*. Cæterum hæc urbs inter limitaneas Imperii ad Ortum, atque Episcopalis erat. *Concilio Chalcedonensi* subscripsit *Bomnus Episcopus Cocusi*. *Cæsaream* quod attinet, illo nomine complures urbes gaudebant. Est *Cæsarea* in *Bithynia*, aliter dicta *Smyrales*: altera in *Pisidia* aut *Cilicia*, *Sevesta* quoque appellata: tertia in *Palæstina*, diversis, ut volunt, nominibus vocata *Turris Stratonis*, *Apollonia Colonia*, *Prima Flavia*, *Siseria*, *Gad Palæstinorum*, & hodie *Azor*: quarta est *Cæsarea Paneas*, aut alio nomine *Cæsarea Philippi*, in *Phœnicia*, variis quoque nominibus nota, quæ inter *Leser*, deinde *Dan*, *Neronias*, *Maggedan*, & *Dalmanutha*, hodie appellatur *Belina*. Duæ pariter sunt urbes *Satalæ* nomine, altera *Mœoniæ*, altera *Armeniæ* ad *Euphratem*, limitem generalem Imperii ad Ortum. *Nicopolis* & *Melitene* sunt in *Armenia minore*. In *Syria* invenies *Germaniciam*, *Damascum*, *Emesam*, *Dolichen*, *Hierapolin* & ad ipsam *Euphratem Samosata*: ultra *Euphratem Edessam* & *Carras*, has clade Crassi, cæsis Legionibus, amissisque signis nobiles.

11. Verum hic singillatim notandum est, a Trajano, cum ultra *Euphratem* victricia protulisset arma, factas esse in Victoriæ monumentum duas Vias Militares munitas a *Carris*, quæ urbs inter *Tigrim* & *Euphratem* in media est *Mesopotamia*, & ducentes in diversas regiones. Ammianus Marcellinus *Hist.* XXIII. 2. *p. m.* 289. has binas *Vias* appellat *Regias*, quo cognomine Vias Publicas & Militares, sive a Romanis munitas appellare solet. Sic autem illas Vias describit: *Mœstus exinde digressus* Julianus *venit cursu propero Carras, antiquum oppidum, Crassorum & Romani exercitus ærumnis insigne; unde duæ ducentes Persidem Viæ Regiæ distinguuntur: læva per Adiabenam & Tigridem, dextera per Assyrios & Euphratem*. Idem Auctor easdem Vias intelligit; cum *l. l. m.* 288. narrat, Julianum venisse *Hierapolin*, urbem ad *Euphratem* in *Syria Commagena* sitam, *solitis itineribus*, quæ non sunt alia, ac Viæ Militares, per quas duci solebat Exercitus Romanus.

12. Tandem in *Phœnicia* & *Palæstina* sitæ sunt urbes sequentes: *Neapolis*, *Scythopolis*, *Cæsarea*, *Ascalon* & *Eleutheropolis*. Nonnullarum fit mentio apud Ammianum Marcellinum, qui *Hist.* XIIII. 7. *p. m.* 24. *Ultima*, inquit, *Syriarum est Palæstina, per intervalla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & civitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim, velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorem Octaviani Principis exædificavit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Ascalonem, & Gazam & Juliam, ævo superiore exstructas*.

13. Huc usque persecuti sumus priorem ex *Europa* transitum in *Asiam* per *Trajectum Byzantinum*: Accedamus nunc ad posteriorem; cujus titulus generalis in *Itinerario p.* 76.

DE THRACIA IN ASIAM.

Hoc sub titulo bina Itinera describuntur, quorum prius est hoc *p.* 76.

A Trajanopoli Callipolim ad Trajectum Asiæ	M. P. CXXVIIII.
sic:	
A Trajanopoli Dymen	M. P. XII.
Syrascellam	M. P. XXXVIII.
Apros	M. P. XXI.
Aphrodisiadem	M. P. XXXIIII.
Callipolim	M. P. XXIIII.

Hæc Via non porrigitur ultra *Thraciam*, sed *Callipoli* sistitur, quæ sita est in ora Europæa, unde trajectus est in *Asiam*: *Callipolis* enim & *Sestos* in ora sunt Europæa, *Lampsacus* & *Abydus* in Asiatica. Plinius *H. N.* IV. 11. eleganter hos trajectus depingit: *Hellespontus*, ait, *septem*, *ut diximus stadiis Europam ab Asia dividens*, *quatuor illinc inter se contrarias urbes habet*. *In Europa*, *Callipolin & Seston*: *in Asia Lampsacum & Abydon*. Hic est ille trajectus adeo decantatus Poetis submerso Leandro, & infelici Helles casu, quæ *Hellesponto* nomen fecit; & celebratus in Historiis ponte Xerxis.

14. Alterum iter a *Callipoli* initium habet, quæ ibi loci sola trajectum in Asiam præbebat: pergebat hoc iter per *Phrygiam*, *Ilium* urbem antiquissimam, aliasque satis celebres, usque ad *Laodiceam*, *Lydiæ* urbem ad fluvium *Lycum*. In *Itinerario p.* 76. hoc modo recensetur:

A Callipoli trajectum in Asiam Lampsacum usque, Stadia	LX.
Inde Abydum	M. P. XXIIII.
Dardanum	M. P. VIIII.
Ilium	M. P. XII.
Troadem	M. P. XVI.
Antandrum	M. P. XXXV.
Adramuthium	M. P. XXXI.
Pergamum	M. P. LIII.
Germam	M. P. XXV.
Thyatira	M. P. XXXIII.
Sardeis	M. P. XXXIII.
Philadelphiam	M. P. XXVIII.
Tripolim	M. P. XXXIII.
Hierapolim	M. P. XII.
Laodiciam	M. P. VI.

SECTIO XLV.

De transitu ex Italia in Insulas Siciliæ, Corsicæ & Sardiniæ.

1. *Argumentum dicendorum de reliquis Imperi Viis Publicis*. 2. *Romani Siciliam appetunt & tentant*. 3. *Occasio belli ibidem gerendi*, *eamque sub Imperium redigendi*. 4. *Romani æque terra marique Victores*. 5. *Quando Romani primum mare ingressi*. 6. *quando iterum*. *Sicilia victa in potestatem Romanorum venit*. 7. *Novem Viæ per Siciliam munitæ*, *earumque longitudo*. 8. *Quando factæ videantur*. 9. *Corsica & Sardinia tentatæ & sub ditionem coactæ*. 10. *Roma cum Corsica & Sardinia per quos portus ex adverso sitos mutuum habuerit commercium*. 11. *Septem Viæ Publicæ per Sardiniam*, *earumque longitudo*. 12. *Trajectus ex Sardinia in Corsicam*; *& hujus unica Via Publica*.

1. VIcinia Galliarum & Britanniarum, nec non Thraciæ atque Asiæ minoris nobis præbuit occasionem, ut earum trajectus & transitus prius persequeremur, quam Italiæ, Romæ multo viciniores. Fecimus id, ut Viarum Publicarum cursum continuaremus, & de regio-
A ne in regionem ad opposita extrema in Europa hinc & inde deduceremus; atque ita ostenderemus, ab objecto utrimque mari nec Vias Publicas potuisse sisti ac finiri, nec Populi Romani victorias; qui quousque Imperium, eo etiam usque hæc Viarum opera extendit & æquavit. Tempus nunc est, ut in Italiam redeamus, & lustremus Vias Publicas *Insularum* illi viciniorum, deinde continentis in opposita *Africa*, in quam hæ Insulæ velut trajectum transituris præbebant; tandem *Græciæ* & *Macedoniæ*, quæ solæ posteriores ultimæ ex Europa restant Viis Militaribus visendæ & peragrandæ.

B 2. Utar ductu & verbis Flori II. 2. quæ meo instituto hic & in sequentibus nonnihil accommodabo. Populus igitur Romanus quingentis annis domita subactaque Italia universa, cum tribus intervallis objectum mare, & quarto Alpium moles oppositas, velut totidem victricium armorum suffIamina cerneret, paullisper substitit, & intra hosce terminos suæ ditionis nonnihil quievit. Verum Populus ille male patiens quietis pacisque, cum videret opulentissimam in proximo prædam, Siciliam quodammodo Italiæ suæ abscissam & quasi revulsam, adeo cupidi ate ejus exarsit, ut quatenus
C nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda & ad continentem suam revocanda videretur.

3. Nec occasio, ipsis viam pandentibus fatis, defuit, cum de Pœnorum impotentia, fœderata Siciliæ civitas Messana conquereretur. Affectabant enim, ut Romani, ita Pœni Siciliam, & eodem tempore, paribus uterque populus votis, viribus, virtute ac rerum bellicarum scientia Imperium Orbis agitabat.

4. Igitur specie quidem Socios juvandi, re autem sollicitante præda; quanquam territaret novitas rei, tanta tamen in virtute fiducia est, ille ru-
D dis, ille pastorius populus vereque terrester mare ingressus est, & pluribus experimentis ostendit, nihil interesse suæ virtutis, equis an navibus terra an mari dimicaretur.

5. Appio Claudio Caudice & M. Fulvio Flacco Coss. anno U. C. CCCCLXXXX. & tertio Olympiadis CXXVIII. si sequamur Dionysium Halicarnasseum *Antiq. Rom. lib.* I. *in procem sub fin. p. m.* 22. aut si Polybium *Hist.* I. I. *p. m.* 8. Olympiade CXXIX. Romani primum mare sunt ingressi. Ingressi autem primo sunt fretum Siculum, fabulosis Poetarum monstris, quæ singillatim & speciatim decantat in periculis Ulyssis Homerus, infame, æstuque vio-
E lentum. Sed adeo non sunt exterriti Romani, ut illam ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplecterentur; statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum Regem tanta celeritate vicerunt, ut ille ipse, se prius victum, quam hostem videret, fateretur.

6. Post primum hoc experimentum, quatuor annis post, blandiente successu, Romani C. Cornelio Scipione Asina, & C. Duillio Nepote Coss. denuo maris fortunam sua virtute tentarunt, ausi etiam mari congredi. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, Victoriæ auspicium fuit. Intra
F enim sexagesimum diem, quam cæsa silva fuerat, centum sexaginta navium classis in ancoris stetit; ut non arte factæ, sed quodam munere Deorum conversæ in naves atque mutatæ arbores viderentur. Prœlii vero forma mirabilis: quum illas celeres volucresque hostium naves hæ graves tardæque comprehenderent. Longe illis nauticæ artes, detergere remos, & ludificari fuga rostra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ, coactique hostes quasi in solido decernere. Sic Duillius Cos. &

Imperat[illegible]

Imperator victor apud Liparas, ubi Poetæ Vulcani collocant officinam, mersa & fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum, primus coronam reportavit navalem.

7. Ut breves simus, post multa cum Pœnis certamina, Romani Siciliam sui fecerunt juris, eamque, commodo otii tempore, ut cæteras continentis Provincias, Viis militari opere munitis exornarunt. Cum autem Sicilia sit triangula, & tria habeat extrema Promontoria, *Lilybæum, Pelorum*, & *Pachynum*; quorum primum *Lilybæum* Italiæ est proximum, ea de caussa Viæ Publicæ in Italia ex adverso continuantur *Rhegium*, cujus portus portui *Messanensi* in Sicilia est oppositus. Sane inter novem Vias Militares, quas Romani per *Siciliam* muniverunt, prima incipit a *Lilybæo* & *Messanam* pergit. Ea vero exhibetur in *Itinerario p.* 19. hoc modo:

S I C I L I Æ.

A Trajectu Lilybæum sic:	M. P. CCLVIII.
Messanam	M. P. XII.
Tamaricium sive Palmas	M. P. XX.
Tauromenium Naxon	M. P. XV.
Acym	M. P. XXIIII.
Catanam	M. P. VIIII.
Capitonianas	M. P. XXIIII.
Sclam sive Sophianas	M. P. XXI.
Petilianas	M. P. XXVII.
Agrigentum	M. P. XXVIII.
Cena	M. P. XVIII.
Allava	M. P. XII.
Ad Aquas	M.P. XII.
Ad fluvium Lanarium	M. P. XXIIII.
Mazaram	M. P. X.
Lilybeam	M. P. XII.

Reliquæ octo Viæ Militares hosce habent titulos:

p.19.	*Alio itinere a Lilybæo Messanam*	M. P. CCC.
p.20.	*A Messa Tyndaridem*	M. P. XXXVI.
	Item a Lilybæo per maritima loca Tyndaridem usque	M. P. CCXXVIII.
	Item a Thermis Catanam	M. P. LXXXXI.
	Item a Catana Agrigentum mansionibus nunc institutis	M. P. LXXXXI.
p.21.	*Item ab Agrigento per maritima loca Syracusas*	M. P. CXXXVII.
	Item ab Agrigento Lilybæum	M. P. CLXXV.
	Item ab Hiccaris per maritima loca Drepanum usque	M. P. XXXXVI.

8. Videntur autem Viæ per Siciliam munitæ haud multum ante ætatem confecti *Itinerarii Antonini*, ut colligimus ex Viæ sextæ titulo, in quo legitur: *Mansionibus nunc institutis*. Romani enim ad Vias Publicas solebant exstruere stationes duum generum, *Mansiones* & *Mutationes*, de quibus agemus postea *lib.* IV. *sect.*9. hujus operis. Cum ergo *nunc institutæ* dicantur *mansiones*, intelligimus eas nuperrime factas fuisse, &, ut credibile est, ipsas quoque Vias Publicas: quarum per totam Insulam longitudo conjunctim sumta habet M.P.CIƆCCC.LXII.sive Leucas Francicas IƆCLXXXXI. (Sed non animadvertit Bergierius calculos male positos. quædam enim intervalla bis occurrunt, quorum distantia

A non debet bis ad summam colligendam adnumerari. Sic Via I. & II. *p.* 19. *Messana Catanam* saltem M.P. LXIIII. bis numerantur: & Via IV. & IX. *p.* 20. & 21. *Hiccaris Drepanum per maritima loca* iterum bis numerantur M.P. XLVI. item denuo Via IV. & VIII. *p.* 20. & 21. *Hiccaris Panormum* saltem M. P. XVI. tandem Via VI. tota *p.* 20. etiam exstat in Via I. *p.* 19. ad M. P. LXXXXI. mansionibus iisdem: atque adeo demenda sunt summæ, quam Bergierius colligit, M P.CXXVII. Sic calculis rectius positis Longitudo Viarum Siciliæ erit admodum M P.CIƆCCXXXV.sive Leucarum Francicarum IƆCXVII. cum dimidia.)

9. Cum ergo mare aperuissent Romani, & binæ primæ expeditiones felices fuissent, ab anno sequente U. C. CCCCLXXXXV. L. Cornelius Scipio, qui cum C. Aquilio Floro Collega Cos. fuit, cum
B videret, jam Siciliam esse suburbanam Populi Romani ac Italiæ Provinciam versus mare Ionium, serpente latius bello, in *Sardiniam* annexamque *Corsicam*, quam Græci *Cyrnon* dixere, transiit. Gliscebat eo tempore bellum contra Pœnos, quo sic *Caralis* urbis, quæ *Sardiniæ* caput erat, excidio incolas terruit, adeoque omnes terra marique Pœnos, qui jam olim has Insulas possidebant, expugnavit, ut brevi tempore utramque Romano subjiceret imperio: adeoque *Sicilia*, *Sardinia* & *Corsica*, quæ semper fortioris, Romæ aut Carthaginis, prædæ erant, domitis, subactis & tandem
C debellatis, nihil nisi Africa ipsa & Carthago capienda restabat. Paullo post certe parum absuit, quin hæc urbs terrore adventus Romani, apertis pæne portis caperetur.

10. Quamvis autem ex *Italia* in *Sardiniam* & *Corsicam* nullus esset trajectus, sive fretum transitusve angustior, minore distantia alter alteri respondens & oppositus, sed mare Tyrrhenum latiore spatio interfluens; Romani tamen cum *Sardinia*, portubus ex adverso oppositis, commercium habuerunt mutuum, scilicet a *Portu Ostiensi* ad *Portum Tibulorum*, quorum prior situs erat in ora *Italiæ* austrina, posterior in *Sardiniæ* orientali,
D respiciens occidentalem *Siciliæ*, teste Ptolemæo *Geogr.* III.3. Per hos Portus Viæ Publicæ Italiæ velut continuabantur & conjungebantur cum Viis Militaribus *Sardiniæ*, in qua Romano opere septem munitæ inveniuntur.

11. Ut enim a *Sardinia*, quæ ab ora Italiæ remotior est, initium faciamus, Romani, ut diximus, per eam septem Vias militari opere muniverunt, quarum tituli in *Itinerario p.* 17. sic exhibentur:

S A R D I N I Æ

E

Iter Sardiniæ a Portu Tibulis Caralim	M. P.CCLII.
Alio itinere ab Olbia Caralim	M.P.CLXXIII.
A Tibulis Caralim	M. P. CCXIII.
A portu Tibulis per compendium Olbiam	M. P. XVI.
Item a Tibulis Sulcos	M. P. CCLX.
Item a Sulcis Noram	M. P. LXVIII.
A Carali Noram	M. P. XXXII.

Harum longitudo conjunctim in summam collecta habet M. P. CIƆXIIII. sive Leucas Francicas
F IƆVII.

12. Ex *Portu Tibulis* in *Corsicam* brevissimus erat trajectus, in quam aditus erat per varios Portus, ut *Titanis*, *Syracusanum*, *Philonii Favonii*, & *Dianæ*. Nobilissimus autem omnium est *Dianæ* Portus, prope urbem *Marianam*, nunc *Marao*, in quam Marius VII. Cos. olim duxit Coloniam. Urbs cum portu sita est longitudinis gradu XXXI. & dimidio; latitudinis gradu XL. teste Ptolemæo *Geogr.* III.2. In ea insula Romani, ob brevitatem

ejus, tantum unam munivere Viam Militarem, eamque deduxerunt in urbem *Plalas*, longitudine tantum CXXV. M. P. sive Leucarum Francicarum LXII. cumdimidia, ut apparet ex ejus recensione *p.* 18. quæ talis est:

CORSICÆ.

A Mariana Plalas	M. P. CXXV.
Aleriam	M. P. XXXX.
Præsidum	M. P. XXX.
Portum Favonii	M. P. XXX.
Plalas	M. P. XXV.

SECTIO XLVI.

De transitu ex Italia in Africam, Viisque ibidem Publicis, quas Imperatores Romani muniverunt.

1. *Africa difficillime devicta. Comparatio Romanorum* & *Carthaginiensium.* 2. *M. Attilius Regulus primus cum exercitu in Africam navigavit.* 3. *Ejus reguli fortuna prospera & adversa.* 4. *Africa tribus bellis tandem devicta & in Provincias divisa.* 5. *In his Provinciis Viæ Militares munitæ: earum bini termini, quos respiciunt. Prior terminus.* 6. *Cur hic tantum habeatur ratio portus Ostiensis* & *Carthaginiensis.* 7. *Alter & posterior terminus, quam Viæ Publicæ Africanæ respiciunt, Carthago.* 8. *Eas Itinerarium duobus modis describit.* 9. *Numeri Itinerarii examinantur & corriguntur.* 10. *Tabula Peutingeri in Viis Africanis partim deficit, partim aberrat.* 11. *Tituli generales Viarum Africæ.* 12 *Quomodo Viæ Africanæ connectantur cum Viis Asiæ & Europæ.* 13. *Via Ptolemaide Alexandriam.* 14. *Computatio per saturam Viarum Africæ, in universum, & distantiarum conjunctim collecta longitudo.*

1. SIcilia, *Corsica* & *Sardinia* sub Romanorum potestatem subactis Via patebat ad *Africam*, quæ alio nomine est *Libya*, quam inter & Italiam istæ insulæ interjacent. Magnæ sane molis & periculosæ plenum aleæ fuit hoc Romanorum opus, si ullum, tentare *Africam*, cujus meliorem & majorem partem habebant Carthaginienses, eo ævo si non superiores, certe pares Populo Romano, paribus terra marique viribus, agitabantque Orbis imperium nec minoribus animis ac ambitione, nec minus, non sine ratione spe successus, blandientis. Cumque eo ævo facile conjicerent, alterutri Populo cessurum Orbis imperium, omnes exspectatione suspensi erant, utri Virtus aut Fortuna illud esset donatura; Europane Africæ, Roma Carthagini; an e contrario Africa Europæ, cujus tum quasi caput erat Roma, armis virisque potentissima, esset paritura.

2. Harum Urbium Portus longissimo distabant intervallo: neque enim simplici trajectu, uti in freto Byzantino aut Siculo, altera urbs ab altera separabatur; sed plano ac patente maris æquore, quod Romanos terrebat. *M. Attilio Regulo duce* primum *in Africam navigavit bellum: neque deerant, qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, augente insuper tribuno Mannio metum; in quem, nisi paruisset, securi districta, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remisque properatum est, tantusque terror hostici adventus Pœnis fuit, ut apertis pæne portis Carthago caperetur.* Utor hic verbis Flori II. 2. quem & in sequentibus subinde ducem sequar.

A 3. Initia hujus belli fuere prospera & Romanis felicia. Prima belli præmium fuit civitas *Clypea*; prima enim a Punico littore, quasi arx & specula, in Promontorio sita, procurrit. Et hæc & trecenta amplius castella vastata sunt. Exercitus Carthaginiensium justo prælio devictus. Sic victor Regulus terrorem nominis sui late circumtulit, magnamque vim juventutis ducesque ipsos aut cecidit, aut habuit in vinculis, classemque ingenti præda onustam & triumpho gravem in Urbem præmisit, jamque ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidione, ipsisque inhærebat portis, cum subito circumacta fortuna est. Nam conversis ad
B externa auxilia Pœnis, cum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissimo Romani vincuntur: fœda tum clades fuit, Romanisque usu incognita, vivus enim in manus hostium venit fortissimus Imperator Regulus; *tantum* scilicet *ut plura essent Romanæ virtutis insignia, cujus fere magnitudo calamitatibus approbatur*, ut Florus magnifice *l. l.* prædicat.

4. Neque est quisquam, qui vel a limine literas salutarit humaniores, quin Reguli sciat calamitates, voluntarium ad hostes suos reditum, carceris & crucis supplicium, fortunam deinde vario-
C rum ducum, tribus illis Punicis; & quomodo tandem virtute Scipionis Junioris Carthago fuerit eversa. Nemo postea Romanis Africæ possessionem dubiam facere, aut super ea bellum aut controversiam movere ausus est. Sub Augusto, ut cæteræ Imperii regiones, in Provincias divisa fuit complures: & licet ab *Herculis Columnis* ad *Ægyptum* usque longissimus & vastus esset terrarum tractus, ille tamen deinde a Constantino M. tantum in sex Provincias fuit divisus, hoc modo, ut docet *libell. Provinc. Rom.* p. 123.

AFRICÆ PROVINCIÆ VI.

D

Proconsularis, in qua est Carthago.
Numidia.
Byzacium.
Tripolis.
Mauritania Sitifensis.
Mauritania Cæsariensis.

5. Secundum has Provincias Augustus ejusque successores Vias Africæ Militares muniverunt, ut alibi terrarum fecerunt. Hæ Viæ ad duos respiciebant terminos, quorum alter Romæ maritimo; alter terrestri itinere in præcipuis Africæ & Ægy-
E pti urbibus erant. Prior ad *Portum Ostiensem* respiciebat a *Portu Carthaginiensi*. Portus Ostiensis XVI. M. P. Roma aberat, ad dextram minoris ostii Tiberini in mare Tyrrhenum patentis, ut diximus *sect.* XXVII. §. 3. at Carthaginiensis Portus urbi proximus erat; sita enim erat ad ipsum maris Africi littus: quod colligi potest ex Censorini cos. ad Carthaginienses oratione, qua senatus jussu his persuadere conatus est, ut ultro mœnia dejicerent, & urbem a mari ad VIII. M. P. in mediterraneum transferrent locum; uti populus hic bellum & vindictam spirans a mari, tanquam irritamen-
F to repetendæ bello pristinæ potentiæ, amotus non amplius Europam armis suis & classibus infestaret, sive in Hispania, sive in Italia; & uti ita paullatim assuesceret agro colendo, maris oblivisceretur, & arma converteret in ligones. Censorinus porro, ut magis persuaderet, addebat ipsius Romæ exemplum, quæ ad maris littus sita non erat, sed ab eo remotior, quam esset distantia loci, quo S. P. Q. R. juberet Carthaginem restitui mediterraneam. At hoc mandatum migrandi finibus adeo movit iras Carthaginiensium, ut extrema

mallent: sic ad arma conclamatum, sic urbs acerrime defensa tandem victa, eversa, deleta est.

6. Complures alii sunt *Portus*, tam in *Italia* ad oram maris Tyrrheni, quam in *Sicilia*, ex quibus in *Africam* navigatur, de quibus *lib.* IV. *sect.* 49 dicemus: verum hos binos cum maxime selegi, quod sint bini illi Portus oppositi, per quos Viæ Publicæ Europæ & Africæ quasi conjunguntur, quamvis interfluat vastum illud Maris Mediterranei latus, quod hic spatiosius est, quam usquam, & vix cedit mari Ægeo.

7. Posterior Viarum Africæ Militarium terminus est *Carthago*, unde prima Viarum initia ducenda sunt, & producenda per omnes Africæ provincias ad Ortum, Occasum, Meridiem. Hinc in *Itinerario* plures Viæ Carthagine oriuntur, quam ulla alia Africæ urbe. Occasionem tot Viis inde ducendis videntur dedisse & portus commodissimus, & restituta per Hadrianum Carthago, qui *Æliam* cognominavit. En tibi Vias, ex *Itinerario* descriptas:

p.4.	*A Carthagine Cirtam*	M. P. CCCXXI.
	Sitifi	M P. C.
	Cæsaream	M. P. CCCI.
p.10.	*Item a Carthagine Byzacio Sufetulam usque*	M. P. CLXXII.
p.11.	*Item a Carthagine per Adrumetum Sufetulam usque*	M. P. CXC.
p.12.	*Item a Carthagine Clypeam*	M. P. LXXXV.
p.13.	*A Carthagine Thenas*	M. P. CCXVII.
	Inde Leptim Magnam	M. P. CCCCXXII.
	Inde Alexandriam	M. P. IↃCCCCII.

8. Verum quemadmodum in Italia sunt Viæ, quas *Itinerarium* ab urbe aliqua Romam ducit, licet Romæ verum habeant initium, ac inde forent ducendæ, sic ut Viarum ordinem quodam quasi modo invertat, ut *p.* 65.

Iter a Luca Romam per Clodiam M.P.CCXXXVIII.

Eodem modo plures sunt in Provinciis Viæ, quas *Itinerarium*, ut sic loquar, a calce ad caput recenset. Vidimus hoc in Britanniarum Viis *sect.* XLIII. §. 10. quæ a *Vallo Ritupas*, ab extrema Britannia ad Portum Ritupensem Galliæ vicinum, a fine ad initium ducitur. Idem quoque fit in pluribus Africæ Viis Militaribus, quas *Itinerarium* ducit ab extrema ejus ora Occidentali Carthaginem, ordine inverso, ad initium a fine. Talis est omnium in *Itinerario* prima, quæ incipit ab *Oceano Atlantico*, & per utramque *Mauritaniam* ac *Numidiam* pergens tandem terminatur ac finitur *Carthagine*, ubi proprie verum habet initium: recensio hæc est *p.* 1.

COLUMNAE HERCULIS.

A Tingi Mauritania, id est, ubi Bacuetes & Macenitæ Barbari morantur, per maritima loca Carthaginem usque M. P. XVIII. XLVIIII.

Hanc Viam universam deinde in singularia dividit itinera, & subjicit: *p. ead.*

Ab exploratione, quæ ad MercurI dicitur, Tingim usque	M. P. CLXXIIII.
Rusadder	M. P. CCCXVIII.
Cæsaream Mauritaniæ	M.P. CCCCXCIII.
Saldas	M.P. CCXVIII.
Russiccadem	M. P. CCCXVIII.
Hipponem regium	M. P. CCXV.
Carthaginem	M. P. CXIII.

9. Hi numeri in unam collecti summam reddunt M.P. CIↃ. IↃCCC. XXXXVIIII. sive Leucas Francicas IↃCCCCXXIIII. cum dimidia: adeoque numerus *Itinerarii* generalis & omnium primus, qui habet XVIII. & XLVIIII. corruptus utraque parte ac depravatus est; contra perpetuam Auctoris illius consuetudinem, qui ubique alias generalem summam M. P. quam præmittit, uno numero continuo conjungit, non vero in duos divisum separat. Singularem recensionem duobus modis deinde persequitur: primo enim universam inter *Columnas Herculis* & *Carthaginem* Viam in septem partes dividit, numeris milliaribus distinctas, & urbibus Libyæ seu Africæ celebrioribus terminatas; deinde vero singillatim itinerum variorum urbes, oppida, mansiones & mutationes per Africam, inter utrumque hujus Viæ terminum recenset, ut exempli gratia: *p.* 1.

LITORARIA MANSIONIBUS HIS:

(Ab Exploratione, quæ) *ad MercurI(* dicitur, Tingim Coloniam usque) M. P. CLXXIIII. (sic:)

Salaconiam	M. P. XVI.
Thamusidam	M. P. XXXII.
Panasam	M. P. XXXII.
Frigidas	M. P. XXIIII.
Lixon Coloniam	M. P. XVI.
Tabernas	M. P. XVI.
Zilim	M. P. XIIII.
Ad MercurI	M. P. VI.
Tingin Coloniam	M. P. XVIII.

Et sic porro: verum in secunda hac recensione, & numeri & Viarum partitiones paullo aliter se habent, atque in prima: quod si namque denuo singulares numeros Milliarium in suas summas supputes, invenies *p* 1. & 2. ab Occidentali termino, qui *Atlanticum* spectat *Oceanum*, *Tingim* usque M. P. CLXIIII. *p.* 2. A *Tingi* ad *flumen Malvam* usque, quod *Mauritaniam Sitifensem* dirimit & *Cæsariensem* M.P. CCCXCV. *p.* 2. & 3. A flumine *Malva* ad *Cæsaream Coloniam* M. P. CCCXCV. *p.* 3. A *Cæsarea Colonia Saldas Coloniam* M. P. CCXVII. *ead. pag.* A *Saldis Russiccadem* M. P. CCXII. *p.* 3. & 4. A *Russiccade Carthaginem* M. P. CCCLII. Qui numeri omnes in unam summam collecti reddunt M.P.CIↃ. IↃCC. XLV. atque hæc summa generalis, quæ vera est, foret initio *Itinerarii* substituenda loco numerorum inutilium XVIII. & XLVIIII.

10. Hæc Via & aliæ per Africam munitæ in *Tabula Peutingeri* reperiuntur *segmentis* VI. *prioribus*; sed interruptæ nonnusquam saltibus, qui Vias ab hac linea in illam trajiciunt, adeo ut lineæ in *Tabula*, quæ Vias Militares significant, non conveniant cum ordine, situ & serie urbium ac mansionum in *Itinerario*. Sed nec in *Tabula* habetur Africæ pars occidentalis, quæ utramque continet *Mauritaniam*, uti nec extrema Europæ pars, *Hispania*. Quinquaginta admodum urbes aut mansiones, ducto a *Columnis Herculis* initio, sunt in *Itinerario*, quæ desiderantur in *Tabula*: hæc enim incipit *segm.* 1 a mansione *Rusubricari*, quæ in *Itinerario* est ordine quinquagesima prima vel secunda. Porro Viæ reliquæ, quæ aliunde *Carthaginem* veniunt, in *Itinerario* recensentur his titulis istæ:

p.8.	*Item ab Hippone regio Carthaginem*	M.P.CCXVIII.
p.9.	*Item alio itinere ab Hippone regio Carthaginem*	M.P.CCXXVIII.

11. Cæterarum Viarum, quæ Provincias sex Africanas ornant, isti ex *Itinerario* sunt tituli:

p. 4.	*Item ab Ptocolosida Tingi*	M. P. CXXXXVIII.
p. 5.	*Item a Sitifi Saldas*	M. P. LXXVIIII.
p. 6.	*Item a Lambese Sitifi*	M. P. CII.
	Item a Theveste per Lambesem Sitifi	M. P. CCXII.
	Item a Turri Cæsaris Cirtam	M. P. XXXX.
	Item a Tamugadi Lamasbam	M. P. LXII.
	Item a Lamasba Sitifi	M. P. LXII.
p. 7.	*Item a Cala Rusuccurum*	M. P. CCCXCIIII.
	Item Rusuccuro Saldas	M. P. CVII.
p. 8.	*Item Saldis Igilgili*	M. P. CLVIIII.
	Item a Lambese Cirtam	M. P. LXXXIIII.
	Item a Musti Cirtam	M. P. CXCVIIII.
	Item a Cirta ad Hipponem regium	M. P. XCIIII.
p. 9.	*Item a Thenis Theveste*	M. P. CXXV.
	Item ab Aquis Regis Sufibus	M. P. XXXXIII.
p. 10.	*Item ab Assuris Thenas*	M. P. CLVII.
	Item a Tuburbo per Vallos Tacapas	M. P. CCCVIII.
p. 11.	*Item a Tusdro Theveste*	M. P. CXV.
	Item alio itinere a Theveste Tusdrum	M. P. CLXXXV.
p. 12.	*Item a Sufibus Adrumetum*	M. P. CVIII.
	Item a Sufetula Clypeam	M. P. CCXVI.
p. 16.	*Item quod limitem Tripolitanum per Turrem Tamalleni a Tacapis Leptim magnam ducit*	M. P. IↃCV.
	A Telepte Tacapas	M. P. CXLII.

12. Supersunt perlustrandæ binæ adhuc Viæ, quarum prior ducit *Carthagine Alexandriam*. Alexandriæ, aliis cum Viis connectitur, per quas intermedias Carthago cohæret non solum Ægypto, sed & toti Asiæ tam majori, quam minori: Imo per Alexandriam *Carthago* Viis regionatim & provinciatim, ut Suetonii verbis utar, continuatis, & solo Bosporo Thracio, sed qui brevissimo trajectu trajicitur, interruptis, cohæret ipsi *Romæ*. Mutuum hoc Viarum, ut sic loquar, commercium exhibetur in *Itinerario*: & quidem primo *Roma Alexandriam*, his milliarium numeris *p.* 27.

Ab Urbe Mediolanum	M. P. IↃXXVIII.
Inde Aquilejam	M. P. CCLX.
Inde Sirmium	M. P. CCCCI.
Inde Nicomediam	M. P. IↃCCCCXV.
Inde Antiochiam	M. P. IↃCLXXXII.
Inde Alexandriam	M. P. IↃCCCCII.

Via deinde *Carthagine Alexandriam* habetur *pag.* 13. hoco modo:

A Carthagine Thenas	M. P. CCXVII.
Inde Leptim magnam	M. P. CCCCXXII.
Inde Alexandriam	M. P. IↃCCCCII.

adeoque Alexandria, magna & celeberrima Ægypti urbs, quasi media, excipit terminos extremos hinc & inde, utriusque Viæ Militaris, & sic *Romam Carthagini* connectit itinere circum & per plurimas Europæ, Asiæ, Africæ provincias iacto. Via *Roma Alexandriam* habet M. P. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CCCCLXXXVIII. (Si justi & ad calculos veros exacti sunt numeri isti mox allati: at si sequeris calculos forsan meliores supra *sect.* XLIIII. §. 6. laudatos, habebis M. P. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CCCCXIIII. Bergierius, nescio qua ratione, computat hic tantum M. P. CIↃ. CIↃ. IↃCLXXX. cum hæc summa ex istis numeris plane non colligatur.) *Altera* Via *Carthagine Alexandriam* habet M. P. CIↃ. IↃXXXXI. atque adeo in universum *Roma Carthaginem* sunt M. P. IↃC. XXVIII. sive Leucæ Francicæ CIↃ.CIↃ.IↃXIIII. cum dimidia. (Bergierius hic secutus erat in utraque computatione summam suam mox notatam, unde tantum numerabat M. P. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CCXXVII. Leucas Francicas CIↃ. CIↃ. CXLII. cum dimidia.)

13. Posterior Via ducit *Ptolemaide*, urbe Libyæ Pentapolitanæ, *Alexandriam* per Cyrenaicam & Marmaricam, vicinas Ægypto provincias: habetur in *Itinerario p.* 15. isto titulo:

Item alio itinere a Ptolemaide Alexandriam.

cujus Viæ Militaris numeri in unam summam collecti reddunt M. P. IↃXXXXVII. sive Leucas Francicas CCLXXIII. cum dimidia.

14. Quod si computemus conjunctim longitudinem omnium Viarum, per sex Africæ Provincias, Militarium, a Romanis munitarum, ut ne quidem ad rationes veniant Ægypti Viæ, de quibus *sect.* XLIIII. §. 7. egimus, summam inveniemus M. P. IↃↃ. CIↃ. CIↃ.CIↃ. CIↃ. CCCXXXXVIII. sive Leucas Francicas CIↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. IↃCLXXIIII. (Quomodo computat omnium summam Bergierius, ut hanc summam colligeret, non assequor: sed ipse ad calculos, & Vias hac sectione ex *Itinerario* laudatas, ad modum Bergierii, numeris omnibus in unam summam collectis ad unam quasi longitudinem redegi, quæ habet M. P. IↃↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. CCXLIIII. sic ut hæc M. P. CXXX. minor sit illa Bergierii. Sed, quod *sect.* XIX. §. 3. monuimus, etiam hic monendus est Lector, Bergierio animadversum non esse, hac in computatione sæpe easdem Vias repetitas, bis terve & sæpius computatas esse; exempli gratia *p.* 11. in Itinere a *Carthagine Sufetulam* occurrunt a *Carthagine Adrumetum* mansiones eædem, quæ *p.* 13. in Itinere a *Carthagine Thenas* habentur, item quædam *p.* 12. etiam in itinere a *Sufetula Clypeam*; confer iterum, si jubet, iter a *Tusdro Theveste* & a *Theveste Tusdrum p.* 11. & a *Sufetula Clypeam p.* 12. & videbis Viam eandem sæpe iisdem mansionibus ac numeris ex parte recenseri, qui tamen in generali computatione tantum semel numerandi sunt, demtis repetitionibus, quibus frustra summa augetur. Deinde non videtur Bergierius satis accurate summas generales, quæ singulis itineribus in *Itinerario* præscribuntur, contulisse cum numeris singularibus mansionum in unam summam collectis; ubi quandoque vel plus vel minus in hac illave erit. Sic in Itinere a *Tusdro Theveste p.* 11. legitur summa generalis M. P. CXV. & hanc sequitur in recensione sua Bergierius, cum numeri singulares in summam collecti habeant M. P. CXCV. E contrario *p.* 16. in itinere a *Tacapis Leptim magnam* summa generalis præmittitur M. P. IↃCV. quam & Bergierius sequitur, cum numeri singulares collecti reddant summam tantum M. P. IↃXCIII. Quin etiam observo summas quandoque vitiose descriptas. Sic hac ipsa sectione, ex *p.* 6. iter a *Tamugadi Lamasbam* recte & vere legitur habere M. P. LXII. at Bergierius, sive penes Typothetas forsan culpa fuerit, male scripserat summam M. P. LXXII. Quare mallem placuisse Bergierio nostro, ut monuisse mihi sit sine affectata αὐξήσει, a Romanis per Africam Vias ad M. P. admodum IↃↃ. CIↃ. CIↃ. CIↃ. IↃ. plus minus, esse munitas, quæ longitudo ipsa, operis est satis superque admirandi.)

SECTIO XLVII.

De Viis Militaribus, Trajectu vario, & Portubus maritimis, quibus urbs Roma quasi connectebatur cum Macedonia.

1. *Macedonia Romano subjecta Imperio: illius situs Italiam respiciens.* 2. *Apuliæ & Calabriæ longitudo; & urbes ibidem Portubus ornatæ.* 3. *Viæ Publicæ Roma ad has urbes per Appiam.* 4. *Viæ Benevento & Equotutico ad easdem urbes.* 5. *Trajectus ex Italia in Macedoniam: quorum primus Brundusio ad Ceraunia & Dyrrachium.* 6. *Alter Tarento in Macedoniam: duæ Viæ Milita-*

res Brundusio Beneventum. 7. Tertius Trajectus, e portu Rhegii in Macedoniam. 8. Quartus & quintus Trajectus. 9. Omnes hi Trajectus per Viam Appiam Romæ urbi cohærent.

1. POst Carthaginem a Romanis deletam, vinci ab his neminem puduit. Itaque statim secutæ sunt Africam devictam Macedonia, Græcia, Asia, Syria, Ægyptus, quodam quasi æstu & torrente Fortunæ ac Virtutis Romanæ victricis. Inter primas illas Provincias Romanorum fuit *Macedonia*, objecta quasi oculis Italiæ a partibus Apuliæ & Calabriæ: nam *Italia*, dicente Siculo Flacco *de condit. Agror. inter Auct. Rei Agrar. ex recens. Goesii, p. 2. ab Alpibus in Mare porrigitur, ac tribus lateribus exteras Gentes intuetur. A Sicilia usque ad Galliam omne littus Africum est contrarium, rursus a Leucapetra pars, quæ ad Mare attingit, Macedoniam ac aliquam Epiri partem spectat: Hadriaticum vero littus Illyricum contra se habet.*

2. Apulia, hodie *la Puglia*, & Calabria eam Italiæ partem faciunt, quæ olim *Apuliæ*, *Japygiæ*, *Magnæ Græciæ* aliisque nominibus clarebat: porrigitur a *Leucopetræ* promontorio secundum mare *Jonium* ad *Hadriaticum* usque; habetque urbes quatuor aut quinque, celeberrimis per Italiam portubus ornatas, *Rhegium*, *Columnam*, *Tarentum*, *Hydruntum*, *Brundusium*.

3. Ad has Urbes Roma ducebant plures Viæ Publicæ, in Viam Appiam, ceu rami in stipitem suum, insertæ. Via *Appia* primo *Roma* ducebat *Capuam* ad M. P. CXLII. ut colligimus ex recensione itineris, cujus titulus *p.* 23. *Itinerarii* est:

Item ab Urbe, Appia Via, recto itinere ad Columnam M.P.CCCCLV.

A *Capua* hæc Via continuabatur *Beneventum* & *Equotuticum*, ut constat ex *p.* 24. ubi hoc iter recensetur:

Iter a Capua Equotuticum M. P. LIII.
sic:
Ubi Campania limitem habet,
Caudium M. P. XXI.
Beneventum M. P. XI.
Equotuticum M. P. XXI.

4. Ab his duabus Urbibus deinde plures Viæ Publicæ ducebant ad tres urbes maritimas, quas paullo ante dicebamus. Prima ducit *Benevento Tarentum*, hoc modo *p.* 26.

Item a Benevento Tarentum (M. P. CLXVI.)
(sic.)
Æclanum M. P XXV.
Sub Romulam M. P. XXI.
Pontem Aufidi M. P. XXII.
Venusiam M. P. XVIII.
Silvium M. P. XX.
Bleram M. P. XIII.
Sub Lupatia M. P. XIIII.
Canales M. P. XIII.
Tarentum M. P. XX.

Altera *Benevento Hydruntum*, nunc *Otranto*, ducit, quæ recensetur hoc titulo *p.* 26. fere iisdem mansionibus:

A Benevento Hydruntum M. P. CLXV.

Tertia *Equotutico* pariter *Hydruntum* & *Brundusium* ducit, cujus recensio est *p.* 25. hoc titulo:

Ab Equotutico Hydruntum ad Trajectum. M.P.CCXXXV.

Præter tres hasce Vias est adhuc alia, *Roma Brundusium*, sed longo flexu & circuitu, ducens: nam a *Flaminia* Via initio facto pergit in *Picenum*, nunc *Marcam Anconitanam*; dehinc rediens secundum oram maris *Hadriatici* tandem terminatur *Brundusii* per urbes & mansiones, quæ isto sub titulo recensentur *p.* 70. & *seqq.*

F L A M I N I A.
Ab Urbe per Picenum, Anconam & inde Brundisium M.P.IↃCXXVII.

5. Roma profecti, urbes maritimas jam sumus ingressi: lustremus ergo earum Portus, ex quibus trajectus erat ad Portus Urbium oppositarum in *Macedonia* & *Epiro*. Sine ullo dubio Brundusinus Portus præ cæteris frequentatus fuit, ubi commodissimus ex Italia erat trajectus in *Macedoniam* & *Epirum*, & e contrario ex *Epiro*, *Macedonia*, imo ex omni Græcia & Asia in Italiam: docet hoc Strabo *Geogr. l.* VI. *p. m.* 516. ait enim: *E Græcia præterea navigantibus atque Asia longe rectior Brundusium est navigatio: itaque omnes, quibus propositum est iter Romam, huc applicant.* Sic etiam ex Italia in Græciam, Macedoniam & Illyricum profecturi plerumque solebant transjicere ex portu Brundusino, unde ad oram oppositam duo per mare erant itinera: alterum ad *Ceraunia* in oram Epiri & Græciæ; alterum ad urbem *Dyrrhachium*, nunc *Durazzo*, Græcis olim *Epidamnum*. Hoc iter illo est longius, quippe M.P.CCXXV. magis tamen ob commoditatem frequentabatur, quod *Dyrrhachium* situm erat ad confinia *Macedoniæ* & *Illyrici*, unde facile erat in utramque iter Provinciam: audi iterum, ex quo hæc discimus, Strabonem *l. l. p.* 517. dicentem: *At enim Brundusio in transmarinam ripam navigatio est: una quidem ad Ceraunia, littusque deinceps reliquum Epiri & Græciæ, altera ad Epidamnum, quam prima, longior: nam* cIↃ & IↃccc. *stadiorum est. Trita & hæc est, cum urbs ipsa commode & ad gentes Illyricas & Macedonicas sita est.* At Trajectus *Dyrrhachium Brundusio* hac distantia proponitur in *Itinerario p.* 72.

A Brundisio trajectus Dyrrachium usque Stad. num. I. CCCC.

quo loco numeri sine ullo dubio sunt corrupti: sed facile possunt restitui ex *l. l.* Strabonis, qui distantiam facit *stadiorum* cIↃ. IↃccc. quæ sunt M. P. CCXXV. Plinius hunc numerum contrahit in rotundiorem *H. N.* III. 11. his verbis: *Brundisium L. M. P. ab Hydrunte, in primis Italiæ portu nobile, ac veluti certiore transitu, sicuti longiore, excipiente Illyrica urbe Dyrrhachio* CCXX. *M. P. trajectu.*

6. Alter ex Italia in Macedoniam, aut ex Macedonia in Italiam Trajectus per urbem & portum illum *Tarenti* celeberrimum ducebat: docet enim Strabo *l. l. p.* 516. ex Græcia & Asia Brundusium navigantibus offerri duas vias, *unam quidem mulis tantum vectabilem, per Peucetios, qui Pœdicli vocantur, & Daunios, & Samnites usque Beneventum:* deinde *alteram per Tarentum paulisper ad lævam, & si, quanta est unius diei, circuitionem feceris, Viam Appiam offerri, plaustris commodiorem:* quibus deinde subjicit, *coire ambas* has Vias ad *Beneventum atque Campaniam ex Brundusio*; quod ipsum in *Itinerario* quoque exhibetur. (scilicet *p.* 24. habes Viam *Benevento Equotuticum*, deinde *p.* 25. ab *Equotutico*, *p.* 26. *Brundisium:* & *ibid. A Brundisio Tarentum ad littus*, hinc *Tarento Beneventum*, si reditum facias per mansiones itineris, cujus titulus est: *Item a Benevento Tarentum*.)

7. Tertius Trajectus, qui in Italiam admittebat venientes, secundum Strabonem *l.l.* est *Rhegium:* namque e Græcia atque Asia est,*e Rhegio per Bruttios*, nunc Calabriam inferiorem, *& Lucanos*, nunc Basilicatam, *& Samnium*, nunc Abruzzo, ducit & *ad Campaniam Appiæ jungitur*. Ubi vides, per quas & in quas terras ex hoc trajectu pateat iter, in quam Viam intret, qua tandem Romam ducit.

8. Quartus Trajectus erat ex *Portu Brundusii Aulonem*, nunc *Velone*, Macedoniæ urbem, quam Ptolemæus *Geogr.* III. 13. πόλιν ἐπίνειον, *Urbem navalem*, ob commodissimum ejus vocavit portum, describitur hic Trajectus in *Itinerario p.* 74. hac distantia:

Item a Brundisio,sive ab Hydrunte,
Trajectus Aulonem *Stad.num.*I.

Quintus est ab *Hydrunte Aulonem*, qui etiam hoc modo describitur *p.* 75.

*Item recto itinere ab Hydrunte Aulonem Stad.*I

Sed certissimum est, in utroque hoc Trajectu, Stadiorum numeros esse corruptos. Sane *Brundusio* aut *Hydrunte Aulonem* multo plura sunt stadia, quam unum: ex Plinio firmissimum huic rei probandæ argumentum petimus, fuisse plura quam CCCC. stadia; affirmat enim, *H.N.* III.II.*Hydruntem* esse *ex adverso Apolloniæ oppidi* in Macedonia, *latitudine intercurrentis freti* L.M.P. *non amplius*. Atqui L. M. P. sunt CCCC.*stadia*. Credibile ergo est non solum, sed certum quoque, plura stadia fuisse inter *Brundisium* sive *Hydruntem* & *Aulonem*, cum eodem loco laudato Plinius dicat, ibi, Hydrunte Apolloniam, ex Italia *in Græciam brevissimum transitum fuisse*; ergo longior Brundisio sive Hydrunte Aulonem fuit Trajectus.

9. Antequam hujus disputationis finem faciamus, notandum erit, quinque illos, quos diximus, Trajectus, & Vias Publicas, quibuscum cohærent, tandem omnes terminari in Via Appia, celeberrima longarum Viarum. Per hanc Legati Populorum Græciæ & Asiæ Romam ibant, per hanc eandem redibant domum: unde rectissime Lipsius *de magn.Rom.*III.10.*Hæc* Via Appia inter Italicas *celebritate & longitudine eminuit, quia a Roma in Græciam, Asiam & trans mare ducebat.*

SECTIO XLVIII.

De Viis Militaribus per Macedoniam & Græciam munitis.

1. *Viæ Publicæ ab ora Macedoniæ maritima per omnem Græciam ducendæ sunt.* 2. *Prima Via Dyrrhachio, altera Aulone initium habet.* 3. *Tertia pergens per Macedoniam & Thraciam, a Strabone annotata.* 4. *Ejus longitudo & in duas partes divisio. Ciceronis testimonium.* 5. *Conjecturæ ex locis Ciceronis ac Strabonis ductæ.* 6. *Quomodo mentis opera supplendum sit, quod deest Viarum ductui ad directam lineam.* 7. *Disputationis totius, de Viis per Provincias singillatim factis & dimensis, epilogus, quo colligitur, omnes Imperii Provincias Viis munitis fuisse ornatas.*

1. AB ora maritima *Italiæ* ad *Macedoniæ* oram, per Trajectus, Viæ Publicæ utriusque regionis quasi connectebantur portubus oppositis. Pervenimus jam ad oram littoralem *Macedoniæ* & *Epiri*, lustremus ergo, quomodo hinc Viæ Publicæ per universam Græciam ducant, quæ laboris nostri Viarum describendarum per Imperium, ultima est meta. Initium faciemus ab urbe *Dyrrhachio*, sita in confiniis *Epiri* & *Illyrici*, quæ *libera Civitas* est, & *Italiæ proxima*, teste Cicerone *Epistolar.*quas vulgo *ad Familiares* vocant, XIV. I.

2. Ab hac urbe Via Militaris ducebat, per *Macedoniam* & *Thraciam*, *Constantinopolim* usque, quæ describitur isto titulo istaque distantia, *Itinerarii p.* 72.

Iter, quod ducit a Dyrrhachio per Macedoniam & Thraciam Byzantium usque.
A Dyrrhachio Byzantium M. P. IↃCCLIIII.

Altera Via Publica initium habet *Aulone*, & ad sinistram pergit, ac porrigitur secundum oram littoralem maris Jonii & Hadriatici: deinde per aperta camporum ducit Delphos, & appropinquat littori maris Ægei, atque transit celeberrimas Græciæ urbes, *Megaram*, *Eleusinam*, *Athenas*, *Thebas*, *Chalcidem*, *Thessalonicam*, quæ cum pluribus aliis recensentur istis sub titulis in *Itinerario p.* 74.

Item a Brundisio sive ab Hydrunte Trajectus Aulonem Stad. num.....
Inde per loca maritima in Epirum & Thessaliam & Macedoniam

Hoc in titulo posteriore desunt duo, quæ in aliis fere semper observantur: scilicet summa generalis M. P. & tamen alterius urbis extremæ, in quam Via terminatur: sed & hoc & illa facile possunt restitui: illa, per numeros singulares in summam unam collectos, qui reddunt M.P.IↃCCLII.hoc,per extremam urbem in recensione, quæ hic est *Mellisurgis*: adeoque sic posset refingi hic titulus:

Iter per loca maritima ab Aulone
in Epirum & Thessaliam &
Macedoniam Mellisurgim M. P. IↃCCLII.

3. Tertia Via Militaris eadem urbe *Aulone* ducit *Apolloniam*, & hinc per *Macedoniam* & *Thraciam*, æque ac Via prima, quicum terminatur *Constantinopoli*. Recensetur in *Itinerario p.* 75.

Item recto itinere ab Hydrunte Aulonem Stad...
Inde per Macedoniam usque
Constantinopolim M. P. IↃCCLVI.

sic:

Apolloniam	M. P. XXV.
Ad Novas	M. P. XXIIII.
Clodianas	M. P. XXV.
Scampim	M. P. XXII.
Tres Tabernas	M. P. XXX.
Lychnidum	M. P. XXVII.
Scirtianam	M. P. XXVII.
Castra	M. P. XV.
Heracleam	M. P. XII.
Cellas	M. P. XXXIII.
Ædessam	M. P. XXXIII.
Dicæopolim	M. P. XXX.
Thessalonicam	M. P. XXVIIII.
Apolloniam	M. P. XXXVI.
Amphipolim	M. P. XXXII.
Philippos	M. P. XXXII.
Acontisma	M. P. XXI.
Otopisum	M. P. XVIII.
Stabulum Diomedis	M. P. XXII.
Imparam sive Pyrsoalim, nunc Maximianopolim	M. P. XVIII.
Bricizem	M. P. XX.

Trajanopolim	M. P. XXXVII.
Cypselam	M. P. XXVIIII.
Syracellam	M. P. XXX.
Apros	M. P. XXI.
Resiston	M. P. XXVI.
Heracleam	M. P. XXVI.
Cœnophrurion	M. P. XXIIII.
Melantiada	M. P. XXVIII.
Byzantium	M. P. XVIII.

Hæc Via nihil habet commune cum prima, nisi extremas mansiones, *Cœnophrurion*, Aureliam Imp. cæde nobilem, ut supra diximus *sect.* XLII. §. 7. & *Melantiada*. (Non videtur Bergierius *Viam* primam *p.* 72. & tertiam *p.* 75. satis accurate contulisse. Nam mansiones usque Trajanopolim pleræque eædem sunt & communes ut *Clodianæ*, *Scampis*, *Tres Tabernæ*, *Lychnidus*, *Heraclea*, *Cellæ*, *Ædessa*, *Thessalonica*, *Apollonia*, *Amphipolis*, *Acontisma*, *Pyrsoalis sive Maximianopolis*, *Trajanopolis*, ut conferenti satis apparet.) Tertia hæc Via Straboni *Egnatia* videtur appellari, binis *lib.* VII. locis: id quod clarissime apparet ex duabus urbibus Straboni in hac Via commemoratis *Apollonia* & *Cypselo*, quæ in *Itinerario* hac tertia Via *p.* 75. non item in prima *p.* 72. occurrunt. Strabonis verba priore loco *p.m.* 590. sunt: *Ejus* Jonii sinus *primæ partes sunt Epidamnus sive Dyrrhachium & Apollonia. Ex Apollonia in Macedoniam Egnatia in Orientem Via est, quam per millia passuum mensi sunt, lapideasque columellas, usque Cypselum & Hebrum amnem millia passuum* IↃ. *atque* XXXV. *distinxerunt. Computatis vero per singula millia stadiis octo stadiorum erunt millia quatuor* CC. *&* LXXX. posteriore deinde loco *p.m.* 599. initium hujus viæ Dyrrhachii facit, & Apolloniam per gentes Macedonicas ducit: ait enim *Per has Gentes* Macedonum *Egnatia Via Dyrrhachio & Apollonia perducitur*. In hac autem Via duæ sunt urbes nomine *Apolloniæ*: prior, quam Strabo locis laudatis innuit, est inter Dyrrhachium & Aulonem ad oram littoralem Macedoniæ, prope illum locum, ubi mare Hadriaticum dividitur ab Ionio, ut licet videre *tabula* X. *Europæ in Geogr.* Ptolemæi, posterior *Apollonia* est inter Thessalonicam & Amphipolim urbes Macedoniæ versus Strymonem fluvium, qui Macedoniam & Thraciam dividit.

4. Quamvis autem Strabo hanc Viam videatur terminare *Cypseli* urbe ad Hebrum fluvium, inter Trajanopolim & Syracellam, certum tamen est illam una parte porrectam fuisse *Byzantium*, altera ad *Hellespontum*: nam *Trajanopoli* in duos veluti ramos dividebatur, quorum alter *Byzantium* & *Trajectum* per Bosporum Thracium & inde *Chalcedoniam* ac *Nicomediam*, uti recensetur in *Itinerario p.* 31. alter ad dextram recta ducebat *Callipolim*, sitam ad fretum Hellespont, ubi trajectus erat ad urbem *Lampsacum*, unde Via porro pergebat. Disertis verbis hoc docemur a Cicerone, *Orat. de Provinc. Consularib. c.* 2. *Via illa nostra*, ait, *quæ per Macedoniam est, usque ad Hellespontum, Militaris*.

5. Ex his Ciceronis & Strabonis locis plures conjecturæ, quæ ad Vias has Publicas attinent, duci possunt: primo enim inde colligimus, hanc Viam a Romanis per istas regiones munitam ante Augusti tempora, cum ex Ciceronis ore, qui ante Augustum floruit, hæc audias: *Via nostra militaris*: quibus indicat, hanc Viam, ut cæteras Romanas, a Romanis militari opere stratam & munitam esse, quæ proprie dicebantur *Militares*: deinde discimus, non partem Viæ fuisse munitam, sed totam opere Militari continuatam fuisse usque ad *Hellespontum*, sive extremam ibi loci Europam: tum videmus, non Augustum Imp. fuisse primum qui Vias Provinciarum Militares columnis milliaribus distinxerit, cum hæc Via jam Ciceronis ævo sic dimensa fuerit: porro dimensionem esse factam per M. P. more Italico, non per stadia Græcorum, quæ nimis brevia nimium columnarum pro dimetiendis his numerum desiderassent: tandem denique ex Strabonis verbis clarissime apparet, mille passus, qua mensura Viæ Militares erant dimensæ, fuisse octo stadia, non plus nec minus.

A

6. Pervenimus ergo ad ultimam *Itinerarii* Viam, non ultimam ratione ordinis, quo in *Itinerario* occurrit, sed ejus, quem nos ad seriem Viarum melius ordinandam sumus secuti, ut tanto melius perlustraremus mirificum illud Viarum opus, & nobilem in eo perficiendo audaciam, cui solus populus Romanus ejusque Imperatores fuerunt pares. Atque ita videor mihi, me promissis meis fecisse satis, ut Vias Imperii Militares ab Urbe media, ceu capite, deducerem, tanquam lineas ex centro ad circumferentiam circuli sui, ut cum Mathematicorum filiis loquar. Verum equidem est, interjecto mari & oppositis montibus, non potuisse Vias semper & ubique fieri ad rectam lineam, coactosque eos, qui faciebant Vias, sæpe, ut eas flecterent & pro locorum conditione obliquarent: unde de *Itinerario* non male in *Comment. p* 197. ait Surita: *In hoc Itinerario id sit advertendum, Vias deflecti pro situ urbium aut oppidorum, quibus Proconsules Provincias obire consueverant*. Hæc tamen non obstant, quo minus Viæ Militares separatim spectatæ sint factæ ad rectam lineam longitudine ingenti & mirifica: licet hoc coram cernere in Viis Publicis, quæ Remos ducunt, quæ recta linea ultra quindecim aut viginti leucas Francicas porriguntur, continuo tractu per patentes campos priscæ regionis Remorum, ut ipse non sine stupore & admiratione vidi & perlustravi. Verum hic mentis opera supplendum est, quod deest Viarum Publicarum recto ductui, ubi pro locorum ingenio deflectendæ fuerunt. Fiet hoc, si extrema cujusque Viæ mente concipias: illa inter se conferas, Roma ad Imperii fines usque, & eadem Romam referas: mens enim promtissime imaginabitur lineam rectam trans montes & maria, quæ cujusque Viæ extremos terminos conjungat. Ita exempli gratia ex media Roma Viæ ducunt continuo tractu in Hispanias, Gallias, Britannias, Pannonias, Scythiam, Armenias, Syriam, Palæstinam, Ægyptum & Libyam; hic potero mentis meæ opera Viarum utraque extrema concipere, & quasi lineam ex media Roma ab ipso Milliario Aureo ducere ad extremos earum terminos trans terras, montes & maria.

B C D E

7. Ut itaque tandem hanc disputationem, de Viis per Provincias Imperii singillatim factis & dimensis, finiamus, constare putamus, omnes Imperii Provincias in continenti, & præcipuas Insulas, tam Oceani, quam Maris Mediterranei fuisse ornatas & frequentatas Viis Publicis munitis, quod primo intuitu incredibile poterat videri, & Imperii Provincias per hasce Vias cohæsisse Romæ, ceu membra capiti suo. Hæ namque Viæ erant tanquam nervi, venæ & arteriæ, per quas vitam motumque Roma cum ingente sui Imperii corpore communicabat, ut luce meridiana clarius apparebit ex libro sequente, ubi usum & utilitatem Viarum docebimus. Quare in posterum a vero non videbuntur aliena Suritæ verba *in Comment. ad Itin. p.* 168. quæ etiam in prooemio hujus operis laudavimus: *Summum vere, non Regis magni, ut est apud Poetam, sed complurium Imperatorum atque Principum & totius pæne Orbis Provinciarum opus, atque haud scio, an de humanis operibus longe maximum fuerit, spatiis immutabilibus, ab Ortu ad Occasum, regionum itinera*

F

circum circa ad inhabitabiles usque oras substructionum innumeris milliaribus fuisse dimensa, complanata atque descripta, ut neque ipsius Imperii interitus & urbium occasus, earum columnarum & substructionum monumenta, quam late longeque Romani populi nomen diffusum fuerat, evertere penitus potuerit. Facilius etiam porro fidem habebimus Velsero in *procem. ad Tab. Peuting.* dicenti, se opinari, nullam non Viam in *Tabula* delineatam, qua Romanum patet Imperium, esse munitam, quæ vulgo Viæ *Prætoriæ*, *Consulares* aut *Militares* appellantur.

SECTIO XLIX.

De Viarum Latitudine generatim, & quomodo *Iter* Latinorum, & *Chemin* Francogallorum conveniant.

1. *Quomodo Viarum Latitudo lustranda. Latitudo, Viarum specificam constituit differentiam.* 2. Chemin *apud Francogallos, &* Iter *apud Latinos duobus modis sumitur.* 3. Chemin & Iter, *generis nomen:* 4. *Item & species.* 5. *Etyma τῶν* Iter & Chemin. 6. *Jus Gallicum sive Francicum quantum ad Vias conferendum est cum Jure Romano.* 7. Chemin *in Jure consuetudinum municipalium Franciæ, pro generis nomine ponitur.* 8. *Species τοῦ* Chemin *Francici re ipsa convenientes cum* Itinere *Latinorum, sed nomine & mensura diversæ.*

1. HUcusque diximus de Numero & Longitudine Viarum Militarium; agamus jam de earum Latitudine, & videamus, quomodo hujus ratione inter se distinguantur. Sic Viarum diversitatem & differentiam, & harum distincta nomina discemus, & deinde, quodnam publice privatimve jus sit Via utendi, eundi per eam, equitandi, agendi jumentum vel vehiculum. Latitudo hoc speciatim habet, non item Longitudo, quod pro Latitudinum Vialium diversitate, ipsæ Viæ diversa habeant nomina, diversos usus, diversa jura & consuetudines. Ut ergo de excellentia & dignitate Viarum Militarium ante reliquas simus persuasi, ab re alienum non erit, ostendere, qua latitudine fuerint Viæ minoris notæ, mediæ, & Publicæ sive Militares; ut ex mutua comparatione clarius appareat Militarium nostrarum forma. Sic discemus una differentiam, ut Logici vocant, specificam inter *Iter*, *Viam*, *Actum*, *Semitam*, *Callem*, *Tramitem*, & alias hujus notæ, quæ non nisi Latitudine distinguuntur, qua utrimque prætexuntur & terminantur: hic autem Longitudo ad rationem plane non venit.

2. In gratiam Popularium meorum ordiar a voce *Chemin*, qua Francogalli omnes Vias generatim appellant, ut Latini voce τοῦ *Iter*, quicum vox Gallica pulchre convenit. Utraque enim vox duobus modis accipitur. Primum enim in vulgari sermonis & styli commercio, si non agatur speciatim de jure Viarum seu Publicarum seu Privatarum, utraque vox *Chemin* & *Voye*; *Iter* & *Via* generatim & sine ulla differentia ponuntur promiscua significatione; quarum altera definit alteram. *Iter vel Itus*, ait *Origin.* xv. *c.* 16. *ult.* Isidorus, *est Via, qua iri ab homine quaquaversum potest.* Jurisconsulti, qui ad verborum proprietatem maxime attendunt, ubi non agunt de Prædiorum servitutibus, generali hac significatione quoque utuntur. Ælius Gallus *lib.* 1. *de verbor. quæ ad Jus pertinent, significatione, in l.* 157. §. 1. *π. de V.S. Item Via est, sive semita, sive iter est:* quo loco *Semita* & *Iter* sub generali nomine *Viæ* continentur. At, cum quæritur de servitutibus, aut aliis Viarum juribus publicis privatisve, aliter se res habet: tum enim *Iter* & *Via* distinctam & separatam habent significationem. *Iter* enim ibi modo generis nomen est, quod plures sub se habet species; modo certam speciem notat, quæ generis nomine, sed stricte sumto, vocatur.

3. *Iter* si generatim sumatur, sub se has habet species: *Viam*, *Actum*, *Iter* stricte dictum, *Semitam*, *Callem*, *Tramitem*, *Ambitum*, *Divortia*, & quæ porro sunt Viarum specialia nomina. Varro *Itineris* quatuor facit species, *lib.* IV. *de L.L. p. m.* 9. *Viam*, *Actum*, *Iter*, *Ambitum*. Sic autem definit: *Via quidem iter, quod ea vehendo teritur: Actus iter in agris: Iter iterum, quod agendo teritur: etiam Ambitus iter, quod circumeundo teritur.* Isidorus *l.l.* addit *Callem* & *Tramitem*, ait enim: *Callis est iter pecudum inter montes, angustum & tritum. Tramites sunt transversa in agris itinera.* Idem *libro Differentiarum: Inter Semitam & Callem & Tramitem differentia est: Semita hominis est, Callis pecorum vel ferarum, Tramites vero transversa in agris itinera. Proprie ergo Callis semita tenuis callo pecorum prædurata. Semita autem quasi semis via.* Hic vides sub eodem genere *Itineris* contineri *Semitam*, *Callem*, *Tramitem*.

4. *Iter* deinde, ubi de servitutibus quæritur, speciatim quoque accipitur, & denuo suas habet differentias: atque hoc sensu *Iter est jus eundi, ambulandi hominis; non etiam jumentum agendi*, Ulpiano *in l.* 1. *π. de servit. præd. rustic. qua quis: pedes vel eques commeare potest*, teste Modestino in *l.* 12. *π. eod.* vehiculum vero agere non potest, licet sella aut lectica vehi possit a servis suis; *qui enim sella aut lectica vehitur, ire, non agere dicitur*, notante Paullo *l.* 7. *π. eod.*

5. *Iter* Johannes Fungerus *in Etymologico* deducit a supino *itum*, ab *eundo*, *quippe jus est hominis eundi*. Nec abludit Varro *l.l. p. m.* 11. *Qua ibant*, ait, *ab itu, iter appellarunt*. Conveniret huic origini & nostrum *Chemin*, quod si vera foret ejus etymologia. Licet enim hæc vox plane nostra sit, nec a Græcis Romanisve petita, sed potius ex veteri Celtismo reliqua; forsan tamen ex fontibus Hebraicis derivata est, quibuscum prisca nostrorum Gallorum Lingua videtur aliquo modo convenisse. Sane Stephanus Guichart *in Harmonia Etymologica Gallice edita τὰ Chemin* & *Cheminer*: derivat ab Hebraico חמק, *Chamak*, quod exponit: *circuire, ambire, elongare se, ire & ambulare*: adeoque significatio τοῦ *Chemin*, ratione originis, belle conveniret τῷ *Iter*; utrumque enim in specifica significatione sumtum notat locum, in quo *ire* & *ambulare* possumus. Liceat mihi bona cum Lectorum venia in his triviis balbutire cum Scholarum vulgo.

6. Hæc quidem ex Jure Romano supra attulimus ad nostrum institutum, quod hoc Jus in multis cum Jure Gallicano conveniat, in multis ab eodem valde abeat. Non puto, me Popularibus meis rem ingratam facturum, si utrumque Jus super hoc instituto meo conferam, uti alterum alterius ope & comparatione illustretur. Ita enim aliarum regionum prisci ritus, mores, antiquitates pervestigandæ sunt, ne patriæ omittantur. Obiter itaque & tanquam per comparationem persequar ea, quæ super Viis Franciæ, habent Edicta & Leges Regiæ, Decreta, Consulta & Statuta Senatus in supremis Regni Curiis, nec non mores & Instituta Civilia singularum Provinciarum, in quibus omnibus præcipue consistit *Jus Gallicanum*, nobis *Droit François*.

7. Ordiar a voce *Chemin*, quam Instituta Civilia,

lia, quæ modo dixi, generatim accipiunt, perinde (A) ut Latini τὸ *Iter*: unde in illis legimus: *Chemin appellé Voye*, *Chemin appellé Carriere*, *Chemin appellé Sentier*, *Chemin appellé simplement Chemin*; quæ voces occurrunt in nonnullis Provinciarum Franciæ Institutis Civilibus. At si specificas harum Viarum voces examines & investiges, magnam invenies differentiam tam in nominibus, quam in re ipsa, præcipue quod ad mensuras attinet: in his nec secum ipsæ conveniunt, multo minus cum Romanis mensuris, ut in sequentibus singillatim videbimus.

8. Reperio in nonuullis Institutis Civilibus, ut *en la Coustume de Valois* §.194. *& de Clermont en Beauvoisis* §. 226. speciem Viæ, quæ affinis est *Itineri* Latinorum, qua quis pedes vel eques potest (B) commeare, non vero agere vehiculum: sed nec nomen nec mensura Latinorum conveniunt *Itineri*; nam Francogallice vocatur *Sentier*, in quo *Semitæ* convenit, & lata est pedes quatuor, qua mensura convenit *Actui*.

SECTIO L.

De Actu & Via, eorumque differentiis. (C)

1. *Actus, vox valde ambigua*. 2. *Actus, quando Itineris speciem notat, definitio*. 3. *Via, quæ Itineris species*. 4. *Viæ etymon*. 5. *Latitudo differens Viarum differentiam facit*. 6. *Latitudo non semper & ubique in omnibus Viarum speciebus exacte observatur*. 7. *Notabilis differentia hinc inter Actum ac Iter & inde inter Viam*. 8. *Carriere & Voye, quænam Viarum sint species in Institutis Civilibus Franciæ*.

1. *Actus* vocabulum, quo secunda Viarum species appellatur, valde est ambiguum, pro (D) diversitate subjecti, ut Logici vocant, & artium, in quibus usu venit. Nam vel in Poesi duobus modis accipitur; primo enim notat certas Comœdiæ aut Tragœdiæ partes, quæ Festus, *in voce Actus*, vocat *certa spatia canticorum*; tum gestus & motum corporis, ut histrionum & saltatorum, qui etiam ex hoc ipso *actuosi* dicuntur, teste Festo *l. l.* In Geometricis quoque duo notat: nam *Actus*, quem Columella *de R. R.* v. 1. ex Varrone vocat *minimum*, latitudinis pedes quatuor, longitudinis habet pedes CXX. *Actus* vero, quem idem Columella *l.l.* & Varro *de R.R.* 1. 10. *quadratum* nominant, undique finitur pedibus CXX. Apud JCtos. (E) Romanos *Actus* certa itineris species est, quæ opponitur *Viæ* & *Itineri* stricte dictis.

2. Vix puto nostris Francogallis esse vocabulum, quod respondeat Latinorum *Actui*, nisi forsan sit *Carriere*. Est autem *Actus* in Juris Romani libris via Agraria, qua pedes equesve potest commeare, jumentum, aut vehiculum ad fructus domum vehendos, aut stercorationem agris advehendam agi. *Actus*, dicente Ulpiano *in l.1.pr.* ff. *de servit.præd. rust. est jus agendi vel jumentum vel vehiculum*. Nomen habent ab *agendo*, quod æque notat jumentum vel vehiculum ducere. Hinc sub *Actu* comprehendit *in l.* 12. ff. *eod.* Modestinus, *& armenta trajicere & vehiculum ducere*.

3. Tertia species *Itineris* præ reliquis excellit, (F) qua licet peditem vel equitem ire, ambulare, jumentum agere, quodvis vehiculum ducere: vulgo dicitur *Via*, unde nostrum Francogallicum *Voye*, licet vulgo magis generali nomine *Chemin* vocetur. Ulpianus *l.1.* ff. *eod.* sic definit: *Via est jus eundi, & agendi, & ambulandi: nam & Iter & Actum & se Via continet*.

R. Tom. X.

4. Hinc etiam *Viæ* etymon petunt, *vel ab eundo, quasi Ia, quod per eam eatur*: *vel a vehendo, quasi Veha, quod per eam fructus in domum vehantur*: *vel a vehiculo, quod per eam vehiculum eat*: ut vult Julianus Taboetius *in Ephemeridib. Historic. in tract. de quarto jure regio*: quicum convenit *l.l. Etymolog.* Isidorus, qui ait: *Via est, qua potest ire vehiculum, & Via dicta a vehiculorum incursu*.

5. Et sane, licet *Via* a *vehendo* dicta videri possit, postremum tamen etymon a *vehiculo* desumtum proxime formam ejus specificam denotat, cum per *Viam* quodvis vehiculi genus duci possit: quod de *Actu* dici non potest, qui proprie destinatus est ad fructus ex agris domum vehendos & stercorationem advehendam in agros. Hinc Varro *l.l.* p.9. ait, *Actum* esse *iter in agris*, & Festus *l.l.* esse *iter inter vicinos*. Sunt quidem inter Vias privatas nonnullæ, quæ eidem usui serviunt, quas Ulpianus *in l.* 2. §. 22. ff. *Ne quid in loc. publ. vel itin. fiat*. appellari a quibusdam *Agrarias* dicit, & §.23 *quæ sunt in agris, quibus imposita est servitus, ut ad agrum alterius ducant*. Quamvis autem talis Via videatur eadem, atque *Actus*, cum & hic & illa in agrum ducant; notabilis tamen inter eas intercedit differentia, quæ a propria utriusque latitudine desumitur, cum *Actus* ex lege & more quatuor pedes sit latus; *Via* vero lata octo pedes: de *Actu* testis est Festus *l. l.* esse *iter inter vicinos quatuor pedum latum*. Columella *l. l.* ex Varrone eandem illi latitudinem adscribit: at *Via* hanc duplicat, *nam duos Actus capit, propter euntium & venientium vehiculorum occursum*, ut verbis utar Isidori *Etymol.* xv.16 quod confirmat ex XII. Tabb. LL. Cajus JC. *in l.8.* ff. *de servit. prædior. rustic. Viæ Latitudo ex lege duodecim Tabularum in porrectum octo pedes habet: in anfractum, id est, ubi flexum est, sedecim*.

6. Constat hinc, ex differentia latitudinis, non vero longitudinis, constitui Viarum differentiam, quarum unaquæque tantum debet habere spatii, quantum usus & commoditas, cui destinatur, requirit. *Via* octo pedes lata est, ut occurrentia sibi vehicula in transitu sese evitent: *Actus* habet quatuor pedes, quæ latitudo uni vehiculo sufficit: *Iter* est duum pedum, quo commode pedes equesve commeat: *Semita* unius est pedis, dicta quasi *semiiter*, nostratibus vulgo dicitur *Sentier à pied*. Varro *de L.L.* IV. *p.m.*11. *Qua ibant*, ait, *ab itu, Iter appellarunt*: *qua anguste, Semita, ut Semiiter, dictum*: huic paria inquit Isidorus *l.l. Semita itineris dimidium est a Semitu dicta*. *Callis* videtur dimidiam *Semitæ* latitudinem habere. *Semita* namque, teste Isidoro *l. l. hominum est*, *Callis ferarum & pecudum*. *Callis enim est iter pecudum inter montes, angustum & tritum, a callo pecudum vocatum, sive callo pecudum perduratum*. Sic ergo videmus a differentia latitudinis constitui Viarum differentiam, quæ Geometrica proportione, quam vocant, semper duplicatur; a pede dimidio, ad unum, duos, quatuor, octo, sedecim.

7. Hæ tamen mensuræ semper in singulis Viarum speciebus exacte adeo non observantur, cum aliæ subinde plus, aliæ minus latæ reperiantur: de *Via*, cum pro specie Viæ sumitur, Paullus Jurisconsultus *in l.* 23. *pr.* ff. *eod.* hæc docet: *Via constitui vel latior octo pedibus* (quæ legitima ejus mensura est *l.* 8. & *l.* 13. §. 2. *vs. in Via.*) *vel angustior potest: ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire potest; alioquin Iter erit, non Via*.

8. In Civilibus Institutis Valesiorum & Claromontis Bellovacorum (*Coustumes de Valois* §. 195. *de Clermont en Beauvoisis* §.227.) Viæ species, quæ

Carriere dicitur, lata est octo pedes; & per eam vehicula, unum post alterum, agi, jumenta & armenta fune duci, non alio modo agi, possunt. Patet hinc, nostrum *Carriere* convenire cum *Actu* Latinorum, quantum ad rem ipsam & usum ac jura ejus; non vero quod ad mensuram latitudinis, quam communem habet cum *Via* Latinorum. In iisdem Institutis Civilibus (*de Valois* §. 196. & *de Clermont* §. 228.) Viæ species dicta *Voye* lata est pedes sedecim, & per eam agi jumenta & armenta liberrime, sine fune ductario, possunt ab urbe hac ad illam: ubi manifestum est, hanc Viæ speciem tam nomine, quam usu & jure ejus, convenire cum *Via* Latinorum speciatim sic dicta, sed plane diversam ab eadem esse ratione mensuræ, quæ ibi duplicatur. Chopinus quoque Viæ commemorat speciem, quam *Carriere* appellat, sed quæ mensura cum nulla earum, quas diximus, convenit; definit autem eam, esse Viæ speciem, qua quis pedes aut eques potest commeare, vehicula & plaustra ducere, sine ullo impedimento, controversia, aut interdicto: quæ lata debeat esse ad minimum pedes viginti.

SECTIO LI.

De Viæ in suas species divisione.

1. *Viarum tres species, Publicæ, Privatæ, Vicinales.* 2. *Epitheta Viarum Publicarum.* 3. *Definitio Viæ Publicæ & Privatæ.* 4. *Epitheta Viarum Privatarum.* 5. *Viæ Privatæ duæ species.* 6. *Epitheta Viarum Vicinalium.* 7. *Definitio Viæ Vicinalis, ejusque in duas species divisio.* 8. *Differentia inter Vias Militares & Vicinales.* 9. *Viæ proprie sunt duplicis speciei: vel Publicæ vel Privatæ.*

1. LAtini sub generali voce *Viæ* tres species complectuntur: *Viarum* enim *quædam Publicæ sunt, quædam Privatæ, quædam Vicinales*, secundum Ulpianum *in l.2.§.22.* ϖ. *Ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.* Hæ tamen tres species commode & rationi convenienter ad duas tantum species reduci possunt, cum ex ipsis Ulpiani verbis appareat, *Vicinales* partim esse *publicas*, partim *privatas*, ut sub finem hujus sectionis videbimus.

2. *Viæ Publicæ* Græcis ὁδοὶ Βασιλικαὶ, id est, *Regiæ*; Romanis, quod Reges non habebant, a præcipuis eorum Magistratibus cognominantur *Prætoriæ* & *Consulares*. Ulpianus §. *laudato*: *Publicas*, ait, *Vias diximus, quas Græci* Βασιλικὰς, *i.* regias, *nostri Prætorias, alii Consulares Vias appellant.* In Historia Romana variis gaudent cognominibus. Julianus Taboetius *loco a nobis laudato* §. 4. *sect. præced.* viginti epitheta collegit: *Via*, ait, *Publica vicenis modis enunciatur: Regia, Militaris, Prætoria, Consularis, Ordinaria, Communis, Basilica, Vulgaris, Privilegiata, Equestris, Aperta, Celebris, Receptitia, Illustris, Urbica, Frequentata, Inoffensa, Pulverulenta, Nitens, Eximia.*

3. *Viam Publicam eam dicimus, cujus etiam solum Publicum est; non enim, sicut in Privata Via, ita & in Publica accipimus. Viæ Privatæ solum alienum* & privatum *est; jus tantum eundi & agendi nobis competit. Viæ autem Publicæ solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur.* Sic Viam Publicam & Privatam definit ac distinguit Ulpianus §. 21. *l.l.*

4. Via *Privata* in Historia & Jure Romano his cognominibus & Epithetis gaudet, quæ Taboetius *l.l.* recenset: dicitur enim *Agraria, Campestris, Rustica, Servilis, Transversa, Serviens, Obnoxia, Prædialis Semita, Via privati juris, Peculiaris, Domestica.* Ulpianus primum cognomen confirmat §. 22. *l.l. Privatæ*, ait, *sunt, quas Agrarias quidam dicunt.*

5. Idem summus Jureconsultus duas Viæ *Privatæ* species facit §. 23. *l.l. Dupliciter* enim *accipi possunt; vel hæ, quæ sunt in agris, quibus imposita est servitus, ut ad agrum alterius ducant; vel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus permeare liceat, in quas exitur de Via Consulari; & sic post illam excipit Via vel Iter vel Actus ad Villam ducens.*

6. Quantum ad Vias tertiæ speciei, quas Ulpianus *Vicinales*, nonnulla Instituta Civilia Francogallica *Cheminx Voisinaux* aut *de Traverse* appellant, idem Taboetius *l. l.* de his: *Via*, ait, *Vicinalis tribus effertur vocibus, Vicana, Paganica, Solitaria. Vicinales* dicuntur a *Vicis*, quos nostri vocant *Villages* & *Hameaux*, quia, ut ait Ulpianus §. 22. *l.l. in Vicis sunt*, aut *in Vicos ducunt.* Via *Vicana*, item a *Vico* dicta, est proprie platea alicujus vici; ut *Urbica*, alicujus urbis. Via *Paganica* est, quæ per *Pagum*, sive provinciæ aliquem tractum singularem ducit, quales Latini *Pagos* vocant. Sic Cæsar *de B. G.* 1. 12. *Omnis Civitas Helvetia in quatuor Pagos divisa est:* verteres nostra lingua: *Tout le pais des Suisses se divise en quatre cantons.* Via *Solitaria* in agros ad certam distantiam ducit, ibique finitur, aut, ut cum Legibus loquar, ibidem sine ullo exitu intermoritur.

7. Viarum *Vicinalium* duæ iterum sunt species; quædam enim Viarum *Publicarum* habent formam, quædam *Privatarum*: illæ, quæ formam *Publicarum* habent, duobus modis differunt. Aliæ enim hoc commune cum *Publicis* habent, quod in solo factæ sint publico per eos, qui primi agros, prata, saltus, paludes incolis diviserunt. Colligimus hoc ex Ulpiani verbis §. 22. *l. l. Has quoque* Vicinales *Publicas esse quidam dicunt: quod ita verum est, si non ex collatione privatorum hoc iter constitutum est.* Aliæ autem primo quidem ex agris privatorum collatis factæ sunt, sed quæ collatio adeo est antiqua, ut ejus non exstet memoria: audi iterum Ulpianum: *l. 3. pr.* ϖ. *de loc. itin. publ. Viæ Vicinales, quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non exstat, Publicarum Viarum numero sunt.* Viæ autem *Vicinales privatæ* sunt, quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum adhuc exstat memoria. In his tamen ipsis hoc cum Publicis commune est, quod licet earum solum sit privatum, nihilominus usum utilitatemque communem & publicam habeant.

8. Sed quæri posset, si *Vicinales* quoque dentur *Publicæ*, quænam sit ergo inter has & Vias *Militares* differentia? respondebimus cum Ulpiano *l.l.* §. 1. *Inter eas* Vicinales Publicas *& exteras Vias Militares hoc interest, quod Viæ Militares exitum ad Mare, aut in Urbes, aut in Flumina publica, aut ad aliam Viam Militarem habent. Harum autem Vicinalium Viarum dissimilis est conditio; nam pars earum in Militares Vias exitum habent: pars sine ullo exitu intermoriuntur.*

9. Cum ergo ex perlustratis Viis *Vicinalibus* pateat, eas partim habere formam *Publicarum*, partim quoque formam *Privatarum*, non sine caussa diximus initio hujus sectionis, tres illas Ulpiani species Viarum commode & rationi convenienter posse reduci ad duas tantum. Vias scilicet *Publicas* & *Privatas*; quæ proprie est Viarum vera divisio.

SECTIO LII.

De Græcorum ὀδῷ, & Viarum Publicarum divisione apud Romanos & Francogallos.

1. *Oδὸς apud Græcos maxime usu venit ad notandam Viam. 2. Viæ Publicæ apud Græcos cognomina, & earum divisio. 3. Differentia inter duas Viæ Publicæ species intercedens. 4. Divisio Viarum Publicarum in Civilibus Francogallorum Institutis. 5. Viæ Publicæ, quæ non sunt Regiæ, apud Francogallos. 6. Divisio Viarum Publicarum in Peageaux, id est, Vectigales, & Volsinaux, sive Vicinales. 7. Earundem Viarum Publicarum divisio, secundum Boutillerium, in Regias & Vicinales.*

1. GRæci verborum copia super cæteras Gentes abundant, & hinc etiam plurima habent nomina, quibus *Viam* denotant. Talia sunt: Αγισμὸς, Ατραπὸς vel Ατραπὸς, Νόσος, Δεσμὶ, Κέλευθος, Λεωβάτος, Πορέια, Τρίβος, verum præ cæteris Oδὸς & maxime proprium & maxime in usu est, ad denotandam *Viam*, & apud Græcos tot species Viarum sub se continet, quot Latinorum *Via*: Hinc Oδοςρωσία, *Viarum constructio*, & *munus sternendæ Viæ*; Oδοποίησις, *Viæ præparatio*; Oδοποιὸς, *Viator qui facit Viam & munit*, & plura similia derivantur composita. Oδὸς itaque Viarum generale nomen est apud Græcos.

2. At *Via Publica* Græcis proprie cognominatur: Θαμυρὰ ὁδὸς, ἁμαξητὸς, ἁμαξιτὸς, ἁμαξία, λαοφόρος, ὁδὸς βασιλικὴ. Hæ Viæ Publicæ tam apud Latinos, quam Francogallos in duas abeunt species: sunt enim vel *Regiæ* & *Militares*, vel *non Regiæ* & *non Militares*. De utrisque ita Leo Baptista Albertus: *de Re Ædif.* IV. 6. *Viarum quidem aliæ Militares, aliæ non Militares. Sunt quidem Militares, qua in provincia proficiscimur cum exercitu & impedimentis: non Militares sunt, quibus a Militari egredimur, aut in villam oppidumve, aut æque aliam in Viam Militarem; uti sunt per agrum Actus, per urbem Diverticula.*

3. Eodem modo, sed aliis nominibus, Siculus Flaccus *de condit. Agror. inter Auctt. Rei Agr. ex edit. Goesii p.m.* 9. Vias Publicas dividit: *Non omnium*, ait, *Viarum una eademque est conditio: nam sunt Viæ Publicæ Regalesque, quæ publice muniuntur, & Auctorum nomina obtinent:* (ut Via Appia, Flaminia & similes:) *nam & Curatores accipiunt, & per Redemtores muniuntur: in quarundam tutelam a possessoribus per tempora, summa certa exigitur. Vicinales autem Viæ, de publicis quæ divertuntur in agros, & sæpe ad alteras Publicas perveniunt, aliter muniuntur per pagos, id est, per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, ut comperimus, unicuique possessori per singulos agros certa spatia assignantur, quæ suis impensis tuentur. Etiam titulos finitis spatiis positos habent, qui indicent, cujus agri, quis dominus, quod spatium tueatur*: laudavimus etiam hunc locum alii fini supra I. 22. §. 4. *Vias* autem *tueri* hic est reficere, reparare, conservare Vias: idem significatur per *tutelam Viæ* in *l.* 30. *π. de Leg. & fideic.* II. Sic *tutela quotidiana balinearum* in *l.* 35. §. 3. *π. de Leg. & fideic.* III.

4. Francogalli nostri eodem fere modo Vias Publicas dividunt atque Romani: nimirum in *Regias* & in *non Regias*, (*Royaux* & *non Royaux*;) *Regias* κατ᾽ ἐξοχὴν vocant *Grands Chemins* sive *Vias Publicas*, quæ ex provincia in provinciam ducunt, ab urbe celebriore ad urbem celebriorem: sed hæ

Viæ pro locorum ac Institutorum Civilium diversitate diversam quoque ac valde differentem habent latitudinem: in Jure Muncipali & Institutis Civilibus *Fani S. Audomari* §. 15. *Bononiæ* §. 157. *Monstrolii ad mare* (*Monstrueil sur mer*) §. 64. Viæ Publicæ Regiæ latitudo est sexaginta pedum: *Clarimontis Bellovacorum* §. 272. definitur sexaginta quatuor pedibus, & pedis longitudo undecim pollicibus: Institutis Civilibus *Sylvanectensium* (*Senlis*) Via Publica Regia ab urbe ad urbem ducens lata debet esse quadraginta pedes in sylvis & saltibus; at in agris & cæteris locis pedes triginta.

5. Viæ non Regiæ diversa habent nomina & mensuras differentes pro locorum diversitate. In Institutis Civilibus *Bononiensium* §. 160. Via, quæ ibi dicitur *Chemin Viscontier* aut *Traversant*, lata esse debet triginta pedes; §. 161. Via, quæ dicitur *Chemin Chastelain*, pedes viginti; §. 162. Via, quæ dicitur *Chemin Forain*, pedes quindecim; & §. 163. Via, quæ dicitur *Chemin Volontaire*, qua ex urbe exitur, pedes undecim; quæ Viæ, si liceat ita vertere Latine, *Transversa*, *Castellana*, *Externa*, *Voluntaria*, quodammodo Viis *Vicinalibus* similes sunt, quatenus Viæ sunt publici & soli & usus, aut saltem usus publici, si non soli.

6. Instituta Civilia *Andegavensium*, *Turonensium*, *Cenomanensium* & *Juliodunensium* (*d'Anjou, de Touraine, du Maine, & de Loudunois*) Vias suas Publicas dividunt in *Peaugeaux*, quasi diceres *Vectigales*; & *Voisinaux*, sive *Vicinales*. illas dicunt, quarum tutela est penes Toparchas, sive, ut ibi vocantur, *Seigneurs Chastelains*, aut altioris loci Magnates, quibus per ista Civilia Instituta jus est vectigalis colligendi. Has, a Latina voce dictas *Voisinaux*, appellant, quarum tutela est penes magistratus municipales, agoranomos ordinarios aut ædiles. In Andegavensium & Cenomanensium Institutis *Via Vectigalis* lata est XIV. pedes, & si qua plures habeat, illam ideo minorem fieri & ad XIV. pedes contrahi non licet. In Turonensium & Juliodunensium Institutis, *Via Vectigalis* est pedum XVI. Vicinalis vero tantum VIII. pedum latitudine.

7. Boutillerius in *Summa*, quam vocat, *Rurali*, Viam *Vicinalem*, vocat *Transversam*, vernacule *de Traverse*, eamque hoc modo a *Regia* distinguit, ut *Transversam* dicat, quæ permeat & transeat per vicos pagosve, & communis sit hominibus, jumentis, armentis, vehiculis. Harum tutelam in Francia ait esse penes Regem, & harum latitudinem, secundum communem sententiam eorum, qui Institutorum Civilium periti & consulti sunt, debere esse ad pedes XX. aut XXII. Porro ait Viam *Regiam*, vernacule *Chemin Royal*, esse Viam Publicam, quæ ex regione in regionem alteram, & ab urbe celebri ad celebrem urbem ducat: cujus latitudo sit, oportet, pedum XL. sub multa LX. solidorum (*soixante Sols*) Regi pendendorum. Atque hoc modo Instituta Franciæ Civilia Viis Publicis & mensuras & nomina adscribunt diversa inter se, & quæ parum conveniunt cum nominibus & mensuris Romanarum Viarum, quarum nihilominus vestigia in nonnullis sequuntur.

SECTIO LIII.

De Nomine & natura Viarum Regiarum generatim.

1. *Nomen Viæ Regiæ antiquum. 2. Viarum proprietas nec Regis, nec ullius est; sed usus publicus ac communis. 3. Cur Regiæ vocentur, cum non sint in Regis dominio, sive patrimonio. 4. Cura & tutela suprema Viarum Publicarum est penes Princi-*

pem. 5. *Natura Viarum Regiarum, & ex quo jure sint ortæ*.

1. Inter Vias Publicas, illæ, quæ majores sunt, & per quas iter fit de regione in regionem, ab urbe celebriore ad celebriorem urbem, fere semper & ubique cognomen habuerunt *Regiarum*. Cum Moses Israelitas ex Ægypto, auspice Deo, educeret, jam illo ævo Viæ Publicæ sic fuerunt cognominatæ. Cum enim ab Rege Amorrhæorum Sichone liberum per ejus terras transitum peterent, sic Oratores loquuntur *Num*. XXI. 22. ex versione Interpretis Antiqui: *Non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, Via Regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos*.

2. Nec tamen ideo sic cognominantur, quasi earum proprietas sit penes Reges, aut in illius privato sint patrimonio; non sane magis, quam Vicinales, aliæve Publicæ: verum sunt in rebus extra commercium positis, vel, ut cum Imp. Justiniano loquar, *extra patrimonium nostrum habentur*, & earum proprietas est nullius, licet usus sit omnibus communis, subjectis & vulgo æque, ac Principi; & hanc ob caussam *proprietas potest intelligi nullius esse*, argumento §. 5. *Institut. de rer. divis. & acq. ear. dom.*

3. Sic ergo *Regiæ* dictæ sunt, ut dicimus *animum regium*, *epulum regium*, pro magnifico, excellenti, egregio. Sane complures populi tam Græci, quam alii, qui non habuerunt Reges, ipsique Romani Vias Publicas cognominarunt etiam *Regias*, quasi dicerent, excellentes, ampliores, majores præ cæteris.

4. Cura nihilominus & suprema tutela Viarum Publicarum est penes Reges, Principem, supremamve Potestatem, non quod in ipsorum sint proprietate & dominio; sed quod sint legitimi tutores & conservatores publicarum rerum. Nolo hic persequi Instituta circa Vias Publicas; curiosi ea quærant in libro, quem V.Cl. L'Oiseau vernacule edidit *des Seigneuries*, sive *de Dominiis*, qui satis illa exposuit.

5. Nam hæ Viæ *Publicæ* sive *Regiæ* sunt veluti terreæ partes sepositæ & in communi usu relictæ, ab ultima antiquitate, ut per eas iretur de regione in regionem, nec læderentur, offenderentur, conculcarentur agri, vineæ, prata, silvæ, saltus, aliæque terræ, & possessiones sive publicæ universitatis, sive singulorum privatæ. Videntur *Viæ* ortæ ex *Jure Gentium*, *quod apud omnes Gentes peræque custoditur*, ut placet Imp. Justiniano §. 1. *Inst. de J. N. G. & C.* nam Vias naturalis ratio apud omnes peræque Gentes ubique constituit.

SECTIO LIV.

Divisio Viarum Regiarum: Nomina & Latitudo Viarum per Provincias Romanas munitarum

1. *Viæ Publicæ sive Regiæ nomine & forma differunt. Via Militaris, Prætoria, Consularis tantum dicitur, quæ munita est*. 3. *Viarum Militarium diversa nomina. Latina*. 4. *Italica, Francogallica, Lusitanica*. 5. Chaussées & Chemins ferrez *in Gallia*. 6. *Nomina Viarum Militarium in Anglia*. 7. Grands Chemins, *Latine Viæ Publicæ & Regiæ, non Viæ Magnæ*. 8. *Latitudo vulgaris & communis Viarum Imperii Romani Publicarum*.

1. Licet Ulpianus J.C. *l*. 2. §. 22. ff. *Ne quid in loc. publ. vel itinere fiat*: generatim dicat *Vias Publicas* omnes, quas Græci βασιλικάς; id est, *Regias*, Romani *Prætorias* & *Consulares* vocant: sunt tamen Viæ Publicæ; quarum hæc ab illa differt non solum forma, sed etiam nomine proprio & specifico, ut cum Scholis loquar. Viarum namque *Publicarum* sive *Regiarum* aliæ sunt *munitæ*, aliæ *immunitæ*, ut alibi II. 7. §. 3. & 8. §§. 1. 2. 3. 4. diximus. Extra controversiæ est aleam, non esse speciatim Viæ *Publicæ* aut *Regiæ* proprium, ut sit *munita*: paucæ enim Publicæ sunt munitæ, si has conferas cum Publicis immunitis.

2. Munitis autem Viis Publicis proprie convenit nomen *Viæ Prætoriæ*, *Consularis*, *Militaris*: opera enim erant Prætorum & Consulum; perque has Prætores, Consules, Proprætores, Proconsules militem exercitusque ducebant Romanos. Viæ autem hæ munitæ diversa habuerunt nomina pro linguarum nationumque diversitate: præcipue per Europam, in qua Viæ illæ Romanæ passim adhuc visuntur.

3. Incipiamus a Latinis nominibus, quæ vel in Historiis, vel in Juris libris occurrunt. In utrisque vocantur *Viæ Regiæ*, *Prætoriæ*, *Consulares*, *Militares*, ut passim hoc libro nostro ostendimus, & caussas talium cognominum reddidimus: item *Tellus inaggerata*, propter terræ multam congeriem, quæ ad aggeres faciendos erat necessaria, super quibus Viæ consternebantur Publicæ. Sic Sidonius Apollinaris *Epist*. III. 12. *in epitaphio Apollinaris Avi sui vs*. 5.

Tellurem tereres inaggeratam

Modo *Aggeres Publici* vel *Itinerarii*, quod publico usui & itineribus destinarentur; modo *Viæ Solennes*, propter operis excellentiam & celebritatem, nec non Viatorum frequentiam; tum *Cursus Publici*, quod angari cursores his itineribus uterentur, quorum & stationes ad has Vias erant: sæpe *Viæ Solitæ*, aut *Consueta Itinera*, aliisque nominibus designantur, quæ apud Ammianum aliosque Auctores antiquos occurrunt. Aliquando simpliciter dicuntur sine ulla additione *Strata*, numero multitudinis genere neutro, ut cum Grammaticis loquar; non a *terendo*, ut putavit Isidorus, sed a *sternendo*, id est muniendo: τὸ *Sternere* enim notat plura, & additis demum nominibus aliis ad certam significationem restringitur: non enim eandem actionem notat τὸ *sternere*, cum dicimus *sternere lectum*, *sternere aulam*, *sternere viam*: in hoc postremo notat idem, quod *munire Viam* apud Ciceronem *pro Cælio*, sub persona Appii Cæci, *c*. 14. *Ideo Viam munivi, ut eam tu alienis Viris comitata celebrares?* & apud Suetonium *in Julio c*. 44. *Viam munire a Mari Supero per Apennini dorsum ad Tiberim usque*. Ergo *Strata*, a *sternendo*, dictæ sunt Viæ Publicæ munitæ tam intra quam extra Urbem: ita Lucretius I. 315.

Strataque jam volgi pedibus detrita Viarum
Saxea conspicimus.

4. Inde putem Italos suum τὸ *la Strada* fecisse: & hinc forsan vernaculum *battre la strade*, quasi diceres *calcibus ferire Viam stratam*. Hinc etiam Vir quidam nostri sæculi doctissimus scripsit: *Strata olim Gallice dicta est Via munita pavimento, absque additione nominis Viæ, unde Strada Italice*. Idem vocabulum & Lusitanis ὑπὸ τοῦ *Strata* est in usu, sed, ut apud Italos & nostros, mutato numero & genere: nam *quam Stradam fœminino genere vocant Itali, Strata plurali dixit Lucretius lib*. I. *qui ei nomini fœminino occasionem dedisse prope videtur*, ut ait Turnebus *Advers*. XIX. 19. Guicciardinus in elegantissima illa *Belgii Descriptione*, ubi verba facit de Viis Imperii Romani Militaribus, quæ illic locorum passim adhuc

& integre visuntur, ait illas Italis dici *Vie Lastricate*, Francogallis *Chaussées*. τὸ *Lastricate* Italorum est ab eorum verbo *lastricare*, id est, *pavire*, quod commune est omnibus pavimentorum speciebus & Viarum munitionibus, pavimentis quoque lithostrotis. Sebastianus Erizzus, natione Italus, in Italico libro, qui inscribitur: *Discorso sopra le Medaglie de gli Antichi*. p m. 149. in nummis Augusti, sic laudatum ex Suetonii *vit. Aug. c.* 30. locum exponit: *Dal qual luogo di Suetonio noi vediamo, che Augusto prese sopra di se, a far lastricare la Via Flaminia da Roma insino a Rimini: & che poi diede la cura dell'altre Strade publiche a quei Cittadini, che havevano trionfato, che le facessero lastricare de' danari cavati dalle prede & spoglie de'nimici, accioche da ogni banda il camin di Roma fosse piu facile & ispedito, a chi andava & veniva*. Eadem significatione ejus vocis utitur Andreas Palladius libro Italico *de Archi-tect.* III. 3. *Fecero gli Antichi queste lor Vie Militari in due modi: cioe o lastrigandole di pietre; overo coprendole tutte di ghiara & di sabbia*.

5. Gallicum nomen *Chaussée* a *calcibus* videtur deductum: pedum namque plantis Viæ teruntur Publicæ: sic *callis iter a callo pecudum vocatum, sive callo pecudum perduratum*, ut ait Isidorus *Etymol.* XV. 16. Inde Majores nostri ante hæc duo aut tria sæcula τὰς *Chaussées* pro captu ejus ævi Latine reddiderunt *Calcejas* & *Calciatas*, ut licebit videre supra I. 27. §. 3. ubi egimus de *Calceiis Brunechildis*. Per Galliam nostram Belgicam quoque appellantur *Chemins ferréz*, quasi diceres *Vias ferratas*, aut *ferri colore*, ut in Hispaniis Via Publica Romana ad Salamanticam dicitur *Via Argentea*: utrumque cognomen habent a colore calculorum, quibus istæ Viæ consternuntur, simili aut ferreo aut argenteo colori.

6. Angli Vias Militares ab Imperatoribus Romanis per Britanniam factas videntur appellare *Streat*, quasi a *sternendo*: ut colligimus ex nominibus *Wathlingstreat*, *Verlamstreat*, *Ikenildstreat*, *Erminstreat*, quorum significationem dedimus I. 30. §. 9. cum Vias Britanniæ Militares persequeremur.

7. Tandem, licet & Historia & Juris Romani libri appellent Vias Imperii Publicas cognomine *Militares*, *Consulares*, *Prætorias*; nec apud Auctores bonos & idoneos legamus *Vias Magnas*, vel *Magna Itinera* pro Viis Militaribus; in hoc tamen opere (Gallice primum conscripto) nolui illis cognominibus (Gallice redditis) uti, sed potius passim & ubique, ac in ipsa operis hujus (Gallica) inscriptione vocavi *Grands Chemins*. Feci hoc non tam permotus Viarum ingenti longitudine, qua per tantum Imperium porriguntur, & earum magnificentia; sed secutus proprietatem & genium Linguæ nostræ Francogallicæ, qua generatim dicuntur *Grands Chemins*, quas Latini & Græci vocant *Vias Regias*. Sic enim in Edictis Regiis, in Civilibus Institutis, in Juribus & moribus Municipalibus Francogalliæ nomina illa *Grands Chemins* usu veniunt, ut: *Guetteurs de Grands Chemins*; *Vol* aut *Meurtre commis sur les grands Chemins*; pro *Viarum Publicarum subsessore, insidiatore, grassatore*; pro *Latrocinio* aut *Homicidio in Via Publica admisso*; & similia.

8. Hæc sunt, quæ de nominibus Viarum Militarium Romanarum dicere potuimus, ut sic cognosci & a Viis vulgaribus & immunitis possent distingui. Restat, ut paucis agamus de Militarium Viarum latitudine, secundum mensuras, quas dimensus sum in Viis Militaribus circa Remos. Mensuræ illæ diversæ sunt, pro diversitate partium in illis Viis: nam in nonnullis intervallis sunt quasi in summa soli humive superficie, nec quicquam cerni potest, quam pavimentum superficiei exterioris, quæ sub se operit coria interiora, quorum imum munitum & prætextum est magnis lapidibus ad lineam directam dispositis, & quasi ad regulam digestis, qui sunt veluti margines, limbi & munimenta materiarum, ex quibus Viæ sunt factæ & constratæ. Limbi illi ubique terra cooperti & exaggerati sunt, & illos quæsituro Viæ sunt refodiendæ. In hisce limbis latitudo Viarum integra & illæsa permansit; ubique inter utrumque limbum inveni mediam latitudinem ad pedes admodum viginti. Unde sequi ultro videtur, in Legibus, quæ Viis Publicis octo pedum latitudinem adscribunt, intelligi Vias Publicas immunitas, & non Militares. At in Viis munitis longe aliter se res habet; nam ubi eminent super aggeres, longe sunt latiores, cum aggerum ambo margines declives hinc & inde utrimque tantam habeant latitudinem, quantam ipsum habet pavimentum summum: sic ut illic invenerim Vias latas pedes sexaginta, & divisas quasi in tres partes; ut scilicet medium pavimentum haberet pedes viginti, & uterque margo declivis singuli totidem pedes: adeoque possemus dicere, mensuram communem Viarum Imperii Romani Publicarum, ubi exaggeratæ, sive aggere munitæ & constratæ sunt, esse pedum circiter sexaginta.

F I N I S.

NICOLAI BERGIERII
DE
PUBLICIS ET MILITARIBUS
IMPERII ROMANI VIIS
LIBER IV.
AD PERILLUSTREM DOMINUM
DE LOMENIE
REGIS in Consilio Status Consiliarium, & a secretis mandatorum Regiorum.



Odem tempore & amorem Scientiarum revixisse, &, apud quas revixit Gentes, simul revixisse rerum priscarum, reconditarum & antiquitatum studium, dignum sane est consideratione & nota, Perillustris Domine. Sic prout Literæ, æque ac Imperia, Solis motum ab Ortu in Occasum secuta, ab Ægyptiis ad Græcos, ab his ad Romanos pervenerunt, amor ille & studium cognoscendi res antiquas eandem Viam proxime insequebantur. Quod si vero rerum priscarum curiosa & studiosa ulla fuit natio in Orbe Terrarum, certe fuerunt Romani, præcipue cum humaniores & elegantiores Literæ florerent Romæ. Eo namque tempore Romam transtulerunt ex Ægypto ingentes & mirificos Obeliscos; Carthagine & ex Græcia Romam avexerunt prisca excellentissimorum toto Orbe Pictorum, Sculptorum, Statuariorum opera, ut his exornarent Templa sua, Basilicas, Theatra & cætera ædificia magnifica, quæ Vias Urbis præcipuas, eæ sunt Militares, prætexebant; nec non ad ornatum Locorum publicorum. Hic ostentabatur tanquam pompa tabularum lectissimarum & cum natura certantium, statuarum marmorearum, & auro, argento, ære fusarum, ac toto item Orbe pulcherrimarum celebratissimarumque, quarum tantus erat ibi, ut sic loquar, populus & numerus, ut ferantur pæne ipsum æquasse hominum numerum, qui Romæ vivebant. Viæ hæ Militares utrimque splendidis ædificiis & tot priscæ artis operibus nobiles argumentum sunt hujus libri, quem Tibi, Perillustris Domine, ea, qua decet, observantia dedico & consecro. Ita enim persuasus sum, non in malam acceptum iri partem hanc audaciam, quod has priscæ elegantiæ Literas favore tuo & studio non dedigneris: qui antea aliquas hujus operis partes lustrare voluisti, animi a tot gravissimis negotiis aliquantisper relaxandi gratia, quibus negotiis maximi momenti pro Franciæ salute publica & commodis totum Te dedicasti; in quibus & tam diu & tanta fide salutaribus consiliis Patriæ adfuisti. Ecquis enim est, qui tua sago togaque nesciat officia, quæ

& pacis & belli temporibus præstitisti incomparabili Regi HENRICO MAGNO. *Tam autem in illis officiis fuisti assiduus, ut ex vero possit affirmari, quod per triginta admodum annos fere nunquam ab optimo Principe abfueris, in expeditionibus, in castris, in præliis, periculisve; lateri ejus perpetuus hæsisti & individuus comes, ut Alexandro suo Hephæstio, Pyrrho Regi Cyneas; semper illi Heroi nostro aderas, nisi quando in arduis & maximi momenti rebus Te, Perillustris Domine, ad externos Principes Legatum a se dimittebat, rarius tamen Te vel sic volebat abesse: in his autem Legationibus tanta dexteritate, fidelitate & prudentia rem publicam gessisti, ut Regi prudentissimo semper feceris satis. Animum hunc bono Regni publico devotum consecravisti quoque Maximi Regis filio, Regi cum maxime feliciter regnanti, cui per hos totos duodecim annos ea officia præstitisti, eum animum probasti, qui non nisi bonum spirat publicum odio & amore liber, qualem optimus civis Principi optimo præstare vel potest vel debet. Debebam & alio nomine exiguum hunc laborem Tuis consecrare meritis, cum non possem alia via grati testificari officium animi, pro egregia illa erga me voluntate, quam & testari & experimentis quoque rei ipsius, favoris erga me Tui plenissimis, approbare dignatus es. Accipe ergo, Perillustris Domine, exiguum hoc maximæ venerationis indicium & pignus eo, quo a me offertur, animo lubens, & benigno vultu Auctorem inter Tuos admitte clientes. Deum veneror, ut Te diutissime salvum & incolumem bono publico porro conservet!*

SECTIO I.

De Viarum Imperii Publicarum Caussa Finali generatim.

1. Consideratio usus Viarum Publicarum jucunda est & delectat. 2. Caussa Finalis Viarum Publicarum huic libro servata. 3. Quatuor præsipua Caussæ Finalis Viarum capita: 4. ex quibus apparebit, usum Viarum respondere impensis & operæ. 5. Quid discamus ex disputatione de quatuor illis capitibus. 6. Quatuor maxime incommodis munitio Viarum Publicarum medebatur.

1. I jure & merito excellentem eorum dignitatem, qui Vias Imperii Publicas fecerunt; si materiæ varietatem, & quantitatem, quæ ad opus Viarum usu venit; si formam, quæ Vias durabiles & quasi inexpugnabiles reddidit; si numerum & infinitam longitudinem Viarum admiramur: non minus jucunditate sua placebit consideratio Caussæ Finalis, ut cum Scholis loquar, & usus viarum, pariter & leges optimæ, quas S. P. Q. R. & deinde Imperatores Romanis de Re Viaria dederunt. Hic Civilis disciplinæ ordo vitam quasi motumque præcipuis Imperii Romani rebus inspiravit, sine quo magna illa operum moles corpus sine anima fuisset.

2. Hæ Leges, statuta, consulta, scita, præstabant usum Viarum facilem & commodum, cui fini etiam hæ Leges latæ & Viæ factæ erant. Si de dignitate & excellentia rerum judicandum est ex earum utilitate; si cujusque substantiæ finis res-

D pondet bonitati internæ, fatendum sane est, commoda, quæ ex Viarum opere eveniebant continua, fuisse maxima; nec frustra tantum impensarum, tot legiones, tot populos, tanto tempore, Viis muniendis & quaquaversum per omnem Orbem porrigendis fuisse destinatos & arcessitos. De hac Viarum utilitate & commodis agemus hoc libro, quem Viarum Caussæ Finali destinavimus. Licet enim Caussa Finalis præcedat prima efficientem, materialem & formalem in intentione, ultima tamen est in exsecutione; cum certe necessarium sit, res debere ante factas & perfectas esse a tribus caussis, efficiente, materiali & formali;
E quam Fini, cui destinantur, producuntur, componuntur, possint subservire. Liceat nihil hic & porro in hac minime benigna nec facundiæ capaci materia cum Scholis loqui.

3. Licet autem cujusque rei unus sit finis præcipuus, & utilitas rei publicæ in negotiis Imperii Romani fuerit caussa generalis Viarum Pùblicarum; videtur tamen mihi utilitas ista commode in quatuor præcipua distribui capita, ad quæ intentio Auctorum, qui Vias fecerunt, referri potest. Primum est, ne tempore pacis miles, aut plebs provincialis otio corrumperentur, ad evitandos
F tumultus, seditiones, res novas, aliasve turbas, quas otii lascivia, omnium malorum mater, solet producere. Alterum est, ut celerius annunciari cognoscique posset Romæ, quid in quaque provincia gereretur; & vicissim Roma ad extremos Imperii fines eadem celeritate nunciari, quid fieri placeret. Tertium est, ut facile & commode, semper, ubique ac quaquaversum terrarum, exercitus Romani pro re nata possent duci. Quartum denique est, ut iter pediti, equiti, vehiculis facile & commodum esset.

4. De quatuor hisce capitibus nobis erit disputandum, ad quorum lucem adferemus, quicquid monumenta Veterum, nec non Leges super Via-

rum Publicarum utilitate tradiderunt: ita clarissime videbimus, usum & commoda Viarum, quæ hinc Imperio & administrando & conservando eveniebant, respondisse impensis tantis tantæque operæ: ac quoniam Provinciæ per Vias Publicas quasi connectebantur, & per easdem illæ omnes connectebantur Romæ, ceu membra capiti suo, inde Imperium magis quasi colligabatur & validius ad communem salutem, minusque expositum externis erat hostibus.

5. Hinc ergo discemus primam originem *Cursorum Publicorum*, eorumque institutionem apud Romanos & Francogallos; quid sint *Stationes*, *Mutationes*, *Mansiones*; quænam sit differentia inter *Oppidum*, *Urbem*, *Civitatem*, *Vicum*, *Municipium*, *Coloniam*; numerum formamque *Stationum*, *Gynæcia*, *Horrea annonæ militaris*, *Fabricas*, *Equos*, *Agminales*, *Rhedas* & *Clabula*, quæ omnia ad Vias erant Publicas; quorum etiam omnium conspirante ope, non tam ibant Romani, quam volabant ab altero Imperii extremo ad alterum per Vias continuas & nusquam interruptas.

6. Quatuor sunt præcipua Viarum incommoda, quæ Viatores fatigant & retardant; scilicet profunda vallium & paludes; deinde aspera & prærupta montium; tum longæ ambages & circuitus; denique intervalla salebrosa & scabra. His vero incommodis & vitiis Romani attulerant remedium; nam in Viis Publicis munitis nec paludes, nec fluvii iter morabantur; non montes nec calles opponebantur; circuitus & ambages in directum compendifecerant Romani, ac loca scabra atque salebrosa complanarant atque exæquarant; omnis autem Via sic erat consolidata, ut quovis anni tempore pedes, eques, vehiculum ea potuerit commeare sine ulla offensione, impedimento aut retardatione.

SECTIO II.

De prima caussa, quæ Magistratus & Imperatores Romanos permovit, ut Vias Publicas extra Urbem & in Provinciis munirent.

1. *Malorum, quæ ex otio oriuntur apud milites, exempla.* 2. *Duces Romanorum exercebant milites aliquo opere, ne otium induerent.* 3. *Flaminius Viam sui nominis, quiete parta, munivit, ne in otio militem haberet.* 4. *Augustus pacis tempore militari Legionum opere Vias munivit.* 5. *Idem & plebem ad hoc opus coegit, ne esset otiosa.*

1. SI usquam exercitium & labor est utilis ac necessarius, otium e contrario nocivum & damnosum, illud profecto imprimis erit inter arma. Quietis enim & otiosis Militibus plerumque alterutrum accidit horum malorum: aut enim effœminantur, marcescunt, torpent, exstincta virtute; aut tumultu & seditionibus agitantur adversus suos duces. Satis exemplorum utriusque mali Historiarum tradunt monumenta. Hannibal cum post cladem Romanis apud Cannas illatam Capuæ in Campania felici desideret otiosus, ibi tum milites ejus adsueti olim humi cubare, frigus, æstum, famem, sitim perferre ac pati, jam otiosi in regione amœnissima, quæ Bacchi Cererisque certamen habet, ex olim fortibus molles, ignavi, segnes evaserunt; ex pristina industria, solertia ac virtute in effœminatam mollitiem ac inertiam degenerarunt, fracti sunt ac enervati: non aliunde, quam a voluptate, cui quotidie in regione adeo fertili ac omnibus deliciis affluente indulgebant. Voluptatis enim blandientes deliciæ & illecebræ corrumpunt animi vigorem & virtutem, virtutis aciem obtundunt, animum effœminant, consilium & pæne mentem eripiunt, sic ut jure Plato voluptatem appellarit illecebram & irritamentum omnium malorum. Ne procul a dicto abeamus exemplo, Campaniæ deliciæ plus damni, cladis & vulneris intulerunt Pœnis eorumque Duci, quam aut altissimarum Alpium inaccessæ rupes, aut exercitus Romani. Unica enim hyeme dissolutis moribus in delicato otio illo transacta elanguit & ipse Hannibal & exercitus Punici ardor, qui ante fuerat invictus; adeo ut, cum denuo veris tepor eos in bellicam expeditionem revocasset, visi fuerint armorum obliti & virtutem veluti decoxisse: vide Flor. II. 6. Recte enim Osorius *de Instit. Princip. lib.* VII. ait: *Otio & securitate franguntur vires, languescit industria, hebescit ingenium, vitia crescunt & prorumpunt, animi status opprimitur, flagitiorum omnium bellum inexpiabile concitatur: usque adeo, ut quodvis bellum, quamvis durum & periculosum, huic insidioso pacis nomini longe præferendum sit.*

2. Exercitus Romani Duces & Imperatores tam Rep. libera, quam cum sub Cæsarum concessisset imperium, gnari, quantum dent malorum Voluptas & Otium, mox ut armis sibi quietem & pacem pepererant, non ideo militem otiosum habebant; sed eum operi aut ad voluptatem, aut ad utilitatem, aut ad necessitatem faciendo admovebant. Sic Corbulo, inferioris Germaniæ legatus sub Claudio Imp. præcipue *ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio fossam produxit, qua incerta Oceani vetarentur*; teste Tacito *Annal.* XI. 20. In eadem Germania *Paullinus Pompejus*, *L. Vetus* sub Nerone Imp. *exercitui præerant: ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit: Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utramque fossa connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Orientis Septentrionisque litora fierent*; ut idem Tacit. *Ann.* XIII. 53. testatur.

3. Inter labores autem, quibus militem attinebant Romani Duces, ne otium indueret, erat & munitio Viarum. Cœpit id opus militare brevi post Vias primum extra Urbem munitas. Flaminius Cos. qui primos post Appium Cœcum Vias Militares per Italiam munivit, perdomitis Liguribus, pace data finitimis, provincia aliquamdiu a bello quieta, *ne in otio militem haberet, Viam a Bononia perduxit ad Arretium*, teste Livio XXXIX. 2. cum antea Viam munivisset Roma Ariminum, ut docet Strabo *Geogr.* V. *p.m.* 395.

4. Interjecto deinde longo tempore Augustus quoque Cæsar eadem opera molitus est, qui post devictos Lepidum & M. Antonium, cum cuncta sub suum accepisset imperium, pace terra marique parta templum Iani clausit. Verum cum tuendis finibus multas sub signis haberet legiones, ne hæ longæ pacis & otii paterentur mala & instar aquæ desidis vitium caperent, ac ne per otium adversus duces suos lascivirent seditionibus, laboribus milites attinuit, & Vias Publicas militari isto opere per universum Imperium longe lateque permunivit. Sic eædem manus victrices, quæ hostes domuerant, perdomuerunt quoque montes & rupes & tot asperrima pericula, quæ superari non poterant, nisi per eos, qui ante Orbem Terrarum devicerant.

5. Imo etiam ad hæc opera victores æque ac victos, Legiones & Plebem provincialem ubique coegit,

coegit, ut ea perficeret, quæ inter opera humana manu perfecta extra ullam controversiam excellenti magnificentia sunt admiranda. Sic exegit Augustus opus & imperio & generi humano utilissimum; sic evitavit mala, quibus segne otium exercitus populosque perdit: unde Tacitus *Annal.* I. 35. prudenter pro more suo talia opera *ex necessitate, aut adversus otium castrorum quæri* ait: Sed & idem sentit Isidorus loco sæpius laudato *Etymol.* xv. 16. Romanos *per omnem pæne Urbem* Vias *disposuisse, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa.*

SECTIO III.

De altera Caussa Finali Viarum Imperii Publicarum.

1. *Principis sedem debere in tam vasti Imperii Romani medio esse.* 2. *Gymnosophistæ consilium Alexandro M. supra ea re datum.* 3. *Viæ Publicæ munitæ ad tam vastum Imperium regendum percommodæ.* 4. *Similitudo a corpore humano & ejus membris desumpta.* 5. *Suetonii testimonium.*

1. IMperium Romanum Augusti ævo tam vastum & longe lateque per immensa terrarum fuit porrectum, ut plures non sine caussa illi dederint nomen *totius terrarum Orbis*; ut ostendimus supra III. I. §. 4. Ut ergo tantum staret Imperium, nec sua mole rueret, Princeps per pacis tempora Romæ, ut in centro Imperii sui, sedem debuit habere, unde instar Argi attentis oculis omnem circumspiceret circumferentiam, ut si ulla ejus pars quicquam caperet detrimenti, mox aut ipse curaret, aut submitteret auxilia, uti salva & incolumis staret. Tiberius Cæsar pulchre hoc intellexit Imperii sui initio, qui, ut recentem firmaret dominationem, nunquam omisit Romam, licet carperetur sermonibus civitatis, quod seditiones & motus legionum Drusi & Germanici præsentia sua ipse non comprimeret: dicam verbis Taciti *Annal.* I. 46. & 47. *Trepida Civitas incusare Tiberium, „ quod dum Patres & Plebem, invalida & inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum & opponere majestatem imperatoriam debuisse, cessuris, ubi Principem longa experientia, eundemque severitatis & munificentiæ summum, vidissent. An Augustum fessa ætate toties in Germanias commeare potuisse; Tiberium vigentem annis sedere in Senatu verba Patrum cavillantem? satis prospectum urbanæ servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.* Verum *immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare.* Idem Tacitus *Annal.* III. 47. narrat, cum Sacrovir Gallias turbasset, Tiberium post id bellum patratum Senatui scripsisse, *simul caussas, cur non ipse aut Drusus profecti ad id bellum forent, adjunxisse, magnitudinem Imperii extollendo, neque decorum Principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen.*

2. Calanus Gymnosophista Indus hanc quoque regni imaginem fertur, ut narrat Plutarch. *in Alexandr. cap.* 114. Alexandro M. proposuisse; Corium scilicet probe siccatum & aridum, in formam scuti more antiquo factum, posuisse in medium, ut convexa pars humi esset; extrema scuti calcasse deinde, quo fieret, ut hac parte depressa cæteræ se erigerent: cumque ita per orbem circumiens fecisset, medio tandem corio institisse, ita omnes partes subsedisse æquales. Indicabatur autem hoc exemplo, medias maxime partes regni tenendas, neque procul aberrandum Principi, ut omnes ex æquo confirmet, & quaquaversum, prout cujusque Provinciæ urget necessitas, possit opem ferre promptam, singulis provinciis scilicet æquali circiter distantia a medio prospiciens, ne opus sit, cum necessitas urget, ab uno regni extremo ad alterum oppositum decurrere, quod plerumque periculosæ plenum est aleæ.

3. Augustus Imperator, qui nihil ignoravit eorum, quæ ad beandam facerent Rempublicam, pace armis quæsita eam dedit operam, ut Roma, in orbis medio sita, ut docuimus supra III. 14. & 15. cum omnibus Imperii terris cohæreret, etiam remotissimis. Nec melius nec promtius destinata exsequi poterat, quam muniendo Vias Provinciarum publicas, quarum ope, celeritate plane mirifica, sub manum cognoscere potuit, quid in Provincia Imperii quaque gereretur.

4. Sic maximus ille & felicissimus Imperator Provincias cunctas facile, tranquille & secure gubernavit. Quemadmodum enim caput membris inferioribus motum per nervos, cor sanguinem per venas & arterias distribuit, & sic per hasce partes præcipuas corpus vivit vigetque: sic etiam per Vias Publicas, ceu nervos, venas & arterias tanti Imperii, Augustus ejusque Successores cuique Provinciæ submittebant ea, quæ ad vitam, vigorem felicitatemque singularum erant necessaria, ut ita totum Imperii corpus salvum & incolume staret. Vicissim, ut undique Roma pari facilitate & celeritate posset adiri, & singulæ Provinciæ, tam longinquæ, quam propinquæ capiti suo, tanquam membra, possent pro re nata suppetias & auxilium ferre.

5. Hæc inter primas & præcipuas Viarum muniendarum caussas fuit Augusto: audi enim Suetonium *in vit. Aug. cap.* 30. *Quo autem*, ait, *facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas Triumphalibus Viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.*

SECTIO IV.

De prima Angarorum sive Cursorum Publicorum inventione: & de Angariis ad Vias Imperii Publicas.

1. *Celeritas Cursus Publici apud Romanos.* 2. *Angari secundum Herodotum a Persis primum instituti. Cyrus eorum primus auctor.* 3. *Græci & Romani Cursum Publicum a voce Persica* Angara *dixerunt*, Angarias. 4. *Cursores Publici*, Ἄγγαροι. 5. *Prima Cursus Publici vestigia apud Romanos.* 6. *Augustus primus instituit Cursores publicos: & qualis ille Cursus publicus.* 7. *Primæ origines Cursus Publici in Gallia.* 8. *Ludovicus* XI. *primus instituit Cursores Publicos*, Postes ordinaires, *& quando.* 9. *Etymon τοῦ* Poste. 10. *Cursus Publici ratio apud Turcas.*

1. ANtequam progrediamur ad capita Caussæ finalis Viarum Imperii Publicarum lustranda, considerande venit ratio, qua Imperatores tam mirifica celeritate ad fines Imperii usque miserint literas, & inde receperint eadem celeritate. Fiebat hoc ope Cursorum Publicorum, qui

erant per Vias Militares dispositi sic ordinatis intervallis, ut Principi non fuerit opus quaquaversum non sine labore per Imperii partes discurrere, uti mature sciret, quid in quaque Provincia gereretur; cum Romæ sedens sine ullo discrimine Orbem temperare & moderari potuerit per literas, edicta, rescripta, mandata: quæ ut scripta, ita per Cursores Publicos promte, veluti per aves, erant delata: ne gratis hæc dixisse videar, audi Aristidem *Orat. ult. Tom.* III. *Quocirca*, inquit, *nihil Imperatorem Romanum opus est Imperium totum misere pervagari, nec variis commeatibus singula stabilire terram calcando, cum possit Orbem totum commodissime per epistolas regere; quæ mox, ut scriptæ sunt, velocissime, tanquam ab avibus, deferuntur.*

2. Commodus ergo hic locus se offert, ut agamus de Romanorum Cursoribus Publicis, pulcherrimisque legibus, quibus erant dispositi & ordinati. Primum lustremus antiquissimam eorum originem; deinde qui illos primi apud Romanos & postea Gallos nostros instituerint: quæ fuerit inter eos differentia, quæ illis nomina. Cursum Publicum, quem nos *Postes* appellamus, primum a Persis inventum meminit Herodotus *l.* VIII. *p.* 215. *ed. Gr. Stephani, Latin. Wechel. p.* 479. Idem *l.* v. *p.* 135. *Steph.* 300. *Wechel.* ait, *a Græco mari* (id est Ægeum & Propontis) *ad Susa*, Persarum regiam, *esse stathmos* CXI. paullo ante dixerat, *ubique esse* βασιλικὺς ςαθμὺς, *mansiones regias ac diversoria pulcherrima*; quæ unius diei itinere singula distabant. Xenophon *Pædiæ l.* VIII. *p. m* 678. *ed. Tornæs.* insuper docet, *Cyrum* primum apud Persas auctorem fuisse Cursorum Publicorum, sive *Angarorum*. Is enim certas stationes in Via Publica dimensis itineribus statuit, ubi equi & homines collocati unius diei iter celerrime conficiebant: cum vero ad proximam stationem pervenissent, quæ evenerant, ibi manentibus nunciabant, & illi statim aliis sequentibus, donec celeriter nuncius ad Regem perveniret. Instituit hos *Angaros* Cyrus, cum expeditionem adversus Scythas moliretur, quinque circiter sæculis ante natum Christum; ut Cursores publici sive Angari, tanquam volantes, mandata regia ad Satrapas & Præfectos, ubi periculum in mora erat, possent perferre. Angariæ enim coactæ erant, & publicæ festinationis & itineris raptim conficiendi gratia.

3. Græci hunc cursum vocant ἀγγαρεῖον δρόμημα, *cursum servilem & quasi coactum*, a voce Persarum, qui primi ejus fuerunt auctores, *Angara*, quæ notat *servitutem* & *involuntariam coactionem*: hinc Græcorum ἀγγαρεύω, id est, *compello*, & Latinorum *angariare*, id est, *vi cogere vel nolentem*. Sic apud D. Matthæum XXVII. 32. legimus, *angariatum* esse *Simonem Cyrenæum, ut* Domini *Crucem attolleret*; τῦτον ἠγγάρευσαν, ἵνα ἄρῃ τὸ σαυρὸν αὐτῦ. *Angariandi* quoque verbo utitur Ulpianus *in l.* 4. ff. *De privileg. Veteran.* ubi ait: *Viæ sternendæ immunitatem Veteranos non habere, Julio Sossiano veterano rescriptum est: nam nec ab intributionibus, quæ possessionibus fiunt, veteranos esse excusatos, palam est. Sed & naves eorum angariari posse, Ælio Firmo & Antonino Claro Veteranis rescriptum*: ubi *angariari* est ad usum rei Publicæ capi & compelli invito Domino.

4. Sed non solum naves, verum etiam equi poterant angariari; cumque equi ad cursum publicum destinati sive cursuales calcaribus vel inviti ad currendum incitarentur & cogerentur, hinc isti servituti paullatim adhæsit nomen *Angariarum*, & cursoribus Publicis *Angarorum*, quod notat cursores regios; idem nomen datur quandoque bajulis, qui jumentorum ritu bajulant onera. Hinc in Juris libris *Angariarum* sive *Parangariarum exhibitio* est equorum, navium sive plaustrorum ab invito præstatio: dicuntur etiam *Cursus Publici* vel *Clabulares*, a *clabulo*, vehiculi specie, de quo agemus infra *sect.* x. §. 9.

5. Cursus Publicus a quo & quando fuerit institutus apud Romanos, accurate & certo non potest affirmari. Putant nonnulli Rep. libera jam fuisse Cursum publicum ad Vias Militares, *Stationum* nomine, & Cursores publicos, qui literas, tabellas, fasciculos perferrent, dictos fuisse *Statores*. Deinde in usum venisse, ut Cursores haberent *Diplomata*, sive *Evectiones*, nobis *lettres de poste*, quæ erant pro syngrapho viatorio, commeatu, (*passe-port*) ut possent uti equis cursualibus. Sane hæc per conjecturas ex nonnullis Ciceronis locis confirmari videntur, qui *Statores* vocat tabellarios dedita opera missos, ut diligenter litteras perferrent: sic scribit Caninio Sallustio *Ep.* II. 17. *Literas a te mihi stator tuus reddidit Tarsi A. D.* VI. *Kal. Sext.* Idem ad C. Cœlium, quem in Cilicia quæstorem habuit, scribit *Ep.* II. 19. ut ad se in Ciliciam quam primum veniret, si satis opportuno tempore accepisset literas; *æxistimavi tamen*, ait, *esse faciendum, ut ad te statores meos & lictores cum literis mitterem.* Mentio *Diplomatis* est apud Ciceronem *Ep.* VI. 13. *ad Ampium Balbum*, ubi scribit: *Diploma statim non est datum*: & deinde: *Pansa quidem mihi, gravis homo & certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma.* Idem *ad Atticum* x. 15. *De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii insimularim: negas enim te reperire, qui mihi id in mentem venerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare, etenim audieram nemini aliter licere, eo te habere censebam, & quia pueris diploma sumseras.*

6. Verum de *Diplomatibus* & *Evectionibus* plura dicemus infra *sect.* XV. §. 1. *& seqq.* Illud hoc loco addimus, quod si ulla ratio Cursus ante Augustum fuit, videri illum non fuisse ordinarium nec publicum, & *Statores* non fuisse *publicos*, sed privatos, ex familia mittentis: hinc in locis laudatis legis, *Statorem tuum* & *Statores meos*, non *Reip.*. Me si audias, putem Augustum, ut Viarum per provincias publicarum maxime auctorem fuisse, sic & primum instituisse, ordinasse ac disposuisse Cursum Publicum & *Vehicularium.* Suetonius de Augusto *in ejus vit. c.* 49. *Quo celerius*, ait, *& sub manum annunciari cognoscique possit, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per Militares Vias, dehinc vehicula disposuit: commodius id visum est, ut qui a loco iidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.* Augusti Successores Cursum hunc Publicum continuarunt & conservarunt, cum sit ex illis rebus, quibus usus Viarum Publicarum maxime inservit; ut postea pluribus videbimus, cum lustrabimus in sequentibus rationem Cursus Publici apud Romanos.

7. Apud Francogallos rarissima, imo nulla fere sunt Cursus Publici vestigia ante *Ludovici* XI. tempora. De *Carolo M.* hæc solum apud Julianum Taboetium JC. *in Paradox. Regum & summi Magistratus privilegiis*, in VII. *Jure Regio p.* 112. lego: *Carolus Magnus populorum expensis tres Viatorias Stationes in Gallia constituit, anno Christi octingentesimo septimo. Primam propter Italiam a se devictam; alteram propter Germaniam sub jugum missam; tertiam propter Hispanias.* At credibile est, has Stationes fuisse omissas sub regnis Lotharii, Ludovici & Caroli Calvi, Ludovici Pii F. & Caroli Magni N. cum eorum ævo imperium Caroli Magni divisum fuerit in tres partes, atque ita Germania & Italia a Gallia avulsæ.

8. Primus ergo, qui Publicum & perpetuum

per Galliæ regnum ordinavit Cursum, sive, nostra voce, *Postas Ordinarias*, fuit *Ludovicus* XI. qui certas stationes ac mansiones constituit, ubi equi cursuales haberentur. Philippus Cominæus, auctor Historiæ Ludovici XI. eidemque Regi a consiliis hæc in *Comment. lib.* VIII. *principio, ex versione Sleidani* tradit: *Rex* Ludovicus XI. *nuper in Galliis instituerat Cursores, qui per dispositos equos incredibili celeritate iter conficerent; rem plane novam & inusitatam in Galliis ante id tempus*. Du Tillet *in Chronico de Regib. Francor.* v. 10. hæc confirmat, & addit, anno a N. C. CIↃ.CCCCLXXVII. *Stathmos & diversoria cursoriis equis a Rege Ludovico* XI. *primum in Galliis constituta*. Ne erres, de solius Galliæ Cursu publico hæc verba accipies: *Stationes* enim *Viatoriæ* Caroli M. non tam ut a Rege Galliæ in Gallia, sed ut ab Imperatore per Imperium Occidentale totum fuerunt constitutæ.

9. Quod ad nomen *Postæ* vernaculum: quo Cursores Publicos appellamus, attinet, Du Tillet *l. l.* ait, quod idem Ludovicus XI. *Stationarios Cursores idiomate Gallico Postas, quasi bene dispositos ad cursum, appellari voluit*, qui a *Græcis* dicuntur *ἄγγαροι*, *Cursores regii*. At ego magis crederem, si mea placeat sententia, nomen *Postæ* nostræ esse a *positione* sive *dispositione* equorum Cursui publico deputatorum certis stationibus. Ab his positionibus sive stationibus & diversoriis equorum ipsi Cursores, qui in illis morantur, acceperunt quoque nomen *Postarum*, *Postes*.

10. Laonicus Chalcocondylas *Hist. Turc. lib.* IX. docet & Turcis quendam esse Cursum Publicum. Equis non utuntur, sed præcones habent citissimo gradu maximos cursus peragentes: hi, quemcunque obvium equitantem habent, descendere jubent, ejusque equum conscendentes, quantum possunt, impellunt; si alium invenerint, idem agunt, & illi fatigatum equum tradunt, donec ad destinatum locum pervenerint, alienis usi equis & impensis.

SECTIO V.

Angariarum Divisio, & Publici Cursus Romani descriptio.

1. *Angariæ Triplices: primo Equestres: 2. deinde Tumultuariæ: 3. tandem Militares, inter quas & munitio Viæ Publicæ. 4. Procopii locus, quo describitur Cursus Publicus Romanorum.*

1. QUandoquidem Cursus Publicus apud Romanos etiam *Angariæ* nomine venit, vocis ejus, quæ sæpe in Juris & Historiarum monumentis occurrit, varia & genuina significatio erit proponenda. Hac enim voce comprehenduntur tres operæ sive labores, servitutes, & quasi operæ vectigales sive tributariæ, ad bonum publicum & debitum Imperatori obsequium & officium referendæ. Triplices autem ab Antiquis positæ reperiuntur *Angariæ*; *Equestres*, *Tumultuariæ*, *Castrenses*. *Angariæ Equestres*, nobis *Postes*, sunt, quas Cyrus instituit, ut supra diximus *sect.* IV. §. 2. suntque equi cursuales publici.

2. *Tumultuariæ Angariæ* sunt onera, servitutes & operæ viles, quæ subeunt inopinato populares, ut occurratur repentinæ necessitati publicæ, propter hostium incursus imperatæ. Ut enim malis subitis occurrerent, rei militaris præfecti, equos primum obvios & instrumenta vecturæ, ubicunque ea deprehendebant, angariabant ad devehenda arma, machinas bellicas & reliquum Martis apparatum: ad hæc cum cogerentur populares, dicebantur *præstare angarias*: At si, præter has *angarias*, fœnum quoque & avenam & reliqua equis & jumentis alendis necessaria cogebantur exhibere, dicebantur *præstare Parangarias*.

3. *Angariæ Militares* erant operæ, viles, quæ præter militiæ laborem militibus pro re nata aut ex necessitate, aut adversus otium castrorum imperabantur: quales sunt Aggerum structuræ, Valli munitiones, Fossarum expurgationes, Castrorum metationes & effossiones, effossæ Terræ acRuderum egestiones. Sic Augustus *fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit*. Sueton. *Aug. c.* 18. Probus Imp. *Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum lecta vite conseuit*. Vopisc. *in Probi vit. c.* 7. Sic etiam ad opus Viarum muniendarum milites Romani fuerunt coacti, quod omnium angariarum militarium fuit opus durissimum.

4. Ut redeamus ad Cursum publicum, sive *Postas* nostras, de eo præcipue agunt tituli Codicis tam Theodosiani, quam Justinianei, *De Cursu Publico*, *Angariis & Parangariis*: in quibus plurimæ leguntur constitutiones, leges, rescripta, super commodis augendis incommodisque Cursus Publici tollendis, quas leges singillatim suis locis allegabimus & exponemus. Interea hic adscribemus locum ex Procopii *Anecdotis*, *sub fin.* prout eum Latine vertit Johannes Vincentius Pinellus, ex quo ratio & modus Cursus publici apud Romanos intelligi generatim poterit: sic vero sonat: *Romani Imperatores, qui antea fuerunt, modum excogitarunt, quo cuncta sibi quam celerrime possent nunciari, &, ut scirent, quæ ubique inter hostes agerentur, & si qua in civitatibus seditio, vel quid aliud improvisum e Præsidibus, vel aliud quomodocunque oriretur, & ut annua tributa velociter & tuto transmitterentur: publicum ergo & celerem quendam ubique cursum hoc modo instituerunt. Viro expedito ad iter diei stationes constituerunt quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat: quadraginta vero equi in singula mansione stabulabantur; & ibidem hippocomi, ad curandos, quot poterant, equos erant destinati: succedentibus vero sibi ad stationes probatissimis equis, qui eos agebant, decem ferme dierum iter vicissim conficiebant, agentes, quomodo significavimus*. Hæc Procopius, quibus generatim exponit Cursum Publicum apud Romanos, ubi Interpres recte verbis Romanis *stationum* ac *mansionum* utitur, non vulgari & tralatitia significatione, sed propria, & Cursui Publico, nec non Viis Imperii Militaribus, ad quas erant sitæ, accommodata. Eædem voces & in *Itinerario Antonini* cum aliis nonnullis occurrunt, quas mox deinceps, ceu loco aptissimo & convenientissimo, libet interpretari.

SECTIO VI.

De nonnullis in Itinerario Antonini vocibus, quæ ad Cursum Publicum spectant.

1. *Nomina propria Urbium & Mansionum in Itinerario duobus modis notantur. 2. Expositio nonnullarum vocum in Itinerario occurrentium, ut sunt: Villa, Vicus: 3. Castra. 4. Cur nonnulla loca habuerint nomen Legionum. 5. Castellum. 6. Cur Castella sive Castra quædam habuerint nomen Alæ. 7. Præsidium: 8. hac voce duo locorum notantur genera.*

1. QUi vel a limine salutarunt *Itinerarium Antonini*, norunt, ibidem Vias Publicas annotari non nisi propriis urbium, oppido-

rum, vicorum cæterorumque locorum nominibus, quibus mansiones & habitationes hominum designantur. Horum pars maxima in *Itinerario* annotatur simpliciter, sine epitheto, aliove nomine communi, quo eorum ab aliis differentia innotescat. Sic ab ipso initio *p.* 1.

Salaconiam M. P. XVI.
Thamusidam M. P. XXXII.

Ubi nihil aliud vides additum, quam milliarium numerum, quibus intervalli inter utrumque terminum distantia est dimensa. Verum sunt & alia B nomina propria, quibus adduntur & junguntur certa quædam communia nomina, quæ proprii nominis, cui conjunguntur, qualitatem, ut cum Scholis loquar, determinant exempli caussa:

p. 1. *Lixon*, *Coloniam*.
p. 2. *Sigam*, *Municipium*.
p. 13. *Maxulam*, *Civitatem*.
p. 13. *Putput*, *Vicum*.
p. 13. *Agma*, *sive Fulguritam*, *Villam*.
p. 3. *Lar*, *Castellum*.
p. 7. *Gadaum*, *Castra*.
C *p.* 7. *Tamaricesum*, *Præsidium*.
p. 50. *Novas*, *Leg.* 1. *Italica*.
p. 56. *Durnomagum*, *Ala*.
p. 29. *Sirmionem*, *Mansionem*.
p. 29. *Taurunum*, *Classis*.
p. 21. *Chalis*, *Refugium*.
p. 21. *Calvisianis*, *Plagia*.
p. 115. *Scabros*, *Portus*.
p. 115. *A Luna gestam*, *Positio*.

Quæ voces omnes sparsim & passim in *Itinerario* leguntur.

2. Cum vero ejusmodi nomina communia non D sint frustra istis nominibus propriis adjuncta, illorumque notitia faciat ad intelligendam Publici Cursus rationem, & alia Viarum Publicarum commoda melius percipienda; a re alienum fore non puto, si paullo diligentius singula nomina exponam, & quomodo inter se alterum ab altero differat, ratione Cursus Publici, aliorumque, quæ ex Viis Publicis oriuntur, commodorum. Initium itaque faciam a nomine *Villæ*, quæ veteribus notabat id, quod nobis *une Cense* aut *Metairie*, sive ædificium aliquod singulare in agro situm, sive habitationem solitariam suburbanam: quarum permagnus erat in Italia numerus sumtuosissima ma- E gnificentia structarum, ut *Villa Cæsarum*, *Villa Luculli*, *Gordianorum*, aliorumque, de quibus cum alibi II. 41. egerim, nihil hoc loco addam. Tales in *Itinerario* habes *p.* 13.

Villam Magnam, *Villam Privatam*
Casas, *Villam Aniciorum*.
Minnam, *Villam Marsi*,

Villam sequitur *Vicus*, *qui dictus est a vicinis habitationibus*, si Isidoro credimus in *Etymol.* Certe inter plures significationes, quas Festus, *in voc.* F *Vicus*, recenset, notat & locum in agro, ubi plures casæ sunt nulla munitione septæ, quem Latini *Pagum* vocant, nos vernacule *un Village*. Tales in Itinerario *p.* 13. habes:

Horrea Cælia, *Vicum*.
Cellas, *Vicum*.
Fisida, *Vicum*.

3. Quæ in *Itinerario* cognominantur *Castra*, erant olim loca a Romanis vallo fossaque munita,

A ut ibi tuti adversus subitos hostium insultus tenderent & commorarentur. Hæc loca fiebant, aut ut noctem unam alteramve, aut ut diutius ibi morarentur. Illa generatim *Castra* & nonnunquam *Mansiones*, nos diceremus *un Giste*, dicebantur: Hæc vero *Stativa*, *a stando*, quod aliquamdiu ibi subsisterent; & quidem si per æstatem, *Æstiva*; si per hiemem, *Hiberna* cognominabantur: neque enim Legiones Romanæ in iisdem Castris semper tendebant, sed hæc pro anni tempore mutabant. Verum tam in *Æstivis*, quam in *Hibernis*, pro more Romano sub pellibus tendebant & quasi habitabant Legionarii. Sic Tacitus *Annal.* XIII. 35. *Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa humus tentoriis locum non præberet.* Nonnulli vero in *Castris* leviora exstruebant ædificia, quæ paullatim aucta originem dederunt multis urbibus pulcherrimis & amplissimis, quibus deinde nomina propria, ut cæteris, adhæserunt; sed additur illis in memoriam originis cognomen *Castrorum*. Inde in *Itinerario* legis, exempli gratia *p.* 7.

Gadaum, *Castra*.
Tivagas, *Castra*.
Rapida, *Castra*.

Et plura ad similem formam.

4. Verum enim vero cum Legiones Romanæ ad tutelam limitum Imperii destinatæ non in urbibus, sed in *Castris* degerent, ut modo vidimus; hinc plures urbes, quæ ex illis *Castris* postea natæ sunt, velut cognomen, retinuerunt appellationem & denominationem Legionis Romanæ ejus, quæ ibi olim stativa castra metata est. Hinc in *Itinerario* leguntur nonnullorum locorum cognomina hujus notæ, ut *p.* 1.

p. 49. *Ratiariam*, *Legio* XIV. *Gemina*
p. 50. *Oescon*, *Legio Macedonica*.
Novas, *Leg.* I. *Italica*.
Dorostoron, *Leg.* XI. *Claudia*.

5. *Castella* quæ vocantur, loca erant minora, quam *Castra*, unde a *Castro* per diminutionem dicitur *Castellum*; Gallis *Chasteau* aut *Chastelet*: sed e contrario longe melius exstructa, & magis munita erant *Castris*. Plerunque enim *Castella* erant sita locis editioribus & ardui aditus, & exstructa lapide quadrato per peritos structores, ornata & septa turribus, propugnaculis, aggeribus, ut diutissime perdurarent, & stationem tutam præberent militibus tam æstate, quam hieme. At quod angustia loci non caperet commode integram Legionem, ut Castra Stativa; hinc tantum aliqua Legionis pars præsidii caussa in illis collocari solebat. Erant autem fere ex equitatu Legionario, qui scilicet aptiores erant ad excursiones in hostilem agrum faciendas, quam pedites Legionarii.

6. Porro Legio quævis Romana habebat suos equites & pedites: exercitus vero ita ordinabatur, ut utrumque cornu seu dextrum & sinistrum latus peditum, tuerentur equites; unde *Alarum* nomen teste Vegetio *de R. M.* II. 1. *Equitum Alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies.* Hinc cujusque Legionis equitatus dividebatur in *Alas*. *Alæ* in *Turmas*, quarum una quæque habet XXXII. equites: peditatus vero habebat *Cohortes*, & hæ divisæ erant in *Manipulos*, ut Vegetius *l. l.* II. 14. & Varro *de L. L. lib.* IV. *p. m.* 23. docent. Quod si ergo præsidiarii milites loci aut Castelli alicujus, lecti erant ex equitatu Legionario, non vero peditatu; ibi

tum hoc ipsum sæpe pro caussa fuit, cur plurima *Castella*, qualia diximus, præter proprium nomen, ad modum agnominis retinuerint & denominationem alicujus *Alæ*, atque ejus Legionis, ex qua equites illius *Alæ* erant lecti & missi in præsidium. Ita multi accipiunt verba *Itinerarii*, ubi Vias Publicas Germaniæ Inferioris recenset *p.* 56.

Durnomagum	*Leg.* VII.	*Ala.*
Buruncum	*Leg.* V.	*Ala.*
Novesium	*Leg.* V.	*Ala.*
Geldubam	*Leg.* IX.	*Ala.*

& plura his similia. Verum mihi videretur hic esse sensus, ut Colonia Durnomagum hodie *Durmagen*, sint *Legæ* sive *Leucæ* septem, inde *Buruncum*, hodie *Worringen* Leucæ quinque; hinc *Novesium*, hodie *Nuys*, leucæ quinque, inde *Geldubam*, hodie *Gelb*, leucæ novem: & in singulis *Alam* fuisse præsidio.

8. *Præsidii* vox proprie non notat locum munitum, sed milites præsidiarios, qui locum munitum propugnent: quandoque generatim notat, quicquid aliquam rem tuetur ac conservat. At in *Itinerario*, ut verbis Varronis *de L. L. lib.* IV. *p. m* 24. dicam, *Præsidium est dictum, quia extra Castra præsidebant* milites *in loco aliquo, quo tutior regio esset* ab incursione hostili aut rebus novis & subitis.

8. Talium locorum bina erant genera: quædam a Romanis dedita opera erant munita & exstructa, nec differebant a *Castellis*, quæ modo dixi, ulla ratione: unde Florus non distinguit *Castella*, *Custodias* & *Præsidia*, IV. 12. fere in medio, ubi ait: *In tutelam Provinciarum* Drusus *Præsidia atque Custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius Castella direxit*. Eadem *Castella* innuit Eumenius Rhetor, cum in *Orat. pro Schol. instaurand. inter Panegyricos Vett. ed. Henr. Steph.* 1591. *p. m.* 270. quærit: *Nam quid ego Alarum & Cohortium Castra percenseam, toto Rheni, & Istri & Euphratis limite restituta?* Ex quibus geminis testimoniis porro colligi potest, hæc *Castella* sive *Præsidia*, a Romanis studio & de industria exstructa, fuisse vulgo ad ripas majorum fluviorum, qui Imperii Romani limites erant, quales *Rhenus*, *Danubius*, *Euphrates*. Quædam vero *Præsidia* erant loca munita, non quidem de industria, sed tamen ingenio situs & opportunitate loci apta ad recipiendos milites Præsidiarios. Tale erat in Ægypto oppidum, *Hydreuma vetus* sive *Troglodyticum*, *ubi Præsidium excubabat*, ut narrat Plinius *H. N.* VI. 23. ubi Viam Publicam a *Copto Berenicen* recenset. Ab hoc illove genere horum Præsidiorum quædam loca in *Itinerario* habent cognomen *Præsidii*, ut *p.* 7.

Ballene, *Præsidium*.
Tamaricetum, *Præsidium*.

Quandoque & simpliciter, sine ullo addito alio proprio nomine, *Præsidium*, in *Itinerario* legitur, ut *pag.* 18. 95. 96. 97. Cæterum opportunitas horum locorum, quales modo recensuimus, *Villarum*, *Vicorum*, *Castrorum*, *Castellorum*, *Præsidiorum*, induxit eos, qui Vias muniebant & faciebant Publicas, ut eas deducerent de industria & dedita opera per hæc loca, ut pro re & necessitate nata tanto commodius illis uterentur, ut & propter milites, qui ibi erant præsidio. Animadvertit hoc etiam Cluverius *Germ. Antiq.* II. 16. *p.* 77. *Romanorum Itinera per Castra plerumque Legionum, Cohortium & Alarum duxisse, patet passim ex Historiis atque Itinerariis.*

SECTIO VII.

De Nominibus CIVITATIS, URBIS & OPPIDI.

1. *Civitatis nomen varia significat: 2. Ejus prima significatio. 3. Et hujus notabile exemplum ex Appiano Alexandrino. 4. Civitas & Resp. fere idem notant. 5. Quando Civitatis nomen Urbibus sit datum. 6. Quomodo Civitatis nomen accipiatur in Itinerario Antonini. 7. Urbs & Oppidum, idem significant. 8. Differentia inter Urbes & Civitates.*

1. EGimus proxime de locis minoribus, & quæ nullam habent dignitatis excellentiam; sed quæ aliis dignioribus & majoribus locis sunt subjecta & obnoxia: jam accedemus ad interpretationem nominum, quæ, ut sic dicam, altioris loci sunt & gradus, ac aliquem habent dignitatis splendorem. Primum talium est *Civitas*, quod nomen, ob diversitatem significationis multiplicis, & ob varias, quas sub se habet, species, meretur, ut paullo accuratius examinetur. Hoc ergo nomen pro sæculorum diversitate varias quoque habuit & differentes plane significationes, quarum illustratio multum luminis addet perlustrando Viarum Publicarum usui, quandoquidem & maximæ & celeberrimæ Imperii Urbes ad Vias Publicas erant sitæ.

2. *Civitas* autem significationis origine non *Urbem* notat, sed nationem populumve integrum, aut si vis, cœtum hominum, in societate viventium, iisdemque Magistratibus, Legibus ac Juris conditione in eadem regione utentium. Alii ajunt *Civitatem* consistere non tam in hominum multitudine, quam legibus, disciplina civili & forma reipublicæ, quæ cunctos conjungit.

3. Talis erat vera & genuina hujus vocis significatio, ævo Scipionis Minoris, qui Carthaginem delevit, ut ex Appiano Alexandrino *de Bell. Punic. p. m.* 58. *& seqq.* discimus. Narrat enim, Legatos Carthaginiensium postremo ac iniquissimo pacto cum Romanis pepigisse inter alias conditiones, ut *Carthago libera foret, suisque uteretur legibus*. Censorinus in Africam deinde trajecit, ut datis legibus fieret satis. Poscit, ut arma traderent: tradiderunt. Mox jubet, ut urbe diruenda cederent, & alio migrantes Civitatem transferrent; Obstupefacti Pœni tam insperato mandato, parere noluerunt, quod in SC. esset, *si darent obsides, Carthaginem sinendam esse liberam uti suis legibus, & possidere, quæ haberet*: adeoque *non decere* Romanos *pro acceptis obsidibus libertatem Civitati pollicitos, ultra obsides imperare subversionem ipsius Carthaginis; quam si fas esset illis* Romanis *diruere, quomodo liberam sinerent uti suis legibus?* Respondit Censorinus: *Vos, non vestrum solum, putamus esse Carthaginem*. Scilicet in Rep. eorum esse *Civitatem* innuebat, quæ libera in novis sedibus & integra esset futura. At cum Pœni Carthagine migrare nollent, circumventi hujus vocis *Civitatis* ambiguitate, tandem tantum non inermes devicti, & a Scipione paullo post plane sunt deleti.

1. Idem ergo est *Civitas*, quod Resp. nam neque hæc, neque illa sita est in ædificiis, sed cœtu Civium per easdem leges & jura eadem conjuncto-

rum. Unde non male Pompejus Magnus, accitis Senatorii Equeſtriſque ordinis viris & univerſo exercitu, cum bellum civile adverſus Cæſarem inchoaret in Epiro, pro concione dixit, teſte Appiano *de Bell. Civ. libr.* II. *p. m.* 491. *Etiam Athenienſes urbem ſuam quondam deſeruere, Milites, dum pro libertate bellum gererent, rati viris Civitatem conſtare, non ædificiis.* Idem poſtea ſentiebat Auguſtus Imp. cum in aſpera illa in Cœlibes oratione, apud Dionem Caſſium *lib.* LVI. *p. m.* 659. ajebat: *Neque enim Civitas domibus, porticibus, aut foris hominum inanibus, ſed viris conſtat:* adeoque *Civitas* olim alterutrum horum notabat, aut integram nationem & regionem populi alicujus iiſdem Magiſtratibus legibuſque utentis: aut leges ipſas formamque diſciplinæ civilis, ſecundum quam in cœtu communiter vivebant. Prima ſignificatione Cæſar *Civitatis* voce utitur, cum ait *de B. G.* I. 12. *Omnis Civitas Helvetia in quatuor pagos diviſa eſt:* nos diceremus: *Tout le païs des Suiſſes ſe diviſoit en quatre cantons, regions, ou departemens.* Altera ſignificatione idem paſſim in *Commentariis* utitur, cum legitur *Civitas Remorum, Bellovacorum, Nerviorum, Treverorum, Biturigum*, & ſimiles, ubi non urbes præcipuas ſeu capita regionum intelligit, ſed integram nationem, ſive populum, ſive regionem, cujus incolæ eoſdem agrorum fines incolunt, parique juris conditione utuntur. Verum deinde nomen *Civitatis* Urbibus inditum; non ſimpliciter omnibus, ſed illis, in quibus ſumma Reipublicæ, præcipua auctoritas, Magiſtratus ſupremi & Legum tribunalia ſumma cujuſque provinciæ aut regionis ſedem habebant. Inter primos, quamvis rarius, *Civitatem* pro urbe principe in *Commentariis* Cæſar poſuit: at, quod Cæſaris ævo rarum erat, ſæculis ſequioribus plane uſu vulgari invaluit, ut *Civitas* paſſim notaret *urbem* vel *oppidum*; uti Ptolemæus quoque *in Geographicis* τὸ πόλις, quæ proprie *Civitas* eſt, ſæpiſſime confundit cum τῷ ἄςυ, quod *urbem* vel *oppidum* notat. Ammianus deinde Marcellinus & primi Auctores Chriſtiani, ſimiliter locuti ſunt; & capita urbium per Gallias, ut *Lutetiam, Durocortum, Avaricum*, dixerunt *Civitatem Pariſiorum, Remorum, Biturigum:* quæ ſtyli ratio perdidit priſca principum per Gallias Urbium nomina Celtica, quæ urbes hodie Populorum nomina habent, abolitis olim priſcis nominibus propriis. Licet enim veſtigia quædam nominum horum propriorum reſtent in Auctoribus Græcis & Latinis, adeo tamen immutata, perverſa & aliena ſunt a nominibus regionum, ut difficillime vera priſca & propria nomina Gallica Urbibus præcipuis reſtitui poſſint ope nominum, quibus hodie gaudent, regionum.

6. Quare ſecunda hac & poſtrema ſignificatione in *Itinerario* accipitur, pro *Oppido, Urbe*, nobis *Ville, Bourg:* unde *Urbis Oppidive* nomina nuſquam occurrunt in *Itinerario Antonini*, nec in *Itinerario a Burdegala Hieruſalem uſque*, quod illi ſubjicitur; in quibus ambobus *Civitas* ſemper notat *Urbem* aut *Oppidum*. Quod ad nomina *Urbis* & *Oppidi* attinet, quamvis origine ſint diverſa, revera tamen unum idemque denotant; licet nonnulli ea diſtinguant, & per *Urbes* intelligant, majores & mœnibus cinctas; per *Oppida*, minores, quæ nobis vulgo *Bourgs* appellantur: quæ tamen differentia ab idoneis Auctoribus fere negligitur, aut non obſervatur.

7. Varro *de L. L. lib.* IV. *p. m.* 34. & 35. ſatis oſtendit, dum adfert *Oppidi Urbiſque* etyma, idem utroque ſignificari vocabulo; ait enim: Maximum ædificium eſt *Oppidum ab Ope dictum, quod munitur Opis cauſſa, ubi ſint: & quod opus eſt ad vitam gerendam, ubi habitent tuto; vel Oppida, quod opere munibant mœnia, quo munitius eſſent.* Nec abit a Varrone Feſtus in voce *Oppidum*: *Oppidum*, inquit, *dictum eſt, quod opem præbet. Oppidum dictum, quod ibi homines opes ſuas conferunt.* Pergit *l. l.* Varro: *Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu multa, id eſt, junctis bubus tauro & vacca, interiore aratro circumagebant ſulcum: hoc faciebant religionis cauſſa die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita. Terram unde exſcalpſerant, Foſſam vocabant, & introrſum factum Murum: poſtea, quod fiebat orbis, Urbs. Principium, quod erat poſt murum, Pomerium dictum; ejuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur. Cippi pomerii ſtant & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & Oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab Orbe & Urbo, Urbes: & ideo Coloniæ noſtræ omnes in literis antiquis ſcribuntur Urbes, quod item conditæ, ut Roma: & ideo Coloniæ, ut Urbes, conduntur, quod intra pomerium ponuntur.*

8. At licet *Civitatis* nomen in *Itinerario*, & alibi, pro *Urbe* ſumatur: intercedit tamen inter *Urbem* vulgo ſic dictam & *Civitatem* hæc differentia, quod *Urbs*, qua Urbs, non habeat opus Magiſtratibus legibuſque ſuis ſingillatim & ſeparatim a reliquis urbibus; ſufficit, ut Urbs ſit, muro, vallo, foſſa munitam eſſe. At *Civitates*, præter munimenta iſta, gaudent ſuis legibus Magiſtratibuſque, ſeparatim ab aliis Urbibus: talia ſunt jura & inſtituta Civilia ac Municipalia, nobis *Coutumes Locales*, Civitatum Galliæ. Præcipue autem illæ habebantur & dicebantur Civitates, quæ Senatum quaſi habebant, quales in Municipiis & Coloniis erant *Decuriones*, & *Scabini* in Galliæ urbibus, quos Strabo *Geogr. lib.* IV. *p. m.* 358. *Primores* vocat. *Plurimas*, ait, *Civitatum* Galliæ, *Primores gubernant.* Hinc in Cæſaris *Commentariis de Bello Gallico* Senatus Civitatibus adſcribitur: ſic VII. 32. narratur, *Æduorum civitatem omnem eſſe in armis: diviſum populum in ſuas cujuſque eorum* Convictolitanis & Coti *clientelas*: item II. 4. Civitatis Remorum *omnem Senatum ad ſe convenire* juſſit. Tales *Civitates* etiam hodie dici poſſunt Urbes metropoles ſive capita Provinciarum, quæ ſua ſibi habent Inſtituta Civilia, ſuoſque ſibi Magiſtratus ſub nomine *Scabinatus* aut *Conſilii Publici*. Sic *Lutetia Pariſiorum* proprie eſt & vera *Civitas*, quæ Inſtituta ſua Civilia & ſuum ſibi habet Scabinatum: at omnes Urbes circum vicinæ, quæ iiſdem Inſtitutis Civilibus parent, licet aut amplæ, aut munitæ ſint, non ſunt dicendæ *Civitates*, ſed tantum ſimpliciter *Urbes*. Hanc diſtinctionem *Civitatis* & *Urbis*, ſive inter πόλιν & ἄςυ, agnoſcit & Strabo *Geogr. lib.* V. *p. m.* 400. de Cære verba faciens, *Hæc*, ait, Cæretanorum *Civitas magna inter Græcos gloria, cum hominum fortitudine, tum vero juſtitia claruit: nam cum potentiſſima eſſet, ab latrociniis prorſus abſtinuit. In Pythii Apollinis templo, Agyllæorum nominato, poſitus eſt theſaurus Nam quæ nunc Cære dicitur, quondam nominabatur Agylla, eaque a Pelaſgis e Theſſalia profectis condita fertur. Cæterum Lydis, quos mutato vocabulo Tyrrhenos nominabant, adverſus Agyllæos belligerantibus, murum ſubiens quidam Urbis nomen percontabatur: cui e muro Theſſalus quidam pro reſponſo ſalutem renuncians* Χαῖρε, id eſt, *Salve, inquit. Thuſci bonum hoc accipientes omen, captam urbem ſub mutato vocavere nomine. Verum tam ſplendida, tamque glorioſa quondam Civitas, vix dum hac ætate Urbis veſtigia ſervat.* Idem Strabo *lib.* III. *p. m.* 294. confirmat *Urbis Oppidive* minorem eſſe rationem & dignitatem, quam *Civitatis*: cum innuat, *Turres Vicoſque* appellari quandoque *Urbis Oppidive* nomine, nunquam *Civitatis*. Sic enim loquitur: *Polybius, CCC. urbes illorum* Celtiberorum *a Tib. Grac-*

cho subversas esse, memoriæ prodidit, quod ritu comico in Tib. Gracchi gratiam dictum est ab eo, qui Turres, Urbes appellat, ut in Triumphalibus pompis fieri mos est. Quod ab re nequaquam dictum esse crediderim: nam Imperatores & rerum gestarum scriptores, ut ornatiora efficiant negotia, ad hoc mentiendi genus feruntur. Cum etiam, qui Urbes Hispanorum supra mille fuisse prædicant, huc deduci mihi videantur, ut ingentes vici, Oppida nominentur. Haud enim agri illius ingenium tam multas capere valet Urbes; tum quod sterilis sit, & alienus a moribus nostris, & immansuetus; tum quod eorum victus & actiones longe a littoribus nostris, ad tale aliquid non edoceant: Nam qui per vicos habitant, agrestes sunt: hujusmodi magna ex parte sunt Hispani; Civitates autem comitate & mansuetudine condiunt incolas.

SECTIO VIII.

De Urbium & Civitatum, tam per Italiam, quam per Provincias diversitate ac differentia.

1. *Civitatum varia sunt nomina specialia in Itinerario Antonini.* 2. *Civitatum octo species.* *Colonia.* 3. *Municipium.* 4. *Præfectura.* 5. *Fori nomine urbes duum generum.* 6. *Civitas Fœderata.* 7. *Civitates in provinciæ formam redactæ.* 8. *Unde hæ tot Civitatum species ac differentiæ.* 9. *Tabella omnes hasce species breviter & sub uno conspectu complectens.*

1. CIvitatis nomen est generale, quod complures sub se complectitur species, quæ diversis quoque nominibus in *Itinerario Antonini* occurrunt: quædam enim generatim appellantur *Civitates*, ut *p.* 13. *Itin.*

Maxulam,	*Civitatem.*
Leptim minorem,	*Civitatem.*

Quædam habent, ut sic cum Scholis dicam, specifica quædam cognomina addita, quibus scilicet species ipsa Civitatis denotatur, qua censetur locus, cujus nomini proprio adjunguntur; uti *p.* 3. *Itin.*

Gilvam,	*Coloniam.*
Cisi,	*Municipium.*

& porro similiter.

2. *Civitatis* autem nomine generatim reperio venire octo species urbium munitarum, quas Latini vocant, *Colonias; Municipia; Præfecturas; Fora; Civitates Liberas, Fœderatas, Immunes, & Vectigales*: de quibus singulis breviter dicemus, ut earum intelligatur differentia. A *Colonia* inchoemus. *Coloniæ* autem sunt urbes, in quas S. P. Q. R. & postea Imperatores deducebant partem civium Romanorum, ut ibi sedes suas haberent; &, ut utar verbis Siculi Flacci *de condit. Agror. p. m.* 2. *Coloniæ inde dictæ sunt, quod Populi Romani in ea Municipia miserint colonos.* Coloniæ autem deducebantur, ob unam alteramve ex hisce quinque caussis: primo, ut provinciales & subjectos in obsequio continerent; deinde, ut subitis hostium incursionibus veluti totidem arces & propugnacula Imperii Romani opponerentur; tertio, ut Romanus sanguis, non aliter, atque arbores, magis diffunderetur & propagaretur per universum terrarum Orbem; quarto, ut plebem inopem & Urbi gravem sic exhaurirent; quinto tandem, ut militibus emeritis præmia largirentur.

3. *Municipia* in eo a *Coloniis* differebant, quod *Coloniæ ex Civitate* Romana per Italiam aut Provincias *quasi propagatæ sunt, & jura institutaque Populi Romani, non sui arbitrii, habent.* At e contrario *Municipes veniebant in Civitatem* Romanam, velut aliunde acciti in urbem, sive *sunt Cives Romani ex Municipiis*, sive domi manerent in patria, sive domicilium mutarent, *legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla Populi Romani lege adstricti, ni, inquam, populus eorum fundus factus est:* ut utar hac in re observatione & verbis Gellii *N. A.* XVI. 13. Harum vero tam *Coloniarum*, quam *Municipiorum* frequens est mentio in *Antonini Itinerario*.

4. *Præfecturæ* primum per Italiam sunt institutæ: harum vero conditio præ illa Coloniarum & Municipiorum erat longe durior & deterior. Quod si enim Urbes aut ingratæ Romanis aut iniquæ & perfidæ fuissent; mox ut armis in ditionem erant redactæ, in *præfecturæ* formam, quæ vix erat melior *provinciæ* forma, simul redigebantur. Quemadmodum enim Populis in Provinciæ formam redactis Leges priores atque consueti Magistratus a Romanis victoribus abolebantur, atque illis Provincialibus secundum leges Romanas deinceps vivere coactis mittebantur Roma Proconsules & Proprætores; ita idem fiebat in Urbibus, quæ singillatim in *præfecturæ* formam redigebantur: in has enim mittebantur juri dicundo præfecti, qui simpliciter *Præfecti*, unde hinc *Præfecturæ* dicuntur, non item *Prætores*, appellabantur: neque enim *Præfecturas*, liberas fuisse Civitates, satis apparet ex hoc Ulpiani loco: *Præfecturæ*, ait, *appellantur ex eo, quod in diversis regionibus Magistratus ad Coloniam jurisdictionem mittere soliti sunt. Etenim in Italia Præfecturæ vocabantur, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur: neque tamen Magistratus suos habebant, sed in eas legibus Præfecti mittebantur.* Erat tamen quædam earum Resp. quæ illas Civitatis nomine non omnino indignas præstabat: præter enim *Præfectos* Roma missos juri dicundo, creabant permissu Pop. Rom. & ipsi e sua Præfectura incolæ, qui publicæ curationi alicui præessent, ut ædiles, veluti *Scabinos* nostrates, & quæstores; qui pecuniæ publicæ curam gererent, & publica urbis loca farta tecta, vias munitas, annonam tuerentur Præfecturæ.

5. Urbes, quæ *Fori* cognomine gaudent, quales frequenter occurrunt in *Antonini Itinerario*, ad Vias Imperii Publicas, duumque erant generum: vel enim erant loca nundinationis in Provinciis publica, & veluti mercatus publici, a quo & *Fora*, nostratibus hinc *Foires*, nominantur: audi Festum, *in voce Forum*: *Forum*, ait, *sex modis intelligitur: primo negotiationis locus, ut Forum Flaminium, Forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt, quod etiam locis privatis, & in agris fieri solet*: dicta sunt alias *Conciliabula*: vel deinde erant Urbes, in quibus Proconsules aut Proprætores Provincialibus jus dicebant & conventus peragebant cujusque Provinciæ: sic autem dictæ urbes illæ, quia teste Nonio *de Serm. Latin. cap. Nonnullar. dict. in signif. differentiæ: p. m.* 217. Fora *loca sunt, in quibus jus dicitur*. Festus *l. l. Tertio, cum is, qui Provinciæ præest, forum agere dicitur, cum Civitates vocat & de controversiis eorum cognoscit.* Plerumque autem ad Vias Publicas erant Fora tam negotiationis, quam juris dicundi; & quidem condita a Censoribus, aliisve Magistratibus Romanis, penes quos erat cura Viarum Militarium, cum Vias per Italiam sternerent & provincias; aut a Pro-

consulibus & Prætoribus, cum bellum gererent, aut Provincias obtinerent. Hinc in *Itinerario* legimus exempli gratia per Italiam: *p.* 28. *Forum Flaminium; p.* 68. *Forum Julium; p.* 23. *Forum Appii; p.* 65. *Cassii; p.* 28. & 66. *Cornelii; p.* 67. *Aurelii: p.* 22. *Regium* Lepidi, *p.* 28. *Sempronii; p.* 66. *Livii; p.* 68 *Voconii; p.* 67. *Clodii; p.* 90. *Domitii*, in Hispania; quæ Fora ab auctoribus & conditoribus cognominantur: consule Sigonium *de antiq. jure Italiæ* 11. 15.


6. Veniamus ad *Oppida* sive *Civitates Fœderatas*, quæ nec Coloniæ, nec Municipia, nec Præfecturæ sunt, verum urbes ex lege fœderis Populo Romano debentes aliquam obsequii speciem, uti certum numerum militum ad auxilia: cæterum, hoc obsequii titulo excepto, liberæ erant, gaudentes sua re publica, suis legibus, suisque magistratibus. Quod enim plurimæ Urbes Fœderatæ fuerint cætera liberæ, colligimus ex Suetonii *in Aug. cap.* 47. verbis: *Urbium quasdam Fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate privavit.* Neque enim ullam Civitatem Fœderatam *libertate* privare potuisset, si ante non fuissent liberæ. Imo disertis verbis libertatem Fœderatarum Civitatum Dio Cassius affirmat *lib.* LIV. *p.* 602. *edit. Steph.* cum his majorum suorum leges permissas, quod verum est Libertatis insigne, tradit: verba ejus sunt ex versione Xylandri: *Augustus interim subditos ex Romanarum Legum præscripto composuit: Fœderatos uti majorum suorum institutis permisit: neque quicquam vel illis adimere, vel bello acquirere, sed contentus esse partis statuit.*


7. Huc usque egimus de Urbibus sive Civitatibus libertate gaudentibus, dicamus nunc paucis de illis, quæ in servitute erant, aut, si mavis, quæ ad provinciæ formam redactæ erant; his namque a Romanis adimebantur & suæ ipsorum a Majoribus acceptæ leges & jus Magistratus suo ipsorum arbitrio ex sua civitate legendi. Harum Civitatum tres species videntur fuisse: *Præfecturæ*, de quibus paullo ante egimus; *Civitates Immunes*; & *Civitates Vectigales*. *Civitates Immunes*, quæ in Historia Romana sic appellantur, ut distinguantur a *Liberis*, nobis dicerentur commode: *Villes Franches & exemtes de tribut*: hæ, inquam, revera sub jugo erant servitutis, neque suas habebant leges, neque suis utebantur magistratibus; attamen certis de caussis a tributis conferendis e-

A rant immunes. *Civitates Vectigales* erant, quibus imperabantur tributa & vectigalia ordinaria Provinciæ: hæ inter omnes durissima fuerunt fortuna & conditione. Tales erant fere omnes Galliæ civitates, quas Julius Cæsar in *Provinciæ formam redegit*, id est, si nostra lingua verteremus vim hujus dictionis, *aux quelles il ota la liberté, les privant de leurs anciennes loix & Magistrats, & leur envoyant des Officiers de Rome, pour être leurs juges tant de Police, que de Jurisdiction contentieuse.* Audi ipsum Suetonium in *vit. Jul. Cæs. cap.* 25. *Omnem Galliam, quæ a Saltu Pyrenæ Alpibusque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano* B *continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter Socios ac bene meritas Civitates, in Provinciæ formam redegit, eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.*

8. Atque has Civitatum species in Antiquitate Romana invenio, quarum diversitas ex eo orta, quod plures bellum cum Romanis gesserint obstinatæ & pertinaces: aliæ e contrario, perspecta & cognita Romanorum virtute, justitia, fide erga omnes, pacem servarint, imo sæpius pro ipsis Romanis, adversus horum hostes, arma arripuerint & C bellum gesserint: atque ita quævis Civitas, aut Natio integra, pro meritorum ratione, præmia S. P. Q. R. acceperunt. *Accidit autem*, ut ait Siculus Flaccus *de Condit. Agror. p. m.* 1. *ut ex dissimilibus caussis* Provinciæ *dissimiles haberent conditiones. Civitates enim, quarum conditiones aliæ atque aliæ sunt, (Coloniæ dicuntur, Municipia, quædam Præfecturæ) habent vocabulorum differentias; quæ variatio nominum eliciet earum diversas esse conditiones. Regiones autem dicimus, intra quarum fines singularum Coloniarum, aut Municipiorum magistratibus jus dicendi coercendique est libera potestas. Ergo hæc vocabula non sine caussa accide-* D *runt: quidam enim populi pertinaciter adversus Romanos bella gesserunt: quidam experti virtutem eorum, servaverunt pacem: quidam cognita virtute & justitia eorum, se eis addixerunt, & frequenter adversus hostes eorum arma tulerunt. Leges itaque pro suo quisque merito acceperunt: neque enim erat justum, his, qui toties admisso perjurio rupere pacem, ac bellum intulere Romanis, idem præstari, quod fidelibus populis.*

9. Hac ex tabella commodissime perspicies Civitatum has species & differentiam:





SEC-

SECTIO IX.

De Stationibus Curſus Publici, earumque diviſione in Mutationes & Manſiones.

1. Tria locorum genera ad Vias Publicas notanda, ratione Curſus Publici. 2. Mutationes Manſioneſque in quo conveniant. 3. Cur Mutationes appellentur nobis Poſtes *: earum definitio. 4. Mutationis nomen & pro equis Curſualibus ſumitur. 5. Differentia inter Mutationem & Manſionem. Manſionis definitio. 6. In Itinerario Burdegalenſi plures occurrunt Mutationes, quam Manſiones. 7. Manſio pro itineris diurni ſpatio: & quandoque pro Mutationibus & Manſionibus ſimul. 8. Priſcis Gallis Manſiones vernacule dictas eſſe* Maiſons*: hujus vocabuli etymon. 9. Plurima per Italiam & Galliam loca retinuerunt nomen* Manſiones, *&* Maiſon. *10. Camdeni locus notabilis de Civitatibus, Manſionibus & Mutationibus.*

1. UT Curſus Publici uſus & facilis & promtus eſſet, ad Vias Publicas præcipue erant tria locorum genera, in quibus equi Curſuales diſpoſiti erant, ſcilicet *Civitates*, *Mutationes* & *Manſiones*; nos vernacule dicimus, *Citez*, *Poſtes* & *Giſtes*. De *Civitatibus* dictum, agendum nunc maxime de *Mutationibus* & *Manſionibus*. Quoniam vero tam in his, quam illis ſubſiſtendum erat; in illis, ut *mutarentur* equi curſuales; in his, ut *manerent*, ſive interquieſcerent curſores ac viatores, hinc communi *Stationum* nomine *Manſiones Mutationeſque* venerunt, cum ibi Curſus Publicus veluti ſtaret, ſive ſubſiſteret. Græci σαθμοὺς appellant, quos Suidas ait eſſe *diverſoria currentium de civitate ad civitatem*.

2. Licet autem *Mutatio* & *Manſio* vocabula ſint, quorum origo nemini ignota, uſus tamen & ſignificatio propria illorum, ratione Viarum Publicarum & Curſus publici, adeo obvia & facilis non eſt, quin videatur inquirenda ſingillatim ac de induſtria. Ajo itaque primo loco, *Mutationes* & *Manſiones* in eo convenire, quod ſpecifice, ſi ſcholarum voce licet uti, diſtinguantur a *Civitatibus*. Evidenter hoc apparet in *Itinerario a Burdegala Hieruſalem uſque*, *p.* 139. *& ſeqq.* ubi nullus omnino notatur locus, cui non annotetur aut τὸ *Civitas*, aut τὸ *Mutatio*, aut τὸ *Manſio*. Cum ergo *Mutationes Manſioneſque* diſtincte opponantur *Civitatibus*, quis non videt, tam *Mutationes*, quam *Manſiones* fuiſſe extra urbes ac *Civitates*; uti in villis, vicis, aliiſve locis immunitis ac facilis aditus, ad quæ loca noctu diuque curſu publico commodo accedere licuit, & ſine ulla temporum mora equos curſuales cito mutare ad proſequendum iter: neque enim *Mutationes* & *Manſiones* Curſus Publici Romani quærendæ ſunt in Coloniis, Municipiis, Præfecturis, Civitatibuſve Fœderatis, ſed in *Vicis*, aut *Villis*, utpote in quibus Imperatores fieri curaverant ædificia Curſui Publico accommodando, ubi tam equi curſuales, quam homines & Catabulenſes ad Curſus Publici tutelam & facilitatem erant diſpoſiti. Cave tamen, hinc putes, nullos equos curſuales fuiſſe in urbibus oppidiſque munitis ſepoſitos, præter eos, qui erant diſpoſiti in *Mutationibus* & *Manſionibus*. Cum enim *Civitates* fuerint præcipua loca, ad quæ ducebant Viæ Publicæ, & in quibus majoris momenti res agi ſolebant; neceſſarium utique videtur, ibidem plures fuiſſe equos curſuales; ut illi poſſent iter ſuum proſequi, qui rei publicæ cauſſa, aut ab Imperatoribus, aliquo mittebantur. Colligimus hoc ex *l.* 35. *C. T. de Curſ. Publ. Ang. & Parang.* ubi hæc legimus: *A nullo unquam oppido, aut frequenti civitate, manſione denique atque vico, uno die ultra quinque veredorum numerus moveatur*. Sunt autem *veredi*, qui alias *equi curſuales*, nobis *chevaux de poſtes*.

3. Sed ut ſingillatim de *Mutationibus* dicamus, eas vernacule reddimus *Poſtes*, non quod *Mutationes* Romanorum ac *Poſtæ* Gallorum per omnia ubique conveniant, aut idem ſint; intercedunt enim differentiæ, quas poſtea notabimus, ſed quod tamen conveniant ſingillatim in tot rebus, ut nullum vocabulum exſtet Francogallicum, quod propius exprimat vocem Latinam. *Mutationes* enim Romani hoc ſenſu vocabant certa loca, quæ nos diceremus *Poſtes aſſiſes*, in quibus Imperatores, equos curſuales & vehicula ad Curſum Publicum deſtinata diſpoſuerant, ut horum ope tranſveherentur illi, qui vel literas & mandata Imperatoris perferebant in provincias, vel ſub manum celeriter nunciabant, quid in quaque Imperii provincia gereretur: quandoquidem vero his locis Agentes in rebus, Tabellarii, Curſores Imperatoris equos fatigatos & laſſos *mutabant* aliis, qui per quietem & pabulum erant recreati, uti videmus fieri quoque in *Poſtis* noſtris Gallicis, hinc loca hæc dicta ſunt *Mutationes*; quam vocem Petrus Pithœus JC. *in præfat. ad Itinerar. Burdegal.* p. 138. ſic exponit: *Mutationes ſunt veredorum vel animalium ad iter. Eæ vehiculis & animalibus, eorumque pabulis inſtructæ erant*. Guido Pancirollus paullo clarius *Comment. in Notit. Imp. Or.* 1. 6. explicat: *Loca animalium Curſus Publici, Mutationes dicebantur, ab equis, qui mutabantur*.

4. Ammianus Marcellinus ipſos veredos ſubinde, *mutationem*, vocat: ſic XXI. 7. *p. m.* 228. *Quo*, ait, *rumore* adventus Juliani *perculſus Præfectus Prætorio Taurus, ut hoſtem vitans externum, mature diſceſſit, vectuſque mutatione celeri Curſus Publici*, (nos diceremus: *emporté à toute bride par les chevaux de poſte*.) *tranſitis Alpibus Juliis, eodem ictu Florentium itidem Præfectum ſecum abduxit*.

5. *Mutationes* ſolum Curſui Publico deſtinabantur; at latius patebat *Manſionum* uſus: hæ enim tam Curſui Publico, quam Militi Legionum Romanarum patebant. Prius de Curſu Publico confirmant verba Impp. Valentiniani & Valentis *in l.* 9. *C. T. de Annon. & Trib.* ubi ad Mamertinum P. P. ſcribunt: *Tabulariorum fraudes ſe reſecaſſe per ſuburbicarias regiones vir clariſſimus Anatolius Conſularis miſſa relatione teſtatus eſt: quod pabula, quæ hactenus ex eorum voluntate atque arbitrio, ad mutationes manſioneſque ſingulas, animalibus curſui publico deputatis repente atque improviſe ſolebant convehi, nunc in conſilio ratione tractata, pro longinquitate vel moleſtia itineris, ab unoquoque oppido, certo ac denunciato tempore, devehi ordinavit: quod jubemus, ut etiam per omnes Italiæ regiones pari ratione ſervetur*. Militi quoque Legionum Romanarum patuiſſe *Manſiones* innuunt illi, qui definiunt, eas *eſſe ſtationes, in quas ſe milites expeditionis tempore quieſcendi cauſſa recipiebant; quæ annonis & pabulis ex vicinorum collatione inſtruebantur*.

6. *Manſionem* vernacula noſtra lingua reddimus *Giſte*, quod in ea Curſores ſoleant manere & ſubſiſtere, cum ita *Manſiones* eſſent diſpoſitæ, ut altera ab altera abeſſet unius diei itinere, diviſo in plures *Mutationes*, ut apparet ex *Itinerario Burdegalenſi*, in quo locorum, urbium, vicorum villarumque nomina propria, appoſitam habent *Civitatis*, *Mutationis* & *Manſionis* denominationem. Plures autem annotantur *Manſiones*, quam *Civitates*, & multo plures *Mutationes*, quam *Manſiones*; exempli gratia *p.* 140.

Fit a Burdigala Arellate usque, Milia CCCLXXI.
Mutationes XXX. *Mansiones* XI.

Item *pag.*142.

Fit ab Arillato Mediolanum usque Mil. CCCLXXV.
Mutationes LXIII. *Mansiones* XXII.

Quod si in editione illius *Itinerarii* in collectione inveniantur plures *Mansiones*, quam *Mutationes*, ut duobus tribusve locis contigit, facile ex accuratiore collectione apparebit, esse errorem & numerorum trajectionem, uti *pag.* 146.

Fit a Serdica Constantinopolim Mil. CCCCXIII.
Mutationes XII. *Mansiones*. XX.

si quis enim hic ad calculos sedeat & singulas *Mansiones Mutationes*que computet, inveniet *Mutationes* XIX. & *Mansiones* XV. in supputatione; quare lege & restitue.

Mutationes XIX. *Mansiones* XV.

7. Cum igitur unaquæque *Mansio* finiret iter unius diei, hinc *Mansio* etiam ponitur pro itinere unius diei. *Sic* Plinius Arabiam *Mansionibus* dimetiens, ait *H. N.* XII. 14. esse *caput regni* Sabæorum *Sabotam, in monte excelso, a quo octo mansionibus distet regio eorum thurifera, Saba appellata, quod significare Græci mysterium dicant*. Alibi de itinere Copto Berenicen in Ægypto agens *H. N.* VI. 23. illud per *Mansiones* dividit, sic dispositas, ut equi, cameli, cætera jumenta in illis potum agi possent, unde *Aquationes* & Græce Ὑδρεύματα dicebantur. *A Copto*, ait, *Camelis itur, Aquationum ratione Mansionibus dispositis*. Itaque *Mansiones* dictæ sunt, a *manendo*, quod ibi per noctem *manerent*. Attamen in *Itinerario* quandoque *Mutationes* & *Mansiones* simul sub eodem soloque nomine *Mansionum* comprehenduntur, uti *p.* 69. *Beneventum Mansionibus, quibus & in Prænestina*: ubi omnia Viæ Prænestinæ loca sub *Mansionum* nomine intelliguntur, cum tamen in illis tam *Mutationes* sint, quam *Mansiones*: sic *p.* 88. *Iter de Italia in Hispanias a Mediolano Vapincum trans Alpes Cottias, Mansionibus suprascriptis*.

8. Cæterum nostri Francogalli veteres dixerunt *Mansiones* hasce *Maisons*. *Maison* enim a τῷ *Mansio* deducitur eadem ratione, qua a *Ratione* fit *Raison*, a *Satione* formatur nostrum *Saison*, a *Potione* derivatur *Poison*: quæ vocabula in nostra lingua vernacula ab origine in alias significationes migrarunt. Τὸ *Poison* enim non significat *Potionem*, sed venenum, unde fit nostrum *empoisonner*, id est, toxicum aut venenum alicui miscere & sic eum e medio tollere; quod plerumque in potione, poculisve præbebatur. Τὸ *Saison* item non notat *Sationem*, sed tempestivitatem, aut quamvis anni partem: idem accidit τῷ *Maison*, quod primo denotabat *Mansiones* Cursus Publici ad Vias Publicas, & postea demum migravit in significationem domus.

9. *Multa ex his loca* proinde *in Italia & Galliis etiam hodie antiquum nomen retinent*: *Mansiones enim seu Masiones vocantur*; ut ait Guido Pancirollus *l.l.* I. 6. Hæ *Mansiones* non erant insulæ, aut domus & ædes solitariæ ac singulares, sed villæ ac vici toti, quos *Mansionum* nomine vocabant, quod ibi Cursores publici Imperatoris *manerent*, sive interquiescerent & stativa nocturna haberent. Aut si fuerunt subinde quædam ædificia separatim structa & ad *Mansiones* destinata Cursoribus publicis, uti quoque vero videtur simile, lapsu tamen temporum paullatim in Villas Vicosque abierunt integros. Talis fuit *Bona Mansio* inter Sardicam & Philippolim in Thracia, unde Valentinianus & Valens AA. ad Victorem Magistrum Militum scripserunt, ut licet videre ex *l.* 12. *C. T. de Erog. militar. annon.* ubi in fine hæc leguntur: *Datum* VI. *Kal. Jan. Bona Mansione: D. Joviano & Varroniano Coss.* Hinc etiam venerunt nomina locorum: *Haute-Maison, Vieu-Maison, Malle-Maison*, & similia, quæ & hodie per Francogalliam, præcipue per Galliam Belgicam, occurrunt.

10. Hucusque interpretati sumus vocabula *Itinerarii Antonini*, quæ ad Vias Publicas terrestris itineris attinent: de reliquis, quorum mentio facta supra *sect.* VI. §. 1. cum ad Iter maritimum referantur, agemus infra *sect.* XLVIII. ubi iter maritimum persequemur. Claudam hanc disputationem verbis doctissimi Camdeni, *ex Tract. qui inscribitur Romani in Britannia*, *p.* 45. ubi ait: *Ad has Vias* Militares, *locatæ sunt Civitates atque Mansiones, quæ manendi & quiescendi caussa, hospitia necessariis ad vitæ usum instructa habuerunt; & Mutationes: sic enim vocavit illa ætas, ubi veredos, jumenta, & vehicula mutarunt peregrinantes. Qui ad hæc igitur loca in Antonini Itinerario memorata Vias non quærit, a vero & a via procul dubio aberrabit.*

SECTIO X.

De variis Animalibus, Jumentis, ac Vehiculis, quæ in Mutationibus & Mansionibus erant disposita.

1. *In Mutationibus ac Mansionibus fuisse varia Animalia publica, Jumenta, ac Vehicula*: 2. *ut Equos*. 3. *Equi Cursuales Cursui Publico serviebant aut singulares, aut juncti ad vehicula. Equorum Cursualium mira celeritas*. 4. *Vehiculorum Cursus Publici mira celeritas*. 5. *Varia & diversa erant Vehicula in Mutationibus & Mansionibus Cursus Publici: primus eorum Auctor*. 6. *Differentia inter Rhedas & Birotas*. 7. *Qua ratione conveniant Rhedæ & Carpenta cum vehiculis, quæ hodie* Coches *appellamus. Carpentarii, nobis* Cochers. Coche *vox Hungarica*. 8. *Boves quoque & Asini erant in Mutationibus & Mansionibus ad Cursum Publicum.*

1. QUoniam Viæ Publicæ Imperii non solum serviebant Cursui Publico, sed & pluribus aliis commodis ad publicam utilitatem, hinc non solum *Equi* in *Mutationibus* ac *Mansionibus* erant dispositi; sed etiam *Muli, Boves, Asini*, ut pro re nata commodis & utilitati boni publici servirent. Porro etiam *Vehicula* varia ac diversa ibidem erant disposita, quorum nonnulla tam Cursui Publico serviebant, quam transvehendis vectigalibus, tributis, armis, annonæ, mercimoniis.

2. Equos in *Mutationibus Mansionibusque*, qui publicis impensis alebantur, fuisse dispositos, docet clarissime Zosimus *lib.* II *Histor. inter Scriptores Hist. August. edit. Lugd.* 1592. *p. m.* 773. *Tom.* II. ubi hæc narrat: *Constantinus natus ex consuetudine mulieris, quæ materfamilias non esset, nec in manum Imperatori Constantio legitime convenisset, jam dudum cum animo suo de Imperio cogitans, & modo cupiditate majore accensus, ex quo Severus & Maximinus dignitatem Cæsaream consecuti fuerant, ea loca relinquenda statuit, quibus in locis agebat, & ad Constantium Patrem proficiscendum, qui apud nationes Transalpinas erat, & in Britannia plerumque vivebat. Veritus autem, ne forte fugiens apprehenderetur, quod compluribus jam notissimus esset amor imperii, quo fla-*

grabat, equos stabularios, quos alebat res publica, quam primum aliquod stabulum attigisset, mutilans & inutiles reddens, quotquot ad iter ulterius restabant, iis utebatur: quod cum facere non desineret, persequentes excludebat, quo minus ulterius progrederentur, & ipse propius ad eas nationes accedebat, apud quas Pater erat. Hi sunt, qui in *l.* 64. *C. Th. de Curs. Publ.* appellantur *Equi Cursuales*.

3. Cursui Publico in primis deputati erant *Equi* & *Muli*. *Equi* serviebant vel *singulares*, ut in *Postis* nostratibus Gallicis fieri solet; vel ad vehicula, rhedas, carpenta subjungebantur, ad vehicularem scilicet Cursum Publicum. *Equi singulares* præcipue ferendis hominibus & sarcinis ac fasciculis literarum & rescriptorum Imperatoris, sive illæ literæ Imperatoriæ singillatim ad unum aliquod negotium & caussam attinerent, cui subito erat prospiciendum, ne quid mora adferret detrimenti; sive forent epistolæ a Magistratibus & Potestatibus, item illis, qui rei bellicæ præerant in imperiis, missæ ad Imperatorem ejusque Consilium super jure dubio & controverso, & vicissim rescripta Principum, super quæstione & consultatione proposita, edicta, constitutiones, placita. Tales sub epistolarum forma sunt tot leges Codicis Theodosiani & Justinianei ad Potestates, sive Magistratus Provinciales, & rei militaris Præfectos: his denique literis omnis regebatur orbis Romanus: adeoque non male dixeris *Epistolas* tales esse negotiorum Publicorum animam, quarum ope cum absentibus, ceu coram præsentibus, licet agere mirifica celeritate beneficio Cursus Publici, quo, *mox ut scriptæ sunt, velocissime, tanquam ab avibus, deferebantur*, ut loquar cum Aristide *Orat. ult. Tom.* III. cujus locum jam laudavimus supra *Sect.* IV. *§.* I.

4. Equorum quoque ad vehicula subjunctorum, sive Cursus Vehicularis Publici per Vias Publicas admiranda plane erat celeritas, quod harum æqualis superficies facilem redderet cursum. Miræ velocitatis exemplum hoc narrat Plinius H. N. VII. 20. *Nunc quidem*, ait, *in Circo quosdam* CLX. *M. P. tolerare non ignoramus: nuperque Fontejo & Vipsanio Coss. annos* IX. (ut alii Codd. mss. & Solinus *c.*4. habent, *annos* VIII.) *genitum puerum a meridie ad vesperam* LXXV. *M. P.* (ut alii mss. & Solin. *l. l.* habent, XLV. *M. P.*) *cucurrisse; cujus rei admiratio ita demum solida perveniet, si quis cogitet nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus* (nos diceremus: *chariots de relay*.) *Tiberium Neronem emensum, festinantem ad Drusum fratrem ægrotantem in Germania: in eo fuerunt* CC. *M. P.* missus enim erat ab Augusto in Germaniam, ad primum nuncium adversæ valetudinis Drusi Germanici, atque iter hoc Lugduno inchoabat. Sane horis XXIV. peragere C. Leucas Francicas cursu vehiculari, illud non currere, sed volare est; nec putem ullum Cursorem Publicum per nostram Galliam, vel equis cursualibus singularibus, tantam celeritatem æquare ausurum. Imo ipsi quoque Imperatores per Vias Publicas cursu publico, exiguo tempore, ab altero Orbis extremo ad alterum, raptim proficiscebantur. Audi Mamertinum *in Genethliaco Maximiani p. m.* 299. *inter Panegyr Vett. ed. H. Steph. Illum* Diocletianum *modo Syria viderat, jam Pannonia susceperat: Tu modo Galliæ oppida* Maximiane *illustraveras, jam summas arces Monœci Herculis præteribas. Ambo cum ad Orientem Occidentemque occupati putaremini, repente in medio Italiæ gremio apparuistis. Hos fructus capitis operum maximorum.*

5. Sed conscendamus rursus *Vehicula*. Ea erant variæ & diversæ formæ, ac in *Mutationibus Man*

A *sionibusque* ad usum Cursus Vehicularis publici disposita. Ex Suetonio *in Aug. c.* 49. & Auctorem primum & caussam Vehicularis Cursus instituti discimus, cum ait: *Quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset, quod in provincia quaque gereretur, Juvenes primo modicis intervallis per Militares Vias, dehinc Vehicula disposuit: commodius id visum est, ut qui a loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.*

6. *Birotæ* vero & *Rhedæ* in vehiculari Cursu per Vias Publicas in usu erant. *Birotæ*, unde etiam sic dictæ, duabus rotis erant, *Rhedæ* vero quatuor
B rotarum: differentia earum notatur in *l.*8. *C. T. de Curs. Publ.* quæ Constantii Aug. est: *Statuimus Rhedæ mille tantum pondo superponi, Birotæ ducenta, Veredo triginta: non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo Mulæ jungantur ad Rhedam, æstivo videlicet tempore; hyemali decem: Birotis trinas sufficere judicavimus.*

7. *Rhedarum* rursus variæ erant species ad Cursum Publicum Vehicularem: inter eas *Carrus*, a quo nostræ voces *Char* & *Charette*, cui *sexcentarum librarum pondus imponi debet, non amplius*, secundum *l.* 47. *C. T. d. t.* Verum magis in usu erat *Rheda* proprie dicta, cui Equi Publici frequentius
C subjungebantur & aptabantur, unde hi dicti *Veredi*, a *vehenda rheda*, secundum Festum in *Veredus*; ubi ait: *Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est, ducerent*: hinc *Veredarii*, qui nobis *Postillons*. Hæc appellatio *Veredorum* mansit Equis Publicis, postquam rhedis abjuncti & hominibus singulis singuli & solum gestandis deputati fuerunt. Frequentissimus usus Vehiculi Justinianum Imp. videtur movisse, ut *Rhedam currentem* vocarit §.48. *ult. Inst. de R. D.* de qua constituit, ut si quid *ex ea, non intelligentibus Dominis cadat*, illud non sit ejus, qui inve-
D nit, sed Domini maneat; committatque furtum, si quis lucrandi animo tale quid nactus abstulerit.

8. Porro & species Vehiculi in Cursu Publico frequentis usus fuit, quod dicebatur *Carpentum*, cujus usum & inventionem nonnulli antiquiorem *Rheda* putant: neque tamen putem, magnopere diversa fuisse *Carpentum* & *Rhedam*, cum iisdem legibus de illis sit eodem modo constitutum: sic in l. 30. *C. T. de Curs. Publ.* Valentinianus & Valens AA. *Perspicue sanxeramus, ut in Carpentis Rhedarum mensuram subditam nullus excederet, & nemo amplius Rhedæ, quam mille pondo; Angariæ, quam mille quingenta; Veredo, quam tri-*
E *ginta auderet imponere*; item in *l.*18. *§.* 1. *C. T. eod. Illud etiam sublimitas tua omni cautione observari præcipiat, ne amplius in singulis quibusque Carpentis, quam bini, aut, ut summum, quam terni homines invehantur*: & in l.20. §.1. *C. T. eod. Illud quoque adjectum est, ne quidquam oneris Vehiculis publicis cumulatius, quam ratio fiscalis posceret, superponeretur; siquidem non amplius in singulis quibusque Vehiculis, quam binos, aut, ut summum, ternos sedere præceptum sit.* Cæterum puto dicta ista *Vehicula, Rhedas, Carpenta* valde convenisse cum nostris vehiculis, quæ *Coches* vul-
F go vernacule vocamus, voce ab Hungaris mutuata, a quibus & prima eorum inventio ad nos pervenit. Qui agebant Vehicula, Romanis *Carpentarii* generatim dicebantur ab antiquissimo ejus vehiculi genere. Sic etiam nos hodie appellamus *Cochers*, eos, qui agunt currus illos pensiles, quos vocamus *Carrosses*; scilicet prius & antiquius vehiculi genus, recentioris vehiculi aurigis nomen transmisit.

9. *Boves* etiam, sicut & *Asini*, Cursui Publico per Vias Militares inserviebant; sed tantum plaustra

sarcinis onusta vehentes & trahentes. Julianus vero Imp. *Mulos*, *Boves* & *Asinos* a vectura Publica amovit, solum equis ad currendum usus, ut scribit Socrates *Hist.Eccl.*III.1. *in fin.* Sed eos alii Principes ad usum publicum restituerunt: neque enim Viæ Publicæ solum Equis Cursualibus serviebant, sed etiam persequendis & pervehendis pecuniis fiscalibus, annonæ, vestibus, mercimoniis aliisque necessariis; *arg. l.* 11. §. 3. & 4. *ff. de Muner. & Hon.* Ideo ad *Clabulas*, quæ vehiculi species sunt, jungebantur & aptabantur *Boves* aut *Asini*, unde ab hac vectura Cursus Publicus subinde appellatur *Vehicularis* & *Clabularis*, ut in *l.* 62. *C. T. de Curs. Publ.* & apud Ammianum Marcellinum *Clavularis* XX.3.*p.m.* 192. *Julianus contemplans eorum rationabiles querelas, cum familiis eos* (Petulantes *) ad Orientem proficisci præcepit, Clavularis cursus facultate permissa.* Itali jam olim publicis vehiculis, quæ *Coches* vocantur, quibus a civitate ad civitatem proficiscerentur, passim per urbes celebriores a Principibus suis sunt ornati & instructi, quorum ad exemplum Carolus IX. Gallorum Rex anno Christiano CIↃ.IↃLXXI. primus instituit publica vehicula, nobis *Coches*, quæ Parisiis Aurelianum ultro citroque commearent. Deinde ad utilitatem & commoditatem publicam plurimorum, per omnes Galliarum urbes celebriores in usum illa ubique sunt tracta; ut narrat *Joh. Dongois, in lib. vernaculo, quem Promtuarium* inscripsit.

SECTIO XI.

Quid sit Calcearium; & unde mos ortus, ut Cursores Publici Romani excalceati per Vias Publicas cursitarent.

1. *Cursores Publici etiam pedibus cursitabant.* 2. *Calcearium, pensio certa in calceos emendos.* 3. *Hæc pensio a Vespasiano est sublata, sub quo & deinceps excalceati Cursores cursitabant.* 4. *Musonii rationes, melius esse nudis pedibus Tabellarios incedere, quam calceatos.* 5. *Calceatum esse, est quasi esse ligatum.* 6. *Phocio & Cato excalceati nudis pedibus incedebant.*

1. MOs ille, ut quoque pedibus per Vias Publicas Cursores publici cursitarent, non fuit omnino abolitus post instituta vehicula publica. Permansit enim ille mos Tabellariis publicis & Statoribus, qui, ubi res exigebant, mitti solebant, & qui hinc aliquid *Calcearii* nomine sibi petebant constitui.

2. Donativum hoc, *Calcearium* vocabatur, eadem ratione, qua dicimus *Vestiarium*, *Salarium*, *Hordearium*. Benedictus Balduinus, Ambianensis, *de Calceo Antiq.* c. 21. ait, *Calcearium fuisse certam pecuniæ pensionem, quæ in calceos emendos erogabatur.* Tale etiam est Legatum *Calcearii*, cujus meminit in *l.*21. *ff. de Alim. vel Cib. leg.* Ulpianus: *Diariis vel Cibariis relictis, neque Habitationem, neque Vestiarium, neque Calcearium deberi palam est: quoniam de cibo tantum testator sensit.* Huc etiam refer, quod narrat de Calceario Reginarum Ægypti Herodotus *l.b.* II. sive *Euterpe p. ed. Steph. G. L.* 55. *Lat. Wechel. p.* 123. *A mari & Canobo Naucratem versus per Campum ad Anthyllam urbem venies, & ad urbem, quæ vocatur Archandri. Harum urbium Anthylla, quæ est insignis, datur peculiaris in calceamenta uxori semper ejus, qui in Ægypto regnat.*

3. Hoc *Calcearii* donativum a Vespasiano Imp. sublatum & abolitum est, importunitati, credo, efflagitantium illud Classiariorum evitandæ: narrat hoc Suetonius *in Vespas. c.* 8. *Classiarios, qui*

A *ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes, constitui aliquid sibi Calcearii nomine, quasi parum esset, sine responso abegisse, jussit post hæc excalceatos cursitare, & ex eo ita cursitant.*

4. Musonius Philosophus in libro *de Vestimentis* apud Stobæum *Serm.* 1. *edit.* 3. *Tigurinæ* 1559. testatur, sua quoque ætate Tabellarios cursitasse excalceatos, ut essent eo expeditiores & agiliores: ita enim loquitur ex versione Conradi Gesneri: *At discalceatum incedere præstantius est, quam calceari: propemodum enim dixerim, calceatum esse,* B *perinde esse, ac colligatum & vinctum esse. Cæterum immunitas calceorum multum facilitatis & agilitatis præbet pedibus, si exercitati fuerint. Unde Tabellarios videre est, non uti calceamentis in viis: atque ex athletis cursores non posse servare celeritatem, si opus sit ipsos currere in calceis.*

5. Non abit ab hac sententia Clemens Alexandrinus *Pædagog.* II. 11. cum ait: *Pulcre convenit nullos habere calceos; præterquam si militet. Calceatum enim esse, non parvam habet affinitatem cum eo, quod est esse ligatum. Optimum exercitationis genus est, nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohi-* C *beat necessitas.*

6. Neque hoc valde mirum aut absurdum videri debet, cum illo & priore ævo Viri etiam maximi, excalceati & nudis incedere pedibus non dubitarint, uti Phocio apud Athenienses, Cato Uticensis apud Romanos: de illo Plutarchus testis est *in vit. Phocion. c.* 6. *Ruri aut militiæ nudus semper & absque calceis incedebat, nisi frigus vehementissimum & intolerabile incidisset; ita ut per jocum etiam milites intensum gelu significari amicto Phocione dicerent:* de hoc Catone idem Plutarchus *in vit. Cat. Minor. c.*9. narrat: *Sæpe nudis pedibus & sine tunica post prandium in publicum prodiit, non* D *gloriæ venandæ studio, sed adsuefaciens se, ne cujus ipsum rei, nisi turpis, puderet:* ita quidem reddit utrumque locum Xylander. Lycurgus etiam Lacedæmoniorum pueros voluit sine calceis incedere, ut testis est auctor gravissimus Xenophon *de Lacedæm. Rep.edit. Wechel. G. L. p.* 677. *Lat.ejusd. p.* 31. *Tom.* II. Cujus verba ex versione generosi Leonclavii hæc sunt: *Pro eo vero, quod alii calceis pedes emollirent,* Lycurgus *jussit, ut nuditate pedes duriores efficerent. Existimabat enim futurum, si ad hoc semet exercitarent, ut multo facilius ardua loca conscenderent, per declivia tutius descenderent, exsilirent, prosilirent,* E *currerent discalceati, siquidem pedes adsuefecissent, multo expeditius, quam calceati.*

SECTIO XII.

De numero Equorum Cursualium in Stationibus, & eorum pabulis, secundum Civitates, Mutationes & Mansiones per Imperatores Romanos dispositis.

1. *Ordo dicendorum de Equis Cursualibus, eorumque Pabulis.* 2. *Numerus Equorum Cursui Publico in Mutationibus & Mansionibus deputato-* F *rum.* 3. *Quot Veredi uno die moveri potuerint.* 4. *Equi Agminales unde dicti.* 5. *Quota pars Veredorum, & quorum impensis fuerit quotannis reparata.* 6. *Quot Rhedæ per singulos dies emitti potuerint.*

1. COnstituimus ad Vias Publicas maxime triplicem stationem, quæ Cursui serviret Publico, *Mutationum* scilicet, *Mansionum* & *Civitatum*. Illas Stationes jam ornabimus Equis &

Vehiculis, illorum pabulis, horum cura. Initium faciemus ab illis, quæ omnibus tribus Stationibus erant communia, deinde ad singularum stationum propria descendemus.

2. Et quidem primo hoc omnes hæ tres Stationes habebant commune, quod in singulis certo numero Equi alerentur Cursui publico destinati, præter mulas, aliaque animalia, & jumenta de quibus supra agimus *sect.* x. §§. 1. 2. 3. 9. Numerus vero Equorum Cursualium pro Stationum diversitate varius fuit. In *Mutationibus* ad minimum viginti Equos dispositos fuisse, reperio. Colligo hoc ex Constantini Aug. *l.* 3. §. 2. *C. T. de Curs. Publ.* verbis: *Quæ enim mala nostris Provincialibus inferantur, conjici ex eo etiam potest, quod nostris itineribus, quos publica utilitas monet, magna atque anxia dispositione vix vicenorum Agminalium numerus subministrari queat.* Quod ad *Mansiones* attinet, Procopius *loco supra sect.* v. §. 4. *laudato* dicit disertis verbis, si Johannis Vincentii Pinelli versionem sequamur, *Quadraginta vero Equi in singula Mansione stabulabantur.* In *Civitatibus* putem parem, & forte majorem Equorum Cursualium fuisse numerum, licet classicum ejus rei testem non possim producere. Equis autem stramina, paleæ, fœnum, hordeum, avena & cætera ad pabulum necessaria in istis Stationibus aderant. *Pabula* enim ad *Mutationes Mansionesque singulas, Animalibus Cursui Publico deputatis solebant convehi*; ut docemur in *l.* 9. *C. T. de Annon. & Trib.*

3. Porro in nulla harum trium Stationum uno eodemque die & loco simul moveri omnes Equi Cursuales poterant, sed tantum certus eorum numerus, ne publica necessitate superveniente Equi deessent: audiamus Impp. verba, Valentis, Gratiani & Valentiniani AAA. in *l.* 35. *T. C. de Curs. Publ. A nullo unquam Oppido, aut frequenti Civitate, Mansione denique, atque Vico uno die ultra quinque veredorum numerus moveatur; ac si quis eorum, qui Præpositi vocantur, aut Mancipes, Publico denique Cursui nomine aliquo præsunt, hunc, quem præscripsimus modum, patiatur excedi, severissima sinceritatis tuæ auctoritate compescetur, aut militans exauctoritatem subibit, aut decurio vel manceps relegatione annua plectetur. Hi autem, qui supraſcriptum numerum supergredi molientur, cujuscunque sint honoris aut nominis, quinque argenti libris in unius veredi usurpatione multentur.* Deinde Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. hos quinque veredos uno auxerunt, *l.* 40. §. 1. *C. T. eod. Sane, ut etiam agendi itineris possit esse moderatio, seni Veredi, singulæ etiam Rhedæ per dies singulos dimittantur.* Justinianus denique Aug. sive sub ejus nomine Tribonianus, hanc legem interpolatam & ad *denos* auctam *Veredos* retulit in *l.* 8. *C. eod. Ut agendi itineris possit esse moderatio, deni Veredi per dies singulos ex utraque parte dimittantur: pœna quinque librarum auri minime defutura contra eos, qui statuta nostra neglexerint.* Duobus tamen casibus illum numerum quinarium licebat supergredi, qui referuntur in *d. l.* 35. *C. T. eod. Si tamen necessitas major coegerit, super solennem numerum, jubemus admitti, quos aut sacras literas ferre constiterit, aut habere in Evectionibus adnotatum: VT ALIQVA DE CAVSSA INSTANTIVS IRE JVBEANTVR; quod vel Spectabilis Viri Officiorum magistri, vel sinceritatis tuæ literis oportebit adscribi, ut exstet evidens caussa, quæ præscriptum legis excedat.*

4. Equi hi Cursuales nunquam cursitabant soli, sed turmatim, & saltem unus ex familia ad Cursum Publicum deputata comitabatur, unde Equi Cursuales sæpe vocantur *Agminales*, ceu diceres nostra lingua *Chevaux de compagnie*, ut in *l.* 3. & 6. *C. T. eod.* Hos autem Equos, non fustibus, sed tantum virga aut flagro admonere licebat, *l.* 2. *C. T. eod.* ne Cursui Publico per sævitiam cogentium redderentur inutiles: sic enim *in d. l.* Constantinus Aug. sancit: *Quoniam plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia Animalia publica cogunt, quicquid habent virium, absumere placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro, cujus in cuspide infixus brevis aculeus, pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere, non ut exigat tantum, quantum vires valere non possunt: qui contra hanc fecerit sanctionem, Promotus regradationis humilitate plectetur, Munifex pœnam deportationis excipiat.* Sic hodie & in *Postis* nostratibus Equos Cursuales tantum virga flagrove admonere licet.

5. Quandoquidem autem Equi Cursuales brevi attriti aut senio subinde defecti erant, hinc consueverant plerumque singulis annis reparare quartam partem Veredorum in stabulis publicis Provinciarum Prætoriarum ac Præsidialium: in Proconsularibus Provinciis non adeo ad numerum attendebant, quam quantum necessitas postularet, ut videre licet ex *l.* 34. *C. T. eod.* Quod si pecunia publica deficeret, sumtu Provincialium fiebat hæc Veredorum reparatio, ut & pabulorum ad eos alendos necessariorum. Quin imo & privatorum Equi pro necessitate Cursus Publici sub titulo præbitionis operarum sive parangariæ cogebantur. Equi autem isto modo coacti dicebantur *Paraveredi*, ceu diceres Equos extraordinarios & supernumerarios, quo nomine distinguebantur a *Veredis*, ceu ordinariis & publicis. Prohibuit sua ætate Constantius Imp. Provinciales Paraveredorum ratione compelli, ne Cursus Publicus illis esset oneri: sic enim *l.* 19. *C. h. t. Comperimus Provinciales & pabula & pecuniam pro cursu Equorum Cursualium solenni ratione conferre; & extrinsecus etiam Paraveredorum onere prægravari. Provinciarum igitur Rectores procurent, ne unquam Cursus Publicus veniat in querelam, & occasio deceptionis Curiales vel Provinciales animalia indebita præstare compellat.*

6. Ea, quæ huc usque disputavimus, Equos Cursuales respiciunt singulares, hominibus præcipue ferendis deputatos: quod vero ad Rhedas a mulabus, bubus asinisve tractas, de illis itidem *l.* 40. *C. T. h. t. supra* §. 3. a nobis allata constituit, *ut singulæ etiam Rhedæ per dies singulos dimittantur.*

SECTIO XIII.

De Præpositis Cursus Publici, in Civitatibus, Mutationibus & Mansionibus.

1. *Mancipium, species quasi servitutis, non quidem perpetuæ, sed ad certum tempus.* 2. *Mancipes in singulis stationibus Cursum Publicum curabant.* 3. *Perfectissimatus dignitas collata Mancipibus post quinquennium gestæ curæ Cursus Publici.* 4. *Mancipes dicti Præpositi Mansionum: eorum munus & officium.* 5. *Erant suis regionibus & stationibus præstituti, & quodammodo adjuvabantur a Judicibus & Curiosis.* 6. *Stratores Cursui Publico deputati.* 7. *Catabulenses, Catabulum.* 8. *Ad Catabulum damnabantur nocentes, & Christiani sæpe sub Imperatoribus Paganis.* 9. *Hippocomi & Muliones in Stationibus Cursus Publici, eorumque opus.* 10. *Mulomedici in iisdem.* 11. *Animalia Publica eorumque pabula, & Vehicularium munus Provincialium sumtibus sustentabantur; quæ Severus a privatis ad fiscum transtulit.*

1. Civitates, Mutationes & Mansiones hoc præterea habuerunt commune, ut Cursus Publici exercitatio, cura & sollicitudo, quæ *Mancipium* dicebatur, in illis esset, & huic præpositi, *Mancipes*. Erat *Mancipium* hoc quasi servitutis quædam species, non quidem perpetuæ, sed ad certum tempus, lege definitæ: sic ut qui huic muneri onerique publico deputarentur, non potuerint ante legitimum ejus tempus eo aut abire, aut illud ultro deponere.

2. *Mancipes*, nos diceremus, *Commis des Postes*, constituebant Præfecti Prætorio, ut colligimus ex inscriptionibus & simul verbis *l.* 26. *&* 36. *C.T. de Cursf.Publ.* qui singulis stationibus singulos *Mancipes* suos præponebant & locabant, *l.*23. *C.T.eod.* hi *Mancipatum* Imperatori in Cursu Publico repræsentare debebant, *l.*46.*C.T.eod.* per quinquennium, quod implere debebant; *l.*42.*C.T.eod.* sed supra lustrale tempus cura non imminebat Mancipatus, *l.*36. *C.T. eod.* quo devoluto perfuncti, libere abire permittebantur, inter *Perfectissimos* referendi, aut, *Perfectissimatus* dignitate honestandi, *d.l.*36.*C.T.* hæc autem dignitas est inter eas, quas Constantinus M. excogitavit & in usum vocavit, ut bene meritos de suo Imperio viros honestaret. *Constantinus enim*, uti observat Eusebius *de vit.Constant.*IV.4. *ut plures extolleret, multa honorum genera adinvenit*.

3. *Perfectissimi* hi quartum habebant dignitatis gradum inter quinque illas, quas adinvenit Constantinus M. Minoris enim dignitatis honore & gradu erant, quam *Illustrissimi*, *Spectabiles* & *Clarissimi*; at erant supra *Egregios*. Privilegium habebant, ne ipsi vel eorum liberi, usque ad pronepotes, criminis caussa torqueri possent, nec plebejorum pœnis subjici: quare nec in metallum damnari, nec furcæ affigi, nec vivi exuri consueverant, nec fustibus cædi: sed tamen tum demum *Perfectissimatus impetrati codicillis fruebantur, si abhorrerent a conditione servili, vel fisco aut curiæ obnoxii non essent, vel si pistores non forent, vel non in aliquo negotio constitissent, nec sibi honorem venali suffragio emissent, nec rem alicujus administrarent*, ut utar verbis *l.unicæ C. de Perfectissimatus dignit.*

4. Hos intelligunt *Mancipes* in *l.*63.*C.T.de Curs. Publ.* Impp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA.qua *per Stationes singulas idoneos Mancipes* volunt *collocari*. Iidem alias dicuntur *Præpositi Mansionum*, quod munus & officium eorum præesset Cursui Publico maxime in Mansionibus: Cumque hoc munus servile obsequii onus aliqua ex parte esse videretur, hinc Constantinus M. hæc de eo constituit in *l.* 21. *C. T. de Decurionib. Quoniam Afri Curiales conquesti sunt, quosdam in suo corpore, post Flaminii honorem, & Sacerdotii, vel Magistratus decursa insignia, Præpositos compelli fieri Mansionum, quod in singulis Curiis sequentis meriti & gradus homines implere consuerunt, jubemus, nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium*. Hos vero *Mancipes*, ut suo muneri possent eo melius satisfacere, viros prudentes, circumspectos, & cautos esse decebat. Horum namque cura erat, Evectiones inspicere, num essent legitimæ, *l.*22.*C.T. de Curs. Publ.* ut alimenta animalibus Cursui Publico destinatis necessaria subministrarentur, & ne vexarentur aut fraudarentur; ne qua subtraherentur animalia publica, *l.*53. *C.T. eod.* & ne permitteretur, uni vehiculo destinata animalia, alii adjungi ut breves simus, eorum cura erat, ut Imperatorum constitutiones, super Cursu Publico, in omnibus & singulis diligenter observarentur.

5. Interea triginta tantum diebus, quoque anno, a statione sua poterant discedere, *l.* 36. *C.T. eod.* debebant enim alias ipsimet singuli singulis regionibus præstituti in suis illis Stationibus *Mancipatum* repræsentare; personale enim, ut cum Jureconsultis loquar, erat munus. Porro adjuvabantur quodammodo a *Judicibus* & *Curiosis*, qui mittebantur ad inspiciendum & explorandum Cursum Publicum per *Mutationes & Mansiones*. *Hi* enim, ut loquar verbis *l.* 2. *C. de Curios. pervigili diligentia providere* debebant, *ne quis contra evectionis auctoritatem moveret cursum; vel amplius postularet, quam concessisset evectio*.

6. Sub *Mancipibus* erant etiam illi, quos Valentinianus & Valens *in l.un.C. de Strator.* appellant *Stratores*, qui erant quasi quidam equisones; quorum opus erat, stratum equi componere; eundem frænare; probare; inspicere & recipere equos, quos Provinciales tributi nomine conferebant, aut si non essent equi secundum legem, eosdem improbare & rejicere, quo nomine a Provincialibus *solidum unum* sive *scutatum* nostræ monetæ accipiebant: ne sine lege laudata loqui videar, accipe illam: *Per omnes Provincias edictum generale misimus, ut Stratoribus unus tantum solidus probæ nomine posceretur, & in offerendis equis certam formam, staturam & ætatem Provinciales nostri custodiendam esse cognoscant: quos etiam fisco certo modo solidorum obnoxios fecimus, si, quod Stratoribus petere interdictum est, illi dare Stratoribus non timerent. Officium quoque gravitatis tuæ centum argenti libris multabitur, si sciens prædictam rem gestam fuisse, non illico eam severitati judiciariæ prodiderit*.

7. Sequuntur, qui Stationibus Cursus Publici deputati erant, ut comitarentur Imperatoris *Agentes in rebus*; uti Cursores in *Postis* Gallicanis nostris, quos *Postillons* vocamus, comites solent ante eos, qui Cursu Publico utuntur, equitare, flagrum ipsi in manu habentes. Romani tales dixerunt *Catabulenses*, eorumque officium *Catabulum*; quod non solum cursui singularium equorum destinatum erat, sed etiam ad transvehendas vestes militares, pecunias fiscales, species largitionales. *Catabulenses* enim exonerabant vehicula ad suam stationem advenientia, & vicissim sua vehicula eodem illo onere rursus onusta provehebant, mulabus aliisve animalibus ad Cursum vehicularem destinatis, ad vicinam & proximam stationem, ubi stationum præpositis advecta sua onera reddebant, qui, eodem modo per singulas stationes Cursum vehicularem continuando,transferendas species tandem ad locum per literas Evectionis indicatum & mandatum dimittebant.

8. De his loquitur Cassiodorus *Variar.* III.10. ubi ait: *Magnitudini tuæ præsenti admonitione declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Ravennatem urbem per Catabulenses vestra ordinatione dirigantur*: & rursus *Var.* IV.47. *Quinquaginta solidorum multam, jam non Veredarius, sed Catabulensis incurrat, quisquis ultra centum libras parhippum crediderit onerandum*. Nocentes aliqui ad hanc servitutis speciem subinde condemnabantur; imo Imperatores Pagani per modum supplicii Christianos ad hoc servile opus quandoque damnabant. Damasus *in vit.S.Marcelli Papæ: Damnatus est in Catabulum; cumque diebus multis serviret in Catabulo, jussit Maxentius plancas extrahi, ut ibidem animalia Catabuli congregata starent, & ipsis beatus Marcellus deserviret*. Hoc idem sensit Martyrologium Romanum XVII. Kal.Febr. cum breviter narrat, *Marcellum jubente Maxentio ad servitium Animalium, cum custodia publica fuisse deputatum*: hoc enim loco *Animalia* sunt illa publica, Equi,

Mulæ, Boves, Asini, quæ in Stationibus ad Cursum Publicum ac Vehicularem erant destinata.

9. Præter hos in singulis stationibus Civitatum, Mutationum & Mansionum erant, qui accurabant Equos Cursuales, iisque paleas, stramina, fœnum, hordeum, avenam subministrabant. Hos Græca voce *Hippocomos*, aut Latine a *Mulis*, *Muliones* vocabant. Hos ipsos Francogalli nostri appellant *Palefreniers*, ab antiqua voce *Palefroy*, quæ equum ephippio instratum, veteri lingua, quam nostrates *Romanensem* dicunt, notat. Horum vero *Mulionum* singuli ternos accurabant Veredos; ut ait *l.34.§.1.C.T.de Curs.Publ. Præterea in singulis Mutationibus arbitramur, ternis Veredis Muliones singulos posse sufficere.*

10. Tandem etiam in Stationibus Cursus Publici erant, qui Equis publicis soleas ferreas adfigerent, & Animalibus ad Cursum Publicum deputatis, si male haberent, mederentur: quales sunt nostratibus *Mareschaux*; his apud Latinos nomen dederunt præcipue *Mulæ*: dicuntur enim *Mulomedici* in *l.31.C.T.eod.* quorum cura & ars Veterinaria non solis destinabatur mulis, sed omnibus Animalibus publicis ad gestandum trahendumve in Cursu Publico deputatis. Cæterum *Muliones*, *Carpentarii* & *Mulomedici* annonas & victum e fisco consequebantur, eoque ab iis, qui Cursum Publicum usurpabant, mercedem nullam exigere poterant: diserte enim ait *d.l.31.C.T. Nec Mulionibus, nec Carpentariis, nec Mulomedicis Cursui Publico deputatis mercedem a quoquam sinceritas tua siverit ministrari; cum, juxta publicam dispositionem, annonas & vestem, quam hisce credimus posse sufficere, consequantur.*

11. Porro etiam hoc habuerunt commune stationes Civitatum, Mutationum & Mansionum, ut tam homines ad currendum deputati, quam Animalia publica, quæ necessitatibus Principis inserviebant, sive ad Cursum Publicum & Vehicularem ac Clabularem, sive ad milites dimittendos & transferendas vestes militares, sive ad pecunias fiscales speciesve largitionales, sive annonas & alias necessitates transvehendas, Provincialium in singulis provinciis pecunia & sumtibus alerentur & sustentarentur: qui non solum Equos & Mulas ad Cursum publicum, in singulis stationibus Civitatum, Mutationum & Mansionum, tributi nomine exhibere & offerre debebant, sed etiam paleas, stramina, fœnum, avenam, hordeum ad eorum pabula. Onus hoc, quo valde vexabantur & opprimebantur Provinciales, perduravit ad tempora usque *Severi* Imp. qui, *cum se vellet commendare hominibus, Vehicularium munus a privatis ad fiscum transtulit*; teste Spartiano *in Sever.c.4.p.m.263.* Illud tantum oneris remansit Provincialibus, ut stabula publica per stationes singulas instruerent & adaptarent suis sumtibus: sic enim vult *l.34.§.2. C.T.eod. Ut stabula impensis publicis exstruantur, contra rationem est: cum Provincialium sumtu citius arbitremur & utilius adaptanda.*

SECTIO XIV.

De Forma & modo Cursus Publici Romani, & differentia ejus ab hodierno Gallicano.

1. *Ratio facile intelligendi modum Cursus Publici Romani.* 2. *In quibus conveniant Cursus Publicus Romanus & Gallicanus. Ludovici* XI. *Regis, primi Auctoris Cursus Publici per Galliam, indoles & ingenium.* 3. *Cursus Publicus in Gallia publicæ licitationi expositus, & plus offerenti postremo licitatori addictus.* 4. *Imperatores Publicum Cursum semper tantum suis necessitatibus Reip. caussa voluerunt inservire; eumque per eos, quos Cursus publice privatimve deputarunt, administrari atque exerceri curabant.* 5. *Officiales privati Cursus Publici a quibus probati & provecti fuerint.* 6. *Evectio sive licentia Cursus Publici usurpandi privatis apud Romanos interdicta.* 7. *Excipiuntur tamen horum numero & hac lege, quos sublimissimæ administrationis illustravit indeptio, Magistri Equitum ac Peditum:* 8. *ut & Legati ad Principem missi.*

1. HUc usque instruximus Mutationes, Mansiones, Civitates, Hominibus, Equis, Animalibus, Vehiculis, Pabulis, Annonis, cæterisque ad Cursum Imperatorum Publicum necessariis: superest, ut modum utendi hoc Cursu persequamur, & totum istum apparatum ipsi operi adaptemus. Hoc fiet eo facilius, si Cursum Publicum Romanum & Gallicanum comparemus, atque ostendamus, in quibus conveniant, ac in quibus differant. Uterque Cursus, tam Romanus, quam Gallicanus, in eo conveniunt, quod institutionem suam debeant Principi, & omnia illi Cursui deputata officia, numera, opera. Credibile est, cum primum Equi Cursuales a Ludovico XI. Rege instituerentur, illos tantum necessitatibus ipsius Principis inserviisse, quemadmodum & Cursus Publicus Romanus ad solius Principis necessitates expediendas erat constitutus. Ludovicus autem XI. Princeps erat providus, vigilantissimus, prudentissimus, suspiciosus, qui curiosissimus erat tam suarum ipsius rerum, quam alienarum & vicinarum; & qui sub finem ætatis quaquaversum per Gallias & regiones externas, grandi pecunia, mittebat homines, qui sibi conquirerent ursos, leones, & alias bestias ferocissimas; non ut eas more veterum Romanorum in spectaculo exhiberet ac committeret amphitheatrali, ad populi voluptatem: sed ut famam sibi pararet Principis rerum peregrinarum studiosi & curiosi, inque illis undique conquirendis solliciti ac operosi, nec non bene ac fortunate agentis & quieto gaudentis regno, qui posset otiose voluptati suæ indulgere, cui nec deessent sumtus impensarum in voluptates faciendarum. Cæterum, quum essent adducta ista peregrina animalia, leviter ea æstimabat, & vix cum illis, qui ea adduxerant, loquebatur.

5. Successores postea Reges, qui tam suspicaces non fuerunt, Cursus Publici usum cuicunque, dato a singulis certo precio & mercede, concesserunt: imo tandem denique Cursus Publici jura & reditus, per partes, privatis, publica licitatione & auctione, plus offerenti postremo licitatori addixerunt, quod idem postea factum in Cursualibus Vehiculis, Rhedis, Equis, utpote Cursus Publici partem per Galliam facientibus. Hoc modo redemtores illi & quasi publicani, ut recuperent nummos suos & ex Cursu Publico rem privatam suam augeant, suos equos ad currendum cuicunque volenti locant pro placito, pacta mercede, nec privatis Cursum Publicum usurpaturis opus est *Evectionibus*, seu data Principe licentia Cursus Publici, cum Princeps hoc jus *Postarum*, ut vocant, a fisco transtulerit ad privatos, sic ut, quæ antea erant juris regii & publici, aut *regalia*, quæ vocant, jam quodammodo commutata sint in jus privatum & singulare beneficium a Principe concessum.

4. Longe aliter se res habebat in Cursu Publico Romano, quem Imperatores sibi servarunt, & privatis nec per modum subhastationis & auctionis, licitatoribus addixerunt, nec ultro & gratis ad privatos transtulerunt unquam: Cumque Cursus Publici institutio bonum respiceret publicum, hinc

sibi solis Imperatores eum voluerunt inservire, ad necessitates & commoda Reip. expedienda, unde & *Publici* cognomen accepit iste Cursus. Administrabatur, exercebatur & dirigebatur idem Cursus non per homines privatos, sed per officiales Publicos, qui mercedem, annonas & victum e fisco Principis consequebantur, quales erant *Mancipes*, *Stratores*, *Catabulenses*, *Hippocomi*, *Muliones*, *Mulomedici*, aliique sectione præcedente recensiti: hi proinde ab illis, qui Cursum Publicum usurpabant, nullam mercedem exigere poterant, quod ipsum etiam lege vetabatur.

5. Officiales autem hi minoris gradus probabantur & provehebantur a supremis Rei Cursualis & Vehicularis, sive Cursus Publici Præfectis, qui sane non erant e plebe, vulgo, aut trivio, sed qui summas Imperii dignitates ac honores gerebant; quales erant tum *Præfecti Prætorio*, quos nostra lingua diceremus *Lieutenans Generaux des Empereurs*, quorum munus valde vicinum erat illi, quod hodie gerit in Gallia *Comes stabuli*, aut, si mavis, *Connestabilis*; tum etiam erant *Magistri Officiorum*, qui Officialibus Domus Augustæ omnibus præerant, fere ut noster *Magister Franciæ*, sive malis vernacule, *Grand Maitre de France*.

6. Cæterum adeo *Publicus* hic erat Cursus, ut nulli omnino privato pateret: imo Præpositi Stationarii jussi sunt, ne ulli privato, etiam Evectione quam forte imperrasset, instructo, Cursum Publicum usurpare permitterent: audi disertissima Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii verba ex *l.* 44. *C.T. de Curs. Publ. Nullus Evectione utatur privatus, tametsi valuerit impetrare*: deinde Arcadius & Honorius AA. *in l.*63. *C.T.eod.* vetuerunt, a quoquam Cursum Publicum usurpari *nisi in caussa publica, vel manifestis Evectionibus destinato*. In re autem hac Cursuali & Vehiculari omnes illi reputari debent *privati*, qui Cursu Publico non utebantur ad expediendas ipsius Imperatoris necessitates, licet summis maximisque Imperii dignitatibus ac honoribus fulgerent atque eminerent.

7. Iterum dico, in re hac Cursuali & Vehiculari tales, qui alias ratione muneris inter Viros referri debebant, inter *privatos* recenseri; cum illis nominatim subinde legis illius rigidæ contra privatos Cursum Publicum usurpantes sancitæ gratia fiat, eaque lege illi excipiantur: sic *d. l.* 44. C. *t. eod.* addunt porro: *Exceptis his, quos sublimissimæ Administrationis illustravit indeptio, & quos Magistri Equitum ac Peditum pompa sublimat: qui tamen omnes in actu ipso positi Reip. providerunt, non hi, quos honorarii tantum nominis suffragia prosequuntur*: quæ postrema verba innuunt limitationem exceptionis, ut videlicet revera functi fuerint istis dignitatibus, non codicillis tenus honorariis: his enim posterioribus non patebat Cursus Publicus.

8. Excipiuntur etiam Legati, licet ratione rei Cursualis habeantur privati; qui de rebus magnis ad Imperatorem mittuntur: sic Arcadius & Honorius Impp. *in l.* 57.*C.T. eod.* ajunt: *His tantummodo utendi Cursus Publici facultate concessa, qui Legati de diversis gentibus ad nostram Clementiam properare festinant*: quæ verba Tribonianus desumsit & transtulit in *l.*16.*Cod.eod.* De reliquis omnibus, Valentinianus & Valens Impp. AA. ad Symmachum, Præfectum Urbis, scribunt *in l.*19. *C.T. eod.* hoc modo: *Magnifica sedes tua Evectionum faciendarum arbitrium in publicis tantum caussis usurpet: verum ingenti procurabitur cautione, ne parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus imminere, ut fatigatione nimia pœnitentiam hujus concessionis suscipere cogamus.*

A Hinc C. Plinius Cæcilius secundum *Epist.* x. 121. *edit. G.Steph.* 1591. *p.*412. Trajano Imp. tam sollicite refert & scribit: *Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam Diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi tuam misi: quam perpetuam servationem meam quædam necessitas rupit. Uxori enim meæ, audita morte avi, volenti ad amitam suam excurrere, usum eorum negare, durum putavi, cum talis officii gratia in celeritate consisteret: sciremque, Te rationem itineris probaturum, cujus caussa erat pietas.* Hæc scripsi, quia mihi parum gratus Tibi fore videbar, si dissimulassem inter alia beneficia hoc unum, quod me debere B sciebam indulgentiæ Tuæ: quod fiducia ejus, quasi consulto Te, non dubitavi facere: quem si consuluissem, sero fecissem. Respondet *Ep.seq.* 122. quæ omnium Plinii est ultima, optimus Princeps: *merito habuisse* Plinium *secundum fiduciam animi sui; nec dubitandum fuisse, si exspectasset, donec se* Trajanum *consuleret, an iter uxoris ejus Diplomatibus, quæ officio ejus dedisset, adjuvandum esset; usum eorum intentioni non profuturum fuisse*.

SECTIO XV.

De Diplomatibus & Evectionibus, sine quibus Cursu Publico uti non licebat.

C 1. *Evectionum necessitas*. 2. *Cur & quando dicta sint Diplomata*. 9. *Differentia inter literas Patentes sive Diplomata, & obsignatas, uti sunt Epistolæ*. 4. *Evectiones quando ita dictæ*. 5. *Evectionum duæ species: nomina & numerus Equorum ad currendum datorum*. 6. *Equus Avertarius*. 7. *Avertarum duæ species, earumque pondus*. 8. *Tempus & numerus dierum Evectioni insertus pro ratione longitudinis Viæ*. 9. *Evectiones extraordinariæ*. 10. *Evectiones a Judicibus & Præpositis stationum congrua subnotatione dimittebantur*.

D 1. CUrsu itaque Publico utebantur, qui publicam gerebant personam & munus, ad publicas necessitates ac commoda boni publici expedienda. Nec tamen hi ipsi sua pro auctoritate aut voluntate ac lubitu Cursum usurpare Publicum poterant, sed antequam iter inirent, opus erat, ut aut ipsius Principis, aut Præfecti Prætorio, Magistri Officiorum, &, in publicis tantum caussis, Præfecti Urbis literas haberent, aut Evectiones, quibus licentia Cursus Publici usurpandi concedebatur; quas in singulis Civitatum, Mutationum, Mansionum stationibus exhibebant inspiciendas, alioquin vel in prima statione detinen- E di: audi in hanc rem legem datam Stationum Præpositis, quam ad Taurum PF. P. scripsit Constantius Aug. *l.*8. *C.T. de Curs.Publ. Evectiones ab omnibus postulentur, quacumque conspicui fuerint dignitate: non enim debet esse unquam efficax usurpatio, quæ possit animalibus Publici Cursus inferre perniciem. Quod si quis putaverit esse resistendum, & sine Evectione iter facere detegitur, ubi repertus fuerit, eundem jussimus detineri, ac de ejus nomine ad Prudentiam tuam, & ad Musonium Clarissimum Virum Comitem & Magistrum Officiorum referri*: hanc legem in Codicem Justi- F nianeum transtulit Tribonianus nonnullis additis & mutatis *l.* 3. *C. eod. Evectiones ab omnibus postulentur, & tam judices, quam custodes Publici Cursus minime transire patiantur, antequam seriem Evectionis inspexerint. Quod si quis putaverit resistendum, & sine Evectione iter facere detegatur, vel ultra tempus, quod Evectioni insertum est, Publico Cursu uti conatus sit: ubi repertus fuerit, ibidem jubemus retineri: & si quidem dignitate præditus sit, de ejus nomine ad Providentiam tuam, & ad illustrem Virum Comitem & Magistrum*

strum officiorum referri: adversus vero cæteros protenus indignatio competens exercenda est, quos sinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coerceri posse crediderit: sic etiam Impp. Arcadius & Honorius AA. citra Evectionem, privata aut propria cujusquam auctoritate, vel in privatos usus, vetant usurpari paraveredos & parangarias, *in l.* 59. *C.T. eod.* Hinc Capitolinus *in vit. Pertinacis c.* 1. de P. Helvio Pertinace, qui sub extremam vitæ ætatem Imperator creatus est, adhuc juvene narrat: *Dein Præfectus Cohortis in Syria profectus, T. Aurelio imperatore, a Præside Syriæ, quod sine Diplomatibus Cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.*

2. Quoniam vero in Juris & Historiarum monumentis frequens fit mentio *Diplomatum* & *Evectionum*, operæ precium erit, ante horum nomina, naturam & vim persequi, sine quibus nulla erat Cursus Publici licentia, quam ulterius pergamus. Nomen pro ratione temporis variavit. Nam a prima Cursus Publici institutione ad tempora usque Constantini, licentia Cursus Publici dabatur literis, libellis, codicillisve chartaceis, aut membraneis, quos Capitolinus *l.l.* vocabat *Diplomata*. Licet autem Servius scribat, hac voce comprehendi omne genus scripti, quod ad alium mittitur; proprie tamen refertur ad διπλᾶς, quæ duplicata charta seu membrana scribuntur: sic Pancirollus *in Not. Imp. Or.* 1. 6. *Usus*, inquit, *Cursus Publici a Principe vel Præfecto Prætorio codicillis impetrabatur: qui quod duplicata charta scriberentur, duplomata vocabantur.* Putant nonnulli ea fuisse similia Literis, ut vocant, *Patentibus* nostrorum Regum, quæ simplicem habent plicam, nobis *reply*; non vero plures plicas, velut Epistolæ, quæ nobis appellantur *Lettres closes* aut *Lettres de Cachet*, ceu diceres clausas & obsignatas.

3. Utrumque modum Codicillorum & Literarum harum, æque ac nostri Reges, in usu habuerunt Imperatores Romani. Videtur hoc satis clare docere & innuere Suetonius de Augusto *in ejus vit. c.* 50. verba faciens: *In diplomatibus, libellisque & epistolis signandis initio Sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri: novissime sua, Dioscoridis manu sculpta, qua signare insecuti quoque Principes perseveraverunt.* Et tamen inter modum signandi Principum Romanorum, & Regum nostræ Galliæ intercedit differentia, quod Imperatores eodem signo *Diplomata*, *Libellos*, *Epistolas* signarint, ut *l. l.* innuit Suetonius: At in nostra Gallia, *Diplomata* Regia sive *Patentia* duplicis aut simplicis appendicis, nobis *en double ou simple queue*, majore Cancellariæ signo, ut authentica sint, signantur: verum Literæ ac Epistolæ, quæ dicuntur clausæ, obsignantur sigillo regio minore & simpliciore, quod nobis *Cachet* dicitur; unde & nobis dicuntur *Lettres de Cachet*.

3. Circa Constantini ævum *Diplomata* Cursus Publici magis speciatim cœperunt dici *Evectiones*, quod per has illis, quibus jure permissum erat, daretur facultas & licentia utendi Equis Vehiculisve Cursus Publici. *Has indulgentias*, ait *l.l.* Pancirollus, *posteriores Principes Evectiones nominarunt, quibus evehendi facultas dabatur.*

Harum indulgentiarum aliæ erant *Ordinariæ*, aliæ *Extraordinariæ*. In *Ordinariis* Codicillis continebatur certus Equorum Cursalium, quibus uti liceret, numerus; diesque certus, intra quem iisdem uti liceret, quo elapso irriti erant dati imperative codicilli. Concessa *ordinaria Evectione* Equorum Cursualium, unus aut alter equus permitti censebatur, qui proprie appellabantur *Veredi*: cum vero tertius veredus indulgebatur, ille, quod

A ultra legitimum numerum concederetur, dicebatur *parhippus*, Græca voce discimus hoc ex Juliani Imp. rescripto ad Mamertinum PF.P. *in l.* 14. *§.* 1. *C.T. de Curs. Publ. Quanquam, quid sit Parhippus, & intelligere & discernere sit proclive, tamen ne forte interpretatio depravata aliter hoc significet, sublimitas tua noscat, Parhippum eum videri & habendum esse, si quis usurpato uno vel duobus veredis, quos solos Evectio continebit, alterum tertiumve extra ordinem commoveat.* Isti *Parhippi* autem textui Evectionis addi debebant, & quidem non nisi necessitate aliqua nominatim co-

B gente: audi Valentinianum & Valentem Impp. AA. *in l.* 22. *§.* 1. *C.T. eod. Præterea illud adjungimus, ut Parhippum vel Avertarium nullus accipiat, nullus impune præsumat; nisi eum nostræ Serenitatis arbitrio aliqua necessitate cogente Vir Illustris Magister Officiorum textui Evectionis addiderit*: & *in l.* 29. *C.T. eod. Hi tantum Parhippum præsumant, quibus nos ipsi, in Evectione, quam facimus, Veredum cum Parhippo, tribui jusserimus. Si quis vero citra nostræ adnotationis indultum id licenter exegerit, severissimæ subjaceat ultioni.*

6. Mentio est in *d. l.* 22. *C.T. Equi Avertarii*,

C quare obiter notandum, esse illum, equum, qui impedimenta sive manticam portat, quæ nobis *la malle*, *valize*, unde *malier* nobis pro *Equo Avertario*, qui aliter etiam *Sagmarius* dicitur, docente Turnebo *Adversf.* XXX. 16. Est enim, ut ait vetus Scholiastes Horatii *ad Sat.* l. 6. *vs.* 106. *Averta, pera, seu mantica ad vestes viatorias aliave necessaria condenda.*

7. Est vero *Averta*, alia, quæ ab Equo Cursuali portatur, de qua ne læderentur Equi Cursuales, ita statutum *in l.* 47. *§.* 2. *C.T. eod.* ab Imp. Valentiniano, Theodosio & Arcadio: *Quoniam Veredorum quoque cura pari ratione tractanda est,*

D *sexaginta libras sella cum frænis, triginta quinque vero Averta non transeat: ea conditione, ut si quis præscripta moderaminis Imperatorii libramenta transscenderit, ejus sella in frusta cædatur, Averta vero fisci viribus deputetur.* Aliæ *Avertæ* Vehiculis Cursualibus transferebantur, quæ subinde in Legibus appellantur *Sacculi*, de quibus iidem Impp. statuunt *l.* 48. *§.* 1. *C.T. eod. Sint præterea duo Palatini Prosecutores singularum rhedarum, cum tribus servis, habentes quinquagenarum librarum Avertas & saga, quibus par erit eos pro itineris necessitate muniri.*

E 8. Quod attinet ad numerum dierum, quos *Evectiones* præscribebant, eos non video certo numero definitos: putoque eos pro itineris longitudine aut brevitate fuisse plures aut pauciores, ita tamen, ut numerum *Evectione* præscriptum non liceret transgredi: *si quis enim ultra tempus, quod Evectioni insertum est, publico Cursu uti conatus fuisset, ubi repertus fuerat, ibidem jubetur retineri*, ab Imp. Constantio *in l.* 3. *C. de Curs. Publ.*

9. Atque hæc dicere habuimus de *Evectionibus ordinariis*. Quod vero attinet ad *Extraordinarias*, eæ erant quædam quasi privilegia ab ipso Principe data & concessa, favoris aut honoris

F gratia, & quidem vel missis, vel evocatis, Cursu Publico usuris. Dicebantur vero *Diplomata Tractatoria*, quibus non solum Cursus Publici licentia adscripta, sed etiam stativa, id est, diversoria, civitates & mansiones, quibus sumtu publico alerentur. Formulam ejusmodi *extraordinariæ Evectionis* servavit nobis Marculfus *Formular.* 1. 11. quæ hic integra meretur legi, cum ob oculos ponat lautitias, divitias & magnificentiam Imperatorum, qua accipiebant suos Amicos. Est autem talis:

ILLE PRINCEPS OMNIBVS AGENTIBVS IN LOCO. NOS GAIVM. I.V. PARTIBVS ILLIS LEGATIONIS CAVSSA DIREXIMVS, IDEO IVBEMVS, VT LOCIS CONVENIENTIBVS EIDEM A VOBIS EVECTIO SIMVL ET HVMANITAS MINISTRETVR, HOC EST, VEREDI SIVE PARAVEREDI TOT, PANES TOT, VINI MOD. TOT, CEREVISIAE MOD. TOT, LARDI LIB. TOT, CARNIS TOT, PORCI TOT, PORCELLI TOT, VERVECES TOT, AGNI TOT, ANSERES TOT, PHASIANI TOT, PVLLI TOT, OVA TOT, OLEI LIBRAE TOT, GARI LIBRAE TOT, MELLIS TOT, ACETI TOT, CVMINI TOT, PIPERIS TOT, COSTI TOT, CARYOPHYLLI TOT, SPICI TOT, CINNAMOMI TOT, GRANI MASTICIS TOT, DACTYLAE TOT, PISTACIAE TOT, AMYGDALAE TOT, CERAE LIB. TOT, SALIS TOT, OLERVM, LEGVMINVM CARRA TOT, FACVLAE TOT, PABVLI EQVORVM CARRA TOT: HAEC OMNIA TAM EVNDO, QVAM REDEVNDO EIDEM MINISTRARI IN LOCIS SOLITIS, ET IMPLERI SINE MORA PROCVRATE.

10. Qui *Evectionem* obtinuerat, ante *Præsidi Provinciæ*, in qua impetrans ille & commeaturus erat; aut missis in eam *Judicibus* & *Curiosis*, de quibus supra *sect.* XIII. §. 5. diximus, istam *Evectionem* ostendere & commonstrare debebat, ut hi illam *subnotarent*, sive subscriberent, quam iter iniret Cursu Publico. Id ni fecisset, Præpositi Cursus Publici & Judices ac Mancipes non solum non præbebant ei equos ad currendum, sed etiam retentabant eum commeantem in prima quavis statione: audi super hac re Valentiniani & Valentis Impp. *in l.22.C.T.de Cursu Publ.* rescriptum ad Volusianum P. V. *Cunctos Judices laudanda tua sinceritas monebit, ut minime quosque transire patiantur, antequam seriem Evectionis aspexerint, & congrua subnotatione dimiserint. Sane cujuscunque fuerit dignitatis, qui nostra interdicta calcaverit, retentetur, dum super ipsius nomine ad Mansuetudinem nostram querela dirigatur, cui vindicta non deerit. In eos autem protinus ultio competens exserenda est, quos sinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coerceri posse crediderit.*

SECTIO XVI.

De his, qui Evectiones dare poterant.

1. Evectionis faciendæ copia a Constantino duobus tantum, Præfecto scilicet Prætorii & Magistro Officiorum, permissa. 2. Cassiodori testimonium. Soli postea Præfecto Prætorii videtur relicta & concessa. 3. Præfecti Prætorio dignitas. 4. Pro more plerumque duos fuisse Præfectos Prætorio: formidolosum fuisse, tantum unum creari. 5. Præfectorum numerus ad tres, & ad quatuor, atque cur, auctus, 6. Zosimi notabilis locus. 7. Præfecti Prætorio comparantur Majoribus Domus aut Palatii, nobis Maires du Palais. 8. Majoris Domus officium ac potestas deinde divisa in quatuor alia munera. 9 Præfectis Prætorio mansit tamen magna potestas & auctoritas: quid Emittere. 10. Horum officia, obsequia & munia, cum ipse Princeps expeditionem faceret. 11. Comparatio Magistri Officiorum Imperatoriorum & Magni Magistri Franciæ. 12. Sectionis hujus conclusio.

1. INter Civiles Magistratus, & deinde Imperatorum sive Domus Augustæ Ministros Palatinos utriusque militiæ, illi solum sine *Evectionibus* Cursum usurpare publicum poterant, qui ipsi aliis *Evectiones* concedendi jus habebant, sive dandi licentiam Cursus Publici. Tales ante Constantini M. tempora fuerunt Proconsules, Proprætores, Præsides, Judices, Duces, Vicarii, aliique: Verum Constantinus eumque secuti Impp. his abstulerunt utramque potestatem, tam usurpandi, sine *Evectionibus*, Cursus Publici, quam concedendi aliis *Evectiones*: eamque sibi suæque auctoritati retinuerunt & tantum *Præfectis Prætorio* ac *Magistris Officiorum*; quod ex plurimis Impp. Constitutionibus apparet, ut Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii ad Florum P. P. *in l. 9. C. de Curs. Publ. Judicibus faciendæ Evectionis copiam denegamus: cum id tantum nostro numini, & tuæ sedi, nec non Viro Illustri Magistro Officiorum sit reservandum: cum neque Præfecto Urbi, nec Magistris Militum, nec Ducibus, nec Vicariis, nec cuiquam alii, præter memoratas duas potestates a nobis hoc concessum sit.* Confer, si lubet, *l. 40. l. 56. & l. 57. C. T. eod.*

2. Hanc *Præfecti Prætorio* potestatem notavit Cassiodorus *Variar.* IV. 3. in formula Præfecturæ Prætorianæ his verbis: *Quædam enim huic dignitati & nobiscum* (Impp.) *jura communia sunt. Exhibet enim sine præscriptione longinquos, magna quantitate multat errantes, fiscum pro sua deliberatione distribuit, Evectiones simili potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta provinciarum judicum punit, verbo sententiam dicit.* Porro licet duabus potestatibus illis, quas ante dixi, communis fuerit copia faciendæ Evectionis sibi & aliis, postea tamen pluribus Constitutionibus ad solum *Præfectum Prætorii* restricta fuisse videtur: ut Juliani Imp. ad Mamertinum PF. P. *l. 12. C. T. eod.* ubi: *Faciendarum Evectionum licentiam cunctis abduximus: Exceptis igitur Vobis, nulli Evectionem licebit facere de cetero*: item Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius ad Florum PP.O. *in l. 35. §. 1. C.T. eod. Illud etiam similiter observetur, ne quis faciendæ Evectionis sibi vindicet facultatem*: & Impp. Arcadii & Honorii ad Cæsarium PP.O. *in l.62. C.T. eod. Usurpationem Cursus Publici penitus jussimus amputari, scilicet ut, excepta Magnitudine tua, præsumendi velocis & clabularii Cursus nullus habeat potestatem.*

3. Adjiciamus paucula de dignitate *Præfecti Prætorio* & *Magistri Officiorum*. Fateor me hæsisse in nominibus hisce Gallice reddendis, cum nullam reperiam penes Reges nostros Franciæ dignitatem, quæ conveniat cum istis Imperatoriis: unde puto multos, qui vernacula nostra lingua libros scripserunt, hæc nomina in illis reliquisse Latina, nec multum laborasse in iis vertendis ac Gallice reddendis, inprimis illud *Præfecti Prætorio*. Veruntamen, ut aliqua ex parte intelligatur hæc *Præfecturæ Prætorianæ* apud Romanos dignitas & munus, ante notandum puto, circa illud tempus, quo primum instituti sunt Romæ consules, omnes illos, qui rebus bellicis præerant, dictos fuisse *Prætores*; unde *Prætorium*, locus, ubi Prætor sive in Urbe, sive extra eam commorabatur; item tentorium illud, quo Dux ac im-

perator, qui bello præerat, in castris solebat uti. Ab hujus vocis usu deinde Augustorum Imperatorum in urbibus Palatia & in castris eorum tentoria dicta sunt *Prætoria*, & milites eorundem custodiæ destinati, ceu stipatores, qui circum Imperatorem solebant excubare, dicti sunt *Prætoriani*; horum cohortibus præerant varii gradus Tribuni, Duces & Centuriones, aliique, qui omnes erant sub *Præfecto Prætorio*. Porro quoniam prisci Prætores Magistratusque Romani in Provincias mittebantur cum Imperio, sive potestate juris dicundi &, ut vocant, gladii, hinc etiam *Prætorium* dicitur locus ille, ubi solet jus dici ex tribunali.

4. Dignitas *Præfecti Prætorio* sub Imperatoribus fuit summa & eminentissima in Imperio, nec male convenit priscis nostratibus *Majoribus Domus* aut *Palatii*, sive Gallice *Maires du Palais*, excepto, quod illi bini essent, hic unus. Namque Augustus Cæsar primus hujus magistratus auctor duos *Prætorianorum Præfectos* creavit, teste Dione Cassio *lib.* LV. *p.m.* 635. ut alter alterum in bonis rebus juvaret, & e regione ut etiam sibi invicem obstarent, si quid alter novi moliretur. Tiberius Sejanum variis artibus ab hoc devinctus solum *Præfecturæ Prætorii* præfecit: eumque consiliarium atque omnibus in rebus ministrum habuit. Tantum denique hac dignitate, &, quæ eidem aderat, auctoritate, quandoquidem Sejanus solus *Præfecturæ Prætorii* præerat, extulit, ut tandem ob hanc nimiam potentiam, quam vivo auferre nec poterat, nec audebat, suspectum Sejanum coactus sit Tiberius, velut ex improviso oppressum, occidere: legatur Tacitus *Ann.* IV. I. 2. *& seqq.* Est enim, ut monet prudenter idem Tacitus *in vit. Agricol. c.* 39. *id maxime formidolosum, privati hominis nomen supra Principis attolli*.

5. Imperatores alii post Tiberium exemplo Augusti, ut minimum, duos *Præfectos Prætorio* crearunt: Commodus instituit tres: Constantinus etiam quatuor, quos appellavit *Præfectos Prætorio Orientis*, *Illyrici*, *Italiæ* & *Galliæ*; quibus quatuor nominibus partitus est omnes Imperii Provincias. Fecit hoc, ut immensam horum Præfectorum auctoritatem & potestatem divisam in plures particulas diminueret; quin imo magnam potestatis & auctoritatis in re militari partem illis ademit, cum civilia tantum negotia eos tractare jussit, ac militibus, quibus antea imperabant, præposuit Magistros Militum, excogitata recens dignitate, quæ aliquando uni eidemque dabatur, aliquando in duos sub nomine *Magistri Equitum*, & *Magistri Peditum* erat dispersa: hi præerant militibus, eos ordinabant, & delinquentes puniebant.

6. Ne gratis dixisse videamur, adscribemus luculentum Zosimi *lib.* II. *p. m.* 792. & 193. *tom.* II. *Hist. Aug. edit. Lugdun.* 1592. locum, qui optime verbis nostris fidem faciet: *Conturbavit* Constantinus *& Magistratuum officia jam olim instituta. Nam cum duo essent Præfecti Prætorio, qui hoc officium communiter gerebant: non Palatini tantum Ordines eorum cura potestateque gubernabantur; sed etiam ii, quibus Urbis erat commissa custodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum Prætorio magistratus, qui post Imperatorem secundus existimabatur, & annonas erogabat, & contra militarem disciplinam admissa convenientibus pœnis corrigebat. Constantinus autem recte constituta turbans, unum hunc magistratum in quatuor imperia discerpsit. Nam uni Præfecto Prætorio totam Ægyptum cum Libyæ Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenios, oramque maritimam totam, a Pamphylia Trapezuntem usque, & usque ad castella propter*

A *Phasidem sita, tradidit: Eidem & Thracia commissa, & Mysia, Æmi, ac Rhodopes, ac Doberi opidi finibus circumscripta; præterea Cyprum adjecit, & Cycladas insulas, Lemno & Imbro & Samothracia exceptis. Alteri, Macedonas attribuit, & Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumjacentes Insulas, & Epirum utramque, & Illyrios, & Dacos, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam usque, & Mysiam superiorem. Tertio, totam Italiam, & Siciliam, & circumjacentes Insulas, & Sardiniam, & Corsicam, &* B *Africam a Syrtibus Cyrenen usque. Quarto, Transalpinos Celtas & Hispanos cum Insula Britannica commisit. Hac ratione diviso Præfectorum Imperio, studiose conatus est, aliis quoque modis eorum potestatem imminuere. Nam cum præessent ubique locorum militibus, non modo Centurionibus & Tribunis, verum etiam Ducibus, (sic enim appellabantur, qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant) Magistris Militum institutis, altero Equitum, Peditum altero, & in hos translata potestate militum ordinandorum, & coercendi delinquentes, hac etiam in parte Præfectorum auctoritati detraxit.*

C 7. Comparabam paullo ante §. 4. *Præfectos Prætorio* nostris olim *Majoribus Domus* sive *Palatii*, qui sub prima & altera Regum Francogalliæ stirpe floruerunt, cum tam nomine, quam munere in multis conveniant: nam *Maire* nobis *superiorem* & *præfectum* notat, & *Palais* est nobis, quod Romanis *Prætorium*; ratione vero muneris, *Major Palatii* erat caput & supremus Præfectus omnium coronæ Francicæ Officialium, si ita liceat loqui. Sic etiam *Præfecti Prætorio* eminebant dignitate & auctoritate super cæteros omnes in Imperio, secundi ab Imperatore, præter quem supra illos erat nemo. Deinde etiam in eo *Majo-* D *res Palatii* cum *Præfectis Prætorio* conveniebant, quod penes hos & illos esset suprema cura & potestas rei Militaris, administrandæ Justitiæ & Legum, nec non Ærarii Publici & Fisci, in quibus tribus fere summa versatur Reip. denique & Domui Augustæ sive Palatio præerant Regio; unde & ipsa nominis origo. *Palatium enim cum Regno gubernabat*, ut ait Haymo Monachus *Hist.* IV. 35. verba faciens de *Ega*, *Majore Palatii*.

8. Cum itaque Regnorum & Reip. summa versetur in re bellica, ad quam cura quoque Palatii & domus Augustæ officia referri possunt, item in E administratione Legum & Ærarii Publici cura, mirum non est, *Præfectos Prætorio* sæpius ipso abusos Imperio, quod usurpabant: sic etiam bis mutata est stirps Regia per *Majores Domus* in Francogallia. Sed tertiæ stirpis Reges, ad imitationem & exemplum Constantini, potestatem hanc *Majorum Palatii* in plures divisam diminuerunt, quia solitudine fuisset periculosa; imo quasi totam simul cum nomine obliterarunt & aboleverunt: qua ex abolitione quatuor alia *Coronæ Officia*, ut vocant, magna acceperunt incrementa, inter quæ Officia, *Majorum Domus* munia illa quatuor, quæ modo dixi, fuerunt distributa: *Comiti Stabuli*, F qui vernacule *Connestable* dicitur & primum non nisi Regii Stabuli Magister erat, seu, ut loquitur Regino, *Regalium Præpositus Equorum*, accessit suprema rerum bellicarum cura: *Cancellario*, qui primum fuit Primicerius Notariorum, vernacule nobis *Premier Secretaire du Roy*, addita fuit suprema Legum administratio & juris dicundi summa provincia: *Magno Franciæ Thesaurario* simul mandata fuit Vectigalium ac Tributorum cura: tandem *Magno Franciæ Magistro*, qui olim quoque dicebatur *Comes Palatii*, attributa est præfectura officiorum domus Regiæ.

9. Nec tamen ita dignitas ac potestas *Præfectorum Prætorio* fuit diminuta & restricta, quin semper manserit prima omnium; eaque præditi ac fulgentes magnam semper auctoritatem & plurima pulcherrima, nobilissima & maximi momenti munia retinuerint, quorum pars videri potest in titulis Codicis Justinianei 1.26.& 27.*de Officio Præfecti Prætoriorium Orientis & Illyrici*, *de Officio Præfecti Prætorio Africæ*. Inter ea vero, quæ Præfectus Prætorio retinuit, munia, hoc ad nostrum maxime facit institutum, quod non, ut cæteri Magistratus, certum *Evectionum* numerum quotannis a Principe impetrare debeat, sed ipse suo jure potest uti Cursu Publico, etiam sine Evectionibus, id quod in *Notitia Imp.* una voce dicitur *Emittere*, ut *lib.*1.*p.m.*4. *Præfectus Prætorio Evectiones annuales non habet, sed ipse emittit*: ad quem locum Pancirollus *in Comment.*1.5.*p.m.*7.*versa*, ait: *Non habet, id est, non impetrat quotannis a Principe, ut utatur Cursu Publico, quemadmodum Vicarii, qui denas aut duodenas Evectiones obtinebant, & Præsides binas, l.* 12. *C. T. de Curs. Publ. Sed ipsi PRÆFECTI, inquit, EMITTUNT, id est, suo jure currunt, & aliis etiam concedunt currendi facultatem*.

10. Hoc etiam erat muneris eorum, ut in stationibus Civitatum & Mansionum commeatum militibus suppeditarent, vias eunti cum ipso Principe in expeditionem exercitui complanarent, & tentoria disponerent. Constantinus Porphyrogeneta de *Thematib. them.*1.*Præfecti*, ait, *Prætoriorum inserviebant Principibus expeditionem facientibus, commeatum exercitui promte procurantes, & tentoria componentes, & Vias purgantes*. Sub his Præfectis Imperatores constituerant Officiales, ut cum legibus loquar, sive apparitores certo numero, sub *Obsequii* nomine. Idem Constantinus *l. l. them.* 4. *Atque hæc quidem*, inquit, *est ratio Obsequii: quam quidem appellationem ei inditam esse diximus, quod præirent Imperatorem, ut Vias & Domicilia eidem præpararent, atque concinnarent*. Ut breviter concludamus, iisdem & Tributorum Vectigaliumque cura summa erat commissa: unde salinæ, portoria, annonæ, ac classes ad species transvehendas, adeoque Animalia & Vehicula Publica in Mutationibus, Mansionibus ac Civitatibus sub eorum erant dispositione, non solum Cursus Publici *Velocis*, sed & Vehicularis *Clabularis*, quo diversæ species de loco in locum transvehebantur, quem exposuimus supra *sect.* x.§. 9. Hunc vero duplicem Cursum, *Velocem* & *Clabularem* Impp. Arcadius & Honorius volunt patere tantum *Magnitudini Præfecti Prætorii*, nullis aliis, in *l.* 62. *C. T. eod.*

11. Superest, ut nonnihil adjiciamus de *Magistro Officiorum*, quem nostra lingua redderemus *le Maitre, le Chef & Sur intendant des Officiers Domestiques du Prince*; sic autem dicebatur, quod *Officiis*, id est, Ministeriis seu Principi ministrantibus præesset: nomen enim *Officii*, etsi multa significat, hic pro Ministerio accipitur. Erat ergo ceu Præfectus sive Magister Aulæ, qui Palatinis scholis ac ministris præerat, eosque in disciplina continebat. *Ad ipsum*, ut ait in formula Magisteriæ dignitatis Cassiodorus *Variar.*VI.6. *Palatii pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum more procellosos moderationis suæ terminis prospere disserenat*. Idem Principi Senatores & Legatos admittendos offerebat, quo in munere valde convenit cum eo, quem olim majores nostri in Francia vocarunt *Souverain Maitre de' Hôtel*, uti narrat Tilletus, qui hodie magistratus Palatinus nomen habet *Magni Franciæ Magistri*. Hic primum solus erat Aulæ regiæ Præfectus & præerat omnibus Aulicis Ministris & Officialibus generatim. Certe etiam hodie omnes Ministri & Officiales Aulæ Regiæ parent & subsunt jurisdictioni *Præpositi Aulæ*, nobis *Prevôt de l'Hôtel*, qui olim Judex vicarius constituebatur a *Magno Franciæ Magistro*, ad *Comitis Palatii*, quo nomine, quod nos redderemus *Juge de la Maison du Roy*, Judicem Domus Regiæ, ipse *Magister Magnus Franciæ* munus juris in Aula Palatina dicundi olim ornabat, officium administrandum. Plane uti olim in Aula Imperatoria Domestici Principis & Palatini suberant disciplinæ & jurisdictioni *Magistri Officiorum*.

12. Cum ergo *Præfecti Prætorio* & *Magistri Officiorum* apud Imperatores summo essent loco & maxima dignitate, ultro dicamus, oportet, *Cursus Publici* usum in summa quoque & maxima fuisse dignatione, & veluti sacrosanctum Romanis ac inviolabilem. Nam *Evectiones* tantum ab ipso Imperatore, Præfectis Prætorio & Magistro Officiorum impetrabant cæteri Magistratus, gravissimis pœnis constitutis in illos, qui *Evectionibus* aut instructi non erant, aut earum modum excedebant, quæ pœnæ in utroque Codice Justinianeo & Theodosiano, titulis *de Cursu Publico*, passim leguntur: ac nulli, quacunque dignitate foret conspicuus, licentia erat usurpandi privatim Cursus Publici, sed publice solummodo, ad expediendas & implendas Principis necessitates.

SECTIO XVII.

De Magistratibus, quibus Evectiones dabantur, & quot illis per singulos annos concessæ.

1. *Magistratus, quibus Evectiones dabantur. Vicarii, eorumque munia*. 2. *Habebant denas vel duodenas quotannis Evectiones, manu ipsa Imperatoris perscriptas*. 3. *Præsides Provinciarum quot Evectiones habuerint*. 4. *Origo & dignitas Ducum in Imperio veteri Romano*. 5. *Origo & diversitas Comitum sub Imperatoribus*. 6. *Duces Cursu Publico in Provinciam suam, seu sibi commendatam, proficiscebantur*. 7. *Comites, Tribuni Militum, Domestici Protectores, Agentes in Rebus quomodo Cursu Publico sint usi*.

1. INter Magistratus, quibus dabantur *Evectiones*, reperio *Vicarios*, *Præsides Provinciarum*, *Duces*, *Comites*, *Judices*, *Tribunos Militum*, *Senatores* & *Agentes in rebus*. Erant autem *Vicarii*, qui vice sacra judicabant tamquam pro Præfectis Prætorio; salutabantur cum chlamyde, & carpento, quod summis tantum concedebatur, vehebantur. Optime horum munia describit Cassiodorus *Variar.* VI. 15. in formula Vicarii Urbis, his verbis: *Vices agentium mos est, sic Judicum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis, quando propria est jurisdictio, quæ datur a Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem, partes apud Te sub Prætoriana advocatione confligunt. Vice Sacra sententiam dicis, & quod maximæ fidei signum est, in inscriptionibus vita Tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse preciosum. Additur, quod nec salutari Te sine chlamyde jura voluerunt; scilicet, ut sub veste militari sem-*

per visus nunquam credaris esse privatus. Sed A *hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tantæ Sedis Vicarium diceret, umbratile nihil videret*: deinde pauculis interjectis: *Ad similitudinem summorum carpento veheris.* Plura ibidem legi possunt.

2. Verum inter præcipua *Vicariorum* decora fuit licentia Cursus Publici per Evectiones decem vel duodecim, illis a manu ipsius Imperatoris perscriptas & quotannis datas: apparet hoc ex verbis Juliani Imp. ad Mamertinum PF. P. *in l.12.pr.& §. 1. C.T. de Curs.Publ.* scribentis: *Exceptis igitur Vobis, nulli Evectionem licebit facere de cætero. Sed ut necessitates publicæ impleantur, Vicariis denas* B *vel duodenas Evectiones manu mea perscriptas ipse permittam*: adde, quod Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius constituerint *l.38.C.T. eod.* id quod paucissimis alias concessum, ut *proficiscente Vicario triginta Asini, Veredi decem tantummodo moveantur.*

3. *Præsides Provinciarum*, si hanc vocem stricta sumas significatione, distinguuntur quidem a Proconsulibus & Proprætoribus; at in re Cursuali generatim sunt omnes illi, qui Provinciis præsunt: nos diceremus *Gouverneurs des Provinces.* De his, quantum ad Cursus Publici licentiam attinet, ista statuit *d. l. 12. C. T. Præsidibus vero binas annuas* C Evectiones *faciat vestra Sublimitas, quibus ad separatas Provinciarum secretasque partes necessariis ex caussis Officiales suos dirigere possint. Sed his quoque nostra Mansuetudo Evectiones singulas dabit, ut ad nos referre possint, cum id fieri necessitas quædam exegerit*: unde discimus, a Præfecto Prætorii indultas fuisse Præsidibus duas quotannis Evectiones; ab Imperatore vero exigente necessitate superadditam unam, ubi Rector Provinciæ seu Præses aliquid referendum habebat ad Principem. Præsides hi porro unam angariam, cum a Via Militari discedendum erat, & duos paraveredos habebant. D Sic enim D. Majorianus (*in Novell.Theodosii Aug.* IV.1.) *tit.1. de Curialib. circa medium* ait: *Provinciali Judici non solum faciendarum Evectionum nulli tribuatur facultas, verum ne ipso quidem, cum ad alteram pergere cœperit civitatem, plus quam unam sibi angariam, & duos paraveredos, alteramque angariam officio suo & paraveredos duos liceat postulare: si quisquam amplius æstimaverit præsumendum, octo equos constrictus exsolvat, publicis mox mutationibus aggregandos.*

4. *Ducum* dignitas, eo nomine & titulo, demum post Constantini ætatem invaluit: antea *Dux* significabat olim *imperatorem*, quem Cicero *de Oratore* E l. 48. vocat *belli gerendi administratorem*; Livius diserte IV. 20. *Nec Ducem*, ait, *novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur.* Suprema Ducis auctoritas & potestas dicebatur *Imperium, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*, ut cum Cicerone loquamur. Dignitas autem hæc & auctoritas initio solum fuit penes Consules & Prætores: verum posteaquam Imperatores Imperii sedem transtulerunt Constantinopolim, in Provinciis remotioribus & quæ limitum loco erant, constituti sunt Præsides sive Rectores, validis cum præsidiis, aut etiam minores habebant exercitus: Hi deinde, quod rei militari præessent, dicti sunt F *Duces*, ut apparet ex Cassiodori formula ducatus Rhætiarum, *Variar.*VII.4. ubi ait: *Multum his creditur, quibus confinales populi deputantur*: & deinde: *Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites & in pace regas, & cum eis fines nostros solenni alacritate circumeas.* Hinc in *Notitia Imperii utriusque* leguntur: *Duces Thebaidos, Palæstinæ, Arabiæ, Phœnices, Syriæ & Eufratensis, Osrhoenæ, Mesopotamiæ, Armeniæ, Scythiæ, Mœsiæ Secundæ, Mœsiæ Primæ, Daciæ Ripensis, lib.1. sive Or. Imp.p.89.versa & seq.* deinde *lib.11.sive Occid.Imp. p.165.& seqq.* leguntur: *Duces Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis, Tripolitanæ, Pannoniæ Secundæ Riparienſis sive Saviæ, Provinciæ Valeriæ Ripensis, Pannoniæ Primæ & Norici Ripensis, Rhætiæ Primæ & Secundæ, Provinciæ Sequanici, Tractus Armoricani, & Nervicani, Belgicæ Secundæ, Germaniæ Primæ, Britanniarum, Mogontiacensis*, qui *Duces* subinde nomine, non munere, mutato secundum Imperatorum arbitria & lubitum dicebantur & fiebant *Consulares*, sive *Proconsulares*, aut *Proprætores*. Sed & antea *sect.* XVI. §. 6. docuit nos Zosimus, *Duces* fuisse *appellatos, qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant.*

5. *Comitum* nomen a *comitando* fluxit, nos redderemus, *Courtisans*; unde *Comitatus*, qui nobis *la Cour du Prince*; quandoquidem Imperatores ad regendum Imperium adeo vastum sæpius passim per provincias itinera faciebant non sine amplo comitatu; unde *Comitatus* pro illis, qui in Principis aulico, ut sic loquar, sunt contubernio, & illius obsequio deputati: sic *l.43. π. de Testam.milit.* dicitur, *in Comitatu Principum retentus*: item *sacer Comitatus* in *l. 1. C. de his, qui per met. Jud. non appell.* & in *l. 13. §. 3. π. de Re Militar.* Erant autem *Comitum* in Imperio varii ordines; qui enim obsequio Principis deputati in ipso comitatu præsentes esse debebant, dicebantur *Comites Palatini*, atque officii nomine distinguebantur, ut *Comes Palatii*; *Comes Stabuli*, unde nostrum *Connestabilis*; *Comes sacrarum Largitionum*, quem nos diceremus *Intendant des Finances*, & similes plures. Alii vero *Comites* erant, quos Constantinus ejusque successores ob prudentiam & virtutem ex Sacro Comitatu delectos mittebant in Provincias, quorum duo reperiuntur ordines, Superiorum scilicet sive Majorum, & Inferiorum sive Minorum: vocantur in *l. 3. C. de off. Rect. Provinc. Comites per Provincias constituti*: adde & ex *tit. C. de Comitibus, qui Provincias regunt.* Erant vero *Comites Provinciarum* ex ordine Comitum Majorum. Hos innuit Capitolinus, cum *in vita Veri c. 3. p. m.120.* ait; *Confecto sane bello, regna Regibus, provincias vero Comitibus suis regendas dedit.* Talis erat *Comes Africæ, Orientis, Macedoniæ*, aliique. *Comites Minores* & *Inferiores*, uti appellantur in *l. 1. & 2. C. T. Ne Comit. & Tribun. lavacr. præst.* erant Rectores non Provinciarum, sed Urbium, ut colligimus passim ex Cassiodoro, præcipue *Variar.*VI.22. & 23. VII. 13. quibus Comitivæ Syracusana, Neapolitana, Romana, conferuntur, & ex quibus constat illos Comites & Militibus præfuisse & Judicis personam gessisse in urbibus, quibus præerant, non quidem perpetui, sed ad Principis arbitrium tempore statuto aut definiendo.

6. Tam *Duces*, quam *Comites* gaudebant *Evectionum* jure, quod apparet ex plurimis Imperatorum Constitutionibus. De *Ducibus* audiamus *l.ult.* 66. *C.T. de Cursu Publ. Nemo Ducum, ingressus semel provinciam suam, postmodum itineribus faciendis cursu atque angariis ipse, sive suum utatur Officium: sed expeditionem militarem jumentis propriis exsequantur.*

7. *Comites* eadem, qua Tribuni Militum aliique nonnulli constitutione comprehenduntur, ratione *Evectionum*, in *l.49.C.T. eod. Hi, qui provinciis præsunt, inspectis Evectionibus ex quacunque parte venientium ad vehiculorum vicem, Comites quatuor veredos cum Parhippis; Tribunos Militum ternos movere permittant; Cæteros domesticos Protectores & Agentes in rebus binis uti tantummodo patiantur.*

SECTIO XVIII.

De Agentibus in rebus.

1. *Agentes in rebus, quinam: eorum duplex obsequium & officium.* 2. *Primum officium, in quo eorum versabatur obsequium.* 3. *Agentes in rebus successerunt Frumentariis.* 4. *Agentium in rebus perpetuum fere opus in adferendis literis, & Imperatorum in scribendis recipiendisque literis.* 5. *Principes Agentium in rebus, completo tempore militiæ, quo honore potiti sint.* 6. *Alterum officium Agentium in rebus.* 7. *Interdictum his, præsumere parhippum, nisi ab ipso Principe in Evectione tributum; item ab itinere recto divertere.* 8. *Quot Agentes in rebus fuerint per singulas Provincias.* 9. *Canalis, quid.* 10. *Agentes in rebus ex quibus delecti fuerint.* 11. *Curiosus. Præsentalis.*

1. QUandoquidem paullo ante delapsi sumus, occasione laudatæ proxime legis, ad mentionem *Agentium in rebus*, quos nostra lingua redderemus *Commis aux affaires des Postes*, aut etiam *Solliciteurs des affaires Imperiales*, vel *Messagers, Courriers ordinaires des Empereurs*, de his hoc loco videtur commodissime speciatim disputandum, cum præ reliquis a Principe ad Cursum Publicum fuerint dimissi. Scilicet instituerant Principes quædam *Collegia* seu *Scholas Agentium in rebus*, quorum officium & obsequium præcipue in hisce duobus versabatur; primum ut literas & epistolares fasciculos Imperatorios quaquaversum Cursu Publico ferrent; deinde, ut Evectiones a Principe ejusve Præfectis Prætorio ac Officiorum Magistro datas inspicerent, & providerent, ne quis contra Evectionis auctoritatem Cursum Publicum moveret, vel amplius, quam concessisset Evectio, postularet.

2. Priori officio ut facerent satis, singulis diebus tantum viæ conficiebant, quantum erat a Mansione ad Mansionem alteram proximam. Diurnum hoc iter modo longius, modo brevius erat, pro Mansionum dispositione. Inter duas proximas Mansiones, intercedebant Mutationes *quandoque octo, quandoque pauciores: non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat*, si audiamus Procopii locum *sect.* V. §. 4. laudatum, prout eum Pinellus reddidit; ubi idem Procopius addit, si Pinellum audiamus Latine: *Succedentibus vero sibi ad Stationes probatissimis equis, qui eos agebant, decem ferme dierum iter vicissim conficiebant, agentes quo modo significavimus*; ex quibus verbis videtur colligi, tantum iter uno die per Cursores Publicos peragi, quantum alias vulgo fiebat decem diebus. Cum vero Mutationum distantia certo numero milliarium definita ac determinata non esset, sed aliæ aliis longiores aut breviores essent, quandoquidem inveniuntur distantiæ saltem IV. M. P. & porro usque ad XII. M. P. hinc nec Mansionum distantiæ, quæ ex variis Mutationibus inæqualis distantiæ componuntur, æquales ac certo ubique numero limitatæ esse non possunt.

3. *Agentium in rebus* munus quoque erat, animadvertere, num quæ conspiratio, conjuratio, motus, tumultus, seditio adversus Principem gliſceret aut existeret in Provinciis; quo in munere successerunt *Frumentariis*. D. Hieronym. *Comm. in Abdiam c.* 1. *Quos*, ait, *nunc Agentes in rebus & Veredarios appellant, Veteres Frumentarios nominabant*. Eos ob calumnias, quibus innocentes Provinciales, passim, præcipue remotiores, opprimebant, removit Diocletianus, de quo *in ejus vit. libro de Cæsarib. in Epit. Hist. Rom. p. m.* 242. narrat Sex. Aurelius Victor: *Neque minore studio* A *pacis officia vincta legibus æquissimis, ac remoto pestilenti Frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt: qui cum ad explorandum annunciandumque, qui forte in provinciis motus exsisterent, instituti viderentur; compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, præcipue remotissimo cuique, cuncta fœde diripiebant*.

4. Itaque *Agentes in rebus*, qui in locum *Frumentariorum* successerunt, præ cæteris ad Cursum Publicum erant destinati, quem fere perpetuum exercebant & movebant, ob negotiorum multitudinem, quibus Imperatores in administrando Imperio adeo vasto erant occupatissimi, cum noctu & interdiu literas undique acciperent, aut ad Provin- B ciales magistratus quaquaversum ipsi mitterent. Notat hanc rem Mamertinus, si ejus est *Panegyricus Maximiano Aug.* dictus, *p. m.* 285. *ed. H. Steph. Panegyricor. Vett. Longe*, ait, *illa majora ornamenta sunt, quæ Tu impartito Tibi imperio meræ gratiæ retulisti, admittere in animum tantæ Reip. curam & totius Orbis fata suscipere, & oblitum quodammodo sui gentibus vivere, & in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes & maria despicias, vicissimque oculis ac mente collustres, ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui justitiam vestram judices æmulentur, qui virtutis vestræ gloriam duces servent: accipere* C *innumerabiles undique nuncios, totidem mandata dimittere, de tot Urbibus & Nationibus & Provinciis cogitare, noctes omnes diesque perpeti, sollicite pro omnium salute transigere.* Unde semper magno numero plurimique circa Imperatorem erant *Agentes in rebus*, cum tantum non quotidie ex eorum schola seu collegio ad expedienda negotia & jussa Principis aliqui Cursu Publico quaquaversum in provincias mitterentur, hinc Constantinus ad Taurum PF. P. constituit, ut eos eo magis ad manum haberet, *l.* 9. *C. T. de Curs. Publ.* ubi inter alia: *Agentibus in rebus a tua Sublimitate tribui vel fie-* D *ri Evectionem vetamus; sufficere namque posse confidimus, quæ iisdem a Nobis vel Magistris Officiorum, Comitatus nostri jussis, necessaria habita ratione, præbentur*. Porro *Agens in rebus hoc tantum potestatis arripiebat, quod mandatum curæ suæ specialiter approbatur, nec quod injunctum alteri fuerat, collegii jure præsumere poterat*, ut loquar verbis *l.* 7. *C. T. de Exsecut. & Exact.* Item *datam Evectionis formam & licentiam excedere non debebat*, *l.* 14. §. 2. *C. T. de Curs. Publ. l.* 4. *C. h. t.* Tandem denique *omnes omnino Agentes in rebus, quibus vel spatium commeatus, vel injuncti negotii tempus emensum est, ad Comitatum reversi approbare* debebant E *caussas necessariæ tarditatis, ut diligenti constaret examine, qui ordinem suum tenere mererentur*, ut dicam cum *l.* 15. *C. T. de Agent. in reb.*

5. Inter alia, ob quæ mittebantur, negotia, etiam *ad movendum militem mitti consueverunt*, *l.* 7. *C. T. de Curs. Publ.* quo nomine, ut *d. l.* ait *paraveredum exigere* poterant. In hoc vero obsequio captivitatis & vitæ pericula sæpius adibant, quo si rite & diligenter essent perfuncti, ascendebant post jugis militiæ tempus veluti adepti præmium laboris, ad gradum & dignitatem *Principum Agentium in rebus*, ut docemur *l.* 6. *C. de Princip. Agent. in reb.* quæ ait: *Principes Agentium in rebus,* F *quos sæpe sæva pericula vitæque interdum renunciatio ad memoratum gradum adduxit, completo tempore militiæ seu Comitivæ, primi ordinis cingulo in diem vitæ potiri, manentibus videlicet dudum præstitis salvis privilegiis, decernimus*. Gaudebant itaque plurimis privilegiis, erant primi & præcipui Scholæ *Agentium in rebus*, ad gubernanda horum officia directi; imo etiam ad præcipuas Imperii dignitates admittebantur.

6. Alterum munus *Agentium in rebus* fuisse supra diximus, ut curarent, ne quis sine Evectione Cursum usurparet Publicum; ut easdem inspicerent Evectiones, ne fictæ aut falsæ, sed & intra terminos essent legitimos; ne numerus Veredorum, Vehiculorum, dierum in Evectione adscriptus excederetur; ut retinerent illos, qui resisterent aut adversus Principis statuta Evectionesve quicquam facerent, eosque puniendos aut ad Imperatorem, aut PF. P. aut Magistrum Officiorum aut Ordinarios Judices stationarios remitterent, *arg. l.* 8. *& l.* 59. *C. T. de Curs. Publ.* audi & super hac re constitutionem Constantii A. & Juliani Cæsaris *l.*2. *C. T. de Curios.* ubi ajunt: *Agentes in rebus in curis agendis & Evectionibus Publici Cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum, credimus in omnibus velle profutura Reip.* deinde subjiciunt §.1. *Hi vero pervigili diligentia providebunt, ne quis citra Evectionis auctoritatem moveat Cursum, vel amplius postulet, quam concessit Evectio: ut habens unius copiam rhedæ, flagitet mulas duas; aut rhedam usurpet, cui birotum vel veredum postulare vel clabulare permissum est. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare tentaverit, improbi cœpti privetur effectu.*

7. Inter alia statutum erat; ut *hi tantum Parhippum præsumerent, quibus ipse* Princeps, *in Evectione, quam faciebat, veredum cum Parhippo tribui jusserat. Si quis vero contra* Imperatoriæ *adnotationis indultum id licenter exegisset, severissimæ subjacebat ultioni:* adoptavi hic verba *l.*29. *C. T. de Curs. Publ.* quin imo *qui contra adnotationem* Imperatoriæ *manus, plures, quam Evectio continebat, veredos credebat usurpandos, capitalem rem fecisse videbatur: & si instantis necessitatis gratia non retineretur quis, tamen ille erat ad censuram* PF. P. *cum ad* Imperatoriæ *Serenitatis conscientiam referendum erat,* uti iterum adoptem verba *l.*14. *C. T. eod.* Interdictum quoque erat, *ab itinere solito deviari: proinde, si quis iter faciens, cujusque dignitatis esset militans, ab itinere recto divertisset quingentis passibus, pœna in eum competens proferebatur,* uti loquar cum *l.*25. *C.T. eod.* quam demto initio transtulit in *l.* 5. *C. eod.* Tribonianus.

8. Hæc autem ut omnia & singula recte per stationes observarentur, per singulas Provincias mittebantur duo *Agentes in rebus:* audi paullo ante laudatam *l.*2. §. 1. *C.T. de Curios. Nec vero multos esse per singulas Provincias jussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, & Cursum publicum gubernare, ut licet in Canalibus Publicis hæc necessitas explicetur, numerus tamen amplior esse non debeat.* Tantum vero abest hunc numerum postea fuisse auctum, ut brevi post per Impp. Arcadium & Honorium tantum singuli per singulas provincias fuerint missi, ut discimus ex *l.* 4. *ult. Cod. de Curios.* quæ adscribi meretur: *Agentes in rebus singulos per singulas Provincias mittendos esse censemus, quibus inspiciendarum Evectionum tantum debeat cura mandari: ut nihil prorsus commune aut cum judicibus, aut cum provincialibus habeant, nec naves debebunt illicita concussione vexare, nec libellos aut attestationes vel contestationes litis gratia suscipere, aut in carcerem quenquam trudere, sed Cursui solum vacare.*

9. Verum enim vero, cum in proxima *d. l.* 2. §. 1. *C. T. de Curios.* mentio fiat *Canalium Publicorum*, qui sensu non adeo obvio hic occurrunt, adscribam ea, quæ ex ore Illustris Salmasii, Viri inter ornamenta sæculi nostri facile principis, didici. Is me docuit primus, in *d.l. Canales Publicos* non esse fossas illas, quibus ad navigationis commoda corrivantur & conjunguntur fluvii, sed

A *Viam Publicam* aut *Militarem:* hoc aperte posse videri ex *l.* 15. *C. T. de Curs. Publ.* verbis: *Neque tamen sit cujusquam tam insignis audacia, qui parangarias aut paraveredos in Civitatibus ad Canalem audeat commovere;* ubi τὸ *commovere* refertur ad *paraveredos ad Canalem*, id quod itineri terrestri, non vero, quod per flumina fit, convenit; in posteriori enim navigia, non paraveredi, vectoribus usui sunt: confirmatur hoc insuper ex D. Athanasii *Apolog.* II. *p.*597. verbis, ubi memorat Episcopos, qui ad Synodum Sardicensem ex Hispaniis, Italia, Galliis, aliisque provinciis convenerant, hoc modo: Οἱ ἐν τῷ Καναλίῳ τῆς Ἰταλίας
B Προβάτιος, Βιάτωρ Φακυνδῖνος κλ. i. *Probatius, Viator, Facundinus* aliique Episcopi Urbium *ad Canalem* Publicum sive Vias Militares *Italiæ* sitarum. Item eo sensu fit *Canalis* mentio in *Concil. Sardicens. canone* XXI. Ἕκαστος ὑμῶν τῶν ἐν τῇ Παρόδοις ἢ τῷ Καναλίῳ καθεστώτων Ἐπισκόπων. i. *Unusquisque vestrum, qui sunt Episcopi constituti* Urbium sitarum *ad Viam Publicam aut Canalem*. Sive ergo Viæ Militares id nominis habuerint, quod utrimque prætextæ & munitæ essent longissimis canalibus sive fossis, quæ fiebant effossis ad exaggerandam Viam sive Aggerem publicum ter-
C ris: sive quod Cursus Publicus per Vias Publicas feratur continuus, uti flumina fluunt perpetuo cursu per suum canalem sive alveum: sive quod Viæ Militares per aperta camporum deductæ, & exaggeratæ ad modum operis dimidiæ eminentiæ, exhibeant speciem *canalis* inversi; illud sine ullo est dubio, quod Urbes & Civitates ad *Canalem* adsitæ, ob Viam Publicam, dictæ fuerint, ut vel ex Ammiano Marcellino constat, *Perviæ*, ceu diceres nobiscum *Villes de Passage*; uti e contrario *Deviæ*, quæ erant a Via Militari remotiores: vide Ciceronem *Philippic.* 11. 41.

10. Sed redeamus ad *Agentes in rebus:* ex ho-
D rum schola non per saturam legebantur mittendi per Provincias; sed illi, qui jam aliquo in ea schola dignitatis gradu fulgerent, deligebantur. Gradus autem erant *Equitum, Circitorum, Biarchorum, Centenariorum* & *Ducenariorum:* per hosce gradus ascendebant ad *Principatum Agentium*. Sic enim decernunt Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius, *in l.* 1. *Cod. de Princip. Agent. in reb. Agentes in rebus post palmam laboris emeriti Principatus honore remuneramus: atque ita Officialis, tam ad necessitates publicas, quam privatas non nisi a Principe mittatur auctore, nullarumque sine ipso cuiquam mandetur exhibitio*
E *Personarum.* Quicunque autem ad *Principatum Agentium* ascenderant, poterant deinde *adjectione dignitatis Proconsularis apicis*, aut *Vicarianæ dignitatis titulis decorari*, ut constat ex *l.* 3. *& l.* 5. *C. eod.* Erant vero istæ dignitates summi honoris, ad quem pervenire possent illi, qui in Palatio sacrove Comitatu militabant.

11. Tandem notandum ex Schola *Agentium in rebus* delectos & directos fuisse *Curiosos*, sic speciatim dictos, quia *curas gerebant, & Cursum Publicum gubernabant*, *l.* 2. §. 1. *C. T. de Curios.* Hinc etiam tituli utriusque Codicis tam Justiniani, quam
F Theodosii AA. *de Curiosis*, ad quos harum rerum studiosos & curiosos remittimus. Illud tantum addere lubet, ex *Curiosis*, qui e *Schola Agentium in rebus* dirigebantur, unum fuisse, qui Constantinopoli degebat & sedem habebat fixam, unde dictus fuit *Præsentalis*; cujus officium fuit, curare, ne quis sine jussu Principis equis Publicis curreret, neve Evectionibus ultra statutum tempus vel modum uteretur.

SECTIO .XIX.

De Tertia Caussa Finali Viarum Publicarum munitarum.

1. *Transitus ad tertium caput Finalis Caussæ Viarum Militarium*. 2. *Augusti scitum dictum*. *Facilitas ducendi quaquaversum exercitus, beneficio Viarum Militarium munitarum*. 3. *Fabulosa Regum Belgicorum Historia caussam præcipuam Viarum Militarium Bagacensium adscribit, facilius ducendis exercitibus*. 4. *In ea narratione aliquid est veri & aliquid falsi*. 5. *Quot M. P. per Vias Militares singulis diebus, cum iter facerent, debuerint conficere milites legionarii*.

1. EA, quæ huc usque disputavimus de *Mutationibus*, *Mansionibus* & *Civitatibus*, referuntur ad *Cursum Publicum*, quem diximus esse alterum caput Propositi operis Viarum Publicarum muniendarum, sive, ut cum scholis balbutiamus, Caussæ Finalis Viarum Imperii Militarium: restat, ut persequamur mox Facilitatem ducendi per Vias hasce munitas quaquaversum Exercitus, & deinde tandem Commeatuum necessariorum in Urbem advectionem per Vias easdem undique factam. Prius vero disputandum erit de tertio capite Caussæ Finalis, sive Proposito operis Viarum faciendi, quod est Facilitas quaquaversum ducendi exercitus, quam pergamus ultra ad postremum Propositum operis.

2. Dicimus itaque, inter præcipuas caussas, quæ tot manus passim, per Imperii provincias, Viarum operi admoverunt, fuisse Facilitatem ducendi quaquaversum, pro re & necessitate nata, exercitus. Scitum Augusti dictum fuit: Σπεῦδε βραδέως, *Festina lente*. Id nusquam commodius meliusque facere potuit, quam per Vias istas Militares ducendo exercitum, sic enim *festinare* potuit, & quidem *lente*, sive non præcipitando iter exercitus. Facilitas enim itineris per Vias Militares munitas plurimum faciebat, tum ad celeritatem expeditionis, tum ne loca humida & palustria, interjectique fluvii iter retardarent militare: Hæc enim sæpe expeditionem morantur diutius, quo minus capillata fronte occasio rei bene gerendæ possit arripi. Commoditate vero Viarum munitarum, &, qui eas continuas nectunt ac conjungunt, pontium, exercitus eodem militari gradu possunt continuare iter non interruptum, sine ulla retardatione, aut ambagibus vagis, & sic hosti necopini supervenire, quod sæpissime ab Imperatoribus Romanis factum accepimus.

3. Auctor fabulosæ Historiæ *Bavonis*, *Brunehaldi* & cæterorum *Belgici Regni* fictorum & commentitiorum Regum oblitus non est, quin annotaret, finem ac propositum præcipuum Viarum munitarum Galliæ Belgicæ fuisse, faciliorem exercitus quaquaversum ducendi rationem. Id enim nobis persuadere conatur, caussam, quæ impulerit *Bavonem* ut inchoaret, *Brunehaldum*, ut perficeret septem illas Vias Militares & Publicas, quæ *Bagaci*, seu *Bavaci* in *Hannonia* oriundæ quaquaversum patent & porriguntur, fuisse, quod loca ibi demissa & palustria impedirent retardarentque expeditiones militares; cui malo ut remedium adferrent, curasse eos fieri istas Vias munitas, idque artibus magicis & Dæmonum ope. Tangit hanc rem obiter Carolus Bovellus, *de Hallucinat. Gall. nom. c.* 23. verba faciens de *Brunehaldo*, quinto Belgarum Rege, si fides habenda fabulis, *Chronicis* volebam scribere, *Hannoniæ*, & vulgi opinionem recensens, his verbis: *Cum sæpe palustrium* A *Viarum difficultatibus offenderetur, impetrasse a familiari Dæmone, ut, quod humano opere vix perfici posse animadvertebat, id concita & repentina Dæmonis opera impleretur*.

4. Auctor ille, dum vulgi opinionem & fabulas refert, optime tamen caussam exponit, ob quam Viæ Publicæ per Galliam Belgicam sunt munitæ; fabulosum tantum Operis tanti modum & Auctorem adfert. Non enim Dæmonum opera, sed hominum manu & industria est perfectum, quamvis apud ignaros Romanæ Virtutis & Potentiæ isto sæculo visum fuerit supra omnem fidem virium humanarum: nec Rex ille commentitius B *Brunehaldus* curavit fieri istas Vias Militares, verum Augustus Imperator per generum Agrippam, una cum nonnullis Successoribus Imperatoribus, qui per eadem vestigia pergendo prioribus jam factis Viis novas addiderunt; cunctas sane ad facilitatem expeditionum militarium, unde & cognomine usitatiore, communiore, & vulgatiore dictæ sunt *Viæ Militares*, ceu factæ maxime ad commoditatem & facilitatem rei militaris.

5. Iter diurnum, quod milites Legionarii faciebant per Vias militares, non erat fortuitum, sed certo spatio limitatum ac definitum: audiamus Vegetium C *de R. M.* l. 9. *Militari ergo gradu, viginti millia passuum, horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt: Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt: quicquid addideris, jam cursus est, cujus spatium non potest definiri*. Hinc discimus duplicem fuisse *Gradum* militis Romani in expeditionem euntis: *Militarem*, qui usitatior erat, quo fere conficiebat v. horis æstivis XX. M.P. ita Hadrianus Imp. teste Spartiano *in vit. Hadr. c.* 6. *p. m.* 46. *exemplo virtutis suæ cæteros milites adhortatus, etiam vicena millia pedibus armatus ambulavit*: alter *Gradus* fuit *Plenus*, qui citatior fuit, quo V. D horis æstivis XXIV. M.P. miles peragebat. Si plus perageret, non jam *Gradus*, sed *Cursus* dicebatur, qui nullis spatiis viæ aut itineris definiri potest.

SECTIO XX.

De Horreis & Annona Militari in Mansionibus.

1. *Instrumentum & apparatus communis tam Mansionibus, quam Civitatibus*. 2. *Horrea: Annona Militaris, quid sint*. 3. *Modii ac Pondera cur in Mansionibus & Civitatibus collocata*. 4. *Horrea Civitatum & Mansionum instruebantur sumtibus publicis*. 5. *Imperatores æque in Mansionibus, ac in Civitatibus manebant*. 6. *Milites expeditionis tempore annonas in Mansionibus accipiebant*. 7. *Onera, quæ miles legionarius portabat præter arma sua*. 8. *Alexander Severus Imp. itinerum dies publice proponebat*. 9. *Ambrosii insignis locus de viandi ordine, quem miles ab Imperatore accipiebat*. 10. *Notula ad hunc locum*.

E F

1. PRæter numerum tot hominum, tot animalium publicorum, & pabulorum, quæ passim & ubique in Mutationibus, Mansionibus & Civitatibus ad Cursum Publicum deputabantur; habebant tam Civitates, quam Mansiones separatim quendam apparatum & instrumentum, non Cursui publico, sed expeditionibus militaribus, aliisque Principis & Imperii negotiis destinatum. Atque in eo Mansiones multa habebant communia cum Civitatibus, quæ vero non erant reperienda in Mansionibus.

2. Inter alia invenio in Civitatibus & Mansionibus fuisse loca quædam publica, quæ *Horrea* dicerentur, tanquam repositoria quædam, in quibus frumentum & carnes salitæ adservabantur, militibus per Vias Militares in expeditionem ituris erogandæ & distribuendæ; & quidem singulis mensibus, sub nomine communi *Annonæ Militaris*, nos diceremus, *provisions de vivres pour les Soldats*. Huc refer utriusque Codicis titulos: *de Conditis in publicis Horreis*, & præcipue Impp. Valentiniani & Valentis rescriptum Anthemio Præsidi *l.* 2. *C. d. t. Cum ad quamlibet urbem mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputatæ & incorruptæ species præbeantur*.

3. Ut vero Militaris Annona ex horreis recte Militibus erogaretur, Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius sanxerunt in *l.* 9. *C. de Suscept. Præpos. & Arcar.* ut mensuræ ad metiendum, libræ cum ponderibus per singulas mansiones civitatesque essent: *Modios*, ajunt, *æneos vel lapideos cum sextariis atque ponderibus per mansiones singulasque civitates jussimus collocari*.

4. Annonæ hæ Militares publicis sumtibus in Horrea inferebantur, non vero Provincialium. Imo Constantinus prohibuit Provinciales hoc nomine vexari *l.* 2. *C. de Lucr. Advoc. & concuss. Offic. seu Appar. Præter solennes & canonicas pensitationes, multa a Provincialibus indignissime postulantur ab Officialibus Scholasticis, non modo in civitatibus singulis, sed etiam mansionibus, dum ipsis & animalibus eorundem alimoniæ sine precio ministrentur. Provinciales itaque cuncti Judices tueantur, nec injurias inultas transire permittant*: quam legem ex *l.* 2. *C. T. de concuss. Advoc. sive Apparit.* interpolavit Tribonianus.

5. Porro cum Imperatores iter per Imperii Provincias facerent, plerumque aut in Mansionibus aut in Civitatibus manebant, unde etiam in illas instrumentum & ornamenta Imperatoria invehebantur, ut instruerentur pro majestate Imperatoris excipienda. Docet Ambrosius *de Obit. Valentinian.* his verbis: *Ecce literæ de instruendis mansionibus, invectio ornamentorum regalium, quæ ingressurum Imperatorem significarent*. In Mansionibus enim Imperatores pernoctasse & commoratos fidem quoque faciunt Suetonius *Tit. cap.* 10. ubi Titus narratur *ad primam statim mansionem febrim nactus*: & Vopiscus de Aureliano *in ejus vit. cap.* 9. *p. m.* 685. hæc tradit: *Quum iter faceret, apud Cænophrurium, mansionem, quæ est inter Heracliam & Byzantium, malitia notarii sui & manu Mucaporis interemtus est*. In Mutationibus mansisse aut pernoctasse vix legitur, neque putem, cum fuerint minus aptæ nec commodæ excipiendo sacro Comitatui.

6. Sed redeamus ad Annonas Militares: hæ per *Mansiones* æque, ac per *Civitates* Militibus erogabantur: testem adfero Lampridium *in vit. Alex. Sever. cap.* 12. *p.* 436. ubi ait: *Milites expeditionis tempore sic disposuit* Alexander Severus, *ut in Mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, ut solent, dierum: nisi in Barbarico*.

7. Has Annonas accipiebant milites Legionarii, quamdiu per Provincias Imperii, Viis Militaribus scilicet munitis harumque commodis ornatas, iter faciebant: Verum mox ut intrabant solum, quod vocant, *Barbaricum*, extra Imperii limites, cogebantur pro more solito cibaria plurium dierum portare secum, una cum ligone duobusque vallis, ut statim liceret vallare se & munire, si castra subito locanda, aut alia necessitas esset. Ad pondera hæc bajulanda juniores cives Romani exercebantur prius, quam Legionibus insererentur. Ponderum horum ad rationem non veniunt arma. Unde eleganter Cicero *Tusc. Quæst.* II. 16. *Nostri Exercitus primum unde nomen habeant, vides: deinde, qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad usum velint: ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possint*.

8. Porro ut Milites scirent mansiones, per quas iter futurum esset, & Annonaria stativa; sæpe diu ante proponebantur itinerum dies & mansiones, usque ad fines Barbaricos; inde enim iter solebat taceri, & miles, ut paullo ante didicimus, pro more solito cibaria XVII. dierum secum rursus portabat. Audi Lampridium *l. l.* de eodem Alexandro Severo narrantem: *Tacebantur secreta bellorum: itinerum autem dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: Illa die, illa hora ab Urbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima mansione mansurus: deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda; & id quidem eo usque, quamdiu ad fines Barbaricos veniretur: jam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant ita, ne dispositionem Romanam Barbari scirent*.

9. Verum si ullus apud antiquos scriptores locus dicta nostra confirmat, & clarissime comprobat, *Annonas militares* æque in Mansionibus, atque in Civitatibus fuisse comparatas ac militi erogatas; est certe is locus insignis D. Ambrosii *Serm.* V. *in Psalm.* 118. quem hic adscribo: *Miles*, ait, *cum ingreditur, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat a signis: sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud: præscripto incedit ordine, cum armis sui ambulat, rectaque via conficit iter, ut inveniat commeatuum sibi parata subsidia: si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit; quia Imperator iis jubet hæc præparari omnia, qui sequuntur, nec dextera, nec sinistra a præscripto itinere declinant; meritoque non deficit, qui Imperatorem suum sequitur: moderate enim ambulat: quia Imperator, non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile considerat; ideoque & stativa ordinat. Triduo ambulat Exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur Civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponuntur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur: & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam Urbem perveniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis Exercitibus requies ministratur*.

10. Elegantissime depingit, & veluti oculis objicit hic Ambrosii locus morem & rationem itineris militaris, quam Romani, cum Imperatores, tum Exercitus, per Vias Militares, earumque Mansiones & Civitates, soliti in expeditionibus bellicis observare. Fuit autem Divus ille Ambrosius sub Valentiniano Juniore Imperatore Liguriæ & Æmiliæ Præfectus ab Anicio Probo PF. P. constitutus, & multum ante versatus penes Romanos Exercitus, quam ad militiam vocaretur cœlestem, & a præfectura civili traduceretur ad Ecclesiasticam.

SECTIO XXI.

De Inſtrumento & Apparatu, quem Imperatores ſpeciatim in Civitatibus, ſitis ad Vias Imperii Militares, fieri & adſervari curabant.

1. *Triplicis generis Inſtrumentum & Apparatus, ſpeciatim in Civitatibus.* 2. *Fabricæ in quibuſdam Civitatibus.* 3. *Fabricenſium Collegia. Cooptandus in horum militiam quid prius docere debuerit.* 4. *Fabricenſium brachiis nota publica inurebatur, ut ſemper poſſent Fabricis vindicari.* 5. *Fabricæ tamen primicerius poſt biennium vacatione & honore donabatur.* 6. *Unius e Collegio Fabricenſium damnum tranſibat ad omnium diſpendium.* 7. *Fabricenſium privilegia.* 8. *Armamentaria Imperatorum ubi fuerint.* 9. *Quot & quibus in Civitatibus fuerint Fabricæ per Gallias.*

1. PRæter Horrea & Annonæ Militaris apparatum, qui tam Manſionibus, quam Civitatibus communis erat, fuit & alius Civitatibus tantum deputatus, quique adſervabatur in illis Civitatibus ad Vias Militares adſitis. Apparatus autem iſte & inſtrumentum triplicis fuit generis, *Fabricarum*, *Veſtium*, *Pecuniarum*.

2. A *Fabricis* ordiamur. In quavis Provincia erant Civitates, in quibus Imperatores inſtituerant publicas quaſdam Officinas, Græcis nomine Ὁπλοποιΐας, Latinis *Fabricæ*, dictas. In unaquaque earum Officinarum certus erat *Fabricenſium* numerus, qui ita dicti, quod omnis generis arma fabricarent, ſacro inferenda armamento & adjicienda ibi repoſitis publicis armis, ut utar verbis *cap.* I. *Novell.* LXXXV. *ſive Authent. Coll. de Armis*. Armamentaria autem talia in nonnullis locis munitiſſimis hinc inde per Imperium erant.

3. Horum *Fabricenſium* erant *Collegia*; in quæ, ut quis eligi poſſet, non ſufficiebat, ut quis fabrilia ſcienter tractaret, ſed & ſecundum *l.* 6. *C. T. de Fabricenſ.* *ſi quis conſortium Fabricenſium crediderit eligendum in ea urbe, in qua natus eſt, vel in qua domicilium collocavit, his, quorum intereſt, convocatis, primitus acta conficiat, ſeſe doceat, non Avo, non Patre, Curiali progenitum, nihil Ordini Civitatis debere, nulli ſe civico muneri obnoxium: atque ita demum geſtis confectis, vel apud Moderatorem Provinciæ, vel, ſi is abſit, apud Defenſorem Civitatis, ad militiam, quam optaverit, ſuſcipiatur. Quod ſi abſque hac cautione quiſpiam ad Fabricenſium conſortium obrepſerit, ſciat, ſe ad Ordinis, cui debetur, patriæque ſuæ munera eſſe revocandum, ita ut nulla eum nec temporis nec ſtipendiorum prærogativa tueatur.* Eadem, ſed minus emendate, leguntur in *l.* 4. *C. eod.* quam Tribonianus ex *C. T.* tranſtulit. Formulam receptionis Fabricenſium nobis exhibet Caſſiodorus *Variar.* VII. 18.

4. Porro ſemel *Fabricenſes* facti, nec ipſi, nec eorum liberi fabricam armorum deſerere poterant, ſed & inviti, cui ſemel erant adſcripti, Fabricæ obnoxii permanebant: nam *jure proviſum eſt, Fabricenſes artibus propriis inſervire, ut exhauſtis laboribus immorentur cum ſobole profeſſioni, cui nati ſunt*, ut ait *l.* 5. *C. eod.* Et ne a *Fabricis* aufugerent, *ſtigmata, hoc eſt, nota publica, Fabricenſium brachiis, ad imitationem tyronum, infligebantur* & ferro calido inurebantur, *ut hoc ſaltem modo poſſent latitantes agnoſci: his, qui eos ſuſcepiſſent, vel eorum liberis* (in *C. T.* melius videtur legi: *liberos*,) *ſine dubio Fabricæ vindicandis:* ſed *nec ſubreptione quadam declinandi operis, ad publica cujuslibet ſacramenta militiæ tranſire licebat*, ſecundum *l.* 3. *C. eod.* &, unde hæc eſt tranſlata, *l.* 4. *C. T. eod.*

5. Fabricenſis tamen militiæ vacationem honorificam ille adipiſcebatur demum, qui cum tempore ad *Primicerii Fabricæ*, ut eum Valentinianus, Theodoſius & Arcadius Impp appellant, gradum aſcenderat, eumque per biennium ornarat: ſic enim ait *l.* 3. *C. T. eod.* *Primicerium Fabricæ non ſolum poſt biennium vacatione, verum etiam honore donari præcipimus, ita ut inter Protectores adoraturus æternitatem noſtram ſuo quiſque tempore dirigatur*: exſtat eadem *l.* 2. *Cod. eod.* ſed cum aſſuto inepto gloſſemate.

6. Quævis Fabrica ſuos Fabricenſes ſeparatim habebat, ea quidem lege, ut, aliquo ex Fabricenſibus decoquente aut fugiente, pro eo cæteri teneantur, & ut, *quod ab uno committitur, id totius delinquatur periculo numeri, ut conſtricti nominationibus ſuis, ſociorum actibus quandam ſpeculam gerant, & unius damnum ad omnium tranſeat diſpendium. Univerſi itaque, veluti in corpore unius formæ, unius decoctionis, ſi ita res tulerit, reſpondere coguntur*, ut habet *l.* 5. *Cod. eod.*

7. Fabricenſium certa quoque privilegia erant, veluti ut ab hoſpitibus recipiendis & a metati onere immunes eſſent; ut ab univerſis muneribus vacarent, *l.* 1. *C. de Excuſ. Artific.* ut pertinerent ad juriſdictionem poteſtatemque ſolius Magiſtri Officiorum, *l.* 6. *C. eod.* qua Impp. Leo & Anthemius ſcribunt Euſemio, Magiſtro Officiorum: *Eos, qui inter Fabricenſes Sacræ Fabricæ ſociati ſunt, vel eorum uxores, aut filios, qui itidem inter Fabricenſes militare dicuntur, non alibi pulſare volentibus reſpondere præcipimus, niſi in judicio tuæ ſublimitatis, ad cujus juriſdictionem poteſtatemque pertinent: nec eos poſt ſtipendiorum finem & militiæ, ſuper civilibus vel curialibus muneribus, quibus nullo modo ſubjacere monſtrantur, a Viris Clariſſimis Rectoribus Provinciarum, vel eorum officiis præter licitum inquietari.* Scilicet ſub diſpoſitione & cura Magiſtri Officiorum erant armorum Fabricæ, & Fabricenſes, æque ac illi, qui vecturam faciebant, cum arma, prout opportunum eſſet, ad diverſa loca transferenda, aut ex Fabricis in Armamentaria Imperatoria eſſent inferenda, & ibi repoſitis publicis armis adjicienda. Videatur *tit. C de Officio Magiſtri Officior.*

8. Promtuaria hæc omnis generis armorum appellabantur *Armamentaria*, quorum præcipua & præ aliis melius inſtructa erant in limitibus Imperii, ut ad ſubitos incurſus hoſtiles promte miles armari poſſet tutandis finibus. Tale *Armamentarium* fuit celeberrimum illud Severi Imp. in ripa medii alvei Rheni ad littus Oceani in Batavia, quod deſcribit & depingit Hadrianus Junius *Bataviæ c.* 10. Hoc poterit exemplum præbere veterum Armamentariorum Populi Romani, quæ more priſco muniebantur, ut arma publica ibidem tuto reponerentur.

9. Ut de cæteris Provinciis taceam, per Gallias erant octo *Fabricæ*, quas ex *Notit. Imp. Occid. p.* 138. *verſa*, ſic in tabellam digeſſit Pancirollus II, 29. & expoſuit *ſeq. cap.* 33.

Magiſter Officiorum in Occidente præeſt Fabricis VIII. in Galliis:	1. Argentoratenſi:	Armorum omnium
	2. Matiſconenſi:	Sagittariæ.
	3. Auguſtodunenſi:	Loricariæ.
	4. Sueſſionenſi:	Baliſtariæ. Scutariæ. Clibanariæ.
	5. Remenſi:	Spatariæ.
	6. Triberorum:	Scutariæ.
	7. Triberorum:	Baliſtariæ.
	8. Ambianenſi:	Spatariæ. Scutariæ.

SECTIO XXII.

De Barbaricariis, & quibus in Civitatibus per Vias Imperii Militares fuerint dispositi.

1. Arma in Publicis Fabricis fabricabantur duobus modis. 2. Barbaricarii differentia ab Argentario & Aurario Fabro. 3. Unde dicti Barbaricarii. 4. Eorum Collegia & Judex. 5. Quaenam arma & quot diebus condecorare debuerint. 6. Quot fuerint Barbaricariorum per Gallias Collegia.

1. ARmorum, quæ in Publicis Fabricis fiebant, alia manebant talia, qualia erant fabricata, sine ullis ornamentis; alia vero deferebantur ad officinas artificum, quos Constantinus Imp. *in l. 1. C. de Excus. Artif.* & Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius *in l. 7. C. de Palat. Sacr. Larg. & rer. priv.* appellant *Barbaricarios*, Leo Imp. *in l. 1. C. de Præpos. Agent. in reb.* vocat *Barbaros* aut *Barbarios*; Notitia *Imp. Occ. p. m.* 141. corrupto nomine *Brambaricarios*, quos confundit cum *Argentariis*.

2. Attamen si has voces propria & genuina significatione accipias, *Barbaricarii* distinguuntur ab *Argentariis* & *Aurificibus*. Hi enim posteriores sunt qui vasa & alia opera aurea vel argentea fabricant, quos Javolenus *in l. 39. pr. ff. de Aur. arg. mund.* vocat *fabros argentarios*. At enim, qui in Legibus dicuntur *Barbaricarii*, hi arma signis ex argento aurove ductili conspicua faciebant, aut, ut Donatus Virgilii interpres ad *Æneid.* XI. 777. ait: *Barbaricarii dicuntur, qui ex auro coloratis filis exprimunt hominum formas, animalium & aliarum specierum imitantur subtilitate veritatem:* aut, qui, ut canit Poeta *Æn.* VII. 634.

Thoracas ahenos
Aut læves ocreas lento ducunt argento.

3. Quod vero, ut vult Pancirollus ad *Not. Imp. Occ.* II. 40. *p. m.* 143. a *Barbaris* hæc opera emanarint, *Barbarica* sunt appellata, & *Barbaricarii* hinc eorum operatores, qui arma in Fabricis Publicis facta, deinde ornamentis variarum specierum ex auro argentove elaborabant.

4. Differebant porro hi *Barbaricarii* ab *Aurariis*. *Aurarii* enim inaurabant ferrum, æs & cætera metalla ad lubitum cujuscunque privati, qui eorum opera uti volebat: *Barbaricarii* vero Operibus Publicis erant deputati, Corpus & *Collegium* suum separatim habebant, æque ac *Fabricenses*, cui item isti erant obnoxii, nec illud poterant deserere; Judex illis erat, non *Magister Officiorum*, sed *Comes Sacrarum Largitionum*, qui valde convenit cum eo, quem nos vocamus *Intendant General des Finances*. Etsi enim a muneribus & largitionibus nomen habebat, tamen universam pecuniam publicam administrabat, ut docet Pancirollus ad *Not. Imp. Or.* I. 73. unde dicitur *Thesaurorum Comes* in *l. 2. C. de Palatin. Sacr. Largit.* & *Imperialium Pecuniarum Quæstor* apud Nicephorum *Hist. Eccl.* X. 29. & Theodoretum *H. E.* III. II.

5. Complures erant officinæ Publicæ *Barbaricariorum* per Provincias, quibus *Barbaricariis* singulis operis menstrui certus modus erat præscriptus: colligimus ex *l. 1. C. T. de Fabricens.* ubi Impp. Valentinianus, Valens & Gratianus scribunt ad Tatianum Comitem Sacrarum Largitionum: *Cum senæ per tricenos dies ex ære, tam apud Antiochiam, quam apud Constantinopolim a singulis Barbaricariis cassides, sed & bucculæ, tegerentur: octo vero apud Antiochiam cassides totidemque bucculas, per dies triginta, & tegerent argento & deaurarent, apud Constantinopolim autem tres solas, statuimus, & Constantinopoli quoque, non octonas singuli cassides per tricenos dies, sed senas, si, pari numero buccularum, auro argentoque condecorent.*

6. Per omnes Gallias non nisi tres Civitates habuerunt Barbaricariorum Collegia; scilicet Arelate, Remi, Treveri. In *Notit. Imp. Occid. p. m.* 141. *collocantur sub dispositione Viri Illustris Comitis Sacrarum Largitionum, Præpositi Brambaricariorum sive Argentariorum*:

1. *Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Arelatensium;*
2. *Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Remensium;*
3. *Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Triberorum.*

Vides, hic nullam poni differentiam inter *Brambaricarios* & *Argentarios*, deinde sub *Comite S. L.* Occidentis fuisse & ipsis etiam *Barbaricariis* suos speciatim *Præpositos*.

SECTIO XXIII.

De Gynæciis, quæ in Civitatibus ad Vias Militares adsitis erant disposita.

1. Vestes Imperatoriæ in nonnullis Civitatibus Provincialibus ad usum repositæ & dispositæ. 2. Repositoria earum dicta Gynæcia, & cur. 3. Procuratores Gynæciorum, eorumque munus. 4. Cynegium male pro Gynæcio positum. 5. Quot Gynæcia Imperatoria fuerint per Imperium Occidentale; & quidem quæ & quot per Gallias. 6. Baphia Publica Vestium Imperatoriarum, & quot in Galliis.

1. SAtis inter arma eorumque fabricas hæsimus: jam cedant arma togæ. Lustremus Vestes Sacras, sive Augustas, sive Imperatorias, repositas & dispositas in multis urbibus ad Vias Militares sitis, ut cum Imperatores modo in hanc, modo in illam Provinciam vocaret necessitas, in singulis ad manum essent vestes, quæ Imperatoriam decerent majestatem: qua ex re etiam hoc habebant commodum, ut sine longo syrmate impedimentorum & instrumenti aulici vestiarii iter expeditius facerent.

2. In singulis Provinciis erant loca adservandæ rei Vestiariæ Sacræ sive Imperatoriæ singillatim destinata: ea vocabulo Græco dicebantur *Gynæcia*. Quamvis enim hæc vox proprie videatur significare repositorium & quasi armarium mundi muliebris, usu tamen quoque recepta est pro repositorio sive armario quasi & tablino Vestiariæ rei, quæ pro Principis majestate in præcipuis Provinciarum Civitatibus adservabantur ad usum vel necessitatis, vel splendoris. *Vestiaria* autem hæc sacra ideo nostris Francogallis commode redderentur *Garderobes Imperiales*.

3. Horum *Vestispici*, si Plauti vocem non reformidas, dicebantur *Procuratores Gynæciorum*. Procurabant enim, ne quid in re Vestiaria ad usum splendoremve domesticum Principis desideraretur: Vestes militares, quas Imperatores solebant quotannis militibus distribuere, item navium vela, cum classis instruenda, fieri curabant. Erant enim *Gynæciorum Procuratores*, ut loquar cum Pancirollo *ad Notit. Imp. Occ.* II. 38. *p. m.* 142. *texendis*

tot Principis militumve vestibus, navium velis, stragulis, linteis, & aliis ad instruendas Mansiones necessarii.

4. In *Notitia Imperii Occidentalis p. m.* 141. vocabantur *Procuratores Cynegiorum*, sed voce plane corrupta. Legitur quidem *Cynegii* vocabulum in libris Juris, sed, pro Cynotrophio aut canum Venaticorum stabulo, aut, ut exponitur a Suida, *pro loco, in quo conficiebantur feræ*, a Ducibus scilicet limitaneis transmissæ ad spectacula populo in Amphitheatro exhibenda. *Huic* autem *studio non certi Procuratores, sed Duces in limitibus vacabant; qui ursos, leones, aliasque feras vivas ad Principem mittebant*; ut ait *l. l.* Pancirollus.

5. Quare sine ullo dubio legendum est *Procuratores Gynæciorum*, quorum in Occidente quindecim, diversis in Provinciis, Gynecia procurabant. Horum VI. erant in sex Galliarum Civitatibus, *sub dispositione Viri illustris Comitis Sacrarum Largitionum*, & quidem, ut habet *Notit. Imp. Occ. p.* 141. erant:

1. *Procurator Gynæcii Arelatensis Provinciæ Viennensis;*
2. *Procurator Gynæcii Lugdunensis;*
3. *Procurator Gynæcii Remensis Belgicæ secundæ;*
4. *Procurator Gynæcii Tornacensis Belgicæ secundæ;*
5. *Procurator Gynæcii Triberorum Belgicæ primæ;*
6. *Procurator Gynæcii Augustoduni translati Metis.*

6. Vestes vero sive laneæ, sive sericæ, ante tingebantur purpura, quam ad usum Principis adhiberentur. Officinæ publicæ ad tingendas Principis vestes, sive *Baphia*, per Occidentale Imperium erant novem, cum totidem *Baphiorum Procuratoribus*, qui recensentur *l. l.* Per Gallias erant duo:

1. *Procurator Baphii Telonensis Galliarum*, &
2. *Procurator Baphii Narbonensis.*

Verum loco τῦ *Telonensis*, Pancirollus *l. l.* 39. *p.* 142. *versa*, legit *Tollonensis*, a Tollona prope Massiliam ad littus maris.

SECTIO XXIV.

De Civitatibus, in quibus Thesauri Principis & Monetæ Publicæ erant.

1. *Thesauri, ex pecuniis duum generum constabant.* 2. *Thesauri per Occidentem & speciatim per Gallias, horum Præpositi.* 3. *Monetæ per Occidentem & speciatim per Gallias.* 4. *Civitatis Arelatensis privilegium singulare in signanda Moneta.*

1. IN Civitatibus tandem, ad Vias Militares adsitis, erant etiam *Thesauri Principis* & *Monetæ Publicæ*. *Thesauri* constabant ex pecuniis duum generum: tum ex vectigalibus & tributis, tum ex *Monetis Publicis*: namque, ut utar Pancirolli verbis ad *Not. Imp. Occ.* 11. 36. *p.* 141. *versa*: *Exacta ex oppidorum vectigalibus pecunia in munitum provinciæ locum deferebantur, inde ad* Comitem Sacrarum Largitionum sive *Comitatum mittenda.*

2. Locus ille *Thesaurus* vocabatur; ejus custodes, *Thesaurenses*; & qui præcipuam eorum curam habebant, *Thesaurorum Præpositi*, quorum per Occidentem erant duodecim, teste *Notit. Imp. Occ. p.* 141. quot videlicet erant *Thesauri*, seu loca, in quibus summa pecuniæ ex Provincia exactæ conservabatur. Omnes erant *sub dispositione Viri illustris Comitis Sacrarum Largitionum* Occidentis. Per Gallias invenio *l. l.* quatuor fuisse, qui fuerunt *Lugduni*, *Arelate*, *Nemausi*, *Treveris*:

1. *Præpositus Thesaurorum per Gallias Lugdunenses;*
2. *Præpositus Thesaurorum Arelatensium.*
3. *Præpositus Thesaurorum Nemausensium.*
4. *Præpositus Thesaurorum Triberorum.*

3. *Publicæ* autem *Monetæ* per Occidentale Imperium sex fuerunt, & speciatim per Gallias, tres, scilicet *Lugduni*, *Arelate*, *Treveris*; quibus præfecti, non *Præpositi*, sed *Procuratores Monetarum* appellabantur; tres autem illi Gallici hoc ordine *l. l.* recensentur:

1. *Procurator Monetæ Lugdunensis;*
2. *Procurator Monetæ Arelatensis;*
3. *Procurator Monetæ Triberorum.*

Erant & hi omnes *sub dispositione Viri illustris Comitis Sacrarum Largitionum Occidentis.*

4. In omnibus hisce Monetis nummi signabantur vultu Principis imperantis. Sola Civitas Arelatensis hujus legis gratiam & privilegium singulare habuit, ut loco vultus sacri imprimeret Genium suæ Urbis, ad instar angeli, qualis in templis Christianorum alatus solet pingi: docet hoc Procopius *de Bell. Gotth. lib.* III. cujus verba appono: *Ut Gallias Germani haberent, permisit Justinianus; ex quo tempore Principes Germanorum Massiliam, & cætera circa id mare loca, tenuerunt, unde & Arelate resident. Aureum nummum nativo Galliarum e Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine, sed sua impressa, qui erat Genius forma hominis alati percussus*: hæc ille.

SECTIO XXV.

De duobus modis transvehendi, Via Militari, Arma, Vestes, Pecunias.

1. *Duo modi vecturæ per Vias Militares.* 2. *Prior, Cursus Vehicularis aut Clabularis.* 3. *Posterior, Angaria.* 4. *Expeditionis tempore nemo habebat excusationem præbendæ Principi vecturæ.* 5. *Exceptis tantum Cubiculariis.* 6. *Differentia inter Angariam & Parangariam.* 7. *In hanc rem testimonia.*

1. APparatum fecimus *Armorum*, *Vestium*, *Pecuniarum*; instruximus Civitates & Mansiones *Annona Militari*: veruntamen nisi de loco in locum pro re & necessitate nata possent terra marique transvehi, operæ non fecissemus precium. Quare Imperatores Vecturam ordinarunt, sive ut in legibus appellant, *l.* 7. *ult. C. de Fabricens. Translationes, Transvectiones* & *Subvectiones*, quarum duo erant modi, si has generatim consideres.

2. Prior fuit ope Equorum, Boum, aliorumque Jumentorum & Animalium Publicorum, quæ sumtibus Principis sive fiscalibus alebantur in Mutationibus, Mansionibus & Civitatibus. Subjungebantur autem *Rhedis* & *Clabulis*. Prior hæc Vecturæ ratio venit nomine *Cursus vehicularis*, estque pars *Cursus Publici*.

3. Verum si modo dictis locis Animalia Publica pro re & necessitate præsenti sufficientia deessent, privati promte præbere vehicula, & equos, boves, & similia jumenta, nautæ naves præstare debebant; atque hic est posterior Vecturæ per Vias Militares modus, qui proprie dicebatur *Angaria*: nam, ut Pancirollus *ad Not. Imp.* 1. 6. ait: *Angaria erat transvehendarum rerum Principis, Armorum, Vestium Militarium, & similium necessitas, ob quam Provinciales, boves, plaustra; nautæ, naves præstare tenebantur*. Quod ad naves attinet, docemur *l.* 1. *C. de navib. non excus.* ubi Impp. Arcadius & Honorius Longiniano P. P. rescribunt, præter alia: *Nam ut privatos quoque non prohibemus habere navigia, ita fraudi locum esse non sinimus: si necessitas exegerit, conveniet necessitatibus publicis obedire, & subvectionem sine dignitatis privilegio celebrare*.

4. Ab hoc onere *Angariarum* nemo cujuscunque dignitatis in aula, foro, militia, ecclesia excusabatur, cum Princeps expeditionem susciperet. Sic enim Impp. Theodosius & Valentinianus, sive, ut alii Codd. habent, Anastasius A. dictant *in l.* 21. *C. de Curs. Publ. Nullus penitus cujuslibet ordinis seu dignitatis, vel Sacrosancta Ecclesia, vel Domus Regia, tempore expeditionis excusationem Angariarum vel Parangariarum habeat*: adde his *l.* 2. *C. de Navib. non excus. l.* 7. *ult. C. de Fabricens.* Imo Impp. Theodosius & Valentinianus ad Taurum Præfectum Prætorio, hanc legem ad majorem severitatem adstrinxerunt, *l.* 2. *C. de quib. muneib. vel præstation. nemini liceat se excusare*, ubi dicunt: *Cum ad felicissimam expeditionem numinis nostri, omnium Provincialium, per loca, qua iter arripimus, debeant nobis solita ministeria exhiberi; neminem ab Angariis, vel Parangariis, vel Plaustris, vel quolibet munere penitus excusari præcipimus: sed omnes, sive ad divinam nostram domum, sive ad venerabilis Augustæ, vel ad Sacrosanctas Ecclesias, vel quaslibet illustres domos pertinent, nec lege pragmatica, nec divina adnotatione, sacrove oraculo excusatos, indictionibus magnificæ tuæ sedis tempore nostræ expeditionis obedire decernimus*.

6. Exceptos tamen ab iisdem Impp. hac lege video *Cubicularios*, qui obsequiis sacri cubiculi occupantur & aulæ penetralibus inhærent, quibus inter alia privilegia hoc æterna lege datum, *ut neque possessiones eorum angarias, sive parangarias, vel etiam paraveredos, in posterum, dispositione Præfecti Prætorio, vel alicujus calumnia dare cogantur*; ut legimus *in l.* 2. *C. de Præpos. Sacri Cubic.*

6. Notandum in lege proxime laudata distingui inter *Angarias* & *Parangarias*: scilicet *Angariæ* notant transvectiones rei publicæ caussa factas, per Vias Militares, privatis præbentibus animalia; *Parangariæ* sunt, cum transvectiones fiunt eodem modo, sed per Vias vicinales; aut tramites extra Viam Militarem aut extra Cursus Publici limites. Sic etiam Græci his vocibus utuntur, teste Pancirollo *l. l.* qui *Græci*, ait, *Angariam, quæ per viam Basilicam & Cursum publicum ducitur, appellant: Parangariam, quæ per alias vias vel tramites vehitur*.

7. Hinc intelligitur utriusque Codicis titulus toties a nobis laudatus, *de Cursu Publico, Angariis & Parangariis*, ubi tria ista, diverso singula sensu, leguntur: negari tamen non potest, alterum subinde in alterius significationem migrare, sic *Angaria* pro *Cursu Publico* ponitur *in l.* 7. *ult. C. de Fabricens. Cursus* tamen *Publicus* & *Angaria*, si proprietatem amamus, non sunt idem, cum Julianus Imperator *in l.* 16. *C. T. de Curs. Publ.* in Sardinia Provincia Cursum Publicum, quem appellat

A *Veredorum* & *Paraveredorum discursum*, amputari velit, cum non sint necessarii, neve Provincialium status subrueretur; quibus deinde subjicit: *Sane Angariarum cursum submoveris non oportet, propter publicas species, quæ ad diversos portus deferuntur*.

SECTIO XXVI.

De Armorum, Vestium tum Principis, tum Militarium & Pecuniarum Publicarum ac specierum largitionalium transvectione.

B 1. *Subvectio Armorum per Vias Militares.* 2. *Item Vestium Principis.* 3. *ac Militarium.* 4. *Romani in cogendis Vectigalibus & Tributis diligentes.* 5. *Viæ Publicæ ea quoque de caussa sunt munitæ, ut transferrentur Pecuniæ publicæ.* 6. *Translatio illa Cursu Publico facta.* 7. *Modus transvectionis Pecuniarum Publicarum.* 8. *Vectigalia & Tributa Galliarum devehebantur Lugdunum Viis Militaribus.* 9. *Qua ratione in Juris libris opponantur aurum & argentum speciebus*.

C 1. Constare putamus lectori, aut Cursu Vehiculari, aut Angariis, ad loca destinata, pro re & necessitate nata, fuisse transvecta Arma Fabricarum, Vestes Gynæciorum, Pecunias Thesaurorum; quæ Transvectio item ad Cursum Publicum attinebat. De *Armis* audiatur Anastasius Imp. ad Eusemium Magistrum Officiorum *l.* 7. *ult. C. de Fabricens.* cum statuit ista: *Quotiens sane in translatione Armorum Angariæ necessariæ fuerint, Sublimitas tua literas ad eminentissimam jubeat dirigi Præfecturam: & numerum ei Armorum, & ex quo loco transferenda sunt, indicare;*
D *ut continuo super præbendis Angariis pro numero eorum, quæ transferuntur, Armorum, præceptione sua Viros clarissimos Moderatores Provinciæ conveniat, ut secundum missam ab Sublimitate tua notitiam, Naves vel Angariæ confestim de publico præbeantur*.

2. *Vestes*, quæ transvehebantur, erant vel ad usum Principis, vel ad usum Militum. *Vestes* Principis sunt iterum aut minus preciosæ & communioris usus; hæ *Angariis* vel *Navibus* transvehebantur: vel sunt delicatiores & preciosiores, quales sunt, quæ *in tit. & l.* 1. *C. de Vest. holober. & aur.* dicuntur *holoberæ, auratæ, sericæ, paraga-*
E *udæ, auro intextæ*; hæ rhedis Cursus publici sub mille librarum pondere transmitti poterant. Sic enim Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius *in l.* 48. *C. T. de Curs. Publ.* ajunt: *Lineæ vel Amictoria, quibus hactenus onerari Rhedæ solebant, nec ulterius Rhedis, sed Angariis vel Navibus dirigantur: & si alicubi repertæ fuerint hujusmodi species, thesauris ejus Urbis, in qua deprehensæ fuerint, deputentur, per Angarias, ubi facultas erit, destinandæ. Reliquæ vero delicatæ vestes, sed & linteamen amictorium, nostrorum usibus necessarium, Rhedis sub mille librarum ponderatione*
F *mittantur*. Hisce vero translationibus Vestium, aliarumque rerum mobilium, ut argenti, supellectilis Principis, præerant certi homines, quos *Notit. Imp. Occ. p. m.* 141. appellat *Præpositos Bastagæ*, id est, evectionibus rerum mobilium Principis; & Impp. Valentinianus & Valens *in l.* 4. *C. de Murileg. & Gynæciar.* vocant *Bastagarios*.

3. *Vestes Militares* erant, quarum *canonem ex Kalend. Septemb. ad Kalend. Aprilis Sacris Largitionibus tradebant* annua solutione quædam *Provinciæ*, ut constat ex *l.* 1. *Cod. de Milit. Veste*,

Harum Transvectio privilegiis plurimis gaudebat: nam in harum translationem, etiam Provinciarum Rectores per Provincias cæteras, adeoque extra Provinciam suam, evectionum faciendarum habebant facultatem, ut, si forte in itinere Vicarius non foret, cum vestes eædem transferuntur, tarditas nulla generaretur, *l.* 33. *C. T. de Curs. Publ.* Certo anni tempore, ex Gynæciis Principis, militibus erogabantur, ut videmur colligere ex *l.* 4. *Cod. de Milit. veste.* Porro, secundum *d. l.* 33. §. 1. *C. T. Eædem Vestes Militares usque ad ea loca sunt transferendæ, ubi ipsi milites sunt constituti: neque enim paullo diverticulo abducendi sunt ab excubiis sibi pro publica utilitate commissis.*

4. Superest ut de *Pecuniarum Publicarum* transvectione agamus, quarum caussa Viæ Publicæ maxime debuerunt muniri, propter immensas earum summas, quæ singulis annis ex omnibus Imperii Provinciis redibant, ut ostendimus *lib.* 1. *sect.* 13. Sane uti Romani victricibus armis Imperii sui fines longe lateque protulerunt, ita singulari semper cura solliciti fuere de tributis & vectigalibus, quæ Cic. *pro L. Manil. cap.* 7. vocat *nervos Reip.* ne deesset firmamentum necessitatibus publicis, tempestive & commode colligendis. Hinc cum laudabili isto quinquennio, *crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis, dubitaret Nero, an cuncta Vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, dissolutionem Imperii docendo, si fructus, quibus Resp. sustineretur, deminuerentur: quippe sublatis Portoriis, sequens, ut Tributorum abolitio expostularetur. Plerasque Vectigalium Societates a Consulibus & Tribunis Plebis constitutas, acri etiam Populi Rom. tum libertate: reliqua mox ita provisa, ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane Publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent.* narrante Tacito *Annal.* XIII. 50. Unde non male Tiberius apud eundem ait *l. l.* 11. 38. *Ærarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit.*

5. Verum non sufficit, colligere Tributa, Vectigalia cæterosque Imperii reditus, nisi iisdem ad loca a Principe statuta prompte & tuto possent transferri; cui rei Viæ Militares munitæ plurimum addebant facilitatis & celeritatis. Hinc inter caussas muniendarum Viarum Romani Imperii Procopius, quem laudavimus supra *sect.* v. §. 4. recenset etiam, *ut annua tributa velociter & tuto transmitterentur.*

6. Fiebat hoc Cursu Publico, tam equorum singularium Cursualium, quam vehiculorum per Vias Militares, ut constat ex pluribus utriusque Codicis legibus: ne sine lege loquamur, addemus solam *l.* 23. *ult. C. de Curs. Publ.* quæ est Anastasii Imp. *Jubemus nemini licere cujuscunque scholæ, vel officii, vel militiæ, seu conditionis, per totius Orientalis tractus partes, ob quamcunque caussam proficiscenti seu redeunti, supra unum veredum, unumque paraveredum, cum evectione tamen judiciali movere: nisi specialis ei præstita sit nostræ Serenitatis quantitatem animalium continens evectio: exceptis procul dubio his, qui pecunias publicas devehunt: cum in hac parte sine nostra quoque speciali auctoritate tanta conveniant animalia moveri, quanta transvehendæ pecuniæ summa & ejus tuitio poscit.*

7. Deinde *Aurum cæteræque species largitionales, non ad libidinem Prosecutorum vel Susceptorum; sed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferebantur. l.* 47. *pr. C. Th.* Tandem denique *si Aurum sacrarum largitionum vel argentum ad Comitatum* Principis *destinabatur, una Rheda quingentis auri libris, mille vero argenti: si vero privatarum, auri trecentis, quingentis vero argenti libris onerabatur. l.* 48. *pr. C. T. eod.*

8. Tributa ac Vectigalia Galliarum, ut hæc separatim attingamus, deferebantur *Lugdunum*, Viis Militaribus ab Agrippa per Gallias ibidem factis. Firmamentum Imperio, isti nervi ex Galliis præcipue omnium optimi, conciliabant. Ammianus Marcellinus XVI. 2. testis est, Juliani Imp. temporibus per Gallias *pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos fuisse flagitatos*; quos tamen, ut præter æquum, moderatio Juliani ad septenos revocavit, cum hiberna Lutetiæ Parisiorum transigeret. Quod si Galliæ ista tempestate fuerunt tanta hominum frequentia, quanta hodie ad XV. milliones, ut hodie computamus, capitum numeratur, tum certe solæ Galliæ Romanis pependerunt annui tributi nomine CCCLXXV. milliones auri: unde facile judicari potest, quam necessariæ fuerint Viæ Munitæ Urbi, in quam tot Tributa & Vectigalia quotannis transvehebantur. Animadvertit quoque & stilo consignavit hanc rem Mylæus, qui *de* celeberrimæ *Urbis Lugdunensis Originibus commentarium edidit, his verbis: E Lugduno quippe Agrippa in cæteras Galliæ partes proficiscentibus, aptissime itinera distinxit in Narbonensem Galliam, in Aquitaniam, in Lugdunensem, & Belgicam. Itaque Tributa & Vectigalia eo ex omni Gallia comportabantur. Quorum tantus fuit proventus, ut una Gallia stabilimentum Imperii existimaretur: in qua pacanda & retinenda præcipue elaborasse Romanos ex Veterum scriptis agnoscitur.*

9. Cum autem in plurimis legum, quas laudavimus, capitibus mentio fuerit transvectionis *Specierum*, notari volumus, multis in locis *Aurum Argentumque* opponi *Speciebus*, id est, cæteris rebus, quæ non consistunt in Auro Argentove signato a Monetariis, sed quæ Auro Argentoque æstimari, & ut cum legibus loquar, adærari possunt, uti *Vestes, Annonæ, Merces, Ligna, Lapides, Ferrum, Plumbum, Æs*, & similia ad structuras operum publicorum necessaria. Sic Valentinianus & Valens Impp. ad Valentinianum Consularem Piceni *in l.* 17. §. 1. *C. T. de Oper. Publ.* scribunt: *Si quid reparationi alicujus operis postulandum erit, non in pecunia, sed in ipsis speciebus postulare Te par est.*

SECTIO XXVII.

De Magistratuum Romanorum in Provincias & ex iisdem itineribus, quæ etiam ipsa aliquam muniendarum Viarum Publicarum constituunt caussam.

1. *Dubium super Magistratus gerendi tempore solvitur.* 2. *Magistratus Romani erant annui, & singulis annis novi Magistratus in Provincias missi, & priores ex iisdem revocati domum.* 3. *Comitatus Magistratuum Romanorum in Provincias euntium.* 4. *Itinera eorum per celebriores suæ Provinciæ Urbes ad Conventus peragendos.* 5. *Conventus maxime hiberno tempore circumibantur.* 6. *Conventus hi peragebantur in Urbibus, ad quas & per quas Viæ ducebant Publicæ.*

1. Itinera, quæ singulis annis Magistratus Romani faciebant cum in Provincias, tum finito Magistratu ex Provinciis Romam, fiebant quoque ope Cursus Publici per Vias Militares constituti. Videamus ergo, accessus & decessus hi inevitabiles, & ad quos manifesta necessitate Romani adigebantur, quantopere opus habuerint Viis

munitis. Qui res civiles & Reip. instituendæ rationes explicant, frequenter in eo disputant, quodnam magis e re sit, Magistratusne esse annuos, an vero perpetuos. In utramque partem speciosa adferunt argumenta. At rerum civilium peritiores judices putant, in Monarchia Magistratus debere esse perpetuos; in cæteris vero Rebusp. maxime in Democratia, annuos: ne videlicet Magistratus longa imperandi consuetudine & dum Reip. nervos quasi in manu ipsi habent, tyrannidem occupent, & adversus leges patrias summam potestatem, ac libertatem publicam opprimant: Id quod patuit exemplo Julii Cæsaris, cui diuturna prorogatio & continuatio potestatis ac imperii occasionem præbuit, ut se faceret Dictatorem perpetuum & solum Imperii Romani Dominum. Vide in hanc rem elegantem Catuli orationem ad Populum Romanum apud Dionem Cassium *lib.* XXXVI. *p. m.* 16. *& seqq.*

2. Verum enim vero tam ante Cæsarem, quam diu post nullus Magistratus major fuit perpetuus; rari excesserunt annuum spatium, & soli forsan Præsides, ab Imperatoribus in Provincias missi, quibus Tiberius & nonnulli alii Imperatores Magistratum ad plures annos quandoque prorogarunt: at Proconsules & Proprætores a S. P. Q. R. cum imperio in Provincias missi tantum annuum gerebant magistratum. Cum ergo quotannis mutarentur, necessarium prius Populo, deinde Imperatoribus Romanis fuit, singulis annis novos Magistratus eo mittere successores, & horum decessores ex Provinciis in Urbem revocare finito horum magistratu.

3. Hi vero Magistratus cum in Provincias suas non proficiscerentur soli, aut sola familia domestica comitante, sed haberent complures administros publicos, qui eos in itinere tanquam comites sequebantur, in Provincia administranda tanquam adjutores essent; imo subinde secum ducerent legiones & exercitus, hoc ipsum primum S. P. Q. R. deinde Imperatoribus occasionem præbuit Vias Publicas, tam per Italiam, quam per Provincias muniendi, ut Consules, Prætores, cæterique Magistratus Reip. caussa iter facientes Roma, commode in Provincias sibi destinatas possent proficisci, & finito anno eadem celeritate & facilitate Romam redire.

4. Quoniam porro multæ Imperii Romani Provinciæ erant amplissimæ, atque in his Urbes plures celebriores, in quibus jus dicebatur; mos erat Romanis Magistratibus, per Urbes istas suæ Provinciæ celebriores & metropoles *Conventus* percurrere & peragere, qui valde conveniunt cum nostris *Parlamentis*. Hi ante a Magistratu isto indicebantur publice, & in illis nobilissimi cujusque regionis Provinciales aderant, sive mandata excepturi Magistratus Romani, sive caussas tam civiles, quam criminales acturi & oraturi. In his enim *Conventibus* suprema erat, & sine appellatione jurisdictio. Nihil vero melius nostra *Franciæ Parlamenta ambulatoria* exhibet, quam tales *Conventus*, quæ nec locum, nec tempus certum habebant, sed in Urbibus præcipuis, & tempore, quod sibi maxime commodum Consules, Prætores, Præsides indicabant, peragebantur.

5. *Conventus* hi obibantur quotannis non in una eademque Urbe, sed in pluribus Civitatibus; nec quovis tempore, sed maxime hiberno; quo Magistratus ab armis otiosi jurisdictioni & prætoriæ cognitioni vacabant. Audi Hirtium, *de B. G.* VIII. 48. qui narrat, Cæsarem, postquam *exercitum per legatos in hiberna deduxerat*, deinde *paucos dies in Provincia moratum, quum celeriter omnes Conventus percurrisset, publicas controversias cognovisset*, tandem *ad legiones in Belgium se recepisse*.

6. *Conventus* autem illi peragebantur in Urbibus, ad quas ducebant Viæ Militares, quæ ipsæ hac etiam de caussa munitæ sunt, ut facilem & expeditum accessum atque iter præberent Magistratibus, qui non sine numeroso comitatu ad illas Urbes adveniebant. Notavit hoc ipsum Hieronymus Surita *in Comment. ad Itin. Anton. p. m.* 166. *Neque*, ait, *Italiam modo, sed & universas Romani Imperii Provincias eo decore atque ornamento idem Princeps* Augustus *affecit, ut Præsides & qui pro Consulibus eo munere fungerentur, facilius Provinciarum Urbes atque Conventus obirent*. Imo vero Andreas Schottus *in Præfat. ad Itin. Anton. p. m.* 10. Itinerarium quod sub Antonini nomine circumfertur, credit hunc ipsum in finem esse confectum, ut viam monstraret Magistratibus Provincialibus. Hæc enim illius sunt verba: *Ducibus vero Militibusque, ac Proconsulibus & Prætoribus in Provincias proficiscentibus compositum* (Itinerarium Antonini) *apparet, ne aberrarent a via, in insidiasque per devia inciderent*.

SECTIO XXVIII.

De Magistratibus & Præsidibus Provincialibus ante Augusti tempora, eorumque Comitatu ordinario.

1. *Commoda Viarum munitarum pro Magistratibus Provincialibus.* 2. *Prætorum numerus pro aucto Provinciarum numero crevit.* 3. *Nomen & potestas Prætorum in administrandis Provinciis.* 4 *Consules erant Provinciarum Imperatores.* 5. *Unde nomina Proconsulum & Proprætorum.* 6. *Consulum major dignitas, quam Prætorum.* 7. *Senatus quas Provincias Consulares & quas Prætorias esse vellet, quotannis pro suo judicio statuebat.* 8. *Præsides Provinciarum erant tum cum potestate, tum cum imperio.* 9. *habebant comites triplices, suum Legatum, Assessores, & Quæstorem.* 10. *Quæstores Urbani & Provinciales: borumque cum Præsidibus amica conjunctio.*

1. SEctione prægressa diximus generatim, Vias Imperii Publicas etiam ea de caussa esse munitas, ut facile esset & expeditum iter Magistratibus Romanis in Provincias suas ituris, sive in illas mitterentur a S. P. Q. R. sive ab Imperatore. Verum nunc, ut tanto melius intelligatur, quantopere Viæ Publicæ munitæ, & qui ad eas publice erant dispositi, homines, equi, vehicula & reliqua Viarum ornamenta, fuerint & utilia & necessaria advenientibus, & rursum decedentibus Magistratibus Provincialibus; operæ precium erit, in gratiam eorum, qui paullo minus in Antiquitatibus Romanis sunt versati, exponere, quinam fuerint illi Magistratus, quis eorum comitatus ordinarius, cum Roma irent in suas Provincias, aut cum datis sibi Successoribus locum, anno suo finito, facientes decedebant & Romam redibant.

2. Sciendum itaque est, quod statim ab eo tempore, quo extra Italiam Provincias fecerunt Romani, eodem novos crearint Magistratus, qui illas administrarent; fecerunt id augendo Prætorum numerum. Initio enim Urbis, cum tantum duo essent *Prætores*, quorum alter *Urbanus* inter cives, alter *Peregrinus* inter cives & peregrinos jus diceret, deinde Sicilia ac Sardinia in Provinciarum formam redactis duo alii *Prætores* adjecti ad eas administrandas. Inde duabus adjunctis ad Imperium

Hispaniis, totidem alii accesserunt, qui quaternas in singulos annos Provincias administrarent. Sic numerus *Prætorum* a Senatu ad octo auctus est, & a Sylla tandem ad decem.

3. Hi Prætores ante Augusti imperium, sub nomine *Præsidum*, mittebantur in Provincias. Nos eos possemus reddere *Gouverneurs*, cum, ut penes hos absente Rege est arbitrium rei bellicæ, ita etiam penes illos erat imperium rei militaris, absentibus Coss. Item erat penes illos cognitio prætoria in caussis Provincialium, qua in re non male conveniunt cum nostris *Baillivis & Seneschallis*.

4. Quoniam vero in ipsis Provinciis sæpe tumultus ac bella graviora excitabantur, quæ bella jam inde ab initio per Consules erant geri solita, hinc etiam Provinciæ Consulibus ordine sunt commissæ. Quare initio duo potissimum ordinati fuerunt Provinciarum Rectores, *Prætores*, sub nomine *Præsidum Provinciarum* & *Consules*, sub nomine *Imperatorum*; nos redderemus *Chefs* aut *Capitaines Generaux des Armees Romaines*.

5. Si ob certas necessitatis utilitatisve Publicæ caussas, prorogato post Præturam, aut Consulatum imperio, in Provinciis remansissent; sive, ut aliter dicamus, si post novos Consules Prætoresque creatos continuarentur in suo munere, quod alias annuo spatio terminabatur, non amplius simpliciter *Prætores* aut *Consules* dicebantur, sed *Proprætores* & *Proconsules*, ut innueretur, annuum Præturæ Consulatusve eorum tempus exspirasse, eosque jam alienas novorum *Prætorum* ac *Consulum* aliis negotiis occupatorum vices gerere in Provinciis.

6. Erant autem, ut *Prætores* a *Consulibus*, ita *Proprætores* a *Proconsulibus*, & nomine, & dignitate, & dignitatis insignibus separati. *Consules* & *Proconsules*, cum in Provinciis in publicum prodirent, duodecim ante se habebant lictores, qui præferebant fasces & secures, uti olim Regibus Romæ. At *Prætores* & *Proprætores*, ut illis *Consulibus* & *Proconsulibus* erant inferiores dignitate, ita & dignitatis insignibus; sex enim habebant tantum lictores cum totidem fascibus & securibus: testis hujus rei est Appianus Alexandrinus *in Syriac. p.m.* 129. *Prætores*, ait, *ad exercitum Romani miserunt, quos* ἑξαπελέκεις, *id est, sex securium vocant, quia Consules duodecim securibus & fascibus, Regum more, utuntur. Prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt.*

7. Cum vero primum institutæ sunt Provinciæ, eas Senatus in potestate habuit, id est, ut quas *Prætorias*, quas *Consulares* esse vellet, ipse quotannis pro judicio suo statueret: &, mox ac *Consules Prætoresque* designati erant, eas Provincias sortiri, aut inter se comparare jussit.

8. Hoc facto singuli in suam Provinciam duplici officio instructi abibant: alterum dicebatur *Potestas*, alterum vero *Imperium*. *Potestas* est juris dicundi & cognoscendi facultas, sive jurisdictio in singulos Provinciales, Magistratibus Provincialibus a Senatu data: at *Imperium* lege Curiata a populo dabatur. Est autem summum illud fastigium auctoritatis & potentiæ, quo Consules & Prætores præerant militibus cum jure vitæ & necis in eos, sine ullo strepitu forensis judicii, ac sine appellatione; id quod una voce dixerunt *Imperium*, cujus tum collationem, tum prorogationem sibi semper servavit Populus Romanus, ita ut nunquam hoc solius fuerit Senatus. Magistratibus enim ordinariis, qui in Provincias mittebantur, Populus Comitiis Curiatis *Imperium* conferebat, cum sit pars summæ in Rep. potestatis sive τῶ κυρος, quod erat penes Populum: At si extra ordinem Magistratibus, aut Privatis nominatim, virtutis ergo Provinciæ cum imperio dabantur, id fiebat Comitiis Tributis; sic ut *Potestas* Senatusconsulto, *Imperium* lege deferretur.

9. Ut utrumque hoc officium, & simul pecuniæ publicæ, sine quibus bellum geri non potest, recte & ordine administrarentur, Præsides Provinciarum triplices habebant Comites, velut adjutores, administros, & vicarios, quorum & nomina & munia erant diversa. Nam bellici muneris adjutorem habebat *Legatum*, nos diceremus *Lieutenant General*; Juri dicundo in Cognitionibus Prætoriis habebat unum pluresve Juris peritos & prudentes, qui dicebantur *Assessores*; Pecunias Publicas qui curaret, habuit *Quæstorem*. *Legati* & *Assessores* legebantur ab ipsis Consulibus & Prætoribus pro lubitu; at *Quæstor* potestatem suam ab ipso Populo accipiebat, & addebatur Prætori aut Consuli, ut præesset Pecuniis publicis: adde de *Quæstoribus* Tacitum *Annal.* XI. 22.

10. *Quæstores* autem singulis annis a Pop. Rom. creati, erant vel *Urbani* qui in Urbe Roma *Quæsturam* administrabant, unde & nomen eorum; vel *Provinciales*, quod comitarentur *Prætores* aut *Proprætores*, *Consules* aut *Proconsules* in Provincias suas ituros. Intercedebat vero *Quæstori* cum suo *Præside* velut mutua filii cum parente necessitudo. Testis est Cicero, *divinat. in Cæcil. c.* 19. *Sic enim*, ait, *a Majoribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque justiorem, neque graviorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam Provinciæ, quam officii, quam publici muneris societatem.*

SECTIO XXIX.

De Præsidibus Provinciarum post Augustum, eorumque Comitatu.

1. *Provinciarum nova sub Augusto Imper. divisio.* 2. *Quatuor differentiæ inter Provincias S. P. Q. R. & Imp. Augusti.* 3. *Ornamenta Provinciarum quæ & qualia sint.* 4. *Quomodo Augustus & Alexander Severus Impp. ornarint Præsides Provinciarum.* 5. *Asseclæ & Comites Præsidum Provincialium publici & domestici: nomina publicorum.* 6. *& domesticorum.* 7. *Quam commodæ fuerint Viæ publicæ munitæ itineribus Provincialium Præsidum.*

1. EA, quæ sectione prægressa diximus, colligi possunt ex Livio, aliisque Auctoribus idoneis, qui Consules & Proconsules, Prætores & Proprætores vocant *Præsides Provinciarum*: mansit hæc Provinciarum administrandarum forma ad Augusti usque tempora, qui nonnihil eam tam nomine, quam reipsa mutavit. Posteaquam enim cuncta discordiis fessa civilibus sub suum unius imperium accepit, ibi tum per pacis otium Provincias nova ratione divisit; alias enim *Proconsulares*, alias *Prætorias*, alias *Præsidiales* fecit. *Præsidiales* sibi servavit, in quas ipse mitteret *Præsides*; Senatui vero concessit *Proconsulares*, Populo *Prætorias*. Tandem vero cum Imperatores plane sustulissent Comitia, utpote dominationi metuenda & seditionibus rebusque novis obnoxia, *Prætoriæ* æque ac *Proconsulares* ad tempus Senatui sunt permissæ. Factum id videtur sub Tiberio, cujus temporibus Tacitus *Annal.* I. 15. *Tum primum*, ait, *e campo Comitia ad Patres translata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis Tribuum fiebant.*

2. Inter

2. Inter Provincias S.P.Q.R. & Imp. Augusti, A quatuor intercedebant differentiæ notabiles. Prima est, quod Senatus Populique provinciæ essent infirmiores, & minoris momenti, sed pacatæ, nec egentes militaris tutelæ, cum longe ab hostibus & limitibus abessent, nec expositæ Barbarorum incursionibus: at Provinciæ Augusti erant potentiores, ac plus periculi ostentabant, ut quæ vel hostes accolas haberent, vel novos per se ipsæ aliquos motus turbare possent, aut expositæ essent Barbaris. *Id faciebat sub hac specie, ut quum Senatus tuto bonis Imperii perfrueretur, ipse laboribus &* B *periculis objectus videretur. At sub eo prætextu eum vere inermem imbellemque efficiebat, & ad se solum arma militesque transferebat:* teste Dione Cassio *lib.* LIII. *p.m.* 576. Secunda erat differentia, quod *provinciæ Proconsulares & Prætoriæ* digniores habitæ fuerint *Præsidialibus*; & illarum *Proconsules* & *Proprætores* majori fuerint & minus limitata aut circumscripta potestate; non enim mitti in eas poterant alii, ac Senatorii ordinis, aut Consulares vel Prætorii: ac licet *Præsides*, quos Princeps in suas mittebat provincias, forent gente Patricia ordinisve Senatorii, non tamen hoc ipsum eos exæquabat dignitati *Procoss* aut *Proprætorum* C a S.P.Q.R. missorum. Unde Imperatores, ut *Præsidibus* suis tanto plus adderent honoris, sæpius his a Senatu petebant *proconsulare imperium*. Sic Tiberius initio Principatus, *Germanico Cæsari proconsulare imperium petivit* a Senatu, *missique legati, qui deferrent:* teste Tac. *Annal.* I. 14. Tertia differentia est, quod ex lege C. Sempronii Gracchi Provinciæ futuris Prætoribus ac Consulibus quotannis e Senatu decernerentur, adeoque *Procoss.* & *Proprætores* tantum annui essent: ad summum deinde, ex lege Julii Cæsaris Dictatoris perpetui non ultra biennium Consulares provinciæ dabantur, caverat enim, ut nemo *Prætoriam provinciam* D plus *anno*, *Consularem* plus *biennio* posset obtinere. At *Præsidiales* obtinebantur per tot, quot Principi placebant, annos, & eas *Præsides* administrabant, donec Successor mitteretur. *Id quoque mo rum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus habere. Caussæ variæ traduntur: alii tædio novæ curæ, semel placita pro æternis servavisse; quidam invidia ne plures fruerentur*; ut narrat Tacitus *Annal.* I. 80. Quarta & ultima differentia est, quod provinciarum *Proconsularium* & *Prætoriarum* administratio Provincialibus majori esset oneri, quam *Præsidialium:* nam priorum Tributa & E Vectigalia erant S. P. Q. R. ac in *Ærarium* inferebantur; nec ullam faciendæ remissionis aut gratiæ potestatem habebant *Procoss.* & *Proprætores*: at *Præsidialium* Tributa & Vectigalia erant Principis, ac in *Fiscum* inferebantur. Sæpe enim fiebat, ut Princeps, Ejusve Legati ac *Præsides*, quibus eam fecerat potestatem, remitterent Provincialibus Tributa & Vectigalia vel omnino, vel ad aliquot annos, vel eadem deminuerent. Inde est, ut narrat *Ann. l.* 76. Tacitus, quod *Achajam ac Macedoniam onera deprecantes, levari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuerit*. Inde est, F quod teste Lampridio, *in Alex. Sev. c.* 5. *p.m.* 400. *Provincias Prætorias Præsidiales plurimas fecerit: proconsulares ex Senatus voluntate ordinaverit* Alexander Severus Imp.

3. *Consules, Prætores, Proc. Proprætores, Præsides* sic instituti, in suas provincias Roma proficiscebantur non sine numeroso Comitatu & sarcinis, per animalia & vehicula Publici Cursus Via Militari transvehendis, ut ante generatim *sect. præced.* §. 1. & 9. monuimus, nunc speciatim singula enarraturi. Atque ordinaria quidem Provincialium Præsidum deligendorum ratio hæc fuit, nempe ut, postquam ex Sc. provinciam sive potestatem ac jurisdictionem in provincia; imperium militare lege populi Curiata accepissent, deinceps novo Sc. nanciscerentur, antequam se ad iter accingerent, ea subsidia, quæ ad Comitatum & præsidium eorum attinerent, uno verbo: *Ornamenta Provincialia*, quæ quidem pro Senatus arbitrio dari & adimi, augeri ac minui poterant. Inter hæc *Ornamenta* referebantur, Provinciarum latitudo & fines, Magnitudo Exercitus, stipendium in Milites, Viaticum in Legatos & Cohortem, Cohors Prætoria, & reliqui ex Comitatu adjutores & ministri ordinarii. *Viaticum* complectebatur vestes, vasa, supellectilem ad cubicula & culinam; equos, mulos, vehicula, tabernacula & reliqua ejusdem generis, quæ *Præsidibus* in provinciam euntibus e publico dabantur, ne populis amicis, sociis, fœderatis, provincialibus, horum sumtuum ratione, oneri essent. Testes advoco Livium, qui XLII. I. ait: *Ideo Magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis*: & Ciceronem *in L. Pisonem c.* 35. qui Pisoni, Proconsuli in Macedoniam ituro exprobrat, *Sestertium centies & octogies*, (sunt nostratis monetæ, libræ, quæ vocantur, 1250928.) *quod, quasi Vasarii nomine, ex Ærario sibi attributum, Romæ in quæstu reliquerit*.

4. Augustus Imp. *auctor & aliarum rerum fuit, in queis, ut Proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur*; ut tradit Suetonius *in Aug. c.* 36. de Alexandro quoque Severo hæc scribit *in Ejus vit. c.* 10. *p. m.* 432. Lampridius: *Judices cum promoveret exemplo veterum, ut & Cicero docet, & argento & necessariis instruebat, ita ut Præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, coquos singulos*: addit mox: *reddituri deposita administratione mulas, mulos, equos, muliones & coquos; cætera sibi habituri, si bene egissent; in quadruplum reddituri, si male*.

5. Cohors porro comitum erat vel publicorum, vel privatorum & domesticorum sive familiarium. Præter enim *Legatos*, *Assessores* & *Quæstores*, qui Præsidibus aderant administri in re militari, jure dicundo & pecuniis publicis cogendis, ut monuimus *sect. præced.* §. 9. complures insuper habebant adjutores & administros publicos minores, quibus in administranda provincia utebantur, quales sunt: *Scribæ, Accensi, Præcones, Lictores, Interpretes, Aruspices, Tabellarii, Numerarii, Commentarienses, Cornicularii, Adjutores, Subadjuvæ, Exceptores*, quorum mentio passim fit in *Notit. Imp.* & quos Pancirollus *in Comment. ad eam I.* 9. & *seqq.* persequitur.

6. Atque hi quidem sunt apparitores publici *Præsidum*, quibus addendi quandoque sunt integri Exercitus aut Legiones, quas & quos secum ducebant. Domestici & Familiares Apparitores sive Asseclæ erant plerunque magno numero servi, qui ipsorum Præsidum erant Medici, Chirurgi, Cubicularii, Coqui, Muliones, Sutores, aliique pro ejus ævi moribus. Tandem & Amicos suos privatim habebant, qui ab eorum lateribus non discedebant, & quibuscum familiariter vivebant; quos inde vocabant *Contubernales*.

7. Cum ergo ordinarius *Præsidum Provincialium* hic fuerit & tantus Comitatus, ac provinciæ maximam partem procul ab Urbe Roma abfuerint, in quas quotannis ire, & finito anno inde Romam reverti debuerunt, ecquis mirabitur valde Suritæ verba, a nobis laudata sectione XXVII. §. 9. Provincias

Viarum publicarum munitarum decore atque ornamento esse affectas ea quoque de caussa, *ut Præsides, & qui pro Coss. eo munere fungerentur, facilius provinciarum Urbes atque conventus obirent.* Qui paullo propius hæc lustrabunt, & ad animum advertent tot frequentia itinera, quæ hi provinciarum Rectores, per suam quisque provinciam, fere oppidatim ad Conventus peragendos facere debebant, facile judicabunt, quantum commodi Viæ publicæ munitæ & complanatæ attulerint, quantum e contrario incommodorum & difficultatum abstulerint Provinciarum Rectoribus eorumque Comitatui, quantum contulerint ad expedienda celeriter negotia, maxime his, quorum tantum annuus erat magistratus, quo & famam bonam & divitias honestas sibi compararent, bene provinciam suam administrando.

SECTIO XXX.

De quarto capite Caussæ Finalis Viarum Imperii Publicarum Munitarum.

1. *Quartum caput Caussæ Finalis Viarum munitarum.* 2. *Quam necessarium fuerit, munire Vias.* 3. *Ratio necessitatis muniendi vias per omnes provincias.* 4. *Senecæ testimonium, de hominum Romæ frequentia, & Annonarum ibi consumtarum immensa quantitate.* 5. *Vias Munitas omnibus Orbis urbibus esse utiles & commodas.* 6. *Mantissa & Corollarium utilitatis publicarum Viarum, facilitas in itineribus expedite faciendis a privatis.* 7. *Profunda pax sub primis Imperatoribus.* 8. *Agricolarum & Rusticorum quoque commodis serviunt Viæ Publicæ.*

1. RES Vehicularis non fuit inter caussas minores muniendarum extra Urbem Viarum, ad illius commodam facilitatem procurandam. Pacis enim bellique tempore infinitæ res ad usum necessitatemque undique huc illuc pro Republica & privata quotidie sunt advehendæ. In hac *Vecturæ* facilioris commoditate quartum caput *Caussæ Finalis*, sive Latinius, propositi operis Viarum versatur. Locuti equidem sumus multis sectionibus hoc libro de Vehiculari Cursu, verum ille attinebat ad Cursum Publicum, & ad solas Principis necessitates expediendas: jam vero persequemur Rem Vehicularem privatam; sive de illa vectura, quam quisque privatus suis equis sive animalibus & suo instrumento, sine impetranda prius venia aut evectione, facere pro re sua poterat, agemus.

2. Verum, ut aliqua ex parte intelligatur usus & necessitas Viarum munitarum, tam per Italiam, quam per Provincias, ad ejuscemodi vecturas, respiciamus, quæso, hominum mirificam multitudinem, quorum victui, amictui & habitationi urbs Roma prospicere debuit, quas ad res totus Terrarum orbis & omnia maria suas symbolas debuerunt conferre. Nam cum nulla esset per Orbem natio aut fere urbs, quæ Romæ non haberet complures populares & cives, a ratione quoque non videbatur alienum, ut singulæ contribuerent ad tantum populum alendum: & ut ea, quæ provinciales alias intra suam quisque patriam ratione victus & amictus sibi exhiberent, una cum iis Romam profectis deferrentur, adeo ut nulla foret terrarum, quæ non conferret de suo, unde Romæ alerentur vestirenturque sui gentiles.

3. Illud sane certum & sine ullo est dubio, quod si quis aliquo ex loco oculis posset simul perlustrare omnes Imperii provincias, illum eopse tempore visurum omnes Vias Publicas munitas, veluti ge- A mere sub onere Annonarum, mercium, rerumque promercalium, quæ undique Romam advehebantur. Licet enim maxima harum rerum pars, quæ Romæ consumebantur, mari adveherentur, non tamen omnes erant in promtu aut crescebant prope aut circa portus; sed ex mediterraneis singularum provinciarum subvehendæ erant ad portus, imo & a littoribus non portuosis, ad urbes portuosas, ut hic in naves onerarias collectæ, ex omnibus portubus ad Ostiensem portum adveherentur, unde vel per Tiberim navibus, vel per Vias Publicas, quæ propiores erant, vehiculis aut alio modo Romam deferrentur.

B 4. Seneca *de Clem.* I. 6. quodammodo hanc hominum frequentiam Romæ & Annonarum ibi consumtarum immensam quantitatem his verbis depingit: *Cogitate hanc Civitatem* Romanam, *in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quoties aliquid obstitit, quod cursum ejus, velut torrentis rapidi, moraretur: in qua tribus eodem tempore theatris Viæ postulantur: in quo consumitur, quicquid terris omnibus aratur.* Unde satis apparet Viarum munitarum necessitas, cum Romam solam adveheretur, quicquid fere terris omnibus arabatur.

C 5. Quæ huc usque diximus, ea ad solam urbem attinent Romanam: verum & aliæ Imperii Romani urbes commodis & utilitate Viarum munitarum gaudebant; per has enim mutua exercebant commercia, altera alteri opem & auxilium ferebat, & sibi invicem subsidia vitæ ultro citroque mittebant: & quemadmodum dimittebant Romam domi nata, ita vicissim Roma recipiebant plurima commoda; plane uti cor est fons sanguinis, ubi undique advectus elaboratur & perficitur, non ut ibi restet & maneat, sed ut per arterias in totum corpus didatur: quare non male Aristides, qui sub Hadriano floruit, *in Encom. Romæ, Orat.* 14. *tom.* 1. de Roma & urbibus Imperii Romani ait: *Neque vero desinant unquam ad illas a Vobis dona mitti: neque feliciores unquam ulli fuerunt; propter vestram æqualem erga omnes humanitatem; atque urbes primum splendore & gratia relucent, totaque terra est instar paradisi exculta.*

D

6. Enarravimus itaque Caussæ Finalis, ob quam S. P. Q. R. & Imperatores postea, curarunt extra Urbem muniri Vias publicas, quatuor præcipua capita: quibus pro corollario & mantissa adjungi posset, idem factum aliqua ex parte, ut privatorum cujuscunque ordinis & dignitatis per Orbem itinera, tam peditum, quam equitum, & vehiculis utentium, commoda facilitate adjuvarentur: E Nemo enim erat, qui in rebus suis & privatis ea uti non posset; publicum erat bonum, cujus usum communem singuli habebant etiam privatim; hujus beneficio, brevi tempore, orbis ab Ortu ad Occasum, ab Austro in septem Triones peragrari poterat. Imo florente Imperio usus Viarum Publicarum munitarum longe erat facilior & commodior, quod omnes pœne nationes Imperio parerent Romano, & ubicunque terrarum quis foret, esset tamen, velut in solo natali, quia armis victricibus Romani ex toto terrarum orbe unum fecerant imperium, unum populum, unam gentem. Quare Romani F ex vero ab Athenæo, *Deipnos. lib.* 1. dicuntur Δῆμος τῆς Οἰκουμένης, *Orbis populus*; nec minus eleganter ac vere de Roma canit Claudianus, generosi ille poeta spiritus, *de laudib. Stilic.* III. 154. *& seq.*

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,
Quod sedem mutare licet, quod cernere Thulen,
Rursus & horrendos quondam penetrare recessus;

Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cuncti Gens Una sumus.

7. Adde profundam illam pacem, quæ sub primis fuit Imperatoribus per omne fere Imperium. *Immota quippe aut modice lacessita pax* fuit Tiberii ævo, teste Tacito *Annal.* IV. 32. Idemque Aristides *l. l.* profitetur, sua ætate Orbem totum quasi festum celebrasse ævum, & sepositis armis, quæ priores tempestates viderant, successisse epulas & convivia. Contentionum, quæ antea Orbem exercuerant, solam remansisse inter Urbes æmulationem, quænam vicinas elegantia, nitore & magnificentia operum antecelleret; ubique proinde videri opera publica ludis & gymnasiis dedicata, Fontes, Aquæductus, Porticus, Templa, & similia ædificia publica: ita Orbem, qui prius in tot principatus & dynastias laceratus sub diversis dominis in mutuum exitium præceps ruebat, Populi Romani beneficio quasi recreatum & instauratum esse, cum huic Orbi solus imperaret. Si mavis verba Aristidis, ex versione, ea hic appono: *Universus Orbis sub Vobis, tanquam festum diem agitans, quo olim gerere solebat, gladios deposuit, ad convivia autem & reliquam omnem lætitiam libere se convertit. Et aliæ quidem contentiones aut certamina Urbes reliquerunt, unum omnes habet, ut earum quæque pulcherrima & jucundissimo aspectu appareat. Itaque omnia plena Gymnasiis, Fontibus sive Aquæductibus, Porticibus, Templis, Tabernis, Scholis; ut aliquis vere dixerit, inclinantem & labantem mundum, restitutum a Vobis esse. Nec urbes solum splendore & decore lucent, sed tota adeo Terra, instar horti aut Paradisi, conspicitur exculta: ut miseratione plane digni videantur, si qui Imperio vestro non subjacent, qui pauci tamen sunt, ut qui tantis bonis careant.* Vere & floride. Hinc illa itinerum faciendorum facilitas, hinc illa elegantiorum hominum voluptas, qua Athenas, Constantinopolim, Alexandriam, Hierosolyma, Antiochiam, Damascum, Babyloniam, aliasque in Urbes Europæ, Asiæ, Africæ celebriores excurrere poterant, ut se negotiis gerendis aptos redderent, aut terra marique commercia cum aliis exercerent, sine ullo latronum, prædonum aut piratarum metu: Publicanis equidem vectigal & portorium pendebatur, sed quod sub bonis & moderatis Principibus iniquum aut grave non erat. Atque hoc modo res & merces antea ignotæ & longinquis ab oris allatæ quaquaversum deferebantur, & cum aliis tam facile communicabantur, quam si totum Imperium unica fuisset urbs, aut una Civitas.

8. Sed & ipsi Agricolæ & Rustici Viarum munitarum sentiebant commoda, non solum cum ad urbes celebriores res suas promercales, utensilia & annonam perferebant, & inde rursus alia sibi necessaria referebant; verum etiam cum de die aut nocte ad mercatus irent publicos, aut inde redirent; item cum privatas ob res, lites, caussas, negotia alia in Urbem proficiscerentur. Hinc Tibullus I. 7. *vs.* 61. canit in laudem M. Messalæ, qui Vias Tusculanam & Albanam refecerat:

Te canit agricola, e magna cum venerit Urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.

SECTIO XXXI.

De Civium Romanorum multitudine, quibus per vecturam, Viis Militaribus munitis, advehi debuerunt annonæ, & alia ad vitam necessaria.

1. Numerus eorum, qui Romæ e Publico accipiebant frumentum. 2. Senatorum, Equitum & cæterorum Civium ditiorum numerus. 3. Servorum immensa multitudo. 4. Peregrinorum Romæ frequentia. 5. Athenæi, & 6. Aristidis in eam rem testimonia.

1. Ut tanto melius intelligatur Viarum Publicarum munitarum ad vecturam, quam supra diximus, necessitas, non ab re erit, speciatim persequi multitudinem hominum, tam Civium Romanorum, quam exterorum & peregrinorum, qui Romæ sedem fixerant: iste autem numerus plane est admirandus & tantum non ultra fidem. Multitudini vero isti fidem faciemus verbis Suetonii, qui a Julio Cæsare *in ejus vita c.* 41. *ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retractos*, narrat; aut, si Dioni *lib.* XLIII. *p. m.* 254. credimus, *ad centum sexaginta*, sive *mediam partem redactos*: atqui hæc *viginti & trecenta millia* erant totidem patres familiarum, qui sublevari menstruo frumento gratis dato, gaudebant, tenuiores & pauperes; hi enim uxores, liberos & servulos habebant, quorum numerus longe major erat, & quos absque menstrua ista frumentatione patres illi difficulter potuissent tueri.

2. At quot fuerunt Romæ in re lauta, qui ista frumentatione gratuita non egebant, nec e Publico victitabant? Quot Senatores; quot Senatorii & Patricii; quot Equites, quot Cives alii e Plebe locupletes, & bene ac honeste agentes? hi saltem numero sine ullo dubio exæquarunt illos CCCXX. mille Patres familiarum tenuiores; imo duplo triplove, si non ultra, superarunt, ut ita Civium Romanorum in re lauta, tenui & mediocri, numerus fuerit sub primis Imperatoribus certa ratione, si liberos addas patribus, ad duos hominum milliones.

3. Veniamus ad Servos, quorum item immensa Romæ erat multitudo. Nam tenuium Civium quotusquisque fuit, ut nunc mores, cui non unus alterve servulus? Nemo vero divitum aut lautorum fuit, cui minus centenis aut ducenis, qui in varia sua officia aut munia divisi. Unus Pedanius Secundus, teste Tacito *Annal.* XIV. 42. & 43. *quadringentos servos* sub tecto suo & domi habuit, cum ab uno eorum est interfectus. Hinc Ammianus Marcellinus XIV. 5. *p. m.* 16. Romanos traducit & castigat, *Familiarum agmina, tanquam prædatorios globos, post terga trahentes.*

4. Nondum cuncta dixi. Peregrini etiam ex toto Orbe olim Romam veniebant, alii negotii sui caussa, alii publici, multi & mansionis. Audi Senecam *ad Helviam c.* 6. *Aspice*, ait, *agedum hanc frequentiam, cui vix Urbis immensæ tecta sufficiunt: maxima pars illius turbæ patria caret: ex municipiis & coloniis suis, ex toto denique Orbe terrarum confluxerunt. Alios adducit ambitio, alios necessitas officii publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum & opportunum vitiis locum quærens: alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula: quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendæ virtuti nacta materiam: quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in Urbem, & virtutibus & vitiis magna præmia ponentem. Jube omnes istos ad nomen citari, &, unde domo quisque sit, quære: videbis majorem partem esse, quæ relictis sedibus suis, venerit in maximam quidem ac pulcherrimam Urbem, non tamen suam. Deinde ab hac Civitate discedere, quæ velut communis patria potest dici, omnes Urbes circumi.*

5. Non sine ratione hinc apud Athenæum *Deipnos. lib.* 1. *p. m.* 10. *ed. Græcæ Basil.* 1535. Philippides Οἰκουμένης δῆμον τὴν Ῥώμην φησί. λέγει δέ, καὶ ὅτι οὐκ ἄν τις σκοποῦ πόῤῥω τοξεύοι, λέγων, τὴν Ῥωμαίων πόλιν, Ἐπιτομὴν τῆς Οἰκουμένης, ἐν ᾗ συνιδεῖν ἐστιν οὕτως πάσας τὰς πόλεις ἱδρυμένας, καὶ κατ' ἰδίαν δὲ τὰς πολλὰς, ὡς Ἀλεξανδρέων μὲν τὴν χρυσῆν, Ἀντιοχέων δὲ τὴν καλὴν, Νικομηδέων δὲ τὴν περικαλλῆ. προσέτι τέ τὴν λαμπροτάτην πόλεων πασῶν, ὁπόσας ὁ Ζεὺς ἀναφαίνει, τὰς Ἀθήνας λέγω. ἐπιλείποι δ' ἄν με οὐχ ἡμέρα μία, ἐξαριθμούμενον τὰς ἐν τῇ Ῥωμαίων Οὐρανοπόλει Ῥώμῃ ἀριθμουμένας πόλεις· ἀλλὰ πᾶσαι αἱ κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἀριθμούμεναι, διὰ τὸ πλῆθος· καὶ γὰρ ὅλα ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι συνῴκισται, ὡς τὸ Καππαδοκῶν, καὶ Σκυθῶν, καὶ Ποντικῶν, καὶ ἄλλων πλειόνων· οὗτοι δὲ πάντες ὁ σύμπας δῆμος τῆς Οἰκουμένης. Nobilem hunc locum si malis Latine legere, redi retro ad *lib.* 1. *sect.* XXXII. §. 7. ubi a nobis est allatus.

6. Quare recte dixit *l. l.* Aristides: *Quod Urbes singulæ ac metropoles terminis suis ac regionibus præstant, hoc Urbs ista* Roma *toti Orbi exhibet, ut omnis, quæ incolitur, Terræ, tanquam alicujus regionis, sit* metropolis & *Urbs. Quocirca videntur finitimi omnes per vicos divisi ad hanc Arcem unam convenire, quæ nunquam se cuiquam negat.* Ita Roma Generis humani capax, ut cum Veteribus loquar, cum hi inirent, alii exirent, instar maris fuit, quod omnes fluvios admittit & emittit, ita tamen, ut ipsa Urbs, uti & mare, nec cresceret, nec minueretur.

SECTIO XXXII.

De Frumentorum & cæterarum Annonarum in Urbem advectione, ad alimenta tantæ hominum multitudini exhibenda.

1. *Necessitas Viarum munitarum, ut Romam adveherentur necessaria ad victum, amictum, habitationem.* 2. *Quantum Frumenti Romam ex Ægypto quotannis inferretur.* 3. *Opera ab Augusto per Ægyptum facta, ut facilior esset transvectio.* 4. *Quantum Frumenti Romam advectum sit ex Africa.* 5. *Classis Africana & Alexandrina, destinatæ ad Annonam advehendam. Cives valde amavit Augustus.* 6. *Insulæ Italiæ viciniores plurimum Frumenti quotannis Romæ exhibuerunt; ut & Asia.* 7. *Mira quantitas Romæ rerum tam ad necessitatem, quam voluptatem vitæ.*

1. EX multitudine ista hominum, quæ ad Urbem Romam undique confluebat, vel ibidem consederat, aliqua ex parte colligi potest rerum copia, quæ ad illos alendos vestiendosque & ad habitationem eorum erant necessariæ & quæ proinde nunquam non per Vias Publicas Romam undique convehebantur. Hæ autem res generatim, cujusvis Urbis ratione, dividuntur in tres species, scilicet primo in ea, quæ ad *Victum*; deinde in ea, quæ ad *Amictum*; tandem in ea, quæ ad *Habitationem* incolarum attinent. Quod si multitudinem singularum harum specierum, quæ Romæ consumebantur, accuratius consideremus, plane & omnino videbimus necessarium fuisse, Vias Publicas ubique muniri, ut tanto facilius undique aut Romam ipsam, aut primum ad cujusque Provinciæ Portus, & hinc ad Portus Italiæ, qui Romæ essent viciniores, possent convehi.

2. Ut ergo tanto melius intelligatur immensa talium advectorum copia & multitudo, initium fiat ab iis, quæ ad *Victum* vitamque referuntur, quorum præcipua pars & maxima consistit in *Frumentis* variis. Sex. Aurelius Victor *in Epit. p. m.* 249. *initio*, de Cæsaris Octaviani temporibus testis est, *ex Ægypto*, ab Augusto *redacta in Provinciæ formam*, quotannis *Urbi illatos* esse viginti milliones modiorum *frumenti*, sine dubio, Vectigalium sub titulo: quare omne hoc Frumentum ex mediterraneis Ægypti advehi debuit Alexandriam, ubi portus erat, unde Romam transvehebatur.

3. Cum vero Ægyptus pæne omnis esset, propter paludes & exundationes Nili, vecturæ & navigationi minus commoda, idem Augustus, ut facilem accessum ad Urbem Alexandriam, Urbique Romæ annonam copiosam faceret, militari opere fossas & Nili receptacula ac emissaria, detersit, ut Nilus suo receptus alveo, fluvius esset, non lacus, palus, stagnum. Audi ipsa, ex quibus hæc colligimus Victoris *l. l.* verba: *Regionem Ægypti inundatione Nili accessu difficilem, inviamque paludibus, Augustus in Provinciæ formam redegit; quam ut Annonæ Urbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit. Hujus tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia modiorum frumenti inferebantur.*

4. At quid dicemus de *Africa*, quæ Ægypto sine ulla exceptione longe est major: unde etiam multo plus contulit frumenti, & forsan duplum ad Ægyptum dedit. Hoc enim palam videtur affirmare Agrippa Rex, Oratione ad Judæos, apud Josephum *de Bell. Jud.* II. 16. Africam octo mensibus populum Romanum pascere, Ægyptum autem quaternis: quare, si rationem temporis ad rationem frumenti referas, Africa dederit Urbi annua *quadringenties centena millia*, sive *quadraginta milliones* modiorum; ex utraque autem summa, justa ratiocinatione, frumentum Urbi illatum annuum fuerit *sexcenties centena millia*, sive sexaginta milliones modiorum.

5. Immensa hæc Frumenti multitudo ut ex Alexandrino & Africanis portubus Romam transveheretur, binæ *classes*, *Africana* & *Alexandrina*, ab Imperatoribus Romanis erant institutæ. Eas intelligit *l. l. p. m.* 251. Victor, cum ait: Augustus *in gerendo* Principatu *cives sic amavit, ut tridui frumento in horreis quondam viso, statuisset veneno mori, si e Provinciis classes interea non venirent. Quibus advectis, felicitati Ejus, salus Patriæ est attributa.*

6. Quod si binæ illæ Provinciæ. *Africa* & *Ægyptus*, tantum frumenti quotannis Urbi intulerunt, quantum ergo intulit *Italia*, quantum *cæteræ* Imperii Romani *Provinciæ*? Jam a florente S. P. Q. R. libertate, *Africa*, *Sicilia* & *Sardinia*, tantum frumenti Romæ exhibuerunt, ut eas Cicero, cujus ætate Ægyptus nondum erat redacta in Provinciæ formam, *pro Leg. Manil. c.* 12. vocarit *tria frumentaria subsidia Reip.* Idem tamen Cicero *ibid. c.* 6. ait nihilo minus: *Cæterarum Provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas Provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia vero tam opima est & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.*

7. Silentio hic prætereo, quantum frumenti Europa universa Romæ potuerit conferre, ut verbum adjiciam de quadrupedibus, avibus, piscibus undique Romam delatis: nempe vulgata vilescebant alimenta; in extremo Orbe quærebantur luxuriæ & gulæ irritamenta & instrumenta delicatis Romuli nepotibus: audiamus in hanc rem eleganter perorantem Latinum Pacatum, ubi *in Panegyrico*, quem

dixit *Theodosio Aug.p.m.*III. prioris ævi & Impp. luxum notat: cum enim dixisset, *neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regiam* Theodosii *flagitare remotorum littorum piscem: peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem*, addit: *Nam delicati illi ac fluentes, & quales tulit sæpe Resp. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent: horum gulæ angustus erat noster Orbis: namque appositas dapes non sapore, sed sumtu æstimantes, illis demum cibis aquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos invitæ quodammodo reluctantique Naturæ, hominum pericula rapuissent: ut taceam infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis, venatorum cohortes militasse conviviis.*

SECTIO XXXIII.

De cæterarum rerum & mercium, quæ Romam advehebantur multitudini, quarum translationi Viæ Publicæ munitæ erant valde necessariæ.

1. *Res ac merces Romam advectæ ex universo undique Terrarum orbe.* 2. *Romanorum cum ipsis Indis mutua commercia.* 3. *Qua Via ac itinere merces Indicæ Romam fuerint translatæ.* 4. *Descriptio Viæ a* Copto Beronicen *ex* Antonini Itinerario. 5. *Translatio rerum ad opera sive publica, sive privata, structuras & habitationes necessariarum.*

1. PLinius perquam idoneus est testis, qua ratione, facili commercio & communione Viarum Publicarum, res ignotæ & ex longinquis terris, brevissimo temporis spatio, omnes Romam collatæ fuerint & transvectæ, unde cum reliquo omni deinceps orbe communicabantur. Pro miraculo ille *H. N.* XXVII. I. maximo habet: *Scythicam herbam a Mæotidis paludibus, & Euphorbium e monte Atlante, ultraque Herculis columnas, & ipso rerum Naturæ defectu; parte alia Britannicam ex Oceani insulis extra terras positis; itemque Æthiopidem ab exusto sideribus axe, alias præterea aliunde ultro citroque humanæ salutis in toto Orbe portari; immensa Romanæ pacis majestate non homines modo diversis inter se terris gentibusque, verum etiam montes, & excedentia in nubes juga, partusque eorum & herbas quoque invicem ostentante*: addit mox votum: *Æternum quæso Deorum sit munus istud! adeo Romani, velut alteram lucem, dedisse rebus humanis videntur.*

2. Idem Plinius *H. N.* VI. 23. narrat, ratione itineris Indici, quod tandem *compendia invenerit mercator, lucroque India admota sit; quippe*, ait, *omnibus annis navigatur, sagittariorum cohortibus impositis: etenim piratæ maxime infestabant*: addit deinde: *Digna res, nullo anno Imperii nostri minus HS. quingenties* (sunt libræ nostratis monetæ 3499608.) *exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicatæ væneant.*

3. Merces hæ Indicæ adferebantur ex India ad Sinus Arabici portum & urbem ea tempestate celeberrimam, fere sub ipso Cancri tropico sitam, *Beronicen* olim, nunc *Cosir* dictam, unde camelis & jumentis dossuariis deferebantur *Copton*, quæ hodie *Camar*, emporium olim celeberrimum, sitam ad Nilum a *Beronice* M. P. CCLVIII. A *Copto* navibus per Nilum transferebantur Alexandriam, ubi exonerabantur in naves, quæ ex constituto Romam navigare solebant. Docet *l.l.* Plinius his verbis: II. *M.P. ab Alexandria abest Juliopolis: inde navigant Nilo Coptum* CCCIII. *M. P. qui cursus Etesiis flantibus peragitur* XII. *diebus. A Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. Prima appellatur Hydreuma*, XXXII. *M. Secunda in monte, diei itinere: tertia in altero Hydreumate a Copto* XCV. *M. deinde in monte: mox ad Hydreuma Apollinis a Copto* CLXXXIIII. *M. P. Rursus in monte: mox ad novum Hydreuma, a Copto* CCXXXIII. *M.P. Est & aliud Hydreuma vetus, Troglodyticum nominatur, ubi præsidium excubat, diverticulo* II. *M. distat a novo Hydreumate* IIII. *M. P. Inde Berenice oppidum, ubi portus rubri Maris, a Copto* CCLXIII. *M.P. sed quia major pars itineris conficitur noctibus, propter æstus, & stativis dies absumuntur, totum a Copto Berenicen iter duodecimo die peragitur*: ad iter hoc per montes & arida loca facilius reddendum, Romani hinc inde disposuerant præsidia, viamque fecerant militarem, mansionibus, *aquationum*, sive, Græca voce, *Hydreumatum* ratione, ubi potum agerentur cameli, dispositis.

4. Cum Plinio ratione numeri Milliarium a *Copto Berenicen* convenit plane *Itinerarium Antonini*, p. 36. ubi Viæ illius militaris publicæ, mutationes & mansiones ita describuntur & recensentur:

Item a Copto Berenicen sic:	M. P. CCLVIII.
Pœniconiconon	M. P. XXVII.
Didime	M. P. XXIIII.
Afrodito	M. P. XX.
Compasi	M. P. XXII.
Jovis	M. P. XXXIII.
Aristonis	M. P. XXV.
Falacro	M. P. XXV.
Apollonos	M. P. XXIII.
Cabalsi	M. P. XXVII.
Cænon Ydreuma	M. P. XXVII.
Beronicem	M. P. XVIII.

5. Finem vix reperiet, qui velit recensere omnem mirificam illam omnis generis mercium copiam, quæ undique terra marique Romam advehebantur. Sufficiat lectori, quod modo attuli, specimen, unde facile licet colligere, quantum Roma a vicinioribus acceperit provinciis, cum remotissima India, difficili accessu & eo ævo vix satis cognita, quotannis merces remitteret, emtas tribus millionibus & dimidio, si nostro more loqueremur, quæ Romæ centuplicatæ vænirent. Superest, ut verbum adjiciamus de iis rebus, quæ ad Habitationis commoda, ad ædificia, ad opera & structuras requiruntur, quales sunt trabes, tigna, marmora varii generis, porphyritæ, quæ transferebantur Romam ex Ægypto, Numidia, Phrygia, Lacedæmone, maris Ægei insulis, Italiæ diversis regionibus, tam terra, quam mari. Harum vero rerum translationi & vecturæ, maxime necessariæ erant. Viæ publicæ more Romano munitæ, ad sustinenda onera & immensa pondera vel Obeliscorum, Columnarum, aliarumque massarum quadratarum ex marmore, saxo, lapide, molis infinitæ; ut taceam mirificam illam multitudinem lapidis & saxi & silicis vulgarium, calcis, arenæ, sabuli, ligni, ferri, laterum, & tam variæ materiæ ad tot opera publica & privata, ædificia, structuras necessariæ, quandoquidem Romani ista opera in tam spatiosa & amplissima Orbis Urbe quotidie aut de novo faciebant, aut vetera reficiebant.

SECTIO XXXIV.

De Operibus, quæ in Viis Publicis sunt facta ad usum earum faciliorem; & speciatim de Pontibus.

1. *Viarum Publicarum partes sunt partim ad necessitatem & utilitatem, partim ad voluptatem.* 2. *Quænam mox dictæ partes sint.* 3. *Pontes sunt præcipuæ & maxime necessariæ Viarum Publicarum partes.* 4. *Pontes a Romanis facti, admirandi numero, materia, situ.* 5. *Romani per omnem Orbem studiose Pontes fecerunt.* 6. *Pontium structura apud Romanos ad ceremonias & religiones fuit relata.* 7. *A Pontium reparatione nemo excusabatur. Pontes sunt Viæ super aquas factæ.* 8. *Pontium commoditas in tribus maxime versatur.* 9. *Pontes prius sublicii vel lignei facti, quam lapidei.*

1. HUc usque ostendimus fines, quos sibi proposuerunt Romani in muniendis longe lateque per Imperium Viis Publicis: jam vero enarrandæ nobis veniunt & lustrandæ partes quædam Viarum, quas illarum operi, & quasi artus corpori, addiderunt, tanquam necessarias ad faciliorem & promtiorem illarum usum, addo & jucundiorem & gratiorem. Harum namque partium ratione Cursores publici, Agentes in rebus, integri Exercitus, Publicani, Quæstores, Præsides & Rectores provinciarum, Mercatores, Negotiatores, Vectores, Viatores, pedites equitesve, non solum singuli in suis itineribus adjuvabantur, sed & jucunda quædam amœnitas & voluptas obiter itineris tempus fallebat; siquidem præterea tot passim per Vias occurrebant aspectui, quæ non minus splendori & voluptati erant, quam ex usu & commodis Viatorum.

2. Inter partes vero illas, quæ vel omnino necessariæ, vel valde erant utiles, recensemus *Pontes* & *Portus*, & quæ ad hos & illos attinent; item *Canales* & *Fossas* ad navigationis compendium hominum opere factas, quæ fluvios corrivant, aut ad flumina & maria deducunt. Inter utiles vero simul & grati aspectus voluptate jucundas Viarum partes recensemus Columnas Milliares, Cippos & Lapides, quibus ascensus ac descensus, ratione equorum aut vehiculorum, facilior & commodior redditur; statuas Mercurii, aliorumque Deorum Dearumve, quos quasve prisci Gentiles Viarum præsides & tutelares esse crediderunt; ac si quid porro per Vias Militares occurrat, quod ad earum ornatum, item usum & voluptatem Viantium faciat.

3. Initium faciemus a *Pontibus*, quos Leo Baptista Albertus *de Re Ædific.* VIII. 6. vocat *potissimam Viæ partem*, quod Vias continuent solido firmoque itinere, & earum hinc inde partes, interlabente flumine abruptas, pro Viatorum commodo conjungant, ut iter non interrumpatur.

4. At quis pro dignitate poterit admirari numerum & structuram *Pontium*, quorum nonnulli fluminibus maximis, vorticosis, rapidissimis, profundissimisque sunt impositi, & consolidati materia tam firma, ut adhuc restent ante hæc duodecim, & quod excedit, sæcula structi? multo hi plus materiarum absorpserunt & consumserunt ad sui structuram, quam omnes illi nobiles Aquæductus & Cloacæ Urbis. Porro hi Pontes sunt omnium operum, arte & difficultate maxima, utpote destituenda & firmanda tam ad ripas, quam in profundo maximorum fluminum, ubi pugnandum fuit cum rapidis aquarum vorticibus, ubi in-

A de partitim cursus fluminis avertendus, qui sæpe amissas undas, de suo, cum impetu ultro reddit, & plus aquarum horulæ spatio refundit, quam mensis spatio potuit exsiccari & averti, quæ sane res infinitos augebat sumtus.

5. Hinc inter plurima opera publica, quæ Caligula Imp. tam brevi Imperii sui tempore fecit, Plinius quoque *H.N.* XXXVI. 15. admiratur *tot Pontes tantis impendiis factos*. Nec Plutarchus in C. Gracchi *vita c.* 9. oblitus est, quin annotaret, ab hoc *vias ductas rectas, per regiones, & partim lapide ad hoc cæso & dolato, partim congestis arenarum cumulis instratas, cavitates impletas; qua*
B *convallibus aut torrentibus interrumperentur, pontibus junctas, & ab utraque parte eandem nactas altitudinem, spectatu admodum pulchras fuisse.* Eadem fuit cura Trajano Imp. cum Viam reficeret Appiam, quæ temporis longinqua vetustate hinc inde corrupta erat; nam paludes exsiccavit, edificque aggeribus exaltavit, colles deflexit, convalles complanavit, flumina, quæ transiri non poterant, pontibus junxit: atque ita illam Viam itineri facili Viatorum, quolibet tempore, aptam commodamque reddidit. Sed & Aristides *Orat.* 14. *Tom.* I. sæpius laudata, Romanos generatim
C alloquens ait: *Terram omnem dimensi Pontibus variis fluvios junxistis.*

6. Sane *Pontes* tantum commodorum vitæ adferunt humanæ, ut *Romani summæ religioni duxerint, Pontes in fluminibus facere, nec id mediocri nisu curatum sit*, ut loquar cum Francisco Patricio *de Instit. Reip.* III. 4. Hinc Varro *de L.L.* IV. *p. m.* 22. ait: *Pontifices ego a ponte faciendo dictos arbitror: nam ab iis sublicius est factus primum, & restitutus sæpe, cum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.*

7. Hinc etiam *Pontium* opera & restitutio tanti fiebant, ut horum ratione nemo, cujuscunque
D fuisset ordinis, dignitatis, loci, nec ipsi Ecclesiæ Sacerdotes, nec Imperatoris Patrimonium seu res privatæ a contributionibus ullo privilegio excusarentur. Unde Honorius & Theodosius Impp. *in l.* 7. *C. de SS. Eccles. Ad Instructiones Itinerum Pontiumque, etiam divinas domus, & venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus: quia non est inter sordida munera numeratum.* Idem rursus *in l.* 4. *C. de Privileg. domus August. vel rei Privatæ, & quar. collation. excus. habent*, ubi idem legis caput plenius legitur: *Absit, ut nos instructiones Viæ Publicæ & Pontium Stratarumque opera, titulis majorum Principum dedicata,*
E *inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesque Itinerum Pontiumque, nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet. Domus etiam divinas tam laudabili titulo libenter adscribimus.* Unde etiam Legata in reparationem *Pontium*, a Jcc. majoribus referuntur ad eorum naturam, quæ legantur, ut dicunt, *ad pias caussas*, teste Speculatore, *tit. de Instrument. edit. §. Nunc vero. vsic. Et scias quod inter.* Sunt enim quodammodo opera pia & religiosa, ob necessitatem, & utilitatem, quæ inde in publicum redundat; cum enim plures
F fluvii, rivi, paludes, viatori in itinere occurrant, & ob magnitudinem, profunditatem, aut rapiditatem vado transiri nequeant; per *Pontes*, quæ sunt Viæ super aquas factæ, promtus, commodus & facilis factus est transitus.

8. *Pontes* autem eo commodiores erunt, si in eorum structura hæc tria observentur. Primum, ut æquali sint solo & altitudine eadem, qua Viæ Publicæ, hinc & inde: si exaggerandi sint & quasi acclives fieri eos opus sit, id imprimis curandum, ut utrimque molli clivo & facili accessu paullatim

surgant & velut longo lentoque tractu. Deinde, ut *Pontis* situs & sedes eligatur media regione, si per aperta camporum struatur; si vero in Urbe, ut in ejusdem medio fiat; & ut locus eligatur, ubi fluvius cursu recto, leni, æquali & continuo est, & ubi alveum habet fluvius arctiorem sive minorem, & minus profundum. Denique, ut *Pons* fiat ex materia firma, solida, durabili, sive ea sit ex sublicis ligneisve palis ad sustinendum pontem aptis, sive lapidea: hæc tamen *Lapidea* multis de caussis præ *lignea* est durabilior; quamvis *Lapides* in istiusmodi structuris *Pontium* apud Veteres adeo in usu non fuerint.

9. *Pontes* enim initio fiebant lignei, ut ad necessitatem præsentem & maxime urgentem. Duobus autem modis fiebant, aut ut permanerent, quamdiu structura illa lignea posset perdurare; tales erant Romæ *Pons Sublicius*, & prope Urbem *Pons Milvius*, qui postea facti sunt lapidei, de quibus porro dicemus *sect. seq. 3. §. & 9.* Aut fiebant tumultuarii ad subitos casus certamve destinationem, & mox deinceps rumpebantur. Græci talem *Pontem* vocant Σχεδίαν, quasi ἀπὸ τοῦ σχεδιάζειν, id est, *celeriter & ex tempore facere*; unde est σχέδιον & σχεδίασμα, pro *opere tumultuario & extemporali*. Suidas hinc non male ad nostrum institutum ait: Σχεδίαν appellant Græci, *Subito confectum navigii genus, sive etiam Pontem tumultuarium, quales aut ex funibus, aut trabibus dissolutis, aut connexis naviculis ex tempore solent confici*. Eo nomine Herodotus vocat *Melpom. sive lib.* IV. *p. ed. Steph.* 111. *Latin. Wechel.* p. 246. pontem, quem Darius ad Thracium *Bosporum Chalcedonis* fecerat, longum quatuor stadia sive quartam partem Leucæ Francicæ: sic enim ait: *Hujus pelagi* (Ponti) *os latitudinis est quatuor stadiorum: longitudo oris, quod est collum, quæ Bosporus dicitur, ubi Pons connectebatur, circiter centum viginti stadia, ad Propontidem usque pertingens*. Talis etiam fuit celebris ille Xerxis pons, quem idem Herodotus describit *Polyhymn. sive lib.* VII. *p. ed. Steph.* 173. & 174. *Lat. Wech. p.* 386. & 387. Verum bini hi *Pontes*, ut subito facti, ita & subito sunt rupti. At posteaquam homines æternæ famæ subiit desiderium, & cum divitiis creverunt animi ad maxima ausa, *Lapideos* cœperunt facere *Pontes*, iisque sua nomina inscribere. Fuerunt hi quidem structi maximis & pœne insanis sumtibus, at e regione fuerunt durabiliores & Auctoribus suis multo majori gloriæ.

SECTIO XXXV.

De Pontibus urbis Romæ.

1. *Primum esse disputandum de Pontibus Urbis.* 2. *Urbis antiquæ octo Pontes, & horum in Tiberi situs.* 3. *primus, Pons Milvius:* 4. *secundus, Pons Ælius:* 5. *tertius, Pons Aurelius aut Vaticanus:* 6. *quartus, Janiculensis:* 7. *Insula Tiberina Romæ utrimque conjungitur per geminum pontem, qui sunt quintus & sextus, Cestium & Fabricium:* 8. *septimus, Senatorius aut Palatinus:* 9. *octavus, Pons Sublicius, postea Æmilius.* 10. *Magnificentia Pontium Romanorum: prima divisio partium in Pontibus Lapideis:* 10. *altera divisio. Magnificentia Pontis Ælii.*

1. CUm ergo disputandum sit de *Pontibus*, quos struxerunt Romani, initium rite faciemus ab illis, qui in ipsa sunt Urbe, ubi Viarum aliquot Militarium partes conjungunt. Quia enim Roma paullatim accrevit, & plurima spatia est complexa cis & uls Tiberim, necesse fuit, exstrui & fieri Pontes, uti ultro citroque commeari posset, ac pericula & incommoda, quæ trajectu pontonum, cymbarum, lintrium, navicularum subinde accidunt, evitarentur.

2. In antiqua Urbe, cum maxime floreret, invenio fuisse *octo Pontes*; quos P. Victor *de* XIV. *Reg. Urb. sub finem* secundum situm, quo in Tiberi a summo ad imum erant, ita disponit ac recenset:

PONTES OCTO.
Milvius.
Ælius.
Aurelius, alias Vaticanus.
Janiculensis.
Fabricius.
Cestius.
Palatinus.
Aimilius, qui ante Sublicius.

Eidem numero subscribit Daniel Cellarius *in Specul. Orb. Terrar.* cum ait *Pontibus octo jungi Tiberim*, & eosdem deinceps recenset.

3. Primus itaque *Pons* est *Milvius*, hodie Italis *Ponte Mole*: qui ad Urbis Pontes hic refertur, quamvis ad mille circiter passus ab Urbe absit, adversum Tiberim, versus & inter Occidentem & septem Triones; prope quem diximus supra III. 22. §. 7. a Constantino M. devictum esse Maxentium, qui fugam meditans, Romamque se recepturus, rupto ponte isto, in Tiberim decidit, ibique vitam & imperium amisit.

4. Secundus *Pons*, si Tiberis cursum sequamur, est *Ælius* sive *Hadriani*, ab auctore sic dictus: struxit enim illum Hadrianus juxta Mausoleum suum, quod *Molis Hadriani* nomine dedicavit, ut ibi ad Urbem pateret transitus. Hæc *Moles* postea munita propugnaculis, *Castelli* nomen accepit & cognomen *S. Angeli*, unde hodie ipse *Pons Castelli S. Angeli* nominatur. *Pons Ælius*, ait F. Albertinus *de Mirabilib. Rom. charta* 7. & 56. *sic dictus, quod ab Ælio Hadriano Imp. in sepulcri gratiam conditus, hodie Pons Castelli*: de illius firma soliditate hæc ait suo ævo Leo Baptista Albertus *de Re Ædif.* X. 8. *Pontem Hadriani Romæ audeo dicere omnium, quæ homines fecerint, operum esse validissimum: tamen alluviones adduxere, ut dubitem diutius posse resistere*. Verum Pons hic ante non ita multos annos reparatus a Pontifice Maximo hodie inter pulcherrima & magnificentissima opera visitur & nitet.

5. Tertius *Pons* est *Aurelianus*, alias *Vaticanus* dictus a vicinia montis Vaticani: A nonnullis dicitur *Triumphalis*, quod Imperatores triumphalem pompam, cum triumphabant, per eum transeuntes ducebant: dictus quoque est *Pons Nobilium*, illiusque transitus Rusticis fertur interdictus fuisse: diu olim inchoatus tandem perfectus est ab Impp. Valentiniano, Valente & Gratiano, ut testis est Inscriptio, apud Gruter. CLX. 6.

.... TIANI. TRIVMFALIS. PRINCIPIS. PONTEM. AETERNITATI. AVGVSTI. NOMINIS. CONSECRATVM. IN. VSVM. SENATVS. POPVLIQ. ROMANI. DDD. NNN. VALENTINIANVS. VALENS. ET. GRATIANVS. VICTORES. MAXIMI. AC. PERRENES. AVGVSTI. PERFICI. DEDICARIQ. IVSSERVNT.......

6. Quartus *Pons* est *Janiculensis* aut *Janicularis*, a vicino *Janiculi* colle; olim etiam dictus *Pons Ru-*

ptus, quod civilibus bellis demolitus diu fuerit in ruinis: at hodie *Pons Sistus*, aut *Xisti*, sive *Sixti* IV. dicitur, quod hic P. M. eum restituerit: longus nunc est pedes CCXV.

7. Paullo infra *Pontem Sixtum* in medio Tiberi parva est insula, hodie *S. Bartholomæi* dicta, ab ejus Divi templo, quod in eadem est. Jungitur hæc insula cis & uls Tiberim Romæ per binos pontes sibi e diametro respondentes & oppositos, quemadmodum insula *Palatii*, Lutetiæ Parisiorum, jungitur utrimque Urbi per pontem D. Virginis, & pontem Minorem. Illorum vero *Pontium*, alter vocatur *Cestius*, alter *Fabricius*. *Cestius* insulam istam Urbi in Transtiberina regione & Janiculo conjungit, & a vicino templo, *S. Bartholomæi* hodie cognominatur. Antea ab iisdem Impp. quos supra §. 5. dixi, videtur exstructus, ut ex sequenti apparet Inscriptione, quæ ibidem hinc inde in marmoreis leguntur tabulis, *ap. Gruter.* CLX. 4. hoc modo:

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CAESARES

FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ϕ
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET ϕ
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ϕ
GERMANIC. MAX. ALAMANN MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET ϕ
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ϕ
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P. ϕ
PONTEM. FELICIS. NOMINIS GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARI QVE. IVSSERVNT ϕ

Idem *Pons* postea a quodam *Senatore Benedicto* est reparatus, ut testis est sequens Inscriptio in eodem Ponte, in basi, literis rudibus & inæqualibus, *ap. Gruter.* CLX. 5.

BENEDICTVS ALME
VRBIS SVMM9 SENAT
OR RESTAVRAVIT HVN
C PONTEM FERE DIRV
TVM

Pons Fabricius Urbi cis Tiberim jungit insulam proxime Theatrum Marcelli; eum fecit L. Fabricius Curator Viarum Urbis, opus probantibus Q. Lepido & M. Lollio Coss. anno U. C. IↃCCXXXIII. teste Inscriptione, quæ eo in Ponte legitur, *ap. Gruter.* CLX. 3.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM. COERAVIT IDEM. QVE PROBABIT

Q. LEPIDVS. P. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. S. C. PROBAVERVNT

Dio Cassius *lib.* XXXVII. *p. m.* 56. facit antiquiorem LVI. annis, Junio Silano, L. Licinio Muræna Coss. anno U. C. IↃXCII. *Præter hæc*, ait, *quæ in id tempus inciderunt*, *Pons quoque lapideus ad insulam*, *quæ in Tiberi exstat*, *pertingens exstructus*, *Fabriciusque dictus est*. Olim quoque *Pons Tarpejus* dictus est, & hodie *Pons quatuor capitum*, *ab Hermis marmoreis quadrifrontibus hic erectis*, ut ex Boissardi *Topogr. Rom.* dicit Franc. Schottus *Itin. Ital. lib.* II. *p. m.* 360. Mercurium istæ statuæ exhibent, quem Viis præesse prisci Gentiles putabant.

8. Septimus *Pons* est *Senatorius* aut *Palatinus*: quod per eum *Senatores* solenni ritu & ceremonia transirent in collem Janiculum, consulturi libros Sibyllinos, & inde in *Palatium* Imperatorum redirent: hodie dicitur *Pons S. Mariæ Transtiberinæ* sive *Ægyptiacæ*, a Templo ejus Divæ vicino. Hunc Augustus aliquando refecit, teste Inscriptione, quæ in eo ponte legitur, *apud Gruter.* CLX. 1. & X. 6.

D. AVG. PONT. MAX. EX. S. C. REFECIT.

9. Octavus & postremus omnium, si spectes cursum Tiberis, est *Pons Sublicius*, at ratione temporis omnium primus & antiquissimus: hic initio ligneus factus est ab Anco Marcio Romanorum Rege, non sine sacris Pontificum ceremoniis, qui post exactos Reges munus hujus Pontis reficiendi, toties, quoties opus erat, ornare debuerunt: hic ipse pons revulsus est. Horatio Coclite in eo Hetruscorum impetum sustinente. Tandem cum ruinam minaretur, lapideum fecit Æmilius Lepidus, a quo deinde *Pons Æmilius* est dictus: ex hoc eodem *Ponte* diu postea Elagabalus, infame illud crudelitatis & impudicitiæ mancipium & monstrum, præcipitatus est in Tiberim, in quo misere periit.

10. Cæterum omnes hi *Pontes* facti erant ex lapide quadrato, nonnulli quoque passim marmore exornati: adeoque immenii fuerunt sumtus, si Tiberis flumen magnum, rapidum, verticosum respicias. Facile tecum ipse poteris reputare, si integrum opus consideres; quod ratione partium duobus modis dividitur. Prima divisio erit in *Pilas*; *Fornices*; *Straturam pavimenti*, quo iter est. *Pilæ* iterum erant vel ad ripas fluviorum utrimque oppositas: hæ apud Architectos Latinos dicuntur *Sublices*, apud nostrates *Culées* & *Contreforts*, quod munirent, subsidia ac præsidia essent Pontis ab utraque hinc & inde ripæ parte: vel erant in medio fluvii alveo, quæ speciatim generali voce *Pilarum* vocantur, unde nostrum *Piles*, quod proprie notat fornicati operis sive arcuatæ structuræ columnam, ad sustinendum lapideum Pontem, quibus datur tertia pars crassitudinis, qua patet apertura sive janua fornicis sive arcus, qui illis imponitur & instruitur. Ante vero, quam statuantur sive locentur

tur, plerumque plurimi pali solo humi & fundi fistuca adiguntur, depanguntur & defiguntur, quorum summitates postea tabulis & asseribus crassis, qui juxta se proxime collocantur, densantur, & fibulis ac subscudibus ferreis firmiter compinguntur & coagmentantur, ut sic statumen certum & immobile præparetur futuræ structuræ: id vero & maximi est sumtus & longi temporis. Ut enim crebra & frequenti fistucatione fundamentum palarent, sæpissime aquas non minus multorum hominum, quam machinarum hydraulicarum ope exsiccare aut avertere debebant, uti apparuit in structura Pontium Lutetiæ Parisiorum. Quod ad *Fornices* & *Straturam Pavimenti* attinet, illa quoque maximam materiarum copiam exposcebant, quas, cum ex iis, quæ antea dixi, facile possint intelligi, hoc loco sicco pede transibo.

II. Ad alteram accedo divisionem, quæ communis est *Pontibus*, quos Romani tam intra, quam extra Urbem fecerunt. Illa evidenter cerni poterit in *Ponte Novo*, qui Lutetiæ Parisiorum est prope Augustinianos. Prisci enim illi *Pontes* in medio aggerem sive iter habebant, quo utebantur vehicula & equites, quod plerumque ejusdem erat latitudinis, atque Viæ aut plateæ proximæ, quæ per Pontem connectebantur: nam, ut Albertus *de Re Ædif.* VIII. 6. ait, *Pontem æque, atque latam Viam efficiemus*. Utraque latera extrema, utrimque pro Peditibus nonnihil eminebant altiora, quæ Latine dicuntur *Decursoria*; hæc autem ornabantur pteromate sive lorica, quæ Latine *Spondæ* appellantur; suntque periboli adversus casuum & præcipitiorum pericula. *Spondæ* hæ quandoque adversus pluvias cœlique injurias magnificam habebant tecturam. Talis Romæ fuit in Ponte Ælio, de quo *l. l.* Albertus: *Quale*, ait, *Romæ, ad Pontem omnium præstantissimum, Adriani opus, dignum memoratu: cujus etiam, ut ita loquar, cadavera spectabam cum veneratione. Steterat enim illic tectum, columnis excitatum quadraginta duabus marmoreis, opere trabeato, tectura ænea, ornatu mirifico.*

SECTIO XXXVI.

De Pontibus, quos Romani fecerunt per Italiam.

I. *Institutum nostrum circa Pontes enumerandos.* 2. *Augustini Eugubini locus de Romanorum magnificis operibus per itinera ad Urbem.* 3. *Pontis Narniensis descriptio.* 4. *Pontem super Anienem Via Salaria restituit Narses.* 5. *Pons Arimini ab Augusto factus.* 6. *Caligulæ mirificus Pons ligneus per sinum Bajanum:* 7. *Quo modo hunc Pontem fecerit.* 8. *Triumphus in eo Ponte imaginarius exhibitus:* 9. *Damna & pernicies hujus Pontis caussa multis creata.* 10. *Nonnulli alii Italiæ Pontes.*

I. INstitutum meum non est, lustrare omnes *Pontes* per Italiam & per Provincias a Romanis factos, nimis enim longum foret iter; pulchriores tantum & celebriores omnium persequar, ostendamque, animos magnorum ausorum & opum Romanarum æque in *Pontium* structuris, atque in ullo alio opere aut ædificio, evidentissime cerni. Atque in eo ut ordine procedam, initium faciam a *Pontibus* vere magnificis, quos per Italiam fecerunt, & ante perlustrabo Romæ propinquiores, cujus accessum omni ratione, via modoque pro virili studuerunt reddere commodissimum & facillimum, tam itinere terrestri, quam per aquas. Aquaticum enim iter adjuverunt, alveos proximorum fluviorum laxando & profundiores reddendo, ut navigabiles fierent: eosque subinde, ubi opus erat, per canalium opera & fossas connectendo. Terrestre iter facilius fecerunt, Pontes faciendo, ubi erant necessarii, ut Viæ Publicæ nusquam forent interruptæ, ac ne ullo sufflamine aut impedimento Viatores retardarentur.

2. Augustinus Eugubinus, qui ipsemet præcipuos accessus ad Urbem studiose perlustravit, ut eos pernosceret, & Pontifici maximo persuaderet *restituendam Tiberis navigationem*, in libro, quem de hoc ipso conscripsit argumento, ita loquitur de Pontibus, Viis & Fluviis, navigationi aptis, & Romæ propinquis: *Constat igitur Romanos, quorum animi magnitudinem ingentesque opes, cum varia ubique Terrarum monumenta, tum vero reperti passim in Viis, quibus itur ad Urbem, Pontes, Arcus, ipsæque Viæ, cæruleis lapidibus aut glarea, vastisque saxorum molibus instratæ testantur, non modo facultatem terrestris itineris euntibus ad Urbem, cum ad Narem ventum est, parasse: ubi Flaminia Via a Carseolo ad hoc oppidum Narniam, per Pontem miræ magnitudinis super Narem ascendit: sed etiam fluvio copiam navigandi, vitato horrendi montis transitu, præbuisse.*

3. Pons iste, quem Eugubinus ait esse *miræ magnitudinis*, situs est Via Flaminia, a Roma circiter LX. M. P. structus namque est super *Narem*, prope *Narniam*, in regione veterum Sabinorum, quæ Urbs in *Itinerario Antonini p.* 71. ubi Via Flaminia describitur, Roma abesse scribitur LVIIII. M. P. Dicam verbis testis oculati Franc. Schotti *Itin. Ital. lib.* I. *in fin. p. m.* 270. *Narnia in aspero difficilique monte, & magna ex parte abrupto, posita est, cujus imas radices abruptosque scopulos Nar fluvius magno cum fragore lavat.* Deinde nonnullis interjectis pergit: *Prætergressis oppidum apparent a dextris supra Narem admirandi ac longe conspicui Pontis fornices ac minæ ingentes, qui duos præaltos & abruptos montes subter labente flumine solebat conjungere, ut æquali via transitus ab oppido Narnia pateret in montem adversum. Ex manubiis Sicambricis exstructum ab Augusto quidam autumant; & Procopius* (de Bell. Goth. lib. I.) *Augustum ejus auctorem memorat, haud unquam pontis arcus celsiores a se visos scribens. Quæ adhuc ejus reliquiæ supersunt, ex lapide quadrato prægrandi pilis vastissimis sublimes arcus impositi, me hercule demonstrant, florentis Imperii maximum & insani sumtus opus hoc fuisse. Nec de alio Ponte loqui Martialem puto epigrammate ad Narniam:* VII. 92.

„ *Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quincto,*
„ *Perpetuo liceat sic Tibi Ponte frui.*

4. Alter *Pons* est super *Anienem*, hodie *Teverone*, eo loco, ubi Via Salaria hoc flumen transit. Hunc Pontem a Totila Gothorum Rege destructum, post hunc Regem devictum restituit Narses, Eunuchus Patricius, Justiniani Imp. copiarum adversus Gothos in Italiam missarum Dux, ut docet Inscriptio duplex, quæ hodie in Arcubus legitur: prior est literis oblongis nec satis ad proportionem exactis, *ap. Gruter.* CLXI. I.

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER. IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXXVIIII.
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRAEPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS
ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS
LIBERTATE. VRBIS. ROMAE. AC. TOTIVS. ITALIAE. RESTITVTA. PONTEM. VIAE. SALARIAE. VS
QVE. AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT

Posterior Inscriptio literis paullo melioribus hæc est: *ibid.*2.

QVAM. BENE. CVRVATI φ DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS φ
ATQVE. INTERRVPTVM φ CONTINVATVR. ITER φ
CALCAMVS. RAPIDAS φ SVBIECTI. GVRGITIS VNDAS φ
ET. LIBET. IRATAE. φ CERNERE. MVRMVR. AQVAE φ
ITE. IGITVR. FACILES. φ PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES φ
ET. NARSIM. RESONANS. φ PLAVSVS. VBIQVE. CANAT φ
QVI. POTVIT. RIGIDAS φ GOTHORVM. SVBDERE. MENTES φ
HIC. DOCVIT. DVRVM φ FLVMINA. FERRE. IVGVM φ

5. Sequitur Pons, quem Augustus Cæsar *Arimini* fecit super flumen *Ariminum*, qui Flaminiam Viam Æmiliæ, urbemque suburbio jungit. Est is inter pulcherrimos & consideratione ac spectatu dignissimos, tam ratione soliditatis & firmæ compagis, quam nitoris & elegantis structuræ. In longum ducentos pedes arcubus quinis innititur: quorum tres medii apertura sive ianua sua patent æquales, singuli XXV. pedes, at bini extremi hinc & inde minores Arcus tantum patent XX. pedes. Omnes vero confornicati sunt lunatis fornicibus, sive ad instar dimidii circuli, atque ejusdem curvaturæ habent oram sive projecturam, quæ lata est decimam partem latitudinis aperturæ seu diametri in arcubus majoribus, octavam vero partem in minoribus. Pilarum prominentiæ, sive, ut sic loquar, rostra ad angulos rectos, non vero acutos porriguntur. Veteres Architecti hoc in omnibus Pontibus Lapideis observarunt; anguli enim recti satis apti sunt ad frangendum, divellendumque undarum impetum, & præterea fortiores sunt, magisque resistunt, quam acuti, minusque expositi rupturæ periculo ab illidentibus arboribus aliisve rebus, quas rapidi fluminis cursus secum abripere solet. Supra ipsas pilas hinc & inde visuntur loculamenta, in quibus olim positæ fuerunt statuæ. Super hæc loculamenta secundum pontis longitudinem hinc & inde ora projecta, instar coronidis, cernitur, quæ, licet parva, miram toti operi conciliat gratiam. Coronant opus ab utraque parte cubitalis crepido & spondæ marmoreæ, columnis opere Dorico pulcherrime elaboratis. Ad latera Pontis sequentes Inscriptiones, *apud Gruter.* CLX. 2. docent magnificum hoc opus factum ab Augusto & Tiberio. Prioris lateris hæc est:

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG. PONT. MAX. COS
XIIII. IMP. XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVIII. P.P.

Posterioris autem ista:

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. IVLII. N. AVG
PONT. MAX. COS.IIII. IMP. VIII. TRIB. POTEST.XXII
DEDERE

Ex quibus colligimus, an. post U.C.IↃCCLXXVIIII. Cn. Lentulo & C. Calvisio Coss. opus hoc absolutum fuisse. Sic autem nobis describitur ab Andrea Palladio *Archit.* III. 10. & Cypriano Eichovio *in Deliciis Italiæ p.*39.

6. Verum enim vero, tanquam si parum foret magnificentiæ Romanæ, facere Pontes super fluvios, ecce tibi & Civem Romanum & Imperatorem, qui prodigioso ausu in ipso mari Pontem facere destinarunt: de priore audi Plinium H. N. III. II. *Ab eo* promontorio Japygio *Basta oppidum & Hydruntum decem ac novem* M. P. *ad discrimen Ionii & Adriatici maris, qua in Græciam brevissimus transitus, ex adverso Appolloniæ oppidi, latitudine intercurrentis freti, quinquaginta* M. *non amplius. Hoc intervallum pedestri continuare transitu, pontibus jactis, primum Pyrrhus Epiri Rex cogitavit: post eum M. Varro, cum classibus Pompeii Piratico bello præesset. Utrumque aliæ impediere curæ.* Licet autem hic Pons ita aliis curiis impeditus non exstiterit, exstitit tamen alter, & quidem tumultuarius ad brevissimi temporis voluptatem factus, & per omnes partes perfectus, magis mirandus & majoris sumtus, quam omnes illi, qui unquam e lapide, ut perdurarent & permanerent, sunt exstructi. Est autem ille Pons, quo Caligula Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles, longitudine trium millium ducentorum quinquaginta passuum, si Dioni Cassio *lib.* LIX. *p. m.* 749. credimus, si Suetonio *in Calig. c.* 19. trium millium & sexcentorum fere passuum, quæ fere duæ sunt leucæ Francicæ, conjunxit. Scilicet hic Imperator, ut in omnibus prodigiosum se gessit, ita rem haud magnam esse censebat, si equo per continentem terram triumphans inveheretur, triumphum eum, ut jam a Majoribus vulgatum, sprevit, ac per mare ipsum, ponte injecto, equo triumphalem in modum vehi intendit. Huic operi elegit sinum Bajanum: caussam, inter alias & hanc adfert *l. l.* Suetonius, *quod Thrasyllus Mathematicus anxio, de successore, Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmasset; Non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum sinum equis discursurum.*

7. Ne ergo falsum dixisse videri posset summus ille Mathematicus, *Sinum* istum *Bajanum* ponte sternendum & contabulandum elegit: ad eum vero faciendum contractæ & convectæ sunt undique ex mari mediterraneo onerariæ naves, unde advectionibus impeditis fames vehemens Italiam, ac maxime Romam invasit. Cum vero omnes, quæ haberi poterant, non sufficerent, mox summa celeritate alias plurimas fieri jussit & his addi, quas

omnes ordine duplici ad anchoras collocavit. De-inde, ut misceret terram mari, ac elementa ipsa permutaret, terramque continentem super ipso mari exhiberet, superjecit his navibus contabulatis aggerem terrenum, quem in Appiæ Viæ formam direxit, stravitque lapidibus quadratis, quos in Via Appia diximus *supra* II. 26. §. II. fuisse trium, quatuor, quinque pedum, quaquaversus, magnitudine.

8. Omnibus perfectis per hunc Pontem ultro citroque commeavit, biduo continenti. Primo die thoracem, qui Alexandri, sic enim perhibebat, fuerat, & supra eum chlamydem sericam purpuream, multo auro multisque gemmis Indicis ornatam induit: gladio se accinxit, & clypeum sumsit, querna corona capiti imposita. Tum sacra re Neptuno ac Diis aliis facta, & Livori etiam, ne qua invidia, ut ajebat, premeretur, Pontem a Baiis ingressus est, & phalerato equo in Urbem Puteolanam, plurimos equites peditesque armatos secum ducens, quasi in hostes, celeriter irruit: ibi noctem, tanquam a prælio fessus, quieti dedit, & deinde postridie per eundem pontem quadrigario habitu revectus est, curriculoque bijugi famosorum equorum, qui in certaminibus Curulibus præ cæteris cursu vicerant: & ne quid triumphalis pompæ in imaginario isto triumpho omitteret, sequebantur eum inter reliquum apparatum plurima spolia, velut ab hoste capta; præ se ferebat Darium puerum, Arsacidarum generis, ex Parthorum obsidibus, comitante Prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum, floridis vestibus, ac exercitus etiam reliquus, singuli eleganter ornati, quasi mari voluisset illudere. Et quia scilicet opus erat, eum tanta expeditione facta, ac tanta victoria impetrata, more Imperatorum vere triumphantium, pro concione dicere, suggestum conscendit in medio pontis, navibus impositum: & primo se, ut maxima conatum, jactavit; deinde milites, ut periclitatos ac fatigatos laudavit; hoc inter alia gloriatus, se cum exercitu pedibus mare percurrisse; Neptuno se timorem incussisse, Dariumque & Xerxem, non nisi ludibrii caussa, memoravit, quia ipse longe plus maris ponte instravisset. Congiario deinde dato, post ipse in ponte, tanquam in insula aliqua, reliqui in aliis navibus stationem habentes, diei reliquum & totam noctem epulati sunt, multo ex ponte igni, multo ex montibus affulgente: nam loco in dimidiatæ Lunæ formam curvato, undique ignis, quasi in theatro quodam videbatur, ita ut omnem tenebrarum sensum eriperet: ita noctem quoque in diem convertere, veluti mare in terram, volebat.

9. Hæc fere locis laudatis Suetonius & Dio Cassius commemorant, de insano hoc, novo, inaudito & sumtuoso, sed vano, inutili & ridiculo spectaculi & operis genere. De quo Dio Cassius *l. l. p. m.* 751. hæc subjicit: *Postquam ad satietatem usque cibo & potu se ingurgitavit, multos Amicorum de ponte in mare projecit, multos navibus rostratis circumvectos submersit, ita ut perierint nonnulli, plerisque, quanquam ebriis, evadentibus, quod eo loci mare placidissimum ac minime turbulentum erat*: & mox: *Hic finis fuit pontis ejus, qui ipse etiam multis caussa necis fuit: cum omni in eum pecunia absumta, multo jam pluribus, propter opes, perniciem crearet.*

10. Silentio hic transeo Pontem, quem Vespasianus fecit super *Metaurum*, hodie accolis *Metro* aut *Metremo* dictum; ut &, quem hujus filius Domitianus fecit super *Vulturnum*, hodie *Natarone*, dictum. Hoc tantum addo, Trajanum, cum exsiccaret paludes Pomtinas, ut recto itinere continuaret Viam Appiam, coactum fuisse, pluribus in locis Pontes facere, quos Dio Cassius *lib* LXVIII. appellat *magnificos*. Notatu quoque dignus est pons, quem super *Metaurum* fecerunt Diocletianus, Maximianus Impp. Constantius & Maximianus Cæss. Inscriptionem *in Comp. Rom. Historiar. in Diocletian. p.m.*441. adfert Pomponius Lætus: habet eandem Gruterus CLXI. 3. his verbis præmissis: *In Via Flaminia, trigesimo a Foro Sempronii lapide, Urbinum versus, in pariete templi S. Mariæ del Ponte appellati: nam non procul abest pons supra Metaurum fluvium stratus, unde saxum ipsum translatum esse videtur.*

AETERNI | IMPE
RATORES. DIOCLE
TIANVS | ET | MAXI
MIANVS | AVGVS
TI | ET | PERPETVI |
CAESARES
CONSTANTIVS
ET | MAXIMIA
NVS | PONTEM
METAVRO

Plures alii Imperatores passim per Italiam plurimos curarunt fieri pontes, quos tacitus prætereo, ut veniam ad nonnullos, qui in Provinciis sunt facti.

SECTIO XXXVII.

De admirandis & magnificis Pontibus, quos Romani per Provincias fecerunt; & speciatim de iis, quos per Gallias & Germaniam struxerunt.

1. *Vero simile esse, ab Agrippa plurimos pontes in Galliis esse factos*: 2. *Pontis Gardii eum Auctorem esse, conjicitur: ejus Pontis magnificum opus*: 3. *Triplicis in eo seriei descriptio*: 4. *Duo in eo præcipue admiranda*. 5. *Plures alii in Galliis Pontes a Romanis facti*. 6. *Pons Viennensis in Delphinatu*. 7. *Pontes a Romanis in Gallia Belgica facti*. 7. *Pons in Germania*.

1. QUandoquidem instituimus, nonnihil dicere de Pontibus, quos Romani per Imperii sui Provincias fecerunt, initium commode faciemus ab iis, qui per Gallias facti sunt, cum per Alpes ex Italia proficiscenti primæ occurrant. Credibile est, Agrippam, Augusti generum, cum Vias Galliarum Publicas muniret, earum quoque partes fluminibus interruptas Pontibus junxisse, quos multis in locis videtur struxisse, hoc tempore incognitis, seu quod singillatim in Historiis non sint notata, seu quod longinqua temporis omnia consumentis vetustate ipsi pontes in ruinas sint collapsi.

2. Superest tamen hodie *Pons Gardius*, vulgo *Pont du Gar*, quem opus Agrippæ crederem: describit eum Johannes Poldo, libro vernaculo *des Antiquitez de Nismes* I. 18. situs est inter Avenionem & Nemausum, super fluvium non ita magnum, *Guardon* accolis dictum, qui ex Langodocia, sive Occitania, defluens in Rhodanum illabitur. Nemauso distat tribus fere leucis Francicis, ut *l. l.* Poldo ait. Isaacius Pontanus, qui hunc Pontem ipse vidit & lustravit, *in Itin. Gall.* ubi de hoc narrat, ait: *Opus longe elaboratissimum; & cui ambigas, an ullum aliud, non dico Gallia, sed Italia ipsa par habeat.* Cum hoc facit testis item αὐτόπτης Paullus Hentznerus, Jc. Germanus, *in Itinerar. numero* 183. cujus verba addo: *Rimon, pagus. Uno*

milliari ab hinc aspectu & consideratione dignus est Pons Gardius, vulgo Pont du Gar, a fluvio Gardon nomen habens, antiqui & stupendi operis, triplici serie, mira industria fornicatus.

3. Convenit hic posterior cum scriptore *Antiquitatum Nemausensium*. Uterque enim triplicem agnoscit seriem, pariter conveniunt in numero fornicum & pilarum. Ima series longa est pedes CCCCXXXVIII. distributa in sex Arcus sive fornices, quorum singulæ januæ sive aperturæ patent pedes LVIII. sustinentur vero binis sublicibus, & quinque pilis, quarum unaquæque crassa est pedes XVIII. alta pedes LXXXIII. Prima hæc series diu postea fuit patefacta & aperta, ut hominibus, equis & jumentis transitum præberet, quo fit compendium itineris fere duarum Leucarum Francicarum. Unde toti huic operi etiam deinde *Pontis* nomen accessit, quamvis, si operis rationem modumque, & Auctoris propositum respicias, revera sit Aquæductus, non autem Pons. Sane, licet hoc opus stupendæ molis sit, & structuræ, quæ spectatoribus terrorem incutiat, tamen nec hodie vehicula potuit ad transitum admittere. Altera series, unde porro constat non fuisse pontem, sustinendæ tantum tertiæ & summæ seriei est facta: longa pedes IↃCCXLVI. lata pedes XXI. Arcus sive fornices habet XI. qui janua sua seu apertura singuli patent pedes LVI. alti pedes LX. impositi pilis, crassis pedes XIII. Inter imam & mediam seriem, secundum operis longitudinem, interjicitur ac intercurrit velut fascia, pluteus ac intervallum, altum pedes VII. & deuncem, quod non sine grata proportione symmetriæ distinguit utramque hanc seriem. Tertia & summa series est Aquæductus, sed hinc inde hodie corruptus; cui sustinendo utraque inferior fornicationum series est facta, non vero ut Pons essent, aut transitum præberent. Longus autem est Aquæductus ille pedes IↃIV. & dimidium, Arcuum vero XXXV. qui janua sua singuli patent pedes XVII. impositi pilis, crassis pedes V. & dimidium: altus est tantum pedes VI. & in eodem factus canalis pro ducenda aqua, qui cavitate sua quadrata, patet in singula latera pedes III. Intervallum sive intermedium illud, quod alteram & supremam seriem distinguit inter se, habet VIII. pedes & semissem Sic ut tota operis altitudo sit CLXXI. pedum & quincuncis.

4. In hoc autem opere duo admiranda occurrunt, prius, ut dicam Hentzneri *l. l.* verbis: *In hoc opere, vero Romanæ magnificentiæ simulacro, mirum, quod lapides quadrati, molis immensæ, nulla calce compacti, tamen cohæreant.* Alterum vero & posterius magis est mirum, quod tanti & tam magnifici operis nulla reperiatur inscriptio, quæ Auctorem memoret: *& quod maxime mirabile, cum in ævi sui, Romanæ potentiæ veluti miraculum exædificatum crediderim, nullam ejus, nec Auctoris quidem, in priscis memoriis exstare vel mentionem, vel testimonium*, ut loquar verbis *l. l.* Isaacii Pontani.

5. Hoc tamen opus, unicum non fuit, quod Romani per Gallias fecerunt Bartholomæus Chassanæus *in Catalog. Glor. Mundi, par.* XII. *Consid.* 71. mentionem facit plurium Pontium super Rhodanum & Ararim, quorum plerique operis sunt Romani, quales, qui visuntur Genevæ, Lugduni, Viennæ, Avenione, quatuor super Ararim commemorat, quos *l. l.* vocat *Pontes excellentes, qui non modica impensa structi sunt.* Silentio hic prætereo pontem sublicium *in Arare* a Cæsare *uno die* factum, qualem Helvetii *diebus* XX. *ægerrime confecerant*, cujus ipse meminit *de B. G.* I. 13. item, Pontem sublicium, ab eodem Cæsare factum super Rhenum, decem diebus, quo Ponte primus Du- cum Romanorum exercitum in Germaniam transduxit: hos transeo, quia fuerunt tumultuarii, nec, ut permanerent, facti: si qui velint modum ac faciendi formam nosse, adeant illi Cæsarem ipsum *de B.G.* IV. 17. & 18.

6. De *Ponte Viennensi* hanc Inscriptionem antiquam reperio, *Viennæ Allobrogum in Ponte Geræ, ap. Grut.* CLXIII. 7.

ANNO
C. CALPVRN. PISONI
M. VETTII. BOLANI
COS
PONTIFEX. STIPE

factus itaque foret sub Trajano A. U.C. IↃCCCLXIII. quo anno illi coss. fuerunt. *Viennenses* nobis possent hujus Pontis structuram describere, si forsan ex eo quicquam adhuc superesset. Amplissimus Savaro, Arvernorum Præses, cujus eruditionem fama celebrat, quatuor mecum communicavit Inscriptiones, quas ipse vidit & exscripsit ex columnis milliaribus, quæ in patria illius visuntur: primam, quæ *Pauliagueti* legitur, attulimus *supra* 120. §.4. ex qua constat, *Cæsarem* quendam *Principem Juventutis* ibidem *Pontem* nescio quem, *vetustate collapsum* restituisse.

7. Strabonis ævo, Legati & Duces Augusti Cæsaris in Gallia Belgica ad Bellum Germanicum missi, & Treveris aut circa Treveros stativa habentes, cum ad traducendos facile exercitus, tum & ut Vias Publicas, quæ id temporis per Galliam Belgicam muniebantur, connecterent, videntur Pontes plurimos fecisse super Mosam & Mosellam: colligimus ex istis Strabonis verbis *lib.* IV. *p. m.*352. *Post Mediomatricos autem atque Tribocchos, Treveri Rheno adjacent, apud quos Romani imperatores* (intelligit Duces & Legatos Augusti) *contra Germanos belligerantes, hac tempestate pontem* (al. *Pontes*) *ædificant.*

8. Et quoniam Germaniæ mentio incidit, annotamus, cum Romani in ea, quæ nobis trans Rhenum est, diu non fuerint morati; in Germania tamen eos Cisrhenana victores hæsisse, & secundum Rhenum, qua decurrit, Vias aliquas Publicas more Romano fuisse ab iis munitas, & pariter hinc pontes factos, qui Vias trans flumina connecterent. Sic apud Tabernas Rhenenses sequens Inscriptio testis legitur, *apud Gruter.* CLXIII. 5.

IN. H. DD.
L. SILVANIUS
PROBVS
PONTES. D S. DD

SECTIO XXXVIII.

De nonnullis Pontibus, quos Romani fecerunt aut repararunt per Hispanias, Pannonias & Asiam minorem.

1. Magnificus Pons Eboræ in Hispania. 2. Trajani Pons Salamanticæ. 3. Excellens Pons Norbæ Cæsareæ: 4. Verus hujus Auctor: 5. & ejusdem descriptio: 6. ac Reparationes. 7. Duæ aliæ Inscriptiones, quæ ad Pontes in Hispaniis attinent. 8. Trajani Pons super Danubium, omnium excellentissimus: 9. hujus binæ Inscriptiones antiquæ: 10. Situs ejusdem ac locus notatur. 11. Pons a Justiniano super Sangarium, minoris Asiæ fluvium, factus.

1. PAucos Germania habuit Pontes Romanos, quare ex ea in Hiſpanias proficiſcamur, luſtraturi illic plurimos & pulchriores & ſumtuoſiores pontes, quos Romani per Orbem terrarum fecerunt. Primum adibimus *Eboram*, urbem *Baticæ*, quæ hodie *Andaluſia* eſt, dicebatur autem olim a fluvio *Bæti*, qui hodie *Guadalquebir*

A dicitur, eſtque Hiſpanicorum fluviorum maximus & celeberrimus: jungit ibi *Eboræ* pons ille duas oppoſitas Bætique imminentes rupes: ſtruxerunt eum impenſa ſua Eborenſes, audentque comparare Ponti, quem Trajanus Salamanticæ reſtituit, de quo mox dicemus. Inſcriptio docet hæc, quæ *apud Gruter.* CLXII. 5. legitur talis;

MEMORIAE. DICATVM
CVM. VTILITATEM. PVBLICAM. TVTARI
EPORENSI. MVNICIPIO. CORDI. SEMPER FVERIT
MERITO. HVNC. QVEM. CERNIS LAPIDEVM IN
GENTEMQVE PONTEM BAETIS FLVVII RVPI
BVS IMMINENTEM ET CVM TRAIANI PONTE CER
TANTEM MAGNA SVA IMPENSA AD AETERNAM
GRATIAM ET MONVMENTVM RERVM EXCITAVIT
FACILES ERGO IAM VIATORES IBVNT
TANTISQVE ELIMINATIS PERICVLIS
RAPIDAS SVBIECTI GVRGITIS VNDAS CALCANTES
SECVRITATI
PERPETVAE GRATIAM HABEBVNT

2. *Pons Trajani* ab inſtauratore Trajano Imp. ita nominatur: eſt autem inter maxima Hiſpaniarum miracula, & tam antiquus, ut ipſi Scriptores Hiſpanici negent, poſſe verum Auctorem ejus nominari. Gonſales de Avila in libro, quem *de Antiquitatibus Salamanticæ*, lingua Hiſpanica compoſuit, hoc I.5.affirmat. Vulgus, ut omnia valde magnifica & inſolita opera ad Deos aut Gigantes referre Auctores ſolet, ita & hujus Pontis auctorem facit Herculem. At ego non paucis validiſque rationibus adducor, ut credam, Romanos, qui tot, tanta & tam diu, bella in Hiſpaniis geſſerunt, veros eſſe iſtius Pontis auctores & conditores, licet Hiſtoria taceat, quis eorum tantum opus fecerit aut perfecerit. Si enim Avilam *l.l.* ſequamur, longus eſt pons ille IↃ. paſſus, qui faciunt pedes CIↃ. IↃ. & diviſus in fornices ſive Arcus XXVI. quorum ſingulæ januæ patent pedes LXXII. pilæ vero, quæ eos ſuſtinent, craſſæ ſunt pedes circiter XXIII. altæ vero ultra pedes CC. Pons hic in regno eſt *Caſtiliæ*, in urbe *Salamantica*, ſuper *Tormum* fluvium, qui Pons vetuſtate hinc inde corruptus a Trajano Imp. reſtitutus eſt, ut continuaret Viam illam Publicam, quam ſuo is ævo munivit, quamque *ſupra* l. 26. §. 2. vulgo *Argenteam* a colore ſilicis, quo ſtrata eſt, diximus cognominari: ejus reparationis teſtis eſt ſequens Inſcriptio, quæ in eo Ponte legitur:

IMP. CAES. D. NERVAE. FILIVS
NERVA. TRAIANVS. AVG.
GERM. P. M. TRIB. POT
COS. II. RESTITVIT
M. P. II.

3. Tertius Pons per Hiſpanias notari dignus eſt in Luſitania, *Alcantaræ*, quæ Plinii & Ptolemæi *Norba Cæſarea* eſt, ſita ad *Tagum* fluvium, hodie *Tayo* dictum: de illo Ponte hæc Ludovicus Nonnius, Medicus Hiſpanus, *libro de Hiſpania*, prodit: *Nobilitatur præcipue Alcantara ad Tagi ri-*

D *pas magnifico & Imperatoria majeſtate digno Ponte, quem plerique Trajano adſcribunt, non ſecus ac Segobienſem Aquæductum: licet proletarii Scriptores ad Hiſpanum, vel Herculem vaniſſime referunt*: deinde addit paullo poſt: *Trajani vero Imperatoris opus eſſe confirmant Inſcriptiones antiquæ, quæ inibi viſuntur: quas non pudebit recenſere*: adfert deinde hanc, quam *in medio Ponte* ait legi:

IMP. CAESARI. D. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. AVG.
GERM. DACICO.
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. VIII.
IMP. VI. COS. PP.

E mox addit, proximum eſſe D. Juliani ſacellum, quod e viva rupe eſt exciſum, in illius ingreſſu & limine legi priſcam hanc Inſcriptionem:

IMP. NERVAE. TRAIANO.
CAESARI. AVG.
GERM. DACICO. SACRVM.

4. Sed enim doctiſſimus Nonnius non videtur ipſe, aut ſi ipſe, non ſatis recte Inſcriptiones iſtas legiſſe. Produximus illam integram & ex fide accuratiore Gruteri, *ſupra* 1. 24. §. 3. *ſub finem*: ex qua conſtat, non *Trajanum*, ſed *C. Julium Lacerum*, ditiſſimum Civem Romanum & forſan Provinciæ Præſidem, *hoc* utrumque opus, *ſolum feciſ-*
F *ſe*, & tam Templum, quam Pontem ab eodem *dedicatum* honori *Trajani Aug.*

5. Ex verſibus elegiacis ejuſdem Inſcriptionis apparet, *Templum* fuiſſe *in rupe Tagi*, *Pontem* ſuper *Tagum*; fuiſſe opus, *Superorum & Cæſaris majeſtate* dignum; *Materia vinci Artem*; materiam enim *perpetuam manſuram in ſæcula Mundi*: & ſane eſt inter pulcherrimos etiam hodie & maximos Pontes, qui uſquam videntur. *Longitudine* enim *ſua*, ut ſequar denuo *l. l.* Nonnium, IↃCLXX. *pedes*; *latitudine circiter* XXVIII. *pedes complectitur. Altitudo vero aqua tenus* CC. *pedum*

est: totus autem Pons VI. *concamerati operis pilis fere quadratis subnititur*, quarum Arcus januam patentem LXXXIV. pedum habent.

6. In Arcu ejusdem Pontis fuere olim tabulæ marmoreæ quatuor, quarum superest adhuc una, digitis æneis affixa; quæ fidem facit, hoc Pontis opus perfectum aut etiam reparatum fuisse collata Municipiorum Lusitaniæ stipe: sic eam exhibet Gruterus CLXII. 3.

MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIAE. STIPE
CONLATA. QVAE. OPVS
PONTIS. PERFECERVNT.
ICAEDITANI
LANCIENSES. OPPIDANI
TALORI
INTERANNIENSES (Alii: INTERAMNENSES)
COLARNI (Alii: COLORINI)
LANCIENSES. TRASCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES (Alii: MADVBRIGENSES)
ARABRIGENSES (Alii: ARVBRIGENSES)
BANIENSES
PAESVRES

7. Cæterum de Pontibus Hispaniæ insuper duas reperio Inscriptiones; quarum prior exstat *Ossunæ* in *Andalusia*, quæ de *Septimio Severo* ejusque Filiis est, *ap.Gruter.* CLVII. 2.

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIFEX. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB.
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXI.

Altera legitur *Oreti*, quæ hodie *Calatrava* dicitur, *apud Gruter.* CLXIII. 4.

P. BAEBIVS. VENVSTVS. P. BAEBII
VENETI. F. P. BAEBII. CERIS. NEPOS
ORETANVS
PETENTE. ORDINE. ET. POPVLO. IN
HONOREM. DOMVS. DIVINAE. PONTEM
EX. H-S. XXC. CIRCENSIBVS
EDITIS. D. D

8. Verum omnium Pontium, qui unquam per Orbem fuere facti, Pons Trajani super Danubium, est omnium magnificentissimus. Hujus Imp. quamvis pæne infinita sint opera magnifica, nullum tamen eorum ad hujus Pontis accedit magnificentiam. Eum *lib.* LXVIII. graphice describit Dio Cassius; quæ luculenta verba ejus sector Xiphilinus non recidit, quæ & hic addo: *Trajanus Imperator Pontem lapideum super Istrum statuit, quem Ego nec digne quidem habeo admirari. Nam etsi alia pulcherrima Principis ejus opera exstant, tamen hoc est super omnia. Pilæ igitur ejus sunt* XX. *e lapide secto & quadrato, quæ altitudinem habent* CL. *pedum, latitudinem* LX. *distant inter se* CLXX. *pedes, fornicibus devinctæ. Quomodo autem non aliquis sumptum in istas admiretur? idque in flumine magno & vorticoso, & fundo ipso infido & limoso: nam nec avertere quidem cursum fluminis licuit ullo modo. Nec vero de magnitudine fluminis ideo dixi, tanquam ibi maximum sit (imo vero alibi duplo majus est, aut triplo, atque instar pelagi se diffundit.) sed quia locus ille arctissimus ibi locorum, & aptissimus ponte jungi, est tantus. Quo autem magis in arctum illud ex lato contrahitur, & rursum in latum se effundit, tanto nimirum & rapidius fluit & profundius exsistit. Ut hoc quoque difficultatem atque arduum operis valde auxerit. Magnitudo igitur animi Trajani ex eo quidem constat, non tamen usum nobis nunc præbet: sed pilæ duntaxat stant, quasi in eum finem modo structæ, ut documento sint, nihil esse, quod ingenio humano non possit effici.* Trajanus eum fecit Pontem, ut, si Daci legiones & cives Romanos ultra Danubium commorantes, in Decebali regno, quod Trajanus acquisiverat, invaderent tumultu aut bello, promta & expedita cito posset mittere & transducere auxilia & opem laborantibus ferre, beneficio tam præclari Pontis. At successor ejus Hadrianus e contrario metuens, ne Barbari custodibus oppressis illo transirent in Mœsiam, & præsidia ibi opprimerent Romana, *superiora Pontis*, teste eodem Dione, jussit dirui, & arcus dejici, qui omnium fuere latissimi, quos unquam homines facere ac perficere sunt ausi: aut verius, Hadrianus desperans unquam a se fieri posse æque magnificum opus, ex invidia in optimum maximumque Principem Trajanum, hoc Orbis miraculum, quale nunquam restitui poterat, corrupit.

9. Reliquiæ tam magnifici & portentosi operis in medio adhuc visuntur Danubio, ad ruinas Urbis *Warchel* in Hungaria, ubi inter pilas & rudera Pontis duæ repertæ sunt Inscriptiones, quæ fidem faciunt nobilissimi hujus operis: prior est hæc, *ap. Gruter.* CLXIII. 1.

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F.
NERVA. TRAIANVS. GERM
PONT. MAX. TRIB. POTEST

Altera ibidem Inscriptio elegantissima est, & alludit ad significationem propriam τῶ *Pontifex*, ut non tam significet Sacrorum principem Præfectum, quam eum, qui *Pontem*, omnium cæterorum Pontium Regem, *fecerit*, & sit *vere Pontifex*, non tantum nomine, ut reliqui Imperatores, qui a Julii Cæsaris ævo *Pontifices maximi* fuerunt omnes; sed re ipsa, Princeps cætera vere pius, prudens, in administratione Imperii optimus, & rebus gestis maximus, sub quo nihil, quod *Virtus Romana* non posset *domare*, aut perficere, fuerit, cum & Danubium, tantum fluvium, imo Fluviorum in Europa quasi Regem, *sub jugum rapuerit* magnificentissimi Pontis: hoc vult Inscriptio ista, *ap. Gruter.* CLXII. 9.

PROVIDENTIA
AVG
VERE. PONTIFICIS
VIRTVS. ROMANA
QVID. NON. DOMET
SVB. IVGVM. ECCE
RAPITVR. ET. DA
NVIVS.

10. Alfonfus Ciacconius, Hifpanus, Vir præclare doctus *in Hiftor. utriufque Belli Dacic.* ifta de hoc eodem Ponte fcribit: *Hæc moles & Pons per fæcula memorandus, ab Hadriano Cæfare, ex caufis non recte perpenfis, dirutus & demolitus poftea fuit, veftigiis tanti operis vix relictis: adeo, ut bodie incompertus effet locus, nifi opera & inveftigatione Johannis Cufpiniani proderetur. Hic enim in Auftriæ defcriptione, in inferiore Pannonia, non procul a Cannifa oppido fitum affignat, ubi proximus exfiftit fons quidam celeberrimus, qui in fanguinem verti folet, obitus vel infortunium ingens Regis Ungariæ fi immineat, quod multa incolarum experimenta comprobarunt.* Hæc ille. Paullus Jovius, florentis ingenii & ftili Scriptor, dicit, et iam nunc *triginta fex pilas* exftare & confpici, in confinio Valachiæ & Tranfilvaniæ, ad oppidum *Severinum*. Hic ergo plures XVI. numerat, quam Dio *l.l.* Utri fidem habebimus? Sane, fi oculi nunc convincunt, ita effe; Jovio credamus oportet. Videant modo & dicant vicini, qui accolunt aut qui infpectores ipfi fuis oculis poffunt arbitrari. Si fit ita, numerus Dionis erit corrigendus & reformandus: at quis dicet, Dionem nefciviffe, aut de opinione iftum fcripfiffe numerum, cum vir ille infignis peritia rerum & honoribus, in ipfis iis locis Præfes fuerit Dalmatiæ Pannoniæque: itaque fcire omnino potuit, & debuit, imo & numeravit & dimenfus eft fingula, in cura ifta rerum fcribendarum. Vereor, ut Jovius fuerit, quod etiam alibi, auditionum facilis & parum diligens examinis aut veri: quare Dionis fequamur numeros & dimenfionem: defcribit ille pilas XX. quæ pedes LX. latæ fint, quarum fornices XXII. fint pedum CLXX. fic ut totum opus, ne quidem adnumerando fublicas, longum fit pedes quater mille feptingentos quadraginta, qui proxime æquant milliare, five dimidiam Leucam Francicam, mirifica fane & prodigiofa Pontis longitudo!

11. Credibile eft Afian. & Africam, æque ac Europam, Pontibus fuiffe inftructas, ubi opus erat Vias Militares trans flumina connecti. Verum ut hanc difputationem finiam, exempli cauffa tantum unum oftendam, & reliquos Curioforum induftriæ inveftigandos relinquam. Pons eft, quem Conftantinus Porphyrogenneta, *Them.* 5. dicit effe digniffimum vifu, ftructumque a Juftiniano fuper *Sangarium*, minoris Afiæ fluvium. Fluvius hic antea navigabilis non erat; fed beneficio hujus Pontis, qui duabus fublicis fulciebatur, & unico Arcu immenfæ amplitudinis & magnitudinis factus erat, navigabilis in pofterum redditus eft. Scriptor ille purpuratus tanti facit hunc Pontem, ut eum maximis annumeret Victoriis, quas per Duces Legatofque fuos de tot Barbaris reportavit Juftinianus: unde velut furore correptus poetico Auctor ille folutam exfilit dictionem, & Sangarium Fluvium his verfibus affatur:

Καὶ σὺ μεθ' Ἑσπερίην ὑψαυχένα, καὶ μετὰ Μήδων
 Ἔθνεα, καὶ πᾶσαν Βαρβαρικὴν ἀγέλην
Σαγγάριε κρατεραῖσι ῥοὰς ἀψῖσι πεδηθεὶς,
 Αὐτὸς ἐδουλώθης Κοιρανικῇ παλάμῃ.
Ὁ πρὶν γὰρ σκαφέεσσιν ἀνέμβατος, ὁ πρὶν ἀτειρὴς,
 Κεῖσαι λαϊνέῃ σφικτὸς ἀλυκτοπέδῃ.

Quos verfus Bonaventura Vulcanius ita fecit Latinos:

Tu quoque poft tumidam Hefperiam, Medofque feroces,
 Barbaricumque gregem, quantus erat, domitum:
Sangari prævalida fluctus modo fornice vincte,
 Induperatoris fervitio premeris.
Invie namque olim ratibus, nullique fubacte,
 Jam rigida faxi compede vincte jaces.

SECTIO XXXIX.

De Lapidibus & Columnis a Romanis per Vias Militares, & cuinam ufui pofitis.

1. *Lapides per Vias Militares pofiti, duum generum erant: primi, ut ex his afcenfio in equos & vehicula, & rurfum defcenfus ex iis commodior & facilior effet:* 2. *Pofterioris, erant Columnæ Milliares:* 3. *barum diverfa nomina:* 4. *earum materia erat Lapis vulgaris aut marmor.* 5. *earundem forma, figura ac altitudo.* 6. *Infcriptio earum fere duplicis erat argumenti.* 7. *Primo, notabat numerum Milliarium five Leucarum:* 8. *Deinde, quinam Auctores feciffent aut refeciffent Vias iftas ac Columnas.* 9. *Sidonii Apollinaris in hanc rem locus.* 10. *Columnæ Milliares per Galliam Celticam & Narbonenfem.*

1. PRæter *Pontes*, qui Viatorum expedito itineri erant neceffarii, erant & aliæ Viarum partes, quæ fimul voluptatem & utilitatem præftabant Viantibus; nimirum *Lapides* illi, utrimque in Viarum margine collocati, & in modum graduum facti, ut illis confcenfis facilius in equos ac vehicula infilirent, & rurfum æque facile ex iifdem defcenderent, nec non *Columnæ Milliares*. Utriufque rei primus Auctor apud Romanos eft C.Gracchus Tib. Fr. Sic enim Plutarchus *in ejus vit. c.* 9. de ejus in curandis Viis Publicis ftudio refert: *Porro fingula Milliaria*, audis Xylandri verfionem, *dimenfa diligenter lapideis columnis diftinxit: Alios quoque Lapides utrimque ad Viam haud procul a fe invicem difpofuit, quorum in confcendendis equis ufus vicem fervi in equum attollentis præftaret.* Lapides hi pofteriores in Via Appia, maxime circa Terracinam, velut eminentes quædam bafes, per decimum quemque pedem fuerunt difpofiti. Teftem produco oculatum, qui ipfe loca ea dimenfus eft, Cyprianum Eichovium *in Deliciis Italiæ*, ubi fic loquitur de Via Appia prope Terracinam: *Stupet fpectator admirabundus rectæ viæ planum unius faxi pavimentum; munitum quidem, ut Appia tota fuit, ab utroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus: quibus adjecti lapides eminentiorem, veluti bafes quædam, per decimum quemque pedem; e queis in vehicula vel equos fcanfio fieret commodior.*

2. Audivimus e *l.l.* Plutarchi, quod idem C.Grachus *fingula milliaria dimenfa diligenter lapideis columnis diftinxerit* in Viis, quas ipfe muniri curaverat: continet *milliare* circiter octo ftadia, quæ dimidiam Leucam faciunt Francicam: audi Græca Plutarchi verba: Πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν, τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ, κίονας λιθίνους, σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. Permanfit hoc inventum & in ufum eft tra-

ctum non modo per Italiam, sed & per Provincias, ante æque ac post Imperatorum tempora. Docet Strabo *Geogr. lib.* VII. *p. m.* 590. *Ex Apollonia*, ait, *in Macedoniam Egnatia in Orientem Via est, quam per millia passuum mensi sunt, lapideasque columellas, usque Cypsellum & Hebrum omnem millia* IↃXXXV. *distinxerunt*. Græca sunt ista: Ἐκ γὰρ τῆς Ἀπολλωνίας εἰς Μακεδονίαν ἡ Ἐγνατία ἐστὶν ὁδὸς, πρὸς Ἕω βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλωμένη μέχρι Κυψέλου καὶ Ἕβρου ποταμοῦ, μιλίων πεντακοσίων τριάκοντα πέντε. Notatu quoque & admiratione dignum est, quod idem Strabo *lib.* XV. *p.m.* 448. de Indis refert, esse illis certos Magistratus, qui *curant etiam Vias, & per dena stadia lapidem locant, diverticula distantiasque indicantem*. Porro, ut redeamus ad Columnas Milliares Romanas, Polybius *Hist.* III. 8. *p. m.* 284. *edit. Latinæ* meminit Viæ Militaris jam ipsius ætate munitæ, quæ *a Romanis diligenter Stadiis octo dimensa est & signata*, columnis scilicet Milliaribus. Græca, *ex ed.Gr.*L.*p.m.* 193. sunt ista: Ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς.

3. Columnæ hæ Milliares modo simpliciter *Lapides* nominantur: sic Strabo de regni Romuli angustis terminis loquens *lib.* V. *p. m.* 419. ait: *Intra quintum & sextum lapidem, sic enim Milliaria designabantur, locus erat, Festi appellatus, ubi Romani tunc terminus monstrabatur agri*. Sic & in Juris libris *Lapis* hac significatione occurrit, ut docuimus *supra* III. II. §. 5. Pariter in Inscriptionibus antiquis, ubi sæpe leguntur: LAPIDES MILLIARES RESTITVTI. Eodem modo Livius V. 49. narrat, Gallos, qui Romam incenderant, *justiore altero prælio ad octavum lapidem Gabina Via, quo se ex fuga contulerant, ductu auspiciisque Camilli esse victos*. Alii has columnas Milliares vocant *Cippos Lapideos*, si Probo Grammatico credimus, unde M. Velserus *ad Chartam Peutingeri* ait: *Certissimi testes sunt lapidei cippi, qui reliqui; ex quibus interstitia locorum Itinerariis adnotabantur*. Græci eos appellant Σημεῖα, *signa*, quia *designant* Viarum Publicarum intervalla: & usitatius στήλους, quo nomine proprie significatur columnæ corpus, vel stilus, hinc Strabo *l. l.* VII. *p.m.* 590. Viam columnis Milliaribus distinctam vocat Κατεστηλωμένην.

4. Materia harum Columnarum plerunque Lapis erat vulgaris, durior, & qui a gelu non facile corrumperetur. Nonnullæ majori magnificentia erant marmoreæ, ut illæ, quæ in Via erant Latina: indicat Martialis IX. 65.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latinæ dat nova templa Viæ:
Qua, Triviæ nemorosa petit dum regna Viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.

quo loco *octavum marmor*, per synecdochen materiæ pro materiato, ut cum Scholis balbutiam, est *columna milliaris marmorea, octava, ab urbe*. *Octava*, inquam, ut scias plures, non unam, marmoreas fuisse. Talis adhuc exstat columna milliaris, teste Grutero, CXLIX. 6. *prope Farfarum fluvium in Sabinis, secundo, a castello, quod adhuc Currese a Curibus vocatur, milliario, ad Viam Publicam, ex marmore candidissimo & literis pulcherrimis: alta pedes* IIII. *lata pedes* 115. *Concurrunt* autem *ibi tres Viæ*. Inscriptio est ista:

P. PVBLILIVS. ANTHVS
VI. VIR. AVGVSTALIS
CVRIBVS. SABINIS
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT
ARBITRATV. GEMELLI
NERONIS. CLAVDI. CAESA.
AVG. GERMANIC
PRIMIGENIANI. TABVL.....
HEREDITATIVM
ADIECTIS. DE. SVO. H-S. ↃↃ I....

5. Forma ac figura Columnarum Milliarium vel rotunda, vel quadrata, vel pro lubitu & ingenio artificis alia erat, & vix ultra pedes VIII. alta; ut colligo ex Inscriptionibus Gruteri, qui complurium Columnarum Milliarium exhibet figuras ad verum expressas, nec non annotat subinde altitudinem: exempli caussa: CLVII. I. *In pago Stratsualto, Salisburgum versus, in columna rotunda, pedum octo longitudine, ad viam erecta*: & CLVII. 2. *Ursinii, in villa Augustanæ diœcesis, visuntur Columnæ Milliares tres, octonum circiter pedum*.

6. Impositæ fere erant Columnæ Milliares minoribus stylobatis, variæ figuræ & formæ, quales videri possunt in nonnullis nummis, & apud Gruterum in augusto *Inscriptionum* opere, titulo *de Operibus Publicis* (& quidem *Viarum & Pontium, a pag.* CXLIX *ad pag.* CLIX. ut CLIII. 5. CLIIII. 4. 5. 6. CLV. 5. CLVI. 7.) In eo autem omnes conveniebant, quod aut in stilo, aut in basi inscriptum habebant numerum milliarium, quo aut Roma, aut alia aliqua celebriore Urbe sive in Italia, sive in provinciis distabant. Nonnullæ insuper additam habebant Inscriptionem, quæ Viatores doceret Auctorem Viarum & Columnarum Milliarium. Duplicem hanc Columnarum inscriptarum rationem confirmat etiam Gruterus CLVI. I. ubi adfert Columnam Milliarem, quæ exstat prope *Caparram* in *Lusitania*, inscriptam *Hadriani* Imp. nomine & notatam CII. scilicet mille passuum: additque ibidem: *Aliis columnis omnibus etiam suus Milliarium numerus additus est, etiamsi titulo hoc Imperatoris*, sive Inscriptione alia, *careant*.

7. Prioris notæ Columnas Milliares innuit Rutilius Gallicanus *Itinerar.* II. 7.

Intervalla Viæ fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.

Sane, præter ornatum, quem columnæ ita dispositæ, Viarum pulchritudini conciliabant, tædium quoque Viatorum, ex itineris longitudine levabant. Valde enim fessos juvat & solatur, nosse, quantum Viæ confecerint, quantum restet, quod ipsum quasi novam reddit alacritatem. Hinc ducit elegantem similitudinem Quintilianus *Inst. Orat.* IX. 4. *Felicissimus sermo est*, inquit, *cui & rectus ordo, & apta junctura, & cum his numerus opportune cadens contingit*: & ante IV. 5. dixerat: *Neque enim* Partitio *id solum efficit, ut clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu Judicum positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia: nam & exhausti laboris nosse mensuram voluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exsequenda, scire, quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo, quid ultimum sit, certum est*.

7. Posterioris notæ Milliares Columnæ sunt, quæ vel in basi vel in stilo præferunt nomen Imp. aut illius, qui vel novam fecit, aut veterem refecit Viam Publicam, eamque Columnis Milliaribus distinxit. Tales primum in usum venerunt Augusti ætate, & deinceps successorum hujus ævo in usu permanserunt, quorum Impp. nomina cum communi omnibus *Cæsaris* prænomine fere habent inscripta, ut vidimus ex tot allatis earum Inscriptionibus, ac porro videbimus ex adferendis.

9. Tales

9. Tales vero Columnas innuit Sidonius Apollinaris, *Propemptico ad libellum*, *Carm.* 24. *vs.* 5. *& seqq.*

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Cæsareum nitet columnis.

quo loco in Viam Publicam intendit digitum, quam Hadrianus olim in Arvernis refecit, Columnisque Leucarum indicibus distinxit, quæ & *Hadriani* habebant inscriptum nomen, quod per *nomen Cæsareum* isto loco intelligitur, ut erudite ad laudatum locum animadvertit Doctissimus Savaro; ex quarum Columnarum una, quam ipse vidit & exscripsit *Perignaci*, prope fluvium *Alerium*, mecum idem communicavit hanc Inscriptionem:

I. CAES. DIVI. TR.....
IANI. ..ARTHICI. FIL
DIVI. N. RVAE. NE..
..RAIANVS. HADRI..

debeo ejusdem V. Ampl. humanitati duas alias mox secuturas Inscriptiones, præter illam, quam illius quoque beneficio supra sect. XXXVII. §. 6. attuli.

10. Quamvis autem Galliæ Viis Militaribus Romano opere munitis, & quæ passim etiam nunc integræ visuntur, plenæ sint; rarissime tamen *Columnæ* reperiuntur *Milliares*, consumtæ fere & eversæ temporis vetustate & injuria, maxime per Galliam Belgicam, ubi Christiani earum loco cruces statuerunt: Viæ tamen Militares in Galliis olim habuerunt *Columnas suas Milliares*, quarum aliquot inveniuntur in Gallia Celtica & Narbonensi: talis est columna rotunda ante paucos annos in agro reperta, alta pedes circiter VIII. quæ adhuc exstat in loco, qui dicitur *Fligei*, ubi limites sunt Arvernorum & Gabalorum, sive ut nostra utar dialecto *d' Auvergne & de Gevaudan.* inscriptio vero est hæc:

IMP. CAES
M. CAS. LAT
POSTVMO
P. F. AVG. COS
M. P. GABALL. V.

Superest & alia in *Perchii* regione, prope *Bilhoinium*, quam, ut dixi, cum priore ad me misit Amplissimus Savaro, inscripta hoc modo:

TI. CLAVD. DRVSI. F
CAESAR. AVG. GER
PONT. MAX. TRIB
POTEST. V. IMP. XI
P. P. COS. III. DESIGN. IV.
AVG. M. P. XXI.

Atque hæ quidem inventæ sunt in Gallia Celtica Columnæ Milliares: in Narbonensi plures supersunt, quarum aliquas *supra* III. 28. §. 5. acceptas tulimus humanitati Illustris Peirescii, Senatoris in suprema Curia sive Parlamento Aquis Sextiis Regii, viri omnis elegantiæ antiquæ peritissimi. Ejusdem nunc liberalitati debet Lector sequentes Inscriptiones Milliares. Tres priores sunt in Via Militari, quæ *Narbone* ducit *Nemausum*: & quidem prima visitur in templo *Bernisii*, quod Nemauso distat Leucam dimidiam Francicam, ad Viam Publicam antiquam, accolis dictam *lo Camin de la monedo*, id est, *Chemin muni*, *Viam Munitam*, hoc modo:

DIVI. F. A
MAX. V.
COS. DE
IMP. XIII
POTEST.

Altera est ibidem in foro hæc:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMANIC
PONTIF. MAX. TRIB.
POT. COS. DESIG. II
IMP. II. REFECIT
LXXXV.

Tertia est in Via Narbonensi, pæne medio loco inter *Bernisium* & *Nemausum*, hoc modo:

TI. CAESAR
DIVI. AVG. F. AVG.
PONTIF. MAX.
....
....
RESTITVIT
LXXXVII.

Sex sequentes Inscriptiones sunt in Via Publica *Nemauso Arelatum*. Earum prior est Nemausi extra portam, qua ad Amphitheatrum itur, unde translata est, ut sit pro limite inter Viam Publicam & proximam vineam:

IMP. CAESAR
DIVI. HADRIANI
F. L. AELIVS. HADRI
ANVS. ANTONINVS
AVG. PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIII. IMP. II. COS. IIII.
P. P. RESTITVIT
I.

Altera quoque *Nemausi* extra portam Coronæ legitur:

IMP. CAESAR
DIVI. HADRIANI. F.
T. AELIVS. HADRIAN
ANTONINVS. AVG. PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIII. IMP. II. COS. IIII.
P P.
RESTITVIT.

Tertia exstat inter rudera templi alicujus minoris, siti prope Viam Publicam *Nemauso Arelatum*:

TI. CAESAR
DIVI. AVG. F. AVG
PONTIF. MAX
TRIB. POT. XXXII.
REFECIT. ET
RESTITVIT

Quarta ibidem legitur:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMANIC
PONT. MAX. TRIB
POT. COS. DESIG. II
IMP. II. REFECIT

Quinta visitur ad tertiam circiter leucam *Nemauso* talis:

TI. CAESAR
DIVI. AVG. F. AVG
PONTIF. MAX.
....
....
XIII.

Sexta ibidem hæc exstat:

TI. CLAVDIVS.
DRVSI. F........
....
....

SECTIO XL.

Quænam fuerit prima Columna Milliaris, & qua ratione cæteræ ab ea sint numeratæ.

1. *Investigatur prima & præcipua Columna Milliaris.* 2. *Super ea quæstio proponitur.* 3. *Quomodo in Milliarium aureum conveniant omnes Imperii Viæ Publicæ.* 4. *Distinguitur, ratione continuationis Columnarum Milliarium.* 5. *Inscriptio antiqua, docens, Milliaria non continuari sive numerari ad Italiæ usque fines.* 6. *Ob quas rationes series numerorum non continuetur Roma in Provincias usque.* 7. *M. Velseri auctoritas*: 8. *item Philippi Cluverii.* 9. *Quidnam sit statuendum de ordinata serie numerorum in Columnis Milliaribus inscriptorum.*

1. OStendimus *supra* III. 29. *& seqq.* tam rationibus, quam idoneis testibus, jam Augusti Tiberiique ævo, maximam Provinciarum Imperii partem Viis munitis fuisse ornatam, Viasque Columnis Milliaribus fuisse distinctas: adeoque *Augusti jam Cæsaris imperio*, dicente *in præf. ad Antonini Itinerar. p.m.* 167. Surita, *Lapidum nomine mensuras itinerum designatas legimus*: ac post paullo *pag. seq.* addit: *ab Ortu ad Occasum regionum itinera circum circa ad inhabitabiles usque oras substructionibus innumeris milliaribus fuisse dimensa, complanata atque descripta.* At, inter tot Columnas illi factas proposito, sciamus, oportet, quæ nam fuerit prime & præcipua omnium, & num cæteræ cum hac in numerorum continuata serie convenerint, ac huic singulæ ordine responderint.

2. Prima & præcipua Columna Milliaris sine dubio ullo fuit *Milliarium Aureum* ab Augusto Cæsare in capite Romani Fori statutum, de quo multis egimus *supra* III. 13. *& seq.* Verum hoc loco quærimus, num omnes cæteræ Columnæ Milliares tam per Italiam, quam per Provincias, fuerint, ratione dimensionis & numerorum, perpetua nec interrupta serie, ad illud *Milliarium Aureum* relatæ, sic ut numeri Romæ inchoati porro ad extremos Imperii fines inde computarentur: an vero numeri fuerint abrupti, & a novis terminis subinde repetiti, licet ipsæ Columnæ Militares per Vias Militares perpetua serie forent dispositæ, quandoquidem Viæ illis ubique ab Ortu in Occasum, ab Austro ad septem Triones erant dimensæ.

3. Plurimi, qui de *Milliario Aureo* agunt, ajunt, illud esse quasi primum punctum & initium, ad quod omnes Imperii Viæ Militares, aut per se, aut intermedia alia Via, referantur, uti omnes lineæ peripheriæ sive radii circuli rotundæve figuræ ad suum referuntur centrum. Plinius *H. N.* III. 5. mœnium & Urbis Romæ colligit ambitum & longitudinem *ejusdem spatii mensura currente a Milliario in capite Romani Fori statuto, ad singulas portas.* Plutarchus *in vit. Galbæ c.* 31. affirmat, quod *in eam* Aurei Milliarii columnam *omnes Italiæ Viæ finiant.* Paucis ut agamus, ipsum *Milliarii Aurei* nomen clare indicat, Auctorem ejus Augustum voluisse, ut ab eo inirent, currerent, & computarentur numeri milliarium, quibus Viæ Publicæ erant dimensæ.

4. Sane fatendum est, si Geometrarum filios consulamus; *Milliarium Aureum* fuisse centrum omnium Viarum, sive medium illud punctum, ad quod referebantur omnes Viæ Publicæ per Italiam & per Provincias: ab illo enim usque ad extremos Imperii fines, perpetua nec interrupta continuatione, proxima quæque Via proximæ jungebatur & connectebatur, vel tandem intrabat in aliam contiguam, atque ita continuabatur. At si Arithmeticos sequamur, qui numeros tantum considerant, horum ratione videbimus, solum Italiæ Vias Publicas, & ne quidem has omnes, deductos habuisse Milliares numeros, primo constituto, & initio facto a *Milliari Aureo*. Sunt, qui putent *Columnas Milliares*, quæ ab *Aureo Milliario* initium ducebant, & deinceps ordinem numerandi, tantum *usque ad centesimum milliarium* sive *lapidem* ab Urbe fuisse numeratas, quod intra hoc spatium *Præfecti Urbis* esset notio. (*l.* 4. *in* π. *de offic. Præfect. Urb.*) Equidem in *Antonini Itinerario p.* 70. occurrit locus sive Mansio, dicta *Ad centesimum*, quæ Roma abest c. *M.P.* aut, si accurate computes, cv. *M. P.* nec invenitur ulla Mutatio sive Mansio, cujus numerus hunc excedat: unde conjici forsan poterit, numeros milliares in Columnis Milliaribus inscriptos, inde ad centesimum lapidem, non ultra, numeratos fuisse a *Milliario Aureo* Romano, sed novum principium duxisse ab aliquo Municipio aut Colonia, atque ita, novo currente principio, numerorum ordinatam seriem fuisse interruptam, & subinde finita priori denuo inchoatam aliam: nec tamen videntur numeri Milliares intra centesimum ab Urbe lapidem coarctandi, cum sint Inscriptiones vetustæ, quæ Civitatum Italicarum aut Provincialium numeros Milliares Columnis Vialibus inscriptos longissime ultra centesimum lapidem extendant.

5. Illud vero affirmare possum, Columnas Milliares serie continua fuisse dispositas ad extremos usque Italiæ terminos, licet complures celebriores Italiæ Urbes numeros earum, novo principio facto numerationis & mensuræ, interruperint, & singulæ suas *Columnas Milliares* separatim quasi computarint. Idem conjicere possumus ex sequenti Inscriptione antiquissima: *apud Smetium fol.* I. *n.* 12. (*Grutter.* CL. 6. *&* 7. *in Valle Dianæ, agro Atinate, ad cauponam, quæ vulgo vocatur Polla.*

. . . .

VIAM.FECEI.AB.REGIO.AD.CAPVAM.ET.IN.EA.VIA
PONTHEIS.OMNEIS.MEILIARIOS.TABELARIOS.QVE
POSEIVEI. HINCE. SVNT. NOVCERIAM
MEILIA. LI. CAPVAM. XXCIIII. MVRANVM. LXX
IIII. COSENTIAM.CXXIII.VALENTIAM. CLXXX. ⊏⊐
AD. FRETVM.AD.STATVAM.CCXXXI. ⊏⊐.REGIVM
CCXXXVII. SVMA. AF. CAPVAM. REGIVM
MEILIA. CCCXXI. ⊏⊐. ET. EIDEM. PRAETOR
IN. SICILIA. FVGITIVEOS. ITALICORVM. CON
QVAEISIVEI. REDIDEI. QVE. HOMINES. IↃCCCCXVII
EIDEM. QVE.PRIMVS.FECEI.VT.DE.AGRO.POPLICO
ARATORIBVS. CEDERENT. PAASTORES. FORVM
AEDIS. QVE. POPLICAS. HEIC. FECEI

ita quidem hanc Inſcriptionem, exhibent Antonius Auguſtinus, Antonius Verderius, Joh. Vincentius Pinellus, ſed potiſſimum Celſus Cittadinus, qui exſcripſit ad lapidem ipſum, teſte Grutero: nec valde abit ab hac Appianus *p. m.* 104. at Smetius ex Pontani libro aliter hæc legit, & quidem hoc modo:)

VIAM. FECEI. A RHEGIO. AD. CAPVAM. ET. IN
EA. PONTEIS. MILIARIA. TABELLARIOS. VE
POSEIVI. SVNT. A. RHEGIO. AD. CAPVAM. MIL
CCLXXXV. HINCCE. AD. COLVMELLAM. MILIARIA
CCX. A. BIBONA. AD. LOCROS. MILIARIA. XXXXV
A. FRETO. AD. SYLLAM. MILIARIA. LX. IDEM. QVE
FECEI. VT. EX. AGRO. POPLICO. ARATORIBVS.
CEDERENT. PASTORES

Videtur ex hac Inſcriptione colligi, ſingulis Urbibus in ea commemoratis fuiſſe ſuas Columnas Milliares, quarum numeri ibidem cœperint, finiendi in proxima civitate; ubi rurſus a novo currebant principio.

6. Hæc de Italia habemus dicere: ſi *Columnæ Milliares* olim in iſtis Viis Publicis diſpoſitæ ſupereſſent adhuc integræ, & numeris inſcriptis ſingulæ etiam nunc forent conſpicuæ, non laboraremus, ſed facile inde poſſemus doceri verum. Quantum ad Provincias attinet, de iis nullum eſt dubium, quin *Columnarum* ibi *Milliarium* numeri, ſi *Milliarium* reſpicias Romæ *Aureum*, fuerint interrupti. Satis hoc apparet ex numeris inſcriptis, qui in illis leguntur, & quorum pauciſſimi ſunt ultra CC. M. P. Quod ſi numerorum perpetua ſeries eſſet computata per Provincias, ducto initio ab urbe Roma, tum *Columnæ Milliares* in Galliis haberent inſcripta ultra IↃCCC. M.P. propter diſtantiam, quæ inter Gallias & Romam intercedit; & eadem de cauſſa multo plura M. P. haberent *Columnæ Milliares* per Hiſpanias: ſed tamen ex illis, quæ etiam nunc ſuperſunt, Columnis clariſſime apparet, numeros illis inſcriptos eſſe minores, nec eos reſpondere diſtantiæ, quæ eſt inter Gallias Hiſpaniaſve & Romam: cum ſint Lapides complures, qui ſolum II. M.P. præ ſe ferunt, eoſque a loco originis computant, licet Roma abſint ad M.P. IↃC. aut IↃCCC. Ergo evidens eſt, numeros tales in Provinciis ab urbe Roma & Milliario Aureo perpetua ſerie non continuari.

7. M. Velſerus ad Fragmenta *Chartæ Peutingerianæ* ait, *ſe etiam Cippis obſervare, aliquando numeros a ſplendida aliqua Colonia per centum paſſuum millia, & eo amplius continuari, neglectis intermediis oppidis minoris nominis*: mox addit: *Exemplo eſt Cippus haud procul Oeniponte, Severo & Filiis inſcriptus: in quo numeri ad Auguſtam Vindelicorum longe diſſitam referuntur:*

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. CX.

Integram hanc Inſcriptionem habet Gruterus, *ex* Velſeri *Monument. Peregrin.* quæ ſubjecit libro *de Rebus Auguſt. Vind. p. m.* 260 *edit. Ven.* depromtam, CLVII. 5. exſtat autem prope *Vilthaimum* cœnobium, (&, excepto numero milliarium, eadem eſt, ac quæ a nobis allata, paullo ante *ſect.* XXXVIII. *§.* 7.)

8. Philippus Cluverius *Germ. Ant.* II. 9. de *Mediomatricis* viciniſque populis ac Divoduro agens, ubi de Manſione, *Ad duodecimum* dicta, quæ eſt in Via *Argentorato Tullum*, in *Peutingeri Tabula ſegm.* II. agit, hæc habet: *Duodecimum iſtum lapidem, ſive Milliare numeratum fuiſſe cenſeo, a Divoduro, ut a capite gentis Mediomatricorum: ſic enim apud alias primarias in Romano Imperio urbes factum, ex Hiſtoriis atque Itinerariis obſervo:* hæc ille. Exempli loco nos poſſumus addere urbem *Arelatenſem* in *Provincia*, unde nova ſeries *Columnarum Milliarium* ſuum habuit principium, quarum quatuor etiam nunc exſtant ad *Viam Aureliam*, quæ Arelato ducit ad Campum Petroſum, vulgo *la Craux*; habent illæ nomen *Auguſti* Imp. & numeros milliares pro vera dimenſionis ratione, qua Arelato, ad Viam Publicam, diſtant. Eas quoque mecum benigne communicavit illuſtris Peireſcius. Prima exſtat ad Viam ſede ſua, prope locum vulgo dictum *Lou Made Roubiac*, hoc modo:

PATER. PATRIAE
IMP. CAESAR
DIVI. F
AVGVSTVS
. . . .
. . . .
VII.

Secunda non procul inde abeſt, ſed jam proſtrata jacens ad eandem Viam, ſic inſcripta.

PATER. PATRIAE
IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS. PONT
. . . . . . IMVS. COS.
. . . . . . GNATVS. XI
. . . . TRIBVNIT
VIII.

Tertia in eadem Via, ad locum dictum *lo Parador*, legitur ſic mutilata:

. . . .
IMP. XIIII. TRIBVNI
X.

Quarta ad pagum, qui vulgo dicitur *lo Mas de Brau.* quaſi inſtar limitis collocata eſt, ſic notata:

PATER. PATRIAE
IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. COS. XII.
. . . . GNATVS . . . .
. . . . XIIII. TRIBVNI.
XII.

Tandem ex *Itinerario a Burdegala Hierusalem usque p.m.* 139. clarissime apparet, a Tholosa metropoli novum dimensionis principium fieri in *Columnis Milliaribus*: sic enim habet:

Civitas, Tholosa:
Mutatio, Ad Nonum, *Mil.* IX.
Mutatio, Ad Vicesimum, *Mil.* XI.

ubi plane conveniunt numeri milliarium cum ipsis Mutationibus a Tholosa inchoatis.

9. Tantum itaque abest, numeros *Columnis Milliaribus* inscriptos a *Milliario Aureo* duxisse initium, & sic perpetuo nec interrupto ordine, ad extremos usque Imperii fines, fuisse continuatos, ut in ipsa quoque Italia non ubique eo ordine continuentur; & vero valde sit simile, Numeros Milliares in singulis Provinciis suum cepisse initium ab urbibus præcipuis aut metropoli, unde fuerint ordine continuati ad limites finesque cujusque Provinciæ, vel ad urbes circum circa vicinas, ejusdem ordinis ac celebritatis.

SECTIO XLI.

Quomodo intelligendi sint Numeri, qui in Columnis Milliaribus, tam per Italiam, quam per Provincias reperiuntur.

1. *Proponuntur duæ quæstiones super Columnis Milliaribus.* 2. *Prima, super Numeris, qui* τοῖς *M. P. adduntur*: 3. *Gonsales de Avila qua ratione hos interpretetur.* 4. *Inscriptionum Milliarium duæ species, earumque differentiæ.* *Altera species quomodo intelligenda.* 6. *Expositio prioris speciei Inscriptionum; ejusque prima ratio*: 7. *altera ratio, exemplis confirmata.* 8. *Auctoritates Veterum & Recentiorum, pro nostra expositione facientes.*

1. ANte respondendum erit ad duas quæstiones super *Columnis Milliaribus*; quam disputationem de illis finiamus. Prior est super Numeris, qui in Columnis Milliaribus post τὰ M.P. quæ *Mille Passus* notant, sequuntur; Posterior est super distantiis, quæ observabatur inter Columnas Milliares in Via Militari disponendas. Quod ad priorem attinet quæstionem, norunt illi, qui non sunt omnino hospites in antiquis Inscriptionibus, plures occurrere Inscriptiones in Viis Publicis, & illarum in fine hac, aut similes, notas, M.P. quibus adjunguntur aliqui numeri. Utrumque sæpe præcedunt hæc, aut alia similis significationis verba: *Fecit*, *Fieri curavit*, *Refecit*, *Restituit*: exempli caussa, in hac Trajani Imp. Inscriptione, quam *supra sect.* XXXVIII. §.2. ex Avila attulimus, exstantem Salamanticæ in Hispania, & quam hic repetere visum est:

IMP. CAESAR. D. NERVAE. FILIVS
NERVA. TRAIANVS. AVG.
GERM. P. M. TRIB. POT.
COS. II. RESTITVIT
M. P. II.

2. Primum hic quæritur, num notæ M.P. II. significent, Viam Publicam Salamanticæ a Trajano Imp. restitutam esse longam bis mille passus; sic ut τὰ RESTITVIT. M. P. II. sumantur *in sensu*, ut loquuntur Grammatici, *composito*: an vero notæ M. P. II. significent, in Via illa Publica integra &

A tota ad Salamanticam, quam Viam Trajanus restituit, Columnam illam, quæ hanc habet inscriptionem, collocatam esse secundo milliari, illiusque tantum dimensionis numero & caussa ibidem esse dispositam? & ut generatim loquamur, num ille numerus II. aliique similes, qui post literas singulares M. P. sequuntur, significent totam, omnem & continuam operis longitudinem eo numero definitam? an vero tantum dimensionis ordinem, quo quævis Columna Milliaris sua in serie cum cæteris collocatur, & quot *millia passuum* singulæ distent ab initio Viæ, indicent? Mirum namque, quantum differunt duæ hæ dictiones sive phrases:
B *Trajanus Viam Argenteam sive Salamanticensem restituit longitudine bis mille passuum*: & deinde: *Trajanus Viam Argenteam sive Salamanticensem restituit, cujus Viæ hæc Columna Milliaris notat milliare secundum.* Priore modo significatur quasi terminus, qui spatium operis finit; posteriore vero innuitur operis longitudo ulterius continuata aut continuanda, & necdum finita.

3. Gonsales de Avila, Hispanus, qui modo laudatam nobis Inscriptionem dedit, libro patria lingua conscripto *de Antiquitatibus Salamanticensibus* I. 5. eamque Hispanice reddit, τὰ RESTITVIT
C M. P. II. *sensu composito* sumenda putat; vertit enim: *la restituyo en dos mil passos*: id est: Trajanus hanc Viam *restituit longitudine bis mille passuum*, vel *ad duo* M. P. Ibidem adfert & aliam Inscriptionem alterius Columnæ Milliaris, quæ docet, eandem Viam quoque esse restitutam ab Hadriano Imp. est autem iste titulus:

IMP. CAESAR. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. F. D. NERVAE. NEPOS
TRAIANVS. AVG. PONT. MAX
D TRIB. POT. V. COS. III. RESTITVIT
CXLVIIII.

ubi postrema verba sic Hispanice interpretatur: *la restituyo en ciento quarenta y nueve passos*; quasi voluisset dicere, *ab Hadriano*, qui hic Trajani nomen adsumsit, *restitutam istam eandem viam, longitudine centum quadraginta & novem passuum*, sive *ad passus* CXLIX.

4. Ut ergo veram horum Numerorum significationem intelligamus, notandum, plures esse Inscriptionum species, in quibus mentio fit operum,
E quæ Imperatores in Viis Publicis curarunt fieri, sive plane novas facerent ac munirent Vias, sive veteres, aut hinc inde collapsas & corruptas, reficerent ac restituerent. Illas autem puto Inscriptiones, quæ in Columnis Milliaribus inveniuntur, aut etiam in Urbibus celebrioribus, per quas Viæ Militares erant ductæ. Dividam vero hasce generatim in duas species, quarum hæc est differentia, quod aliæ *Nominativo casu*, aliæ *Dativo* sint expressæ & inscriptæ: veniam mihi dabit lector, ut spero, quod hic cogar cum Grammaticis loqui, cum in his ipsis præcipua & maxima Inscriptionum Milliarium sit differentia. Prioris speciei
F exempla sunto ante paullo allatæ ex Avila Inscriptiones: Posterioris esto sequens ex Columna Milliari, *quæ Veronæ est ad D. Ambrosium in vale Pollycellæ, ap. Gruter.* CLIX. 5.

IMP. CAES
FL. VAL
CONSTANTIO
M. P. VIII.

Inter utramque speciem hæc intercedit differentia quod priores designent Vias, quas inscripti Imperatores vel ipsi, vel per alios suis auspiciis ac nomine curarunt fieri; sive ad hanc rem a S.P.Q.R. creati forent Curatores, sive ultro Viarum opera suis sumtibus facienda aut reficienda sibi desumsissent. Sic Augustus, *ap. Suet. Aug. c.* 30. *Flaminiam viam Arimino tenus muniendam sibi desumsit.* Sed posterioris speciei Milliares Inscriptiones *Dativo Casu* scriptæ, notabant Vias, in quibus erant sitæ, non esse factas aut refectas per ipsos Imperatores, sed per *Curatores Viarum*, qui ista opera fecerant pecunia, non sua, sed publica: unde etiam in Milliaribus Inscriptionibus totum opus suum dedicabant honori Imperatoris, sub cujus imperio illud fieri ac refici curarant.

5. Ergo, ut primum posterioris speciei Inscriptiones exponamus, dicimus, in proxima Columna Milliari Veronensi, τὸ *M.P.*VIII. non significare, quod *Constant. Imp. Viam muniverit aut refecerit ad* VIII. *M.P.* cum ipse suo nomine hoc non curarit opus, sed aliquis eo tempore *Viarum Curator*: sed τὸ *M. P.* VIII. velle, quod ille *Curator Viæ*, opus suum *Constantio* dedicans, hanc Columnam Millarem sic inscriptam collocarit octavo milliari, sive quod sit octava Columna Milliaris, numeri initio ab urbe *Verona* ducto, adeoque inde ad Veronam esse *M. P.* VIII. sive distantiam, inter Veronam & istam Columnam Milliarem octavam, esse octo milliarium, sive quatuor Leucarum Francicarum. Idem esto de similibus judicium.

6. Præcipua autem difficultas se offert in prioris speciei Inscriptionibus, in quibus Imperatorum nomina *Nominativo casu* scribuntur, quales sunt binæ illæ inscriptiones *§. 1. & 3.* ex Avila allatæ; Trajani & Hadriani: hæc in fine habet: RESTITVIT. CXLIX. illa: RESTITVIT. *M. P.* II. Cardo quæstionis in eo versatur, ut sciamus, num isti Numeri notent, ad quam longitudinem opus Viæ sit continuatum & finitum, & quo usque extendatur? an vero simpliciter notent distantiam, quæ Salamantica est ad istas Columnas; sic ut in illa Trajanus ostendat, columnam esse *milliari secundo* positam; in hac autem Hadrianus *centesimo quadragesimo nono*. Si sequi velimus Avilam, lis erit decisa; exponit enim numeros hosce de tota totius Operis & Viæ longitudine. Verum obstant duæ potissimum rationes huic expositioni, nam, ut ante agamus de reparatione facta a Trajano Viæ Argenteæ sive Salamanticensis, quæ Hispanicarum maxima & pulcherrima est, si τὸ RESTITVIT *M. P.* II. reddenda sunt: *la restituyo en dos mil passos*, parum sane operis fecerit Trajanus, qui in Via adeo celebri & longissima restituerit tantum II. *M.P.* quæ solum Leucam Francicam unam faciunt. Jam si comparemus tantillum operis cum cæteris magnificis operibus Trajani, de quibus passim mentionem his libris fecimus, constabit, illud tantillum operis non mereri, ut ejus memoria lapidi inscripta ad posteritatem transmitteretur, ex qua vix quicquam gloriæ ad Auctorem redire poterat. At in Hadriani Columna Milliari τὸ RESTITVIT CXLVIIII. si reddenda sunt ex Avilæ sententia: *la restituyo en ciento quarenta y nueve passos*, multo minus id erit operis: nam *passus* CXLIX. ne quidem faciunt sextam milliarii Romani partem. Quantum ergo scilicet erit id opus Hadriani, qui præ cæteris Imperatoribus fuit potentissimus, & insuper omnium ambitiosissimus, gloriæ avidissimus, ac famæ cupidissimus, sic ut decessorum gloriæ, maxime Trajani, inviderit? credibile nimirum erit, si Diis placet, eum, qui tot opera perfecit magnifica, quorum memoriam celebrant Historici, laureolam in mustaceo, gloriam, inquam, ex brevissimo Viæ spatiolo reparato voluisse captare publica inscriptione consecrandam æternitati? Imo vero τὸ *M. P.* II. & CXLVIIII. non significant, Trajani totum opus fuisse longum duo milliaria, Hadriani tantum CXLIX. passuum: sed Columnam Milliarem, quæ Trajani nomen habet, sitam esse & dispositam *secundo milliari* ab urbe Salamantica: illam vero, quæ Hadriani nomen habet, *milliari centesimo quadragesimo nono*.

7. Hosce numeros ita esse interpretandos, docet etiam altera hæc ratio; quod plurimæ sint Milliares ejusdem Viæ Militaris Columnæ, per eosdem Imperatores dispositæ, quæ diversos habent numeros milliarium, omnes tamen ad unum idemque initium & principium referendos. Exempli gratia lustrabis mecum duas Hadriani Imp. Columnas Milliares, eadem in Via dispositas, quarum principium est *Aquis Flavis* in Lusitania, quod oppidulum hodie vocant *Chiaves*; & finis *Augustæ Bracarum*, hodie *Bragas* in eadem Lusitania: utraque *ap. Gruter.* CLVI. 4. & 5. est, *prope Capurram in Via antiqua lapidibus strata, quæ ducit ab Aquis Flavis ad oppidum Bragas appellatum*: aitque Gruterus, *duas* hasce *ad ædiculam Angeli Custodis a posteris data opera advectas fuisse*, prioremque sic inscribi:

IMP. CAES. TRAIANVS
HADRIANVS. AVG
P. M. TR. POT. XX. REFECIT
AQVIS. FLAVIS
M. P. II.

alteram vero eodem modo:

IMP. CAES. TRAIANVS
HADRIANVS. AVG. P. M
TR. POT. XX. REFECIT
AQVIS. FLAVIS
M. P. V.

Quod si interpreteris τὸ *M. P.* alterius Columnæ, secundum Avilæ mentem & morem, quod *Hadrianus Imp. refecerit Viam Aquis Flavis ad M. P.* V. vel longitudine quinque milliarium; ecquid opus fuisset, priorem poni Columnam, quæ tantum II. *M. P.* ejusdem operis refecta notat? cum enim major numerus comprehendat minorem, cui bono, præter Columnam V. *M. P.* etiam *Columna* II. *M. P.* poneretur? Idem esto judicium de numeris, qui exstant in quatuor Columnis Milliaribus Augusti nomine inscriptis, ad Viam Aureliam, quæ *Arelato* est ad *Campum Petrosum*, sive *la Craux*, laudatis *sect. præced. §.* 8. item qui sunt in Columnis Milliaribus Severi & Filiorum, ab *Augusta* ad *Alpes* usque continuatis; ut apparet ex illarum ordine & numeris *M.P.* Harum quatuor supersunt, apud Gruterum CLVII. 2. 3. 4. 5 quarum hæ clausulæ; primæ:

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXI.

secundæ:

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXII.

tertiæ:

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXIII.

(tres hæ hodie exstant *Urſinu*, in Auguſtanæ Diœceſis villa: ſed tertia male in Grutero legitur *M. P.* xxxiii. cum debeat legi *M. P.* xxxiii. habuit enim hanc, ut ipſe ait, *ex Velſero*: atqui Velſerus in *Monumentis Agri Auguſtani*, quæ ſubjecit *Reb. Aug. Vind. edit. Venetæ* 1594. *p. m.*250. recte & ordine in hac ipſa columna legit *M. P.* xxxxiii. quare typothetæ aut ſcribæ error erit; quem ſecutus etiam erat Bergierius.) quartæ vero prope Vilthaimum Cœnobium:

VIAS. ET. PONTES.
REST. AB. AVG. M. P. CX.

Quod ſi poſtremam hanc Columnam interpretemur, a *Severo* & Filiis ejus factum eſſe opus Viæ, *ab Auguſta ad M. P.* CX. ſive cujus tota longitudo ſit *centum & decem milliarium*, fruſtra erunt & ſupervacuæ tres priores Columnæ, quæ numeros multo minores habent, cum certiſſimum ſit, eum, qui plus fecerit, feciſſe etiam minus. Concludimus igitur, hos & ſimiles numeros denotare, quota ſit columna ſic inſcripta, & quot ſint ad eam a principio & initio Viæ milliaria; non longitudinem abſolutam, totamve extenſionem, aut quouſque opus ſit, ceu terminum ultimum, productum ac continuatum: adeoque prima Columna notat, *ab Auguſta* ad eam uſque eſſe *P. M.* XXXXI. altera *P. M.*XXXXII. tertia *P.M.*XXXXIII. quarta *P. M.* CX. & quandoquidem tres Columnæ priores ordine & non interrupta numerorum ſerie ſe inſequuntur, hoc modo XXXXI. XXXXII. XXXXIII. certiſſimum eſt, ſi opus illius Viæ videremus integrum, quale fuit Auctorum ætate, ordine perpetuo & continuo nec uſquam interrupto viſuros nos fuiſſe a prima ad ultimam Columnam omnes, nec ſaltum illum & hiatum fore inter tertiam & quartam, ſive inter milliare XXXXIII. & milliare CX.

8. Cæterum & Veteres & Recentiores Scriptores, qui Columnarum Milliarium ſitum attingunt, nobiſcum faciunt: ſpeciatim Plutarchus *in vit. C. Gracchi c.*9. diſerte affirmat, a C. Graccho *ſingula milliaria dimenſa, diligenter lapideis columnis eſſe diſtincta*, in Viis, quas fecerit. Idem ait Rutilius *Itinerar.* II. 7. quem alias etiam attulimus *ſect.* XXXIX. *§.* 7.

Intervalla Viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Inter Recentiores noſtram confirmat ſententiam Andreas Reſendius, *de Antiq. Luſit. lib.*III. *cap. de Viis Militarib. p. m.* 175. *Millia*, ait, *paſſuum erectæ columnæ diſtinguebant, cum inſcriptionibus eorum, qui eas fecerant* Vias, *eorumve, qui refecerant. Inde illa formula vulgatiſſima: primo ab Urbe, ad primum ab Urbe lapidem, & ſimilia*; quæ non denotant continuam & perpetuam Viæ longitudinem, ſed certum ordine & ſerie intervallum, quod in Via hæc vel illa deſignabat inter cæteras Columna Milliaris.

SECTIO XLII.

De diſtantiis intervallorum, quæ in diſponendis Columnis Vialibus obſervabantur.

1. *Unde nata ſit altera quæſtio, ſuper diſpoſitione Columnarum Vialium.* 2. *In Antonini Itinerario tres tantum diſtantiarum dimenſiones occurrunt.* 3. *Ubi præcipue Stadia uſu veniant. Dimenſio Viarum per Græciam.* 4. *In Galliacis Rhodanum & Garumnam Columnas Viales diſpoſitas fuiſſe per Leucas Gallicas* CIϽ. IϽ. *paſſuum.* 5. *Columnas Viales in Hiſpaniis diſpoſitas fuiſſe ſecundum Leucas Hiſpanicas.* 6. *Diſſenſus inter nonnullos Scriptores ſuper longitudine Leucæ Hiſpanicæ.* 7. *Concluſio ſuper diſtantia, obſervata in diſponendis Columnis Vialibus, tam in Italia, quam per Provincias.*

1. SUpereſt altera quæſtio, num Columnæ Viales ubique pari & eadem intervallorum diſtantia fuerint diſpoſitæ: an vero in nonnullis Provinciis altera ab altera ſibi proxima, fuerit remotior & majori intervallo, quam per Italiam? Oritur hæc quæſtio ex diverſitate dimenſionum, quæ ſunt per Imperii Provincias. Supra enim III. II. *§.* I. partim etiam ex Hieronymo, didicimus, Ægyptiis in dimetiendis Viarum intervallis in uſu fuiſſe *Schœnos*, Græcis *Stadia*, Romanis *Milliaria*, Gallis *Leucas*; quas dimenſiones inter ſe diverſas eſſe vidimus per diverſas quoque Imperii regiones: adeoque huc redit quæſtio, num Romani, in diſponendis Columnis Vialibus, intervalla diſtinxerint, per Ægyptum *Schœnis*, per Græciam *Stadiis*, per Gallias *Leucis*, ut in Italia dimenſi ſunt intervalla per *Milliaria?* ſic ut quævis Provincia Imperii in Viis Publicis Columnas Viales habuerit diſtinctas, ſecundum dimenſiones patrias & receptas in ſingulis Provinciis?

2. *Antonini Itinerarium* hoc loco viam nobis facere videtur, ut tanto melius verum poſſimus indagare. Uti enim ſemper diſtantias Civitatum, Mutationum & Manſionum annotat, ita in diſtantiis illis dimetiendis utitur menſura vel *Milliarium*, vel *Stadiorum*, vel *Leucarum*: de quorum omnium differentia & diverſa longitudine egimus *ſupra* III. II. *& ſeqq.* Quod ad *Schœnos* attinet, hi ſi in Viarum dimenſionibus uſu veniſſent, fuiſſet hoc fine factum in deſcriptione Viarum Militarium Ægypti, cui hæc menſura eſt propria: at nuſquam in *Itinerario* laudato adſcribuntur itineribus per Ægyptum *Schœni*, ſed tantum *Milliaria*; unde poſſumus colligere, columnas Viarum Publicarum Ægypti per Milliaria fuiſſe diſpoſitas & dimenſas.

3. Quod attinet Vias Militares Græciæ, licet *Stadium* videatur propria earum menſura, in *Itinerario* tamen *Antonini* dimenſio Itinerum fit per *Milliaria Italica*. Quod ſi Romani eas per *Stadia* eſſent dimenſi, pro ſingulis Milliaribus Columnis, debuiſſent octo Columnas Stadiorum collocare & diſponere: quare, ut tempori & ſumtui parcerent, Columnas collocarunt ſingulis octo ſtadiis, quæ faciunt Milliare Italicum. Verum equidem eſt, nonnullis locis, ſed tamen rarius, in *Itinerario*, *Stadia* occurrere in itineribus Græciæ dimetiendis; & quidem ſolum in diſtantiis hujus illiuſve trajectus maris, quo Italia & Græcia ſeparantur: nihilo tamen minus illi ipſi numeri *Stadiorum* ſunt plane corrupti, & minime conveniunt diſtantiæ inter utrumque littus oppoſitum; ut *pag.* 72.

A Brundiſio Trajectus Dyrrachium uſque, Stad. num. I. CCCC.

quo loco reponendi ſunt numeri CIϽ. IϽCCC. ſecundum Strabonem, qui *Geogr. lib.* VI. *p. m.* 517. *Brunduſio*, ait, *in tranſmarinam ripam navigatio eſt; una quidem ad Ceraunia, littuſque deinceps reliquum Epiri & Græciæ: altera ad Epidamnum, quam prima, longior. nam* CIϽ. & IϽCCC. *Stadiorum eſt*: commemorarat vero antea tres ex Italia Trajectus, *Tarento*, *Brunduſio*, *Rhegio*. Idem *Itinerar. Anton. p.* 74.

Item a Brundiſio ſive ab Hydrunte Trajectus Aulonem, Stad. num. I.

& *pag.* 75.

Item recto itinere ab Hydrunte Aulonem, Stad. num I.

ubi sine ullo dubio error est in numeris: licet enim Plinius *H. N.* III. II. scribat, *Hydrunto in Græciam brevissimum esse transitum*, certum tamen est illum esse longiorem, quam *Stadium unicum*. Sane Surita *in Commentar. p.*480. ait: „in ms. Blandiniano legi: *Aulonam stadia NMR. Mille*: in „Neapolitano & Longoliano: *Aulonam numero* „CC. ex nota enim ∞. quæ mille denotat, CC. M. „P. edidisse librariorum inscitiam: hæc ille. Atque hi quidem sunt in Græciam trajectus, in quibus distantias per *Stadia* dimetitur *Itinerarium*, qua mensura quoque utitur *p.* 76. in Trajectu ex Thracia in Asiam:

A Callipoli Trajectum in Asiam Lampsacum usque, *Stad.* LX.

item in Trajectu ex Gallia in Britannias: *p.* 105.

A Gessoriaco de Galliis Ritupas in portum Britanniarum, *Stad. num.* CCCCL.

Quod vero attinet ad mediterranea Græciæ, constanter utitur, non *Stadiis*, sed *Milliaribus*: unde colligere possumus, Columnas Viales ibidem per milliaria Italica fuisse dispositas.

4. In Galliis vero idem non obtinet: nam, cum *Leuca* foret propria & patria Viarum citra Rhodanum & Garumnam mensura, Auctor *Itinerarii* utramque & *Milliarii* & *Leucæ* mensuram, modo conjunctim, modo separatim usurpavit, ut supra III. 38. ostendimus: de locis citra Rhodanum, testes adduximus Amm. Marcellinum, & *Tabulam* Peutingeri, *ibid* §. 8. qui affirmant, cis Rhodanum, in Lugdunensi Provincia, non *Millenis passibus*, sed *Leucis* itinera fuisse dimensa. Porro ex ejusdem Marcellini, nec non Jornandis locis, quos laudavimus supra III. 12. §. 9. didicimus, *Leucam Gallicam* habere *Milliare unum cum dimidio* sive *passus* CIↃ.IↃ. Quare, si Marcellini & Jornandis testimonia jungamus auctoritati *Tabulæ Peutingeri*, possumus colligere, in Galliis citra Rhodanum Columnas Viales fuisse dispositas per dimensiones *Leucarum*, non vero *Milliarium*. Sane doctissimus Camdenus nobiscum facit *de Britann.* ubi ait: *Cum lapides ad Viarum intervalla singulis mille quingentis passibus in Gallia olim erigerentur, atque Leuca Gallica, ut habet Jornandes, tot passus contineat, & LEACH lapidem Britannice significet, dixerint eruditi Galli, si* LEUCA *non inde nomen invenerit*: non absurde, siquidem prisca lingua Celtica cum Britannica veteri valde convenit. Quod vero attinet ad Gallias citra Garumnam, de illa clarissimum habemus testimonium in veteri *Itinerario a Burdigala Hierusalem usque*, quod valde firmat Camdeni conjecturam. Nam *p.*139. a *Burdigala* ad *Tholosam* usque, quæ ad Garumnam sita est, dimensio fit per *Leucas*; sed ultra *Tholosam* deinceps per *Milliaria*: hinc concludimus, *Leucas* columnis sive lapidibus Vialibus esse dimensas & designatas *citra Garumnam*; *ultra* vero *Garumnam* Columnis Milliaribus. Utitur enim quoque *citra Garumnam*, ut cum Grammaticis loquar, *numeralibus adjectivis*, in quibus *per ellipsin* τὸ *Lapis* subintelligitur. Ut enim ultra Tholosam utitur τοῖς: *Ad Nonum*, *Ad Vicesimum*, *etc.* ad denotandos Lapides Milliares, quorum usus erat in Gallia Narbonensi: ita & similem in modum loquitur in Gallia Aquitanica, ubi Viæ dimensæ erant per *Leucas*: sic exempli gratia, *p. ead.*

Civitas, *Auscius* L. VIII.
Mutatio, *Ad Sextum* L. VI.

τὸ *L.* notat *Leucas*. τὰ *Ad Sextum*, referri non possunt, nisi ad τὸ *Lapidem*, quod *per ellipsin* subticetur. Ergo Viæ ibi erant dimensæ singulis *Leucis* per Lapides justis earum intervallis dispositos Hinc etiam colligere possumus, in reliqua porro Gallia Aquitanica, Celtica & Belgica Vias Militares fuisse eodem modo dimensas *Gallicis Leucis*, quarum singula intervalla numerarentur & designarentur Lapidibus, sive Columnis Vialibus: id quod *Itinerarii* Auctorem permovit, ut subinde *Leucas* & *Milliaria* in Itineribus Gallicis conjungeret, uti *pag.*55. 81. & 82.

5. Tanto autem magis firmæ mihi videntur hæ rationes, quod videam Scriptores, qui dicant, in Hispaniis quoque, ubi Leucæ tam breves non erant, quam in Galliis, Columnas Viales fuisse dispositas per intervalla Leucarum Hispanicarum, non vero *Milliarium*: probant hoc ex ipsis Vialibus Columnis, quæ passim illic locorum etiam nunc suis intervallis sunt superstites. Quod si per Gallias, tales item superstites forent Columnarum suis locis reliquiæ, facilis & certa earum dimensio fieri posset, quæ justa & extra ullius controversiæ aleam, & sine ullo foret dubio. Esse autem nunc etiam in Hispaniis Vias aliquas Militares magnam partem suis Columnis Vialibus per justa intervalla distinctas, testis est oculatus, qui ipse accuratissime eas perlustravit & investigavit, Andreas Resendius *in Antiq. Lusit. c. de Viis Militar. p.m.*180. *Ab urbe autem Ebora*, ait, *Pacem usque Juliam* (hodie *Badajox*) *etiam apparent stratæ Viæ vestigia. Columnæ exstant multis in locis, partim adhuc erectæ, partim collapsæ, fractæ & terra opertæ*: vides, columnas multis in locis partim adhuc erectas stare in Hispaniis. Jam vero dimensio facta inter harum intervalla docuit, Columnas Viales non per singulos *Millenos passus*, sed per *Leucas Hispanicas*, distare, licet cum *Inscriptiones*, tum *Itinerarium* Vias Hispanicas metiantur *Millenis passibus*; & *Stadia* quoque occurrant in *Itinerario p.*95. & 96. addo verba Suritæ: *in præf. ad Com. p.* 169. *Ad Alfonsi Castellæ Regis ejus tempora, qui cum Ricardo & Rodolpho de Romani regni successione contendit, Milliariorum nomen ex ipsis Columnis desumtum in vulgus vernaculo vocabulo dimanavit: Migeriis enim, quos vocat, id est, milliariis, haud secus atque Leugis spatiorum dimensiones designare illa sæcula in Hispania consuevere*.

6. At in eo hæret difficultas, quot *Milliaria*, aut, ut Hispanico illo vocabulo dicamus, *Migeria* contineantur in *Leuca Hispanica*, cum super hujus vera longitudine inter scriptores magna sit differentia. Alfonsus *certe* Rex, teste Surita *l. l. Legum volumine secundo*, *Partitam vulgo nominant*, *titulo* XVI. *lege* III. *Leugam tribus Migeriis constare docet: terna namque passuum millia singulis Leugis tribuit*. Sunt tamen præclari Auctores, qui scribunt Leucam Hispanicam, non tribus, sed quatuor Milliariis constare: inter alios Janus Gruterus, Belga quidem, sed qui longum tempus in Hispania vixit, & singularem curam adhibuit in pervestigandis ejus provinciæ Viis Publicis ac Militaribus, *Leucæ Hispanicæ* disertis verbis *quatuor millia passuum* adscribit: audi eum sic loquentem, *in Inscr. opere* CLVI. I. ubi adfert Columnam milliarem *prope Caparram in Lusitania* exstantem: *Aliis Columnis omnibus, etiam suus milliarium numerus additus est, etiamsi titulo Imperatoris careant*: item: *Ex harum Columnarum distantia compertum est, spatium, ab Hispanis Leucam appellatum, passuum non tribus, ut vulgo*

etiam *Docti opinantur, sed quatuor milliaribus seu passuum millibus constare*: in eadem est sententia Andreas Resend. *l. l. p. m.*184. hæc enim, post appositum ex *Itinerario Antonini pag.* 94. *iter Olysippone Emeritam*, subjicit: *Corruptos esse numeros hinc apparet: nam recto isthac itinere ab Olysippone Emeritam numeramus tres & quinquaginta Leucas; eæ conficiunt ducenta duodecim millia passuum*. Sede ad calculos, & videbis clarissime, unicuique *Leucæ Hispanicæ* sic adscribi *quatuor millia passuum*, sive quatuor milliaria Italica.

7. Postremam hanc sententiam si sequamur, ipsa Columnarum dimensa distantia, quæ semper eadem, vera & certa fuit, confirmatam; sane affirmare & concludere poterimus, in Viis Militaribus Hispanicis Columnas Viales non fuisse dispositas & collocatas per intervalla Millenorum passuum, sed *Leucarum Hispanicarum*: quarum cum unaquæque habuerit quatuor milliaria, constat, semper tria milliaria inter singulas Leucas fuisse Columnis Milliaribus vacua, unamque tantum positam Columnam singulis IV. *M. P.* neque hoc tamen turbabat aut tollebat Milliarium dimensionem, cum singuli lapides quatuor milliaria metirentur, unde facile sciri poterat Milliarium numerus. Tantum est, quod de situ & intervallis Columnarum Vialium, deque distantiarum inter has varietate potui invenire: cæterum puto, exceptis Galliis & Hispaniis, Columnas Viales ubique, tam in Italia, quam in Provinciis fuisse per singulos passus millenos dispositas, quandoquidem prisci Auctores aliam mensuræ diversitatem nec agnoscunt, nec nobis descripserunt.

SECTIO XLIII.

De Hermis, sive statuis Mercurii, quæ in Viis Publicis erant, & de Diis Vialibus, sive Viarum Præsidibus.

1. *Superstitiones Græcorum & Romanorum in faciendis & dedicandis, per Vias Publicas, Deorum figura columnis*: 2. *Quibus in locis & intervallis fuerint positæ*: 3. *Earum Materia & Forma*. 4. *Atticorum mos, imponere Hermis aut Terminis capita Deorum Dearumve aut Virorum illustrium*. 5. *Cur Gentiles tales Columnas dedicarint Mercurio in Viis Publicis*. 6. *Hermæ erant sine arte, rudes, nec brachia aut pedes habebant*. 7. *Cur veteres in Viis Publicis Mercurio consecrarint acervos lapidum*. 8. *Hercules etiam fuit inter Deos Viales sive Viarum Præsides*. 9. *Quibus nominibus Veteres congeriem lapidum Diis, in Via Publica, consecratam appellarint*. 10. *Cur Mercurius & Hercules habiti sint Dii Viales, sive Viaci Tutelares*. 11. *Unde dicatur* Hercules Saxanus. 12. *Apollo* Ἀγυιεύς, *dictus, habitusque inter Deos Viales*. 13. *Augusti nummus, ejusque epigramma expositum*. 14. *Bacchus inter Deos Viarum Tutelares*. 15. *Lapides sensim ad coni formam fastigati Apollinem aut Bacchum denotant*. 16. *Conclusio hujus disputationis*. *Mercurius Viacus*.

1. EN Tibi, Lector, Vias Imperii Romani Publicas munitas, & humana arte ac industria exornatas omnibus iis rebus, quæ ad utilitatem, commoditatem ac voluptatem faciant Viatorum. At cum nulla unquam natio fuerit tam fera tamque barbara, quæ non aliquem habuerit Deorum sensum; etiam Græci atque Romani, qui tot olim Deos Deasque adorabant & colebant, voluerunt prospicere Viantium securitati & itinerum tutelæ, in Viis Publicis ponendo statuas aliquas Deorum, quos Viis præesse putabant: credebant enim illos, qui felix faustumque iter facere vellent, opus habere Deorum auxilio & favore. Quare & Græci & Romani, præ cæteris populis superstitiosissimi, certas quasdam faciebant columnas, aut, ut rectius dicam, stelas & quasi parastatas, quas in Viis Publicis, tam more Romano munitis, quam immunitis dedicabant, impositis super illas imaginibus aut capitibus Mercurii, Apollinis, Bacchi, aut Herculis: qui secundum illorum opinionem erant Θεοὶ Ἐνόδιοι, sive Ὅδιοι, quos Plautus appellat *Lares Viales*, *in Mercat.* v. 2. *vs.*24. & Varro *Viacos*, quasi diceres *Viarum Deos*, *Viarum Præstites*, qui Viis præsunt, & quos invocare solebant, qui peregre proficiscebantur, & ad viam se accingebant.

2. *Stelæ* autem hæ, non per milliaria, aut æqualia intervalla, ut *Columnæ Milliares*, erant dispositæ, sed locis dubiis & ambiguis, ἐν τῇ ὁδοῖς τῆς ἀδήλοις, ut *apud Suidam* in Ἑρμαῖον loquitur Damascius, qualia sunt in *triviis* & *quadriviis*. Sæpe enim fit, ut Viator ad talia loca delatus dubius hæreat, quam eligat viam, qui error primum exiguus, mox, ubi in eo aliquantum processerit, magis magisque augetur. *Stelæ* istæ frequenter ponebantur in Viis Publicis illic, ubi divortia erant & limites territoriorum, dominiorum & jurisdictionum, ut cum nostris loquar, aut si Latinius & simpliciter malis, ubi ditionum diversarum coibant termini. Unde etiam sæpe pro *Terminis* ipsis habebantur.

3. Materia harum *Stelarum* erat aut *Lignum*, aut *Lapis*, pro lubitu & arbitrio dedicantis aut facientis. Hinc Ovidius *Fastor.* II.641.

> *Termine, sive lapis, sive es defossus in agro*
> *Stipes: ab antiquis tu quoque nomen habes.*

& Tibullus *Eleg.* I.I. *vs.*10.

> *Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,*
> *Seu vetus in trivio florida serta lapis.*

Forma etiam Stelarum non erat rotunda, quali ab Architectis fere fiunt Columnæ, sed plerumque erat *quadrata*: habebant vero epigramma sive inscriptionem, quæ Viatorem docebat urbes celebriores, quo singulæ Viæ istius bivii, trivii aut quadrivii ducerent. Inscriptio hæc occupabat inferiorem Stelæ partem & veluti truncum ejus, cujus caput desinebat in figuram *Dei* alicujus *Vialis*. Ulpianus *Demosthenis Scholiastes* docet & materiam & formam Stelarum harum sive Hermarum verbis hisce: Ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν, ἔχοντες ὄψιν Ἑρμοῦ ἐπάνω· κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα: verto: Hermæ *erant stipites aut lapides quadrati, habentes, sursum, vultum Mercurii; deorsum, in latiore trunco inscriptiones*. Cur figura fuerint quadrata sive τετραγώνῃ, rationem reddit Homeri Interpres: Ἑρμῆς, ait, ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος παῖς, ἔτι ὢν ἐν ἀνθρώποις, τέσσαρα μέγιστα εὕρετο, Γράμματα, καὶ Μουσικὴν, καὶ Παλαίστραν, καὶ Γεωμετρίαν· ὅθεν οἱ πολλοὶ Ἕλληνες τετράγωνον αὐτὸν ἀσκῆσαι, καὶ οὕτως ἐν τοῖς Γυμνασίοις ἀναθεῖναι: verto: *Mercurius, Jovis & Majæ, Atlantis filiæ, Filius, cum adhuc cum hominibus ageret, quatuor maxima invenit, Literas, Musicam, Palæstræ artes & Geometriam: unde & Græci eum quadratum effigiant, & tali figura in Gymnasiis positum dedicant*.

4. Athenienses, præter cæteros, eum quoque morem habuerunt, ut Viris præclare doctis & virtute excellentibus Hermas quadratos erigerent, addito litera quadrata epigrammate, ut ea quasi ratione firmam, solidam & inconcussam eorum exprimerent ac innuerent virtutem: hinc apud Atticos Τετράγωνος ἀνήρ, *Vir quadratus*, id est, *Virtutis*

veræ custos rigidusque satelles, ut Horatii verbis utar: figuram enim quadratam, omnium perfectissimam judicabant. Hermis hisce Attici imponebant caput alicujus Dei, Deæ, aut Viri illustris: si esset caput *Herculis*, stela dicebatur *Hermeracla*; si Minervæ, *Hermathena*. Idem fiebat in Hermis Virorum illustrium; ab his enim denominabantur Hermæ, iisque passim plena erat urbs Athenarum. Talis fuit *Herma Miltiadis*, qui literis quadratis sic inscribebatur: (*vide figuram in Boissardi Antiq. Rom. Tom.* IV. *num.* 43. *& Inscriptionem ap. Gruterum* CCCCXXXVIII.6. *effossus fuit olim hic Herma in monte Cœlio, & hodie visitur in hortis Julii* P. M.

ΜΙΛΤΙΑΔΗΣ ΚΙΜΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ

Deinde in alia legebatur parte hoc distichon:

ΠΑΝΤΕϹ. ΜΙΛΤΙΑΔΗ. ΤΑΛΑΡΗΙΑ. ΕΡΓΑ. ΙϹΑϹΙΝ
ΠΕΡϹΑΙ. ΚΑΙ. ΜΑΡΑΘΩΝ. ϹΗϹ. ΑΡΕΤΗϹ. ΤΕΜΕΝΟϹ

Hic Herma Romam postea cum aliis translatus accepit & hanc Latinam Inscriptionem:

QVI. PERSAS. BELLO. VICIT. MARATHONIS. IN. ARVIS
CIVIBVS. INGRATIS. ET. PATRIA. INTERIIT

Talis etiam fuit *Herma Andocidis*, Leagoræ F. disertissimi oratoris Atheniensis, qui solus protervam lascivamque Alcibiadis & sociorum ejus temulentiam & petulantiam evasit, cum una nocte omnes Hermas, qui in viis & compitis erant, Athenis dejicerent, ut Cornelius Nepos *in Alcib. c.* 3. tradit, aut, ut Plutarchus *in vit. Alcib. c.* 31. refert, eorum facies & ora mutilarent.

5. Sed redeamus ad Hermas in Viis extra urbes positos. Mercurio eos præcipue dedicabant Veteres, quorum loco Christiani, meliora sacra edocti, substituerunt Cruces. Pagani, qui Divinum Numen per umbram tantum agnoverunt, deque rebus divinis per nebulam quasi & transennam judicarunt, stelas hasce Mercurio consecrabant, quod eum crederent Deum Tutelarem Viarum Publicarum, Conservatorem limitum, Custodem Finium & Terminorum cujusque agri & regionis: sic enim Lactantius *de Fals.Rel.*1.20. *sub finem: Huic ergo, ait, publice supplicatur, quasi Custodi finium Deo; qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est*. Ex Thucydide enim & aliis idoneis Auctoribus novimus, Græcos veteres auspicatum iter non duxisse, nisi prius Mercurium Enhodium sive Viarum Præsidem adorassent; uti apud Petronium *c.*59. Giton & Encolpius *adoratis* prius *sideribus*, navigationem fortunantibus, *intrant navigium*.

6. Hermæ isti valde erant informes, minime politi, & nullius artificii, sic ut carerent manibus pedibusque; effigiati tantum collo tenus, confuso corporis trunco & quasi immerso in quadratum columnæ sive stelæ stylum. Nonnulli facti erant sine ulla arte aut industria, securi scilicet & ascia pro rustica simplicitate dolati; unde hic Virgilii versus *in Culice*, *vs.* 84. ubi de pastore canit:

Illi falce Deus colitur, non arte politus.

ab hac forma rudi & impolita Veteres solebant Hermis hisce comparare homines stupidos, inertes, hebetes, sensuque communi carentes: ut Juvenalis *Sat.* VIII. 51. *& seqq.*

Hic petit Euphratem juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

Ut in pauca rem contrahamus, *Hermæ* illi similes erant primis Statuis, quæ fiebant sine manibus & pedibus, donec Dædalus manus pedesque his addidit, unde fabula nata, quod Dædali statuæ se ipsæ commoverent, ac manibus prehenderent, pedibus incederent, teste Tzetze *Chiliad.* I. Cæterum a prima illa & incondita forma, omnes statuæ rudes & informes Græcis Latinisque dicti sunt *Hermæ*, quales sunt illæ, quæ collo tenus ruditer effigiatæ, nec manus, nec pedes habent, & vulgo etiam *Termini* vocantur. *Hermæ* quoque deinde dicti acervi & collieuli illi lapidum, quos Viatores circum Hermas paullatim congesserant & accumularant, teste eodem Tzetze *Chiliad.*XII.

Ἑρμῆς καὶ σύμπας ἀνδριὰς, καὶ ὁ σωρὸς τῶν λίθων.

id est:

Herma est, & omnis statua, & acervus lapidum.

Præcipue autem hoc de illa lapidum congerie intelligendum, cui in medio imponebatur major lapis rotundatus, eum scilicet in finem, ut Mercurii caput quasi innueret.

7. Porro notandum est, quod, ad Hermas istos, Viatorum quisque præteriens, crebro jactu vel aggestu lapidum, velut in honorem Mercurii, acervum augeret, & allatos lapides ac *Hermæ* subjectos quasi consecraret. Lapides hi a Scholiaste Nicandri *in Theriac.* dicuntur: λίθοι σεσωρευμένοι εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ: *lapides coacervati in honorem Mercurii*. Anytas in epigrammate *Antholog.* IV. 12. talem acervum loquentem facit ista:

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραστείχοντες ἔχευαν.
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.

verto:

Sacrum Mercurio fecerunt prætereuntes
Me lapidum cumulum.

Rationem reddit Hesychius: Ἑρμαῖος λόφος, ait, τοὺς σωροὺς τῶν λίθων Ἑρμοῦ τοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς μενομένους εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ, Ἐνόδιος γάρ: verto: *Mercuriales acervi*: intellige *acervos lapidum Mercurii, qui fiunt in Viis ad honorem ejus Dei; est enim Deus Vialis*: ubi Ἐνόδιος, *Enhodius*, est, *Viæ Præses*, vel *Deus Vialis*, qualem & nostri Majores Galli crediderunt esse *Mercurium*, quem præ cæteris Diis venerati sunt: audi Cæsarem *de B. G.* VI. 17. *Deum maxime Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur*. Vides Majores nostros hac in superstitione cum Græcis ac Romanis convenisse: nam penes hos & illos Mercurius, ut dicam cum Phurnuto, *de N. D. c.*15. *p.m.*168. ἵδρυται δὲ καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς, καὶ Ἐνόδιος λέγεται, καὶ Ἡγεμόνιος, ὡς ἂν τῷ εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγλεόνι χρῆσθαι: verto: Mercurius *vero etiam & in Viis collocatur & Enhodius dicitur, & Hegemonius, sive Dux Viatorum, quia eo duce & auspice ad omne negotium utuntur*.

8. Sed dicamus de nonnullis aliis Diis, quos Antiquitas credidit præesse Terminis & Viis. Inter hos invenio etiam fuisse Herculem, & quidem inter primos, cujus honori, æque ac Mercurii, consecrabantur acervi lapidum: imo nec ipse Mercu-

rius Herculi hunc invidet honorem: ſic enim loquitur in epigrammate Leonidæ: *Antholog. lib.* I. *tit.* 38.

> Ω τὰν ϑ' ςείχοντες ἀταρπιτὸν, εἴ τε ποτ' ἀγρὰς
> Δαμόθεν, οἵ τ' ἀπ' ἀγρῶν ἵεσθε ποτ Ακρόπολιν.
> Αμμες ὅρων φύλακες, διοσοὶ Θεοὶ· ὧν ὁ μὲν Ερμᾶς,
> Οἷον ὁρῆς μ', οὗτος δ' ἅτερος Ηρακλέης.

verto: *Viatores, qui via hac vel ex urbe in agrum pergitis, vel ex agris in urbem reditis: Nos bini Dii ſumus Terminorum cuſtodes; ego quidem, qualem cernis, Mercurius; hic alter vero Hercules.*

9. Notandum vero, Terminos in pluribus locis & intervallis factos fuiſſe ad inſtar acervorum lapideorum, quales erant ſub Hermis aut ſtatuis Mercurialibus: ejus autem modi Termini dicebantur *Scorpiones*: teſtem habeo Siculum Flaccum, *lib. de condit. agror. inter Auctores Rei Agrariæ, p. m.* 4. *Hi* agri, ait, *finiuntur Terminis & arboribus notatis, & antemiſſis, & ſuperciliis, & vepribus, & viis, & rivis, & foſſis. In quibuſdam regionibus palos pro Terminis obſervant: alii illiceos, alii oleagineos, alii vero juniperos. Alii congeries lapidum pro Terminis obſervant, & Scorpiones appellant, aut in ſpecie maceriarum congerunt lapides & Attinas appellant, obſervantque pro Terminis.* Alii eos vocant *Scotiones, Scopiones, Scoroſiones*, & Julius Frontinus *lib. de Coloniis inter Auct. Rei Agr. p. m.* 119. appellare videtur *Corroſiones*.

10. Neque mirum eſt, Mercurium & Herculem habitos a Veteribus inter Deos Viales, cum utrumque crediderint peragraſſe totius univerſi Orbis terras & maria; alterum, ut Deorum nuncium; alterum, ut monſtrorum, quæ ipſius ætate per omnes Orbis regiones erant, domitorem: de Hercule ſingillatim audiatur Dionyſius Halicarnaſſeus *Antiq. Rom. lib.* I. *p. m.* 54. *ex verſione Gelenii: Veriora videntur, quæ de eo* Hercule *narrant Hiſtorici, qui res geſtas ejus mandarunt literis: videlicet, quod cum eſſet ætatis ſuæ Ducum præſtantiſſimus, magnaſque ductaret copias, quicquid terrarum Oceano cingitur, peragraverit, tollens tyrannos, quotquot eſſent, graves & ſubjectis intolerabiles: aut ſi qua civitas præ ferocia moleſtaret finitimos, hoſpitumve nefariis gauderet cædibus: pro quibus legitima regna, moderataſque Reſp. conſtituit, & in vitam mores induxit humanos ac ſociabiles. Ad hæc cum Græcis juxta verſatus eſt ac Barbaris, cum maritimis atque mediterraneis, quibus antea male conveniebat per inſida commercia: & in deſertis terris urbes condidit, fluminaque avertit campos inundantia, Vias munivit in difficilibus acceſſu montibus, nihil non molitus, ut mare ac terra quam latiſſime paterent uſibus cunctorum mortalium.*

11. Forſan exinde, quod Vias muniverit in difficilibus acceſſu montibus, ac, ut ſic dicam, ſaxa aperuerit, cognominatur *Saxanus*, in Inſcriptione Tiburtina, *ap. Gruter.* XLIX. 3. Aut *Saxani* cognomen habet, quod ei acervi lapidum & ſaxorum congeries per Vias dedicarentur: aut forſitan ex eo, quod pater Jupiter filio Herculi adverſus Ligures pugnanti, auxilium in hoſtes miſerit imbrem ſaxorum, ſive petrarum rotundarum, ut ex Æſchyli Prometheo quoque adducit Strabo *lib.* IV. *p. m.* 331. aut quod Myſcelum Alemonis Argolici F. reum ſpretarum legum Hercules, calculis nigris in album converſis abſolverit: canit hanc fabulam Ovidius *Metam* XV. 41. *& ſeqq.*

> *Mos erat antiquus, niveis atriſque lapillis,*
> *His damnare reos, illis abſolvere culpa.*
> *Tum quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis*
> *Calculus immitem demittitur ater in urnam.*
> *Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos,*
> *Omnibus e nigro color eſt mutatus in album:*
> *Candidaque Herculeo ſententia numine facta*
> *Solvit Alemoniden.*

12. *Apollo* quoque celebratur inter Deos Viales & Finium Tutores: audiamus Macrobium, qui *Saturn.* I. 9. *Etenim*, ait, *ſicut Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur, qui* Θυραῖος *vocatur; ejuſque aras ante fores ſuas celebrant, ipſum exitus & introitus demonſtrantes potentem. Idem Apollo apud illos &* Αγυιαῖς *nuncupatur, quaſi Viis præpoſitus urbanis: illi enim Vias, quæ intra pomœria ſunt,* Αγυιὰς *appellant.* Pauſanias teſtis eſt *lib.* VIII. *ſive in Arcadicis pag.* 263. *edit. Steph. & Latin Wechel. pag.* 464. *Apollinis effigiem, eodem, quo quadrati Hermiæ, opificio elaboratam* Megalopoli fuiſſe: ac Phurnutus *l. l. c.* 32. *p. m.* 228. ait: Αγυιεὺς δὲ ἐπονομάζεται δεόντως ἱδρυνθεὶς ἐν ταῖς ἀγυιαῖς, καταυγάζει ταύτας κὶ πληροῖ φωτὸς ἀνατέλλων. verto: *Agyieus* ſive Compitalitius *cognominatur, quia decenter dedicatus & collocatus in compitis Viiſque urbanis eaſdem illuſtrat, & ortu ſuo luce perfundit.*

13. Sed inſuper ex Auguſti, qui ſe Apollinis volebat credi filium, nummo argumentum peti poteſt. Hic enim Imp. ut tacite vulgo inſinuaret Patrem Apollinem, in averſa nummi parte expreſſit imaginem *Termini*, qui ſurſum deſinebat in caput radiatum, cui Termino tranſverſim ſubjiciebatur fulminis figura, interjectis in medio hiſce verbis: ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ, id eſt: *Feſtina lente.* Terminus enim loco cedere noluit, cum Jovis Capitolini templo area libera quæreretur a Tarquinio Priſco, uti narrat Dionyſius Halicarnaſſeus *Antiq. Rom. lib.* III. *p. m.* 247. e contrario Fulmen motus ſui celeritate rapidiſſima prævertit & ſuperat cuncta: quare hujus celeritas & illius immobilitas Auguſto occaſionem præbuit, ut ſcitum illud dictum ſuum, ſecundum quod actiones ſuas temperabat, hiſce velut ſymbolis accommodaret.

14. Verbum adjiciemus de Baccho, qui itidem inter Deos habitus eſt Viales: diſcimus ex Suida in Αγυιαὶ, qui ait: Αγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν· ἰδίως δὲ φασὶ αὐτοὺς εἶναι Απόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν. verto: *Agyieus vero eſt columna in acumen deſinens, quam ſtatuunt præ foribus: propriam autem ajunt eam eſſe Apollinis, alii vero Bacchi, nonnulli amborum.* Columnæ hæ valde ſimiles erant Solis ſimulacro, quod Phœnices vocabant *Elagabalum*: hoc enim, teſte Herodiano *lib.* V. *paullo poſt princip.* erat *ingens ſaxum, ab imo rotundum & ſenſim faſtigiatum, propemodum ad coni figuram.* Veteres videntur tales Baccho quoque Columnas dedicaſſe, quod is peragrarit totum Terrarum Orbem continuis itineribus, & primus uſque ad Indos penetrarit, ubi nonnullas urbes de ſuo dictas nomine condidit. In libris certe eorum, qui collegerunt figuras veteris elegantiæ & artis reliquiarum, videntur ſtelæ quadratæ ſive Hermæ, qui Bacchi, aut comitum ejus, puta Panis, Faunorum, Silenorum, Silvanorum capita habent: unde Horatius *Epod.* 2. *vſ.* 22. *Silvanum* vocat *Tutorem Finium*; & idem Suidas, *in verbo* Μωρότερος Μορύχου, ſcribit, Bacchi imagines collocatas fuiſſe ad exitum januarum, qua fores patebant in Viam Publicam; ibi enim ſunt quaſi termini & initia ad Viam Publicam.

15. Tales ergo fuerunt ſtelæ ſive Hermæ, quos Gentilium ſuperſtitio per Vias Publicas ſubinde collocarat; qui non omnino erant inutiles, cum monſtrarent viam in dubiis, biviis, triviis, quadriviis; ſed & aliquam voluptatem adferebat Hermarum diverſitas & antiquitas; admonebantur quo-

que ita Viatores, a Diis felix fortunatumque iter dari & concedi. Posset quis ex me quærere, ut finiam, num per Vias Imperii Publicas tales Hermæ fuerint, præter Columnas Milliares, separatim collocati? responsum is habeat, utique complures Hermas tales fuisse, non solum per Italiam, sed etiam per Provincias: hoc enim plurimis rationibus commune fuit, ut Deos, quos dixi, eo modo venerarentur & colerent. Camdenus, Vir doctissimus, *in Tract. qui inscribitur: Germani in Britannia*, disertis verbis ait: *Ejus* Mercurii *statuæ quadratæ, Hermæ dictæ, olim ubique per Vias dispositæ fuerunt*. Sed cæteris, quos laudavi plures, Auctoribus, addo pro clausula hanc Inscriptionem pervetustam, quæ in Hispania Zamoræ juxta prætorium, quod *Consistorii ædes* vocant, visitur. Eam Florianus Ocampius, vir antiquitatis studiosissimus Suritæ commonstravit, qui eandem inseruit *præf. ad Comm. in Itin. Ant. p. m.* 164. in qua *Mercurius Viacus* occurrit; (Gruter. LV. 5.)

DEO. MER.......
VIACO
M. ATILIVS
SILONIS. F.
QVIR. SILO
EX. VOTO

Fugientes enim literas τοῦ MER.... recte *Mercurium* legit idem Surita.

SECTIO XLIV.

De Viis, quas Populus & Imperatores Romani fieri curarunt, Aquaticis.

1. *Soli Romani potuerunt facere Opera Viarum Aquaticarum*. 2. *Via Aquatica duplex, alia coercetur intra suas ripas, alia coerceri nequit*. 3. *Prioris generis Via Aquatica tres habet species, præcipue in fluviis*. 4. *Cur a Tiberi fiat initium: ejus origo & cursus*. 5. *Ubi navigari incipiat, & qua ratione undique accipiat merces peregrinas*. 6. *De nonnullis aliis Italiæ & Provinciarum fluviis navigabilibus. Properatio & pompa mirifica navigantis per Danubium Juliani Imp.* 7. *Naves Onerariæ, Fugaces sive Cursoriæ, Dromones, Celoces, Holcades*. 8. *Fluvii non navigabiles quomodo itineribus commodi sint facti*.

1. TAndem absolvimus omnia ea & perfecimus, quæcunque super *Viis Terrestribus*, quæ a Romano Populo & Imperatoribus factæ sunt, notatu & dictu digna judicavimus: Perlustrandæ restant ante, quam librum hunc finiamus, *Viæ* Romanorum *Aquaticæ*: faciemus id ea, qua poterimus, brevitate; ac ostendemus in hoc Operum genere Romanos perfecisse miracula, quæ nullus alius per Terrarum Orbem populus vel animo concipere ausus est: scilicet Opum admiranda vis & magnitudo illis tam nobilem fecit audaciam operum, quæ etiam nunc cum stupore admirantur omnes Spectatores.

2. Diximus supra II. 7. §§. 3. & 4. præeunte Baptista Alberto *de Re Ædif.* X. 8. duce, Viarum duo esse genera, *Terrestres* & *Aquaticas*. *Terrestres* jam peragravimus, accedamus nunc ad *Aquaticas*. Hæ iterum dividuntur in duas species: aliæ enim terminantur, restringuntur & limitantur certis ripis aut marginibus; aliæ vero non habent tales

A margines: prioris speciei sunt *Fluvii*, *Canales*, *Fossæ*, qui quæve satis quidem in longum porriguntur, sed inter duos margines riparum in latum coarctantur: posterioris speciei est *Mare*, quod, ut sic loquar, nec fundum nec ripam habet, sed longius latiusque diffusum, quam ut oculis definiri determinarique possit: audi *l. l.* Albertum: *Aquatica vero Via*, ait, *duplex: una, quæ coerceri possit, ut Flumen & Fossa aquaria: altera, quæ non possit, ut Mare*: deinde paullo prolixius hanc rem exponit: *Flumina præterea & Fossas aquarias, quæ præsertim ferendis navigiis serviant, cum Viarum rationibus censendas puto.*
B *Quando inter Vehiculorum genera navim adscribendam non inficientur; tum & Mare ipsum, natura sui, quid erit aliud demum, quam multo patens Via?*

3. Sed omittamus jam *Itinera Maritima*, quæ certos fines limitesque non habent, & persequamur *Vias Aquaticas* utrimque ripis suis præcinctas & limitatas. Harum denuo tres sunt species, quarum prima debetur ipsi *Naturæ*, altera *Arti*, tertia *Naturæ* & *Arti* simul. *Naturæ* ipsi debentur *Fluvii* majores, quales in Galliis Sequana, Ligeris, aliique plures, qui opus non habent e-
C missariis aut injectis aggerum molibus ad retinendas emittendasve aquas, sed naves ferunt continuo cursu, ubi navigabiles sunt, vel usque ad ostium, quo in Mare intrant, vel in alium fluvium, quicum confluunt. *Arti* debentur *Canales* & *Fossæ* humana manu & industria factæ, ut illic Ars præstaret navigandi commoditatem, ubi eam Natura negarat. *Naturæ* & *Arti* simul debentur flumina minora, quæ per se & natura sua navigabiles non sunt, nisi arte juventur & hominum industria, quod fit, cum alvei eorum laxantur, fundus, qui opus est, detergetur, & sic ipsa profundiora redduntur, ac ferendis navibus apta.

D 4. Summa cum ratione ceu exemplum Viæ Aquaticæ prioris speciei, sive *Fluviaticæ Naturalis*, adibimus *Tiberim*, qui Urbem ipsam perlabitur. Ex Apenninis montibus Tiberis oritur, primum rivulo similis & exiguus, deinde pluribus augetur amnibus & navigabilis fit; ubi Romam accedit, adeo latus & profundus, ut sine pontibus aut navigiis transiri non possit: recipit, ab origine sua Ostiensem Portum tenus, quadraginta duos tam rivos, quam fluvios; quos inter præcipue sunt *Nar*, jam *Negrà*; *Anio*, hodie *Teverone*; *Tivinia*, hodie *Topino*; & *Glanis*, nunc *Chiana*: de Tiberi hæc Plinius: *H. N.* III. 5. *Tiberis, antea Ty-*
E *bris appellatus, & prius Albula, e media fere longitudine Appennini, finibus Aretinorum, profluit, tenuis primo*: deinde: *quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto Orbe nascentium mercator placidissimus*. Romani, qui semper fuerunt studiosissimi Urbis suæ omnibus commodis augendæ, & præstandi facilem accessum omnibus circum vicinis, ut tanto melius Romam possent utensilia, commeatus & venalitias res annonarias adferre, debuerunt Tiberim semper inclusis utrimque lateribus intra suas ripas coercere: imo ne exundaret, sed navigationi permaneret commodus, tam intra Urbem, quam in vicinis ex-
F tra Urbem locis passim muniverunt ripas & muris validis substructis marginarunt, qualibus præcingi utrimque videmus Sequanam Lutetiæ Parisiorum. Ante omnes *Augustus Cæsar*, ut dicam Strabonis *lib.* V. *p. m.* 429. verbis, *ad urbanos ejus generis defectus præcipuam curam adhibuit*. Hic enim, narrante *in Aug. c.* 30. Suetonio, *ad coercendas inundationes, alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus coarctatum.* Tanto autem magis adductus

est, hoc ut faceret, quod Tiberis facile Urbem inundaret, & passim ruinas & stragem daret, imo nonnunquam aquarum impetu, magnifica prosterneret & dirueret ædificia.

5. Cæterum Tiberis fieri navigabilis incipit circa Perusiam, prope castrum sive locum, *Trusiamnum*, sic dictum, quod illic multi *amnes* se *trudant* in Tiberim: inde ad mare usque Tyrrhenum continua nec usquam interrupta est navigatio: de qua hæc Augustinus Eugubinus, *de restit. Navig. Tiberis*, tradit: *Atque tanta ex navigatione percipiebatur utilitas, ut magna vis mercium ex omni Germania, Anglia, partimque Gallia, reliquisque superis regionibus, Ravennæ, nobilissimo ejus tempestatis Emporio; inde mari ad portus Pisaurum Fanumque trajectæ, tum jumentis usque ad eum locum*, Trusiamnum scilicet, *quo iter breve est, delatæ, deinceps per Tiberim Romam deferrentur:* addo hic *superis regionibus* etiam inferas Italiæ, ad oram maris Adriatici; & *Ravennæ* addo portus vicinos. Sed miror, *merces ex omni Germania, Anglia, partimque Gallia* hac Via Romam delatas scribi, cum mare Tyrrhenum videatur, & commodius, & ratione illarum trium provinciarum propinquius, nec opus sit circumnavigare Siciliam, & in mari Hadriatico quærere Portum *Ravennæ*, aut *Pisauri*, vulgo ostium *Fogliæ*. *Cum ergo Romani*, loquor verbis Strabonis *lib.* V. *p.m.* 428. *virtute atque labore terram* vicinam sibi *propriam vendicassent, quidam bonorum cursus affluxisse visus est, qui omnem Naturæ bonitatem antecelleret: quam ob caussam adeo civitas crevit, ut cum commeatu, tum lignis & lapidibus ad ædificia perduret, quæ sine fine factitant, cum tot casus, tot incendia, tot permutationes incidant, nullo deficientes tempore*. Accipe hanc advectionem fieri, tam ex mari Tyrrheno in adversum flumen Tiberis, quam ab Apennini jugis, secundo & prono flumine: de duplici hac advectionis via Idem ait: *l. l. p.* 404. *Insignia Romanæ Civitatis opera, urbiumque reliquarum, maxima ex parte his ex locis* Lunensi portui vicinis *copiam* candidi & lucidi marmoris *habent*. *Nam cum mari vicina incumbat effossio, facile lapides evehuntur, quos e Pelago subvehendos Tiberis excipit. Ædificiis quoque materiam, laquearia scilicet directa & procera, Tuscia abunde suppeditat, quam confestim e montibus fluvius deducit*.

6. Nolo immorari cæteris fluviis, nec repetam *Vulturnum*, quem Domitianus intra suas ripas coercens & restringens easque muniens & firmans denuo navigabilem reddidit, ut ostendi *supra* II. 27. §. 4. Multo minus persequar omnes Fluvios navigabiles, qui sunt longe lateque per Imperii provincias, & per quos subinde Imperatores mirifica celeritate itinera fecerunt. Exempli loco suffecerit iter Juliani Imp. quem Apostatam cognominant, per Danubium, qui fluvius ab urbe *Belgrado* sive *Alba Græca*, ad Pontum usque Euxinum, jam Italis *Mare majus*, *Mar Maggiore*, ubi sex ostiis effunditur, dicitur *Ister*: iter illud hisce verbis a Mamertino, *in Panegyrico, quem Juliano Imp. dixit, inter Panegyr. Vett. ed. H. Steph.* 1591. *p.m.* 165. depingitur: *Longissimo cursu Istrum placuit navigari: proh sancta Divinitas! quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem incluti fluminis ripam, utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret: despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa Barbaria: omnes urbes, quæ Danubium incolunt, auditæ, omnium audita decreta, levati status, instauratæque fortunæ: innumerabilibus Barbaris data venia & munus pacis indultum! qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit: qui gestarum rerum*

A *multitudinem considerabit, properasse non credet*.

7. Tanta celeritate Imperatores & eorum Legati ac Agentes in rebus, per fluvios navigabiles iter faciebant expeditum. Habebant huic fini destinatum certum genus navigiorum, quæ erant illis aquatico itinere, quod Veredi sive Equi Cursuales terrestri itinere. Habebant namque veteres, ut docet Albertus *de Re Ædif.* V. 12. duas *Navium*, tam in mari, quam in fluviis navigabilibus, species: primum *Naves onerarias*, oneribus & mercaturis ferendis; tum *Naves Fugaces* sive *Cursorias*, & a Græca voce *Dromones*, quasi diceres *Cursores*, ob

B celeritatem dictas: de posterioribus accipe Sidonium Apollinarem *Epist.* I. 5. scribentem: *Ticini Cursoriam, sic navigio nomen, ascendi, qua in Eridanum brevi delatus* sum. Dicebantur alias etiam *Celoces* & *Holcades*. *Dromonibus*, ut ostendit Cassiodor. *Var.* II. 31. excursus per alveum Padi fiebat: verba illius, sub nomine Theoderici Regis, sunt *ad Dromonarios*: *Excursus cum veredariis per alveum Padi more solito faciatis, ut diviso labore equis publicis debeat subveniri: quando Cursus vester non atteritur, qui per Vias liquidas expeditur*.

8. Hucusque per navigabiles fluvios iter fecimus. In illis vero qui navigabiles non erant, lapidibus

C vadum in fundo consternebant eo loco, quo Viæ Publicæ transibant & utrimque sibi opponebantur; ut ipse vidi in fundo fluminis *Vidule* sive *Vesle*, inter *Fismes* & *Braine*, cum interessem visitantibus & Reip. caussa pervestigantibus hoc flumen, ut navigabile redderetur; ibi tum vidi fundum instratum minuto silice, sive calculis, qualibus constrata est Via Militaris, quæ Remis ducit Augustam Suessionum. Aut etiam faciebant Pontes, quorum acclivia connectebantur cum aggeribus, aut oppositis Viæ Publicæ extremis, quæ alias a flumine interluente dirimebantur; ne ita iter interrumperetur, sed esset continuum, ut monuimus

D *sect.* XXXIV. §. 8. Facit nobiscum *l. l.* Sidonius Apollinaris, ubi de suo itinere ait: *Fluviorum quoque, si qui non navigabiles, vada commoda, vel certe pervii pontes, quos Antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustarum crypticis arcubus fornicavit*.

SECTIO XLV.

De Fluviis navigabilibus, qui in Tiberim influunt.

E 1. *Fluvii minores, qui in Tiberim influunt, navigabiles redditi per Romanos & accolas: 2. Tales sunt tres cis Tiberim, Tinia, Nar & Glanis: 3. quartus uls Tiberim, Anio. 4. Strabonis locus de horum Fluviorum situ, & commodis, quæ Urbi apportabant iidem*.

1. REgiones, quæ ad utramque Tiberis ripam sunt, alluuntur pluribus minoribus fluviis, lacubus & rivulis, qui Tiberi suas submittunt undas, ceu regnatori in illis locis & principi Fluvio, qui deinde cunctas, ceu vectigales, per urbem Romam defert ad mare Tyrrhenum. Romani autem ipso tempore edocti commoda, quæ fluvii &

F rivi, si navigabiles redderentur, Urbi possent præstare; una cum accolis istorum fluviorum, id operæ dederunt, ut minoribus navigiis ferendis fierent apti, quorum beneficio faciebant compendium impensarum alias in vecturam jumentis peragendam, & res suas annonarias venalitias ex agro vicino in Tiberim ita scaphis & navigiis minoribus devehebant, unde majoribus excepta Romam porro deferebantur. *Hos quidem prosperos rerum eventus ipsa regionis natura præbet; adjecit ei Ro-*

manus Populus, quicquid ex providentia consultandum erat: audisti verba Strabonis *lib.v.p.m.*429. A

2. Non erit ab re, invisere exempli caussa tres quatuorve minores fluvios, ut appareat improbus Romanorum labor & industria, in ornanda commodis omnibus urbe sua, dum Naturam adjuvabant, ubi deficiebat, eamque per Artem perficiebant. Primo lustrabimus eos fluvios, qui sunt cis Tiberim: hos inter primus est *Tinia*, hodie accolis *Topino*, ortus ex montibus, qui sunt supra *Fulginium* & *Spoletium*, veteris Umbriæ urbes: quas perlapsus, receptis in alveum pluribus rivulis, Tiberi confunditur ad *Trusiamnum*, cujus meminimus *sect. præced.* §. 5. Isto autem *Tiniæ* beneficio, *Spoletini*, *Mevanienses*, & *Forum Flaminii* annonas suas venales, & commeatus Romam naviculis deferebant. Sequitur deinde *Nar*, hodie accolis *Negra* vel *Nera*, cujus simili beneficio gaudebant *Interamnium*, *Narnia*, *Carseoli*, sive *Carsula*, & *Ocriculi*: hodie loca nota nominibus *Terani* vel *Terni*, *Narni*, *Arsuli*, *Otricoli*. Tertius cis Tiberim fluvius, navigiis patiens, est *Glanis*, *Clanis* sive *Cleanis*, accolis dictus *Chiana*, ex paludibus fontibusque Clusinis natus: hujus ad Tiberim usque navigatione fruuntur *Clusium*, *Aretium*, *Cortona*, *Verletta*, aliique ex Hetruria populi. B

3. Quartus est uls Tiberim, *Anio* olim, nunc *Teverone* dictus, qui ab *Alba* urbe defluens perlabitur Latinorum Marsorumque agros, & paullo supra Romam in Tiberim influit. Hunc *rivum Anienis novo lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus* Imp. Claudius, teste Suetonio, *in ejus vit. c.* 20. Per hos quatuor fluvios Romam deferebantur necessaria ad victum, amictum, habitationem. *Plenæ erant lintres olei, fructuum, carnium, altilium, nec non lignorum ad ædificia: mercium quoque, quæ a Supero Mari, eo jumentis traducta, bisque imposita lintribus Romam trajicebantur*, ut loquitur Augustinus Eugubinus *de restituend. navigat. Tiberii*. Idem Strabo olim notavit *l.v.p.m.*412. *Ad agri mediterranei beatitudinem accedunt & lacus magni & permulti, qui & navigationibus patent, & permultis mensis nutriunt opsonia, & palustres aviculas. Non modicum etiam cremium, papyrusque & ulva copiosa Romam per fluvios convectatur, qui usque in Tiberim e lacubus effluunt.* C D

4. Hoc ordine quatuor isti fluvii in Tiberim influunt, si sequare hujus ab origine cursum. At Strabo Roma versus Apenninum eos recenset, atque ita primum facit *Anienem*. Sed audi ipsum: *l. l. p. m.* 428. *Primus quidem Anio ex Alba decurrens, præter Latinam Marsorum Urbem, & propinquum illi campum, quousque Tiberim intret: inde Nar, & Tenas, & alii, qui per Umbriam labuntur, fluvii, eidem miscentur Tiberi: verum per Tusciam Agrumque Clusinum Cleanis*. Idem Auctor *ibidem* miratur commoda, hinc Romani redundantia, nunquam deficiente materia, quæ ad ædificia usu veniebat: hæc autem sine fine factitabant Romani, ruentibus sæpe ædificiis, aut per casus, aut per incendia: locum Strabonis vide laudatum *sect. præced.* §. 5. cui mox tertiam ruinæ speciem quandam addit: *nam*, ait, *permutatæ ædificiorum figuræ spontanei quidam casus exsistunt, cum alius alia ex aliis transponit & ædificium ex ædificio pro cupiditate novat. Quas quidem ad res, & ipsa metallorum copia & materia, & devectantes amnes, mirificam quandam præstant abundantiam.* E F

SECTIO XLVI.

De Canalibus & Fossis humana opera factis ad navigationis fluviaticæ commoda.

1. *Terra per Fossas navigabiles commodior facta.* 2. *Multitudo Fossarum in Gallia Cisalpina. Valvarum Emissoriarum commoditas.* 3. *Emissarium Lacus Fucini ab Augusto non tentatum,* 4. *incepit & perfecit Claudius. Prœlium navale super illo exhibitum.* 5. *Vanus & irritus Neronis in Fossa ab Averno usque ad Tiberim faciendа conatus.* 6. *Fossæ in Germania a Druso & Corbulone perfectæ.*

1. SIcut Cœlum Diis, ita Terræ generi mortalium datæ, ait apud Tacitum *Annal.* XIII. 55. Bojocalus; nec male. Terra enim, querente Plinio *H. N.* II. 63. *ut freta admittamus, eroditur aquis, ferro, ligno, igne, lapide, fruge omnibus cruciatur horis, multoque plus, ut deliciis, quam ut alimentis famuletur nostris: & tamen, quæ summa patitur atque extrema cute, tolerabilia videantur. Penetramus in viscera.* Licet enim Deus O. M. Terram crearit perfectam, eamque ornarit & distinxerit, ad vitam & habitationem hominum, maribus, irrigarit fluviis fontibusque, ut nihil supra; quia tamen speciatim homini Terram dedit colendam, non vetuit, quin cultu & labore melior & commodior, sive ad utilitatem, sive ad voluptatem fiat. Verum si in re appareat improbus & omnia vincens humanæ industriæ labor, præcipue etiam ille cernitur in *Fossis*, &, quos vulgo vocant, *Canalibus*, nunc & olim factis ad navigationis maritimæ aut fluviaticæ commoda. Quamvis enim solius Dei sit, Fluviis Fontibusque dare origines, cursum & ostia sua; præter hæc tamen Naturæ beneficia Mortales per artem & ipsi fecerunt fluvios, effodiendo fossas per aperta camporum, quæ fossæ mutuis commerciis exercendis cæterisque Vitæ humanæ commodis inservirent.

2. In *Gallia*, *Cisalpina* Romanis dicta, cis & uls Padum, jam olim fuerunt plurimi Rivi alveo laxati & fundo detersi, plurimæ item Fossæ hominum opera factæ, per quas vicinæ regiones & urbes annonas, commeatus & merces suas naviculis ad fluvios navigabiles, hinc in mare, & per hoc quaquaversum devehebant: testis oculatus Augustinus Eugubinus *de restit. navig. Tib.* ait: *Factum in Gallia* Cisalpina, *hominum industria, ut omnis prope eorum regio rivos, sive, ut ipsi vocant, Canales habeant, per quos navigiis onera in magna flumina, inde in mare deducunt*: & addit, quod urbes *Bononia*, *Mutina*, & *Patavium* suis ipsorum impensis fieri sibi curarint tales Fossas, & vix fit ulla ultra citraque Padum urbs celebrior, quæ idem non fecerit. Difficillima tamen ante fuerunt hæc opera, quam invenirentur *Valvæ Emissoriæ*, nobis *Ecluses*, per quas, invento non adeo antiquo, sed recenti & nupero, Fluvii & Fossæ retinentur ac emittuntur, naves extolluntur & demittuntur, & tandem aquæ tanta intercipi potest & retineri abundantia, quæ Fluvios Fossasque eo usque reddat profundas, quo onera mercium & rerum navibus impositarum possint sustineri ac ulterius provehi. Post inventas autem & in usum vocatas hasce *Valvas Emissorias*, Fossarum quoque navigabilium usus passim invaluit, præcipue per Belgium, ubi frequentissimæ sunt. Præ cæteris celebratur ea, quæ *Bruxellis* facta est *Antuerpiam*, impendio, ut perhibent, quingenties mille scutatorum, omnium maxime frequentata. Nuper cœperunt in plurimis Galliæ

locis in usum vocari, ut nonnulli rivi fierent navigabiles, partim alveis antiquis, partim derivatis & deductis in novas per aperta camporum fossas aquis.

3. Imperatores Romani, quoniam ignorabant *Valvarum Emissoriarum* inventum, maxima quæque ausi & conati, maximam quoque partem imperfecta reliquere. Si qua perfecerunt, facta sunt illa magno hominum, temporis & sumtuum impendio. Narrat Suetonius, *Claud. c.* 20. Exsiccationem & *Emissarium Fucini lacus*, qui hodie *Lago di Marso*, aut *de Celano* dicitur, *ab Augusto precantibus assidue Marsis*, qui in Latio eum accolunt, negatam. Lacus hic longitudine par pelago est. Ferunt eum aliquando usque ad montana impleri, rursumque subsidere, ita ut palude obducta loca rursum detegantur, & agriculturæ sint commoda, quod occulto naturæ miraculo fiebat. Marsi ergo ne Fucini Lacus inundationibus frequentibus essent obnoxii, Augusto ostentabant inter alia, si emitteretur Lacus, plurimos inde agros culturæ aptos, aut prata optima, loco aquarum stagnantium & exundantium, futura. At sapientissimus & prudentissimus ille Imperator, nimias & insanas in hanc rem impensas futuras reputans, Marsis rogata simpliciter & omnino negavit. Certe, ut dicam cum Alberto *de Re Ædif.* II.2. *Advertisse oportet, ne quid hujusmodi aggrediamur, quod ipsum non recte cum rerum natura conveniat: Proxime cavendum est, ne quid ad te recipias, in quo perficiendo ipse tibi deficias re imperfecta.*

4. Claudius vero Imp. Augusto audacior molitus est hujus Lacus exsiccationem per *Emissarium*, & sic agros culturæ reddere: *aggressus est* hoc opus, *non minus compendii spe, quam gloriæ: cum quidam privato sumtu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur*, ut ait Suetonius *l.l.* deinde & gloriosum erat, opus Augusto ne quidem tentatum perficere: itaque, ut pergit Suetonius, *per tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre; & post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus*: atque ita ut loquar cum Horatio, *de A.P.vss.*65.66.

> *Regis opus, sterilisque diu Palus, aptaque remis*
> *Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum.*

Merito *Regis opus*, cui perficiendo regia magnanimitas, & regifici sumtus expetuntur: narrat de hoc opere magnifico insuper ista Tacitus: *Annal.*XII.56. *Sub idem tempus inter Lacum Fucinum amnemque Lyrin perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, Lacu in ipso, navale prælium adornatur; ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis & minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, & prælio solita. In ratibus Prætoriarum Cohortium manipuli turmæque adstiterant, ante positis propugnaculis, ex queis catapultæ balistæque tenderentur: Reliqua Lacus, classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colles ac montium edita, in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & aliis Urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in Principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere. Pugnatum, quanquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum, occidione exempti sunt.*

5. At multum fuit, tam longum & difficillimum opus ad finem perducere. Nero ejusdem generis opus, sed irrito successu, tentavit. Scilicet, audies verba Taciti *Annal.* XV. 42. *Magistri & machinatores Severus & Celer, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ Natura denegavisset, per Artem tentare, & viribus Principis illudere: namque ab Lacu Averno navigabilem Fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut per montes adversos: neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomtinæ paludes: cætera abrupta aut arentia: ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis caussæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est: manentque vestigia irritæ spei:* destinaverat autem hanc Fossam, uti Suetonii *Neron.c.*31. verbis utar, *ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per centum sexaginta millia; latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent:* hujus & aliorum *operum perficiendorum gratia, quod ubique esset custodiæ, in Italiam deportari, etiam scelere convictos, nonnisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam Imperii, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum impulsus est, ex indicio equitis Romani pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido Regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera.*

6. Cæterum non solum in Italia, sed & in Provinciis compluribus, Romani Imperatores eorumve Legati Vias novas aquaticas aperuerunt, factis Fossis navigabilibus. Ex omnibus tantum lustrabimus Drusi & Corbulonis Fossas diversis temporibus in Germania factas. de priore Suetonius *Claud. c.*1. Drusus, ait, *Oceanum Septentrionalem primus Romanorum Ducum navigavit: transque Rhenum Fossas novi & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc Drusinæ vocantur.* Licet autem Tranquillus *Fossas Drusinas* memoret, una tamen tantum fuit, de qua hæc habet Tacitus *Annal.* II. 8. *Jamque classis advenerat, cum præmisso commeatu, & distributis in legiones ac socios navibus, fossam, cui Drusianæ nomen, ingressus* Drusus Germanicus, *precatusque Drusum Patrem, ut se eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret. Lacus inde & Oceanum usque ad Amisiam flumen, secunda navigatione pervehitur.* De Corbulonis Fossa idem Tacitus *Annal.*XI. 20. prodit ista: *Corbulo, ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque, trium & viginti millium spatio, Fossam produxit, qua incerta Oceani evitarentur.* Erat autem Corbulo, sub Claudio, inferioris Germaniæ Legatus.

SECTIO XLVII.

De Fossis ad conjungenda Maria factis.

1. *Plures Maria conjungere tentarunt.* 2. *Isthmum perfodere plures conati, ut mare Ionium Ægeo conjungerent.* 4. *Naturæ benignitas erga Galliam in Fluviis, per quos Maria possunt conjungi.* 4. *L. Veteris, sub Neronis imperio, conatus in conjungendis Mari Mediterraneo & Oceano Germanico.* 5. *Negligentia Regum Franciæ priorum in utendis fruendis Naturæ beneficiis.* 6. *Caroli Bernardi consilium de conjungendo Mari Mediterraneo cum Oceano per Rhodanum & Sequanam.*

1. SAtis non fuit audaciæ humanæ, Terram, ubi opus & usus videbatur, fossis conscindere, fluviosque navigabiles arte conjungere; majora opera & μεγαλεπίβολα, ut Græcorum

aptissima voce utar, consilia movit hominum audax genus, & ipsa quoque Maria, sive propinqua, sive longinqua navigabili alveo perfossa conjungere sunt conati: qua ratione *Cnidii* voluerint Isthmum, qui eos cum Asia minore connectit, persodere, narrat Herodoti *Clio*, *sive lib.* 1. *p.* 32. *edit. Steph.* & *p.*70.*edit. Lat.Wechel.* cujus, quia res est memorabilis, verba appono, ex Laurentii Vallæ ab Henrico Stephano recognita versione: *Quum initium Byblesiæ ex peninsula incboetur, suntque Cnidii prope modum circumflui: eam enim partem, qua Boream spectat, Ceraunius claudit sinus, australem vero Symanum Rhodiumque mare; reliquum, quod perquam exiguum est, nempe quinque stadiorum, Cnidii tentaverunt perfodere interea, dum Harpagus Ioniam everteret, volentes suam ditionem in insulæ formam redigere. Erat autem intra ipsum Isthmum tota ipsorum ditio: nam qua parte in continentem desinit, Isthmus est, quem perfodere statuerant. Id ergo multa manu conantibus, quia, qui operi incumbebant, vehementius & divinius, quam ut commune quiddam id videri posset, tum aliis corporis partibus, tum præcipue circa oculos, dum rupes feriretur, vulnerari videbantur, Cnidii missis nunciis Delphos, rogant, quidnam istud esset, quod tantopere conatibus eorum adversaretur: Pythia, ut ipsi referunt Cnidii, senario versu respondit in banc sententiam:*
„ *Isthmum neque aggerate, neque fodite: Jupiter*
„ *namque ipse, si placuisset, fecisset Insulam.*
Quum respondisset hunc in modum Pythia, Cnidii a perfodiendo Isthmo destiterunt. Hæc Ille. Fuit etiam Rex quidam Ægypti, qui Mare Rubrum voluit conjungere Mediterraneo, alveum navigabilem ex Erythræo mari in ostium Nili Pelusiacum effossurus; in quo alveo perfodiendo licet centum viginti millia hominum laborarint, non tamen opus potuit perficere; nec aliud peregit, ac quod Regibus deinceps in Ægypto regnantibus excitarit desiderium, conatus istos plane perficiendi, quos ipse inchoaverat; uti Ptolemæorum uni, item Cleopatræ, paullo post prælium Actiacum. Majorum nostrorum ætate Solimannus Turcarum Imperator irrito eventu quinquaginta hominum millibus fossam istam perficere est conatus.

2. Æque stulto ac vano conatu plurimi Principes Græci & Latini voluerunt perfodere Isthmum Corinthiacum, qui Peloponnesum connectit Helladi. Frustra, inquam, hoc conati sunt Rex Demetrius, Julius Cæsar, Caligula & Nero: de Nerone audi Xiphilinum *lib.* LXIII. *p.* 722. *Opus autem velut obiter illo in Græciam adventu suo perficiendum* Nero *instituit, dum Isthmum Peloponnesi cupivit perfodere. Et hoc opus est aggressus, hominibus id gravate facientibus, propterea quod iis, qui primum terram attigerant, sanguis e terra erupit, auditaque sunt lamenta & mugitus, & spectra multa apparuerunt: quocirca accepto ligone ipse aliquantulum effodit, & cæteros coegit, ut se imitarentur*, aut, ut Suetonius *Neron. c.* 19. narrat, *Prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit:* hæc Tranquillus. acciverat autem undique Nero ex diversis Imperii Provinciis operas ad hoc opus. De *Caligula* idem *in vit. Calig. c.* 21. ait, quod destinarit, *ante omnia Isthmum in Achaja perfodere, & miserit jam ad dimetiendum opus Primipilarem.* Omnes autem hoc opus conatos infelici exitu & nece periisse, notavit Plinius *H. N.* IV.4. cujus verba adscribo: *Angustiæ, unde procedit* Peloponnesus, *Isthmos appellantur. In eo loco irrumpentia e diverso, quæ dicta sunt,* Ægeum & Ionium, *maria a Septentrione & Exortu ejus omnem ibi latitudinem vorant, donec contrario incursu æquorum tantorum, in quinque M.P. intervallo, exesis utrimque lateribus, angusta cervice Peloponnesum contingat Hellas, Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur sinus. Lechæum hinc, Cenchreæ illinc angustiarum termini, longo & ancipiti navium ambitu, quas magnitudo plaustris transvehi probibet: quam ob caussam perfodere navigabili alveo angustias eas tentavere Demetrius Rex, Dictator Cæsar, Cajus Princeps, Domitius Nero, infausto, ut omnium patuit exitu, incepto.*

3. Sedecim sæcula, & quod excedit, jam præterierunt, cum Strabo *lib.* IV. *p. m.* 321. deprædicavit Naturæ erga Gallias benignitatem, his verbis: *Sic autem Naturæ bonitate invicem sese amnes* in Galliis *habent, ut ab utroque in utrumque mare facile sarcinæ deportentur, pusillo terrestris itineris spatio, cum plurimum per amnes aut adversos subvebantur, aut secundos devebantur; eam ad rem nonnibil excellit Rhodanus: nam multis ex locis aquæ in illum confluunt:* hoc scilicet innuit, beneficio Rhodani utrumque Mare, externum & Mediterraneum posse conjungi.

4. A Strabone forsan didicit Lucius Vetus, posse Mare Mediterraneum & Germanicum beneficio Rhodani & Rheni conjungi. Nerone enim imperante, dicam verbis Taciti *Annal.* XIII. 53. *Paullinus Pompejus, L. Vetus* in Germania *exercitui præerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille incboatum ante tres & sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit: Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent; sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque litora fierent. Invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ Provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret; formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerumque probibentur conatus honesti.*

5. Atque ita Romani, legionum, opum & animi magnitudine confidentes magnificentissima moliti sunt opera, tam in Italia, quam per Provincias, præcipue in Gallia Cisalpina. Sane Reges nostri, prioris ævi, negligentiæ, forsan jure, possent accusari, quod nec bona sua cognorint, nec honoris sui habuerint rationem: siquidem Romanorum destinatis & inventis potuissent uti fruique, quæ tamen per sæcula decem undecimve oblivionis tenebris manserunt sepulta. Potuissent eadem opera perficere sumtu non magno, at maxima in regnum Franciæ utilitate exinde redundatura; nam conjuncto per fossas navigabiles mari utroque, frequens & facilis floruisset mercatura.

6. Hujus operis plures rationes, vias & inventa exhibet Carolus Bernardus, libro, quem vernacula lingua *de Marium conjunctione* scripsit. Via omnium maxime commoda, facilis & utilis Galliæ foret, conjungere *Rhodanum* & *Sequanam*, ut sic alveo navigabili per ipsam Galliam connecterentur *Oceanus* & *Mare Mediterraneum*. Fieri id posset per intermedios alios fluvios, maxime *Ararim*, qui adeo propinquus est *Sequanæ*, ut olim populi inter *Ararim* & *Sequanam* dicti sint *Sequani*. Facilis foret conjunctio per fluvios, nobis dictos *Oucbe* & *Armenson*, circa locum, qui vulgo dicitur *Grois Bois*, sive *magna silva*: est is paullo supra *Viteaux*, ut vocant, versus *Castrum novum* sive *Chasteauneuf*; ubi tantum inter utrumque fluvium, quos dixi, distantia est trium Leucarum Francicarum, quæ navigabili alveo foret perfodienda; & utriusque deinde fluvii alveus la-

xandus ad octo orgyias sive *tosias* nostrates latitudinis, & detergendus fundus, ut ad quatuor pedes esset profundus, saltem ubi minor aquæ est abundantia. Fieri id posset beneficio Valvarum Emissoriarum, præcipue duplicium, qualibus hodie feliciter utitur Cosnierus, Vir aquarum deducendarum peritissimus, in navigabili reddendo *Vidula* fluvio, qui *Remos* perlabitur: quarum Valvarum usus adeo est facilis, ut per eas bini homines possint commode naves attollere & demittere: nam *Armenso* fluvius influit in *Icaunam*, sive ut hodie dicitur, *Yonne*; *Icauna* in *Sequanam*; *Sequana* in *Oceanum Occidentalem*. *Oucha* sive *Uscha* aut *Oschaurus* fluvius recta fluit *Divionem*, unde porro influit in *Ararim* proxime oppidum *S. Johannis de Launa*: *Araris* in *Rhodanum* influit *Lugduni*: *Rhodanus* vero duobus ostiis effunditur in *Mare Mediterraneum*, quod alluit *Provinciam*: atque hoc modo *Mare Mediterraneum* connecti posset cum *Oceano*, non sine maximis regni commodis & utilitate.

SECTIO XLVIII.

De Romanorum Itinerario Maritimo.

1. Maritimæ sunt multo patentes viæ, sive sine certo fine & limite. 2. Mare tamen quodam modo limitari: quid Pelagus. 3. Romanorum navigationes per Mare Mediterraneum & Oceanum. 4. Romanis Portus, Plagia, Stationes, & similia loca maritima iter maritimum ducebant & determinabant. 5. Litoris varia significatio: quomodo differant Portus, Statio, Plagia. 6. Quid Statio & Plagia: qua ratione aggeribus marini operis munirentur. 7. Portuum diversitas. 8. Facilitas faciendi aut reficiendi Portus Puteolanos. 9. Stationes: Refugia. 10. Quid sint Gradus. 11. Iter maritimum est triplex. 12. Differentiæ & dissensus Auctorum circa itinerum Maritimorum mensuras.

1. Vias Aquaticas suis ripis terminatas sumus persecuti; veniendum nunc est ad illas, quæ cœlo saloque solum terminantur. Sunt illæ *Viæ Maritimæ*, quas Albertus *de Re Ædif.* x. 8. dixit *multo patentes Vias*. Audax tamen hominum genus Viam fecit, ubi nulla semita signabat ducebatve iter. Fragilem truci commisit pelago ratem, nec timuit ventorum rabiem, licet Deus hominibus non Maria, sed Terras dederit colendas.

2. *Mare* tamen, si universum spectes, suis continetur & terminatur litoribus, ut fluvii suis ripis, quique mari navigant, locum habent certum, unde & ad quem proficiscantur. *Portus* enim in Mari sunt, quod meta in Circo: adeoque duobus portubus aut litoribus oppositis Mare, licet vastum & longe lateque diffusum, quodammodo finitur & limitatur. Albertus *l.l.* IV. 8. mecum facit: *Portus quidem*, ait, *veluti in curriculo esse carcer videbitur, a quo viæ cursum ineas, aut peracta excursione desinas & conquiescas*. Mare nihilominus dicitur Via sine ullo termino esse, quod illius latitudo quaquaversum diffusa, quæ proprie *Pelagi* nomine dicitur, spatium comprehendit indefinitum sine Portu ac sine limite: sic ea voce usus canit Virgilius *Æn.* V. 8.

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit Tellus, Cœlum undique & undique
Pontus.

3. De hisce *multo patentibus Viis* nunc disputabimus: Harum extrema, uti sint commodæ, terminent *Portus*, *Stationes*, *Plagia*, & similia perfugia, necesse est. Si vero usquam & unquam fuit in Terrarum orbe gens & natio, quæ maritimis usa sit viis ad amplificandum per Orbem imperium, ea profecto fuit Romana: quæ vix in Italia imperii terminos ad litora utriusque maris, quo præcingitur, promoverat, quin mox novas mari quæreret terras, non solum Mediterraneo; sed & ipso in Oceano, quem antea Græci & cæteri tantum fando acceperant esse, & sola mentis imagine cognoscebant. Quare debuit etiam Populus ille, cui velut fato promissum erat Orbis sine fine imperium, nauticas artes unice nosse, ut ad has illasve Orbis partes facile pro re nata posset accedere & navigare. Plurimum namque intererat Ducum, scire *Litora*, *Portus*, *Stationes* & *Insulas*, ut adversæ tempestatis possent evitare injurias, æque ac plurimum referebat, nosse ac eligere loca idonea & ipso ingenio suo munita castris metandis.

4. Romam itaque, quibus rei nauticæ peritia tam erat necessaria, itinera non solum duxerunt & determinarunt *Civitatibus*, *Mutationibus* & *Mansionibus*, quæ per aperta camporum occurrunt, quale diceres *Itinerarium Terrestre*: sed etiam per urbes, oppida & alia loca maritima, adnotatis *Portubus* & *Stationibus*, aliisque perfugii locis, at tanto essent commodiores navigationes ipsorum solennes & usitatiores, quale *Itinerarium* dixerunt *Maritimum*: cujus hæc est in *Itinerar. Anton. p.* 112. inscriptio:

IMPERATORIS ANTONINI AVGVSTI ITINERARIVM MARITIMVM:

Ut navigans, quæ litora tenens nosse debeat, aut quæ ambiri; incipiens a Gadibus vel extrema Africa, perdocet feliciter.

Quemadmodum igitur *Itinerarium Imperii Terrestre* ducebat per *Civitates*, *Colonias*, *Municipia*, *Vicos*, *Castra*, *Præsidia*, *Mutationes* & *Mansiones*, ut vidimus *supra sect.* VI. *& seqq.* Ita quoque *Itinerarium Maritimum* disponitur per *Litora*, *Plagia*, *Portus*, *Stationes*, *Positiones*, *Cotones*, *Refugia* & *Gradus*; quæ vocabula ad rem nauticam referuntur; inter quæ nonnullæ sunt differentiæ prius exponendæ, ut supra *l. l.* fecimus in vocabulis *Itinerarii Terrestris*.

5. Initium nobis dabit *Litus*, quæ vox patet maxime, & cæteras fere generatim complectitur. Est enim proprie ora sive margo terræ, quam linit sive alluit mare, seu illud mediterraneum quoddam, seu Oceanus sit; plane uti *Ripa* notat margines fluviorum, quibus ab utroque latere præcinguntur: at in re nautica τὸ *Litus* specialem habet significationem, ubi apud idoneos Linguæ Latinæ Auctores notat partem sui potius, non passim quamlibet, sed eam, ad quam naves commode possunt appelli, ibique securæ a ventorum tempestatumque rabie manere. Ita Isidorus *in Etymol.* XIV. 8. accipit, cum oram marginemve terrestrem dividit in *Portus* & *Litora*: item Julius Cæsar *de B. C.* III. 8. Bibulus (Pompeii partibus addictus) *a Salonis ad Orici portum Stationes Litoraq; omnia longe lateq; classibus occupavit*. Ita etiam accipe *in l. 2. C. T. de Litorum & Itinerum custodia*, ubi Honorius & Theodosius Impp. ad Anthemium PF. P. scribunt: *Omnes Stationes navium*, *Portus*, *Litora*, *omnes abscessus Provinciarum*, *abdita quin etiam loca & Insulæ*, *solerti custodiantur indagine*, *ut nullus vel vi*, *vel clam*, *vel aperto*, *vel etiam occulto nostri possit Imperii regiones irrepere*. Amiotus noster in Plutarchi

A

tarchi *Pompejo c.* 108. *Stationes & Portus & Litora, navibus a mari accipiendis tuta*, reddit vernacùle: *Rade, Port & Plage, lieux de bon abry pour les navires, & où l'on peut seurement aborder*. Scilicet sunt ea ipsa, quæ in *Itinerario Antonini Maritimo* appellantur *Positiones*, *Portus* & *Plagia*, cum ait:

p. 114. *Itinerarium Portuum vel Positionum navium ab Urbe Arelatum usque.*
A Portu Augusti Pyrgos, Positio, M. P. XXXVIII.
p. 115. *Ab Alma flumine Scabros, Portus*, M. P. VI.
p. 116. *Ab Olivula Niciam, Plagia*, M. P. XII.

B

& porro similia, in quibus *Positio Stationi*, *Plagia Litori* respondent, uti censet Surita *in Comment. p. m.* 643. *Isidorus*, ait, *item in Stationes, Portus & Litora distinguit, & hoc Itinerario in Portus, Positiones, Plagia* distinguuntur: *ut mihi dubium non sit, quin Positiones pro Stationibus & Plagia pro Litoribus usurpentur*.

6. At ut singillatim de *Litoribus* sive *Plagiis* dicamus, sunt ea litoris generatim sumti partes, non illæ simpliciter tales, quales a Natura sunt; sed opera dedita pluribus munitæ molibus & structuris adversum vim incurrentium aquarum, & ut naves commode, facile ac secure possint appelli.

C

Moles illæ litorales vulgo vocantur *Aggeres*, generali illo nomine, quo designantur strues terrenæ, supra communem Terræ superficiem eminentes. Tales fuerunt Aggeres, quos Elagabalus & Alexander Severus Impp. proxime Ardeam in Latio, vigesimo ab Urbe lapide, ad mare Tyrrhenum refecerunt; ubi sequens occurrit inscriptio *ap. Gruter.* CLXIII. 8.

IMP. CAES. M. AVR.
ANTONINVS
PIVS FELIX. AVG.
PONTIF. MAX. GERM. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V
COS. IV. PROQ. COS. P. P. ET
M. AVRELIVS
ALEXANDER
GERM. MAX. DACICVS MAX
PRINCEPS IVVENTVTIS
LITVS. VICINVM. VIAE. SEVERIANAE
ASSIDVIS. MARIS. ADLVENTIS
FLVCTIBVS. AD. LABEM. RVINAE
LABEFACTATVM. AGGERIBVS
MARINI. OPERIS. A. FVNDAMENTIS
VT. PERICVLVM. COMMEANTIBVS
ABESSET. EXTRVI. CVRARVNT

D

E

Sunt tamen etiam *Litora* & *Stationes* ab ipsius solo Naturæ ingenio, quas Natura ante hic illic elaboravit, quam Homines id operis per Artem facere instituerent. Talem *Stationem*, tutam ipsius loci ingenio, depingit Maro *Georg.* IV. 419. *& seqq.*

Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos,
Deprensis olim Statio tutissima nautis.

F

Portuum plures sunt species. Sunt enim quidam, ipsius Naturæ ingenio, velut ad Amphitheatri formam, in litoralem oram reducti, & perfugium navibus adversus tempestates & ventorum rabiem præbentes. Quidam in mare procurrunt & ad instar Lunæ crescentis sinuantur; cujus recurva cornua appellendis navibus præstant quasi ostium & accessum. Thucydides *lib.* 1. *p.* 62. *edit. Steph. G. L.* & *p.* 50. *edit. Lat. Wechel.* prodit, *Athenis tres ab ipsa Natura Portus datos esse*, æque commodos & tutos. Talis etiam fuit olim *Portus Carthaginis Novæ*, urbis Hispanicæ ad Mare Mediterraneum, quem sic describit Livius, XXVI. 42. *Sinus est maris, media fere Hispaniæ ora, maxime Africo vento oppositus, & quingentos passus introrsus retractus, paullulo plus passuum in latitudinem patens: hujus in ostio sinus parva insula objecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterquam Africo, tutum facit*. Ludovicus Nonnius, Medicus Hispanus varia doctrina celebris, *in descript. Hispan.* credit, ad hujus *Portus Carthaginis Novæ* exemplum, a Virgilio graphice depictum Portum illum naturalem, *Æn.* 1. 163. *& seqq.* ubi canit:

Est in secessu longo locus: insula Portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta silent: tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus: hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morsu.

Alii item *Portus* sunt, quos Natura verius ruditer designatos hominum industriæ reliquit, quam ipsa perfecit; qui tamen improbo labore & magna operarum vi redditi sunt optimi, securi & facili accessu sive appulsu commodi. Tales fere sunt omnes *Portus*, quorum fit mentio in Antonini *Itinerario*, Strabonis *Geographia*, Plinii *Historia Naturali*, & apud cæteros, qui *Geographica* tractant aut attingunt. Porro tandem alii sunt *Portus*, qui soli debentur arti, sive hominum manibus facti sunt: quos Portus Græci & Latini vocant *Catones*, sive potius *Cotones*, teste Festo *in hac voce*, qui ait: *Catones* (seu *Cotones*) *appellantur Portus in mari interiores* (alii: *tutiores*) *arte & manu facti*. Talis fuit *Portus* ille celeberrimus *Carthaginiensis* in Africa: de quo Appianus *de Bell. Pun. sub finem p.m.* 108. *Ineunte deinde vere*, inquit, *Scipio Byrsam simul & Portum, quem Cathonem vocant, aggressus est*. Strabo narrat de Puteolana urbe, *lib.* V. *p. m.* 448. quod *amplissimum facta sit emporium, manufactos Cotones & Stationes habens*.

8. Sane Portus isti, sive *Cothones*, facilius & promtius *Puteolis* fieri poterant, quam usquam alibi terrarum, propter copiam ibi *Pulveris Puteolani*, quem indigenæ *Rapillum* vulgo vocant, de quo antea 11. 19. *§§.* 6. *&* 7. diximus. Istius pulveris hæc est proprietas, ut sub aqua facile solidescat, instar albarii operis e gypso, ut proxime lapides ipsos æquet duritia: audi Strabonem, *l. l. Quas ad res* (intelligit Cothones Puteolanos) *commodum conducit arenarum ingenium, quæ, calcis quam simillimæ, compactæ validissimum conglutinantur in modum. Unde commixta sabulo glarea, Aggeres projectantur in pelagus, litoraque patentia sinuosos in recessus redigunt; sic onerariæ ingentes naves jactis ibi conquiescunt anchoris*. Fuerunt olim Puteolis minæ ingentis Portus, cujus pilæ ex pulvere Puteolano solidatæ erant, de quibus hæc Puteolis legitur Inscriptio *ap. Gruter.* CLXIII. 9.

IMP. CAES. DIVI. HADRIANI FIL
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOS

DIVI. NERVAE. PRONEPOS. T. AELIVS

HADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS

PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II.

DESIG. III. P. P. OPVS. PILARVM. VI

MARIS. COLLAPSVM. A. DIVO. PATRE

SVO. P. PROMISSVM. RESTITVIT

9. *Stationes* in re nautica medium habent locum inter *Litora* sive *Plagia* & *Portus*. *Stationes* enim, ut cum Surita *l. l.* loquar, *sunt, quæ Portuum tutam mansionem non assequuntur: & tamen Litoribus præstant*. Et sane dantur etiam *Stationes* parum tutæ navibus deprehensis, aut incubante tempestate satis fidæ. Talis in Tenedo insula, apud Virgilium *Æn.* II. 23.

Nunc tantum sinus & statio malefida carinis.

Sequitur deinde *Refugii* vocabulum, quo licet generatim omnis locus perfugii significetur, in *Itinerario* tamen *Antonini*, arbitrante quoque Surita *in Comment. p.* 259. *Statio* notatur, *qua fida navibus mansio designatur*. Hoc tanto similius est vero, quod in *Antonini Itinerario* distinguantur *Plagia* & *Refugium*: uti *p.* 21.

Iter ab Agrigento per maritima loca Syracusas M. P. CXXXVII.

sic: *Dædalium*	M. P. XVIII.
Plintis	M. P. V.
Refugium: *Chalis*	M. P. XVIII.
Plagia: *Calvisianis*	M. P. VIII.
Plagia: *Mesopotamo*	M. P. XII.
Plagia: *Hereo sive Cymba*	M. P. XXIIII.
Refugium: *Apolline*	M. P. XX.
Plagia: *Syracusis*	M. P. XXXII.

10. Supersunt *Gradus*: hi, Surita annotante *in Comm. p.* 652. *antiquitus vocati videntur Pontes ad litus aut fluminum ripas constrati, ex quibus naves commodiore ingressu conscenderentur ad navigandum, & ad quos appellerent*. Talis *Gradus* meminit Antonini *Itinerarium Maritimum*, *p.* 116.

A Fossis ad Gradum Massilitanorum fluvius Rhodanus M. P. XVI

A Gradu per fluvium Rhodanum Arelatum M. P. XX.

de isto *Gradu*, ubi Rhodanus in Mare exit, mentionem quoque facit Ammianus Marcellinus XV 10. *p. m.* 65. his verbis: *Rhodanus finitus inter valles, quas ei Natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant Ad Gradus, ab Arelate octavo decimo ferme lapide disparatum*.

11. Hæc sunt, quæ ex *Itinerario Antonini Maritimo* nobis videbantur exponenda. *Viæ* autem *Maritimæ* triplici modo dicuntur: primo secundum litoralem oram juxta terram continentem, quale est iter Roma Arelatum per Portus & Stationes Italiæ & Galliæ Narbonensis. *Itin. Ant. p.* 114. *& seqq.* deinde per Trajectus maris, ut ex Italia in Græciam, in Africam, cæterasque Orbis partes: denique per intermedias insulas, quæ inter duas interjacent terras continentes.

12. Quod attinet ad Mensuras *Itinerarii Maritimi*, scias, solum iter Roma Arelatum per loca maritima esse dimensum Militaribus Italicis: reliqua itinera esse dimensa per Stadia, ut videre licet *Itin. Anton. Maritimi p* 112. *ad p.* 120. Cæterum illa Stadia & Milliaria Italica, quibus distantias Stationum & Portuum dimetitur Auctor *Itinerarii*, parum ac vix raro conveniunt cum dimensionibus

A Plinii, Strabonis & aliorum Geographorum, ut ex vero professus sit Strabo *l.* VI. *p.* 520. *Omnes* Geographos *cum omnibus inter sese de intervallis* (locorum maritimorum) *dissentire*: id quod exemplis ibidem confirmat.

SECTIO XLIX.

De Italiæ Portubus, & singillatim de nonnullis maxime admirandis, quos Imperatores Romani in Italia fieri curarunt.

B 1. *Strabo Italiam dicit importuosam.* 2. *Plinius huic ait contrarium: quomodo sint conciliandi.* 3. *Per quos sint facti Italiæ Portus: descriptio Portus Brundusini.* 4. *Lunensis Portus descriptio.* 5 *Portus Misenensis ab Agrippa facti aut refecti descriptio.* 6. *Augustus & Tiberius duas classes, Miseni & Ravennæ, ad tutelam Italiæ collocaverant.* 7. *Portus Ariminensis & Anconitanus.* 8. *Ostia Strabonis ætate erat importuosa.* 9. *Destinatus a Julio Cæsare Portus Ostiensis, at omissus propter difficultatem & sumtus.* 10. *Claudius Portum illum inchoat & perficit.* 11. *Trajanus eundem amplificat.*

C 1. STrabo, Geographorum facile princeps, postquam libros quintum & sextum operis sui *de Situ Orbis*, laudibus implevisset Italiæ, & passim plurima adspersisset, qua ratione Roma, in medio Italiæ sita, ad tantum pervenerit fastigium, quod omnes admirantur & norunt; tandem breviter ita omnia colligit & concludit, *l.* VI. *p. m.* 522. *Cum multa*, inquit, *a nobis disputata sint, nunc amplissima significabimus, quibus hoc tempore ad tantum majestatis fastigium res Romana conscenderit. Unum quidem, quod instar Insulæ tut.s in circuitu maria custodiat, paucis exceptis partibus,* D *quæ tamen inaccessis, ut muro, montibus vallatæ sunt. Secundum est maxima ex parte ipsius importuositas: & quod, sicubi Portus exsistunt magnitudine & excellentia mirabiles, adstant adversus externorum impetus commodi, nec minus ad inferendas incursiones, quam ad ipsam mercaturæ commoditatem & abundantiam*. Prætereo reliquas caussas, quoniam illæ nunc non faciunt ad institutum nostrum.

2. At quid faciemus Plinio, qui omnino contrarius esse Straboni videtur? namque ita *Hist. Nat. Nat.* XXXVII. 13. concludit inter alia: *Ergo in toto Orbe & quacunque cœli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque* E *merito principatum Naturæ obtinens Italia, rectrix parensque Mundi altera, Viris, Feminis, Ducibus, Militibus, Servitiis, Artium præstantia, ingeniorum claritatibus; jam situ ac salubritate cœli atque temperie, accessu cunctarum Gentium facili, litoribusque portuosis, benigno ventorum afflatu*. Tam Strabo, quam Plinius Italiam optime perspectam habuerunt, uterque totam descripsit; quare putem eos sic conciliandos, ut Strabonem dicamus intellexisse oram Italiæ, qualis ab ipsa fuit Natura, scilicet importuosa & difficili accessu: Plinium vero innuisse eandem oram, sed improbo hominum labore & industria ad usum vitæ accommodatam: ubique enim circum F Italiæ litora Portus faciendo, ex illa Italia ingenio ipsius Naturæ importuosa, per artem fecerunt portuosam. Videtur id ipse Plinius antea quasi digito monstrasse *H. N.* III. 5. ubi inter illas Italiæ delicias & bona numerantur *Tot Lacus, tot amnium fontiumque ubertas totam eam Italiam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tanquam ad juvandos mortales ipsa avide in maria procurrens*.

3. Inter tot ergo Portus, qui Italiam cingunt, quorumque nomina & situs in *Antonini Itinerario* adnotantur, alii ab ipsis præcipuarum urbium, ad quas sunt siti illi Portus, civibus sunt suis ipsorum impensis facti, uti *Portus Brundusinus, Tarentinus*, & *Lunensis*: alii vero sunt facti a Romanis, postquam totam armis subegerant & pacaverant Italiam, quales sunt *Portus Misenensis, Ravennas, Anconitanus* & *Ostiensis*. Inter Portus prioris notæ celebratur maxime *Brundusinus*: dicam Strabonis verbis *l.* VI. *p.m.* 515. *Imprimis etiam Brundusii Portus sua excellentia præstat: multi enim ore uno Portus includuntur, qui nulla fluctuum agitatione turbantur, cum interni sinus excipiant, ut forma ipsa cervi cornibus simillima sit, unde & nomen inditum sit. Locus enim cum Urbe cervino capiti maxime est comparandus: nam lingua Messapiorum Brundusium cervi caput nominatur*. Portus autem *Tarentinus* est quidem spatiosus & amplus, sed non adeo tutus: nam, ut porro cum Strabone *l.l.p.* 516. pergam, *non omnino undarum motibus caret, cum sese pandat, & interius occulta sub undis saxa quædam contineat*. Bini hi Portus mari Ionio alluuntur, & tantum diurno distant itinere.

4. De *Lunensis Portus*, qui ab urbe Tusciæ extrema versus Alpes *Luna* ad mare Tyrrhenum sita cognominatur, excellentia audiamus iterum Strabonem: qui *l.* V. *p.m.* 403. & 404. *Horum Tuscorum*, ait, *Luna quidem civitas & portus est. Græci autem & portum & urbem* Σελήνης, *id est, Lunæ appellant Urbs quidem haud sane magna: maximus vero & pulcherrimus Portus est, multos intra se Portus amplectens, magnæ profunditatis universos, usque adeo, ut omnium, qui maris teneant imperium, facile fieret receptaculum tam late patentis pelagi multos per annos. Celsis vero montibus Portus ipse circumcluditur, qui prospectum longe pelagi præbeant. Nam & Sardiniæ, & magna utriusque litoris pars cernitur*.

5. Verum enim vero quamvis, cum in Italia, cum in Provinciis, fuerint plurimi Portus pulcherrimi ab ipsis accolis & popularibus facti, nihil tamen hoc in operum genere invenitur par Romanæ magnificentiæ. Portus enim fecerunt, quibus construendis omnium prioris ævi Regum opes non suffecissent. Exempli caussa tres quatuorve Portus perlustrabimus, quos Imperatores curarunt fieri in Italia. Initium dabit *Misenensis Portus*, sic a *Miseno* monte aut promontorio, ad cujus est radices, cognominatus. Cæsar Augustus eum fieri, aut verius per generum suum Agrippam refici curavit. Est autem totus ille maris sinus, qui instar Lunæ corniculatæ inter Misenum & Bajas patet incurvus & inflexus, ab *Averno*, sive, ut hodie vocant, *Mari Mortuo* separatus aggere longo stadia octo, & lato tantum, quantum sufficit transeunti currui. Strabonem testem voco *l.* V. *p.m.* 447. *Lucrinus vero sinus*, ait, *usque Bajas latitudinem pandit, qui ex exteriori pelago, per aggerem longitudinis stadiorum octo, latitudinis autem unius orbitæ arcetur. Illum autem ab Hercule, traducendarum Geryonis boum caussa aggeratum fuisse perhibent: qui cum pedibus perambulari, propter fluctus ingruentes, per hyemes superne vix posset, Agrippa exornatum melius construxit*. Factum id ea ipsa tempestate, qua Augustus adversus Pompeii liberos in Sicilia bellum gerebat, constituto legato, duce & præfecto classis suæ M. Vipsanio Agrippa. Est autem hic Portus loco capacissimo, & maxime classi opportuno, propter vicinos maris sinus triplices, ab altero Miseni latere inter Bajas atque Puteolos ingruentes: *Bajanum* videlicet, *Lucrinum* & *Avernum* Lacus, *quædam maris otia*, ut pulchre dicuntur a Floro I. 16.

6. Inde Augustus, cum Imperium ordinaret, & militares copias, ut Italiam, imperii quasi cor, præcipue tutaretur, *Classem Miseni & alteram Ravennæ, ad tutelam Superi & Inferi maris*, sive Tyrrheni & Hadriatici, *collocavit*, narrante Suetonio *Aug. c.* 49. Tiberius idem continuavit, quo imperante, ut refert Tacitus *Annal.* IV. 5. *Italiam utroque mari duæ Classes, Misenum apud & Ravennam, proximumque Galliæ litus rostratæ naves præsidebant*: de *Portu Ravennæ* hæc habet Andreas Schottus Itiner. *lib.* I. *p.m.* 228. *Divum Augustum amplissimo Portu & altissima Pharo Ravennam nobilitasse, Suetonius, Dio, Appianus Alexandrinus & alii Historici memoriæ prodiderunt, ubi & classem ad tutelam Superi vel Hadriatici maris constituit: adjecitque in superiore Portus ac faucium cornu, e regione Ravennæ, castra biberna Classiariorum: quæ in oppidi formam ædificata, mœnibusque munita, Classis Ravennæ posteriore sæculo nuncupari cœpit. In medio Portus vertice, versus mediterranea, Cæsaream aliud oppidulum fuisse volunt, a Longino Exarcho deinde fossa valloque septum, uti Blondus auctor est. Itaque continuis fere trium oppidorum ædificiis, semicirculari forma, Portus Ravennas olim locupletissime coronabatur: nunc vero vix ulla visuntur Portus aut ædificiorum veterum vestigia, præter quasdam ædes sacras, Religiosorumque cœnobia: sed omnis illa plaga, maris atque stagnorum inundationibus, cœno & arenis oppleta est*.

7. Tacito pede transire hic non possum *Portum Ariminensem*, ex marmore quadrato majore ab eodem Augusto constructum. Schottus *l. l. p. m.* 328. de illo hæc narrat: *Videbis* Arimini *& antiqui Portus vestigia, qui modicis quidem nunc navigiis aptus & arenis oppletus: sed, quam splendidus & amplus olim fuerit, cognosces per structuram magnificentissimi templi D. Francisci, quod ex marmoribus antiqui Portus Ariminensis Sigismundus Malatesta ejus urbis Princeps quondam exstruxit*. Nec tacendus est *Portus Anconitanus* a Trajano Imp. factus, de quo Eychovius testis oculatus *in Delic. Ital.* hæc habet: *Portus quidem ille* Anconitanus *capacissimus, cum natura ac promontorii situ, tum opere atque arte Veterum, clausus atque adeo tutus est, ut inter primos atque pulcherrimos Orbis terrarum adhuc celebretur: quamvis horum atque superiorum temporum supina negligentia, turpique avaritia, quibusdam in locis oppleatur. Exstant adhuc magna ex parte marmorea septa, quibus undique vestitus fuit: item suis interstitiis Columnæ, ad quas naves alligabantur. Gradus item perampli, per quos ad aquas descenditur, nec non onera ac merces extrahi e navibus, evehique in terram solent. Habuisse spatiosas Porticus multis columnis innixas, cognoscimus ex nummis antiquis in honorem Trajani excusis, in quibus Portus ejusdem forma effigiata visitur, & qualis olim fuerit, cum Neptuni signo arundine coronati in undis ante fauces decumbentis juxta delphinum cum navis gubernaculo in dextra. Apparent catenæ duplices, quibus fauces occludebantur, & in ipso Portu quinqueremis Prætoria, celoces, triremes, phaseli, aliæque naves multæ*.

8. Restat *Portus Ostiensis*, quem pro corollario hujus libri ultimum lustrabimus, cum sit omnium maximus & præ cæteris admirandus. Cognomen debet *Ostiæ*, quam Ancus Marcius Romanorum Rex *in ipso maris fluminisque* Tiberis *confinio coloniam posuit, jam tum videlicet præsagiens animo, futurum, ut totius Mundi opes & commeatus illo veluti maritimo Urbis hospitio reciperentur*; ut Flori I. 4. verbis utar: unde ab *ostio* Tiberis *Ostia* est appellata. *Est autem Ostia urbis Romanæ navale*, teste Strabone *lib.* V. *p. m.* 398. licet octo Leucis Fran-

cicis Roma absuerit, & Strabonis ætate, ut *ibid. p.* 422. ait, fuerit *importuosa propter limum, quem Tiberis multis refertus amnibus aggregat. Non parvo igitur discrimine agitata salo stant in anchoris navigia. Attamen vincit utilitas, nempe ministrantium copia scapharum, quibus eximuntur & imponuntur onera, impigram efficit navigandi facultatem, antequam flumen attingant. Sunt & ex parte levatis oneribus, quæ amnem intrant, navigia, & penes Romam stadiis centum & nonaginta* (quæ Leucæ sunt Francicæ XIII. cum dimidia) *adversa producuntur aqua*. Hæc quidem Strabo.

9. Julius Cæsar sua ætate his incommodis & itineris longo tædio remedium adferre voluit, & sæpius destinavit Ostiæ Portum facere, *in quo totius* Orbis *opes, velut in maritimo Urbis hospitio reciperentur*, ut Flori I. 4. verba hic iterum mea faciam. Sed magnanimus hic Princeps destinata *propter difficultatem*, aut sumtuum aut operis omisit, teste Suetonio, *Claud c.* 20.

10. Claudius tamen Imp. Herculea audacia idem opus aggressus est felici successu. Enarrabunt nobis rem duo idonei testes Dio Cassius *lib.* LX. *p. m.* 772. & Suetonius, *in Claud. c.* 21. Dionis hæc est narratio: *Fame ingenti exorta non modo ad præsens tempus copiæ alimentorum, verum in perpetuum etiam prospexit: nam frumentum, quo Roma utitur, omne propemodum aliunde advehebatur: at cum loca circum ostia Tiberis neque tuta navibus appellendis essent, neque portus opportunos haberent, efficiebatur, ut maris imperium parum Romanis prodesset, cum præter ea, quæ æstate subveherentur, ac in granariis conderentur, hyeme nihil supportaretur: ac, si quis id tentaret, magno periculo ei hoc staret. Id intelligens Claudius, instituit Portum ibi fabricari: cumque Architecti interrogati, quanti sumtus ejus operis essent futuri, tantos respondissent, quantos ipse facere nollet, sperantes impendii magnitudine audita ipsum a proposito destiturum: nihil deterritus rem in animum suum induxit, perfecitque, magnanimitate ac potentia Romana dignam. Effodit continentem haud exiguo spatio, ambitumque omnem crepidine lapidum firmavit, ac in eum locum mare accepit: deinde ex utraque hujus loci parte aggeres in ipso mari magnos jecit, multum iis maris complexus est, ibique insulam effecit, imposita turri, unde noctu ignes emicantes signum nautis darent: idque opus ab eo ita exstructum, Portus nomen hodie quoque retinet*. Suetonius ista commemorat: Claudius *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus Obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent*.

11. Trajanus hunc Portum deinde amplificavit, ex ipso Portus profundo ducens nova brachia versus continentem, eaque ingenti muro ex quadratis lapidibus constructo amplexus. Cyprianus Evchovius testis oculatus *in Delic. Ital.* scribit: vestigia ejus operis apparere etiam hodie, & fundamentorum reliquias super mare eminentes conspici; hoc opus inter maxime admiranda fuisse, quæ unquam Romani perfecerint; Lazarum Bonamicum, Virum eruditissimum dicere solitum, *Omnes Christianorum Principes non posse talem Portum exstruere*: postea addit, quod nec operis hujus magnificentia, nec dignitas obstiterit, quominus Gregorius Pontifex Maximus, quotus fuerit ejus nominis, non addit; eundem Portum destruxerit & demolitus sit, *propter metum Saracenorum, ne esset ad illorum eruptiones propugnaculum*. Hic autem esto itineris nostri, quod per Vias Publicas & Militares a S. P. Q. R. & Imperatoribus terra marique extra Urbem factas, munitas, dimensas hoc libro nostro quarto fecimus, terminus, & velut extrema militaris columna.

FINIS.


ADVMBRATIO VEROSIMILIS FORMAE VIAE MILITARIS ROMANAE EXTRA VRBEM
ET VIARVM VICINALIVM AC SEMITARVM QVAE CVM MILITARI CONIVNGVNTVR
IN HONOREM ROMAE AETERNAE
VIAS HAS PVBLICAS ET MILITARES
LATINAS FECIT
HENR. CHRISTIAN HENNINIVS
G W
DE HENNIN
MP IIII

NICOLAI BERGIERII
DE
PUBLICIS ET MILITARIBUS IMPERII ROMANI VIIS
LIBER V.

JOANNI GEORGIO GRÆVIO,

Viro Eruditissimo & Celeberrimo,

S. P. D.

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.




Riores quatuor libros, quos hic e Gallica Lingua Latine, tua commendatione & auctoritate, a me redditos Reip. Literariæ exhibeo, singulos separatim inscripsit Viris sago togaque illustribus doctissimus eorum Auctor BERGIERIUS; *quinti vero hujus libri, quem nunc aggredior, singularem Præfationem reperio nullam: quare non ab re foreduxi, si in vacuum hunc locum Nomen Tuum longe clarissimum transferrem, cum ut decori rationem singuli sic libri melius tuerentur, si hujus postremi libri frons Tui Nominis celeberrimi honore ornata splendeat: tum ut hoc eodem loco publice profitear, quantum Tibi debeam, Viro de me meisque studiis meritissimo. Nolo autem hic sanctitatem meæ observantiæ, & gratissimi animi testificationem profanare tralatitiis illis adulationibus, quæ hujus notæ inscriptionibus alias perquam sunt familiares. More & fide veteri hanc qualemcunque versionis meæ opellam Tibi, Vir Celeberrime, lubens merenti consecro & dedico. Tu enim me præcipue ad hæc studia, quæ ab humanitate gloriosum habent cognomen, tuis consiliis ita formasti, ut a æquis ingeniorum arbitris in hominum non omnino absurdorum nec a literis alienorum numero forsan recenseri possim: ut taceam singularem benevolentiam, qua me primo adolescentiæ flore vix dum puberem ad Musas Ultrajectinas accedentem complexus fuisti, & ut ejus amicitiæ, quæ Tibi quondam cum defuncto Parente meo, Viro doctissimo & optimo, intercessit, me filium ex asse heredem esse volueris. Accedit, quod hic ipse labor tuis auspiciis, tuo hortatu & suasu sit susceptus, ut Tibi potissimum ejus ratio sit reddenda, & hæc ipsa opera, Thesauro Tuo inferenda, jure quodam suo & ultro Tibi debeatur. Eam itaque benevolo animo a studiosissimo Tuæ Eruditionis cultore accipe, & non tam impolitum meum Interpretis stilum ac in materia non adeo benigna, nec facundiam sæpe admittente infantiam, quam Tibi addictissimum & gratissimum, ob tot Tua præclara publice privatimque de Rep. Literaria meque ipso merita, respice animum; nec non Musis ac Fortunis benigne porro favere non dedignare. Vale, Vir Clarissime, & Rem Literariam Tuamque diutissime ac felicissime gere. Dabam Duisburgi Cliviorum A. D. Kal. Sept. secundum fastos anni emendatioris Epochæ Dionysianæ a N. C.* cIↃ. IↃC. XCVII.

SECTIO I.

§ De pulchritudine Viarum Militarium urbis Romæ generatim, quantum attinet ad earum latera sive latitudinem.

1. *Cur hoc libro sit agendum de Viis Militaribus urbis Romæ.* 2. *In tribus præcipue rebus consistit Viarum intra Urbes pulchritudo, de quarum rerum postrema hoc libro erit agendum.*

1. 

Uandoquidem ingressi sumus Vias Imperii Romani Militares, & inter has quoque censentur tam Viæ celebriores Urbium, quam Viæ Militares extra Urbem, ut jam antea ostendimus supra *lib* II. *sect.* XXIX. sane hinc nostrum erit, & urbis Romæ Vias Militares persequi: id enim ni fieret, intactas relinqueremus aut præteriremus Viarum Militarium partem, quamvis non maximam quidem, certe tamen pulcherrimam & omnium excellentissimam. Quemadmodum igitur disputavimus de pulchritudine ædificiorum, quæ Vias Militares extra urbes hinc & inde prætexebant utrimque; idem nunc faciendum nobis erit per Vias Urbis Militares, quæ ornamentorum numero, varietate & magnificentia, longissimo post se intervallo relinquebant Vias extra Urbem Militares, sive Rusticas, quarum ornamenta fumus perlustrando persecuti, ducto harum initio ab ipsis Urbis Viis, in qua, tanquam centro, concurrunt.

2. Pulchritudo autem Viarum cujuscunque Urbis, in tribus hisce rebus præcipue consistit: quarum *prima* est, ut bene sint stratæ, ac pavimento munitæ. Stratura enim ac pavimento, Viæ intra urbes & Viæ per agros distinguuntur, ut diximus supra II. 29. *Altera* est, ut Viæ urbium celebrium sint longæ, latæ & directæ. Recte enim ait Albert. *de Re Ædific.* IV. 5. *In Civitate clara & præpotenti Vias Militares habere directas & amplissimas concedet; quæ ad dignitatem majestatemque urbis faciant*: uti minorum urbium securitati prospicitur portis flexu quodam sinuatis & curvatis. At de altera ista re satis superque disputavimus supra *libro* III. *Tertia* & postrema res, quæ ad ornatum faciat & majestatem urbium, consistit in Ædificiorum, quæ Vias hinc inde utrimque prætexunt, altitudine, elegantia & decoro splendore; qua de re ultimo hoc libro agemus, & ostendemus, inter omnia Viarum Militarium miracula maxime excelluisse hoc postremum, quod omnium in se oculos & in sui admirationem homines convertit.

SECTIO II.

De tribus urbis Romanæ Ætatibus sive Temporibus; deque conditione ac statu Viarum & Ædificiorum intra Urbem primi Temporis, sive Ætatis.

1. *Urbis Romæ tres Ætates seu Tempora sunt consideranda.* 2. *Prima, usque ad incendium Gallicum, Urbis infantia.* 3. *Humilitas ædificiorum Urbis primi illius temporis.* 4. *Casæ priores sub cineribus incendii Gallici absconditæ, ut pulchrior Urbs resurgeret.*

1. ROma ad istud humanæ admirationis fastigium subito & simul non pervenit, sed commode tria ejus diversa Tempora sive tres Æta-

A tes possunt considerari, de quibus ordine nunc agemus. Tria hæc Tempora sive tres Ætates ab Urbe per Romulum condita excurrunt usque ad Urbem a Totila Gothorum Rege vastatam, quæ clades omnium maxime Urbem afflixit, acciditque anno XXI. imperantis Justiniani, ab Urbe vero condita anno CIↃ. CCC.

2. Prima urbis Romæ Ætas seu Tempus porrigitur ab ejus conditæ exordio ad annum CCCLXXV. quo, præter Capitolium, tota Urbs a Gallis capta & incensa plane in cineres est redacta. Id temporis intervallum commode *Urbis infantia* appellari
B potest; adeo exigua & tenuia isto ævo fuerunt Urbis ejus initia & incrementa: ac vix putem, ullam in toto Terrarum Orbe urbem fuisse, cujus primordia fuerint adeo tenuia & humilia, quæ ad tantum dignitatis ac splendoris ac majestatis fastigium adscenderit. Recte enim Propertius IV. I. *vs.* 9. 10. cecinit:

> *Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim*
> *Unus erat Fratrum, maxima regna, focus.*

namque Romulus, ut vere Florus I. I. ait, *imaginem urbis magis, quam urbem fecerat.*

C 3. Sane *Pastorum casæ* tum fuerunt Urbis ædificia, ipsaque Romuli regia a veteribus Latinis Auctoribus *Casa* dicitur. Sic Ovid. *Fastor.* I. 199.

> *Dum casa Martigenam capiebat parva Quiritem,*

Ipsum vero Jovis templum adeo angustum & humile erat, ut vix erectum Deum caperet, teste mox laudato, *ibid. vs.* 201.

D *Jupiter angusta vix totus stabat in æde.*

Bina hæc ædificia maxime ob antiquitatem erant sacra & venerabilia, adeo ut per ea jurarent. Sic Valerius Maximus IV. 4. *in fine* jurat, *per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos.* Nec omisit Furius Camillus *Romuli casam*, cum plebem relictis Romæ incensæ ruinis in urbem Vejos transmigrare conantem ab incepto revocare vellet, apud Liv. V. 53. *Si*, ait, *tota Urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit, quam casa illa conditoris est nostri, non in casis ritu pasto-*
E *rum agrestiumque habitare est satius inter Sacra Penatesque vestros, quam exulatum publice ire?* Hujus regiæ tam bellæ figura sub nomine *Casæ Romuli* in libro M. Fabii Calvi, Ravennatis, quo XIV. *Urbis Regiones* depingit, *in* X. *regione Urbis* exhibetur, secundum Aurelium Victorem, *de* XIV. *Region. Urb.* qui eam isto eodem nomine ibidem collocat. Vitruvius *de Architect.* II. I. affirmat, *Romuli casam in arce Sacrorum, stramentis tectam* ad suum usque tempus perdurasse.

4. Cætera ejus temporis ædificia, civium habitationi destinata, non fuerunt magis aut sumtuosa,
F aut magnifica, quippe facta pro populo rustico aut pastorio, quem Livius *l. l.* appellat *Convenas Pastoresque*; & Minutius Felix, *Octav. p. m.* 228. *Perditos, facinorosos, incestos, sicarios & proditores.* Casæ autem hæ & cascæ habitationes partim perdurarunt ad bellum, quo Galli duce Brenno totam Urbem igne, ferro, manibus, solo exæquarunt. Argute tamen & acute libuit Floro I. 13. *agere gratias Diis immortalibus, ipso tantæ cladis nomine: nam Pastorum casas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abscondit. Incendium illud, quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deo-*

rum domicilio civitas, non deleta, nec obruta, sed expiata potius, sed lustrata (alii: *illustrata*) *videatur?*

SECTIO III.

De Secunda Urbis Romanæ Ætate, & Ædificiorum ibidem tum factorum magnificentia.

1. *Quomodo urbs Roma ex ruinis restituta sit paullatim.* 2. *Camilli oratio Populum Vejos transmigraturum revocat.* 3. *Urbs Roma instaurata & restituta promiscuis ædificiis in vacuo sine discrimine sui alienive, & sine vicorum directione.* 4. *Urbis magnifica pulchritudo jam inde a Pyrrhi ævo.* 5. *Nonnulli ad boc temporis intervallum referunt Populi Romani Adolescentiam.*

1. IN prima itaque Urbis ætate Viarum Militarium Urbis pulchritudo quærenda non est, sed in secunda & tertia. Secunda ab incendiis Gallicis excurrit ad incendium, quod impia voluptate Nero in Urbe excitavit, habetque annos admodum CCCCL. Hoc temporis intervallo ex cineribus suis Urbs longe alia atque ante fuerat, resurrexit. Paullatim vero successu temporis id factum, non simul ac subito;quod maxima pars fortunarum ac facultatum Populi Romani incendiis Gallicis arserat ac consumta erat; illique, qui tum & post id temporis vivebant, animum non ædificiis exornandis aut Urbis splendori applicabant, sed magis necessariis majorisque momenti rebus. Tandem circa tempora Marii & Syllæ ac sequenti ævo floruerunt generosæ audaciæ Viri, qui cum Veteribus in rebus utilibus ac necessariis studiose procurandis nihil concederent, nihilo tamen minus voluptati, elegantiæ, magnificentiæ studebant, Urbemque splendidis, sumtuosis & superbis ædificiis, plurimisque inusitatis miraculis exornabant atque illustrabant. Auctorem laudo Strabonem, qui ista habet: *Geogr. lib.* v. *p. m.* 430. *Ut autem sic dixerim, veteres illi Romani Urbis pulchritudinem contemsere, cum majoribus magisque necessariis animum adjecissent. Posteri vero, & ii præsertim, qui nostris fuere temporibus, haudquaquam illis hac in re cessisse videntur: sed innumerabilibus & præclarissimis Urbem Romanam impleverunt insignibus. Pompejus namque & divus Cæsar, & Octavius, & ejus Filii, & Familiares, & Uxor, & Soror, cunctorum studium simul & impensas ad apparanda decora superarunt.*

2. Sane post incendia Gallica Populus Romanus primum adeo alienus erat ab Urbe restituenda & instauranda, ut, ni oratio Camilli prohibuisset, Vejos transmigrasset, deserta Roma: notanda sunt Camilli verba efficacissimæ persuasionis apud Livium: v. 54. *Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento responsum est, eo loco caput rerum, summamque imperii fore.* His scilicet, quæ ad religiones pertinebant, maxime Quirites movisse Camillus dicitur. *Sed rem dubiam*, ut pergit Livius v. 55. *decrevit opportune vox emissa, quod cum Senatus post paullo de his rebus in Curia Hostilia haberetur, cohortesque ex præsidiis revertentes, forte agmine forum transirent, centurio in comitio exclamavit: Signifer, statue signum: hic manebimus optime. Qua voce audita & Senatus, accipere se omen, ex curia egressus, conclamavit, & Plebs circumfusa approbavit.*

3. Quomodo autem Urbs festinanter restituta a Quiritibus fuerit, narrant Tacitus *Annal.* xv. 43. quo teste domus Urbis *post Gallica incendia, nulla distinctione & passim erectæ* fuerunt: & Livius, qui *l. l.* ita pergit: *Antiquata deinde lege, promiscue Urbs ædificari cœpta. Tegula publice præbita est, saxi materiæque cædendæ, unde quisque vellet, jus factum: prædibus acceptis, eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. Ea est caussa, ut veteres Cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta: formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis.*

4. Nec tamen illæ Vicorum Viarumque flexuræ & angustiæ, & ut sic dicam, errores ac Mæandri obfuerunt, quo minus jam inde a Pyrrhi ævo Urbs fuerit pulcherrima & magnifica. Huic enim Regi interroganti, quid de hostium, Romanorum, sede sentirent, responderunt Legati sui: *Urbem templum sibi visam, Senatum Regum*: narrante Floro I. 18.

5. Sunt, qui ad hoc usque tempus, aut paullo ultra, scilicet usque ad bellum Picenum & Vulsiniense secundam Populi Romani ætatem, & quasi *Adolescentiam* producunt: audi Florum profitentem I. 12. *Hæc est secunda ætas Populi Romani & quasi Adolescentia: qua maxime viruit, & quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit.*

SECTIO IV.

De his, qui primi Marmor in usum exornandæ urbis Romæ adhibuerunt.

1. *In quibus consistat Ædificiorum pulchritudo. Marmoris præstantia.* 2. *Quis primus Marmore in domus suæ structura ac ornatu sit usus.* 3. *Magnificentia Theatri & domus Scauri.* 4. *Magnificentia domus Mamurræ, & domus Lepidi.* 5. *Item Ædificiorum Luculli.* 6. *Augustus Imp. Romam lateritiam invenit, marmoream reliquit. Ejusdem Ædificia.* 7. *Ædificia ab aliis ejusdem hortatu facta.* 8. *Qua ratione Ædificiorum incolumitati & securitati prospexerit Augustus.* 9. *Tres qui Augustum secuti, Imperatores parum studiosi aut curiosi in Ædificiis exstruendis.* 10. *Juventa urbis Romæ.*

1. ÆDificiorum tam publicorum, quam privatorum, quæ Vias celebriorum Urbium commendant & exornant, splendor & pulchritudo partim in eorum Materia, partim Forma consistit. Lustremus primo Materiam, qua Viæ Militares Romanæ urbis secunda ejus ætate fuerunt illustratæ & exornatæ. Neque hic loquar de quadrato lapide, utpote communi, & quo vulgo maximam ædium partem Romæ fuisse structam est verisimile, quod tot lapicidinæ circum Romam videntur demonstrare & confirmare: verum potius persequar varias Marmoris species, quæ sub medium & finem istius secundæ ætatis ubique splendebant & collucebant. Lapis hic precio & sumtu cæteros, qui ad ædificiorum veniunt usum & structuras, superat; non enim solum perfectissime poliri potest, ac cœlum scalprumque recipit, sed & duritia ac soliditate, colorum denique varietate commendatur: audiamus, si lubet, Isidorum *Orig.* XVI. 5. qui, *Inter Lapides*, ait, *& Marmora est differentia: nam Marmora dicuntur eximii lapides, qui maculis & coloribus commendantur.* Marmora autem undique ex Europa, Asia, Africa, marisque Ægei insulis, ab Roma remotissimis locis, insanis impendiis & sumtibus in Urbem terra marique advehebantur.

2. L. Crassus, summus Orator, qui, teste Plinio *H. N.* XVII. 1. cum Domitio Ahenobarbo Censor

fuit anno U. C. IↃCLXII. primus Romæ peregrini Marmoris usum ad domum suam privatam transtulit: statuerat enim in atrio suæ, quam in Palatino monte habebat, domus, cum in publico post nondum ullæ essent, columnas ex lapicidinis Hymettiis in Attica marmoreas tantum sex, longas duodenum modo pedum, graviter ideo a Censore collega increpitus, & M. Brutus in jurgiis ob id *Venerem Palatinam* eum appellaverat, teste eodem Plinio *H. N.* XXXVI. 3.

3. Sed enim si sequiora tempora conferas, nihil aut parum certe illud fuerit. *Quis enim tantarum hodie columnarum atrium habet?* quærit & queritur simul *l. l.* Plinius. Mox enim brevi post M. Scaurus, Syllæ privignus, in Ædilitate sua Romam advehi curavit CCCLX. columnas marmoreas, ex quibus *fecit*, Plinio describente XXXVI. 15. *opus maximum omnium, quæ unquam fuerunt manu humana facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum*: pergit mox: *Ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, ut diximus: imæ duodequadragenum pedum: signa ærea inter columnas, ut indicavimus, fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum* LXXX. *millia, cum Pompeii amphitheatri toties multiplicata urbe, tantoque majore populo, sufficiat large* XL. *millibus hominum.* Cætera lectori narret Plinius, qui *ejusdem libri c.* 2. silentio legum queritur *invectas hasce columnas, ad scenam theatri temporarii, & vix uno mense futuri in usu.* Post enim id tempus interjectum inde in montem Palatinum translatæ sunt ad privatam Scauri domum. Hæc vero domus, Plinii ævo, magnificentia sua præstabat adhuc domibus Principum Caii & Neronis: audi eum denuo *laudato c.* 5. querulum & dicentem: *Non patiemur duos Cajos, vel duos Nerones ne hac quidem gloria famæ frui, docebimusque, etiam insaniam eorum victam privatis operibus M. Scauri, cujus, nescio, an ædilitas maxime prostraverit mores civiles, majusque sit Syllæ malum, tanta privigni potentia, quam proscriptio tot millium?*

4. Sane post Scauri tempora usus Marmoris vulgo Romæ invaluit: audiamus Cornelium Nepotem testem apud Plinium *H. N.* XXXVI. 6. *Primum*, ait, *Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum Fabrorum C. Cæsaris in Gallia: neque indignatio sit, tali auctore inventa re. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus; quem, ut res est, domus ipsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia: namque adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam, nisi e marmore, columnam habuisse, omnes solidas e Carystio* (ex Eubœa) *aut Lunensi* (ex Liguria.) *Denique M. Lepidus Catuli in consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit, magna reprehensione. Is fuit Cos. anno Urbis* IↃCLXXVI. (sic enim legendum, non, ut vulgo in Plinio male legitur, IↃCLXVI.) *Hoc primum invecti Numidici marmoris vestigium invenio, non in columnis tantum crustisve, ut Mamurra Carystium posuit, sed in massa ac vilissimo liminum usu.* Sic ut Lepidi domus Romæ splendore, pulchritudine, ac sumtuum magnificis impendiis præ cæteris ea tempestate excelleret. At vel minus XXXV. annis post Romæ complures domus magis magnificæ, quibuscum Lepidi domus comparari vix poterat, visebantur. Hinc ad Plinii ætatem etiam hæ ipsæ ab innumerabilibus aliis posterioribus sunt victæ.

5. *Post hunc Lepidum ferme quadriennio*, audis iterum ex *l. l.* verba Plinii, *L. Lucullus Cos. fuit*, (anno U. C. IↃCLXXX.) *qui nomen, ut apparet ex re, Luculleo marmori dedit, admodum delectatus illo, primusque Romam invexit, atrum alioqui, cum cætera maculis aut coloribus commendentur. Nascitur autem in Nili insula, solumque pæne marmorum ab amatore nomen accepit.* Hæc Plinius. Scilicet Lucullus ex manubiis Asiatici belli immensas divitias cum quæsivisset, eas ædificiis voluit impendere exstruendis.

6. Verum super omnes, qui Romam omni Marmorum specie, ad exornanda magnifica & superba ædificia, illustrarunt, eminet Imperator Cæsar Augustus. Hic enim Princeps felicissimus, ditissimus, & ingentis atque magnifici animi adeo urbis Romanæ faciem per imperii sui tempora immutavit, exstructis innumerabilibus & magnificentissimis ædificiis, ut jure meritoque sub finem vitæ suæ gloriatus sit, *Urbem marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset*, teste Suetonio *in ejus vit. cap.* 29 nam, ut idem pergit, *Publica opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua, Forum cum æde Martis Ultoris, Templum Apollinis in Palatio, Ædem Tonantis Jovis in Capitolio. Fori exstruendi caussa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque, ut separatim in eo judicia publica & sortitiones Judicum fierent. Ædem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque hic consuleretur Senatus; Provincias cum imperio petituri hinc deducerentur; quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo Aruspices pronunciarant. Addidit Porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque, quo loco jam senior sæpe etiam Senatum habuit, decuriasque judicum recognovit. Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset.* Idem porro *Ædes sacras vetustate collapsas aut incendio absumtas refecit, easque & cæteras opulentissimis donis adornavit*, ut narrat Suetonius *Aug. c.* 30. qui mox addit *c.* 31. *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui imperium Populi Romani ex minimo maximum reddidissent: itaque & opera cujusque, manentibus titulis, restituit, & statuas omnium triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit*: magna utique modestiæ laude. Quin imo, ut Suetonii verbis *c.* 29. utar, *quædam etiam opera sub nomine alieno, Nepotum scilicet & Uxoris, Sororisque fecit, ut Porticum Basilicamque Lucii & Caii, item Porticus Liviæ & Octaviæ, Theatrumque Marcelli.*

7. Verum non contentus novis ædificiis faciendis, aut veteribus reficiendis Imperator optimus, *sed & cæteros principes*, triumphales ac ditiores, *Viros hortatus est*, uti denuo cum Suetonio *l. l.* pergam, *ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis & excultis Urbem adornarent: multaque a multis exstructa sunt: sicut a Marcio Philippo Ædes Herculis Musarum, a L. Cornificio Ædes Dianæ, ab Asinio Pollione Atrium Libertatis, a Munatio Planco Ædes Saturni, a Cornelio Balbo Theatrum, a Statilio Tauro Amphitheatrum, a M. vero Agrippa complura & egregia;* velut Pantheon & Aquæductus: namque, ut Strabo etiam confirmat, *Geogr. lib.* V. *p. m.* 430. *horum Aquæductuum accuratissimam dili-*

gentiam

gentiam M. Agrippa egit, qui Urbem pluribus aliis monumentis adornavit. De Augusto quoque testatur Dio Cassius lib. LIV. *p. m.* 610. *quod iis, qui triumpharent, mandarit, ut in rerum a se gestarum memoriam aliquod opus ex manubiis facerent.*

8. Ex continuata ac perpetua variorum & innumerabilium ejus notæ, quam dixi, Ædificiorum serie & accessione, mirificum quoque Viis Militaribus & locis publicis Romæ accessit splendoris & pulchritudinis incrementum. Cum vero non minor sit virtus conservare facta, quam facere nova opera & Ædificia; ideo Augustus ea tuta & secura, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstare conatus est, præcipue adversus duo incommoda, Incendia & Inundationes, quibus plurima Romæ ædificia prolabebantur & ruebant: nam, ut Suetonius testis est, *Aug. c.* 30. *Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est: ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarctatum.* Vigiles vero isti & excubiæ fuerunt *instituti ex libertinorum genere milites, qui adversus incendia ferrent opem*, ut docet Strabo *Geogr. lib.* V. *p.m.* 429.

9. Atque ita sub rara illa temporum felicitate, quibus solus Augustus ad clavum Imperii sedit, marmorea tota, & ut cum Virgilio *Geogr.* II. 534. loquar,

Rerum facta est pulcherrima Roma.

At tres illi Imperatores, qui Augustum successionis ordine secuti sunt, parum ornamenti Romæ, publicis operibus exstruendis, contulerunt: audiamus de tribus istis singillatim Suetonium de Tiberio affirmantem, *Tib. cap.* 47. *quod Princeps neque opera ulla magnifica fecerit: nam & quæ sola susceperat, Augusti Templum restitutionemque Pompejani Theatri, imperfecta post tot annos reliquit*: de Caligula, *Cal.c.*21. hæc narrat: *Opera sub Tiberio semiperfecta Templum Augusti, Theatrumque Pompeii absolvit. Inchoavit autem Aquæductum regione Tiburti, & Amphitheatrum juxta septa: quorum operum a successore ejus Claudio alterum peractum, omissum alterum est*: de Claudio ista legimus *Claud. c.* 20. *Opera magna potius, quam necessaria, quam multa perfecit. Sed vel præcipua Aquæductum a Cajo inchoatum: item* (extra Urbem scilicet) *emissarium Fucini lacus, portumque Ostiensem.* Idemque Imp. ut diximus ex *c.*21. *Circum maximum marmoreis carceribus auratisque metis, quæ utraque & tophina ac lignea antea fuerant, excoluit.*

10. Vidimus itaque generatim obiterque Ædificia nobiliora secundæ Ætatis urbis Romæ tam publica, quam privata, quæ Viis Urbis Militaribus utrimque prætexta easdem adornabant. Hoc tempus, *Juventæ* Urbis possumus comparare, quo ad robustam quandam virilis ætatis maturitatem pervenit, cui Nero Imp. nonnihil incrementi ante contulerat, quam tot divitias brevi post in incendium mitteret, qua de re in sequentibus disputabimus.

SECTIO V.

De Tertia Urbis Romanæ Ætate.

1. *Nova Romæ facies sub Neronis imperio.* 2. *Mirifica domus Neronis magnitudo & amplitudo.* 3. *Nero nulla re damnosior, quam in ædificando.* 4. *Cur Nero Urbem incenderit.* 5. *Incendiorum Neronis descriptio.* 6. *Horum ingentia damna.* 7. *Roma post Neronis incendia pulchrior, quam antea.* 8. *Quomodo postea Nero Vicorum ordines, Viarumque spatia dimensus sit.* 9. *Altera posterior domus aurea Neronis, priore major multo, pulchrior & magnificentior.*

1. SUb Neronis imperio urbs Roma tertium suam commutavit faciem, novamque formam & vultum, ut sic dicam, cultumque in Viis Militaribus, Operibus Locisque publicis & Ædificiis accepit, quem antea nunquam habuerat. Eum finem ut Nero obtineret, primum *destinarat Ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere*, teste Suetonio, *Ner.c.* 16. quæ tamen destinatio, utpote ob remotiorem Portus Ostiensis Roma distantiam nimii operis & ardui laboris, ut impendiorum sumtus taceam, ad effectum deducta non est: deinde Nero, ut legimus *l. l.* huic fini *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, & ut ante insulas ac domos, porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumtu suo exstruxit.*

2. Ergo ut regiam suo sibi ingenio exstrueret, *domum a Palatio Esquilias usque fecit: quam primo Transitoriam, mox incendio absumtam restitutamque, Auream nominavit: de cujus spatio atque cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus* CXX. *pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis & pascuis sylvisque varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua Cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis & Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret, quasi hominem tandem habitare cœpisse*: narrat ista veracissimus & ingenuus Auctor Suetonius *Ner.c.*31. Spatium certe Domus istius Aureæ laxissimum fuit, ut Plinius ὑπερβολικῶς sibi loquendum putarit *H. N.* XXXVI. 15. ad exprimendam immensam & infinitam ejus laxitatem: *Bis vidimus*, ait, *Urbem totam cingi domibus Principum, Caii & Neronis, & hujus quidem, ne quid deesset, Aurea.* Hinc inter carmina Græce Latineque proscripta, quæ Neronem lacessebant, lectum fuit & hoc distichum, teste Suetonio, *Ner.* 39. in domum Ejus Auream:

Roma domus fiet, Vejos migrate, Quirites:
Si non & Vejos occupat ista domus.

3. Cum itaque ob hanc suam domum tot Cives avitis sedibus expelleret, mirum non est, quod Suetonius ait, *Neron. c.*31. Neronem, *non in alia re damnosiorem, quam in ædificando* fuisse. Verissime profecto; namque, ut luxuriæ suæ & insaniæ furiosæ ædificandi faceret satis, *nec populo, nec mœnibus patriæ pepercit*, ut ait idem Auctor *Ner.c.*38. ubi mox pergit hisce: *Nam, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum & angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem tam palam, ut pleri-Consulares cubicularios ejus cum stupa tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint: & quædam horrea circa domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, ut bellicis machinis labefactata atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant.*

4. Hoc ipsum adscribitur etiam caussis, propter quas Urbem Nero incenderit. Addit Tacitus duas alias, *Annal.* XV.40. quod *visus sit Nero, conden-*

dæ Urbis novæ & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere: nam, ut Suetonius *Ner.c.*55. teſtatur diſertis verbis, *deſtinaverat Romam Neropolim nuncupare*. Addit Dionis abbreviator Xiphilinus *lib.* LXII. *p.* 708. & aliam cauſſam longe teterrimam: *Cupivit*, ait, *quod antea ſemper optaverat, Urbem atque Imperium vivus funditus perdere: quam quidem ob cauſſam ipſe quoque Priamum mirum in modum beatum fuiſſe dicebat, quod patriam ſimul cum regno perditam vidiſſet*: at, ſive vera ſive falſa hæc ſit cauſſa, inter populi certe lacrumas & incendiorum mala, quæ graphice depingunt Xiphilinus *l.l.* & Suetonius *Ner.c.*38. *hoc incendium e turri Mæcenatiana proſpectans, lætuſque flammæ, ut ajebat, pulchritudine, ἅλωσιν Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit*. Poſtea Nero hujus incendii invidiam vertit in Chriſtianos, actæque in innoxios crudeliſſimæ quæſtiones, & afflicti ſuppliciis inauditis; quin novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent: multi crucibus adfixi, aut flamma uſti: plerique in id reſervati, ut, cum defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur: videantur Tacitus *Annal.* XV. 44. & Suetonius *Neron. c.* 16.

5. Incendia Neronis ita depingit Tacitus *Annal.* XV. 38. *& ſeqq.* Incendiorum *initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatio Cœlioque montibus contigua eſt: ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis & ſtatim validus ac vento citus longitudinem Circi corripuit: neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primum, dein in edita aſſurgens, & rurſum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, & ob noxia Urbe artis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit*. Subjicit inde lamenta, trepidationem, diſcurſus, impedimenta omnis ſexus & ætatis in hoc ambiguo periculo cladis atrociſſimæ: deinde pergit: *Nec quiſquam defendere* (periclitantes in mediis flammis) *audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium, & quia alii palam faces jaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur, ſive ut raptus licentius exercerent, ſeu juſſu*: addit paullo poſt *c.*39. *ignem non potuiſſe ſiſti, quin & Palatium & Domus* Neronis *& cuncta circum haurirentur*; adeoque *c.*40. *ex* XIV. *Regionibus*, in quas Auguſtus Urbem diviſerat, *tantum quatuor integras manſiſſe, tres ſolo tenus dejectas: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſuperfuiſſe lacera & ſemiuſta*: mox *c.* 41. ait: *Domuum & Inſularum & Templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire, haud promtum eſſe*: dixerat *c.*40. *Sexto demum die apud imas Eſquilias finem incendio factum, proruptis per immenſum ædificiis, ut continuæ violentiæ campus, & velut vacuum cœlum, occurreret*.

6. Horum incendiorum damna recenſent Suetonius & Tacitus. Ille *Ner.c.*38. *Tunc*, ait, *præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ, Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque, & quicquid viſendum atque memorabile ex antiquitate duraverat*. Hic vero *Annal.* XV.41. ait Templa *vetuſtiſſima religione, quod Servius Tullius Lunæ; & Magna Ara, Fanumque, quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacraverat; Ædeſque Statoris Jovis vota Romulo; Numæque regia, & delubrum Veſtæ cum Penatibus Populi Romani exuſta. Jam opes tot victoriis quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamvis in tanta reſurgentis Urbis pulchritudine, multa Seniores meminerant, quæ reparari nequibant*. Uno verbo, perierunt tum rariſſima & precioſiſſima quæque ex omnibus Europæ, Aſiæ, Africæ provinciis Romam advecta, ut hæc incendia damnoſiora fuerint Gallico incendio. Domus enim, Ædes & Templa erant velut gazophylacia operum excellentiſſimorum picturæ, ſculpturæ, cælaturæ, fuſuræ, plaſticæ, ſimiliumque artium.

7. Atque adeo ſecunda Urbis Romæ Ætas ſub incendiorum Neronis cineribus fuit ſepulta; qui mox tertiæ Ætatis primordia & novum in Urbe decorem fundavit: quippe non ſolum ipſe exemplo ſuo domum ſuam ex ruinis, ſed & alios propoſitis præmiis ad idem imitandum excitavit: adeoque ad culmen pulchritudinis ſuæ Roma quamvis aſcendiſſe viſa fuerit ſecunda Ætate, ob multitudinem magnificorum Ædificiorum, rerumque rariorum, quæ illam exornabant; tertia tamen Ætate, quæ a Nerone inchoata ejuſque ſucceſſoribus continuata eſt, longe altius aſcendit. Procul a vero non aberravit Seneca, cum *Epiſt.* 91. occaſione incendii, quod coloniam Lugdunenſem in Galliis perdiderat, dixit: *Fortaſſe conſumta eſt, ut in melius excitaretur. Sæpe majori Fortunæ locum fecit injuria: multa ceciderunt, ut altius ſurgerent & in majus*. Sic Templa Metropolitanum Rhemenſe, & Cathedrale Carnutenſe ad tantum Architecturæ decus non perveniſſent, ſi incendii ſortem non ſubiiſſent, ante hos admodum CCCC. annos. Quare, Seneca eodem teſte *l. l. Timagenes felicitati Urbis inimicus ajebat: Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quod ſciret meliora reſurrectura, quam arſiſſent*. Et ſane ita fuit, cum a Neronis ævo ad Trajani & Hadriani uſque tempora, culmen fuiſſe videatur pulchritudini Urbanæ, ut ſentit etiam Lip. *de Magn. Rom.* III. 5. quamvis & nonnulli Imperatores poſt ea tempora nonnihil decoris Urbi adjecerint: ex vero itaque poſſumus affirmare, tertiam Ætatem fuiſſe quaſi ſtatæ Ætatis perfectum robur. Viæ enim Urbis Militares melius ſunt directæ; Ædificia publica & privata, profana & ſacra majori numero melius ad magnificentiam, ordinem, ſeriem, proportionemque exacta; Loca publica melius diſpoſita & ordinata inter Ædificia privata; tota denique Urbs majore claritate & laxitate patefacta, adeoque pulchrior, quam antea erat, reddita, cum prius Viarum anguſtiæ, tectorumque nimia altitudo eam facerent obſcuram & umbris projectis pæne caliginoſam. *Erant tamen*, referente *Annal.* XV.43. Tacito, *qui crederent, veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defenſam, graviore æſtu ardeſcere*.

8. Ad hanc rem faciebat ratio, quam Nero in reſtituenda nova Urbe habebat: cum enim vellet, ut pulchritudine & magnificentia prægreſſas ætates ſuperaret, modum plane novum in vacua incendiorum area &, ut ſic loquar, æquore ſecutus eſt; nec enim, ut Camilli ævo, promiſcue Urbem ædificari permiſit, ſed ſua ſingulis ſpatia ad modos itidem præſcriptos attribuit. Ordinem itaque & decorum ut novæ Urbi conciliaret, Vias ejus Militares direxit & laxavit, neglecta primæ & ſecundæ Ætatis ſerie ac forma: minores Vias &, quæ has prætexebant, domus item correxit & tecta ad definitam altitudinem deſcripſit. Sic Urbem maxima ex parte ante necem ſuam inſtauravit: teſtem laudo Tacitum *Annal.* XV.43. qui ait: *Cæterum Urbis quæ domus ſupererant, non, ut poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ; ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis Viarum ſpatiis, cobibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additiſque porticibus, quæ frontem inſularum protegerent:*

Eaſque porticus Nero ſua pecunia exſtructurum, purgataſque areas dominis traditurum, pollicitus eſt. Addidit præmia pro cujuſque ordine & rei familiaris copiis; finivitque tempus, intra quod, effectis domibus aut inſulis, adipiſcerentur. Ruderi accipiendo Hoſtienſes paludes deſtinabat, utque naves, quæ frumentum Tiberi ſubvectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent: ædificiaque ipſa certa ſui parte, ſine trabibus, Saxo Gabino Albanoque ſolidarentur, quod is lapis igni impervius eſt. Jam aqua, privatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret, cuſtodes, & ſubſidia reprimendis ignibus in propatulo quiſque haberet; nec communione parietum, ſed propriis quæque muris ambirentur. Ea ex utilitate accepta decorem quoque novæ Urbi attulere.

9. Imo ut cæteris exemplo ad imitandum præiret, nec lentus ceſſator videretur in ædificando, inter primos *Domum* ſuam *Auream* reſtituit, cujus ſpatia magis, quam prius, laxata pro libitu dilatavit ex vacuo illo incendiorum campo: audi iterum Tacitum *Annal.* XV. 42. *Nero*, ait, *uſus eſt patriæ ruinis; exſtruxitque Domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem & luxu vulgata; quam arva & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſylvæ, inde aperta ſpatia & proſpectus.*

SECTIO VI.

Deſcriptio particularis Viarum Urbis, ſecundum Neronis propoſitum & deſtinationem.

1. *Tres Urbis Romæ diviſiones, quarum poſtrema fuit in* XIV. *Regiones*. 2. *Unde* Regiones *appellentur majores in Urbe partes*. 3. *Regiones dividuntur rurſus in partes minores*. 4. Vicus *pro parte Regionis*. 5. *Vici diviſio in Inſulas, & Inſularum in Ædes privatas.*

1. UT itaque ex vetuſtiſſimis ruinis admirandam Urbem Romanam excitemus quodammodo, ejuſque imaginem quandam aut ſimilitudinem amatoribus & curioſis harum elegantiarum ob oculos ponamus, ſciendum primo eſt, eam a Romulo primum in tres partes, a Servio Tullio in quatuor, & tandem ab Auguſto Imperatore in XIV. Regiones fuiſſe diviſam, ut diſcimus ex Plinio *H. N.* III. 5. Tacito *Annal.* XV. 40. Dione Caſſio, *lib.* LV. *p.m.* 634. qui poſtremam diviſionem factam ait, Tiberio & Cn. Piſone Coſſ. anno U. C. IƆCCXLVII. hæc autem a Nerone aucta non fuit, ut licet videre ex Sexti Ruffi & P. Victoris libellis, *de Regionibus Urbis*, quos diu poſt Neronem compoſuerunt, & tamen ultra XIV. Regiones non enumerant.

2. *Regio* autem *a Rege derivatur, quod, priuſquam fierent provinciæ, Regiones ſub Regibus eſſent, atque ab iis regebantur: poſtea ab earum ſimilitudine majores in Urbe partes Regiones appellari cœptæ*, ut opinatur Panvinius *in Deſcr. Urb. Romæ, ubi agit de Regione prima*. Aut etiam dictæ videri poſſunt a ſimilitudine, quam habent cum regionibus Coloniarum & Municipiorum. Proprie enim, ſi Siculum Flacum *de Condit. Agror.* (*inter Auctt. R. Agr.*) *p.m.* 1. audiamus, *Regiones dicimus, intra quarum fines ſingularum Coloniarum aut Municipiorum magiſtratibus jus dicendi coercendique eſt libera poteſtas.*

3. *Regiones* ergo, ut majores Urbis partes, in alias minores dividebantur; quarum aliæ ædificiis occupatæ, aliæ vacuæ ſunt: hæ poſteriores ſunt Viæ, Compita, Trivia, Quadrivia, Loca Publica cætera areæ patentis. Viæ rurſus erant majores aut minores. Majores, *Regiæ* aut *Militares Viæ*, ad differentiam minorum, dicebantur, quarum teſte Panvinio, *in deſcriptione Urb. Rom.* ubi *de Viis* agit, erant XXIX. quibus ex Victore *de Reg. Urb.* addit *Gallicam* & *Flaviam*, adeoque cum Pancirolo *de Reb. deperdit.* I. 22. earum numerat XXXI. Cæterarum minus celebrium Pancirolus ait fuiſſe CCCCXXIV. Viæ Militares, ut ſimilitudine aliqua illas ob oculos ponam, Romæ erant, quales ſunt Lutetiæ Pariſiorum *Via Sandionyſiana*, *Sammartiniana*, aliæque, quæ a portis in mediam intrant patentque urbem.

4. Ab altera Viarum Militarium ad alteram Nero ad lineam rectam dimenſus eſt ædificiorum ſeriem, exactis & ordinatis æquali altitudine tectis domuum & ædium. Seriem talem ædium, *Vicum* appellabant; nos poſſemus vernacule reddere per *Quartiers*. *Vici* vox alias ſolet plura denotare, ut pagum minorem, nobis *un Village*, aut *Hameau*, ut Viam minorem aut mediocrem, ad differentiam *Viæ*, quæ vox fere κατ᾽ ἐξοχὴν pro *Via Militari* accipitur. Quemadmodum ergo Urbs Roma dividebatur in *Regiones*, ita hæ in *Vicos*, quo ſenſu hi non ſunt loca areæ ædificiis vacuæ & patentis, quales *Viæ* generatim; ſed hoc ſenſu *Via* in contrariam *Vico* ſignificationem abit, ut quæ *Vicos* inter ſe diſcernat & diſtinguat, loca ædibus domibuſque ſcilicet occupata. Ita Iſidorus, *Orig.* XV. 2. *in medio fere*, non male ait: *Vicus ipſæ habitationes Urbis ſunt; unde & Vicini dicti. Viæ ipſa ſpatia anguſta, quæ inter Vicos ſunt*: conſonat Varro *de L. L.* IV. *p. m.* 38. *Vicus conſtat ex domibus*: & ante *p. m.* 35. *In oppido Vici a Via, quod ex utraque parte Viæ ſunt ædificia*: nec non Feſtus *voce Vici*: nam *Vicos* ait appellari *Tertio, cum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido prive in ſuo quiſque loco proprie ita ædificat, ut in eo ædificio pervium ſit, quo itinere habitatores, ad ſuam quiſque habitationem, habeant acceſſum*. Unde recte Panvinius, *l. l.* ubi agit *de Regione prima*, pergit: *Regionis pars eſt Vicus: quippe Urbs in Regiones, tanquam in majora membra, & in Vicos, tanquam minora dividitur.*

5. *Vici* autem hi ad lineam directi, perpetua continuitate porrecti & producti ab altera Via Militari ad alteram non erant, ſed obiter & ſubinde diſtincti, disjuncti & velut diviſi ac interciſi in plures partes, quas *Inſulas* vocabant, per Vias adhuc minores, quas nos *Ruelles*, ac ſi diceres *Viulas*, vocamus Gallice. *Inſulæ* iſtæ habebant unam pluresve domos ædeſve continentes, dicebanturque ita a ſimilitudine Inſularum maris, quæ undis, ut illæ Viis, undique cinguntur: docet Feſtus in *hac voce*: *Inſulæ*, ait, *dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur: a ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus aut mari eminet, ſuntque in ſalo poſitæ*. Inſulæ iſtæ aut erant ſolæ, aut in *Ædes privatas* diſtributæ. *Ædes privatæ* dicebantur, ut diſtinguerentur ab habitationibus virorum primi ſummique ordinis, aut lautiorum, quæ per excellentiam ſimpliciter *Domus* appellabantur, ut oſtendemus *Sect. ſeq.* §. 4. Ergo, ut dicta colligamus, *Urbs* dividebatur in *Regiones*; *Regiones* in *Vicos*; *Vici* in *Inſulas*; *Inſulæ* in *Ædes privatas*.

SECTIO VII.

De situ Ædificiorum magnificentiorum, tam Sacrorum, quam Profanorum, ad Vias Militares Urbis Romæ.

1. Quæritur, ubi Ædificia Publica & Domus magnificæ fuerint sitæ. 2. Areæ, *intervalla vacua inter Vicos Urbis.* 3. *In aditu harum Arearum sita erant Ædificia Publica, tam sacra quam profana.* 4 *Quo situ in istis Areis fuerint dispositi Putei, & Magnatum sive Virorum primi ordinis, seu & lautiorum, habitationes, quæ* Domus κατ' ἐξοχὴν *dictæ sunt.* 5. *Situs ibidem Pistrinorum & Horreorum Publicorum. Ædiculæ Vicos definiebant.* 6. *Ordinata hæc Publicorum Ædificiorum dispositio in istis Aris admiranda visa est spectatoribus.*

1. HIc fuit ordo majorum, minorum & inter has mediarum Urbis partium, si respexeris Ædes populares, privatas & vulgares: visamus nunc, ubi fuerint Templa, Circi, Theatra, Amphitheatra, & alia ædificia tam sacra, quam profana; tam publica, quam privata Primorum populi, ut Senacula, Curiæ, Basilicæ & Domus, sive, ut more nostri ævi loquar, Palatia Magnatum.

2. Ut autem sciamus, ubi hæc præcipua Ædificia sita fuerint, notandum erit, *Vicos* ab altera Via Militari ad alteram productos, non fuisse adeo contigua serie continentes, quin interjecta fuerint intervalla vacua, larga, spatiosa, pura, quæ istos distinguerent. Hæc intervalla dicebantur *Areæ*: rationem nominis exponit Varro *de L. L. lib.* IV. *p. m.* 11. *Ubi frumenta*, inquit, *secta terantur & arescant, Area: propter horum similitudinem loca in Urbe pura, Area.* Non ergo Romæ idem fuit, quod Parisiorum Lutetiæ, ubi Vici sive Ædificiorum ordines a Via Sandionysiana ad Samnartinianam, ceu a Via Militari ad alteram deducti Viam Militarem, separantur tantum Viarum minorum angustiis interjectis. Sed Nero, ad lineam rectam Vicum unum duosve erat dimensus, vacuas reliquit certas Areas, ut in illis ordinaret & disponeret præcipua Urbis Ædificia & Opera: fiebat id non promiscue, aut passim nulla distinctione; sed quodque Opus secundum suam speciem, certo ordine, qui operis decorem tueretur, cuique Ædificio singillatim sua commoda præberet, & Urbi hinc toti decorem, commoda, pulchritudinem conciliaret, destinatis locis disponebatur.

3. Primum itaque in aditu & introitu Arearum, qua Vias spectabant Militares, Ædificia publica cum sacra, tum profana, ita erant exstructa & disposita, ut eorum frontes obversæ essent Viis modo dictis, & hasce splendore suo, nec non magnifico illo & eminenti suæ Architecturæ apparatu hujusque ornamentis illustrarent. Sic assurgebant sacra Diis Immortalibus ædificia, *Templa, Ædes, Ædiculæ, Fana, Delubra, Sacraria, Sacella*: sic eminebant destinata negotiis publicis Ædificia, *Curiæ, Senacula, Basilicæ, Fora, Campi Militares*: sic splendebant dedicata commodis & sanitati civium Ædificia, *Aquæductus, Thermæ, Balnea*: sic lucebant Ædificia voluptati & ludis dicata, *Horti*, & his junctæ *Turres* & Ædificia pulcherrima alia & ingentes *Porticus*, item *Ludi, Stadia, Odea, Nymphæa*: sic tandem extollebantur Spectaculorum loca *Campi, Circi, Theatra, Amphiteatra, Naumachiæ*. Atque hæc erant Ædificia, quæ Arearum aditum occupabant, & suis frontibus Vias Militares adornabant.

A 4. Paullo ulterius in illis Areis plerumque erat *Puteus*, communis toti viciniæ, qui quasi secundum Arearum locum ornabat. Tertium locum, qui medius erat, occupabant Imperatorum Domus sive Palatia, & Senatorum primique ordinis Virorum Domus, quas posteriores, κατ' ἐξοχὴν simpliciter *Domus* solent appellare Historici, ad differentiam *Ædium Privatarum*, quæ intermiscentur Vicis & Insulis: ne sine Auctoribus hæc dixisse videamur, audiamus Suetonium *Neron. c.* 44. qui *privatas ædes* commemorat: *Partem etiam census*, ait, *omnes ordines conferre jussit* Nero: *& insuper* B *inquilinos privatarum ædium, atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco*: nec non Tacitus *Domus* eo, quo diximus, sensu intelligit *Annal.* XV. 41. cum de Neronis incendiis ait: *Domuum, & Insularum, & Templorum, quæ amissa sint, numerum inire, haud promtum fuisse.*

5. Post Augustorum Palatia & Senatorum Virorumque illustrium Domus, sequebantur *Pistrina*, quæ nostris molendinis similia non erant. Ad illa enim versanda & movenda, manuum ope, cogebantur servi, ad hoc opus ob negligentiam aliamve culpam condemnati aut in pœnam dati. Unde Servus ille sibi male conscius apud Comicum C *Phorm.* l. 5. *vs.* 19. inter incommoda sua, herus si rediisset, meditatus etiam erat, sibi *molendum usque in pistrino fore*. Postremum in istis Areis, quas diximus, locum, aut oppositam ab altera parte faciem, seu, si vis, oppositam alterius lateris frontem aditumve occupabant *Horrea Publica*, ex quibus primum Magistratus Romani, postea Imperatores Plebi *Annonam Publicam* exhibebant. *Ædiculæ* vero non erant in hisce Areis, sed finiebant & claudebant Vicos: unde *Ædicularum* numerus par est numero Vicorum, cum quemvis Vicum terminaret *Ædicula*, fronte ad Viam Publicam obversa.

D 6. Hæc fere fuit urbis Romæ facies & forma, a Nerone ista ratione inchoata, & ab ejusdem successoribus perfecta, quæ maxima Orbis terrarum ingenia in sui admirationem pertraxit, & nonnullos eorum excitavit, ut, cum Roma esset in summo decoris culmine, aut, si mavis, sui splendoris flore, eam sive totam, sive per partes, separatim pro virili describerent, prout in sequentibus commodiore loco ostendemus.

SECTIO VIII.

E De natura & usu nonnullorum Ædificiorum Publicorum ac præcipuorum Urbis operum.


*1. Cur hic agatur de natura & usu nonnullorum Ædificiorum & Operum Publicorum. 2. Ædificia Sacra: differentia inter Ædem, Templum, Sacellum, Fanum, Delubrum. 3. Basilicæ. Curiæ: Curiarum duæ species. 4. Campi, Circi, Theatra, Amphiteatra, Naumachiæ. 5. Thermæ, Horti. 6. Imperatorum Palatia, Domus illustres. 7. Fora: magnificentia Fori Traja*F*ni. 8. Nymphæa, Lymphæa, Odea.*

1. IN multitudine itaque magnificorum operum & ædificiorum consistebat Viarum Urbis Militarium, ad quas illa erant exstructa & sita, pulchritudo. Verum cum hunc librum scribamus stylo plano & facili, ut possit etiam intelligi ab iis, qui literas humaniores tantum a limine salutarunt, vel non adeo in illas se penetrant, & qui ex simplicibus Ædificiorum appellationibus & nominibus

INDEX LOCORUM.

Quæ in parte Regionis VIII. ſive FORI ROMANI ad mentem BERGIERII lib. v. ſect. 7. pag. 560. exhibentur, conante, ducibus Victore et Rufo, Nummis ac Conjecturis veroſimilibus HENR. CHR. HENNINIO

a. FORI ROMANI PARS, quæ hic exhibetur pavimento reticulato ſtatuis ornata.
b. FORUM BOARIUM.
c. ARCUS SEPTIMII.
d. ELEPHAS HERBARIUS
e. TEMPLUM CÆSARIS
f. FORUM CÆSARIS CUM BASILICA IULIA.
g. MILLIARIUM AUREUM.
h. FORNIX FABIANUS.
i. FORUM AUGUSTI.
k. FORUM, COLUMNA ET TEMPLUM TRAJANI, ubi exhibetur PAVIMENTUM LITHOSTROTUM.
l. ATRIUM MINERVÆ.
m. STATUA EQUESTRIS DOMITIANI RHENUM CALCANTIS
n. TEMPLUM JANI
o. REGIA NUMÆ.
p. TEMPLUM VESTÆ.
q. TEMPLUM DEORUM PENATIUM.
r. TEMPLUM CASTORUM.
s. ARCUS AUGUSTI QUADRIFORIS.
t. FORAMINA CLATHRIS FERREIS IN CLOACAS PATENTIA ET LIGNEIS OPERCULIS TECTA, per quæ foramina a ſervis publicis Sordes Viarum everrebantur.
u. AEDICULÆ, QUÆ SINGULOS VICOS TERMINABANT.
v. HORREA.
x. PISTRINA.
y. DOMUS.
z. PUTEI.



non poterunt animo concipere, aut assequi mox eorundem singularem formam, naturam, differentiam, cum ratione Architecturæ, tum usus, ab utilitate & re alienum esse non putavimus, si in illorum gratiam, qui Romanam Antiquitatem minus perspexerunt, non de omnibus quidem ædificiis Urbis, sed de nonnullis & præcipuis nonnihil diceremus, ut illi suo sibi animo proponere horum formam aliqua ex parte possint.

2. Initium faciam ab Ædificiis Sacris, quæ & Architecturæ sive Structuræ materia, & operis forma excellentiaque facile supra cætera caput extulerunt. Plures illorum species differentesque Romæ erant, & diversis nominibus gaudebant, licet generatim *Templa* dicerentur. Hoc tamen ipsum nomen certæ cuidam Ædificiorum Sacrorum speciei proprium quoque est, quæ a cæteris differt, easque dignitate ac ceremoniarum sanctitate longe supereminet. Plerumque erant a Regibus, Consulibus, Imperatoribus suo singulis tempore ante præliorum commissiones vota, ut victoriam ab hoste reportarent. Hæc *Templa* post victoriam & triumphum a Victoribus, loco ab Auguribus constituto, designato & descripto, exstruebantur; exstructa ab iisdem Victoribus, aut, si ante operis perfectionem decessissent, ab aliis eorum in locum succedentibus, dedicabantur; Augures tandem illa *inaugurabant*, sive certis Auguriorum ceremoniis initiabant ad usum, & ita sanctiora, augustiora, venerabiliora eadem reddebant. Sine hac *inauguratione* nullum Ædificium sacrum proprie *Templum* dici poterat, voce speciatim accepta, sed *Ædes*. *Templum* enim post consecrationem inaugurari, *Ædes* vero non item, nec omnes *Ædes* sacra *Templa* esse, sed illa tantum, quæ sint *augurio constituta*, ex Togatorum doctissimi rerumque divinarum veteris Romæ peritissimi Varr. *lib. Isagogico de officio Senatus habendi*, docet Gellius *N.A.*XIV.7. *Ædiculæ* & *Sacella* erant velut minora Templa: hæc sine tecto, illæ tectæ. Festus in *Sacella*: *Sacella dicuntur loca Diis sacrata sine tecto*. Inter minora quoque Templa recensentur *Fana* & *Delubra*. *Fana a fando*, quod certa verba *fando* Pontifex ea dedicet; aut *a Fauno* eorum Auctore primo. *Delubrum* exponit ex Varrone Macrobius *Saturn.*III.4. his verbis: *Varro lib.*VIII. *Rer. Divinar.* „ *Delubrum*, *ait*, *alios æstimare*, „ *in quo præter Ædem sit area assumta Deum* „ *caussa*, *ut est in Circo Flaminio Jovis Statoris*; „ *alios*, *in quo loco simulacrum Dei dedicatum est*, „ & adjecit: „ *Sicut locus in quo figerent candelam, candelabrum appellatur*: *ita, in quo Deum* „ *ponerent*, *nominatum Delubrum*. *His a Varrone præscriptis intelligere possumus id potissimum ab eo probatum*, *quod ex sua consuetudine in ultimo posuit*, *ut a Dei dedicato simulacro Delubrum cœperit nuncupari*. Sane *Delubri* nomen aliquando pro Templo integro, aliquando pro ejus parte ponitur. Pro toto Templo Jovis Capitolini, *Jovis Tarpeii Delubra* dixit Ammianus *Historiar.* XVI.6. pro parte Templi posuit Plinius *H.N.*XXXV. 10. *sub fin. medii cap.* ubi narrat, *a Nicomacho Aristodemi filio ac discipulo pictum esse raptum Proserpinæ*; *quæ tabula fuit in Capitolio*, *in Minervæ delubro*: intelligit hic per Delubrum, *cellam* sive *fanum*, unam ex tribus illius Templi partibus quas Ausonius, *in Gripho vs.*42. vocat *Consortia*:

Trina in Tarpejo fulgent consortia templo.

nam, ut Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Rom. lib.* IV. *p.m.* 312. ait, *in ipso* Jovis Capitolini Templo, *sunt tres Cellæ sive Fana*, *quæ æquali distantia communibus continentur lateribus*: *medium Jovis*, *a lateribus alterum Junonis*, *alterum Minervæ*, *sub eodem laqueari eodemque tecto*. Idem hocquodammodo in Christianorum Templis occurrit, ubi visitur chorus & pronaum inter duas alas.

3. Sunt, qui *Basilicas* & *Curias* inter Ædificia sacra recensent. *Basilicæ*, quæ secundum vocem *Domus Regias* sonant; non tamen ita dictæ sunt, quod essent habitationes Regum aut Imperatorum, sed quod ibi jus diceretur, quod officium Reges subjectis, Magistratus civibus suis debent. *Curiæ*, secundum Varronem *de L. L.* IV. *p. m.* 37. erant *duorum generum*: *nam & ubi curarent Sacerdotes res divinas*, *ut Curiæ veteres*: *& ubi Senatus humanas*, *ut Curia Hostilia*, *quod primus ædificavit Hostilius Rex*: porro *Curiam a cura dictam Varro designat*, *de vita Populi Rom. lib.* II. *Itaque propter curam locus quoque*, *quo suam quisque Senator confert*, *Curiam appellat*. Hæc Nonius *in voce Curia*. Idem Varro apud Gellium *l.l.* *docuit confirmavitque*, *nisi in loco per Augures constituto*, *quod Templum appellaretur*, *Senatus consultum factum esset*, *justum id non fuisse*, *propterea & in Curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia cum profana ea loca fuissent*, *Templa esse per Augures constituta*, *ut in iis Senatus consulta more Majorum justa fieri possent*. A significatione *Curiæ*, pro loco, ubi Senatus haberi solitus, Galli nostri etiam dicunt hodie *La Cour du parlament*: ab altera significatione, pro loco, ubi cura Sacrorum Publica, dicuntur *Curiones*: nam *Curionum* erat, publice pro suis Curialibus rem divinam facere, ut Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Rom.* II. *p.m.* 175. docet: item in nostrum Gallicismum inde migrarunt voces *Cure* & *Curé*. Sed præter Curias Senatorias, *Senacula tria fuisse Romæ*, *in quibus Senatus haberi solitus sit*, *memoriæ prodidit Nicostratus in libro*, *qui inscribitur*: *de Senatu habendo*. *Unum*, *ubi nunc est Ædis Concordiæ*, *Capitolium & Forum*, *in quo solebant Magistratus de Rep. cum Senioribus deliberare*; *Alterum ad Portam Capenam*; *Tertium citra ædem Bellonæ*, *in quo exterarum nationum Legatis*, *quos in Urbem admittere nolebant*, *Senatus dabatur*.

4. Tantum de Ædificiis Sacris. Inter Profana excellebant ea, quæ Spectaculis erant dicata, & illa splendore, magnificentia & amplissimi spatii laxitate præ cæteris nobilitabantur; qualia fuerunt *Campi*, *Circi*, *Theatra*, *Amphitheatra*, & *Naumachiæ*: de *Campis* nihil hoc loco dicemus, quippe de *Campo Martio* dicturi infra *Sect.* XVI. §. 8. qui faciem cæterorum exhibebit. *Circum maximum a Cæsare Dictatore exstructum*, *longitudine stadiorum trium*, *latitudine unius*, *sed cum ædificiis jugerum quaternum*, *ad sedem* CCLX. *millium*, *inter magna opera dicamus*: verba audivimus hic Plinii *H.N* XXXVI. 15. *paullo post initium*. *Circum* Tarquinii Prisci ita depingit ex versione Sigismundi Gelenii Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Rom. lib.* III. *p. m.* 246. *Idem* Tarquinius Priscus *in Circo maximo*, *inter Palatinum & Aventinum montes sito*, *primus circumquaque operta tecto fecit sedilia*: *nam antea stantes spectare solebant*, *furcis tabulata sustinentibus*. *Locos spectaculorum in triginta Curias distribuit*, *ut Curialium quisque suo loco spectaturus sederet*; *quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter totius Orbis pulcherrima*. *Longitudo enim ejus est trium stadiorum cum dimidio*, *latitudo quatuor jugerum*: *a duobus majoribus lateribus & uno minore cingitur euripo*, *qui aquas recipiat*, *decempedali profunditate simul & latitudine*: *post euripum exstructæ sunt triporticus*: *imæ habent lapidea paullum scandentia*, *sicut in theatris*, *sedilia*; *super duplici contignatione sunt lignea*: *duas majores porticus tertia minor conjungit*, *transversim lunata*

specie apposita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis octo stadiorum amplitudine, capax CL. *millium hominum* (adeoque minus ex millibus, quam Circus Julii, licet hoc fuerit major,) *reliquum e minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clausos repagulo. Externe ambit Circum simplex contecta porticus, habens officinas & superne cellas, per quas spectatores intrant & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio exoriatur inter tot millia tum venientia, tum discedentia*. In hisce Circis exhibebantur septem genera *Ludorum Circensium*, & in his cursus, quo equi *singulares*, aut bijuges, trijuges, quadrijuges ad *bigas*, *trigas*, *quadrigas* juncti ad palmæ honores currebant, illis aurigantibus & agitantibus eos citato cursu, qui Circensibus certaminibus & ludis erant destinati. Victoria erat penes illum, qui primus cursu contigisset metam, rotis tamen evitatam. *Circi* ergo, ut Jacobus Laurus *in Antiq. Urb. Splendore* eos pingit, erant triplo longiores, quam latiores, circumcincti porticibus, perque mediam longitudinem, velut aggere levi lapideo, distincti, in cujus medio assurgebat ingens obeliscus. Extrema Circi hinc *Carceres*, unde equi & aurigantes procurrebant; & inde metæ seu minores obelisci conive occupabant. Circum metas fervidas rotis Aurigæ & Agitatores se agebant certatim, alterque alterum sæpe præcipitabant, unde populo ridendi larga materia. *Theatra* erant semicirculari figura, imposita & superinstructa columnis, paullatim, ut Amphitheatra, gradibus ascendentia, ne spectatores alter alteri in prospectu essent impedimento. In his populo exhibebantur *Comœdiæ*, *Tragediæ*, *Satyri*, *Mimi*. *Amphitheatra* erant rotunda figura, in quibus Gladiatores depugnabant batuendo, aut se mutuos conficiendo, ut bellicosum populum a teneris quasi annis adsuefacerent fusi sanguinis spectaculis. In eisdem Imperatores exhibebant Populo ferarum venationes, ut Leonum, Tigridum, aliarumque ab Asia & Africa advectarum. Area aut medium Amphitheatri dicebatur *Arena*, quod ea esset conspersa, sive desabulata: ab hac Amphitheatrum gradibus circum undique, sedilibus continenter dispositis, in orbem paullatim laxiorem assurgebat, & versus summitatem desinebat in magnas porticus extrorsum apertas & introrsum innumeris fenestris patulas, unde spectacula videri poterant. *Naumachiæ* fere accedebant ad formam Amphitheatrorum, nisi quod Area media, loco Arenæ, per Aquæductus aut derivatas ex fluvio aquas tantam aquarum copiam admitteret, quæ posset ferre naves rostratas sive longas, quibus prælia committebantur navalia. Scilicet ad exhibendam populo pugnæ navalis imaginem inserviebant *Naumachiæ*, unde & nomen his Græcum a *pugna navali*.

5. *Thermæ* tam spatiosæ erant, ut Ammianus Marcellinus XVI. 6. eas dicat, *Lavacra in modum Provinciarum exstructa*. Nec minus spatiosi erant *Horti*, *instar villarum*, *quibus vivaria includi solebant voluptatis caussa*, ut loquitur Mizaldus *lib. de Horto*. Sane teste Festo, *in voce Hortus*, *Hortus apud Antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi, qui arma capere possent, orirentur*: nec abludit Plinius *H. N.* XIX. 4. *In* XII. *Tabulis Legum nostrarum*, ait, *nusquam nominatur Villa, semper in significatione ea Hortus: in Horti vero, prædium*, (aut, ut alii legunt, *heredium*:) atque hi *Horti*, numero multitudinis, ut *Horti Pompejani*, *Lucculliani*, *Mæcenatiani* non erant simpliciter arbores aut plantæ in quincuncem & areolas dispositæ, sed prætoria aut alia pulcherrima ædificia habebant adjuncta & addita: unde de sua ætate Pli-

A nius *l. l.* ait: *Jam quidem Hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros villasque possident*.

6. *Palatiorum* nomen est a *Palatio* seu monte *Palatino*, in quo sedes Imperii & Imperatorum domus erat: hinc *quia Imperii sedes in eo constituta fuit, cujusvis Principis aulam, aut splendidi hominis domum Palatium dicimus*. Primus Imperator in eo monte habitavit Augustus: ita enim Sueton. *Aug. cap.* 72. refert: *Habitavit Augustus postea in Palatio, sed nihilominus in ædibus modicis Hortensianis: & neque laxitate, neque cultu conspicuis: ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento*
B *conclavia*. Hoc Palatium postea a Tiberio, Caligula, Alexandro Mammææ filio aliisque amplificatum fuit; atque in splendore suo permansit usque ad Valentiniani III. tempora, sub quo nec habitatum nec refectum plane corruit a pristina magnificentia. Cæteri quoque Senatores, Patritii, aliique Viri splendidi & illustres Romani in Urbe sua habebant Palatia, aut, ut Latinius loquar, *Domos*, easque spatiosissimas. Hinc Sallustius *Catilin. c.* 12. invidiose traducit *Domos atque villas in urbium modum exædificatas*. Hæ sunt Senecæ *de Benefic.* VII. 10. *Ædificia privata laxitatem urbium magnarum*
C *vincentia*. Hinc Valerius Maximus de sua ætate queritur IV. 4. §. 7. *Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt*: & Plinius *H. N.* XVIII. 2. *Bina tunc jugera Populo Romano* (Romuli primo ævo) *satis erant, nullique majorem modum attribuit: quo servos paullo ante Principis Neronis, contemtis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores: gratumque, si non aliquem & culinas*. Idem post narratas domos Principum Caii & Neronis Auream totam Urbem cingentes, XXXVI. 15. subjicit: *Nimirum sic habitarunt illi, qui hoc Imperium fecere, tantas ad vincendas gentes triumphosque referen-*
D *dos ab aratro aut foco exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam cellaria istorum*. Domus scilicet illæ repletæ & occupatæ erant pluribus aliis ædificiis non parvis, uti porticibus, aulis, atriis, cubiculis, thalamis, conclavibus, exedris, pinacothecis, museis, cellis, balneis, lavacris; quæ omnia exornatissima erant picturis, auratura, aureis & argenteis vasis, aliaque pretiosissima supellectile, item strata pavimento marmoreo operis tessellati aut segmentati, & similium.

7. *Fora* inter spatiosissima & magnificentissima urbis Romæ opera recensentur; & tam juri dicundo,
E quam annonæ aliisque mercimoniis venum exponendis erant destinata. Erant autem Areæ quadratæ laxæ & spatiosæ, cinctæ undique porticibus fornicatis, uti sunt Lutetiæ in *Area Regia*, vulgo *la Place Royale*; sed Romæ olim longe majoribus & magnificentioris Architecturæ. Inter omnia dignitate & majestate excelluit *Forum Trajanum*, de quo hæc scribit Ammianus Marcellinus: XVI. 6. Constantius *cum ad Trajani Forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam Numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos*:
F quare addit: illi *omnem itaque spem hujusmodi quicquam conandi fuisse depulsam*. Sane vel quotidie illud visentibus, miraculum videbatur, quo tuendo expleri oculi non poterant spectatorum. Huic Foro Trajani dignitate proximum erat *Forum Urbis* sive *Romanum*: de quo Strabo *lib. V. p. m.* 431. *Si priscum*, ait, *ingrediaris forum, aliud ex alio spectabis appositum: quid regales porticus, ædesque sacras? quid Capitolium? & in ipso & in Palatio opera, & in Liviæ porticu? quæ singula contemplans, alia exteriora facile oblivione delebis*.

8. *Nymphæa* ſive *Nymphea*, quoque inter Ædificia Publica erant, in quibus nuptiæ celebrari ſolebant. *Lymphæa* itidem opera publica erant, ſimilia noſtris cryptis artificioſis, ſive antris delicatis, qualia in Hortis Magnatum & Splendidorum Virorum amœnioribus hodie videntur, ſic dicta a *Lymphis*, quæ per diverſos tubulos, canaliculos, fiſtulas, cavernaſque occultas undique cum impetu improviſo proſiliebant in otioſos ſpectatores, eoſque adſpergine madefaciebant, dum toti hærerent in perluſtrandis & conſiderandis horum Ædificiorum ornamentis, decore, pulchritudine, quæ exculta erant conchis & conchyliis omnium locorum, in certum ordinem, ſpatia, formam, figuras diſtinctis, digeſtis, ac velut conglutinatis. *Odea*, ad Ωδείων Græcanicorum imitationem facta ædificia, erant loca deſtinata agonibus ſive certaminibus Muſicis. Plutarchus *in vit. Periclis c.* 28. ita deſcribit: *Odeum intus multis ſedilibus ac columnis diſtinctum, tecto autem declivi, & uno faſtigio clauſo contentum dicunt effigiem eſſe & exemplum regii Perſarum tabernaculi*. Talia Ædificia in Urbe fuerunt quinque, in quibus citharœdi & tibicines a muſico, & reliqui Actores ſcenici ab hiſtrione exercebantur, antequam in theatrum prodirent. Atque hæc fuerunt Ædificiorum & Operum nomina, quæ nobis aliqua interpretatione declaranda eſſe videbantur. *Porticus* vero, *Balnea, Campos Militares, Arcus Triumphales* & ſimilia opera pluribus verbis non perſequar, cum vel ſuis ipſorum nominibus, qualia fuerint, intelligantur.

SECTIO IX.

De admiranda Domuum & Ædificiorum Romæ altitudine.

1. Leges a pluribus Imperatoribus latæ contra nimiam Ædificiorum privatorum altitudinem. 2. Roma non una urbs erat, ſed alias æquales ſibi ſuper impoſitas urbes, alteram ſuper alteram, tulit. 3. Conſideratio altitudinis Ædificiorum Romæ in montibus exſtructorum. 4. Templorum altitudo, maxime & præcipue Jovis Capitolini. 5. Templum hoc Jovis Capitolinum ſæpe arſit & exuſtum fuit, ſæpe reſtitutum. Veſpaſianus ei juſtam altitudinem adjecit. 6. Admiranda ejuſdem a Domitiano reſtituti altitudo. 7. Claudianus tria, quæ ſupra laudem ſint, Romæ admiratur, Ædificiorum altitudinem, Urbis ſpatium & Ornamentorum decorem.

1. SI in ulla Orbis urbe incolæ & cives Ædificiorum altitudinem extulerunt, præprimis illud factum Romæ. Id adeo verum eſt, ut ædificiorum etiam privatorum nimiam altitudinem legibus cohibere Auguſtus debuerit, permotus frequentibus ædium ruinis: narrat Strabo *lib.* v. *p.m.* 429. *Contra ruinas*, ait, *novorum altitudines ædificiorum depoſuit* Auguſtus; *& ne quis ſupra pedes ſeptuaginta ſublimius ædificaret, inhibuit in publicarum vicinitate Viarum*. Nero etiam, cum Urbem a ſe incenſam, inſtauraret & reſtitueret, *cohibitam ædificiorum altitudinem* voluit, narrante Tacito *Annal.* xv. 42. ſed modum non exprimente; fueritque forſan idem modus ille Auguſti, quem obliteratum, ut ſolebat, tum Nero revocavit. Porro cum Trajani *tempore multo pernicioſius, quam ſub Nerva, Tiberis inundaſſet, magna clade ædium: & terræ motus graves per provincias multas, atroxque peſtilentia, fameſque & incendia facta eſſent; his omnibus Trajanus per exquiſita remedia opitulatus eſt, ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumtus, ſi quando talia contingerent, exitioſos;* ut legimus in Sexti Aurelii Victoris *Epitome, ad vit. Trajani, ſub fin.* Si paullo propius hanc altitudinem ſuſpiciamus, videbimus eſſe illam inſolitam & mirificam: nam LXX. pedes facerent VII. contignationes ſive contabulata, & cœnacula, ſingula X. pedum altitudine, quæ aut plane non, aut vix in ullo Lutetiæ Pariſiorum ædificio privato reperientur.

2. Dixiſſes utique Romam, Urbem non unam, ſimplicem, ſed unam, quæ plures alias urbes ſibi ſuperimpoſitas ferret: quod & de Lutetia Pariſiorum ex vero dici poteſt. Ejus enim celebritatis urbes non ſolum ſoli ſuperficiem occupant ædibus, ut fit vulgo in oppidis; ſed & in aerem ſe attollunt, ibique frequentiæ ſuæ habitationi, loca quærunt: quare belle & vere ſimul Ariſtides *Orat.* 14. *Tom.* I. de Roma, ait: *Nec vero ſuperficiem tantum occupat, ſed longe ſupra exemplum altiſſime in aërem aſcendit; ut jam non magis nivi, quam jugis ipſis comparanda veniat; & ſicut Vir aliquis, qui cæteris magnitudine ac robore multum præſtet, alios quoque in ſe ſublatos ferre gaudeat: Eodem modo & hæc, cum tantum terræ ſpatium contineat, non tamen quieſcit, antequam & alias æquales ſibi ſuperimpoſitas urbes, alteram ſuper alteram, ferat, ut ejus fert nominis ratio; totumque, quod hic videmus, robur eſt. Quocirca, ſi quis eam diligenter vellet evolvere* & diducere, *&, quæ nunc in ſublimi ſunt urbes, humi juxta ſe invicem deponere, exiſtimarem fore, ut omnis Italiæ reliqua pars compleretur, atque una urbs ad Ionium uſque mare continua protenderetur.* Cauſſa tantæ altitudinis fuit infinita populi multitudo, quæ undique Romam concurrebat: notavit eam rem Vitruvius, *Archit.* II 8. de Roma loquens: *In ea autem Urbis & Civium infinita frequentia, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cum recipere non poſſet area plana tantam multitudinem ad habitandum in Urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coegit devenire. Itaque pilis lapideis, ſtructuris teſtaceis, parietibus cæmentitiis, altitudines exſtructæ contignationibus crebris coaxatæ, & cœnaculorum ſummas utilitates perficiunt & deſpectationes. Ergo menianis & contignationibus variis alto ſpatio multiplicatis Populus Romanus egregias habet ſine impeditione habitationes.*

3. Tales itaque Ædes privatæ erant, ex quibus Inſulæ, Vici, Regiones Urbis paſſim conſtructæ erant & conſtabant, ſi eas ædes ab imis fundamentis & plano infimi ſoli pede uſque ad ſummum culmen conſiderares. Sed etiam hic alia porro res ſpectatu digniſſima ſe offert. Habebat Roma colles ſive montes ſatis altos, innumeris ædificiis publicis privatiſque, ſacris profaniſque, inſeſſos; quæ ſtructuram habebant ejuſdem altitudinis, cujus erant ædificia in locis inferioribus: illa montibus iſtis ſummis impoſita aut gradatim acclinantia & declinantia exhibebant veluti urbes quaſdam altiſſimas & ſuperas Urbi inferæ imminentes. Hinc Plinius *H.N.* III. 4. inter laudes Urbis ait: *Si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſtimationem concipiat, fateaturque, nullius Urbis magnitudinem in toto Orbe potuiſſe ei comparari.*

4. Hæc Plinii verba veriora deprehendes, ſi Palatia, ſi Domus nobiles extra legem communem fuiſſe ſcias. Jam ſi porro Theatra, Amphitheatra & alia ædificia publica altiſſima conſideres, ſi ſpeciatim Templa, ubicunque Romæ erant, ſemper mirifica altitudine, conſpicua ſuſpicias; ante omnia denique tandem, ſi ad Templa Capitolino monti ſuperimpoſita, quibus ille fere totus ſuperbiebat, oculos attolleres, veriſſima Plinius dixerit. Inter

omnia vero Capitolii Templa, caput ad sidera extollebat longe nobilissimum & toto Orbe clarissimum *Jovis Capitolini Templum*. Illud *voverat Tarquinius Priscus Rex, bello Sabino, jeceratque fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc Populi Romani res sufficerent: mox Servius Tullius sociorum studio; deinde Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia, hostium spoliis exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata: pulsis Regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia, quam immensæ postea Populi Romani opes ornarent potius, quam augerent*: usi hic sumus verbis testis classici Taciti *Hist.* III. 72. cui addimus Livium I. 5. qui *Suessam Pometiam* ex Volscis a Tarquinio Superbo *vi captam* narrat, *ubi, cum divendita præda quadringenta talenta argenti aurique recepisset, is concepit animo eam amplitudinem Jovis Templi, quæ digna deum hominumque Rege, quæ Romano Imperio, quæ ipsius etiam loci majestate esset*.

5. Arsit admirandum hoc Templum sæpius civilibus bellis, ab ipsis Romanis incensum, præcipue Vitelliana tempestate; quo postremo incendio vehementer in auctores ejus excandescit Tacitus *Hist.* III. 71. *Id facinus*, ait, *post conditam Urbem luctuosissimum fœdissimumque Populo Romano accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, Diis, sedem Jovis optimi maximi, auspicato a majoribus pignus Imperii conditam, quam non Porsena dedita Urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principum exscindi!* Idem postea *Hist.* IV. 53. a Vespasiano narrat restitutum *iisdem vestigiis*, quia haruspices monuerant, *nolle Deos mutari veterem formam*: subdit deinde: *Altitudo ædibus adjecta, id solum religio annuere, & prioris Templi magnificentiæ defuisse creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat*.

6. Altitudinem priore majorem Tacitus mox dicebat, at hanc non definivit ad mensuræ modum certum: verum eam, pro symmetria magnitudinis in latum longumque, fuisse vero est simile. Isthanc nos docet Dionysius Halicarnassensis *Antiq. Rom. lib.* IV. *p. m.* 312. de hoc Templo narrans: *Situm est in alta crepidine, habetque in ambitu octo jugera: sic ut latera singula ducentorum fere pedum sint, exigua latitudinis & longitudinis differentia, nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis*. Ergo pro symmetria spatii, quod plana Templi area habebat, admirandæ, ingentis & prodigiosæ altitudinis fuerit, est necesse. Ostendit & hoc Silius Italicus III. 623. apud quem Jupiter de quartum restituendo suo Jovis Capitolini Templo, iisdem vestigiis, eadem forma, per Domitianum, prædicit & canit:

Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro Templorum culmina cœlo.

In cœlum quoque Templa in Capitolio posita ideo educit Tertullianus Afrorum Patrum literatissimus: *Apologetic. c.* 25. *Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res apud Romanos constabat. Frugi religio & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam*: nec minus Rutilius *Itinerar.* I. *vs.* 49. 50. ad Romam magnifice accinit:

Exaudi genitrix hominum genitrixque Deorum!
Non procul a cœlo per tua Templa sumus.

Similiter & de Roma Claudianus canit *de laud. Stilic.* III. 131. *& seqq.*

Qua nihil in terris complectitur altius aer:
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.

7. Tria in istis modo laudatis versibus laudat Claudianus, *Altitudinem* Ædificiorum, *Spatium* Urbis, & *Decorem* ornamentorum ejus. De *Altitudine* & *Spatio* diximus; restat, ut veniamus ad *Decorem* Ornamentorum, qui tantus fuit, ut hisce imprimis, Viæ Militares & Ædificia publica Urbis superarint, quicquid unquam pulchrum aut admiratione dignum in toto fuit reliquo Orbe terrarum.

SECTIO X.

De Ornamentis, quibus Ædificia Romana erant exculta, & primum speciatim de illis Ornamentis, quæ petebantur ab Architectura.

1. *Cur hic ab Architectura lumen aliquod petatur.* 2. *Ab Ædificiorum pulchritudine, Urbium quoque pulchritudo exsurgit.* 3. *Ædificiis pulchritudo conciliatur præcipue a quatuor rebus.* 4. *Prima est Architectura, quæ corporis humani symmetriam imitatur.* 5. *Quinque Ordines Architecturæ petuntur a quinque diversis Columnis: unde eorum nomina.* 6. *Partes, ex quibus in Architectura componuntur Columnæ, earumque nomina.* 7. *Modulorum natura, nomina & divisio in tres species.* 8. *Moduli compositi, eorumque divisio per Lineas.* 9. *Moduli sunt plani aut figurati. Figuræ regulares & ordinariæ singulorum Modulorum.* 10. *Quibus Modulis singulæ cujusvis Architecturæ partes sint excultæ. Quid Triglyphi, Guttæ, Metopæ, Mutuli, Cymatia.* 11. *Quid Frons, Fastigium & Tympanum.* 12. *Capitellorum quinque species.* 13. *Architecti sæpe negligunt regulas generales, & cur id faciant.* 14. *Columnæ Atticæ.* 15. *Columnæ irregulares, dictæ vulgo* Balaustra. 16. *Quomodo in pluribus ejusdem Ædificii contignationibus alius ordo alii superimponatur.*

1. CUm majora & magnificentiora urbis Romæ ædificia facta & constructa fuerint secundum regulas Architecturæ; non ab re videtur fore, ut horum appareat majestas & decor, uti vocibus Architectorum, easque declarare illis lectoribus, quibus forsan adeo familiares non sunt; ut vocibus hisce prope intellectis menti suæ possint ipsi proponere formam quandam ornamentorum, quibus tot admiranda splendebant Ædificia, facta maxime ad ornatum Viarum Publicarum ac Militarium, nec non totius Urbis decorem.

2. Ab his Ædificiorum tam publicorum, quam privatorum ornamentis & cultu, urbium exsurgit pulchritudo. *Domuum* enim *cultu decus urbium potius, quam fructus acquiritur*, quarum *structio ardua, difficilis molitio*, aut *decus sumptuosum*, ut verba Imperatoria legum huc accommodem ex *l.* 2. *§. Domus. C. de præd. & omnib. reb. Navicular.* Hinc Imperatoribus decor & splendor Urbis semper cordi fuit. Sic lege laudata Impp. Valentinianus, Valens & Gratianus constituunt: *Ubi, ut est plerumque liberale institutum, habitationem quis suam Urbis ornamento adjecerit, nolumus munificentiam, quæ postea addita est, improbam licitationem æstimationis excipere: sed vetusta potius loci species & pensio cogitetur, quam cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosi accessit.* Recte etiam JC. Ulpianus *in l.* 20. *§.* 10. *ff. de Nov. op. nunc.* ait: *Etenim pertinet ad decus Urbium, ædificia non derelinqui.*

3. Ut

3. Ut igitur quasi digito monstremus pulchritudinem Viarum Urbis Romæ Militarium & Publicarum, dicimus, eam præcipue in his quatuor rebus, quas semper maximi fecerunt elegantiores homines, fuisse: scilicet in Architectura, Pictura, Sculptura, & Fusura, quæ sunt artes, non viliores aut sordidæ, sed liberales, quæque singulæ Naturam aliqua ex parte imitantur. Prima harum perficit ipsum structuræ corpus; tres vero reliquæ accedunt ut ornamenta corpori, cum sine his ædificia tamen subsistere possent, tanquam integra.

4. Cum ergo Architectura faciat corpus Ædificiorum ingens, splendidum, magnificum, & cæteris tribus quasi aream tabulamve præparet; a ratione alienum non erit, ab illa incipere, deque ea breviter disputare, ut appareat, a symmetria partium ædificii rite observata fieri operis pulchritudinem. Imo nobilissimi Architecti, corporis humani in Operibus suis proportionem secuti sunt. Præ cæteris inter se partes humani corporis cum partibus ædificii exacte comparavit Hermogenes. Recte enim Vitruvius III. 1. *Non potest ædes ulla sine symmetria atque proportione rationem habere compositionis, nisi ut ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem*. Sequentes itaque humanorum membrorum commensum & commodulationem, ut Vitruvii vocibus utar, modo robustum & suis membris apte compositum rusticum; modo muliebrem mediæ ætatis gracilitatem; modo virgineam teneritatem & venustatem sunt imitati in suis Architecti operibus.

5. At symmetriæ proportionesque, quæ præcipuis urbis Romæ ædificiis amœnissimam conciliabant faciem & prospectum, erant diversæ, secundum diversas Architecturæ rationes & ordines, ad quorum modulos Ædificia erant exstructa. Horum Ordinum erant numero quinque, & nomina hi sua habebant a speciebus columnarum, quæ in singulis structuris usu ad opus veniebant. Sunt enim Columnæ *Tuscanicæ*, *Doricæ*, *Ionicæ*, *Corinthiæ* & *Compositæ*. Columna *Tuscanica* longa est cum sua basi ac capitulo sex diametros imæ partis sui styli, scapi sive trunci. Primus hic Ordo etiam cognominatur *Rusticus*, quod ejus Columnæ viro rustico, robusto ac suis membris apte composito similis esse videatur. Columna *Dorica* cum sua basi ac capitulo longa est septem diametros sui styli sive trunci; *Ionica* octo; *Corinthia* novem; *Composita* decem. Fuit aliquando *Dorica* tantum sex diametros sui scapi longa, imitans virilis corporis proportionem, cujus pedes continent sextam altitudinis in viro partem. E contrario *Tuscanica*, quæ olim VII. diametros sui styli habuit, diminuta est ad sex tantum. *Ionica* est gracilior & quasi formam sistit fœminæ mediæ ætatis: ut *Corinthia* imitatur virginis quindecennis teneritatem & venustatem. *Ionicæ* columnæ primum constitutæ sunt in illo Dianæ Ephesiæ nobilissimo Templo, ubi, ut aliqua ex parte stolæ illius Deæ rugas figurarent, truncos totos columnarum in longam earundem superficiem, quasi dimidiatis canaliculis excavarunt. Græci istos sulcos vocant *Strias*, id est, *Plicas vestis*: Latini *Canales*: Francogalli nostrates *Cannelures*, propterea quod tubuli illi dimidiati in longum, exhibeant formam concavam *cannæ* sive arundinis aut calami, si per medium longitudinis in duas æquales secetur partes; hinc columnæ striatæ nobis dicuntur *Colonnes Cannelées*. *Striæ* istæ postea etiam in aliis columnis ad gratiam aspectus sunt adoptatæ. Nomina autem ista *Columnarum* desumta sunt a Populis, penes quos illæ magis in usu fuerunt communi. Sic Hetrusci, qui alias etiam *Tusci*, nomen fecerunt *Tuscanicæ*; prisci *Dorienses*, qui sunt Lacedæmonii, *Doricæ*; *Iones* in Asia *Ionicæ*; *Corinthii* vero *Corinthiæ*: nomen *Compositæ* hæsit, quod *componeretur* ex mixtura plurium ordinum Architectonicorum in unum idemque corpus; nonnulli vocant eam *Italicam*, quod *Italis*, ut Græcis debentur priores quatuor, debeatur.

6. *Columnæ* hæ in opere perfecto suas habent singulæ partes, quæ sunt istæ: *Stylobatæ*, *Bases*, *Styli*, *Cephalia*, *Epistylia*, *Zoophori*, *Coronides*. Nomina hæc sunt Græca, & simul cum arte ad Romanos migrarunt. *Stylobates*, seu dicas columnæ fundamentum pedesve, seu *columnigerulum*, nobis dicitur *Piedestale*, estque prima ab imo solo pars columnæ, proxime insidens fundamentum: fere est instar parvi muri quadrati, sive quadranguli, idque pro ratione Architecturæ, quæ in opere proponitur: alius enim est *Stylobates Doricus*, alius *Tuscanicus*, alius *Ionicus*, alius *Corinthius*, alius *Compositus*. Idem dicere possumus de *Basibus*, *Cephaliis*, *Peristyliis*, *Zoophoris*, *Coronidibus*, quæ singula pro diversorum Ordinum ratione quoque inter se differunt singillatim. *Basis* est altera pars Columnæ, Stylobatæ proxime superimposita, ut Basi Truncus Columnæ, sive Stylus Scapusve. *Scapo* imponitur *Cephalium*, plane ut corpori humano caput. *Epistylium* est velut magna trabs perpetua, e lapide aut materiario opere, a columna ad columnam pertinens, & secundum longitudinem suam duobus Cephaliis hinc & inde imposita, uti si duo homines supra sua capita ferrent trabem aut tignum. Græci Ἐπιστύλιον dicunt, quasi ἐπὶ τῷ στύλῳ: *supercolumnium* diceres Latine. *Zoophorus*, nobis *Phrise*, forsan corrupta, ex postremis syllabis Græci illius nominis, voce, est velut fascia lata & plana, immissa inter Coronidem & Epistylium. *Coronis* autem, quæ nostris Architectis est *Corniche*, summa est omnium Columnæ partium in Architectura: nomen autem ei Græcum dedit vox κορώνη, quæ *summitatem*, *fastigium*, *culmen*, *apicem* alicujus rei notat.

7. Differentia omnium harum partium est, cum a diversitate proportionis, quæ singulis speciatim intercedit cum suæ Columnæ Scapo, tum & a diversitate Modulorum, ex quibus singulæ istæ partes componuntur. Nimis longum foret, hic percensere singularum, quas dixi, partium inter se symmetriam & proportionem, super quibus Architectorum filii & libri consulantur: obiter tantum nonnihil dicere de *Lineamentis* sive *Formis* sive *Modulis*, non ab re erit, quippe qui cuivis harum partium singulari sint ornamento. Francogallice eos appellamus *Moulures*, forsan a *Modulorum* vocabulo: utuntur enim Architecti tabellis quibusdam ligneis, super quibus diagraphica specie designant, aut exarant futuri Ædificii *Modulos*, ad has vero tabellas delineatione ista informatas lapicidæ, scalptores, sculptores & similes artifices postea elaborant materiam & lapides, dum illas materiæ applicant, ne *Moduli* a justa dimensione declinent aut aberrent. Alius enim est *Modulorum* numerus in Stylobate *Dorico*, alius in *Ionico*, alius in *Corinthio*; alia item symmetria & proportio dimensionis; nec non aliæ singulis *Modulis* figuræ pro diversitate dictorum ordinum. Generatim vero tres sunt *Modulorum* species. Quidam enim sunt eminentes & projecturam habent; quidam vero sunt plani & æquales; quidam tandem coarctantur & introrsum concavi sunt. Ad primam speciem referri possunt *Tori*, *Echini* & *Astragali*. *Torus* a Græcis Latinisque dicitur, quod imitetur musculum crassiorem carneum, qui, secundum longitudinem suam, quadam rotunditate in corporis bene curati & compacti superficie turgens prominet: Gallis nostris est *le Bozele*. *Echinus*, qui nostris Gallis dicitur *Eschine*, *Cordon* aliis, aliis *Quart-de-rond*, est Torus dimidia-

tus: Græcis Ἀκανθα, Latinis *Spina* aut *Torquis* etiam nominatur: quod si duo Tori conjungantur, ut sæpe fieri solet in Basibus Ionicis, Corinthiis & Compositis, dicitur voce Græca, sed etiam Latinis, *Astragalus*, quæ os quoddam talli ovili, cui hæc duplicati Moduli forma est similis, denotat. *Moduli* plani & æqui sunt formæ quadratæ, majores & minores. Majores sunt similes lateri quadrangulo æquilatero, unde Græci eas dixerunt Πλίνθιον, vocabulo diminuto a πλίνθος, quod *laterem* significat: Latini *Latastrum* a *latitudine*, quod æqualiter versus omnia latera dilatentur in latitudinem, & aliqua ex parte referant literam L. Formæ autem quadratæ minores sunt quasi Plinthia dimidiata, & similes sunt quadris, unde nonnulli ea vocant Francogallice *Tranchoirs*: Latini eas appellant *Tænias* aut *Fasciolas*, quia *fasciolas* sive *nextrum* aut *nextrulum*, a nectendis capillis ita dictum, imitantur, quibus fœminæ capillos suos intorquendo implicant. *Moduli* qui coarctantur & introrsum cavantur, sunt *Trochilus* & *Scotia*, quorum hæc *Echino*, ille *Toro* sunt contrarii. *Trochilus* Græca voce dicitur ab orbiculo in gyrum concavo, qualis in *trochlea* videtur, & per quem funis ductatur & circumtorquetur. *Scotia*, nostris Francogallis *Nasselle*, Græcis Ναῦς, est dimidiatus Trochilus.

8. Sunt præterea duo *Moduli*, qui habent simul & conjunctim projectionem, atque coarctationem concavam, quales *Compositi Moduli* vocari possunt; suntque *Gulæ* & *Undulæ*. *Gula* vel *Gulula* ita dicta a similitudine *gulæ* humanæ, est vel recta vel inversa. Recta est similis literæ S positæ sub litera L hoc fere modo:

L.
S

Inversa est similis eidem literæ sibili inversæ & positæ sub litera L hoc pæne modo: L
S

Undula tandem, Francogallis nostris *Doucine* dicta, figuratur eadem litera sibili secundum longitudinem inclinata ∽, quo situ undam undulantem satis exhibet, posita sub litera L hoc modo: L
∽

Vidimus itaque præcipuos *Modulos* sive *Formas* sive *Lineamenta*, quibus Architecti partibus ædificii gratiam conciliare student. Solent autem ea distinguere & inter se, alterum ab altero, separare parvis interstitiis & intervallis, quæ vocant *Lineas*, nostrates vero Architecti *Filets*, quæ non sunt *Moduli*, sed Modulorum separationes, quæ illos distincte & sine confusione oculis videndos exhibent.

9. Porro horum *Modulorum* alii habent superficiem æqualem & planam; alii figuratam sculptura aut cælatura, non passim & promiscue per saturam, sed ad Artis præscriptum: in Toris enim sculpuntur *Ova*, nostratibus Architectis *Oves*: in Echinis *Plinthides*, nobis *Billettes*, & velut baccæ lauri ac instar margaritarum trajecto filo confertarum & contextarum, quas nostri Architecti *Colaves* appellant: in Gulis & Undulis sculpuntur Foliorum Frondiumque contextus, nostris *Fueillages*: in Fasciis planis *Conchæ*, nobis *Coquilles*: in Plinthis *Denticuli*, nobis *Dentilles*. Moduli hi sunt quasi sparsi & distributi, secundum Artis præcepta, per omnes ædificii architectonici partes, secundum cujusque naturam & conditionem.

10. *Stylobatæ* prima pars erat Plinthium quadratum, in quovis ordine Architecturæ, quod nonnulli nostra vernacula vocant, *Pied*, *Patin*, aut *Soulier*, ceu diceres *Pedem*, *Crepidam*, *Calceum*: hinc erant aliquæ Gululæ aut Undulæ, secundum præfinitum, quem sequerentur, Architecturæ ordinem, *Basis* componitur ex Plinthio, Toro, & Trochilo: in ordine Ionico, Corinthio & Composito additur Astragalus, Echinus & Scotia. *Epistylium* in summa parte unam habet Gululam, & sub hac tria quasi coria, intersectiones aut interstitia linearum, similia tribus fasciis æqualibus, ex quarum summa, in ordine Tuscanico & Dorico, Guttæ plerumque dependent. *Zoophorus* in iisdem ordinibus habet *Triglyphos*: sed in ordine Ionico, Corinthio & Composito *Zoophorus* ordinaria habet ornamenta, Angelos Geniosve alatos, homines, bruta, ramos, folia, flores, quæ omnia gaudent vita, ut cum vulgo Scholarum loquar, rationali, sensitiva, vegetativa, unde nomen Græcum Ζωοφόρος, quasi dicas *viviferum*, aut *animaliferum*. In duobus prioribus ordinibus in Zoophoro sursum formatur quasi asserculus, ex quo dependent *Triglyphi* & *Guttæ*. *Triglyphi* sunt certa quædam ornamenta quadrangula, propria Zoophoro Tuscanico aut Dorico, exhibentia tres canales, tanquam liras aut sulcos lapidi insculptos, ex quibus pendulæ Guttæ, ceu pondere suo jam jam caducæ, defluunt & dependent. Græcis Γλύφις aut Γλύφη est *Scalptura*, *Cælatura*, unde Triglyphis nomen, quod plerumque tres scalptas habeat crenas aut canaliculos guttatos, aliquando integros, aliquando vero sic dispositos, ut bini canaliculi sint integri & medium locum occupent, tertius vero sit dimidiatus divisusque in duas partes æquales, quarum altera hinc, altera inde extremum Triglyphorum utrimque prætexit & finit. Intervalla sive interstitia inter Triglyphos dicuntur *Metopæ* sive Cava Columbaria, & plerumque exornantur rosis, lancibus, pateris, catinis, vasisque, quorum in sacrificiis erat usus, aut etiam veluti sceletis capitum bubulorum, equinorum, aut similibus aliis Ægyptiorum hieroglyphicis. *Zoophorus* quoque recipere potest in suo Modulo *Inscriptionem*, quæ Auctoris qui ædificium exstrui curavit, nomen, honores, munia, laudes indicet; aut etiam, cujus memoriæ & honori sit dedicatum ædificium. *Coronis* inter Modulos est ornatissima omnium; recipere enim potest Torum, Echinum, Gulam rectam & inversam, cum omnibus ornamentis Ovorum, Foliorum, Plinthidum, Baccarum, & cæteris, quorum usum κατ' ἐξοχὴν esse in Modulis diximus. Porro *Coronis* proprius est locus *Mutulorum*, quos nostrates appellant *Modillons*: nam quemadmodum Triglyphi sunt in usum tracti ad extremitates tignorum, qui ultra murorum crassitudinem prominebant, occultandas & velandas, & capita ista tignorum velut denotanda; ita *Mutuli* in usum venerunt ad canteriorum extrema sive projecturas exhibendas aut imitandas, unde ordinarii *Mutuli* collocantur proclinati. Tandem *Coronidis* extrema pars est, quæ *Cymatium* dicitur, aut & totius nomine *Coronis*, toto pro parte posito. *Coronis* enim aut *Cymatium*, nobis *Corniche* & *Cimaise*, dicitur Modulus summus, & præ cæteris projecturam habet maximam. Hac significatione, Coronis videtur in Stylobate, Fronte, Fastigio, aliisque corporibus & structuris, quæ ex pluribus Modulis componuntur. *Cymatii* vox Græca est, Κῦμα, Κυμάτιον, quæ significat secundum Plinium *H.N.* XIX. 8. & Columellam *de R.R.* X. *vs.* 129. XII. 7. prototomum & teneriorem brassicæ cauliculum, sive turionem; & hinc *Cymæ* vox transfertur ad montium cacumina aliasque rerum altiorum summitates. Hinc etiam apud Architectos usu venit pro corpore ex pluribus Modulis composito, quales sunt partes & membra Frontis in aliquo ædificio.

11. *Frons* enim Ædificii, nobis *Frontispice*, pars est, quæ ornatus caussa supra Coronidem collocatur: & componitur ex duobus *Cymatiis*, sive duplici Modulorum serie, qui ab extremis Coronidibus molliter & leniter ad se assurgunt acclinati,

donec in media ſummitate per angulum coeunt & connectantur: componuntur vero *Cymatia* iſta ex iiſdem Modulis, ex quibus *Coronis*. *Faſtigium*, noſtris Architectis *Fronton*, ſimile eſt *Fronti*, niſi quod illud ex una parte ad ſpeciem arcus molliter & leniter ſupra Coronidem ſinuati fiat. Aliquando utrumque Frontis *Cymatium*, ab utraque Coronidis extremitate aſſurgentia, circa medium intercipiuntur, nec in medio connectuntur aut coeunt, ſed ſeparatim utrimque in lineas ſpirales terminantur, & vacuum relinquunt intermedium locum, ut ibidem aliquid pro Architecti lubitu poſſit collocari, veluti ſtatuæ dimidia ſui parte truncæ, quæ vulgo nobis *en buſte* cognominantur, aut etiam Gentilitiorum ſcutorum teſſeræ, typi ac ſymbola: quibus poſterioribus etiam ſæpius ſolent exornare planum *Tympani* fundum, ut ſic dicam. *Tympanum* enim eſt quaſi area & interior fundus *Faſtigii* aut *Frontis*, exhibens corpus ipſum & continuationem materiariæ ſtructuræ. Ex *Frontis* aut *Faſtigii* medio & extremis utrimque aſſurgunt & eminent velut tres Stylobatæ minores, ſive imaginum collocationes & quaſi loculamenta, in quibus ſtatuæ marmoreæ, aut æreæ collocantur, quæ omnium extremæ & ſummæ ſunt partes ornamentorum operis plenæ & perfectæ Architecturæ. *Plenæ* & *perfectæ*, inquam, Architecturæ, quia *Frons*, *Faſtigium* & *Loculamenta* cum *Statuis* non in quibuſvis paſſim Architecturæ operibus videntur; nec adeo ſunt neceſſariæ, uti partes præcedentes, quas recenſuimus.

12. Cæterum *Cephalia*, *Capitula*, *Capitella*, quæ idem notant, & ſunt nobis *Chapiteaux*, huic loco reſervavimus, quia merentur, ut ſingillatim de his diſputemus. Quinque igitur *Capitellorum*, ut totidem ordinum, ſunt ſpecies, quæ ordinibus ſunt cognomines. Sunt enim *Capitella*: *Tuſcanicum*, *Doricum*, *Ionicum*, *Corinthium* & *Compoſitum*. Omnium ſimpliciſſimum eſt *Tuſcanicum*, quod in ima ſui parte habet faſciolam rotundatam, quam nonnulli Architecti vernacule appellant *Frize*: hæc dividitur a ſcapo vel trunco columnæ duobus minoribus Modulis, quorum alter inſtar Tori aut Torquis rotundatur, dictus a nonnullis vernacule *Armille*, *Rondeau* aut *Anneau*, ſive Latine, *Armilla*, *Circulus* aut *Orbiculus*, *Annuluſve*: alter vero Modulus dicitur *Hypotrachelium*, & nobis ex vocis Græcæ ſignificatione *Gorgerin*, quaſi *Collare*, eſtque faſcia plana, quæ ſine ullis ornamentis ſupra ſe habet duos Modulos, quorum prior eſt *Gulula*, aut Echini ſpecies, nobis *Quart-de-rond*, quæ aſſimilatur lanci librariæ, unde nonnullis dicitur vernacule *Balancier*, ceu diceres *Lanciformem*: poſterior eſt Plinthium quadratum, cum ſua linea, quod lancis, quam modo dixi, quaſi operculum eſt. *Capitellum Doricum* exornatur, ex uſitato more, roſæ flore in Hypotrachelio, & ſupra hoc, Echino; extrema parte habet Plinthium, quod Abacum ſuum ſuſtinet; omnia autem ſunt diſtincta tribus Lineis. *Capitellum Ionicum* non habet Faſciæ capita ſeu fines, ſed componitur ex Voluta in formam Echini facta, ſub quo Scapus Columnæ conjungitur inter flexus duorum Tetrantum inferiorum, quos *Pendants de la Volute* vocant noſtri. Echinus, nobis *Liſteau de la Volute*, ſive *Tænia Volutæ*, pro more ornatur *Ovis*, quibus *Jacula hamata* ſive hamis recurvis utrimque armata intermiſcentur, atque operitur ſive tegitur ſuo Plinthio, uti Gulula (*Balancier* nobis) in Ordinibus præcedentibus. Cæterum *Tænia* iſta *Volutæ* cum ſuis *Ovis* tantum ante & poſt conſpicitur, quod ab utroque, dextro & ſiniſtro, latere bini Volutæ flexus ſive volumina, involuta & implicata in cochleæ modum conſpiciantur, quæ per lineas ſuas ſpirales exhibent capillos Dianæ, in nodum & gyrum collectos & convolutos, atque connexos colligatoſque utrimque faſciolis ſeu nextrulis, quibus puellæ capillos ſuos ſolent intorquere & implicare: nonnulli has linearum ſpiralium intimas in medio implicationes appellant *Oculos Volutæ*, nobis *Les yeux de la Volute*. Tribus his, quæ diximus, Capitulis altius eſt *Corinthium*, cujus inventio debetur *Callimacho*, quæ ſic memoratur eſſe facta: (apud Vitruv. IV. I.) *Virgo civis Corinthia jam matura nuptiis implicita morbo deceſſit: poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & impoſita in calatho pertulit ad monumentum, & in ſummo collocavit, & uti ea permanerent diutius ſub divo, tegula texit. Is calathus fortuito ſupra Acanthi* (noſtri Botanici Brancam Urſinam quoque vocant) *radicem fuerat collocatus. Interim pondere preſſa radix Acanthi media folia* (quæ latiora ſunt, & altius excreſcunt) *& cauliculos circa vernum tempus profundit, cujus cauliculi ſecundum calathi latera creſcentes, & ab angulis tegulæ, ponderis neceſſitate, expreſſi flexuras in extremas partes Volutarum facere ſunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam & ſubtilitatem artis marmoreæ ab Athenienſibus Catatechnos* (quaſi diceres ingenioſum & induſtrium) *fuerat nominatus, prætериens hoc monumentum, animadvertit, eum calathum, & circa foliorum teneritatem, delectatuſque genere, & formæ novitate, ad id exemplar, columnas apud Corinthios fecit, ſymmetriaſque conſtituit, ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis diſtribuit rationes.* In hoc *Capitello* ſunt folia, quæ quaſi integra & tota in conſpectum veniunt, alia quaſi dimidia ſui parte, uti ſi poſt illa integra & ſub illis creſcerent: majora & quaſi firmiora ſuſtinent quatuor Abaci angulos, nobis *Encoignures*, octo folia autem protrudunt ſuos cauliculos & acumina ad angulos Plinthii, unde deflectuntur & curvantur in exiguas Volutas. Supereſt *Capitellum Compoſitum*, ita dictum, quod componatur ex Corinthio & Jonico. Nam ſupra folia Acanthi habet, ad inſtar Ionici, Volutas in quatuor angulis Abaci prominentibus, qui nobis *Encoigneures*: inſuper ibidem habet Helices, quæ nobis *Urilles*: hæ autem ſunt, aliæ lineæ ſpirales in medio cujuſque lateris, ſimiles Volutis & eodem modo colligatæ tæniis ſive faſciolis. Aliter etiam noſtris Architectis appellantur *Cartoches* vel *Cartouches*, ſupra quas in craſſitudine Abaci exteriore, qui Capitellum tegit, pro more uſitato ſculpuntur Roſæ, quæ noſtris Architectis dicuntur *Roſaches*. Alii volunt *Capitellum Compoſitum* ſic eſſe dictum, quod magis debeatur compoſitis inventis, quam certis præceptis; & quod arbitrio Architecti relinquatur, unde & quomodo illud componere ac exornare pro lubitu velit. *Capitellum* hoc quoque vocatur *Italicum*, quia Romanis ejus debetur inventio, qui primi auſi ſunt commiſcere ordines, ut alter alteri ſubſidio eſſet: ſed fere tantum eo ordine in Arcubus Triumphalibus ſunt uſi, uti ordinibus Dorico, Ionico & Corinthio in Theatris & Amphitheatris.

13. Hactenus diſputavimus de quinque Architecturæ ordinibus, eorum ornamentis, & columnis, a quibus nomina ſua acceperunt. Secuti ſumus in hac diſputatione præcepta & præſcripta, aut, ſi mavis, regulas Artis communes & generales; quarum tamen rigidi obſervatores, Architecti quandoque non ſolent eſſe, ſpeciatim quantum attinet ad Symmetriam Columnarum cum ſua Diametro: nam ut operi ſuo gratiam concilient, ſæpe negligunt regulas, & ſcapos ſeu ſtylos Columnarum breviores aut longiores, ut ipſis e re & ratione eſſe videtur, faciunt. Quod ipſum in Dianæ Epheſiæ

A templo est factum. Licet enim Ionica Columna secundum Artis præscriptum tantum octo diametros alta sit, attamen Artifices columnis ibi suis in altitudinem dederunt octo diametros & semissem, ut tanto melius Dianæ, in cujus honorem Ionica columna est inventa, gracilitatem, teneritatem & subtilitatem imitarentur. Uti e contrario optimi Architecti quandoque coguntur demere aliquid altitudini columnarum secundæ & tertiæ stegæ seu contignationis, metuentes scilicet, ne tanto interjecto interstitio radius visorius nimium imminuatur, & columnæ nimium tenues appareant oculis eorum, qui eas ab imi soli superficie in- B tuentur.

14. *Columnæ* autem sunt *Rotundæ* & quasi in ambitum orbiculatæ; ita tamen, ut semper graciliores sint sursum, quam deorsum. Præterea ad opera magnorum Ædificiorum sæpe in usum venisse cernimus quoque Columnas *Quadratas*, sive quaternis angulis pari laterum intervallo. Hæ quamvis generatim dicantur *Atticæ*, ab inventorum nomine; tamen ad singulos speciatim ordines, quos supra diximus, possunt referri, si modo Artis præscripta in proportione & symmetria, quam quivis singillatim habet ordo, accurate, æque ac in *Rotundis* Columnis, observentur; videlicet C dimetiendo scapum quadratum per suas diametros, & servando eosdem numeros, longitudines, mensuras, modulos & rationes, quas supra recensuimus, in earum Quadratarum Stylobate, Basi, Capitello, Epistylio, Zoophoro & Coronide.

15. Superest species *Columnarum Irregularium* sive *Anomalarum*, quæ vulgo appellantur nobis *Balustres*: possemus easdem Latine vocare *Balaustras*, quod aliqua ex parte referant florem mali Punici silvestris, quem Greci Βαλαύστιον vocant, de quo Dioscorides I. 154. Hæ *Balaustræ* nullam certam habent proportionem aut symmetriam, sed D ad libitum fiunt, aliæ rotundæ & orbiculatæ, aliæ quadratæ, aliæ triquetræ; nec ad ullam quinque ordinum Architectonicorum, quos recensuimus, speciem possunt referri.

16. Denique, ut hoc addamus, notandum, quod si Ædificium sit polystegum aut plurium contignationum, sic ut ex necessitate ordo alius alii sit superponendus, uti tum hæc observetur ratio, series & dispositio, ut *Doricus* ordo sit super *Tuscanicum*; *Ionicus* super *Doricum*; *Corinthius* super *Ionicum*; *Compositus* super *Corinthium*. Hanc dispositionem observarunt veteres Architecti in Templis, Basilicis, Curiis, Circis, Theatris, Am- E phitheatris, aliisque magnis & magnificis Ædificiis, quæ descripsimus generatim supra *Sect.* VIII. hujus libri. Horum Ædificiorum excellentia & artificium nullo modo ab animo comprehendi potest sine ope Architecturæ, quippe cujus leges & præscripta observabantur & in toto opere & in singulis ejus partibus. Cerneres ibi magnas e marmore columnas, omnibus suæ Architecturæ partibus, excultis & exornatis singulatim per suos Modulos & Ornamenta superius speciatim recensita, perfectas, quæ Romam redderent omnibus ex toto orbe spectatoribus admirandam. At quamvis secundum leges Architecturæ communes, ta- F lis, qualem modo dicebamus, sit ordinum dispositio & series, sunt tamen Architecti quidam hodie, qui non dubitant Ordinem *Corinthium* collocare super *Doricum*; *Compositum* super *Ionicum*; & *Ionicum* super *Tuscanicum*: verum hoc fit contra communem & usitatum veteribus morem, & contra receptas Artis leges & præscripta.

SECTIO XI.

De Ornamentis, quæ partem faciebant ipsius Corporis magnorum Ædificiorum.

1. *Ornamenta Ædificiorum, sub nomine Tectorii operis aut Incrustationis, erant quatuor generum.* 2. *Primi generis divisio in tres species, Opus Albarium, Arenatum & Marmoratum.* 3. *Alterum genus, Crustæ Marmoreæ. Quis primus iis Romæ fuerit usus.* 4. *Quando Marmora cœperint pingi, auro induci, & exornari opere Lithostroto.* 5. *Tertium genus Incrustationis habet duas species auri argentive inducti, aut per folia tenuissima malleo diducta, sive bracteas, aut per laminas solidas hujus illiusve metalli. Auri foliati, seu bracteati, inducti exempla.* 6. *Domus Aurea Neronis, Domus inauratæ Domitiani & aliorum Procerum Romanorum.* 7. *Ædificia exornata solido crassoque auro aut argento: item margaritis & gemmis.* 8. *Quartum Incrustationis genus, operis Tessellati & Musivi: quid Abaci, Specula & Orbes.* 9. *Vitrum est materia Pigmenti metallici. Encaustum.* 10. *Seneca talia opera eleganti & gravi censura notat.*

1. NObilis Romanorum audacia & magnanimitas non tantum suis ædificiis pulchritudinem quærebat ex Architecturæ artificio, qua omnes eorum partes justa symmetria, proportione & ordine adaptabantur: sed addebat insuper etiam alia ornamenta, quæ architecturæ legibus subjecta non erant, & quæ tamen ipsa non forte fortuna ac temere, sed judicio & consilio Architecti locum suum in ædificiis habebant. Plurimum hæc ipsa contulerunt ad ornatum & decorem Viarum Urbis Militarium, ad quæ ista ædificia erant adsita. Ornamenta hæc sub nomine *Tectorii operis* aut *Incrustationis* generatim comprehenduntur, suntque inductiones quædam & paraturæ ornatus, ut sic dicam, vestiarii, quo muri, tabulata, pavimenta, zoophori, aliæque ædificiorum partes erant *tecta* & *incrustatæ*, uti panis sua operitur & vestitur crusta, unde & nominum ratio petenda. Hujus *Incrustationis* præcipue quatuor erant genera.

2. Primum *Tectorii* aut *Incrustationis* genus erat inductio simplicis intriti, quod nostri generatim *Mortier* vocant. Id si foret ex sola *Calce*, qua Architecti Latini tantum ad dealbationes utebantur, dicebatur *Opus Albarium*; si *Calci* admisceretur *Arena*, erat *Arenatum*; si vero *Calci* adderetur *Marmor* in pulverem contusum, appellabatur *Marmoratum*, Græcis Μαρμάρωσις. Illa intrita intelligit Plinius *H.N.* XXXVI. 23. ubi ait: *Tectorium, nisi ter Arenato, & bis Marmorato inductum est, non satis splendoris habet.*

3. Altera species *Incrustationis* est, cum *crustæ Marmoris*, per artifices, superficiei parietum inseruntur, ut solent gemmæ auro includi: sic ut domus nobiles iis crustis essent ubique inductæ & vestitæ. Hinc Fabianus Papirius apud Senecam *Controv.* II. 9. querulus quærit: *In hos ergo exitus varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat?* Teste Plinio *H. N.* XXXVI. 6. *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte, Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia.* Atque, ut ex Plinio porro colligimus, secuti sunt hoc Mamurræ exemplum M. Lepidus & L. Lucullus; & tandem mirificum hæc incrustatio incremen-

tum cepit magnificentia Imperatorum, & plurimorum Civium lautiorum atque in ædificiis magnificorum.

4. Neque hic substitit magnificus ille luxus: non enim placuit nativo colore Marmor, nisi adscititio varie esset picturatum, adeo ut ipsæ Tabularum picturæ præ hoc exolescerent: iterum testem audiamus Plinium XXXV. 1. *Nunc*, ait, *in totum marmoribus pulsa est* Pictura; *jam quidem & auro: nec tantum, ut parietes toti operiantur, verum & interraso marmore, vermiculatis ad effigies rerum & animalium crustis: non placent jam Abaci*, (ii sunt magnæ quadræ marmoreæ) *nec spatia montis in cubiculo delitentia; cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis vero, maculas, quæ non essent, in crustis inserendo unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent, deliciæ.* Verba Plinii clara sunt; quæ tamen ridiculum in morem Interpres ejus Gallicus reddit, nam ex *Numidico* & *Synnadico*, ceu alter Deucalio ex lapidibus homines, facit duos Cives Romanos, quorum ille ovationis honore, hic triumphalis *purpuræ* fuerit insignis. Sed tu consule de *Marmore Numidico* Isidorum *Orig.* XVI. 5. de Urbe Phrygiæ *Synnada* & *Marmore Synnadico* vide Stephanum *de Urb. hoc nomine*, & Strabonem *Geogr.* XII. *p.m.*230. Utrumque hoc marmor, sub nomine *Libyci Phrygiique silicis*, innuit in magnifica Violantillæ domo Statius *Sylv.* I. 148. *& seqq. in Epithal. Stellæ & Viol.*

Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, queis purpura sæpe
Oebalis & Tyrii moderator livet aheni.

Numidicus vero *ovatus*, ne quid erres cum Interprete Pliniano, est idem, qui *auratus*: ita enim ipse exponit Plinius *H. N.* XXXIII. 3. *in fin.* ubi inquit: *Marmori, & iis, quæ candefieri non possunt, ovi candido* Aurum *illinitur*. Sane Marmoris tinctura ad tantam venerat excellentiam, ut, Statio *l. l.* canente, nitori ejus purpureo tinctores Lacedæmonii & Tyrii, alioquin purpuræ tingendæ expertissimi, inviderint.

5. Nihil addam de Marmoris hujus colorati excellentia, aut de illius in opere usurpandi ratione, quod de his prolixe egerim supra II.21.§.4.& *seqq.* Venio itaque ad tertium *Incrustationis* seu *Tectorii*, quo Romani sua ædificia intus & extus exornabant, genus, quod fiebat *Auro* vel *Argento puris*. Fiebat hoc duobus modis, cum *Bracteis* Auri Argentive, tum *Laminis* Auri Argentive *solidis* & *crassis*. Romani maxima fecerunt impendia in Auro bracteato tam Templis, quam Ædibus privatis inducendo. Jovis Capitolini Templum inauratum fuit intus & extus diu ante Imperatorum tempora; & diversis temporibus impensæ in illius Templi ornatum summæ immensæ & pæne incredibiles. Audiamus testes. Plinius *H.N.* XXXIII. 3. ait, *Laquearia post Carthaginem eversam primo inaurata fuisse in Capitolio, L. Mummii censura*, procul dubio, ex parte aliqua manubiarum. Hæc intus. Extus vero, Catulus, qui ad divitiarum ostentationem & ad venerationis, qua sacra sua & religiones colebat, testificationem, de suo Capitolium restituit, inauravit æreas Tegulas. Hinc Plinius *l.l.* ait, quod *sua* Catuli *ætas varia de Catulo existimaverit*, caussa addita, *quod Tegulas æreas Capitolii inaurasset primus*. Sed enim, quod magis est notandum, Templum hoc sæpius exustum, semper priori splendori redditum, præcipue ratione inaurationis per omnes illius Templi partes. Cum Vitelliana seditione incendio esset consumtum, Vespasianus illud restituit, & impendit ad inaurationem solam renovandam LX. millia librarum auri puri. Hoc ubi rursus brevi post a decessu Vespasiani arsit, illud ex cineribus denuo excitavit filius hujus Domitianus, idque magnificentius, quam antea. Plutarchus enim *in Vita Poplicolæ c.* 23. ait *in* hujus instaurati templi *solam inaurationem, privatum omnem modum excedentes opes esse impensas, nempe supra duodecim millia Talentorum*. Ea sunt nobis septuagies bis centena milla Philippeorum, sive septem milliones & quod excedit. Imo & Tegulas æreas videtur denuo inaurasse idem Domitianus, ut colligimus ex Procopio *de Bell.Vandal.lib.* I. qui adnotavit, *Gensericum*, sive, ut alii scribunt, *Gizerichum Regem Vandalorum*, cum alia *decora Romana*, secum *in Africam vexisse*, tum & *partem Tegularum Jovis Capitolini ex ære inauratarum dimidiam*. Ideo canit de hoc præprimis Templo Rutilius *Itinerar.* I. 95.

Confunduntque vagos Delubra micantia visus:
Ipsos crediderim sic habitare Deos.

Profecto nusquam magis immensas suas divitias ostentarunt Romani Imperatores, quam auri prodiga perditaque profusione. Sic Caligula auri limati pulvere cooperuit totam Circi arenam, ut colligimus ex Suetonio, *Cal. c.* 18. Agrippa Pantheon suum non modo intus inauravit, sed etiam extus auro contexit. Adeoque non sine ratione ob hanc inaurandi luxuriam quærit exclamans Persius *Satyra* II. 69.

At vos
Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?

6. Quid dicemus autem de *Aurea* Neronis *Domo*, *cujus tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias* (sive dimidiæ Leucæ nostratis) *haberet*? Porro *in cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur.* Hæc tradit testis classicus Sueton. *Neron.c.* 31. Noluit Neroni cedere furiosis & insanis impendiis Domitianus: audi Plutarchum *l.l.* (*aut edit. Lat. Gr. majoris p.*105 *B.*) *At quibus facit Capitolii magnificentia admirationem, hi unam si in Domitiani domo videant porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam: cujuscemodi est Epicharmi ad gurgitem dictum:*

Non benignus es, habes morbum,
Profusione gaudens:

consimile quid ad Domitianum cogantur dicere: Non tu quidem religiosus, nec magnificus es: morbo teneris: gaudes, cum in ædificia omnia profundas, qui, ut Midas ille, omnia tibi aurea fieri & gemmea cupis. Imo vero plane est mirificum, quod Templum tam magnifico ornatu inauratum, quale erat Capitolinum, eviluerit comparatione vel unius partis in Domo Imperatoria: neque tamen soli Imperatores Domos suas inaurarunt, vulgo id factum. *Inde* enim e Templo Capitolino *transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi, tanquam vasa, inaurantur*, teste Plinio *l. l.* sed Divus Hieronymus *Epist. ad Gaudent.* de sua ætate ait: *Vivimus, quasi altera die morituri, & ædificamus, quasi semper in hoc sæculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Vulgatum quoque morem, Pro-

pertii ætate fuiſſe, peregrino marmore, cameris eburnis, trabibus auratis ædificia exornari, ipſe tradit: canit enim III. *vſ.* 6.

Quod non Tænariis domus eſt mihi fulta metallis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.

7. Altera ſpecies Incruſtationis hujus, ſive Tectorii inaurati erat, cum *Laminæ aureæ* aut *argenteæ* a fabris aurariis aut argentariis factæ, inducebantur trabibus tigniſque domuum, janus poſtibuſque Templorum, ſtructuris & parietibus Amphitheatrorum. Laminæ hæ aureæ aut argenteæ dicebantur *Craſſum* vel *Solidum Aurum, Argentumve*, ad differentiam *Bractearum* auri aut argenti quibus ſimplex inauratio aut argenti inductio fiebat. Videtur Laminarum aurearum uſus fuiſſe communis ævo Domitiani, cujus tempore priſcam frugalitatem cum ſuæ ætatis luxu comparans Statius *Thebaid.* I. 144. canit:

Et nondum craſſo laquearia fulta metallo,
Montibus aut late Graiis effulta nitebant
Atria.

Hinc etiam laudem Juliano Imp. arceſſit Mamertinus, *in Paneg. Juliano Imp. dicto*, (*inter Paneg. Vett. edit. minoris H. Stephani* 1591. *p. m.* 168.) cujus animus voluptatum victor omnes delicias & luxum abjeciſſet: *Neque enim ei*, ait, *comparandæ ſunt picturæ, marmorum cruſta & ſolido auro tecta laquearia, qui majorem anni partem in nuda humo cubet, cœlo tantum tegatur.* Ita quoque exornat Cleopatræ regiam Lucanus X. 112. *& ſeqq.* & Laminarum aurearum ea tectoria obiter traducit, quaſi his vel corruptius ſæculum vix in Templis locum dediſſet: verba ejus ſunt:

Ipſe locus Templi, quod vix corruptior ætas
Exſtruat, inſtar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.

Templi mentio hic nos admonet ad fores Capitolini Templi, quæ auro ſolido iuductæ, eodem, Honorii ætate, per Stiliconem ſpoliatæ ſunt: rem narrat ſuo more Zoſimus *in vit. Honor. c.* 19. *p. m.* 114. (*in Script. Hiſt. Aug. Tom.* III. *ed. Lugdun.* 1593. *ap. Franc. le Preux.*) *Fertur*, ait, *& Stilico propter aliam quandam non abſimilem huic* Serenæ ſacrilegio *impietatem arcana Vindictæ non effugiſſe. Nam & is mandaſſe perhibetur, ut Fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis erant obductæ, laminis iſtis aureis ſpoliarentur. Eos autem, qui hoc facere juſſi fuiſſent, in parte quadam Forium perſcriptum reperiſſe: MISERO REGI SERVANTUR: atque huic ſcripturæ reſpondit eventus: nam miſere vitam finiit.* At omnium, quæ diximus, admirationem, ſuperat incredibilis Neronis magnificentia, quam nobis narrat Plin. *l. l. Nero*, ait, *Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati Regi Armeniæ oſtenderet*: confirmat Xiphilinus abbreviator Dionis Caſſii, *in vit. Neron. p.* 718. B. cujus verba appono: *Ipſum theatrum, non modo ſcena, ſed omnis etiam ejus ambitus intrinſecus erat inauratus, itemque cætera, quæ inferebantur, auro ornata erant; unde illum diem Aureum nominaverunt.* Hinc non ſine cauſſa illo breviſſimo, ſed luculento, encomio, Auſonius *in Ord. Nobil. Urb. Lemmate*: *Roma* I. *Romam* dicit *Auream*: *vſ. unico* I.

Prima Urbes inter, Divum domus, aurea Roma.

Sed & *Laminæ argenteæ* luxui inſerviebant: audi gravi nota luxum hunc taxantem Plinium *H. N.* XXXIII. 12. *Jam vero*, ait *pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento, feminæ laventur, & , niſi argentea, ſolia faſtidiant, eademque materia & cibis & probris ſerviat. Videret hæc Fabricius, & ſtratas argento, mulierum balineas, ita ut veſtigio locus non ſit, cum viris lavantium: Fabricius, inquam, qui bellicoſos imperatores plus quam pateram & ſalinum ex argento habere vetacat. Videret hinc dona fortium fieri, aut in hæc frangi! Heu mores! Fabricii nos pudet.* Quin imo pavimentis inſeri etiam margaritæ & gemmæ cæperunt: queritur & ſimul indignatur Seneca hunc luxum *Epiſt.* 86. ubi *Libertinorum* ſuæ ætatis *balnea* notat: *Eo*, inquit, *deliciarum pervenimus, ut, niſi gemmas, calcare nolimus.* Hinc Plinius *H. N.* XXXVII. 2. acriter in luxum invectus: *Quin imo*, ait, *etiam jus videmur perdidiſſe corripiendi gemmata potoria, & varia ſupellectilis genera annulos tranſeuntis*: notarat enim ante, luxum *Caii Principis, qui ſuper omnia muliebria ſocculos induebat e margaritis: & Neronis Principis, qui ſceptra, & perſonas, & cubicula viatoria unionibus conſtruebat*: adeoque ſcilicet tolerabilem eſſe cauſſam gemmatorum poculorum, cum vel uniones jam pedibus calcentur. Eandem magnificentiam decantat *in Tiburtino Manlii Vopiſci* Statius *Sylv.* I. 3. *vſ.* 47. *& ſeqq.*

Vidi artes veterumque manus, variiſque metalla
Viva modis: labor eſt, auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos.
Dum vagor aſpectu, viſuſque per omnia duco,
Calcabam necopinus opes.

atque hæc tantum Villa privata ſuburbana Civis Romani erat.

8. Quartum *Incruſtationis* ſive *Tectorii* genus erant *opera Teſſellata, Muſiva, Lithoſtrota & Ceroſtrota*, noſtris Gallis vernacule *Oeuvres de Marqueterie & de Moſaique*. Ex expoſuimus ſupra *li.* II. *ſect.* 21. quare hic non repetemus rationem nominum, eorum differentias, tam ratione formæ, quam materiæ. Hoc loco tantum addimus, præcipue duas ſpecies operum pigmenti metallici, nobis *Eſmaux*, in *Incruſtationibus* nobilium & illuſtrium domuum in uſum acceptas. Utraque fiebat in tabulis æreis, aut alterius metalli, cui liquato colores & picturæ inuri poſſent, aut ad ignem infundi & inſtillari. Tabulæ illæ metallicæ, ſi erant quadratæ, dicebantur *Abaci*; ſi erant formæ rotundæ, vocabantur *Specula*, & *Orbes*, ut docet Turnebus *Adverſ.* XXVI. 3. ad locum hunc Vitruvii VII. 3. *Ipſa Tectoria, Abacorum & Speculorum diviſionibus, circa ſe prominentes habent expreſſiones.* Hos Abacos, hæc Specula pigmenti metallici intelligit Seneca, acerrimus delicati & luxurioſi ævi ſui cenſor, ubi *Ep.* 86. in ipſa Scipionis Africani villa jacens Lucilio ſuo ſcribit & queritur his verbis: *Sub hoc ille* Scipio Africanus *tecto tam ſordido ſtetit, hoc illum pavimentum tam vile ſuſtinuit. At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & precioſis orbibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis undique operoſa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; niſi vitro abſconditur camera; niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit, in quas multa ſudatione corpora exinanita demittimus; niſi aquam argentea epiſtomia fuderunt. Et adhuc plebejas fiſtulas loquor: quid cum ad balnea Libertinorum pervenero?* Verum enim eſt illud Plinii *H. N.* XXXVI. 15. *Pulſa deinde ex humo pavimenta in cameras tranſiere e vitro*: ubi vult, primum ſolos parietes vitreatos, mox pavimenta tandem & concamerationes e vitro factas fuiſſe.

9. Cæterum non debemus mirari apud Senecam & Plinium Vitri nomine venire, quod nos vernacule diceremus *Pieces d' Eſmaux* : nam *Vitrum* præcipua eſt materia, qua, ope ignis, metallis inducuntur, illinuntur, agglutinantur colores & pigmenta figurarum: unde nonnulli hoc genus picturæ, nomine & re *Encauſtum* veterum eſſe putarunt, quod ea vox *Inuſtum* ſonet. At veterum *Encauſta* erant Tabulæ aut ex Cera pura, aut etiam ex Cera applicata ebori, itidem ope ignis elaboratæ. Verum hæ duæ ſpecies *Encauſti* veterum noſtris ſæculis ignorantur, ut ſequenti ſectione dicemus.

10. Finiam hanc de Architectura, de Ornamentis, de Incruſtationibus diſputationem gravi illa & eleganti cenſura, qua Seneca hanc vanitatem notavit; *Epiſt.* 115. *Quemadmodum viſus oculorum quibuſdam medicamentis acui ſolet & repurgari; ſic & nos, ſi aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perſpicere Virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate oppoſita, & humilitate & infamia objacentibus. Cernemus, inquam, pulchritudinem illam, quamvis ſordide obtectam. Rurſus æque malitiam, & ærumnoſi animi veternum perſpiciemus, quamvis multus circa divitiarum radiantium ſplendor impediat, & intuentem, hinc honorum, illinc magnarum poteſtatum falſa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit, quam contemnenda miremur, ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in precio eſt. Parentibus quippe, nec minus fratribus, præferunt parvo ære emta monilia. Quid ergo inter nos & illos intereſt, ut Ariſto ait, niſi quod nos circa tabulas & ſtatuas inſanimus, carius inepti? illos reperti in litore calculi læves, & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ columnarum, ſive ex Ægyptiis arenis, ſive ex Africæ ſolitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos; cum ſciamus, quale ſit, quod abſconditur. Oculis noſtris imponimus: & cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quam mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium iſtorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice & diſce, ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.*

SECTIO XII.

De Ornamentis Viarum Urbis Publicarum, quæ a Pictura accedebant.

1. *Simulacra Deorum Hominumque per Picturam, Sculpturam, Fuſuram, Cœlaturam, Scalpturam propoſita ob oculos.* 2. *Pictura fuit primus Ædificiorum cultus & ornatus.* 3. *Quis primus Picturas in publico dicaverit ſpectandas.* 4. *Qui primi exhibuerint Romæ Tabulas pictas peregrinas & externas. Scaurus plurimas habuit Tabulas.* 5. *Tabulæ rariores & precioſiores, Romæ celeberrimis locis publice dicabantur & ſpectande cuivis proponebantur.* 6. *Pictura Encauſtica cum maxime aut inuſitata aut ignorata.*

1. HActenus egimus de Ornamentis, quæ ſimul ad ipſum Ædificiorum corpus conſtituendum accedunt, atque huic ſunt continentes; accedamus nunc ad Ornamenta adſcita & addita, quæ, ut cum Scholis balbutiam, habentur tanquam partes accidentales, non vero eſſentiales & ſine quibus Ædificia tamen forent integra & perfecta. Diximus ſupra *Sect.* x. *§.* 3. eſſe illa Ornamenta, opera *Picturæ*, *Sculturæ*, & *Fuſuræ*. Veteres autem ſolebant ſimulacra Deorum Hominumque proponere per quinque genera operum, per *Picturam*, *Sculpturam*, *Fuſuram*, *Cœlaturam*, *Scalpturam*. Tria priora inſerviunt exornandis ipſis Ædificiis; poſteriora bina Conclavibus & Armariis. Artifices iſtarum Artium dicuntur *Pictores*, *Sculptores*, *Statuarii*, *Cœlatores*, *Scalptores*: eorumque opera *Tabulæ*, *Signa*, *Statuæ*, *Imagines* cœlatæ & ſcalptæ; quæ voces non omnino reſpondent vocibus noſtris vernaculis. Nam quas Latine *Imagines* appellant, eas noſtri Francogalli dicerent *Medailles*, *Pierres precieuſes ciſelées* aut *gravées*; ſcilicet *Numiſmata*, *Gemmaſque cœlatas* aut *ſcalptas*. *Cælatæ*, extra planam ſuperficiem gemmæ prominent dimidia eminentia ſive exſtantia: *Scalptæ* e contrario ſuam ſuperficiem refugiunt, & introrſum ſunt excavatæ, ſic tamen, ut cera molliori, aut noſtra lacca, ſimilibuſve rebus exprimi & ceu opus dimidiæ exſtantiæ poſſint exhiberi: nec enim male hoc animadvertit Ludovicus Demontioſius, *in Gallo Romano Hoſpite tit. de Sculptur. p.*16. cum dixit: *Gemmis enim Imagines cœlantur vel ſcalpuntur. Cœlatæ dicuntur, ſi e plana ſuperficie opus emineat: Scalptæ contra, ſi opus refugiat.* Porro, quæ Latini *Signa*, ea noſtri Francogalli vocarent *Images de bois*, *de pierre*, & *de marbre*, quaſi voce καταχρηστικῶς ſumta diceres *Imagines ligneas*, *lapideas*, *marmoreas*: hinc noſtri Francogalli eum nominant *Imager*, quem Latini *Sculptorem*. Tandem Latinorum *Statuæ* ſunt omnia ſimulacra per Fuſuram facta, nobis *Images de fonte*, ut ſectione ſequente accuratius videbimus. Ut ergo porro luſtremus Ornamenta Viarum Urbis Militarium, quæ modo proponebamus, initium faciemus ab iis, quæ Viis accedunt a *Pictura*: hæc enim inter ea, quæ in iſta Urbe prima cœpit ad ornatum & cultum adſciſci. Namque *Sectionis præcedentis §* 3. ex Plinii *H.N.* XXXV. 1. diſcere potuimus, principio, Picturam fuiſſe unicum ornatum Ædificiorum extus & intus, fuiſſe eam diu in uſu, donec ſero tandem incruſtationes marmoris & inductiones auri eam pepulerint loco, & ad *Tabulas* ſuas redegerint: Hæ tamen ſemper apud Romanos in precio & honore fuerunt, ac in publico, ad Vias Militares Urbis, aut aliis locis publicis celebrioribus, ubi commode & tuto adverſus aeris, pluviæ & hyemis injurias collocari poterant cultus, ornatus & decoris gratia, ſunt dicatæ & diſpoſitæ.

2. Tales fuerunt Tabulæ & Picturæ magnorum Ducum & Imperatorum Triumphalium: de his ita Plinius *H.N.* XXXV. 2. *Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emtori refringere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus, & erat hæc ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.*

3. *Suorum vero clypeos in ſacro vel publico privatim dicare primus inſtituit, ut reperio, Appius Claudius, qui Coſ. cum Servilio fuit anno Urbis* CCLIX. *Poſuit enim in Bellonæ æde Majores ſuos, placuitq; ex excelſo ſpectari, & titulos honorum legi. Decora res, utique ſi liberorum turba parvulis imaginibus, ceu nidum aliquem ſobolis, pariter oſtendat: quales clypeos nemo non gaudens favenſque aſpicit. Poſt eum Æmilius, collega in conſulatu Qu. Luctatii* (anno U.C. IↃCLXXVI) *non in Baſilica modo Æmilia, verum & domi ſuæ poſuit, id quoque maximo* (*Homerico*, Dalechampius conjicit legendum, alii *Martio*) *exemplo. Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum eſt, continebantur imagines; unde & nomen habuere Clypeorum, non, ut perverſa Grammaticorum ſubtilitas voluit, a cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in ſcuto cujuſque, qui fuerit*

usus illo. Hæc diligentissimus Plinius, quo duce & teste porro utemur *l.l.c.3.*pergit *c.4.Dignatio autem* Picturæ *præcipua Romæ increvit M. Valerio Maximo Messala, qui princeps tabulam picturæ prælii, quo Carthaginienses & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ, anno* U.C.ccccxc. *Fecit hoc quidem & L. Scipio, tabulamque Victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit. Idque ægre tulisse fratrem Africanum tradunt, iratum haud immerito, quoniam filius ejus in illo prælio captus fuerat. Non dissimilem offensionem & Æmiliani subiit L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus expugnationesque depictas proponendo in Foro, & ipse assistens populo singula enarrando; qua comitate proximis comitiis consulatum adeptus est.*

4. Omnes istæ Tabulæ Romæ fuerant pictæ. *Tabulis autem externis,*pergo cum Plinio *l.l.auctoritatem Romæ publice fecit primus omnium L Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cum in præda vendenda Rex Attalus* VI. *millibus sestertium emisset Aristidis tabulam, Liberum Patrem continentem, precium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro posuit: quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam; deinde video & in Foro positas vulgo*: mox paucis interjectis addit: *Sed præcipuam auctoritatem fecit publice tabulis Cæsar Dictator, Ajace & Medea ante Veneris Genitricis ædem dicatis:post eum M. Agrippa, vir rusticitati propior, quam deliciis. Exstat certe ejus oratio magnifica & maximo civium digna de tabulis omnibus signisque publicandis: quod fieri satius fuisset,quam in villarum exilia pelli.* Item *c.*11. *l.l.*ait: *Sicyon diu fuit patria picturæ. Tabulas inde e publico omnes, propter æs alienum Civitatis addictas, ædilitas Scauri Romam transtulit*: unde tantum tabularum habuit, ut non tantum ingens illud temporarium suum theatrum illis exornarit, sed & insuper iisdem abundarit.

5. Idem Plinius *l.l.c.* 10. *in medio* hæc de D. Augusto: *Romæ Castorem & Pollucem cum Victoria & Alexandro Magno; item Belli imaginem,restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante* pinxit Apelles: *quas utrasque tabulas Divus Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicaverat*. Erant autem Tabulæ istæ fere rarissimæ excellentissimorum antiquæ Græciæ Pictorum, quibus tabulis passim exornata splendebat Roma. Talis fuit *Pausiæ* grandis tabula, *boum immolationem* continens, spectata *in Pompeii porticibus*, quam *picturam primus invenit*, & *quam postea imitati sunt multi, æquavit nemo*, referente Plinio *l.l.c.*11. Talis tabula fuit *Polygnoti Thasii*,item in *porticu Pompeii, quæ ante Curiam ejus fuerat, in qua dubitatur, ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem*, teste eodem *l.l. c.* 9. Ex Græcia in *Capitolium* Romæ venerunt *Theseus Parrhasii*, item *Nicomachi Raptus Proserpinæ,quæ tabula fuit in Capitolio in Minervæ delubro, supra ædiculam Juventutis: & in eodem Capitolio alia,quam Plancus Imperator posuerat, Victoria quadrigam in sublime rapiens*:item *Apellis Venerem exeuntem e mari*,quæ Ἀναδυομένη vocatur, *D. Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris*: porro in *Templo Pacis* Romæ dicatus *Ialysus*, qui palmam habet tabularum Protogenis,in qua *canis* ille *mire factus, ut quem pariter casus & ars pinxerit; non judicabat Protogenes se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cum in reliqua omni parte,quod difficillimum erat, sibi ipse satis fecisset. Displicebat autem ars ipsa,nec minui poterat, & videbatur nimia ac longius a veritate discedere, spumaque illa pingi,non ex ore nasci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum esse, non verisimile vellet, absterserat sæpius mutaveratque penicillum, nullo modo sibi approbans: postremo iratus arti,quod intelligeretur, spongiam eam impegit inviso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optabat, fecitque in pictura fortuna naturam.* Ex Plinii *l.l.c.*10 passim hæc, quæ modo diximus, excerpsimus. Ex hoc studio, ex hac curiositate Tabularum externarum, incensa sunt earum precia: immensis enim pecuniis nonnulli tabulas rarioris emerunt artificii. Sic *Hortensius Orator*, *Cydiæ* tabulam, *Argonautas*, *H.S.* CXLIIII. (libræ nostratis monetæ sunt decies mille septuaginta quinque:) *mercatus est, eique ædem fecit in Tusculano suo*, teste Plinio *l.l.c.*11.Idem *ibidem* narrat, a Pausia pictore *amatam in juventa Glyceram, municipem* ejus, *inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perductam* esse *artem illam*,quod *postremo pinxerit illam sedentem cum corona, quæ e nobilissimis ejus tabula appellata* fuerit στεφανοπλόκος, *ab aliis* στεφανόπωλις, *quoniam Glycera venditando coronas sustentarit paupertatem. Hujus tabulæ exemplar* tantum, *quod* ἀπόγραφον *vocant, L.Lucullus duobus talentis emit a Dionysio Athenis*. Sed & torvus ille *M.Agrippa*, a deliciis alioquin alienior, *tabulas duas, Ajacis & Veneris, mercatus est a Cyzicenis HS.* XII. *millibus*; quæ sunt nostratis monetæ libræ IϽCCCXL. ut narrat idem Plinius *l.l. c.* 4.

6. Antiquis etiam in usu fuit *Pictura Encaustica*, *ab* ἐγκαίω, *inuro*, sic dicta, quod per ignem fieret. Hæc picturæ species hodie aut incognita est, aut saltem inusitata: mentionem ejus Plinius *H. N.* XXXV. 11. facit, sed modum ejus non describit. *Ceris pingere*, ait, *ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele. Sed aliquando vetustiores encausticæ picturæ exstitere, ut Polygnoti & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit* ΕΝΕΚΑΥΣΕ, *quod profecto non fecisset, nisi Encaustica inventa. Pamphilus quoque Apellis præceptor non pinxisse tantum Encaustica, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium,primum in hoc genere nobilem*. Hæc Plinius. Qui se putant in Artis hujus deperditæ penetralia evasisse, ajunt duos fuisse modos pingendi ceris, ope ignis: priorem fuisse in cera indurata, & certis aliis rebus admixta & in formam tabularum complanata. in hujus superficie, quæ unius tantum erat coloris, & velut area futuræ picturæ, scalptas fuisse pro lubitu figuras; in scalptos hosce sulcos sive liras postea esse insertas alias ceras diversorum colorum. veluti in opere lithostroto aut musivo, eo artificio atque industria, ut nullæ juncturæ,nullæ rimæ, nullæ insertiones & applicationes ab acuto spectantis oculo potuerint animadverti. Hanc autem singularem dotem in ista picturæ specie nobilem fuisse & excellentem, quod ea longe melius, quam ulli penicilli coloribus dilutis, exhibuerit & expresserit velut vivam & veræ certantem carnem humanam. Posteriorem modum Encausticæ Picturæ fuisse, cum non cereæ illæ tabulæ, sed ex ebore fierent, quæ aream quasi præberent futuræ picturæ: in his graphio aut stylo, quem *Cestrum* vocabant, scalptas fuisse liras lineasve figurarum exhibendarum: deinde artificiose habita ratione luminis atque umbræ, item splendoris atque differentiæ colorum variandorum, candorem eboris illis inserviisse, ut picturis suis lumen & quasi exstantiam sive eminentiam; ceras vero variorum colorum, ut umbram scienter iisdem picturis conciliarent, nec non splendorem, qui est fulgens nitor ille inter lumen & umbram, quem Græci

Τόνον vocant, atque item elegantem & gratam varietatem colorum, quam Græci Ἁρμογὴν vocant, quæ est insensibilis ille transitus ab alio colore ad alium, adderent. Quatuor hasce in arte Pictoria res, nostris Pictoribus notatas sub nominibus vernaculis *Jour*, *Lumiere*, *Relief*; *Ombre*, *Ombrages*; *Lustre*, *Eclat*; *Variation de Couleurs*, *Passé insensible d' une Couleur en une autre*; complexus est optime Plinius *H. N.* xxxv. 5. his verbis: *Tandem se Ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante: deinde adjectus est splendor: alius hic, quam lumen; quem, quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt* Τόνον. *Commissuras* (alii *Commixturas*) *vero Colorum & Transitus* Ἁρμογὴν. Atque hæc dicere habui de præcipuis speciebus Picturæ & Tabulis, quibus Ædificia nobiliora Urbis tam intus, quam foris & extus erant adornata.

SECTIO XIII.

De Simulacris Sculptis & Fusis, sive Signis & Statuis, ac utrorumque differentia ratione Materiæ.

1. *Simulacrorum divisio in Sculpta, sive Signa, & Fusa, sive Statuas.* 2. *Sculpturæ antiquitas.* 3. *Materia Sculpturæ inserviens.* 4. *Ceteæ Effigies quæ ad vivos vultus expressæ erant, earumque usus.* 5. *Marmor, præcipua Sculpturæ materia fuit.* 6. *Plinius recenset excellentissimos Sculptores, eorumque Romam advecta opera.* 7. *Ebur etiam Sculpturæ inserviit.* 8. *Fusuræ ars, sive Statuaria, primum inventa ad Deos exhibendos, mox a Diis transiit ad homines: antiquissima est in Italia.* 9. *Quibus primum Statuæ æreæ fuerint poni ac erigi solitæ.* 10. *Metalla, Statuarum sunt materia: quæ prima Romæ statua fuerit fusa.* 11. *Unde Romam venerit prima Statua argentea. Imperatorum Statuæ argenteæ.* 12. *Statuæ aureæ dedicatæ & positæ Commodo & Domitiano.* 12. *Gorgias Leontinus primus sibi auream solidam Statuam posuit.*

1. ROmani transmittendæ ad posteros memoriæ studiosissimi cum animadverterent, Picturas, quamvis locis collocatas & suspensas tectis ac opertis, tamen externi aeris hyemisque injuriis paullatim corrumpi, auxilium & opem petiverunt ei fini ab operibus Sculpturæ & Fusuræ, ut magis durabilibus, quæ communi nomine generatim dixerunt *Simulacra*: hæc vero in duas species diviserunt, *Signa* scilicet sive opera *Sculpturæ* & *Statuas* sive opera *Fusuræ*; si istas voces stricta significatione accipiamus, quamvis non omnes adeo accurate illas distinxerint. Sic Impp. Arcadius & Honorius *Statuas* communes faciunt metallis & marmori: nam *in l.* 1. *C. de Stat. & Imag.* commemorant *æneas*, *vel argenteas*, *vel marmoreas statuas*. Eodem modo Suetonius ista voce utitur *Aug. c.*31. *Statuas omnium* Ducum, ait, *triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit*. Hasce enim *Statuas* fuisse *e marmore*, docemur a Lampridio *in Alexandro c.* 6. *p. m.* 424. *Histor. Aug. Tom.* 11. *edit.* 1592. ubi disertis verbis Augustus narratur *summorum virorum statuas*, *in Foro suo*, *e marmore collocasse*, *additis gestis*. Ipse quoque Plinius, qui religiose proprietatem vocis *Statuæ* ubique observat, tamen nomen *Signorum* quandoque transfert ad *Fusuram*. Sic *H. N.* xxxiii. 1. *Varro se æreum signum* Mentoris *habuisse scripsit* item xxxiii. 8. narrat, *Phidiam ex ære signa* quæ-

A dam *fecisse*: sed de nominibus satis, veniamus ad rem ipsam.

2. Initium faciemus a *Sculptura*, ut omnium antiquissima. Cum Dipœnus & Scyllis in Creta florerent hac arte, *jam fuerant in Chio insula Melas Sculptor, dein filius ejus Micciades, ac deinde nepos Anthermus Chius: cujus filii Bubalus & Anthermus clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis Poetæ ætate, quem certum est* LX. *Olympiade fuisse, quod si quis horum familiam ad proavum usque retroagat, inveniet Artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpisse*, computante Plinio *H. N.* xxxvi. 5. ubi post paullo subjicit: *Non omit-*
B *tendum, hanc* Sculpturæ *artem tanto vetustiorem fuisse, quam Picturam aut Statuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit* LXXXIII. *Olympiade*. Hos Plinii calculos si sequamur, *Sculptura* præcesserit Romam conditam annis XXIV. & fuerit, ante Picturam & Statuariam inventas, CCCCXCVI. annis.

3. *Sculpturæ* materia communis erat *Lignum*, *Ebur*, *Cera*, *Lapis*, *Marmor* & similia, quæ scalprum cælumve admittunt. Principio Urbis conditæ, cum adhuc paupertas esset, ad ipsa Deorum Simulacra usurpabatur argilla: hinc Proper-
C tius iv. 1. *vs.* 5.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea Templa

& Ovidius *Fastor.* 1. 202.

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Romulus post pacem cum Sabinis pactam Janum fecit ligneum, ut canit Tibullus ii. 10. *vs.* 20.

—— paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

D Et vix alia Romæ Simulacra usque ad Asiam devictam, ex qua in Urbem venit copia Signorum & Statuarum: ita Plinius *H. N.* xxxiv. 7. *initio* ait: *Mirum mihi videtur, cum Statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata usque ad devictam Asiam, unde luxuria.*

4. *Cereæ* tamen *Effigies*, virorum illustrium, præcipue triumphalium, mature in usum venerunt. Hoc jus Imaginum Cerearum habebant viri nobiles & qui honores gesserant: imo *expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent*
E *imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.*

5. At præcipua & usitatior *Sculpturæ* materia, ad exhibendos deos hominesque, erat *Marmor*. Marmore sculpendo olim Melas ejusque posteri inclaruerunt, ut diximus *supra* §. 2. porro *Dipœnus & Scyllis, geniti in Creta insula, etiamnum Medis imperantibus, priusque quam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, Olympiade circiter* L. *Ii Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria*, teste Plinio *H. N.* xxxvi. 4.

F 6. Cæterum, si quis velit nosse nomina nobilitatemque Operum & Artificum veterum in marmore, quorum operum plurima Romam translata, diversis temporibus, huic Urbi passim in Viis ejus Militaribus & Locis publicis splendorem addiderunt, legat ille Plinii *H. N. librum* xxxvi. *capp.* 4. & 5.

7. Post Marmora, ad opera Sculpturæ in usum venit *Ebur*. Celebratus est *Phidiæ Jupiter Olympius ex ebore & auro*, apud Plinium *H. N.* xxxiv. 8. nec

non ejusdem laudatur *Minerva Athenis facta*, A quæ erat *cubitorum* XXVI. itidem *ex ebore & auro*, apud eundem Plinium XXXVI. 5. Silentio hic loci in præsens prætereo tot Signa Marmorea & Eburnea, quæ adornabant Vias urbis Romanæ Militares, quorumque tantus erat numerus, ut separatim mereantur recenseri.

8. Accedo itaque ad opera *Fusuræ* sive *Artis Statuariæ*, quorum infinitus numerus adornabat præcipua Urbis ædificia. *Fuisse autem Statuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetustam, indicant Hercules, ab Evandro sacratus, ut ferunt, in Foro Boario, qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali*; ut tradit Plinius *H.N.* XXXIV. 7. *initio*. Primo so- B lis Diis Statuaria ars erat consecrata, verum deinde *transiit ab diis ad hominum statuas atque imagines multis modis*, tradente eodem Plinio *l. l. c.* 4.

9. Statuæ vero & *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri caussa perpetuitatem merentium, primo Sacrorum certaminum victoria, maximeque Olympiæ, ubi omnium, qui vicissent, Statuas dicari mos erat. Eorum vero, qui ter superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas Iconicas vocant. Athenienses nescio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni tyrannici- C dis publice posuerint statuas. Hoc actum est eodem anno, quo & Reges Roma pulsi. Excepta deinde res est a toto Orbe terrarum, humanissima ambitione. Et jam omnium Municipiorum feris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum, & honores legendi ævo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox forum & in domibus privatis factum, atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere Patronos*: libenter hic usi sumus duce Plinio *l. l.*

10. *Statuariæ artis* sive *Fusuræ* materia est quodcumque metallum, proprie sic dictum. Licet enim usitatior materia sit *Æs*, sive *Orichalcum*, Ægy- D ptii tamen, aliæque nationes, nonnunquam Statuas e *Ferro*, *Auro*, *Argentove* fecerunt. *Romæ simulacrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem Pater ipsius interemerat*, ut ait Plinius *l.l. Hercules ab Evandro sacratus*, nec non *Janus Geminus a Numa Rege dicatus*, quarum Statuarum meminit Plinius *l.l. c.* 7. *initio*, erant revera quidem antiquiores illo æreo Cereris simulacro, de quo mox dictum, at aliunde venerant. Evander enim ante Romam conditam vixit, & *Janus Numæ* erat e *signis* sive statuis *Tuscanicis per terras dispersis, quæ in Hetruria factitata, non est dubium*. E

12. *Statuæ Argenteæ*, quæ primæ in Urbe visæ sunt, itidem nec Romæ, nec in Italia erant factitatæ, sed in Asia; scilicet *Pharnacis, Mithridatisque Eupatoris Ponti Regum*, translatæ triumpho Magni Pompeii post debellatum hunc Mithridatem: teste Plinio *H. N.* XXXIII. 12. Verum tamen est, eodem teste *l.l.* paucis post annis *Argenti usum in statuas, ad honorem D. Augusti, ex adulatione temporum, transiisse*, tam Romæ, quam in Provinciis: nam ob plurima bene gesta omnes Augustum, *collata ad id pecunia, statuis honoraverunt*, ut narrat Dio Cassius *lib.* LIV. *p. m.* 622. Imo idem Imperator plurimas *Argenteas Statuas* dono accepit, quarum maximam partem refundi F curavit, ad pecuniam, in opera Viarum Publicarum more Romano muniendarum expendendam, ut diximus alibi supra I. 15. §. 5. de *Divo Claudio* Principe narrat Trebellius Pollio, *in ejus vit. c.* 2 *p.m.* 641. *Hist. Aug. Tom.* II. *edit.* 1592. ista: *Illi Claudio totius Orbis judicio in Rostris posita est columna, cum palmata statua superfixa, librarum argenti mille quingentarum*.

12. At Dio, *apud Xiphilinum in compendio ubi Commodi vitam persequitur*, longe majora me morat, scilicet *Commodo Imp. positam statuam auream mille librarum, cum tauro & vacca, quasi Urbis conditori*: nam, ut Plutarchus eruditus antiquæ eruditionis promus condus *in vit. Romul. c.* 15 scriptum reliquit, inter ritus condendæ urbis fuit & ille, ut *conditor æreum vomerem aratro inderet, missoque sub jugum tauro ac vacca, circumvectus extremitates urbis, profundum sulcum ageret*. Sane Commodus *ea fuit dementia, ut urbem Romam, Coloniam Commodianam, vocari voluerit*, (teste *in ejus vit. c.* 3. Lampridio, *Hist. Aug. Tom.* II. *p. m.* 169.) Domitianus Imp. ut narrat Suetonius, *Domit. c.* 13. *Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi*: hoc pondus indicare velle videtur Statius *Sylv.* V. I. *vs.* 191. *& seqq.*

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteat sacri centeno pondere vultus
Cæsaris.

13. Nec tamen Imperatores primi per Orbem terrarum fuerunt, quibus ex solido auro statuæ dicatæ aut positæ, cum diu ante eos vel Orator talem ibi ipse poni curaverit: audi Plinium XXXIII. 4. *sub fin.* ista commemorantem: *Hominum primus & auream statuam & solidam Gorgias Leontinus Delphis in Templo sibi posuit*, LXX. *circiter Olympiade*: *tantus erat docendæ artis oratoriæ quæstus*.

SECTIO XIV.

De differentia Statuarum ratione formæ, secundum quam sunt Nudæ, aut Vestitæ, Pedestres, Equestres, aut Curules.

1. *Græci Statuas faciebant Nudas, Romani Vestitas.* 2. *Vestitarum Statuarum Romana nomina.* 3. *Statuæ Pedestres, Equestres, & Curules.* 4. *Statuarum variæ Collocationes aut Positiones: ubi positæ fuerint Statuæ Pedestres: harum prima Collocatio.* 5. *Inscriptiones sub Statuis additæ.* 6. *Statuæ inauratæ a Trajano & Antonino Pio positæ ac dicatæ.* 7. *Altera Collocatio Statuarum Pedestrium.* 8. *Et Tertia. Columnæ Solitariæ.* 9. *Statuæ Equestres sunt antiquæ: duæ primæ, quæ Romæ fuerint.* 10. *Fora & Loca Publica, erant Collocationi Statuarum Equestrium commodissima & maxime propria.* 11. *Multæ Imperatorum Statuæ Equestres in locis publicis erant collocatæ.* 12. *Statuarum Curulium Collocatio. & Sedes propria erat in Arcubus Triumphalibus.* 13. *Quod monstratur exemplis.*

1. VIdimus *Statuarum* differentiam ratione *Materiæ*; jam accedamus ad earundem differentias ratione *Formæ*, & *Magnitudinis*. Ratione *Formæ*, aliæ erant *Nudæ*, aliæ *Vestitæ*. *Nudas* cognominabant *Achilleas* teste Plinio *H. N.* XXXIV. 5. a multitudine scilicet Statuarum, quibus Græci *Achillem* juvenem, cum hasta, quæ *Pelias* a Poetis cognominatur, quam manu tenebat, exhibuerunt. Græci *Nudas* fecere Statuas, ut tanto melius excuderentur vivi corporis membra, veris certantia & quasi spirantia. Hinc Princeps vatum æterni operis VI. 842. præcipue de Græcis canit sub persona Anchisæ:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.

at Romanis deinde artes Belli & Pacis, quibus civilis constat disciplina, attribuit *vs.*846. *& seqq.*

Tu regere imperio Populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subjectis & debellare superbos.

Hinc Plinius *l.l.* recte ait: *Græca res est, nihil velare; at contra Romana ac Militaris, thoracas addere* Statuis.

2. *Vestitas* in morem & habitum militarem nominabant *Paludatas*, *Thoracatas*, & *Loricatas*; at in morem urbanum & civilem, Virorum, *Togatas*, *Tunicatas* & *Pænulatas*; Feminarum, *Stolatas*. Differentia horum nominum est a differentia vestis, qua Statuæ exhibebantur. *Paludatæ Statuæ* erant Imperatorum, *paludamento* aut *chlamyde*, armis superinjecta, vestitorum. *Paludamentum enim erat insigne pallium Imperatorum cocco purpuraque & auro distinctum: de quo Sallustius, Togam, inquit, Paludamento mutavit. Erat enim pallium bellicum dictum, ut quibusdam videtur, quod eo INDUTUS PALAM faceret Imperator bellum futurum*, uti exponit Isidorus *Orig.* XIX.24. Tales etiam supersunt hodie Statuæ *Julii* & *Augusti* Cæsarum, quarum figuræ tabellis æreis expressæ in *Sylloge Statuarum*, quam Laurentius Vaccarius edidit Romæ anno CIↃ. IↃLXXXIV. *Thoracatæ* erant Equitum thoracæ armatorum statuæ; *Loricatæ* vero Peditum lorica indutorum. *Cæsar quidem Dictator loricatam sibi dicari in Foro suo passus est*, ut narrat Plinius *l. l.*

3. Porro Formæ ratione *Statuæ* erant *Pedestres*, *Equestres*, & *Curules*. Statuæ *Equestres* a Græcis inventæ ab iisdem dicuntur *Celetes*, quia κέλης est *equus singularis, non junctus alii equo*, quali olim modo *Equestres* Græcorum Statuæ fere erant. Hieronicas ita solebant memoriæ consecrare. *Curules* Statuæ curribus *bigis* aut *quadrigis*, imposita habebant equos *bijugos*, *quadrijugos*, imo & *sejuges*. didicimus hæc ex Plinii *l.l.* verbis: *Equestres utique Statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo. Sed illi Celetas tantum dicabant in sacris victores: postea vero & qui bigis vel quadrigis vicissent: unde & nostris Currus in his, qui triumphassent: serum hoc, & in his non nisi a Divo Augusto, sejuges.*

4. Statuæ autem tam *Marmoreæ*, si vocem ita accipias, quam *Æneæ*, *Pedestres*, *Equestres*, *Curules* diversis modis per Vias Militares & Loca publica Urbis erant collocatæ, pro Formarum differentia. *Pedestrium* tres præcipue collocationes reperio; quarum primo loco sunt *Foruli*, *Scaphi*, *Conchæ*, *Loculi* sive *Loculamenta*, quæ Architecti in intercolumniis ædificiorum reservant, aut & in ipsis columnarum capitellis. Sic in Theatro illo temporario Scauri *signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero*, tradente Plinio *H. N.* XXXVI. 15. & XXXIV. 7. Sic illæ Statuæ marmoreæ, quas Augustus Cæsar *in utraque Fori sui porticu dedicavit*, ut Suetonius testatur *Aug.c.*31. in cujus altero latere, ordine erant dispositi omnes Latini Reges a capite & principe Ænea, Anchisem Patrem humeris sustollente, ad Numitorem & Amulium usque: in altero erant Reges Romani aut Duces clari, qui imperium Populi Romani ex minimo maximum reddiderant, ab ipso Romulo ad sua usque Augusti tempora, triumphali omnes effigie. Duplicem hanc Statuarum seriem in utraque Fori Augusti porticu ita depingit Ovidius *Fastor.*v.563.

Hinc videt Æneam oneratum pondere caro,
Et tot Juleæ nobilitatis Avos.

Hinc videt Iliaden humeris Ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse Viris.

innuit postremo disticho Romulum Tropæophorum, spolia opima Acronis Cæninensium ducis cæsi, Jovi Feretrio referentem.

5. Postremo, quem laudavimus modo, versu Ovidius indicat, sub unoquoque viro aut statua inscriptionem fuisse, quæ illius, cujus erat, gesta & acta breviter legentibus recenseret. Ipse Augustus inter eos locum habuit, atque ibidem ejus res gestæ, & pacatæ subjectæque imperio provinciæ: inde est, quod Vellejus Paterculus dicat II. 39. *Forum* D. Augusti *prænituisse titulis* devictarum ab eo Gentium. Tales Inscriptiones Historici & Auctores alii nominant *Acta*, *Titulos*, *Indices*.

6. Talia *in fastigiis Fori Trajani simulacra* erant *sita, circum undique inaurata, equorum atque signorum militarium: subscriptum erat: EX MANUBIEIS*; ut refert Gellius *N. A.* XIII. 23. Harum numerum Statuarum auxit M. Antoninus Philosophus, qui viris *nobilibus*, qui *bello Germanico sive Marcomanico, imo plurimarum Gentium, interierant, omnibus Statuas in Foro Ulpio collocavit*; ut narrat *in ejus vit. c.*8. Julius Capitolinus, *Hist. Aug. edit.* 1592. *p.m.* 169.

7. Alter locus in quo collocabantur *Statuæ Pedestres*, erat in stelis, quæ & *Parastades minores*, nobis ideo *Assiettes d' Images*. speciatim appellantur, quasi dicas *Sedes Statuarum*: hæ autem fiebant elatæ, in medio & utroque latere frontis, ædificiorum plenæ & perfectæ Architecturæ. Loca hæc vera honoris sedes & culmina erant, quod præ cæteris altiora eminerent. Tali sede in Foro Augusti *Minervam Aleam*, ex ebore factam, fuisse collocatam, colligimus ex Pausania *in Arcadic.* sive *lib.* VIII. *p. m.* 484. *ed. Lat. Wechel* 1624. *aut p.* 275. *edit. Græcæ*, ubi narrat, *Aleæ Minervæ signum, totum ex ebore, Endii opus, positum* fuisse *in aditu Fori Augusti*: qua occasione idem narrat, & Augustum & reliquos Principes, pleraque ornamentorum talium undique avexisse, & ad opera sua ornanda traduxisse.

8. Tertius collocationi Statuarum locus patebat in *Columnis solitariis*, sive quæ non inserviunt ædificiis: satis antiquus harum usus: audi Plinium *H. N.* XXXIV. 5. *Antiquior columnarum*, quam curruum in Statuis collocandis, *usus: sicut C. Mænio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ Pop. Rom præstabat, eodemque in consulatu, in suggestu Rostra, devictis Antiatibus, fixerat anno Urbis* CCCCXVI. Statuæ hæ in *Columnis solitariis* non nisi viris, ultra communem vulgi sortem, eruditione aut virtute militari, Arte aut Marte, singulari denique beneficio, aut & plurimis in Remp. meritis excellentibus & nobilibus dedicabantur. *Columnarum* enim *ratio*, ut recte Plinius *l. l. c.* 6. *erat, attolli supra cæteros mortales*. Talis est *Columna Trajani* posita in medio illo Foro, quod Trajanus magnificentissimum Romæ fieri curavit: est illa alta CXXIII. pedes, ad cujus summum ascendi potest per scalarium cochlidium gradibus CXXV. intus in ea excisis, & admittentibus diem fenestellis XLV. Supra capitellum columnæ eminet velut basis, & supra hanc posita Trajani Statua. Talis item est *Columna Antonini* Pii in Campo Martio, alta pedes CLXI & excavata ab imo ad summum gradibus CCVII. diem admittens per fenestellas LVI. supra quam pari modo fuit posita Statua Antonini. Hæ Columnæ hodie supersunt, earumque prior *S. Petri*, posterior *S. Pauli* sustinet statuam, quibus Apostolis eas dedicavit anno CIↃ. IↃ. LXXXIX. Sixtus V. Pontifex maximus: videatur Bartholomæus Rossi, Floren-

tinus, in libro, quem ſua lingua vernacula inſcripſit: *Ornamenti di Fabriche antichi e moderni di Roma*. Plures fuerunt Statuæ ejuſmodi, *Columnis ſolitariis* impoſitæ, tam in Urbe, quam extra eam. In Urbe fuit, exempli cauſſa, Columna Statuaria *C. Duillii, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis*, quæ Plinii ætate fuit *in Foro*, ut ipſe tradit *l. l. c.* 5. & ſtatim ſubjicit exemplum talis Columnæ Statuariæ, extra Urbem, poſitæ *P. Minutio Præfecto annonæ, extra Portam Trigeminam, unciaria ſtipe collata, neſcio an primo, honore tali a Populo: antea enim a Senatu erat.* At quoniam de hac Columnarum ſpecie diximus ſupra II. 36. §§. 16. & 17. nullum ultra de iis verbum addemus.

9. *Pedeſtres Statuæ* diu ante *Equeſtres* Romæ in uſu fuerunt: nam Plinius *l. l. c.* 6. ait: *Pedeſtres ſine dubio Romæ fuere in auctoritate longo tempore: Equeſtrium tamen origo perquam vetus eſt, cum feminis etiam honore communicato. Clœliæ enim Statua eſt Equeſtris, ceu parum eſſet, toga eam cingi: cum nec Lucretiæ nec Bruto, qui expulerant Reges, propter quos Clœlia inter obſides fuerat, decernerentur. Hanc primam, & Horatii Coclitis publice dicatam crediderim: ante enim ſibi ac Sibyllæ Tarquinium, & Reges ſibi ipſos poſuiſſe veriſimile eſt: niſi Clœliæ Piſo traderet ab his poſitam, qui una obſides fuerant, redditis a Porſena in honorem ejus. E diverſo Annius Fecialis, Equeſtrem quæ fuerit contra Jovis Statoris ædem, in veſtibulo Superbi domus, Valeriæ fuiſſe, Publicolæ Coſ. filiæ; eamque ſolam refugiſſe, Tiberimque tranaviſſe, cæteris obſidibus, quæ Porſenæ mittebantur, interemtis, Tarquinii inſidiis.*

10. Statuarum *Equeſtrium* pulchriorum loca erant Fora, aliaque majora loca publica: ſic Julius Cæſar Romæ in Foro ſuo poſuit Statuam Equeſtrem Alexandri Magni, a Lyſippo factam; ſed demſit ei caput Alexandri, ejuſque humeris ſuum ipſius impoſuit inauratum, ut colligimus ex Statio *Sylv.* I. I. *vſ.* 86. *& ſeqq.*

Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones
Cæſarei ſtat ſede Fori, quem tradere es auſus
Pellæo, Lyſippe, Duci, mox Cæſaris ora
Aurata cervice tulit.

Tales item fuerunt in Foro Romano Equi Pollucis & Imperatoris Domitiani, quos ibidem Statius tam magnifice cantat, & quos figuris depingit Fabius Calvus, *in* VIII. *Regione Urbis*. Talis etiam fuit in medio Foro Trajano Equus Trajani. Fori Trajani meminimus ſupra *Sect.* VIII. *hujus libri* §. 7. dicam hic verbis idonei teſtis Ammiani XVI. 6. *Cum ad Trajani Forum veniſſet* Conſtantius, *ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram, ut opinamur, etiam Numinum aſſenſione mirabilem, hærebat attonitus per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos. Omni itaque ſpe hujuſmodi quicquam conandi depulſa, Trajani Equum ſolum locatum in atrii medio, qui ipſum Principem vehit, imitari ſe velle dicebat & poſſe. Cui prope adſtans regalis Hormiſda, cujus e Perſide diſceſſum ſupra monſtravimus, reſpondit geſtu gentili: Ante, inquit, Imperator, ſtabulum tale condi jubeto, ſi vales; Equus, quem fabricare diſponis, ita late ſuccedat, ut iſte, quem videmus*: ſcilicet innuebat Hormiſda, tam pulchrum Equum non eſſe collocandum in loco minus pulchro aut magnifico, quam eſſet Forum Trajani, quod *Stabuli* voce intellexit, quoniam iſte Equus ibi ſuam habebat ſtationem.

11. Romæ etiam hodie viſitur Statua Equeſtris *M. Aurelii* cognomine *Philoſophi*, quam vulgus ignorans, cujus ſit, vernaculo Italiſmo vocat: *Statua del gran Villano*, quod minime ſplendide veſtita videatur, ut commemorat Jacobus Laurus in *Antiquæ Urbis ſplendore*. Ante omnes adhuc integerrima viſitur Statua Equeſtris *M. Antonini Pii*, veſtita paludamento, quod dependet ex humero Imperatoris ſiniſtro & defluit in equi tergum ac lumbos. Hæc ſtatua eidem vivo a S. P. Q. R. dedicata, & poſtea diverſis Romæ cladibus humi adflicta ac ſubverſa, tandem a Sixto IV. P. M. reſtituta eſt prope Templum S. Johannis Lateranenſis, & poſtremum in aream Capitolinam translata, ibidemque a Paullo III. P. M. dedicata, anno a N. C. CIↃ. IↃ. XXXVIII. ut ex inſcriptione baſeos, cui inſiſtit hæc ſtatua, conſtat. Tales tandem, ut concludam, fuere ſtatuæ Equeſtres Imperatorum, quas Alexander Severus in Foro Tranſitorio dicavit, de quibus hæc Lampridius *in vit. Alex. Sev. c.* 6. *p. m.* 423. *Tom.* II. *H. ſt. Aug. ed.* 1592. *Statuas Coloſſos, vel pedeſtres nudas, vel equeſtres, Divis Imperatoribus in foro Divi Nervæ, quod Tranſitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent, exemplo Auguſti, qui ſummorum Virorum ſtatuas in Foro ſuo e marmore collocavit, additis geſtis.*

12. *Statuæ Curules*, ut de iis quoque agamus, ſunt aut ex marmore, aut ex ære. Loca earum propria erant *Arcus Triumphales*: non, quod aliubi non viderentur, ſed quod Arcus Triumphales dedicarentur iis, quibus poſt victoriam decretus erat Triumphus, & quod Triumphantes per iſtos Arcus cum pompa & ferculis tranſirent; Romamque intrarent curru triumphali, quem bijugi aut quadrijugi trahebant equi albi. Hinc Statuæ Curules cum ad conſervandam Triumphi memoriam Arcubus ſunt impoſitæ, tum & ad poſteros ſimili honore excitandos, ut magnorum Ducum virtutem imitarentur.

13. Ita ſupra I. 25. §. 3. vidimus, Auguſto dedicatum fuiſſe Arcum Triumphalem in Ponte Tiberino. Super illo Arcu erat Statua ejus Imp. ærea Curulis quadrigaria. Idem D. Auguſtus *in Palatio ſuper Arcum honori Octavii patris ſui dicavit in ædicula columnis adornata Lyſiæ opus, id eſt Quadrigas Curruſque & Apollinem ac Dianam ex uno lapide*: quod opus ex eo honore in magna auctoritate habitum refert Plinius XXXVI. 5. Sic Anconæ ſuperfuit Arcus, & Statua ſuper illo Curulis Trajani; de qua Cyprianus Eychovius *in Deliciis Italiæ p.* 78. oculatus teſtis illa: *In ejus medio noſcitur Arcus ille ſublimis, quadrigis & tropæis in faſtigio onuſtus, a S. P. Q. R. in ejus beneficii memoriam Trajano ibidem erectus, & adhuc temporis exſtans.* Sed ejuſmodi Arcus cum ſuis Statuis Curulibus & ornamentis optime depingunt Prudentius & Juvenalis. Ille Vates Chriſtianus *lib.* II. *adverſ. Symmach. interſectione* IV. *ad pericopam Symmachi, quæ incipit: Accedit utilitas: vſ.* 69. *& ſeqq.*

Fruſtra igitur Currus ſummo miramur in Arcu
Quadrijuges, ſtanteſque Duces in curribus altis,
Fabricios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos,
Sub pedibuſque Ducum captivos poplite flexo
Ad juga depreſſos, manibuſque in terga retortis,
Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco;
Si Brennum, Antiochum, Perſen, Pyrrhum,
Mithridatem,
Flora, Matuta, Ceres & Laurentina ſubegit.

Hic vero *Sat.* X. 132. *& ſeqq.*

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captivus in Arcu,
Humanis majora bonis creduntur.

SECTIO XV.

De Statuarum differentia, ratione Magnitudinis illarum: earumque maximo & immenso Romæ numero.

1. Statuæ pro magnitudine aut parvitate sunt Majores, Mediocres, Minores. 2. Majores sunt triplices. 3. Augustæ, Heroicæ, 4. & Colosseæ. 5. Colossos primo Deorum gratia inventos, postea ad Homines transiisse. 6. Statuæ Mediocres, Iconicæ, partes magnitudini veræ & naturali. 7. Statuæ Minores habent quatuor species: sunt enim Tripedaneæ, Cubitales, Palmares & Sigilla. 8. Nummorum inventio & ratio: erant vel percussi, vel fusi. 9. Nummi partim Sculpturam, partim Fusuram admittunt. Plastice, mater Statuariæ, Sculpturæ, ac Cælaturæ. 10. Imagines Nummorum: hæ primum solis Diis, postea & Hominibus factæ. 11. Numismata & Gemmæ scalptæ aut cælatæ perquam aptæ ad exornandas bibliothecas, armaria & gazophylacia elegantiorum rerum. 12. Qui primi Numismata collegerint, & eorum imagines figuris delinearint. 13. Mirifica Statuarum Marmorearum & Ærearum Romæ multitudo: quinam primi externas advexerint. 14. Nimia Statuarum multitudo, earumque ponendarum ac publicandarum licentia a Censoribus coercita & cohibita. 15. Mira & effrænata licentia easdem ponendi fœminis, imo & capitalibus ac maximis Reip. Romanæ hostibus. 16. Claudius denuo inhibuit licentiam Statuarum publicandarum. 17. Tamen insuper habita aut neglecta inhibitione auctus Statuarum numerus ad parem populo viventium Civium. 18. Custodes, Vigiles & Tutelarii, instituti ad Statuas caute observandas. Comes Romanus. 19. Inter opera Statuariæ Artis maxime excellit miraculum quoddam Canis. 20. Inter opera Sculpturæ excellit marmoreus Laocoon Vespasiani.

1. Consideratu digna quoque est Statuarum differentia ratione suæ Magnitudinis aut Parvitatis, secundum quam etiam nominibus inter se differunt. Opera namque tam Fusuræ, quam Sculpturæ, quæ generatim *Statuarum* nomine hic complectemur, Marmorea, Eborea, Ærea, erant *Majora*, *Mediocria* sive *Iconica*, *Minora*, qua differentia plane diversis quoque nominibus & cognominibus in Historia & aliis Scriptoribus distinguuntur. *Statuas Majores* appello eas, quæ naturalem & veram sui exempli assimilati magnitudinem superant & excedunt; *Mediocres* sive *Iconicas*, quæ veram & genuinam exempli sui assimilati magnitudinem repræsentant; *Minores* autem, quarum magnitudo, naturali & vera sui exempli assimilati magnitudine minor est.

2. *Majores Statuæ* iterum dividuntur in tres species. Si enim naturalem exempli sui magnitudinem, dimidiata insuper altitudine superarent, dicebantur *Augustæ*, atque eo modo exhibebantur Reges ac Principes: si altero tanto, aut, ut disertius scribam, duplo erant majores & altiores, vocabantur *Heroicæ*, ac Heroibus & Semideis consecrabantur: si triplo aut ultra essent majores & altiores, appellabantur *Colosseæ*, & speciatim Diis Deabusque majorum gentium dedicabantur.

3. Prima species, scilicet *Augustæ Statuæ*, frequenter in usu fuerunt Romæ, ad effigiandos Imperatores ac Duces magni nominis rebusque gestis inclutos: sed & ingenii ac literarum gloria illustribus Viris nonnullis tales fuisse dicatas, colligo ex Plinii *H. N.* XXXIV. 5. ubi scribit: *Notatum ab Auctoribus, & L. Actium Poetam, in Camœnarum æde, maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset.* Altera species, videlicet *Heroicarum*, licet prima origine Heroibus ac Semideis propria fuerit, ex ambitione tamen ad homines quoque transiit.

4. Sed nec hic humana substitit ambitio, quin ultra pergeret usque ad *Colossos*, qua ratione ac forma, præter omnem tamen rationem ac proportionem, plurimi Reges ac Imperatores sibimetipsi *Colosseas Statuas* posuerunt. Erant vero *Colossi* ingentes Statuæ, immanes quasi æris moles ac monstra, quas Plinius *H. N.* XXXIV. 7. *turribus* comparat. *Audaciæ*, inquit, *innumera sunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus Statuarum, quas Colossos vocant, turribus pares.* Talis fuit Elide Jupiter Olympius, Phidiæ opus, *quem nemo æmulatur*, teste Plinio *l. l. c.* 8. scilicet ob artem & magnitudinem ejus. Talis item fuit ab eodem Athenis ex *ebore* & *auro* facta *Minerva cubitorum* XXVI. ut tradit Plinius *H. N.* XXXVI. 5. Talem Romæ *fecit Sp. Carvilius Jovem, qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis*: cujus *amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Latiario Jove: e reliquiis limæ suam statuam fecit, quæ est ante pedes simulacri ejus.* Alius *talis* est *in Campo Martio Jupiter, a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri*: item *talis est in Capitolio Apollo, translatus a M. Lucullo, ex Apollonia Ponti urbe,* XXX. *cubitorum* CL. (alii IↃ.) *talentis factus.* Talis ibidem *Hercules*, quem *Tarento* Romam *transtulit Fabius Verrucosus*. Tarenti quoque talis erat Apollinis Colossus, *factus a Lysippo* XL. *cubitorum. Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis, ea ratio libramenti est, nullis convellatur procellis. Id quidem providisse & artifex dicitur modico intervallo, unde maxime flatum corpus erat frangi, opposita columna. Itaque, propter magnitudinem difficultatemque moliendi, non attigit eum Fabius Verrucosus.* Porro *ante omnes in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supra dicti discipulus.* LXX. *cubitorum altitudinis fuit*, per cujus crura navis posset plenis velis in portum navigare. *Verum omnem amplitudinem statuarum ejus* Colossei *generis vicit ætate Plinii Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, per annos* X. *pedum* CCCC. *immani precio.* Hæc fere omnia ex Plinio *H. N.* XXXIV. 7. passim accepimus, ubi & plura in hanc rem afferuntur.

1. Ergo olim tantum in honorem Deorum fiebant *Colossi*, ut tanta Statuarum magnitudine, Divinæ Potentiæ magnitudinem supra hominum vires quodammodo indicarent & quasi effigiarent. Verum postquam prava ambitio Imperatores, Reges, Principes eo vesaniæ egit, ut alter alterum inter Deos referret & Divum faceret a morte; aliqui etiam & vivi volentesque adorari se, ut Deos præsentes, jusserint; mirum videri non debet, si nonnulli *Colossos* sibi, qui tantum Diis jure debentur, dedicarint, aut consecrari jusserint, aut saltem erigi sint passi: inter istos fuit Nero Imp. qui Zenodorum accivit Romam, *ubi destinatum illius Principis simulacrum Colosseum fecit* CX. *pedum longitudine, qui* postea eraso Neronis nomine *dedicatus Solis* venerationi est, *damnatis* videlicet *sceleribus illius Principis* & actis post illius necem abolitis, teste Plinio *l. l.* Suetonius altiorem facit, & locum ejus simul indicat, *Neron. c.* 31. *Vestibulum ejus* Domus Aureæ *fuit, in quo Colossus* CXX. *pedum staret, ejus effigie.* Sic & Colossi Rhodi ac Tarenti Soli erant consecrati.

6. *Mediocres Statuæ* pares erant magnitudini naturali exempli assimilati: hæ plures species non ha-

bent, quia inter *Majores* & *Minores* medium locum obtinent. Hæ maxime in Peloponneso victoribus Sacrorum certaminum, qui *ter superavissent*, dicabantur, *ex membris ipsorum similitudine expressa*, quæ ideo κατ' ἐξοχὴν *Iconicæ Statuæ* dicebantur, quod melius, quam Majores Minoresve, *iconem* exempli sui exprimerent, docente Pl. *H.N.* XXXIV. 3.

7. *Statuæ* justa, vera & naturali magnitudine *Minores* dividuntur in quatuor species, quæ a modo mensuræ, ad quem plane, aut plus minusve, accedunt, cognominantur: nam, quæ trium pedum erant, dicebantur *Tripedaneæ*. Quibus præcipue statui olim a Populo Romano sint solitæ, docebit nos Plinius *H. N.* XXXIV. 6. ubi scribit: *Inter antiquissimas Statuas sunt Tulli Cœlii, L. Roscii, S. Nautii, C. Fulcinii in Rostris, a Fidenatibus in legatione interfectorum. Hoc a Romano Populo tribui solebat injuria cæsis; sicut & P. Junio & T. Coruncano, qui a Teuca Illyrorum Regina interfecti erant. Non omittendum videtur, quod Annales annotavere, tripedaneas his statuas in Foro statutas. Hęc videlicet mensura honorata tunc erat.* Porro si *Statuæ* cubiti magnitudinem æquarent, vocabantur *Cubitales*; si palmam, sive quatuor digitos latos, appellabantur *Palmares*; si vero minora essent quatuor digitis latis, generatim denominabantur *Sigilla*. Fiebant autem *Sigilla* tam exigua forma duas ob caussas: prior erat quandoque raritas, caritas & excellentia materiæ, ex qua fiebant, uti sunt aurum & argentum: posterior erat subinde, ut commodius possent ea Sigilla secum ferre aut habere, ex amore, reverentia & religioso cultu, quo Deos Deasque, Principes aut Majores suos prosequebantur.

8. *Tabulæ* autem *pictæ* & *Statuæ* fere factæ erant, ut uno eodemque loco suo singulæ, ponerentur & dedicarentur; neque etiam facile loco moveri ob ponderis sui gravitatem poterant. Verum enim vero apud Græcos plurimi erant, qui cultu & studio erga suos Deos Deasve, Principes, Majores, Consanguineos, Affines, Amicos, horunce imagines semper secum habere desiderabant; quare modum excogitarunt, quo eas secum ubique ferrent facili negotio. Itaque in *Nummis* cœperunt exprimere imagines: hæ scalpebantur ad vivum & verum, in ferro, chalybe, aliove metallo duriore. Hæ Scalpturæ deinde erant, aut velut protypa, in quæ liquata per ignem metalla infunderentur, ut nummus ad protypi exemplum effingeretur; aut erant veluti marculi & typi, quibus nummi percussi & incussi signarentur & ad typi exemplum exprimerentur. Erant enim tales Nummi cum fusi, tum percussi, utrique vero distincti & diversi a pecunia monetali.

9. Ergo tales Nummi proprie referendi sunt ad opera *Scalpturæ*, quamvis aliqua ex parte etiam *Fusuræ* debeantur, quæ binæ artes sæpe concurrunt, accedente etiam sæpius *Cælatura*, quarum altera alterius ope vix carere potest: nam ut *Fusuræ* opus poliatur & ad perfectionis nitorem perducatur, sæpius *Cælaturæ* cælo & *Scalpturæ* scalpro opus est. Tangit hanc mutuam harum artium conspirationem obiter Plinius, ubi Zenodorum fundendi æris peritissimum artificem, insuper *scientia fingendi cælandique nulli veterum* fuisse *postponendum* ait *H. N.* XXXIV. 7. *Fingere* hic Plinio est aliquid ex argilla formare, unde *Fictilia opera*, & *Figulus*, cujus, ut cum Plinio *H.N.* XXXV. 12. loquar, est *fingere ex argilla similitudines*: nam, ut ibidem ait, *crevit res plastica in tantum, ut nulla signa statuæve sine argilla fierent*. Hinc, eodem teste, M. Varro *laudabat Pasitelem, qui Plasticen matrem Statuariæ, Scalpturæque & Cælaturæ esse dixit, & cum esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit, antequam finxit*. Vides hic quatuor artes distingui; nec annumerata pictura, quæ scienter conantur exhibere & repræsentare animantium & aliarum rerum similitudines.

10. Redeamus ad *Nummos*. Eos Latini ab impressa effigie speciatim nominant *Imagines*, ad differentiam *Signorum*, & *Statuarum*, & *Monetæ*. Primum diis, postea & hominibus dicari cœperunt: innuit hoc Plinius noster *H.N.* XXXIV. 4. cum ait: *Transiit* ex ære simulacrum *& ab diis ad hominum statuas atque imagines multis modis*. Nec dubito, quin Cicero *in Orator. c.* 31. sic usus sit *imaginis* voce, cum Demosthenis *imaginem* a se *in ære* visam affirmat: nec minus Suetonius *imagunculæ* voce ita usus videtur, cum ait: *Aug. c.* 7. *Thurinum cognominatum* Augustum *satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis ac pæne jam exolescentibus literis, hoc nomine inscriptam: quæ dono a me Principi data inter Cubiculares colitur*.

11. Hæ *Imagines* nummariæ non magis adornabant Vias Publicas, quam Gemmæ cælatæ aut sculptæ; verum ornamento erant armariis & bibliothecis eruditorum & elegantiorum hominum, qui jam inde a Plinii ætate harum rerum erant studiosi. Nummarias enim *Imagines*, non alias, intelligit Plinius *H. N.* XXXV. 2. *Non est*, inquit, *prætereundum & novitium inventum: siquidem non solum ex auro argentove, aut certe ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur; quin imo etiam, quæ non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit: quo majus, ut equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis*.

12. Pergo cum Plinio *l. l. Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ & Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine instituere, non facile dixerim. Imaginum amorem flagrasse quondam, testes sunt & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro benignissimo invento, insertis voluminum suorum fœcunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere, inventione muneris etiam Diis invidiosus, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique & claudi possent*.

13. Restat, ut aliquid dicamus de multitudine Statuarum ex marmore aut metallo, quæ adornabant Vias Urbis Militares ejusque loca publica. Harum aliæ erant externæ & aliunde Romam advectæ, aliæ in ipsa Romæ urbe factæ. Illis *Mummius, devicta Achaja, replevit Urbem*, teste Plinio *H. N.* XXXIV. 7. Plutarchus narrat, *in vit. Æmilii Paulli c.* 54. cum Æmilius Paullus de Perseo Macedoniæ Rege debellato, triumpharet, *pompam Triumphi sic fuisse institutam, ut tribus diebus perageretur; primum diem vix suo spectaculo suffecisse, illatas, bigis ducentis ac quinquaginta, statuas captivas, tabulas pictas & colossos*: addit porro *l. l.* Plinius: *Multa* signa statuasque *& Luculli* in Urbem *invexere*: paullo ante dixerat, *in M. Scauri ædilitate tria millia signorum in scena tantum fuisse, temporario theatro*.

14. Omnes hæ Statuæ a Græcia ac vicinis huic locis erant avectæ & Romam translatæ. Sed nec minor earum erat multitudo, quæ in Urbe factæ fuerant: adeo ut nimia Statuarum ponendarum & ponendarum licentia, a Censoribus non solum co-

erceri & inhiberi, sed & multæ statuæ jam factæ positæque tolli debuerint. *L. Piso prodidit, M. Æmilio, C. Popilio iterum Coss.* (anno U.C. IↃXCVI.) *a Censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio, Statuas, circa Forum, eorum, qui magistratum gesserant, sublatas omnes, præter eas, quæ Populi aut Senatus sententia statutæ essent: Eam vero, quam apud ædem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a Censoribus. Nimirum in ea quoque re ambitioni providebant illi Viri:* hæc Plinius XXXIV. 6.

15. At Censoria hæc severitas haud diu duravit: nitendi enim in vetitum proclives homines incendit potius, ut ardentius eas affectarent, & tanto majori desiderio quisque Statuas novis augerent, easque suæ ambitioni donarent, adeo ut & Fæminis fuerint positæ. *Exstant Catonis in Censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis Statuas poni: nec tamen potuit inhibere, quo minus Romæ quoque ponerentur, sicuti Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filiæ. Sedens huic posita, soleisque sine amento insignis, in Metelli publica porticu: quæ Statua nunc est in Octaviæ operibus. Publice autem ab exteris posita est Romæ C. Ælio Tribuno plebis, lege perlata in Stenium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestaverat: ob id Ælium Thurini statua & corona aurea donaverunt: iidem postea Fabricium donavere statua, liberati obsidione, passimque Clientes in clientelas ita recepti: & adeo discrimen omne sublatum, ut Annibalis etiam statuæ tribus locis visantur in urbe, cujus intra muros solus hostium emisit hastam:* hæc rursus Plinius *l.l.* unde discimus, Exteros suis Fautoribus, Clientes Patronis Statuas passim dicasse; imo & positas fuisse capitalibus & maximis Reip. Romanæ hostibus.

16. Ergo vel sub primis Imperatoribus tanta Statuarum copia erat, ut Urbem, Vias, Vicos non ornarent, sed stiparent & arctarent: unde a Claudio Imp. ille ardor & affectatio Statuarum repressa. tradit Dio *apud Xiphil. in lib. ult. Urbs Statuis*, ait, *implebatur, quia licebat cuique passim in Tabula, Ære, Marmore se publicare: quod Claudius Imp. vetuit, & plerasque jam positas loco movit & alio transtulit; edixitque, ne quis in posterum privatus poneret, nisi Senatus permissu, excepto, si quod opus publicum faceret reficeretve.*

17. Quid quæris? nec Claudii hoc edictum diutius valuit, quam prior Censoria severitas. Nunquam enim major Statuarum copia, quam sub Imperatoribus Claudium secutis, & posterioribus. Cassiodori enim ætate, qui Cos. fuit a morte Claudii anno CCCCLXIII. tot pæne Romæ passim fuere Statuæ, quot homines: audi ipsum Cassiodorum *Variar.* VII. 15. *Has* Statuas *primum Tusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa Posteritas pæne parem populum Urbi dedit*: adde nunc pæne equos, & alia animalia totidem.

18. Denique in tanto Statuarum populo institutus etiam certus Præfectus, qui earum custodiæ & cautelæ præesset; haberetque excubias suas & *Vigiles* milites, ne quis de nocte obiter ex aureis argenteisve Statuis aliquid abraderet aut resecaret, aut Statuas detruncaret, dejiceret, mutilaret. Cassiodori ævo is Præfectus dicebatur *Comes Romanus*, qui scilicet Romam & ejus opera servaret; officium vero *Comitiva Romana*, cujus formula e Cassiodori *Variar.* VII. 13. his adscribi meretur: *Si clausis domibus ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana civitate videtur allici, qui in plateis preciosum reperit, quod possit auferri? Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur affixi. Ubi, si esset humanis rebus ulla consideratio, Romanam pulchritudinem non vigiliæ, sed sola deberet reverentia custodire. Quid dicamus marmora metallis & arte preciosa? quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ posset a talibus abstinere. Ubi sunt exposita, quæ facere potuerunt divitiæ generales & labor mundi? Quem inter ista deceat esse negligentem? Quis in caussa tali patitur esse venalia, quando gravissimum damnum potest fieri in pulchritudine singulari? Quare per indictionem illam Comitivæ Romanæ, cum privilegiis & justis commodis suis, tibi concedimus dignitatem: Ut fideli studio magnoque nisu, quæras improbas manus, & insidiantes, aut privatorum fortunis, aut mœnibus, ad tuum facias venire judicium, & rei veritate discussa congruam subeant de legibus ultionem; quia juste tales publicus persequitur dolor, qui decorem veterum fœdant detruncatione membrorum; faciuntque illa in monumentis publicis, quæ debent pati. Officium tum & milites consuetos noctibus potius invigilare compelle: in die autem civitas se ipsa custodit. Vigilans enim studio non indiget alieno. Furta quidem persuadent, sed tum præsumtio facile capitur, cum Custos minime supervenire sentitur. Statuæ nec in toto mutæ sunt; quando a furibus percussæ Custodes videntur tinnitibus admonere. Proinde diligentiam tuam devotione laudabili sentiamus; ut, cui nunc laboriosos fasces injungimus, securos honores postea conferamus.*

19. Precium porro & æstimationem Statuis faciebat non tam Materiæ nobilitas, ut auri & argenti, quales complures stabant in locis publicis; sed præcipue Artificis opera, industria, præstantia earum precia augebat. Sane Statuariæ Artis summum miraculum habebatur, opus, non ex auro argentove, sed ex *ære*: non effigies Dei Deæve, aut hominis, sed *Canis*: de quo mira ista Plinius *H.N.* XXXIV. 7. memoriæ prodidit: *Ætas nostra vidit in Capitolio, priusquam id novissime conflagravit a Vitellianis incensum, in cella Junonis, Canem ex ære, vulnus suum lambentem, cujus eximium miraculum & indiscreta veri similitudo non ex eo solum intelligitur, quod ibi dicata fuerat, verum & nova satisdatione: nam summa nulla par videbatur; capite tutelarios cavere pro eo, instituti publici fuit.*

20. Ut Canem istam ex ære pro miraculo habuit *Fusuræ* Plinius, & operum Statuariæ Artis excellentissimo ac optimo, quod Romæ esset; ita idem *H. N.* XXXVI. 5. pro summo *Sculpturæ* miraculo Romæ habuit *Laocoontem, qui erat in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & Picturæ & Statuariæ Artis præferendum. Ex uno lapide eum & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesander & Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Hæc Statua admiranda, ex uno marmore facta, quinque aut sex pedes est alta, & reperta fuit Romæ in ruinis domus Vespasiani & Titi, temporibus Julii P. M. Inter *Icones Antiquarum Statuarum Urbis*, quas Romæ, *anno* CIↃ. IↃ. LXXXIV. publicavit Laurentius Vaccarius, principem & primum locum habet hic *Laocoon*, talis propemodum, qualem eum descripsit vatum Princeps *Æneid.* II. *vs.* 201. *ad vs.* 225. dicit Vaccarius eum in hortis Pontificis fuisse: certe hodie in Vaticano visitur in Hortis Pontificiis, qui a *bello visu* vernaculum nomen *Belvedere* acceperunt.

SECTIO XVI.

Auctores Veteres, qui Urbem Romam aut totam, aut per partes descripserunt, eorumque testimonia de Urbis pulchritudine & admiranda excellentia.

1. *Pulchritudo rerum singularum, quæ supra sunt enarratæ, conspirat & facit ad pulchritudinem & magnificentiam Viarum Urbis Militarium.* 2. *Plures Romam aut totam, aut per partes describunt in suis Historiis.* 3. *Qui totam generatim & in universum describunt, eorum alii brevius, alii prolixius hoc faciunt. Plinius & Belisarius eam breviter describunt.* 4. *Prolixius Urbem depingunt Rutilius Gallicanus, Aristides, Sextus Ruffus & Aurelius Victor.* 5. *Quomodo nonnulli singillatim aliquas Urbis partes enarrarint.* 6. *Auctores non potuisse dicere aut definire, quid Romæ esset pulcherrimum.* 7. *Philosophico more demonstratur, Vias Publicas & Militares esse miracula maxima omnium Mundi miraculorum.* 8. *Strabonis testimonium in hanc rem.* 9. *Mirifica magnorum ædificiorum multitudo Romæ.* 10. *Constantium Imp. stupefacit pulchritudo excellens Urbis:* 11. *Unde queritur de Fama invalida aut maligna, quæ Romam longe infra verum modum celebraret.*

1. QUandoquidem Urbium nitor & pulchritudo sita est in nitore & pulchritudine Viarum; harum vero nitor & pulchritudo consistit in Ædificiorum, quæ eas utrimque frontibus suis prætexunt, splendore & magnificentia; jure merito poterimus hinc concludere, omnes hasce, quas persecuti sumus, singularum rerum pulchritudines, generatim conspirare & concurrere ad pulchritudinem & magnificentiam Viarum Urbis Militarium Locorumq; ejus publicorum, quæ Viæ Publicæ nostri hujus operis præcipuum, pulcherrimum & splendidissimum sunt argumentum.

2. Tanta pulchritudo, tantus decor, tot *Miracula*, ut loquar cum Plinio *H N.* XXXVI. 15. & Cassiodoro *Variar.* VII. 15. excitarunt præclara ingenia illorum sæculorum, quibus Roma maxime floruit splendore, ut plurima ejus decora & mirabilia describerent, ac ad posteros quandam Urbis adeo perfectæ imaginem transmitterent. Horum alii, in admirationem & stuporem rapti tot miraculorum, in unius Urbis ambitum constipatorum & eo undique convectorum, moti sunt, ut eam totam depingerent; alii separatim partes ejus nobiliores & pulchriores enarrarunt, sparsim & passim eas per occasionem in scriptis suis persequendo.

3. Scriptorum, qui totam Urbem descripserunt, alii id fecerunt quasi obiter & in transcursu; at alii longe lateque & singillatim & ordine persecuti sunt partes præcipuas omnes. Inter illos, qui obiter & generatim Urbem describunt totam, numerari debet Plinius, qui præter alias laudes *H. N.* XXXVI. 15. ita admirabilia Romæ transit: *Ad Urbis nostræ*, ait, *miracula transire conveniat, nongentorumque annorum dociles scrutari vires, & sic quoque Terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties pæne, quot referentur miracula, apparebit. Universitate vero acervata, & in quendam unum cumulum collecta, non alia magnitudo exsurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur.* Idem alibi III. 5. cum mœnium Urbis ambitum, montes, regiones, compita, longitudinem, portas recensuisset breviter, subjicit: *Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque, nullius Urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari.* Jure itaque Polemon Sophista *ap. Galen.* *περὶ Ἄρθρων lib.* I. *init.* Romam appellat τῆς οἰκουμένης ἐπιτομήν, *Orbis compendium*, de qua præstet omnino tacere, quam pauca dicere aut scribere. Belisarius, magnus ille Dux, qui sub Justiniano tot res bello præclare gessit, inter illos etiam est, qui Romam descripserunt generatim, in epistola ad Totilam Gothorum Regem missa, qui tum temporis Romæ victæ dominabatur, *& pulchriora magnificentioraque absumere incendio ædificia, & urbem Romam in ovium pascua idoneam reddere* parabat, ut narrat Procopius *de Bell. Goth. lib.* I. Huic malo & excidio ut pro virili obicem poneret & remedium quæreret, Belisarius inter alia (nam eam epistolam nobis servavit *l. l.* Procopius) ista scripsit ad Totilam: *Roma quidem civitatum omnium, quæ sub sole sunt, maxima & magnificentissima esse facile affirmatur: non enim viri unius virtute est constructa, nec brevi quodam temporis spatio in tantam hæc magnitudinem & decorem evasit: sed Imperatorum multitudo, & maximi summorum virorum cœtus, temporis diuturnitas ipsa, divitiarumque & potentiæ magnitudo, ut cætera omnia, ita ex universo terrarum orbe cogere hunc in locum opifices potuere, qui urbem hanc talem tantamque paullatim ædificando, omnium monumenta virtutem posteris proderent:* addit: *His ita se habentibus, recta, velim, intelligas, e duobus alterum fore necessarium: aut enim hoc bello victus ipse succumbes: aut, si ita forte contigerit, nos superabis. Quod si viceris, & Romam everteris, jam non alterius urbem, sed tuam deleveris: quam si servaveris, ex possessione cæterarum omnium præstantissima opulentior fiet. Sin autem ad deteriorem fortunam tuam res nobis successerit, Roma incolumi abs Te conservata, gratia Tibi a Victore conciliabitur, & non odium: qua per Te tum forte deleta nullus Tibi relinquetur ad humanitatem consequendam & clementiam locus:* imo subjicit, mortales justæ ultioni & pœnæ divinæ imputaturos cladem, si quam deleta Urbe accepisset, quod urbem tam magnificam evertisset.

4. Sic in universum & generatim complures de Roma locuti: verum alii eam descripserunt particulatim, ejusque opera per singulas partes ordine recensuerunt, ut totam per omnes partes proponerent lectoribus. Inter hoc excellunt viri duo præclari, alter Græcus, Gallus alter; quorum uterque, hic versu Latino, ille oratione Græca, Romanam Urbem veris coloribus depinxerunt. Græcus est *Aristides Sophista*, Gallus vero *Rutilius Gallicanus*, qui *Itinerarium* suum Latino versu conscripsit: ne quid populari videar dedisse, malo Italum citare ad dicendum testimonium. Is est Onufrius Panvinius, *in præf. ad Rutil. quem junxerat Commentariis Reip. Rom. edit. Venetæ anno* 1558. ubi ait: *Urbem Romam, itinere primo, ita scite, ornate, elaborate, vere, & prudenter elegantissimo eruditissimoque encomio celebravit, ut nihil ab horum temporum scriptore elaboratius & ornatius fieri posse existimem.* Hic ergo Rutilius Gallicanus amplissimis honoribus Imperii sub Honorio Imp. functus, quippe Tribunus militum, Consul, sed suffectus, Præfectus Prætorio & Urbi fuit, ita Romam alloquitur: I. 49.

> *Exaudi, Genitrix hominum, Genitrixque Deorum!*
> *Non procul a cœlo per tua templa sumus.*

& deinde *vs.* 93. *& seqq.*

> *Percensere labor densis decora alta tropæis,*
> *Ut si quis stellas pernumerare velit:*
> *Confunduntque vagos delubra micanti a sensus,*
> *Ipsos crediderim sic habitare Deos.*

Græcus

Græcus vero Aristides, Rhetorum sui ævi eloquentissimus, vixit sub Hadriano Imp. diuque Romæ fuit: hic *Romæ encomium* elaboratissima oratione, quæ est XIV. *Tomi* I. celebravit ita, ut nemo sublimius, eloquentius & ornatius nemo. *Urbem vero*, ait, *cum celebrent & celebraturi sint omnes, hæc tamen minus, quam qui tacent, effecere: quod silentio quidem, nec major, nec minor, quam sit, reddatur, sed integra cognitioni maneat. Orationes vero contrarium sortiuntur effectum, quandoquidem non possunt exacte id, quod admirantur, verbis exprimere*. Plurimum vero debemus industriæ *Sexti Ruffi* & *P. Aurelii Victoris*, Consularis dignitatis Viris, qui ambo vixere sub imperio Valentiniani & Valentis anno U.C.CIƆCXX. & ultra CCC. annos ab incendiis Neronis. Ambo in Scriptores, qui Urbem florentem & integram viderunt, secuti divisionem Augusti in XIV. Regiones, secundum hunc numerum & ordinem percensuerunt Regionem unamquamque, ducibus Viis majoribus & minoribus usi; ad quas ordine disposuerunt ædificia publica & privata, sacra & profana, secundum eorum singulorum situm: sic ut eorum opera & beneficio etiam hodie sciamus, quot in quaque Regione fuerint *Vici*, *Insulæ*, *Templa*, *Basilicæ*, *Curiæ*, *Theatra*, *Amphitheatra*, *Fora*, *Loca publica*, *Domus*, aliaque Ædificia, quorum meminimus passim *Sectionibus* VI. VII. & VIII. hujus libri: addunt plerumque *Signa* & *Statuas*, quibus loca passim adornabantur, adjectis Auctorum nominibus, aliisque rebus singularibus notatu dignis, ut videre licet ex eorum libellis, qui inscribuntur *de Regionibus Urbis*, aut *Romæ*.

5. Inter illos, qui Romanæ Urbis partes descripserunt, horum alii depingunt Urbis *situm* amœnum, pulcherrimum, securum, commodum & fertilem; alii describunt pulchritudinem & magnificentiam *Campi Martii*, *Templi Jovis Capitolini*, *Templi Pacis* a Vespasiano facti, *Panthei* Agrippæ, *Fororum*, *Circorum*, *Theatrorum*, *Amphitheatrorum*, *Mausoleorum*, aliorumque Ædificiorum, qualia ipsorum ævo erant, ut singularibus hisce exemplis pro virili proponerent lectoribus magnificam Urbis pulchritudinem, quæ ex tot miraculis constabat tota. Illud vero unice notandum reperio, quod præcipui & classici Auctores, qui de his Romæ miraculis hic illic loquuntur; dum de hoc aut illo sigillatim agunt, prout materia, quam tractant, eos huc aut illuc ducit, plerumque de eo, quod tum præ manibus habent, affirment, esse opus *omnium maximum*, *pulcherrimum & maxime mirandum*. Plane quasi, cujusque operis præsentia, dum de eo agunt, ipsorum oculos fascinaret, aut eorum aciem mentis præstingueret memoriamque obliteraret, ut præsenti operi palmam excellentiæ & pulchritudinis adjudicent, quam antea pluribus aliis operibus adjudicarant: addunt tamen plerumque sui judicii rationes. Adeo ut inter tot rara & mirabilia vix decerni possit, cujus debeat esse palma pulchritudinis & excellentiæ supra cætera reliqua. Sic fere Plinius *H.N.* XXXVI.5. ait, quod *Romæ*, *magnitudo* sive multitudo *operum*, eorum nobilitatem *obliteraret*.

6. Multitudo ergo tot pulcherrimorum operum difficile fecit judicium, quodnam eorum maxime excelleret: unde Auctores sibi nec ipsi constant, nec inter se invicem conveniunt: exempli gratia, audiamus Plinium *H. N.* XXXVI. 15. scribentem: *Circum maximum a Cæsare Dictatore exstructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternum, ad sedem* CCLX. *millium inter magna opera dicamus: nonne inter magnifica Basilicam Paulli, columnis e Phrygibus mirabilem, Forumque Divi Augusti, & Templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti, pulcherrima operum, quæ unquam*: audiamus Herodianum, *lib.1. circa fin. ubi agit de Urbis incendio, quod sub Commodo accidit*, qui Templum Pacis existimat μέγιστον καὶ κάλλιστον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργον, vertente Politiano, *unum opus cunctorum tota Urbe maximum atque pulcherrimum*: audiamus Cassiodorum *Variar.* VII.6. dicentem: *Capitolia celsa conscendere, hoc est humana ingenia superata vidisse*: audiamus Dionysium Halicarnassensem, *Antiq. Rom. lib.* III. *p.m.*246. *ed. Lugdun. minoris Latinæ an.*1561. *ex vers. Sigism. Gelenii* profitentem: *Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquæductus, Viæ Stratæ & Cloacæ*. Alii vero nesciunt, quibus ex his tribus principem locum debeant. Plinius *l.l.* appellat *Cloacas*, *operum omnium dictu maximum*: & postea de *Aquæductibus* affirmat, *nihil magis mirandum fuisse in toto Orbe terrarum*. Similiter Julius Frontinus *de Aquæduct. lib.* II. fere *sub finem* ait, Aquæductus *esse magnitudinis Romani Imperii præcipuum indicium*.

7. *Vias Publicas* tam in Urbe, quam extra Urbem, Hieronymus Surita *in præf. Comment. ad Itinerar. Antonin. p.m.* 168. dicit, *Summum vere, non Regis magni, ut est apud Poetam, sed complurium Imperatorum atque Principum & totius pæne Orbis provinciarum opus*: atque ait, *se haud scire, an de humanis operibus longe maximum fuerit*. At nos certum affirmare possumus, quod ille hæsitans & dubitans ait, inter omnia opera, quæ Auctores a nobis allati admirantur, *Vias Militares* & *Publicas* esse opus *maximum*, *pulcherrimum*, & *maxime admirandum* præ omnibus reliquis. Primo enim nullum est opus, quod *Viis Militaribus* dubiam faciat *magnitudinem* & spatium. In Urbe namque & extra illam porrigebantur, non, ut Aquæductus, ad XXXVI. aut XL. M. P. nec numero solum *viginti* erant: sed ab ortu in occasum porrectæ & numero plures erant, quam pulcherrima & celeberrima Romanæ urbis ædificia. Deinde si *pulchritudinem* spectes & *admirationem*, fatendum utique erit, harum ratione palmam deberi *Viis Militaribus*. Si enim Plinius, Cassiodorus, ut diximus §.2. & alii jure meritoque *Miracula* appellaverunt nonnulla magnifica Urbis opera; nos sane majore jure, melioribus etiam meritis *Vias Militares* poterimus appellare *Miraculorum Miracula*, cum ex tot collectis miraculis singularibus, ipsarum caussa factis, componantur. Taceo hic immensam earum Longitudinem, & Materiæ, ex qua fiunt, mirificam variamque copiam: hæ enim, *Longitudo* & *Materiæ varia copia*, *Viis Militaribus* adeo sunt propriæ, ut cum nullis aliis operibus Romanis, separatim singula si consideres, communicentur: nam cætera opera exiguis continentur spatii sui finibus circumscripta & limitata; nec ad sui perfectionem tantam, nec tam variæ Materiæ copiam, adeoque nec tot impensas, desiderant aut exigunt.

8. Quemadmodum vero totius corporis pulchritudo oritur ex singulorum ejus membrorum pulchritudine: sic Strabo, cum vellet pro virili enarrare pulchritudinem & magnificentiam Viarum Locorumque Publicorum Romanæ urbis, hanc rationem duxit optimam, ut plurima ædificia publica, sacra & profana, percenseret, & singulorum enumeraret ornamenta, ut tabulas, signa, statuas: quid vetat adscribi totum Strabonis locum? *Geogr. lib.* V. *p.m.*430. *Posteriores*, ait, *Romani, & ii præsertim, qui nostris fuere temporibus, haudquaquam illis hac in re cessisse videntur: sed innumerabilibus & præclarissimis urbem Romanam impleverunt insignibus. Pompejus namque & Divus Cæsar, & Augustus, & ejus Filii, & Familiares, & Uxor, & Soror,*

cunctorum studium simul & impensas ad apparanda decora superarunt: maximam autem horum partem Martius Campus (qui Strabonis ævo adhuc extra Urbem erat) *habet, præter nativam locorum amœnitatem, artis & solertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo simul, & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat, nec minus tam multis, pilam, circulum, palæstram, exercitatione tractantibus, aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatosque usque ad fluminis alveum colles? Scenicarum ostentatio picturarum, ejusque generis spectacula præstant, ut difficulter & invitus abscedas. Huic proximus Campo & alter adjacet Campus, & innumerabiles circumcirca porticus, horti nemorosi, theatra tria, simul & amphitheatrum, templa magnificentissima, inter se contigua, ut quasi aliud agentia, reliquam Urbis venustatem ostentare videantur. Ea propter, cum locum istum religiosissimum esse cogitassent, clarissimorum Virorum ac Feminarum monumenta in eo construxerunt. Commemoratione dignissimum est, quod Mausoleum appellant, in excelsis fundatum collibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum in summum usque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Cæsaris Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt ejus loculi, & Cognatorum, & Necessariorum: a tergo vero lucus est, mirifica continens ambulacra. In medio autem Campi spatio, sui busti exstat ambitus & ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius per se ferens populos. Rursus si priscum ingrediaris Forum, aliud ex alio spectabis appositum. Quid regales porticus, ædesque sacras? quid Capitolium? & in ipso, & in Palatio opera, & in Liviæ porticu? Quæ singula contemplans, alia facile exteriora oblivione delebis. Talis est Roma.* hactenus Strabo.

9. Caussa ergo non est, cur miremur, si Viæ Militares tot miraculis stipatæ viatores prætereuntes detinerent, & in tantam admirationem eos raperent. Nam pulcherrimorum ædificiorum multitudo, & magnificorum operum, quibus adornabantur, erat tanta, ut continuam sine intermissione seriem novorum miraculorum, amœnitate, elegantia, decore gratissimorum & jucundissimorum spectatoribus objicerent. Quanta enim voluptas, intra ambitum unius urbis cernere & visere tot *Montes*, tot *Vias Militares*, directas, latas & quantum fieri poterat, longas; quas prætexebant aut ornabant *Compita Larium* CCLXV. *Viæ Communes* CCCCXXIV *Vici* a Via Militari ad Viam Militarem recta ducti CCX. & in his *Insularum* XLI. millia, IↃCCCCXII. quæ iterum habebant *Ædes privatas* innumeras? Quanta voluptas, videre tam spatiosas & laxas *Areas* inter Vicos; & in illis *Ædificia Sac.* CCCCXXIV. scilicet *Templa* CXXXV. *Ædes* CXVIII. *Fana, Sacella, Sacraria, Delubra* CLXXI. ut non veniant ad numerum istum *Ædiculæ* CCX. quæ totidem Vicos terminabant, frontibus in Viam Militarem obversis? Adde his *Basilicas* XXI. *Curias* X. *Senacula* III. *Campos Militares* X. *Campos* ad cursum equorum destinatos XVII. *Circos* IX. *Theatra* V. *Amphitheatra* III. *Naumachias* V. *Fora* XIX. *Ludos* VII. *Thermas* XXX. *Balnea* IↃCCCCIX. *Arcus Triumphales* XXXVI. *Bibliothecas* XXIX. *Aquæductus* XX. *Odea* III. *Domus* CIↃ. CIↃ. CXVII. *Horrea* CCCXXVII. Hæc vero omnia adornabantur *Obeliscis magnis* VI. *Obeliscis parvis* XLII. *Equis Colosseis* XXIV. *Equis minoribus* sive Ionicis LXXXIV. cum suis Statuis æreis; *Equis eburneis* XCIV. *Colossis æneis* pedestribus XXXVII. *Colossis Marmoreis* LI. *Tabulis & Signis*, ut dicam P. Victoris *in epilog. libelli de Reg. Urb.* verbis, *sine numero*. Transeo hic sicco pede complura ædificia magnifica, quorum nescitur numerus, ut *Mausolea, Porticus, Stadia, Hippodromos, Equiria, Nymphea, Septa, Cœnacula, Stationes, Scholas, Lavacra, Comitia, Emporia, Macella, Armamentaria*. Quæ cuncta Architecturæ suæ symmetria & decore etiam illos in stuporem dabant, qui viderant omnia, quæ in cæteris Orbis partibus decora, pulchra & magnifica celebrabantur.

10. Nobile hujus rei exemplum nobis narrabit Ammianus Marcellinus XVI. 6. cujus ipsa verba, licet nonnulla & alias a me laudata, tanto lubentius adscribo, quia unus omnium antiquorum optime & graphice depingit Viarum Urbis Militarium decorem. *Proinde*, inquit, *Romam ingressus* primum (nam antea ibi nunquam fuerat) Constantius, *Imperii virtutumque omnium Larem, quum venisset ad Rostra, perspectissimum priscæ potentiæ Forum obstupuit: perque omne latus, quo se oculi contulissent, Miraculorum densitate præstrictus, allocutus Nobilitatem in Curia, Populumque pro Tribunali, in Palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe, quum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbæ nec a libertate coalita desciscentis, reverenter modum ipse quoque debitum servans. Non enim, ut per civitates alias, ad arbitrium suum certamina finiri patiebatur, sed ut mos est, variis casibus permittebat. Deinde intra septem Montium culmina, per acclivitates planitiemque posita Urbis membra collustrans & suburbana, quicquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina præcellunt; Lavacra in modum Provinciarum exstructa; Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit; Pantheon, velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus, Consulum & primorum Principum imitamenta portantes; & Urbis Templum, Forumque Pacis; & Pompeii Theatrum; & Odeum; & Stadium; aliaque inter hæc decora Urbis æternæ. Verum quum ad Trajani Forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam Numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe hujusmodi quicquam conandi depulsa, Trajani equum solum, locatum in Atrii medio, qui ipsum Principem vehit, imitari se velle dicebat, & posse.*

11. Atqui Constantius Imp. viderat pulcherrimas Asiæ Græciæque urbes; præcipue Constantinopolim, quam Constantinus M. ejus pater, Romæ per omnia parem & similem reddere unice studuerat. Verum omnes hæ urbes cum Romana sola comparatæ vix ullum nomen habebant: usque adeo, ut, cum considerasset splendidissima passim & magno numero per Urbem ædificia, ornatissima Architecturæ ratione, adornata etiam Tabulis, Signis, Statuis, ut, inquam, utar hic iterum verbis Ammiani *l.l. Multis cum stupore visis horrendo*, idem *Imperator* Constantius, *de fama questus sit, ut invalida vel maligna, quod augens omnia semper in majus, erga hæc explicanda, quæ Romæ sunt, obsolescat.*

SECTIO XVII. ET ULTIMA.

De Senio & Occasu Urbis Romanæ, deque Illis, qui priscum ejus decorem figuris, ac tabellis exhibere ac restituere conati sunt.

1. *Prisca persuasio de Æternitate Urbis, æque tamen, atque sunt cætera mortalia, casibus obno-*

xiæ. 2. Roma primum capta ab Alarico Gothorum Rege. 3. Iterum a Genserico Vandalorum Rege. 4. Tertium a Totila etiam Gothorum Rege, qui eam plane evertit. 5. Modi & rationes restituendi antiquam Romam in Figuris & Tabellis. 6. Antiqua Roma exhibetur picta aut uno folio chartaceo sive mappa, aut pluribus; tota, aut per partes. 7. Partes Urbis expressæ figuris æneis, & a quibus id præstitum. 8. Quinam exhibuerint Antiquæ Romæ Obeliscos & Columnas. 9. Quinam Signa & Statuas. 10. Quinam rudera & reliquias Priscæ Romæ depictas publicarint. 11. Roma vetus sub nova Roma & sub veteris simul ruinis quasi sepulta est. Jani Vitalis elegantes in hanc rem versus.

1. TAlis, qualem descripsimus, Roma in suæ magnificentiæ splendore floruit & perstitit usque ad tempora Honorii & Arcadii Impp. Veteres sibi vix poterant persuadere, eam urbem unquam posse ab isto potentiæ fastigio delabi & ruere, adeo ut omnes persuasissimi de ejus æternitate, vulgo jam olim cognominarint *Urbem Æternam*, quo etiam cognomine ab omnibus cognoscitur. Rutilius Gallicanus, qui anno U. C. CIↃ. CLXIX. fuit Præfectus Urbi, certam hanc æternitatem, de qua & ipse persuasissimus, his magnificis versibus pollicetur Romæ: I. 133.

Porrige victuras Romana in sæcula leges,
Solaque fatales non vereare colos.
Quamvis sedecies denis & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus eat.
Quæ restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum polus astra feret.

Attamen hæc *Roma æterna, potentissima & triumphatrix*, hoc *Deorum opus & cura*, hæc *Urbs cum sæculis victura*, æque ac cætera mortalia, casibus obnoxia, clades, interitum, excidia sensit & est perpessa. *Mausoleum* tam forma, quam materia sua æternitati destinatum erat; hodie tamen ne quidem ejus vestigia vel minima supersunt. Jam enim sua ætate canebat Propertius III. 2. *vs.* 19.

Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.

Scilicet omnia tempus corrumpit, consumit, aufert, primo formam, tum materiam, tandem famam, quin & ipsa nomina paullatim abolentur:

Miramur periisse homines? monumenta fatiscunt:
Mors etiam saxis nominibusque venit.

ut ex vero canit Ausonius *Epigr.* XXXV. *vs.* 9. imo audacior Statius & Deos & Loca fatis subjicit *Sylv.* III. I. *vs.* II. *in Hercul. Surrentin.*

—— *sunt fata Deum, sunt fata Locorum.*

2. Mirari igitur non debemus, si urbs *Roma* quam cives & multi exteri olim, ceu Deam, adorarunt, cui Templa, Aras, Sacerdotes & Sacrificia dedicarunt, & cui consecrarunt in ipsa Urbe *Urbis Templum*, de quibus consuli potest Lipsius *de Magn. Rom.* III. 6. si, inquam, hæc Urbs pari cum cæteris mortalibus conditione, quæ fluxa & caduca est, ad occasum & finem suum devenerit. *Primam* cladem Urbi attulerunt *Gothi*, duce *Alarico* Rege, anno U.C.CIↃ. CLXIII. a C.N. CCCCXII. Flavio Varrone & Tertullo Coss. Mirum profecto est, inter omnes Auctores veteres, qui captam a Gothis Urbem commemorant, solum exstitisse Procopium, qui meminerit, qua ratione id factum sit,

A & contigerit. Procopii autem Interpres locum hunc intactum præteriit, sive usus manco mutiloque libro, sive per negligentiam & incuriam: sed servavit hunc locum Johannes Baptista Egnatius, Venetus, *de Rom. Princ. lib.* I. *in Arcad. & Honor. p.m.* 697. *in Vitis Cæss. edit. Froben. Basil.* 1546. Audiamus ergo de hac Romæ captivitate Egnatium: *Non potui*, inquit, *non vehementer mirari tantam vel temporum injuriam, vel scriptorum inertiam, tum veterum, tum recentium fuisse, ut cum Romam Orbis Reginam captam ab Alarico Gothorum Rege, anno post eam conditam millesimo centesimo sexagesimo quarto, certatim omnes memoriæ prodant;* B *seriem tamen rei, aut indagandam non censuerint, aut indagatam, tanquam plane ignobilem, nec scitu dignam, oblivione involverint. Proh Deum hominumque fidem! Urbs totius Orbis regina, quæque eo auspicio condita credatur, ut caput Orbis semper esset, & quæ toties de Barbaris gentibus Orbeque triumpharat, capitur Gothico astu, & interim rei series ordoque nescitur! Ego vero id minime patiar, & omnis antiquitatis illustrandæ studiosus, hanc quoque rem tam memorabilem non negligam. Astu autem Barbarico capta traditur in hunc ferme modum, quem Procopius solus ex omnibus, quos legi, tradit, ut mirer ab Interprete vel rem totam dissi-* C *mulatam, vel, cum in mutilum Græcum codicem incidisset, non animadversam. Ille igitur in hanc sententiam: „ Obsederat Romam Alaricus jam „ biennium, nec Honorius, qui Ravennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. „ Nam cum nihil minus, quam de Urbis salute, „ sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minime præfecerat, qui rem adversus Gothos administraret. Unde Gothis obsidendæ Urbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam, „ cum expugnare vi non posset, ad dolum hostis* D *„ Barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosque juvenes, corporis & animi vi „ præstantes, deligit, quos Romanis Principibus „ dono det, instructos prius, ut omni obsequio Dominos suos promereri studeant, & ad certam „ diem, circa meridiem, cum Romani Principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam advolent, interfectisque improviso insultu custodibus, portam sibi præsto futuro aperiant. Interea „ Gothi, cum reditum, alia atque alia deesse sibi „ simulantes, differrent, trecenti illi juvenes occasione egregie usi, portam stato die suis aperiunt, „ & intromissus Gothus, majore ignominia quam* E *„ damno, Urbem omnem populatur. Sunt qui Probæ, illustris feminæ & opulentissimæ, opera patefactam Gothis portam existiment, cum Plebem „ Romanam passim fame & morbis, pecudum more, cadentem miseraretur. Duo sunt cognitu non „ indigna: unum, edictum ab Alarico fuisse, ut „ quicunque in Templa Divorum confugerent, „ præcipue Petri & Paulli, his nulla vis inferretur, quod & summa fide servatum: alterum, „ quod cum nunciatum Honorio esset Ravennæ, „ Romam perditam, credidit ille de pugnace Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratumque vehementer, tam subito periisse* F *„ eum, quicum paullo ante festivissime luserat. „ Adeo socordis ingenii Princeps, nec quicquam „ omnino paternæ avitæque virtutis referens, quod „ & Arcadio fratri vitio datum est.* Hæc ex Procopio Egnatius. Sed nec ædificiis sacris profanisve multum damni illatum; moderate enim victoria usus est Alaricus, teste Iornande *de Reb. Gothic. c.* 53. *p. m.* 728. *edit. quæ Cassiodoro subnexa, Genev.* 1663. qui ait: *Ad postremum Romam ingressi* Gothi, *Alarico jubente spoliant tantum, non autem,*

ut solent gentes, ignem supponunt: nec locis Sanctorum in aliquo penitus injuriam irrogare patiuntur.

3. Anno U.C.cIↃ.CCVIII. Valentiniano & Anthemio Coss. anno vero a N. C. CCCCLVII. Roma iterum capta est a Genserico, Vandalorum rege, qui *omnia Imperialia ornamenta in Africam inde transtulit*, ut testatur ipse Justinianus Imp. *l.* I. *C. de Offic. Præf. Præt. Africæ*: adeo ut Vectii, viri in divinationibus versatissimi, vaticinium proxime accesserit ad eum numerum, quo prædixit, Romam per CXX. annos in eodem statu mansuram, & duraturam esse ad cIↃ. CC. annos. Illud quoque fatendum est, altera hac clade plus damni illatum esse numero civium, quam præcipuis Urbis ædificiis, quæ hac tempestate tantum spoliata sunt præcipuis suis ornamentis & divitiis. Sane jure possumus affirmare, Romam tum temporis pervenisse ad senii sui extrema tempora. Rugis tum frons ejus cœpit exarari, ruinis cœpit deformari, quæ pulcherrimis ædificiis paullatim casum attulerunt. *Quid enim*, ut utar Gregorii Haloandri *ad d.l.* verbis, *ab eo tempore urbs Roma vel Imperii vel Majestatis habuit, quæ, si vetera memoria repetimus, improbissimo cuique maxime semper patuit: tot incursiones Barbararum gentium, tot oppressiones Tyrannorum, tot calamitates perpessa, donec ad extremum misera in summis malis consenuit*.

4. Maxima vero calamitas & clades, quæ Urbi exitium attulit, fuit, cum capta esset a Totila Gothorum Rege, anno XIX. imperantis Justiniani, secundum Procopii *lib.* III. *de Bello Goth.* calculos, ut licet certis rationibus supputare ex hoc ejus loco, quo ait: *Barbari seipsos statim & Adriani molis præsidium dedunt* Narseti Romam recipienti, *quarto & vicesimo imperii Justiniani anno; cum annum antehac quintum, quo is* Totila *cœperat imperare, capta urbs Roma a Barbaris sit*. Alii ajunt hanc cladem contigisse an. XXI. imperantis Justiniani, qui est annus ab U.C. cIↃ.CCC. an. IↃCCCCXXXV. post incendia Gallica, & annus CCCCLXXXV. post incendia Neronis. Verum equidem est, hunc Regem Totilam, licet Barbarum, non evertisse Romam in ipso cladis furore. Principio enim moderate victoria sua usus est, commotus precibus Pelagii Papæ, quem ob probitatem & vitæ sanctitatem reverebatur. At cum Totila ad Justinianum misisset eundem Pelagium & Theodorum, rogatum, ut Gothos sineret quietos, nec eos lacesseret; sin aliter, se totam Urbem eversurum: iste autem Imperator eos & hanc rem ad Belisarium, cui summam belli Italici commiserat, rejecisset & remisisset; Totila indignatus, adeo parum cordi esse Imperatori suam Urbem, quæ in externi hostis victoris esset arbitrio, de illa evertenda consilium cepit: audiamus de hoc tertio Romanæ Urbis incendio Leonardum Aretinum, *de Bello Italico lib.* III. *sub fin.* ubi inquit: *Id postquam Totilas intellexit, negari sibi cernens, quod postulaverat, de evertenda Urbe consilium sumsit. Itaque, insurgens mirabili crudelitate, mœnia Romæ pluribus locis ad solum evertit. Fuit autem illa, quæ eversa est, fere tertia pars totius ambitus murorum. Capitolium deinde incendit, circa Forum & Suburram & Viam Sacram omnia conflagravit. Fumabat Quirinalis mons: Aventinus flammam incendii evomebat: fragor ruentium domorum ubique audiebatur. Inter hæc incendia, multitudo urbana, cum conjugibus & liberis sedibus patriis educebatur, ne deplorandi quidem miserias suas libertatem habens. Et populum quidem ac turbam per oppida Campaniæ dispersit: Senatores vero ac Patricios obsidum loco circa se retinuit. Roma posthac cum toto exercitu egressus, eam desolatam penitus ac vacuam dereliquit, ut neque Vir quisquam, nec Femina in illa remaneret*.

5. Instituti mei non est, ut hic commemorem, qua ratione Urbem aliquo tempore interjecto Belisarius receperit, quomodo cœperit eam ex ruinis instaurare, qua ratione paullo post ad eam fere formam, qua hodie eam videmus, pervenerit, in qua adhuc plurimæ veteris Urbis reliquiæ superstites visuntur. Illud tantum hoc loco memorandum puto, quod complures doctrina & eruditione præstantes Viri, cum in monumentis Historiarum Græcarum & Latinarum tot vestigia prisci decoris cernerent, eam Urbem post suos etiam cineres & fata amarint: qui, cum desperarent, se unquam visuros Romam talem & tam excellentem magnificentia ac decore, qualis in ætatis suæ flore fuit, conati sunt pro virili eam, in figuris & picturis, quasi restituere & in vitam revocare, variis ad illud propositum adjuvandum auxiliis usi. Nam, præter Historias, opem & auxilia mutuati sunt a vestigiis & reliquiis veteris Romæ, quæ adhuc supersunt; a Signis & Statuis; ab Inscriptionibus, sive literato ære, marmore, lapide; a Nummis antiquis, & cæteris prisci ævi reliquiis: quarum ope & auxilio maximam partem ruinarum æternæ illius & principis Urbis restituerunt, eamque pristino decori, quantum fieri poterat, similem per figuras depictam exhibuerunt & publicarunt.

6. Alii ergo, horum auxiliorum beneficio, conati sunt totam & integram depingere, eamque vel junctim mappa aut figura unius folii chartacei, vel divisim plurium foliorum figuris. Unius folii figura Romam depictam publicavit *Stephanus du Perac, Parisinus*, quam inscripsit Carolo IX. Gallorum Regi anno a N. C. cIↃ. IↃLXXIV. Vidi præterea aliorum quinque aut sex alias unius folii figuras Urbis Romanæ, tam majore, quam minore forma. In figuris plurium foliorum Romam depictam publicarunt, præter alios *M. Fabius Calvus, Ravennas*, qui, Ruffi & Victoris XIV. Regiones secutus, Romam exhibuit XIV. foliis sive figuris, quarum unaquæque suam continet Regionem separatim, cum omnibus ædificiis, sacris & profanis, publicis & privatis, quæ in unaquaque Regione fuisse, ex Historiis constat. Has XIV. Tabulas separatas si quis ordine conjungat & connectat, non putem ullam fere aliam figuram, quæ nobis exactius, fidelius & melius veteris Romæ summum decorem & splendorem sit exhibitura & ostensura. Hæ Tabulæ primum publicatæ sunt tempore Clementis VII. P. M. qui sedit anno a N. C. cIↃ. IↃXXVIII. cui Auctor eas ante hos centum fere annos (*nam Bergierius hos libros publicavit anno* a N.C. cIↃ.IↃCXXII.) inscripsit: postea denuo publicatæ sunt *Basileæ* anno a N.C. cIↃ. IↃCLVI.

7. Alii voluerunt nobis, quantum fieri poterat, pro virili depingere pulchriora Urbis ædificia, quæ præcipue adornabant Vias Urbis militares; qualia sunt *Templa* celebriora, *Circi, Theatra, Amphitheatra*, & quidem ea forma, qua ante Gothorum & Vandalorum incursiones in Italiam fuerant; sic ut singula ædificia singulas & suas sibi habeant tabulas & figuras separatim. Fecit hoc *Jacobus Laurus, Romanus*, in libro, qui inscribitur, *Antiquæ Urbis Splendor*. Hic liber, meo quidem judicio, omnium optime nobis ob oculos & mentem proponit Romanam Potentiam & Magnitudinem: nam figuris suis exhibet quasi ad verum superba illa & magnifica ædificia, & magis etiam graphice ac scientius, quam ullus alius. Singulis enim operibus adduntur stylobatæ, bases, columnæ, capitella, epistylia, zoophori & coronides, secundum symmetriam & proportionem cuique ordini Architectonico propriam, atque omnes has partes suis modulis & ornamentis Architectonici, quo fieri potuit, decore, adornavit.

8. Alii nobis feparatim depinxerunt *Obelifcos magnos, Columnas majores ex uno marmore factas,* quæ erectæ fuerunt in Circis, Campo Martio, & Foris Imperatorum: quæ a Gothorum barbarie dejectæ, laudabili quorundam Pontificum cura, poftremis hifce fæculis aliqua ex parte funt reftitutæ, & melioribus, quam antea, aufpiciis pietati dedicatæ. Tales funt feptem *Obelifci* & quinque *Columnæ*, quas figuris æneis publicavit anno N.C. cIↃ. IↃc. *Bartholomæus Roffi, Florentinus*, in libro, quem vernacula fua infcripfit lingua: *Ornamenti di Fabriche antichi & moderni dell' alma Città di Roma.*

9. Alii minores Urbis partes funt perfecuti, & figuris æneis exhibuerunt, quicquid potuerunt in Urbe & extra ac circa eam reperire *Signorum* & *Statuarum, pedeftrium* & *equeftrium*, ut famæ celebranda traderent nobiliffima illa prifci ævi ingenia, & artifices in fculptura & arte ftatuaria fummos: atque ut nobis ob oculos proponerent exemplum ac fpecimen pulchritudinis, quam ejufmodi opera conciliabant ædificiis nobilibus magnificæ Architecturæ, collocata in illorum loculis, conchis aut columnis. Tales funt illæ LXXI. Figuræ, quas Laurentius Vaccarius publicavit Romæ anno a N. C. cIↃ. IↃLXXXIV. in libro, qui infcribitur: *Antiquarum Statuarum Urbis Romæ, quæ in publicis privatifque locis vifuntur, Icones.*

10. Atque hæc funt, quæ invenio facta, ut quodam modo *Roma vetus* reftitueretur, & quafi ex cineribus ac ruinis fuis in priftinam fplendoris fui vitam revocata excitaretur, prout quifque Auctorum, quos recenfui, potuit aliqua ex parte hoc præftare. *Roma Vetus*, inquam, ut recidiva floreat: Roma enim hodierna, quamvis pulchra, magna, fplendida & magnifica, non tamen eft illa *Roma Triumphatrix* priorum Imperatorum, cujus comparatione jure poteft nominari *Roma Nova*. Verum eft quidem, quod Veteris Romæ reliquiæ fuperfint aliquæ, quæ & hodie fpirant priftinæ magnitudinis & magnificentiæ decorem, fed quæ tamen non fufficiunt, ut nobis eam recidivam fiftant, verum, ut tantummodo fimus certiores de loco, quo olim fuit fita; adeoque, ut poffimus cum Georgio Caffandro, Brugenfi, jure affirmare, *Epigr. in Romam:*

Qui miferanda videt Veteris veftigia Romæ,
Ille poteft merito dicere: Roma fuit.

Inter omnes prifcorum ædificiorum reliquias nullum ajunt fupereffe hodie integrum, præter *Pantheon Agrippæ*, quod nunc fub nomine *Sanctæ Mariæ Rotundæ* celebratur: nifi forfan huic velis jungere *Amphitheatrum Titi*, quod vulgo hodie *Colifeum* vocant; & *Molem Hadriani*, quæ nunc *Arx S. Angeli* creditur effe, atque nonnullas *Columnas, Obelifcos, Pyramides.* Cætera funt tantum rudera, ruinæ, parietinæ five exefi ac partim ruinam minantes aut femiruti parietes & muri, ac, fi verum dicere licet, cadavera vaftorum ac maximorum ædificiorum, a furore Gothorum Vandalorumque, & injuria temporum ac ævi longinqua vetuftate reliquorum & refiduorum, quæ nemo ad hoc ufque tempus potuit ex ruinis excitare. Hæc rudera, has ruinas fi perluftres, mixta dolore voluptas animum tui vifentis pertentabit, optabifque, ut talia ædificia vidiffes integra in fplendoris fui flore. Neque tamen defuerunt, qui hæc ipfa rudera & vetuftarum reliquiarum vaftas moles, quamvis fuis jam ornamentis denudatas, admirati, eafdem fecundum opticas rationes ad σκηνογραφίαν, *Perfpectivam* vulgo Barbare appellant, depinxerunt, & æneis tabulis expreſſerunt delineatas. Idem *Stephanus du Perac*, quem diximus §. 6. totam Romam uno folio depictam ediditfe, tabellis æneis depinxit reliquias & rudera ædificiorum Veteris Romæ, quas publicavit *Romæ* anno a N.C. cIↃ. IↃLXXIV. liber ejus Italice infcribitur: *I Veftigi dell' Antichità di Roma, raccolti & ritratti in perfpettiva con ogni diligentia.*

11. Verum qualis & quantacunque induftria & diligentia hæc opera quafi denuo luci reddat & revocet, *Roma Vetus* nunquam certe refufcitari poterit, quæ fub *Nova Roma* & Veteris Urbis ruinis eft fepulta. Romam Romæ quæres, nec invenies, fed mortui corporis reliquias, parietinas, truncas columnas, arcus femirutos, quæ tamen ipfa fpectatoribus e propinquo perluftrantibus ftuporem faciunt. Ut ad finem properem, non poffum melius, ut puto, curfus mei metam fiftere, quam eleganti illo Jani Vitalis, recentioris & terfiffimi Poetæ Itali carmine, quo Romæ vices graviter defcribit & fimul deplorat; *in Delic. Poetar. Italor. Tom. II. p. m. 1433.*

Qui Romam in media quæris novus advena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media:
Adfpice Murorum moles, præruptaque Saxa,
Obruptaque horrenti vafta Theatra fitu!
Hæc funt Roma: viden, velut ipfa cadavera tantæ
Urbis adhuc fpirent imperiofa minas?
Vicit ut hæc Mundum, nixa eft fe vincere: vicit:
A fe non victum ne quid in Orbe foret.
Nunc, victa in Roma, Roma illa invicta fepulta eft;
Atque eadem victrix victaque Roma fuit.
Albula Romani reftat nunc nominis index,
Qui quoque nunc rapidis fertur in æquor aquis.
Difce hinc, quid poffit Fortuna: immota labafcunt,
Et quæ perpetuo funt agitata, manent.

FINIS.

NIC. BERGIERII
ADDENDA ET EMENDANDA.

LECTORIBUS INTERPRES S. D.



Um primo animum ad vertendum hoc BERGIERII opus appuli, id mihi negotii datum credidi, ut librum haberem, cujus margini adſcriptæ eſſent Auctoris poſtumæ *Emendationes*, *Additiones* & *Notæ*: vix enim mihi perſuadere poteram, quin doctiſſimus Auctor, pro more eruditorum ſcriptorum, ut dies diem docet, hoc opus ſecundis curis ad limam revocaſſet. Sed nulla ſpes hujus voti potiundi ſupererat, flagrante maxime fatali illo & miſero bello, quo fere ſilebat literarium cum Eruditis Gallis commercium; quin etiam neſciebam Auctoris noſtri heredes & neceſſarios. Felicitati tamen noſtræ imputamus, quod parariis V. V. Cll. THEODORO JANSSONIO ALMELOVENIO, Amico mihi a prætextatis annis conjunctiſſimo, qui cum maxime, ſumma cum laude & fama, elegantiores literas in celeberrima & Provinciali Gelrorum Academia, quæ Hardervici Sicambrorum floret, profitetur, & PETRO BÆLIO, Philoſophiæ in illuſtri Roterodamenſium Athenæo Profeſſore doctiſſimo & elegantiſſimo, Viris quorum merita de Rep. Literaria jamdudum Fama benignior æternitati conſecravit; ut, inquam, his parariis, in ipſis mediis Belli Gallici flammis, ex Gallia ad nos tranſmitterentur deſideratiſſimæ BERGIERII *Emendationes*, *Additiones* & *Notulæ* poſtumæ, quas ad marginem ſui libri adſcripſerat. Debemus autem eas ſic excerptas humanitati nobiliſſimi OUDINETI, & doctiſſimi DU BOS, quorum ille in Aula Regia, hic Pariſiis degit. Hi eas Cl. BÆLIO tranſmiſerunt, qui per amiciſſimum noſtrum ALMELOVENIUM eaſdem nobiſcum communicavit. Lubet eas hic ſubjicere, eadem lingua, qua Auctor eas conſcripſit, ut uſui etiam eſſe poſſint illis, qui Gallicum Auctoris librum habent, & ut eum hinc emendare ad poſtremas Auctoris curas, ſi velint Gallico libro uti, queant. Addidimus inſuper noſtram Verſionem Latinam, & nonnulla adnotavimus, quæ cuncta noſtra uncinulis ſunt incluſa. Omiſimus autem tria quatuorve Errata Typographi, quæ BERGIERIUS in *Erratorum indice*, quem libro ſuo ſubjecit, jam olim annotarat. Accipe ergo jam ipſas *Additiones*, *Emendationes* & *Notulas*; quæ adſcriptæ fuerant, ab ipſa Auctoris manu, margini Editionis Gallicæ, *Pariſiis apud Claudium Morellum, Typographum Regium, in platea S. Jacobi, ad inſigne Fontis anno a C. N.* CIↃ. IↃC. XXII. *in quarto majori*, ut loquuntur Bibliopolarum filii; cujus Editionis paginæ & lineæ hic intelliguntur: quas ſimul ad libros, ſectiones & paragraphos ſive tmematia accommodavimus.

APOSTILLES ET CORRECTIONS,

ecrites de la main de

NICOLAS BERGIER,

dans son *Histoire des Grands Chemins*.

id est :

ADDENDA ET EMENDANDA,

scripta manu

NICOLAI BERGIERII

ad oram librorum, quos *de Viis Romani Imperii Publicis ac Militaribus* scripsit.



Ag.16.lin. 30. pour citation, en marge : *Car. Sigonius de Antiq. Jure Italiæ lib.*1. *cap.* 1. (Vult Auctor, videndum esse Sigonium *l.l.* ad I. 6.§. 3.)

Pag. 23. lin. 2. pour citation, en marge : *lib.* v. *Geograph.* (Addit hic ad I. 8. §. 7. ex quo libro Strabonis locum ibi laudarit: nos hunc ipsum locum jam ante, quam advenissent hæ Notulæ, addideramus ex *lib.*v. *Geogr.* laudatum.)

A la même pag. 23. lin. 26. au lieu de *lib.* v. *Geograph.* l'Auteur a mis : *in C.Graccho*. (Plutarchi locum laudavit *ex vit.C.Gracchi c.*8. *&* 9. quem hic innuit, margini apponendum, loco τῷ *lib.*v.*Geograph.* quæ Typothetarum incuria locum mutarant. Nos ea ipsa jam emendaveramus, & recte locum laudaveramus, ad I.8. §. 9.antequam Notulæ hæ advenissent.)

Pag. 38. lin. 9. pour citation, en marge, *Plin. H.Nat.*XXXIII. 3. (Innuit *Bergierius*, se I.13.§.1. Auctore Plinio *l.l.* uti : at nos non solum Plinii locum suppleveramus, antequam Notulæ hæ advenissent; sed etiam ipsius *Bergierii*, nimiam auri summam, quam miror ipsi non animadversam, ad Plinii ipsius verba correximus : vide quæ ad hunc locum *Bergierii* notamus.

A la même pag. 38. lin. 36. au lieu de *Troglodicis* il y a *Troglodyticis*. (Hoc etiam vitium Typographicum I. 13. §. 2. *in fin.* a nobis jam emendatum fuerat.)

Pag. 48. lin. 18. au lieu de *Medine* il y a *Montpellier*. (Hoc vult, Inscriptionem, quæ habetur I. 16. §. 4. *ex Grutero* CLIII. 9. exstare *Montepessuli*: at nos Gruterum potius secuti *l.l.* sumus, qui eam inscriptionem ait, exstare *Emeritæ* in Hispania, A eamque edidit Columnæ Milliari inscriptam, *e Schotti Schedis*. Bergierius eamdem ex Grutero laudat, sed, ut puto, scribæ a manu vitio, mutilatam integra linea quarta, & numero VI. in fine, qui totidem M. P. notat. In eo admisit quidem, quod etiam agnoscit hic curis secundis, memoriæ vitium, quod *Medinæ* eam collocet, quæ est, ni fallor, *Legionis* urbs; cum sit *Emeritæ*, quæ hodie est *Merida Estremaduræ*. Verum,a quo & unde didicerit, eandem Inscriptionem exstare *Monspelii*, quærimus. Nos, ut diximus, Gruterum & Schottum secuti, idoneos testes, locum *Emeritæ* dedimus, &, quæ deerant, supplevimus ex istis, B priusquam has Notulas accepissemus.)

Pag. 51. lin. 9. au lieu de *Tarascon* est Terragone. (Amanuensis scribæ hoc, ut puto, vitium, jam ante I. 17. §. 4. sustuleram, quam hæ Notulæ ad nos venissent: Imo & ipsam Inscriptionem ibi ex Grutero CLIV. 3. emendatiorem dedi, addito numero LXXIII. in fine, qui totidem *M.P.* notat, & a *Bergierio* nostro aut Typothetis male omissus fuerat.)

C A la même pag. 51. lin. 23. les citations en marge : *lib.* LXVII. *lib.* IV. *Sylvarum*: sont effacées. (Sed & nos has nihili citationes ad marginem I.17. §.5. additas jam antea expunxeramus in nostra versione. Scilicet Typothetæ in *editione Gallica* per errorem ista verba repetita ex margine sequentis paginæ, non solum huc transtulerant, verum etiam imperite conjunxerant.)

A la même pag. 51. les six dernieres lignes : *Et ne sçay &c.* jusques à *voyez icy*, sont rayées, & l'Auteur a écrit au dessous: *Depuis j'ay appris, quæ l'Inscription suivante est de Domitien, & non de Titus; d'autant, quæ Titus n'a esté, que huit fois Con-*D *sul, & Domitien dixsept fois, des quelles l'onzième est icy marquée*. La même remarque est repetée à côté de cette Inscription pag. 52. lin. 1. & suivans. (Hic *Bergierius* summa cum ratione corrigit dubitationem suam, qua nesciebat, utri Vespasiani Filiorum, Titone, an Domitiano, vellet at...

buere Inſcriptionem mutilam & attritam ex Grutero CLV. 2. allatam ad I. 17. §. 5. Nam ſine ullo dubio ad Domitianum referri debet. Titus enim tantum VIII. Coſ at Domitianus XVII. Coſ. fuit; atqui in hac mutila Inſcriptione habetur *Coſ.* XI.)

Pag. 53. lin. 6. apres *Orientales*, il y a, *& Septentrionales*. (Refer ad I. 17. §. 6. & ad Auctoris mentem in noſtra quoque verſione poſt τὸ *ad Orientem*, adde & *Septem Triones*. Profecto enim Trajanus Imperii fines quoque protulit ad Septem Triones; ut Dacicæ & Sarmaticæ ejus victoriæ teſtantur.)

A la page 59. l'Auteur remarque, que les trois dernieres Inſcriptions, rapportées à *Antonin le Debonnaire*, ſont de *Caracalle*, & doivent étre renvoyées au chapitre ſuivant. (Vult Auctor, tres poſteriores Inſcriptiones, quæ habentur I. 18. §. 4. & ad *Antoninum Pium* referuntur, referendas eſſe ad *Caracallam*, adeoque transferendas ad I. 19. §. 2. Verum Joſephus Scaliger in *Indice ad Inſcriptiones Gruteri cap.* XXI. Inſer. priorem ex *pag.* CLI. 4. ad Antoninum Pium Hadriani F. refert: alteram ex *pag.* CLVI. 8. ad M. Aurelium Antoninum Caracallam: poſtremam ex *pag.* CLVI. 6. rurſus ad Antoninum Pium Hadriani F. Quærendum amplius.)

Pag. 85. lin. 11. en marge: Gruter. CLII. (Voluit, Inſcriptionem allatam I. 24. §. 3. & laudatam ex Onufrio Panvinio *in Urb. Rom.* haberi quoque apud Gruterum. Sed non ſolum prior iſta Inſcriptio, illo §. 3. verum & altera, & binæ ſequentes, apud Gruterum CLII. I. CXLIX. 5. CLXII. 1. & 2. leguntur: debuiſſet addere & Inſcr. alteram, illo §. 3. quæ incipit: HONORIS legi apud Gruter. CXLIX. 5. nam ibi emendatior legitur, quam apud Panvinium *in Deſcr. Urb. Rom.* agit *de Via Annia*; Theſauri hujus *Tom.* III. *p.* 241. forſan non incidiſſet in jocularem errorem ex amanuenſis ſui, aut ſua ipſius culpa: vide, quæ ibi notamus. Nos, ut ubique Gruterum conſuluimus & laudavimus, ita & in his Inſcrr. eundem ſecuti ſumus, antequam Bergierii noſtri Notulas haberemus: gaudemus tamen, quod non invitis illius Manibus hoc factum eſſe videamus.)

Pag. 87. depuis la ligne 14. juſqu'à la 30 l'Auteur a ainſi corrigé: *Autrefois de ſervile condition, qui étoit auſſi Chirurgien Oculiſte, fait de grands dons au public, ſçavoir de cinquante mil ſeſterces d'une part, qui ſont trois mil cinq cens livres de nôtre monnoye; & de trois cens mil ſeſterces d'autre, qui valens vingt-&-un livres pour faire poſer des Statues au Temple d'Hercules: & donnant encore deux mil Seſterces* &c. (Optimo jure hic *Bergierius* jocularem corrigit errorem, quo antea, quod neſciret, quis eſſet *Medicus Clinicus*, ex uno eodemque *P. Decimio P. L. Erote Merula, Medico Clinico, Chirurgo Oculario*, qui occurrit in Inſcr. laudata ex Grutero CCCC. 7. ad I. 24. §. 5. duos fecerat viros, *Decimium Erotem Merulam, Medicum*, & *Clinicum* quendam nomine, qui fuerit *Chirurgus Ocularius*. Hunc errorem jam dudum ipſe emendaveram, antequam ad nos acceſſiſſet ultima *Bergierii* manus: cum enim ſalutarem illam *Clinicam*, ut Plinius Medicinam vocat *H. N.* XXIX. 1. XXX. 11. ipſe faciam, & inter publicos quoque Sacerdotes *Dei Clinici*, uti Æſculapium nominat Prudentius *Apotheoſ. vſ.* 273. iam dudum cooptatus, ac *Clinicos* ipſe, ut, quos vulgo hoc ſenſu *Phyſicos* vocant, Medicos appellat Martialis 1. 30. IV. 9. IX. 94. formem ac doceam publica auctoritate, ab-

A ſurdum fuiſſet, a me ignorari artis ſalubris ita nominatos profeſſores, in qua ipſe verſarer: quare nolebam fieri hujus erroris alieni acceſſio; ſed eum funditus ſuſtuli. Gratulor autem mihi, quod videam & *Bergierium* noſtrum meliora edoctum, voluiſſe eundem errorem emendari; ſic ut moroſi homines non poſſint calumniari, me in alieno opere voluiſſe nimis eſſe ingenioſum: volenti enim, ut vides, Auctori præſtiti beneficium, non obtruſi nolenti: de *Clinicis Medicis* tu porro vide Mercurialem *Variar. Lect.* III. 22. *ſive ult.* ubi hanc ipſam Inſcr. de qua agimus, recte exponit. *Bergierii* vero hunc errorem jam pridem quoque notarat B Franciſcus de la Motte le Vayer, Vir acuti & eruditi ingenii, in libello Gallico, quem *Hexaemeron Ruſtique* inſcripſit; ipſe enim omnino eſt Auctor anonymi hujus libelli, in quo *dans la Journée premiere p. m.* 25. *ed. Amſt.* 1671. ita eleganter ſua lingua ait: *Voyons en ſuite deux mepriſes de* Berger, *qui a fait* l'Hiſtoire des Grans Chemins. *La premiere eſt au* vint-troiſiéme (lege: *vint-quatriéme*: eſt enim in *Bergierio*, vitio typothetæ poſitum XXIII. pro XXIIII.) *de ſon* premier livre, *où il veut interpreter une* Inſcription antique, *qui parle d'un certain* Decimius, *lequel y eſt nommé* Me- C dicus Clinicus & Chirurgus Ocularius *Car outre*, *qu'il en fait deux perſonnes au lieu d'une: il traduit:* un Chirurgien Oculiſte nommé Clinicus, *prenant pour un* nom propre *un* adjectif, *qui droit étre rapporté à* Medicus, *& non pas à* Chirurgus, *ſans s'étre ſouvenu, qu'on nommoit* Medicos Clinicos, *ceux, qui pratiquoient la Medicine en obſervant ſoigneuſement leurs malades dans le lit*. De altero, quem putat Vayerius, errore vide quæ addimus Cl. Viri, DU BOS, *Animadverſionibus* ad IV. 32. §. 7.

D Pag. 97. lin. 20 *Regis* au lieu d'*inſignis*. (Vult verſum iſtum Reucleri, quem laudavit I. 26. §. 4.

Bavo, de genere inſignis Priami fuit ille:

legendum eſſe,

Bavo; de genere Regis Priami fuit ille,

at ego vix putem, Reucleridem illum fuiſſe tantum contemtorem Legis Pediæ, ut ſic ſcripſerit: forſan Bergierius Gloſſematis loco τὸ *Regis* margini adſcripſerat; ne quis alius Priamus, quam ille E Trojæ Rex infelix, a lectore intelligeretur.)

Pag. 121. lig. 8. en marge: *Cap.* 6. au lieu de *Cap.* 7. (Laudatur Vitruvius a *Bergierio* II. 3. §. 1. Typothetæ errore τὸ 7. ἀντὶ τοῦ 6. hic ad marginem appoſitum, emendari vult. Sed qua editione uſus ſit, neſcio. Meus Vitruvius *cum Comment. Barbari Venetiis* 1567. *in folio*, ut loquimur cum Tryphonibus, locum Vitruvii laudatum habet *libri* II. *cap.* 4. uti jam dudum emendaveram, antequam poſtumas has emendationes accepiſſem.)

F Pag. 125. lig. 18. en marge: *Cap.* 7. au lieu de *Cap.* 6. (Infeliciſſimus tantum non ubique fuit in locis Scriptorum indicandis noſter *Bergierius*: unde ſtatim, cum primo inchoarem ejus verſionem, hanc mihi perpetuam legem indixi, ut nullum locum ab eo laudatum ſequerer, niſi luſtratis ipſis ſcriptoribus, quibus uſus fuerat, quorum tum locos exacte & pæne ſuperſtitioſa annotavi religione. Vult autem noſter Bergierius hic II. 4. § 1. emendari Typothetæ, ut credo, errorem, qui τὰ 6. poſuit ἀντὶ τοῦ 7. in loco Vitruvii ex II. 7. ad marginem

ginem apposito: sed & hic error cum sexcentis aliis a me jam dudum emendatus erat.)

Pag. 161. lign. 23. en marge: *lib. v. Geograph.* (Vult suppleri loci ex Strabone laudati ad II. 16. §. 12. indicium. Sed nos jam antea non tantum hoc §. 12. sed & §. 11. ac passim hac sectione, & omissa locorum indicia, & ipsos locos plane omissos quos tamen sæpius de verbo ad verbum Gallice noster reddit, suppleveramus.)

Pag. 176. lign. 41. en marge: *lib.* II. *cap.* 6. (Est indicium loci e Vitruvio laudati ad II. 19. *§.* 6. ubi pro more nostro jam erat suppletum.)

Pag. 177. lign. 2. en marge: *Plinius lib.* XXXV. *cap.* 13. *agit de Pulvere Puteolano*. (Adde ergo cum Auctore nostro II. 19. §. 6. ad finem hæc verba: *Porro audi de Pulvere Puteolano & Plinium* H. N. XXXV. 13. Verum, *ait*, & ipsius Terræ sunt alia segmenta. Quis enim satis miretur, pessimam ejus partem, ideoque pulverem appellatam, in Puteolanis collibus, opponi Maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidie, utique si Cumano misceatur cæmento.)

Pag. 180. à costé de la ligne 13. en marge: *lib.*7. *cap.* 1. (Iterum est indicium loci e Vitruvio laudati ad II. 20. §. 8. sed nec hic diligentia nostra Auctori defuit.)

A la même 180. page a costé de la 20. ligne: *lib.* XXXVI. *Nat. Hist. cap.* 25. (Est indicium loci e Plinio laudati ad II. 20. §. 8. sed & illum recte indicaveramus antea.)

Pag. 188. lign. 13. en marge: *Martialis & Alexander ab Alexandro aliquid habent de* Asarotis. (Voluit Auctor innuere ad II. 21. §. 10. de *Asarotis* videndos esse Alexandrum Neapolitanum *Genial. Dier.* IV. 21. & Martialem: verum, ut hujus locum indicasset, libens vellem: neque enim memini Martiali fieri mentionem *Asarotici* operis, aut *Asarotorum*. Sed, ut puto, voluit innuere *Cornu Copiæ*, sive *Commentarium* Nicolai Perotti, Pontificis Sipontini, ad Martialis *librum Spectaculor.* qui ad *Epigr.* 2. *Spectac. p.m.* 147. *ed. Basil.* 1532. *formæ majoris*, hæc annotat: *Inventa deinde sunt a Græcis* (Pavimenta) *elaborata arte Picturæ, quæ* Asarota *dicta sunt, quod verri non debeant*, ἀπὸ τῶ α, *privativa particula & σαρῶ, quod est* verro: *solebant quippe purgamenta Cœnarum, quæ* Analecta *vocantur, in Pavimento quoque everri, dum subtegulanea pavimenta in usu erant: postea vero* Asarotis *inventis, cessavit usus Scoparum, & manibus colligi purgamenta cœperunt, Pavimenta vero spongiis mundari*. Martialis XIV. sive *in Apophoretis, num.* 82. *qui inscribitur*, Scopæ:

In precio scopas testatur palma fuisse:
Otia sed scopis nunc Analecta dabunt.

Hæc Perottus. Addere poteris Barthium in vasto illo Commentario ad Statium *Sylv.* I. 3. *vs.* 55. ubi docet, valde certatum esse inter Eruditos super significatione *Asarotorum*. Meminit *Asarotici* operis etiam Arvernorum Episcopus Sidonius *in Panegyr. Narbonens. Urb. vs.* 17. *& seqq.* Narbonem alloquens:

Non tu marmora bracteata, utrimque
Non testudinis Indicæ nitorem,
Non, si quas eboris trabes refractis
Rostris Marmarici dedere barri,
Figis mœnibus, aureasque portas
Exornas Asaroticis lapillis.)

Page 201. à costé de l'Inscription: *Faut voir Gruterus*. (Puto doctissimum Auctorem, scribæ sive pueri a manu, opera usum, qui ipsi exscriberet locos Auctorum eorumque indicia annotaret; alias enim fieri vix potuisset, ut singulis paginis, iterum & diserte dico, singulis paginis tot fœdæ, mutilæ, corruptæ inveniantur aberrationes. Noster *Bergierius* laudavit ad II. 24. *§.* 3. Inscriptionem ex Grutero CL. 4. & quidem satis accurate. Sed procul dubio ipse eam non exscripsit, cum velit Gruterum videri nam ait de longitudine istius Viæ: *sur la longueur de mil cent soixante & quinze pas Geometriques*. Tu pro *quinze*, lege *cinq*. ut habet Inscr. VIAM. LONG. p. ∞. CLXV.)

Pag. 161. lign. 6. en marge: *lib.* 2. *de legib.* (Laudaverat generatim Ciceronem ad II. 36. *§.* 1. occasione vocis χῶμα, quam Cicero reddiderit *Sepulcrum*. Locus est *de legib.* II. 27. uti nos jam ante transmissas hasce curas postumas supplevimus.) (Sciat autem Benevolus Lector, quod in hac ipsa versione, *Emendata*, *Addita* & *Laudata*, qualia jam sequuntur, debeantur, non mihi, sed ipsi Auctori: nam, cum pervenissem in versione ad *sectionem mediam* 36. *lib.* II. accepi demum hæc *Addenda* & *Emendanda*, quæ ad marginem sui operis adscripserat *Bergierius*, & quæ ad me transmisit III. Nonas Octob. anno N. C. CIↃ. IↃC. XCVI. Gaudæ in Batavis tum temporis Poliater ALMELOVENIUS noster.)

Pag. 268. lign. 25. & 26. l'Auteur met: *Elle a huit pieds, huit pouces en longueur, trois pieds neuf pouces en largeur, en profondeur quatre pieds neuf pouces*: depuis il adjoute: *Elle est ouverte par le haut, & creusée de quatre pieds, le fond est divisé en trois partie par deux bouts de solives & chacune partie est remplie de divers ossemens rangez les unes sur les autres*. (Hæc secundum Auctoris mentem suo loco II. 37. §. 4. sunt correcta, &, quæ addi debuerunt, inserta: illa autem *lineæ* 25. & 26. *in Edit. Gallic. p.* 268. verba: *Elle a sept pieds en longueur, quatre en largeur, & autant en profondeur*: utpote a vero aliena, sunt expungenda: eorumque loco substituenda, quæ Auctor melius edoctus admonet; & mox subjicienda ea, quæ addit.)

Pag. 272. ligne 2. *Credimus*, au lieu de *Quis putet*, *dans le Distique de Varron*. (Scilicet nonnulli legunt, ut & prius in hac edit. Gall. legebatur:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo: Quis putet esse Deos?

Alii legunt: *Credimus esse Deos?* hæc posterior lectio, quia postea Auctori se magis probavit, & nobis placere debuit, qui pro more nostro indicium quoque loci fecimus ad II. 38. *§.* 1.)

Pag. 370. apres la fin de la ligne 28. il adjoute: *Ce que Genebrard dit avoir été prophetisé par Esaïe* chap. II. 15. *C'est en exposition du Symbole de St. Athanase, où vous trouverez ces mots:*
„ *Neque enim fragrantissimum unguentum latius*
„ *odorem suum spargit, quam verbi Christi odor*
„ *permanavit, quod ut commodius celeriusq; fieret,*

„ *Deus, uti per Esaiam promiserat, Imperiorum* „ *omnia impedimenta sustulit, & unum longe maximum conflavit, quo de gente in gentem tutus* „ *esset transitus, neque ut peregrini & explorantes e finibus alienis Apostoli exigerentur*. (Hæc videbis, ex Auctoris mente, subjecta III. 15. ad §. 8.)

Pag. 406. lign. 18. Ces mots: *Et sur lequel Varro* &c. sont rayez avec le Distique: *Marmoreo* &c. qui est desja cité à la page 272. (Deleri vult, quæ hic notat *ad* III. 23. §. 6. *in fine*, ne reponat crambem jam allatam II. 38. §. I. itaque ex voluntate Auctoris etiam nos ista omisimus ad III. 23. §. 6. & lectores ibi remisimus ad II. 38. §. I.)

A la page 412. lign. 33. les deux vers de Tibulle sont rayez, étant rapportés ailleurs. (Vult III. 24. §. 6. *in fine*, deleri distichon Tibulli I. 7. *vs.* 57. quod jam attulerat ad II. 30. §. 2. *sive pag.* 232. *edit. Gall.* quare & nos III. 24. §. 6. *in fine* expunximus, jubente Auctore, illud distichon, & lectores remisimus ad II. 30. §. 2.)

Pag. 436. ligne 6. apré, *Comprenoit*, le reste de l'article est rayé, au lieu de quoy l'Auteur a mis: *quelques terres sur les quelles l'Archevesché de Milan ne s'étendoit pas, quoi qu'il comprit, du temps de St. Athanase, les villes de Ravennes & d'Aquilée, qui furent depuis erigées en titre de Metropolitaines*. (Rectissime Auctor noster inductis sequentibus *a lin.* 6. *p.* 436. *edit. Gallic.* quæ erant III. 30. §. 4. *in fine*, post *Comprenoit*, *encore deux villes Metropolitaines: sçavoir, Ravennes & Aquilée, sur lesquels l'Archevesque de Milan n'avoit point de pouvoir: mais l'Italie, sur la quelle Milan s'étendoit au fait Ecclesiastique, étoit l'Italie Transpadane, qui contenoit toutes les villes & nations de la Ligurie, que Pline dit être la neufiesme des onze Regions d'Auguste Cæsar*. Rectissime, inquam, his inductis, priora illa substituit. Nam Athanasii ætate Ravenna & Aquileja nondum erant Metropolitanæ urbes, qua dignitate sero demum gaudere cœperunt. Nos Auctoris jussum secuti expunctis hisce illa substituimus III. 30. §. 4.)

Pag. 488. lig. 4. *à quatres lieuës de Chaalons*, au lieu de *deux lieuës*. (*Vidulæ* fluvii ortum & fontem collocaverat noster Auctor III. 39. §. 8. per errorem, *duabus leucis Francicis a Catalauno*; cum debeant revera numerari *quatuor leucæ*, quem errorem hic corrigit: & nos ipsius monitu in versione nostra III. 39. §. 8. correctum dedimus.)

Pag. 489. lign. 9. *leg.* XXII. au lieu de leg. XII. (Est Typotherarum aberratio: & quæ etiam *seq. lin.* 10. eodem modo occurrit, XII. ἀντὶ τῷ XXII. Nos ipsum *Antonini Itinerarium* ubique consuluimus, & ex eo numeros fideliter enotavimus: quod etiam hic III. 39. §. 10. a nobis factum.)

A la même page 489. lign. 35. 36. & 37. il y doit avoir: *qui tire droit a Vaudetré, Juniville, Attigni le Chesne, Mouzon & Yvois, d'ou prennant sa route à travers la forest d'Ardennes, & passant par les villes d'Arlon*, &c. (Vult Auctor hæc priora substitui sequentibus istis, quæ delerii vult: *qui tire droit à Vaudetré, Ville-sur-Tourbe, Attigni, Sedan, & Mouzon: d'où prennant sa route à travers la forest d'Ardennes, & passant par les villes d'Yvois*...... Agit ibi de Via Militari Romana, quæ Remis ducit Treveros, cujus vestigia ibidem inquirit. Nos Auctoris emendatio-

A nem in versione nostra fideliter sumus secuti III. 39. §. 10.)

A la page 491. lig. 20. & 21. lisez: *pourroit bien être Chaoux, assis à un quart-de-lieuë au dessous de Montcornet distant de Vervin de trois lieuës, qui repondent aux* VI. *mil.* &c. (Auctor hic paullo accuratius persequitur loca Viæ Militaris a Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum: dixerat III. 39. §. 13. *Catusiacum pourroit bien être Montcornet distant de Vervin de trois lieuës, qui repondent*.... Hisce verbis ista paullo accuratiora substituit, quæ & in versione nostra sumus secuti.)

B A la même page 491. lig. 23. apres: *m'est incognu*, il adjoute: *si ce n'est Nisi le Comte, qui est a trois lieuës & demie de Chaoux, & qui repond à la mesure de l'Itineraire*. (Hanc Auctoris additionem suo loco in nostra versione III. 39. §. 13. inseruimus: persequitur ibi eandem Viam, de qua modo diximus.)

Pag. 493. lign. 5. au lieu: *de la Brie*, lisez: *de la montagne de Reims*. (Persequitur Auctor III. 39. §. 15. loca Viæ Militaris a Durocortoro Gessoriacum: ibi vero hanc emendationem in versione nostra observavimus.)

C Pag. 504. apres la seconde Inscription lig. 29. l'Auteur adjoute; *Toutefois je diray en passant, que Leonclavius se meprend en ce, qu'il estime, que les seuls puis nés de l'Empereur ayent été qualifiez du titre de* Nobilissimi Cæsares, *veu que cette qualité se trouve aussi bien prise par les ainez, voire même par les Peres, j'a de longtemps faits Empereurs, comme on peut justifier par Medailles & inscriptions antiques. Le premier des Enfans, qui porte ce titre aux Medailles, & aux Auteurs,* D *qui en traitent, c'est* M. Julius Philippus, *Fils unique de l'Empereur* Philippus, *& joint à l'Empire avec lui.* Decius *avec ses deux Fils* Etruscus *&* Hostilianus, *comme pareillement* Carus *avec* Carinus *&* Numerianus *ses Enfans, portent indifferement ce titre en leurs Medailles; & quoyque le nom de* Cæsar *soit souvent pris pour les Princes non encore Empereurs, mais designez a l'Empire, si est ce, que quelques Empereurs, qui se disoient Augustes par le droit de l'Empire, en quelques unes de leurs Medailles, n'ont laissé de prendre le titre de* Nobilissimus Cæsar, *és autres; le nom de* Nobilissimus *ne se trouvent, peu ou point,* E *avec le mot* Augustus, *mais avec celuy de* Cæsar. *J'ay appris tout cela de Monsieur Colbert, Seigneur du Terron, le plus curieux des pieces antiques, & le mieux entendu au fait particulier des Medailles, qui soit en nôtre ville de Reims. Quand aux Inscriptions, c'est lui, qui m'a pareillement advisé de celle-ci, qui se trouve au second des Annales de* Baronius, *& qui donne la qualité de Tres-Noble au Fils aîné de* Carus *en ces mots:*

F *Victoriosissimo Principi Juventutis M. Aurelio Carino Nobilissimo Cæsari &c.*

Mais pour retourner a l'autorité de Leonclavius, *d'autant, quelle porte un temoignage certain* &c. (Luculentam hanc additionem reperies insertam suo loco III. 41. §. 9. in nostra versione, ubi paullo accuratius in locum Baronii inquisivimus, ipsamque Inscriptionem genuinam plenam, eique gemellam addimus, simul hujus & similium indicia fecimus.)

Pag. 591. apres la ligne 17. il y a: *Faut parler*

icy des Villes Libres. (Auctor noster IIII. 8. post §. 5. debuisset, pro ratione Instituti sui, novo tmematio docere, quænam fuerint *Civitates Liberæ*. Sed per incuriam forte hoc neglexit; aut Sigonio *de Antiq. Jure Ital. lib.* II. duce usus cum eodem oblitus est *Civitates Liberas*: nam & hic de iisdem illo libro siluit. Voluit *Bergierius*, ut apparet, hunc hiatum postea explere, sed morte præventus destinatum non perfecit; nam sequente post anno, quam ejus hoc opus est editum, diem suum obiit: conati sumus, licet tanto Viro impares, aliqua ex parte in Notis nostris ad IIII. 8. §. 5. huic lacunæ mederi.)

Pag. 612. lign. 14. 15. & 16. lisez: *lesquels d'un mot Grec on appelle* Hippocomos, *ou bien*, a Mulis, Muliones. (Optime hunc errorem corrigit noster *Bergierius*: expungantur ergo in Gallica Editione *l. l.* hæc verba: *lesquels d'un mot composé, partie du Grec, & partie du Latin, on appelle* Hippocomos, *a comandis equis*: & his substituantur illa meliora: namque *Hippocomus* non est vox hybrida, sed mere Græca, ἀπὸ τοῦ ἵππος, *equus*, & ἀπὸ τοῦ κομεῖν, *curam gerere*, *nutrire*, *alere*. Videor mihi passim observasse in hoc opere, doctissimo *Bergierio* Græciam non fuisse nimis notam. Nos, etiamsi non monuisset id Auctor, vocem tamen suæ Græciæ, ut jam, quoque auctoritate Scriptoris ipsius factum est IIII. 13. §. 9. ultro reddidissemus.)

Pag. 665. lign. 16. au lieu de: *Presidales en Pretoriales*, lisez: *Pretoriales en Presidales*. (Trajectio hæc vero sensui contraria, jussu Auctoris, a nobis in versione nostra genuino, quo Lampridius narrat, ordini suo reddita est IIII. 29. §. 2. *circa finem*.)

Pag. 692. lign. 14. *Pan.* 279. &c. corrigez cette datte par l'Histoire. (Recte hunc Typothetarum errorem ex Historia corrigendum monet: debebat esse *annus* 779 *U.C.* uti correximus in nostra versione IIII. 36. §. 5. *sub finem*.)

Pag. 710. ligne 19. au lieu d'*Ursini*, lisez: *Ursicini*. (Nomen est villæ, diœcesis Augustanæ, cujus ex Grutero CLVII. 2. meminit Noster IIII. 39. §. 5. Verum Gruterus non legit, ut hic emendari videmus, *Ursicini*, sed *Ursinii*; non *Ursini*, ut *Bergierius*, errore Typothetarum *l. l. edit. Gall.* habet: putem & τὸ *Ursicini* hic in Emendandis, a festinante manu non attenti scribæ, qui τὸ *Ursinii* ἀντὶ τοῦ *Ursini* emendantem *Bergierium* non animadvertit, profectum. *Ursinii* etiam in iisdem tribus Inscriptionibus legit Velserus *in Monument. Agri Augustani p m.* 249. *ed. Ven.* a Velsero autem easdem habuit Gruterus.)

Pag. 758. lig. 9. au lieu d' *Antonin le Debonnaire & de Marc Burele*, lisez: *Elagabale & Alexandre Severe*. (Recte, cum Scaligero *in Indice ad Inscr. Gruteri cap.* 21. Inscriptionem ex Grutero CLXIII. 8. allatam ad IIII. 48. §. 6. refert curis secundis ad *Alagabalum* & *Alexandrum Severum*; cum prius eam adscripsisset *Antonino Pio* & *M. Aurelio*. Secuti sumus in versione hac nostra ad IIII. 48. §. 6. secundas hasce & meliores Auctoris curas.)

(Tandem notis in *Indice Erratorum* ingens erratum esse admissum: in ultimo errato, ubi habetur: *Pag.* 815. *lig.* 16. *l'ouvrage*, lisez *la semblance*: locus non est *pag.* 815. sed *pagina* 835. *lin.* 16. *Edit. Gallic.* ubi vox *l'ouvrage* nec veritati, nec sensui convenit, & omnino est corrigenda, ac reponenda *la semblance*: quod & nos in versione nostra observavimus v. 15. §. 6. *in fin.*)

Finis Addendorum & Emendandorum *Nic. Bergierii*.



VIRI CLARISSIMI & DOCTISSIMI

JOANNIS BAPTISTÆ DV BOS,


ANIMADVERSIONES

AD


NICOLAI BERGIERII

LIBROS

de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis.

I.17.§.5. Um de eodem agat, &c.) Ambigit Auctor, utrum Inscriptio semierasa, quam affert petitam ex tractu Tarraconensi, *Titum* vel *Domitianum* nuncupet procul dubio adscribenda est *Domitiano*. *Titus* enim nunquam obtinuit titulum *Germanici*, quem Imperatori suo tribuit Inscriptio.

I.18.ad §.2.) Inter opera Hadriani enumeranda, omittit *Bergierius* mentionem facere penitus siccati *Fucini Lacus*. Tanti operis peracti, cujus mentionem facit Dio, exstat præclarum monumentum in *nummo* istius Imperatoris, in cujus postica parte *Tellus stabilita* legitur, & videtur figura *Telluris*, ad cujus pedes jacet *antlia*, significans, qua ratione purgatæ fuerint aqua stagnante *Fucini* Paludes: qui quidem nummus antea non fuit intellectus, dum Antiquarii *Antliam*, rastrum vel quamlibet aliam rem nuncuparent. (En tibi ipsum nummum:



I.20. §.4. *Tertia Inscriptio, quæ de Patre aut Filio singillatim agit.*) Ambigit, utrum hæc Inscriptio sit *Maximini*, vel *Maximi*, Ejus Filii: est certo certius *Maximini*. *Maximus* enim mortuus est, priusquam Augustus fieret.

I.24. ad §.5.) Perperam *Bergierius* inscriptionem *L. Erotis Merulæ* explicat; ac imprudens eum dividit: unius duntaxat inibi fit mentio: deinde *Clinicus* non est nomen personæ, sed professionis. *Medici Clinici* ii erant, qui ægros curabant morbis exitialibus correptos & lecto afflictos: κλίνη, *lectus*. (Videat tamen ad *h. l.* lector, ipsius Auctoris *Addenda* & *Emendanda*.)

I.25. §.6. *Quod si nummi cuderentur solius Senatus jussu*, & seqq.) *Bergierii* mens est: si nummi percussi fuerint sola Senatus auctoritate, tunc sola *S.C. Senatus consulti* nota probatos videas: si vero Populus cum Senatu de iis cudendis senserit, tum *S.P. Q. R.* tessera apponitur, quæ quidem expositio falsa tota, quanta est. Sola Senatus sententia Moneta conflabatur: deinde eæ notæ *S. C.* & *S. P. Q. R.* ambæ in iisdem nummis reperiuntur, verbi gratia, in nummis æreis *Trajani*, quod satis, ne moremur, *Bergierium* arguit.

I.25. §.7. ad illa: *Quæ jussu Senatus ad Ærarium delata est.*) Prave interpretatur *Bergierius*: EX. EA. P. Q. IS. A. D. *Ex ea pecunia, qua jussu Senatus ad Ærarium delata est*. Hæ duæ literæ IS, in nummo non sunt puncto interstinctæ, ut duarum vocum initiales: deinde placitum Senatus, non *jussus Senatus*, sed *Senatus consultum* dicebatur. Legatur ergo cum Recentioribus: *Quam IS* (Augustus) *Ærario Detulerat*.

I.28. §.5. *Brevior per Apenninum:* & in fine. *per Apenninum.*) Legendum est hic *Penninum*. (*Interpres cum sexcentis aliis hujus notæ erroribus Typographicis & hunc jam dudum sustulerat.*)

II.37. §.4. circa finem: *At cum abhinc biennium lubido me ceperit, uti conferrem plures Hadriani nummos cum ea figura marmoris* & seqq.) Non est, quod eum remoretur *barba Hadriani*: eam enim primis Imperii annis, quo tempore Libyam adiit, non prolixam habuit: genæ duntaxat Imperatoris, in nummis, apparent lanugine vestitæ.


II.38. §.1. *Pallantis.*) *Pallas*, cujus hic refert Auctor tam elegantem Inscriptionem, non fuit *Libertus Tiberii*; sed *Claudii*. Hanc Inscriptionem mire illustrat Tacitus *Annal.* XII.53. (*Imo vero gratulamur nobis, quod nobiscum sentiat doctissimus* DV BOS. *In nostra Versione auctorem Tacitum* l.l. *secuti*, Claudii Imp. *non* Tiberii, *ut habebat in* Gallicæ edit. pag.272. *Bergierius*, Libertum *diximus: adde Notas nostras ad hanc* l. I. *Inscr.*)

II.39. §.4. ATIMETVS. PAMPHILI. &c.) Male descriptum est *Atimeti* Epitaphium: emendetur collatione Boissardi *Tom.* III. si desit, consulatur liber Gallice scriptus, *Ouvrages de Prose & de Vers, de Mess. Maucroix & la Fontaine*, in calce. (*Sed Boissardus* Antiq. Rom. Tom. III. p. 83. *vitiosissime Græca habet: quare meliori jure secuti sumus emendatissimum exemplum apud Fabricium* Monum. Antiq. II. I. p. 69. ut II. 39. §. 4. *licebit videre.*)

II. 39. §. 6. AM. PP. D. AELIA. LAELIA. CRISPIS.&c.*)* Multi Auctores scripsere de interpretatione Inscriptionis *Aeliæ Læliæ Crispis*.XLIII. numerantur. Sponius *Tom. I. Peregrinationis Orientalis* eam, *tanquam adulterinam* repudiat: tamen anno CIↃ. IↃC. LXXXIV. Comes Malvasia, Bononiæ Professor, edito libro ejus fidem vindicat, & quocumque modo sensum exponit.

II. 40. §. 7. *Sequanorum, qui hodie Burgundiæ ducatum habitant.)* *Sequani* non sunt populi ducatus, sed comitatus *Burgundiæ*.

III. 27. §. 2. *Ante, quam Claudius & Trajanus Portum exstruxerunt Ostiensem.)* Cum nummi *Neronis* ex magno & mediocri ære reperiantur cum *Portus Ostiæ* delineatione, conjiciendum est, ab ipso absolutum fuisse hunc Portum, non vero a decessore *Claudio*. (Hos nummos habent eleganter depictos Erizzus *Sopra le Medaglie de li Antichi* in Num. Neronis *1.p.m.216.edit.*1571.& Const. Landus, Complani Comes *in Select. Num.p.m.*69. quos vide in Expositione. Nummi ex Lando hæc est delineatio:



III. 39.§.6. *Verum equidem est, per numeros* Itinerarii, *Viam* Durocortoro Catalaunum & Tricasses *paullo longiorem esse.)* Nullus error in enumeratione itineris *Remis Augustam Tricassinorum*: sed hallucinatur hic & alibi *Bergierius*, dum *Leucam Francicam* duobus millibus passuum duntaxat æstimat. *Leuca Francica*, cujus, Regni legibus, sunt exemplaria *duæ Leucæ*, quæ numerantur in *Parisiis a porta magni Castelli Lutetiæ*, usque ad *portam Ecclesiæ Abbatialis Sancti Dionysii*: se extendit per duo millia ulnarum, quæ mensura nobis dicitur *Toise*: porro Ulna constat *sex pedibus*, passus vero *quinque* pedibus 2000. *pedibus* superat igitur *Leuca Francica* duo M. P. Romana.

IIII. 16. ad §§. 4. & 5.) Falsum est, & contra ipsam Auctoris sententiam, a *Tiberii* successoribus semper fuisse duos *Præfectos Prætorio*. Sub Nerone Burrhus solus &c.Sed res non indiget probatione: triginta sine collega imperavere *Prætorio* a Tiberii tempore.

IIII. 32.§.7. *Nempe vulgata vilescebant alimenta*: &c.*)* Per hunc versum:

Ales Phasiacis petita Colchis,

non intelligit Petronius *Phasianos* arcessi *Colchis*, sed eorum progeniem inde petitam; quemadmodum apud nos Gallorum *Americanorum* ex *America*. (*Verba* Bergierii in Gallica edit. p. 676. *fuerunt*: Qui ne mesuroient pas la bonté des viandes par le goust, mais par le coust & la despense: comme de Phaisans, qu'on alloit querir en Colchos. *Fateor, videri, a* Bergierio *respici* Petronium *c.*53. *cum* Phasianorum *meminerit*; *sed cum* Petronium *disertis verbis non laudet, putarem magis illi in oculis versatum locum Latini Pacati* ex Paneg. *quem* Theodosio Aug. *dixit*, p. m.III. *quem ibidem laudat, & verbis istis Gallicis, quæ modo attuli*, περιφραστικῶς *exponit. dixerat enim.* l. l. *Pacatus*: Appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent. *Eundem porro errorem, si quis est, censoria nota traduxit Franciscus de la Motte le Vayer*, dans sons Hexameron Rustique, journée premiere p.m. 26. *his verbis*: Sa seconde méprise (*loquitur de nostro* Bergierio, *cujus notaverat prius errorem* 1.24. §. 5. *de quo, in* Addendis & Emendandis *ab ipso* Bergierio *notatis*, verba Vayerii ad *d.l.* antea subjecimus:) est au chapitre trente-deuziéme du quatriéme livre, lors qu'il fait reflexion sur le luxe des Romains, *Qui ne mesuroient pas*, dit-il, *la bonté des viandes par le goût, mais par le coût & la dépense, comme étoit celle des Phaisans, qu'on alloit querir en Colchos*. Il ne faut point douter, qu'il n'ait voulu faire une allusion a ces vers de Petrone:

Ales Phasiacis petita Colchis.

Cependant ce n'est pas l'intention du Poete de dire, qu'on les allât prendre dans la Colchide sur le rive du Phasis, pour le manger a Rome, ce qui seroit trop plein d'absurdité. Le mot de *petita* denote seulement, que la race en étoit venue de Colchos; & ce, qui suit, apprend, qu'ils étoient tres-rares & tres-chers dans Rome. *At quod bona cum venia & pace tantorum Virorum dixerim, errorem hic nostri* Bergierii *video nullum. Audiamus totum Petronii locum*:

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enotata pennis,
Plebejum sapit. Ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque, arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis est: amica vincit
Uxorem: rosa cinnamum veretur:
Quicquid quæritur, optimum videtur!

Sane elegantissimus Arbiter hoc sine ullo dubio ait, placere petitas Colchis *Phasiacas aves*, ex Africa *Afrus, quod faciles paratu non sint: anseres & anates non placere, ut vulgo paratas & faciles*: ab oris ultimis *Scarum* ad Syrtes *tempestate commotas* captum, *ob difficultatem istam, tanto magis gulæ blandiri: quare non errasset* Bergierius, *si vel maxime in Petronii illum versum intendisset digitum. Per improbam namque satietatis lasciviam quotidiana fastidiebant, & ab ultimis oris edulia sumtuosa arcessebant delicati illi Apicii, Romuli nepotes: ideo placebant, quia rara, quia cara, quia ab alieno sole advecta, & non domi nata: non erat ergo, ut acutissimus Vayerius huic sensui* nimiæ absurditatis *notam apponeret. Magnanimi enim illi Remi nepotes revera dapes, non sapore, sed sumtu, sed peregrinitate æstimabant. Hæc gulæ irritamenta & luxuriæ instrumenta, Viarum Militarium beneficio Romam undique a provincialibus & peregrinis advehebantur, insanis preciis ibidem vendenda: notavit furiosam istam gulam & prodigiosam luxuriam noster Juvenalis* IV. 14. & seqq. XIV.6. & seqq. *inprimis* XI. 14. 15. & 16.

Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo preciis obstantibus, interius si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

Jam si porro exquisitas cœnarum ciborumque delicias, *quas* helluones isti *Romani* terra & mari conquirebant, *nosse velis*, ex Varrone *suis Quiritibus istas* opprobante in Saty. περὶ ἐδεσμάτων apud Gellium N. A. VII. 16. *hæ sunt*: Pavus e Samo, Phry-

gia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, A
pelamis Chalcedonia, muræna Tartesia, aselli Pessinuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia, glans Iberica. *Vides ex Asia, Africa, Europa luxui Romano sua irritamenta quotidie fuisse per Vias illas Militares advecta. Verum nec hoc dixit noster* Bergierius, *quod* ad singulas cœnas Phasiacæ aves eopse cœnæ tempore aut eodem die peterentur Colchis, *ecquis enim sanæ mentis ita scriberet aut sentiret? sed, ut verbum fere verbo reddam: quod* Romani ciborum bonitatem non sapore, sed precio & sumtu æstimarint; uti Aves Phasiacas, quæ Colchis petebantur. B
Quæ verissima profecto sunt, & extra ullius erroris aleam: quare cum idem dixerit Bergierius *Gallice, quod in eo, quem laudat loco, dixit* Latinus Pacatus *Latine, simpliciter malui vertere totam illam περίφρασιν hoc modo*: Nempe vulgata vilescebant alimenta; in extremo Orbe quærebantur luxuriæ & gulæ irritamenta & instrumenta delicatis Romuli nepotibus: *malui, inquam, ita complecti sensum, quam iisdem verbis ταυτολογεῖν. Cæterum ab æquitate doctissimi* DV BOS *veniam peto humanissimam, quod hoc loco popularem ejus, adversus suorum popularium censuram, tueri sim conatus.*) C

IIII. 33. §. 5.) Male æstimat *Sestertium*, & nimis inflat valorem istius monetæ. *Florenus* monetæ currentis in Batavis continet *septendecim sestertia*: pondere nummorum Romanorum illud evinci potest. (*Respicit doctissimus* DV BOS, *ut puto, locum illum, qui* in Gallica editione *habetur* pag. 679 On en tiroit (des Indes) pour trois cents millions des marchandises, qui se revendoient a Rome cent fois autant. *Sed ipse Auctor sine dubio verba ea in animo habuit, quæ ex Plinii H.N.* VI. 23. *laudaverat* §. 2. *hoc modo*: Digna res, nullo imperii nostri anno minus HS. quingenties (sunt libræ nostratis monetæ 3499608.) exhauriente India, & merces D
remittente, quæ apud nos centuplicatæ væneant. *Utique* Bergierius *caput sive sortem summæ confundit, per incogitantiam, cum lucro, quod sortem in tantum multiplicat. Sedeamus ad calculos. India quotannis remittebat Romam merces*, HS. quingenties emtas: *hæc summa secundum* Bergierii *computationem reddit* libras monetæ Gallicanæ 3499608. *quæ numero rotundo sunt* tres milliones cum dimidio, *Istæ merces Romæ vænibant centuplicatæ: ergo redibant plures quam* trecenti milliones; *imo* trecenti & quinquaginta milliones: *hoc modo*:

3500000. *sive* tres milliones cum dimidio: sors & caput.


350000000. centuplicati tres milliones cum dimidio, scilicet tercenti & quinquaginta milliones: *Sors, cum lucro, centuplicata.*

adeoque liquet, per incogitantiam a Bergierio *in* Gallica editione, *positam fuisse sortem cum lucro centuplicatam, loco simplicis sortis: non vero* HS. quingenties *ab illo computari pro* trecentis millionibus. *Si calculos accuratius velimus ponere cum Recentioribus*, HS. Quingenties *reddet* Philippeos nummos, *sive* Ducatones 1250000. *hi per 3. multiplicati dabunt* Florenos monetæ Batavicæ 3750000. *Nos autem* d.l. IIII. 33. §. 2. Bergierii *errorem ex incogitantia admissum expunximus, & secundum illius calculos, quos* §. 2. *posuerat, vertimus*: Cum India... merces remitteret, emtas tribus millionibus & dimidio, si nostro more loqueremur, quæ Romæ centuplicatæ venirent.)

IIII. 43. §. 13. *Ex Augusti nummo.*) Rejiciendum, ut adulterinum, numisma Augusti, in quo: σπεῦδε βραδέως.

IIII. 46. §. 6. *Drusus.*) De Germanico intellige, quod narrat Bergierius de Druso Juniore. (*Respicit* CL. DV BOS *locum editionis Gallicæ p.* 751. *ubi Bergierius Taciti locum explicaturus ait*: qui introduit Drusus le Jeune. *Nos ex ipso Tacito locum, ut decet, attulimus.*)

IIII. 49. §. 11. *Trajanus hunc Portum deinde amplificavit.*) Exstat nummus Trajani, in quo cernitur, qualis fuerit Portus interior, vulgo *d'Oste*, quem Ostiensi Portui addidit is Augustus. (En Tibi Nummi hujus figuram ex Erizzo *sopra le Medagl.* in Trajani nummo IX. qui tamen male hinc facit *Pontem super Danubium*, qui cum minime convenit:



V. 14. §. 11. *Statua equestris M. Antonini Pii.*) Statua hæc, quæ nunc visitur in Capitolio, & cujus narrat historiam Bergierius, est constanter M. Aurelii, non Antonini Pii.

F I N I S.

BONÆ. MENTI.

EJUS. QUE. VERIS. AMATORIBUS.

ET. FAUTORIBUS.

HAS. NOTAS. FACIT. SACRAS.

HENRICUS. CHRISTIANUS. HENNINIUS.

PROLEGOMENA.



Amus vobis, Benevoli Lectores, NICOLAI BERGIERII eruditum opus *de Publicis & Militaribus Romani Imperii Viis*, a nobis Latina veste donatum & indutum. Ante vero, quam Vias hasce ingrediamini, pauca estis præmonendi, tum ut instituti nostri rationes apud Vos constent, tum ne omnino sitis nescii, quid a nobis sit præstitum.

Auctoris præclarum hoc *opus primam* vidit lucem anno a nato Christo CIƆ. IƆC. XXII. verum, quod Auctor ipse vix annum edito supervixit operi, videtur non satis pro merito aut fama celebratum, aut eruditum peragrasse Orbem. Sane in Tryphonum Bibliopoliis illud pulvere obsitum aliquamdiu obhæsisse, colligo ex solenni illorum mangonio, quo recudentes primam tantum paginam, operis scilicet titulum, editionis anno in recentiorem commutato, novitatis gratiam apud emtores captant. Sic reperias complura hujus operis exempla, quorum frons mentitur editionis annum a N. C. CIƆ. IƆC. XXVIII. cum támen non sit repetita, aut recusa, sed eadem editio, quæ facta est anno CIƆ. IƆC. XXII. recusa tantum, ob mutandum anni numerum, prima pagina. Tandem vero denique hujus operis doctissimi fama crevit, velut occulto arbor ævo, cœpitque ab eruditis in precio haberi, quamvis nihilominus vix ac ne vix quidem fando Germaniæ eruditæ innotuerit. In sola Gallia fere hæsit; in vicinam Belgicam perpauca tantum exempla pervenerunt, quæ, Amstelædami & Lugduni Batavorum, insanis licitantium preciis vidi diripi; raritas enim incendebat emtorum ardorem. Sic in publicis auctionibus meminimus singula exempla divendi quadraginta & multo pluribus Belgicæ monetæ florenis. Hunc librum adeo rarum cum PETRI DANIELIS HUETII Viri Illustris & Episcopi longe doctissimi dono, ex Bibliotheca GUIDONIS PATINI, Professoris Medici Parisiensis emtum, accepisset JOANNES GEORGIUS GRÆVIVS, Vir Celeberrimus, pro eo, quo in Reip. Literariæ processus augendos fertur, animo voluit eundem cum toto Orbe erudito communicari, & hunc Thesaurum adeo carum & rarum suo *Romanarum Antiquitatum Thesauro* includi. Auctor itaque mihi fuit & suasor, aut Latine eundem redderem, quod etiam pro virili, per vacivas subsecivi otii horas, quantum per molestissima geminatæ C provinciæ avocamenta licuit, adspirante Divina benevolentia præstiti.

Nolite vero mirari Lectores æqui, quod BERGIERIUM nomino Auctorem, non BERGERIUM, non BERGERUM, non BERGIERUM, ut forsan alii maluissent. Scimus quidem Gallorum morem & in nominibus propriis Latino flexu terminandis licentiam, quibus DE THOU, PITHOU, BRISSON, MERCIER, fiunt THUANUS, PITHOEUS, BRISSONIUS, MERCERIUS. Cæteris vero Gentibus hic severior est religio: ipse sum, quod lubens fateor, in ea hæresi, quæ Gentilia Auctorum nomina non immutat: Gallice enim exara- D tur nostri nomen BERGIER, non BERGER; illud vero mollissime apud Latinos in BERGIERIUM flectitur, ut servet suæ genuinæ originis indolem. Sic vel in hoc ipso Thesauro Scriptor STEPHANUS TRELIERIUS occurrit, non TRELERIUS *To.* V *p.* 896. τὸ BERGIERUS displicuit auribus, quia durius; & τὰ BERGERIUS & BERGERUS non servabant satis originis suæ indolem. Istiusmodi enim flexiones Latinæ, cum longius abeunt ab origine, mirifice & sæpe ridiculum in morem Exteris imponunt. Poetis quidem sua conceditur hic licentia, quibus imposita Legis Pediæ necessitas sæpe non E concedit religiosam nominum propriorum severitatem: in versu itaque istas feramus permutationes, quas necessitas format; non vero eandem licentiam nobis indulgeamus in sermone & dictione soluta, plana, æquabili.

Scripserat Auctor hoc opus Gallicismo sibi vernaculo, ob rationes, quas ipse in præfatione ad Lectorem adfert. Sapit autem stilus ejus nescio quid Campanum; certe durior est, nec valde politus, aut ad nostri ævi elegantiam & venustatem exactus. Patres utique conscripti poliendæ Linguæ Gallicanæ eum inter obsoletos referrent & cascos Scriptores: frequentes amat ad nauseam usque F protases & apodoses, quæ crambe toties repetita non potest non parere tædium delicato Lectori: adde ob variam doctrinam variarum quoque artium vocabula sæpissime adscita, quæ ipsa minus benignam nec facundiæ capacem habent materiam. Subinde mirum in modum se torsit, ut Gallicæ civitati donaret vocabula soli Latio aut Græciæ propria. Quod ad me attinet, ita me in versione hac versatum confido, ut & fidi interpretis religionem, & pro virili quoque stili nitorem atque Latinismi castitatem observandam duxerim: speroque, me aliqua ex parte æquis & peritis Lectoribus ac Censoribus facturum satis. Cæteris autem

morosis, malignis ac invidis Momis, quorum in tanta semipaganorum fertilitate mirifica est multitudo, repono tritum illud, *Facilius esse carpere, quam imitari*. Faciant illi periculum suarum virium, & similem Auctorem, in quo abundat eruditio adeo varia, Latio donent; & videbimus, num & illis contingat adire Romam: sin minus, desinant ineptias.

Itaque versionem meam sic attemperavi, ut mentem Auctoris religiose exprimerem, simul & Lectoribus sermonis puri & castigati gratia placere possem. Paucis, talem exhibeo versionem, quæ Gallicismis neglectis genium Latinæ Linguæ proxime sequitur, & qualem, ni fallor, Auctor ipse, si viveret, optasset, claram, facilem, Latinam. Intra Nizoliani carceris Tullianam dictionem constringere nec volui, nec ob rerum varietatem potui. Ubi cum Scholis & Barbaris quandoque balbutiendum fuit, malui per istam infantiam intelligi, sub præfatione veniæ; quam nimia puritatis affectatione obscurius scribere. Atque utinam doctissimus Auctor ipse hoc labore fuisset perfunctus! quem ego majori puto labore hoc opus Gallice conscripsisse, quam mihi ejus versio constitit Latina. Manes vero illius veniam mihi dabunt, sicubi forte, per imbecillitatem humanam, ejus mentem non satis fuero assecutus: hoc negotii mihi ipse certe dedi, ne quid per negligentiam, incuriam aut temerariam festinationem peccarem; ut forsan affirmare queam, vix tale quid a me admissum, quo genuinus Auctoris sensus perverteretur.

Verti porro omnes *Dedicationes*, *Præfationem* & *Procemium*. Detestor namque pessimum illum morem, quo sibi quidam præter æquum & verum arrogant dictaturam in aliena sive viventium sive defunctorum scripta, eaque instar Penthei, nescio quo furore, truncant, mutilant, lacerant, ut suos centones illis assuant. Major publico debetur reverentia, & sancta nobis debet esse fato suo functorum voluntas. Malo sane more sæpissime ita fraudatur Orbis eruditus optimis monumentis, quæ multa scitu digna habent, & operis historiam, propositum, occasionem enarrant, aut grati animi memoriam ex voluntate scribentium apud Posteros testatam facere debent, quam delere, mihi pæne idem videtur, atque sacras testamenti alicujus tabulas violare, mutilare, corrumpere.

Fuisse BERGIERIUM virum variæ doctrinæ copia instructissimum, hoc opus clarissime ostendit: verum ignoscant mihi Manes ejus, si dixero, partim Amanuensium culpa, partim Typothetarum aberrationibus innumeros in ejus opus irrepsisse errores: pæne singulis paginis saltem bini, sæpe plures occurrunt, adeoque in universum ultra duo millia erratorum, quæ diligenter emendavi.

Quid quæris, ita est librorum fatum, præsertim cum Auctor ipse aut aliis districtus negotiis, aut absens, editioni præesse non potest. Neque hæc nostra versio extra Censuræ hujus aleam omnino poni debet. Sed norint benevoli Lectores, nos in Cliviensi Athenæo hæsisse, cum Ultrajecti nostra versio typis exscriberetur: apud æquitatem igitur vestram intra veniam erit nostra absentia, & Typothetarum aberrationes aut orthographia quandoque variata, aut immutata compendia sive literarum singularium notæ, uti cum *αὐτὶ τῶ π*. posuerunt *ff. αὐτὶ τῶ l. l.* id est *loco laudato*, *τῶ l. c.* id est, ut Barbare dicunt, *loco citato*, &c. nobis non imputentur. Sane inter καλλιγράφυς, & eos, qui nitide & distincte pingunt literas, me referunt amici, ut Typothetæ non possint dicere, eas a gallina scriptas, aut inde aberrationibus suis patrocinium quærere.

A Hac autem diligentia in vertendo hoc opere sum usus, primum ut singulos locos Auctorum laudatos ipse adirem, & ex ipsis fontibus clariores aquas haurirem, rarissime BERGIERIUS, quod tamen facturum se promiserat in Præfatione, accuratum fecit indicium locorum. Hac autem in re tantum non superstitiose personam meam gessi. Auctores, qui per sectiones minores in plenisque editionibus vulgatis sunt divisi, facilioris inventionis gratia ad sua, ut vocant, capita & libros revocavi, uti Plinium, Suetonium, Florum & similes. Ubi necdum ulla sectionum minorum distinctio in editiones vulgatiores est recepta, ut fere in Græcis
B Auctoribus contigit, ibi & paginas adnotavi, & simul indicavi editiones, quibus sum usus: in locis momenti majoris aliquando & plures ejusdem libri editiones ad suas paginas revocavi, ut quibus foret lubido & otium, eos locos in illis, quas haberent, editionibus, nullo negotio possent facile reperire. Si quando diversæ editionis diversas habent sectionum minorum distinctiones, ut videmus in quibusdam editionibus Scriptorum Historiæ Augustæ, Macrobii & Aliorum factum, tum adscripsi similiter, qua editione fuerim usus: hoc ubi semel adnotaram, postea subinde insuper habui, quod prius indicium putarem sufficere. In Poetis & libri, &
C carminis, & versuum numeros indicavi. Rideant alii ἄμυσοι anxiam hanc diligentiam, calumnientur, eam esse minuti animi: nos vicissim illis exprobrabimus tot παροράματα, ex illa incuria ipsos Auctores consulendi, admissa. Possem, si sub Herculis Coprophori persona Aliorum stabula vellem expurgare, immanem struem ostentare locorum male, perverse, mutile laudatorum, dum alter Scriptori alteri fidem habet, & inconsultis fontibus rivos temere sequitur, ejusque locos laudatos adoptat, quos prior Auctor forsan ex alius charta in suam papyrum transcripserat, & quos nec forsan
D unquam ipse prior legerat. Hanc subinde culpam & in hoc ipso opere admissam, malo adscribere pueris a manu, quam negligentiæ BERGIERII, qui Reip. negotiis sæpe occupatus videtur scribis id negotii dedisse, ut locos quosdam sibi exscriberent: unum ex multis sufficiat exemplum, ne hæc gratis dixisse videamur: libri V. sect. XI. tmemate 5. laudatur in Gallico opere ad marginem *Livius lib.* 33. & ἐν τῷ κειμένῳ legitur: *Livius dit, que aussi tost* &c. Ex Lipsio *de Magn. Rom.* III. 5. *p. m.* 125. *edit. Plantin.* 1599. tacite sunt ista exscripta: sed dormitavit hic scribæ industria, aut oculi ejus saltem connivebant; cum *Plinii* locum ex *H. N.*
E XXXIII. 3. Livio adscribit: origo erroris fuit, quod Lipsius aliquot locis e Livio laudatis subjecerit: *Hæc ex Livio: istud e Plinio: Post Carthaginem* &c. & ad marginem apposuerit: *lib.* XXXIII. scilicet *Plinii*, non *Livii*; ut negligenter & incuriose putavit exscriptor ille. Ejus notæ non pauca παροράματα passim emendavi.

Porro ut vestris commodis consuleremus, Studiosi Lectores, passim, ubi vel Gallice τῷ κειμένῳ inserti erant omissis indiciis; vel negligenter & generatim indicatis; vel vitiose secundum suos libros,
F sectiones, numeros laudati; vel alius Auctor pro alio ad testimonium citatus; vel loci mutilati, truncati, vitiis typographicis inquinati; vel leges in Pandecte alienis adscriptæ Jureconsultis; vel capita Legum Imperatoriarum ad alios referebantur Imperatores, atque in Codice aut Theodosiano aut Justinianeo leguntur, hæc, inquam, & similia passim supplevi, exacte indicavi, correxi, mutavi, integritati suæ reddidi, veris Auctoribus restitui. Licebit enim, ut puto, sine ulla jactantia & sine invidia verum scribere, uti Lectores æqui sciant, qua ratione hoc opus non tantum Latine

reddiderim, sed etiam recensuerim. Verissima autem esse, quæ scripsi, deprehendent illi, quibus placuerit vel fugitivo oculo lustare Marginalia, ut vocant, sive Auctores eorumque locos. quos plerunque in singulis paginis ad marginem laterum rejecit BERGIERIUS, eosque conferre cum nostra versione, in qua melius fore e re Lectorum videbatur, si in τὸ κείμενον reciperentur. Nolui vero ex hoc mustaceo laureolam quærere, aut ambitiosos ubique circumducere uncinulos: quippe qui hanc operam quantulamcunque BERGIERII meritis lubens consecravi.

Constitueram idem facere in nonnullis ipsius BERGIERII erroribus ὀφθαλμοφάνοις, quos a me sublatos in honorem Auctoris eram dissimulaturus: jejuni namque ingenii putabam esse, & quod nihil habeat in promtu, cum nihil sibi sinit detrahi. Sic honorifico silentio sepelivissem sublatum a me errorem, qui occurrit in Gallica editione I. 24. §. 3. ubi ex vitio aut typi in *Panvinii Roma*, ex quo eam laudavit, aut sui pueri a manu, in Inscriptione, quæ incipit: HONORI : legitur: VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA. ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD. CERERIS. SILICES. STERNENDAM. CVRARVNT. hinc noster permisit: *Lesquels a l'honneur d'Auguste Cæsar firent paver un chemin, à prendre depuis la Voye Annienne au territoire de Falisques, jusques à certain lieu, que l'on appelloit les Cailloux de Ceres*: vides hic ex errore seu scribæ seu typi a BERGIERIO fieri locum, *Ad Cereris Silices*: nugæ. Legendum, ut vel cœco apparet, SILICE STERNENDAM: uti etiam legitur apud Gruterum CXLIV.5. & in emendatioribus Panvinii libris: sic nesciret Latinæ editionis Lector, ejusdem sectionis commate 5. ex uno *P. Decimio Erote Merula*, qui erat *Medicus Clinicus* & simul *Chirurgus ocularius*. factos fuisse in Gallica editione duos: *un Medicin, nommé P. Decimius L. Heros Merula, autresfois de servile condition: & un Chirurgien Oculiste nommé Clinicus*: quem errorem postea vidimus in Emendandis ab ipso BERGIERIO fuisse notatum, ut expungeretur. Tales sane plures aliquot errores in mea versione emendatos plane dissimulassem, quod modo dicebam, generoso silentio, ut Auctoris honori consulerem: at per Censores quosdam non licuit: siquidem ajebant, hoc esse abuti ingenio suo in alieno opere, nec ita ipsum BERGIERII κείμενον exhiberi, sed alieni ingenii interpolationem. Itaque morem geramus hujus speciosæ Censuræ severitati, ac fideliter in Notis nostris moneamus, ubicunque manifestis & certissimis ulceribus benevola manu fecimus medicinam, quandoquidem dantur Catones quidam supercilios, qui malunt cicatrices saltem ulcerum exstare, quam ut plane ad integritatem æqualem ea persanata coalescant cum decore cæterarum partium. Ergo, quia sic volunt, sublatæ notæ exstet litura, & venustæ urbanitatis elegantia cedat tristium Demearum austeris, morosis, ne dicam rusticis, moribus.

Plurimos quoque esse Eruditos scio, quibus nostræ Versionis desiderium ingens fuit, adeo ut maturari eam quovis modo exoptarint. Ultro fateor, inchoatam hanc versionem fuisse jam abhinc biennium, & quod excedit: at ubi præfatus fuero tarditatis justissimas caussas, procul ullo dubio veniam mihi benigni concedent. Testudineo gradu & vacivis tantum horis initio pergebam; primum, quod in librorum indicibus viderem exstare BERGIERII hoc opus, quod præferebat annum editionis a N. C. cIɔ. Iɔc. xxVIII. meum vero exemplum annum numerabat cIɔ. Iɔc. xxII. adeoque illa editio recusa videri poterat, & forsan ab ultima Auctoris manu auctior & emendatior; quare hanc Editionem, ut videbatur, iteratam valde desiderabam, ne per incuriam neglecta videretur melior & recentior editio, quod sæpe factum ab aliis scimus. Certe si illi, qui *Romam illustratam* toties sub nomine *Thysii* ediderunt, scivissent longe meliorem, auctiorem, emendatiorem exstare editionem *Romæ Fabricii*, excusam Basileæ apud Oporinum, quam CL. GRÆVIUS Thesauro etiam suo adjecit; non reposuissent nobis in ipsa Studiorum metropoli Lugduno Batavorum bis terve primam editionem, quæ in multis deficit, & minus est emendata: ut collaturo ad oculum clarissime apparebit. Verum, ut in viam redeam, deprehendi postea, me vana spe lactatum, inani metu sollicitum fuisse: quippe solenni librariorum fraude, ut supra monui, eadem omnino erat editio, quæ nunquam hucusque fuit repetita, sed cujus tantum annus ad lucri ex novitate compendium in recentiorem prima in fronte erat mutatus.

Deinde acceperamus non solum exstare hujus Operis *Versionem Italicam*; sed & hanc ipsam Romæ denuo esse recusam & adjectis notis ornatam, quarum Auctor ferebatur BENEDICTUS BACCHINUS, Vir plurimis eruditis operibus, & de Rep. Literaria meritis longe clarissimus. Sed & hic Fama immerito stilum nostrum sufflaminabat, dum frustra quærimus, quæ nusquam erant. Exstabat quidem *Italica Versio*, sed nondum recusa, nec Notis, ut ferebatur, ornata. Nihilo tamen minus anxie quæsivi *Versionem* istam *Italicam*, quam ad hoc usque tempus nondum videre licuit. Forsan enim aut Italus mihi, aut ego Italo facem prætulissem, aut vicissim alter alterius ope fuisset adjutus emendatusve. Cæterum, quod ad Notas attinet, Fama non fuit omnino mendax: siquidem CL. BACCHINUS opus ejusdem argumenti elaboravit *de Viis Italicis*, cujus copiam nobis per doctissimum juvenem Anglum SAMUELEM MEAD, cum illum hic Parmæ salutaret, ultro lubens volentibus se facturum promisit: quare mox diligentissime Parmam literas ad CL. BACCHINUM dedi, easque Reverendis Patribus Benedictinis Parmensibus, si forte absens aut alibi CL. BACCHINUS foret, studiose commendavi. At sive Tabellariorum negligentia, sive sors iniquior in culpa fuerit, responsum adhuc desideramus: nec dubito tamen, quin obvia CL. BACCHINI humanitas nos voti sit damnatura.

In mediis tum etiam belli funesti flammis, quo tantum non universa flagrabat Europa, silente fere literario commercio, vagis rumoribus didicimus, superesse in Gallia apud defuncti BERGIERII hæredes Codicem postumis Auctoris *Annotationibus*, *Additionibus*, *Emendationibus* nobilem: hic nuncius, fateor, illico me percussit, & aliquamdiu versionis inchoatam & aliquousque detextam telam retardavit: at qui forent illi hæredes, & ubinam locorum in Gallia viverent, juxta cum ignarissimis noveramus. Tandem per CLL. VV. ALMELOVENIUM & BÆLIUM nos benignior hic Fortuna respexit, & præter *Addenda* & *Emendanda* postuma ipsius BERGIERII indulsit etiam doctissimas CL. DU BOS Animadversiones ad hosce BERGIERII libros. Sed nolo ea, quæ supra dixi in prologis, hic repetere.

Parum tandem defæcati temporis ad maturandam Versionem mihi concessit gemina, quam pro virili in hoc Cliviensium Athenæo administro & adorno, provincia. Inter Æsculapii enim Sacerdotes prætextatos recenseor, &, si Famæ publicæ credere fas est, publice privatimque Salubrium Artium Candidatis nostra placet opella; sed felicitati for-

taſſis imputare debeo, quod non pauci ægri ſervatam & acceptam mihi referant ſalutem: verum hæc ipſa, ſive felicitas, ſive, ut amici mei interpretantur, induſtria officioſa, quæ cum peritia periculis parta aliquam fecit miſturam, fere omnia mihi aufert otioſi temporis momenta, ſic ut in ſplendida ſervitute vivam, fere inter dolores & quiritationes ægrorum, qui opem noſtram in urbe & regione circum vicina implorant. At, regeret non nemo, poteras hac mercenaria opera, quæ tua divídit tempora, ſuperſedere! atque utinam, inquam, beato in otio id poſſem, quam vellem me totum Reip. Literariæ commodis dedicare! Verum quia Strumæ fere ſedent in ſella curuli, ac ſtrenua & audax adulatio, mendicatio, prenſatio, Virtutis præmia paſſim intercipit, malo ego præſidia meæ vitæ ac virtuti in temporum hac dirorum exulceratione parare, ut poſſum, quando ut volo, non poſſum; & præbere Invidiæ, Calumniæ, Livori, quod rodat, quod invideat, quam Miſericordiæ, ut mei miſereatur, & occinat pro ſolatio: Amor ingenii neminem unquam divitem fecit. Ne putent Lectores, dum mutas agito artes, apud me quoque plane ſilere Muſicas, ac Literas Humaniores. His publice privatimque ſacra facio quotidiana; &, ſi quam licet ſumere ſuperbiam, quæſitam nonnullis meritis, poſſum bona cum venia Invidiæ addere, quod & togatus Doctor earundem Literarum Humaniorum in hoc Athenæo frequenter a Studioſæ confluxu Juventutis. Sic geminam provinciam adminiſtro, ſic duas perſonas unus gero. Sed enim facile ſecum domi divinabunt Lectores, mihi parum vacivi temporis & raras horas ſubſecivas, inter tot avocamenta ac Spartæ geminæ ornandæ officia ſupereſſe.

Hæ quatuor itaque cauſſæ, ut ſpero, moræ veniam mihi apud Eruditos, quorum deſideria tarditate mea maceravi, exorabunt. Ego pro hac benevolentia illis viciſſim apprecabor beatius otium molliora tempora, pinguiores & minus moleſtas provincias, quam mihi per novercam ſortem contingunt. Sane etiam quandoque lente feſtinare non tam volui, quam debui. Sed neque nimia feſtinatione, ut eſt in proverbio, cæcos parere catulos verum erat.

Obiter hic occurrendum ſentio quibuſdam aut maleferiatis, aut iniquis alienæ induſtriæ æſtimatoribus, qui clamant, vertendi operam eſſe tantum non ſervilem, certe non decere mei ordinis Viros. Miſerum profecto eſt, conflictari cum ejuſmodi ingeniis, quibus judicii eſt gutta & calumniarum ac ſpecioſarum nugarum mare. Confidenter ego e contrario affirmo, tales Auctores, ſive Græcos, ſive Vernaculos, ſive alios, qui variæ doctrinæ copia abundant, aut qui reconditas nobis Literas in lucem expromunt, non deberi, non poſſe ab ullo transfundi in Linguam Erudito Orbi communem, Latinam puto, atque ab eo, qui & Linguæ Latinæ ipſos fontes molliter fluentes fideliter imbiberit, & pectus ſuum ingenti Literarum ac variæ doctrinæ flumine inundarit. Cæteri, ut profani, procul arceantur. Multi Auctores profecto ad puerorum ſubſellia plorare juberent illos, qui illotis manibus, atque ab omni elegantia deſerti, auſi ſunt contaminare ac fœdum in morem pervertere elegantiſſimos eorum libros Vernaculos. Exempla, quia habent odium & invidiam, omitto. Non mihi blandior ipſe, nec mea ſolus depereo; illud ſaltem dicere habeo: ſi Lectoribus Verſio mea aliqua ex parte placuerit, ut illud imputent nonnulli operæ, quam ab ineunte ætate in pervolvendis Veterum monumentis collocavi: ſin minus, mecum ſentiant, non eſſe tralatitium, nec cujuſvis, opus adeo varia refertum eruditione Latio veteri donare: neque enim adeo mihi placeo, ut credam, me omnibus Lectoribus omni ex parte facturum ſatis.

Cæterum non poſſum non hac occaſione monere, eſſe quædam Scripta ex Gallica Lingua converſa Latine, quæ Aliorum conjectura per errorem mihi attribuit; & ignaro & nolenti. Candorem & æquitatem omnium, qui me meamque norunt indolem, teſtor, me non adeo ab ingenio, licet ſit exiguum, eſſe deſertum, ut aliorum Anonymorum, qui per me lateant, labores velim aut debeam adoptare. Idem video factum in nonnullis Carminibus Anonymis, quæ circumvolitant apud quoſdam pro meis. Publice hic profiteor & teſtor, me nihil pro meo unquam agnoſcere, niſi quod ipſe publice addito nomine meo ediderim. Fruantur illi, qui latere volunt, judicii, ingenii ac inſtituti ſui libertate, nec in lucem, niſi forſan poſt fata & quidem indiciis luce meridiana clarioribus protrahantur.

Statueramus ex BERGIERII conſilio, ad faciliorem & promtiorem collationem inſtituendam, quam ſuadet in Præfatione ad Lectorem p. 5. ſubjungere huic operi TABULAM ITINERARIAM, quæ a poſſeſſore PEUTINGERIANA cognominatur, additis Eruditorum Notis: verum deinde illud conſilium mutavimus, cum reſciſceremus, Ampliſſimo Viro MENSONI ALTINGIO, Reip Groninganæ Coſ. meritiſſimo, cujus *Notitiam Germaniæ Inferioris* Eruditi vere admirantur; eam placuiſſe curam otii ſubſecivi, ut hanc ipſam *Tabulam*, ſuæ eruditionis, qua maxime pollet, ſplendore illuſtratam, publicæ rei literariæ velit redonare. Cui propoſito itineri Deos Viales propitios apprecamur, ut brevi eo perfunctus Eruditis faciliorem in perplexa iſta Tabula Viam faciat. In verſione mea uſus ſum illa *Tabula*, quam ſuo *Orbi Antiquo* ſubjecit GEORGIUS HORNIUS, ſegmentis VIII. diviſam, & per tabellas æneas illitas, chartæ majori ſatis accurate impreſſam.

Neque male operam ſuam collocabit Lector, qui *Itinerarium*, quod ANTONINI vulgo dicitur, & toties ab Auctore noſtro ad fidem faciendam ſuis dictis laudatur, cum libro III. noſtri Auctoris conferet. Et ille & ego uſi ſumus editione Colonienſi, quæ cum Commentariis HIERONYMI SURITÆ ex recenſione ANDREAE SCHOTTI anno a C. N. CIƆ. IƆC. prodiit, ea forma, quam librariorum filii a numero octavo cognominant; cui SCHOTTUS præter quædam, quæ ad SURITAM attinent, & collectas a ſe variantes ſcripturas, adjecit *Libellum Provinciarum Imperii*, & *Itinerarium a Burdigala Hieruſalem, a* PETRO PITHOEO *primum editum*. Sane hic liber, qui jam rarius in Bibliothecis reperitur, denuo recenſeri meretur: magnam is lucem rebus Geographicis poterit adferre, maxime ſi quis illum Codicem MS. cujus meminit BERGIERIUS III. 6. §§. 7. & 9. quique ex Bibliotheca PITHOEI olim acceſſerat *Thuaneæ*, ad collationem inſtituendam poſſet nanciſci, aut ſaltem fideliter excerptas ex illo codice variantes Scripturas: utique ex collatione veterum Græcorum & Latinorum Geographumenon, Strabonis, Ptolemæi, Stephani, Melæ, Plinii, Notitiæ Utriuſque Imperii, Solini, Æthici, Anonymi Ravennatis, quem debemus eruditiſſimo JACOBO GRONOVIO, & ſimilium Scriptorum, cum hoc ITINERARIO ANTONINI, multorum locorum ſitus rectius indagari, & aptius ac verius in Tabellis Geographicis collocari ac pingi poſſent. Donet Doctorum aliquis, cui beatius otium & molliora tempora, hunc Reip. Literariæ laborem! Obiter addo, BERGIERIUM vix omnibus Doctis eſſe per-

suasurum, omnes Vias in *Tabula Itineraria* depictas, aut in *Itinerario* ANTONINI enarratas, fuisse a Romanis militari opere munitas, silice stratas, Milliaribus aut Leucis dimensas. Ego, si quid licet judicare, malo ἐπέχειν.

Adjeci Notas denique nonnullas huic operi, quas benevoli Lectores æqui bonique consulent: in quibus illud unice studui, ut Bonæ Menti litarem & modestiæ, Auctorique meo pro virili subservirem: quod officium, si Lectoribus æquis non displicuerit, gratulabor meæ felicitati; sin minus, A solabitur me honestæ voluntatis conscientia. Nonnullas Notas ipsi τῷ κειμένῳ, sed uncinulis inclusas & minoribus literis expressas, inserui, præcipue *lib.* III. quia putabam ex re Lectorum fore, ut ibi statim legerentur, ubi Bergierius calculos mirum in modum male posuerat. Hæc volebam, nescii ne essetis, benevoli Lectores, quibus omnia bona fausta & felicia voveo. Scribebam Duisburgi Cliviorum A.D. VI. Kal. Decembris, anni Gregoriani a C. N. CIↃ. IↃC. XCIIX.

NOTÆ
AD
NIC. BERGIERII
Præfationem ad Lectores.



PAg. 3. *Scripsit Auctor anno* 1612.) Ita quidem primum nobis retulerant Amici: postea vero deprehendimus, Auctorem scripsisse ista anno 1622. cum opus Ejus in lucem ederetur. Confirmat etiam hanc rem Gassendus, *in Vit. Peirescii ad an.* 1622. *quare* errorem istum emendet Lector, & scribat CIↃ. IↃC. XXII.

Pag. 4. *Stilum Gallicum esse satis nitidum.*) Olim forsan verum fuit; jam inter cascos, ut dixi, rejiceretur. Certe obsolescentem & duriorem stilum puto fraudi fuisse doctissimo libro, ut ideo minus in Exterorum Eruditorum manus migrarit, qui fere politiorem amant Gallicismum.

Pag. 5. *Studui tamen inde* & seqq.) Laude dignissimum institutum, modo dictis ubique sua constitisset fides: illud vero ipse revera præstiti, quod Auctor impeditus Reip. negotiis voluit quidem, sed imperfectum reliquerat: qui dubitant, conferant Versionem hanc cum πρωτογράφῳ Gallico, & sine ulla controversia videbunt, me vera dicere.

Pag. 5. *Pleraque Græca Latine exhibui.*) Imo frequentius solum Gallice: vide ex. gr. I. 8. §. 9. 25. §. I. v. 16. §. 3. &c. At ego sæpius, ubi ἐμφατικώτερα videbantur Græca, ipsa quoque Græca adjeci, ut ex. gr. IV. 31. §. 5. &c. Versionem enim hujus Operis in gratiam adornavimus potissimum Eruditorum, qui libentius ex ipsis fontibus bibere amant.

Ad Prooemium.

Pag. 6. *Caput Orbis.*) *Caput Mundi*, Cassiodoro *Var.* IX. 17. confer infra II. 32. §. 7. III. I. §. 6. IV. 31. §. 5.

D *ib. Imperii Virtutumque omnium Larem.*) Similiter Cassiodorus *Variar.* IV. 6. *Illa Roma Virtutum omnium latissimum Templum.*

Pag. 9. *Leander Albertus.*) in *Descript. Italiæ*, ubi agit de *Latio* & singillatim *de Æquicolis p. m.* 229. *edit. Latin. Coloniens.* 1567. ubi Interpres Latinus Gulielmus Kyriander Hœningenus JC. ita reddidit: *A Solagio secundum Lacus & Anienis dextram procedenti, propter amnis ripam Aquæductus pars apparet, quo per mentem usque ad Vicum Valerium excavato rivo, ac deinde structis opere lateritio fornicibus, multis in locis altissimis immensisque pilis incumbentibus, per* M. P. XL. *Romam aqua ducebatur. Fieri profecto aliter non* E *posse satis scio, quin incredibilis omnino sit, nisi oculis inspiciatur, hujus operis admiranda ratio: majus enim quicquam excogitari ingenio nequit, uti ego arbitror, quam effossis hic tanto spatio montium intimis visceribus Romanorum olim opes viresque perfecerunt: cujusmodi ad opera peragenda, nunc Orbis universus, si hoc æstimes, nihil pæne facultatis habiturus videatur.*

Pag. 10. *Ea & amplitudine & altitudine, ut equiti commodum præbuerint transitum.*) Narravit hoc Procopius *de Bell. Goth.* I. 19. Locum vide allatum a Donato *de Urb. Roma* III. 18. *Thes. Tom.* F III. *p.* 711. & Fabrett. *de Aquæd.* III. numero 266. *Thesaur. Tom.* IV. *p.* 1757. qui docet hæc cum grano salis esse accipienda.

Ad Librum I.

Pag. 16. in Dedicatione: *Constantini Magni.*) Respicit, ut puto, *l.* I. *C.T. de Itin. Muniendo*: in qua hæc legimus: *Nulla ratione debent ab hoc* obsequio muniendis itineribus impendendo, *quod in commune omnibus profuturum est, esse sejuncti* Emphyteuticarii possessores.

l. I. §. 3. *Pœnos fuisse primo* &c.) Locum hunc

Isidorus pro more suo habet ex Servio ad *Æn.* I. 426. ubi Æneas in molienda Carthagine, ut acute in perfectissimo opere fingitur: *Miratur portas, strepitumque & strata Viarum*. His autem Pœnis octo sæculorum antiquior intervallo Semiramis Vias prima munivisse legitur apud Diodorum Siculum *Bibl. Hist.lib.* II. *p.* 101. edit. Wechel. Gr. Lat. 1604. aut *p.*72. *edit. H. Steph.* Μετὰ δὲ ταῦτα (Σεμίραμις) ἐπῆλθε τὴν Περσίδα, καὶ τὴν ἄλλην χώραν ἅπασαν, ἧς ἐπῆρχε κατὰ τὴν Ἀσίαν. πανταχοῦ δὲ τὰ μὲν ὄρη καὶ τὰς ἀπορρῶγας διακόπτουσα, κατεσκεύασεν ὁδοὺς πολυτελεῖς, ἐν δὲ τοῖς πεδίοις ἐποίει χώματα. vertit Laurentius Rhodomanus: *Posthac Semiramis Persicam, & cæteras provincias omnes imperio ejus subjectas in Asia peragravit: ubique autem montibus & rupibus divulsis itinera magnis impendiis directa & plana fecit, in locis contra planis aggeres educens*: mox subjicitur: *Multa per Asiam ab ea concinnata ad hanc perdurant ætatem, quæ Semiramidis opera vocantur*. Deinde, si Judæorum Magistris fidem habeamus, fuit & olim apud Israelitas maxima Viarum muniendarum cura: annotant enim, circa festum Paschatis missos a Synhedrio Viarum Curatores, qui Vias ad Urbem Hierosolymam ducentes diligenter inspicerent, &, ubi opus, munirent, uti inoffensum Viatoribus ad Urbem esset iter: ad hunc morem credunt alludi a vate Jesaja XL. 3. 4. ubi Seniores reddunt: Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους Θεοῦ ἡμῶν. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται καὶ ἔσται πάντα τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ ἡ τραχεῖα εἰς πεδία. ex Hebraica veritate ista sic vertunt Tremellius & Junius: *Parate viam Jehovæ, adæquate in solitudine aggerem Deo nostro: Omnis vallis attolletur, & omnis mons collisque deprimentur, & abibit, quod curvum est, in planum, & salebrosa in convallem*: ad quem locum videantur Rabbinorum scita. Luculentum vero hoc a Viis desumtum vaticinium tanti fuit, ut singuli Evangelistæ illud, ceu initium Viæ ad Salutarem Doctrinam in novo Fœdere denuo consecrarint: Matthæus III. 3. Marcus I. 3. Lucas III. 4. 5. Johannes I. 23. adde hic, quæ notabimus infra I. 5. §. I. III. 50. §. 6. IV. 43. §. 2. Chinenses quoque jam olim habuisse Vias aliquas eleganter munitas per agros, colligimus ex M. Paulli *de Reg.Or.*II.56. verbis: *Via*, ait, *quæ ducit a civitate Conigangui ad civitatem Panchi, pulchris constrata est lapidibus, ad dextram & ad sinistram decurrentibus; nec aliunde patet accessus in provinciam Mangi, nisi per Viam istam*: distant autem, ut ibidem ait, hæ urbes itinere unius diei. In urbibus similiter Vias lapidibus eleganter stratas testis est idem αὐτόπτης II. 64. ubi de maxima illa Orbis civitate *Quinsai* ait: *Omnes plateæ civitatis lapidibus sunt constratæ, unde fit, ut mundissima sit*: adde cæteros Rerum Sinicarum Scriptores.

II.2 §.3. *Petrarcha lib.de optima administ.Reip.*) Verum hic de re adeo antiqua idoneus testis non est: debuisset potius laudare classicos, Græcum Plutarchum *in præcept. gerend.Reip. c.*37. qui hæc ex Xylandri versione ita narrat: *Cum Epaminondam Thebani invidia ducti & contumeliæ faciendæ caussa Telearcham designassent, non detrectavit; sed fatus, Non modo magistratu virum, sed etiam viro magistratum, qualis sit demonstrari, Telearchiam ad magnam dignitatem ac majestatem evexit: cum ante is magistratus non fuisset, nisi stercorum ex angiportis ejiciundorum, ac aquarum derivandarum procuratio quædam*: hæc Cheronensis: aut potuisset uti Latino teste longe antiquiore, Valerio Maximo III.7.*ext.*5. qui ita refert: *Epaminondas, cum ei cives irati, sternendarum in oppido Viarum, contumeliæ caussa, curam mandarent; erat enim illud ministerium apud eos sordidissimum; sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam, ut brevi speciosissimum fieret, asseveravit. Mirifica deinde procuratione, abjectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit*: ita Valerius: huc, ut puto, digitum intendit utroque antiquior Trogus Pompejus apud Justinum in excerptis VI. §. 8. *Honores ita gessit* Epaminondas, *ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur*.

I. 3. §. 5. *Vide l.*3.II. *de Via publ.& Itin.publ. reficiendo.*) Ista lex hoc loco nihil facit ad institutum Auctoris: ego certe, qui meus est stupor, non video in ea quicquam ejus rei, quam Noster hic docet: forsan est, memoriæ culpa, laudata pro *l.unica* II. *Si quid in Via publ.fact.esse dicatur*, ubi ex Papiniani Astynomico Monobiblo in Pandecte Florentino ista legimus in fine: Μὴ ἐάτωσαν δὲ (οἱ ἀστυνόμοι) μηδὲ μάχεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς, μηδὲ κόπρον ἐκβάλλειν, μηδὲ νεκρὰ, μηδὲ δέρματα ῥιπτεῖν: videant totam legem, quibus est otium.

I.3.§ 6. *Legi Platonicæ.*) Ista exstat *dialog.*VI.*de LL.p.m.*887.*ex versione Marsilii Ficini ed. min. ap. Stoerium.* 1592.& ita sonat: *Tres præfecti urbi* (Ἀστυνόμοι) *tripertito duodecim partes urbis complexi.... Viarum urbis curam habent, vulgariumque itinerum, quæ a regione in urbem tendunt.*

I.3. §. 10. *Varro appellat Viocuros.*) Innuit, ut puto, *lib.*IV.*L.L.p.*6.*ed.opt.* at ibi Scaliger edidit: *Quis enim non videt, unde ærifodinæ, & viocurrus?* in margine notat legi in aliis mss. *unoculus*. Sic etiam edidit Dion. Gothofredus JC. *in corpore Auctor. L.L. an.* 1595. *p.* 4. sed in Notis pag. 1571. annotat: *Viocurrus. Unoculus: male: legendum est Viocorus. Significat autem Viarum publicarum Curatorem, de quo in l.*2.*in fin.ff. de Cloac. Paulus* 5. *Sentent.* 6. §.2. *qui publicis operibus procurat. l.*2. §.17.*ff. Ne quid in loc.publ.l.* 2.*ff.de Via publ.* Hanc autem vocem *Viocuri* nondum reperi, nisi in Glossis Notarum, quæ vulgo Tyroni ac Senecæ adscribuntur, & adjectæ sunt Inscriptionibus Gruteri, *pag. ibi* 61. ubi tamen ex ordine & serie rerum, & quod sequatur *cestiger*, videtur poni pro Viatore, virgifero, qui Magistratui viam faciebat, non pro Curatore tantæ dignitatis: adeoque amplius quærendum, num in *Grut.*373. 8. pro .... OCVRO EX S. C. II. sit legendum VIOCVRO, ut vult Scaliger *in Ind.*v. hac voce, ubi vitiose est *Viocorus*.

I.3.§.11. *Qui Hadrianus Imp.factus est anno U.C.* 871.) imo vero anno 869. IV. Eid. Aug. imperium est auspicatus. Spartian. *Hadr. c.* 2. Inscriptio pertinet ad an.870. quo Hadrianus *Cos.*II. fuit.

I. 4. §. 1. *Viaculos.*) Scaligeri verba ad Festum sunt *p.* 214. ed. 1593. in *Castigationibus*: *Viator. Glossa: Viator*, ὁδοιπόρος, ἀμφοδάρχης, ἀρχιυπηρέτης. *Videtur Viatorem pro Vici Magistro accepisse, cum vocat* ἀμφοδάρχην. *Eundem postea Viaculum vocat: Viaculus*, ὁδῶν ἐπιμελητής: hæc Scaliger: unde apparet male arcessi erroris Scaligerum: τὸ ἄμφοδον, *Via Urbis, Vicus, Platea*, quod Nostrum ex Suida, Hesychio, Luciano docere poterant vel Lexicographi Stephanus, Scapula, alii: ἡ ἄμφοδος *Bivium* est, non *Via* generatim. Verum BERGIERIO Græcia non adeo fuit peragrata.

I.3 §.11. *In lapidibus.*) In quibus præter eos, qui in Inscr. a nostro passim allatis commemorantur, notantur & hi: *Licinius Sura*, ut apparet, in fragmento, quod noster mox adfert: item in huic fere gemello fragmento Romano, nescio quis *Trib. Mil. Leg.* V. *Maced. Q. Urban. Ædil. pleb. Cerial. Præt. Legatus Provinciæ Siciliæ & Asiæ, Procos. Provinciæ Galliæ Narbonens. Legatus Legionis*

VIII. *Aug.* ap. Grut. 492. 9. alius nescioquis in fragmento Malfitano: *Præt. Cerial. Q. Prov. Cipri Pro. p. Trib. mil. Leg.* II. *Aug.* ib 492. 4. ubi tamen III. *Vir Viar. Curand.* legitur, nescio, an errore typi: digna est Romana Inscr. 26. 10. quæ hic tota apponatur:

CERERI. SACRVM.
L. AP. . . . . PAL. ET
P. STATIVS. P. F. PAL. AVRELIVS. IIVIR
CVRATORES
Q. LARONIVS. Q. F. HOR. QVADRATVS.
L. MEMMIVS. SEX. F. PAL. PETRONIVS
L. MEMMIVS. L. F. PALAT. GALBIVS
MENSOR. ITER. HONOR. IN. CVRIA. FVNCT
IIII. VIR. VIAR

Antiquissima hæc Inscr. est, referenda ante tempora Sc. illius, quod sub Augusto factum, de quo ex Dione noster §. 10. occurrunt hic II. *Viri Curatores*, ἁπλῶς dicti, scilicet *Viarum extra Urbem*. τὰ PALAT. GALBIVS, mendosissima sunt; neque enim PALAT. temere ita scriptum offendes, cum *Tribum Palatinam* designat, sed constanter PAL. ut fere cætera Tribuum nomina: & *Gens Galbia* necdum usquam alias visa. Quare putem forte legendum PAL. L. *ATIVS*. C. F. *PVP*. BALBVS. male lectæ & descriptæ literæ PAL. L. AT. & hinc refictæ in PALAT. τὸ. *C. F.* in G. sed τὸ PVP. videtur excidisse. *Atii* & *Accii*, video enim sæpe ista commutari, censebantur in Tribu *Pupinia*, teste Inscr. Grut. 930. I. *Aricini* enim, unde *Atii* oriundi, hac in Tribu erant. Vide Canalis Tabulam Latii *Thes. A. R. Tom.* IV. *p.* 882. *Balbi* in *Atiis* noti vel ex Proavo materno Augusti *M. Atio Balbo*, qui *paterna stirpe* erat *Aricinus*; Suet. *Aug.* c. 4. hic vero *L. Atius T. F. Pub. Balbus*, *Mensoris* & cognomen & personam videtur gessisse: vide, an non sit idem, de quo Jul. Frontinus *de Colon.* inter Auctt. R. A. *p. m.* 100. & 141. mentionem faciens librorum *Balbi Mensoris*, *qui temporibus Augusti omnium provinciarum formas & civitatum mensuras compertas in commentarios contulit, & legem Agrariam per universitatem Provinciarum distinxit ac declaravit*: ubi mox subjicit *p.* 141. excerpta: *ex Libro Balbi*: *Provincia Piceni*: cui tamen multa recentioris ævi videntur adsuta: adde *pag.* 148. Adeoque hic habemus *IIII Viros*, junctim, *Viarum Curandarum*, intra urbem; *II. Viros* junctim, quoque *Viarum* extra Urbem. Dio *lib.* LIIII. *p. m.* 618. Οἵ τε τέσαρες, οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι paullo post: οἱ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι. Sed pergamus in nostra recensione. Romæ in Tabula magna marmorea: 194. 3.

C. PETRONIVS. M. F. SABINVS
CN. OCTAVIVS. Q. F. PRISCVS
Q. FABIVS. M. F. SECVNDVS
L. CORNELIVS. CN. F. VICTOR. ITER
IIII. VIR. VIAR. CVR
D. S. I. F.

item Fulginei in Umbria: *Cn. Domitius Sex. F. Vel. Afer Titius Marcellus Curinus Lucanus Cos. Procos. Provinciæ Africæ, Legatus ejusdem Provinciæ Tulli fratris sui*, VII. *Vir Epulonum, Prætorius, Legatus Prov. Africæ, Imp. Cæs. Aug. Præf auxiliorum omnium adversus Germanos, Adlectus inter Patricios, Prætor, Trib. pl. Quæst. Propr. Prov. Africæ, Trib. mil. Leg.* V. *Alaudæ*. 403. 1. & 2. Romæ: *A. Egnatius A. F. Pal. Proculus, Cos. Præf. Ær. Sat. Præf. f.* (i. fabrum.) & *Leg. Leg.* (i. Legatus Legionis) VIII. *Aug. P. F. Leg. Aug. Prov. Afr.* (non AER.) 404. ubi *n.* 4. debet notari, qui omissus & ad 7. vitiose translatus: in qua Inscr. etiam

A ordo linearum videtur turbatus fuisse ab exscriptore. *M. Fadius Priscus Trib. mil. leg. I. Q. Provin. Achaiæ*: 409. 2. *Q. Julius Clarius C. V. & Q. Jul. Nepotianus C. V.* IIII *Viri Viar. Curandarum*: 423. 4. Tibure: *Sex. Oppius Priscus V. C.* X. *Vir stlit. jud. Electus int. Ordinar. ab act. Senat. Aedil. . . . . . . adlect. int. Prætor. . . . . Proc. Prov. . . . . . . Lyciæ. Prov. . . . . . Lyciæ, Proc. Prov. Daciæ, Proc. Prov. Rætiæ & Vind. . . . . . Quæst. Prov. Macedoniæ*: 446. 3. item Romæ: *M. Pontius M. F. Pup.* sive sit *L. Ælianus Larcius Sabinus Cos.* qui pluribus honoribus sub Antoninis fulsit: 457. 2. Apud Reinesium *in Inscrr.* hi leguntur IIII B *Viri V. Cur.* Romæ: *P. Plotius Romanus Cons. Sod. Aug. Cl. Leg. Aug. Pr. Pr. Prov. Arab. item Gal. Præf. Aerar. Sat. Leg. Aug. Cens. acc. Hisp. Cit. Jur. per Aeg. Leg. Cyp. Viæ Labic. Cur. Pr. Urb. Trib. pleb. Q. Kand.* VI. *Vir Eq. R. Tur.* II. *Trib. Mil. Legg.* I. *Min. &* II. *Adjut.* IIII. *V. V. Cur.* II. 26. ubi vide notas Reinesii, & observa obiter hic eundem dici & *Curatorem Viæ Labicanæ* extra urbem, & IIII. *V. V. Cur.* in Urbe, nisi forsan diversis temporibus istas personas gessit. conf. *Gr.* 399. 6. item prope Theatrum Iguvinum: VI. 78. *C. Pomponius C. F. Græcinus Præf. Urb.* (Reines. legit *Fabr.*) X. *Vir stl. ju. . . . . Præf. . . . . .* in quo lapide C ex τοῦ III. *VIR. VIN.* Reines. facit III *Vir Viar. Cur.* ubi cum ait sic etiam *III. V. V. C.* occurrere apud Grut. 430. 5. ibi, inquam, deceptus est ab indice quinto Grut. qui vitiosus eo loco est: nam ipsa Inscr. clare habet *IIII Vir*: Sane *III. Viri V. C.* non occurrunt in Historiis, nec apud diligentissimum Dionem, nec alias *in Inscrr.* adeo ut credam potius ἐκ τοῦ IIII. tam *ap. Grut.* 492. 4. quam *h. l. Rein.* per conniventiam exscriptorum, vel & typothetarum incuria, omissam esse unitatem. Tandem, ut concludam, apparet ex his Inscrr. *IIII. V. V. C.* fuisse *Viros Consulares*, summisque magi- D stratibus ac imperiis ornatos. Tales *Viar. Urbis* Curatores hodie Venetis dicuntur: *Proveditori di commun*, qui sunt III Viri Ædiles Urbani, quorum inter alia munia est, *pontium, puteorum, Viarum, aliarumque hujusmodi rerum publicarum resarciendarum curam habere*; teste Joh. Cotovico *in Synops. Reip. Venet. c.* 14. in libello *Reip. Venet. ed.* 2. *Leid.* 1628. *p. m.* 299. alibi dicuntur: *Officiales Stratarum*. Sed & unius Viæ, sive Plateæ, Curatorem reperio: ut *L. Furium L. L. Diomedem Curatorem de Via Sacra* apud Gr. 621. 5. & 6. quicum libenter componerem *Ti. Claudium Aug. L. Januarium Curatorem de Minuncia* 173. 1. τὸ E VIA putem obliteratum: nota ex Festo *hac* voce *Minucia porta*, & forsan ejusdem nominis Via in Urbe; nam de *Via Minuncia* extra Urbem dubitare nos non sinit Cicero ad Att. IX. 6. videturque hæc in Viam Appiam desiisse, si vera est lectio quorundam mss. Horatii codicum, in quibus ἀντὶ τοῦ *NumicI via* legitur *MinucI*, Epist I. 18. *vs.* 20. Nec tamen ignoro, posse hic magis intelligi *Curatores Minunciæ* sc. Porticus Frumentariæ in Reg. Urb. IX. de qua consule Reines. *ad* VI. 123. At quinam sunt CABATORES DE VIA SACRA *Decimii Faustus & Fortunatus*? *apud Gr.* 622. 1. CAVATORES si legas, explicetur, qui & quales sint: F si CALATORES, si regeri posset, esse ingenuos, non servos: quid si ergo & hic CVRATORES legeremus? Sed magis placet ex ductu literarum proprie legere CAELATORES. sic 639. II. *L. Furius L. F. Cælator de sacra Via*. Sed hi videntur ad tempus, vix perpetui, fuisse, qui Curatoribus regionum præsto essent; unde putem eos etiam distingui *Curatorum de Via* nomine: de *Regionum Curatoribus* res est plana: plurimi recensentur *in Inscr. apud Grut.* p. 150.

151. sed & *Vici* occurrit *P. Cornelius Trophimus, in Reg. XIIII. Curator Vici quadrati*: 41:7. hi speciatim Vias singuli suorum vicorum videntur curasse in Urbe.

I. 4. §. 1. *Creabantur a Populo* &c.) Imo lego in Inscr. Grut. 454: 1. *P. Plautium Pulchrum Triumphalem*, III. *Virum A.A.A.F.F. Curatorem Viarum sternendarum a Vicinis lectum*, sub *Ti. Claudio Cæs. Aug. Germanico*.

I. 4. §. 2. *Asconius Pedianus*.) Locus hic paullo plenior exstat in *ed. opt.* 1644. *Leid.* ubi sic habetur: *M.s. p. p. R. h.q.q. s. c. si decumas redimunt, Decumani appellantur: si portum aut pascua publica, portitores aut Pecuarii, quorum ratio Scriptura dicitur*: confer *p.*46. *l. l.*

I. 4. §. 4. Dio *lib.* LX.) *p. m.* 788. ubi ait, Corbulonem a Claudio ex Germania ob invidiam virtutis revocatum: iterum deinde copiis ibidem præpositum, earum opera fossam a Rheno ad Mosam perduxisse, longam ad M. P. XXI. at in reliquo libro nihil de Corbulone porro habetur: unde patet, locum hunc non quadrare ad propositum Bergierii, & per incuriam laudari.

I. 4. §. 7. *Ex lapidibus*.) quorum multos etiam congessit Paullus Merula, *part.* II. *Cosmogr.* IV. 22. *pagg.* 952. 953. 955. 957. Spicilegium hic addam *Curatorum Viarum* extra Urbem, eorum, quorum Inscr. Noster omisit: itaque præter laudatos *apud Gr.* occurrunt: *Viarum Clodiæ, Anniæ, Cassiæ, Ciminiæ & novæ Trajanæ Curator L. Aurelius L. F. Quir. Gallus Cos.* 1091: 8. *C. Curt....... ollius Trogus, Quæstor Urbanus, Prætor peregrinus* &c. *Cur. Viæ Clodiæ, Anniæ, Cassiæ, Ciminiæ*, sub *Antonino Pio*. 399: 8. *Viæ Faleriæ, M. Cornelius M. F. M. N.* plurimis honoribus ornatus, sub *Severo* 397: 2. nescio quis στρατηγος ουρβανος, πρεσβευτης λεγιωνος Α Ουλπιας Νικηφορȣ επιμελητης οδȣ Αππιας, υπατος, πρεσβ. αντιστρατηγος Συριας, Παλαιστινης, 493: 2. *Flaminiæ, L. Æmilius L. F. Cam. Karus, Cos.* Vir ornatissimus sub Trajano, ut videtur: 1025: 2. *Prænestinæ, P. Martius Quir. Philippus, Ædilitius Curulis*, &c. sub Juliis, ut videtur, 437: 2. simpliciter *Curatores Viarum, M. Cæsius, Aug. L. Sostratus, Præf. fabror. VI. Vir Qq. S. F. Flamen Augustalis & VI. Vir*: 45: 8. ipse *Trajanus* κατ' ἐξοχὴν dicitur *Curator Viarum* 199: 1. & *Antoninus Pius* 253: 7. *C. Lucillius C. F. Pompt. Sabinus Egnatius Proculus*, Vir Ornatissimus sub Gordianis, ut apparet 433: 1. *T. Musidius Polianus Cos.* &c. 440: 2. *P. Aquius Scaura, Quæstor decemviralium litium judicandar. Trib. pleb. Ædil. Curul. Judex quæstionis Prætor. ærar. Procos. Cypri, Viarum Curator ex Urbe ex S. C.* sub C. Cæsare 360: 3. ubi Scaliger *in Ind.* v. tricas nectit, & verba seq. Inscriptionis male ad *curam Viæ* trahit, cum sonent: *in quinque Coss.* (i. annos) *iterum extra sortem auctoritate C. Cæs. & S. C. missus ad componendum statum in reliquum provinciæ Cypri Fetialis*: in Via Appia Formiis: *L. Varronius L. F. Pal. Capito*, si recte legunt Scaliger *ad Fest. p.*8. & Aldus: vide Gr. 483: 3. qui pro *Viarum* habet *Aquarum*. Apud Rein. VI. 114. occurrit quoque Vir honoratus, quippe *Præf. Urb. feriar. Latin. Quæst. Urban. Ædil. Cer. Prætor eodemque tempore Prætor Hetruriæ XII. Pop. Curat. p.* (i. perpetuus) *Splendidissimæ Civitatis Marsorum Marruvii, eodem tempore & Cur. Viar. Tiburtinæ, Valeriæ & Aimiliæ*: Sed in nomine ejus hæremus, quod aut mendosum est, aut deficit. Legitur: *CO. MESTIO PAVLLINO Cu...* Reines. putabat primo *DOMESTIO* legendum; sic enim *Domitios* Constantianis temporibus innotuisse; deinde divinavit esse, *L. Virium Paullinum Comitem domesticorum, Præf. Urb.* ap. Gr. 273: 7. at hæc Inscr. multo videtur antiquior Constantianis temporibus, aut *Domesticorum* ordine: nec τὰ *Comes Domesticorum Paullinus* recto ordine forent, cum hæ dignitates soleant nomini subjici, non præmitti. Lego itaque ex vestigiis literarum: CORNELIO. PAVLLINO. CVR. R. P. Sic *T. Cornelius Paullinus* ap. Gr. p. 1077. *Cornelia Paullina*, 539: 2. Notandum quoque est, Impp. Viarum Curatores, sibi ProCuratores legisse, qui suam Impp. vicem curarent: uti *ap. Rein.* I. 249. *D. N. Ti. ClaudI Aug. Cajus Julius Scyleros V.C. Aug. N. Proc. V. Cur.* item ab Imp. ipso Curatoribus Viarum velut officio adjutores & proxime Curatorem gesturos, lectos, designatos & additos fuisse: talis est: ap. Grut. 374: 5. *M. Bassæus, M. F. Pal. Axius*, Vir honoratus *Proc. Aug. Viæ Ost. & Camp.* Nam quod Reines. *l. l.* ait: *non fuisse hunc ipsis Viis sternendis & conservandis impositum magistratum; sed res privatas AVGustorum, prædia & villas in istis Viis sitas administrantem*, in eo videtur alia omnia sentire: nam primo repugnat Latinæ linguæ ratio, quæ non dicit *Procuratorem Viæ Ostiensis*, pro *Curatore prædiorum & villarum ad Viam Ostiensem*; deinde huic provinciæ præponebantur inferioris loci homines, non vero honoratissimi; tandem hi distincte dicebantur ab officii nomine: sic *Theoprepon Aug. L. D. N. M. Aurelii Severi Alexandri P. F. A. Procurator ad prædia Gallicana*: Gr. 474: 4. *Flavius Aug. L. Epaphra Proc. Villarum Tusculanarum*. 1112: 2. Erroris fons videtur Index *VII. Scalig. in Gr* ubi τὸ *Proc. Aug. Viæ Ost. & Camp.* refertur *ad officia Domus Augustæ & privatæ*. Verum & in Urbe tales quandoque *ProCuratores* fuisse *Viarum*, videor quodammodo colligere posse ex Inscr. Gr. 411: 1. ubi *T. Flavius T. F. Germanus* legitur *Proc. Pecuni..... defuncto sibi officio Viarum..... nendarum Urbis*.

I. 5 §. 1. *Summam fuisse illorum dignitatem, qui Curatores Viarum speciatim nominabantur*.) In *l.* 4. *C. de privil. Domus Aug.* ab Impp. Honorio & Theodosio dicitur *titulus laudabilis*: ubi vide Cujacium: adde de moribus hodiernis ea in re, Jcc. Graafium *de Regal. c.* 34. *n.* 3. Fritschium *de Via Publ c.* 2. Knipschildium *de Civ. Imp.* v. 26. *n.* 55. Aliosque. In Belgio certe Fœderato Aggerum præfecti, vulgo *Dijck graven & Heemraaden*, solent legi ex Viris honestissimis magnæ dignitatis & primi ordinis. Porro docet Maimonides in רוצח *c.* 8. Synhedrio incubuisse apud Judæos, Vias ad Civitates Refugii accommodare, eas dilatando, atque omne offendiculum, in quod titubare aut impingere posses, amovendo: non permissum in via ullum tumulum, aut fluvium, super quem non esset pons: debemus hoc indicium Lightfooto *Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ c.* 50. ex quo idem habuit, ut pleraque sua, Otho *Lex. Rabb. voce*: *Asylum*.

I. 5. §. 4. *Hæc munera* &c.) Conferendus hic *ad Tacitum* Lipsius *p.* 67. 68. Buleng. *de Imp.* v. 17. Casaub. *ad Suet. Aug. c* 37.

I. 5. §. 5. *Ædilibus*.) Ne erres: Ædilium cura Viaria intra solam Urbem terminabatur, non exibat in Italiam: curabant, ut Viæ essent ab animalibus nocivis tutæ: ipsi Ædiles in edicto suo: *Ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, ursum, pantheram, leonem, aliudve, quod noceret, animal, sive soluta sint, sive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non possint, qua vulgo iter fiet, ita habuisse velit, ut cuiquam nocere damnumve dare possint: si adversus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti: si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum æquum judici videbitur, condemnetur. Cæterarum rerum, quanti damnum datum factumve sit, dupli.*

Ut hoc caput licet concinnare ex legibus 40. 41. 42. II. *de Ædil. Edict.* tum ut Viæ essent mundæ: unde Vespasianum, A. II. c. 790. *Ædilem*, τῆς τῶν στενωπῶν καθαρότητος ἐπιμελούμενον, (Dio) Caligula *succensens curam verrendis Viis non adhibitam, luto jussit oppleri*, ὡς ἀμελοῦντα τῆς κοινῶν, (*Cedren.*) *congesto per milites in prætextæ sinum*, ut narrant Suetonius *Vespas. c.* 5. Dio *lib.* LIX. *p. m.* 745. Zonaras *Annal. lib.* II. *p.* 178. Cedrenus *Hist. Comp. p.* 162. hinc patet, cur Labeo apud Venulejum JC. in *l.* 2. sive *ult.* II. de *Cloac.* dicat, *ut ne factam cloacam purgare & restituere permittendum sit per interdictum* Prætoris; (cujus verba *in fine leg. præcedentis* habentur:) *novam vero facere is demum concedere debeat, cui Viarum Publicarum cura sit*: distinguit scilicet acute Labeo inter interdicta Prætoris & edicta Ædilium, aut munia IIII. Virorum Viar. curand. quibus commissa cura munditiei Viarum, adeoque & novarum cloacarum ad Vias mundandas faciendarum: denique ut Viæ essent sine impedimentis; hinc *Lectos emtos Ædilis, cum in Via Publica positi essent, conscidit*, narrante Paullo JC. *in l.* 12. *Lecton* II. *de Peric. & Comm.* Reliqua curæ istius Viariæ urbanæ capita vide ante 3. §. 5. hinc intelligimus, cur Ulpianus *l.* 2. §§. 12. & 14. II. *Ne quid loco publ.* interdictum Prætoris, quo, *in Via publica itinereve publico facere, immittere quid, quo ea Via idve iter deterius sit, fiat, vetat*: dicat, *tantum ad Vias rusticas pertinere, ad Urbicas vero non*: rationem addit: *harum enim* Urbanarum *cura pertinet ad Magistratus*, scilicet *Ædiles*, aut *IV. Viros Viar. curandar.* nam nec horum cura Viaria erat extra Urbem. Vide supra 3. §. 10.

I. 5. §. 6. *Curatores Vicorum.*) Mallem dixisset *Magistros Vicorum*, ut apparet ex seqq. nostri verbis. *Curatores* erant bini singularum *Regionum*; singulorum *Vicorum Magistri* IV. *ap. Gr.* in sola Inscr. XII. 7. reperio *Curatorem Vici quadrati, regione* XIIII. non temere alias in Latinis Auctoribus probatis *Curator Vici* occurrit, sed *Vicomagister*, *Magister Vici*, vide Festum in *Magisterare*, & *Vici*, ibique Scaligerum.

I. 7. §. 2. *In quavis Provincia* &c.) Sequitur Sigonium *de Antiq. Jure Provinc.* II. 1. *T. A. R.* t. II p. 1576.

I. 7. §. 4. *Coss. & Prætores* &c.) vide Sigonium *l. l.* II. 2. *T. A. R.* p. 1587. quem noster & in seqq. secutus est.

I. 7. §. 9. *Quæstores Præsidibus filiorum loco erant.*) ut affirmat Cicero *Divin. in Cæcil.* c. 19.

I. 8. §. 4. *Quæ nos exhibebimus separatim in Commentatione* &c.) Animus videtur primum fuisse Bergierio, singulari libello agere de *Via Appia*; sed postea, ut apparet, mutavit consilium, & totam rem Viariam hoc opere pertractavit, unde commentatio de *Via Appia* legitur inserta infra II. 26. confer II. 16. §. 7. & III. 47.

I. 9. §. 3. *Via Domitia in Germania trans Rhenum.*) hæc non videtur fuisse Via strata Militaris, sed tantum angustus trames aggeratus; teste ipso Tacito *l. l.*

I. 10. §. 2. *Plinius* &c.) Lubet hic adscribere, sed tantum Latina, Diodori Siculi *Bibl. Hist. lib.* I. *Ed. Steph. p.* 39. 40. *Wecheliana p.* 59. qui ista ex versione Rhodomani tradit: *Octavus inde Ægypti Rex Chemmis*, sive Chombos, *patria Memphites L. annos imperavit, & trium pyramidum, quæ inter clarissima Orbis opera VII. numerantur, maximam eduxit. Sitæ illæ versus Libyam, a Memphi Stadia CXX. & a Nilo XLV. absunt. Magnitudo in his operum & manuum solertia mirificum contemplantibus stuporem afferunt. Nam unumquodque latus maximæ (figuræ hæc quadrilateræ est)*

A *super basi septena plethra, altitudo plus quam sena plethra continet: & paullatim ad verticem usque contrahens latera senis cubitis absolvit. Tota e solido lapide, elaboratu quidem difficili, sed durationis perpetuæ confecta est. Cum enim non pauciores mille anni (quidam plures quam ter mille trecentos annotant,) ad vitæ nostræ tempestatem effluxerint, saxa pristinam compagem totamque structuram adhuc incorruptam servant. Hic lapis per magnam locorum distantiam ex Arabia deportatus esse; & aggerum adminiculo, machinis tunc nondum inventis, opus surrexisse fertur.* (male, Prisciano renitente, vertebatur: *ferunt.*) *Et quod maximam pariat* B *admirationem, substructio tam insana perfecta est in loco, qui totus circumquaque arenosus est, ut ne vestigium quidem tum aggeris, tum cæsi & politi lapidis sit reliquum: unde non paullatim hominum opera, sed conjunctim & simul, ceu a Deo quopiam, tota illa moles in circumfusas arenas collocata videatur. Ægyptiorum nonnulli monstrifice de his loqui, & nescio quas fabulas obtrudere conantur,* (τερατολογεῖν καὶ μυθεύεσθαι). *quod nimirum, cum aggeres isti e sale & nitro constarent, fluvius immissus eos liquarit, dissolutosque, præter operis structuram, prorsus aboleverit. Atqui non & veritas rei sic habet; sed quæ hominum multitudo aggeres con-* C *struxit, hæc in pristinum eos locum regessit. Trecenta enim & sexaginta virorum millia, ut ajunt, ministeriis hisce incubuerunt, totumque opus vix XX.* (male hic numerus in versione omittitur) *annorum consummatum est.*

I. 10. §. 5. *Se non posse tot milites* &c.) Nec Veterani quidem immunes fuerunt a Viis sternendis. Ulpianus *in l.* 4. II. de *Veter. privileg. Viæ sternendæ immunitatem Veteranos non habere, Julio Sossiano veterano rescriptum est: nam nec ab intributionibus, quæ in possessionibus fiunt; Veteranos esse excusatos, palam est*: ubi vide notas Dion. Gothofredi.

D I. 10. §. 9. *Imperante Tiberio.*) contra fidem ipsius Taciti laudati noster hæc contigisse imperante Augusto dixerat.

I. 10. §. 10. *Architecti* &c.) Hi tamen non debebant sub specie munitionis aut refectionis Viam deteriorem facere, *arg. l.* 2. §. 20. & *seqq.* II. *Ne quid in loco publ.* quod, quibus caussis varie contingat, recenset Mejer. *in Coll. Arg. ad h. t.* 9. 6. & *seq.* alias si v. gr. peccassent in *itineris* debita *latitudine*, etsi. *D. Severus adversus Architectum & Redemtorem actiones dandas decrevit.* l. 6. & l. 7. II. *Si Mens. fals. mod. dix.*

I. 10. §. 11. *Quartum hominum genus* &c.) Tra- E janus ad Plin. *Epist.* X. 41. *ed. Hen. Steph.* Munitiones Viarum a pœnis operis publici videtur separare, cum scribit: *Si qui vetustiores invenientur, & senes, ante annos decem damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quæ non longe a pœna sint. Solent enim ejusmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones Viarum & vicorum dari*: vide Fabr. *Semestr.* II. 4.

I. 12. §. 1. *Pecunia Romanorum Publica*, & seqq.) Quæ hic & sequenti sectione Noster adfert, ea debuit Lipsio *Admir.* II. 1. & seqq. Tu adde porro ea, quæ erudite commentatus est *de Vectigalibus Populi Romani* V. Cl. Petrus Burmannus, Amicus F noster, Literarum humaniorum dulce decus.

I. 12. §. 5. *Salinarum.*) Ulpianus *in l.* 17. II. *de V. S.* hoc etiam inter Publica vectigalia, quæ fiscus capit, recenset: in loco Livii II. 9. secutus sum emendationem Cl. Gronovii, Patris, quam ad *l. l.* vide.

I. 12. §. 5. *Vectigal novum.*) Exponat ipse Livius *l. l.* nequis erret. Salinarium vectigal instituerat Ancus Marcius, IV. Romanorum Rex, ut videtur; nam *Salinas primus instituit*, teste Plinio *H. N.* XXXI. 7. adde Alexandrum Neapol. *G. D.* I. 9.

Explosis Regillus, rursus concessum privatis vendendi salis arbitrium, sine ullo, ut est vero simile, vectigalis pendendi onere: cœpit impenso dein precio vænire per ærufcationes cocionum Salinatorum: hinc querelæ civium: ergo brevi post biennio denuo ademtum privatis, sumtumque in publicum salis vendendi arbitrium; sed anno V.C. 550. M. Cornelio Cethego & P. Sempronio Tuditano Coss. Censores C. Claudius Nero, & M. Livius, inde *Salinatoris* cognomine notatus, dum hic præcipue, per speciem juvandi publicum, suas vindicabat injurias, *vectigal etiam novum ex Salaria annona*, in publicum jam olim sumta, *statuerunt*, *sextante Sal & Romæ & per totam Italiam erat*: sed hoc postea *Romæ precio eodem*, *pluris in foris & conciliabulis*, & extra Romam scilicet, *alio alibi precio præbendum locaverunt*: addit Livius: *Id vectigal commentum alterum ex Censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo judicio quondam damnatus esset: & in precio salis maxime oneratas tribus*, (nimirum ex Rusticis) *quarum opera damnatus erat*, *credebant*. Porro Noster hic jusserat videri Ciceronem *Agrar. I. in Rullum*, sed puto aberratione typothetarum; Tu vide *c.* 2. & *seqq. dictæ orat.* ad Nostri §. 4. & §. 7.

I. 12. §. 8. *Tributa ordinaria* &c.) Sigonius *de Antiq. jure Provinc.* I. 1. Lipsius *Admirand.* II. 3. *in fine*, videantur: locus Isidori, quem mox laudat, sic habetur in edit. Dion. Gothofredi 1595. *p.* 942. *Æra singulorum annorum constituta est a Cæsare Augusto, quando primum censum exegit, ac Romanum Orbem descripsit: dicta autem Æra ex eo, quod omnis orbis æs reddere professus est Reip.* Ne quid dissimulem, vix putem in Censu illo Judææ sive Syriæ, quo Noster Bergierius tam magnifice ait, & reliquum similiter universum orbem Romanum fuisse descriptum. Apud D. Luc. II. 1. *πᾶσα ἡ οἰκουμένη* est *omnis terra Canaanis*, strictius *Judæa* tota. Sic *οἱ ό* Exod. XVI. 35. vertunt *εἰς τὴν οἰκουμένην*, ubi mox subjicitur in Hebraica veritate, ceu explicationis gratia, *ad extremitatem regionis Cenahanææ*. Hoc stylo Hellenistico idem D. Lucas, *commate* 3. dixit *omnes ivisse, ut describerentur, in suam quemque urbem*. Neque enim puto ulli mortalium in mentem venire, ut credat omnes aut in Syriæ Præsidialem provinciam, aut singillatim in patrias majorum urbes concurrisse ad professionem faciendam; porro si Census fuit totius simul Orbis Romani, cur tanta res tam profundo silentio foret sepulta apud τὰς ἔξω; Hæc olim nostra fuit sententia, quam etiam persuasimus viro, cum viveret, nobis amicissimo Petro Keuchenio, qui eam adoptavit *in Annotat. ad Lucæ* II. 1. ubi tamen non satis accurate *Præfecturam Syriæ* dixit.

I. 12. §. 9. *Metallicis fodinis*.) Lipsium de Metallis consule *Admir.* II. 5. de Hispaniis & Galliis vide Strabonem lib. III. *p. m.* 253. *et ss.* Plinium *H. N.* XXXIII. 4. ideo Hispaniæ in montibus sedenti in Nummis additur symbolon *cuniculi*; non tam ob *cuniculum*, *Hispaniæ* peculiarem, ut voluit in *Geogr. Sacr. h. t.* Bochartus, præeunte Varrone *de R. R.* III. 12. quam magis ob has ipsas metallorum fodinas, quibus *cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina*, dicente Plinio *l. l.* hinc Catullus *carm.* 38. etiam *Cuniculosam Celtiberiam* dixisse potuit.

I. 12. §. 10. *Neque hic porro* &c.) Noster de *urinario vectigali* per Vespasianum instituto consulendum addiderat Macrobium *in Saturnal.* Sed de eo ibi nihil habetur. Auctor vetus C. Titius, Lucilio æqualis, laudatur II. 12. qui in *oratione, qua L. Fanniam suasit*, sic describit homines prodigos in forum ad judicandum ebrios commeantes: *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant.* Sed hæc remotissima ab ætate & vectigali urinario Vespasiani: fraudi Nostro fuit supina inspectio notarum Casauboni *ad Vespas. c.* 23. quo, & Lipsio *Admir.* II. 6. usus est. Res huc redit: Fullones utebantur urina ad poliendas, incretandas, durandas & purgandas vestes: Athenæus XI. *p.* 486. Q. Fufius Calenus apud Dionem *lib.* XLVI. *p. m.* 337. Hanc ut magna copia colligerent, collocabant in angiportis & vicorum angulis amphoras, sive dolia curta, Lucretio IV. 1020. sive gastra, Petronio *Sat. c.* 39. sive testas, Martiali VI. 93. sive vasa capacia, in quæ Viatores mejendi uredine lacessiti urinam exonerarent. Hanc prius pro lubitu gratis colligebant, postea Vespasianus, ut in publica via collectam, certo precio fullonibus redimendam locavit & addixit. Suet. *l. l.* Xiphil. *lib.* LXVI. *p.* 751. Desidero hic eorum judicium, qui putant stipem exactam ab iis, qui per diem vesicam exonerare vellent in istis amphoris, ut vicissim aliquid publicani fullones reciperent nummorum, aut matulas ipsas præbitas ad mingendum accepto precio: singulis enim amphoris singuli servi custodes appositi fuissent: sed quis hic, ne æs istud sublegerent, custodivisset ipsos custodes? & quis credet, adeo preciose voluisse quenquam aquam petere, ut honeste dicam? Tzetzes *Chil.* I. *Hist.* 2. nescio quo Auctore tradit, fuisse *τὴν κόπρον τὴν τῶν ἵππων*, *fimum equinum*: sed & hic urinario vectigali potuit accessisse, præcipue elocato publicorum Equorum cursualium fimo, ut videor posse colligere ex *l. 7. C. de Curs. publ.* Placet etiam Lipsii acumen *Admir.* II. 6. *Principes secutos hoc vectigal tenuisse, sive auxisse*; inter hos Constantinum M. teste Zosimo *lib.* I. *cap.* 10. *p. m.* 797. negante vero Euagrio; idque sub nomine *χρυσαργύρου*, de quo Euagr. *Histor. Eccles.* III. 39. Cedren. *p.* 294. Obiter addo apud Indos Orientales Bataviæ, sive Jacatræ Javanorum, publice Sinensibus locari certo precio animas sellarum Patroclinarum, obtura nasum pudor! quibus milites in propugnaculis, dum excubant, utuntur; nam hac fæcutina Sinenses suos lætificant hortos. adeo lucri bonus odor ex re qualibet! De *καπνικῷ* ista Zonaras *in vit. Nicephori cap.* 2. *p. m.* 590. *Hujus* Nicephori *inventum pessimum est etiam Capnici impositio, parœcis Ecclesiarum, Monasteriorum, earumque ædium, in quibus vel pauperes vel senes alebantur, mandati, & cuivis eorum, qui neque fundos, neque reditus habebant.* De sordidis ejusmodi vectigalibus vide plura, si vis, apud Lipsium *l. l.* Henelium *Otii Uratislav. cap.* 32. Christoph. Colerum *Parerg. cap.* 14. Cujac. *Observ.* X. 7. (quo Noster his usus est) XXII. 34. Jcc. *ad l.* 17. §. 5. ff. *de Usur.* Bulenger. *de Vectig. P. R. c.* 17. Commentatores *ad Suet. Cal. cap.* 40. *Vesp. cap.* 23. & qui plurima hujus notæ congessit, Klockium *de Aerario* II. 147. & Lather. *de Censu* I. 5. *numer.* 24.

I. 12. §. 10. *Quod aeri, quem respiramus, imposuit Michael Paphlago.*) Cedrenus *l. l. in hoc Imp.* Πονηρμώτατος ὢν πρὸς ἣν ἄν τις εἴπῃ κακίαν πᾶσαν, ἐφεῦρεν ὁδὸν ἀδικίας, προσθεὶς ἐπέκεινα τῶν τελεσμάτων δίδοσθαι ἕκαστον τῶν χωρίων ὑπὲρ ἀερικοῦ κατὰ τὴν ποιότητα καὶ ἰσχὺν αὐτοῦ: at quid fuerit hoc *ἀερικὸν* vectigal, quæritur: Chrysostomus oratorem agit in *l. l.* Harmenopulus tamen habet titulum erraticum περὶ ζημιῶν ἀερικῶν: forsan fuerit id, quod Procopius *in Anecdot. p. m.* 108. *edit. Helmstad.* 1654. commemorat: Ταύτην μὲν οὖν τῷδε βασιλεῖ τῷδε εἶχεν πρὸς δὲ τοῦ τῶν πραιτωρίων ἐπάρχου, ἀνὰ πᾶν ἔτος πλέον ἢ τριάκοντα κεντενάρια, πρὸς τοῖς δημοσίοις ἐπράσσετο φόροις· οἷς δὴ ὄνομα τὸ ἀερικὸν ἐπιτέθηκεν,

ἐκεῖνο

ἐκεῖνο οἶμαι παραδηλῶν, ὅτι δὴ οὐ τεταγμένη τις; οὐδὲ ξυνειθισμένη οὖσα ἡ φορὰ ἐτύγχανεν αὕτη. ἀλλὰ τύχῃ τινὶ, ὥσπερ ἐξ ἀέρος ἀεὶ αὐτὴν φερομένην ἐλάμβανε. δέον τῆς πονηρίας τῆς αὐτοῦ ταῦτα ἐπικαλεῖν ἔργα. ὧν δὴ τῷ ὀνόματι οἱ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τεταγμένοι ἀδεέστερον ἀεὶ τῇ ἐς τοὺς κατηκόους λῃστείαις ἐχρῶντο· καὶ ταῦτα μὲν τῷ αὐτοκράτορι ἀποφέρειν ἠξίουν. vertit Nicol. Alemannus: *Præfectus Prætorio præter publicum censum amplius ter mille auri pondo Cæsari quotannis pendebat, eumque proventum nec lege, nec more majorum receptum, sed, quasi fortuito aliunde sibi ex aere adventitium, Aereum ob id, ut credo,* Justinianus *vocavit, suæ potius improbitatis facinus vocandum, quo nomine Præfecti Prætorio abusi sunt ad liberius lacerandas subjectorum fortunas, eoque obtentu Cæsari deferendas; quibus nihilominus opes ipsi suas imperatorium ad luxum facile auxerunt.* Vidit hunc locum Cujacius *Observ.* x. 7. sed non pervidit, usus forsan mutilo codice.

I. 12. §. 10. *Plinius quæritur* &c.) Plinius non de quibusdam arboribus ista habet, sed de sola Platano *H. N.* XII. 2. his verbis: *Quis non jure miretur arborem, umbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est, per mare Ionium in Diomedis insulam ejusdem tumuli gratia primum invecta, inde in Siciliam transgressu, atque inter primas donata Italiæ: & jam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant.* Ita Plinius. Noster, ut fieri solet, alieno judicio & oculis fidem habuit: ut & Lansius *in Consult. de opt. parandar. opum modo & partar. usu p. m.* 73. aliique: nihil de umbratico hoc vectigali Plinius, sed declamatorio suo more traducit luxum sæculi sui delicati, quo Platani, solius umbræ gratia, non ullius fructus caussa, transferebantur ad extremos hominum Morinos, gentes tributarias & vectigales, quæ pro Platanis, uti pro cæteris mercibus exportandis & importandis, Publicano vectigal pendebant: non quod in umbram quarundam arborum animum vectigal esset impositum. Porro quod noster ait, Plinio Auctore, *ipsis etiam mortuis tributa fuisse imperata*, vellem addidisset locum: at vereor, ne iterum alienis hic viderit oculis, & per incuriam locos duos, quorum indicia ad marginem fuerunt, confuderit: nam apud Xiphilinum, quem laudat, *in vita Neron.* (*mihi Hist. Aug. ed. Lugdun. Galliæ* 1592. *Tom.* I. *p. m.* 731.) ista tradit magis tragice, quam vere *Buundica*, aut *Bunduica* Tacito *Annal.* XIV. 35. *Boudicea*, Britannorum Regina, ut invidiosa oratione suos accenderet Britannos in odia Romanorum: *Nonne*, ait, *maximis atque amplissimis facultatibus privati sumus? nonne reliquorum tributa pendimus? nonne præter cætera, quæ damus, & agros, quos colimus ad eorum utilitatem, nostrorum etiam corporum omnia tributa conferimus? At quanto melius fuit, semel fortunatos esse, quam fictis falsisque nominibus libertatis singulis annis redimi? quanto vero honestius mortem occumbere, quam capita tributaria circumferre? sed quid ego ista commemoro, quum per illos ne mortem quidem liceat immunes cum vita commutare? Etenim quot & quanta pensitemus mortuorum nomine, omnes profecto scitis: quumque ii, qui servitutem serviunt apud alias gentes, morte liberentur, soli populo Romano mortui vivunt, quæstus & compendii caussa.*

I. 13. §. 1. *Aure pondo* 782. deinde: 846. *pondo auri.*) Noster 700120. *libras*, & deinde has 846000. *libras* fuisse dixerat, quasi τὸ *pondo* forsan *mille libras* notaret, sine dubio per incuriam, aut errante in calculis signandis stilo: quis enim tot aureos montes tum in thesauris Romanorum fuisse credere posset (hæc sine ulla auctoritate scripsit: malui ego cum Plinio, quem noster forte per transennam viderat, veriora scribere, eoque Auctore quem noster omiserat, uti, quam gratis summam auri incendere, aut scientem prudentemque deteriora sequi, cum meliora ultro se offerant.

I. 13. §. 2. *Plutarchus ait* &c.) Qua editione *Admirandorum* Lipsii usus sit, equidem nescio: hoc scio, nostro placuisse, Lipsium *l. l.* II. 2. & 3. κατὰ πόδα hic passim sequi, sed nec ipse, aut forsan ejus anagnostes, satis intendit oculorum aciem: mirifice enim omnia conturbavit ita, ut non licuerit esse hic ingenioso: nihil ibi *ed.* 2. *Plaut.* 1599. *p.* 44. quem locum noster adfert, emendat Lipsius, sed tantum commoda explicatione adjuvat Plutarchum. Ponamus rem per capita clarissime ob oculos: itaque ex Lipsii Plutarchum *in Pompej. c.* 72. exponentis sententia:

1. *Asia minor* ante Pompeii victoriam Mithridaticam quotannis reddidit ∞ ∞ HS. id est 5000000. sive 5. *milliones Philippicum*: male Bergierius 6. posuerat.

2 Porro deinde Provinciæ a Pompejo per Asiam devictæ, *Pontus*, *Armenia*, *Cappadocia*, *Paphlagonia*, *Media*, *Colchis*, *Iberia*, *Albania*, *Syria*, *Cilicia*, *Mesopotamia*, *Phœnice*, *Palæstina*, *Judæa*, *Arabia*, eæ scilicet, quæ vectigales factæ, reddiderunt quotannis, separatim ab Asia minore, insuper ∞. ∞. ∞. CCC. HS id est 8500000. sive $8\frac{1}{2}$. *milliones Philippicum*.

3. Sulla bello Mithridatico imperavit Asiæ minori *vectigalia quinque annorum* statim repræsentanda, Appiano teste *de Bell. Mithr. p. m.* 285. ea fuerunt XX. *millia Talentum*, Plutarch. *in Syll. c.* 49. nobis 12000000. sive 12. *milliones Philippicum*: divide hæc in quinque partes, habebis pro vectigali annuo Asiæ minoris, tempore Syllæ, IV. *millia Talentum*, ea sunt 2400000. sive 2. *milliones & 4. tonnæ Philippicum*; quæ non plene sunt ∞. HS. ad quam complendam addi deberent 10000. sive 1. *tonna Philippicum*.

4. Ergo Asia minor duplo plus reddidit tempore Pompeii, quam Syllæ: quia α. ratio colligendi jam melior, firmiorque: β. bella resederant: γ. Asia minor per pacem cultior feraciorque facta.

5. Ptolemæus Auletes, teste Cicerone apud Strabonem *lib.* XVII. *p. m.* 598. habuit quotannis ex Ægypto XII. *millia & IↃ. Talentum*: ea sunt 7500000. sive $7\frac{1}{2}$. *milliones Philippicum*: hic segnissime regnum administravit; Ergo Romani, qui diligentissime Ægyptum ab Augusto redactam in provinciam, administrarunt, aucti Indicis Troglodyticisque insuper emporiis, ad minimum quotannis inde retulisse videntur vectigali annuo 10. milliones Philippicum.

6. Vellejus II. 39. innuit, paullo majus Ægyptio fuisse Galliarum vectigal annuum. Ergo fuerint 10. aut 11. *milliones Philippicum*: per censum ab Augusto in Galliis institutum hi duplicati videntur: igitur XX. *milliones Philippicum* tum reddiderint: ante Juliani ævum in Galliis in singula capita tributum imperatum erat 25. aureorum: si tum temporis, ut hodie, in Galliis fuerint 15000000. sive 15. *milliones* hominum tributariorum, vectigal earum annuum fuerit 375000000. sive 375. *millionum*, & quidem, quæ immensa summa est, *aureorum Romanorum*. Sed Juliani moderatio, teste Marcellino XVI. 2. hanc capitationem ad æquitatem revocavit, *septenos* nimirum *aureos*: ergo, si totidem, ut mox, admodum homines fuisse credamus, vectigal annuum Galliarum post Julianum fuerit 150000000. sive 150. *milliones aureorum*.

7. Adde hic: Tributum annuum gravissimæ *ca-*

pitationis Judaicæ; item centesimas, quas *Syri & Cilices* quotannis persolvunt; teste Appiano *de Bell. Syr.p.m.* 162. Lipf. *l.l.* II. 3. A

8. *Siciliæ* Augustus indixerat Triburum ∞. Iↄc. *Talenta*, teste Appiano *de Bell. Civ.lib.*v.*p.m.*877. erunt ergo annua vectigalia Siciliæ 960000. sive 9. *tonnæ* & 60. *millia Philippicum*: de reliquis vectigalibus provinciarum consule Eruditos, qui hoc argumentum persequuntur.

Nota vero Nostrum dixisse §. 2. *Appian a laissé par écrit, que de son temps la Natolie seule rapportoit à l' Empereur Adrian* 20. *millions d' escus*. Nusquam ista Appianus finxit, aut pinxit: quare & ea ommittenda duxi, & hic monenda: fontem B erroris vero reperi hunc. Lipsius *l. l.p.* 45. verbis Antonii III. viri in Asiam missi ad pecunias colligendas, ap.Appian. *de B.C.lib.*v. *p.m.* 781. collatis cum verbis Plutarchi *in Anton.c.*31. ostendit Asiam tum Antonii ætate reddidisse *viginti millia Talentum annua*, quæ sint *dupdecim milliones*: vixit Appianus sub Hadriano,unde Noster, sive hæc ἀβλεψία est imputanda ejus ἀναγνώςῃ, Antonii ætatem transtulit ad Hadriani tempora & τὰ *viginti* ac *milliones*, intermediis verbis per incuriam omissis, conjunxit. Porro Noster, Lipsio præeunte, dixit, *ab Augusto Censum per Gallias institutum, opus* C *novum & inadsuetum Gallis, ut Claudius in Oratione apud Senatum loquitur: & ea ratione immensum auctum*: de re ipsa sumus certi ex Tacito *Annal.* I.31.& 33. ac aliis: verum ubinam legitur illa *Claudii apud Senatum oratio*, in qua ista habentur verba? erubescimus enim sine certo Auctore loqui.

I. 13. §. 4. *Proinde mirum videri non debet* &c.) Incuriose iterum laudatur Appianus: locus hic exstat *in præf.* Appiani *in suas Hist. Rom. p. m.* 8. ubi comparat amplitudinem Romani Imperii cum Medorum, Persarum & Macedonum regnis maximis, & ait ex versione Sigism. Gelenii: *Cæterum* Alexandri M. regnum *fuit fulguri simile, ob brevita-* D *tem temporis: cujus quidem, vel in multas distracti Satrapias, portiones diu retinuerunt pristinum splendorem. Certe soli mei Reges* (erat Appianus Alexandria Ægypti oriundus) *alebant* CC. *millia peditum*, XL. M. *equitum*, CCC. *Elephantes bello adsuetos, curruum falcatorum* II. M *armorum, quantum* CCC M. *sufficiat. Præter hunc terrestrem apparatum*, II. M. *Actuariarum, & id genus minorum navium præsto erant: longe vero ab hemioliis usque quinqueremes* ∞Iↄ. *Instrumentum longarum duplum; thalamegi auratis puppibus rostrisque, quas ad ostentationem in bello ipsi Reges conscendebant*, Iↄccc. *Pecuniæ vero numeratæ in The-* E *sauris* IↄCCXL. *Talentorum Ægyptiorum millia. Totum enim hoc apparet ex regiis tabulis adhuc exstantibus, in quas referebantur hujuscemodi omnia; quas reliquit Alexandri successor in regno Ægyptio, Regum omnium parandis opibus attentissimus, & expendendis splendidissimus, magnificentissimusque in operibus*. Adscripsi totum locum, ut appareat hic non agi de Romanis; sed de Ægyptiis post Alexandrum M. Regibus. Noster videtur locum exscribi jussisse in suos usus, sed mutilum, qualem laudavit: hinc τὰ *Soli mei Reges* retulit ad Augustos Romanos, quos Græci subinde Reges vocant, F & quorum Procurator fuit Appianus, ut testatur ipse *l.l. in fine*. Taceo plurima in hoc ipso loco non convenire temporibus Hadriani.

I. 14. §. 3. *A Tiberio fuisse factum, videtur colligi ex Tacito.*) Emollivi ista, quæ Auctor noster simpliciter: *avoit fait autrefois*. Tacitus enim ait, Tiberium, cum ab excessu Augusti in Senatu subdole imperium a se rejiceret, *proferri libellum recitarique jussisse*; non vero, quod *Rationarium Imperii*, cum ipse imperabat, publice proponi jusserit: non satis recte Noster locum illum aut inspexit, aut non intellexit. A

I. 14. §. 7. *A.U.C.* 377.) verius 379.

I. 15. §. 2. De Italia.) In hac observavi ex Inscrr. sequentia opera Augusti Viaria. Tibure, in loco, qui vulgo *Cassano* dicitur: *Gr.*149. 3.

IMP. CAES.
DIVI. F. AVGVST.
C ⊕ I. P. CCCXX.

Antonius vero Morillonius a vicinis antiqui ædificii ruinis dimensus est. *Fani Fortunæ*, in *Pice-* B *no*, Augustus primum *Portam* erexit, quam Posteri in honorem Constantini Flavii, Constantini, Constantis & Constantii Patris, super impositis columnis, additisque ornamentis, in arcum triumphalem verterunt, teste Inscr. ejus, *Gr.*165: 2. Illius quoque Imp. Octaviani auspiciis M. Agrippa & L. Caninio Gallo Cos. A. U. 717. *Lacus Lucrinus in Portam conversus esse* videtur, teste Cassiod. *in Chron.* his Cos. quem deinde Theodericus Rex *deputatis reditibus reparari jussione* sua *constituit: ut* XXV. *millia regularum annua illatione præstarentur: simul etiam portubus junctis, qui ad illa* C *loca antiquitus pertinebant, & tunc diversorum usurpatione suggerebantur invasi*. Ipse Theodericus ap. Cassiod. *Variar.* I. 25. ubi porro ait: *Quis enim dubitet, Fabricarum miracula hac provisione servata? & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? ut antiqui Principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem: ut pristina, novitate reluceant, quæ jam fuerant veternosa senectute fuscata*. Imo omnes *celeberrimas Italiæ Vias* Augustus muniri curavit, ut testatur Arcus Ariminensis, quem vide ap. Fabrett. *de Aquæd. Diss.* I. *Th. A. R. tom.* IV. *p.* 1701.

D I. 15. §. 4. *Si jam ex Italia* &c.) Ad opera Viaria Provincialia Augusti refer & ista: apud Grut. 153: 1. Cordubæ in æde maxima: *Imp. Cæs. Divi F. Aug. Cos.* XIII. *Trib. Pot.* XXI. *Pont. max. a Bæte & Jano Augusto ad Oceanum* LXIII. ibid. in Cœnobio Franciscanorum columna ex marmore subviridi similis cum numeris CXXI. & subscriptione: *Constantiæ æternitatique Augusti*: adde Inscrr. quatuor Viales in Via Aurelia per Galliam, infra IIII. 40. §. 8. junge notata ad I. 17 §. 4.

I. 15. §. 6. C. CAESAR &c.) Foy Vaillant *in Numismat. Coloniar. part.* I. *p. m.* 58. rectius refert hanc Inscr. quam ipse Arimini in platea excripsit, E ad *C. Cæsarem*, Augusti adoptivum ex Agrippa F. legit vero sic:

C. CAESARI.
AVGVSTI. F.
COS.
VIAS. OMNES.
ARIMIN. STERN.

I. 15. §. 7. TI. CLAVDIVS. &c.) Hæc Inscr. quæ exstat apud Smet. 144: 7. Grut. 188: 3. est in fragmento columnæ in templo S. Dionysii extra Urbem Monspelii, & non ad *Tiberium*, sed *Claudium Imp.* referri debet: res ipsa loquitur: in se- F quente Inscr. legendum DIVI. AVG. F. AVG. emendandus etiam ita Gruterus: res clara.

I. 15. ad §. 7.) Ad Tiberii opera Viaria in Provinciis refer & ista: Salonis Dalmatiæ olim capite, ex cujus ruinis hodie crevit *Spalatro*, in Basilicæ turri leguntur istæ Inscr. in columnis; tam Grutero, quam Reinesio ignoratæ:

. . . . CAESAR. DIVI. AVGVST. F.
. . . . VSTVS. IMP. PONT. MAX.
. . . . POTES. XIIX. COS. II.
A. COLONIA. SALONITAN. . . .

In alia :

.... ESAR. DIVI. AVGVSTI. F
AVGVSTVS. IMP. PONTIF. MAX
TRIB. POTEST. XXI. COS. III.
VIAM. A. SALONIS. AD.....ASTEL
DAESITIATIVM. PER. M.......VVM
CLVI. MVNIT
ET. IDEM. VIAM. AD...IAI...ALN
QVOD. DIVI. F. III. IBVS
AB. SALONIS. MVNIT. PER. M.....VVM
CLXVIII.

CVIVS. VIAE. MILLIA. PASSVVM. SVNT
CLXVII.MVNIT.PER.VEXILLARIOS
LEG. VII. & XI.
ITEM. VIAM. GABINIANAM
AB. SALONIS. ANDETRIVM. APERVIT
ET. MVNIT. PER. LEG. VII.

Hæ Inſcriptiones habentur apud Joh. Lucium *de Regno Dalmatiæ* 1.6.& Georg. Whelerum *In Itin.* quod patria ſibi lingua vulgavit, *lib.* 1. *in itinere per Dalmat.* illas ego ex utriuſque collatione longe emendatiores hic exhibeo: errat Lucius, cum ait *Auguſtum has Vias muniviſſe*, cum diſerte dicatur in Inſcrr. *Auguſti F.* porro *Andetrium* creditur eſſe hodie *Cliſſa*.. *Andecrium* Ptolemæi non reſpondet diſtantiæ a *Salonis*, duabus enim leucis hinc abeſt, non 10. *gradibus latitudinis & 20. grad. longitudinis*. In altera Inſcr. fronte legendum: VIAM. AD. IADERTIN. COLON. lineam vero ſeq. expedire nequeo. Whelerus habet : QVOD. FILI......IBVS. In *Itin. Ant. pag.* 61. *Salonis Jader* uſque computo M.P. XCVIII. Addit Lucius *l. l. p. m.* 34. & hoc fragmentum :

MVNIT........... LVM. MONTEM
DIVONVM
MILLIA. PASSVVM
LXXVII. D...
A. LEG. PRO.....

Nemauſi quoque *refecit & reſtituit* M. P. V. Grut. 153 : 6. quam per incuriam repetit 187 : 15. Cordubæ in columna marmorea : Grut. 153 : 4. *Ti. Cæſar. Divi Auguſti F. Divi Juli Nepos, Auguſtus, Pontif. Max.* VI. *Coſ.* V. *Imp. Trib. poteſt.* XXXVII. *ab Jano Auguſto, qui eſt ad Bætem, uſque ad Oceanum* LXIIII. adde Inſcrr. quatuor Viales in Gallia, infra IV. 39. §. 10.

I. 16. §. 2. *Caligula.*) Huic tamen vulgo, neſcio qua traditione πατροπαδότῃ, tanquam Auctori adſcribitur Via ſtrata ſilice & glarea a *Nivomago*, hodie *Numægen* ad Moſellam, *Kiechbergam* ducens, quæ *Via Caligulæ* a quibuſdam vocatur, teſte Frehero ad Auſonii *Moſell. vſ.* 15. & *vſ.* 483. *ſive ult. in paralipomenis*.

I. 16. ad §. 4.) Ad opera Viaria Claudii refer ſupra Inſc. I. 15. 8. 7. ubi adde Notas : item columnam milliariam valde mendoſam ap. Gr. 153. 5. quæ exſtat in urbe *Lingonum*, hodie *Langres*, apud Gallos : in ea dicitur Claudius muniviſſe *AND. M. P. XXII.* item *Viennæ*, prope *Lugdunum*, apud *Soleſiam* Columna docet a Claudio Viam *refectam* Gr. 188 : 8. Idem *refecit*, ut puto, Viam A.U. 795. Nemauſi ; & ibidem (m. p.) LXXXV. & in Helvetiis exſtat in vici S. Symphoriani templo prope Portam minorem in rotunda columna, *Coſ. IIII.* (A. U. 800.) F. A. (forte M. P.) XXXVII. ap. *R. Tom. X.*

A Reineſ. II. 3. 4. 5. Lugduni ad ripam Araris : *T. Claudius Cæſar Germanicus Pontifex Maximus Imperator M.P.* XXV. vice Rein. III. 78. idem *n.* 80. hanc Inſc. habet : *Ti. Claudius Cæſar Aug. Ger. Pont. Max. Trib. pot. VIII. Imp. XVI. Coſ. IIII. P. P. Cenſor..... Viam Claudiam Valer. a Cerfennia Oſtia Aterni munIt, idemque Pontes fecit.....* XLIII. ſupple M. P. *Cerfennia* iſta inter Corfinium in Pelignis & Albam Fucentem ſita eſt *in It. Anton. p.* 70. Marſis adſcribenda, in quos Tibure Via Valeria ducebat : vide III. 25. §. 2. & 3. *Oſtia Aterni* Veſtinis aut vicinis Marrucinis adſerenda: Ergo Claud. Aug. *munivit Viam Valeriam*, quæ inde

B etiam *Claudia* eſt denominata, ut placet Rein. *ad Inſcr. laud.* pontes quoque in ea fecit. Ex *It. Ant.* p. 70. & 71. ita hanc *Viam Claudiam Valeriam* deſcribo :

A Cerfinnia *Oſtiam Aterninam*	*M. P. LXXV.*
Corfinium	M. P. XVII.
Interbromium	M. P. XI.
Theate Marrucinum	M. P. XVII.
Hadriam	M. P. XIIII.
Oſtia Aterni	M. P. XVI.

C Item e Via Militari, quæ *Auguſtonemeto Arvernorum* ducebat olim *Lugdunum* columna eruta : *Ti. Claudius Druſi F. Cæſar Aug. Ger. Pont. max. Trib. poteſt. V. Imp. XI. P. P. Coſ. III. deſ. IIII.* (A.U. 797.) *AUG. M.P. XXI.* ap. Rein. *Append. n.* II. *p.* 1019. adde Inſcrr. quatuor in Gallia, infra IV. 39. §. 10.

I. 16. ad §. 5.) Neronis Operibus Viariis adde ex columna milliari, *Lucæ* in *Provincia*, quam vidit Nicolaus noſter Bergierius, ap. Reineſ. III. 79. *Nero Claudius Divi ClaudI F. Germanici Cæſar. N. Ti. Cæſar. Aug. Pronep. Divi Aug. Abnepos Cæſar Aug. Germanicus Pontifex Max. Tr.*

D *pot. IIII. Imp. ite. Coſ. III.* (A.U. 811.) *P. P. reſtituit.* Item *Via Sublacenſis, ſub Nerone Principe primum ſtrata*, teſte Frontino *de Aquæd. lib.* I. *T. A. R. t. IV. p.* 1637. cujus lapis XXXVIII. occurrit : vide l. infra ad I. 17. §. 6.

I. 17. §. 2. *Extra Romam per omne Imperium &c.*) Inter opera Veſpaſiani recenſe & Vias circa Thyatira factas. Teſtis Inſc. ibi reperta vetus in columna apud Sponium *in Itin. Athen.* Wheler. *Itin. lib.* III. *p. m.* 220. *edit. Gall. Amſt.* 1689.

E IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. VI. IMP. XIII. COS. VI. DESIG. VII.
CENSOR. VIAS. FACIENDAS. CVRAVIT.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ.
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΕΓΙΣΤΟΣ.
ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΤΟ. ς.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΤΟ. ΙΓ. ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ.
ΥΠΑΤΟΣ. ΤΟ. ς. ΑΠΟΔΕΔΕΙΓΜΕΝΟΣ. ΤΟ. Ζ.
ΤΕΙΜΗΤΗΣ. ΤΑΣ. ΟΔΟΥΣ. ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

vide hic *Num. antiq. ill.* Harduini *p. m.* 207. Foyvaillant *Num. Colon. part.* I. *p. m.* 133. Gruterus 1019 : 7. non annotato loco Veſp. *Coſ.* III. *faciendum curavit* LXXXV. puto fuiſſe circa *Formias* in

F *Via Appia*, ubi & alia columna milliaris inventa Gr. 1078 : 4. *Imp. Veſpaſiani Cæſ. Aug. Pontifex Maximus, Tribuniciæ poteſtatis Coſ. III. Pater Patriæ faciendum curavit LXXXVI.*

I. 17. §. 4. *A Cappara ad Emeritam uſque.*) Hæc Via olim primo ab Auguſto facta videtur ; quo forſan referri poſſunt nummi *Emeritenſium* in honorem D. Auguſti & D. Liviæ, qui in altera facie oſtendunt portam urbis cum duobus fornicibus, acturri

hinc & inde : sunt enim *Portæ* earumque *Jani* initia Viarum : vide hos nummos depictos apud Foy-vaillant *in Numism. Colon. part.* 1. *p. m.* 35. & 51. & adde notata ad I. 15. § 4. III. 35. § 4.

I. 17. §. 5. IMP. TITUS &c. *)* Hæc Inscr. non sapit genuinam antiquitatis originem, sed plane ficta a sciolo quodam videtur. *ἀντὶ τῶ*, ET, Gr. habet EST, *ἀντὶ τῦ* VI Moralis VIVENS. jam rogo tuum, lector, judicium, num possis ferre ista vivo Tito exarata : *Generis humani amor est, desiderium etiam vivens?* mortuus desiderium sui potuit relinquere, aut absens : sed nec mortuus erat, quippe *etiam vivens*; nec Imperator usquam censetur absens, cum sit spiritus ille, quo tot millia vivunt : nolo compilare Senecam aut juniorem Plinium : sed finge esse : *Amor & desiderium* : certe tum nugator ille oblitus fuit agnomen verum Titi, quod fuit : *Amor ac Deliciæ generis humani*, adeo ut Græci etiam Latina voce *δελικίας* ipsum dixerint, quia vox *τρυφὴ* non satis illud agnomen exprimebat. Adde Suetonium *in Tito c.* 1. ibique accuratissimum & doctissimum ac nobis amicissimum Pitiscum : ejusque locis adde hunc Cassiodori *in Chronic.* qui de hoc Imp. ait : *Ob insignem mansuetudinem DELICIÆ HUMANI GENERIS appellatus est.*

I. 17. ad §. 5. & 6.) Omisit opera Viaria Nervæ. Ex Inscrr. hæc noto : Gr. 155: 4. Juxta oppidum, quod *Arsularum* dicitur, ad frontem, quem *Somnulam* vocant, hodie in platea *castri Arsularum*, secundum *Viam Valeriam*; aut verius in diverticulo a *Valeria Via* in *Sublacensem*;

XXXVIII.
IMP. NERVA
CAESAR. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNICIA
POTESTATE. COS. III.
PATER. PATRIAE.
FACIENDVM. CVRAVIT.

vide de hac Inscr. erudite & multis agentem Fabrettum *de Aquæd. Diss.* 11. *Th. A. R. tom.* IV. p. 1722. & *seqq.* adde huic ibidem ap. Fabrettum, qui & docte exponit, fragmentum gemellum prope oppidum *le Celle di Carsoli* dictum, erectum præ foribus templi B. V. de Carmelo :

. . . . RVA.
. . . . MAX.
TR. P. COS. III.
VIAM. VALERIAM.
FACIENDAM. CVRAVIT.
XXXXI

Idem *inchoasse* videtur Viam Puteolis. Gr. 190: 3. vide ad §. 10. quod circa *Setiam* munierit Viam, hæc Inscr. testatur Grut. 1078 5. *Imp. Nerva Cæs. Aug. Pontifex maximus Tribuniciæ potestatis Cos. III. Pater Patriæ faciendam curavit, XLV.*

I. 17. §. 6. *Trajanus* &c.) Huc respicit elegans sed mutila illa Inscr. *apud Gr.* 199: 1. Romæ :

EX. AVCTORITATE
IMP. CAES. DIVI. NERVAE. FIL
NERVAE. TRAIANI. AVG. GERMA
NICI. DACICI. PARTHICI. PONTIFI
CIS. MAXIMI. TRIBVNIC. POTEST. V:
COS. V. P. P. CVRAT. VIARVM
L. LICINIVS. C. F. SVRA IIII. VIR. IT
M. IVLIVS. M. F. FRONTO. IIII. VIR
T. LAELIVS. Q. F. COCCEIANVS. IIII. VIR
SEX. FLAVIVS. L. F. FALTO. IIII. VIR
CIPP. TERM. . . . .
VIAM. TRAIAN. . . . . BRVTT. . . . .
SALENTIN. , ... PVBL. . . . . . .
BRVTTIEI. SALENTINEI. OPPIDAN. . .
NAPETINAEI. HIPPONIATEI. . . . . . .
RHEGINEI. SCYLLAC. . . . .
LAOMETICEI. TERINAEI. TEMSA
NAEI. LOCREN. . . . THVRIAT. . . . .
CVR. . . . . MILL. P. . . . .
. . . .

Ex hac Inscr. discimus *IIII Viros Viar. Cur.* illius temporis, & aliqua ex parte etiam licet inde divinare situm illius *Viæ Trajanæ*. Huic Inscr. respondet illa ap. Reines. 11. 80. in qua gemella legimus :

LAPIS. MILLIAR.
III. TER.
APPIAE. VIAE. STRAT.
RESTIT. CVR. EX.
SC. AVCTORIT.
IMP. CAESAR. DIVI. NER.
FIL. NERVAE. TRAIANI.
AVG. GERM DACICI.
PART. PONT. MAX.
TRIBVN. POTEST. XVIIII. IMP. VIIII.
COS. VI. P. P.
OPTIMO. PRINC.
CVRANTI. TI. IVLIO.
EI. . . . .

Sequimur hic emendationes in numeris certissimas & notas Reinesii. *Cos. V. Trib. pot. VIIII.* fuit A. U. 855 *Cos. VI. Trib. pot XVIIII.* fuit A. U. 868. In numero Trajani conjunguntur *Trib. pot. XVII. Cos. VI.* id est A. U. 866. & VIA TRAIANA. Porro PARTHICUS dictus est primum, cum Regem Parthicum restituisset : *Cos. V. Trib. pot. XII. Imp.* VI. A. U. 861. & post, cum REX PARTHIS DATUS esset, quod factum Æliano & Vetere Coss. A. U. 868. Trajani *Trib. pot. XVIIII. Cos.* VI. quibus numeris consentiunt nummi, aureus *Occonis* istis epigraphis : & alii, cum altera epigraphe : TRIUMPHUS PARTHICVS & PARTHIA CAPTA. Ergo plures (circiter XII.) annos huic Straturæ operi impensos fuisse credibile est : illud fuit, „ decreta curataque restitutio *Viæ Appiæ* „ *tribus Terminis*. Viarum enim cujusque ex in„ stituto publico & Populi arbitrario impositu plu„ res erant veluti pausæ & Termini, qui cippis „ statutis aut structis signari solebant, ut patet e „ notis lapidum milliarium descriptionibus. Ita quidem Reines. qui videtur Cippos milliares Terminantes confundere cum columnis Milliaribus simplicibus; cum figura sint diversa; vide Rein. *l. l. p.* 294. 295. illi etiam geminum usum habent, ut distinguant primo M. P. deinde ut determinent una certum aliquem tractum restitutum, refectumve, ut hic. Credibile est Viam Appiam ab Trajano restitutam cœpisse *Trajanam* cognominari, ut ex collatione harum Inscrr. & §§. 7. 8. 9. hac sectione, colligere possumus : quibus adde & hanc Inscr. ap. Rein. *ib. n.* 81. referendam ad A. U. 865. LAP. MIL. CCCLXXXVI. *Imp. Cæs. Nervæ F. Trajan. Aug. Germ. Dacic. Parth. Trib. potest.* XIV. *P. P. Optumo Principi ex Sc. Fac. cur.* adde, quod idem Imp. *Viam Sublacensem* restituerit, ut docet columna, quæ immota aquarum Anienis impetus exci iens adhuc super sua basi exstat in ipso fluminis hodie alveo : ap. Fabrett. *de Aquæd. Diss.* 11. *n.* 171. *Thes. A. R. tom.* IV. *p.* 1724. ubi etiam . am docte exponit : *Imp. Cæsar. Nervæ F. Nerva Trajanus Augustus Germanicus Dacicus Pon-*

*tifex maximus, Tribunicia potestate Imp.*IIII. *Cos.* V. *Restituendam curavit* XXXVIII.

I.17.§.7. *Furlo.*) fortassis quasi *Forulum*. Porro „ in ista Via Flaminia tertio aut quarto lapide a „ *Foro Sempronii*, Urbinum versus, *Metaurus* „ fluvius inter duos excelsos montes labitur, jux„ taque Via jacet, quam necesse fuit muniri, & „ pro loci natura nonnunquam fulciri; & in eam „ rem exstant antiquissima murorum ex quadrato „ lapide vestigia, a Templo *S. Mariæ del Ponte*, „ usque ad locum, quem *Cagli* vocant: hæc ex testibus αὐτόπταις *l.l.* Gruterus.

I.17.§.8. *Plura ædificia* &c.) De his ex parte intellige Theodericum Regem in Cassiodori *Variis* I. 25. cum *Antiqui*, ait, *Principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem: ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant veternosa senectute fuscata*. Ennodius *Paneg. Theoderici, sub fin.* forsan respicit eodem, quo Rex ipse: *Ulvis liberatam gratulatur terram incolens, quæ hactenus dehiscentibus domiciliis solidiori sic emergebat beneficio*. Theodericus enim, dum Portum reparari jussit Lucrinum, videtur & his locis nonnulla reparasse.

I. 17.ad §.10.) Ad Trajani opera Viaria accense & ista: Gr. 155: 5. In *Helvetia*, in *Zurichgouw Badensi* effossa columna, & postea in arcem delata ad Campum Floræ ann. 1534. *Imp. Cæsari Divi Nervæ F. Nervæ Trajano Aug.Germ. Pont.Max. Trib. Pot. Cos.* II. *P. P. des.* III. *M. P.* LXXXV. Argandæ in Hispania Gr. 155: 10. *Imp. Nerva Cæsar. Aug. Trajanus Ger. Pont. Max. Trib. Pot.* IIII. *P. P. Cos.* II. *Restituit a Compl.* XIIII. adde Notata ad I. 25.§.8. *Augustobrigæ* Hispanorum Columna, Gr. 190: 2. Viam, ut videtur, docet a Trajano *restitutam*. Item *Puteolis*, *Cos.* IIII. (A.U.854.) *incohoatam a D.Nerva Patre suo Viam* (sic enim τὸ SVAM videtur ap. Grut.190: 3. legendum) *perficiendam curavit*: nisi forsan STATVAM sit legendum, ut in fragmento inter rudera Pontis Danubii ad ruinas urbis Warhel in Transylvania, ubi *Cos.* IIII. *incohoatam a D. Nerva Patre statuam perficiendam curavit*: ap. Rein. *Append. n.* 12. *p.* 1020. Tarracone: (M. P.) X. *Silice sua pecunia stravit*. Gr. 1019.: 8. item nescio ubi VII. m. p. *Cos.*V. *facienda curavit*. ib. n.9. Item *Puteolanis*, *Portam Herculeam erexit*, eamque hoc nomine, si vera est Inscr. ap. Rein. I.I. 6. *vocari jussit*: adde Inscr. Vialem, quæ est in Hispania Salamanticæ, cum notis M. P. II. quam Noster habet IV. 38. §. 2. & 41. §. 1.

I. 18.§.2. *Hic Imp.* &c.) Hujus Imp. per Italiam Viariis operibus adde *Viam*, quam *Suessanis Municipibus sua pecunia fecit*. Grut.151: 3.

I. 18. §. 2. *Ad M.P.* LXXXVII. *si Itin. Ant. p.* 65. *credimus*.) Sed ibi VIA CLODIA præscribitur, & *iter a Luca Romam per Clodiam* recensetur, atque in eo

Florentia.	
Ad Fines sive Casas Cæsarianas	M.P.XXV.
Arretium	M.P.XXV.
Ad Statuas	M.P.XXV.
Clusium	M. P. XII.

Ergo *Via Cassia* in *Claudiam*, hæc in *Flaminiam* intravit: vide infra III. 22. §.7. & 8. ibique notata: neque hæc recensio in *Itin. Ant.* contraria est inscriptioni allatæ, quia Hadrianus non a Clusio, sed *a Clusinorum finibus* cœpit, admodum scilicet VI. M. P. a Clusio.

I. 18. *ad* §.2.) Cl. DU BOS notat hic Bergierio omissum opus Hadriani, scilicet penitus siccatum *Lacum Fucinum*. Inscr. autem, Avellani ad Lacum Fucinum reperta, hoc opus etiam ad Trajanum refert *ap. Reines.* III. 81.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO. OPTIMO
AVG. GERMANICO. DACICO
PARTHICO. PONT. MAX
TRIB. POT. XXIII. COS. VI.
PATRI. PATRIAE.
SENATVS. POPVLVS. Q. ROMANVS
OB. RECIPERATOS. AGROS
POPVLIS. Q. ALBENSIBVS. RESTITVTOS
QVOS. LACVS. FVCINI. VIOLENTIA
INVNDAVERAT

vide ibi notata Reinesii.

I. 18. §. 3. RESTITVIT CII.) Gemella huic Inscr. visitur Emeritæ apud *Gr.*155: 11. cum numero CI.

I. 18. §. 3. *Prior sic habet.*) Altera huic similis sed habet *M. P. V.* Gr. 156: 5. Porro Operibus Viariis Provincialibus Hadriani accense ista: In *Alvernis* ad flumen *Elaverem* columna est, Pontem aut Viam factam ab eo denotans Gr.190: 8. In *Helvetia* inter rupes præscissas Serratæ an. 1646. inventa inscr. ap. Rein.II. 8. *Imp. Cæsari P. Ailio Hadriano Aug. P. M. Trib. Pot. Cos.* III. (A. U. 871.) *P. P. Aventicum M. P.* XXXXI. adde Inscr. milliarem in Gallia, infra IV. 39. §. 9. & in Hispania prope Salamanticam, quam Noster item adfert infra IV. 41. §. 3. Gallicano & Titiano Coss. A. U. 879. *juxta Eleusinam Civitatem in Cephiso fluvio Hadrianus Pontem constravit*: Cassiodor. *in Chron. his Coss.*

I. 18. §. 4. *Gruter.* CLI.4.) & addit: esse hanc Inscr. *litera coacta ac declinanti, nec dignam sæculo Antonini, sed forsitan a Posteris restitutam*.

I. 18. ad §. 4.) Ad Antonini Pii opera Viaria accense & *opus Pilarum*, quod Puteolis fecit, cujus meminit mutila Inscr. Gr. 161: 5. & plenius integra Inscr. 163: 9. quam Noster etiam adfert IV. 48. §.8. Nemausi *restituit*, (ut puto M. P.) II.Gr.190: II. quæ eadem est 10. apud Rein. II. 9. 10. II. *Cos.* IIII. (A. U. 899.) *restituit*. I. II. VI. m. p. & Capuæ *Cos.* III. *des.* IIII. *Viam inundatione aquæ interruptam restituit*. Rein. II. 12. forsan ad eundem referenda Inscr. ib. II. 75. *Imp. Antonin. Aug. Trib. Cons.* IIII. VIIII. (m.p.) quæ est in lapide milliario, in agri Viennensis Pago *Chanas*: adde & confer Inscr. Viales duas infra IV. 39.8.10.

I. 18. §. 5. *M. Aurelius, cognomine Philosophus.*) De hoc Capitolinus *in Ejus vit. c.* 4. *Hist. Aug. ed.* 1592. *tom.* 2. *p. m.* 100. disertis verbis: *Vias etiam Urbis, atque itinerum diligentissime curavit*.

I. 19. §. 1. *Reperio itaque* &c.) Imo & in Syria Vias muniverunt: testis Inscr. allata a Sponio, *Recherche d'Antiquité*, *p.*193. reperta altero a Sidone Phœnices lapide, via, quæ Tyrum ducit:

IMPERATORES CAESARES.
L. SEPTIMIUS. SEVERUS PIUS. PERTINAX.
AUG. ARABICUS. ADIABENIC. PARTHICUS. MAXIMUS.
TRIBUNICIA POTEST. VI. IMP. XI. COS. II. PROCOS. P. P.
ET. M. AVRELIUS. ANTONINUS AUG FILIUS. EJUS.
VIAS ET MILIARIA. PER. Q. VENIDIUM RUFUM.
LEG. AUG. PR. PR. PRAESIDEM. PROVINCIAE. SYRIAE.
PHOENIC. RENOVAVERUNT.

Ad Patrem quoque referendum videtur repertum ibidem fragmentum *l. l. p.* 194.

ET. VIAS. ET. IMPERIVM.
PROVINCIAE. SYRIAE.
RENOVAVIT.

I. 19. §. 2. *De cujus situ* &c.) si ex loco inscriptionis repertæ quicquam licet colligere, fuit circa *Anagniam in Latio;* ibi enim ait Gruterus inventum hunc lapidem. Cæterum, si forsan aliunde translatus lapis ex Africa foret, ad Viam Publicam, quæ *Thenis*, *Colonia*, ducebat *Leptim magnam*, *Coloniam*, sita est *Villa Magna*, in *Itin. Ant. p.* 13. In seq. Inscr. τὸ E. VIAS. mendum habet, fuitque aut PONTES. ET. VIAS. ut in seqq. fere exstat; aut signum vulgare φ quod in lapidibus sæpe occurrit ἀντὶ τοῦ ὑποστίγματος.

I. 19. §. 3. *In Columna Milliari* &c.) Hanc pleniorem habet Rein. II. 79. ubi lacuna expletur per τὸ PATER MILITVM. adde notas Rein. Lindebrogius huic Inscr. sedem dat Hispalensi Via, quam vulgo *el Camino della plata* vocant, a pago *Bagnos* ad II. M.P. cis montem, quem *la herra* appellant ad amniculum.

I. 19. ad 4.) M. Antoninus Alagabalus tamen non omnino nihil egit in re Viaria: vide ad §. 6. annotata: ad eum quoque seq. inscr. columnæ repertæ prope *Steinbach* in Marchionatu *Badensi* referenda videtur ap. Gr. 1078: 7. *Imp. Cæs. Divi Severi Nepoti, Divi Antonini Mag. fil. M. Aurel. Antonino Pio Felici Aug.* .... III. *Cos.* III. *P. P. P. F. Cos. C. A. AQ. AB. AQ. LEVG.* IIII. hanc Inscr. *in Ind. Gr. c.*21. non satis recte ad Alexandrum Severum retulit Scaliger. nota obiter antiquitatem *Leugarum* in dimetiendis itineribus: porro ibid. *n.* 8. idem numerus *L.*IIII. in columna eodem loco eruta *Alexandro Severo* hoc opus vindicat; quod putem factum ad abolendam istius monstri memoriam: vide ad §. 6. Consulatus autem III. Alagabali incidit in A. U. 973. & A. C. 220. biennium fere ante imperium Severi Alexandri.

I. 19. §. 5. *Altera est* &c.) In hac inscr. lineas octavam & nonam mendosas ita possemus legere: MAX. FONT. MAX TRIB. POTE. P. P. PROCOS. A. T. .... forsan est A. CAMB. I. *Cambete*. Vide *Inscr. seq.* & *Itin. Ant. p.*80.

I. 19. ad §. 5) Operibus Viariis Severi & Caracallæ adde & ista per saturam collecta: Parthani in tractu Augustano exstat columna milliaris mutilata, quæ *Septimii Severi Pertinacis* opus ostentat Gr. 158: 5. item in *Alpibus* inter *Stertzingen* & *Oenipontem* Severus & Caracalla muniverunt *ab Aug. M. P.* CX. quæ Inscr. mendosissima ex Lazio legitur apud Gr. 158: 2. sed facilis emendatu ex illis similibus Inscrr. item *M. Aurelius Antoninus*, solus, *Cos.* II. muniri curavit in Lusitania *a Bracara M. P.* III. Severo quoque debetur *Via Severiana*, juxta mare, *Ardeam*, ut videtur, ducens, ap. Gr. 163: 8. quam & Noster adfert IV. 48. §. 6. Idem Severus cum F. *Arcus Cælimontanos plurifariam vetustate conlapsos & conruptos a solo sua pecunia restituerunt*. Gr. 187: 3. quos ad Aquæductus Neronianos tamen erudite refert Fabrettus *de Aquæd. diss.* 1. *Th. A.R. tom.*IV. *p.*1690. & seq. Idem *Imp. Severus Aug. & Antoninus Cæs. destinatus restituerunt* (pontem Viamve) *curante Virio Lupo Legato Eorum Pr. pr.* ap. Gr. 191: 3. Ikelciæ ad Whersum fluvium in Comitatu Eboracensi Angliæ. Inter *Salaciam* atque *Eboram* in colle super flumen, cui *rivo Maurino* nomen columna docet a Bassiano Caracalla *Patre Militum*, *Cos.* IIII. *restitutum* Pontem Viamve *Gr.* 191: 6. Cum Patre, prope Beneventum, in Via Appia *Pontem vetustate dilapsum a solo sua pecunia restituit*. Gr. 1020: 2.

I. 19. §. 6. *Licet vero Alexander Severus* &c.) Fecit is Opera Viaria testibus Inscrr. sic ap. Gr. 163: 8. *Ardeæ*, quam Inscr. vide infra IV. 48. §. 6. *Litus vicinum Viæ Severianæ, assiduis maris adluentis fluctibus ad labem ruinæ labefactatum, aggeribus marini operis, a fundamentis, ut periculum commeantibus abesset, exstrui curarunt* M. Antoninus Alagabalus & M. Aurelius Alexander. Hic etiam Romæ, aut extra Urbem, Viam Pontemve *restituit*, ut colligo ex Gr. 190: 13. 191: 7. & 8. quæ eadem est Inscr. ter repetita, uti sæpius Grutero contigit ταυτολογεῖν: exstat in marmore effosso Romæ sub Palatio juxta Circum maximum. Inventa etiam columna prope *Steinbach*. in Marchionatu *Badensi*, ex qua patet a *M. Aurelio Severo Alexandro C. A. AQ. AB. AQ. L.*IIII. munitas esse. Gr. 1078: 8. cui similis Inscr. Mettingæ circum fores domus privatæ, sed initio mutila: ..... *Nepoti, Divi Antonini Pii Mag. filio M. Aur. Severo Alexandro Pio fel. Aug. Pontifici max. Tribuniciæ Pot. Cos. Patriæ CIV. ARG. AQ. AB. LEVG.* XVII. Miror Inscr. similem Gruteri non observatam diligentissimo Reinesio, qui hanc male explicat de distantia inter *Civitatem Argentinam* & *Aquas*, vulgo *Baden* hodie caput cognominis Marchionatus; cum sit columna Viaria, *Leugis* pro more ejus regionis, Viam distinguens: confer ad §. 4. notata, & quæ noster habet III. 38. §§. 7. 8. 9. & nostras notas ad III. 12. §. 2. τὰ C. A. AQ. AB. AQ. L. si non adsint mendæ, volunt forte *Civitatem Argenteas Aquas ab Aquis Leucas*. Argenteus amnis *die Argens*, qui per superius *Ebenheimium* fluit, *Argentinæ*, *Argentuariæ*, *Argentorato* nomen dedisse videtur; aut etiam tot amnium limpidissimorum Illæ, *Porussæ* aliorumque ibi confluentes, illimes & nitidis argenteis undis.

I. 20 §. 3. *At quod attinet* &c.) Justior hæc querela fuit tempore Bergierii, quam mitigarunt postea elegantissima ingenia Arundelli, Sponii, Wheleri, Smithi, aliique, qui Orientem nostra ætate eruditis perlustrarunt oculis, quorum opera gratissimo animo hinc inde sumus usi.

I. 20. §. 5. *Gallienus*.) Post hunc sequuntur XXX. *Tyranni* vulgo dicti: hos inter secundus, *Cassius Latienus Postumus*, (Pater) Galliæ ante Præses & transrhenani limitis dux, a Gallis contra Gallienum Imp. electus, Vir priscæ severitatis, ut ex columna milliari, quæ *M. P. V.* a Gabalis numerat, & in finibus Arvernorum Gabalorumque effossa est, constat, Vias non neglexit: adfert eam noster IV. 39. §. 10. & Reines. *Append. n.* 15.

I. 20. ad §. 6.) Ad opera Viaria Diocletiani & Maximiani etiam accensenda sequentia: *Gratianopoli*, quæ olim *Cularo*, instituerunt & perfecerunt ac vocari jusserunt *Portam Romanam Joviam*, ac *Portam Viennensem Herculeam*, ut docent Inscrr. earum ap. Gr. 167: 1. & 2. Ad opus aliquod Viarium videtur & hæc Inscr. referenda ap. Gr. 192: 4.

IMP. CAES. M. AVRELIVS
VALERIVS MAXIMIANVS
INVICTVS. AVGVSTVS. SARM
MAX. GOTH. MAX. PONT. MAX
IMP. VII. COS. III. P. P. PRO. COS
ITER. REPARAVIT

Locus ejus Inscr. non annotatur. Idem in Heduis, circa *Alexiam*, hodie *Alise*, munivit *M. P. XI.* si vera est emendatio Reines. II. 15. Vialis quoque columnæ videtur fragmentum teres eximiæ rotunditatis quod est Patavii in vico S. Crucis. Rein. III. 48 *Imp. Cæs. C. Val. Diocletianus P. F. Aug. & Imp. Cæs. M. Aur. Valer. Maximianus P. F. Aug. & Fl. Val. Constantius, & Gal. Val. Maximianus Nobiliss. Cæs. M.* . . .

I. 20. §. 7. *De Constantino solo* &c.) Adde & hanc Neapoli, Gr. 1078: 9.

VII
D. N
FL. VAL.
CONSTANTINO
PIO. FEL
INVICTO. AVG
DIVI. CONSTANTI
PII. FILIO

I. 20. §. 7. *Conſtantio Conſtantini F.*) Sub eo & Fr. ejus Conſtante *Rufino & Euſebio Coss.* A. U. 1100. *magnis Reip. expenſis in Seleucia Syriæ Portus efficitur*. Caſſiod. *in Chron. his coss.*

I. 20. §. 7. *Maxentius* &c.) Sed & Julianus in Inſcr. proxime Oenipontem ſub monte Solis, vulgo *Sonnenberg* dicto, paullo ſupra cœnobium *Wilthaimenſe*, in columna; Gr. 1023: 2.

IMP. CAES. D. N.
FL. CLAVDIO. IVLIANO
PIO. FELICI. AVGVST
PONT. MAX
TRIB. POT. IMP. VII.
COS. IIII.
PATRI. PATRIAE. PROCOS
BONO. REIP. NATO
. . . .
M. P. XXXX.

I. 20. ad §. 7.) Horum operibus Viariis iſta adde: Romæ *Gratianus*, *Valentinianus & Theodoſius Arcum ad concludendum opus omne portic. maximar. æterni nominis ſui, pecunia propria fieri ornarique juſſerunt*. Gr. 172: 1.

I. 20. ad §. 8.) Tarracone LIII m. p. reperio, quæ auſpiciis *Theodoſii*, *Arcadii & Honorii* videntur *ſilice ſtrata fuiſſe*, ipſorum impenſa. Gr. 1019: 8. Debita quoque laude fraudandus non eſt magni animi Rex Theodericus, *ſub cujus felici imperio plurimæ renovabantur urbes, munitiſſima caſtella condebantur, conſurgebant admiranda palatia, magniſque ejus operibus antiqua miracula ſuperabantur*, ceu loquitur Caſſiodorus *in Chron.* ſub *Patricio & Hypatio* Coss. A. U. C. 1253. adde Notata ad I. 15. §. 2. & I. 17. §. 8. Ad opera Viaria veterum, in Imp. Romano facta, hæc per ſaturam addo: *Aletri*, quod corrupte *Alatrum* nunc vocant, in *Latio*, in tabula lapidea, litera vetuſta atque obſoleta & incorrecte ſcripta Gr. 17: 8. *L. Betilienus L. F. Vaarus de Senatus ſententia coiravit* præter alia *Semitas in oppido omnes*, ob quas res *Cenſorem fecere bis*, *Senatus filio ſtipendia e Se mereta jouſit*, *Populuſque ſtatuam donavit Cenſorino*. Tibure, in S. Silveſtro, ſaxum Tiburtinum, extractum e loco quem *la bothega oſcura* ibidem vulgo vocant: Gr. 172: 3. *Luctius L. F. Alian. Q. Plauſurius C. F. Varus*, *D. Ventilius L. F. Baſſus*, *C. Octavius C. F. Græchinus IIII Vir. Porticus p. CCLX. & exſedram & pronaon, iter & porticum pone ſcenam long. p. CXL. S. C. F. C.* Neapoli: Gr. 172: 11. *M. Avianius M. F. Conjunctus II Vir iter texit & tectum S. P.* Veronæ ad *portam Leoninam* fuit aliquando *Arcus*, totus marmoreus, artificio ſingulari, portis geminis, in quarum tympanis variæ virorum, mulierum, infantum imagines, feneſtris ſex, in quibus ſeptem planetæ: in ſummitate ex utroque latere, bini Senatores Romani ſedentes quaſi conſultant, in medio conſpiciuntur ſeptem milites Romani. Hujus Arcus reliquiæ magna ex parte contiguis privatorum ædificiis deformantur, eaſque & ſtatuis ſuis illis & columnis magnificentiſſimis ambitio privata ſpoliavit: incredibilis tamen altitudo & majeſtas etiam hodie oculos in ſtuporem convertit. Inſcri-

A ptio tamen ſic adhuc diſtincte legitur: *Ti. Flavius P. F. Noricus IIII. Vir I. D.* Porro in eadem *regione Leonum* alter fuit *Arcus*, ſed majore ex parte lateritius; qui duas portas habuit, ſed abſque columnis; item feneſtras quatuor, ſtatuas quinque habitus Romani. In ſuperiore tympano quatuor diſtinctæ fuere quaſi areolæ. In duabus exterioribus dignoſci potuere captivi manibus religatis, habitu peregrino & mirabili: tertia in medio expreſſit equites, qui captivos abducunt, & inter cæteros mulierem crinibus paſſis ejulantem: quarta in medio ſacrificantium ritus habuit. Inſcriptio autem inter duas portas talis:

B

P. VALERIVS . . . .
Q. CECILIVS . . . .
Q. SERVILIVS . . . .
P. CORNELIVS . . . .

quos exiſtimant fuiſſe *IV. Viros Veronenſes*, qui in memoriam Victoriæ in agro Veronenſi ad *Mincii* ripam, a *P. Cornelio* de *Inſubribus* habitæ, hunc Arcum faciundum curarint; cujus pugnæ Livius meminit: hæc Tob. Scultetus ad Gr. 187: 1. & 2. Porro Romæ in *Arcu*, qui erat apud *S. Mariæ* in C *Schola Græca*, inter Aventinum & Tiberim: *P. Lentulus Cn. F. Scipio*, *T. Quinctius Criſpinus Valerianus CoS. ex S. C. faciendum curavere iidemque comprobavere*, ap. Gr. 187: 4. quem puto *Auguſti* honoribus dicatum, ex pleniore Inſcr. ibid. *n.* 12. ubi præmittitur, nam eandem puto: *Imp. Cæſar Divi F. Auguſtus Pont. max. Trib. pot. XXX. Imp. XV. Cos. XIII. Pater Patr.* Setiæ, ad Portam Paſſibellum, Gr. 1078: 12. *L. Pomponius L. F. Annian. Viam de ſua pecunia ſternund. curavit.* Tibure, in Fragm. Gr. 1079: 1. *Conſtant. Conſtantis Auguſtorum S. P. Q. R. Pontem refecit, curante L. Tur. Aproniano Præfecto Aſterio V. C. Flam.* D Nolæ ap. Reineſ. II. 18. *Ti. Claudio, Ti. Fil. Cor. Bithynico Qu. II. Vir. Æd. II. Vir I. D. II. Vir. Quinq. Præf. Fabr. Hic permiſſu Trajani Hadr. Aug. Viam paſſuum duum millium euntibus in Apuliam.* Neapoli ib. n. 21. *Julius Fronto Æd... duxit, Viam a foro fecit .... fecit cleivom.* Stabiis, Rein. 11. 59. Προαςεια. λιμνητ. προς. πολιτιιον. και. ναυτιλοιον. ἐπιτηδειοτην. βουλευται. Σταθιοι. Σ.Σ. Διφιλος. καὶ. τοι. βραδυς. αρχιτεκτων. προς. προςαγμα. ομων. ταχυς. εργα. ολυμπιαδι. α. iſta volunt: *Suburbia Portumque ad civium & nautarum* (πολιτῶν καὶ ναυτίλων ἐπιτηδειότητα) *commoditatem Senatores Stabienſes SC.* (Συγκλήτου συντάγματι: neque enim E opus eſt cum Reineſio ex Σ. Σ. facere hybridas Σ. C. i. S. C.) *conſtrui curarunt. Diphilus quamvis tardus Architectus, ad juſſum tamen celer quinquennio abſolvit.* ἔργασε i. ἐποίει. Rein. 11. 77. *L. Amelius L. F. Latinus A. R. Priſcus Equit. Rom. cui Jovi Conſervatori Cuſtodi lud fecit. Ti. Claudio Cæſ. Auguſto V. Sergio Cornelio Orſito CoS. Viam Claudiam perficiendam Cur.* confer Inſcr. 111. 80. ad 1. 16. §. 4. Circa Viam Appiam aut Latinam prope Romam, neſcio quod opus marmoratum incruſtatumve fecerunt *Seuthiani P. & F.* Ut apparet ex fragm. Rein. II. 84.

F I. 21. §. 3. *Ut autem intelligantur* & ſeqq.) Quæ noſter hic de *Auro Coronario* & *Pecunia Manubiali* tradit, excerpta ſunt e Lipſii *Admir.* 11. 8. & 9. qui proinde conferendus.

I. 22. ad §. 3.) Viæ *Publicæ* κατ' ἐξοχὴν dictæ, quo nomine ſolæ intelliguntur *Regiæ*, *Militares*, *Prætoriæ Ruſticæ*, ſive *Itinera*, ut vocantur in Interdictis, vide *l.* 1. Π. *de Via publ. & itin. publ.* non comprehendunt *Vias urbanas, urbicas, oppidanas, paganas* ſive *vicanas*, etſi per hæc loca intermedia quandoque Viatoribus eundum ſit: nam *exitum in*

urbes, non transitum per urbes continuatum, habere dicuntur Viæ Militares *l. 3. §. 1. Π. de loc. & itin.* uti quædam exitum *ad mare* habent, non transitum Viæ per mare ipsum continuatæ, quod fieri non potest. *d. l.* Ergo α. Via Publica, quamprimum ingreditur Urbem, oppidum, pagum, vicum, desinit esse *Regia*, aut *Publica* κατ᾽ ἐξοχὴν dicta, docente Zangero *de Except.* II. 1. *n.* 242. β. Viæ *Urbanæ* specialis tutela & conservatio, ut sarta, tecta, munita sit, non ad Principem, sed Magistratus municipales; viæ *paganæ*, sive *vicanæ*, ad vicinos pertinet, sive *Vicomagistros*. Licet non negem generalem ἐπισκοπὴν in has Vias ad Principem pertinere, ut sint v. g. justæ latitudinis ob commercia, sanitatem contagii tempore conservandam, & avertenda incendiorum pericula: ut sint publice securæ, ut etiam [ornatæ], nec menianis impeditæ, coarctatæ, aut ædificiis deformes. Vide *l.* 11. & *l.* 12. *C. de Ædif. priv.* Cujac. *Obs* XIX. 21. Brisson. *Sel. Anc.* 1. 2. γ. *Viæ Publicæ Regiæ* mensura, ratione milliarium, non a porta civitatis, ad alteram portam oppositam transeundo, aut a medio Urbis, sed a continentibus ædificiis, sive ubi desinunt continuari ædificia contigua, aut satis vicina, sive hæc terminentur porta, sive ultra hanc excurrant suburbia, solet inchoari. Macer JC. *in l.* 154. Π. *de V. S. coll. l.* 2. & 87. & 147. *eod.* Hæc noster in hoc opere non adeo accurate attendit.

I. 22. §. 6. *At ubi deinde reficiendæ* &c.) Utilitatis publicæ caussa hodie passim receptum esse videmus, ut a prætereuntibus & mercibus, quæ vehuntur, ad compensanda onera præstandæ securitatis publicæ, atque ad Pontes, & Vias publicas complanandas & muniendas, conservandas, vectigal aliquod exigatur, nam quotidiano usu & attritu Viæ publicæ deteriores redduntur: vide Grot. *de J.B. & P.* II. 2. §. 14. ibique Commentatores: varias hujus vectigalis species recenset Mejer. *in Colleg. Argent. ad tit.* Π. *de Public. & Vect.* ϑ. 4.

I. 23. §. 3. *Verum quod attinet* &c.) Hinc ex Jure Romano discimus, *in summa debiti computari etiam id, quod propter possessiones pignori datas ad collationem Viarum muniendarum præstitisse creditorem* (jure antichretico possidentem) *constiterit. l.* 6. C. de Pign. Usufructuarium subire, si quid ad collationem Viæ *debeatur.* l. 27. §. 3. Π. *de Usufr.* si venditor fundum pluribus municipiis vectigalia debentem dolose, tanquam uni municipio debentem, vendiderit, & postea legem consignaverit, *si quid ad Viæ collationem præstare oportet, id emtorem dare, facere, præstareque oportere*, ex emto eum teneri, quasi decepisset emtorem. *l.* 13. §. 6. Π. *de Act. emt. & vend.* Inter munera, *quæ rei proprie cohærent*, esse *prædiorum collationem*, *Viæ sternendæ*, *angariorumve exhibitionem*, de quibus neque *liberi*, neque *ætas*, nec *merita militiæ*, nec ullum aliud *privilegium* jure tribuat excusationem. *l.* 11. Π. *de Vacat. & excus. Mun.* Porro non tantum prædia contigua Viæ, sed toto territorio pro rata portionem singuli suam contribuebant. Vide Molin. *ad l.* 7. *C. de SS. Eccles.*

I. 23 §. 3. *Humilia & vilia.*) Imo vero fuit aliquando Viæ & Pontium constructio inter *munera sordida*, ut apparet ex *l.* 15. & 18. *C.T. de Extraord. sive sord. mun.* abrogavit hoc Theodosius Junior. vide §. 4. hinc Tribonianus *Vias & Pontes* in indice sordidorum munerum, a quibus plurimi immunes erant, omisit in *l.* 12. *C. de Excus. mun.* Sed & Valentinianus III. *Nov.* XXI. *inter Theodosianas*, munerum sordidorum numerum plus justo auctum, & hinc immunitates nimium extensas reprehendit & abrogat: nobilia sunt Ejus verba: *An forte contumeliosum putandum est inventum contra rationem, nomen munerum sordidorum, quo instauratio Militarium Viarum*, (male in ed. Jac. Gothofr. legitur *Virorum*) *quo Armorum fabricatio, quo Murorum refectio, quo apparatus Annonæ, quo reliqua opera, per quæ ad splendorem distinctionis publicæ pervenitur, prava appellatione censentur: sine quibus nullus maximarum rerum procedit eventus, quorum adminiculo statum pariter & decus tuemur imperii, ac, ne singula prosequamur, sine quibus nihil necessarii operis effici potest?*

I. 23. §. 4. *Absit ut Nos* &c.) „Suavis est, qui „hanc legem exorbitantem a jure Divino & humano esse pronunciat, & in nullo foro esse servandam, & habendam pro irrita & cassa, imo „nec Papam posse eam canonizare. Aliquando „certe aliter Honorio visum *l.* 40. *C.T. de Episc. Eccles. & Cler.* ubi: *Ne prædia usibus cœlestium secretorum dicata sordidorum munerum fasce vexentur: nullam jugationem*, (i. possessionem) „*quæ talium privilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat injuria: nihil extraordinarium ab hac superindictitiumve flagitetur; nulla Pontium instauratio*: sed verba hæc repudiavit postea Justinianus, ut apparet, ex collatione cum *l.* 5. *C. de SS. Eccles.* quam ex ista l. 40. C. T. adoptavit: excerpsimus hæc & adaptavimus nostro instituto ex Jacob. Gothofredo ad *d. l.* 6. *C.T. de Itin. Mun.* conf. Justiniani *Novell.* 131. *c.* 5. Suaves illi, de quibus Gothofredus, sunt Theoph Raynaudus e S.J. *de Coron. aur. Pontif. p.* 353. Joh. Gutierrez *Pract. Quæst.* 1. *qu.* 8. Joh. Azorius *Instit. Mor.* 8. *parte* 1. *l.* v. *c.* 13. *qu.* 8. & *part.* II. *l.* x. *c.* 7. *qu.* 9. Scilicet hi præclari Viri statuunt, Laicam, ut vocant, potestatem, quantacunque illa fuerit, nihil omnino statuere posse in rebus Ecclesiasticis. Verum *Viarum munitiones non personæ, sed locorum munera sunt*, Callistrato JC. *in l.* 14. §. 2. Π. *de Mun. & Hon.* nam cum Hermogenianus JC *in l.* 1. §. 2. *eod* recenset *Viæ Publicæ munitiones* inter *Personalia munera*; aut cum Javolenus ex Cassio *l.* 12. *eod.* ait, ab eo, cui *muneris publici vacatio datur*, ea *omnia, quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitionem viarum, exigenda non esse*: quia hæc cura magis tum ad munera, quam honorem pertinebat, intelligitur his locis cura Viarum, quæ cum certæ personæ fidem exigeret, personale quoque erat munus: verum collationes aut opera ad ipsas Vias muniendas dandæ, exhibendæ, toti territorio ex æquo pro rata communes, erant locorum, sive, ut olim apud JCC. dicebantur, *possessionum munera*, in quibus nulla valebat immunitas. Natura siquidem æquum est, ut qui commodum sentiunt ex operibus publicis, etiam ad ea contribuant: quia ergo Clerici utuntur commodo Viarum & Pontium, ideo & eorum prædia in commune contribuere ad hos & illas ut fiant, aut reficiantur, debent: *arg. l.* 10. Π. *de R. J.* eadem mens fuit Juliano Imp. *l.* 10. *C.T. de Extraord. Mun.* ubi: *Itinerum sollicitudines.... cuncti possessores implere pariter compellantur.* Valentiniano III. Imp. *Novell.* XXI. *inter Theodos.* ubi nota ista: *Nunc jam, ... cujus utilitas latius patet, hac edictali lege complectimur, sine ulla honorum, personarum, privilegiorum distinctione generaliter sancientes, ut itinerum reparatio aliaque munia hujusmodi certante studio, quo cum facilius tum firmius impleantur...... antiquatis omnibus privilegiis, quæ... nomine venerandæ religionis obtenta sunt, omnis ubique census, qui non personarum est, sed agrorum, ad universa munia.... absque ulla discretione cogatur..... Quo quisque honoratior aut opulentior est, eo alacriorem publicis necessitatibus animum debet, quarum sibi procurationem magis intelligit pro-*

futurum

futuram: imo ne quidem liberatur, qui usibus & commodis viæ velit renunciare. Joh. Bapt. Costa *de rat. Rat. qu.* 27. *nu.* 8. adde Mevium *Decis.* IV. 130. Gailii vero tricas in hac Viaria collatione a Clericis exigenda nexas *Obs.* II. 52. *nu.* 14. 15. dissolvit & extricat Ziegler. *de Jur. Maj.* II. 17. *n.*27.

I. 23. §. 7. *Capitularibus.*) *lib.* VI. *cap.* 107. ubi nota verba addita: *si tamen intra eadem loca habuerint possessiones*: quibus conditio exprimitur eadem, quam & Justinianus *Nov.* 131. *c.* 5. prius ratam habuit: *Ad hæc sancimus omnium sanctarum Ecclesiarum & omnium venerabilium domorum possessiones, neque sordidas functiones, neque extraordinarias descriptiones sustinere: si tamen itineris sternendi, aut pontium ædificii, aut reparationis opus fuerit, ad instar aliorum possessorum, hujusmodi opus & sanctas Ecclesias & venerabiles domos complere, dum sub illa possident civitate, sub qua tale fit opus.* Sed & Friderico II. Imp. quantæ curæ fuerint *Viæ Publicæ*, ostendit hoc Rescriptum ejus ad Regni Justitiarium, Henelio allatum *Ot. Uratisl. c.*4. *in fin.* quod hic lubet apponere. *Ad evitanda discrimina generalis incommodi, quæ in transeundis aquarum discursibus, dum ex pluviali maxime turgescunt alluvie, humanis persæpe casibus ingeruntur, certis artificiis providit Antiquitas, ut in fluvialibus locis deputatis ad transitum, utriusque ripæ compaginata commoditas, ruinantis aquæ prostrata superbia per Pontium tramites Viatoribus pandat iter .... Ad quorum constructionem, nec non ad ripamenta Viarum, quæ itinerantibus necessario frequentantur, etiam sine mandati oraculo, tanto libentius debent adspirare desideria subditorum, quando per id generalis utilitas tangitur, & multa personarum pericula rerumque discrimina præcaventur. Cumque nuper ad audientiam nostram pervenerit, quod flumen situm in jurisdictione tua, propter inundationes aquarum, sic se pro tempore protendat horribile, ut nullus hinc inde transitus volentibus obsecundet, volentes inhabitantibus provinciam de consensu nostrorum fidelium, sed præcipue, quorum fidei suæ meritis libenter commoda quærimus, tam benigne, quam salutariter providere: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus universitati civitatis N. nullis Ecclesiis, Ecclesiasticis seu sæcularibus personis exceptis, efficaciter, moneas, & inducas, &, si expedierit, auctoritate nostra compellas, ut Pontes & Vias omnes, quæ circa Pontes & districtus civitatis ipsius necessario expedit reparari, debita faciat reparatione fulciri. Super quo eam diligentiam habere te volumus, quam tanti boni generalitas & mandati dominici persecutio studiosa requirit.*

I. 23. §. 8. *Clerici adhuc* &c.) „Ita quoque frequentibus Sc. Parisiensibus judicatum adversus „Ecclesiasticos & Monachos, secundum Curatores Viarum & Pontium, nempe costumam, „portorium, barragium, pædagium, gabellam, „& similia Viæ Pontiumque instructioni destinata, ab omnibus, nulla immunitatis Ecclesiastica ratione habita, exsolvi debere, ut refert Chopinus *Monasticon lib.* II. *tit.* 2. *p.* 238. 239. vide „& Guid. Pap. *Qu.*78: Interpp. *ad l.* 7. *C. de SS.* „*Eccles.* præ cæteris *Negusant. q.* 375. Hæc Jac. Gothofredus *ad l.* 6. C. T. *de Itin. mun.* Tu adde Joh. Paponium *lib.* V. *tit.* 11. *Arest.* 16. 17. 18. 19. Cæpollam *de Serv. præd. rustic. c.* 3. *n.* 47. & *seqq.* Menoch. *Consil.* 800. *nu.*24. Klock. *de jure vectig. th.*22. *litt. A.* & *B.* ibique laudatos.

I. 24. §. 1. *Suo ære.*) Hinc toties in Inscrr. encomium, quod DE SVO, SVA PECVNIA fecerint aut refecerint; quales præter Gruterum & Reinesium poteris videre apud Brisson. *de Form. R. Tom. X. lib.* VIII. *p. m.* 728. Reines. *V. L.* III. 16. Sirmond. *ad Sidon. p.* 163. adde Alexandri *Gen. Dier.* III. 13.

I. 24. §. 3. C. JVLIVS. LACER. H. S. F.) id est: *Hoc solus fecit*. Adde hic inscr. gemellam, repertam juxta Ephesum, Græcam & Latinam, allatam a Sponio *in Itin. Athen.* sed plenius a Whelero *Itin. lib.* III. *p.m.* 251.

ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΕΦΕΣΙΑ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΛΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ. ΚΑΙ. ΣΙΒΕΡΙΩΙ. ΚΑΙ. ΤΩΙ. ΔΗΜΩΙ. ΤΩΝ. ΕΦΕΣΙΩΝ. ΓΑΙΟΣ. ΣΕΞΤΙΛΙΟΣ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΥΙΟΣ. ΟΥΟΤΟΥΡΙΑ. ΠΟΛΛΙΩΝ. ΣΥΝ. ΟΦΕΛΛΙΑ. ΑΥΛΟΥ. ΘΥΖΑΤΡΙ. ΒΑΣΣΗΙ. ΤΗΙ. ΕΑΥΤΟΥ. ΓΥΝΑΙΚΙ. ΚΑΙ. ΓΑΙΩΙ. ΟΦΙΛΙΩΙ. ΠΡΟΚΥΛΩΙ. ΕΑΥΤΟΥ. ΥΙΩΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙΣ. ΛΟΙΠΟΙΣ. ΤΕΚΝΟΙΣ. ΤΗΝ. ΓΕΦΥΡΑΝ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

DIANAE. EPHESIAE. ET. IMP. CAESARI. AVG. ET. TI CAESARI. AVG. F. ET. CIVITATI. EPHESIORVM. CAIVS. SEXTILIVS. P. F. VOT. POLLIO. CVM. OFILLIA. A. F. BASSA. VXORE. SVA. ET. C. OFILLIO. PROCVLO. F. SVO. CETERIS. QVE. LEIBEREIS. SVEIS. PONTEM. DE. SVA. PECVNIA. FACIVNDVM. CVRAVIT.

Sub Hadriano fuit nescio quis, forte ex hujus posteris, *Sextilius*, Ephesi, ut videtur, prætor sive procos. qui occurrit in nummis Græcis, qui concordiam Ephesiorum & Cyzicenorum testantur, ap. Harduin. *Numm. Antiq. ill. p.*163. Eandem generosam de se privato munificentiam narrat Theodoretus, Cypri Episcopus, *Epist.* 79. *ad Anatol. Patric.* Ὅτι δὲ τὰ πολλὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς προσόδου εἰς τὰ δημόσια ἀνηλώσαμεν οἰκοδομήματα, στοὰς ἐγείροντες καὶ λουτρὰ καὶ γεφύρας κατασκευάζοντες, καὶ τῶν κοινῶν τῶν ἄλλων ἐπιμελούμενοι, οἶδεν ἡ ὑμετέρα μεγαλοψυχία: verto: *Quod vero Ecclesiastici reditus partem magnam in publica insumserimus ædificia, excitantes porticus, balnea & Pontes exstruentes, & publica alia procurantes, novit tua magnificentia.*

I. 24. §. 3.) De terrore Auctoris, ex vitiosa lectione τῶ *Ad Cereris silices sternendam*, ἀντὶ τῶ *silice*, admisso, jam diximus in nostris Prolegomenis: adde huic similem Inscr. *Gr.* 150: 4. allatam a nostro II. 24. §. 3.

I. 24. §. 5. *P. Decimius P. Eros Merula* &c.) Vide his Addenda & Emendanda ipsius Bergierii: & adde notata Reinesio *Inscrr.* I. 99. *p. m.* 136. 137.

I. 24. §. 6. *Legatis nominatim destinatis.* Sed & legatam ad alia opera publica pecuniam, permissu & cum venia Senatus, licuisse transferri ad munitionem Viarum, colligo ex eo, quod Tiberius censens, *ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem Viæ transferre concederetur: obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris* testantis *esset*: apud Sueton. *Tib. c.* 31. huc refer Inscr. apud Reines. II. 28. *L. Terentius T. F. IIIIVir I. D. monumentum fieri jussit: Ea pecunia D. D. Viæ stratæ sunt ab Annia ad Murum & post cryptam ad Theatrum.*

I. 25. §. 1. *Gallia Belgica.*) Adde hic *Viam Caligulæ* stratam silice & glarea, de qua diximus supra *ad S.* 16. §. 2. quæ per *Belgicam primam* pergit in Lotharingiam, & vulgo dicitur *uff der Cayen*, teste Frehero ad Ausonii *Mosell. vs.*11. Vox

autem *Caseiæ* mihi videtur esse corrupta ex *Calceia*, aut Francogallarum *Chaussée*, de qua Noster.

I.25.§.5. ADDITO. EX. PECVNIA. SVA. PORTV.) Nonnulli credunt hunc *Portum Anconitanum* exhiberi in nummis Trajani ex ære obviis, primi & secundi moduli, ubi cernitur ferrea catena præclusus, & in ejus medio triremis, sive navis. Est is ipse forsan nummus, quem pro *ponte Danubii* male habuit Erizzus *de Medagl. antich. p. m.* 310. *ed.* 3. *Ven.* 1571. quem alii tamen nummum putant referendum ad Portum interiorem Ostiensem a Trajano additum. Vide CL. DV BOS *Animadv. ad* IV. 49. §. 11.

I. 25. §. 7. *Utrumque nummum Sc. jussum fieri* &c.) Addidi ex Augustino Schotti etiam tertium: acute autem Erizzus *l. l. p. m.* 149. 150. observavit, ideo statuas equestres & curules, quadrigas triumphales equestres, bigas triumphales elephantinas, sceptrum eburneum cum aquila, victoriam coronantem, tropæa, & cætera triumphi insignia his fornicibus triumphalibus imponi in nummis, quia, præter Flaminiam Viam tibi desumtam Arimino tenus muniendam, *reliquas Triumphalibus Viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit*, teste Suetonio *Aug. c.* 38. „ Adeo studiose, subjicit me „ interprete Erizzus, Veteres æternam suorum „ operum vivamque memoriam Posteritati in num- „ mis consecraverunt.

I.25.§.7. *Quæ jussu Senatus ad Ærarium delata est.*) Vide *Animadv.* Cl. DV BOS ad h. l. Sane longe melius atque etiam fidelius hos nummos exhibuit & exposuit Erizzus *l. l. p. m.* 180. ubi sic literæ in columna pinguntur:

S. P. Q. R.
IMP. CÆ.
QVOD. V.
M. S. EX.
EA. P. Q. IS.
AD. Æ. DE.

legit: *Senatus. Populus. Que. Romanus. Imperatori. Cæsari. Quod Viæ. Munitæ. Sunt. Ex. Ea. Pecunia. Quam. Is. Ad. Ærarium. Detulit.* & subjicit, uti verto: „ Ex quibus verbis clarissime vide- „ mus, id, de quo dubitabat Dio *lib.* LIII. (*p. m.* „ 586.) publicisne an privatis Augusti sumtibus „ munitæ dici debeant Viæ, cum hic legamus *mu-* „ *nitas esse, ex ea pecunia, quam is ad Ærarium* „ *detulerit*; non enim videntur tum temporis ex „ pecuniis publicis hæc impendia in Vias facta, „ sed ex pecunia privata Augusti ad Ærarium de- „ lata, eum scilicet in finem, ut exinde Viæ mu- „ nirentur.

I. 25. §. 8. Quam nonnulli lapides prisci *Viam Trajanam* appellant.) Hos vellem addidisset. In Notis Suritæ *ad Itin. Ant. p.* 597. ista reperio notata ad hoc iter, de quo noster agit: „ Augustobrigæ „ ruinæ in oppido *Muro*, VIII. M. P. supra urbem „ *Agredam* visuntur in Via hac Consulari; in qua „ lapides vidimus anno 1547. nomen urbis ejus „ suis milliariis præferentes; qui indicant initia „ milliarium ab *Augustobriga* duci *Numantiam* „ versus, quamvis iter ab Antonino ab *Asturica* „ *Cæsaraugustam* ducatur. Ad 11. milliaria, a vi- „ co, qui *Murus* appellatur, *Numantiam* versus „ in media via erecto lapide, hæc legitur inscri- „ ptio:

. . . . . . CAESAR . . . . . .
. . . . . TRAIANVS . . . . .
PONT. MA . . . .
TR. POT. P. P. . . . .
CIT. AB . . . .
M. P. II.

A „ In Ecclesia vici, quem *Pozo* vocant, ante fores „ Ecclesiæ, dejectus lapis visitur, cum hac inscri- „ ptione:

. . CAESAR . . . .
CLV . . . .
PONTIFE . . . .
P. XXX . . . .
. . . . A. . AVGVSTORIGA
M. VIIII.

„ Supra vicum *Pozo* cognominatum, *Numan-* B „ *tiam* versus, in media via erectus lapis cum hac „ inscriptione:

IMP. CAESAR. NER
VA. TRAIANVS.
AVG. GER. PONT. MAX.
TRIB. POT. P. P. COS. III.
FECIT. AB. AVGVSTOB.
M. P. X.

Hæc Surita. Primam Inscr. habet Gr. 155: 6. alteram 153: 8. Postremam bis repetit ibidem *nu.* 8. & 9. cum sit plane eadem. Ex his itaque inscriptio- C nibus memoriæ per nebulam oberrantibus noster exsculpsit *Viam Trajanam* in Hispania, cum *Trajana Via*, quam nummus Trajani respicit, clarissime occurrat in Italia: vide notata ad I. 17. §. 6. imo vel *Tres Viæ Trajanæ* in Italia, quarum Curatorem ex Inscr. Noster attulit supra I. 4. §. 7.

I. 25. §. 8. VIA TRAIANA.) hic nummus primi moduli rarus est, secundi obvius: audi de eo Erizzum *l. l. m.* 331. & *seq.* ut ex Italico verto: „ Nummus Trajani, majoris moduli, ex ære fla- „ vo, elegantissima vernigine viridi splendidus, „ cum epigraphe: IMP. CAES. NERVAE. TRA- „ IANO. AVG. GER. DAC. P. M. . . . in facie D „ altera ostentans procumbentem fœminam, innitentem brachio sinistro, quæ tenet illa manu „ arundinem sive ramum, dextra propellit rotam: „ sub qua figura legitur VIA TRAIANA & S. C. „ additur supra epigraphe S. P. Q. R. OPTIMO. „ PRINCIPI. Nummus hic in honorem Trajani „ percussus, ob memoriam Viæ ab eo munitæ aut „ reparatæ, cujus meminit in ejus vita Dio: *Com-* „ *plura & valde quidem necessaria ædificari cura-* „ *vit, ut Portus & Ædes publicas. Vias item mu-* „ *nivit: in quibus faciendis fortunas aut sangui-* „ *nem alicujus nunquam absumsit. Natura magni-* „ *ficus & gloriæ appetens erat.* Idem nummus ex- E „ cellentis artificii exstat in ære medii moduli, ea- „ dem figura. *Rota*, quam tenet, est in instru- „ mento, quo Prisci Vias faciebant aut reficie- „ bant. Inter Vias Romanas præcipuas celeberri- „ ma fuit *Appia*, munita ab Appio Claudio, Cen- „ sore, Capuam usque. Cæsar in eadem munien- „ da multus fuit: tandem vetustate collapsam & „ & hinc inde ruptam instauravit Trajanus, & „ magnificis impendiis deduxit Brundisium, di- „ ctaque fuit *Regina Viarum*, quod per eam fere „ omnes ducerentur Triumphi: hæc Erizzus; sed postrema verba sunt accipienda cum grano sa- F lis: de *Rota* videtur errare: simpliciter enim & generatim denotat Cursum vehicularem per Vias publicas.

I. 26. §. 1. *Chaussées de Brunehault.*) De his ita Ortelius & Vivianus, testes αὐτόπται, *in Itinerar. edit. Plant. p.* 11. „ Hic (*prope pagum Walbeim*) „ ad Viam venimus rectam, & supra vicinos pro- „ minentem agros, quæ ad Tungros pertingere „ diceretur, Bavaci initium ducens, unde & plu- „ res ejusmodi Vias Militares ad celebriora quæ- „ que Galliæ oppida ducere. Stratas fuisse has olim

„ saxis grandioribus indicant earum, quæ multis „ in locis adhuc restant, fragmenta: nunc grami- „ ne ut plurimum virent, sub quo induratum so- „ lum silice minuto, seu glarea, advectitia, ut vi- „ detur, cum his in locis nusquam reperiatur: vul- „ gus Vias has omnes vocat *les Chaussies de Bru-* „ *nehault*, quod Regis Belgarum fuisse nomen vo- „ lunt, qui etiam ante Romana tempora late re- „ rum sit potitus: videtur tamen Gothicum potius „ quiddam sonare: atque mirum, C.Cæsarem, di- „ ligentem alioqui Scriptorem, rei tam præclaræ nullibi meminisse: hæc ille: sed non fuissent mirati silentium Cæsaris, si scivissent Agrippæ per Gallias opera.

I. 26. §. 9. *Omnes, qui nostra ætate de ista urbe Bavaco scripserunt* &c.) Ut præcipue Lud. Guicciardinus *in Descript. Belg.* ubi agit de hac Hanoniæ urbe, *in Rep. Hannon. ed. Amst.* 1634. *p.m.* 161. 162. cum ait: „ Profiteor lubens atque agno- „ sco, præter illa, quæ scriptis exstant tradita, „ inveniri palam & visi apud Hannonios nostros „ Bavacenses, ac tam intra, quam extra urbeculæ „ nostræ pomœrium, multas prisci illius splendo- „ ris reliquias, & insignes antiquitates: inter alia „ vero complusculos nummos Romanos: quæ „ omnia clarum satis atque apertum præbent indi- „ cium, fuisse olim rem magnam & momentosam: „ admiranda vero præ cæteris via illa delapidata, „ quæ Parisiis per hoc oppidum ducit in Tungros... „ item altera illa mirabilis Via, olim in totum sili- „ cata, quæ inde a Remis Campaniæ per hoc no- „ strum Bavacum protenditur usque ad Cortracen- „ ses in Flandria, quod est iter plus quinquaginta „ Leucarum sive 120. milliarium Italicorum.

I. 26. §. 10. *Atuaticorum oppido.*) Noster Cæsarem laudat, sed locum non indicat, aitque: *Ne voit-on, qu'il* (Cæsar) *ait assiegé aucune place en tout le païs, que celle des Aduatiques, qui s'estoient fortifiez, non dans une ville, mais dans une forest, favorisée d'une montagne fort haute & de tres-difficile accez.* Cæsar indicato a me loco aliud dicit, quem testem classicum malui sequi, quam ἁμάρτημα μνημονικὸν nostri. Diserte enim Cæsar: *l. l. Atuatici ... sua omnia in unum oppidum egregie natura munitum contulerunt; quod cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, una ex parte leniter acclivis aditus, in latitudinem non amplius CC. pedum relinquebatur: quem locum duplici altissimo muro munierant .... hunc sibi domicilio locum delegerant ... c. 30. crebras ex oppido excursiones faciebant...., oppido se continebant. c.*31.*mœnium*, & *c.*32. *muri & fossæ*, *quæ erat ante oppidum*, ac *portarum patefactarum* meminit: plane contra, quam narrat Bergierius.

I. 28. §. 6. *In honorem tanti boni publici* &c.) „ Ibi (*Segusii*, hodie *Suse*) arcum in Augusti Cæ- „ saris honorem erexit S. P. Q. R. QVOD. EIVS „ &c. exarata est inscriptio in lamina ærea: sed „ vix dimidia nunc legi potest. Hanc integram „ Plinius refert, & ex eo Albertus; dimidiatam „ Emanuel Thesaurus in Theatro Sabaudiæ hæc Mabillon *Itin. Ital.* §. 13. p.6. Noster per incuriam ex Plinio addiderat: *Non sunt adjectæ Cottianæ Civitates tredecim, quæ non fuerunt hostiles: sed item attributæ municipiis Lege Pompeja*: quæ verba sunt, non inscriptionis, sed ipsius Plinii. *Centrones* male etiam omiserat.

I. 30. §. 7. *Murus Picticus.*) Eutropius lib. VIII. *p.m.* 352. *edit. minim.* ait: *Novissimum bellum in Britannia habuit; utque receptus provincias omni securitate muniret, vallum per XXXII. M. P. a mari ad mare deduxit.* Sed puto τὸ C. excidisse. Cassiodorus enim hinc aut ex Eusebio Hieronymi *in Chronico*, *sub hoc Imp.* ista habet: *His Coss.* (M. Flavio Apro, Q. Allio Maximo, A.U.C. 960. A.C. 207.) *Severus in Britannos bellum movit, ubi ut receptas provincias ab incursione Barbarica faceret securiores, vallum per CXXXII. M.P. a mari ad mare duxit*: de hoc vallo Severi sive Muro Pictico videatur Camdeni *Britann.* (*Atlant. Blauian. Britanniæ p.* 335.) ubi narrat „ multa ejus Valli vesti- „ gia exstare, multos lapides inscriptos erui, qui- „ bus aut testimonia salutis per tribunos & centu- „ riones acceptæ, aut sepulchrorum inscriptiones „ contineantur: & cum ab *Hadriani Vallo*, ut „ utriusque vestigia indicant, raro minus C.M.P. „ distet hoc *Vallum Severi*; aut magnam fuisse in- „ scitiam eorum, qui res Anglicas scripserunt, si „ Latinos, qui hæc tradiderunt, non intellexe- „ rint; aut incuria, qui dilucide tradita tam con- „ fuse tradiderint: addit „ constare satis ex priscis „ monumentis & Bedæ Angli Historia, ibi ali- „ quando inter Brittones & Scotos limitem fuisse: „ tradit etiam a dextro *Carrontis* fluvii latere a- „ grum fere cætera planum in collem paullum pro- „ minere, medio fere spatio inter *Dunos Pacis* & „ *Ædiculam*: in eo ad ipsum anguli flexum modi- „ cæ urbis vestigium adhuc apparere: sed muro- „ rum fundamenta & vicorum descriptionem, „ partim cultu rustico, partim eruendis ad ditio- „ rum villas construendas lapidibus quadratis, „ confusam esse: hunc locum a Beda Anglo *Guidi* „ vocari, atque in ipso *Valli Severi* angulo collo- „ cari. Confer infra III. 43. §. 9. & 10.

I. 30. §. 9. *Watlingstreat* &c.) Hunc *Vitellianum*, qui eam Viam curarit, Camdenus ait, a Britannis sua lingua *Guetalin* nominari: *Verlamstreat*, quod per *Verulamium* duxerit, alibi quoque *Highdicke*, *Hygh Ridge*, *Fortie foote Way*, & *Ridge Way* (verto ista: *Aggerem eminentem*, *Viam aggeratam rectam*, *Viam XIV. pedum*, & *Viam Rectam*) nominari ab accolis: quod vero Obsopæo præeunte Camdenus dicat, Mercurium a Germanis cultum sub nomine *Irminsul*, id est, *Columnæ Mercurii*, ac Spelmanus *in Glossar. h.v.* Martem, ἀπὸ τοῦ Ἄρης, in eo falluntur. Si quod enim Germani numen coluerunt, quod proxime ad *Hermæ* Græci, aut *Mercurii* Romani fabulas accederet, fuit illud non *Irmin* aut, ut rectius scribitur, *Hiermen*, sed *Godan*, sive *Wonda*, aut *Wodan*, unde *Wodans-dagh*, *Woensdagh*: nolo hic compilare Vossii *de Idol.* aut Schildii *de Diis Germ.* scrinia. *Hiermensul* q.d. *Heermans Suil*, fuit columna & statua *Harminio* Liberatori Germaniæ post cladem Varianam memoriæ & honoris caussa erecta, in *Hermiensburg*, sive *castro* aut *monte Harminii*, in Comitatu Lippiaco, ut docuit accurate prætextata nobis amicitia cultus Vir Consultissimus Ern. Casim. Wasserbach, JC. in *Dissert. de Statua Harminii, sive Hiermensul, edit. Lemgov.* 1698. præcipue *c.* II. *& seqq.* Cæterum, num in antiquis *Legibus S. Eduardi, Regis Angliæ*, ubi *de pace IV. Cheminorum*, id est, *Viarum*, *sub majori indicio* mentio habetur, ut refert l. l. Camdenus, hæ IV. Viæ, de quibus agimus, intelligantur, in incerto est.

I. 30. §. 10. *Inquisivit Vias.*) Ac in nonnullis nostro Bergierio facem prætulit, ut utriusque Lectori constabit.

AD LIBRUM II.

II. 2. §. 3. *Has Hebræi* &c.) Auctor noster Hebraismum ne quidem per transennam vidit, unde mirum non est, quod monstra vocabulorum literis vernaculis exararit, quæ Hebraica venditat: correxi singula: nunc ista addo: ארץ si Buxtorfio *in*

Lex. h. v. & aliis credimus, a רצץ *terendo*, ut & Latinorum *Terra*, quod semper ab animantibus *teratur*, dicta videtur: aut ab ארץ, *depressit*, quia cœlo inferior; notatque non proprie *limum*, sed *terram* generatim, quæ accedente aqua fit *limus*, æstu fit pulverulenta. ארמה ab ארם *rubendo*, est proprie humus culturæ apta, subruffi sive argillacei coloris, teste eodem Buxtorfio *l. l. h. v.* vide ex gr. veritatem Hebraicam Proverb. XII. II. (al. 10.) יבשה a יבש *exsiccando* dicta est proprie tellus ex cataclysmi aquis emersa & dein arefacta, ut patet ex Hebraica veritate Gen. 1.9. & hinc *chiamasi così in Hebreo la terra, per superar in essa la qualità secca*, ut loquitur David Pomarius in צמח רויר *h v.* hinc in Hymnis Regis Psaltis XCV. (al. XCIV. 5. generatim pro *Terra* sumitur & mari opponitur.

II. 2. §. 6. *Manus ejus aridam fundaverint.*) Locus hic exstat Psalm. XCV. (al. XCIV.) 5. at noster ista habuit verba ex Psalmis, qui *in Breviario Romano*, ut mihi persuadeo, secundum antiquam versionem Italicam, quæ ante Hieronymum in usu fuit, fere permanserunt. In eo enim, *ad Matutinum Dominicæ primæ Adventus* iste Psalmus additur, ibique legitur *a vs. 3.* hoc modo: *Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit: quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus:* excerpo hæc ex edit. Paris. 1553. Pro his Vulgata Ed. Santandreanæ 1583. habet: *Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos: quia in manu ejus sunt fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt: quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formaverunt.* Οἱ ὁ addunt ad vs. 3. ὅτι οὐκ ἀπώσεται κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ; quæ verba in versione antiquissima Italica, ut puto, hic quoque conspicis; at quæ nec in Vulgata, nec in Hebraico codice leguntur. Quod obiter annoto.

II. 4. §. 3. *Lapicidinas rubras, Pallienses, Fidenates, Albanas.*) Habebat noster: *Quarrieres des Villes de Rubra, de Pallia, de Fidene & d'Alba:* male inspecto aut non intellecto Vitruvio, ex τῷ *rubræ* facit *Urbem Rubram*, cum Vitruvius velit, lapicidinæ circa Urbem *rubræ*, i. coloris rubri, mollem esse virtutem. Locus ipse sic legitur: *Sunt enim aliæ* lapicidinæ *molles; uti sunt circa Urbem rubræ, Pallienses, Fidenates, Albanæ.* hæ *rubræ lapicidinæ* erant Urbi proximæ, ut docet ibidem, plusculis interjectis: *Cum ergo*, ait, *propter propinquitatem necessitas cogat ex rubris lapicidinis, & Palliensibus, &, quæ sunt Urbi proximæ, copiis uti.*

II. 4 §. 5. *In finibus Tarquiniensium.*) Addiderat noster: *en la Campagne de Naples*: male: sunt in Tuscis. Plin. *H. N.* III. 5. *in med.* Cicero *de Div.* II. 23.

II. 4 §. 7. *Lapis differt a Saxo.*) Sane & Plinius distinguit *H. N.* XXXVI. 18. de lapide molari dicens: *Nusquam hic utilior, quam in Italia gignitur, lapisque, non saxum, est.*

II. 4. §. 8. Σκόπελος &c.) hoc addidi de meo: mira enim metathesis foret, ex *specula* facere *scopulum*: respexit is, qui Isidoro præivit, Græcismum. *Scopulus* scilicet est a σκόπελος: quod necessario addendum erat τῷ κειμένῳ, ne nugari in etymologiis videremur, si cruda Hispalensis verba poneremus. Servio debet, ut pleraque, hoc etymon. Is ad *Æn.* I. 49. *Scopulo*; notat: *Saxo eminenti. Scopulus autem aut a speculando dictus est, aut a tegumento navium,* ἀπὸ τοῦ σκεπάζειν. scilicet, quod naves a ventis tectæ tutæque sub illis latere possint.

II. 4. §. 10. *In Silicibus.*) Hinc Cl. Grævius *Proleg. Tom.* III. *p.* 7. in Inscr. Grut. 645: 3. τὸ SITICARIVS emendat SILICARIVS; atque ait, in Victore suo *ms.* ἀντὶ τοῦ *Salgamariorum*, legi (*Castra*) *Silicariorum*: esse autem *Silicarios*, *qui aut silices vendebant ad sternendas Vias, aut qui Vias munire solebant.* Nobis bona cum tanti Viri venia liceat aliter sentire: erudita & vera quidem est emendatio, quæ etiam Victori *in Epilogo*, (*Thes. A. R. Tom.* III. *p.* 315.) est donanda: in quo post *castra Salgamariorum* sequuntur (*Castra*) *Salicariorum*: lege *Silicariorum*: sed *Silicarii* videntur potius esse illi, qui in utraque familia, publica & Cæsaris, erant ad tutelam Aquæductuum, de quibus Frontinus *de Aquæd. lib.* II. *sub fin.* in *Thes. A. R. Tom.* IV. *p.* 1663. ait: *Utraque familia in aliquot ministeriorum species diducitur: Villicos, Castellarios, Curatores, Silicarios,* (ubi vitio typothetarum male *Silicacarios* exstat) *Tectores aliosque opifices.* Scilicet hi operam dabant, ne quid detrimenti caperet aut vitium faceret opus silicarium in Aquæductibus: nam & hi non solum lateritii, sed & ex silice, teste Fabretto *de Aq. & Aquæd. diss.* III. *num.* 279. *T. A. R. Tom.* V. *p* 1758. Fuerunt itaque tales, quales Germani vocant *Steinmetzen*, Belgæ *Oppermannen.* qui pavimenta faciebant, fuerunt dicti *Structores, Quadratarii, Tessellarii*; vide l. 2. *C. T. de Excus. Artific.* & ibi Jac. Gothofredum: *l.* 1. *C. J. eod. & ibi Icc.* Pancirollum *de corporib. Artif. p. m.* 197. *& seqq. in Not. Imp.* Porro Silices ad Vias Publicas ex publico, templorum etiam demolitione fere adsumti, *arg. l.* 36. *C. T. de Op. Publ.*

II. 5. §. 4. *Interpretis Latini prioris.*) Aliter enim vertit Xylander: *Ducebantur eæ Viæ rectæ per regiones, & partim lapide ad hoc cæso & dolato, partim congestis arenarum cumulis insternebantur.*

II. 7. §. 3. *Non stratæ.*) Hæ LL. XII. Tabb. & Cicerone *pro A. Cæcinna c.* 19. præeuntibus dici possent *immunitæ.*

II. 7. §. 3. *Fragmentis Itinerarii Antonini.*) quæ habentur *in edit. Paris. ap. Steph.* 1512. quæ Godofredus Torinus ex Longoliano exemplari addidit: multo tamen antea Johannes Annius, Viterbiensis, non edidit modo, sed fictitio & fabuloso Commentario ea decoravit; forsan & ipse supposuit aut certe interpolavit pro suo more: eadem occurrunt *in ed. Simleri Basil.* 1575. sed ut spuria omisit Hieron. Surita, & Andr. Schottus.

II. 8. §. 2. *Vias non stratas* &c.) Ad has vero *immunitas* reparandas & commeatui aptas servandas, æque omnes Territorii possessores obligabantur; non soli *Amsegetes*, sive quorum agri Viam Publicam proxime tangebant. His vero præcipue incubuisse videtur, ut reparationem procurarent, corruptelas Viæ indicarent, ratione & utilitate manifesta, quod ita damnum sibi imminens averterent. Hinc Lex XII. Tabb. *tab.* 8. (sive *tit.* II.) *ex Cic. pro Cæcin. c.* 19. *Si via per Amsegetes immunita esset, qua volet, jumentum agito:* ubi Dion. Gothofredus, Jacobi Pater hæc retulit sub *tit de Servitutibus*, ac Theod. Marcil. *in Interpr. LL. XII. Tab.* cap. 52. etiam hoc refert ad Viam, quæ servitus est: male: non enim jus *Viæ Privatæ*, sed *Publicæ* hic tangitur, ut recte tecto nomine hoc perstringit *in Not. ad LL. XII. Tabb. tab.* 8. Jac. Gothofredus. At si quis Amsegetum Viam Publicam exarasset, cogebatur is solus ad munitionem & reparationem *l.* 3. *§. ult.* ff. *de Via Publ.* Paullus *Rec. Sent.* I. 14 §. 1. Si quando *Via Publica* vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus Viam præstare debet. *l.* 14. *in fin.* ff. *quemadm. serv. amitt.* quo & referendum videtur, quod habetur l. 18. *ult.* §. 15. ff. *de Mun. & Honor.* sed tamen impensa publica: *arg. l.* 13. §. 1. ff. *Commun. Prædior.*

II. 11. §. 5. *Id est terripavium.*) In loco Festi videtur legendum *terripavidium* : hinc *terripudium*, *tripudium*.

II. 11 §. 5. *In Italia fistucis pavita.*) scilicet in opere Rustico : docet Cato *de R. R. c.* 18. *Aream ubi facies, pedes quinque fundamenta alta facito, lata pedes sex : aream & canalem rotundam facito latam pedes IIIIS. Ceterum pavimenta toto fundamento pedum duorum facito : fundamenta primum fistucato, postea cæmentis minutis & calce arenato semipedem unumquodque corium struito. Pavimenta ad hunc modum facito : ubi libraveris, de glarea & calce arenato primum corium facito, id pilis subigito ; inde alterum corium facito ; eo calcem cribro succretam indito alte digitos duos : ibi de testa arida pavimentum struito, ubi structum est, pavimento fricatoque oleo perungito, uti bonum pavimentum sit.*

II. 11. §. 5. *Gallicus Plinii Interpres.*) Intelligit hic & alias Antonium du Pinet *dans sa traduction Francoise de Pline.*

II. 12. §. 6. *Pavimenta ex prioribus* &c.) Guil. Philander *Annot. ad Vitruv.* VII. 1. „ Pavimenta principio picta fuerunt, postea facta sunt *lithostrota*, id est, tessellatis lapillis strata, quorum fit mentio apud Varron. *de R.R.* III. 1. & Plin. *H.N.* XXXVI. 25. Per *Sectilia* intelligo sectas parvas marmoreas crustas in varios interdum colores, id est, *opus Amusseatum*, sive *Musivum*, ut Spartianus *in Pescennio*, nos *Mosaicum* vocamus : Opus Musivum expressit Nilus Scholasticus *Epigram. lib.* IV.

„ Πῶς ἐκ λίθου ἀλλόθεν ἄλλης
„ Συμφερτὸς, γενόμην ἐξαπίνης Σάτυρος.

„ Alciatus vertit :

„ *Qua arte ex aliis aliisque lapillis*
„ *Tam cito compositum transierim in Satyrum.*

„ Artifices dicuntur *Musivarii* (al. Muscarii) a Theodosio & Valentiniano *l.* 1. *C. de Excus. Artif.* At Bernardus Baldus, Urbinas, Guastallæ Abbas, *in Verbor. Vitruvian. Significatione, v. Tessera* ; alia omnia sentit : „ *Ego*, ait, *contra tesseras* puto ad Musivum opus pertinere ; *sectilia* vero secti marmoris esse quadrata grandia. Certe Latinis *Tessera* forma est cubica, *Dadum* dicimus nos, unde opus ipsum ideo *Tessellatum* dicitur, quod ejuscemodi formæ lapillis sit compactum, ut Romæ videre est in vetustis Ecclesiarum pavimentis, & Venetiis in templo augustissimo D. Marci. Senis quoque & alibi. Daniel vero Barbarus, Patriarcha Aquilejensis, *in Comm. ad Vitruv.* VII. 1. ita disputat : „ Pavimentum multis modis struebant : nam primo picta fuerant & versicolore ruderatione facta. Secretum enim marmor, colla casei albumine ovi subacta, & calce adhibita, coloribus intinctum variis ad libitum, formisque ligneis, quibus volueris, inclusum efficiet opus pavimenti coloratum & depictum. Post-picturam pavimentorum, lapidibus sterni cœperunt. Lapides autem aut in parvas crustas secabantur, & sic sectiles dicebantur, qui, cum varietate colorum componerentur, opus faciebant, quod nos *Musaicum* vocamus, alii *Amuseatum* vel *Musicum* : aut quadrata grandiori forma constabant lapides, & ita *Tesseræ* vocabantur. Secabantur vero lapides variis modis : alii enim *scutulari*, hoc est, rotunda figura, alii *triangulari*, alii *tetragona*, nonnulli etiam *favorum*, hoc est, cellarum apium modo hexagoni fiebant. Componebantur item in pavimentis accuratissima & exquisitissima diligentia lapilli parvi & minuti, ita ut piscium & aliarum rerum effigies variis coloribus penitus imitarentur. Ex Alberto autem Durero haberi possunt variæ figurationes pavimentorum, itemque ex primario templo Senis. Picturas & Venetiis, Romæ in antiquis ruinis, alibique magna opera & pretiosorum lapidum strata pavimenta videre possumus, quæ diligentiam veterum commendant. Hæc Barbarus. *Musivi* operis mentionem quoque reperio apud Trebellium Pollionem *in Trig. Tyran. & quidem in* XXIIII. *Tetrico Juniore* : ubi legimus : *Coronam civicam pictuatam de Museo.* (al. *Musivo.*) item ap. Paullinum Ep. XII. *Cameram Musivo illusam.* Græcis μουσαῖος, μουσεῖος, μοῦσα, ἔυμουσος, μουσικὸς, concinnitatem & leporem adnotant : hinc *musæus lepor* apud Lucr. 1. 932. hinc ut ab Αχαῖος est *Achivus*, ita *musivus* ἀπὸ τοῦ μουσαῖος. hinc *Musivarii* apud Cassiodor. *Variar.* VII. 5. *in formula Curæ Palatii*, ubi junguntur : *instructores parietum, sculptores marmorum, æris fusores, camerarum rotatores, gypsoplastæ, Musivarii* : ac in *l.* 2. *C.T.* & *l.* 1. *C. de Exc. Artif.* item *Musivarius*, *T. Julius Aug. L. Nicephorus* ap. Grut. 586 : 3. uti *Tessserarius* 624 : 8. Porro si vis, de his operibus consule Aug. *de C.D.* XVI. 8. Scalig. *ad Manil.* V. 513. Salmas. *Ex Plin. p.* 854. Casaub. *ad Spartiani Pescennium p.* 276. Petav. *ad Themist. p.* 575. 676. Frid. Morell. *ad Stat. Sylv.* 1. 3. Bulenger. *de Pict.* 1. 8. Crinit. *H. D.* XXII. 1. Erasmum *Adag. Chil.* 5. *Cent.* 11. *n.* 20. qui ait, quod & viatores αὐτόπται confirmant, in *antro Cumæo*, quod vulgo *Sybillæ* cognominant, visi parietes vario contextu Musaicum opus imitantes. Adde *l.* 15. §. 11. & quæ notamus infra 21. §. 7.

II. 13. §. 3. *In Contignationibus* &c.) Locus hic paullo obscurior sic enarratur a Barbaro *in Comm.* „ In Contignationibus non eadem exæquandi cura est adhibenda, cum ipsa exæquatio per se facta sit, sed majori studio providendum, ut exæquatio conservetur : nam semper parietes subsunt, quod non ad summum perveniunt. Unde coaxatio non omnis in parietes incumbit, quare licet plana videatur, sitque vere, antequam pondus aliquod immittatur, tamen adjuncto & superimposito pondere ruderationis & pavimenti pandat, atque oneri cedit ea parte, qua paries non ad summum pervenit. Periculum item est ex arefactis & siccescentibus, aut pandatione sidentibus contignationibus. Item mixtione axium diversorum lignorum, quorum alia, sua natura, humore percepto torquentur, alia in sua firmitate permanente permanent ; fieri solet, ut altera subsidente, altera durante, inæqualiter pondus sustineatur : quare iis vitiis medendum est ; primo ne dextra ac sinistra in pavimentis rimæ fiant, ob arescentes aut pandantes contignationes, permanente structuræ soliditate. Nam si quo loco aut paries, aut trabs valde robustior cæteris subjecta sit, eo loci findetur pavimentum, atque vitiabitur. Curandum igitur est, ut ossa, quibus sustinetur, viribus sint valida & inter se coæquaia, deinde ne misceantur axes diversi generis lignorum. Et si necessitas coegerit, provideatur, ut axes, quod damnum facere possunt, cum torquentur, tenuiores & subtiliores secentur : nam ita minus valebunt, & facilius clavis continebuntur, tanto magis, si transversi atque directi duplici tabularum ordine ponantur ; deinde in singulis tignis, extremis partibus axis, bini clavi figantur, uti nulla ex parte possint se torquendo anguli excitare : ita igitur provisum erit, ut perpetuo tenore solum exæquatum sternatur, & coaxatio temperetur.

II. 13 §.4. *Coaxationes.*) *Assis* enim vel *axis* notat tabulas, Belgis *deelen, plancken:* Vitr. IV. 2. VII. 1. Colum. *de R. R.* II. 19. & 30. Pallad. *de R. R.* I. 9. (*asseres* enim proprie sunt *latten.* Vitr. IV. II. vid. Hotoman. *ad Cæs. de B. C.* II. 2.) hinc *axare, assare; coaxare coassare.* I. contabulare, assibus sternere, Germ. *mit bretern spunden, tafelen.*

II. 13. §. 4. *Esculus enim* &c.) Audi etiam Palladium *de R.R.* I.9. *In fabricis planis* Pavimentorum *observandum est, ut æqualis & solida contignatio fiat, ne gradus ambulantium tremorem fabricæ titubantis excutiat. Deinde ut axes quernæ cum esculeis non misceantur: nam quercus humore concepto, cum se cœperit siccare, torquebitur, & rimas in pavimento faciet: esculus autem sine vitio durat: sed si quercu suppetente esculus desit, subtiliter quercus siccetur, & transversus atque directus duplex ponatur ordo tabularum, clavis frequentibus fixus: de cerro aut fago aut farno diutissime tabulata durabunt, si stratis super paleis, vel filice, humor calcis nusquam ad tabulati corpus accedat.* Vitruvio hæc debuit ex parte VII. I. hoc loco & apud Vitruvium *l. l.* ἀντὶ τοῦ *farno,* quod arboris genus ignoramus, forte legendum *fraxino*: nam teste Vitruv. II. 9. ulmus & fraxinus, *simul vetustate sunt aridæ factæ aut in agro persectæ, qui inest in eis liquor stantibus, emoritur: fiuntque duriores, & in commissuris & in coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes:* hinc cum *materiæ caussa,* ut inquit Plin. *H.N.* XVI. 13. *reliquas arbores natura genuerit, copiosissimam* tamen *fraxinum,* quæ, ut idem *c.*43. deinde ait, *obedientissima quocunque in opere.* Sed forsan *farnus* est vox minus nota in vulgus; quæ etiam hodie Italismo remansit, & notat de genere quercuum arborem: teste Philandro *ad Vitruv.* VII. I.

II. 13. §. 5. *Licet vero Statumen* &c.) Exempla vide apud Columell. *de R.R.* IV. 16. VI. 19. item costas trabales navium notat ap. Cæs. *B. C.* I. 54. Sed in pavimentandi argumento *Statumen,* præeunte Philandro, & hunc sequente Barbaro *ad Vitruv.* VII. I. est, quicquid pro fulcimento sternitur, id est, inductionis corium imum stratum, quod ex grandioribus saxis, id est, non minoribus, quam quæ possint manum implere, conficitur. Obiter nota in Inscriptione, quæ mox sequitur, ubi puncta vides, ibi desiderari spatium supplendum quatuor literis.

II. 13. §. 6. *Rudertionem.*) Itali vocant *sgrossare, terrazzare.* Ruderandum autem est vel *pede plano,* vel *in contignationibus sub tecto,* vel *supra contignationes sub divo.* Omnibus his locis commune est, ut stratum, quod substernitur, solido & æquabili loco nitatur; sed alibi major diligentia est adhibenda, ob vitia, quæ fieri possunt in pavimentis struendis, ut durent ad vetustatem. Inducto autem rudere, vectibus & baculis ligneis pinsandum est crebiter, ut solidetur: *classes* vero pinsantium immittendæ, quæ *non majores* aut minores, *quam denum hominum sunt faciendæ, quas Decurias appellaverunt antiqui, & maxime probaverunt, quod is numeri modus in opere commodissime custodiretur, nec præeuntis monitoris diligentiam multitudo confunderet,* ut ait Columella *de R.R.* I. 9. excerpo hæc, sed recensita a me accuratius, ex Barbaro *ad Vitruv.* VII. I.

II. 13. §. 7. *Nucleum.*) Italicis Architectis dicitur *Anima:* addit Baldus *in Verb. Vitr. Sign. h. v.* ideo
,, Nucleum dici, quod medium locum obtineat;
,, vel quod fragmenta tusæ testæ nucleis olivarum
,, & aliis hujuscemodi haud sint absimilia.

II. 14. §. 1. *Græci.*) Imo longe antiquiora videntur. Davidis ætate in Palæstina jam *pavimenta subdialia* fuisse colligimus ex II. *Samuel* XI. 2

II. 14. §. 4. *Duabus partibus unam calcis vivæ.*) Quæro, ubi hoc Plinius aut Vitruvius dixerint. Ita enim diserte Vitruv. VII. I. de subdivalibus pavimentis agens: *Ruderi novo tertia pars testæ tusæ admisceatur, calcisque duæ partes ad quinque mortarii mixtionibus præstent responsum.* Plinius vero *l.l. Ruderi novo tertiam partem testæ tusæ addi, necessarium est: deinde rudus, in quo duæ quintæ calcis misceantur.* Puto nostrum Bergierium in animo habuisse hunc Palladii locum, de pavimento mansionis hibernæ, *de R.R.* I. 9. *Tum super statuminabis rudus, id est, saxi contusi duas partes, & cum una calcis temperatæ constitues.*

II. 14. §. 5. *Docet l.l. Vitruv.*) Auctor noster passim Vitruvio hic & in seqq. usus est, ita tamen ut sæpius nullum ejus indicium faciat, sed verba vernacula quasi sua admetiatur: puto itaque me, cum Lectoris venia, majori religione usum, cum studiose ipsos fontes perquisivi, & indicavi.

II. 14. §. 6. *Ex calcis duabus* &c.) respice notata ad §. 4.

II. 14. §. 6. *Stratum supremum* &c.) respice supra notata ad *Sect.* 12. §. 6. & de *Spicatis testaceis* vide deinde ad *Sect.* 20. §. 9.

II. 14. §. 7. *Fraces.*) Cato *de R. R. c.* 128. similiter ait: *Habitationem delutare cum voles, terram quam maxime cretosam vel rubricosam sumito: eo amurcam infundito, paleas indito. Sinito, quatriduum fracescat: ubi bene fracuerit, rutro concidito: ubi concideris, delutato. Ita neque aspergo nocebit, neque mures cava facient, neque herba nascetur, neque lutamenta scindent se.* Porro ut ea, quæ *Sect.* 13. 14. *& seqq.* de pavimentandi ratione dicuntur, accuratius intelligas, consule figuram, quam Goeree nobis suppeditat ad *Sect.* 21. §. 7.

II. 15. §. 3. *Quantum ad palos* &c.) Vitruv. III. 3. optime exponit: *Sin solum autem solidum non invenitur, sed locus erit congestitius ad imum, aut paluster, tunc is locus fodiatur exinaniaturque & palis alneis aut oleagineis aut robusteis ustulatis configatur, sublicæque machinis adigantur quam creberrimæ, carbonibusque expleantur intervalla palorum, & tunc structuris solidissimis fundamenta impleantur.*

II. 15. §. 3. *Fistuca* &c.) Dan. Barbarus *ad Vitruv.* I. 5. ,, Fistucæ sunt instrumenta lignea, quæ
,, vel suspensa funibus trochleisque a tignis demit-
,, tuntur supra directos palos, ut crebris ictibus
,, inculcentur & figantur: vel ansis manibus com-
,, prehensa extolluntur, ut pali sublicæque ea ma-
,, china adiguntur. E quo autem ligni genere pa
,, lationes fiant, declaratur II. 9. Fistuca etiam
,, pavitores utuntur, cum locus aut omnis, aut ex
,, parte congestitius fuerit, ut habetur VII. I. Adi-
,, guntur autem pali crebro potius ac continuato,
,, quam vehementi & oneroso ictu: hæc ibi deinde
,, ad III. 3. notat: ,, Pali Fistucis, quos nos *Bec-*
,, *cos* dicimus, adiguntur, vel opera hominum
,, ansis earum manibus comprehensis, vel trochlea-
,, rum ictibus intermissis & temperatis, æquisque,
,, ut recti pali configantur. Nostri decuriis immis-
,, sis palos adigunt lente admodum & inter ictus
,, prolixo quodam ad fastidium vocis tenore com-
,, morantes exspectant, inde unanimes fistucam re-
,, sumentes, iterum adigunt, iterumque ad sonum
,, & moram ducentes alium ictum exspectant. Hæc Barbarus. Amstelædami, quæ æque atque Venetiarum urbs palationibus fundatur, quotidie fistucationes videri possunt: figuram quoque exhibent *fistucæ pendulæ ex trochlea* Philander *ad Vitr.* III. *ansatæ* vero Johannes Jocundus Veronensis in descriptione Pontis a Julio Cæsare facti super Rhenum

de B.G. IV.17. quæ figura in plerìſque Cæſaris editionibus exhibetur in limine librorum.

II. 15. §. 3. *Fiſtucæ tales ſive ſublicæ.*) Auctor noſter hoc §. 3. *Fiſtucas* & *ſublicas* ſynonyma fuiſſe ait: ſed vereor, ut recte: quæro auctoritatem idoneam. *Sublica*, ut docet Philander *ad Vitr.* III. 3. & eo præeunte Barbarus *ad l.l.* lingua Volſca palum majorem, ſeu oblongas trabes ſignificat, unde & *Pons Sublicius*: *Fiſtucam* vero etiam poni pro *Sublica*, quæ fiſtucatur, nondum legi apud ullum idoneum Auctorem.

II. 15. §. 3. *Latini vocant Cannea pavimenta, teſte Grapaldo.*) Nec teſtis hic claſſicus eſt, nec Latini ſic vocant, ſed Itali hodierni. Audi pontificem Sipuntinum, Nicol. Perottum *in Corn. Cop. p. m.* 147. *ed. Baſil.* 1532. quem imperite ſublegit Grapaldus: „ Apud veteres primo facta ſunt pa„ vimenta, quæ *Barbarica* ſive *Subtegulana* vo„ cantur, ex teſtis tuſis, rudere & calce. In Ita„ lia feſtucæ (intelligit *paleas*, *filicem*, *arundines* „ ſiccatas) ſubjiciebantur, propter quod *cannea* „ vocitata: hæc ille, nam *canna* Italis eſt arundo, æque ac Latinis *canna paluſtris*.

II. 16. §. 6. *Igne & aceto.*) Livii locum optime expoſuit Turneb. *Adv.* XIII.18. qui videndus. Alii vero hanc narrationem pro fabella habent. Sunt enim qui Hannibalem per cavam quandam viam ac manufactam ad ſaltus Auguſtæ Cæſareæ perveniſſe putant, teſte Godelevæo ad Livii *l. l.* Sane Polybius III. 10. quæ de incredibili Alpium aſperitate & itinere, nulli ante Hannibalem, præterquam Herculi, tentato narrantur, mendacio non carere ait. Satis enim conſtare, Gallos Rheni accolas non ſemel, neque bis ante id tempus in Italiam veniſſe. vide Plin. XXXVI. I. Æg. Tſchudum *de priſc. ac vera Alpina Rhœtia c.* 32. Volunt nonnulli Recentiores, Hannibalem per *montem Jovis*, quem vulgo *Ciniſum* vocant, tendentem verſus Gebennas, tranſiiſſe. Putem ego, cum tam conſtanter veteres de artificio apertarum ab Hannibale Alpium loquantur, cum grano ſalis eos eſſe intelligendos, uti etiam facit acutiſſimi Vir judicii Thomas Browne *Pſeudox. Epidem*: quam Anglice conſcripſit, VII.18.§.2. Certe Auctor vitæ Hannibalis, quæ Plutarchi *vitis* adjicitur, interprete, aut, ut alii verius credunt, plane auctore Donato Acciaiolo, modeſte ita narrat *c.* 18. *Quibuſdam locis per ingentia ſaxa igni acetoque putrefacta ſibi aperuit iter.*

II. 16. §. 11. *Viæ Subterraneæ in Italia.*) De Cumana vide Leandri Alberti *Italiam p.* 257. & ſeqq. *edit. Latin. Colon.* 1567.

II. 16. §. 12. *A Puteolis Neapolin.*) Notet Lector, quod Bergierius hic paſſim ſecutus ſit cum Leandrum Albertum, tum Steph. Vin. Pighii *Herc. Prod.* confer ergo huic §. 12. 13. & 14. *Herc. Prod. ed. Colon.* 1609. *p.* 344. 345. 346. adde Senecam *Epiſt.* 57. qui *Cryptam Neapolitanam* vocat.

II. 16. §. 14. *A. L. Lucullo* &c.) Addit *l. l.* Albertus: „ Nos *Coccejum* auctorem exiſtimamus, ver„ bis nimirum Strabonis inhærentes, qui, ut an„ tea commemoravimus, *Coccejum* cavam illam ac „ ſubterraneam Viam a Cumis uſque Bajas, & al„ teram a Puteolis ad Neapolim feciſſe tradit. Et „ quod de *Lucullo* dicunt, id ſi veritate niteretur, „ haud adduci poſſum, ut a Livio Plutarchove ſi„ lentio debuiſſe præteriri credam, qui ſingilla„ tim, quæ is ædificavit, & opera momenti lon„ ge minoris omnia perſecuti ſunt. Quod ad *Baſ*„ *ſum* attinet, equidem de duobus tantum *Baſſis* „ mentionem Scriptores facere comperimus: uno „ *Ventidio Baſſo*, cui Fortunam adeo faviſſe Juve„ nalis VII. 199. ait, ut ab obſcuriſſimis natalibus „ dux Romanarum legionum evaderet: neque „ præter facta militaria quicquam de hoc amplius „ invenitur. Alterius *Baſſi* memoria quam mini„ ma, fereque nulla eſt, uti hominis ignobilis: „ quam ob rem opus ampliſſimum verius a *Coccejo* „ factum exiſtimamus, quam ſententiam Paullus „ Iovius *in vit. Pompeii Columnæ Cardinalis* ap„ probat. Plinius hujus montis perfoſſionem mo„ menti longe majoris fuiſſe, quam Villæ cujuſ„ quam ædificationem ait: hæc Albertus. Plinii locus vero huc non quadrat: ita enim H. N. IX. 54. ait: *Lucullus exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam Villam ædificaverat, euripum & maria admiſit.* Ergo non innuit Viam Cryptæ Neapolitanæ.

II. 16. §. 14. *Xerxes Togatus*, teſte Plinio *l.l.* & Plutarcho *in vit Luculli c.* 72.

II. 16. §. 14. *Albertus l. l. appellat Cumanum.*) hoc fruſtra quæro in Latina verſione. In *Ventidiis* reperio *Baſſos* & *Cumanos*, teſtibus *Faſtis Capitolinis* apud Andr. Schottum *in Elect. Ant. Rom. p. m.* 48. adeo ut non omnino de nihilo ſit conjectura vulgaris illa, quæ ad *Baſſum Cumanum* refert hoc opus.

II. 16. §. 14. *Coccejam gentem in Campania floruiſſe.*) Pighius *Herc. Prod. p.* 359. adfert Puteolanam Inſcriptionem in pariete templi D. Proculi, olim Auguſti, ſiniſtro, quæ *L. Coccejum L. & C. Poſtumiorum Libertum Auctum Architectum* commemorat.

II. 16. §. 14. *A Romanis perfoſſus.*) Vide hic omnino de *Crypta Traconaria*, aliiſque in eo monte operibus ſupra fidem & admirationem, teſtem αὐτόπτην Albertum *l.l.p.* 259. 260.

II. 18. §. 9. *Mouſonium.*) Urbs eſt Campaniæ in Luxemburgico confinio.

II. 19. §. 4. *Albertus babeat tunſam teſtam minutiorem.*) Præeunte, ni fallor, eodem Plinio *H. N.* XXXV. 12. *in fin.* *Quid non excogitavit Ars? fractis etiam teſtis utendo, ſic, ut firmius durent, tuſis calce addita, quæ vocant Signina: quo genere etiam Pavimenta excogitavit.*

II. 19. §. 6. *Pulverem Puteolanum.*) Adde Plinium *H.N.* XXXV. 13. ubi quærit: *Quis ſatis miretur peſſimam* terræ *partem, ideoque Pulverem appellatum, in Puteolanis collibus opponi maris fluctibus, merſumque protinus fieri lapidem unum, inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidie, utique ſi Cumano miſceatur cæmento?*

II. 20. §. 2. *A latitudine.*) imo verius a pluribus *lateribus*, conſentiente lege quantitatis ſyllabæ primæ.

II. 20. §. 6. *Cur hæc trina* &c.) Ut hæc tanto melius intelligas, adde notas & figuras Barbari *ad Vitruv.* II. 3 *p.m.* 54.

II. 20. §. 6. *Videtur Plinius* &c.) Baldus *de Verbor. Vitruv. ſignific. voce Didoron, ait*: „ Corruptus Codex Plinianus. Hermolaus pro *Did*„ *oron* habebat *Lidorum*, vetuſtior *Lydium*, nul„ lo ſenſu. Δῶρον *Palmus* dicitur, & inde fit, „ ut *dona* apud Græcos δῶρα dicantur, eo quod mu„ nus, ut ait Vitruvius, *ſemper geritur per ma*„ *nus palmum*. Obſervamus, non ſine admira„ tione, Plinium, qui e Vitruvio exſcripſit, ab „ eodem diſſentire. Dixerat Vitruv. *Didoron*, „ *longum pede, latum ſemipede*: Plinius vero, „ *longum ſeſquipede, latum pede*. Duplicat ergo „ ſpatia, quod latuit Hermolaum. Peto ego a Pli„ nio, quomodo *Didoron* ſit *latum pede*, ſi *pes* „ *quatuor palmos* continet? Erit ergo *tetradorum*. „ Recte ergo Vitruvius latum ſemipede, id eſt, „ palmos duos: nomen a latitudine, non a lon„ gitudine factum.

II. 20. §. 9. *Spicatorum Teſtaceorum* &c.) Philander ad Vitruv. *l. l.* „ Fit Pavimentum *Spicatum* „ *Teſtaceum*, laterculis coctilibus junctis & in

,, latus proclinatis ad spicarum imitationem, vulgus vocat *Piscis spinam*. Romæ in eo Pavimenti antiqui genere visuntur laterculi crassi digitum unum, lati tres, longi sex: sunt & longi digitos quatuor, crassi unum, lati duos: hæc Philander, qui formam *Spicatam* exhibet talem



Vides hic duas quasi *Spicas* hordei. Baldus *in Verb Vitruv. Sign. b. v.* allato hoc loco subjicit: ,, Passim fiunt a nostris ejuscemodi Pavimenta, Nos dicimus facta *a spina pesce*, quæ sane concinna sunt & utilia. Atqui Barbarus aliter sentit: ait enim: *Quoniam vero & Testacea Pavimenta fiebant in spicæ modum exacta, quæ constabant arena, calce, testis & quarta parte Tiburtini saxi contusi, in quæ laterculi pollicis crassitudine & semipedali longitudine inserebantur, ordine spicato, ut descriptio ostendit & repertum est in veterum monumentis. Ideo Vitruvius ea diligenter exigenda dicit, ut non habeant lacunas vel exstantes tumulos, id est, ut non sint in ventrem concreta, vel fossiculas faciant, sed sint extenta & ad regulam perfricata: hujusmodi Pavimentum ita fiebat, ne humor & aquæ liquor ad contignationem vel coaxationem pertingerent. Supra vero contusi marmoris & arenæ crusta calce permixta, quam loricam vocat Vitruvius, inducebatur, quæ opus spicatum tegebat.* Hæc ille: ex cujus verbis colligitur, scutula, trigona & cætera ejusmodi, imo & diligentiam totam, quam Architectus in fricatione & exactione requirit, non quidem ad pulcritudinem facere, sed ad utilitatem; nempe cum Pavimenta supra contignationes fiunt. Ait enim aperte Vitruvius: *Super fricaturam lævigationibus & polituris cum fuerint perfecta, incernatur marmor, & supra loricæ ex calce & arena inducantur*. Et sane mirum est, tantam diligentiam ab eo in opere, quod postea tegendum & abscondendum erat, requiri. Res tamen ita se habet, quod non considerasse Philandrum magnam certe admirationem facit. Cæterum *Spicatum* a *spicis* dictum, palam est, non tamen, ut puto, a situatione spicata laterculorum, sed quod laterculi ipsi *spicæ* appellarentur, a figura oblongula & angulata, qua ratione etiam hastarum *spicula* a *spicæ* ipsius forma dicta fuisse, rationi est consentaneum.

II. 21. §. 1. *Supra Nucleum*.) Vitruvius *Barbari* habet: *Supra Rudum*.

II. 21. §. 2. *Si Tesseris stratum*.) Vitruvius Barbari: *structum*: & deinde pro *nullique* exstat. *nullibique*.

II. 21. §. 3. *Nullibi gradus*.) Vitruv. Barbari habet: *Nulli*.

II. 21. §. 4. *Diversæ species Marmoris*.) Commode tamen satis potest distingui Marmor, quod vocamus generatim Lapidem eximium duriorem, qui polituram & lævigationem & hinc splendorem admittit: nam varie potest considerari, ut α. ratione substantiæ: qua est vel perfectius & nobilius; vel imperfectius, ignobilius, quodammodo scabiosum, non æqualiter cohærentibus partibus: A hoc commode scalpi non potest, quod silicis instar dissiliat: *Granulatum* dicitur a Bootio *de Gemm. & Lap.* II. 266. β. ratione natalis lapicidinæ, ut in *Parium*, *Carystium*, *Numidium*, *Lunense*, etss. γ. ratione duritiæ majoris minorisve, in *marmor* stricte dictum, sive lapidem *Marmorosum* & *Alabastritem* lapidem: hic videtur marmor nondum satis induratum, quod tempore tamen magis durescit. Boot. *l. l. c.* 268. *Alabastrum* videtur imperfectus Alabastrites, qui cultro scindi potest. δ. ratione ætatis, aliud est recens, aliud dudum excisum. *Omne marmorum genus cum primum eruitur e fodinis, mollius est, ac tempore postea adeo indu-* B *rescit, ut vix scalpi possit: quædam tamen marmora citius, quædam tardius indurantur, ac longo ævo iterum emollescunt, exeduntur, tandemque in terram resolvuntur*. Boot. *l. l. c.* 266. ε. ratione coloris, qui vel simplex, vel multiplex, vel varius est: varius autem vel uniformis, vel variegatis quasi formis pictus, ut *maculis*, *guttis*, *punctis*, *lineis*, *striis*, *stellulis*, *venulis*, *undulis*, *nubeculis*, etss. vide §. hunc 4. ζ. ratione Amatorum aut Principum, sub vel a quibus repertum aut maxime in usum tractum fuit, varia etiam cognomina Marmor accepit, ut *Luculleum*, *Augustum*, *Tiberium*, *Obsidianum*, etss. η. ratione molis ac figu- C ræ, ut sunt *Segmenta*, *Sectilia*, *Tesseræ*, *Trabes*, *Mensæ*, *Laminæ*, *Crustæ* &c. adde infra v. 5. & 11. ibique notata.

II. 21. §. 5. *Non lumina cessant*.) Sic Politianus & plerique legerunt: Calderinus aliique *Limina*. scilicet nec ipsa limina Balnei hujus marmoribus preciosis vacasse. Plinium vide XXXVI. 6. de hoc luxu: mox mallem legere: *In species animosa nitent*. Cæterum non possum non hic annotare gemellum locum Papinii *Sylv.* II. 2. *vs.* 83. *& seqq.* de Surrentino Pollii:

D
Una tamen cunctis procul eminet, una diætis
Quæ Tibi Parthenopen directo limite Ponti
Ingerit: hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa: quot Eoæ respergit vena Syenes:
Synnade quot mæsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros: ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi,
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, & gaudens fluctus spectare Carystos.

II. 21. ad §. 7. & seqq.) Lithostrotorum rationem E nemo accuratius exposuit, quam Gulielmus Goeree, in elegantissimo & studiosissimi laboris atque acris judicii libro, quem Belgice *de Antiquitatibus Biblicis* vulgavit, Amstelædami 1690. duobus tomis maximæ formæ. Ex eo itaque Auctori nostro lumen fœnerabimus, nec non excerpemus, recensebimus ἀκριβέστερον, ac vertemus sequentia ad nostrum institutum, v. 6. ubi ait: ,, Veteres mirifice delectati fuerunt variis atque artificio & sumtu conspicuis pavimentis nec non camerarum ornamentis. Frequens istorum mentio apud Auctores Græcos Latinosque, & diversa sunt nomina, quæ inter, præcipua dignitas videtur fuisse *Li-* F *thostrotis*; hæc enim a cæteris pavimentis impendio & artificio plurimum differunt: quippe hæc variis vicibus & ordine disposita & digesta erant ex lapidibus duorum pluriumve colorum, aut etiam ex lapidibus pictis, crustave picta fiebant, quorum nonnulla a nostris Pavimentis, quæ vulgo *Italica* vocamus, & quæ in nostris atriis, cubiculis, conclavibus ostentant magnifico ornatu favos, rhombos, scutula, trigona, quadras, orbes, margines in quincuncem formatos & simi-

,, les

MVSIVA ET LITHOSTROTA PAVIMENTA

Pag. 680

les figuras, non valde abludebant. Sic legimus & Estheræ I. 6. in atrio Palatii regis Ahasveri fuisse *pavimentum e porphyrite & marmore, cum in solo, tum in ambitu*. Verum ut hæc Veterum Pavimenta quodammodo erant diversa, & diversis inde nominibus a Scriptoribus notata, quorum alia videntur respexisse digestionis & compositionis modum, alia materiam & colorem lapidum, alia operis ipsius integram conformationem, alia etiam locum & solum, ita & Interpretes in illis dilucide exponendis in diversa abeunt: nonnulli etiam plane aberrarunt. Ita reperias *Pavimenta Sectilia, Tesselata, Lithostrota, Musiva*. de binis prioribus loquitur Vitruvius VII. I. *Sectilia* nobis videntur fuisse segmenta aut per serram dissectæ lamellæ marmoris purissimi, ad modulos operis exactæ: *Tesseræ* vero quadrati æqualis magnitudinis lapilli. Philander *ad l.l.Vitr.* refert *Sectilia* ad opus *Musivum*; *Tesseras* vero ad *quadrata grandia*: at Baldus *de Verb. Vitr. sign. voce*: *Tessera*, refert e contrario *Tesseras* ad opus *Musivum*; & *Sectilia* esse secti marmoris *quadrata grandia*. Sed neuter recte hanc rem assecutus saltem in tenebris eam ex parte relinquit uterque. *Tessera* ἀπὸ τοῦ τέσσαρα, *quatuor*, notat κατ' ἔτυμον ut plurimum lapides quadratos: quare vero propior nobis videtur Salmasius *Exerc. Plin. ed. Ultr. p.* 854. cum inquit: Tessellata *Pavimenta omnino diversa fuerunt a* Lithostrotis, *ut clare significavit Plinius*: *male igitur viri doctissimi* Lithostrota & Tessellata *eadem faciunt*. Lithostrota *sectis parvulis marmorum crustis strata erant ex diversi generis & coloris marmoribus, non tinctis*: Tessellata *ex parvis Tessellis, hoc est, calculis quadratis in varios colores tinctis*: pergit paullo post: Sectilia, *in varias figuras sectæ lapidum crustæ, quibus inducebatur Pavimentum. Has figuras in Sectilibus usitatas memorat Vitruvius* VII. I. scutulas *sive* rhombos, trigona, quadrata & favos, *id est*, hexagona. *E ligno etiam hodie his figuris fiunt* Sectilia *pavimenta*: *sed & ex latere coctili*. *Structum vero Tessellis pavimentum ex parvis calculis quadratis in varios colores tinctis ad exprimendam aliquam imaginem, aut avis, aut piscis, aut hominis, aut aliam quamcumque*. Lithostrota *in pavimento ac solo mansere*; Tessellata *ad cameras translata &* Musivi Operis *nomine appellata sunt*. Doctissimus Perraltus *in Annotat. ad Vitr. l.l. Sectilia* & *Musiva* ita distinguit, ut hæc *Musiva* putet quadratis, aut fere ad hanc figuram accedentibus, parvis lapillis, qui singuli suos sibi proprios ac simplices habebant colores, coagmentatum opus fuisse, uti videmus propemodum esse subtemen in peristromatis. At in *Sectilibus* crustulæ marmoris seligebantur non solum pro ratione ac diversitate sui coloris, ejusque plus minusve saturi ac intensi, ad indicandum luminis ac umbræ recessum ac repercussum; sed etiam planæ illæ crustulæ ad latera sua vario modo secabantur lunulatæ, orbiculatæ, acutæ, obtusæ, serratæ & similiter ad formam operis, cui erant adferendæ. Hæc opera Sectilia credit fuisse *Lithostrota*, quæ hodie rursus apud Gallos in usum revocata nominantur *Pavez de pierres rapportées*. Alii *Musiva* & *Lithostrota* eadem putant, primum a Sylla Romæ coepta, qui ante N.C. anno 170. templum Fortunæ Præneste tali pavimento, de quo mox plura, exornavit. Artem hanc Veteres in Pavimentis solum conculcari dolentes, eandem quoque ad cameras & parietes atriorum, cœnaculorum, conclavium transtulerunt; hinc in Templa & *Musea* Doctorum transierunt: subinde etiam acri industria & judicio fiebant ad instar rupis e vivo saxo speluncæ, cryptæ, nymphæi, antri. Quoniam vero in hiscis locis *Musæ*, artium Deæ tutelares & nutriculæ Liberalium, per emblemata ejusmodi pavimentorum & camerarum solebant exhiberi, hinc illis nomina hæserunt *Musea*, *Musia*, *Musiva*; a quo postremo Gallorum *Mosaïque* est detortum, quod doctiores rectius exarant *Musaïque*. Errant enim vehementer, qui a *Mose* hanc rem & vocem repetunt. Hinc generatim *Musiva opera* pro emblematis pavimentorum & camerarum & illorum artifices *Musivarii*. Hanc simillimam vero esse vocis illius originem, multæ ex antiquitate docent reliquiæ: sic in vetustissimo Lugduni in Galliis templo pavimentum Musivum ostendit Artes Liberales. Templum Trœzene in Peloponneso non solum *Musis* sacrum, sed & ab iisdem *Museum* est dictum, destinatumque erat Virorum Eruditorum concilio & conventibus sive συμφωνήσεσι. hinc etiam *Museum*, *Musæum*, vulgo dicitur conclave studiis dedicatum. Philostratus & Dio Chrysostomus meminerunt talis *Musei*, quod Alexandriæ erat, quale & a Claudio Imp. deinde exstructum. Hinc Spartianus *Hadrian. c.* 11. (al. 20.) notat, *Apud Alexandriam in Museio Professoribus* ab Hadriano *quæstiones fuisse propositas, &* vicissim *propositas*, ab ipso *dissolutas*. Vitruvius IV. 6. ubi agit de ornamentis forium, meminit etiam *cerostroti* operis, quod maxime locum habuit in pulchri coloris lignis. Villalpandus exponit item alia genera *Hyalostroti* & *Xylostroti*. *Cerostroton* fiebat e lamellis corneis; *Hyalostroton* e particulis vitri variis & diversis coloribus tincti; *Xylostroton* ex segmentis ligni colorati, quale sine dubio opus est, quo apud nos & maxime apud Gallos adhuc exornantur armaria, tablina, pinacothecæ, tabulæ, mensæ, januæ. *Lithostrota* primum Græcis, deinde & Romanis in usu fuisse, præter Plinium, Ausonium, Varronem, Papinium, Suetonium & alios testatur quoque D. Johannes XIX. 13. Suaresius, Velserus, Kircherus, Sponius, aliique recentiores nobis ex Veterum reliquiis varia produxerunt exempla & rudera, ex quibus non obscure apparet hujus operis ratio. Inter cætera excellit, quod repertum est in templo Fortunæ Præneste, adeo ob artificii excellentiam celebratum, ut pictor nullus illud valeat superare. (Sed de his vide Suaresium *in Descr. Prænestin. Reliquiar.*) Inquirit deinde Goereeus, num illa Prænestina emblemata sint monstra potius ludentis artificis, quam ex rebus finitis imagines certæ, creditque arte istorum emblematum exhiberi cultum Fortunæ. Originem mox inquirit horum pavimentorum, putatque eam esse ex more prisco in epulando per florea prata jacentium aut sedentium; imitamenta floridi quasi tori accumbentibus præbere hæc emblemata pavimentorum, his successisse tapetia humi strata, ut viliori precio & facilius parabilia, mox sellas & scamna, tandem lectos & triclinia in usum venisse: miseros in luctu sibi substravisse non florida stromata, sed cinerem immundum; non Tyrias vestes, sed saccos pingues & crassæ texturæ: huc alludi Matthæi XI. 21. Jesaiæ LVIII. 5. Ad partes quoque suas deinceps advocat Oudanum, qui Belgice *Magnitudinem Romanam* ex nummis exposuit, & non pauca de *Viis Militaribus* ac *Pavimentis* Veterum disputavit: ubi præter alios locos adfert & Ausonii *Mosell. vs.* 48. *ets*

I nunc, & Phrygiis sola lævia consere crustis
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

& Prudentii περὶ στεφ. *in Hymno III. Eulaliæ Virgini* : *vs.* 196. *& seqq.* A

Tecta corusca superrutilant
De laquearibus aureolis ,
Saxaque cæsa locum variant ,
Floribus ut resoluta putes
Prata rubescere multimodis .

qui loci verosimilem reddunt Goereei opinionem super origine horum Pavimentorum: huc etiam refert Neronis & Elagabali luxum, qui unionibus & gemmis cubiculorum suorum pavimenta distinxerunt. In Provincias etiam Pavimentorum segmentatorum luxum penetrasse ait: Notum esse Velseri Pavimentum Augustanum: Hedam αὐτόπτην testari, tale pavimentum Vosburgi in ruinis esse repertum: Zonaram vero tradere, Constantinopoli esse forum tali pavimento exornatum: Nostra ætate tale quoddam videri in Curia Amstelædamensi, quod Cœli Terræque orbem repræsentet: item apud V. Ampl. *Gerhardum Hulst* videri mensam sive tabulam e lapide Lydio, cui, mirifica arte, unionum conchæ insertæ variis ex floribus, qui veris certent, sertum exhibent, Poetis Amstelædamensibus miraculi inusitati laudibus decantatum.) Pergit deinde Goereeus: B

,, Sunt, qui putent *picta* primorum Græcorum *Pavimenta* C
,, (nonnullis male visa *Musiva*) fuisse inducta &
,, exæquata signini operis firma & durabili crusta,
,, cui postea inducebatur nova litura, forsan eo
,, modo, quem Itali *Fresco*, nostrates *Natte Kalck*
,, vocant, quæ illinendis coloribus & picturis
,, solum sternebat. Verum quoniam facile pedum
,, attritu deterebantur, obsolescebant & tandem
,, evanescebant, conjicere licebit cum nonnullis,
,, *Pavimenta* hæc *picta* crusta ex colorato signino,
,, vitro, talco, alabastro, calci permixtis & du-
,, rescentibus fuisse elaborata: sive forsitan hanc
,, crustam secundum artis opticæ & picturæ ratio-
,, nes nitide coæquarint & adaptarint; uti etiam D
,, hodie in gypso & molliore inductu figuræ prius
,, cælantur, & ignis ope emblemata deinde duran-
,, tur: sive forsan, ut alii putant, in pavimen-
,, to marmoreo factas fossulas emblematis insertis
,, expleverint, quale opus Oudanus paullo ante
,, in orbibus Curiæ Amstelædamensis admirabatur.
,, Verum nos credimus vero similius, tale opus es-
,, se quasi genus quoddam tralatitium veteris ope-
,, ris *Musivi*; scilicet vulgata opera *Lithostrota* &
,, vere *Musiva*, quæ ex variis segmentis marmoreis
,, ad artificiosam figuram coagmentata erant pavi-
,, menta, expulerunt *Pavimenta picta*, quod il-
,, la & sumtu & artificio non solum præcellerent, E
,, sed & marmoreis pavimentis proxime conveni-
,, rent: adeoque Orbes illi terrestris & cœlestis in
,, atrio curiæ Amstelædamensis magis ad *picta* illa
,, primorum Græcorum *Pavimenta*; quam ad
,, *Musiva* aut *Lithostrota* videntur referendi: nam
,, hæc bina posteriora omnino componebantur ex
,, veris marmoreis crustulis & segmentis, quæ non
,, nisi dispositionis aut loci stationisve ratione di-
,, versa erant, ut diximus, quod & ipsæ veterum
,, pavimentorum reliquiæ loquuntur. Quo autem
,, casu hæc pavimenta in ædificiis cœperint ne-
,, gligi, sive Gothorum forte in Italiam irruptio-
,, nes, ut Imperio, ita & Artibus ruinam attu- F
,, lerint; sive temporum vicissitudine, cui plera-
,, que opera sunt obnoxia, pristinam amiserint
,, dignitatem, ob sequiorum temporum negligen-
,, tiam in obscuro est. Sed restant tamen pulcher-
,, rimæ & veræ Veterum reliquiæ, quæ totam rem
,, ob oculos ponunt; sunt etiam nonnulla hodie
,, artificum opera, quæ Veterum *Lithostrota* sa-
,, tis clare adumbrant. Insuper Duccius, pictor
,, Italus, dicitur autem *Musivi pavimenti* faciendi,
,, majorum ætate denuo reperisse & revocasse: sa-
,, ne Pavimenta, uti modo de pictis dicebamus,
,, eleganter potuit insertis emblematis explere.
,, Hodie item utroque Veterum more in Gallia ali-
,, bique ad regias hæc ars adsciscitur, exornandis
,, pinacothecis & gazophylaciis: apparet itaq; hæc
,, apud eos Ars in artificiolis illis emblematis, quæ
,, *Pierres rapportées* vocantur; item in antris sive
,, cryptis factitiis, quæ ex unionum, muricum,
,, cochlearum conchis, valvisque, coraliis & va-
,, rii generis lapidibus ad cavæ rupis sive lymphæi
,, formam componuntur: item ex opere illo, quod
,, Galli *Marqueterie*, Itali *Tausia* & *Tarsia*, No-
,, strates *Spikkeling* & *Marmering* vocant, ac
,, quod fit ex lamellis corneis ac ligneis varii
,, coloris, quale erat *Cerostrotum* & *Xylostrotum*;
,, nec non ex eo opere, quod Galli appellant *Da-*
,, *masquinure*; in quo emblemata encarporum,
,, florum, & similium inferuntur lignis, metallis,
,, aliisque rebus. Licet vero emblemata abacorum,
,, armariorum, cæterorumque e ligno utensilium
,, apud nostrates fere in desuetudinem abierint, &
,, non nisi in suppellectile quasi antiquata subinde
,, adhuc conspiciantur; hæc tamen, quæ modo
,, dixi, opera emblematica & vermiculata satis
,, apte nobis adumbrant rationem *Lithostroti* &
,, *Musivi* veteris: in illis enim conspiciuntur re-
,, giones, campi, sylvæ, prata, prospectus, flo-
,, res, fructus, animantia & similia crustulis la-
,, mellisque ligneis varii & diversi coloris inserta
,, & quasi effigiata, quæ ratio emblematum proxi-
,, me accedit ad crustulas lamellasque marmoreas
,, operis *Lithostroti*. Pictæ quoque tessellæ nostræ
,, & laterculi, quibus pavimenta & parietes no-
,, stros quandoque aliqua ex parte vel omnino ve-
,, stimus, veterum illorum operum non nisi um-
,, bratica videntur imitamina. Porro uti constet,
,, quanta cura, quanto artificio, quibus impensis
,, Veteres hæc Pavimenta & opera elaborarint, ne
,, aut pedum attritu, aut ædificiorum pandatione
,, facile corrumperentur, rem totam tabellæ æreæ
,, figura expressam ob oculos ponemus: vides in
,, ea, quomodo Veteres Pavimenta contignata, qui-
,, bus summa crusta emblematum inducenda erat,
,, solidarint, confirmarint. Coassationes superio-
,, rem & inferiorem vides transversim decussatim-
,, que collocatas, ne rimæ fierent in Pavimentis,
,, contignationibus arescentibus, aut pandatione
,, sidentibus: unde etiam contabulationes & coas-
,, sationes non faciebant ex diversi generis lignis,
,, ut quæ raro æque diu durent. Tabulato deinde
,, filix vel palea substernebatur, ut a calce & statu-
,, mine minus offenderetur: cui fini etiam nostra-
,, tes, qui regione habitant humidiores, solent
,, pavimento substernere concharum & valvarum
,, marinarum fragmenta & minutias: hinc isti im-
,, ponebatur apud Veteres *statumen* & *rudus* ex
,, cæmentis & arenato, quod adigebatur fistuca li-
,, gnea, & postquam esset complanatum & coæ-
,, quatum pavicula, imponebatur corium strati mol-
,, lioris, sive *Nucleus*, crassus sex digitos. Huic ad
,, libellam & regulam exacto inducebatur marmo-
,, ratum, sive marmoris in pulverem tusi & calcis
,, mistura, hodie Itali *Stucco* vocant, cui infere-
,, bantur politæ marmorei pavimenti crustulæ &
,, lamellæ. Hoc Pavimentum pro arbitrio tum fie-
,, bat, vel ex crustulis paullo majoribus regularis,
,, ut dicunt, figuræ, spicatim & vicissim aliove
,, ordine digestis, sine ullis imaginibus, qualia
,, sex septem ex Rusconio hic exempla depingi-
,, mus: vel illi marmorato tessellæ marmoris varii
,, coloris inserebantur ad rationes opticas Musivo
,, opere, unde *Opus Quadratarium* in Inscr.
,, Lingonensi; quarum crustularum artificiosa di-

„ geſtio varias imagines reddebat, eaſque vel in
„ areolis ſuis diviſas & vicibus diſtinctas, vel ad
„ inſtar tabulæ pictæ, ut paullo ante monuimus,
„ ſectilia marmorea aliaque pro ratione rei exhi-
„ bendæ, loci, coloris, luminis, umbræ, ſecta
„ variis modis, & in marmorato, ſive *Stucco*,
„ adaptata coagmentabantur: quod marmoratum
„ cum iſtis ſectilibus ita deinde coaleſcebat indu-
„ rabaturque, ut tanquam unum idemque conti-
„ nuum opus non ſolum potuerit poliri & coæ-
„ quari, ſed & ut admitteret ambulantes, curren-
„ tes, aquam profundentes, eandem aut rejecta-
„ nea expurgantes, ſine ulla ſui læſione aut defor-
„ matione. Habes hic talis operis figuras ex reli-
„ quiis Præneſtinis, Auguſtanis, Caſſarii depi-
„ ctas. Pavimentis autem iſtis & cameris ita coa-
„ ptatis tandem fricatura ultimam, ut ſic loquar,
„ manum addebat, uti ſcilicet anguli omnes eſ-
„ ſent æqualiter plani, nec tumuli aut lacunulæ
„ exſtarant: fiebat hoc, dum ſilex multi ponde-
„ ris funibus alligatus trahebatur & retrahebatur
„ ſupra pavimentum, arenam aſperam continuo
„ & aquam ſpargendo; quod poſtea lini oleo lu-
„ cidiſſimum reddebatur: luſtres hic figuram nu-
„ mero I. quæ rem iſtam tibi ob oculos ponet. In
„ ſubjecta figura II. inter corium imum & tertium
„ vides corium ſive pavimentum ex bipedis tegu-
„ lis; quæ per omnia latera canaliculos habent di-
„ gitales; ita junctis, ut calce viva ex oleo tem-
„ perata bipedarum canales, qui inter ſe conne-
„ ctendi ſunt, impleantur, & earum conjunctio-
„ ne rudus omne cooperiatur: uſu hoc maxime
„ veniebat, cum ſubdialia fierent ejuſmodi pavi-
„ menta: ita enim ſiccata materia unum corpus
„ efficiebat, & nullum tranſmittebat humorem.
„ Ex his vero, quæ diximus, conſtat, quantum
„ temporis, quantum ſumtuum, in ſeligendis,
„ adaptandis, coagmentandis ejuſmodi teſſellis
„ & ſectilibus ad Pavimenta talia fuerit impen-
„ ſum. Hæc Goereeus.

II. 21. §. 7. Varro) Adde Ejuſdem locum ex *ſeq. ſect. l.l.* ubi Axio Senatori Appius Claudius augur: *Sed non hæc, inquit, villa, quanquam ædificarunt Majores noſtri, frugalior ac melior eſt, quam tua illa perpolita in Reatino. Nunc ubi hic vides citrum aut aurum? num minium aut Armenium? num quod emblema aut Lithoſtratum?* in Africa etiam fuiſſe talia Lithoſtrota docet Proſper *de Prædict. part.* III. *Apud Africam*, ait, *Carthagini Cæleſtis ferebat eſſe templum nimis amplum, omnium Deorum ſuorum ædibus vallatum; cujus platea Lithoſtrota, pavimento* (mallem legi: *Lithoſtroto pavimento*) *ac precioſis columnis decorata prope in duobus fere millibus paſſuum protendebatur.*

II. 21. §. 7. *Gabbatha.*) Nonno in Paraphraſi hujus loci *λίθοις στρωτοῖσι πετυγμένος*, *variis lapidibus ſtratis diſtinctus*: vox eſt Syro-Chaldæa; Nonno *Σύρῳ μύθῳ*; hæc enim Lingua tum Judæis pro Hebræa fuit: erat altus, peribolo (Syro: *Gephiphtha*) munitus, & ſegmentis lapidum artificioſe ſtratus locus, ubi pro tribunali ſedit Pilatus.

II. 21. §. 8. *Philander.*) Qua editione Noſter uſus ſit, neſcio, mea Venetiis 1557. ita ad *l.l.* Vitruvii habet: *Lego* Ceroſtrota, *ut intelligatur* ceroſtrotum *opus, cujus meminit Plinius* XI. 37. *id eſt, ramentis & teſſellis pictorum cornuum compoſitum, ut* Lithoſtrotum *lapidibus: eadem figura fortaſſe appellare poſſimus* Hyaloſtrotum *opus, quod Venetiis conſpicitur vitreis teſſellis verſicoloribus inſignitum & pictum, &* Xyloſtrotum *ligneo vermiculatum emblemate ſegmentove, quod Bononiæ in æde D. Dominici pulcherrimum vidimus, opus Damiani Monachi. Ea opera inter picturæ genera nomi-*

A *nantur.* (Poſſent addi, quæ fiunt ex ſegmentis plumarum, more Peruvianorum; item ex particulis ſegmentiſque corticum, ſtraminis etſſ.)

II. 21. §. 11. *Ἀσάρωτον*) Super etymo certant Domitius & Perottus: vide Gevart. *ad l.l.* Statii.

II. 21. §. 13. *Sicco autem pede* &c.) Si exemplis horum operum delectaris, lege præter cæteros Photium Patriarcham CP. *in Laudatione Novæ Eccleſiæ in Palatio a Baſilio Macedone extructæ, ed. Pariſ. a Combefiſio* recenſ. 1664. *inter Orig. & Res CPtanas; p. m.* 300. 301. ubi luculenta hujus operis in pavimento & fornice deſcriptio.

B II. 22. §. 5. *Pierres de Lieſſe.*) Forſan intelligit lapides *Lætienſes, de Lieſſe*, ex oppido Laudunenſis regionis. Per lapides *de Tonnerre*, putem intelligi *Tornodurenſes* apud Senonas; ne *Ceraunios* putes: quippe qui duriſſimi.

II. 23. §. 6. *Quod attinet ad diſpoſitionem & ordinationem* &c.) Hæc ut accuratius intelligas, vide figuras apud Barbarum *ad Vitruv.* II. 3. *p. m.* 54. ubi exhibetur *ordinaria*, *reticulata* & *incerta ſtructura*: nonnihil quoque lucis habebis ex figura allata ad *ſect.* 21. §. 7.

II. 24. §. 7. *At qua τὸ Grez* Latine dicam.) Vox hæc videtur Germaniſmo deberi, qui *Grieſz* &

C *Kieſelgrieſz* hoc genus lapidis appellant: ego vero videor reperiſſe vocem propriam qua *τὸ Grez* Latine dicam. Ea eſt *Scrupus*, *Scrupulus*: audi teſtes claſſicos: Feſtum *hac voce*: *Scrupi dicuntur aſpera ſaxa & difficilia attrectatu; unde & ſcrupuloſam rem dicimus, quæ aliquid in ſe habet aſperi*; item *ib.* Cornelium Siſennam *Hiſtoriar. lib.* IV. *Hic tum injectus eſt levis ſcrupulus & quædam dubitatio*. Servium *ad Æn.* VI. 238. *Spelunca Scrupea: Lapilloſa: nam Scrupus proprie eſt lapillus brevis, qui preſſus ſollicitudinem creat, unde etiam ſcrupulus dictus eſt.* Iſidor. *Etymol.* XVI. 24. *Scrupulus dictus per diminutionem a lapillo brevi,*

D *qui ſcrupus vocatur*: hinc Plauto *Captiv.* I. 2. *vſ.* 82. *Via Scrupoſa*; & Apulejo *Florid.* II. *p. m.* 348. *Ager ſcruposus.*

II. 25. §. 7. *Δευκοτεσίαν.*) In Latina mei Strabonis editione lego: *Lucotociam.*

II. 26. ad §. 2. & ſeqq.) Confer hic Lipſium de *Magn. Rom.* III. 10. quem Noſter paſſim hic ſequitur.

II. 26. §. 2. *Ædiles Curules.*) Noſter contraria verbis Livii habebat: *Cenſeurs de Rome.*

II. 26. §. 4. *Inſcriptio* &c.) Hæc mihi ſpuria, nec Claudii illius Cæci ævo conveniens videtur: *τὸ* Q. forte *Quæſtorem* notare debet. *τὰ in Cenſu-*

E *ra Viam Appiam ſtravit*, minus Latine tinniunt. Ergo nugator, qui hanc Inſcr. confinxit, non potuit dicere: *Cenſor Viam Appiam ſilice quadrato Roma Capuam ſtravit*, etſſ. quæ omitti non ſolent in rebus Vialibus.

II. 26. §. 7. *Horatius.*) item *Epiſt.* I. 18. *vſ.* 20.

Brunduſium melius Numici via ducat an Appi

II. 26. §. 7. *Canuſium* (ſic corrige hic typi errorem) *M. P.* XXVI. *** *Rubos M. P.* XXIII.) Hic in *ſegm.* IV. *Tab. Peut.* videtur interjici *Venuſium* & *Furſane*, utrumque ad M. P. XVIII. Strabo *lib.*


F VI. *p. m.* 516. de Venuſio conſentit.

II. 26. §. 7. *Speluncas M. P.* XX. * * * *Brundiſium M. P.* XVIIII.) In eodem ſegmento poſt *Brundiſium* ſequitur *Paſtium* & *Balentium*, hoc ad M. P. XV. illud ad X.

II. 26. §. 8. CIX. *Leucæ.*) videlicet ſi ſubtrahas LXXI. Leucas Roma Capuam, ab univerſis CLXXX. Leucis Roma Brundiſium: confer. §. 7.

II. 26. §. 12. *Rocca di monte Dragone.*) Huc pertinet erecta adhuc hodie prope *Mondragone* op-

pidum Columella Milliaris in Via Appia a Sinueſſa circiter *M. P.* v. ex cujus ruinis in vicinia caſtellum illud *Montis Præconis* deinde exſtructum eſt. Inſcriptus hic lapis nondum editus exſtat hodie Neapoli in Muſæo illuſtr. D. Andreini, Nobilis Florentini, eſt autem hic:



Unde apparet Auguſti ævo aliquid in hac Via reparatum fuiſse. τὰ T.T. lege P. P. vetuſtas ſcilicet extrivit ductus τῶ P.

II. 26. ad §. 15.) Non ab re ſunt, quæ de hac Via adnotavit Miſso *in Interario ſuo*, quod Gallice editum eſt iterum Hagæ 1694. *tom.* I. *Epiſt.* 21 *p.* 272. *& ſeqq.* quæ ſic reddo: „ Circiter X. M. P „ citra *Foſſam Novam*, (Abbatiam ruderibus „ *Fori Appii* ſuperſtructam) intravimus *Viam* „ *Appiam*, ab Appio Claudio Cenſore olim munitam. Tempus ut terrarum ſuperficiem mutat, „ ita ipſas etiam Vias, unde ſubinde & itinera „ ſunt mutanda, uti quotidie docemur ipſis rerum „ experimentis: id verum eſse, nuſquam nobis „ clarius apparuit, quam cum hic *Viam Appiam* „ intravimus. Emergit ex profunda ac hodie inacceſsa palude, cum quondam recta duceret Capua Romam: nam magno flexu & circuitu iter „ pergit, cum ab hac Via verſus *Pipernum*, quod „ creditur *Privernum* fuiſse, declinandum & deviandum eſt. Idem obſervavi in *Via Flaminia* „ inter *Citta-Caſtellanam* & *Romam*, cujus quædam intervalla ſatis integra adhuc viſuntur ultra *Regnanum*. Nonnullis locis, ſingillatim prope „ *Caſtelnovum* ad XV. M. P. *Roma*, priſcum hoc pavimentum obſervatur, quod ſubinde adſcendit in „ altum, ſed quo hodie non itur; ſubinde ſe immergit in valles profundas, ad quas item hodie „ nemo poteſt deſcendere. Interjectis deinde aliquot M. P. in hanc Viam denuo intrant Viatores. „ Scilicet certiſſimum eſt, ſive ventis, ſive pluviis, „ ſive diluviis, ſive terræ motu, ſive aliis quibuſcunque ex cauſſis alibi terras elevari & emergere, alibi demergi & ſubſidere, profunda alibi vallium compleri, alibi terras e mari accedere continenti, & viciſſim alias a mari abſorberi: hic „ ſtagna & lacus addit terræ idem mare; illic e „ contrario inſulas mari terra reddit. Fluvii exſiccantur, curſumque mutant, montes intumeſcunt & detumeſcunt: paucis ut dicam,

„ Orbis hic ſemper variatur & mutatur: omnium „ iſtorum novi exempla: hoc verum tamen eſt, „ non fieri ubique in univerſum iſtas mutationes: „ ſic exempli cauſsa pavimentum Viæ, de qua agimus, *Terracinam* uſque admodum ad H. M. P. „ integerrimum eſt, & quaſi ad libellam exactum. „ Cæterum inter omnia, quæ vidi, monumenta „ antiqua, nullum majori admiratione, me judice, dignum eſt præ his Viarum operibus. Ædificia, quæ ex antiquitate reſtant, non adeo „ multis patuerunt injuriis, ut potius mirandum „ ſit, cur ædificia adeo ſolida non perdurarint diutius, quam cur tam cito perierint. Sed Viæ innumeris Viatoribus, equis, jumentis, vehiculis ſemper per tot ſæcula tritæ & frequentatæ „ quod adhuc oſtentent intervalla illæſa & integerrima, illud & fidem & admirationem videtur ſuperare. Lapides hujus pavimenti ſunt inæqualis magnitudinis, (fallitur enim Procopius, cum ait, omnes ex æquo fuiſse quadratos:) Coloris ferruginei & ſubruſi, fere qualis „ eſt ferri, cum rubiginem contrahere incipit; „ duriſſimi etiam ſunt, craſſi decem aut duodecim „ pollices, majores generatim vix excedunt duos „ pedes, minores vero quam pedem non reperies: „ at quamvis eorum figura ſit irregularis, tam „ exacte tamen junguntur & coartantur, ut gladii mucronem intra juncturas non admittant, „ ubi priſcam integritatem & ſitum conſervarunt. „ Dimenſus ſum latitudinem *Viæ Appiæ* & *Flaminiæ*, eamque reperi ubique XX. palmorum „ Romanorum, ut vix ulla intercederet differentia, qui ſunt exacte pedes Anglici XIV. minus „ quatuor pollicibus, quod ſane ſpatium non eſt „ nimium ad evitandos vehiculorum duorum concurſus. Hæ *Viæ Conſulares* utrimque *margines* „ ex eodem habebant lapide, circiter duobus pedibus elatiores, vidi horum nonnulla intervalla integerrima: dicebantur *Margines* ſive *Marginationes Viarum*, inter quas certa Viæ latitudo patebat. (notatur ad marginem: *Cippi*: hi „ quandoque appellabantur *Marginationes*, at „ Lipſius vult *Marginationes* eſse ſtraturam marginum, quæ ad oras grandioribus ſtringebatur „ lapidibus. Obſervavi quandoque *Cippos* & has, „ ut dixit Lipſius, *Marginationes* ex eodem lapide factas. Vehiculorum rotæ nonnullis intervallis deſcripſerunt & cavarunt orbitas, profundas ad ſummum tres, quatuorve pollices: hæ orbitæ ſignant in longum ductu ſuo priſcum Viæ „ ſitum. Reliquum Viæ pavimentum integrum „ eſt, nec ſoleis equorum ferreis læſum ulla ex parte. Narrarunt mihi, imum ſubſterni corium ex „ lapidibus craſſiſſimis ſolo arenato impoſitis, quod „ fundamentum præbeat iſti Viæ, ne diffluat aut „ hiſcat. *Terracinæ* appropinquantes obſervavimus ad dextrum & ſiniſtrum Viæ latus plurima „ monumentorum veterum rudera, quæ pro more Vias prætexebant, aut ornatus cauſsa, aut „ ut Viatoribus magnificentiam Romanam objicerent. Cæterum hæ Viæ habuerunt, fateor, „ ſuam pulchritudinem & utilitatem, at pavimenti duritia & lubricitas ſua etiam habuit incommoda. Eodem tempore nos Viam Appiam „ & admirati & evitare conati ſumus. Vetus *Anxur*, deinde *Trachyna*, quod aſperrimæ rupi, „ quæ difficulter aditur, eſt impoſita, hodie corrupte *Terracina* dicitur: oppidum parvum & vacuum paupertatem ſpirat, totuſque ille tractus „ hodie tantum non eſt deſertus. Paullo cis *Terracinam* aperienda & findenda fuit rupes ſcopuloſi verticis, ad continuandum Appiæ pavimentum inter Mare & montes, uti ad mille fere paſſus hinc inde videtur. Rupes dicta hodie *Peſca*

,, *marina* alta est propemodum CXX. pedes: numeri
,, Romani per decades ad latus excisæ ad perpen-
,, diculum rupis sunt inscripti quasi gradatim, sic
,, ut supremus sit CXX. Verum Romæ Vir quidam
,, non minus antiquarum rerum gnarus & curio-
,, sus, quam doctus, mihi retulit, quod dimensus
,, sit istas distantias, easque fere omnes repererit
,, inæquales. Conjiciunt aliqui, Redemtoris in
,, eo mentem fuisse, ut justam laboris sui mensu-
,, ram exhiberet, & quod totidem divisiones,
,, quasi apochas, inscribi ab operis curarit, sed quæ
,, ad ipsius Redemtoris mercedem nihil attinerent.
,, Putant alii, singula intervalla esse opera decem
,, dierum, & quod distantiarum inæqualitas orta
,, sit ex eo, quod operæ hic illic minore aut majo-
,, re negotio rupem potuerint exscindere; huic
,, conjecturæ occasionem præbuit, quod interval-
,, la superiora sint majora, quam inferiora, quan-
,, doquidem versus summum verticem rupes coar-
,, tantur & angustiores fiunt. Sed evertitur hæc
,, opinio hoc, ut puto, ariete: vero utique simile
,, est, rupem cœpisse findi a summo cacumine;
,, ergo prima decas in summo inscripta, & nume-
,, rus CXX. in imo debuisset legi, cujus contrarium
,, tamen videmus. Sane quærendum amplius, ut
,, in re difficili & perplexa.

II. 27. §. 1. *Statius Papinius* &c.) consulendi quoque sunt Commentatores ad hoc Statii carmen: in ejus lectione secutus sum Gevartii recensionem. Noster subinde corruptam secutus erat.

II. 28. §. 1. *Fabulis de Virgilio*.) Lascivientis otii mendacia hæc debentur sæculis ignorantiæ: credita tamen olim fuerunt, ut apparet ex Felicis Malleoli qui floruit circa A.C. 1444. *Dialogor. cap.* 2. ubi inter alia ex nugis ista excerpit, quæ libet apponere: *Et quia locus iste, qui Tripergula dicitur, fuit electus per Virgilium, ut ab humanæ societatis eliminaretur frequentia, quia circumseptus est ab una parte profundo maris, & ab alia montibus saxeis excellenter prominentibus, ultra quos Virgilius ambulare solebat cum familia de domo sua ad palatium Imperatoris in civitate prædicta* (Neapoli) *residentis. Unde contingebat, quod ipse Virgilius unum de familia sua cubicularium sibi specialissimum ab Imperatoris palatio dirigeret in suam habitationem pro quodam libro facultatis Nigromantiæ, firmiter obtestando, ne librum eundem aperiret, aut signacula sua resolveret: unde in eodem cubiculario in tantum incitabat affectum probibitio, quod alias facturus non memor fuerat, mirando concitatus attemptabat: & sic in pede montis, quem ascensurus suspirando laboris metu, revertendo conspexerat, quid in libro scriberetur probibito, desideranter prospiciebat, & in loco, per signaculum signato recenter, certos canones perlegit; & mox cœtus spirituum innumerabilium comparentium & dicentium: Domine quid jubes? proclamaverit. Ipse autem, qui hos & alios spiritus apud magistrum suum videre consueverat, non abhorruit; sed ut illico a pede montis istius usque ad latus alterius partis iter recto distento diametro planum, largum & latum ad mediam lentam* (f. leucam) *perdurans & ultra, ut ambulare possit, sine terroris impedimento, per saxeum montem concavarent, demandavit, quod illico factum est, prout his apparet diebus; & tam velociter, quod eosdem spiritus ipse taliter laborantes sequebatur, & citius solito ad magistrum suum revertebatur: unde dum miraretur Virgilius de tam subita nuncii reversione, rem gestam per ipsum secundum ordinem narratam perquirendo percepit. Igitur ad nutum Octaviani hoc iter submontanum illæsum in dies hodiernos permansit: prout ego Felix montis concavitatem personaliter videndo perlustravi.* Risum teneatis Amici?

A II. 28. §. 5. *Cusco* & *Quito*.) Illa est regia Incarum, significans *umbilicum*, bipertita in *Hanancuzco* & *Harincuzco*, i. *Cusco* superiorem & inferiorem. *Quito* regni caput, sub ipso æquatore, celeberrima olim & cultissima. Hornius *de Orig. Gent. Amer.* IV. 8. & 10. & 11. Ita de Cusco, qualis fuit ante excidium A. C. 1534. Petrus Sanchius, qui Pizarro fuit a secretis: *Cusco habet arcem & domos amplius* 100000. *pleræque ex lapide sunt: Plateæ augustæ, rectæ, & in crucis formam. Forum quadratum & silice stratum. Arx triplici muro, quorum intimus etiam altissimus: incredibile dictu, quantæ lapidum moles, quam tenaciter & arcte* B *coagmentatæ: ut non hominum illud, sed Dæmoniorum opus videatur. Rupes impositæ rupibus omnes Herculis labores & prisci orbis miracula superant.* Confer quæ de urbe patria narrat indigena Cuscanus, Athanasius Inga, Peruanus in *Speculo Americæ, c.38. ed. Belg. p.m.* 382. & *seqq.* Inca vero Garcilassus & Petrus Cicea distinctius magnificas per universam Tahuantinsuyo Incarum structuras enarrant.

II. 28. §. 7. *Magnificentiam* &c.) adde Hornium *l. l.* IV. 14. ubi ex Trigautio & Riccio docet Catainis, Sinensibus & Americanis multa fuisse com- C munia. *Urbes*, ait, *in Cataja & Sina in quatuor distributæ regiones: a singulis Viæ Regiæ diversoriis, castris, palatiis, non ad necessitatem, verum luxum exornatæ, in vicinas ducebant provincias. Eadem Peruviæ & Mexicanæ ratio.* Certe Diversoria publico sumtu Viis apposita fuisse, quibus iter facientes exciperentur, apud Sinenses notat Mendesius Pinto, apud Peruanos Garcilassus: de Chinensium Viis urbanis & rusticis præter Trigautium & Riccium, testantes, in omnibus civitatibus *plateas rectas esse & æquales lapide stratas*, consule insuper novissimum Scriptorem le Comte e S. J. *in Descr. Chinæ Gallice edita*, II. 1.

D II. 28. §. 9. *Guaynacape*.) Puto innui & hunc fuisse Patrem infelicis & postremi Monarchæ Peruviani *Attabalibæ* ex Ingis, quem Pizarrus barbarum in morem strangulari jussit, circa annum 1534. Vide Athanasium Ingam *l.l.c.37.p.m.*368.

II. 29. §. 12. *Ad Martis ædem* &c) Sequitur hic Rosinum *Antiq. Rom.* II. 10. qui, mallem, sine Auctore idoneo scribere erubuisset. A Censoribus locatam hanc semitam ubi dixit Livius? Noster hic sequitur Dempsterum *in Paralip. ad Rosin. A.R.* I. 13. qui dicit hoc legi apud *Liv. l.* XXXVIII. ubi frustra quæsiveris: verum ab Ædilibus Curulibus Cn. & Q. Ogulniis lego apud Liv. X. 23. ex bonis Fœ- E neratorum multatis & publicatis, præter alia, *semitam saxo quadrato a Capena Porta ad Martis stratam*. Par erat Viæ Appiæ, straturæ, non latitudinis, ratione, ne semitam & Viam publicam eandem putes.

II. 29. §. 13. *Bubasti in Ægypto*.) At Strabo *lib.* XVII. *p. m.* 610. hoc refert de *Heliopoli*, quæ sita est supra *Bubastum*, non vero, ut vult noster, de Bubasto.

II. 29. §. 14. *Antonino Caracalla*.) male noster contra fidem Spartiani hoc ad eum, qui præcessit, Imp. Elagabalum referebat.

II. 29. §. 17. *Poterant singulis horis purgari* &c.) F Hoc M. Agrip. in Ædilitate præstitit. Pl. XXXVI. 15.

II. 29. §. 18. *Legimus & alibi, Milesias Virgines* &c.) scilicet ex Plutarchi *lib.* I. περὶ ψυχῆς hoc narrat Gellius N.A. XV. 10. repetit vero Plutarchus *de virtut. Mulier. c.* 17.

II. 30. §. 2. *Quasi innueret hic silicem, hic glaream in una eademque Via usu venisse*.) Verior hæc explicatio videtur, quam illa Lipsii *Admir.* III. 10 qui ad diversa Viarum *silice* aut *glarea* stratarum genera hos versus trahit.

II. 31.ad §.2.) τὰ *vel substruendi* de meo addidi, jubente manifesta ratione: vide mox §.3.& confer hic supra *s.*17.§.8. de *Aggere*.

II. 31.§.3. *Substruendas.*) In *ed.Gronov.* & aliis legitur: *susternendas*: at Lipsio *Adm.* III. 10. placet τὸ *substruendas*.

II. 31.§.5. *Ad commodiorem ascensum* &c.) Recte Lipsius *l. l.* addit; ut fessi & quiescentes his insiderent, & ut onera inclinarent.

II. 32. ad §.4.) Locum Suetonii non ex ipso fonte, sed ex Lipsii *Adm.*III.3. derivatum animadverto: hinc inepte descriptus erat: *Destinarat etiam visum est Ostiam tenus* &c. nam τὰ *visum est* ex Lipsii irrepserunt verbis: „ cui ab hac caussa visum, *Ostiam tenus*, ait Suetonius, &c.

II. 32.§.5. *Antiq. Rom. l. IV.*) paullo aliter ista reddidit Gelenius, qui videatur *p. m.* 266.

II. 32.§.7. *Timocrati.*) Imo *Philippidi*: vide locum ipsum infra IV.31. §.5. Græce allatum.

II. 32.§.8. *Cum Lipsio.*) Eum enim noster innuit per sua verba: *comme dit un bon Auteur*.

II. 33.§.2. *Aram Febri* &c.) Ara *Febris* erat in Regione X. teste Victore; imo plura templa teste Valer. Max. II.§.6. Fanum *Febris* in Palatio, Plin. *H.N.* II. 7. *Malæ Fortunæ* in Esquiliis, Plin. *l. l. Murciæ* sub Aventino, Festus *h.v.* Augustin. *de C. D.* IV.16.

II. 33.§.3. *Martis ædes.*) Ea extra urbem fuit, quia *Martis Gradivi* i. sævi. Servius *ad Æn.* I.296. Cyprianus *de Vanit.Idolor.Feralis*, inquit, *& Funebris* (loquitur de *Deo Viduo*) *intra muros non habetur, sed foris collocatur*.

II. 33.§.3. *Sive Porta hæc nomen habeat* &c.) Capenates noti apud Livium III. 8. & 24. Plin.III. 5. *Itali* Regis meminit Dionys. Halic. *A. R. lib.* I. *p.m.* 48. ab hoc vero *Capenam* urbem conditam primus, ni fallor, quasi ex Solino tradidit Pancirollus *de Reg.U. R p. m.* I. quem secuti Boissard. *Tom.*I. *Itin. Rom. die* IV. Schottus *Itin. Ital.lib.*II. *p.m.* 387. Non memini me illud in Solino legisse, nec in editionibus, quas habeo, reperire potui: quærant ergo otiosi. Lego autem ista in fictitio Fabio Pictore Anniano *lib.* I. *sub fin.* neque Servii locum noster ipse inspexit, qui sic habet: *Lucosque Capenos. Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio Regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. Unde & Porta Capena, quæ juxta Capenos est, nomen accepit*: scilicet verba Dempsteri *in Paralip.ad Rosin. A.R.*I.13. obiter videtur legisse. *Capena* creditur fuisse urbs cum luco & templo Feroniæ ad ripam Tiberis, inter agrum Faliscum & Vejentem; hodie *Canepina*. Albertus id tradit *in Descr. Ital.p. m.*120.

II. 33.§.3. *Lux eadem* &c.) nimirum *Kal. Junii*: pro *dextræ Viæ* legunt alii *rectæ*, alii *tectæ Viæ*, alii *recta via*.

II. 33.§.4. *At quis percensebit* &c.) Adeunde hic Topographi Urbis Pancirollus, Fabricius, Donatus, Nardinus aliique.

II. 34.§.1. *Loca sacra sive Religiosa.*) Accurate, ut solet, hæc docet Kirchmannus *de Fun. Rom.* III. 21. quem etiam ad §.2. vide II. 21. de caussis, cur extra urbes mortui fuerint sepulti: ad §.3. de Sepulcris intra urbem consule eundem II.26.

II. 34 §.5. *Veterum Sepulcra & Monumenta extra Urbes erant.*) Sic & apud Israelitas olim & post apud Judæos: res ex Sacris clara: non item tamen adeo prope Vias publicas. *Massech. Semahhoth c.*14. *Non ducenda per eum locum* Sepulcreti *Via Publica*: imo sepulcrum effossum juxta locum publicæ ambulationis aut itinerationis, a cujus vicinitate contraheretur pollutio a prætereuntibus, dicebatur *Sepulcrum publice nocens* המזיק את הרבים קבר. Vide *Babylon.Thalm. Sanhedrin.fol.*37.2. & *Hieros. Nedarim fol.* 57.4. indicante Lightfooto in *Centur. Chorogr.Matthæo præmissa c.*100. ubi erudite multa congessit de ratione Sepulcrorum apud Judæos: adde Othon. in *Lex. Rabbin. voce*: *Sepultura*.

II. 34 §.8. *Plato.*) nota, Platonem ista subjicere disputationi de Sepulcris.

II. 34.§.9. T. LOLLIUS &c.) Mihi hæc inscriptio suspecta videtur: nec enim insolens erat propter viam poni sepultos, uti hic venditari videtur addita caussa non satis apta: deinde insolens est plane τὸ *Lollius, T. Lollii, Masculus*.

II. 35.§.3. *Hoc postea nomen suum dedit* &c.) Florus IV.11. Cleopatra *in Mausoleum se, sepulcra Regum sic vocant, recepit*.

II. 35.§.5. *Namque hi Ægyptii* &c.) Innuit, ut puto, hunc Diodori Siculi *Bibl. Hist. l.* I. *p. ed. Steph.* 33. *Wechel.* 47. locum, quem ex versione Rhodomani Latine apponam: *Regionis hujus* (Memphiticæ) *incolæ tempus vitæ limitibus circumscriptum perexiguis æstimant; at quod celebrem a morte virtutis memoriam habiturum sit, illud pendunt maximi. Et domicilia viventium, Diversoria* (τὰς καταλύσεις) *nominant, quod exiguum ad tempus hæc incolamus: Defunctorum vero sepulcra domos æternas* (ἀϊδίους οἴκους) *appellitant, quod infinitum apud Inferos ævum peragant: quamobrem de structura domorum minus sunt solliciti; in adornandis autem sepulcris eximie, nihil studii faciunt reliquum*.

II. 35.§.4. *Defunctorum domos.*) Et *Ædificia Manium*, l. 4. C. Theod. eod. ad quam vide plura notantem Jacob. Gothofredum.

II. 35.§.7. *Cum vero Hadriani ævo* &c.) Idem tradit Dio Nicæus *in Hadr. c.* 8. *inter Hist. Aug. Scrip. p. m.* 37. *Sepultus est*, ait, Hadrianus *juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat: propterea quod Augusti Mausoleum plenum erat, in quo nemo amplius sepultus est*.

II. 35.§.8. *Hoc Mausoleum* &c.) Videtur non satis accurate Victorem legisse: nam *vetus Septizonium* erat in regione XII. & quod erat in X. regione, illud cognominatur non *Vetus*, sed *Severi*: obiter hic notandus est error Pancirolli, qui Sepulcrum Antoninorum & Septizonium diversa facit, *de* XIV. *Reg.Urb. p.*365. *tom.*III.*T.A.R.* contra ipsum Spartianum *l. l.* erat Monti Cœlio ad occasum. Fabric. *Rom. Vet. & Nov. c.*20.*p.m.*201.

II. 36.§.5. *Q. Ennii.*) Adde Cicer. *pro Archia* c. 9. qui e marmore constitutam ait: ibique vide Jac. Tollii notas.

II. 36.§.10. Πῦρ.) Alii aliter. Vide Fabric.*Rom. cap.* 20.

II. 36.§.12. *D.Claudius* &c.) Abit hic a Plinio Noster: ille enim XXXVI. 9. ait a Cajo Cæsare advectum obeliscum magnum, sed navim, qua erat importatus, omnibus quæ unquam in mari visæ sunt, mirabiliorem, aliquot per annos asservatam, tandem portus Ostiensis gratia a Claudio demersam fuisse: adde Suetonium *Claud.c.*20. ibique Doctissimum Amicum nostrum Pitiscum: & Bargæum *de Obelisco*: *T. A.R.I.* III. *p.* 1906.

II. 36.§.13. *Pyramides.*) Sequitur Plin.XXXVI. 12.quod vero mox dicit, *Obeliscos* a voce Ægyptia dictos esse, errare in Gallico κειμένῳ videtur: nam Ὀβελισκὸς Græcum est, non Ægyptium. Plin.*l.l.* c. 8. *Radiorum Solis argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio*: recte: hinc Noster minus bene: *L'Obelisque fut ainsi dit, d'un nom Ægyptiaque*, &c. verius dixisset: *fut dit par les Egiptiens dans leur langue d'un nom, qui vaut autant à dire, qu'un rayon de soleil* quod enim erret Noster, patet mox ex sequentibus, ubi veram ori-

ginem secundum alios, ut loquitur, docet, cum in ea nulla fuerit controversia, ut in re plana.

II. 36. §. 14. *C. Cestio.*) Vide Octav. Falconerium de hac Pyramide *T. A. R. t.* IV. *pag.* 1461. & *seqq.*

II. 36. §. 16. *Tales quandoque erant* &c.) Noster ἁπλῶς ait, *Tales erant*: ego granum salis adspersi: vide Jac. Gothofredum *ad l.4. C.T. de Sep Viol.* adde Sepulcrorum veterum figuras apud Boissardum.

II. 36. §. 17. *Columna Cochlis.*) de qua vide Topographos Urbis. Sext. Aurel. Victor *in Epit. in Trajano, p. m.*260. *Hujus* (Trajani) *exusti corporis cineres relati Romam, humatique Trajani foro sub ejus columna; & imago superposita.* Idem alii testes idonei ajunt.

II. 37. §. 1. *Quale illud depingit Tobias Fendt.*) Sed ex ingenio fictum: liber ille pleraque habet conficta, impressus Uratislaviæ 1574. in folio, ut vocant, licet jactet Auctor, qui Silesius fuit, *omnia ex Archetypis* esse *expressa*.

II. 37. §. 2. *Cajus JC. in l.7.*) §. 1. & Marcianus *JC. in l.* 39. *eod.* Vide Cujac. *Observ.* XI. 21. Auct. *de Re Agr. ed. ult.* 1674. ex *Goesii recens. p. m.*273. qui etiam habent distincte *Arcas lapide Tiburtino, p.* 244. *marmoreas, p.* 242. 271. *testaceas p.* 242.

II. 37. §. 4. *Ex Spartiano.*) item *c.*10. *In Circo multas feras, & sæpe centum leones, interfecit*: & deinde *seq. c.*11. *Equos & Canes sic amavit, ut eis sepulcra constitueret. Oppidum Hadrianotheras in quodam loco, quod illic & feliciter esset venatus, & ursam occidisset, aliquando constituit.* Dio Nicæus *in hoc Imp. c.*5. *H. A. tom.*II. *p. m.* 30. *Hadrianum studiosum venationis fuisse tradunt: in ea enim & claviculum fregit, & crure propemodum mutilatus est: quamobrem urbem, quam ædificavit in Mysia, Hadriani Venationes appellavit ..... Magno autem argumento est, eum studio venandi delectatum fuisse, quod Borysthenì equo, quo libenter in venationibus utebatur, mortuo monumentum ædificavit, erexitque columnam inscripto epigrammate ...... Fuitque adeo agilis in venationibus, ut aprum maximum uno ictu confecerit*: quem locum postremum Noster quoque attingit.

II. 37. §. 5. *Dianæ.*) Noster minus bene: *Diane d'Ephese*: hæc enim aliter pingitur: res notissima.

II. 38. §. 1. *TI. CLAUDIUS* &c.) Nec sepulcralis, nec antiqua & vera est inscriptio, sed notha & ficta a nugatore quodam ex loco Taciti *Annal.* XII. 53. porro quid sibi vult τὸ *erga Patronos?*

II. 38. §. 2. *Eorum plures erant species & formæ*) Quarum figuræ videri possunt apud Gruterum, Boissardum, Reinesium, aliosque reliquiarum veterum curiosos.

II. 38. §. 3. *Solonis lex ista fuit.*) Non satis accurate inspexit hic Ciceronem. Demetrii Phalerei, qui teste Phædro V. 2. *Athenas occupaverat imperio improbo*, lex ista fuit. Disertis verbis Cicero *l. l. Sed ait rursus idem Demetrius* Phalereus, *increbuisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quæ nunc fere Romæ est: quam consuetudinem lege minuit ipse: fuit enim hic Vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e republica maxime, tuendæque civitatis peritissimus. Iste igitur sumtus minuit, non solum pœna, sed etiam tempore: ante lucem enim jussit efferri*: tum statim sequuntur ea, quæ Noster habet. *Demetrius* autem erat Atheniensis Phalereus. Sed etiam Noster porro aberrat, cum leges de modo, sumtu, ornatu & loco sepulcri Soloni fert acceptas, cum debuisset Platoni, duce ipso Cic. *l. l. c.* 27. dicente: *Sed videamus Platonem, qui justa funerum rejicit ad Interpretes religionum, quem nos morem tenemus: de Sepulcris autem dicit hæc*: quæ *h. l.* Noster Bergierius excerpit.

II. 38. §. 4. *Columellæ.*) Sic tali indicio Cicero, Siciliæ Quæstor Archimedem a pulvere excitavit: erat enim *columella non multum e dumis eminens, in qua inerat sphæræ figura & cylindri*, quo indicio monumentum civis acutissimi Syracusanis indagavit: vide ipsum Ciceronem *Qu. Tusc.* V. 23.

II. 38. §. 4. *Cippi.*) Scholiastes Cruquianus ad Horatii *Sat.* I. 8. *vs.* 12. *Cippus*, ait, *lapis in agro erectus, in quo voluntas testatoris, & ea essent incisa, quæ agri modum & fines ex utroque spatio designabant.*

II. 38. §. 4. *De Columellis intelligendus Propertius* III. 22. *vs.* 23.) Errat: loquitur ibi Propertius de sua habitatione, non de sepulcro, ut ὀφθαλμοφανῶς apparet legenti: in animo noster habuit, sed fallente eum memoria, locum IV. 7. *vs.* 85. quem laudatum vide *sect. seq.* §. 2.

II. 38. §. 4. *Exquilias.* &c.) Nec hoc satis bene: verum fuit ante Mæcenatis tempora; sed hic deinde ibi *domum exstruxit, eique addidit amœnos hortos, perditis prius & subrutis sepulcris*, ut recte tradit Scholiastes Cruquianus *ad Horatii Sat.* I. 8. *vs.* 14.

Nunc licet Esquiliis habitare salubribus.

Idem Scholiastes *ad Epod. l. l. Esquilinus mons Romæ ex septem montibus: hinc Esquilina Porta Romæ dicitur, ad Sessorium* (lege *Sestertium*) *ubi certus erat locus sepulcrorum, ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda aut canibus projicienda.*

II. 38. §. 5. *Bustum.*) quasi *bene ustum*. V. Kirchmann. *de Fun. Rom.* III. I.

II. 38. §. 5. *Ponendi.*) hinc toties P. C. aut M. H. P. & similia occurrunt. In seq. Inscr. τὰ M. M. notant forsan *Memoriæ Manium*, aut *Merentis*.

II. 38. §. 8. *Arculæ.*) Horatius tales forsan per *vilem arcam* intelligit. *Sat.* I. 8. *vs.* 9. & Lucanus VIII. 736. *Da vilem Magno plebeii funeris arcam*: mox ad τὸ *Gula* vel *Gulula* addidi τὸ *hodie*: nam Latini olim vocabant *Simas*, docente Vitruv. III. 3.

II. 39. §. 2. *Cujus etiam monumentum* &c.) Sed fictum ex ingenio: nec etiam Cicero *l. l.* dicit hoc fuisse Ennii epitaphium; imo divisim hæc disticha ibi adfert.

II. 39. §. 2. *OSSA. T. LIVII.* &c.) Recens est inscriptio, ab Eruditis Patavinis ficta: miror plerasque spurias aut dubias Inscrr. Nostro hic placuisse: sic §. 5. DIS. MANIBUS. HEUS. &c. spuria apparet ex varietate illa lectionis diversæ: sic illa: DIS. PEDIBUS. SAXUM. §. 6. novitia est, eamque finxit Paris de Grassis: vid. Mabillonii *Museum Ital. lib.* I. *pag.* 176. sic & §. 7. PONTIA &c. quæ exstat Gr. 921. 6. (male typi vitio excusum hic legitur 900: 6.) habet *dubiam ingenuitatem*: & præcedens Inscriptio F. I. DICAT. &c. vitiosa ultro apparet diversitate locorum & lectionis.

II. 39. §. 9. *NULLI. PRÆCLUSA* &c.) Picta talia sunt pleraque: plura hujus notæ habet Gruterus *in Spuriis*; præcipue, uti & hoc est, ex Seneca.

II. 40. §. 2.) Adde hic figuras Arcuum Triumphalium, qui passim visuntur *T. A. R. t.* III.

II. 40. §. 2. *Dilatandi Pomœrium Urbis.*) Vide Gellium *N. A.* XIII. 14.

II. 40. §. 3. *Via Triumphalis.*) Confer infra III. 27. §. 7. & Panciroll. *de* XIV. *Reg. U. R. p. m.*23.

II. 40. §. 4. *Fornicum.*) in χειμονίῳ Græco Dio-

nis exstat *ἀψῖδος* i. Arcus. *ἀψὶς* scilicet *τροπαιοφόρος* fornix hic intelligitur.

II. 40. §. 5. *Janua.*) Notanter, & proprie. Sic *Jani Arcusque cum quadrigis* conjunguntur, ap. Sueton. *Domit. cap.* 13.

II. 40. §. 7. *Populi Romani Fratres.*) Idem testatur Plutarch. *in vit. Cæs. c.* 38.

II. 40. §. 7. *Ex iisdem Commentariis Cæsaris.*) innuit, ut puto *de B. G.* II. 3. collatum *c.* 6.

II. 40. §. 8. *Cygni, qui nunquam aquis merguntur.*) Vide hæc docentem Servium *ad Æneid.* I. 397.

II. 40. §. 9. *At quid notius* &c.) Dio Cassius *Hist. lib.* XLIII. *p. m.* 254. *Forum vero & Templum Veneris, quam sui generis auctorem ferebat, ὡς ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης, a se condita Cæsar statim tunc* (post peractos triumphos) *consecravit.* Appianus *de B. Civ. lib.* II. *p. m.* 505. *A Julio Æneæ filio Julia gens ut nomen, ita genus ducere creditur:* mox Noster ait, quod Cæsar ædem Veneri Genitrici dedicarit in Foro suo, idque ex Appiano: at hic *p. m.* 534. *Fanum*, ait, *ædi additum, quod Forum Populo Romano esse voluit, non rerum venalium, sed agendis litibus; qualia Persi quoque sunt Fora, ubi redduntur jura & discuntur etiam:* quod vero juxta Viam Sacram erat, verum quidem est de situ Fori, sed hoc non dixerat *l. l.* Appianus, ut Noster ait. *Forum* hoc fuisse Ædificium videtur, cui ædes fanumve adjungebatur. De Tabulis non in æde, sed ante ædem ista Plinius XXXV. 4. *Præcipuam auctoritatem fecit publice Tabulis Cæsar Dictator, Ajace & Medea ante Veneris Genitricis ædem dicatis.* Arcesilaus sculptor fuit *L. Luculli familiaris: illiusque proplasmata pluris vænire solita Artificibus ipsis, quam aliorum opera:* teste Plinio *l. l. cap.* 12. Venus Genitrix quoque in Nummis occurrit, vide Choulium *de la Rel. des Anc. Rom. p. m.* 208. *& seqq.*

II. 41. §. 5. *Nam Liviæ* &c.) Noster in Gallico suo libro, dicebat hoc Liviæ in ipsa villa ad Gallinas contigisse, *etant assise en ce lieu:* correxi hoc erratum: contigit res ipsa revisenti Liviæ Vejentanum suum, sed postea Aruspicum responso satisfactum in hac villa Cæsarum.

II. 41. §. 7. *Prætoriorum & Villarum.*) Adde Plinium juniorem *in Epistolis*, & quæ *de Villis Veterum* commentati sunt Stephanus & Porta.

AD LIBRUM III.

In Dedicatione pag. 213. *Externus, sed idem simul summæ doctrinæ & eloquentiæ Auctor.*) Sine ullo dubio digitum intendit in Barclajum, qui *in Satyric.* IV. 3. sive *Icon. Animor. p. m.* 293. ista habet.

III. 1. ad §. 1.) Hanc & sequentes tres sectiones fere magnam partem concinnavit excerpsitque ex Lips. *Adm.* I. 3. qui proinde conferatur.

III. 1. ad §. 4.) Confer Commentatores ad Rutilii *lib.* I. passim: præcipue ab initio usque *ad vs.* 215.

III. 2. §. 1. *M. Antonius.*) Male Noster in Gallico hæc retulerat ad Augustum Cæsarem, contra Dionem.

III. 2. §. 3. *Romana arma Ctesiphontem* &c.) Meminit hujus Oraculi Sex. Aurelius Victor *de Cæss. in Caro p. m.* 240. *Fusis hostibus, dum gloriæ inconsulte avidior, Ctesiphonta urbem Parthiæ inclutam transgreditur, fulminis tactu conflagravit. Id quidam jure ei accidisse referunt: nam cum Oracula docuissent, adusque oppidum memoratum perveniri victoria licere, longius delatus pœnas luit.* Idem de Caro tradit Lætus. *Valerianum a Sapore dolo circumventum, fœde laniatum interiisse* tradit Idem Victor *l. l. p. m.* 234.

III. 2. §. 4. *Mari Rubro.*) i. Indico. Vide Lips. *Adm.* I. 3.

III. 2. §. 5. *Ægypti.*) Quæ illo pertinebat ad Asiam, eique accensebatur: in loco Taciti *τὸ olim* respicit tempora Augusti; *τὸ nunc* ævum Trajani innuit.

III. 3. §. 2. *M. P.* 1164.) Quomodo illa ex Plinio computentur, nondum video.

III. 6. §. 4. *Felix Malleolus.*) Germanice dictus *Hæmmerlein, bonorum tamen hominum patientia de universitatis almæ Bononiensis matris studiorum gremio Decretorum Doctor*, ut ipse loquitur, *Præpositus Solodurensis, Cantor Thuricensis, Alberti Ducis Austriæ Capellanus*, qui floruit circa A.C. 1444. Opera ejus junctim edidit Sebastianus Brant, sine anno & loco adnotato, sed litera rudi, ut appareat circa rudimenta Typographiæ esse edita: in eo autem stercore aliquid sæpe auri latet: inter alia, quæ Helvetios potissimum tangunt, scripsit *de Nobilitate & Rusticitate, Dialogorum capitula* 34. Loci autem, in quibus *Itinerarii* veteris meminit, sunt hi: *capitulo* II. *p.* 37. versa: recensitas Gentes aliquot subjicit: *Harum autem Gentium nomina, taliter per Albertum Magnum in sua Cosmographia & in Itinerario Julii Cæsaris comprehensa, novissimis diebus sunt sæpe mutata, aut ex bellis, aut ex appellationibus majorum civitatum in ipsis, aut propter novas ipsarum sectas & religiones & ritus hominum vocabula ipsa sæpe reperiuntur variata:* iterum *cap.* 28. *p.* 104. *Julius Cæsar bissextilis rationis inventor, divinis humanisque rebus singulariter plus cæteris imbutus, & naturali magnificentia decoratus & Senatoris Urbis consultus Senatus censuit omnem orbem jam Romani nominis imperio parentem per prudentissimos Viros & omni philosophiæ munere redimitos conscribi: & ita tempore suo laudabiliter incepit, & post mortem suam Octavianus Augustus diligenter consummavit. Ita ut ducentis dimessoribus omnis orbis terræ per annos* XXXII. *peragratus est, & de omni ejus continentia perlatum est ad Octavianum & Senatum prædictos: qui quidem Augustus ex eorundem dimessorum fidelis relationis & descriptionis pronunciatione emisit edictum, ut describeretur universus orbis: & hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cirino, Luc. c.* 2. *ne traderentur oblivioni tam miro & inæstimabili conatu conquæsita; unde non tantum loca, sed locorum habitatores scire volentes, & juxta dictam Evangelicam veritatem ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem: unde per prædictos peragratores & inter tres principales mundi plagas conscripta fuerunt nominatim primum Maria, quorum* 30. *fuerunt in numero: item Insulæ* 72. *item Montes prominentes* 40. *item Provinciæ* 78. *quæ hodie manent & mutatæ non sunt:* pag. seq. post aliquot interjecta pergit: *Item invenerunt dicti peragratores Oppida & Civitates elegantiores* 370. *item invenerunt Flumina famosiora* 57. *Item Gentes* 190. & mox addit: *Et hæc omnia, videlicet maria, insulæ, montes, provinciæ, civitates, oppida, flumina & gentes singulariter singuli & singulæ propriis nominibus sunt in Itinerario Urbis Romæ notabiliter conscripta, prout diligenter vidi & perspexi, etiam cum leucis & milliaribus distantiarum de locorum locis propriissime designata:* deinde *pag.* 105. iterum de quadam Oceani insula, quæ *aliquando casu comperta, postea quæsita, non est inventa, & ideo dicitur* nomine PERDITA, verba faciens subjicit: *Tempore Julii Cæsaris & consequenter Octaviani Augusti in Itinerario Urbis Romæ non conscripta, quia nondum reperta.* Ex hisce Malleoli locis apparet evidenter,

quod

quod etiam, ut Noster Bergierius agnoscit; animadverterat A. C. 1575. Josias Simlerus *in præf. ad Itin. Ant.* illum loqui *de Æthici Cosmographia*, cujus vide vel solum initium, & deinde, quod *Æthico* sæpe in mss. conjungitur, *Itinerarium Antonini*: quos libros pro unius ejusdemque Auctoris uno opere habuit: confer §. 9. hujus sectionis. Cæterum notes velim, nostro placuisse Simleri cogitata, quæ sequitur hoc §. *& seqq.* super Auctore Itinerarii. Cur autem hanc doctissimam Simleri præfationem, dissimulato Auctoris nomine, suæ recensioni adjecerit Andreas Schottus, in promtu caussa est, Sacrorum diversa ratio.

III. 6. §. 5. *Per prudentissimos Viros.*) Sane *Balbus Mensor temporibus Augusti*, & *jubente* eodem, *omnium provinciarum & civitatum formas & mensuras compertas in Commentarios contulit, & legem Agrariam per universitatem Provinciarum distinxit ac declaravit*: teste Frontino *de Colon.* Vide Auct. *Rei Agr. p. m.* 109. 141. & 149.

III. 6. §. 7. *Quicum convenit in Antonini nomine* &c.) Hoc loco Bergierius adeo ambigua dictione utebatur, ut dubius hæreres, quo se verteret. Singula plana feci, duce ipso Surita, cujus *l. l.* hæc sunt verba: *Vetustissimus Codex Bibliothecæ Philippi II. Regis Catholici Maritimas Stationes Itinerario prætulit terrestri, & in ea parte ita legitur. IMPERATORIS ANTONINI AUG. ITINERARIUM MARITIMUM. In Itinerarii vero hoc meo exemplari nullum* Antonini *nomen exstat: neque titulus libelli.... In Codice Bibliothecæ Blandinianæ pervetusta manu ita legitur*: Incipit Itinerarium provinciarum omnium Antonini Augusti: *atque in Christophori Longolii.*

III. 6. §. 8. *Cui Pater* &c.) testibus Nummis & Inscr.

III. 6. §. 9. *Per Alpes Cottias Viennam M.P.M. CCCCIX.*) Ita repone ordinem, qui hic typorum vitio turbatus est. τὸ M.PM. notat *Millia PassuuM.* In *Itin. Ant.* Suritæ deinde legitur: *Inde Durocortorum, quæ fuit Leg.* XX. *M.P.* CCCCXXXII. Sed ex correctione Suritæ audaciore, contra mss. Regium, Blandinianum, Neapolitanum, Longolianum, quæ habent omnia: *quæ fiunt Leg.* vel *Leug.* CCXXI. vel CCXX. scilicet solenne fuit Suritæ ex *Leugis* CIↃ IↃ. *Passuum* exsculpere nescio quas *Legiones*: quod in nonnullis quoque mss. *Itinerarii* libris præmittatur *Æthici* præfatio, testatur Simlerus *l. l.*

III. 6. §. 11. *Quod ad Æthicum* &c.) Non possum hic non annotare verba Pancirolli *in præf. ad Not. Utr. Imp.* quæ ista sunt: „ Quibusdam *Notitiis*, *Itinerarium*, *Antonini* nomine editum, „ est adjunctum, quod oppidorum distantiam, „ præsidia & aliquas mansiones seu veredorum stationes & loca Legionum notat. Quod opus „ nunc adauctum, ac pæne totum esse immutatum „ constat: *Constantinopolim* enim, *Constantiam*, „ *Maximianopolim*, *Legiones Jovias* & *Herculeas* „ a Diocletiano & Maximiano inventas, & alia „ hujusmodi nominat, quæ diu post Antoninum „ addita fuere. Id in memoriæ aut alio scrinio olim „ conservatum & huic libro *Notitiæ* additum „ fuisse arbitror: neque enim rem tam utilem ac „ pæne necessariam neglectam permansisse est verisimile.

III. 7. §. 1. *Solertiores Duces* &c.) Strabo *Geogr. lib.* 1. *p. m.* 17. *Et in loco bene castra locaret, „ insidias poneret, & iter faceret is, qui locos intelligit*: quod deinde Strabo plurimis exemplis & rerum experimentis illustrat.

III. 7. §. 2. *Hunc in finem* &c.) Desumta hæc sunt ex *præf.* Andreæ Schotti *ad Itin. Ant.* quæ conferri potest, quoniam plura alia scitu digna hujus notæ habet: paullo post noster ex Strabone ait: *Du temps de Socrate les Atheniens avoient la Grece depeinte en une charte*: minus recte: ad Strabonis fidem verba ipsa exegi; sic & tabulas Astrologicas habuere olim, vide Æliani *V. H.* X. 7.

III. 7. §. 3. *Post Celtem.*) Minus bene noster habebat: *premierement veüe & trouvée en la ville d'Ausbourg en Allemagne, chez un nommé Conrade Peutinger.* Non ita est. Beatus Rhenanus *l. l. In Charta Provinciali, quam apud Cunradum Peutingerum Amicum nostrum Augustæ vidimus, sub ultimis Impp. depictam, & a Celte in quadam Bibliotheca* (Spiræ) *repertam plane veterem.* Idem *p.* 52. vocat *Chartam Itinerariam.* Illustris Comes H. Nuenarus *in Commentariolo de Gallia Belgica p. m.* 15. laudat *Itinerarium Theodosianum in Spirensi Bibliotheca*, & *CL. V. Conradi Peutingeri, Protonotarii Augustensis Civitatis aliud Itinerarium vetustissimum*: per posterius intelligit illa sine dubio fragmenta, quæ primo edidit, sine suo nomine, notulis quibusdam instructa e Bibliotheca Peutingeri M. Velserus: prius vero est integrum illud a Celte repertum & postea publicatum. Qualis vero quantusque fuerit vir *Conradus Peutingerus*, vide in illius elogio, quod doctus quidam Vir præmisit *Sermonibus Peutingeri Convivalibus* recusis Jenæ 1684.

III. 7. 4. *Bertius & Moretus.*) Horum animadversa in fragmenta Tabulæ Itinerariæ una cum ipsis fragmentis, junctim habes in *operibus* M. Velseri, *ed. ult.*

III. 9. §. 1. *Iter Hispaniense* &c.) Malo more idonei testes in ejusmodi rebus omittuntur, quos addo hosce: de *Cæsaris* vide Sueton. *Cæs. c.* 56. de *Trajani* meminit Priscianus *lib.* VI. *in.* ubi ex *lib.* I. *Dacicorum* Trajani hæc verba adfert: *Inde Berzobim, deinde Aixi processimus. p.* 678. *recens. Auct. Vett. Gramm. Lat.* Heliæ Putschii.) de *Alexandri Severi* forsan Panvinius innuit ea, quæ tradit Lampridius *in ejus vit. c.* 12. & 13. *p. m.* 435. *& seqq.* At *Horatius* suum ipse narrat *Sat.* I. 5. ut & *Ovidius Trist.* I. 9. *Firmiani Africanum* puto esse illud Lactantii, cujus meminit Hieronymus *in Scriptt. Eccl. in eo Scriptore*; *Rutilius* ipse suum descripsit, quod noster Amicus a prætexta Almelovenius cum omnium notis elegantissime denuo recensuit Amstelædami A. C. 1687.

III. 9. §. 4. *Sermones Convivales.*) opusculum hoc editum est Argentinæ A. C. 1506. Vid. Gesn. *l. l. p. m.* 145. tuetur autem *Fines Germaniæ contra Gallos*: recusum vero A. C. 1684. Jenæ, addito ejusdem Peutingeri Fragmento *de Inclinatione Imperii*, item additis Beati Rhenani *Orig. Gothis.* Herm. Nuenarii *Orig. Francic.* Abrah. Ortelii *Antiquitat. Gallo-Belgicis.* Peutingeri vero liber *De Gentium quarundam emigrationibus* etiam κατ' ἐπιτομὴν editus est cum Procopio & aliis Historicis *Basil. ap. Hervagium* A. C. 1531.

III. 10. §. 1. *Veteres Orbem Terrarum* &c.) Fragmenta Auctorum *de Mensuris inter Auct. Rei Agr. p. m.* 320. *Majores nostri Orbem in Partes, Partes in Provincias, Provincias in Regiones, Regiones in Loca, Loca in Territoria, Territoria in Agros, Agros in Centurias, Centurias in Jugera, Jugera in Climata, Climata in Actus, Actus in Perticas, Perticas in Passus, Passus in Gradus, Gradus in Cubitos, Cubitos in Pedes, Pedes in Palmos, Palmos in Uncias, Uncias in Digitos diviserunt*; eadem habentur *p.* 290. & apud Isid. *Etymol.* XV. 15.

III. 10. §. 1. *Hæ partes* &c.) In hoc de *Mensuris* argumento eruditionem suam publico probarunt non pauci: præ cæteris vide accuratiores (ut taceam Fannii Carmen & Gromaticos Veteres Rigaltii & Geosii) Georg. Agricolam *de Mensuris Intervallo-*

rum; Matthæum Hoſtum de *Vet. Menſ. Pond. & Menſur. intervall. Romanis, Gr. Hebr. & externis, oper. tom.* II. *lib.* III. *toto, edit. repetit. in Script. Rei. Numm. Vet.* qui exactiſſimus eſt; Jac. Capellum *de Pond. Num. & Menſ. lib.* III. *toto*; Ed. Bernardum, Prof. Oxonienſem, noſtrum, cum viveret, Amicum *de Menſ. & Pond. Ant. ed.* 2. *Oxon.* 1688. *toto lib.* III. Nicol. Myleri ab Ehrenbach *Metrologiam, Tubing.* 1668. qui præcipue recentiores Germaniæ mores & menſuras exponit: cui addantur Georg. Marsmanni *Metrologia & Miliologia, Jenæ* 1674. & Joh. Oetinger *de Jure Limitum, Ulmæ* 1667. Sparſim quoque multa habet in opere vaſtæ Eruditionis *Exerc. Plinian.* Salmaſius ſuper hoc argumento. Adde Dalechampium ad Plin. II. 23. ibique tabellam.

III. 10. §. 3. *Ex quatuor digitis* &c.) Adde hic *Auctt. Rei. Agr. ll.ll.* Verſuum ſequentium Auctor priori ſæculo fuit Schonerus *de Uſu Globi cap.* 12 ſed paſſim, licet per ſe ſatis inconcinni, quippe memoriæ tantum cauſſa facti, mirum in modum variati, corrupti, torti & ἄμετροι adferuntur.

III. 10. ad §. 3.) Ordine hæc collocabo & recenſebo, ut clarius intelligantur:

α. *Granum*, ſeu latitudo tranſverſi grani hordeacei: minima menſura.

β. *Digitus*, Δάκτυλος: 1. *Minor*, κατ' ἐξοχὴν Mathematicis *Digitus*, longitudine quater diametrum tranſverſam grani hordei complectens. 2. *Major*, alias *Pollex*, latitudine digiti unius cum ejus una tertia: Germ. *ein Zoll.* quia hic duodecimam partem pedis conſtituit, ideo *Uncia* etiam dicitur. Panciroll. *V. L.* 1. 65. Covarruv. *Var. Reſ. tom.* 2. *lib.* II. *c.* 20. *n.* 5.

γ. *Palmus*, Δῶρον: 1. *Minor*, Παλαιστή, continet quatuor digitos, ſeu tres uncias, Germ. *Querband* Pancir. *l. l.* 2. *Major*, intervallum inter pollicem & minimum digitum diductos, alias *Spithama*, Gr. Σπιθαμή. continet digitos minores duodecim; majores digitos ſive uncias novem, hinc & *Dodrans* dicitur. Germ. *ein Spann.* Covar. *l. l.*

δ. *Pes Romanus* debet continere quatuor palmos, Germ. *ein Werckſchuh, ein Schuhmaſz.* De eo conſule præter laudatos ad §. 1. Wilh. Goeſium *Antiq. Agrar. c.* 6. ubi ejus menſuram accurate perſequitur. Architectis, præcipue Militaribus, *Rhenanus*, Romano fere æqualis in uſu eſt, qui compendioſioris uſus gratia in decem partes minores dividitur: eſt autem *Pes* 1. *Porrectus*, quo longitudinem metimur. 2. *Contractus*, longus ſcilicet & latus ſemipede, quo longitudo & latitudo conjunctim menſuræ ſubjicitur. 3. *Quadratus*, longus & latus pede, qui ſe in quatuor angulos extendit.

ε. *Cubitus* continet pedem talem unum cum dimidio, unde dicitur *Seſquipes*, Gr. Ωλένη, hinc Lat. *Ulna*: populariter eſt ſpatium, quod ab extremis unguibus in medium brachii angulum protenditur Pancir. *l. l.* Hac menſura metiebantur Nili exundantis incrementa Ægyptii, Plin. *H. N.* v. 9. XXXVI. 7. hinc *Cubitus Nili* dicitur *in l.* 1. *C. T. de Nili Agg.* ubi vide Jac. Gothofred. & in *l. un. C. eod.* eratque apud Memphim in Serapidis Templo menſura e ſculpto ſaxo constructa, inſcriptis per intervalla cubitalibus lineis, per quam Nili incrementa indigenis indicabantur. Heliod. *Hiſt. Æth. lib.* IX. *p. m.*

ζ. *Paſſus*: populariter eſt ſpatium, quantum homo paſſis pedibus ambulando conficit: eſt autem (1.) vel a *paſſis* aut expanſis *brachiis*, & dicitur Gr. Οργυιά, quæ eſt menſura ſex pedum, quæ inter ambas manus, menſurato ſimul pectore, continetur expanſas; Alciat. *Parerg.* 1. 18. & *in l.* 5. *C. Fin. reg.* Jac. Cujac. ad *l.* 4. §. *fin.* Π. *de Uſurp. & Uſuc.* Dion. Gothofred. *in l.* 3. *pr.* Π. *de Term. mot.* & ſic *Paſſum* Cajus *in l. ult.* 13. Π. *Fin reg.* in lege Græca Solonis ὀργυιαὶ vertit: vel (2.) ab extenſis ſive *paſſis pedibus*: qui iterum (*a.*) *Vulgaris*, nulla certa & ſtata quantitate; ſed eſt ſpatium illud, quod quilibet homo in progrediendo pedum extenſione determinat; atque adeo, cum pro corporum crurumque longitudine alio alius gradus greſſuſque format grandiores vel minores, horum quoque paſſuum non eſt certa ac definita quantitas: neque enim Ulyſſis greſſus grallatorio Polyphemi gradui æqualis fuit. (*b.*) *Legalis*, & hic denuo vel (1.) *Minor*, qui & *Simplex* dicitur, item *Greſſus*, Germ. *ein Tritt, ein einfacher Schritt*, complectitur pedes duos cum dimidio, adeoque in LL. Decemviralibus XII. Tabb. vocatur *Seſtertius*, quod ambitus ſpatium inter inſulas voluerunt relinqui: vel (2.) *Major*, κατ' ἐξοχὴν *Paſſus*, Gr. Οργυια, & cognomine *Geometricus*, eſtque ſpatium quinque pedum; quale inter confines agros interſtitium olim debebat eſſe, *arg. l.* 5. *C. Fin. reg.* dicitur etiam *Gradus*, ut in *l.* 3. *pr.* Π. *de Term. mot.* ubi vide Dion. Gothofred. *lit. a.* Germ. *der doppelte Schritt*, communiter *ein Schritt.*

η. *Pertica*, Germ. *eine Meſzruthe*, vel ſimpliciter *eine Ruthe*, virga oblonga a *portando* dicta, quaſi *Portica*, quia hæc menſura portatur, cum reliquæ ſint in corpore humano: in Germania communior eſt *Rhenana*, quæ habet duodecim pedes: alias pro diverſitate locorum variat: alibi quindecim, alibi pauciores habet pedes: cauſſas varietatis exponunt Wehner. *Pract. Obſ. voc. Meilen*; Meyerus *Arith. Decimal. p.* 8. *& ſeqq.* Dividitur in quibuſdam locis in *Agreſtem*, qua Agros, & *Silveſtrem*, qua Silvas metiuntur, teſte Wehn. *l. l.* Gallorum *Toiſe* ſive *Pertica Francica* habet ſex pedes. Geometræ *Perticam Rhenanam* retenta duodecim pedum longitudine facilioris uſus gratia in decem partes, quas *pedes*, & hos iterum in decem minores partes, quas *digitos* ſcilicet majoris moduli appellant, dividunt: hinc etiam dicitur *Decempeda*; quod *ſpatium decempedale* & in jure notum, ut in *l.* 6. *C. de Aquæd.* Sed loco *Perticæ* etiam utuntur aliquando Germani *Rota*, præcipue in Milliaribus dimetiendis, teſte Colero *Deciſ. Germ.* 1. 216. hanc obſervo α. *Saxonicam*, quæ habet in circuitu ſeptem ulnas cum dimidia: Jus Saxonic. *lib.* III. *art.* 66. Sic Milliare Saxonicum conſtat 3600. *Rotis.* β. *Sileſiam Uratislavienſem*, cujus peripheria habet quinque ulnas: quorum Milliare habet 2250. ejuſmodi peripherias. Porro & *Catena* loco Perticæ quandoque utuntur, quæ in decimo, vel duodecimo quovis annulo majori refert decempedam: vide Meyer. *l. l. p.* 12.

θ. *Stadium* habet paſſus Geometricos centum viginti quinque: de eo ſatis Bergierius.

ι. *Milliare* habet Paſſus Geometricos mille: de hoc etiam ſatis accurate Noſter.

Atque hæ ſunt *Menſuræ* celebriores, ſive *Famoſæ*, uti eas ſolent vocare Menſores, Metatores, Decempedatores, Finitores, quas clarioris lucis gratia hoc ſchemate, præeunte Hoſto *de Menſ. Vet.* III. 2. *in fin.* complexus eſt Joh. Jac. Rieggerus, cum pro laudabili Germanorum more *diſſert. Inaug.* habita *Altdorſii an.* 1693. *Geometriam legalem* erudita & accurata induſtria exponeret, quam diſſertationem, qua me in pleriſque his menſuris adjutum fateor, mecum communicavit collega conjunctiſſimus V. Cl. CLEMENS BERG, Civilium & Moralium in hoc Athenæo Clivienſi Profeſſor ordinarius:

Habet	Stadia.	Perticas.	Passus Geometricos.	Passus Simplices.	Cubitos	Pedes.	Palmos.	Pollices.	Digitos.	Hordei grana.
Milliare:	8.	500.	1000.	2000.	$3333\frac{1}{3}$.	5000.	20000.	60000	80000.	320000.
Stadium:		$62\frac{1}{2}$	125.	250.	$416\frac{2}{3}$.	625.	2500.	7500.	10000.	40000.
Pertica.			2.	4.	$6\frac{2}{3}$.	10.	40.	120.	160.	640.
Passus Geometricus:				2.	$3\frac{1}{3}$.	5.	20.	60.	80.	320.
Passus Simplex:					$1\frac{2}{3}$.	$2\frac{1}{2}$.	10.	30.	40.	160.
Cubitus:						$1\frac{1}{2}$	6.	18.	24.	96.
Pes:							4.	12.	16.	64.
Palmus.								3.	4.	16.
Pollex:									$1\frac{1}{3}$.	$5\frac{1}{3}$.
Digitus:										4.

III. 10. §. 4. *Tres Passuum differentias.*) Has Clavius primus cœpit tradere, & confundere Passum cum Gressu, *in Sphæram Sacrobosci c.1.p.114. tom. 11. Oper.* ideo taxatus Jac. Capello *de Mens. lib. 1. defin. 12.*

III. 10. §. 5. *Passus* &c.) Etymon hoc *ab expansis manibus* Budæo *Annot.in* II. *ad l.ult.si Mens. fals. mod. dix.* ubi plura hujus notæ doctissima pro more habet, placuit. Sic *Gromatici Auctores inter Auctt.R.A.p.m.322. Etiam & Passus apud antiquos dupliciter haberi videntur. Etenim Passus dicitur, quod duobus Gressibus gradiendo conficitur. Passus etiam dicitur, quantum ambobus brachiis extensis inter longissimos digitos est:* hinc etiam Innocentius *de Casis Litter. ibid. p.m.229.* computat: *manuum passus* ∞.

III. 10.§.5. *Credunt vulgo* &c.) Sic certe maxime persuasum est Pictoribus, quorum libri & rationes super hac Symmetria videantur.

III. 11.§.1. *Hebræi etiam aliter vocant Ulnam.*) אמה continebat communiter *palmos* quinque, at in sacris palmos sex, ut Hebræorum Magistri docent: occurrit hæc mensura Ezech. XL. 5. XLI. 4. XLIII. 13. ubi Villalpandum consule: *Exod.* XXV. 10. Chaldaice המין Daniel.III.1.Esr.VI.3. & אמתא. *Cubitus* etiam est גמר Judic. III. 16. Adde Otton. *in Lex. Rabb.* & David. de Pomis *in Lex. his vocib.* ante omnes Bernardum *de Mens.l.*III. §. 11.12.13.

III. 11. §. 1. *Ægyptii Schoenis.*) Originem hujus mensuræ docet Hieronymus *Comment. in Joel.* III. 18. & 19. „ *Pro torrente spinarum* LXX. tran-„ stulerunt *torrentem funiculorum* i. χειμάῤῥουν „ τῶν σχοίνων, quod aut *funiculum* significat, aut „ juxta Ægyptios mensuram certi itineris, Psal-„ mista dicente: (139: *aut secundum Vulgatam* „ 138: 3.) *Semitam meam & funiculum meum tu* „ *investigasti.* In Nilo enim flumine, sive in ripis „ (*alii*: rivis) ejus solent naves funibus trahere, „ certa habentes spatia, quæ appellant *funiculos*, „ ut labori defessorum recentia trahentium colla „ succedant. Hæc Stridonensis: locus ille Psalmi laudati in Hebraica veritate habet: זרית וכל-דרכי היסכנתה ארחי ורבעי pro his Seniores: Τὴν τρίβον μου ϗ τὴν σχοῖνόν μου ἐξιχνίασας πὰς ὁδούς μου προεῖδες: Tremellius & Junius: *Iter meum & accubi-*

A *tum meum circumplecteris, & omnium viarum mearum peritus es.* τὸ סכן verbum est peregrinum, &, teste Buxtorfio *in Lex.* maxime Chaldaicum: quare putare forsan quis posset, illud etiam *dimetiendi* significationem habere, & ea hoc loco commode poni posse. Cum vero Græci mensuram istam Ægyptiam passim dicant σχοῖνον, non vero Ægyptiam vocem aliam adferant, ut fecerunt in *parasangis* Persarum; credi posset σχοῖνον esse ipsam Ægyptiam vocem, quæ cum Græca casu conveniat, aut Græcæ originem præbuerit. Hanc mensuram postea ab Ægyptiis quoque mutuati sunt Judæi, ut Viri docti ostenderunt.

B III. 11.§.1. *Germani primum diebus* &c.) Hinc illis etiamnum in usu sermonis est *Eine Tag-reyse.* Sed *Rasta* est vox mere Germanica, *Eine Raste*, a *Rasten*, quod est quiescere. Mensuram autem *Rastæ* Germanicæ nobis indicat Auctor nescio quis Gromaticus *inter Auctt. R. A. p. m. 322.* laudatus infra *sect.12.§. 12.* subjicit autem *l.l.* Hieronymus; *in singulis nominibus diversam mensuram esse.* Per *Dies* vero sua itinera computant pleræque gentes, quibus Viarum cura tanta non fuit. Sic *Tartari vias non habent, neque navigia, sed per dies iter suum computant; ut terra Zavolhensium Tartarorum citissimæ equitationis a flumine Volha ad ma-* C *re Caspium est quasi* XXX. *dierum: equitant una die* XX. *milliaria magna Germanica, pedibus non gradiuntur, nec itinerant*, uti refert Matthias Michovius, M. D. & Canonicus Cracoviensis in *de Sarmatia Asian. atque Europ.* 1.6.

III. 11. §.2. *Nec Schœni Ægyptiorum.*) Jac. Capellus *de Mens. lib. 1. def.* 36. eos ita distinguit: ponit Stadium Ægyptiis constanter fuisse idem: nempe passuum CXX. sive pedum Ægyptiacorum IↃC. quod *Alexandrinum* vocat; sed *Schœnum* varium fuisse, quorum

D I. habuit Stadia Ægyptiaca 30. Attica $34\frac{2}{7}$.
II. . . . . 40. . . . . $45\frac{5}{7}$.
III. . . . . 60. . . . . $68\frac{4}{7}$.
IV. . . . . 120. . . . $136\frac{4}{7}$.

in *edit. Francof.* 1607. de qua merito Auctor questus est, quod mendosissima esset, vitiose legi-

tur $36.\frac{4}{7}$. Sane ex vero ita distinguit Capellus, ut apparet ex locis Veterum Scriptorum hic laudatis; quibus addo: Strabon. *lib.* XI. *p. m.* 133. *Nos*, ait, *cum Nilum navigaremus, aliis atque aliis mensuris utebamur, quas Schœnos appellabant, ab urbe in urbem, ut idem Schœnorum numerus alibi majorem, alibi minorem navigationem contineret, qui ut ab initio traditus est, ita adhuc observatur*. Item *lib.* XVII. *p.*607. *Artemidorus dicit* XXVIII. *Stadiorum adnavigationem esse* (ab Alexandria ad τὸ Delta verticem) *id est*, IↃCCCXL. *Stadia*, XXX. *Stadiorum Schœnum faciens*. Sed nec *Parasangæ* Persarum erant certæ mensuræ. Strabo *loco prius laudato*, ait: *Persicam Parasangam alii* LX. *Stadiorum fecere, alii* CCCXL. Alias valet *triginta Stadia*: Vide Herodoti, qui hoc diserte affirmat, etiam *Terpsichor. sive lib.* V. *p.*300. *ed. Wechel. Lat. vel p.* 135. *ed. Steph.* ubi iter *Sardibus Susa* & *regiam Memnoniam* accurate per stathmos, parasangas & dies recenset: item *lib.* VI. *sive Erato*, *p. W.* 339. *St.* 152. idem de XXX. *Stadiorum* mensura ait: adde omnino Bernard. *de Mens. l.* III. §. 36.

III. 11. §. 2. *Leander Albertus*.) Verum hic, ut alias, etiam huic Itinerario adsutas Annii Viterbiensis nugas, ceu cœlo delapsas adoravit, unde mirum non est, quod subinde fumos captet & vendat.

III. 11. §. 5. *Cornelius Nepos*.) Et sæpe Tacitus *Ann.* I. 45. III. 45. XIII. 26. XV. 60. *Hist.* III. 18. IV. 60. & omisso τῷ *Lapide Hist.* III. 15. Aliique: adde Dion. Gothofredum ad leges mox laudandas hoc §.

III. 11. §. 8. *Suidas*.) male Noster hoc ad Photium *in Bibliotheca* retulit, qui ne gry quidem hac de re habet. Locus Plutarchi mox laudatus frustra quæretur *in edit. Latina Xylandri*, *cap.* 9. *vit. C. Gracchi*, quippe omissus: dolendum sane, Fortunam optimo & industrio illi Viro adeo iniquam fuisse, ut corrupto aut quandoque hiante codice Græco usus, non tam *famæ cupiditate*, quam *famis metu*, ut ipse de se *in præfat. ad Plutarch.* testatur, laborarit in vertendis Auctoribus Græcis.

III. 11. §. 8. *Sane si Milliaria* &c.) Num hæc satis firmo tibicine nitantur, dubito. Quid ergo his locis Plutarchi & Livii faciemus? *ead. vit. Camill. c.*29. ille narrat, *Romanos ab Urbe progressos nonaginta stadia, apud Alliam fluvium consedisse*: hic vero v. 37. *ad undecimum lapidem* ait: finge, Milliarium esse Stadia $7\frac{1}{2}$ ergo 90. Stadia dabunt 12. Milliaria: finge esse 8. Stadia, & habebis II. M. P. ac 250. passus.

III. 11. §. 9. Προσθετέον &c.) Noster hæc postrema paullo aliter in Gallico suo idiomate acceperat, atque Græce sonant: ita enim exponit: *Il faudra encore adjouster cent soixante & dixhuit stades, qui est une troisieme partie des milliaires*. Res huc redit: Via Egnatia, longa est 535. M. P. si 8. Stadia faciunt unum Milliare, hæc 535. M. P. dabunt 4280. Stadia: at si ex Polybii sententia unum Milliare habet 8. Stadia & 2. diplethra, sive 200. pedes, sive plus tertiam partem Stadii, tum τοῖς 535. M. P. addendo totidem *diplethra* habebis pedes 107000, sive $178\frac{1}{3}$ Stadia (600. pedum singula) quæ addi debebunt Stadiis illis 4280. ut fiant Stadia $4458\frac{1}{3}$ (sive αὐτὶ τοῦ $\frac{1}{3}$. velis ponere 200. pedes.) Ergo τὰ $178\frac{1}{3}$. sunt tertia pars τῶν 535. ratione ad ipsum præcise numerum habita; non vero $178\frac{1}{3}$. *Stadia* sunt tertia pars *Milliarium* 535. ut Bergierius capiebat; cum debuisset dicere potius: *est une troisieme partie au nombre des Milliaires*.

III. 11. §. 10. *Per Galliam Aquitanicam*.) Imo vero *Narbonensem*: nam ibi Polybius de transitu Rhodani agit.

III. 11. §. 10. *Suidam hæc ex diversis* &c.) Locum Suidæ intricatum sic explicat commode Jac. Capellus *de Mens. lib.* I. *def.* 29. „Suidas per „ ἀμεθοδευσίαν *Stadii*, *Pedis*que voces aliter at- „ que aliter accipit. Nam cum tribuit *Plethro* pe- „ des 100. *Stadio* 600. cum ait: 10. *Milliaria* „ *conficere Stadia* 80. hæc sane intelligenda sunt „ de *Stadio* ac *pede Attico*, *Milliari* vero *Roma-* „ *no*. At cum ait: *Milliare capere Stadia* $7\frac{1}{2}$. *pe-* „ *des vero* 4200. omnino id intelligendum est de „ *Milliari Hebraico*, *Stadiis* vero *Babyloniis*. „ Revera enim 1000. passus *Hebraici* conficiunt „ præcisa stadia *Babylonia* $7\frac{1}{2}$. Hebraicorum, in- „ quam, pedum 5000. conficiunt pedum Babylo- „ niorum 4500. At qui factum, ut pro 4500. Sui- „ das dixerit 4200? Dixerit aliquis, esse errorem „ Typographi. Sed potest esse Suidæ ipsius. Le- „ gerat, aliquem milliari tribuentem *stadia* 7. ut- „ pote qui numero rotundato uti mallet, quam „ decurtato $7\frac{1}{2}$. hinc collegit Suidas, milliari tri- „ bui posse pedes 4200. Hebræi autem voce *MIL* „ intelligunt aliquando 1000. *Gressus*, aliquando „ 1000. *Passus*. alterum *minus*, alterum *majus* He- „ bræorum *Mil* commode vocari potest. Verba „ Suidæ de majori Hebræorum *MIL* intelligenda „ sunt.

III. 11. §. 11. *Pes Romanus paullo minor pede Græco*.) Ea proportione, qua sunt $143\frac{3}{4}$. ad 150. Tu vero de *Pedis* mensura adde accuratissimum Bernardus *de Mens. lib.* III. § 9. & 10.

III. 12. §. 2. *Leucæ*.) Utique *Leuvæ*, *Leugæ*, *Leucæ* vox prisca est, non arcessenda demum a temporibus Marcellini & Hieronymi cum Nostro infra §. 9. cum jam A. C. 220. in familiari usu fuerit: vide Inscr. ad I. 19. §. 1. & §. 6. de *Leuca* vide etiam Bernard. *de Mens. l.* III. §. 33. 34. 35. qui pro more doctissime & acutissime de ea disputat.

III. 12. §. 3. *Orontius Fineus*.) Minorum gentium, non vero adeo insignis est hic Mathematicus, quippe pudendis sæpe erroribus obnoxius. Noster Ejus locum adeo perversum, lacerum, mutilum attulerat, ut nihil sani ex eo posset ullis fidiculis extorqueri. Omnia ad sanitatem revocavi ipso Fineo consulto, ut collationem facturis patebit.

III. 12. §. 4. *Quarum posteriorum* &c.) Clavius *in Sacrobosc. Sphær. c.* I. *p.* 114. *tom.* 2. *Oper.* hanc vocat *Suevicam*, *omnium maximam Leucam*.

III. 12. §. 4. Δόλιχος.) vide Bernard. *l. l.* §. 12.

III. 12. §. 5. *Maris profundissimum* &c.) Noster in Gallico suo libro, quasi Genebrardi verbis, hoc ad *Sosigenem* refert. Sed nec Genebrardus hoc *l. l.* dicit, nec *Sosigenes*, sed *Fabianus altissimum mare* XV. *Stadiorum tradidit*, teste Plinio *H.N.* II. 102.

III. 12. §. 8. *In Narrat.*) altera, quæ exstat inter Auct. *Novi Orbis ex edit. Hervagii*, *Basil.* 1555. ubi *p.* 539. ait: *Continet autem Leuca IV. Milliaria Italica*.

III. 12. §. 8. *Leucam Hispanicam habere IV. M. P.*) Errat enim Clavius, cum Hispanicam Leucam facit 1500. passuum, insignem errorem, *in Sphær. Sacrobosci c.* I. *p.* 114. *tom. II. Oper.* Est tamen inter Leucas Hispanicas differentia, nam *Leuca Toletana minor habet passuum Toletanorum tria millia*, *Atticorum* 2400. *quot Leuca Parisina pedes Parisinos*. *Major vero habet passuum Toletanorum quatuor millia*, *Parisinorum tria millia*, ut ait Jacob. Capellus *de Mensuris Intervall. definit.* 34.

III. 12. §. 8. *Accederet ad XCV. Leucas*.) imo ad $93\frac{3}{4}$. male enim Vigenarius posuit calculos.

III. 12. §. 12. *Leuvæ.*) Posset quis suspicari hanc vocem non abludere a Germanica *Lauffe* Cursus.

III. 13. §. 1. *Columna illa Milliaris notissima &c.*) Discrepatur hodie inter doctos, num ea, quæ in Capitolio ad gradus laterales hodie visitur, sub nomine *Milliarii Aurei*, sit illa vetus veraque columna? item num a *Milliario Aureo* Viæ Militares initium ibidemque versa vice finem habuerint? Hoc affirmat Plutarchus *l.l.* & hunc sequuntur plurimi, laudati Clarissimo Pitisco ad Suetonii *l.l.* ut & noster Bergierius: Negante vero Cl. Pitisco. Posterius videtur eidem viro Doctissimo negari, quod idem ex professo faciant Holstenius *de Mill. Aur. T. A. R. t.* IV. *p.* 1804. Ryckius *in Tacit. p.* 309. Fabrett. *de Aquæd. Diss.* I. §. 48. *T. A. R. t.* IV. *p.* 1695. & Misso nuperrime, *Nouv. Voyag. d' Italie ed. 2. Hagiens. lettre 26. p.* 120. & *seqq.* Utrumque negant Holstenius & Fabrettus, sed asserit Noster. Nos tuebimur Lectorum bona cum venia Bergierii sententiam, atque conabimur ostendere, eam non adeo a vero abludere. Columnam illam ita me vertente describit Misso: ,, Columna hæc, hodie in Capitolio visenda, est ex marmore candido, alta pedes (*Anglicos*, puto, intelligit) octo cum dimidio. τὸ I. notatur in hypotrachelio: supra capitellum globus est æreus, cujus diameter habet pedes duos. Ita αὐτόπτως Misso. Quæ ipsa descriptio augustius quid sonat, quam simplicem columnam milliarem extra Urbem: tantus ille globus æreus superimpositus non male a nostro §. 5. ex tralatitio Romanorum more pro orbis symbolo habetur. Quod *Vespasianum*, *Nervam Trajanum* ostentent Inscriptiones columnæ tam studiose toties refectæ, hoc utique amplius quid habet in recessu. *Viatores, qui Imp. & COS. & Pr. ceterisque Magistratibus apparent & honore usi*, potius intra Urbem, quam extra eam sunt collocandi. Verum audiamus, quid Viri docti opponant. Ajunt 1. Illam columnam *Milliarii Aurei* fuisse saltem ex ære inaurato, si sequamur Tacitum, Suetonium, alios; hanc vero esse marmoream. Respondemus, nullum nobis Auctorem idoneum visum lectumve, qui dicat hanc columnam totam fuisse auream, aut ex ære inaurato. Milliarium hoc cognominant *Aureum*, quo cognomine hæc columna censeri potest, si vel solus olim globus ejus æreus fuit inauratus: dicunt 2. Vetus *Milliarium Aureum* fuisse inscriptum nominibus Viarum Militarium sive Consularium, & distantiis præcipuarum urbium. Verum dicant, quæso, quo Auctore hæc jactent: scio novitios Italicos Romæ veteris enarratores ita loqui & pingere: vide verbi caussa Philipum Rossi *nella Roma Antica p. m.* 62. Plutarchi ex verbis id extendunt, cui est χρυσοῦς κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν, *Columna Aurea, in quam incisæ omnes Italiæ Viæ desinunt*, at τὸ τετμημέναι non illud notat, verum *destinatæ, ductæ*; sic notum est vel ex Lexicis τέμνειν ὁδὸν i. *viam tenere*: verum fingamus, prisco Milliari Aureo *incisas* fuisse *Vias Italiæ* (non, ut vitiose ibi verti solet *Militares* ἁπλῶς,) *omnes*; &, quod gratis vulgo addunt, distantias præcipuarum Urbium: nonne possemus regerere, in columnæ hujus ter refectæ prioribus stylobatis ea fuisse inscripta, & lapsu temporis extritis literis substitutisque novis stylobatis omissa? Sed pergunt 3. hanc Columnam repertam in ruinis suburbanis Viæ Appiæ, in vinea Nobilium de Naris, non vero in media Roma, quo non videatur ex Urbis centro translata: hoc in argumento valde triumphat doctissimus Fabrettus: at quid ergo fuit impedimenti, quo minus a studioso aliquo veterum reliquiarum in illa Urbis toties facta vastatione ad ornatum villæ, horti, vineæ potuerit transferri? quasi non idem in aliis reliquiis ejusdem & multo majoris molis factum fuerit? Unde ergo fuit in *vinea*, si debuit esse primi lapidis ad *Viam* Appiam index? unde hæsit in *suburbanis*, si non a porta, sed a *continentibus ædificiis* demum mille passus numerandi sunt, secundum Macrum JC. *l.* 154. *de V. S.* Sed objiciunt 4. Disertis verbis illi columnæ inscriptum legi, esse *Columnam Milliariam primi ab Urbe lapidis indicem*. Si *ab Urbe*, ergo non fuit hæc columna in media Urbe: facillima hic responsio est, cum hæc inscriptio sit valde recens & hodie facta, ab eo, cui ista placuit sententia; fuerit ne vero Holstenius, an alius, nescio. Instant tandem 5. Si hæc columna esset unicum illud & primum *Millarium Aureum*, a quo cæteri in orbem & ambitum lapides numeros suos ordirentur, & singuli porro denumerarent, tum non extra, sed intra Urbem foret *secundus lapis*, ob amplitudinem: at in Palatio Barberino visitur antiqua Inscriptio, qua *Salvia Marcellina donum templo Martis intra Milliarium I. & II. ab Urbe euntibus*, consecrat: atqui Templum Martis fuit ad Viam Appiam extra Urbem: hinc constat *Milliarium I. & II.* fuisse extra Portas Urbis. Sed hunc arietem facile repellemus. Ex Plinio teste classico *l.l.* clarissime constat; *Ad extrema tectorum cum Castris Prætoriis ab Aureo Milliario, per vicos, omnium Viarum* (scilicet militarium Urbis, in quas intrabant aut continuabantur Viæ militares Italiæ) *mensuram colligi*, adeo ut non erret Plutarchus, cum ait, *omnes Italiæ vias in hanc* Columnam *finiri*. Dico ergo, Vias Militares, quæ sunt intra Urbem, non quæ extra eam, cepisse initium & numeros suæ longitudinis ab *Aureo Milliario*; at extra Urbem *lapides Milliarios*, quibus in Urbe opus non erat, cœpisse numerari a continentibus ædificiis suburbanis: deinde ajo, τὸ I. in hypotrachelio Columnæ nostræ, non esse notam primi *Milliarii*, aut *I. Mille passuum*, sed *I. passus*, sive notari eo passum quaquaversum in omnes Urbis Vias militares primum & initialem, ideoque nec in hac præter cæteras Viales ornata & altiore columna, quod, ut in omnium primo lapide milliari, si quidem talis foret, fieri omnino debuisse ex decoro videtur, annotantur, ut in aliis plerisque omnibus, notæ τῶν M. P. Quare non adeo a vero aberrat Bergierii aliorumque Doctorum sententia, hanc columnam, de qua egimus, esse ipsissimum *Milliarium Aureum*.

III. 13. §. 3. *Plutarchus in vit. Galb. c.* 31.) Male noster *in C. Graccho*: sed talia habet ὅσα κόνις: id noto, frustra iterum hunc locum quæri in Xylandri versione, qui hæc verba omisit, forte mutilo codice usus.

III. 14. §. 4. *Eam* Μέσην *sive Mediam vocans.*) Strabo innuit *versum* 184 *Odyss.* A. ubi hodie legitur Τεμέσην, ut intelligatur *Temesa*, urbs Bruttiorum æris ferax: at Strabo legit suo ævo: Ἐς τε Μέσην μετὰ χαλκόν.

III. 14 §. 7. *Pie di Luca.*) Solinus *Polyhist. c.* 8. *Italia umbilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet.*

III. 14. §. 11. *Aurelius Victor.*) & Auctor *Descript. Urbis* Romæ, quæ *Notit. Utr. Imp.* a Pancirollo est præmissa.

III. 15. §. 11. *Suetonius.*) & Tacitus *Hist.* v. 13. *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur.* Deinde in fine noster plane obtorto collo rapit locum D. Matthæi: de Christi perpetua ad finem rerum præsentia penes suos, ad ἱεραρχίαν Romæ novæ, cum ex suorum sententia debuisset potius attulisse Matthæi XVI. 18.

III. 16. ad §. 1. & seqq.) Consule hic Bergierio hac in parte longe accuratiores Nardini *Rom. Vet.* I. 6. & *seqq.* & Donat. *de U. R.* I. 19. Fabrett. *de Aquæd. Diss.* III. §. 324. & *seqq.*

III. 16. § 4. *Leucas* III. *cum dodrante & passus* xxx.) Noster: *trois lieues & demie*, male positis calculis: res manifesta: 7530. passus faciunt $3\frac{3}{4}$. Leucarum, & 30. passus.

III. 16. §. 5. VII. M. P.) Quidam Codd. Plinii *l.l.* male & corrupte habent LXX. M. P.

III. 16. §. 6. *Pro dimidia parte.*) Nam $1617\frac{1}{2}$. est dimidium τῶν 3235. obscurior paullo hic fuit Bergierius; videtur passus 3235. accepisse, quasi *suburbia* a dextra & sinistra parte Urbis se proxime contingerent, & quasi non interjiceretur Urbs, ut ita dimidiarit numeros illos, ad veram, a suburbiorum usque ad continentia tecta longitudinem deprehendendam.

III. 16. §. 8. *Tosias nostrates.*) Consule de *Tosia* Capell. *de Mens. lib.* 1. *defin.* 13. Bernard. *de Mens.* III. §. 17.

III. 16. §. 10. *Anno conditæ* 828.) Fl. Vespasiano Imp. v. & T. Vespasiano Cæs. IV. Coss. cum templum Pacis absolutum dedicaretur. Noster habebat 838.

III. 17. §. 6. *Viæ* XXXI.) Harum situm & ductum egregie illustrat, & tabulis suis depingit etiam elegantissimus Fabrettus *de Aquæd.* maxime *Diss.* III qui proinde hic conferri & consuli poterit. Noster Panvinium *de Urb. Rom.* fere secutus est.

III. 18. §. 2. *Strabo.*) adde *p.* 395. & *lib.* VII. *p.* 575.

III. 18. §. 3. *Hæc Plinius.*) qui cum consentit Solinus *Polyhist. c.* 8. *in medio.*

III. 18. §. 4. *Itinerarium Antonini pag.* 22.) ad quem locum consule Suritæ *comment. p. m.* 261.

III. 18. §. 4. *Columna.*) Strabo *lib.* 3. *p. m.* 309. *Veteribus enim hic mos affuit, hujus generis confinia* (Columnas) *ponere; quemadmodum Rhegini Columellam,* (unde Melæ II. 4. & Plin. III. 5. dicitur *Columna Rhegia*) *turrim quandam exilem super freto locaverunt: & huic Columellæ turris, quam Pelori nuncupant, e regione sita est.*

III. 19. §. 3. *n.* 11. *A Tarracina Neapolim.*) Neapoli Castro Martis de Vulturno Inscr. est hæc apud Gr. 152: 2. M. ARRIVS. M. F. M. SEXTIVS. M. F. DVOVIRI. DE. S. VIAM. FACIVND. ET. REFICIVND. COERAV. Perantiqua est hæc Inscriptio, referenda ante ævum Augusti, cum adhuc *IIViri* extra Urbem Vias curarent: vide ad I. 3. §. 10.

III. 19. §. 3. *n.* 15.) Aquilejæ, ut constat ex Inscrr. Gr. 152: 3. *Arius A. L. Tertius Aug. Testamento sterni* Viam *jussit*, nisi pavimentum aliud fuerit; *in quod opus erogata sunt HS.* XXX. Ibidem ante ostium Ecclesiæ Monialium: 152: 4.

IMP. CAES. INVICTVS. AVG.
AQVILEIENSIVM. RESTITVTOR
ET. CONDITOR. VIAM. QVOQVE
GEMINAM. A. PORTA. VSQVE. AD
PONTEM. PER. TIRONES. IVVEN
TVTIS. NOVAE. ITALICAE. SVAE
DILECTVS. POSTERIORIS. LONGI
TEMPORIS. LABE. CORRVPTAM
MVNIVIT. AC. RESTITVIT

In prima linea ἀντὶ τοῦ INVICTVS mallem legi DIVI. FILIVS. nec enim abludunt vestigia literarum: fuit olim *Via Consularis*, nam *longi temporis labe corrupta* hic *restituitur*. τὸ INVICT. AVG. est posteriorum Impp. quorum ætati τὸ *Tirones Juven. Nov. Ital. dilectus posterioris* minus conveniunt. Ab Augusto vero restitutam docent ejusdem Coloniæ *VIViri Augustales*: vide Reines. *ad* I. 51. Cluverii *Ital. Ant.* 1. 10. fuerat jam olim condita & deducta in agrum Gallorum A. U. C. 568. Q. Marcio Philippo & Sp. Postumio Albino Coss. teste Liv. XXXIX. 55. Augusto, cum Pannonicis atque Germanicis bellis propior esse volebat, mansionem subinde præbuit: Suet. *Aug. c.* 20.

III. 20. §. 3. *De Portis Romæ veteris.*) De his consule recentiores & accuratiores Topographos Romæ, Nardinum, Donatum, &, qui sparsim de iis doctissime disputat, Fabrettum *de Aquæd.*

III. 20 §. 4. *Princeps Vatum.*) & Festus in *voce: Religio*: item Ovidius *Fast.* II. 201. Dion. Halic. *A. R. lib.* I. *p. m.* 45. aliique.

III. 20. §. 9. *Septem, quæ esse desierant.*) videntur illæ fuisse: *Mugonia, Romanula, Janualis, Carmentalis* & quas hic noster Auctor memorat, *Saturnia, Ratumena, Salutaris*: nam *Stercoraria* fuit tantum claustri clivi Capitolini portula.

III. 21. §. 3. *Via Flaminia.*) Adde de ea Nardin. *R.V.* VI. 9. &, qui situm ejus delineat, Fabrettum *de Aquæd.* in tabula *diss.* III. præmissa.

III. 21. ad §. 5.) vide Nardin. I. 8. Donat. *de U. R.* I. 15. & 16.

III. 21. §. 10. *Liberti Neronis.*) imo Domitiæ amitæ Neronis, Tacito teste *Ann.* XIII. 19. Verum, ne quid dissimulem, videntur duo *Parides* histriones fuisse. Prior Domitiæ L. a Nerone occisus, quia hic Nero saltandi artem ab eo discere non poterat, Xiphilin. *lib.* LXIII. *p. m.* 737. aut quia Nero arte saltandi *gravem* hunc *adversarium* vincere non poterat. Sueton. *Neron. c.* 54. Posteriorem *Paridem*, cujus *amore* Domitia, Domitiani uxor, *deperdita* primum *repudiata* fuerat, Suet. *Dom.* c. 3. occidit Domitianus ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ. Xiphilin. *lib.* LXVII. *p.* 759. hujus posterioris meminit & Juvenalis meus VI. 87. VII. 87. ad hunc vero posteriorem, non ad priorem referri debet epitaphium a Martiale scriptum.

III. 21. §. 11. *Clitellæ.*) a κλιτὺς, *vallis* & *declivitas*. Gr. dicuntur κανθήλια. quæ sunt *declivia*, ea quoque *acclivia* sunt vice versa, quo respicit Festus.

III. 22. §. 1. *Via Æmilia.*) sc. *Lepidi*: non *Scauri*, ut male habet Index: nam hæc per *Pisas, Lunam, usque Sabatios Dertonam* pergebat, & *alia est* ac illa *Æmilia, quæ Flaminiam excipit*, teste Strabone *l.l.* Vide infra *sect.* 28. §. 3.

III. 22. §. 2. *Ex Charta Peutingeriana.*) Videtur noster Bergierius hic alienis oculis Tabulam Itinerariam inspexisse; tota enim Via ab initio aberrat. Nam *Rubico fl. Ad Novas, Sabis* ducunt *Ravennam*: deinde mirum facit in aliam Viam saltum *Sabis Curvam Cæsenam*. Tu duce ipse Tabula *segm.* II. pone:

Ab *Arimino*
Ad Confluentes XII.
Curva Cæsena VIII.

sic etiam Tabula convenit cum Itinerario, quod habet ab *Arimino Curvam Cæsenam* tantum *M.P.* xx. cum aberratio ista Bergierii habeat *M.P.* XXXVI. deinde nota, post *Florentiam*, a *Placentia Laudem Pompejam* per viam transversam saltum quasi fieri per xx. M.P. nam τὰ XXII. notant potius distantiam inter *Laudem Pompejam* & *Acerras* alia Via: tandem in fine: *Aquileja* XIIII. nota τὸ XIIII. notare distantiam inter *Aquilejam* & *Pontem sontem*, non vero inter illam & *Concordiam*.

Tu repone ex Tabula *segm.* II. & III. ita turbatos numeros, qui melius convenient cum Itinerario:

Como	XXXV.
Fl. Amborum	*
Bergomum	*
Leuceris	XX.
Brixia	XXXV.
Ariolica	XXXII.
Verona	XIII.
Vicentia	XXXIII.
Patavis	XXII.
Altino	XXX.
Concordia	XXX.
Aquileja	XXX.

Notet autem benevolus Lector, solenne fuisse Nostro, in excerptis Tabulæ Itinerariæ aberrare: unde consultius duxi fore, si ipse porro denuo ad ipsam Tabulam numeros, vias, loca excerperem, ne sæpius essent notandæ & corrigendæ aberrationes.

III. 22. §. 4. *In hac a Curva Cæsena ad Forum Populi saltum fieri.*) ne erres cum Bergierio: non in Tabula hoc fit, sed per aberrationem ab ipso Bergierio, qui Viæ initium non solum male deduxit, sed etiam icunculam quasi primariæ urbis *Ravennæ* accepit pro *Curva Cæsena*, & hinc ejus error.

III. 22. §. 7. *Juxta hunc pontem* &c.) Magnifice ac oratorie hanc rem narrat Auctor *Panegyrici*, dicti *Constantino Aug. Constantii F.* qui incipit: *Unde mihi tantum confidentiæ: in med. inter Panegg. Vett. ed. H. Steph.* 1591. *p.* 153.

III. 22. §. 7. *Cassia ad sinistram.*) quæ Hetruriam discriminat; Cicerone teste *l. l.* Panciroll. *in Descr. U. R. p.* 388. *T. A. R. t.* III. credit *a Cassio stratam* (ut generatim dicit Festus *h. v.*) illo, qui cum M. Messala Censor fuit, cujus meminit Plinius XVII. (non VII. ut ibi vitiose exstat.) 25. quia Censorum tum erat cura hæc: videtur ergo hæc facta circa A. U. C. 595. eam delineat Fabrett. *Tab. Diss.* III.

III. 22. §. 8. *A Luca ad Martis* XII. &c.) Noster hic numeros plane inverterat, numerando: *Luca* XII. & sic porro; at quid sibi vellet tum τὸ XII. cum nesciretur, unde colligeretur hæc distantia? Inter *Sutrium* & *Vicum Matrini* in *segm.* III. non annotatur distantia, quam Bergierius de suo supplevit, qua caussa aut ratione, nescio. In *Itin. Ant.* inter *Forum Cassii* & *Sutrium* sunt M. P. XI. Ex Tabula sic etiam disponi possunt mansiones, & forsan melius:

Vico Matrini	IIII.	
Sutrio	*	
Ad Novas	XII.	
Careias	VIIII.	
Ad Sextum	VIIII.	
Roma	VI.	(ἀντὶ τοῦ III. corrupti, ut apparet ex τῷ *Ad sextum*)

III. 22. §. 9. *Anniam non invenimus* &c.) Sed hæc, uti & *Ciminia* occurrit *in Inscr.* allatis supra *in Not. ad* I. 4. §. 7.

III. 23. §. 2. *Via Collatina.*) Situm ejus depingit *in Tabula præmissa Diss.* I. & III. *de Aquæd.* Fabrettus, quem adde III. §. 315. & *seqq.* ubi errorem G. Fabricii, quem Noster etiam secutus est, ac si hæc Via in *Salariam* incideret, corrigit.

III. 23. §. 4. *Via incipiebat Collina.*) Corrige & rescribe) *Salaria*: nam apud Veteres *Via Salaria*, sed non *Porta*; & *Porta Collina*, sed non *Via* legitur, ut adeo erret Georg. Fabricius *in Romæ c.* 5. cum præeunte Marliano I. 8. ait *Viam Sa-*

A *lariam* sic cognominari *a porta*, *unde oriatur*: quem errorem Noster quoque adoptat. §. 3. Vide Fabrett. *tabb. laud.* ubi *Salariam Veterem* & *Novam* paullo ab Urbe dividit, & *Veterem*, in *Flaminiam* inducit: vide & §. 252. adde de hac Via locum Taciti *Hist.* III. 78.

III. 23. §. 5. *Firmo Viceno* X.) Hic a mansione præcedente in hanc saltus in *Tab. segm.* III. fit sine linea interjecta, & τὸ X. notat distantiam inter *Firmum Vicenum* & *Fisternas*; non vero inter illud & *Ad Martis*, ubi nullus numerus adest: sic paullo post nec *Castrum Trentinum* habet numerum XVII. qui cur Bergierio placuerit, nescio.

B III. 23. §. 6. *Juxta & secundum hanc Viam Collinam* &c.) Corrige *Salariam*: cæterum hæc & sequentia debuit Noster G. Fabricio, quem vide *Romæ c.* 10. & 20. Marlian. *Topogr.* V. 24. ut & Panvin. *in Descr. U. R.* quem confer *pag.* 234. & *seqq. T. A R. t.* III.

III. 23. §. 7. *XI. ab Urbe lapide.*) male Noster XIII. sequor ego Livium V. 37. & Eutrop. *Breviar. lib.* I. *in fin.*

III. 23. §. 8. *Quinctia.*) Male in summario hujus sectionis, & bis hoc §. typothetæ expresserunt *Quinetiæ*, pro *Quinctiæ*, quod vel monstrante,
C quæ hic adfertur, Inscr. emendabit Lector. pro *Via Junia* in *l. l.* Dion. Halic. Gelenius habet *Via Salaria*. Noster hæc debet Pancirollo: at de suo addit, has Vias esse ramos *Viæ Salariæ*, quod, vellem, certius probasset per classicos testes.

III. 23. §. 10. *Nomentana.*) Vide Fabretti *tab. laud.* ubi Viatrium quoque delineat, quod *Nomentanam* & *Tiburtinam* connectit. & *Diss.* III. §. 322. & seqq. Leandri locus est *in Descr. Ital. pag.* 157. sed Latina versio eum omisit. Nardin. *Rom. Vet.* I. 9. *T. A. R. t.* IV. *p* 930. qui etiam videatur, tradit *Lamentaram* vocari.

III. 23. §. 11. *In Phaontis* &c.) narrante Sue-
D ton. *Ner. c.* 48. & Eutrop. *lib.* VII. *in Neron. p. m.* 343. cætera docebit Marlianus *Topogr.* V. 25.

III. 23. §. 12. *Gabiusam.*) Ita non satis Latine dici videtur. Livii locus, in quo recte legatur *Gabiusa*, mihi nondum occurrit. Cæterum de *Via Tiburtina* consule Tabb. præmissas *Diss.* I. & III. Fabretti, & adde III. §. 322. cætera hic & seq. §. debentur fere Panvinio. Ad hanc vero *Tiburtinam*, vel ejus partem, videtur referendum, quod *C. Rustius C. F. Flavus iterum*, & *L. Octavius L. F. Vitulus iterum IIIIViri D. S. S* (de suo sumtu) *Viam integendam curaverint*. Gr. 150: I. 2. & 3. qua postrema adduntur C. CAES. I. IVS. C. F. C.
E HE. IVLIVS. T. F. lego: *C. Cæsellius C. F. C. Helvius T. F.* reliqua: Q.... MOTRR. COL. D. S. S. legenda forsan: *Quinquennales IIViri Fabrorum Tiburtium Collegii de suo sumtu.* confer 69: 9. 358. I. 419: 5. fuit ad *Aquas Alburneas* hic lapis D. D. id est, *Dis Deabus* sacer, ut credam fuisse partem Viæ, quæ ad ædem aliquam ducebat.

III. 23 §. 13. *Via Gabina.*) Hanc aliquando *P. Scaptius P. F. ornari ac refici sua impensa curavit*. Gr. 150: 8.

III. 24. §. 2. *Ad Clivum Urbicum.*) de quo vide Victorem *in Reg.* V. & Marlian. IV. 18.

F III. 24. §. 2. *Prænestina.*) Vide *Tabb. laud.* Fabretti, ibique III. §. 248. & *seqq.*

III. 24. §. 2. *Ex Charta Peutingeri*,) Numeri hic vitiosissime excerpti erant: nam, exempli gratia, distantiam *Roma Gabios* adscribit distantiæ *Gabiis Præneste*, & sic porro: at in Tabula ipsa sic habetur. (*Roma*) *Via Prentina.* XII. *Gabios* XI. *Præneste* &c. eundem quoque errorem admiserat infra §. 3. In versione omnia ad Tabulam ipsam correxi, & omissa supplevi; ita etiam observatur major convenientia inter *Tabulam* & *Itin. Ant.*

III. 24. §. 3. *Via Lavicana.*) Vide *Tabb. laud.* & I. §. 117. Fabretti; ut & de Aquæductibus, *Martiæ*, *Tepulæ*, *Juliæ*, *Claudiæ*, adde *Anienis novæ*, quos depingit *Tabb. prima* & in ipso opere, ubi etiam eos erudite describit, præcipue I. 29. *& seqq.* & ostendit duobus eas ductibus, sed quinque specubus in Urbem delatas. Nota etiam, ex hac Via exire Viatrium, quod ducit *Tusculum.*

III. 24. §. 3. *Ad Quintanas.*) id est, *Lavicum*, ut optime ex veteri *Inscr.* ibidem reperta, in qua *Lavicani Quintanenses*, ingeniose *Tab.* & *Itin. Ant.* explicat Fabrett. III. §. 367. & 368.

III. 24. §. 4. *More prisco.*) ad cantum classici, Tac. *l.l.* adde Notata ad II. 38. §. 4.

III. 24. §. 5. *Asinaria & cum maxime S. Johannis.* &c.) de *D. Johannis* passione vide *Martyrolog. prid. Non. Maii.*

III. 24. §. 6. *Via Campana.*) Hanc Fabrettus aliter collocat, quem vide *Tabula præm. Diss.* III.

III. 24. §. 6. *Tusculana.*) Hanc vide delineatam a Fabretto *tabb. Diss.* I. & III. exit autem e *Latina*, circa emissarium Aquæ Crabræ: de *Albana Via* quærendum amplius: sequitur Noster Panvin. *Desc. U. R. p.* 250. *T. A. R. t.* III.

III. 24. §. 7. *Viam Asinariam.*) Hæc inter II. & III. Roma lapidem intrat Latinam: eamque depingit Fabrettus *tabb. laud.*

III. 25. §. I. *Incertum est, num* &c.) Prævivit Nostro Marlian. I. 8.

III. 25. §. 3. *Valeriæ* &c.) Strabo *lib.* V. *p. m.* 434. *Valeria a Tiburtinis capiens initium & Marsos & Corfinium Pelignorum metropolin ducit. In ea Latinæ Urbes sunt Valeria & Carseoli & Alba, prope est Cuculum oppidulum.* Mansiones & numeros *Tab. Peut.* valde conturbatos ad Tabulam ipsam recensui de *Valeria* vero *Via* consule accuratissimum Fabrettum *Tab. præmissa Diss.* II. ubi simul depingit *Viam Veterem Anonymam* a Tibure ineuntem, quæ forsan est altera *Via Valeria*: depingit quoque *Valeriæ* ramum, *Viam Sublacensem*, cum *Diverticulo* inter *Valeriam* & *Sublacensem*: adde totam *Diss.* II. præcipue a §. 154. & *seqq.*

III. 25. §. 4. *Viam Latinam.*) Depictam vide ap. Fabrett. *Tabb. Diss.* I. & II. ubi ramum ejus facit *Viam Tusculanam*: vide & II. §. 180. III. §. 311. *Tab.* I. etiam depingit *Viatrium* vetus, quod connectit Vias *Latinam* & *Prænestinam.*

III. 25. §. 5. *Fortunæ Muliebris.*) Ex Marliano V. 27. satis negligenter erant excerpta. *Semel* & quidem *recens nuptæ* coronabant Deæ simulacrum. late hanc rem narrat *Dion. Halic. A. R. lib.* VIII. *p. m.* 616. & 617. deinde ex Marliano τὸ *funeravit*, de Phyllide Domitiani nutrice eumque funerante male acceperat, pro: *mit ces cendres en sepulture*: imo vero funus tumultuarium ibi quidem fecit Domitiano, sed deinde ejus *reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit.* Suet. *Dom. c.* 17.

III. 25. §. 6. *Via Appia.*) cujus situm depingit Fabrettus *Tab.* I. & III. *Diss.* ubi mox videbis Procopium *l.l.* vere scripsisse. Paullinus *in Natali Felicis*:

. . . . . Portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Demittit duodena decem per millia denso
Agmine, confertis longe patet Appia turbis.

III. 25. §. 7. *Numicia.*) imo *Minucia.* Videtur hæc describi a Strabone *lib.* VI. *p. m.* 516. *Duæ Viæ* Brundusium *sunt, una quidem mulis vectabilis per Peucetios, qui Pediculi vocantur, & Daunios & Samnites usque Beneventum .... Altera per Tarentum paullisper ad lævam, & si, quanta est, unius diei circuitionem feceris, Via Appia effertur plaustris commodior .... coeuntque ambæ*

A *ad Beneventum atque Campaniam ex Brundusio.* Prior Via hic descripta est illa *Minucia*: nam in Horatii *l. l.* legendum omnino *MinucI*: facilis enim ex uniformi literarum ductu ἐκ τῶ *MinucI* fuit depravatio in τὸ *NumicI*. Sic autem legit diserte in Horatio antiquus Scholiastes Cruquianus, quam lectionem etiam in sua editione secutus est Jac Cruquius, non adeo ineptus commentator, ut multis traducitur. Disertis verbis meminit hujus Viæ Cicero *ad Att.* IX. 6. ubi ex Balbi literis Attico narrat, *cohortes sex, quæ Albæ*

B *fuissent, ad Curium Via Minucia transiisse*: confer his verba Cæsaris *de B. C.* I. 24. de eadem re scribentis: *L. Manlius Prætor Alba cum cohortibus sex profugit, Rutilius Lupus Prætor Tarracina cum tribus: quæ procul equitatum Cæsaris conspicatæ, cui præerat Bivius Curius, relicto Prætore, signa ad Curium transferunt, atque ad eum transeunt.* Hæ cohortes ergo *Albæ* cum essent, in *Marsis*, prope *lacum Fucinum* non poterant alia via transire, & Brundusium versus tendere, quam ista *Minucia*. Elegantissimus Dacierius ad *l.l.* Horatii, hujus *Viæ* Auctorem facit *Minucium Augurinum*, qui Sp. Mælii consilia re-

C gnum agitantis ad Senatum retulit, ideo *bove aurato* (sive ut Gronovius Pater legit, *bove & arvo*) *a populo Donatus*, ap. Liv. IV. 16. unde & *Portæ Minuciæ* nomen arcessit idem vir doctissimus: at, quod bona cum venia Cl. Dacierii scripsero, nobis aliter videtur: ait Liv. *l. l.* ideo *bove aurato donatum extra portam Tergeminam ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum assibus in modios æstimatum plebi divisit*: at Plinius XVIII. 3. *Minucius Augurinus*, ait, *qui Sp. Mælium coarguerat, farris precium in trinis nundinis ad assem redegit, undecimus plebei Tribunus: qua de*

D *caussa statua ei, extra portam Trigeminam, a populo stipe collata statuta est.* Ea sic concilio, quod & *L. Quinctius Cincinnatus Dictator* L. Minucium Augurinum donarit honoris & memoriæ caussa statua *bovis* aratoris ex ære inaurato extra Portam Trigeminam, forsan in illa porticu, de qua Liv. XXXV. 10. statuta, quod largitiones frumentarias, affectato regno quasi comparatas, extra Urbem ejecisset; placuisse id plebi, quæ & *stipe collata* statuam ipsius Minucii adjecerit, ob caussam a Plinio allatam. Hinc facile credimus, ab hac *statua* & *bove aurato* postea *Portæ Trigeminæ* adhæsisse quoque cognomen *Minuciæ*, non quod singularis

E quædam porta ab hoc *Minucio* esset dicta, qua in *Viam Minuciam* esset iter, ut placet Cl. Dacierio. *Via* enim ista *Minucia* nimium quantum remota fuit a *Porta Minucia.* Deinde antiquius Portæ hoc fuit cognomen, longe posterius autem illud *Viæ Minuciæ*: nam hic *L. Minucius Præfectus Annonæ, seu refectus, seu quoad res posceret, in incertum creatus* collega Consuli *Agrippæ Menenio Lanato*, qui Consul collega erat additus *T. Quintio Capitolino*; Liv. IV. 13. deinde *a Patribus ad Plebem transiens, & undecimus Trib. pleb. cooptatus*, Liv. IV. 16. floruit A. U. C. 315. quo tempore Romanus Populus circum suam matrem adhuc lu-

F ctans vix latum unguem possidebat ibi locorum, ubi postea *Via* fuit *Minucia*. Quin imo si jam tum fuisset *Via Minucia*, (tum fuisset antiquissima & nobilissima munitarum, cum solæ munitæ Auctorum cognomina obtineant) quippe quasi prodigio facta, in regionibus alienis, a populo, qui nondum convaluerat, a Trib. pleb. qui suorum Civium invidia flagrabat, Liv. *l. l.* Facta ergo esset totis 129. annis ante *Appiam*, quæ tamen constanter dicitur prima omnium facta *A. U. C.* 444. vide I. 8. §. 3. & II. 26. §. 3. Itaque, ut *Portam Minuciam* dictam credimus A. U. C. 315. per occasionem,

A sionem, quam diximus: ita diu post, circa A. U. C. 460. (Nam *Piso*, *Q. Fabio & P. Decio* Coss. A. U. C. 459. *suggerit Consules L. Postumium & Tib. Minucium*, ap. Liv. IX. 44.) sedecim fere annis post Viam Appiam munitam, hanc *Viam Minuciam* putamus factam & dictam a *Tib. Minucio* Cos. qui eo anno de Samnitibus triumphavit, teste Liv. *l. l.* qui ibidem nonnihil de hujus Viæ munitione innuere videtur: forsan & hujus cognominis Via aliqua in Urbe fuerit, ut conjecimus supra ad I. 3. §. 11. *p.* 642.D. E.si verus ibi sit sensus laudatæ Inscriptionis.

III. 26. §. 1. *Incboant a Via Appia.*) quod etiam B ita depingit Fabrettus *Tab. Diss.* I. & III. adde III. §. 309.

III. 26. §. 2. *Laurentina.*) Eam facit ramum *Viæ Ostiensis*, atque *Viatrium Laurentinam & Ardeatinam* connectens delineat Fabrett. *Tabb. laud.* Sed ubi Gellius eam ponit inter *Ostiensem & Ardeatinam?* Panvin. *Descr. U. R. T. A. R. t.* III. *p.* 256. & Fabricius *Romæ c.* 5. hoc tradunt, ex iis noster: sed uterque non inspexit Gellium, verum negligenter hoc loco legit Marlian. IV. 5. qui ait: *Ab hac sylva* Laurenti *nomen sumsisse videtur Via Laurentina, quæ fuerat inter Ostiensem & Ardeatinam: de qua meminit Gellius*: recte Marlia- C nus: locus Gellii *N. A.* X. 2. ubi narrat, *in Via Laurentina* esse *monumentum*, factum, *jussu Augusti, ancillæ* illi *Augusti*, quæ *in agro Laurente peperit, uno partu, quinque pueros; numerum puerperii* scriptum esse in eo *monumento*: vides his mentionem fieri *Viæ Laurentinæ*, at nihil de ejus isto situ.

III. 26. §. 3. *Porta Ostiensis.*) Noster hic sequitur Panvin. *l. l.* Errores vero Antiquariorum circa hanc Portam refutat Fabrett. III. §. 297. & *seqq.* & Nardin. I. 10. docet diversas esse Portas *Trigeminam & Ostiensem*.

D III. 26. §. 4. *Via Ostiensis.*) Eam eleganter depingit Fabrett. *Tabb. laud.*

III. 26. §. 5. *Ad M. P. XVI.*) Eutropius *Breviar. lib.* I. *init.* de Anco Marcio: *Apud Ostiam civitatem supra mare sextodecimo milliario ab urbe Roma condidit*. Mirum vero in modum noster Procopii calculos posuerat, dum ait: *Procopius semble luy donner jusques à dix-neuf mille & plus*: & deinde: *cent-vint-six stades rendent justement dix-neuf mille Italiques, & une huictiesme*. Sed enim, si 126. *stadia* multiplices per 125. *passus*, habebis justis calculis 15750. passus: res est manifesta.

III. 27. §. 2. *Portuensis.*) hodie, ut volunt, E *Porta Ripæ*, quam *Arcadius & Honorius* Impp. *ex suggestione Stilichonis; curante Flavio Macrobio Longiniano V. C. Præf. Urb. instaurarunt*, ut testatur ejus Inscr. ap. Gr. 165. I. vide depictam ap. Nardin. I. 9. *T. A. R. t.* V. *p.* 927. *Viam* vero *Portuensem* depingit Fabrettus *tab. Diss.* III. ubi adde §. 302. Kircherus autem, Cluverius aliique Italiæ chorographi Portus Ostiensis situm, Tiberis cursum, ostia, & insulam sacram longe accuratius depingent.

III. 27. §. 5. *Via Vitellia.*) Hæc *Aureliam veterem* aut intrat, aut transit. Vide Fabrett. *Tab.* III. *Diss.*

F III. 27. §. 7. *Triumphalis* &c.) Fabrett. *l. l.* eam delineat, cum Viatrio, quod Viam *Corneliam & Triumphalem* connectit. de situ utriusque, Viæ & Portæ, vide Nardin. I. 10.

III. 28. §. 1. *Porta Aurelia.*) de cujus situ accurate disputat Fabrett. I. §. 92. & *seqq.*

III. 28. §. 2. *Viæ Aureliæ, Vetus & Nova.*) situm delineat utriusque Fabrett. *Tab III. Diss.* cum Viatrio inter utramque: junge *Diss.* I. §. 93. & *seqq.*

III. 28. §. 3. *Ad M. P.* XXVI.) At ubi hoc Strabo dixit? Is *p. m.* 394. inter *Genuam & Dertonam* numerat *Stadia* 400. quæ sunt *M. P.* 50. Si via tantum 26. M. P. longa fuit, tum non fuit Genua Dertonam Itin. Ant. habet 71. *M. P* Tab. vero Peut. 53. M. P. inter Dertonam & Genuam.

III. 28. §. 4. *Eutropius eam ad Alpes Maritimas porrigit.*) Ubinam? nec mea mihi hoc suggerit memoria, nec in Eutropii *Breviario* ista reperio: qua editione aut quo alio libro Eutropii noster usus sit, nescio: procul ullo dubio hunc locum exscripsit ad fidem Marliani V. 28. &, qui item secutus est Marlianum, Panvinii *Descr. U. R. p.* 260. *T. A. R. t. III.* Ad *Aureliam* vero *Viam* hortos habuit Galba Imp. non longe ab Urbe, in quibus sepultus est: uti narrant Sueton. *Galb.* c. 20. Eutrop. VII. II. *p. m.* 344. sed hoc loco nihil exstat de *Alpibus Maritimis*: attamen ad has porrigi *Viam Aureliam*, docebit mox Itin. Ant. in rubrica hujus Viæ.

III 28. §. 4. *Cossam . . . , Populonium.*) Distantia hic est ad *M. P.* 55. in Tab. Peut. (ad quam singula, quæ hic vitiosissima in Gallico erant, exegi) numerantur *M. P.* 63. At Strabo *lib.* V. *p. m.* 403. *E Populonio ad Cossam ferme* IↃCCC. stadia, *alii* IↃC. *dicunt*. Idem mox ante hæc: *E Luna Pisas ultra Stadia CCCC. esse*, ait Ephorus, (Itin. 23. *M. P.* Tab. Peut. 30. *M. P.*) *Hinc Volaterras stadia* CCLXX. (Itin. 30. *M. P.* Tab. Peut. ultra 31. M. P.) *Rursus hinc Populonium stadia* CCLXX. (Itin. 25. *M. P.* Tab. Peut. inter *Populonium & Vada Volaterrana* ponit 10. M P.) *Polybius vero* (sc. Luna Cossam) *non omnia* CIↃ. CCCCXXX. stadia *inquit*. Idem Strabo *lib.* IV. *p. m.* 367. numerat inter *Genuam & Sabatios* 260. Stadia, Itin. Ant. vero 141 *M. P.* Tab Peut. 116 *M. P.* Inter *Sabatios & Albigaunum* Strabo 370. Stadia, It. Ant tantum 20. *M P.* Tab. Peut. 29. *M. P.* Inde ad *Monœci portum* Strabo habet 480. Stadia.

III. 28. §. 5. *Lou grand camin Aurelian.*) i. *Le grand Chemin Aurelien.*

III. 28. §. 7. *Via Cornelia.*) Hanc non adeo procul ab Urbe Aureliæ novæ ramum facit & depingit Fabrett. *Tab.* III. *D. ss.*

III. 28. ad §. 8.) Notes, benevole Lector, passim in Inscrr. fieri mentionem istarum Viarum, quæ ex Urbe oriuntur, aut ad Urbem ducunt: quoniam vero & Auctor noster, & nosmetipsi *in Notis* passim, præcipue *lib.* I. attulimus istas Inscrr. Viarias, hinc facile erit illas reperire, & ad singulas Vias suas referre.

III. 28. §. 8. *Via Patinaria.*) Videtur Via intra Urbem fuisse, ubi *patinæ* vendebantur. Panvin. *p.* 388. *T. A. R. t.* III. *Via Tiberina*, forte quod in Urbe proxime Tiberim esset: *Id. p.* 262. *Via Gallica & Gallicana*, item Urbana via, forsan sic dicta, quod in Galliam Cisalpinam profecturi ea irent: *ib. Viæ Laticulensis & Flavia* sunt adhuc incerti situs: prior eadem, quæ *Janiculensis*, teste Victore *in Epil. de R.* II. a loco quodam ita dicta videtur; posterior forsan ab Auctore aliquo ex Flaviis Impp. aut a vicinia templi Gentis Flaviæ, aut alius Flaviani operis. Cæterum non assentior Bergierio, qui putat hasce Vias delineatas in Tab. Peut. adeoque extra Urbem fuisse Fuerunt enim Viæ Urbis, ut vel partim ex nominibus licet colligere, partim quod earum nullius in Historiis rerum extra Urbem gestarum fiat mentio. Talis etiam urbana *Via* fuit *Mamertina*, de qua vide Nardin. *R. V.* V. 8. *in fin.* Verum de cæteris intra Urbem Viis consule Commentatores *ad Victor. & Ruffum*, item Topographos Urbis, præcipue Nardinum & Donatum.

III. 30. §. 3. *Hadriano.*) Ex Sigon. *de Antiq. Jure Ital.* II. 15. *in fin.* adde huic Panciroll. *in No-*

tit. Imp. Occid. c. 49. *p. m.* 149. *versa*. Obiter nota, quod noster passim hoc opere Tabellas, *ex Notit. Utr. Imp.* a Pancirollo concinnatas adferat & laudet pro ipsis *Notitiæ* verbis, quam ἀβλεψίαν studiose conatus sum emendare.

III. 31. §. 1. *Alpes ab ora* &c.) Idem Strabo clarius *lib.* IV. *p. m.* 367. quem locum noster §. 3. attingit, *Alpes profecto ipsæ, non quidem a Monœci portu, ut plerique referunt, sed eisdem ex locis, a quibus Apennini montes, incipiunt. Ad Genuam Ligusticum emporium & Sabatia vada nuncupata, quæ paludes sunt, Apenninus quidem a Genua, Alpes vero a Sabatiis initium capiunt.* Ibidem docet ab *Alpibus* nomina facta *Albio* sive *Alpio Intemelio; Albintemelio;* & *Alpio* sive *Albio Ingauno, Albingauno*, coloniis Ligurum *Intemeliorum* & *Ingaunorum*, quod eousque *Alpes* extendantur. Cæterum de *Alpibus*, vide præ cæteris Josiam Simlerum singulari libro: situm earum optime docebunt Geographi & inter hos Cluverius *in Tabb. Helvetiæ*, item *Vindeliciæ* & *Norici*, quæ adduntur tum *Germ. Antiq.* tum *Introd. in Geogr.*

III. 31. §. 9. *Rhodani fontibus.*) de quibus optime Daniel Heremita, *in Epist. de Helvet. Sedun. Rhætor. situ, morib. Rep.* quæ subjicitur *Reip. Helvetior. Leid.* 1628. *p. m.* 525.

III. 32. §. 1. *A Deo Pennino.*) Ita sentit ab *Hercule Pennino* dictas Gaud. Merula *Antiq. Gall* (*isalp.* III. 5. 9. & 10. refutatus Simlero, quod *Hercules Penninus* nullus fuerit, aliæque sint *Alpes Penninæ* atque *Grajæ*; hæ *mons Bernardi minor*, Simler *de Alp. p.* 92. Barth. *in Claudian. n.* 2227. illæ *mons S. Bernardi major*: adde Heremitam *l. l. p.* 487.

III. 32. §. 5. *Lepontiis.*) qui sic dicti, quod ab Hercule eo loco relicti fuerint, ut vult Simler. *l. l.*

III. 32. § 12. *Plinius.*) Hic tamen III. 16. *Tridentinas Alpes* disertis verbis nominat: porro *Noricum*, cum *Bavaria*, sed *Austriæ* pars, Archiepiscopatus *Salisburgensis, Carniola, Stiria, Carinthia* est.

III. 32. §. 13. *Ligurini.*) Nescio, quid sibi voluerit Bergierius, cum ἀντὶ τοῦ *Ligurini*, ad marginem apposuit: *lib IV. sui Ligurini. Tigurinus pagus, Zurich.* scilicet deceptus fuit vitio typographico, & ex Simleri *l. l.* hunc locum habuit, neque ipse Guntherum unquam oculis usurpavit. Tu ipsum Guntherum consule *in opere Scriptor. Germanicor.* Reuberi, ibique adde Spigelii *notas ad h. l.*

III. 33. §. 1. *Alpes Juliæ.*) quæ & *Pannoniæ* vocantur: vide Cellar. *descr. Orb. Antiq. c.* 9.

III. 34. §. 6. VIA AURELIA.) Omiserat iter *Narbone Tarraconem* ad *M. P* 234. unde etiam in computatione male positi erant calculi, quos recte collocavi.

III. 35. §. 4. *Plures Viæ Publicæ per Hispanias.*) Hinc Hispani fecerunt *Sanctum Viarum*, ex inscriptione quadam marmoris: METELLO CURAT. VIAR. ut ex Resendio narrat Franciscus de la Motte le Vayer *Hexam. Rustiq. journee* 6. *p. m.* 159. quasi is *Metellus* fuerit *Curatus* (Cure) *S. Viari.* Scilicet! Cæterum de Viis per Hispanias passim multa habent Mariana, Resendius, Surita, Mœnetius in suis, quos de rebus Hispanicis & Lusitanicis scripserunt, libris.

III. 35. ad §. 4.) Vinuessæ in Hispania legitur: *Gr.* 152. 5. *Hanc Viam Augustam L. Lucretiu Densus fecit*: forsan ad Virovescam in Autrigonibus viam aliquam aut *Viæ Augustæ* partem aut *Cæsaraugustam* versus de suo muniri curavit. Vinajæ quoque in pago Hispaniæ in fragm. legitur, ut puto, pontes *collapsos restitutos*, nescio quo *Leg. Aug. Pr. pr. cur. Via Aug. M. P. C.* Gr. 1019. 11. hujus Viæ meminit etiam sequens fragm. versus Candasnos pagum Hispaniæ, Via Antiqua per S. Salvatorem in columna: .. M. P... COS. XI. IMP. XIIII. TRIBUNICIA. POTEST. XVI. PONTIFEX. MAXIMUS. VIA. AUGUSTA. Gr. 1020. 1.

III. 35. §. 5. SALVIS. DD. NN. &c.) Scaligeri mirificam ἀβλεψίαν, ad Auson. *Clar. Urb.* IX. *vs.* 1. qui ex hac Inscr. infert *Arelatem* dictam fuisse *Mamiliaram*, cum sit DE. ARELATE. *MARITIMAM.* MILIARIA. (i. lapides milliares) PONI. *CURAVIT*. M. P. I. corrigit & emendat Reinesius ad Auson. *l. l.* VIII. *vs.* 1. *ex recens.* Jac. Tollii nostri *p.* 239.

III. 35. §. 8. *Binas ab Hispali, hodie Sevilla.*) Has ex Itinerario ab Auctore omissas addidi.

III. 36. §. 1. *Helvetios.*) Ad Vias Helvetiorum refer & hanc Inscr. *Grut.* 151. 1.

NVMINI. AVGV
STORVM
VIR. FACTA. PER
C... VR... VM. PATERNVM
II. VIR. COL. HELVET

exstat hic lapis *Pierreporti* in Helvetis. *Duumvir* hic *Coloniæ Helvetiæ* (confer 112. 3.) *Aventici*, hodie *Avenches*, quæ fuit olim caput *Pagi Tigurinorum*, fuit, ut suspicor, P. GRACCIUS PATERNUS, idem, qui *Genio Pagi Tigurinorum T. P. I.* statuam aramve: Grut. 111. 4. adde *Notata ad* I. 17. §. 10.

III. 36. §. 5. *Per M. P.* cIↃ. XV. *sive Leucas Francicas* IↃVII. *& dimidiam.*) Auctor noster habuit *M. P.* 914. Leucas 457. male: ponamus calculos ex *Itinerario p.* 80.

Mediolano Viennnam	*M. P.* 409.
Inde Durocortorum	*M. P.* 432.
Inde Gessoriarum	*M. P.* 174.

faciunt M. P. 1015. Leucas $507\frac{1}{2}$.

III. 37. §. 5. *Libri mss.*) Solus Regius codex ms. habuit: *Cesoricia MP. XXX... III. Leg. XV.* Noster non satis accurate: *tous les manuscrits portent* Leg. XXVI.

III. 37. §. 8. *Sub mille & ducentis militibus.*) Noster aut non inspexit Josephum, aut vitio versionis typive habuit: *quatre legions*

III. 38. §. 1. *At in Aquitanica* &c.) Paullus Diaconus *in continuat. Eutrop. lib.* XV. *p. m.* 384. *sive paullo ab initio*, ait: *Gallis morem esse metiri Leucis.*

III. 38. ad §. 2. & seqq) Vide Panciroll. *ad Not. Imp. Occ.* II 68. *p. m.* 157.

III 38. §. 3. *Sic septem Provinciæ* &c.) Ita *Notit. Imp. Occ. p. m.* 114. *versa*: Inter *Vicarios sex Proconsulis Africæ*, item pro Galliis occurrit: Vicarius *Septem Provinciarum*: at *seq. pag.* 117. ubi in rubrica recte legis *Septem Provincias*, mox non bene correxit Pancirollus in rubrica speciali Galliarum: *Provinciæ Galliarum decem septem*: quam vitiosam lectionem etiam tuetur *p* 117. *versa*, II. 3. sibi ipse contrarius II. 68. adde ad hæc *ll. ll. Notit.* etiam *Annotationes* Francisci Rhuardesii, ibique Auctores laudatos.

III. 38 §. 6. *Capitis.*) Horat. *Od.* I. 1. *vs.* 22. *caput aquæ*. Mela III. 2. *fin. Rhenus ab Alpibus decidens prope a capite duos lacus efficit.* Sic Ulpian. *l.* 1. §. 8. ff. *de Aq. quot. & æstiv.* ait: *Caput aquæ illud est, unde aqua nascitur.* Sicul. Flaccus *de condit. Agror. inter Auctt. R. Agr. p. m.* 12. *Quidam rivi ab origine, id est, a capite, donec in mare defluant, fines possessionibus præstant.* Lucret. VI. 729. Ovid. *Met.* 11. 255. Lucan. X. 190. Claud. *Epigr.* 10. *de Nilo, vs.* 13.

III. 38. §. 7. *Cos. fuit sub Constantino M.*) A. U. C. 1086. A. C. 333. adde Petri Pithœi JC. *Præf. ad hoc Itin. p. m.* 156. qua noster utitur hoc & seq. §.

III. 39. §. 3. *Cæsari... Durocortorum.*) Noster legit: *Durocortum*. At mss. & editiones non ita. Interp. Græcus vertit: Δυρρκοττίρλω πόλιν τῆς Ρημων: vide ibi Manut.

III. 39. §. 9. *Eo namque ævo* &c.) Ex Cluverio *de German. Antiq.* II. 9. *p. m.* 34.

III. 39. §. 12. *Quinta Via.*) Hæc in *Tab. Peut. segm.* I. ita describitur:

A *Bagaco Nervio*
Duronum XI.
Veronum X.
Nintteaci XIII. (l. *Minatico*)
Auxenna IX.
Durocortoro X.

adeoque in universum sunt *M. P.* LIII. At in *Itin. Ant.* sunt *M. P.* LXIII. atqui ita est summa legenda ἀντὶ τῆς LIII. ut vel ex computatione constat.

III. 39. §. 14. *Sexta Via.*) Hæc in *Tab. Peut. segm.* I. ita depingitur.

A *Tervanna*:
Nemtaco XXII.
Camarco XIIII.
Aug. Viro Muduon XI. (l. *Augusta Veromanduorum.*)
Aug. Suessor. XXV.
Durocortorum XXI.

sunt *M. P.* XCIII. at in *Itin. Ant.* si accuratior fiat computatio *M. P.* CV. Additur, quod noster neglexit, in *Itin. p. l.* posse fieri *Iter per compendium a Nemetaco Samarobrivam M. P.* XVI. & hinc scilicet *Augustam Suessionum*.

III. 39. §. 15. *Septima & ultima Via.*) Hæc in *Itin. Ant.* ita depingi videtur:

A *Durocortoro*:
Auxenna X.
Nintteaci IX.
Vironum XIII.
Duronum X.
Bacaco Nervio XI.
Pontes Scaldis X.
Tutnaco XII.
Virovino XI.
Castello Menapiorum XII.
Gessogiaco, quod nunc Bononia XXIII.

sunt *M. P.* CXXI.

III. 39. §. 15. *At Pontes aliter collocat Cluverius* &c) Mallem supersedisset noster Cluverii affectata taxatione, & frigida eruditionis ostentatione super etymo & origine τοῦ *Condati*, quam tamen Bovillo & Du Chesne debet. Nam Cluverius *l. l.* II. 22. *p.* 113. agit, non, ut noster insubide putat, de *Pontibus*, oppido *Boloniæ* vicino, quod ex *Itin. Ant.* in hac *Via Septima* allatum, Durocortoro distat *M. P.* 134. & nunc *Pontieu* esse ait Bergierius; sed de *Ponte Scaldis*, qui Durocortoro abest M. P. circiter 63. de *Pontibus* vero agit Cluv. demum *seq. c.* 25. *p.* 118. & 119. aitque esse *Pont a Selane*: *unde etiamnunc magna pars veterum Ambianorum finium inter Sammaram & Autæum amnes, comitatus titulo insignis, nomen habet* Pontieu. Cæterum Cluverio noster debet nomina hodierna situmque veterum locorum, licet hoc pulchre dissimulet.

III. 39. ad §. 17.) Adde ex *Tab. Itin. segm.* I. Viam, quæ ducit *Coloniam Agrippinam* his locis:

A *Durocortoro*
Noviomagus XII.
Mose XXV.
Meduanto VIII.
Minerica *
Agrippina VI.

Sunt *M. P.* plus minus LX. sed numeros corruptos esse nullum est dubium.

III. 40. §. 1. *Strabo Geogr. lib. IV.*) *p.m.* 344. item *init. lib.* IV. *p.* 319. *Quidam Galliam tres in partes divisere, Aquitanos, Belgas, Celtasque nominatim appellantes: Aquitanos non modo lingua, sed etiam corporibus permutatos, Hispanis magis, quam Gallis similes.*

III. 40. §. 5. *Distantia XXI. M. P.*) Noster male & contra *Itin. Ant. p.* 105. scripserat: *douze mil Italiques*.

III. 41. §. 4. *Sunt adhuc & aliæ quædam Viæ* &c.) ut in *Germania superiore* & *inferiore* Via Militaris fuit, præscripta etiam in Itinerario publico, cujus Aggeris Romani vestigia supersunt, quem Ausonius Bingio Treveros tendens instituit. In *Itin. Ant. p.*83. & *seq.* ita recensetur in itinere *a Lugduno capite Germaniarum Argentoratum*;

Autunnaco
Confluentes M. P. VIIII.
Vincum M. P. XXVI. (f. hodie *Winneberg*.)
Noviomagum M. P. XXXVII.
Treveros M. P. XIII.

In *Tabula Itineraria* vero, si eam conferas Ausonio, omnia fere ejus vestigia releges, mansionesque recognosces, dum ita pictum linea ducta notatumque videbis *segm.* II.

Mogontiaco
Bingium XII.
Dumno XVI. (f. Denssen.)
Belginum VIII. (f. Baldenau.)
Noviomago X. (h. Numægen.)
Aug. Tres virorum VIII.

Notavit hæc Freherus ad Ausonii *Mosell. vs.* 8. a nobis recensita denuo, subjicitque: „ Cum Abrah. „ Ortelii ultima *tabula antiquæ Galliæ*, quæ hinc „ suppleri poterit, & *Belgii* conferantur, atque „ ista exteris non illiteratis ignoscenda, non mihi. „ Mihi liquet, qui partem illam ditionis Palatinæ „ diversis legationibus peragravi, & curribus man- „ nisque trivi. Rectum iter est tale: *BINGEN*, „ *Stromburg, Durrebach, Argendal, Rysvveiler,* „ *Alvveyler, Kirchberg, Dille, Hohe-schutt,* „ *Stumpe-Turn, Hohe-stein, Fels, Hoinstein, Nu-* „ *magen, TRIER*. Præterea *Dumnissum, Tabernas. Hohe-strasz* olim *geplastert*, adhuc *erbaben*, „ & multis locis *geplastert*: hæc ille: notet Lector, notas Freheri in Ausonii *Mosellam* ex schedis Auctoris postumis, quibus ultima defuit manus, esse editas: postrema verba sunt ceræ miniatulæ tumultuariæ, per otium, si vixisset, recensendæ: voluit autem esse Viam Militarem, olim more Romano constratam, etiam hodie spectari inaggeratam, & multis locis adhuc straturam superesse. Notavit Idem ad *vs.* 10. *Viam Æmiliam* vocari a Germanis *Emmelvvege*; *Viam Liviam, Lievenvvege*: at ubi terrarum in Germania reperiantur, nondum addiderat: forsan in *Belgica* I. in qua ibi versatur, sunt quærendæ. Idem *l. l.* addit: „ Accedit, quod Mun- „ sterus annotavit *Cosmogr.* III. 181. & ego vidi, „ inveniri in ea regione (*Dorsi Hunnorum*, sive „ *Hunns-ruch*) *Viam ab antiquo constratam* &

„ elevatam ultra planitiem terræ, quæ incipiens „ ab oppido *Baccharach* transeat per asperam il„ lam terram, rectissimo tramite, usque ad *Bern-* „ *Castel*, & inde ad *Treverim*, & ad regionem „ *Lutzelburgensem*. Strata autem illa a *Moguntia-* „ *co* & *Bingen* usque *Treverim* in alto.... (*desid-* „ *rantur hic aliqua ab Auctore per mortem occu-* „ *pato non expleta*) & in Lotharingiam, vulgo „ dicitur *uff der Caseyen*. (*vide notas nostras supra* „ I. 25. §. 1.) Cæpit igitur ista Via in *Germania superiore* ducens in *Belgicam* I. & II. Addere lubet Frehero hic ipsum Munsteri locum, qui aliis editionibus, ut in ultima, exstat *l. v. c.* 164. at in optima Germanica *Basil.* 1592. habetur III. 200. his verbis: *Man findt auch in diesem rauchen landt ein alte erhabne und gepflasterte strasz, die gehet zvverch uber den Hunsruck non Bacerach bisz gen Bergkastel, und von dannen fort bisz gen Trier, und also forthin durchs land Lutzelburg, die ist so richtig gemacht, gleich als vvere sie mit einer schnur abgemessen; ist etvvan eins dischs, etvvan bancks hohe, etvvan hoher, zu beyden seiten erhaben, Wer sie aber erbavven, ist unvvissend.* verto: „ In „ aspera hac regione Dorsi Hunnici invenitur an„ tiqua, exaggerata & silice strata Via, quæ trans „ Dorsum Hunnicum *Baccharaco Berncastellum*, „ & inde *Treveros*, & sic ulterius per regionem „ *Lucemburgicam* pergit, itinere tam directo „ quam si ductum esset ad rectam lineam: subinde „ ad mensæ, subinde scamni ad altitudinem assur„ git, quandoque altior, utrinque exaggerata emi„ net. Auctor ejus nescitur: ita quidem Munsterus. Memini me *Baccharaci* accepisse, a Rusticis accolis viam illam quoque vocari *der Heydenvveg*, quasi dicas Viam a priscis Gentilibus factam. Forsan Viis quoque Romanis accenseri debet *di Hoha Strasz*: sic enim κατ' ἐξοχὴν dicitur *Via Regia*, quæ a Colonia Agrippina duxit Coloniam Trajanam: vide *Itin. An. p.* 83. Prope *Meursam* transit *Asciburgium*, hodie *Asburg*, & recto itinere *Rhenobercam* pergit: confer de mansionibus ad hanc Viam, *Novesio*, *Hordeonio*, *Asciburgio*, *Calone*, *Castris Veteribus*, *Colonia Trajana*, erudite disputantem Illustrem Comitem, Herm. Nuenarum *in Commentariolo de Gall. Belg. p. m.* 14. 15. 16. *ed. Platin.* 1584. Stratura autem hujus Viæ passim aut demersa & obruta limo ac sepulta quasi est, aut alio translatis lapidibus, quod editior & glareosa aut arenosa ac firmior, tanta munitione non indigere videbatur, suo pavimento tantum non ubique est denudata; cum ante hæc IV. V. VI. sæcula urbes in eo tractu cœperunt muniri mœnibus, aut castra, pagi, vici quidam converti in urbes: neque enim novum, lapides operis publici ex negligentia aut incuria aut ultro atque ex destinato corrumpi, transferri, sive furtim, sive impetrata licentia, sive jubente necessitate, ad alia opera seu privata, seu publica. Vide ex. gr. notata ad IV. 37 §. 8 Reperio & *Viam Aurunculejam*, quæ urbe *Leodio* videtur duxisse *Huyum* & porro, adeoque fuit in *Germania secunda* ut meminit Hubertus Thomas Leodius *in Comment. de Tungris & Eburonibus*, *capitulo*: *an Sicambri in Trojanos suam originem referre possint*. Forsan munita fuit a L. Aurunculejo Cotta, Cæsaris Legato apud Eburones: vide Cæsar. *de B. G.* v. 24. Porro Ludov. Guicciardinus *in descr. Hanncniæ*, quæ exstat in libello, qui inscribitur: *Resp. Namurc. Hann. & Lutsenburg. ed. Amst.* 1634. *p.* 176. memorat *Viam Silicatam*, adeoque sine dubio Romani operis, qua *Trasigniaco* itur *Trajectum Mosæ*. Forsan & *Strata Montana*, in *Palatinatu*, ad Vias Romanas referri debet, trita quippe Probo, Gratiano & Valentiniano Impp. ac servans in oppidis ad eam adsitis vestigia Romanorum nominum, teste Frehero *Orig. Palat.* II. 5. Ad Viam aliquam militarem in Batavia referrem quoque *Inscr.* laudatam supra I. 18. §. 5. repertam in conventu *Sion* prope *Delft*, in uligine prope *Naaltvvyck*, teste *Heda Hist. Ultraj. c.* 4. *p. m.* 13. ubi in fine forte legendum: *AB ALBINIANIS. CASTRIS*.

III. 41. §. 5. *Hæc Pannoniarum regio* &c.) Vide *libell. Provinc. Rom. p. m.* 124. Cæterum Auctor noster non videtur terrarum situs satis accurate perspexisse. Tu vide hic de *Pannoniis* longe accuratiorem Cellarium *in Geogr. Orb. Ant. c.* 8.

III. 41. §. 6. *Per M. P.* CI℈. XX.) Noster iterum calculos male posuerat ad: 971. M. P. adeoque Leucas 485½. sed ipsa computatio eum refutat.

III. 41. ad §. 7.) Vide hic omnino Freherum & Barthium *ad Ausonii Mosellam vs.* 25. *ed. Tollian. p.* 361. 362.

III. 41. §. 7. *In victoriam* &c.) In cujus memoriam fornicem sive arcum triumphalem ante portam Augustæ Treverorum erectum credunt Ortel. & Vivian. *in Itiner ed. Plant.* 1584. *p.* 57. ubi etiam figura ejus exhibetur.

III. 41. §. 9. A.... VIND.) forte: AUG. VIND.

III. 42. ad §. 3.) vide Notata ad I. 15, §. 7.

III. 42. §. 4. *Aquilejæ distantia* &c.) Noster calculis male positis habebat *M. P.* 1256. *Leucas* 628. deinde post paullo, ἀντὶ τῦ *Machectz*, typi errore, corrige *Macheck*. Est autem ille ipse *Aureus Mons*, *apud Mœsiam Superiorem*, quem cum *Alma monte apud Sirmium*, Probus Imp. *opere militari vineis consevit*; cum *vineas habere Gallis & Pannoniis permitteret*, teste Sex. Aur. Victore *in Epit. p. m.* 268. tandem *Viminacium* esse *Widin* Niger putabat, at Lazius *Wucziderna*.

III. 42. §. 6. *In Mœsiam Superiorem usque ad Suidavam urbem.*) Augerius Gissenius Busbequius *in Itin. Constant. ed. Plant.* 1581. *p. m.* 29. *aut inter opera ejus*, *ed. minim. Amst.* 1660. *Legation. Turc. epist.* 1. *p. m.* 35. ait „ ibi in ripa Nissi *fluvio*„ *li Mœsiæ superioris*, haud procul ab urbe Nissa, „ visa, quæ adhuc supererant, veteris Romanæ „ Viæ vestigia, ibique etiam tunc exstantem mar„ moream columellam literis inscriptam Latinis, „ sed ita mutilatis, ut legi non potuerunt. Porro de *Sucidava* vide Panciroll. *ad Notit.* I. 151. & 152 erat ea Urbs Mœsiæ inferioris.

III. 43. ad §. 1. & seqq.) Quæ hic de *Gessoriaco* adferuntur, omnia debentur Cluverio *de Germ. Antiq.* II. 28. qui omnino videatur: quod autem trajectus hic in Britanniam fuerit celeberrimus, docet quoque Auctor *Paneg. Maximiano Aug. dicti*, qui incipit: *Si mihi Cæsar*: inter *Panegg. Vett. p. m.* 260. ubi: *Maris Gessoriacensi litore quamvis fervidum invectus Oceanum*.

III. 43. §. 5. *Olympiodorus.*) apud Photium *in Bibl. cod.* 80. *p.* 105. *ed. Dav. Hœschelii* 1601. Noster Cluverii fidem secutus est, tanquam si foret Auctor integer: floruit circa A. C. 425.

III. 43. §. 6. *Omnes Insulæ* &c.) Hoc observavit ante nostrum Surita *in Comm. p. m.* 619. Noster per incuriam ad *Augustum* retulerat versus Catulli.

III. 43. §. 6. *Not. Imp. Occid.*) *p.* 185. *versa*: adde Panciroll. *in Comm.* II. 69. & Franc. Rhuardeium *in Annot. ad h. p.*

III. 43. §. 7. *Rutubium.*) Æthicus *Cosmogr. in situ Europæ*, *p.* 507. *ed. Leid.* 1646. *vel p.* 61. *ed. Jac. Gronov. Leid.* 1696. vocat *Rutubi portum*.

III. 43. ad §. 8.) Auctor noster nec satis accurate calculos posuerat, nec satis distincte: utrumque in Versione studui, ut evitarem.

III. 43. §. 8. *Plinius L. M. P.*) Ptolemæus *in*

Tabb. Galliæ & *Britanniæ* ponit LIV. M. P. inter utrumque portum.

III. 43. §. 9. *Septimius Severus* &c.) In Gallico Auctor noster non satis distinxerat Hadriani & Severi opera; vide a nobis Notata ad I. 30. §. 7. Hadrianus Imp. ab *Itunæ*, hodie *Eden*, fluvii æstuario ad oppositum Germanici maris litus, murum, sive malis, vallum per transversam fecit insulam: ejus Successor Antoninus Pius hoc exemplum imitatus *alium murum cespititium submovendis Barbaris duxit*, teste Capitolino, *in ejus vit. c. 3. p. m.* 70. Tandem Severus celebre illud *Vallum a Glota* æstuario Hibernici maris ad *Bodotriæ* sinum, ubi angustissima insula est, per populos *Horestos* & *Attacottos* perduxit.

III. 43. §. 9. *Aurel. Victor.*) item *de Cæsarib. p. m.* 229. *Hi majora aggressus* Septimius, *Britanniam, quoad ea utilis erat, pulsis hostibus, muro munivit per transversam insulam ducto utrimque ad finem Oceani.*

III. 43. §. 9. *Eusebius* &c.) imo *in Canon. Chr. ad hunc Ann.* Eadem verba, quæ Eusebius, habet & Cassiodorus *in Chronic. Apro & Maximo Coss.* sive A. U. C. 960. A. C. 207. Vide Suritam *in Comm. p.* 620. 621. quo noster usus est.

III. 43. §. 11. *Viarum per Britannias Militarium.*) Camdenus *de Romanis in Britann. p.* 27.
„ Romani, *ait*, traductis huc (in Britanniam)
„ coloniis & convocatis in civilis vitæ societatem
„ indigenis, artes Liberales edocendo & ad jura
„ Romanorum ediscenda in Galliam mittendo:
„ unde Juvenalis XV. 111.

„ *Gallia caussidicos docuit facunda Britannos.*

„ ita legibus temperarunt & moribus excoluerunt, ut victu cultuque ceteris provinciis non concederet; ita ædificiis & magnificis operibus instruxerunt, ut eorum reliquiæ & rudera maximam jam intuentibus admirationem commoveant: hæc ibi. Idem in *Britann. in descr. Comit. Monumeth.* ait: „ Ex ejus *Burrii* sive *Caerleon ar Usk*, ut hodie vocatur, etiam ruinis paullo inferius ad *Iscæ ostium* accrevit *Novus Portus*, Giraldo, *in Itin. Cambr. Novus Burgus*, nobis *Nevv-port*, recentius oppidum, castro & portus opportunitate non ignotum, quo loci olim aliqua Via Militaris erat, cujus hic versibus meminit Nechamus:

„ *Intrat & auget aquas Sabrini fluminis* Oska
„ *Præceps, testis erit* Julia Strata *mihi.*

„ Hanc *Juliam Stratam*, Viam fuisse, non est, cur dubitemus, & si rem ad conjecturam revocare liceat, a Julio Frontino, Silurum debellatore (*cujus meminit Tacitus* Agric. c. 17.) „ ductam fuisse non omnino *absurdum videatur*: hæc Camdenus. Videant Britanni locorum patriorum periti, sitne hæc Via, quæ in *It. Ant.* ab *Isca Callevam*, aut a *Calleva Iscadum Nuniorum* ducit: certe nomina *Caer-Leon* & *Usk* non abludunt.

III. 43. §. 11. *Iter a Londinio ad portum Lemanis.*) at mox *ead. p.* 107. in recensione legitur: *ad pontem Lemanis.*

III. 43. §. 11. *Plura equidem sunt passuum millia, sed nonnullæ Viæ per easdem mansiones decurrunt, quarum earundem ratio bis terve haberi non debet.*) Hæc de meo addidi: idque jure & merito. Noster sine ulla ratione habita repetitarum mansionum omnia itinera computarat in unam summam ad M. P. 2579. non satis recte: nam multa, ut dixi, Itinera repetunt subinde easdem mansiones. Ne gratis dixisse ista videar, confer quæso *Iter a Calleva Iscadum Nuniorum & a Muridono Viroconium, p.* 110. & 111. item *ab Eboraco Londinium* & *a Londinio Lindum, p.* 108. 109. ut cæteram taceam.

III. 44. §. 1. *Romania aut Turcia.*) imo *Rumelia* & *Rum vilaget*, distinguenda a *Romania Asiatica* sive *Anatolia*: hinc Turcis *Rumes*, Thraces sunt; *Rumiler* vel *Rumilar*, plebi *Urumilar*, sunt Græci; teste harum rerum peritissimo Joh. Leonclavio *Pand. Hist. Turc. p.m.* 203. Obiter hic annoto, Turcicis Proceribus, inter septem illas res, quas maximis impensis exstruere potissimum student, esse etiam *Vias Publicas lapidibus stratas*, quæ apud ipsos spectabiles & eximiæ sunt. Id. *p. m.* 227.

III. 44. §. 1. *Utrumque transitum* &c.) „ A Tenedo *Hellespontus* latius Orientem versus exporrectus, tandem intervallo a *Propontide* & *Ægæo* propemodum æquali in angustissimas sinuatur fauces. Latitudo enim milliari Anglicano quarta parte minor est. Thom. Smith. *in Notit. Constantinop. ed. Ultraj.* 1694. *p.* 68. Item *p.* 118. ait „ *Hellespontum* 40. circiter milliaribus in longum extendi, ubi vero istud fretum maxime angustum est, quod *Sesti* & *Abydi* propugnaculis munitur, unico milliari latum, vel potius quadrante minus.

III. 44. §. 2. *Chalcedoniam.*) „ *Scutario* (Veterum *Chrysopoli*) urbi peramplæ, leucæ intervallo objacet *Constantinopolis*, & *Chalcedoni* in angusto sinu reductæ, quæ temporis edacitatem & fati violentiam tristesque rerum vicissitudines luget & testatur. Ignobilis hodie pagus est, Turcis *Kadi Kui*, id est, *Judiciis oppidum*; adhuc tamen sedis metropoliticæ dignitatem obtinet apud Græcos, qui pulcherrimum templum pientissimæ & constantissimæ martyris *Sanctæ Euphemiæ* nomini dedicatum, unicum veteris magnificentiæ, quod superest, monumentum hic habent. Idem *l. l. p.* 72. Confer huic itineri *Tab. Peut. segm.* VI. ubi satis convenit: inter *Chalcedoniam* & *Livissam* sunt XXXVII. hinc *Nicomediam* XXIII. & Nic. Toinardi *Not. in Lactant. de M. P. c.* 17.

III. 44. §. 4. *Syrias Pylas vel Portas.*) „ Nam tribus solum vel quatuor locis *Cilicia* montibus vallata, per angustas Vias, quas Πύλας sive *Portas* vocant, adiri potest: ex Cappadocia a Septentrione *Ciliciis portis*, ab Ortu *Amanicis*, Ἀμανίδες sunt Straboni, & *Syriis* pylis. Cellar. *Geogr. Orb. Ant. c.* 19. Est autem *Issus* ad *sinum Issicum* ac *Pinarum* amnem, deinde Alexandri opus *Alexandria*, post sinum; *Itin. Ant. p.* 32. Hæc in Concilio Nicæno vocatur ad differentiam, *Alexandria minor* Provinciæ Ciliciæ, cujus urbis episcopus *Hesychius* subscripsit, observante Surita *in Comm. p.* 308. sita est autem post sinum ad *Syrias portas*, adeoque hæ non eædem *Isso* urbi.

III. 44. §. 8. *Ab Ancyra Taviam.*) *Ancyra* erat Galatarum metropolis, teste elegantissima hac Inscr. quam vulgavit primus Amplissimus Cuperus *in Not. ad Lact. de Mort. Persec. p.* 210. *Ultraj. ed.* quæ meretur adscribi: Καλπουρνιον. Προκλον. εκ. συγκλητικων. και. υπαρχων. χειλιαρχων. εν. Δακια. Λεγιωνος. ΙΓ. Γεμινης. Δημαρχων. Στρατηγων. Ρωμε. (f. Ρωμης.) επιμεληθεντα. οδων. Ηγεμονα. Λεγιωνος. Α. Αθηνας...... Ανθυπατον. Γαλ....ας (f. Γαλατιας.) πρεσβευτην. και. αντιστρατηγον. Βελγικης. η μητροπολις. της. Γαλατιας. Σεβαστη. Τεκτοσαγων. Αγκυρα. τον. εαυτης. σωτηρα. και. ευεργετην. Vides hunc *Calpurnium Proculum* fuisse quoque *Curatorem Viarum*, adeoque addendum ad *Not.* I. 3. §. 11.

III. 44. §. 8. *Viæ per Ciliciam.*) Audiamus hic Ruffum Festum *in Breviar. p.m.* 285. *Epit. H. R. Cilices,* ait, *& Isauros, qui se piratis ac prædonibus maritimis junxerant, Servilius Proconsule ad prædo-*

num bellum missus subegit, & Viam per Taurum montem primus instituit: isque de Cilicibus & Isauris triumphavit, atque Isauricus est cognominatus: factum hoc A. U. C. 673. quamvis Servilius hic Pamphyliam domuerit & Isauros, cum urbes, quas cepisse dicitur, omnes sint extra Ciliciam: videatur eminentissimus Noris *Cenotaph. Pis. p. m.* 215. videtur ergo Via illa per Taurum montem excisum aperta fuisse militari opere.

III. 44. §. 8. *Via per Syriam.*) Vide *Notas ad* I. 19. §. 1.

III. 44. §. 10. *Sevesta quoque appellata.*) Notes in hisce & similibus nostro præivisse Suritam *in Comm.* τὸ *Sevesta* notat Σεβαστὴν. *Cæsareæ* longe plures fuerunt, ut in Armenia, Cappadocia, Mauritania, & alibi locorum, de quibus consule Geographos; nec non peritissimum Foy-Vaillant *in Numm. Colonia:* passim; item doctissimum Harduinum *in Numm. Antiq. ill.* voce: *Cæsarea.*

III. 44. §. 13. *A Trajanopoli Dymen* &c.) Hoc iter confer cum *Tab. Peut. segm.* v. & vi.

III. 44. §. 14. *Thyatira.*) Adde Inscr. laudatam *in Notis* ad I. 17. §. 2. *Sardes*, quæ urbs mox sequitur, videntur complures viæ duxisse: nam Lydia *celebratur maxime Sardibus*, multorum populorum conventu & jurisdictione clara urbe, ut testatur Plinius v. 29. Imo in nummo elegantissimo, qui exhibet Commodum Imp. zodiaci signis circumdatum & sedentem, in altera facie Deam turrigeram, ceu urbem Sardianam, & quem Sponius *in Itin.* & Whlerus *n.* 63. 64. publicarunt, dicitur CΑΡΔΙC ΑCΙΑC ΑΥΔΙΑC ΕΛΔΑΛΟC Α ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC, si recte literas legit & figuras expressit Whelerus *lib. III. Itin. per As. Min. edit. Gallic. p.* 266. ubi dicit, se nescire, quænam aut ubi sit illa *Audia:* at tu fidenter lege: *Σάρδις Ασίας, Λυδίας, Ἑλλάδος α (i. πρώτη) μητρόπολις.* Stephanus *h. v. Σάρδις, πόλις Λυδίας.* Similem omnino epigraphen habet nummus apud Harduin. *l. l. p. m.* 440. cujus pars aversa: ΕΠ. Ι. CΟΥΛ. (i. e. Julio Sulpicio) ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ. ΑCΙΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. At quis ignorat illam Crœsi Lydorum Regis regiam, *Tmolo* monte & aurifero *Pactolo*, qui iterum in Chrysorrhoam *Hermum* effunditur, nobilissimam? Cæterum hoc iter exhibetur *in Tab. Peut. segm.* vi. his differentiis: inter *Dardanum* & *Ilium* omittitur numerus: *Troas* cognominatur *Alexandria*, hinc *Smynthium* iv. *Assos* xv. *Gargara* xxiv. *Antandros* xvi. *Adramitios* xvi. *Pergamum* * *Philadelfia*, via transversa * *Tripoli* xxxiv. *Trallis* xv. hinc linea separatim ducitur *Laudicium*, interposito numero vi. Viis autem *Asiæ Minoris* adde *Viam Stratam* ad *Ephesum* ducentem; & aditum vere admirandum in cæsa rupe alta & solidissima, quam leves Græculi a *S. Paullo* gladio apertam fabulantur: abest ab urbe fere mille passus non longe a ponte Saxeo super *Caystrum*; item *Viam Saxeam*, montis Mimantis appendicem, quæ *Alymanam* ducit: vide de his Smith. *in Not. VII Asiæ Eccl. ed. Ultraj.* 1694. *p.* 50. 51.

III. 45 §. 5. *Dionysium Halicarnasseum.*) in cujus tamen loco Gelenius vitiose habet *octuagesimæ*, pro *vigesimæ*. Cæterum noster subinde in Gallico non satis feliciter Flori mentem assecutus est. Consule autem hic Commentatores *ad Flori* II. 2. & locos Dionsii ac Polybii laudatos.

III. 45. §. 7. SICILIAE.) Adde Tab. Peut. *segm.* iv. & Hug. Fazellum *de Reb. Sic.*

III. 45. §. 8. *Videntur* &c.) Noster affirmaverat plane id, quod, ut levi conjectura dictum, modestius reddidi: nonne enim *mansiones* pristinæ mutatæ & aliæ institutæ potuerunt fuisse, ad Vias jam olim munitas? deinde Auctor *Itin. Ant. p.* 20. hoc ait de solo itinere *Catana Agrigentum*, non de omnibus Siciliæ Viis.

III. 45. §. 10. *In Sardiniæ Orientali.*) At Ptolemæus *l. l.* in Septentrionali parte *Tibulorum* civitatem collocare videtur.

III. 45. §. 11. *Septem Vias.*) Noster tantum *sex* numerabat, omissa scilicet per incuriam: *a Carali Noram:* deinde omiserat summam longitudinum in argumento sectionis promissam: supplevi omnia ista.

III. 45 §. 12. *Philonii Favonii.*) Ptolemæus *l. l.* Φιλωνίου λιμήν. at *Itin. Ant.* legitur *Favonii*, sic ut credibile sit, in alterutro erratum esse. Noster utrumque conjunxit: qua de caussa, nescio.

III. 45. §. 12. *Plalas.*) Ptolemæo *l. l.* Πάλλα πόλις. legunt vero pleraque mss. Itin. Ant. *Palmas*, alia *Palas*.

III. 46. §. 5. *At Carthaginiensis Portus* &c.) Noster hic non satis accuratus fuerat, & sine teste classico solus ibat, quamvis Appianus *in Pun. p. m.* 68. & *seqq.* ex Censorini oratione ista tradat, cujus verba maxime secutus sum: is autem *LXXX. stadia jussos a mari recedere*, ait; quæ sunt x. M. P. (non vero, ut noster, *VIII. M. P.*) *cum Roma absit a mari C. stadiis.*

III. 46. §. 7. *Carthago* & seqq.) videndus est hic Harduinus *in Numm. Ant. ill. in hac Urbe p.* 116. & Foy-Vaillant *in Numm. Colon.* passim. De *Cirta*, Numidiæ metropoli, quæ postea *Constantina* dicta est, ad quam Via est vetus, rupi incisa, tam lata atque alta, ut equis & camelis per eam, in urbem, montis prope inaccessi vertici impositam, ascensus pateat, quæ via propter tenebras noctu diuque plurimis lucernis erat collustranda olim: vide & figuram & descriptionem ap. Ampliss. Cuperum *Not. in Lact. de M. P. p. m.* 235.

III. 46. §. 9. *XVIII. & XLVIIII.*) Imo voluit xviii. & xlviiii. id est, *decies octies centena & quadraginta novem M. P.* & quidem recte. Noster oblitus est, quæ tradidit supra *sect.* 42. §. 5. Plurima porro in hoc §. ad *Itin. Ant.* emendavi. Tandem & noster sub finem longe melius servasset ordinem & terminos supra §. 8. propositos: sic enim τοῖς 1849 M. P. non fuisset opus substituere 1745. M. P.

III. 46. §. 12. *Roma Alexandriam.*) Confer supra *sect.* 44. §. 6. ubi calculi justiores ad 3414. M. P.

III. 47. §. 1. *Post Carthaginem* &c.) Florus ii. 7.

III. 48. §. 3. *Tertia Via* &c.) In hac & præcedentibus duabus confer Tab. Peut. *segm.* v. & vi

III. 48. §. 3. *Egnatia.*) de hac Via vide & Suritam *in Comment. p* 474.

III. 48. §. 5. *Ciceronis ævo.*) verius dixisset *Strabonis*, qui hoc disertis verbis narrabat *l. l.* non item Cicero. Strabo autem ista scripserat iv. anno Tiberii A. U. C. 771.

III. 48. ad §. 5.) Ad Vias Græciæ possemus referre & montis *Cynthi* in *Delo* excisam rupem, quæ Delon urbem ducit, quam depingit ac describit Wheler. *lib. I. Itin. per Dalmat. ed. Gall. p. m.* 89. quamvis credat is potius esse lapicidinam porphyretici marmoris: item ad opera Viaria referri possunt stupenda illa emissaria sive καταβαθρα paludis *Hylicæ* & *Copaidis*, descripta eidem *lib.* III. *Itin. Athen. p.* 578. & *seqq.* & delineata *in Tab. Achajæ vet. & nov. præmissa operi.* confer Strabon. *lib.* ix. *p. m.* 741. 742. 748. Sed num a Romanis sint facta, incertum est. In eadem *tabula* idem designat *Viam fossam*, prope Cephisum Fluvium, quæ ducit ad oppositos montes versus urbem; quæ hodie dicitur *Talanda*: describit eam Viam *l. l. p.* 572. & *seqq.* „ quod fuerit longa, utrimque profundam habens „ fossam, quod paullatim fiat acclivis, videatur-

,, que olim pavimenta fuiſſe : latam eſſe x. aut xII. ,, ulnas, ac vero eſſe ſimile, fuiſſe olim *Viam foſſam* Romanorum.

III. 48. ad §. 6.) Obſervet benevolus & induſtrius Lector, in illis Viis ac Itineribus, quæ tam in *Itin. Ant.* quam *Tab. Peut.* deſcribuntur, ubique inſtituendam eſſe collationem, quam Auctor noſter ſubinde neglexit, nos ſæpe ſupplevimus, ſubinde etiam indicio fuimus contenti; neque enim voluimus nimium aut moram imprimendi operis, aut molem notarum augere. Imo ſervat quoque Eleuſis, quod oſtendat reviſentibus.

III. 49. §. 3. *Actus iter in agris : Iter iterum, quod agendo teritur.*) Varronis editione noſter uſus eſt ea, quæ ſubjicitur Perotti *Cornucopiæ, ed. Baſil.* 1532. *p.* 1027. ubi ita legitur : at Scaliger & Dionyſ. Gothofredus in ſuis editionibus legunt, & quidem rectius ipſo ſenſu etymorum exigente : *A. i. i. a. quod agendo teritur.* Iſidorus *Etymol. l. l.* quæ ad clariorem ſequentium lucem placet excerpere : *Via eſt, qua poteſt ire vehiculum: & Via dicta a vehiculorum incurſu : nam duos Actus capit, propter euntium & venientium vehiculorum occurſum..... Iter vel Itus eſt via, qua iri ab homine quaquaverſum poteſt. Iter autem & Itiner diverſam habent ſignificationem : Iter enim locus eſt tranſitu facilis ; unde & appellamus Itum. Itiner autem eſt itus longæ viæ, & ipſe labor ambulandi, ut, quo velis pervenias. Semita itineris dimidium eſt, a ſemi-itu dicta. Semita autem hominis eſt ; Callis ferarum & pecudum. Callis eſt iter pecudum inter montes anguſtum & tritum, a callo pecudum vocatum, ſive callo pecudum perduratum. Tramites ſunt tranſverſa in agris itinera, ſive recta via, dicti quod tranſmittant. Divortia ſunt flexus viarum, hoc eſt, viæ in diverſa tendentes : eadem Diverticula ſunt, hoc eſt, diverſæ ac diviſæ viæ, ſive Semitæ tranſverſæ, quæ ſunt alteræ viæ. Bivium, quia duplex eſt Via. Compita, quia plures in ea competunt viæ, quaſi Trivia, Quadrivia.... Actus, quo pecus agi ſolet.* Hæc Iſidor. ex quibus vides, quæ hic quaſi ex ejus *lib. Differentiar.* laudantur, eſſe excerpta ex *Etymol.* Adde Auſon. Popmam *de Diff. Verb. lib.* III. *voce* : *Iter.*

III 50. §. 1. *Pedes* cxx.) idem ait Feſt. *l. l.* quem vide.

III. 50. §. 5. *Viæ latitudo* &c.) adde Dion. Gothofred. ad *h. l.* & ad *l.* 1. *d. t.* item vide *l.* 6. *in fin.* ff. *quemadm. ſerv. am.*

III. 50. §. 6. *Ex differentia latitudinis, non vero longitudinis, conſtitui Viarum differentiam.*) Sic apud Judæos etiam tradunt Magiſtri in *Bava Bathra fol.* 99. 2. *Via privata* דרך היחיד *eſt quatuor cubitorum. Via ab urbe in urbem eſt octo cubitorum. Via publica* דרך הרבים *eſt ſedecim cubitorum. Via ad Civitates refugii eſt triginta duorum cubitorum. Via Regis* דרך המלך *non habet menſuram : Nam Rex poteſt ſepes perfringere, ut ſternat ſibi Viam. Et Via ad ſepulchrum non habet menſuram, ob honorem mortui.* Inter *Viam ab urbe, ad urbem*, & *Viam Publicam* hoc erat diſcriminis, quod *Via Publica* ea erat, per quam omnes urbes tranſierunt : *Via* ab urbe ad urbem ea erat, per quam tranſiit hæc urbs ad iſtam, atque iſta ad hanc ; ſed non urbs aliqua alia iſthac tranſiit. Via iſta *ab urbe in urbem erat octo cubitorum*, inquit Gloſſa, *ut ſi forte duæ quadrigæ occurrerent, daretur ſpatium tranſeundi.* Via ad ſepulchrum menſuram non habuit, ne comitantes feretrum, ob anguſtiam Viæ ſegregarentur. Hæc Lightfootus non docuit in *Decade Geogr. Marco præmiſſa* c. 8. §. 7. ex quo, ut fere cætera, hæc habuit Otho *in Lexic. Rabbinico, in voce* : *Via.* adde de Via Publica & Privata in agris & ſementibus Maimonidem in *Peah cap.* 2. *hal.* 1. de Via ad Aſyla ſive Civitates Refugii Eundem in *Rozeach* c. 8. & Patres Thalmudicos in *Moed Katon* paſſim.

III. 50. §. 7. *Legitima ejus menſura.*) adde ex *d. l.* 8. quod *in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim pedum* menſura ſit legitima, ſcilicet ut facilius vehicula verti queant. Varro *de L. L. lib.* VI. *p.* 68. *Amfractum, eſt ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu & frangendo : ab eo leges jubent in directo pedum octo eſſe, in amfractu ſexdecim, id eſt, in flexu.*

III. 51. §. 1. *Viæ.*) Via, ut hic ſumitur, eſt portio territorii ad directum ſive porrectum (εἰς ὀρθὸν) nec non ad anfractum ſeu flexum (εἰς κάμψιν) certis latitudinis finibus ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur & commearetur, relicta : ſic enim licebit definire ex *l.* 2. §. 21. ff. *Ne quid in loco publ. vel itin. fiat. l.* 8. & *l.* 13. §. 2. & 3. ff. *de S. P. R. Territorium* hic notat univerſitatem quandam agrorum intra civitatis alicujus fines ſitam, *l.* 239. §. 8. ff. *de V. S. Civitatem* vero intelligo complexum plurium hominum ſub eodem regimine viventium.

III. 51. §. 2. *Via Publica, Regia, Militaris, Conſularis* &c.) confer infra IV. 19. §. 4. ſed & paſſim noſter Auctor *Viam Publicam* & *Militarem* tanquam ſynonyma uſurpat : non placet hoc Jac. Gothofredo *ad l.* 3. *C. T. de Curſ. Publ.* qui ex *d. l. Publicum iter, Viam Baſilicam, Conſularem*, vult a *Via Militari* diſtingui. ,, *Vias Militares* exitum ,, habere ad mare, ad urbes, ad flumina publica ; ,, nempe quia & miles & annona ad uſum militiæ ,, eo tenderet : verſa vice *Vicinales Vias* eodem fine in *Militares* exitum habere : at *Viarum Publicarum, Baſilicarum, Conſularium* uſum eſſe rectum, a civitate in civitatem inſigniorem, ſemper : hinc omnes quidem *Militares Vias* eſſe *Publicas*, ſed non omnes *Publicas*, eſſe *Militares* : hæc curioſe Gothofredus, innuens *Militarem Viam* fuiſſe transverſalem, obliquam, πάροδον, at *Viam Publicam* ἁπλῶς dictam, *Baſilicam* ſive *Conſularem* fuiſſe rectam, ſive in directum. Salmaſio quoque *Plin. Exerc. p.* 678. *ed. Pariſ.* ſed *p.* 477. *ed. Ultraj.* placuit fere idem : ,, Ex Viis Publicis, quaſdam eſſe vel *Regales*, quæ & *Conſulares* ac *Prætoriæ* dicantur ; vel *Militares* ; alias ad uſum populi ad exportandos fructus in agris factas, quæ ,, & *Vicinales* & *Agrariæ* aliiſque nominibus appellentur. Nobis videtur, *Vias Publicas, Prætorias, Regias, Conſulares, Militares, Baſilicas* ſolo nomine, non re aut jure differre, ſed eſſe eaſdem, diſtinctas vero ab *Vicinalibus Viis*, quæ licet ſubinde *Publicarum* nomine καταχρηστικῶς cenſeantur, *Militares* tamen nunquam vocantur, nec ſunt. Nec objiciat nobis Gothofredus *d. l.* 3. *Si a Publico itinere aliqua Militari Via divertendum fuerit, ubi evectio non erit, publicis utemini agminalibus* : cum hæc verba interpolator Tribonianus optime explicet *in l.* 2. *C. ed. tit.* iſtis : *Nec per aliam viam eundi* (paraveredis) *quiſquam habeat facultatem, niſi per quam Curſus Publicus ſtare dignoſcitur ; excepta tua* (Præſ. Præt.) *ſublimiſſima ſede.* Ergo *Publicum iter* hic eſt, ubi erat *Curſus Publicus* ſive *Fiſcalis* ; neque enim in omni & quavis ubique Militari Via erat *Curſus Publicus* ; ſed ubicunque erat Curſus Publicus, ibi illius iter erat in Via Publica, ſive Militari ; non verſa vice ubicunque erat Via Militaris, ibi erat Curſus Publicus. Ergo ſi in *publico Curſus itinere*, aliqua alia Via Militari, per quam Curſus Publicus non ſtabat, divertendum erat, tum ſolus Præfectus Prætorio poterat exigere equos agminales ſeu paraveredos a provincialibus, idque modice & temperate ad uſum tantum proprium ; Præſides vero, Rationales, cæ-

terique non poterant exigere eosdem equos agminales. Nam nec Eumenius *Grat. act. c.* 7. nec Auctores *Rei Agrariæ*, nec Isidor. *Etymol.* xv. (non xxv. ut male Gothofr.) 16. nec JCC. *Viam Publicam, Regiam, Basilicam, Prætoriam* distinguunt a *Militari*, quod tamen affectat Gothofredus *l. l.* Eumenius *l.l.* contra ipsum Gothofredum meminit *flexus*, quo *retrorsum Via ducit in Belgicam*, ubi sit *tenebrosa Via Militaris, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua, transmittat; ex quo sæpe accidit*, ait, *ut obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit evectio*. Ergo hic erat *evectio*, adeoque Cursus Publicus, *ad Viam Militarem*. Hyginus *de Limit. p.m.* 152. plane non distinguit: audi eum: *Actuarii autem* limites *extra maximos, Decumanum & Cardinem, latitudinem habent pedum* xii. *Per hos iter populo, sicut per Viam Publicam debetur: ita enim cautum est lege Sempronia, & Cornelia, & Julia: quidam ex his latiores sunt* xii. *pedibus, ut hi, qui sunt per Viam Publicam (Militarem) acti: habent enim latitudines Viæ Publicæ. Linearii limites mensuræ tantum disterminandæ caussa sunt constituti: & si finitimi interveniant* (f. iter volunt) *latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico serviunt sub appellatione subruncivorum: habent latitudinem pedum octonum. Hos Conditores Coloniarum fructus asportandi caussa publicaverunt. Nam & possessiones pro æstimio ubertatis angustiores sunt assignatæ: ideoque limites omnes non solum mensuræ, sed & publici itineris caussa, latitudines acceperunt*. Vides in hac re Viaria *Viam Publicam, Militarem, Iter publicum* esse Synonyma, contra Gothofr. & Salmas. Cæteri Auctores Rei Agrariæ nominant *Militarem Viam*, & *Iter publicum* indifferenter: sic Latinus & Mysrontius *p.* 254. *Monumenta finalia Militari Viæ non conjunguntur*: pro quo *p.* 254. Mago & Vegoja: *Monumenta finalia non conjunguntur itineri Publico; ei maxime, quod Auctoris nomen obtinet, & per Redemtores & Magistros pagorum munitur; sed ab itinere publico separata sunt*: *pag.* 146. Frontinus *de Colon. Certa loca Viæ Militares finem faciunt, alibi vero devexa montium, ripæ currentes finem faciunt*. Hygin. *de Limit. p.* 163. *Via Consularis*. Sic Flaccus *de cond. Agror. Viæ Publicæ Regalesque, quæ publice muniuntur*. Isidor. *l. l. Omnis autem Via aut publica est, aut privata. Publica.... ad mare aut ad oppida pertinet*. Sic JCC. Græci, Theophilus §. 5. *Inst. de L. Aquil.* pro eadem accipit *Viam publicam* & *Militarem*. Latini: Ulpianus *l.* 3. Π. *de Loc. & Itin. publ. Vias* dividit tantum in duas species *Vicinales* & *Publicas*: & disertius *l.*2 §.22. Π. *Ne quid in loco publ. Publicas Vias dicimus, quas Græci* Βασιλικὰς, *id est, Regias, nostri Prætorias, alii Consulares Vias appellant*. Porro, quod ait Jacob. Gothofredus *l. l.* Consularem Viam non habere exitum ad mare aut ad flumina publica, hoc gratis & sine lege dictat; quid ergo obstat, quo minus habeat? *Consularis Via* sine dubio est *Appia*, Hygino *de Lim. p.* 163. atqui illa ad mare & Trajectum Brundusinum habebat suum exitum? *Itin. Ant. p.* 72. Quare desidero hic etiam judicium Ziegleri, qui vidit quidem aliqua ex parte errorem Gothofredi, eundem tamen ex parte adoptat, dum ait *de Jurib. Maj.* II. 17. *n.* 4. *Illud constat, Cursum Publicum seu Fiscalem in publico itinere fuisse, non in Via Militari*: contra clara Suetonii verba *Aug. c.* 49. quasi *Via Militaris* non esset *publicum iter*: deinde mirifice conjicit,
„ fuisse ergo *Viam Publicam Consularem*, dictam
„ forte illam, quæ in directum procedit ab Oriente
„ in Occidentem, aut a Meridie in Septentrionem,
„ quales forte paucæ fuerint in una provincia. *Mi-*
„ *litares* vero plures, quæ ex quacunque Civitate
„ in aliam, ubicunque illæ sitæ fuerunt, duxerunt.

Sed hæc ex dictis facile possunt refutari. Salmasii auctoritas Gothofredo, hujus Zieglero præbuit errandi occasionem: paullo altius hæc fuerunt repetenda, ne Auctor noster Bergierius, & in operis sui fronte & passim in hoc opere, ob tantorum Virorum auctoritatem & nomen, erroris aut confusionis esset suspectus, aut jure insimulandus videri posset.

III. 51. §. 3. *Viam Publicam* &c.) Ergo Viæ Publicæ tres sunt conditiones. 1. Ut per eam publice iter fiat. 2. ut solum ejus sit publicum. 3. ut nos ducat in civitatem, coloniam, oppidum, portum, mare, villam: unde Isidorus *Etymol.* xv. 16. non male: *Via publica est, quæ in solo publico est, qua iter actus populo patet: hæc autem ad mare, aut ad oppida pertinet*: at Viæ Privatæ (1.) solum est alienum, jure tantum eundi, agendi nobis relicto. Isid. *l. l. Via privata est, quæ vicino municipio data est*. (2.) Ex LL. xii. Tab. in porrectum. 8. pedes, in anfractum, hoc est, ubi flexum est, 16. pedes habere debet: *l.* 8. Π. *de S. P. R.* a qua tamen latitudine plus vel minus recedere aliquando contrahentibus integrum est per pactum aut conventionem, *l.* 13. §. 2. *eod.* quod secus est in Via Publica, cui nihil quicquam a privatis detrahi potest: *arg. l.* 45. Π. *de R. J. l.* 38. & 38. & *l.* 42. Π. *de Pact.* debetque hæc, ubi hoc non omnino impedit loci ingenium & angustia, tam lata esse, ut vehicula in ea occurrentia sibi cedere queant, & alterum ab altero evitari possit, adeoque ultra 16. pedes amplior communiter esse debet.

III. 51. §. 5. *Quæ ad agros ducunt.*) Unde Germanis dicuntur *Fel-oder Holtz-vvege*. Apud Aggenum *Comm. in Frontin. de Limit. Agr. p. m.* 62. occurrit *Via Lignaria*; quam Wilhelm. Goesius *in Ind.* exponit, *qua ligna vehere licet, forte ad balnea publica: ita in Legibus Baivvariorum* Viæ Pastoralis *fieri mentionem, qua Pastoribus pecora liceat agere*.

III. 51. §. 6. *Vicinales.*) in LL. Baivvariorum, teste Goesio *l. l.* dicuntur *Convicinales*. Frontino *de Aquæd.* lib. II. *p.* 1666. *T. A. R. t.* IV. dicuntur *vicinales agrestesque*. Cæterum de hisce Viarum differentiis consulantur JCC. præcipue Lud. Gilhausen *Arb. Judic. c.* 3. *n.* 144 Surdus *Decis.* 42. & ante omnes Vivius *Decis.* 488.

III. 51. §. 7. *Viarum Publicarum habent formam.*) Ad has videntur referenda esse *Viatria*, ut vocat Fabrett. *de Aquæd. Diss.* III. §. 319. quæ dicit in latum patere *pedes* VIII. & *uncias* IV. cum solennes Viæ Consulares ut plurimum *pedes* XIV. & *uncias* IV. adæquent. Hæc *Viatria* fere erant, quasi transversæ viæ a Consulari Via in aliam transeuntes.

III. 52 §. 1. *Δεσμοί*) At ubi hoc vocabulum pro *Via* apud idoneos Auctores Græcos legitur? *δεσμίς* est *fasciculus*, non *Via*.

III. 52. §. 4. *Hæ Viæ pro locorum* &c.) Inter leges Wisigothorum *l.* VIII. *tit.* 4. *lex* 24. ista est: *Viam, per quam ad civitatem, aut ad provincias nostras ire consuevimus, nullus præcepti nostri temerator exsistat, ut eam excludat vel adstringat: sed utrimque medietas aripennis libera reservetur, ut itinerantibus applicandi spatium non vetetur*: quid sit *Aripennus* vel *Aripennis* docebit Bignon. *ad Marculfi Formul. p.* 614. Jacob. Capell. *de Mensur. Intervall. n.* 27. *Applicare*, ut docet *in Glossar.* Frid. Lindenbrog. est idem, quod Germ. & Belg. *lageren, leegeren*: ergo sensus legis est, ut placet Ziegléro de *Jur. Maj.* II. 17. *n.* 18. tantum utrinque juxta Viam publicam relinqui debere spatium, in quo decumbere & requiescere possint Viatores.

III. 53. §. 1. *Via Regia.*) In Hebraico est: בדרך המלך pro quo οἱ ό. ὁδῷ Βασιλικῇ. Deuteron. II. 26. κατ' ἐξοχὴν *Via* appellatur: ubi Vulgatus Interpres

terpres recte vertit per *Viam Publicam*; at minus accurate sensum exprimunt Tremellius & Junius per τὰ *eadem via*. Notandum vero est, quod Judæorum Magistri distinguant inter *Viam Publicam* & *Regiam*: vide *Not. ad* III. 50. §. 6. differentia videtur in eo posita fuisse, quod *Via Regia* fuerit *Militaris*, qua ducebatur exercitus, cujus proinde latitudinem maximam, ultra 32. cubitos, Rex pro re & necessitate nata poterat adhuc magis extendere, diffractis etiam sepibus & amotis obstaculis. *Via Publica* stricte dicta fuit tantum 16. cubitorum, ne nimium decederet vicinis prædiis. Reges autem Israelitarum erant jam olim studiosissimi Viarum muniendarum: audi de Salomone Josephum *Ant. Jud.* VIII. 2. (al. 7.) 216. *ed. Lat. Froben.* 1559. vertente Gelenio: *Divina autem quadam diligentia ac providentia rebus in omnibus* Salomon *utebatur, & cum esset elegantiarum amator, ne Viarum quidem curam prætermisit, sed & harum, quotquot Hierosolyma, Regiæ sedem, ducebant, silice constravit, tum ut ultro citroque commeantibus essent faciles, tum ad ostentandam hac quoque parte principatus sui magnificentiam*: quem locum adde Notatis ad I. 1. §. 3. ubi tum nostram fugerat memoriam.

III. 53. §. 2. *Nec tamen ideo* &c.) Attamen dominium earum fiduciarium frequenter secundum LL. quas vocant, Feudales a Principe aliis concedi solet, unde fluit jus illud securitatis armata manu præstandæ & conductus. exemplum vide apud Freherum in *Addend. ad Auson. Mosell. sub fin.* in Diplomate Caroli IV. an. 1376. dato Archiepiscopo & Ecclesiæ Trevirensi, quo *Conductus* & *Stratæ* ad Mosellæ, Saræ, Rheni ripas certis finibus conceduntur. Quod autem *Viarum Publicarum proprietas nullius* sit, neque ab ullo acquiri possit, docemur eleganti exemplo, quod proponit Alfenus Varus JC. *in l.* 38. ff. *de A. R. D. Attius fundum habebat secundum Viam Publicam: ultra Viam flumen erat, & ager Lucii Titii: fluit flumen paullatim: primum omnium agrum, qui inter Viam & flumen esset, ambedit, & Viam sustulit: postea rursus minutatim recessit, & alluvione in antiquum locum rediit. respondit* (Varus) *cum flumen agrum & Viam Publicam sustulisset, eum agrum ejus factum esse, qui trans flumen fundum habuisset: postea cum paullatim retro redisset, ademisse ei, cujus factus esset, & addidisse ei, cujus trans Viam esset; quoniam ejus fundus proximus flumini esset. id autem, quod publicum fuisset, nemini accessisse. nec tamen impedimento Viam esse ait, quo minus ager, qui trans Viam alluvioni relictus est, Attii fieret. nam ipsa quoque Via fundi esset.* Vide quid super hac re Grotius *de J. B. & P.* dicat II. 8. §. 17. ibique *in Notis* Simon. rem schemate ob oculos eleganter posuit Bapt. Aymus *de Jure Alluvion. ex recens. Abasv. Fritschii, ed. Hamburg.* 1675.

III. 53. §. 4. *Cura nihilominus* &c.) 1. Quia solum Viæ Publicæ est Publicum, quale facere seu privatorum commercio eximere & publicare solus Princeps potest. 2. Reip. interest, ut viæ bene munitæ exsistant atque conserventur. 3. Securitatem in Viis Regiis præstare solus Princeps potest. 4. Solus Princeps cives Provinciæ & cujusque territorii subjectos cogere potest, ut viam muniant. Hinc inter Regalia recensentur *Viæ Publicæ, Flumina navigabilia, Portus*. Feud. II. 56. ibique JCC.

III. 54. §. 3. *Passim hoc libro nostro.*) vide II. 31. §. 2. & 17. §. 8.

III. 54. §. 3. *Vias solitas.*) Vide Ammian. Marcellin. XXII. 10. *p. m.* 267. XXIII. 2. *p.* 288. adde, quo Noster hic usus est, Surit. *in præf. ad Comm. in Itin. Ant. p.* 166.

III. 54. §. 3. *Isidorus.*) *Etymol.* XV. 16. qui laudat

A Lucretii locum & ait: *Strata dicta, quasi vulgi pedibus trita .... ipsa est & delapidata, id est, lapidibus strata.*

III. 54. §. 3. *Sternere viam.*) Inde Amplissimus Cuperus in Lactant. *de Mort. Persecutor. edit. Ultraj. p.* 132. ex Inscr. quam habet Sponius *in Miscell. p.* 233. conjicit *Stratores* dictos, qui Viæ pavimentum, ubi deficeret, restituebant: nobis magis placet, quod *Strator* sit ἀναβολεὺς, ὁ ἐπὶ τὸν ἵππον ἀνάγων, qui equum sternit & herum in equum levat. Sic Spartian. *in Caracall. cap.* 7. alio sensu apud idoneos Auctores mihi nondum occurrit.

III. 54. §. 4. *La Strada.*) & hinc Galli suum
B *l' Estrade*, unde *battre l'estrade*, in re bellica notat *obsidere* itinera. Germani hinc *Strasz*, & Belgæ suum *Straat*, *bestraaten*, fecerunt: quis ille *Vir doctissimus* sit, quem Noster mox laudat, nondum occurrit.

III. 54. §. 4. *Ex Suetonii* &c.) Noster in Gallico per incuriam hunc laudat, sed Livii ex XLI. 27. verba mox nihil ad institutum facientia tanquam Suetonii posuerat.

III. 54. §. 6.) Germani Vias priscas Militares vocant *Heyden-vvegen*, *Hohe Wegen*, *Hohe straszen*, *Caseyen*: vide Notata ad I. 25. §. 1. item
C Vias publicas generatim vocant: *Freye Kayserliche Land-und Heer-straszen*, *des Roemischen Reichs offene Bahn und Straszen*: Belgæ: *'s Heeren-vvegen.*

III. 54. §. 7. *Magna Itinera* &c.) Recte: nam licet Propertius III. 20. *vs.* 1. canat:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas:

ibi tamen non Via Militaris, sed ipsa *profectio*, ὁδοιπορία, intelligitur.

AD LIBRUM IV.

D IV. 1. §. 3. *Quartum denique* &c.) Hoc tamen caput deinde *sect.* 30. §. 1. & 6. paullo aliter deducit, nec hic præscriptos terminos accurate observat.

IV. 2. §. 2. *Sub Claudio Imp.*) Noster male & contra Taciti verba *Neronem* hic posuerat: ego ipsum fontem a Nostro præteritum secutus sum.

IV. 2. §. 3. *Ne tamen segnem militem* &c.) Sic Probus Imp. *milites otiosos esse, nunquam est passus. Exstant apud Ægyptum ejus opera, quæ per milites struxit in plurimis civitatibus. In Nilo autem tam multa fecit, ut vectigal frumentarium so-*
E *lus adjuverit: Pontes, Templa, Porticus, Basilicas labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccavit, atque in his segetes agrosque constituit*: teste Flavio Vopisco *in Prob. c.* 3. *p. m.* 723. item *c.* 7. *p.* 7. narrat, inter caussas occidendi ejus primam fuisse, *quod nunquam militem otiosum esse perpessus sit; siquidem multa opera militari manu perfecerit, dicens, annonam gratuitam militem comedere non debere.* addit deinde: quod, *cum Sirmium venisset, ac solum patrium effœcundari cuperet & dilatari, ad siccandam quandam paludem multa simul millia militum posuisset, ingentem parans fossam, qua dejectis in*
F *altum navibus loca Sirmiensibus profutura siccaret.*

IV. 2. §. 4. *Verum cum tuendis* &c.) Recte enim Tacitus *de Germ. c.* 44. *Otiosæ armatorum manus facile lasciviunt.*

IV. 3. §. 2. *Ut narrat Plutarchus* &c.) Noster, quia Chæronensem ne quidem laudat, ac vix inspexit, rem hanc præter verba hujus testis idonei paullo aliter forsan ex vernaculo aliquo libello narrabat.

IV. 4. ad §. 1. & seqq.) Quæ Noster hic & alibi *de Cursu Publico*, *Angariis* & *Parangariis* habet, ea desumsit fere ex Guid. Pancirollo *in Not. Imp. Or. c.* 6. sequens etiam vitia typographica, puerorum a manu, ut puto, culpa. Tu adde Gutherium *de Off. Dom. Aug.* III. 14. *& seqq.* Illustr. Spanhemium *de Præst. Num. Diss.* IX. *p.* 800. *& seqq. ed. Amst.* 1671. Salmas. *in Spartian. Hadrian. cap.* 7. Vossii *Lex. in Veredus*. Dion. Gothofredum & cæteros JCC. ad *titt. C. Just. de Cursu Publico*, & vicinis ejus argumenti rebus: nec non Jac. Gothofredum ad similes illos *titulos Cod. Theod.* Scheffer. *de Re Vehic.* II. 30. *& seq.* Ludovic. von Hoernigk *de Postar. Jure*, *ed.* 3. *Francof.* 1663. Ziegler. *de Jur. Maj.* II. 18. Lips. *Epist. ad Belg. Germ. Gall. Cent.* III. 59. ex quibus me profecisse, gratus & lubens profiteor.

I. 4. ad §. 2.) Nomina Rei Cursualis hæc fere reperiuntur: Δημόσιος Δρόμος passim ap. Græcos JCC. & Scriptores: *Cursus* l. 16. *Discursus d. l. Cursus Publicus* passim, quia publico sumtu fiebat: *Evectio*, κατὰ μετωνυμίαν adjuncti pro subjecto, *l.* 3. *C. T. de C. P. Cursus Vehicularis*, sive *Vehicularius*, *Munus Vehicularium*, *Res Vehicularia*, *Vehicula Publica*, *Vehiculatio* in Num. Nervæ, κατὰ συνεκδοχὴν speciei pro genere, quæ tum in utroque *Cod. J. & T.* tum apud *H. st. Aug* Scriptores subinde occurrunt promiscue usurpata, ut vult Ill. Spanhemius *de P. N. diss.* IX. *p. m.* 800. & 803. & adeo taxat Jac. Gothofredum ad *l.* 5. *C. T.* qui dixerat, *falli* eos, qui *Vehicularem Cursum æque generalem ac Cursus Publici appellationem putant*, nec enim *illo Vehiculari comprehendi Veredos*: cum tamen *ad d. l.* idem Gothofr. immemor hujus notationis dixerit *in l.* 1. §. 1 *ff. de Mun. & Hon.* per *Munera Rei Vehicularie* designari *onus* Cursus Publici, & *ad d. l.* ex Suetonio *Cursus Publici seu Vehicularis* Auctorem faciat Augustum, qui tamen etiam *Veredos* disposuerit: non possum accedere summo Viro; nam, si mei judicii res foret, in locis *Hist. Aug.* & *in Numm. Nervæ* & alias, ubi legi τὸ *Vehiculare*, possem commode explicare, speciatim intelligi *Cursum Vehicularem*, non *Veredos*: deinde esto, fieri aliquando significationem vocabuli potioris generalem, ergone κατ' ἀκρίβειαν debet a Doctoribus Vehicularis Cursus cum Veredario, velox cum tardigrado confundi? in eo memoriæ lapsu, quem notat, putem ipsi Ill. Spanhemio memoriam non satis fidelem fuisse: non enim *l. l.* Gothofredus *d. l.* 1. §. 1. sed *l.* 18. *ult.* § 21. *d. t.* ex Arcadio JC diserte laudat, quæ ait, *Patrimoniis sive Possessionibus munera indici, veluti agminales equos vel mulas, & angarias, atque veredos*: quæ revera sunt onera *Cursus Publici*. Augustum vero *Veredos* etiam instituisse, nec Suetonius, nec ex eo Gothofredus dixit: saltem res est dubia, & lis sub judice. *Cursus Publicus* sub Augusto postea fuit *Vehicularis*, sed inde non sequitur, ergo & deinceps *Vehiculari Cursu* κατ' ἀκρίβειαν comprehensos etiam veredos. Verum pergamus: Cursus dicitur etiam *Cursus Fiscalis*, a Fisco Principis, ad quem relatus erat ab Hadriano, *Spart an. Hadr.* 7. ubi forte non male Juretus ἀντὶ τοῦ *Statim*, legit: *Statum Cursum Fiscalem instituit*. Speciatim vero *Cursus* est vel *Velox*, *l.* 62. *C. T. de C. P.* Ammiano XXI. 7. *p.* 228. *Mutatio Celeris Cursus Publici*; Paullino *de vit. S. Mart. l.* IV. *Velox Evectio*; vel Tardigradus, *Cursus Clabicularis*, *Clabularis*, *Clavularis*, *Clabularius*, vel ἁπλῶς *Clabulare*, hinc inde *in C. T.* & ap. Ammianum, quod etiam *Angaria* dicitur, ut putat J. Gothofred. *in Paratitlo ad t. C. T. de C. P.* Tu confer, ut videas non male hoc conjici, *l.* 5. *C. T. de Curios.* cum *l.* 11. *C. T. de C. P.* Deinde *Cursus* fit vel *Veredis*, *Equis Agminalibus*, *Paraveredis*; vel *Vehiculis*, *Cursu vehiculari*; vel *Clabulari*, *Angariis*, *Parangariis*. unde in Cursuali re distincte appellantur: *Veredaria functio*, *Veredarii*: *Vehicula Subjunctoria*, *Rhedæ Cursuales*, *Vehicula*, *Vehicula Publica*, *Subvectio vehiculorum*; item *Carpenta*, *Carpentum rhedæ*, *Quadrigæ*, *Flagellum*, τετράκυκλα synonyma: *Carrus*; *Birota*, *Birotum*; *Clabula*, *Angarialis copia*, *Angariarum cursus*. vide J. Gothofr. *in d. paratitl.* vel *Navibus*, *Dromonibus*, (unde passim in Cassiodor. *Variis*, *Dromonariis*,) *Celocibus*: vide infra ad *S.* 54. §. 3. Notandum quoque est, in Cursu, qui Status, dispositis Mutationibus & Mansionibus, ad Viam Militarem ordinarius est, haberi & dici *Equos Cursuales*, *Veredos*, *Parhippos*, sive *Equos Avertarios*, *Vehicula publica*, *Angarias*: at ubi quidem Via est Publica, sed ad quam non est status Cursus Publicus, aut ubi de Via Militari, in qua est Cursus Publicus, in aliam Viam Militarem & Publicam, ubi non erat Cursus, divertendum erat, ibi exigi & dici *Agminales* & *Parangarias*. Hæc omnino notanda & distinguenda sunt, alias cum Pancirollo, Gutherio & Nostro in plurimis rei Cursualis itineribus a via aberrabimus ad senticeta.

IV. 4. §. 2. Herodotus.) Cujus verba adscribi merentur ipsa, quia modum Cursus a Persis instituti enarrant plane: Ὅσων ἂν ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδὸς, τοσοῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι, κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην τεταγμένοι· τοὺς οὔτε νιφετὸς, οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἔργει μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑωϋτῷ δρόμον τὴν ταχίστην· ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ· ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ· τὸ δὲ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, καθάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι· τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι Ἀγγαρήϊον. Xenophon *l. l.* ita narrat: Σκεψάμενος γὰρ, πόσην ἂν ὁδὸν ἵππος καθανύτοι τῆς ἡμέρας ἐλαυνόμενος, ὥστε διαρκεῖν, ἐποιήσατο ἱππῶνας τοσοῦτο διαλείποντας, καὶ ἵππους ἐν αὐτοῖς κατέστησε, καὶ τοὺς ἐπιμελημένους τούτων· καὶ ἄνδρα ἐφ' ἑκάστῳ τῶν τόπων ἔταξε τὸν ἐπιτήδειον παραδέχεσθαι τὰ φερόμενα γράμματα καὶ παραδιδόναι· καὶ παραλαμβάνειν τοὺς ἀπειρηκότας ἵππους, καὶ ἄλλους πέμπειν νεαλεῖς· ἔστι δ' ὅτε οὐδὲ τὰς νύκτας φασὶν ἵστασθαι ταύτην τὴν πορείαν, ἀλλὰ τῷ ἡμερινῷ ἀγγέλῳ τὸν νυκτερινὸν διαδέχεσθαι. Vides miram cum nostris *Postis* convenientiam. Cyrus iste putatur fuisse celebris ille Monarchiæ Persicæ Conditor, Danieli vati X. 1. celebratus, Judæorum fautor. *Angari* isti occurrunt quoque in libro *Esther.* III. 13. & 15. item VIII. 10. ubi ad Hebraicam veritatem vertunt Junius & Tremellius: *Misit literas per Cursores celeres, equitantes in equis angariis, regios Cursores, natos angariis*: item *vs.* 14. *Cursores equitantes in equis angariis, regii Cursores prodierunt celere & citato cursu verbo Regis; postquam jus datum est Susis in urbe regia*. Vulgatus, nec male, ponit: *Veredarios*. Οἱ ὁ. Βιβλιοφόρους. Josephus *A. J.* XI. 6. de Artaxerxe loquens: διέπεμψε δὲ τοὺς Ἀγγάρους λεγομένους εἰς πᾶν ἔθνος. Suidas vero *hac voce* Ἀγγάρων a Persis appellatos scribit τοὺς τοῦ Βασιλέως ἀγγέλους, & esse τοὺς ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόρους. Idem Hesychius ait, *h. v.* esse λέξιν Περσικὴν, additque esse τοὺς ἐκ διαδοχῆς Βασιλικοὺς γραμματοφόρους: quod vero hanc vocem Beza, Vir acutissimus, ad *Matth.* V. 41. ab Hebraico נגש deducat per metathesin, viderit ipse: alias etiam Persica voce dicti *Astanda*: Suidas *h. v.* Ἀστάνδαι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι· οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι· τὰ δὲ ὀνόματα, Περσικά. Hesychius *h. v.* Ἀστάνδης, ἡμεροδρόμος. Forsan conjicere licebit *Astandas* fuisse *pedites Cursores*; nam *Angaros* esse *Cursores equites* constat ex modo laudatis locis Herod. & Xenophon. Fuit vero vile & ignobile officium, ac in *pedite* adhuc vilius: unde

emphasis accedit Plutarchi verbis de Dario Codomanno loquentis, cum ait *de Fortun. Alex.* I. I. *Δαρεῖος ἦν σὸν ἔργον, ὅν, ἐκ δούλου καὶ ἀστάνδου Βασιλέως, κύριον Περσῶν ἐποίησας*. Alexander hic Fortunam alloquitur, & Darium refert inter illos. Juvenalis III. 39. & 40.

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

desidero enim hic judicium Viri doctissimi Barn. Brissonii *de Regn. Persar. l.* I. *p. m.* 148. *edit. H. Commelin.* 1595. & qui sua pleraque tacite sublegit ex laudato Brissonii libro, Guil. Burtoni, is enim est auctor *Leipsanor. Ling. Vet. Persicæ Londin.* 1657. *p. m.* 70. qui ex Plutarchi verbis, quod Darius fuerit Ochi & Arsis Astandes, nobile munus Astandis faciunt, contra mentem ipsius Plutarchi. Habuerunt etiam Persæ, ut sic loquar, Nuncios Vocales miræ celeritatis: audi Diodorum Siculum in rebus Eumenis *Bibl. Hist. lib.* XIX. *ed. Steph. pag.* 680. *Wechel. p.* 666. ex versione Rhodomani: *Etsi autem de Persis aliqui* XXX. *dierum itinere aberant, id tamen, quod denunciabatur, eo ipso die audierunt, idque propter artificiosam excubiarum distributionem, quod præterire haud decet. Persia longis convallibus intercisa est, ac speculas habet celsas & frequentes, in quibus collocati erant ex incolis, qui voce maxime valerent. Divisis enim ad vocis auditum illis locis, qui mandatum exceperant, eodem modo cæteris tradebant: illi vicissim aliis, donec ad finem usque Provinciæ res tradita perferretur.* Cæterum quoniam hic versamur in antiquitate Cursus Publici, licet nonnulla addere. Apud Hebræos & Sinas fuisse eum constat ex nonnullis locis Sacræ Scripturæ, & Sinarum monumentis: vide ex gr. II. *Reg.* XI. 4. 6. II. 19. de Sinis vero passim testes Mendosa, Tagautius, Martinius, Kircherus, Le Comte. De Catajorum Cursu Publico omnino meretur legi M. Paull. Venet. *de Reg. Or.* II. 23. & 24. Ingæ Reges in Peruano vasto illo Americæ tractu, testibus P. Cieca I. 42. Augusti. Sarar. I. 14. habebant quoque Cursores. Iis casulæ dispositæ, per Publicas regni Vias erant, dimidiati milliaris quæque intervallo. In casulis duo Cursores, cum sua quisque uxore agebant. Re igitur aliqua nuncianda, ad primum illum voce, nam literis carebant, deferebatur, quicquid hoc erat: ille cursu intento a sua casula ad proximam pergens, jam vicinior alta voce hoc ipsum inclamabat, atque alter accipiens item pergebat ad proximam, ac sic per manus ad fines regni, tanta celeritate, ut Hispani Scriptores fateantur, omnium equorum cursum ab iis superatum: narro fide Lipsii *Epist.* III. 59. Nec dissimilis ratio Veterum Gallorum, de qua Cæsar *de B. G.* VII. 3. legatur. Græcorum, de *Hemerodromis* vid. Lips. *l. l.* Liv. XXXI. 24. qui *Speculatores*, a *specula*, reddit. Nepotem *Miltiad. c.* 4. *ibique Commentatores.* Nec prisci Ægyptii Cursu Publico destituti fuisse videntur: colligo ex Diod. Sic. *Bibl.* I. *p.* 44. *St.* 63. *Wech.* ubi narrat, Regi *sub auroram experrecto literas undecunque scriptas omnium primo acceptandas fuisse, ut omnia rectius moderari posset, si exacte singula regni negotia comperta haberet.*

IV. 4. §. 3. *Angara.*) Suidas *h. v.* *Ἀγγαρεία, ἀνάγκη ἀκούσιος, καὶ ἐκ βίας γενομένης ὑπηρεσία.* David de Pomis *in Zemach David h. v.* אנגריא, עול I. *Φορτίον, jugum*: non adeo bene Munsterius *in Lex.* reddit *habitationem, mansiunculam.* Eustath. *ad Odyss. T.* *Ἀγγαρεύεσθαι τὸ εἰς φορτηγίαν, καὶ τοιαύτην τινὰ ὑπηρεσίαν, ἄγεσθαι.* & *ἀγγαροφορεῖν; τὸ φορτία φέρειν.* rationem *ἀγγαρείας* ex Isaaco Satizan, & Salomone Jarchide optime narrat Drusius *ad Matthæi* v. 41. *Ratio Angariæ est, cum aliquis aufert asinum, hujus domino sequente illum, & omnem asinum primum occurrentem aufert, & restituit priorem ei, cujus est; secundus autem sequitur asinum suum, donec obviam fuerit factus alius:* adde Bezam *ad Matth. ll. ll.* & Dion. Gothofr. *ad l. l.*

IV. 4. §. 4. *Sed non solum* &c.) Distingue clarius: Angariæ sunt I. *Operarum*, sequioribus sæculis *manopera* dictæ; 2. *Animalium*; sic Paullin. *Epist.* 37. *n.* I. *Jumentum angariavit in Vias duras.* 3. *Vehiculorum*, plaustrorum: Marculfo *Carrorum angariæ*, & sequioribus sæculis *Corropera* dictæ, 4. *Navium l.* 4. §. I. *ff. de Veteran.* ubi vide Dion. Gothof. Vide Salmas. *ad Capitol. Pium c.* 12. Stevvech. *ad Veget.* I. 3. Car. du Fresne *Glossar. h v.*

IV. 4 §. 4. *A Clabulo.*) seu *Clavulo*: non a *clavis*, quibus undique confixum esset, quam potius a *clava* seu *clavula*, quæ est talea, vel ramus ex arbore decisus, teste Varrone *de R. R.* I. 40. & ex eo Nonio, *in Talea*, qui legit *Clabulas*, & *scissiones vel præsegmina lignorum* interpretatur: fuit ergo Currus onerarius non affabre factus: non quales rhedæ, carpenta, *δίφρα*, aut honoratiorum vehicula, verum ex clavulis nudis, taleis, prosegminibus lignorum constans; *un charret a bœufs*, quales hodie in opere rustico. J. Gothofredus *ad l.* 23. *C. Th. de C. P.* ex quo, silens indicem, hoc fere transscripsit candidissimus alias Zieglerus *de Jur. Maj.* II. 18. §. 6. retento etiam vitio typographico, *in ed. Gothofr. τῶ Cursus onerarius, ἀντὶ τῶ Currus.*

IV. 4. §. 5. *Cursus Publicus a quo & quando* &c.)
„ Origo paullo altius (quam ab Augusto) arcessenda est. Magistratus olim Romani ad exercitus & provincias profecturi, Mulis, Tabernaculis, aliisque instrumentis itineris e publico instruebantur. Soli Legati, qui repente aliquo mittebantur, singula jumenta per oppida, qua iter faciendum erat, exigebant. Primus L. Postumius Cos. A. U. C. IϽLXXXI. iturus in Campaniam ad agrum publicum a privato terminandum, Prænestinis infensus, cum publicum sibi hospitium, tum jumenta parata, cum inde exiret, imperavit. Inde similis continuo & major etiam licentia usurpata a sequentibus Magistratibus. Livius, ubi superiora commemorasset, XLII. I. *jus velut probato exemplo Magistratibus fecit graviorum indies talis generis imperiorum.* Ergo prima illa origo Rei vehiculariæ impensis sociorum ac privatorum; quanquam a principio tenues essent & extraordinariæ, occasione subitarum Legationum, dein sola libidine ac licentia Magistratuum niterentur. Ab Augusto postea, quo celerius nosceret statum Provinciarum, Vehicula per publicas Vias disposita; atque ita inductus Vehicularis Cursus, hinc inde, ad Principem aut a Principe commeantium, quam eandem moris hujus caussam & originem secus Trajano tribuit Victor (*de Cæss. p. m.* 224.)
Hæc Illustr. Spanhemius *de P. N. diss.* 9. *p. m.* 801. Victorem quoque, quasi tradat Cursum Publicum a Trajano institutum, sequitur Guth. *de O. D. A.* III. 14. at Victoris verba commodius possunt intelligi de restituto & melius disposito per Trajanum Cursu: ait enim: *Noscendis ocyus, quæ ubique e Rep. gerebantur, admota* (non dicit primum *instituta*) *media publici Cursus: quod equidem munus satis utile in pestem Orbis Romani vertit posterorum avaritia insolentiaque.* Nam a Nerva, teste nummo illius obvio, in quo muli clitellis depositis libere pascentes exprimuntur, quem depingit Spanhemius *l. l. p.* 800. VEHICULATIO ITALIÆ fuerat REMISSA, id est, aliqua aut maxima aut omni ex parte remisso onere præbendi animalia ad Cursum Publicum Itali sublevati erant.

IV. 5. §. 5. *Putant nonnulli* &c.) Loci qui id videntur approbare sunt ap. Liv. XXXVI. 21. XXXVII. 7. XLII. 1. Cæsar. *de* B. G. III. 11. & 101. Sed Lipsius *Epist.* III. 59. recte, a privatis sic equos fuisse elocatos lucelli caussa, (vide Sueton. *in Cæs. c.* 57.) præsertim Magnatibus: at ab Augusto institutum Cursum publicum & statum: nec Angariæ Legatorum olim fuerunt statæ & ordinariæ, *si repente mitterentur*, tum *singula jumenta, per oppida, iter qua faciendum erat, imperabantur.* At *Statores*, de quibus mox noster agit, sunt proprie apparitores Proconsulum & Præsidum: quos sustulit tandem Severus, ut Provinciis graves, teste Ulpiano *in l.* 4. *§.* 1. *de Offic. Procos.* si ibi recte *ἀντὶ τῶ Stratores* legit *Statores* Torrentius *ad Horat. Sat.* I. 9. *vs.* 39. *Stationes* vero Cursuales in libera Rep. ante Augusti tempora non observo.

IV. 4. §. 6. *Juvenes primo* &c.) Noster hac periphrasi hunc locum enarravit: *Ces jeunes gens (comme lacquais) courroient à pied avec les pacquets de l'Empereur, qu'ils portoient de l'une des stations à la Poste prochaine: où ils en trouvoient des autres tous prests à courir, ausquels ils donnoient les pacquets de main en main, jusques à ce, qu'ils fussent parvenus où ils estoient envoyez.* Verum enim vero dubium est, num *juvenes* illi *pedestri itinere* cursum confecerint, an vero per equos hic illic dispositos, aut forsan a Provincialibus conquisitos & exactos. Suetonius certe non ait speciatim illos, *pedites* cursum fecisse, sed generatim, *juvenes modicis intervallis fuisse dispositos*: videtur ab Augusto certe hic cursus cum onere Provincialium institutus, ut Magistratus Municipales, adveniente quandocunque tali *juvene* vel *famulo publico cursore*, a suis Provincialibus, Oppidanis, Vicinis, animalia exigerent, & ad iter conficiendum cum Hippocomis exhiberent. Colligo hoc ex Plutarcho *in Galba cap.* 10. ubi de interregno, quod inter Neronis necem & Galbam nondum confirmatum intercessit, ita narrat inter alia: *Cum publicos famulos Coss. destinassent, qui decreta ad Imperatorem* Galbam *perferrent, iisque obsignata diplomata tradidissent, quibus agnitis singularum urbium Magistratus dispositis vehiculis iter tabellariorum accelerarent, haud mediocriter indignatus est* Nymphidius Sabinus, qui ipse Imperio avide inhiabat, *quod non ab ipso, militibus sigilloque acceptis, missi essent.* Cæterum de varia ratione perferendarum literarum præter homines, equos, etiam per *columbas, canes*, vide Lipsium *Ep.* III. 59. *Saturn.* II. 5. *Plin.* X. 37. cui adde Hoernigk *de Jure Post c.* 7. qui & *Cervos* binos commemorat ad cursum publicum eruditos: quibus addi possent *Rangiferi* Lapponum, de quibus *Olaus M.* XVII. 11. Principibus vero rei Cursualis studiosissimis adscribe Theodericum, primum Ostgothorum in Italia Regem, ut licebit videre ex ejus Edicto, quod habet Goldastus *Constit. Imp. t.* III. *p.* 134.

IV. 4. §. 6. *Augusti Successores* &c.) „Mansit „sub sequentibus Cæsaribus, sed variis subinde „mutationibus obnoxius: dum idem a privatis ad „fiscum translatus; aut ejus onere sublevatæ cer„tæ tantum Provinciæ, aut plures leges identi„dem latæ, quibus ejusmodi Cursus Publici com„modis consultum; cautum de provisu, cura, ali„mentis animalium publicorum; & restricta vel „ampliata iisdem utendi licentia. Spanhem. *l. l.* cujus ductum hic porro sequemur, sed admiscendo nonnulla alia ad institutum nostrum attinentia: sic Nerva hoc onere Italos, non autem Provinciales, sublevavit, teste nummo laudato: Trajanus iterum *admovit media Publici Cursus*; Hadrianus teste Spartian. *in ejus vit. c.* 7. *Cursum Fiscalem instituit ne Magistratus hoc onere gravarentur*; hoc sensu, ut hic *Cursus Fiscalis*, id est, *Fisco obnoxius* redditus, ut loquitur Imp. Constantinus *in l.* 1. *de Numerar. Actuar. C. Th.* non Provinciales, sed Magistratus maxime immunes præstiterit; ne amplius animalia sua præbere aut aliorum conquirere cogerentur: exacta igitur sine dubio adhuc fuit collatio a Provincialibus, ad Cursus Publici instructionem: aut hoc sensu, ut Hadrianus curam Cursus Publici, quam antea gerebant Rectores Provinciarum ac Magistratus Urbici, ut ex Plutarch. *l. l.* vidimus, ad *Fiscum* traduxerit, constitutis certis Viris per singulas Provincias, qui in posterum nomine Principis sollicitudinem illam in se reciperent, pro qua curatione ex fisco acciperent Salarium annuum: hinc in Provinciis instituti videntur illi *Præfecti vehiculorum*, quorum mentio *in l.* 4. *C. T. de C. P.* & sæpe in Inscrr. vide Gr. 373. 4. 454. 3. 493. 3. 440. 3. adde *Tabularios a Vehiculis* 592. 3. & *a commentariis Vehiculorum* 592. 4. Ita scilicet Magistratus cum Romani populi, tum civitatum gravi onere liberati, quod, quanquam impensis Provincialium, in speciali provisu & cura Cursus Publici ipsis incumbebat: hæc enim cura, varia secum onera importabat: Magistratus enim debebant conquirere & comparare animalia & dare operam, ut pabula subministrarentur: generalis tamen cura & administratio Provinciæ ut erat penes Præsidem, ita & generalis ἐπισκοπὴ rei Cursualis penes illum fuit: hinc legimus Præsides Provinciarum præfuisse Cursui Publico, vid. *l.* 4. *C. Th. de Curs. Publ.* Errant itaque illi, qui putant, Spartiani verba velle, Cursus Publici beneficium & licentiam Magistratibus communem esse factam, ne in itinere faciendo suorum sumtuum onere gravarentur: quæ torta sunt. Antoninus Pius *Vehicularium Cursum summa diligentia sublevavit*, teste Capitolino *in Ej. vit. c.* 12. *sublevavit*, inquam, Provinciales, facta aliqua remissione oneris Cursualis, verbi gratia, aut diplomata sive licentiam Publici Cursus usurpandi paucis concedendo: aut Stabulorum, Pabulorum, Animaliumve comparandorum onus, pro locorum situ, remittendo: aut familiam Cursualem seu Muliones, Carpentarios, Veredarios, aliosque id genus e fisco alendo: aut alios qualescunque abusus in Cursu Publico tollendo, ut minuerentur, non tamen ut omnino tollerentur, onera ac impensæ Provincialium. Severus tandem *Vehicularium munus a privatis ad Fiscum traduxit*, teste Spartiano *in Sever. c.* 14. id est, totam illam Cursus Publici rem & impensas Fisco imposuit. Hinc apud Dion. *in Excerptis lib.* LXXVIII. *Macrinum* sub Severo *Vehiculis Principis* (notanter, quia ad Fiscum traducta erant) *quæ disposita erant Via Flaminia ad Cursum, Præfectum* legimus. Sed beneficentia hæc Severi aut non fuit diuturna, aut non universalis, aut a secutis Impp. revocata est in certis Provinciis, ad quas proinde nonnullæ leges in *C. J.* & *C. Th.* super re & onere Cursuali sunt referendæ. Onerosissima sane Provincialibus erant, conquirere & comparare Animalia, Pabula subministrare, exstruere stabula, de vehiculorum Opificibus, Mulionibus, Mulomedicis, Carpentariis, Veredariis, Hippocomis & similibus providere: huc adde licentiam & abusum onerantium vehicula; Animalia iniquius tractantium; deducentium per Vias vetitas: item frequentiam hæc & talia sæpe subministrandi, evectionum vetita commercia, & plura alia incommoda, quæ plenius enarrant Libanius *Orat. Funebr. Julian.* & Gregorius Nazianzenus *in Carm. de vit. sua*, ubi *Sasimorum*, Patriæ suæ, tanquam unius e Mansionibus publici Cursus, hinc orta incommoda deplorat. Hisce tamen incommodis obviam ire voluerunt subinde sequentes Impp. variis Constitu-

tionibus, quibus aliqua ex parte *sublevatus* fuit *Cursus Publicus*, modum & mensuram illius nec non numerum vehiculorum & vehendorum in his, item pondus iisdem imponendum definiendo, Vias ad præscriptum limitando, cautelas in Vehiculatione concedenda aut usurpanda, item Evectionum necessitatem præscribendo; tandem constituendo certos homines, qui omnium horum curam gererent, & e fisco annonas ac mercedem acciperent. Sic Valerianus scripsit Ragonio Claro, Præfecto Illyrici & Galliarum: *Dispositionem Balistæ prosequere. Hac in forma Remp. vides, ut nec ille Provinciales gravet, ut illic equos contineat, ubi sunt pabula; illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta: non provincialem, non possessorem cogat illic frumenta, ubi non habet, dare; illic equum, ubi non potest, pascere: nec est ulla alia provisio melior, quam in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumtibus Remp. gravent*: teste Trebellio Pollione *in Balista* Constantius quomodo sublevarit variis modis Cursum Publicum, docebunt passim tituli *de Curios.* & *de Publ. Curs. C. Th.* imo Ammian. Marcellinus XXI. 15. *sive in fin. libr. p. m.* 245. de Constantio: *In* Christiana religione *scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusius aluit concertatione verborum, ut catervis Antistitum,* (Episcoporum Christianorum,) *jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, Rei Vehicu lariæ succideret nervos*. Fuerunt tamen hujus Imp. tempore quædam adhuc *Provinciæ, in quibus Cursus a Provincialibus exhibebatur*, ut diserte legitur *in l.* 5. (quæ Constantii est Constitutio) *C. Th. de Curios.* Ergo etiam quædam erant Provinciæ, in quibus e Fisco Cursus exhibebatur, ut in Africa: vid. Spanhem. *p.* 804. Julianus quoque Imp. Rem Vehiculariam sublevavit teste Socrate *H. E.* III. 1. qui tradit Mulorum, Boum & Asinorum cursum sublatum ab eo statim inter initia imperii: vide infra ad *sect.* 10. § 9. at Libanius *l. l.* rectius, duntaxat modum præscriptum, & in meliorem formam circa eadem animalia redactam ab eodem Vehiculationem tradit: idem in προσφωνητικῷ *ad Julian. ipsum p.* 1082. Ἵππων δὲ καὶ ὀρέων διαδοχὰς ὑπὲρ μεγίστων δὴ τὸ πρῶτον συστάσας, τριβομένας ἔπαυσας ὑπὸ τῶν ἐλαυνόντων i. *Equorum & mulorum mutationes ad maximas res principio constituens, attritas eas commeantibus vindicasti*: quibus consonant ipsius Juliani constitutiones, ut *l.* 12. *pr.* scripta ad Mamertinum PF. P. *in C. Th. de C. P. Quoniam Cursum Publicum fatigavit quorundam immoderata præsumtio, & Evectionum frequentia, quas Vicaria potestas & Præsidum atque Consularium officia prorogare non desinunt, curam ac sollicitudinem hujus rei nos subire compulsi, faciendarum Evectionum licentiam cunctis abduximus*. Item *l.* 14. *d. t.* ad eundem PF. P. ubi modum Evectionis non egrediendum neque parhippum exigendum jubet: item *l.* 15. *d. t.* ad Avitianum Vicarium Africæ severe vetat, *parangarias aut paraveredos in Civitatibus ad Canalem commoveri, quo nimirum marmora privatorum vehiculis Provincialium transferantur*; addita laudabili ratione, *ne otiosis ædium cultibus, Provincialium patrimonia fortunæque lacerarentur*: iterum *l.* 16. ad Mamertinum P. P. ubi, *in Provincia Sardinia, in qua nulli pæne discursus veredorum, seu paraveredorum necessarii esse noscuntur, ne Provincialium status subruatur, memoratum Cursum penitus amputari decernit, quem maxime rustica plebs, id est, pagi, contra publicum decus, tolerarint*: consule ad *d. ll.* Jac. Gothofredum: adeoque verum est elogium, quod Juliano tribuit Eutropius *lib.* x. *sub fin. p. m.* 364. fuisse *in Provinciales justissimum*. Cæterorum Impp. in re Cursuali statuta videantur in utroque *C. J. & Th.* quibus adde illa Theodorici & Athanarici Regum apud Cassiodor. *in Variis, passim*. Tandem vero Justinianus *sublato veredario* (imo *Cursu*, καθελὼν δρόμον) *qui Chalcedone Dacibizam movebat, omnes adegit Byzantio Helenopolim usque lintribus exiguis, quibus fretum trajicitur, vehi, in discrimen subito commovendæ, ut fit, tempestatis adductos: neque enim, ubi ipsa urget, necessitudo tempus, futuramque malaciam observes & opperiare. Cursum in Persidem, ut antea, esse permisit: per reliquam vero Orientis plagam adusque fines Ægypti, in diurno viæ spatio unicum, non equorum, stabulum, sed aliquot asinorum constituit. Quamobrem quæ in Provinciis geruntur, sero & post factum renunciatis, adhibendo remedio locus non est; hinc & prædiorum possessoribus gravi dispendio perditi vel temere abjecti commeatus*: namque *agrorum omnium, etiam mediterraneorum, possessores amplissimam rem domi faciebant; nam promercales fructus alendis equis & stabulariis ingenti ære reportato Quæstoribus quotannis vendebant: hinc etiam erat, ut a singulis stipendiariis publica in ærarium perpetuo inferrentur; ex illatis statim æs debitum ii perciperent, omniaque fierent e re publica*. Porro *ingens etiam numerus camelorum ab antiquo publice alebatur, qui militem in expeditionem secuti impedimenta conveherent, ne ad id cogerentur coloni, vel necessariorum quidpiam militem deficeret. Hos etiam Justinianus ademit fere omnes*: locutus hic sum verbis Procopii *ex vers.* Nic. Alemanni, in Ἀνεκδότ. *sub fin.* Ergo Cursus Publicus sub Justiniano ad solos Veredarios redactus fuisse videtur, sublato aliorum publicorum Animalium ad Vehicula usu. Hoc etiam reperio, quod, cum prius *Nov.* 8. *c.* 3. *Vicarium Ponticæ* sustulisset, & in *Comitis Galatiæ primæ* nomen transtulisset; postea vero revocasset *Vicarii Pontici tractus magistratum, & Galatiæ primæ magistratum* ad pristinum statum redegisset, *Edict.* B. C. 3. § 2. *fin. addiderit illi mulas etiam* (quibus forte ad Cursum publicum utebatur) *quot quondam Vicario assignatas, nunc Provinciæ Præses in usus suos & ministerium percepisset. Cum enim hic aliud nihil quam civilis magistratus sit, superfluum ipsi Præsidi illarum usum esse; Spectabili vero Vicario, ut qui hac illac circumcursare debeat, necessarium illarum ministerium esse*. Quia autem hic Imp. Cursum Publicum ad *Veredarios* redegit, Vehiculari Cursu sublato, hinc patet, cur a Triboniano *in Cod. Just.* omissæ sint superiorum Impp. constitutiones, quibus de Quadrigis, Rhedis Mularibus, Birotis, Jumentorum numero quibus traherentur, aliisque id genus agebatur, & quæ *in Cod. Theod.* leguntur. Atque ita quidem se habuit res Cursualis ab Augusto ad Justinianum.

IV. 4. § 8. *Primus ergo* &c.) Non placet hoc Andreæ Quercetano, sive du Chesne *in Not. ad Bibl. Cluniac. p.* 46. ubi refert, mentione *mutatoriorum equorum* in veteribus Franciæ Scriptoribus nihil frequentius existere, in eamque rem tum *Historiam Coss. Andegavensium*, tum Marculfi *Formul.* I. 11. ad testimonium vocat: respondet Ziegler. *de Jur. Maj.* II. 18. § 26. rectissime „ Cursum Publicum, qualis olim usitatus fuit, etiam in Francia frequentem fuisse; Magnates etiam equos mutare solitos; id tamen nequaquam facere, ut statuatur, nihil novi a Ludovico XI. institutum; magnum esse discrimen inter veterem *Cursum Publicum* & *Postas* hodiernas; nec esse, ut erroris arcessatur aut inscitiæ Cominæus, vir in suæ gentis moribus versatissimus; nec, si quis per dispositos & mutatos equos olim cucurrisse legatur, illico de *Postis* more hodierno esse somnian-

„ dum. Hæc Zieglerus: ita etiam sentit Lipſ. *Epiſt.* III. 59.

IV. 4. ad *§.* 10.) Habet ex Pancirollo *ad N.* 1. 1. 6. *fin.* ſed Chalcondylas hæc addit: *Corpus ſuccingunt, ne doleat in curſu. Ex Peloponneſo Hadrianopolin ſcimus regios iſtos curſores veniſſe, intra* V. *dies: quod iter* XV. *dierum ſpatio ægre eques peregerit etiam feſtinus & expeditus*: ait *Vlacidas* appellari. Alii ab his *Peichi*, qui *in comitatu Principis & antecurſores, cum opus eſt, huc illuc mittuntur: tanta velocitate currentes cum ſecuricula in manu, & item phiala odoratæ aquæ, ut adfirment, eos Byzantio Hadrianopolim die ac noctu perveniре: quod intervallum eſt milliarium Romanorum circiter CLX.* Lipſ. *l. l.* quicum Henr. Mullerus *in Hiſt. Turc. Germanice edita part.* IV. 11. 18. plane convenit, qui tamen eos paullo accuratius depingit.

IV. 5. §. 1. *Triplices* &c.) Adde Briſſonium & Hottomanum *in Lex. Jur. h. v* Gloſſar. Vet. *Angaria*, Περιεργασία, ἀκουσία ἐργασία.

IV. 5. *§.* 3. *Ad opus Viarum* &c.) Vide ſupra I. 10. §. 9.


IV. 5. *§.* 4. *Adſcribemus locum ex Procopii* &c.) Debet eum Pancirollo, *l. l.* & hic accepit a Pinello. Verſio autem Pinelli diverſa eſt a verſione Alemanni, quæ ita ſonat: *Quam denique ad Reip. utilitatem incumberet* Juſtinianus, *in publicos Veredarios* (Gr. Δρόμον τ̃ δημόσιον, quod recte monet Ill. Spanhemius *de P. N. p. m.* 802. non ſatis accurate vertit *Veredarios*, qui tantum pars *Publici Curſus*, de quo hic agit generatim Procopius: ſed quod idem V. Ill. dicat, *inſignem hunc Procopii locum a Viris Doctis præteritum*, non ſatis aſſequi me fateor, qui video eum Pancirollo, Noſtro, Aliis olim laudatum) *& Exploratores conſtituta, argumento ſint. Nam priores Romani Principes, ut quam celerrime ex nunciis cognoſcerent, quæ qualibet in Provincia hoſtes molirentur, quæ in ſingulis municipiis ſeu ſeditione, ſive improviſo quocunque caſu accidiſſent, quæve Præfecti ac reliqui Prætores per Romanam ditionem agitarent; utque annua vectigalia comportanda citra moram in tuto eſſent, Publicum citumque curſum paſſim ita conſtituerunt. In Via, quam diurno itinere expeditus viator conficit, octona ferme ſtabula, alibi pauciora, infra quinque nuſquam, poſuere. In ſingulis ſtabulis equi diſpoſiti ferme quadraginta, & ad equorum numerum ſtabularii. Ergo quorum negotium hoc eſt, ii equis quam exercitatiſſimis aliis aliunde ſuccedentibus feruntur, curſuque diurno decem nonnunquam dierum viam evadunt, ad ea, quæ dixi, peragenda*: ex Collatione apparet, Pinelli Codicem Græcum nonnihil diverſum fuiſſe a Codice Alemanni: tres tantum Codd. Mss. per orbem reliquos fuiſſe tradit Alemannus, 1. *Vaticanum*, quo Alemannus eſt uſus; 2. qui ex Bibliotheca Joh. Laſcaris CP. ad Laur. Medicem allatus a Catharina Medicea Regina in Galliam aſportatus ſit, quem tamen Galli hodie in exteris Bibliothecis requirant: 3. Codicem hunc Pinelli, ſed qui naufragio perierit: vide Joh. Eichelii *præf. ad* Ἀνεκδ. *§.* 15.

IV. 6. §. 1. *Alia nomina* &c.) Uti, præter dicta, ſunt: *Flumina, Fluvii, Montes, Oppida, Pontes, Fontes, Trajectus, Lacus, Horrea, Valles, Turres, Promontoria, Hydreumata, Aquæ, Thermæ, Tabernæ, Lapides, Fana, Scenæ, Arbores, Pagi, Statuæ; Ripæ, Prætoria, Fines, Caſæ, Cellæ, Foſſæ, Stabula, Aræ, Luci, Interamnia, Ventæ*, & talia plura, quæ paſſim in *Itin. Ant. Tab. Peut. Itin. Burdegal.* & cæteris præterea tam Geographis, quam Hiſtoricis occurrunt. Hæc & ſimilia longe plurima vocabula docte expoſita videbis in Auguſtini Lubini bonæ frugis libello Gallico, quem inſcripſit: *Mercure Geographique, ou Le Guide du Curieux des Cartes Geographiques, Pariſ.* 1678. qui liber ad inſtar Gloſſarii Geographici literarum ordine diſponi, verti & altero tanto augeri facile poſſet, ad ingens Reip. literariæ & Geographiæ incrementum.

IV. 6. §. 2. *Villa.*) Varro *de L. L. l.* IV. *p.* 11. innuit quaſi *vehillam* dici, quod ibi *fructus convehant*: vide Iſidor. *Etymol.* XV. 2. ubi etiam de *Vico* ait, quod *vias habeat tantum ſine muris*, & quod ſit *vice civitatis*: de *Pago* idem ait & *Conciliabulum* dici: dictus olim, quod *eodem* πάγᾳ *fonte* (forte ad quem ſacra facerent) uterentur, teſte Feſto *h. v.* Noſter minus accurate *Pagum* cum *Vico* commiſcet. *Vicus* eſt congeries, ut ſic dicam, ſive ſocietas *villarum*; *Pagus* vero *Vicorum*.

IV. 6. §. 3. *Manſiones.*) Sic Juſtino XIII. 8. ubi vide Berneccer. plene Liv. XLIV. 38. *Caſtra, in quibus hac nocte manſimus*. Porro de *Caſtris* confer Veget. *de R. M.* III. 8.

IV. 6. §. 5. *Caſtella* &c.) Apponam lucis majoris gratia e notis Freheri ad Auſonii *Moſell. vſ.* 11. iſta: „*Caſtellum Nivomagi*, Ducis Prætorium, „ loco edito & opportuno ſitum, hinc Moſellæ al„ veum, inde jugi dorſa circumquaque circum„ ſpiciens, foſſa cinctum: in eo turris rotunda, „ ipſiſſimum Romanorum opus, ingentibus qua„ dris exſtructa, in fundo ſolida, rupi impoſita: „ quam murus cum pinnis ambit, quadratas tur„ res circum habens, opere firmiſſimo, nec hu„ mana vi facile ſolvendo. *Subjicit deinde*, ſcul„ pturam e marmore inſignem, in qua miles pelta„ tus intra caſtellum, juxta turrim illam rotun„ dam, excubias, ut videtur, agens:



Addit: „Extra Caſtellum, & circa, caſæ humi„ liores, antiqui & ipſæ ædificii, veteres militum „ ſtationes & tuguria, præſidium Ducis vallantes: „ hodie popularium domus. Inde Via ſtrata ſilice „ & glarea *Kirchbergam* ducens, *Via Caligulæ* a „ quibuſdam vocatur. Cæterum de *Caſtellis* nota verba Vegetii III. 8. *Inter præcipua convenit Ducem providere, ſive in Caſtris ſive in Civitate conſiſtat, ut animalium paſcua, ſubvectio frumenti cæterarumque ſpecierum, aquatio, lignatio, pabulatio ſecura ab hoſtium reddatur incurſu: quod aliter non poteſt evenire, niſi per loca idonea, qua noſtrorum ambulat commeatus, Præſidia diſponantur, ſive illæ Civitates ſint, ſive Caſtella murata: quod ſi non reperitur antiqua munitio, opportunis locis circumdata majoribus foſſis Tumultuaria Caſtella firmantur: nam a Caſtris diminuto vocabulo ſunt nuncupata Caſtella. Intra quæ in agrariis* (lege cum editt. vulg. & Codd. quibuſdam Mss. *angariis*, & confer *Notata ad ſect.* 13. §. 9.) *aliquanti peaites equiteſque degentes tutum iter commeantibus præſtant.*

IV. 6. §. 6. *Verum mihi videretur* &c.) Sed iſtæ diſtantiæ non conveniunt veritati: quidni eadem Ala diverſis temporibus in diverſis locis fuerit? quidni eidem Legioni adſcriptæ Alæ potuerint diſtribui in diverſa loca?

IV. 6. *§.* 8. *Hydreuma.*) 1. Aquatio, vide Salmaſ. *Exerc. Plinian. ed. Ultraj. p.* 351. 352. 834.

A

ubi exempla adfert, quod ponatur pro locis, in quibus est aquatio: dicuntur elegantius Græce: Ὑδρεῖα.

IV. 7. §. 4. *Sed integram nationem* &c.) Vide Justellum *in Not. ad Cod. Ecclef. univ. p. m* 184.

IV. 7. §. 4. *Verum deinde* &c.) Hic Lector præponat signum sive notam §. 5. quam, dum Bergierium verto attentius, serius animadverti ab eo omissam.

IV. 7. §. 6. *Urbis & Oppidi.*) de *Civitatis* & *Urbis* differentia videndus Nonius *p. m.* 208. de *Oppidi* & *Urbis* Ausonius Popma *de Diff. Verbor. lib.* III. *p. m.* 179. *in voce*: *Oppidum*. adde optime de his Vocibus scribentem Aug. Lubinum *Merc. Geogr. p. m.* 132. *& seq.* 134. *& seq.* 148.

B

IV. 7. §. 8. *Hinc in Cæsaris Commentariis* &c.) adde locos *de B. G.* I. 31. II. 28. III. 17.

IV. 8. ad §. 1. & seqq.) Noster hic & in sequentibus usus est Sigonio *de Jure Italiæ* II. 1. *& seqq.* quem confer *T. A. R. t.* II. *p.* 1455. *& seqq.*

IV. 8. §. 2. *Coloniæ autem deducebantur* &c.) vide Lipf. *de Magn. Rom.* I. 6.


IV. 8. §. 3. *Municipes* &c.) Sicul. Flaccus *de Condit. Agror. p. m.* I. *Municipia quidem putant a munitionibus dicta, alii a munificentia, eo quod munificæ essent civitates.* Isidor. *Etymol.* XV. 2. *Municipium est, quod manente statu civitatis jus aliquod minoris aut majoris officii a Principe impetrat: dictum autem Municipium a muniis, id est, officiis, quod tantum munia, id est, tributa debita vel munera reddant: nam liberales & famosissimæ caussæ, & quæ ex Principe proficiscuntur, ibi non aguntur: hæc enim ad dignitatem civitatum pertinent.* Festus *in Municeps*: ejusque lacerator Paullus *in Municipium*: *Item Municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere,* (addit Paullus, *nec suffragium ferre,*) *sed tantum muneris partem. At Servius filius ajebat initio fuisse, qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper rem publicam separatim a populo Romano haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque & cives Romani erant & in legione merebant, sed dignitates non capiebant*: addit Paullus secundo eos, *quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, uti* sunt *Aricini, Cærites, Anagnini*: tertio eos, *qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia essent suæ cujusque civitatis & coloniæ, uti* sunt *Tiburtes, Prænestini, Pisani, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses.*

C

IV. 8. §. 4. *Ex hoc Ulpiani loco* &c.) Vellem noster Bergierius, qui Themidis Sacerdos fuit, ipse fecisset indicium, ubi legeretur: sed hæc indicia passim neglexit: nec ego aliis Sacris addictus habito in Astrææ penetralibus: ausim tamen quovis pignore contendere, ab Ulpiano ista ne per somnium quidem usquam dicta, picta, aut ficta. Sunt enim duo loci, alter ex Siculo Flacco *de Condit. Agror. p. m.* 21. alter ex Festo *in Præfectura*, αὐτολεξεί, sed male, coassati & consarcinati.

IV. 8. §. 5. *In Itinerario* &c.) Noster hic minus accuratus fuerat: adde in Hispania *Forum Ligneum p.* 102. *Forum* ἁπλῶς in eadem, *p.* 97.

IV. 8. post §. 5.) Ex Auctoris instituto & monitu verbum est addendum de *Civitatibus Liberis*: de illis demum agit Sigonius, sed verbo, *de Antiquo Jure Provinc.* I. 1. rem totam tabella ob oculos ponam:



F

Hinc apparet, quænam fuerint *Civitates liberæ*, quarum plurimæ erant in Asia, uti *Ilienses, Chii, Rhodii, Lycii, Magnesii, Thermeses Majores Pisidæ, Tyrii, Sidonii,* item *Byzantini, Samii, Achæi,* alii: vide Sigon. *l. l.* I. 10. *pag.* 1560. aut si malis ex rivulis bibere, adi Rosin. *A. R.* X. 22. adde Sueton. *Aug.* 47. *Tib.* 37. *Vesp. c.* 8. Dionem, Appianum, Strabonem passim: hinc toties apud Plin. *in H. N.* & alios in Geographicis τὸ *Libera Civitas*, item toties in Nummis τὸ ΕΛΕΥΘΕΡΑ.

IV. 9. §. 1. Σταθμὸς.) Hanc sectionem fere debet Pancirollo *l. l.* I. 6. Thomas in Ἐκλογ. Or.

Αττικ. *h.v.* Σταθμοὶ ϗ οἱ κατὰ τόπους δημόσιοι ἀγροὶ, ἔνθα ϗ ἵπποι δημόσιοι ἐτρέφοντο: ubi laudat e Libanii *Epist.* exemplum hujus vocis: Σταθμός ἐστὶ περὶ τὸ Εὐφράτην, Καλλίνικος ὄνομα αὐτῷ: obiter cum grano salis lege Budæum *in Gr. L. Comm. pag.* 400. *ed. Ascens.* 1528. ubi ex Demosthene ait σταθμὸς, in plurali habere σταθμά: recte: sed non minus recte σταθμοὶ, si probamus Herodot. *l.* v. *pag.* 135. *ed. Steph.*

IV. 9 §. 3. *Loca Animalium* &c.) vide *l.* 15. 17. 18. *C. T.* & *l.* 36. 60. *C. T. de C. P.*

IV. 9. § 5. *Mansionum.*) Commodissime *Mansio* distinguetur in suas, ut cum Scholis loquar, species: erit itaque (1.) Mansio *Viatoria*, ὁδοιπορικὴ, arbitraria, locus ubi confecto itinere diurno Viator per noctem quiescit: sic Apulej. *l.* 1. *de A. A. Sumo sarcinulam, & precio mansionis Stabulario persoluto, capessimus Viam.* Hieron. in vit. Hilarion. *cap.* 21. vide doctissimi Heriberti Rosvveydi e S. J. *Onomastic. ad Vit. Patrum p.m.* 795. *ed. Lugduni in Gallia* 1617. *voce*: *Mansio.* (2.) Mansio *Castrensis* sive *Militaris*, de qua Veget. III. 8. Justin. XIII. 8. item (3.) Mansio *Cursualis*, ut passim *in L. L. de Curs. Publ.* (4.) *Mansio*, Itineraria mensura circiter XX. M. P. sive diurni itineris. sic apud Plin. *H. N.* XII. 14. Cassian. *Collat.* XXIV 4. *Instit.* X. 24. Sulp. Sever. *de Virt. Mon. Or. c.* 4. Cæterum de *Mansionibus* vide Salmas. *Ex. Plin. p* 351. 352. Jac. Gothofred. *ad l.* 9. *C. T. de Ann. & Trib.* Guther. *de Off. D. A.* III. 15. Panciroll. *l. l.* Cuper. *ad Lactant. de Mort. Pers. c.* 45. *p.* 243. 244. qui totum hoc argumentum erudite exhauserunt.

IV. 9. §. 7. *Per noctem.*) imo & per diem, teste Plin. *l. l. Major pars itineris* a Copto Berenicen *conficitur noctibus, propter æstus, & stativis dies absumuntur.*

IV. 9. §. 8. *Sed venenum.*) imo & Latinum *Potio* ap. Sueton. *Cal. c.* 50. Cic. *pro Cluent. c.* 10 & 14. Horat. *Epod.* 5. *vs.* 73.

IV. 9. §. 9. *Bona Mansio inter Sardicam & Philippopolim in Thracia.*) Auctor noster hunc locum *Bonæ Mansionis* collocaverat in Italia, & legem laudatam adscripserat *Theodosio Imp.* & *Valeriani in Coss. loco V[illegible]* scripserat. At *in Cod. Theodos.* lex ista *Valentiniano & Valenti AA.* adscribitur; ut recte Pancirollus ad *Notit. Imp. Or.* I. 6. notarat, ex quo noster hunc locum accepit: poterat idem ex *Itinerario Burdegalensi* discere situm *Bonæ Mansionis*. nam *p.* 154. & 146. sic recensentur Mansiones: *Civitas Naisso, Mansio Romansiana, Mansio Turribus, Mansio Meldia, Civitas Serdica, Mansio Buragara, Mansio Iliga, Mansio Bonamans. Mansio Basapare, Civitas Filopopoli*: non *Eilopopoli*, ut vitiose impressum legitur: est *Philippopolis*, a qua, si fides numeris milliaribus in *Itin. Burdeg.* distabat *Bona Mansio* M. P. XXXXII. Porro ex eadem *l. C. T.* desumta, aut verius interpolata est *l.* 3. *C. de Erog. milit. annon.* data quoque *Bona Mansione*: data est ibidem *l.* 1. *C. T. de privil. Corporat. Urb. Rom.* fuisse eam vero in Thracia, etiam Auctor *vitæ S. Alexandri, Martyris in Thracia*, ubi tamen male *Bona Mosiva* legitur pro *Bona Mansione*, confirmat. Sane & istis Coss. anno Christi CCCLXIV. Valentinianus & Valens in Thracia erant, ut docet Jacobus Gothofredus ad leges laudatas *C. T.* & ad *l.* 19. *C. T. de Operib. Publ.* nec non in *Chronol. C. T. ad hunc annum.* Tandem in nostra lege pro *Jan.* legendum esse *Jun.* ex itineris & temporum ratione ac *l.* 1. *C. T. de privil. Corp. U. R.* docuit idem Jac. Gothofredus.

IV. 10. §. 1. *Equi* &c.) In LL. *de Curs. Publ.* dicuntur: *Animalia, Animalia publica, Animalia publici cursus, Capita, Pecora*; vide *paratitl.* J. Gothofr. *ad C. T. de C. P.* item *Jumenta Publica*, ap. Sextum Aurel. Victorem locis mox laudandis.

IV. 10. §. 2. *Equos Stabularios .... mutilans & mutilos reddens.*) imo, *ad frustrandos insequentes, publica jumenta, quaqua iter ageret, interficiens*, si fides Sexto Aurelio Victori *de Cæsarib. p. m.* 243. & *in Epitome p. m.* 271. *in Epit. Hist. Rom. edit. minime Amstelæd.* 1625. Obiter miror, quosdam notare, a Zosimo ex odio nominis Christiani fingi, Constantinum ex *concubina Helena* natum, cum idem narret Paullus Orosius, Auctor, si quis alius, Christianis sacris addictissimus, *Historiar. adversus Paganos* VII. 25. *in fine*: & Cassiodorus *in Chronic.* ad *Diocletianum X. & Maximum VII. Coss.*

IV. 10. §. 2. *Qui in l.* 64. *C. Th. de Curs. Publ. appellantur Equi Cursuales.*) & in *l.* 19. *C. eod.* quæ desumta ex illa *d. l.* 64. *C. T.* sic apud Cassiodorum *Variar.* IV. 47. *Legatorum nostrorum suggestione comperimus, Cursuales Equos frequenti usurpatione fatigari*: dicuntur etiam *Equi Cursui Publico deputati* in *l.* 1. *C. d.* & κόνταροι in *tit.* 17. *lib.* LVII. Βασιλικῶν, qui est περὶ τῦ δημοσίου δρόμου, ϗ τῶν π.ς κοντάροις χρωμένων: hinc Suidæ Βερίδος ἱπποκόνταρος, *veredus hippoconturus*: item generatim *Animalia in l.* 19. *C. d. t. l.* 23. & 24. *C. T. eod.* & sæpe *Veredi*, ut cum Auctore nostro paullo post observabimus. Hos Pancirollus ad *Notit. Imp. Or.* I. 6. præeunte Corasio *Miscell.* I. 11. arbitratur esse *Equos Publicos*, quos Ulpianus memorat *l.* 2. ff. *de in Jus vocando*, ubi ait: *Sed nec eum* in jus vocari oportet; *qui Equo publico in caussa publica transvehatur.* verum hunc locum de transvectione equitum in Censu publico potius explicant Dion. Gothofredus & Budæus *ad h. l.* Hotman. *Observ.* III. 21. Cujacius *Observ.* XIII. 29 at Corasius *l. l.* putat, Ulpiani ætate equo publico non fuisse Equites usos, sed proprio ex sua, aut stipendiaria pecunia comparato, & eo quidem duplici, ut uni fatigato alter recens expeditusque succederet.

IV. 10. §. 4. *Iter hoc Lugduno inchoabat.*) Sed Valerius Maximus V. 5. §. 3. aliter hæc narrat: *Cum Ticini, quo Victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset, protinus inde metu attonitus erumperet: iter quoque quam rapidum & præceps, velut uno spiritu, corripuerit, eo patet, quod Alpes Rhenumque transgressus, die ac nocte, mutato subinde equo*, CC. *M. P. per modo devictam Barbariem, Antabagio duce solo comite contentus, evasit*: ægrotabat Drusus *a fractura, equo super crus ejus collapso, a qua tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est*, Livio teste *Epit. lib.* CLX. non Maguntiaci, sed *in itinere*, dum rediret, a Barbara muliere, quæ humana specie major erat, ulterius pergere prohibitus, *priusquam Rhenum attingeret*, ut refert Dio Cassius, *lib.* LV. *init. p. m.* 628. Ticino tamen ad Rhenum inferioris Germaniæ non sunt CC. M. P. ne erres. In *Itiner. Anton.* numerantur *Ticino Argentoratum* IↃLXVI. M. P. Sed neque Bergierii opinio, dum hæc CC M. P. a *Lugduno* inchoat, constat: fingamus enim *Maguntiaci* Drusum fuisse, id est, multo propius, quam revera fuit: ecquis erit adeo imperitus Geographiæ, qui putet tantum CC. M. P. *Lugdunum* distare *Maguntiaco*? aliud situs ipse clamat, si vel fugitivo oculo tabulas solum pictas intueare: quare putem Plinii & Valerii verba hoc velle: Tiberium quovis *die* ac *nocte* itineris emensum CC. M. P. sic ut Ticino profectus, tertio circiter aut quarto die totum iter peragrarit. Insolitæ celeritatis exempla multa congessit Lipsius *Epist.* III. 59.

IV. 10. §. 7. *Rheda .. cui Equi publici frequen-*

tii.

tius aptabantur :) imo vero *Mulæ*; quæ etiam Carrucas, a quibus & nostræ *Carrosses*, quibus insidebant honestiores matronæ, trahere solebant *l.* 13. п. *de Aur. Arg. leg.* hinc *mulæ Carrucariæ*, *l.* 38. §. 8. п. *de Ædil. edict.* adde Ill. Spanhem. *de P. N. Diss.* *VII. p. m.* 613. *& seqq.* Quæ deinde de *Veredis* commemorat, restringenda sunt ad antiquam, non sequioris ævi significationem *Veredi*: ab eo Germanorum *Pferd* videtur ortum: deinde enim cœpit pro equo solitario, qui hominem gestat, usurpari, imo vetitum, *veredos vehiculis aptari*, *l.*16. *C. T. de C. P.* in Pandecte Florentino *l.* 18. *§.* 21. *de Mun. & hon.* scribitur *verhedi*, quæ scriptura respicit antiquam originem & significationem. Isid. *Etym.* XII. 1. Festum exscribit & addit: *vel quod Vias Publicas currant, per quas & rhedas ire solitum erat*: scilicet tanquam ex *Via* & *Rheda*, quod illam vel onus gestantes, vel trahentes tererent. Martial. XII. 14. docet *rapientes veredos* i. celeres ad venationem usurpatos: & idem docet XIV. 86. ubi *succinctum veredum* vocat. Glossar. Vet. *Veredus*, πῶλος: fuerint ergo minutiores. Boxhornius ad Spartiani *Hadrian. c.* 7. originem vocis arcessit nimis e longinqua Arabia, ubi *Berdoim* notet *jumentum.* Quod noster deinde ait *Veredarios* esse nostros *Postillons*, cum grano salis accipe. *Veredarii* sunt *α.* Veredis vecti, qui veredis utuntur; non qui veredis præsunt, non hippocomi, non muliones, *l.*17. *l.*50. *C. T. de C. P.* Cassiod. *Variar.* II. 31. IV. 47. nominatim *β.* qui Principis jussa & responsa celeri cursu ferebant, teste Procopio *Vandal. lib.* I. *p.* 111. τινὰ τῶν ἐς τὰς Βασιλικὰς ἀεὶ ἀποκρίσεις στελλομένων, οὓς δὴ Βερεδαρίους καλοῦσι Firmic. *Astron. lib.* III. *Regum nuncios veredariosque reddent*. Sidon. *Epist.* V. 7. Paullin. Nolan. *Epist.* 28. (al. 9.) *pr. Epistolarum nostrarum Veredarius pedes, aut Veredus bipes*. Onomast. vet. *Veredarius*, Δρομεύς: eos graphice describit Glossar. vetus apud J. Gothofr. ad *l.* 1. *C. T. de Cur. Veredarii, equi* (imo l. *equites*) *dicuntur a veredo, quia festinantes in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam sua responsa liberent: habent pennas in capite, unde intelligitur festinatio itineris, daturque eis semper equus paratus; non manducant, nisi super equis, quando proficiscuntur.* Huc refer forsan καταλυτήριον τῶν Βερεδαρίων, *Diversorium*, *Mutationem Veredariorum* ap. Procopium περὶ κτισμάτων II *lib.* V. *p.* 47.

IV. 10. §. 7. post: *Deputati fuerunt.*) adde, quæ, nescio, mea, an typothetarum culpa, exciderunt hic, verba ista: („ Ita intelligit Procopius „ *lib.* II. *Equis publicis*, ait, *vectus*, *quos Veredos* „ *vocant.*) verba ista: *Committ atque furtum* &c. ad finem, attexui ex *l.* 43. §. 4. п. *de Furt.* exigente veri sensu. Cæterum de tota *Re Vehiculari* veterum consulendus est doctissimus Schefferus, integro libro; nec non Polyd. Virgil. *de Rer. Inv.* II. 12. Gelli *N. A.* XV. 30. Isidor. *Etymol.* XX. 12. Cælius Rhodig. *A. L.* XVI. 17.

IV. 10. §. 8. *Carpentum.*) Ex nummo Agrippinæ ejus figuram exhibet Torrent. ad Sueton. *Calig. c.* 15. &, qui erudita de Carpento & ejus mulabus, in luxu, præcipue fœmineo, veterum, annotat, Spanhemium *de Pr. Num. diss.* VII. *p. m.* 613. *& seqq.* Ovid. *Fast.* I. 619. a *Carmenta* Evandri matre, *Carpenta* dicta putat. *Ægrotantes Milites carpentis vexit* Alexander Severus, teste Lamprid. *in Al. Serv. cap.* 12. *p. m.* 436. Porro quod noster deinde Pancirollum *in N. I.* I. 6. secutus *Carpentarios* facit eos, qui quævis agitant vehicula, in eo videtur falli: nam hi sunt opifices vehiculorum, quo sensu occurrunt *l.* 31. *C. T. de C. P.* ut apparet ex ejus coll. cum *l.* 30. & 17. *d. t.* nec etiam alias occurrunt *Carpentarii* in aurigarum sensu. Qui carpenta agebant, videntur potius dicti *Parochi*, si Suidæ *h. v.* fides: Πάροψος, ὁ αἰαβαίνων εἰς τὸ ζεῦγος, *qui conscendit in bijugum currum* præfectus nimirum & auriga ejus. Nonius *h. v. p. m.* 23. *vers. ed. Parisin.* 1583. *Parochus a Græco tractum est nomen, quod vehicula præbeat: hoc schemate* (*l.* ὀχήματα) *enim Græce, Latine vehicula appellantur*: alii sunt *Parochi* apud Horat. *Sat.* I. 5. *vs.* 46. ubi vide Torrent. II. 8. *vs.* 36. ἀπὸ τοῦ παρέχειν a *præbendo*; unde videtur Nonius utrumque etymon diversum confundere: talis *Parochus* auriga videtur fuisse Ventidius Bassus, de quo Gellius *N. A.* XV. 4.

IV. 10. §. 9. *Boves.*) maxime ad tardigradam Vehiculationem sive Clabularem. Joh. Alb. de Mandelsloh, αὐτόπτης V. Nob. *Itiner. per Ind. Germanice ed.* I. 31. testatur tamen, dari hodie boves apud Indos, quibus spatio quatuor horarum, VI. milliaria Germanica possint confici. At cum Cujacius *ad pr. t. C. de C. P.* ex Eginhardo tradit, *Carolum M. iter fecisse carpento, junctis bobus, & bubulco, rustico more, agente*, eumque Cujacium secutus Gutherius *de O. D. A.* III. 14. ac J. Gothofredus ad *l.* 1. *C. T. de C. P.* ibi illorum nemo inspexit ipsum Eginhardum, qui *in vit. Car. M. pr.* hoc ait de postremis, ex Gente Merovingica Francorum Regibus, si Reges dicendi sunt, qui verbo tenus per umbram regnant, potestate omni penes Majores Palatii florente, qui hos Reges semel quotannis curru sublimes rure extractos hoc modo in Urbem vehebant, & ceu monstrum quoddam belluamve insuetam populo ostentabant. De Carolo M. longe meliora, ut excellenti equite & venatore, tradidit gener ejus.

IV. 10. §. 9. *Julianus vero* &c.) verba Socratis sunt: Πεζι..λι δὲ καὶ τὸν δημόσιον τῶν χ.ι.ῶν δρόμον, οἷον ἡμιόνων, βοῶν καὶ ὄνων, μόνων δὲ τῶν ἵππων τοῖς δημοσίοις καὶ ἴαις συνεχώρησεν ὑπουργεῖν. Hæc vero alibi legimus nusquam, non in Juliani legibus, non in Libanio, non in Ammiano: imo de *bubus* falsum esse, innuunt leges Juliani 15. & 15. *C. T. de C. P.* ubi Jac. Gothofr. & ad *l.* 4. *d. t.* consulatur: etiam *Mulas Angariales*, ἀγγάρους ἡμιόνους commemorat Libanius *Orat. Funebri Juliani*: de *Asinis* quoque falsus est: audiamus Libanium *l. l. p.* 296. qui, postquam dixerat, *Angariales mulos, equos, asinos* multa perpessos in Cursu Publico, fame tantum non confectos, iniquissime tractatos fuisse ante Julianum, ait: *Coercuit hanc Julianus temulentiam, non necessarias mutationes compescens*. Sed sæpe talia apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores occurrunt, quæ aut a vero omnino discrepant, aut dubiæ fidei sunt, præcipue cum ad Leges Principum accedunt, quarum vel levem, vel nullam omnino sæpe notitiam habuerunt: confer dicta ad *sect.* 4. §. 6.

IV. 10. §. 9. *Clabularis*:) imo *in l.* 2. *& l.* 5. *C. T. de Curios.* *l.* 22. *C. de Curs. Publ.* Clabularius in *l.* 13. & 26. & 62. *C. T. de C. P.* Clabulare *d. l.* 2. *C. T. de Cur.* fuit autem *Cursus Publici*, & quidem *Vehicularis* species, diversa a rhedis & quadrigis, *d. l.* 5. *C. T. de Cur.* tanquam minor & ignobilior *arg. d. l.* 2. *d. t. T.* unde diserte *veloci Cursui* opponitur *d. l.* 62. *C. T. de C. P.* inque *Clabulari* erant angariæ singulæ *d. l.* 5. *C. T. de Curios.* scilicet *duo paria boum*, quibus *Clabula* trahebantur, *arg. l.* 11. *C. T. de C. P.* ita tamen ut *ægris* (vel militibus, Ammian. *l. l.* vel forte iis, qui castrensibus muniis in Palatio defuncti & absoluti domum redibant post labores) concederentur *duæ angariæ*, *d. l.* 11. indultumque hoc *Clabulare* maxime transmittendis familiis, necessitatibus & caritatibus, & ejusmodi hominibus, qui præcipitem cursum non ferunt, sed minutis atque lentis itineribus transferri volunt.

Amm. *l. l.* & *l.* 4. *C. T. de C. P. l.* 5. *C. T. de Cur.* Provinciales vero ad *Clabulare* præbuerunt boves *arg. d. l.* 2. & 5. *C. T. de Cur. l.* 22. *C. de C. P.* non tamen aratorios, qui excepti *l.* 1. *C. T. d. t.* hinc rapinis obnoxii: *d. l.* 2 sed bubus tamen alimenta suggerebat Fiscus *d. l.* 23. *C. T. de C. P.* unde *Clabularias regiones* sive stationes restituit Jac. Gothofredus *in l.*34.*d. t.* quibus præerant peculiares mancipes, *arg. d. l.* 2. *C. T. de Curios.* coll. *l.* 26. *C. T. de C. P.* sive procuratores *d. l.*23. *d. t.* tandem *Clabulare* hoc abolitum, ob nimium onus Provincialium, in tractu Orientali aliisque quarundam aliarum regionum civitatibus, a Leone Imp. *l.* 22. *C. de Curs. Publ.* (ubi rectius leges *Cursum Clabularem*, quam voce nihili *Ambularem*:) excepto tamen transitu *militum*, *armorum*, *legatorum d. l.* cum PF. P. animalium dominis, qui ea solent accepta mercede locare, pensionem præbere debebat. Ex his clarissime apparet, errare illos, qui *Clabularium* Vehiculari Cursui opponunt, ut omnino diversum. errare & in contrario Græcos *Basil.* 56. *tit.* 17. *c.* 22. qui eundem Vehiculari faciunt, reddentes τὸν διὰ τῶν ὀχημάτων δρόμον, cum differant ut genus & species: errare plane Gutherium *de Off. D. A.* III. 15. cum ὀξυμώρως *Clabularem Cursum* facit celerem & velocem, solisque militibus, armis, legatis permissum: errare illos, qui putant, *ægrorum tantum militum caussa* permissum fuisse Clavularem cursum: errare Marcell. Donatum ad *Spartian. Hadr. c.* 7. cum *Clabularium Cursum* ait fuisse eum, qui navibus fit, sic dictum a *clavo*, quo naves reguntur: errare Ant. Perezium *ad Cod. h. t. de C. P.* cum mavult legere *Caballarem Cursum*, quia *Caballationis* mentio fiat *in l.* 14. *C de Erog. M. l.* quæ videtur munus fuisse alendi equos publicos, vel pecunia, quæ ad id præstabatur: breviter, errare illos, qui alia dicunt, atque hic idoneis testibus vides probata. Porro ad animalia publica hic recensita refer & *Camelos*, præcipue per Orientem, de quibus vide Procopium, laudatum ad *sect.* 4. §. 6. ad quorum usum respicere videntur, quæ de Καμηλασίᾳ, *Camelariis*, *alimentis Camelorum* leguntur in *l.* 1. §. 2. *l.* 18. §. 11. Π. *de Mun. & Honor.* item de *Camelasio* apud Amm. Marcellin. XVII. 2. *p. m.* 108. & de καμήλων φροντισταῖς ap. Euseb. *de Mart. Palæst. n.* 112. Lamprid. de Alexandro Severo expeditionem faciente *c.* 12. *p. m.* 436. ait, quod Milites *mulis* atque *camelis* adjuverit: adde Cujac. *Observ.* IX. 9. & Turneb. *Advers.* XXI. 28.

IV. 11. ad §. 4.) Adde Sagittarium *Nudiped. c.* 1. §. 8. Simile porro valde est *Calceario*, *Clavarium* ad. Tacit. *Hist.* III. 50.

IV. 11. §. 6. *Lycurgus etiam* &c.) Plutarchus *in Lycurg. c.* 31. scribit, Lacedæmoniorum pueros assuefieri βαδίζειν ἀνυποδήτως, *sine calceis ingredi*: vide Cragium *de Rep. Lacædem.* III. 6. §. 3.

IV. 12. §. 2. *In Mutationibus ad minimum* &c.) Secutus est hic errorem Pancirolli *l. l.* I. 6. Nam *Agminales Equi*, quorum fit mentio *in l. l. C. T.* non erant equi fiscales Cursus Publici, verum Reip. adeoque conjectura illa nulla est: deinde cur duplo plures fuissent equi in *Mansionibus*, quam *Mutationibus*? in *Mutationibus* enim, ἀλλαγαῖς, ἀμοιβοῖς, potius videntur plures equi debuisse mutari: sed mox plura. Procopius *l. l.* habet ἐν σαθμῷ ἑκάςῳ. i. *in quavis statione*: sc. tam *Mutationis* quam *Mansionis*. σαθμός, ἱπποσασία generatim, non præcise *Mansio*, ut Pinellus vertit, per quem noster erravit.

IV. 12. ad §. 3.) Hæc mirifice erant perturbata, quæ bona cum venia Manium Auctoris accuratius in ordinem redegi.

IV. 12. ad §. 4.) Pancirollus *l. l.* *Quia turmatim incedebant, Agminales vocantur*. Errat, & cum eo noster. α. *Agminales equi* exacti fuerunt a Provincialibus, & quidem ex possessionibus seu patrimoniis, adeoque inter munera Patrimonii fuerunt. β. & quidem exacti ἐκ πλαγείας ὁδοῦ, *ubi a publico itinere aliqua Militari Via divertendum erat*, scilicet in Via Publica, in qua Cursus Publicus non erat *d l.* 3. ergo γ. *agminales ac paraveredi* παραλλήλως in *d. l.* 3. & 6. *eod.* sive iidem sunt: dicti δ. *Agminales*, vel, ut vult Budæus *ad l.* 18. §. 21. Π. *de Mun. & Hon.* quod *agmini* exercitus transmittendo, & convehendis impedimentis præbiti: vel potius, quod *agmina* quædam equorum in Civitatibus seu prope Civitates ad eum finem a Provincialibus haberentur; ἵπποι φόρβαδες, Suidæ ἀγελαῖοι: nam *in d. l.* 3. *publici agminales*, eorum præbitione seu usurpatione *mala Provincialibus inferri* dicuntur: errat ergo Pancirollus, qui putat *Agminales* dictos, quod *turmatim* incederent, Cujacius *ad d. l.* 18. §. 21. Π. *de Mun. & Hon.* etiam minus recte sentit, Paraveredos videri fuisse *majores equos agminales*, quod *agmen* sequerentur exercitus, conveherentque impedimenta, *le bagage*. *Paraveredi* enim sive *Agminales* a *Veredis* non magnitudine distabant, sed exactione & loco *Veredi*, fiscales erant, in stationibus Cursus Publici, ad Viam Militarem; *Paraveredi* seu *Agminales* contra, ut dictum. Noster etiam errat, cum ideo *Agminales* facit, quod nonnisi aliquo Hippocomo comitante currerent: vide Jac. Gothofr. ad *d. ll. C. T.*

IV 12. §. 4. *L.* 2. *C. T. eod.*) ex qua *l.* 1. *C. eod.* est deformata.

IV. 12. §. 5. *In Proconsularibus Provinciis* &c.) Non video ullam rationem, cur non æque tantum reparandum fuerit in Prætoriis & Præsidialibus Provinciis, quantum necessitas postularit, atque in Proconsularibus. *l. l. C. T.* non satis assecutus videtur noster: scilicet *d. l.* Gratianus Aug. Cursum Veredarium, ut ubique, ita & nominatim in Africa Proconsulari, ex suggestione Hesperii P. P. reparari jubet ratione 1. *Veredorum*: 2. *Mulionum*: 3. *Stabulorum*: 4. *Mancipum*: unde apparet, quantopere decurtarit hinc *l.* 7. *C. eod.* Tribonianus: de *Veredis* constituit Gratianus, cum *in omnibus aliis provinciis* (nota, non distingui inter Prætorias & Proconsulares:) *Veredorum quarta pars reparetur*, *in Proconsulari* Africa tantum numerum reparandum, *quantum necessitas postulaverit*, sub duplici tamen temperamento, α. ut nihil exigatur eo nomine a Provincialibus, quam quantum necessitas postulaverit: β. nec *se dubitare, plus quam quartam* partem *jumentorum ad reparationem esse necessariam*. Ergo discimus, 1. ob Reparationem hanc aliquid a Provincialibus fuisse exactum, seu eam factam fuisse Provincialium, prout necessitas postulavisset, sumtu adjuvante: 2. quotannis *quartam partem* fuisse reparatam: 3. certo numero & stato: 4. qui erat in singulis stabulis. Jam autem Procop. Ἀνεκδοτ. *fin.* teste, *quadraginta equi* erant ἐν ἑκάςῳ σαθμῷ, *in quavis statione*: igitur *decem* Veredi singulis annis reparati fuerint: adjuvit me hic Jac. Gothofred. *ad d. l.* Deinde, quia Provinciales Africæ Proconsularis, ordinaria & canonica collatione, quotannis & pabula & pecuniam pro Equis Cursualibus, *Veredis*, conferebant, ideo *Honorius Aug.* (non *Constantius*, ut noster per incuriam solennem legit) *ad Septimium Procos. Africæ* scribens vetuit a *Curialibus*, qui, in defectu Mancipum, Mancipatum ibi curasse videntur, *arg. l.* 26. 51. *C. T. eod.* quicquam præterea ab iis extra ordinem exigi, aut eos *paraveredorum onere prægravari*, *l.* 64. C. T. *eod.* quam mirifice Tribonianus *in l. l.* 19. *C. eod.* interpolavit. Commiscet autem hic noster *Paraveredos*, cum *Parhippis*; ut ex iis, quæ toties diximus, constat.

IV. 13. §. 1. *Mancipium* dicebatur.) Juris consultus sine lege loqui erubescit: quæro itaque legem, ubi *Mancipium* pro *Mancipum* sollicitudine legatur: imo vero reperio hoc sensu ubique *Mancipatum*, *l.24. 35. 46. C.T. de C.T. de C.P. l. 9,16. 19. C. T. de Diverſ. Offic.* dicitur & *Cursus Publici exhibitio*, *l. 57. C. T. de C. P. l. 14. C. eod. Cursus exhibitio l.7. C. T. de Cobortal. Procuratio l. 23. 36. C.T. de C. P.* Huic præpositi dicuntur *Mancipes Cursus Publici*, *l.15. Mancipes locorum*, *l.24. Mancipes Mutationum*, Cassiod. *Variar.* IV.47. *Præpositi Mansionum*, *l.21.C.T.de Decur. Præfecti Vehiculorum*, *l.4.fin.C.T.de C. P.* οἱ τοῦ δημοσίου δρόμου ἐπιμελούμενοι, Procopio *Vandal. lib. 1. p.* 111. sumebantur ex *Primipilaribus*, sub Constantio, *l.6.C.T. de Div. Off.* alias ex *Officialibus Judicum emeritis* l 34. 42. 46. *C. T. de C. P. l. 8. C. T. de Cobortal. l. 7. fin. C. T. de Div. Off.* non e *Curialibus*. *l.* 34. nisi in defectum *l.* 26. & aliquando in Ægypto *l.* 51. ac in Africa Proconsulari *l. 64. C. T. de C. P. Sajones* sub Theodorico Rege dicti videntur ap. Cassiod. *Variar.* IV. 47. Hi Mancipes per singula *loca* l. 24. *Mutationes*, *Stationes l.* 36. 65. (unde *Stationarii* dicti, *l.1.* & *Regionibus præstituti l.8.C.T. de C. P.*) a *Judicibus* probati, provecti, *l.7.* C.T. *de Div.Off.* curam gerebant Cursus Publici, *α.* ne modum Cursus quis excederet, *l.24.35.β.* ne animalia subtraherentur, aut superducerentur, id est, ultra debitam mutationem ducerentur *l.* 53. (& l. 15. C. *b.t.*) *γ.* ne pabulum his deesset, *l.60. C.T. de C. P. δ.* animalia coemta præparabant, *l.9. C. T. de Curios.* aliqua ex parte juvit me hic J. Gothofredus.

IV. 13. §. 2. *Præfecti Prætorio.*) *ex Proconsulis aut alterius Præsidis officio*, ut vult Panciroll. *ad N.I.* 1.6.. Cæterum hunc §. valde conturbatum disponere debui ad *l. l.* 23. adde *l.65. C.T.eod.*

IV. 13. §.2. *Quas Constantinus M. excogitavit.*) Atqui *Divus Marcus*, narrantibus Diocletiano & Maximiano AA. *in l.* II. *C. de Quæstion.* jam *Perfectissimorum* liberis, nepotibus, pronepotibus privilegium dederat mox apponendum. Eumenius jam ante Constantinum M. orationem suam *pro Scholis instaurandis* dixit ad *Virum perfectissimum Præsidem Lugdunensis Primæ*, circa *A. C.* 304. Taceo Lactantium V.15. jam A.C.316.adeoque primis annis Constantini M. alludere ad *Perfectissimorum*, *Clarissimorum*, *Egregiorum* dignitates.

IV. 13. §. 4. *Hos vero Mancipes* &c.) *pensata* non solum *hominum*, idoneorum moribus & integritate; sed & *locorum*, pro vicinia scilicet mutationis; & *facultatum qualitate*, i. locupletes ut sint, ne videlicet nimia paupertate ad dedecus aliquod adigerentur, aut ad Cursum Publicum vexandum: *arg.l.51. C.T. de C.P.*

IV. 13. §. 5. *Repræsentare.*) imo si Manceps, in Mancipatu suo constitutus, fieret clericus, tum facultates suas Cursui Publico cedere debebat. *l. 46. C.T. de C.P.*

IV. 13 §. 5. *A Judicibus & Curiosis.*) Confer infra *sect.18. §.* 11. & J. Gothofredi *paratitl. ad t. C. T. de Curios.* mox ad *l. l.2.* C. adde *l.2. §.2.C. T.eod.* ex qua Tribonianus abjecit ista verba: *ut habens unius copiam rhedæ, flagitet mulas duas; aut rhedam usurpet, cui birotum vel veredum postulare vel clabulare permissum est:* ratio in promtu est, quod Cursum Publicum redegerit ad Veredarios Justinianus, ut jam novimus: quod miror prætermissum esse diligentissimo Codicis Theodosiani Enarratori *ad h. l.*

IV. 13. §. 6. *Stratores.*) Ne fluctuemus inter dubia & incerta, observabimus *α. Stratores* generatim dici in re Veterinaria *servos*, aut apparitores, qui stratum equi componebant, dominum in equum sublevabant, dextra illi substrata sive subjecta; qui ad fræna quoque currebant; vel etiam capistro, seu fræno, ubi opus, equum Domini Dominæve ducebant: Suidæ *h. v.* ἀναβολεῖς: sic occurrit in Inscr. ap. Spon. *Miscell. p. 233. Diomedes Strator Faustæ Hediæ*; sic Augusti suos habebant *Stratores*, Spartian. *Caracall.* cap.2. *fin. p. m.*317. Capitolin. *Macrin. cap.2. p. m.* 341. *Gr. Inscr.* 600: 9. Item alii beatiores privati Paull. Warnefridus *Longobard.* II. 17. & 29. Paullin. *in Eucharistic.*

Ut mihi pulcer equus, phalerisque ornatior esset,
Strator procerus.

imo aliquando plures id officium uni præstabant. Plutarch. *Crass. c.* 62. ubi puto Parthos *stratores* intelligi. Persæ etiam *Stratores Servos* habuerunt, Xenoph. *de Magist. equit. p.956.edit. Steph. paullo ab in.* Honoris quoque gratia Pipinus Rex Francorum *Pontifici Stephano, vice Stratoris, usque ad aliquantum locum juxta ejus sellam properavit*, teste Anastas. Biblioth. ubi de Pipini rebus agit. *β. Stratorum* schola in officio Præfecti Prætorio Africæ, de quibus vide *Notitiam Justiniani in l.* 1. §. 8. *us. Schola Stratorum: C. de Off. P. Afr.* Horum vice fungebantur Milites sive Officiales perpetui Procoss. & Præsidibus Provinciarum, quibus non licebat habere *suos* sive proprios *Stratores*, *l.4.§.1.* Π. *de Off. Procoss.* Grut. 389: 2. *T. Claudio. Candido. Silius Hospes hastatus. Leg.* X. *Geminæ. Strator. ejus. optimo. Præsidi.* horum Stratorum ministerio hi Rectores maxime ex *d. l.* videntur usi in itinere. *γ. Stratores* Palatini, ut sic loquar, qui erant *juvenes, sub Tribuno Stabuli*, Ammian. XXX. 9. *p.m* 513. & sub *Magistro Officiorum*, Symmach. *Epist.* X.58. ex qua discimus, illos in *Palatinis Castris*, i. in Palatio Principis *militasse* seu officio functos inter Ministerianos ejus: hi in provincias e Palatio subinde mittebantur obtentu publicæ necessitatis *l. 4. C.T. de Executor.* Ex his deinde videtur ortus in aula CPtana Προτοστράτορ sive τῶν Ἱπποκόμων πρῶτος, dignitas non parvi momenti, de qua Curopalates *de Officialib. Palatii CPtani, p. m.* 13.29.51.57.59.*ed.*1588. *cum notis Nadabi Agmonii*, ubi dicitur, quod *absente Magno Domestico ferat Imperatoris spatham. Cum Imp. est conscensurus equum, Comite Equorum Imperatoris, adducente & tenente equum, postquam ascendit Imp. Protostrator prebendens fræno deducit equum ad quartam aut quintam usque partem aulæ Palatii deinde recipiens eum magnus Chartularius* (nam hic erat τῶν Βασιλικῶν ἵππων ἐπιστατῶν, i. *Grand Escuyer*, teste Zonar. *in Leon. Isauro*:) *deducit ad portam usque aulæ: similiter etiam facit, cum Imp. pedibus iturus est; agens videlicet a porta equum ad eum usque locum, quem ante diximus: ex quo iterum recipit eum Protostrator, agens ad eum locum ubi Imp. pedes esse solet.* (στρατορίκιον hic videtur dici *p.* 53.) *Quod si forte Protostratorem abesse contigerit, hoc facit a principio ad finem usque magnus Chartularius. Sin autem hic quoque abfuerit, agit equum, quisquis ex Principibus, qui adsunt, est honoratissimus.* Idem etiam est *Defensor Cursorum* (hi sunt, qui castra sequuntur, nulli certo agmini aut signo adscripti.) & ab illis *omnes res varias, quæ Futilia nominantur, pro more accipit.* (melius: *aufert.*) porro & inde nominari *Protostratorem, quod toti* στρατῷ *exercitui præeat & consistat* πρῶτος *primus*: convenit ergo cum nostris *Campi Marschallis*, uti & Choniates explicat *in reb. Balduini Flandri:* δηλοῖ δὲ καθ᾽ Ἕλληνας ἡ φωνὴ (Μαρεσκάλλος) τὸ Πρωτοστράτορα. item convenit ex parte cum Gallorum *Prevot des Mareschaux*. Belgarum *General Provoost.* *δ.* Stratores *Castrorum*, qui sub Prætoribus Militaribus castra

præibant, ut loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent; hi posticum Prætorii in Castris tuebantur, & Imperatori proximi erant. Belgis fere *Quartier Meesters*, hinc Græce dicti ςατιῶται, & δορυφόροι: vide Hyginum *in Gromat. passim*; Grut.*Insc.*250:8.546:8.1011:3.adde Joseph. *de B. J.* III. 5. conveniunt ex parte cum Metatoribus. ε. *Stratores* officii Magistratuum in veteri Rep. Romana, *Lictoribus* conjuncti apud Cic.*Epist.*quæ vulgo *ad Fam.* dicuntur. II.19. si ibi recte legatur *Stratores* ἀντὶ τῶ *Statores*: hi etiam reorum custodiæ erant deputati: ita Cyprianus Martyr susceptus est custodiendus a *Stratore Officii*, teste Pontio Diacono *in vit. Cypriano*: imo vestigia hujus moris superfuisse video ad tempora usque Constantini, qui *in l.*1.*§.*2.*C.T.de Custodia Reor.* cavet, ne his *qui Stratorum funguntur officio.... liceat, innocentes intra carcerum septa letho dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere.* ζ. Stratores *Viarum*, ὁδοστρωτὰς, qui Vias silice, glarea, marmore sternebant, muniebant, paviebant, pavimentabant, restituebantque, ubi deficeret, straturam, si Sponio in laudata supra Inscr. credimus, qui legit illam: DIOMEDES. AP... (putat legendum APPIAE sc. *Viæ*) STRATOR. FAVSTAE. HEDIAE (*uxori posuit.*) cui accedit Amplissimus Cuperus in Lactant. *de Mort.Pers.c.*5.*p.*132. *& seq.* sed de his quærendum amplius videtur, donec occurrant testes idonei exceptione majores. η. Stratores *Cursuales*, de quibus hic agimus, & quos intelligunt Impp. *in l.un.C. & C.T.Stratoribus*. Hi e Palatina Schola mittebantur in Provincias ad *probandos* Equos tum *Cursuales*, *d. l. un.* tum *Militares*, Ammian. XXIX. 8. *p.m.* 477. ne Provinciales sibi & arbitrio suo relicti tales equos, tributi nomine, conferrent, quos ipsimet fastidirent, id est, pessimos. In Proba autem attendere debebant ad justam & certam 1. *Formam*, 2. *Staturam*, 3. *Aetatem* equorum. Talis Equorum δοκιμασία quoque in Equitum δοκιμασίαις usurpata olim Athenis, de qua, ut & de nota, quæ Τρυσίππιον dicta, invalidis inuri solita, ex optimis & classicis testibus docte Petitus *in LL. Attic.p.*550. 551. Atque hæc fuerunt paullo altius repetenda & distinguenda, ne, ut mali coqui in unum varia jura confundunt, sic ut nec hoc nec illud sapiat; ita & nos loca, tempora, munia *Stratorum* confundendo multis erroribus, quos video ea de caussa Viris etiam Doctissimis obrepsisse, labyrinthum præbeamus. Vide etiam, si lubet, de *Stratoribus* VV. CLL. Cuperum *l.l.* Gothofredos ad *d.ll.* & Guther. *de O.D.A.* II.14. *p.m.*406. 407. 408.

IV. 13. ad §.7.) Hunc & sequentem §. excerpsit ex Pancirollo *l. l.* I. 6. ejus errores adoptans. *Catabolenses*, *Catabulenses* generatim erant, α. qui veterinis onera vehebant: deinde, β. qui in Mutationibus equos Cursuales seu veredos onerabant: ut constat ex *ll. ll.* Cassiodori: ἀπὸ τῶ καταβάλλειν, quod est *onerare*: unde & *caballum* credunt dictum ἀπὸ τῶ καββάλλειν, quod Dorice est καταβάλλειν. *Catabulum* vero sive καταβόλιον est stabulum veterinorum animalium; ut Glossaria testantur & *l.l.* Hieronymi. γ. Catabolenses erant, stricto sensu, Corporati urbis Romæ publicis obsequiis, ex *Libertinis* deputati, qui fiscalia onera Romæ veterinis comportabant: sive frumentum Romam per nautas Tiberinos advectum Horreis inferendum esset; sive rursum frumentum ex horreis in Pistrina comportandum esset; sive Panis e pistrino ad Gradus deportandus; (unde apparet, qua de caussa *Pistoribus* conjungantur *in tit. C. T. de Pistorib. & Catabolens.*) sive quod aliud onus fiscale transvehendum: nec caussa ideo fuit Pancirollo, ut hos *h. t. Catabolenses* alienos faceret ab illis, quo-

A rum meminit Cassiod.*Var.*III.10. vide Jac. Gothof. ad *l.*9. *&* 10. *d. t.*

IV. 13. §.9. *Muliones.*) Horum collegas & ejusdem fere conditionis facit *Bulgarios* insignis Vir Thomas Reinesius in *V.L* (cum ad manus jam non sit, quærant locum alii:) qui *in l. un. C. T.* pro *Burgariis* legit *Bulgarios*, qui scilicet *Bulgas*, avertas, manticas, hippoperas seu sacciperia itinerantium, in quibus vestes aliaque ad iter necessaria condebantur, veredis seu avertariis & vehiculis deferebant, observabantque, ne plus justo onerarentur sive equi sive vehicula a Veredariis: placet hæc emendatio magno JC. Zieglero *de Jure Maj.* II. 18.
B §. 21. Nobis, ut etiam Jac. Gothofredo *ad d.l.* aliter videtur: nam α. *bulgas* sive avertas observabant Hippocomi, Veredarii, Servi *l.*47. & 48. *C. T. de C P.* β. nihil de *Burgariis* in *t.t. de C.P.* γ. cura justi oneris legibus definiti erat penes Præpositos Cursus publici: *arg. dd. ll.* δ. repugnant Codd. mss. ε. Diserta verba *in l.* 2. (quæ eidem Vincentio P. P. Galliarum scribitur) *C. T. de his qui condit. propr. reliq.* legimus de illis, *qui Curiæ, vel Collegio, vel Burgis, vel cæteris Corporibus servierint*, unde IV. distinctis *in C. T. titt.* de *Curialibus* agitur XII.18. *de Collegiatis* XIV. 7. *de Burgariis*, VII. (qui totus est
C de Re Militari) 14. *de Corporatis* XIV. 2.3.4.5.6. scilicet *Burgarii a Burgis dicti, quia crebra per limites habitacula constituta Burgos vulgo vocant:* Isid. *Etym.*IX.2.& 4. ex Orosio VII.32. erant *Burgi*, *Castella parvula*, Veget. *de R.m* IV. 10. turrita, Gloss. Cyrilli: Πύργος, *turris*, *burgus*. Zosim. *l.*2.*p.*689. ideo πόλεις φρύρια, πύργυς distinguit: hinc ut Græca voce, *Burgi*, Latinius *Pyrgi* Liv.XXVII.32. Rutilio *Itiner.* l. 223. ita Latine *Turres* dictæ ἁπλῶς. Ammian. XXVIII. 6. *p. m.* 441. *Castra* & *Castella*, *Turresque adsiduas per habitabiles locos & opportunos* ad *barbaros fines* a Valentiniano comunita narrat. Notanter etiam Auctor anonymus *de Reb.*
D *Bell.* qui *Not.Utr.Imp.* in ed. Pancirolli subjicitur, *sub fin. p. m.* 222. *versa: Est præterea inter commoda Reip. utilis limitum cura, ambientium ubique latus Imperii, quorum tutelæ assidia melius Castella prospicient: ita ut millenis interjecta passibus stabili muro & firmissimis Turribus erigantur, quas quidem Munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumtu constituat, vigiliis in his & agrariis* (imo lege *Angariis*: quis enim agrum in Turre exercet? confer *Not. ad sect.* 6. §. 5.) *exercendis, ut Provinciarum quies circumdata quodam præsidii cingulo illæsa requiescat*: hinc. *Turres* limitandæ *in l.*13. *C. T. de Oper. Publ* item *Turres*,
E in *Itin. Ant.* & *Tab. Peut.* frequenter: dictæ etiam postea Μονοπύργια teste Constant. Porphyrogen. *in Chorograph.* Procop. *de Ædific. lib.*V. Propugnacula limitanea ad Danubium sive *Burgos*, *unica turre* constitisse narrat. Tales crebræ *Turres* in limitaneo Vallo Severi adversus Pictos, teste Paullo Diacon. *H.M.lib.* X. Ergo *Burgarii* erant in *Burgis* servientes, *Burgorum Custodes* Justiniano *in l.*2. §. 4.*de Off.Præf.Pr. Afr.* quam vide, & Hegesipp. II. 7.in corpus collecti, &, maxime per Occidentem, huic rei affixi, ut *Burgos* deserere non possent, *d. l.*2. *C. T. de his qui condit*: nec sollicitari aut rece-
F ptari sub gravi multa: *d. l. un. C. T. de Burg.* coll. *l.*58. *C.T.de C. P.* ζ. nec obstat, quod *dd.ll.* ad eundem *Vincentium P. P. Galliarum* eodem die & anno datæ sint; nam & *d. l.* 8. *C. T. de his qui cond.* eidem P. P. inscribitur, ubi *burgis servientum* expressa mentio. η. nec item obstat, quod *in d. l. un.* Muliones Burgariis conjungantur: nam & illi suis Mutationibus erant deputati, ut hi suis Burgis: in eadem quoque lege pari ratione fit mentio Gynæciariorum, qui Gynæciis erant affectati: nec tamen hi Cursui Publico, sed *publicis vestibus* texendis in-

ſerviunt. 9. Poſitio quoque *d. l. un.* emendationem Reineſii evertit: ſi enim *Bulgarios* in Curſu Publico tangit, cur non manſit coaſſata ſuæ parti, quæ legitur in *d. l.* 58. At recte lex *de Burgariis* collocatur inter Conſtitutiones de Re Militari, & quidem ante titulos, qui agunt de cuſtodia limitum, *de Terris Limitaneis*, *de Litorum & Itinerum cuſtodia*, *de Luſoriis Danuvii*, quia agit de limitaneis cuſtodibus.

IV. 13. §. 9. *Hippocomos.*) Heſychius *in v.* Κομεῖν, ἐπιμελεῖσθαι, θεραπεύειν, ὅθεν καὶ κόμη, καὶ ἱπποκόμος.

IV. 13. §. 10. *Soleas ferreas.*) Incertum, num calcearint Mulomedici mulas, an vero Muliones; ad poſteriores videtur referre Suetonius *Veſp. c.* 23. *Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas mulas deſiliſſe.* Noſter ex noſtrorum more temporum loquitur, quo iidem fabriferrarii, qui calceatu muniunt pedes equorum, eorum quoque ſunt ἱππιατροί: certe nihil de hac re *in lege laudata* a noſtro habetur.

IV. 13. §. 11. *Sed etiam paleas* &c.) Hæc præſtatio ſequioribus ſæculis *Fodrum* dicta videtur: vide Car. du Freſue *Gloſſar. h. v.* origo ejus vocis a Germ. *Foder*, *Futter*, *Voeder*. Porro autem Provinciales & *pabula* & *pecuniam pro curſu equorum Curſualium ſolenni ratione conferebant*, *l.* 19. *C. l.* 64. *C. T. de C. P. l.* 9. *C. T. de Ann. & Trib.* poſtea, ut videtur, adæratio pabuli fuit introducta in Provincialium levamentum & Curſus Publici emolumentum: ſed quoniam deinde hinc iterum duo incommoda emergebant, ut Provinciales iniquo adærationis precio valde gravarentur, & ut Mancipes eorumque apparitores, ſive muliones, non bene haberent animalia, nec juſta iis pabula, quaſi nimis cara, præberent, & ſic privati lucelli cauſſa eadem vexarent animalia: utrique malo Honorius obicem poſuit *l.* 18. *C. & l.* 60. *C. T. de C P.* adde Symmachum *Epiſt.* II. 27.

IV. 13. §. 11. *Stabula Publica.*) eorum etiam meminit Sueton. *Vitell. c.* 7. ubi vide Commentatores.

IV. 14. §. 1. *Uterque Curſus* &c.) Hic per Typothetas omiſſa eſt ſignum ſive nota §. 2. quæ a lectore adnotetur.

IV. 14. §. 2. *Ludovicus autem* XI. &c.) teſte Cominæo *lib. IX. p. m.* 656. *ed. Hanov. Latinæ Sleidani* 1619. de hoc Rege ſingularem Naudæi librum vide.

IV. 14. §. 4. *Longe aliter ſe res habebat in Curſu Publico Romano.*) hic etiam non habebat ſtata & præfixa tempora, ſed pro ratione neceſſitatis incidentis ejus uſus erat: nec in velocitate ſemper conſiſtebat, erat enim diſtinctio Curſus in *velocem* & *tardigradum*, *arg. l.* 62. *C. T. de C. P.* quæ aliter ſe habent in *Poſtis* hodiernis. Antonius Perezius *ad t. C. de Curſ. Publ. n.* 18. *& ſeq.* præterea optime complexus eſt has differentias: *Veterum Curſum Publicum* factum fuiſſe 1. ſumtu publico: 2. ſolum ad utilitatem publicam: 3. non ſine evectione α. Principis aut β. Præfecti Prætorio: 4. nec omnibus permiſſum, niſi iis, quibus Princeps, PF. P. aut Magiſter Officiorum permiſiſſent: 5. ſæpe nimis ſumtuoſum fuiſſe, quippe Vehicularem ſæpe: 6. tardigradum aliquando, utpote ſubinde aſinis & bobus factum. Contra *Poſtas hodiernas exactiores* confici 1. ſumtu privato: 2. etiam ad Privatorum utilitatem: 3. ſine diplomate: 4. & omnibus permiſſas (niſi Princeps, exigente publica neceſſitate, hoc aliquando fieri prohibeat:) 5. minus ſumtuoſas, quippe veredarias & equeſtres; 6. celeriores ſemper, equis per brevia intervalla diſpoſitis, & in omnem horam paratis; quibus, quocunque lubet, currere, & exiguo tempore magna ſpatia emetiri liceat. Penes quem vero jus ſit erigendi Poſtas diſputant Arn. Clapmarius *de Arcan. Imp.* III. 14. Mevius *Deciſion.* I. 102. & 174. Lud. ab Hornigk *de Poſtar. jure c.* 19. *theor.* 1.

IV. 14. § 6. *In l.* 36. *C. T.*) Hæc non ſatis accurate huc quadrat: non enim generatim de uſu Curſus Publici agit, ſed Honorius ibi ſpeciatim *Paraveredos vel Parangarias* a quoquam Provinciali per Africam Proconſularem (inſcribitur enim illis) *poſtulari*, niſi duobus tantum caſibus 1. exigente publica neceſſitate, 2. ab eo, qui evectione in id munitus ſit.

IV. 14. §. 7. *Inter Viros.*) adde, quæ a Typothetis ex noſtra verſione ſunt prætermiſſa: „ Publici muneris honore fulgentes.

IV. 14. §. 8. *Legati.*) & quidem 1. Populi Romani: 2. Senatus Romani: 3. Provincialium: *l.* 32. *C. T. de C. P. l.* 6. *&* 9. *C. T. de Legat.* item 4. Gentium aliarum Romano Imp. non ſubjectarum, *arg. l.* 57. *C. T. de C. P.* imo id aliquando diſertis verbis inter pacis conditiones fuit comprehenſum, uti inter Perſas & Juſtinianum, ὡς ἂν οἱ πρέσβεις καὶ οἱ ταχυτῆτι χρώμενοι τῶν δημοσίων ἵππων πρὸς τὰς ἐπαγγελίας ὁ μὲν ἐς τὸ Ῥωμαίων, ὁ δ' ἐς τὰ Περσῶν ἤθη ἀφικνούμενοι κατὰ ταύτην τὴν ἀξίαν καί τι προσῆκον ἕκαστοι τιμηθεῖεν, καὶ τῆς θεούσης τεύξονται ἐπιμελείας, teſte Menandro *in Eclog. Legat. p.* 117. unde facile intelligimus, qua de cauſſa Procopio narrante ſupra *ad ſect.* 4. §. 6. Juſtinianus Curſum in Perſidem reliquerit cum cæteris nervos ſuccideret.

IV. 14. §. 8. *Hæc ſcripſi*: & ſeqq. uſque ad: *Sero feciſſem.*) Sunt per incuriam impreſſa literis rectis, cum debeant eſſe obliquis, ſive, ut vocant, *curſivis*, ſunt enim verba Plinii: deinde τὸ *ſecundum* corrige litera recta: (Secundum.) eſt enim Plinii Junioris cognomen.

IV. 15. §. *Servius.*) Non memini, me iſta in Servio legiſſe; ſed eo ſenſu Macrobius videtur uſurpare *Saturnal.* I. 23. *Conſulunt hunc Deum*, Jovem Heliopolitanum in Ægypto, *& abſentes, miſſis diplomatibus conſignatis.* Cæterum exponit Curſualia Plutarch. *in Galb. p.* 1056. *ed. Gr. L.* Διπλώματα, ἃ γνωρίζοντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν τῷ τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν Γραμματοφόρων. Porro olim etiam quævis literæ patentes hujus formæ, conceſſi a Principe beneficii indices, ita dictæ: ſic Suet. *Neron. c.* 12. *Diplomata civitatis Romanæ*: talia Civitatis Romanæ, *diplomata Julii & Auguſti*, occurrunt, *Calig. c.* 38. ſic literæ, quibus venia conceditur proficiſcendi extra Italiam, videntur a Cicerone intelligi per *Diplomata*, locis ſupra *ſect.* 4. §. 5. laudatis: quæ Plauto *Syngraphi* ſunt *Captiv.* II. 3. *vſ.* 90. Gallis & Germanis *Paſſeports*. Ad rem Curſualem deinde traducta idem notarunt, quod poſtea *Evectiones*, atque hoc ſenſu occurrunt apud Venulejum JC. *in l.* 127. §. 2. ff. *de V. O.* ubi per *u* legitur: *Duplomate diebus ac noctibus iter continuari cogique*: mox deinde: *ſi duplomate uſus aut felici navigatione maturius, quam quiſque pervenerit Epheſum*: item apud Modeſtinum JC. *in l.* 27. §. 2. *de L. Corn. de Falſ.* ubi dicitur *graviſſime puniendus, qui falſo diplomate Vias commeaverit*. Adde ad *dd. ll.* JCtos, Cottam *in Memoralib. voce Diploma*. Buchner. *ad Plinii Epiſt.* X. 14. *p.* 234.

IV. 15. §. 5. *Cum vero tertius veredus* &c.) rectius ex *ipſa lege*: cum vero alter tertiuſve, ad præſcriptum in Evectione Veredum unum alterumve, extra ordinem, illicite commovetur. At, concedente Evectione, etiam accedebant legitime, α. *Veredis*, *d. ll.* 22. 27. 29. *C. T.* β. *Vehiculis*, ipſe idem Julianus *Ep.* 20. *ad Euſtochium*: Ἄξει δέ σε ὁ Δημόσιος Δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ καὶ παρίππῳ: &

Ep. 32. *ad Aetium Epiſc. Eunomianum*: χρήσῃ δὲ ὀχήματι δημοσίῳ μέχρι τοῦ στρατοπέδου τοῦ ἐμοῦ, καὶ ἑνὶ παρίππῳ: male confunduntur *Parhippi* cum *Paraveredis*; male Petavius *ad Julian. l. ep.*20. putat, eſſe tertium equum, qui vehiculo, præter duos vehiculum ordinarie trahentes, adjungatur, ut deinde a tribus equis trahatur: tota via errant, qui ipſum hominem, qui præter numerum veredorum diplomate permiſſum, unum inſuper uſurpat, aut ſuperexigit, putent dici *Parhippum*. Theodoricus Rex apud Caſſiodor. *Variar.* IV. 47. in ſingulos equos præter evectionem uſurpatos *centrum ſolidorum* multam impoſuit.

IV. 15. ad §. 6.) *Sagmaria* ap. Suid. *h. v.* τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν καὶ τὴν μετακομιδὴν τῶν ἐπιτηδείων, *ſarcinaria jumenta, quæ impedimenta portant & alia uſui neceſſaria*. Iſidorus *Etym.* XX. 16. *Sagma, quæ corrupte vulgo dicitur Salma, a ſtratu Sagorum vocatur; unde & Caballus Sagmarius, Mula Sagmaria*: reſpicit forſan Lampridii *in Alagabal. c.* 4. *Sagma*, quod etiam legitur ap. Veget. *de Re Veterin.* II. 59. eſt, quod ſubſtratum oneri obſiſtit ſudoribus eoſque excipit, (unde Græci eleganter vocant ἱδρομάχιον,) nec non ut mollius & ſine noxa onus ferant: hinc *equus ſellaris* qui hominem vehit, opponitur *equo ſagmario*; qui onera portat. *Avertam* Viri docti antea, non ſatis aſſecuti ſenſum vocis ὑπομαχαλίου, qua JCC. Græci illam interpretantur, male putarunt, equi *ornamentum laterale*, vel *antilenam*, aut *pectorale*, vel *capitis ornamentum* eſſe; ſed recte Suidas in Ἀβέρτης (ubi tamen male putavit eſſe vocem Macedonicam, cum ſit Latina) σκεῦος, i. *ſarcinam*, Syneſius *Epiſt.* 133. τὸ κατόπιν φορτίον explicant. Scholiaſtes Cruquianus *ad l. l.* Horatii, *Manticæ* addit ſynonyma: *pera, averta, vulgo biſtacia*. Eſt ergo ſarcina, quæ, quod in *averſo* ſupra clunes equi fertur, dicta eſt *Averta*: & hinc *Equus Avertarius*, parhippus ſcilicet, qui *avertæ* ferendæ adſumebatur. *Averta* autem diſtinguitur ab inſtructo equi, ut *ſella* & *frænis*, *l.* 47. diſerte in Viatorio inſtructo & munimento ad iter recenſetur, *l.* 48. Proſecutores in pondere ejus jubentur non tranſire *XXXV. libras*, *d. l.* 47. §. 2. *L. libras*, *d. l.* 48. *C.T.* tandem generatim. *LX. libras*, *l.* 12. *C. de C. P.* Apud Caſſiodor. *Variar.* IV. 47. Theodoricus Rex Godiſcalco Sajoni ſcribit: *Parhipporum quin & etiam onera centum librarum nullus excedat.... quinquaginta Solidorum multam jam non Veredarius, ſed Catabulenſis incurrat, quiſquis ultra centum libras parhippum crediderit onerandum*: adde *Var.* V. 5. Eſt autem *Avertarius vel Parhippus arg. l.* 24. C. T. *d. t.* idem, ſcilicet equus ad gravem *Avertam* ferendam deſtinatus, *un mallier*; Veredus vero & Vehiculum ad geſtationem hominis: unde in *l. l.* Caſſiodori diſtinguuntur *Equi Curſuales* & *Parhippi*.

IV. 15. ad §. 7.) Ne erres, leges hic allatæ non de illis generatim agunt, qui Curſu Publico & parhippis per Evectionem utuntur; ſed de *Palatinis Proſecutoribus* ſpeciatim; non Curſus Publici, ut noſter accepit, ſed ſpecierum maxime Largitionalium Cuſtodibus, *auri* ſcilicet *argenti*que, quod *rhedis* & *carris* ſubvehebatur: inſpiciantur ipſæ leges. Porro, quæ deinde de *Sacculis* addit, ea nullo modo ex *l.* 48. *C. T. de C. P.* quæ nihil ad eam rem facit, & nihil omnino de *ſacculis* habet, probantur: ſi enim per *Saga*, voluit *Sacculos* intelligi, (ſecutus, ut fere ubique in hoc argumento rei Curſualis, Pancirollum *N. I.* 1. 6. qui *Catablenſes* cum *Proſecutoribus* commiſcet miro modo,) tum ſane falſus eſt: quis enim neſcit, *Saga* non eſſe *Sacculos*; ſed veſtes, ſed pænulas viatorias, ſed pallia craſſioris texturæ, quorum mentio & in *l.* 37. ac 50. *d. t.* item in *l.* 13. *C. eod.* ubi Græci πάλλια reddunt, ut Cujacius *ad d. l.* pro παλαιὰ legendum conjiciebat, & recte. Hieronymus enim in vita S. Hilarion. *c.* 38. *ſive ſub fin.* narrat, ſepultum fuiſſe, *ſicut veſtitus erat, in tunica cilicina, & cuculla, & ſago ruſtico*: deinde a S. Heſychio refoſſum denuo in antiquo monaſterio conditum fuiſſe, *illæſa tunica, cuculla & pallio*: ubi vides, *pallium* & *ſagum* παραλλήλως poni. Obiter illi, qui *Sajones* Caſſiodori ab hiſce *Sagis*, ceu *Sagones*, dictos, adeoque viliores videri volunt, monendi ſunt, Regem Theodericum ſcribere *Godeſcalco Sajoni*, *Variar.* IV. 47. non certe Hippocomo vili; & ut de hujus vocis vera origine conſulant Lindebrogii *Gloſſ. LL. Barbarar. h. v.* Sed pergo. Si noſter forſan in animo habuit *l.* 12. *C. de C. P.* tum certe ſciendum, ibi *auri centenaria* (monetæ genus, non ornamenta equi ſunt, ut male Dion. Gothofr. *ad d. l.*) *ab Hippocomis in ſolitis ſacculis reportari* juberi: atqui *ſacculus* non eſt *ſaccus* gravior, qui omnino vehiculo transferri debeat, ſed *ſacculus* vel veredo vel parhippo æque transferendus: eſt autem illa vox hoc ſenſu ſatis antiqua, Catullo uſurpata *carm.* 13. *vſ.* 8. Gloſſæ: *Sacculus*, βαλάντιον, βαλαντίδιον.

IV. 15. §. 9. *Diplomata Tractatoria*.) Hæc partim impedita, partim falſa. Socium tamen erroris noſter habet Franc. Bernardin. Ferrarium *de Epiſt. Eccl.* II. 2 qui etiam *Tractatorias* ἀντὶ τοῦ *Tractorias*, ex corruptelis ſcribarum, legit: extricemus ordine ſingula: *Diplomata*, *Evectiones*, *Tractoriæ*, *Combinæ*, *Synthemata*, *Evocatoriæ*, ſunt codicilli, quibus Curſus Publici facultas datur. Euſtathio περὶ χρονικῶν διαστημάτων, *Tractoriæ* ſunt κελεύσεις, αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων προφάσει ζώων δρομικῶν γενόμεναι, ἃς καὶ Combinas ἡ αὐτὴ γλῶσσα καλεῖ Ῥωμαίων, τοῦτ᾽ ἔστι συνθήματα: ſic & Gloſſæ Nomicæ *Tractoriam* exponunt: κέλευσιν ἐπάρχου: ἢ καὶ Combina, ἤτοι σύνθημα περὶ τῶν δρομικῶν ζώων. Ergo *Tractoriæ*, dictæ ab emetiendo *tractus Curſualis*, ut loquitur Caſſiodor. *Variar.* IV. 47. in re Curſuali ſunt Evectiones ad Curſum Publicum perficiendum, ſive evocatis a Principe, ſive recedentibus a Principe, datæ, per Principem aut per PF. P. ſingulari beneficio, ad iter aliquod emetiendum. His, ſi a Principe dabantur, PF. P. ſubſcriptione ſua, non vero ipſe Princeps, addebat, nonnullis, annonarum præbendarum modum: *l.* 1. *C. T. de Tractor.* Hinc in *Tractoriis* quatuor notanda erant: 1. *Stativa* ſolita & ſola; 2. Modus debitæ præbitionis ſi addebatur hæc Stativis, ſive *Neceſſaria*. 3. *Dierum* numerus, quibus quis reſidere in quoque loco poterat. 4. Modus Curſus publici. Hinc erant 1. *Tractoriæ* cum *Stativis ſolitis ſoliſque*, quæ nudam interquieſcendi & conſiſtendi licentiam continebant. 2. *Tractoriæ* cum *Neceſſariis* inſuper, id eſt, ἐπιτηδείοις, id eſt, victu, annona, copiis. 3. Tempus *Stativarum* erat ad biduum, ſic Hegeſip. *IV. c. ult. Duobus Stativarum gratia Peluſii tranſactis diebus*; quæ Symmacho *Epiſt.* III. 83. dici videtur *ſtativa requies*. Sed *Neceſſaria* his tantummodo, qui animalia & equos ſacro uſui neceſſarios proſequuntur, conceſſa, præfinitum quinque dierum numerum habebant, ultra quos non licebat in Stativis reſidere. 4. Tractoriæ rhedarum, *in l.* 9. *C. T. de C. P.* Tractoriæ equorum, ap. Symmach. *Ep.* IX. 25. modum Curſus diſtinguunt. Vide *l.* 1. & 2. *C. T.* & *Tractor.* ibique J. Gothofred. quem ducem hic maxime ſequimur: & *l. un. C. d. t.* a Triboniano, contra mentem Theodoſii M. latoris, male interpolatam: ibique Cujac. vides itaque *Combinas*, forte a *Combinatione* chartarum ita dictas, quia, ſeparata charta, *Tractoria annonaria* per PF.P. ſolebat conjungi cum Evectione, Epiſtola Teſtimoniali ſive Dimiſſoria Principis, quod quia patebat faudibus, vetuit Valentinianus Imp. fieri, ſed ipſis literis Princi-

pis in eadem charta *Tractoriam annonariam* a PF. P. ſubſcriptione ſua ſubjici, *l.* 1. *C. T. de Tractor.* vides, inquam, *Combinas*, *Synthemata* & *Tractorias* haberi pro ſynonymis, ſaltem vicinis. *Evocatoriæ Epiſtolæ* quid ſint, ipſum docet nomen: de iis vide Sidon. *Epiſt.* VIII. 12. ibique doctiſſimum Sirmondum. Formulas dabit Caſſiodor. *Variar.* V. 26. 28. *Diplomata* & *Evectiones* ſunt quaſi generalia codicillorum Curſualium nomina. Formula, quam noſter ex Marculfo ſubjicit, erat ad vitioſum Pancirolli *Not. Imp. I.* 6. exemplum tranſcripta: ſecutus ego ſum multo emendatiorem Bignonii recenſionem, cujus *Notas* ad illam Marculfi *Formulam*, conſule, & Lindenbrogii *Gloſſar. LL. Barbararum* voce: *Tractoria*. Si hanc Formulam ex vero æſtimes, erit, ut ſic loquar, *Epiſtola Manſionatica Legatoria*, ſive, ut dicam verbo *Capitul.* IV. 73. *Diſpenſa Miſſi Dominici*, qua commeanti deſignatur *Privata*, ut tum loquebantur, ſive annonarum & ſpecierum cellarienſium modus ex publico præbendus. Sic enim *Tractoria* apud Francos medii ævi Scriptores accipitur, ut ex. gr. *Capitular.* IV. 30. & 69.

IV. 16. §. 2. *Tales ante Conſtantini M. tempora* &c.) Sub Trajano Rectores Provinciarum Evectiones dedere, ut colligo ex Plinii *Epiſt.* x. 121. ſub Antonino Pio jam nec dedere nec ſibi uſurpavere, ut licet diſcere ex Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 1. Poſt Conſtantinum M. res ita ſe habuit: ut docet J. Gothofr. *in paratitl. ad t. C. T. de C. P.* Dabat Evectiones *Princeps l.* 4. 9. 14. 40. 56. *Præfectus Prætorio l.* 9. 12. 35. 40. 56. 62. *Præfectus Urbis* in publicis tantum cauſſis *l.* 19. alias non *l.* 55. *Magiſter Officiorum* l. 8. 9. 22. 35. 49. non *Magiſtri Militum* l. 43. 56. (qui tamen ſub Honorio Evectiones dederunt, docente Symmacho *Epiſt.* VII. 105. 106.) non *Vicarii l.* 12. 38. 61. Non *Rectores Provinciarum* ſeu *Judices Provinciales l.* 40. Non *Conſulares* aut *Præſides l.* 5. 12. non *Comites Limitum l.* 52. non *Duces l.* 57. Ad ſpecies tantum Largitionales transferendas, veluti aurum, argentum, veſtes militares, cum neceſſitas publica ſuaderet *Præfecto Urbi Vicario* & *Præſidi* Evectionum faciendarum jus erat *l.* 13. 18. 20. 33. 40. 61. *C. T. d. t.*

IV. 16. §. 2. *A ſolo Præfecto Prætorii.*) Fuit tamen differentia aliqua inter Evectiones datas a Principe, & quæ a PF. P. dabantur. In illis enim ſæpe addebantur pluresdies, nempe, ut quis tot diebus alimentum, & capitum, in ſtatione vel manſione aliqua acciperet, & ut tractorias atque ſtativas haberet tot diebus: At enim PF. P. non niſi jus Curſum Publicum uſurpandi ſeu commeandi poterat tribuere, non vero commorandi ad dies aliquot, ut docet J. Gothofr. *ad l.* 9. *C. T. de C. P.*

IV. 16. §. 3. *Prætores*, &c.) Hæc & ſequentia debet Noſter Pancirollo ad *Not. Imp.* I. 5. qui conferatur. Ante omnes conſule doctiſſimas Lucubrationes de *Prætorio* & *Prætoribus* V. Cl. Jac. Perizonii, Elegantiorum Literarum in Athenæo Batavorum Doctoris celeberrimi, Amici noſtri, qui hoc argumentum ſuo more erudite pertractavit.

IV. 16. §. 5. *Duos Præfectos Prætorio crearunt.*) Ita & Plutarchus *in Gall. c.* 9. ubi *Galba ſubornat multos, qui in caſtris autumarent, mittendos eſſe ad Galbam, qui petant, ut Nymphidium perpetuum Prætorii Præfectum abſque collega eſſe vellet*: de Commodo Lamprid. *in Ejus vit. c.* 3. *p. m.* 167. 168. *In Præfectura perenni ſucceſſit Niger, qui ſex tantum boris Præfectus Prætorii fuiſſe perbibetur. Mutabantur enim Præfecti Prætorii per horas ac dies .... Fuit item Marcius Quartus Præf. Præt. diebus quinque. Horum ſucceſſores ad arbitrium Cleandri aut retenti ſunt, aut occiſi.... Præfectus etiam Ebutianus inter hos eſt interemtus; in cujus locum ipſe Cleander cum aliis duobus, quos ipſe delegerat, Præfectus eſt factus: tuncque primum tres Præfecti Prætorio fuere, inter quos libertinus, qui a Pugione appellatus eſt.*

IV. 16. §. 8. *Ad quam cura quoque* &c.) tanto magis, quod & hi *militare* dicantur, paſſim *in LL. utriuſque C. de Cobortalib.*

IV. 16. §. 8. *Ut loquitur Regino.*) *in Chronic. Franc. l.* 1. *p.* 36. *in Sylloge Piſtoriana Scriptor. Germanic.* ubi addit: *Comitem Stabuli, quem corrupte Conſtabulum dicimus*: vide Joh. de Laet *Galliam, c.* 6. *n.* 1. *p.* 68. *&* *n.* 15. *p.* 199. Joh. Tilium *de reb. Gall. p. m.* 258. *& ſeqq. Vinc.* Lupan. *de Magiſtr. Franc. l.* 1. *p. m.* 396. *& ſeqq.* Phil. Honor. *in Rel. de Regn. Gall. p. m.* 555. *& ſeqq.*

IV. 16. §. 9. *Codicis Juſtinianei.*) *Theodoſiani l.* 1. *tit.* 5. & *lib.* VI. *tit.* 6. *&* 7.

IV. 16. §. 9. *Emittere.*) *Ead. Not. Imp. Or. p. m.* 42. verſa: *Magiſter Officiorum ipſe emittit.* Sic & *in l.* 33. *C. T. de C. P. Evectionum emittendarum, etiam per cæteras provincias* illius diœceſeos in qua eſt illa Provincia, *duntaxat in translationem veſtium* Rector Provinciæ *habet facultatem, ſi forte in itinere Vicarius non fuerit*: adde dicta ad §. 2. & Paneiroll. *l. laud. c.* 23. *p. m.* 16.

IV. 16. §. 10. *Sub obſequii nomine.*) videndus Pancirollus *l. l.* 1. 9. *p. m.* 10. ſic *in l.* 3. *C. de Appar. Præf. Pr. & priv. eor.* ubi: *obſequiis militiæ terminatis*: vide Gloſſarium Nomicum *C. T. h. v.*

IV. 16. §. 10. *Ut breviter concludamus* &c.) Hæc Noſter minus accurate & confuſe propoſuerat, quæ recenſuimus paullo diligentius: ſequitur vero ducem Pancirollum *l. l.* 1. §. 5. quem confer, & vide Gutherium *de Off. D. A. II. a. c.* 1. *ad. c.* 17. qui doctiſſime, pleniſſime & accuratiſſime ea, quæ attinet ad *Præfectos Prætorio*, eſt perſecutus.

IV. 16. §. 11. *De Magiſtro officiorum.*) Sequitur pro more Pancirollum *l. l.* 1. 62. *p. m.* 41. Tu adde Gutherium *l. l.* 11. 20.

IV. 16 §. 12. *Nulli, quacunque dignitate* &c.) ſcilicet ſine Evectione: alias noti frequentiſſimi Epiſcoporum diſcurſus, per Synodos, quibus etiam Curſus Publicus valde ſucciſus fuit. Auguſtin. *Confeſſ.* v. 13. *Poſteaquam miſſum eſt a Mediolano Romam ad Præfectum Urbis, ut illi civitati Rhetoricæ Magiſter provideretur, impartita etiam evectione publica; ego ipſe ambivi per eos ipſos Manichæos vanitatibus ebrios, quibus ut carerem, ibam; ſed utrique neſciebamus, ut dictione propoſita me probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret.* Hieron. *ad Julian. tom.* 1. *fol. m.* 93. *verſo*: *Jam demiſſo Synthemate Equus publicus ſternebatur.* Evectione alias ſolum uti poterant *Agentes in Rebus, Senatores, Præſides, Rationales, Magiſtratus, Legati, Epiſcopi, Evocati a Principe.* Nullus autem Privatus poterat uti Evectione, qua privatus, etſi eam valuiſſet impetrare *l.* 11. *C. l.* 44. *C. T. de C. P.* ubi tamen Theodoſius M. Imp. excipit *Privatos, quos ſublimiſſimæ adminiſtrationis illuſtravit indeptio*, i. e. Expræfectos Prætorio, & Exmagiſtros Militum, quæ ſummi culminis dignitates fere ab eodem Theodoſio æquatæ erant *l.* 2. *C. T. de Præf. Præt.* excepto jure faciendarum Evectionum, quod PF. Pr. manſit ſoli: *l.* 43. *C. T. de C. P.* His, inquam, Præfectura Prætoriana, & Magiſterio Militum functis ob memoriam dignitatum geſtarum id *A. C.* 384. indultum, ut Curſu Publico privati poſſent uti, duplici tamen limitatione, 1. ſi revera his dignitatibus functi, & in actu poſiti fuiſſent, non ſi fuiſſent tantum titulares, ut vocant, aut codicillis tenus honorariis: 2. ut ſemel impetrata Curſus Publici licentia, qua ad propria, vel optata pervenerant, iterum eam uſurpare non liceat inconſulto Principe, & niſi Princeps id eis

gemino seu iterato beneficio concessisset nominatim, ut *d. l.* 44. accipit J. Gothofr. Sic quidem in Oriente. At in Occidente Cursus Publicus promiscua Evectionum licentia valde lacerabatur, ut discimus passim ex Symmacho, vide ex. gr. I. 22. ubi Ausonio scribit: *Accepi Evectiones quatuor, immane quantum commodas in excursus & recursus meorum. Dii Te pro tanta gratia munerentur.* Has Evectiones dederitne Ausonius *Præfectus Italiæ, Galliæve*, an *Consul*, dubitari posset. Coss. enim aliquando Evectiones dabant, ex Principis tamen auctoritate, non sua: talis Evectionis exemplum hoc refert Eminentissimus *Annalium* Conditor Baronius, ad A. C. 314. *n.* 70. *tom.* III. quod ex emendatione optima Gutherii *de O. D. A.* III. 15. adscribimus: *Petronius Probianus & Anicius Julianus* (Coss. A. C. 322.) *Domitio Celso Vicario Africæ. Quoniam Lucianum Capitonem, Fidentium & Nasutium Episcopos & Mammarium Presbyterum*, (hi erant Donatistæ præcipui, qui Constantinum M. interpellaverant adversus Cæcilianum Episcopum Carthaginiensem, quæ causa Romæ in Concilio damnata denuo in Arelatensi Concilio examinata fuit) *qui secundum cœleste præceptum Domini Constantini Maximi, Invicti, semper Augusti, ad Gallias cum aliis ejus Legis* (Donatisticæ factionis) *hominibus venerant: Dignitas ejus ad Lares proprios venire præcepit. Angarialem his cum annonaria competentia, usque ad Arelatensem Portum, secundum imperatum æternitatis ejusdem Clementissimi Principis, dedimus, Frater, qua inde Africam navigent. Quod solertiam tuam literis nostris scire conveniat. Optamus Te, Frater, felicissimum bene valere. Hilarius Princeps* (intellige Principalem Agentem in rebus) *obtulit* IIII. *Kal. Majas Treveris*. Videtur autem purpuratus Sacerdos humani quid pati, cum hanc Evectionem refert ad A. C. 314. cum sit referenda potius ad A. C. 322. quando finito Concilio Arelatensi hisce Donatistis evocatis reditus domum beneficio Imp. est concessus: sed pergamus: Theodericus Rex Mannilæ Sajoni ita scribit: *Præfecti Prætorio & Magistri Officiorum, ubi publica utilitate delegerint, ordinatione locatum, excedentium improbam præsumtionem tali te* Sajonem *præcipimus districtione resecare: ut sine Gothus sit, aut Romanus, qui sine nostra, vel eorum, quorum interest, Evectione veredum præsumit attingere, per unum equum centum statim solidos a Te cogatur exsolvere.*

IV. 17. §. 1. *In Inscriptionibus.*) i. e. Accusationibus: vide JCC. *ad titt.* Π. *& utriusque Cod. de Accus. & Inscript.*

IV. 17. §. 2. *Paucissimis.*) imo nulli alii concessum reperitur.

IV. 17. ad §. 4.) De *Ducibus* Pancirollus *l. l.* I. 139. pag. 84. *& seqq.* Guther. *de Off. D. A.* I. 4. de *Imperio* Sigonius *de Antiq. Jur. Prov.* II. 6. videantur.

IV. 17. ad §. 5.) Pancirollus *l. l.* Gutehr. *l. l.* II. 5. *Comitum* mentio passim *in Notit. Imp.* exstat. *Comitum Minorum* sive *Inferiorum* mentio *in l.* I. *&* 2. *C. T. Ne Comitib. & Trib. lavacr. præst.* erant vero *Comites Militares primi* & *secundi ordinis*, de quibus consule Jac. Gothofred. *ad l.* I. *C. T. de Comit. Rei Milit.* qui fere ad tuendum limitem destinati erant.

IV. 17. §. 6. *Jumentis propriis exsequantur* &c.) Unde colligimus, Duces Cursu Publico in Provinciam suam seu sibi commendatam, profectos fuisse, at Provinciam suam ingressos propriis jumentis debuisse uti.

IV. 18. §. 1. *Collegia seu Scholas Agentium in rebus.*) De his videantur Panciroll. *ad N. I.* I. 64. *p. m.* 43. *versa*: Guther. *l. l.* III. 10. & II. J. Gothofred. *in Paratitl. ad tit. C. T. de Agent. in reb.*

IV. 18. §. 2. *Tantum iter uno die* &c.) Hoc Procopius generatim non videtur dicere: verba ejus Græca sunt *l. l.* δέκατε ἂν ὅτω τύχοι ὁδὸν ἡμερῶν ἀμείβοντες ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ ἔπρασσον ἅπαντα.

IV. 18. §. 4. *Ob negotiorum multitudinem.*) hinc *in l.* 7. *C. T. de Privil. eor. qui in sacro Pal. mil.* dicuntur *plenum vigiliarum munus exercere.*

IV. 18. §. 4. *Necessaria habita ratione.*) etsi Theodosius M. id postea diserte ad *binos veredos* coartavit, *l.* 9. *eod.* Cætera in hoc §. paullo plenius & accuratius ad leges ipsas enarravi, quam ab Auctore factum erat.

IV. 18. §. 5. *Ad movendum militem.*) Sic Ammianus XIV. 10. *p. m.* 34. *Barbatio Comes* cum *Apodemio Agente in rebus milites duxisse* in occursum Galli narrat: mox Noster dixerat: *chevaux de surcroit, qu'on nomme* Parhippos *ou* Paraveredos: errorem hunc solennem in versione sustuli: non enim *Parhippus & Paraveredus* παραλλήλως ponuntur.

IV. 18. §. 5. *Principum Agentium in rebus.*) adde *paratitlon* J. Gothofredi & *LL. C. T. h. t.*

IV. 18. §. 6. *Birotum.*) dicitur & *Birota l.* 8. *C. T. de C. P.* alias *Cisium*, unde forsan Gallorum *Chaise* pro *Birotæ* genere. Gr. δίκυκλον.

IV. 18. §. 9. *Canalium Publicorum.*) De his porro Salmas. *Ex. Plin. p.* 339. *ed. Ultraj.* Quemadmodum. ,, Semitæ, quæ in via Regia secantur aliorsum, dicuntur proprie ἐκτροπαί. Varro ap. ,, Non. *Via una, sed ectropæ multæ.* (Fallit eum, ut sæpe, memoria: locus ex Varronis *l.* III. περιπλ8 περὶ φιλοσοφίας ap. Non. *in Spissum* ita se habet: *Et ne erraremus, ectropas esse multas; omnino tutum esse, sed spissum iter.*) ,, Glossæ: Diverticu- ,, lum, ἐκτροπή, καμπὴ ὁδ8: ita & in fluviis ἐκτρο- ,, παὶ, brachia, quæ ab auctore fluvio ἀποσχίζον- ,, ται: sic vice versa e contrario *Canalis* a Flumini- ,, bus ad Viam traductus est. Nam *Canalem* Viam ,, Publicam Veteres vocarunt. Hinc Constantinus ,, quoque *de Imp. admin.* notat Sclavos χαλάνλω ,, (imo vero lege κανάλλω, typi enim vitium est:) ,, vocare τλὼ καμμαξδμένλω ὁδὸν, i. e. *viam plau-* ,, *stris tritam*) quod ex Latino mutuatum est. Jac. vero Gothofredus *ad l.* 2. *C. T. de Curios.* iisdem argumentis, quibus Noster, duce Salmasio, usus est, utitur, ut probet, ,, Canalis appellationem ,, hic non pertinere ad aquarum sive fluminum ,, Canales; sed ad pedestre iter: nempe *Cana-* ,, *lem* esse, non Viam Regiam aut Militarem, ve- ,, rum Viam tranasversam, quæ in Regiam seu ,, Basilicam influat, quasi aquæ Canalis in alveum: ,, hinc & diserte *Parangarias & Paraveredos*, ,, qui extra Viam Regiam exigebantur, *ad Cana-* ,, *lem commoveri* dici *d. l.* 15. Esse *Canalem* πάρο- ,, δον, *chemin de Traverse*, qua *parangariæ* & *pa-* ,, *raveredi* usurpabantur: idem colligi posse ex *di-* ,, *cto canone* Sardicensi, ubi agitur de Episcopis ἐν ,, παρόδοις ἤτοι καναλίῳ constitutis, aliisque ea ,, parte, non *Regia Via*, verum *Transversa* in Co- ,, mitatum Imp. proficiscentibus, ut ita aliorum ,, ferme Episcoporum in Regia Via constitutorum ,, occursum vitarent: idque apud Athanasium esse ,, τὸ Κανάλιον τῆς Ιταλίας, Italiæ videlicet partem il- ,, lam, quæ extra *Viam Regiam* posita; & *Episco-* ,, *pi in Canalio Italiæ constituti*, qui in ea parte e- ,, rant. Ex his patere, frustra *Canalis* hac appella- ,, tione significatum aliunde peti a doctissimo Ber- ,, gierio *h. l.* Hæc ille: quæ magnam partem inania sunt, & legibus ac locis laudatis contraria. *Canalis & Via Publica* sunt παράλληλα, sic *in d. l.* 2. *de Cur.* diserte dicuntur *Canales Publici*: deinde ibidem §. 2. dicuntur exigi *rhedæ, birota, veredi*: atque *Veredi*, ex Gothofredi etiam sententia, exiguntur in Via Publica, ubi est Cursus Publicus:

tandem

tandem & hic ad *Canales Publicos* præficiuntur duo Agentes in rebus a Constantio & Juliano Impp. qui *Cursum Publicum gubernent*, quod certe in Transversa Via, ad quam non erat Cursus Publicus, fieri non poterat. Sensus legis dictæ est clarus & planus: §. 1. ita sonat: *Nec vero multos* Agentes in rebus *esse per singulas provincias jussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, ut, licet in Canalibus Publicis hæc necessitas explicetur*, (id est, etiamsi necessitatis publicæ exegerit usus, ut a publico itinere, in quo est Cursus Publicus, aliqua alia Militari Via, in qua non est Cursus Publicus, sit devertendum, ut loquitur *l.3.C.T.de C.P.* nam *explicare* hic est digredi ab ordinariis Cursus Publici stationibus: sic *in l.1.C.T. eod.explicare mansionem* est digredi ab ordinaria Cursus Publici statione in aliam, ubi Cursus Publicus non stat: quo loco non debuit *in Notis* fluctuare J. Gothofredus, sitne *applicare & appellere ad Mansionem*, an vero reponendum sit *applicare?* aut num sit mansionem aliquam transgredi & ad aliam pervenire?) *numerus tamen amplior esse non debeat*. Quare placet etiam sententia Gutherii *de Off. D. A.* III. 15. *circa* fin. ubi ait:
,, *Canalia publica* Scriptoribus minus trita sunt.
,, *Canales* in Impp. LL. dicuntur, & ad Cursum
,, Publicum pertinent. *l. 2. C.T. de Cur. l. 15. C.*
,, *T. de C. P.* Canalis, *τοποθεσία, ἔξοδος, δημόσιος ἀγωγὸς, ὀχετὸς.* i. *loci descriptio, seu in quo*
,, *quis accumbit: Via, quæ aliunde extenditur,*
,, *transitus, egressio: dux Viæ publicus: canalis* ab
,, *ὄχος, currus, vehiculum.* Ergo *Canale* sive *Ca-*
,, *nalium* proprie locus est, per quem Cursus Pu-
,, blicus dirigitur. In Concilio Sardicensi Gau-
,, dentius Episcopus *can.* 21. dixit: *Unusquisque*
,, *Nostrum, qui in Canali constitutus est, cum pro-*
,, *gredientem Episcopum viderit, inquirat transi-*
,, *tum ejus; caussas videat; quo tendat, agnoscat:*
,, *&, si quidem eum invenerit ire ad Comitatum,*
,, *requirat & illud, quod superius comprehensum*
,, *est; nisi forte invitato ei facultas eundi permit-*
,, *tatur: si vero propter desideria & ambitiones ad*
,, *Comitatum pergat, neque in literis ejus subscri-*
,, *batur, neque in communionem recipiatur:* ἐ
,, *ταῖς παρόδοις ἤτοι καναλῳ Ἐπισκόπων καθεστώ-*
,, *των.* scilicet Πάροδος, *Transitus*, qui prætereun-
,, do fit; seu locus, qui *παρὰ τὴν ὁδὸν, juxta viam*
,, situs est. *Episcopi* ergo *in Canalio constituti* sunt,
,, qui sedes habent in Cursu Publico, Via scilicet,
,, qua equi publici dispositi sunt per Stationes sin-
,, gulas ad iter agendum. Hæc optime Gutherius:

quibus addo, *Canalis* istam significationem forte satis antiquam esse. Plautus *Curcul.* IV. 1. *vs.* 15. ait homines *ostentatores ambulasse in medio Foro propter Canalem*. Nardinus *R.V.* v. 7. hinc intelligit os Cloacæ maximæ. *Canalicolæ, forenses, homines pauperes dicti, quod circa canales Fori consisterent*, ut ait Fest. *h.v.* Gellius IV. 11. *Cavillatores, Canalicolas*, & *Mimos ridicularios* componit. forsan *Canales Fori*, erunt loci ambulationis per Viam Fori, sive *Canales* intelligi poterunt Viarum Urbanarum Militarium partes laterales, quibus maxime homines ambulasse vero est simile.

IV. 19. §. 9. *Commovere.*) Verba *Movere* & *Commovere* rei Cursuali sunt propria, *passim in LL. C. J. & T. h. t.*

IV. 18. §. 9. *Ammiano Marcellino.*) *lib.* XIV. *c.* 10. *p.m.* 32. *Ne quo casu idem Gallus, de futuris incertus, agitare quædam conducentia saluti suæ per itinera conaretur, remoti sunt omnes de industria milites agentes in civitatibus perviis.* At Ciceronis locus, quem noster pro more generatim laudarat, & ibi memoriæ culpa dixerat appellari *oppida devia*, est hic: *Cum inde Romam proficiscens* Antonius *ad Aquinum accederet, obviam ei processit, ut est frequens municipium, magna sane multitudo: at iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates; sed tamen in Via habitabant: quid Anagnini? qui cum essent devii, obviam ei descenderunt, ut istum, tanquam si esset Consul, salutarent.*

IV. 18. §. 10. *Gradus autem erant* &c.) scilicet ut postquam per quinquennium fuissent *Tyrones*, ad primum honorem *Equitum* proveherentur: *l.3. & 4.C.T. de Agent. in reb.* in illo autem quinquennio dicebantur *Tyrones*; Symmach. *Ep.* VI. 53. *Maximum veterem amicum, sed novum Agentem in rebus accipite inter Tyrones cum canitie militantem.* Cæterum observa Græcis *Agentes in rebus* dici Αγγελιαφόρυς, Sexto Aurel. Victori *de Cæss. in Diocletiano p. m.* 243. *Agentes rerum.* Athanasius *in Apol. ad Constant. p.* 529. Latinam vocem retinuit Αγέντες ὲν ῥέβυς, pro qua monstrose scriptum Αγεντισηελικὺς & monstrosius ab Interprete versum: *Præfectos Sericorum*, observante J. Gothofredo *in paratitl. ad d. t.*

IV. 18. §. 11. *Curiosos.*) qui etiam dicti sunt *Curagendarii*, *l.1.C.T. h.t.* & *Exploratores l. 3. C.T. de C. P.* quia omnia, quæ geri in rep. videbant, ad Principis sui notitiam deferre debebant *l. 4. C. T. de Cur.* Sub Constantino M. dirigebantur ex Memorialibus quoque & Palatinis aliis *l.2. C.T. de Privil. eor. qui in Sacr. Pal. mil.* postea sub Constantio missi tantum ex Agentibus in rebus *l. 2. pr. C.T. de Cur. Curæ* & *Cursus* ipsis passim in LL. adscribuntur: a quo posteriore Gr. dicti: *φροντισαὶ τῦ Δρόμυ.* a priore Tertulliano, *de Fuga*, *πολυπράγμονες.* submoti tandem, ob frequentes deprædationum querelas, *passim in C.T. h.t.* ab Honorio Imp. ex Africa, *l.* 11. & ex Dalmatiæ Litoribus, atque Insulis *l.* 12. *eod. tit.* Quæ noster mox *de Præsentali* subjicit, ea didicit ex Pancirollo *ad N. I.Or.* I.. 71. *p. m.* 45. *versa*. Pancirollus autem non describit recte *Præsentalem Curiosum*. *In Not. Imp. Or. p.* 42. *versa:* sub *Officiorum Magistro* memorantur: *Curiosus Cursus Publici Præsentalis unus: Curiosi per omnes Provincias:* deinde *in Not. Imp. Occid. p.* 138. *versa*: sub *Magistro Officiorum Occidentis* etiam recensentur: *Curiosus Cursus Publici in Præsenti: Curiosi omnium Provinciarum.* Hic autem *Præsentalis* vel *in Præsenti* generatim dicitur, qui in Comitatu Principis præsens erat, ubicunque is esset, sive CP. sive Romæ, sive Mediolani, sive alibi. *l. 1.C.T. de Domest. & Protect. l.4.C. eod.* Euagrio IV. 2. *παρασάσιμοι.* Nempe ibi, & vel maxime, Curiosum oportuit esse Cursus Publici, ubi & unde Cursus Publicus bonam partem initium ducebat, propter frequentiam non tantum ad Principem commeantium, verum & inde proficiscentium, Principeve *jubente festinantium in necessarium obsequium*, ut habet *l.2 C.T. de Curios.* ad quam videatur Jac. Gothofredus: Hic videlicet maxime videndum erat, ne quis citra evectionem, vel supra modum concessum usurparet Cursum Publicum: adeoque male CPolim tantum relegat *Præsentalem* Pancirollus, cum tamen & alter *Præsentalis* Magistro Officiorum Occidentis fuerit, unde ipsi *Notitiæ Imp.* contrarius est: Forsan *l.7.C.T. de Cur.* in mente illi fuit, ubi Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius jubent ex *Agentibus in rebus*, qui in *eminentioribus Urbibus Cursualem sollicitudinem agunt, unum* Curiosum *transeuntium Evectionibus tantum inspiciendis*, non aliis curis, vacare: sed hi non sunt *Præsentales*: de *Curiosis* vide & Guther. *de O. D. A.* II. 3.

IV. 19. ad §. 3.) Vide supra I. 26. §. 8.

IV. 19. § 5. *Iter diurnum.*) JCC. Gajus & Ulpianus *in l.* 1. *Π. si quis caut. l.* 3. *Π. de V. S.* in

dies singulos XX. M. P. ab eo peragi voluerunt, qui iter conficit; scilicet si sit expeditus, nullisque vel oneribus vel impedimentis prægravatus *l. 2. §. 3.* ff. *d. t. si quis caut.* adde l. 13. §. 1. ff. *de Excusation.* At Vegetius *de R. M.* I. 27. armatis instructisque, militari gradu, X. M. P. diurno itinere ambulandum ex veteri consuetudine & constitutione D. Augusti & Hadriani permansisse refert, quæ ergo noster Bergierius simpliciter militi legionario adscribit in horas V. æstivas pro *militari gradu* XX. M. P. pro *gradu pleno & citatiore* XXV. M. P. ea cum ipso Vegetio I. 9. veteri more referenda sunt ad Tyrones; mutatio, si qua fuit, ad tempora sequiora. Hinc lucem forsan accipit Suetonii locus, de Galba ad essedum Caii Imp. decursione campestri per XX. M. P. currente *in Galbæ vit. c.* 6. narrat enim ibi, quomodo veteranos & tyrones Galba, ipse hac re insignis, assiduo opere corroborarit. Forsan ob hujus diurni itineris rationem *milites* a Juliano Imp. *jussi ad vicesimum lapidem capitum petere*, *l. 7. C. T. de Erog. mil. Annon.*

IV. 20. §. 2. *Inter alia invenio* &c.) huc refer ex Inscr. *M. Porcium M. F. Aniens. Aprum, IIVirum, Præf. fabr. Trib. mil. Leg.* VI. *Ferrat. Proc. Aug. ab alimentis Flaminiæ*: Gr. 457. 10. *M. Veserium M. F. Pal. Jucundianum, Præf. fabr. ad censum velatum Proc. alimentorum Viæ Flaminiæ*, 495. 6. item *Præfectos Annonæ* generatim, & speciatim *Præfectum alimentorum per Æmiliam, P. Mummium P. F. Gal. Sisennam Rutilianum Cos.* 1097. 7. *Præf. alimentorum Clodiæ & cohærentium, C. Luxillium C. F. Pompt. Sabinum*, 433. 1. Item *A. Fannium A. F. Arnens. Sergianum, Eq. Publ. Flamin. Augustal. Patron. Colon. Iguvin. & Curat. Viar. Præposit. & Procurator. Annonæ Flaminiæ & Picen IIIVir. Capital. Munic. Asculani Curat.* ex Inscriptione, quam ex Sylloge Gudiana nondum edita publicavit CL. Grævius *in Præfat. Tom. 1. Thes. A. R p. 21.*

IV. 20. §. 2. *Horrea.*) Ea Horrea Publica, sive Fiscalia, erant vel α. *Urbis*, & quidem partim in ipsa Roma, *l. 1. 2. C. T. de Cond. in publ. Horr.* Horrea Romana Symmacho *Epist.* III. 55. partim in portu Urbis, Horrea Portuensia *tit. C. T. de Patron. Horr. Portuens.* vel β. *Provinciarum*, quorum alia *Populo Romano* erant destinata, ut in Macedonia, Symm. *l. l* in Africa, Ammian. XXVIII. 3. p. m. 434. & forsan quoque alibi locorum: alia *erogationi militaris annonæ* per limites & castra, *passim in LL. titt. de erogat. milit. annon.* in quibus condebantur, & ex quibus rursum erogabantur *Horreaticæ species*, ut vocantur *in l. 3. ult. C. T. de Cond. in publ. Horr.*

IV. 20. §. 2. *Singulis Mensibus.*) Addiderat hic noster *l. 2. C. de C. P.* at illa nihil facit ad institutam rem: verum *l. 6. C. l. 17. C. T. de Erog. Mil. Annon.* at in ea jubentur *Milites, annonas & capitum singulis diebus de horreis consequi.* Est tamen in Gloss. Vet. Ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικὸς, σιτηρέσιον, *Frumentum, quod miles singulis mensibus accepit ad victum*, apud Guther. *de O. D. A.* II. 11. Polybius VI. 13. *p. m.* 489. de sua ætate: *Opsonium*, ait, *pedites duos obolos accipiunt singulis diebus, ductores ordinum duplum, equites drachmam: Triticum datur peditibus, Attici medimni ex tribus ferme duæ partes: equitibus hordei septem medimni singulis mensibus, tritici duo*: distingue tempora, & non errabis. Scipio Numantinus militem jussit secum ferre menstruum seu XXX. dierum frumentum: Liv. *in Epit. lib.* LVII. Ciceronis ævo *Tusc. Q.* II. 16. *ferebant plus dimidiati mensis cibaria.* Sub Cæsare *de B. C.* I. 78. *legionarii dierum XXII. frumenta ab Ilerda extulerunt.* Sub Vespasiano *tridui viaticum* secum ferebant, teste Joseph. *de B. J.* III. (ita & Alexandri M. milites ap. Curt. V...) sub Alexandro Severo XVII. *dierum*, qui ferme mos solitus Lamprid. *in Alex. Sev. c. 12. p. m.* 436. Ammian. XVII. 8. p. m. 120. sub Constantio ἐφόδιον σιτηρέσιον, expeditionalis annona ad XX. dies jussa transvehi *l. 5. C. T. d. t.* quod & Juliano placuit ap. Ammian. *l. l. p. m.* 119. Libanium *Orat. funebr. Julian. p.* 302. Iidem Impp. deinde constituerunt, ut *milites in expeditione degentes biduo expeditionalem annonam* i. e. bucellatum & acetum, *tertio die panem & vinum*, *l. 4. C. T. d. t.* deinde *l. 3. d. t.* hoc aliqua ex parte mutant, ut acciperent *uno die vinum, altero acetum: uno die laridum, biduo carnem vervecinam*: adde *ad sect.* 19. §. 5.

IV. 20. §. 3. *In l. 9. C.*) adde *l. 19. & 21. C. T.* eod.

IV. 20. §. 4. *Ab Officialibus & Scholasticis.*) ita legit *C. T.* Ab *Officialibus* ad exactiones missis; a *Scholasticis* seu Advocatis publicas caussas, uti Civitatum, Templorum, Ecclesiarum tractantibus: scilicet cum utrique, officii ergo, ex uno loco ad alium pergerent, & Provinciales in Mansionibus ac Civitatibus concurrerent, & ministrari sibi ac animalibus suis annonas ac capitum sine precio vellent, unde vides *h. l.* non satis commode huc trahi. melius laudasset *l. 1. C. T. de Erog. Mil. An.*

IV. 20. §. 5. *Cænophrium.*) de hac mansione vide doctissimos Commentatores ad Lactant. *de Mort. Pers. c.* 6.

IV. 20. §. 7. *Cum ligone duobusque vallis.*) De *ligone* magis idoneos testes requiro. In Columna Trajana quidem exhibentur; videas Du Choul, *de la Castrametat. des Romains p. m.* 19. *ed. Vesal.* 1672. sed quæritur, num in onere ordinario *ligones cum vallis* portarint? de Tyronum vero in portandis oneribus exercitio videndi Vegetius I. 3. & 19. Polybius VI. 8. *& seqq.* & Viri Docti, qui rem militarem Romanorum illustrarunt, Lipsius, Valtrinus, Hugo, Passenrodius, aliique.

IV. 20. §. 9. *Locus insignis D. Ambrosii.*) jam olim observatus Josiæ Simlero *in* erudita *præf. ad Itin. Antonin. ed. Basil.* 1572. quæ & consuli poterit.

IV. 21. ad §. 2.) Sequitur hic & *in seqq. §§.* Pancirollum *ad N. I.* I. 66. *p. m.* 44. *versa.*

IV. 21. §. 3. *Formularum receptionis* &c.) at ea potius referenda videtur ad Præfectum Fabrorum.

IV. 21. §. 4. *Porro semel Fabricenses* &c.) adde hic *Nov.* XIII. Impp. *Theodosii & Valentiniani AA. C. T. de Bonis Fabricensium*, ex qua *in* C. relata *d. l. 5. de Fabric.* sed minus emendate: vide & generatim *de Fabricensibus & Fabricis* plenissime agentem Guther. *de O. D. A.* III. 12.

IV. 21. §. 4. *Ad imitationem tyronum.*) ratione usus, non loci: nam hi in manu signabantur; non in brachiis. Aetius Amydenus *de Re Med.* VIII. 12. στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα: οἷά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί. Hinc Gregorio *Epist. lib.* II. laudatur constitutio Mauritii, prius tamen a Juliano lata: *Ne quis manu signatus ante expletam militiam ad monasterium migret.* Simili ratione & *Aquarii*, sive *Aquarum Custodes*, Ὑδροφύλακες, *in singulis manibus impresso nomine* Imp. *signabantur*, *l. 10. §. 2. C. de Aquæd.* Vide Gothofredos *ad d. ll. 4. & 3. C. I. & T. de Fabric.* Noster porro laudarat ad marginem *l. un.* C. *si Curial. relicta Civ. rus habit. mal.* Sed illa huc minime quadrat, & inepte advocatur.

IV. 21. §. 5. *Primicerius Fabricæ.*) Cassiod. *Var.* VII. 19. *in inscriptione*, appellare videtur *Præpositum Armorum factoribus.* alias & *Tribunus Fabricæ* dicitur, ut docet Jac. Gothofred. *ad l. 3. C. T. de Fabr.*

IV. 21. §. 7. *A Metati onere.*) Arcadius Imp. *in l.* 8. *C. T. de Metat.* & hinc interpolata *l.* 4. *C. eod. a Fabricensium domibus omnem molestiam hospitum* præcepit *amoveri*: nisi forsan Comitatus Principis ibi versetur loci.

IV. 21. §. 7. *l.* 1. *C. de Excus. Artific.*) & unde hæc translata, *l.* 2. *C. T. eod.* ubi in *brevis subditi notitia* inter alios recensentur *Argentarii*, *Barbaricarii*, *Fabricarii*.

IV. 21. §. 7. *Ut pertinerent* &c.) Et hinc pleræque *C. & C. T.* leges de Fabricensibus & *Novella* LXXXV. *de Armis* ad *Magistrum Officiorum* diriguntur. adde ad privilegia, quod intestatis successerint Collegis, si non essent liberi. *Nov. Theod.* XIII. *de Bonis Fabricens.*

IV. 21. §. 7. *Videatur tit. C. de Off. Mag. Off.*) At is nihil hac de re habet, nisi forsan velit obtorto collo huc rapere *arg. l.* 4. *d. t.* debuisset laudare *l.* 7. *C. de Fabricens.* quæ notanda; & *Nov.* 85. *c.* 1.

IV. 21. §. 8. *Severi Imp.*) Noster non satis recte ad Claudium retulit. rectius Junio *l. l.* videtur a Cajo prius factum, deinde a Severo restitutum, quod posterius certo constat, ex Inscr. ibidem reperta, quam Junius adfert.

IV. 21. §. 9. *De cæteris Provinciis.*) In quibus & porro hæ sunt Fabricæ: *in Not. Imp. Occ. p. m.* 138. *& seq.* In Illyrico v. *Sirmiensis*, scutorum, balistarum & armorum; *Aciensis*, (f. *Acincensis*,) *Cornutensis*, *Laureacensis*, scutariæ; *Salonitana*, armorum. In Italia VI. *Concordiensis*, sagittaria; *Veronensis*, scutorum & armorum; *Mantuana*, loricaria; *Cremonensis*, scutaria; *Ticinensis*, arcuaria; *Lucensis*, spataria: adeoque sunt in universum Fabricæ XIX. in Occidente: adde Panciroll. II. 30. 31. 32. 33. In Oriente erant XV. docente *Not. Imp. Or. p. m.* 42. versa: ut *Orientis* stricte dicti v. *Damasci*, scutaria & armorum, sic & *Antiochiæ*; iterum *Antiochiæ*, clibanaria; *Edessæ*, armamentaria & scutaria; *Irenopoli Ciliciæ*, hastaria: Ponticæ III. *Cæsareæ Cappadociæ*, clibanaria; *Nicomediæ*, scutaria & armorum; ibidem *Nicomediæ*, clibanaria: Asianæ I. *Sardis Lydiæ*, scutorum & armorum: Thraciarum II. *Hadrianopoli Hæmi montis*, scutaria & armorum; ita & *Martianopoli*: adde his ex *l.* 1. *C. T. de Fabric. Constantinopoli*, armorum, sub Valente Imp. ut sint ergo XVI. Fabricæ. Illyrici IIII. *Thessalonicensis*; *Naissatensis*; *Ratiarensis*; *Horreomargensis*, scutaria. Fuerunt ergo per Imperium Romanum Fabricæ XXXIV. aut XXXV. Noster deinde, per incuriam, tabellam, ut & illas *sect. seqq.* a Pancirollo *ex Not. Imp.* concinnatas habuit pro ipsa dispositione Notitiæ, quod correxi.

IV. 22. ad §. 1. *& seqq.*) Hæc sectio debetur maxime Pancirollo *l. l.* II. 44. *p.* 143. adde Guther. *de O. D. A.* III. 22.

IV. 22. §. 1. *Barbaros* aut *Barbarios.*) Sed ibi lectio valde variat: etiam quidam legunt *Barbaricos*, alii *Barbaricarios*.

IV. 22. §. 2. *Fabros argentarios.*) Scævola JC. *in l.* 61. *pr.* ff. *de Obl. & Action.* vocat *Argentarios vascularios*.

IV. 22. §. 4. *Comes Sacrarum Largitionum.*) hic vitia etiam typographica in Pancirollo secutus erat: tu porro consule Gutherium *l. l.* III. 16. & Jac. Gothofr. *Notitiam Dignitatum Cod. Th. p. m.* 327. *& seqq.* dicti sunt quoque, ut hi docent, *Comites remunerationum*, *& munerationum*; hinc eorum *dignitas muneraria*, Cassiodoro *Var.* VI. 7. etiam *Comites Solemniorum*, ut suspicatur *l. l.* Guther. Hieronymo *in Ezech. c.* 23. ut putat & legit Pancir. *Præfecti tituli canonicarii*: sed ibi legitur *annonarii*, ut potius videantur intelligi *Præfecti Annonæ*.

IV. 22. ad §. 6.) In Oriente *Barbaricarios* fuisse lego *Antiochiæ* & *Constantinopoli*, *d. l.* 1. *C. T. de Fabr.* at *in Not. Imp. Or. p.* 42. *versa*: in officio *Magistri Officiorum* numerantur *tres Subadjuvæ Barbariorum*, ubi legendum videtur *Barbaricariorum*.

IV. 23. ad §. 1 & seqq.) vide etiam, præter Pancirollum laudatum, Gutherium *l. l.* III. 20.

IV. 23. §. 4. *In libris Juris.*) Novell. 105. *c.* 1. ubi θεατρῷ κυνηγία, ubi vulgata versio *Theatroquinegia*, quod ineptum. intelligitur *venatio Theatrica*.

IV. 23. ad §. 5.) Observo *in Not. Imp. Occid. p.* 140. *versa*: sub *Comite Sacrarum Largitionum per Illyricum*, *Comitem Vestiarii* primo loco: qui scilicet vestes Principis, lintea, stragula, mantilia, aulæa & hujusmodi alia custodiebat. In Oriente hujus loco erat *Magister lineæ vestis*, *& Magister vestis privatæ*, *N. I. Or. p.* 49. ille procurabat & conservabat *lineas*, ab Honorio A. inter *Cubicularios* numeratus *l. un. C. T. Qui a præbit. tyron.* hic *sericas* & *laneas* procurabat; *lanam* scilicet & *sericum* ad tapetia, stragulas, aulæa, lectos, papiliones & similes vestes pecti, ad opus perduci, & ad usum confici curabat. Panciroll. *l. l.* 1. 46. quod vero idem ait a Constantino A. *in l.* 2. *C. de Murileg.* hos appellari *Procuratores rei privatæ*, in eo fugit eum ratio: nam ea in lege distincte recensentur Procuratores *rei privatæ*, *baphii* & *gynæcii*. qui vero sint *Procuratores Rei privatæ*, Jac. Gothofred. *ad tit. C. T. de Actor. Procur. & Cond. R. P.* dicet, nimirum, *domorum & possessionum Principis*: sed pergo. Vestiarium erat locus, teste Suid. *h. v.* in quo vestes reponuntur. Ibidem *in Not. Imp. Pr. p.* 49. sub eodem *Comite S. L.* memorantur *Procuratores Gynæciorum*, at quot fuerint *Gynæcia*, non additur. in Cappadocia unum fuisse, ex *l.* 5. *C.* vel *l.* 7. *C. T. Ad L. Jul. Repetund.* liceret colligere, si vera foret Græcorum interpretatio *d. l.* Κόμης τῶν οἰκῶν, ἐςὶ δὲ ὅτος ἐν Καππαδοκίᾳ ὑποκείμενος τῷ κόμητι τῶν πριβάτων. sed errant. Lex illa data est *Mediolani*, A. C. 390. adeoque est *Valentiniani* Junioris (non etiam Theodosii,) ille enim, non hic, *Occidenti* præfuit, eoque tempore *Mediolani* fuit, sed Theodosius CP. Nec solus & unicus *Comes domorum* fuit, qui per *Cappadociam* fundis Tamiacis præesset, sed plures, testibus vel *d. ll.* & *l.* 16. *C. T. de Bon. Proscript.* Coll. *Not. Imp. Occ. p m.* 144. ubi sub *Comite Rer. Priv.* etiam *Comes patrimonii Gildoniaci* per Africam, qui *in d. l.* 16. *Comes & Procurator domus Divinæ* fuit: quare miror Græcorum commenta placuisse plerisque JCC. ut magno Cujacio *de Præscript. c.* 20. & hunc secuto Dion. Gothofredo *ad d. l.* 5. *C. Ad L. Jul. rep.* ac olim Pancirollo *l. l.* Facem hic mihi magna ex parte prætulit Jac. Gothofr. *ad d. l.* 7. *C. T. Cyzici* in Hellesponto etiam fuerunt ἐργοὶ ςρατιωτικῶν χλαμύδων, teste Sozomeno v. 14. item *Scythopoli* in Cœlesyria, collegium *Linyforum* sive *Linteonum l.* 8. *C. T. de Murileg.* Huc etiam suspicor referendum locum veteris Anonymi, qui *Expositionem totius mundi* dedit, *p. m.* 257. *edit. a Cl. Jac. Gronovio, literarum decore ac præsidio, procuratæ Leid.* 1697. ubi legimus: *In linteamina sunt hæ: Scythopolis, Laodicea, Byblus, Tyrus, Berytus, quæ linteamen omni orbi terrarum emittunt, & sunt abundantia Similiter autem & Sarafa & Cæsarea, & Neapolis, quomodo & Lydda purpuram altinam*. Cæterum *Gynæciis* in Occidente, præter ea in Galliis, adde reliqua, ex *N. I. Occ. p.* 141. & quidem 1. *Bassianæ* in Pannonia inferiore, ad radices montis Tarsii prope Savum flumen; quod Gynæcium prius fuerat *Salonæ* in Dalmatia. 2. *Sirmii* in Pannonia secunda. 3. Gynæcium *Jovense* Dalmatiæ, haud procul Spalato. 4. *Aquilejæ* in Venetia inferiore. 5. *Mediolani* in Liguria. 6. *Romæ*, ubi textrina erat preciosarum vestium. 7. *Canusii* & 8. *Venusii*

in Apulia. 9. *Carthagine* in Africa; hoc ibi unicum erat. 10. *Dremtense* in Britannia. ergo cum VI. illis in Galliis forent XVI. Gynæcia per Orientem: quibus addendi ex *N. I. ll. ll. Procuratores Linificiorum* in Oriente; & in Occidente *Procuratores Linificii Viennensis Galliarum*, & *Ravennatium Italiæ*.

IV. 23. ad *§*. 6.) adde Pancir. *l. l.* I. 74. Gutherium *de O. D. A.* III. 21. reliqua VII. *Baphia* Occidentis, a Nostro prætermissa, *in N. I. Occ. p.* 141. sub eodem *Comite S. L. Occid.* sunt: 1. *Tarenti* in Calabria. 2. *Salonæ* in Dalmatia. 3. *Cissense* (Pancir. legit *Cistense*) in Venetia & Istria. 4. *Syracusanum* in Sicilia. 5. Plura, quorum nomina reticentur, per *Africam*. 6. *Girbitanum* in Provincia Tripolitana. 7. *Balearium* Insularum in Hispania. In Oriente reperio *N. I. Or. p.* 49. *Procuratores Baphiorum*, sed nomina reticentur. De *Tyro* reperio apud Plin. *H. N.* V. 19. *Nunc omnis nobilitas* Tyri *conchylio & purpura constat.* hinc in nummis Tyriorum & Sidoniorum passim *conchylium* pro nota additur. Eusebius *H. E. l.* VII. *cap. ult.* scribit, *Dorotheum Eunuchum*, qui postea Antiochiæ Presbyter fuit, (sub Juliano Martyr, *Martyrolog.* V. *Junii.*) *purpuræ apud Tyrum tingendæ præfuisse*. Generatim lego *Baphia Phœnices*, *in l.* 5. *ult. C. de Vestib. holob.*

IV. 24. ad §. 2.) Reliquos addo ex *N. I. Occ. l. l.* qui fuerunt: 1. *Salonæ* in Dalmatia. 2. *Sisciæ* citra Savum in Pannonia superiore. 3. *Sabariæ* in Pannonia prima, inter flumina Danubium & Savarium. 4. *Aquilejæ* per Italiam. 5. *Mediolani* Liguriæ. 6. Urbis *Romæ*. 7. *Augustæ Vindelicensis* in Britannia. In Oriente sub *Comite S. L.* in *N. I. Or. p.* 49. generatim commemorantur *Præfecti Thesaurorum*, de quibus ibi Panciroll. I. 74. & Guther. *l. l.* III. 18. apud Ammianum XXIX. 3. *p. m.* 467. reperio *Comitem Thesaurorum per Thracias*; & *Comitem Thesaurorum*, per Ponticam, in qua erat *Cæsarea*, apud Basilium Episc. Cæsariensem, *Epist.* 84. ad *Sophronium Magistrum*, ut puto, Rei Privatæ. vide *l.* 14. *C. T. de Div. Off.* & *l. un. C. T. de Consular. & Præfid.* atque ibi J. Gotofredum.

IV. 24. *ad §*. 3.) adde Guther. *de O. D. A.* III 19. Panciroll. *l. l.* ubi in *N. I. Or. l. l.* sine ullis Monetariarum Officinarum nominibus generatim nominantur sub *Comite S. L. Procuratores Monetarum.* reperio tamen, *Cyzici* in Hellesponto fuisse *δημοσίυς τεχνίτας τῦ νομίσματος* apud Sozomen. V. 14. hinc Ammianus XXVI. 11. *p. m.* 392. meminit *Thesaurorum Cyzici.* item *Monetarios in Bithynia*, *arg. l.* 1. *C. & C. de Murileg.*

IV. 24. §. 3. *Lugduni*, *Arelate*, *Treveris*.) Hinc creberrimæ in posteriorum Impp. nummis argenteis & æreis notulæ: PTR. PTRE. P. T. TRS. TRPS. quæ *Pecuniam Treveris signatam* innuunt. P. L. i. e. *Pecunia Lugdunensis*, vel *Percussa Lugduni.* SARL. i. e. *Signata Arelate* Moneta. hinc nescio quis Præfectus, quem Scaliger *in Ind.* V. Gruteri facit *III Virum*, *Monetæ Trivericæ*, ap. 493. 3. ubi melius dixisset *Procuratorem*. Est enim mutila quidem Inscr. sed tamen sub posterioribus Impp. facta.

IV. 24. §. 4. *Sola civitas Arelatensis* &c.) Mihi non persuadet hoc. cum enim istud facerent, non erant sub Imperio Romano. diserte Procopius *l. l. Ut Gallias Germani haberent, Justinianus permisit; ex quo tempore Principes Germanorum, & cætera circa id mare loca tenuerunt, unde & Arelate resident.* quibus ista ab Auctore allata subjiciuntur.

IV. 25. ad *§*. 1. & seqq.) vide & Gutherium *de O. D. A. III.* 14.

IV. 25. §. 3. *Angaria*.) Distingue significata. notat 1. *γραμματοφορίαν*, *ἀγγελιαφορίαν*, tabellariorum obsequium. 2. necessitatem omnem commeandi & laborandi cum onere conjunctam; sic *angariantur* naves, Simon Cyrenæus, alii. videnda hic Libanii oratio *περὶ Αγγαρειῶν*, adversus *Angarias*, ubi morem illum improbat, quo Agricolæ in Urbem commeantes & hinc mox in agrum redituri, a Magistratibus detinebantur ruderis egerendi gratia, & in id asini eorum & muli angariabantur. 3. Pro Cursu vehiculari *rhedarum*, ut apud Aretam *in Apocal. c.* 18. *Ἵπποις δὲ καὶ τοῖς διὰ τούτων ὀχήμασι, ἃ ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ Αγγάρας, ἡ δὲ τῶν Ἑλλήνων φωνὴ Δημοσίυς Ἱπποςάθμυς, ἡ δὲ τῶν Ρωμαίων Ῥαίδας, ἀφ᾽ ὧ καὶ Ραιδάριος*. 4. Speciatim pro Cursu Clabulari, ad Viam Publicam; ubi stabat Cursus Publicus; uti *Parangaria* erat, quando a Via Publica ubi erat Cursus Publicus, divertebatur in Viam Publicam aliam, ubi non erant Cursus Publici Stationes. Scilicet Cursus Vehicularis fiebat velocius, vehiculis & subjunctoriis velocioribus, uti *carpentis*, *rhedis*, *carris*, *birotis* sive *cisiis*, quibus plerumque *mulæ*, rarius *equi*, subjungebantur: aut fiebat tardius per Clabulas, quæ conveniunt *Angariis*, tractas *quatuor bobus*, *l.* 11. *C. T. de C. P.* onerandas ad 1500. pondo, *l.* 28. & 30. *eod.* hinc *Angariæ* a *Cursu* separantur, *in rubr. h. t. C. l.* & *T.* & *l.* 66. *ult. C. T. eod.* & a *rheda Cursuali l.* 48. *fin. eod. l.* 9. *C. T. de Legat. l. ult. C. de Fabric.* & a *carpentis* ac *veredis l.* 30. *C. T. de C. P.* Quibus omnibus rite distinctis paullo clarius intelliges Nostri verba, quem alias erroris arcessit Jac. Gothofr. *ad l.* 4. *eod.* cui hic nonnihil debeo, quamvis & ipse ibi ab errore non sit omnino immunis. Rem extra controversiæ aleam ponit *l.* 5. *C. T. de Curios.* ubi *§*. 1. ita sonat: *E Cursu vero Clabulari singulas Angarias, in his scilicet Stationibus, in quibus Cursus est collocatus, ad exhibendam humanitatem, venientibus excuretis*.

IV. 25 §. 6. *Græci* &c.) locus est in Scholio, *lib.* LVI. *Basilic. tit.* 18. *cap.* 11. ita sonans: *Καὶ ἐςὶν Αγγαρεία μὲν ἡ Πάροδος ἡ διὰ τῆς Δημοσίας Ὁδοῦ, τῆς τὸ Δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Τύρον. Παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκ πλαγείας ὁδοῦ, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Ἡλιούπολιν*. Scholii hujus Auctor scripsit forsan *Beryti*: nam inde Via Publica duxit *Tyrum* & *Heliopolim*, uti constat ex *Itin. Hierosolym. p.* 150. & *Itin. Ant. p.* 32. in earum altera *Tyrum* puto fuisse *Cursum Publicum*, in altera *Heliopolim* non fuisse.

IV. 26. *§*. 2. *Paragaudæ*.) Suspicantur nomen Hispanicum & Gallicum *Brocado* cum ipsa re inde venisse. *Paragaudæ* sunt *α*. institæ, segmenti, fasciæ, vittæ lorive genus, quod vel *auratum* in totum, vel *Sericum* auro intextum Phrygio Parthicove opere accedit, adsuitur, attexitur, aut circumtexitur, vel simpliciter & singillatim uno *loro* (unde *paragaudæ monolores*,) vel pluribus *loris*, (unde *dilores*, *trilores*, *pentelores*;) idque vesti, ut tunicis holosericis, subsericis, sericis; interulis lineis: vel sunt *β*. ipsæ vestes *Paragaudæ*, *paragaudis* ornatæ: creditur vox pura puta Syra Orientalibus sive accepta sive data, פרגוד, *Pargod*, sive פרגודה, *Paragoda*. Hesychius *h. v.* *Παραγώδας χιτὼν πρὸς Πάρθοις*. plene de his egit Jac. Gothofredus *ad l.* 1. *C. T. de Vestib. Olover.*

IV. 26. *§*. 2. *Bastagarii.*) Vide de his Guther. *de O. D. A. III.* 22. ne autem cum Nostro erres, *Bastagarii* non sunt *Præpositi Bastagarum*; sed illi, qui serviebant vecturæ rerum ad sacrum ærarium pertinentium, quam propriis jumentis faciebant, excepta quinta parte, quæ de fisco reparabatur *l.* 4. *C. de Murileg.* cum decimum tantum animal Bastagariis ante pro reparatione præberetur, *l.* 4. *C. T. eod.*

IV. 26. §. 7. *Vehiculis*.) Rhedæ mille librarum, Carro ſexcentarum, nec amplius: *d. l.* 47. Rhedæ inquam *α*. 1000. librarum communes, argentariæ ſacræ & veſtiariæ: *β*. 500. librarum, aurariæ ſacræ & argentariæ privatæ. *γ*. 300. librarum aurariæ privatæ. *d. l.* 48. *Proſecutores* autem noli intelligere hic *Curſus Publici*, verum *Palatinos*, auri & argenti ſubvecti, ſingularum rhedarum duos cum tribus ſervis, habentes 50. librarum avertas & ſaga. *d. l.* 48.

IV. 26. §. 8. *Quod ſi Galliæ* &cc.) vide *Notata ad I. 13. §. 2.*

IV. 27. ad §. 1. & ſeqq.) Sigonium vide *de Antiq. Jure Provinc.* II. 5. hunc enim Noſter ſequitur paſſim hac & ſeqq. etiam ſectionib.

IV. 28. ad §. 1. & ſeqq.) Sigon. *l. l.* II. 1. qui conferendus.

IV. 28. §. 2. *Sic numerus Prætorum* &cc.) Confuſe: hi non fuerunt Provinciales, ſed urbani: adi Lipſium *de Magiſtr. Rom. cap.* 10.

IV. 28. §. 6. *Ubi olim Regibus Romæ*.) Noſter: *comme autrefois pareil nombre* (ſc. duodecim lictorum) *marchoit devant les Rois de Rome.* non ſatis accurate. Appianus *de B. C. lib.* 1. *p. m.* 427. *Secures* Syllæ, *ut Dictatori, præferebantur* XXIV. *quemadmodum olim Regibus*.

IV. 28. §. 6. Ἑξαπελέκεις.) Dio Caſſius *lib.* LIII. *p. m.* 578. Ῥαβδούχους δὲ δὴ πέντε (lege ἕξ) πάντες ὁμοίως οἱ ἀντιστράτηγοι χρῶνται, καὶ ὀνομάζονται ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ ἀριθμοῦ τούτου.

IV 28. §. 9. *Legatum*) imo ſæpius *Legatos*. Sigon. *l. l.* II. 2, mox de *Aſſeſſoribus* conſule Panciroll. *ad N. Imp. I.* 8. & JCC. elegantiores *ad titul.* II. *de Officio Aſſeſſorum*, & *ad titt. C. J. & T. de Aſſeſſorib.*

IV. 29. ad §. 1. & ſeqq.) Sigon. *l. l.* II. 1. & 2.

IV. 29. §. 2. *Quarta & ultima* &cc.) Nam propter annua Procoſſ. imperia, ſumptus Provincialium in itinere erant graviores, item in adventum eorundem Magiſtratuum, in plures Legatos & majorem comitatum Procoſſ. penes quos erant etiam ſex faſces, cum Legatorum Cæſaris eſſent quinque, & diuturniora imperia, & minora proinde Provinciæ onera. Ciceronem etiam vide *pro L. Manil. cap.* 13. 22. & 23. *de Provinc. Conſularibus cap.* 2. & *ſeqq.* Illuſtr. Spanhem. *de Præſt. Num. p. m.* 805.

IV. 29. §. 3. *Livium*.) Noſter: *Livius parlant de la guerre Perſique.* ſed nihil ibi de Bello cum *Perſis*, ſed cum *Perſeo.* voluit vertere Sigonium, qui hunc ipſum locum laudans *l. l. tom.* II. *T. A. R. pag.* 1585. dixerat: *Livius bello Perſico*.

IV. 30. ad §. 1. & ſeqq.) Lipſium ad hanc & *ſeq. ſect.* vide *de Magn. Rom.* III. 3. IV. 12.

IV. 31. §. 6. *Ad hanc Arcem unam*.) Cicero *Agrar. I. in Rullum cap.* 6. Romam vocat *Arcem omnium Gentium*.

IV. 32. §. 2. *Vectigalium ſub titulo*) Præter pecunias. Agrippa Rex in nobili illa ad Judæos oratione apud Joſeph. *de B. J.* II. 16. Ægyptus *hæc cum ad Æthiopias uſque porrigatur, opulentamque Arabiam, contigua quoque ſit Indiæ, quinquaginta & ſeptingentas myriadas incolarum habens, præter Alexandrinorum plebem, tamen vectigalia, quorum magnitudinem de cenſu ſingulorum capitum æſtimare licet, devotiſſime penſitans Romanum non dedignatur imperium; & certe quam magnum ſtimulum defectionis habens, Alexandriam ſcilicet, multitudine & divitiis abundantem, magnitudine quoque non imparem: habet ſiquidem in longitudine ſtadia* XXX. *in latitudine vero non minus quam* X. *tributorum vero multo amplius per menſes ſingulos infert, quam vos toto anno penditis; &, præter pecuniam, quatuor menſium Romanæ plebi annonam miniſtrat.* adde ad hæc & ſeqq. Lipſ. *l. l.* II. 10. & JCC. *ad Titt. C. J.* XI. 27. & *C. T.* XIV. 26. *de Frum. Alexandr.* alioſque, qui de re frumentaria Romæ & CP. agunt.

IV. 33. §. 4. *Cum Plinio ... convenit plane Itinerarium Antonini*.) Atqui Plinius habet CCLXIII. M. P. Sed Anton. Intin. habet CCLVIII. aut, ſi ſequaris ſummas ſingulares, CCLXXI. Vide de hoc itinere agentem docte Salmaſium *Ex Plin. p.* 834. *ed. Ultr.* ubi comparationem ejus cum Tab. Peut. inſtituit, & manſiones indicat. ἀντὶ τοῦ *Pœniconiconon* vult legi φοινικῶνος κώμην. at quid ſi foret Ποινικῶν Εἰκόνων, totidem literis? de commerciis hiſce Indicis aliquid habet Strabo *lib.* XVI. *p. m.* 570.

IV. 34. §. 3. *Potiſſimam Viæ partem*.) Hinc magnus etiam Viarum Curator in Gallia dicitur, *Maitre des Ponts, Paſſages & Chemins*, teſte Petr. Greg. Tholoſano *Syntagm. III.* 13. *n.* 5. quod tamen munus hodie deſiit, Verdier *Eſtat de France p. m.* 131. Nec inde *is, qui in utraque ripa fluminis publici domus habet, pontem privati juris facere poteſt*. *Scævola* JC. *in l.* 4. П. *de Flumin.* adde Ziegler. *de Jurib. Maj.* II. 16. *n.* 2. Pontibus vero quodammodo etiam accenſeri poſſunt vicarii eorum *Pontones*, genus navigii a Gallis inventum, teſte Cæſare *de B. C.* III. 29. Gell. *N. A.* X. 25. vide de his ratione rei Viariæ Paullum JC. *in l.* 38. *fin.* П. *de S. P. R.* Alciat. *Parerg.* VI. 13. Elbert. Leoninum. *Emendat.* II. 18. *n.* 6.

IV. 34 ad §. 4.) Antiquiſſimum Pontem invenio Semiramidis in Babylone urbe, quem a magnifica illa Regina ſuper Euphratem ſtructum narrat Diod. Siculus *Biblioth. lib.* II. *p.* 68. *ed. St.* 96. *ed. Wech.* his ex verſione Rhodomani verbis: *Pontem, qua fluvius anguſtiſſimus erat,* V. *ſtadiorum longitudine, conſtruxit, columnis duodenum pedum interſtitio mira in profundum arte jactis. Lapides, ut firmius inter ſe connecterentur, uncis ferreis diſtrinxit, & plumbo compages illiquato explevit; columnis vero, antequam latera fluvium exciperent, angulos, qui profundum & paullatim uſque ad columnæ latitudinem refrænatum haberent aquarum decurſum, præſtruxit, quorum acies impetum refringeret, & rotunditas ſenſim concedens vehementiam defluxus mitigaret. Pons itaque ille cedrinis & cypreſſinis trabibus, palmarumque caudicibus & ramis prægrandibus obtectus, &* XXX. *pedes latus, nulli Semiramidis operum ſolertia concedebat. Tum ab utroque fluminis latere crepidinem, mœnibus latitudine parem ad ſtadia* C. *magnis ſumtibus eduxit. Regias etiam duas ex utraque pontis regione ad fluvium ædificavit, unde in totam Urbem proſpectum, & quaſi claves ad loca ejus opportuniſſima, habitura eſſet.* Miraculis Pontium externorum hic addo in Japonia *Pontem Civenchu*, longum perticas 360. latum 6. ½ ex lapide nigro, inſtar marmoris duro & polito, ſuſtentum 300. pilis, cujus lapides fornicati longi ſunt pedes 18. lati 4. utrinque ſuperiorem marginem prætexunt mirum in modum ingentes leonum ſtatuæ. *Pons Tienſem* non tam longus quidem eſt, ſed majoris artis, quippe ex uno eodemque lapide conſtans: ita narratur in *Hollandorum Legatione ad Jmp. Japoniæ lib.* 1. quæ variis linguis edita teritur. Chataji quam mirificos habeant pontes, dicet M. Paullus Venetus *de Reg. Or.* Sic in urbe *Singui* circiter 6000. pontes, II. 63. in *Quinſai* circiter 12000. pontes, II. 64. omnes lapidei & hic illic tam alti, ut naves erectis malis ſubtus tranſire queant. Pons ſuper fluvium *Puliſachniz* marmoreus, longus 300. paſſus, latus 8. innixus 24. arcubus, ornatus ad utrumque marginem ſculptis leonum ſimulacris, II. 27. ſuper fluvium *Quianfu* in urbe *Sindinfu* Pons lapideus latus 8. paſſus, longus milliare, II. 35. item in urbe

Quelinfu tres lapidei pontes superne ornati marmoreis columnis, longi 1000. lati 8. passus, II. 68. de *Sinarum* admirandis, magnificis, frequentibus & stupendis pontibus agit Martinius *de Reb. Sin.* passim, & Neuhof. *Legat. Sinens.* II. 11.

IV. 34. §. 5. *Eadem fuit cura Trajano* &cc.) redi ad I. 17. §. 7. ibique Galeni locum vide.

IV. 34. ad §. 6.) Scilicet fluvii perennes pro Diis habiti & culti; hos Pontibus quasi sub jugum raptos videbantur sibi offendere, nisi eorum pacem exquisitissimis ceremoniis prius exorassent.

IV. 34. ad §. 7.) Confer *Notata ad* I. 23. §§. 4 7. 8.

IV. 34. §. 9. *Duobus autem modis fiebant* &cc.) Modum docet Cæsar *de B. G.* IV. 17. ibique Jocundus, pontifex ille Parisinus. ad *Tumultuarios* vero pontes refer & illum Maxentii, de quo ita Zosimus *p. m.* 778. *Maxentius pontem supra Tiberim flumen faciebat, non connexum prorsus a ripa, quæ Urbem ad alteram usque ripam, sed duas in partes ita divisum, ut in medio flumine ea, quæ partem utramque fluminis explebant, inter se quodammodo concurrerent fibulis ferreis, quæ revellebantur, quoties pontem quis junctum nollet.* De Darii & Xerxis pontibus insanis quoque multa habet ex Ctesiæ *Persicis* excerpta Photius *Biblioth. Cod.* 72.

IV. 35. ad §. 1. & seqq.) Noster secutus est fere Marlianum, ejusque errores *Topogr.* V. 14. & *seqq.* rarius Fabricium *Rom. c.* 16. Tu potius consule Donatum *de Urb. Rom.* III. 21. Nardin. *Rom. Vet.* VIII. 3. & passim quoque *T. A. R. t.* III. & IV. insertas Pontium Urbis figuras.

IV. 35. §. 2. *Daniel Cellarius.*) quid opus isto teste non classico, ubi idoneus testis Victor adfuit?

IV. 35. §. 3. *Ad mille circiter passus.*) imo vero 1750. ut recte docet Donatus *l. l.* I. 17.

IV. 35. §. 4. *A Pontifice Maximo.*) intelligit aut Alexandrum VI. cujus ad ipsum Pontem exstant inscriptio & insignia; aut Clementem VIII. qui pontem ab exundante Tiberi deformatum, dedicatis Principum Apostolorum statuis exornavit.

IV. 35. §. 5. *Pons Nobilium, illiusque transitus* &cc.) Idem narrat Albertus *in Descr. Ital. pag.* 175. ut taceam Marlianum & Fulvium. Sed sine ullo Auctore idoneo nugas garriunt, & vulgi fabellas fictas.

IV. 35. §. 5. *Inscriptio apud Gruterum.*) Illa vix huc referri debebit. Gruterus eam ait esse in Ponte *Aureliano* sive *Janiculensi*, qui nunc *Xystus* dicitur, & visi grandibus literis, sed cujus nec initium, nec finis legi possit. at Gruterus hic fluctuat inter pontes, aut ex duobus unum compingit. nihil in fine deesse videtur. in initio legendum vel AVRELIAM: vel, quod magis placet, ut in Inscr. mox §. 7. sequente GRATIANI. vide Nardin. l. l. de ista posteriore Inscriptione.

IV. 35. §. 8. *Senatorius, quod per eum Senatores* &cc.) Ita quidem nonnulli Antiquarii. sed nec nomen hoc, nec ejus arcessita ratio per idoneos testes comprobantur.

IV. 35. §. 9. *Lapideum fecit Æmilius Lepidus* &cc.) Sext. Aur. Victor *de Vir. Illustr. pag.* 207. de M. Æmilio Scauro ait, *quod Pontem Mulvium fecerit.* At *Mulvius* alius est a *Sublicio* ponte. Victor *in Reg.* XI. tamen ait *Sublicium* postea *Æmilium* dictum. vide de hac controversia Nardin. *l. l.*

IV. 36. §. 3. *LVIIII. M. P.*) Noster *LXI. M P.* contra fidem ipsius, quod laudat sine addito certo indicio, Itin. Anton.

IV. 36. §. 3. *Verbis Franc. Schotti.*) imo vero ipsissimus Stephani Vinandi Pighii ex *Hercul. Prodic. p. m.* 270. hunc librum certatim furtimque passim exscribunt Ὁδοιποιρικοὶ Italici, Schottus, Hentznerus, alii, & quidem αὐτολεξεί. addit Capugnanus *l. l.* Schotti: *Hujus Pontis lapides ferro & plumbo sine calce inter se connectuntur, iidemque crassitudine maxima cæli sunt exsculpti: latitudine circiter pedes* 200. *patet, altitudine vero* 150. *pedibus est major. Fornix unus nec præsenti perfectus. Palam fertur, hunc sub pontem magnos thesauros esse defossos.* (id est, magnis sumtibus esse illum factum.) deinde addit, quæ item notanda ad rem Viariam: *Narnia ubi primum fueris egressus, Romam iturus, passuum millibus XL. saxosum montem inspicies ferro scissum, quo trajici posset inter fluminis præcipitis rupes & arduum montem, qui sinistrorsum tollitur. Saxum est in altitudinem pedes* XXX. *in latitudinem* XV. *& ultra porrectum.* Quod *Narniensis Pons* ex *manubiis Sicambricis* sit exstructus sub Augusto, quis idoneus Auctor dixit?

IV. 36. §. 4. *Ubi via Salaria* &cc.) III. lapide ab Urbe teste Grut. *l. l.*

IV. 36. §. 5. *Sequitur Pons* &cc.) totus ex ingenti marmore quadrato, latus pedes XV. Albertus *l. l. p. m.* 456. Schottus *Itin. Ital. lib.* 1. *p.* 237. pro more ex Pighii *l. l. p.* 260.

IV. 36. §. 7. *Stravitque lapidibus* &cc.) de hac lapidum magnitudine nihil pronunciant certi Suetonius aut Dio, *ll. ll.*

IV. 36. §. 8. *Primo die* &cc.) Singula hæc accuratissime ad ipsos laudatos Auctores recensui. Suetonius, *primo die* addit insignem fuisse etiam *securi* & *cetra.*

IV. 36. §. 10. *Pontem, quem Vespasianus fecit super Metaurum.*) vide de *Metauro* Albertum *l. l. p. m.* 436. *& seqq.* de Ponte super *Vulturnium* redi ad II. 27. §. 4.

IV. 36. ad §. 10.) Ad *Pontes* Italiæ celebriores addendi & sequentes ex *Itin. Anton. p.* 26. *Pons Aufidi;* quem reperio a Friderico II. Imp. aliquando reparatum, cujus Rescriptum ad Justitiarium Regni hoc adfert Henelius *Ot. Vratislav. cap.* 4. *in fin.* in quo hæc nota: *Tunc nomen nostrum clarificabimus hæreditandum in Posteris, cum fulgemus pietatis operibus in modernis, cum per ea, quæ in præsenti agimus, discretionem nostram futuris in speculo tribuimus. Hac igitur salubri intensione præmoniti, Pontem cœptum in flumine Aufidi, periculoso sæpe Viatoribus & damnoso, præcipimus compleri. Et quia de nostro tribuimus, cum de Nostrorum facultatibus erogamus, sedulitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per homines terrarum jurisdictionis tuæ, quos inclusa schedula continet, quantitatem imponi facias interclusam, ea æqualitate & moderatione taxandam, ut nullus exinde rationabiliter conqueratur. quam recollectam & dispensatoribus in opere ejusdem pontis facias assignari, in ipsius pontis complemento utiliter convertendam.* Fuisse hunc Imp. Viarum studiosum munitorem docuimus ad I. 23. §. 7. adeoque forsan plane novum hunc pontem fecit. Pergimus *p.* 21. *It. Ant.* occurrit *Pons longus*, qui abest *Sipunto* M. P. XXX. hic videtur, ut ex situ colligo, *Frentoni* fluvio, h. *Fortore*, impositus fuisse. *Pons Longus* nescio cujus Coloniæ, apud Catull. *carm.* 17. *Pons Aterni* XXIII. stadiis a *Corfinio* ap. Strabon. *l.* V. *p. m.* 441. apud Leandrum Albertum *in Descr. Italiæ ed. Lat p. m.* 582. occurrit *Pons Curonis* in *Via Æmilia, quinis a Dertona millibus situs, transitum* super *Curonem* torrentem *conjungens*, cujus pontis etiamnum vestigia supersunt ad oppidum, inde dictum, *Pontem Curonis. p.* 456. ait ab Augusto in Via Flaminia præter alios innumerabiles, pontes factos *quatuor sumtu artificioque præcipuo, Ariminensem; in Nare flumine, haud procul ab*

Narnia; *ſub Otriculo in Tiberi*; (quem dilapſum Clemens VIII. videtur reſtituiſſe, teſte Capugnano *in Addit. ad* Schotti *Itin. Ital.* p.273.) *Milvium in Tiberi ad ſuburbiorum Romæ introitum*: item *p.* 457. in Via Æmilia commemorat *lapideum pontem, quo olim jungebatur Æmiliæ tranſitus, cujuſque ad hanc ætatem veſtigia cernere eſt*, ubi *Pluſa* fluvius, *Apruſa* Plinio dictus, ad oppidum Sabinianum viam interrumpit: ibidem *Pons*, ait, *olim in Rubicone fuit lapideus tranſitum amnis jungens, qui nunc concidit*. De Ponte *Liquentiæ* vide *l.* 2. *C. T. ne Oper. a Coll. exig.* ibique Jac. Gothofredum: aberat Foro Julii 48. M.P. in itinere Ticinum verſus, Paull. Diacon. *Longobard.* v.29. In Inſcrr. Gruteri occurrunt 161. 4. *opus Pontis* Fregellani *vetuſtate collapſum* ab *Antonino Pio* reſtitutum. 1020. 2. Septimius Severus cum Filio apud Beneventum Via Appia *Pontem vetuſtate dilapſum a ſolo ſua pecunia reſtituerunt*. 163. 2. D. Claudius Imp. Αυρεολου γεφυραν ςησατο την τε ταφην. *Et Pontem Aureoli dedicat & tumulum*, in Agro Mediolanenſi. confer ſuper hac Inſcr. Trebell. Pollionem *in D. Claudio c.* 2. *p. m.* 642. *tom. II. H. A.* Pontem *Interamnenſem* hodierna Inſcr. tempore Urbani VIII. facta ad Pompejum M. refert, teſte Miſſon. *Voyag. d' Ital. lettr.* 20. *tom.* 1. *p. m.* 260. Sic paſſim Kircherus *in Latii deſcr.* Cluver. *in Ital. Antiq.* Albertus *in Italiæ Deſcr.* Aliique pontes magnificos Veterum, qui Vias connectunt, recenſent.

IV. 37. §. 2. *Poldo*.) qui eum quoque depingit, *l. l.*

IV. 37. ad §. 3.) Fateor, me non ſatis aſſequi computationes Noſtri Auctoris, quarum calculi mihi videntur minus recte poſiti, ut non ſatis conſtent hæ rationes.

IV. 37. ad §. 4.) Subjicio nobile illud Theodori Bezæ in hoc miraculum epigramma: *in Epigr.*

Montibus impoſitos cantavit Græcia montes,
Pyramidum oſtentat Barbara Memphis opus.
Plus eſt, quod cernis, triplicis conjungere pontis
Fornicibus montes ſic potuiſſe duos:
Et plus eſt, victam quo ſe Natura fatetur,
Impoſuiſſe ipſis flumina fluminibus:
Et rurſum hoc plus eſt, contemto laudis honore,
Artificem nomen ſubticuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
Quod non feciſti, plus ego miror opus.

IV. 37. §. 6. *Quatuor* &c.) reliquas tres quære *ſect.* 39. §. 9. & 10.

IV. 37. §. 7. *Pontes plurimos feciſſe ſuper Moſam & Moſellam*.) Certum hoc de *Ponte* ſuper *Moſam* audi Petrum Divæum *in Antiq. Belgic. cap.* 15. „ Illic, *Weſeti*, *quod eſt in ulteriori Moſæ ripa*) „ *Pontem* antiquitus fuiſſe qui Henrici IV. Imp. vitam ſcripſere, tradunt; ad quem Henricus Dux „ Lotharingiæ Henricum quintum, Patri imperium eripere parantem, devicit: is idem eſt cum eo, „ quem Tacitus (*Hiſt.* IV. 66.) ſcribit a Cl. Labeone Batavo occupatum, ut Cl. Civilem averteret: *fretus*, inquit, *loco quia Pontem Moſæ* „ *fluminis anteceperat*. Pons hic jam dudum vetuſtate collapſus eſt. De *Ponte ſuper Moſellam* meminit & Tacitus *Hiſt.* IV. 77. & Gregorius Turonenſis *in S. Nicatio Treverenſi Archiepiſcopo*. Eum ſic deſcribunt αὐτόπται eruditi Ortelius & Vivianus *in Itiner. pag.* 56. *edit. Plant.* 1584. aut *ed. minim. Leid.* 1630. in qua ſubjicitur Hegenitii *Itinerario* ſpoliatum ſuis figuris, *p.* 319. „ Ad alteram (*Moſellæ*) ripam mons eſt præruptus, & unica omnino ad ejus pedem via; hanc urbi (*Treverorum*) connectit Pons lapideus, in quo fornicum „ amplitudinem & fundamenta in primis lapidibus „ magnitudinis inuſitatæ aggeſta mirabamur; ſiquidem ea propter fluminis humilitatem, qualem „ ſe multis retro annis nec vidiſſe meminerant, alte ſpectabantur, & Romanorum quidem id opus „ judicabamus. Ad arcuum commiſſuras columnæ „ ſunt ſemiquadratæ ex ſingulis lapidibus, altero „ alteri ſuprapoſito, quæ paullum exſtant ſupra „ Pontis marginem; in his Deorum olim fuiſſe ſimulacra referebant. His vero per Belgicas Pontibus addendi celebris ille *Saravi Pons*, laudatus Auſonio *in Moſella* vſſ. 91. 92. 366. 367. 368. quem laudati αὐτόπται ita depingunt *p.* 54. *Plant. ed.* aut *p.* 313. *Leid. ed.* „ Eſt Pons lapideus ſupra eundem „ fluvium (*Saravum* aut *Sarram*) a Moſella non „ procul, qui a pago vicino *Kuntz*, *die Kuntzerbrug* dicitur, arcubus amplitudinis admirandæ ſpectabilis; quorum qui in medio ad fluminis „ alveum, omnium eſt altiſſimus, tum latiſſimus, „ reliqui ad latera ſenſim humiliores: quo & ipſa „ Pontis ſuperficies ad utramque ripam paullatim „ procumbit, & operis firmitudini egregie proviſum; ut in eo veterum artificum magiſtras manus agnoſcas: ad utramque partem ſunt ſpeculæ, „ Trevirorum excubiæ: hæc illi. Quare Scaliger *Auſon. Lect.* I. 2. ex inſcriptione eo loco reperta recte docet Sarræponti olim fuiſſe *Caſtra Exercitus Romani*. Pons ille in *Itin. Anton. p.* 84. *lin.* 5. dicitur *Pons Sarvix*, forſan corrupte pro *Saravis*. impoſitus fuit ſenis pilis memorandi operis: nam mira ibi aquæ rapiditas, fremitus ac fragor in pilas has impingentis, adeoque habuit quinque fornices, ſuper aquas exſtantes. Auſonius docet *vſ.* 92. *Saravi*

Qua bis terna fremunt ſcopuloſis oſtia pilis.

In *Itin. Anton. pag* 85. *lin.* occurrit quoque *Pons Scaldis*, qui *Turnaco* diſtat illinc M. P. XII & hinc totidem paſſibus *Bagaco*: de quo conſule *Germ. Ant.* Cluverii II. 22. *p.* 113.

IV. 37. §. 8. *In Germania ... Pontes factos.*) Imo vero pontes in ea fecerunt Romani; ſic Druſus, Floro teſte IV. 12. *Bonnam & Geldubam pontibus junxit*; ſcilicet ad Rhenum: ſic *Agrippinenſem Pontem* a Conſtantino M. factum celebrat Panegyriſtes ille qui Trevirenſis & quidem Artis Oratoriæ publicus Profeſſor videtur fuiſſe & publico juſſu, in natali Urbis Auguſtæ Treverorum, ab iſto Imp. reſtitutæ, ipſum Auguſtum inter *Paneg. Vett. p. m.* 240. ita alloquitur: *Inſuper etiam Agrippinenſi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis* (Francorum) *inſultas, ne unquam metus ponat, ſemper horreat, ſemper ſupplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties velis, in hoſtem tranſeundi: quippe cum totus armatis navibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus uſque ad Oceanum diſpoſitus miles immineat: Sed pulcrum tibi videtur, & revera pulcherrimum eſt, ut Rhenus ille, non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine vadoſus, aut vicinia fontis exiguus; ſed & ibi novo ponte calcetur, ubi totus eſt, ubi jam plurimos hauſit amnes, quos hic noſter ingens fluvius* (*Moſella*, non *Moſa*, ut Rhenanus in *proœmio hujus Panegyrici* liberum, divinaturis de loco, relinquebat:) *& Barbarus Nicer & Mœnus invexit, ubi jam immani meatu ferox & alvei unius impatiens in ſua cornua geſtit excedere. Servit profecto, Conſtantine maxime, ipſa rerum Natura numini tuo, cum in illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam & ſtabilem firmitatem habitura. Junxerit quondam licet Helleſponti anguſtias claſſe connexa Perſarum Rex*

potentiſſimus ; temporarius ille tranſitus fuit : Simili navium contabulatione Bajanum ſignum ſtraverit ab Auguſto tertius Cæſar ; delicata fuit illa vectatio Principis otioſi . Hoc opus & difficile factu, & uſu futurum eſt ſempiternum . Hæc ille . Libuit locum adeo luculentum adſcribere integrum , tum quia rem ipſam pæne oculis ſubjicit, tum quia Pons hic Danubiano Trajani forſan non ceſſit : adeo ut mirer eum Auctori aut ignoratum , aut præteritum ſilentio , cum minores commemoret alios . Hunc ipſum fortaſſim *Pontem Rheni* indicat Panegyriſtes Maximiniani , *paullo poſt princ. l. l. p.* 252. verbis : *a Ponte Rheni uſque Danubii tranſitum* . Cæterum , ut hoc obiter addam , minime verax fuit vates poſtremis verbis Orator ille : nam poſtea circa A. D. 952. Bruno Henrici Imp. F. Pontifex Colonienſis , ut numerant vulgo , XXVI. Ottonis M. ſive I. Fratris ſui juſſu , ut ferunt , ob nocturnas in eo ponte cædes & tumultus , una cum *munimento Divitenſi* reſciſſum in Baſilicam & Abbatium D. Pantaleonis abſumſit . Videatur Bertius *Rer. Germ.* I. 10. *p.* 89. & III. tit. *de Colonia Agrip. pag.* 92. *ed. Amſt.* 1635. & conferatur Munſtero *Coſmogr.* III. 209. *ed. German.* 1592. item Frehero ad Auſonii *Moſell. uſ.* II Vidi ipſe tam *Coloniæ* , quam *Tuitiæ*, ſive *Duits* , ut *Divitenſe monumentum* hodie nominant , quod converſum eſt in vicum & cœnobium Benedictini inſtituti , in quo olim ab eodem cognominatus Rupertus Tuitienſis Abbas, Vir pro ſuo ævo A. D. 1124. doctiſſimus , floruit ; vidi , inquam , utrimque , ad ripas ſibi e contrario oppoſitas , magnas ſubſtructiones & crepidines lapidum , quas puto eſſe reliquias priſci illius pontis Conſtantiniani Caſtello enim pro more Romano ille Pons in ripa , ut dicebatur , Francorum munitus erat: ex Ruperto Tuitienſe narrat Rhenanus *Rer. Germ. l.* I. *p. m.* 35. & *lib.* III. *p.*185. *ed. Frob.* 1551. in Cœnobio Divitenſi contra Agrippinam , cum murus quidam dirueretur, repertam eſſe tabulam lapideam, cum inſcriptione , quæ docebat : *Divitenſe monumentum in terra Francorum ab Imp. M. Val. Conſtantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis eſſe erectum:* quæ verba obliqua non ſatis apte nec Latine ſatis pro ipſa habuit & edidit inſcriptione Bertius *l.l.* I. 10. Sunt enim verba Ruperti , quæ continent tantum periochen inſcriptionis . *Pontis Navæ* ad *Bingium* meminit Tacitus *Hiſt.* IV. 70. Porro ad Pontes Germaniæ quod Noſter referat inſcriptionem nullo Auctore, ſatis mendoſe allatam , & a nobis ex melioribus Auctoribus reſtitutam , quæ exſtat apud Tabernas Rhenenſes , cauſſa eſt nulla : obſervavit eam primus B. Rhenanus *Rer. Germ. lib.* III. *p. m.* 177. ubi ait , *videri in cœmeterio* ibi *duo ſimulacra Mercurium referentia , & limitem ingentem oſtendi ex nemore vicino allatum* , in qua exſtet hæc inſcriptio , in qua tamen male legit *N.H.D.D.* & explicat *Neptuno hic dedicavit*: hinc eam habuit Gruterus . Vix enim credibile , a privato ſuis impendiis plures *pontes* factos : dein ubi illi *pontes* fuerunt ? tandem ſi extemporales & ſubiti , quorſum iſta inſcriptio limiti inſcripta in nemore ? Puto fuiſſe columnam Vialem in via aggerata & ſtrata lignis ibidem in locis paludoſis , *in honorem Domus Divinæ* , ſive ut Impp. eo commodius ibi ter haberent . Sic Tacitus videtur hanc vocem accepiſſe *Annal.* I. 43. *Cæcina , qui ſuum militem ducebat , monitus , quanquam notis itineribu regrederetur, Pontes longos quam maturrime ſuperare : anguſtus is trames vaſtas inter paludes , & quondam a L. Domitio aggeratus : cætera limoſa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant, circum ſilvæ paullatim acclives:* nec alii forſan *Pontes* in *Itinerario Anton. p.* 82. *lin.* 8. Sed & in Germania prima *Pontem* , ut puto , ſublicium *Magontiaci* trans *Rhenum* , factum reperio a Juliano Imp. apud Ammianum XVIII. 2. *p.* 139. 141. unde forſan ipſe ad Milites apud eundem Ammian. XXI. 4. *p. m.* 222. gloriatur , *ſe Romanis agminibus , quoties liberet , Rhenum pervium feciſſe* . Carolus M. ut tradit Eginhard. *in Ej. vit. ſub fin. Sublicium pontem* quoque Maguntiaci decem annorum ſpatio fecit , ſed qui fortuito incendio tribus horis periit . Poſtea *lapideum* facere deſtinavit , ſed omiſſum manſit opus , Imp. brevi poſt mortuo . *Pontem* prope *Rauracum* a Romanis ſub Conſtantio militibus *navium compage ſuſpenſum* fuiſſe cum narrat Rhenanus *l.l.* I. *p.* 43. non ſatis diligenter ſuum inſpexit Ammianum , quem necdum editum habuit MS. qui XIV. 9. *p. m* qui diſertis verbis ait , *reſiſtente multitudine Alemanna* , & *ritu grandinis undique convolantibus telis , id impoſſibile viſum* .

IV. 38. §. 1. MEMORIAE. DICATVM. &c.) Hæc Inſcr. videtur ſpuria , & efficta ex ea , quæ allata eſt *ſect.* 36. §. 4. Nec habet eam Reſend. *in Antiq. Eboræ* , nec Jac. Monœtius Vaſconcellus JC. *in Antiq. Eboræ* .

IV. 38. §. 2. IMP. CAESAR &c.) Eſt verius columna milliaris , caſu forſan ibi inſerta . Imo talem agnoſcit deinceps Noſter *ſect.* 41. §. 1. *ſeqq.* Hanc Inſcr. non habent Gruterus aut Reineſius: ſimilis tamen exſtat in columna Auguſtobrigæ , ap. Gr. 190. 2.

IV. 38. §. 7. *Oſſunæ in Andaluſia* .) Error eſt ex vicinia nominis *Urſinii* & *Urſaonis* . *Oſſuna* enim olim *Urſao* dicta creditur . *Urſo* ſive *Genua Urbanorum* Colonia immunis ap. Plin. *H.N.* III. 1. at hæc Inſcr. exſtat *Urſinii* , quæ eſt villa Auguſtanæ diœceſis in Germania. vide Velſer. *in Monum. Agri Auguſtan. p. m.* 249. ſcilicet τὰ AB. AVG. in linea ultima Noſter forſan intellexit non AB AVGVSTA , ſed AB AVGVSTOBRIGA: verum hæc ſolet ſcribi AB. AVGVSTOBR. exempla dabit Grut. 155. 7. & 9. quæ poſtrema eſt eadem Inſcriptioni 153. 8.

IV. 38. ad §. 8. & ſeqq.) ex Lipſ. *de Magn. Rom.* III. 13.

IV. 38. §. 9. PROVIDENTIA &c.) Multi hanc Inſcr. fictam putant .

IV. 38. §. 10. *Ad oppidum Severinum.*) Ad *Sendroviam* oppidum ſupereſſe rudera recentiores prodiderunt .

IV. 38. §. 10. *Fornices* XXII.) Lipſius *l. l.* Dionem ſecutus tantum pilas XX. numerat . Noſter utrimque ad ſublicas unum addit fornicem . Lipſius pontem longum facit 4770. pedes. non capio: ſedeamus ad calculos: pilæ ſunt latæ 60. pedes , fornices lati 170. horum ſunt XX. & ex Lipſii ſententia totidem pilæ: ergo habebis in univerſum pedes 4700. ſed fieri non poteſt , ut XX. pilæ habeant XX. fornices: erunt enim tantum XIX. fornices: res ad oculum evidens : tres pilæ duos fornices faciunt: neque Noſter felicior , qui XX. pilas & XXII. fornices numerat : hoc forte voluit , ad utramque ripam ſublicæ arcum faciunt , cujus pilæ in ripa declives ſenſim evaneſcunt : jam ponamus calculos: habebimus ita pedes 4940. unde patet , neutrum calculos recte poſuiſſe . Nobis ampliandum videtur in hac re , donec oculorum experimentis major a teſtibus αὐτόπταις lux adfulgeat .

IV. 38. ad §. 10.) Ad Pontes Pannonios refer & *Dacicum* , cujus meminit lapis truncus prope ſacellum *Oſtrobienſe* juxta *Ulpiam Trajanam* , quem *Pontem* , ut videtur Temporum *injuria* & fluminis *violentia diruptum Populo plebique Sergidavenſi reſtituit* neſcio quis AVL.CRIS......VOLT. apud Gr. 163. 6.

IV. 38. ad §. 11.) Præter Pontes qui ſparſim *in Itin. Ant. & Hieroſol.* ac *in Tab. Peut.* nominantur,

tur, ſed de quibus certo non conſtat, num fuerint opera Romanorum, necne, licet vero ſit ſimile, eos maximam partem a Romanis factos, huc refero etiam ſequentes ex Nummis, qui ſunt: Pons ſuper *Acherontem Buthroti* ac Auguſto factus, ap. Foyvaillant *in Numm. Colon. part.* I. *p. m.* 14. Pons ſuper *Guarguam* amnem juxta *Babbam* in Mauritania Africæ a *Nerone* factus: *l. l. pag.* 115. Apud Smith. *in Not.* VII. *Aſiæ Eccleſ.* occurrit in Via ſtrata *Pons* ſuper *Cayſtrum* mille paſſus ab *Epheſo*. num Romani operis ſit, dubito. Plures Romani paſſim ſupra *lib.* I. & ibi *in Notis* noſtris ſunt indicati.

IV. 39. ad §. 1. & ſeqq.) Vide Panciroll. *Variar. Lection.* I. 43.

IV. 39. §. 1. *Nimirum lapides illi* &c.) Nondum erant inventa adminicula illa, quæ ἄνευ ἀναβόλεως conſcendentem ſublevant, ſedentemque inſuper in equo firmant. Sequioris ætatis hoc eſt inventum, putemque paullo poſt ſellas equeſtres A. C. 340. ſub Conſtantini M. filiis in uſum primum veniſſe; unde jam D. Hieronymo *ſtapedum*, *ſtapedarum*, *biſtapiarum* vox & res nota: in Inſcr. declinantis ævi *ſtapiæ* nomen & res legitur: *pes ſtapiæ hæſit, tractus interii*: malunt alii *ſtaffas*, *ſtaphias*; Salmaſius ad Spartian. docet & vocari *aſtrabas* & *aſtrabaria*. Priſci enim, ſaltu ſeſe in equos librabant & conjiciebant, ut Perſæ & Græci: Xenophon *in Magiſt. Equit. p. m.* 321. 323. *tom.* 2. *ed. Lat. Wech.* 1595. aut *pag.* 954. 956. *edit. Gr. L. ex rec. Joh. Leunclavii V. N.* Numidæ: Livius XXIII. 29. *collat.* XXIV. 48. Itali: Virgil. *Æn.* XII. 287. Romani: Veget. *de R. M.* I. 18. Ergo male Veteribus *cloſtra*, ut hodierni Itali vocant, ſive *ſtapias* aſſerit Galeottus Martius *Doctrin. Promiſc. c.* 28. Melius ſequiori ævo Hieron. Magius *Miſcel.* II. 14. Robert. Valturius *de R. M.* X. 2. qui *ferrum ſcanſile* vocat; Cœlius Rhodigin. *in A. L.* ubi *ſubſellares* vocat, quod ſub ſella propendeant: Petr. Victorius *V. L.* XXXVII. 15. Panciroll. *Rer. Mem.* II. 16. ibique Henr. Salmuth. *in Notis*: ante omnes doctiſſimus Cuperus *ad Lactant. de mort. Perſec. p.* 132. *& ſeqq. ed. Ultraj.* 1692. At priſca illa in equos ſaltu ſeſe librandi ratio nec tam facilis erat, & minus validis aut inadſuetis valde moleſta, unde erant ipſis *Stratores*, Ἀναβολεῖς, quorum ope in equos tollebantur: porro minuendo equitum vectorumque per vias labori in aſcenſu & deſcenſu pro re nata collocabantur utrimque ad latera iſtiuſmodi lapidea anabathra.

IV. 39. §. 2. *Polybius* &c.) adde ſupra III. 11. §. 9.

IV. 39. §. 3. *Sæpe leguntur LAPIDES MILLIARES RESTITUTI.*) Vellem hæc Noſter diligentius confirmaſſet: ego rariſſime legi: nam πα M. P. REST. ſunt *Millia Paſſuum* tot *reſtituit* ſc. Viæ: vide tamen Reineſ. *Inſcr.* II. 80. & 81.

IV. 39. §. 3. *Probo Grammatico.*) in Probi *Notis* lego: *CIPP. Cippus.*

IV. 39. §. 3. *Uſitatius* ϛήλυς.) imo vero ϛήλας: non puto eo ſenſu apud Claſſicos ϛῆλος legi.

IV. 39. §. 4. P. PUBLILIUS. &c.) Hic lapis videtur potius Terminus fuiſſe inter Agrum *Curenſem* & *Sabinum*: nam ibi tres Viæ concurrunt: dubitavit etiam ipſe Gruterus: ego certum puto, iſtum Publilium *teſtamento* juſſiſſe, fieri cippos & aras Terminales: neque enim lapis hic habet formam columnæ miliaris, ſed aræ; nec adduntur M. P. nec quicquam ad rem Viariam meminit Inſcr.

IV. 39. §. 6. *Impoſitæ fere erant* &c.) Noſter ἁπλῶς *Elles eſtoient aſſiſes ſur petits piedeſtals.* Cum vero non ſemper hoc fiat, ideo τὸ *fere* adjeci ad emoliendum dictum: vide præter laud. Gruterum & figuras ap. Reineſ. *Inſcr. Claſſe II. paſſim.*

IV. 39. §. 6. *Nummis.*) vide tales ſupra I. 25. §. 7.

IV. 39. §. 7. *Feliciſſimus ſermo* &c.) Cui bono hic locus adfertur?

IV. 39. §. 10. *DIVI F. A.* &c.) mutila hæc inſcriptio ex mox ſequente TI. CAESAR. &c. ſupleri poteſt, & viciſſim illa ex hac.

IV. 40. §. 3. *Ad quod omnes* &c.) Macer JC. *in l.* 154. π. *de V. S.* e contrario: *Mille Paſſus non a Milliario Urbis, ſed a continentibus ædificiis numerandi ſunt*: ſed vide *Notata ad* III. 13. §. 1.

IV. 40. §. 5. MEILIALI) Hanc notam Surita habet pro *L.* duplici, id eſt, *C. in Ant. Itin. p.* 171. imo videtur luſu ſculptoris ſimplex L.

IV. 41. ad §. 4.) Noſter Auguſtum a Populo creatum Curatorem dixerat: malui ego Suetonium laudare & cum illo vera ſcribere.

IV. 42. ad §. 3.) Valde negligenter hic §. *ad Itin. Ant.* erat exactus: ego ſingula recenſui.

IV. 42. §. 5. *Hodie Badajax.*) Ita Noſter. Sed *Badajox* eſt *Pax Auguſta* ad Anæ ripam. *Beja* vero eſt *Pax Julia*, in Luſitania Transtagana: vide Reſend. *Ant. Luſ. p.* 213. & 251.

IV. 42. §. 5. *Stadia quoque occurrant.*) Sed per loca maritima, in quibus ille Auctor *ſtadiis* ſolet uti.

IV. 42. §. 6. *Gruterus, Belga quidem, ſed qui longum tempus in Hiſpania vixit.*) Noſter *Germanum* fecerat, *Allemand de Nation.* ſed quis unquam dixit, *Gruterum diu in Hiſpania vixiſſe?* verba mox laudata proprie non ſunt Gruteri, ſed is ea accepta tulit Andreæ Schotto, qui A. C. 1585. vixit Tarracone in ædibus Antonii Auguſtini, Viri illuſtris.

IV. 42. ad §. 7.) Chataii *Arbores Viales* habent. M. Paullus Venetus *de Reg. Or.* II. 24. *Ne Viatores in provinciis Chataii errarent, proſpexit illis prudens Imperator* Cubla *hoc conſilio: plantari fecit plurimas arbores, una ab alia modico diſtante intervallo, eaſque juxta Vias ſic conſtituit, ut iter agentibus, ceu digito, oſtendant veram ſemitæ lineam.* At per *Chinam*, *decimo* quovis *ſtadio*, inveniuntur *Mercuriales ſtatuæ*, quibus *diſtantiæ locorum* inſcriptæ ſunt. Muller. *in Diſquiſ. de Chataja p. m.* 34.

IV. 43. §. 1. *Viarum Deos* &c.) Illis adde & Deam Cererem, cujus noti per Orbem errores, ſive forte Proſerpinam, ex duabus columnis Via Appia apud ſepulchrum Metelli repertis, atque in hortos Farneſianos translatis, quas ſic exhibet inſcriptas Gruterus 17. 1. literis ΔΘΜΗΣΠΡΧ paullo aliter formatis ac ſubinde E pro H, & O poſito pro OY aut Ω, item H pro aſpiratione: ΟΔΕΝΙ ΘΕΜΙΤΟΝ ΜΕΤΑΚΙΝΕΣΑΙ ΕΚ ΤΟ ΤRΙΟΠΙΟ ΗΟ ΕΣΤΙΝ ΕΠΙ ΤΟ TRITO EN TEI HODOI TEI ΑΠΠΙΑΙ HERODO ΑΓRΟΙ Ο ΓAR ΛΟΙΟΝ ΤΟΙ KINESANTI MARTIS DAIMON ENHODIA. In altera parte legitur: KAI HOI KIONES DEMETROS KAI KORES ΑΝΑΘΕΜΑ KAI ΧΘΟΝΙΟΝ ΘΕΟΝ. Eleganter ſatis iſta vertit neſcio quis:

Quæ ſacræ ſurgunt Cereri Natæque columnæ
Exiguo in templo Manibus atque Diis:
Terno ubi dividitur ſaxo via nobilis AppI,
Pinguia qua Herodes jugera dives arat:
Has moviſſe nefas: nec tantum teſte carebit
Crimen, quod grave poſt aſſerat exitium.
Hoc oculis Dea Perſephone non viderit æquis,
Imperio cujus ſubdita quæque Via eſt.

hic forſan innuitur *Hecate* triformis ſive *Trivia*, quæ quandoq; ἁπλῶς Ἐνοδία vocatur, ut Ἐνόδιος, Mer-

curius. Julianus *Epiſt.* 20. *ad Euſtochium*: Ἄξει δέ σε ὁ δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ καὶ παρίππῳ· εἰ δὲ χρή τι καὶ ἐπεύξασθαι, τὴν Ἐνοδίαν εὐμενῆ σοι, καὶ τὸν Ἐνόδιον παρακεκλήκαμεν. *Hecate* ſcilicet eadem, quæ Diana ac Proſerpina, habetur: vide Mythologos. Diana quoque Viis, præcipue Triviis, præſidere credebatur: hinc *Potens Trivia* dicitur Catullo in *Carm. Sæcul. ad Dianam*, 35. *vſ.* 12. Phurnutus *de N. D. c.* 34. Ἐντεῦθεν δ' ἤδη (Ἄρτεμις) καὶ Τριοδῖτις ἐπεκλήθη, καὶ τῶν τριόδων ἐπόπτις ἐνομίσθη, διὰ τὸ τειχῶς μεταβάλλειν, ὁδεύουσαν διὰ τῶν ζώων. verto: *Hinc etiam Trivia cognominata eſt* Diana, *& Triviorum præſes credita, quod triplicem accipiat mutationem, dum Zodiacum perambulat*. Apud Pauſaniam habes templa & ſimulacra *Dianæ* Ἡγεμονῆς ſive *Ducis Vialis*, *lib.* VIII. ſive *in Arcadic. p.* 470. *&* 485. *edit. Lat. Wechel.* vel *p.* 267. & 276. *edit. Steph.* Hæc forſan eſt *Diana Redux* in nummo *Poſtumi* Patris, apud Smetium *in Antiq. Neom. n.* 11. *p. m.* 241. Varro *de L. L. lib.* VI. *p. m.* 68. *Titanis Trivia, Diana eſt, ab eo dicta Trivia, quod in trivio ponitur fere in oppidis Græcis*. Inter Deos Viales refer & *Priapum*. Auctor *carminis liberi in Priapej.* 29.

Priape,
Ad fontem, quæſo, dic mihi, qua ſit iter!


ubi notat & hæc Joſephus Scaliger: *Cur ignotus & ignarus Viarum a Cuſtode hortorum quærit Viam ad fontem, cum ipſe Cuſtos intra ſepta hortorum eſſet? Sciendum Priapos & Hermas, vel Hermulas & Marſyas etiam in Compitis, Triviis & Quadriviis poni ſolitos, cum virga in manu, quæ monſtraret iter ad fontem. Et quantum ad Deos Viales, ut vocat Plautus, nihil intererat, Mercurii an Priapi eſſent. Quin & Mercuriis ipſis & Terminis Vialibus veretra longa & immania, ut Priapis, attribuebantur: quod & ego Romæ in ædibus Cardinalis de Ceſiis vidi, & patet ex dicto Philoſophi, qui in guloſum & libidinoſum adoleſcentem tempeſtive luſit, quod ſimilis eſſet* τοῖς Ἑρμαῖς, *qui nihil niſi caput & penem haberet. Ergo Priapi, ſeu Hermæ Dii Viales, qui & digitum intendebant ad fontem*. Hæc Scaliger: confer figuras 30. & 73. Boiſſardum *VI. lib. A. R.* quæ fuere in Hortis Viæ Flaminiæ *Gr.* 95. 4. *&* 5. addimus porro, *quod ab erroribus Viarum Dea Vibilia liberet*, ſi vera eſt lectio apud Arnobium *adv. Gent.* IV. *p. m.* 124. *edit. Stevvechii* 1604. item *Deum Vium*, vel *Deos Vios*, ad quos decumæ lucri omnes deferebantur, ut ex epigrammate Fortunæ Præneſtinæ patere vult Scaliger *in Catal. Virg. p. m.* 242. *edit.* 1617. in qua de mercatore decumas *Fortunæ* perſolvente hæc & de *Deo Vio* habeantur:

Omnibus hic annis votorum more ſuorum
Centenas adicit numero creſcente coronas,
Fortunæ ſimulacra colens & Apollinis aras
Arcanumque Vii.

Verum hic putem Scaligero memoriam fraudi fuiſſe: legitur illa Inſcr. Præneſte in Palatio Epiſcopi in baſi marmorea, apud Grut. 72. 5. & Pighium *Herc. Prod. p.* 384. & *ſeqq.* qui eam teſtis αὐτόπτης deſcripſit, & obiter exponit, ubi ἀντὶ τοῦ *Arcanumque Vii* exſtat: *Ægeriumque Jovem*. Sane quid foret *Arcanum Vii*? & qui hic e plebe Deorum jungeretur Apollini? Fortuna Redux ſæpe cum rota in nummis occurrit, ſed ideo *Vius* illi *Deus* non jungitur, nec illa ad ſortes Fortunæ Præneſtinæ quicquam attinet. Scaliger porro nobis *Deos Vios* apud Servium *ad Æn.* VII. 678. oſtendit, cum hic dicat: *Ibi Præneſte erant Pontifices & Dii Indigetes, ſi-*

A *cut & Romæ*: ſubjicit Scaliger: *Lege, Dii Vii*. Sane audax mutatio, pro *Indigetes* ſubſtituere *Vii*. Sed puto eſſe culpam aut memoriæ, aut pueri a manu, & reſpici iſta Servii verba ſequentia: *Erant etiam duo Fratres, qui Divi appellabantur*: hic pro Divi poſſet diviſim legi DI VI. Servius enim *Deorum Vialium* quoque meminit *ad Æn.* III. 168. ubi, præeunte Labeone Deos Penates & Viales committit. Certe & Laribus comites ſunt canes, uti Viatoribus: porro Scaliger apud Solinum *c.* 2. ἀντὶ τῶν *Fratrum Digitiorum*, vult legi *Fratrum Indigetum Viorum*, reclamantibus mss. ut ipſemet agnoſcit. In Servio nihil emendandum; in B Solino aut per *Digitos* intelligi *Dactylos*, quales *Idæi*, aut legendum οἰκεδίων i. *domeſticorum*, contendit Salmaſius *in Exerc. Plin. ad h. l. p. m.* 46. *ed. Ultraj.* Reperio etiam *Deam Biviam* in Arnobii *l. l.* ſi ſequamur Scaligeri lectionem, quam videtur innuere *l. l. ad Catal.* Certe *in honorem Domus Divinæ Diis Deabuſque BivIs, TrivIs, QuadrivIs votum ſolvitur* a milite apud Grut. 84. 5. ſic enim τὰ *H. D.* 15. *ABUS* eſſe explenda docet alia Inſcr. 1015. 1. ubi I. H. D. D. *beneficiarius Conſulis V. S. L. L. M. Biviis, Triviis, Quadriviis*: ſic *Diis Quadriviis Vicani Bibienſes de ſuo ponunt* C ſtatuam, aut tale quid, apud Reineſ. I. 140. *Dii Semitales* in vetere Parodia Catulli in Ventidium Baſſum *vſ.* 9. *in Catal. Virgil. laudatis p. m.* 89. *Deus, qui Vias & Semitas commentus eſt*, apud Reineſ. I. 141. Inter *Deas Viales* nobis quoque recenſenda videtur *Fortuna Redux*, quæ in Nummis, Gemmis, Monumentis, Inſcriptionibus ſæpe occurrit; modo cum gubernaculo ſeu clavo, modo cum rota: exempla vide apud Auguſtinum *Dialog.* II. *Antiq ſub tit. Fortuna Redux*: Triſtanum III. 394. Choulium *p. m.* 200. 201. 202. *edit. Veſal.* Donatum *de Urb. Rom.* III. 15. & 16. *Th. A. R. tom.* V. p. 744. & 752. ubi, in nummo Veſpaſiani, guberD naculum globo innititur: Gorlæum *in Dactylioth. annul. num.* 142. item *gemma* 18. 32. 96 & 102. quæ notanda, quod gubernaculum & ſimul rotam oſtentet: adde ex augmento Jac. Gronovii V. Cl. *gemmam* 156. Gruter. *Inſcrr.* 8. 4. *quæ repetitur* 78. 5. 77. 6. 78. 2. 107. 5. 1014. 1. 1017. 7. 1072. 2. 4. 5: in quibus modo ſola, modo *J. O. M.* modo *Jovi Sereno*, modo *Genio loci*, modo *Romæ Æternæ*, modo *Fato Bono*, ſingulis aut pluribus, jungitur. Sed eſſe *Deam Vialem* probarur ex 8. 2. quicum conſonat illa Reineſii I. 263. *Fortunæ pro ſalute, itu & E reditu*: & quod *Grut.* 78. 1. conjungatur *Lari Viali*: ac Imperatoribus in expeditionem profectis conſecrata, unde in nummis Trajani, Hadriani, & aliorum: hinc *Fortuna Redux Domus Auguſtæ* 78. 3. 4. 2014. 2. *Imp. L. Septimii Severi* 1009. 8. In Nummis vero & Gemmis putem per *rotam* deſignari iter terreſtre, maxime curſu vehiculari peragendum: per *gubernaculum* vero iter maritimum: quæ enim alii huc arceſſunt de Fortuna tum volubilitate, tum gubernatione rerum humanarum, minime hic quadrant; ubi autem *rota* & *gubernaculum* conjunguntur, iter terra marique peragendum deſignari putem. Clariſſime hanc rem ob oculos ponit monumentum I. H. D. D. vetus apud Boiſſar-F dum *A. R.* VI. *fig.* 114. ubi male EVOX exſculptum erat, pro EVOK. quod hic exhiberi operæ precium videtur.

Hic cernis *Fortunam Reducem* in altero latere addita rota, columna milliari, cum flagello in manu, quo equi admonebantur; ſcilicet ex voto, ut Imp. ſalvus iret terreſtri itinere, ac curſu vehiculari: in altero latere habes *Fortunam Reducem* cum gubernaculo, ſcilicet ex voto, ut Imp. ſalvus maritimo itinere ab expeditione rediret: adde figuram πάνθεον in Sarda elegantiſſima Sponii apud Baudelotium de


SALVOS REDIRE
IN· H· DD·
AVGG·
L·VECTIVS
SEMPRONIANVS
AVG·L·
SALVOS IRE
SALVOS VENI
RE
IN· H· DD·
T· ALBANIVS
PRINCIPIA
NVS EVOX
AVG· N·
SALVOS
IRE

Dairval, *Util. des Voyages*, *tom. I. p. m.* 337. ubi etiam *Gubernaculum* & *Rota* simul cernuntur. Illo vero cum monumento convenit figura monumenti, quod videbis apud eundem Boissardum *fig.* 5. quod I. H. D. D. AUGG. L. VECTIUS SEMPRONIANUS AUG. L. dedicavit: in quo item hinc legis: SALVOS IRE: sed ibi *Fortuna Redux* globum tenet sinistra, qui forsan rotam debuit designare, & virgam dextra, quali Augg. voluerunt in cursu publico admoneri equos, non vero fustibus: illinc legis SALVOS REDIRE, & figura ibi cum hac nostra ex asse convenit. Cæterum non ignoro in nummis *Fortunam* cum *cornu Copiæ* & *gubernaculo* fingi, tanquam quæ *opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat*, ap. Lactant. de *Falsa Sap.* III. 29. tanquam *Dominam æquoris*, quam invocent nautæ, Horatio *Od.* I. 35. *vs.* 6. *Globum* quoque subjici in nummis, ut Imperatoriam Fortunam designet apud Morell. *Specim. Rei Num. Ant. Tab.* V. *ed. Lipsiens.* & *calathiscum* accedere insuper capiti, ut *ib. Tab.* XX. in nummo Græco Faustinæ; item demto globo *calathiscum* cum *copia* & *gubernaculo* in nummo Græco Gordiani Senioris ap. Wildium *Select. Numism. Tab.* XIX. *num.* 115. Sed ajo: cum globus additur, signari Imperatoriam; cum *Reducis* cognomen respici ad iter Augusti.

IV. 43. §. 1. *Varro Viacos.*) ubi? Error videtur, sine dubio ex male inspecto aut per amanuenses exscripto Suritæ loco *in It. Anton. p.* 163. ortus: ita scribit Surita: „Erranti viam non monstrare, „Athenis exsecrationibus publicis sancitum fuisse „novimus. Hinc Gentium religio, qui Viis & Semitis *Mercurium* præfecerunt, *Hodii* & *Enhodii* „cognominibus eum venerantes. Latinos *Viacum* inde appellavisse, non Varronis testimonio, „aut aliorum Auctorum, qui de Diis Gentium & „eorum imaginibus & variis nominibus, atque „cognominibus syntagmata contexuere, cognovimus, sed pervetusta Inscriptione: hæc Surita. Inscr. vide in fine hujus sectionis allatam a Bergierio, sed hac duce *Deos Viacos* proponit, non Varrone: legit aut certe intellexit, ac si Surita scripsisset, *non Varronis tantum testimonio*. Varro *Viocuros* videtur habere *de L. L. lib.* IV. *p.* 6. sed hos non dicit Deos: vide quæ notavimus ad I. 4. §. 1.

IV. 43. §. 1. *Quos invocare solebant.*) Exempla sunt obvia apud Poetas in Propempticis.

IV. 43. ad §. 2. & seqq.) Hæc & sequentia hujus sectionis fere κατὰ πόδα Noster mutuatus est ab Hier. Aleandro, Juniore, *in Exposit. Tab. Heliac. sub titulo*: *Cumuli lapidum*: vide *Thes. tom.* V. *pag.* 227. quæ suo Auctori hic ingenua fide restituo: ubi tamen Noster cum Aleandro duce videbitur a vero abire, ibi conabor eos in viam rectam revocare.

IV. 43. §. 2. *Stelæ autem hæ* &c.) Sic apud Judæos, si fides Maimonidæ *in* רוצח *c.* 8. in omni bivio aut viarum partitione, in ea, quæ ad urbem refugii sive asylum ducebat, scriptum erat מקלט מקלט *Refugium*, *Refugium*, ne eo fugiens a via aberraret: ut notavit Lightfootus in *Cent. Chorogr. Matthæo præmissa c.* 50. & ex eo Auctore Otho *Lex Rabbinic. voce Asylum.*

IV. 43. §. 2. *Ut apud Suidam*, *in* Ερμαῖον, *loquitur Damascius.*) imo ipse Suidas, allato Damascii loco: audi illum: Ερμαῖον. Ευρημα, ἐπειδὴ λίθων σωροὺς ἀφιέρουν τῷ Ερμεῖ ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις. Δαμάσκιος. Καὶ ἐδόκει Ερμαίῳ ἐντετυχηκέναι ἐμοὶ περιτυχών: verto: *Hermum*: *Inventum*, *quia lapidum acervos in obscuris Viis consecrabant Mercurio. Damascius*: *Cum in me incidisset*, *putabat se in Hermæum sive lucrum insperatum incidisse*: verum ita Nostro præiverat Aleander his verbis: ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις, *in Viis ambiguis*, *ut ex Damascio refert Suidas*: pro quibus Noster: *comme Damascius parle dans Suidas.*

IV. 43. §. 2. *Frequenter ponebatur* &c.) Noster hic cum Aleandro plane confundit Deos Terminales & Viales, cum differant ratione loci & officii. *Hermulæ* Terminales delimitantes agrum Picenensem occurrunt apud Frontin. *de Colon. p.* 142. figuram horum vide *p.* 213. *Hermæ* Viales etiam in Pontibus fuerunt positi; ut docere videtur Ammianus Marcellinus XXXI. 1. *Quales*, ait, *in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incomte in hominum figuras.*

IV. 43. §. 3. *Ovidius.*) qui *l. l.* ait, Via Laurentina ad VI. ab Urbe lapidem Termino oves immolatas fuisse; vide ibidem, quomodo a vicinis sacra fiant Termino, & adde ad Tibulli I. 1. *vs.* 11. Scaligerum, Dousam, Alios: sed cave tamen, Hermas cum hisce Terminis confundas. Cæterum Hermæ lignei aut lapidei non solum erant, sed etiam *ænei* aut *marmorei*, *quos Athenienses ante januas pro religione positos habuerunt*, testibus *Scholiis Vet.* ad Juven. VIII. 53. item *marmorei* cum *capitibus æneis*, Cic. *ad Attic.* I. 7.


IV. 43. §. 3. *Cur figura fuerint quadrata* Hermæ, & seqq.) Aliam rationem adfert Thucydidis Scholiastes ad VI. 27. *p.* 364. *edit. nuperæ Anglic.* ad verba: Οσοι Ερμαῖ ἦσαν annotans: Περὶ τῶ Ερμῶν· ἐπεὶ φασὶ τὸν Ερμῆν λόγου καὶ ἀληθείας ἔφορον εἶναι, διὰ τοῦτο καὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῦ τετραγώνους καὶ κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον· αἰνιττόμενοι, ὅτι τὸ τοιοῦτο σχῆμα, ἐφ᾽ ἃ μέρη πέσῃ, πανταχόσε βάσιμον καὶ ὄρθιον ἐστιν· οὕτω καὶ ὁ λόγος, καὶ ἡ ἀλήθεια ὁμοία ἐστὶ πανταχόθεν αὐτῇ, τὸ ψεῦδος δὲ πολύχουν καὶ πολυσχιδές. Verto: *de Hermis*: *quandoquidem Mercurium ajunt* (*Rationis*) *Sermonis & Veritatis præsidem*, *ideo & ejus statuas faciebant quadratas & cubicas*: *innuentes*, *quod*, *uti in quam partem cunque hæc figura cadat*, *ubique firma & erecta est*, *ita &* (*Ratio*) *Sermo & Veritas sibi semper sit constans & similis*; *Falsum vero inconstans*, *varium & multiplex.* Aliam item caussam vide apud Macrobium *Saturnal.* I. 19.

IV. 43. §. 4. *Athenienses* &c.) Domitius Calderinus ad Juven. VIII. 53. notat: *Mos Athenis erat*, *ut Thucydides & Demosthenes docent*, *ut his*, *qui vel triumphum duxissent*, *vel præclarum aliquod opus gessissent*, *modo bini*, *modo terni*, *modo plures pro meritorum dignitate Mercurii darentur*, *expressi marmore*, *ubi solum caput eminebat*, *reliquo corpore non effícto*, *sed rudi*: *atque ita supra fores disponebantur*: hæc ille: sed ne quid diffitear, nondum potui fontes horum dictorum reperire in laudatis Auctoribus. Hermæ autem vel habebant vultum Mercurii effictum ad scalptoris placitum, vel sub titulo Mercurii, lineamenta vultus ducebantur ad hominis alicujus effigiem. Arnobius *adv. Gent. lib.* VI. *Sed quid ego Diis datas falces & fuscinas video? quid cornua*, *malleos & galeros? cum simulacra quædam sciam certorum esse hominum formas*, *& infamium lineamenta meretricum. Quis est enim*, *qui ignoret*, *Athenienses illos Hermas Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos*: aut erant Viri sago togaque illustres ad Hermarum modum facti, quorum complures figuras exhibet Boissardus *Antiq. Rom. tom.* VI. *fig.* 33. 34. 41–49. Deorum vero Hermæas figuras vide apud eundem IV. *fig.* 117. Θεῶ Αλεξικακοῦ *fig.* 134. *Hermeraclæ*, VI. 30. & 73. *Priapi.*

IV. 43. §. 4. *Cum una nocte omnes Hermas* &c.) Videndus omnino Thucydides VI. 27. *p.* 364. *edit. Angl.* aut *Henr. Steph. p.* 429. aut *Latinæ Wechel. p.* 354. ubi Scholiastes ad verba: Περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα notat: Ιστέον, ὅτι Παυσανίας, ἐν τῇ διαπεπονημένῃ αὐτῷ τῶ Αττικῶν ὀνομάτων συναγωγῇ, τοὺς

τραχήλυς ϰ) τὰ αἰδοῖα τὰς Ερμᾶς περικοπῆναι φησὶ ϰ) τὰς τῦτο δράσαντας, Ερμοκοπίδας καλεῖσθαι: verto: *Sciendum, quod Pausanias in ea, quam fecit, Atticarum vocum collectione dicat, Hermas istos mutilatos fuisse cervicibus & pudendis, atque eos, qui hoc fecissent, vocatos esse Hermocopidas:* adeoque dux & auctor hujus facinoris a pluribus perpetrati fuit Alcibiades: confer Bosium & alios ad Nepotis *Alcib. cap. 3.*

IV. 43. §. 5. *Mercurio consecrabant, quod eum crederunt Deum Tutelarem Viarum Publicarum.)* Hunc Mercurium Vialem petasatum exhibet nummus Gentis Mamiliæ, in cujus altera facie non tam Viator aliquis cum cane & baculo, ut Scaliger notat ad *Priap. carm.* 29. quam ipse Ulysses pileo umbellato & baculo armatus, tot erroribus & peregrinationibus per orbem nobilis, quem domum reversum statim canis agnovit. Mamilii autem a Telegoni Ulyssis F. filia Mamilia, teste Festo, *voc. Mamiliorum*, genus suum repetebant. Vide hunc nummum in Ursini *Familiis, hac in Gente;* ibique docte hæc enarrantem Ursinum: & adde Aleandri, Junioris, *Exposit. Tab. Heliacæ, sub titulo: Mercurius Sol; Thes. tom.* v. *p.* 719. sed aspice ipsas nummi facies ex Choulii numismatis, quibus veterum Romanorum rem Divinam Gallice enarrat *p.* 152. *edit. Vesaliens.* 1672. ubi tamen male legitur in nummo LIMEANUS pro LIMETANUS, quod cognomen est gentis Mamiliæ:



Hinc lucem accipiunt illa Arnobii *adv. Gent. lib.* VI. *p. m.* 188. *Cum petaso gnatus Majæ formatur, tanquam Vias aggredi præparet, & solem pulveremque declinet.*

IV. 43. §. 5. *Sic enim Lactantius* &c.) Sed ibi Cicero ille Christianus agit, non de Mercurio Viali, verum de *Termino Deo*, qui Jovi noluit cedere, super quem, facto Capitolio, *foramen est in tecto relictum, ut, quia non cesserat, libero cœlo frueretur.* Sed quia Hermas Viales cum Terminis confudit Aleander, laudato etiam hoc Lactantii loco, Noster credidit in eodem agi de *Mercurio Viali.*

IV. 43. §. 5. *Ex Thucydide enim* &c.) at ubi hoc habet Thucydides, nusquam certe in σωζομένοις. Aleandrum forte negligenter legit, qui dixerat: *Nam de Mercuriis nota res ex Thucydide, aliisque:* (scilicet, quod præcesserat: *quadratos Hermas ante fores ædium statui solitos:*) *iter enim recte auspicari credebant salutato Deo itineris præside:* pro his Noster: *Et scavons par le rapport de Thucydide & d'autres, que les Anciens ne pensoient pas heureusement se mettre chemin* &c. Tu vide potius super hujus religionis exemplis *Anthol.* IV. 12. *Catol. Virg. p. m.* 69. *in Parodia Catulliana de Ventidio Basso*, & *Inscrr.* allatas paullo ante ad §. 1.

IV. 43. §. 6. *Hermæ isti valde erat informes.)* non omnes, non semper, non ubique, ut licet videre ex reliquiis Hermarum veterum. Facies sæpissime summa arte erat elaborata. Locis, quem Noster ex Virgilii Culice adfert, non Hermam Vialem, sed Priapum hortorum custodem innuit: confer Martial. VI. 73. Phallica *carm.* 63. 87. 88. Tu adde de Hermarum forma & eorum ὀρθοῖς αἰδοίοις Dempster. *ad Rosin.* II. 9.

IV. 43. §. 6. *Hermis comparare homines stupidos.)* Sic Sidonius IV. 12. *ed. Pii* 1597. *in Epist. quæ incipit: Deus bone:* tabellarium, qui literas responsi perdiderat, vocat *Hermam stolidissimum*: ubi vide Pii Annotationes.

IV. 43. §. 6. *Ut carerent manibus* &c.) docet idem Dio Cassius lib. LIV. p. 603. ubi inter dona Indorum Augusto missa ait fuisse μειράκιον, ἄνευ ὤμων, οἷυς τὰς Ερμᾶς ὁρῶμεν, *adolescentem quendam brachiis carentem, quales Hermæ fingi solent, qui manuum loco pedum omnia officio peragebat, iis arcum tendebat, sagittas emittebat, tuba canebat.* Vide Crinit. *de Honest. Discipl.* V. 12. Figrel. *de Statuis c.* 17. & Saggittar. *de Jan. Vett. c.* 34.

IV. 43. §. 7. *Porro notandum est* &c.) De his λόφοις Ερμαίοις plurima, eaque non vulgaria, annotarunt Ouzelius *ad Minutium p.* 17. *edit. Leid.* 1672. Schildius *de Chaucis* II. 3. Aleander *l. l.* Sagittarius *l. l.* Seldenus *de Diis Syris* II. 15. ibique *in Additamentis* Beierus, & ab illo laudati. Nicandro *in Theriacis* dicuntur Ερμακες, Rabbinis מרק: voluntque ad hunc ritum profanum alludi a Sapientissimo Israelitarum Rege *Prov.* XXVI. 8. certe Vulgatus Interpres ita accepit. Digni vero sunt hi præcipue loci, qui adscribantur, quoniam ad nostrum faciunt institutum. Ad versum Odyss. Π. *vs.* 11. *ante finem:*

Ηδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι δ' Ερμαῖος λόφος ἐστὶν, i. *Jam super civitate, ubi Hermæus (quadratus) tumulus est*, annotat Eustathius: Οἱ δέ φασιν, ὅτι Ερμαῖος λόφος σωρὸς λίθων ἐστὶν ἐνόδιος, ϰ) βωμὸς ἢ λόφος ὑποκείμενος Ερμᾶ ἀνδριάντι. Αλλοι δὲ νοοῦσιν Ερμαίυς κοινῶς λόφυς, σημεῖα ὁδῶν κατὰ ποσήν τινα διάστασιν μιλιασμῦ τυχὸν ἢ σταδιασμῦ. Ερμῆς γὰρ φασι πρῶτος, οἷα κήρυξ καὶ διάκτορος καθήρας τὰς ὁδὺς, εἴπυ λίθυς εὗρεν, ἀπετίθει ἔξω ὁδῦ. ὅθεν τὺς πικτόν τι ποιῦντας, ϰ) τὰς ὁδὺς τῷ Ερμῆ, ὡς διακτόρῳ ἐκκαθαίροντας, εἰς τιμὴν Ερμῦ τὺς τοιύτων λίθων σωρὺς Ερμαῖα ἢ Ερμαίυς λόφυς καλεῖν· vertit Schildius: *Alii dicunt, quod Mercurialis tumulus sit acervus lapidum in via collocatus, aut ara, aut tumulus Mercurii subjectus statuæ: Alii vero Mercuriales communiter accipiunt tumulos, pro signis viarum, juxta aliquantam earum intercapedinem, milliari fortean, aut stadio respondentem. Ferunt enim primitus Mercurium, tanquam caduceatorem & internuncium, purgandis itineribus, lapides, si quos inveniret, extra viam se posuisse: unde existimant, si qui id imitentur, & internuncio Deorum Mercurio vias expurgent, eos in honorem Dei ejuscemodi strues Hermæa, vel colles Hermæos, appellare:* ibidem Didymus, sive sit alius, annotat: Οθεν ἔτι τὺς ἀνθρώπυς ἄγει τῦ νῦν εἰς τιμὴν Ερμῦ κατὰ τὰς ὁδὺς διὰ τὸ τὸν Θεὸν εἶναι τῦτον καθηγεμόνα, ϰ) τρόπον τινὰ ἐκδικῦντα, σωρὺς ποιεῖν λίθων, ϰ) διάγοντας προσβάλλειν λίθυς ϰ) τύτυς καλεῖν Ερμαίυς λόφυς: vertit Seldenus: *Inde etiamnum in usu est, homines in Mercurii honorem, eo quod Viarum sit præses, & ad morem Deorum eum absolventium, lapidum acervos Viis publicis congerere: hos autem prætereuntes crebro jactu augere & Acervos Mercuriales nuncupare:* scilicit respicit fabulam. Cum in consessu Superorum, Mercurius esset Deorum calculum subiturus, accusatus nimirum a Junone, ob patratam Argi cædem; in gratiam Jovis, Deorum turbam Mercurium quidem absolvisse; sed calculos omnes, pro singulari cœlestis fori ritu, ad ejus pedes jactu coacervasse; quo scilicet facto exsecrandam sibi etiam cædem illam in Junonis gratiam manifesto notarent. Phurnutus *de N. D. c.* 16. 16. rationes complures cumulat: Προσσωρεύυσι δὲ τὰς λίθους τοῖς Ερμαῖς ἕκαστος τῶν παριόντων, ἕνα τινὰ αὐτοῖς προστιθεὶς, ἢ ὡς χρήσιμόν τι ϰ) κοινωνικὸν τὸ παρ' αὐτῦ ἕκαστος ποιῶν, διὰ τοῦ καθαίρειν τὴν ὁδὸν, εἴ τε

μαρτυροποιούμενος τὸν Ερμῆν, εἴτε ὡς ὑπισημαινόμενος τὴν εἰς αὐτὸν τιμὴν, εἰ μηδὲν ἄλλο ἔχειν προσενεγκεῖν αὐτῷ, εἴτε ἐκδηλότερον τοῖς παριοῦσι τὸ ἀφίδρυμα ποιῶν, εἴτε πρὸς σύμβολον τοῦ ἐκ μικρῶν μερῶν συνεστάναι τὸν προφορικὸν λόγον: vertit ni fallor, Thomas Gale: *Statius Mercurialibus accumulant lapides: quilibet namque eorum, qui ejus statuam prætereunt, lapidem adjicit. Caussæ autem ejus rei sunt plurimæ. Una est, quod quilibet utile quiddam faciat, quod ad communem omnium spectet utilitatem, dum Viam purgat: altera, quod obtestetur Mercurium lapidis adjectione; aut lapidis adjectione suum declaret in ipsum honorem, quasi nihil nunc occurrat, quod offerat: alia est, quod Statuam Mercurialem prætereuntibus manifestiorem faciat, additione lapidum. Porro alia est, ut per lapides significetur, ex parvis & modicis partibus consistere orationem enunciativam.* Hæc ille. Addo, morem hunc aggerendi acervos lapidum, obtinuisse apud Indorum gentes Zechiam & Albarachumam, ab his descendisse ad Arabes, mansisse sub Muhammede alio titulo, lapillos sub genitalibus membris intra crura retro jactatos in honorem Veneris vel Martis, ut, laudante Ouzelio *l. l.* ex Arabe Christiano narrat Vincentius Bellovacensis *Spec. Hist. lib.* IV. ex Petro Alfonso Bernardus Breidenbachius *in Hodœporis.* Apud Chaucos, Germaniæ populos, etiamnum obtinet, teste *l. l.* Schildio: *Videre est*, ait, *eximiæ celsitudinis tumulos, Bremam inter & Præsulis arce nobilem Fordum, e lapidibus accumulatos, & quidem ἐνοδίως, hoc est, in ipso propemodum militarium margine Viarum. Tum & ii, quibus iter isthac faciendum est, ut solent sæpe tædia Viarum non fabulis modo dispungi commeantium, sed & repetitis e domestica antiquitate ludicris levari, suum quisque colliculis istis lapidem adjiciunt, & indies e magnis faciunt majores.* Item apud Italos, audi Aleandrum *l. l. in fine*, ubi inquit: *Profanus hic mos ad hanc usque diem traductus viget quibusdam locis penes rusticos ac prorsus ignaros homines: siquidem iter facientes saxa avi glebas ad Sacella congerunt, quæ in triviis aut quadriviis excitari solent. Interrogati quidam in agro Patavino, cur id agerent? nimirum, responderunt, ut viæ fastidium allevetur: idque ajebant ab antiquis quasi per manus traditum. Porro apud veteres quoque non modo saxa, sed & glebas existimari potest in acervum conjectas, ut de cespitibus videtur innuere Festus Avienus* in Ora Maritima: Est Herma porro Cespitum munitio. Postrema hæc de *glebis* quoque adjectis eo libentius addo, quia a Bergierio fuerant neglecta. At unde hic mos adeo vulgatus per Orbem apud Indos, Arabes, Judæos, Græcos, Italos, Gallos, Germanos? rationem puto principem, ut viæ nulla haberent offendicula, & uti lapidum proximorum ope promte possent muniri ac solidari, ubi erant corruptæ ac extritæ: atque ut Viatores lapides tanto libentius ad Vias seponerent, religionem huic rei fuisse additam: alibi fuerunt quoque monumenta defunctorum. Virgilius *in Epitaph. Latronis, apud Auctorem vitæ ejus*:

Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus;
Nocte, die tutum carpe Viator iter.

Si argutari vellem, possem ex Historia sacra arcessere lapides in Jordanis transitu obiter a Josua dedicatos; Aras ex lapide incerto, non polito, construendas Deo fuisse; item dispersos lapidum Turris Babelis acervos, cum sermonis, cui Mercurius præesse fingitur, confusio coegit mortales variis viis ac itineribus

Diversa exsilia & diversas quærere terras.

IV. 43. §. 8. *Herculem.*) Huic passim in Italia per vias aræ erant dicatæ, teste Dionys. Halic. *R. A. lib.* 1. *p. m.* 54. Excerpta Festi MSS. apud Thom. Munckerum *ad Hygin. Fab.* 38. *nota c.* ajunt: *Profecturi Viam Herculi aut Sanco sacrificabant.*

IV. 43. §. 9. *Scorpiones.*) Ἀπὸ τοῦ σκορπίου, quod notat tutulum crinium in pueris, & quicquid in metam ac conum fastigiatum est: vide Scalig. *ad Catal. Virg. p. m.* 93. vel ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν a *spargendo*, quod ex congestione dispersorum fiant ejusmodi moles, ut placet Nic. Rigaltio in *Gloss. Agrimens.* hinc in Agris limitandis dictæ *congeries lapidum acervatim congestæ*, Siculo Flacco *p.* 6. *Scorofiones* occurrunt apud Jul. Frontin. *de Coloniis* ex Balbo *pag.* 119. 122. pro *congeriis petrarum* habent *Scorofiones* Mago & Vegoja *p.* 258. figuram eorum vide *p.* 213. sed legi volunt docti *Scorpiones*; quo nomine etiam dicuntur *duo fines cuneati se jungentes* in *Fragm. Terminal. p.* 147. Ubi Noster Bergierius *Scotiones* & *Scopiones* repererit, adhuc quæro: puto voces nihili, ex vitiosis lectionibus Auctorum rei Agrariæ haustas: *Corrosiones* certe *pag.* 119. vitiose legi pro *scorofiones* aut *scorpiones*, tam clarum, quam quod clarissimum: vide vel ibi sequentes lineas.

IV. 43. §. 11. *Saxanus.*) Debet hæc, ut cætera hujus sectionis, Aleandro. CL. Grævius *in Proleg. Thes. tom.* V. *p.* 8. simpliciter intelligit aut cum Reinesio Herculem e Saxo Tiburtino factum, saxeum, ut *Mars argenteus* dicitur in Inscr. Malacensi; apud Boxhorn. *Qu. R.* 1. item in Monumentis: *Venus Gabinia, Albana*, ex lapide Gabino, Albano formata: (Sic ap. Virgil. *Ecl.* VII. 35. 36. *Priapus marmoreus, aureus.*) sic forsan *Hercules e petra* apud Grut. 49: 2. aut Templum Triburtini Herculis alte positum in edito saxo, sive petra, quam Juvenalis XIV. 86. *summam Tiburis arcem* vocat: qui *vs.* 90. simul meminit *ædis Herculis*. Addo ex Plinio *H. N.* XXXV. 12. *in med.* a *Turiano, Fregellis* accito, *factum Herculem* fictilem, *qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet*: quod priori sententiæ favet: vide omnino, quæ de *Hercule* hoc *Saxano* erudite commentatur Pighius *Herc. Prod. p.* 394. *& seqq.*

IV. 43. §. 12. *Agyieus cognominatur.*) Suidas in Ἀγυιαί. Εἰσὶν δ᾽ αὖ οἱ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς λεγόμενοι Ἀγυιεῖς, οἱ πρὸ τῶν οἰκιῶν βωμοί: verto. *Erant vero apud Atticos aræ ante ædes positæ, dictæ Compitalitiæ sive Agyieis*: id quod ex Sophocle probat, & pergit: Καὶ Ἀγυιεύς, ὁ πρὸ τῶν αὐλίων θυρῶν κωνοειδὴς κίων, ἱερὸς Ἀπόλλωνος: vertit Portus: *Et Agyieus, cono similis turbinata columna, quæ ante fores aularum statui solet, Apollini sacra*: adde Schol. vet. ad Horat. IV. 6. Hesych. Harpocration. Stephanum *de Urb. h. v.*

IV. 43. §. 13. *In aversa nummi parte.*) fictum hunc nummum ex Torrentio ad Suetonium depinxit Aleander *l. l. Thes. tom.* V. *p.* 725. ubi aversam hanc faciem poteris videre.

IV. 43. §. 14. *In libris certe eorum &c.*) Apud Illustrem Spanhemium *de Præst. Numism. diss.* V. *p. m.* 361. occurrit cornutus Herma, quem ille ad *Taurum Neptunum* refert; nobis vero ad *Panem* τὸν κεράστην potius videtur ob Satyricum vultum referendus: item *p.* 363. exhibet Hermam marmoreum, in quo duo capita cernuntur juncta, virile & muliebre, ac prius quidem cum insigni cornu arietino; quem ipse refert ad κελοπροσώπους illos Alexandri hæredes, & quidem Ptolemæos Cyrenarum Reges, quorum pro more hic Rex & Regina junctis capitibus sint effícti: nobis autem bona cum tanti Viri venia videtur unius Bacchi esse simulachrum, sub Hermæa forma, quem juvenem & senem, masculum & fæminam esse Veteres finxere: confer figuras Bacchi apud Boissardum

*A.R.tom.*III.*fig.*143. & Causei *Simul. Deor.tab.* 2. *Thes. tom.* v. *pag.* 769. in quibus puellari vultu cernitur: Phurnutus *de N. D. c.* 30. de Baccho: θηλύμορφος πλάττεται καὶ κέρατα ἔχει: *muliebri forma fingitur & cornua habet*: deinde: πλάττεται δὲ νέος καὶ πρεσβύτης: *fingitur juvenis & senex*. Albricus *de Deorum imaginib. c.* 19. de Bacchi imagine: *Erat facie muliebri, pectore nudo, capite cornuto*. Sed & διφυής, δίκερως, δίμορφος, *geminus, bicornis, biformis*, disertis verbis celebratur in Orphei *Hymnis*, sive malis, Onomacriti *Indigitamentis*: *p. m.* 127. *ed.Ultraj.* 1680. hinc Plutarcho *de EI in Delphis, fere in medio*, dicitur *multiplici forma effictus*, & apud Poetas μυριόμορφος. Cur autem Bacchus *cornutus* fingatur, docte, ut solet, disputat Spanhemius *l.l. p.m.*357. *& seqq.* cui adde Phurnut. *l.l.* & hunc locum ex Nonni *Dionys. lib.* XLII.

> Πῆ σέο [illegible]; πῆ σέο χαίτης
> Γλαυκὰ πεδοτρεφέων ὀφιώδεα δεσμὰ δρακόντων;
> Πῆ σου [illegible] μύκημα βαρυβρεμον;

verto: *Ubi sunt tua cornua terrifica? ubi tua cæsaries terrigenarum draconum anguineis & cæruleis implexa cirris? ubi faucium tuarum gravisonans ille mugitus?*

IV. 43. §. 14. *Suidas* &c.) Locus ipse meretur integer adscribi. Μωρότερος Μορύχου. Πολέμων φησὶ λέγεσθαι ταύτην παρὰ Σικελιώταις οὕτω. Μωρότερος εἶ Μορύχου, ὃς τἄνδον ἀφεὶς ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται. Μόρυχος δὲ παρ' αὐτοῖς ὁ Διόνυσος κατ' ἐπίθετον, διὰ τὸ [illegible] αὐτοῦ τὸ πρόσωπον ἐν τῇ τρυγῇ, [illegible] γλεύκει [illegible]. μορύξαι δὲ τὸ μολῦναι. Ὅμηρος γοῦν τὸ [illegible] φησί. Εὐήθειαν δὲ τούτου [illegible], [illegible] ἔξω τοῦ νεὼ ἐν ὑπαίθρῳ [illegible] πέπτεται [illegible] ἠλίθιά τι πραττόντων. Verto cum Porto: *Stultior Morycho. Polemo dicit hoc adagium apud Siculos sic efferri: Stultior es Morycho, qui rebus domesticis relictis extra domum sedet. Morychus autem apud ipsos Bacchus epithetice vocatur, quod ejus facies in vindemia, musto & ficubus recentibus contaminetur, polluatur, fœdetur.* Μορύξαι *enim significat contaminare, polluere, fœdare. Homerus enim, quod communiter dicitur* μεμολυσμένος, *id est, contaminatus, pollutus, fœdatus, dixit* μεμορυγμένος. (Odyss.N. *vs.*6. *ante finem libri* κακῷ μεμορυγμένα καπνῷ.) *Hunc vero stultitiæ damnatum fuisse ferunt, quod ejus statua extra templum sub Dio ad ipsum templi vestibulum sit collocata. Dicitur autem hoc proverbium de illis, qui aliquid stulte peragunt.* Hæc Suidas. Statuas enim Hermæas ante domos & in plateis collocatas quoque apud Siculos in usu fuisse, apparet ex illo Xenocratis facto, in aula Dionysii Regis, quod recensent Athenæus x. 10. Ælianus *Variar.* II. 41. Laertius IV. 2. *in Xenocr.*

IV. 44. §. 3. *Fluvii majores* &c.) Observarunt Curiosi elegantiarum, Fluvios navigabiles in nummis & statuis cum *gubernaculo* exhiberi; qui vero in mare se effundunt, eos *barbatos* esse; *imberbes* fere, qui in alium fluvium influunt.

IV. 44. §. 4. *Duobus & quadraginta fluviis.*) Ita Plinius *N.H.* III. 5.

IV. 44. §. 7. *Dromones.*) Cursus enim Publicus quoque factus est navigiis, per flumina, lacus, sinus & maria distributis, ut docet Sirmondus *ad l. l.* Sidonii: adde porro Cassiodor. *Variar.* IV. 15. V. 16. & 17. hinc *Evectio Navalis* ap. Victorem, qui vulgo cognominatur Uticensis, *lib.* III. & in appendice Gregorii Turonensis II. 199. hinc *Itinerariam Positionum navium* in *Itin. Ant.p.*114. hinc *in Tab.Peut.segm.*III.in itinere Verona Ravennam designatur & notatur, *Hostiliis per Padum iter* esse faciendum: quod lucem accendit loco laud.Cassiod. *Var.* II. 31. *Dromones* etiam occurrunt *in l.* 2. *C. de Off. Præf. Præt. Afr.* Isidorus *Etymol.* XIX. 1. dici *naves longas* ait, *ac esse cæteris longiores*, a *decurrendo* autem sive δρόμῳ sic dictas; hinc Latinum Sidonii *Cursoria*: & *Dromonarii* ap.Cassiodor. *ll.ll.* Pollux *in Onomast.* ὁλκάδας naves istas Dromones vocat: Moschopulo *h.v.* Dromo est θοὴ ναῦς. *Celox* Nonio *de gen. navig. p. m.* 258. est *navigium breve, dictum a celeritudine*: at Fulgentius *de prisco Ser. p.m.*274. ait: *Celocem dicunt genus naviculæ modicum, quod bamplum* (forte: *lembum*) *dicimus*. Idem *p.*273. *versa*: *Lembus genus naviculæ velocissimæ, quod & Dromonis nomine appellamus.*

IV. 45. §. 2. *Carseoli sive Carsula.*) Atqui hæc est ad Anienem. Noster legit Strabonem *lib.*v. *p.m.*414. sed negligenter, qui ita sonat: *Ad ipsam quidem Viam Flaminiam Ocriculi, Tiberi propinqui, Larolum, Narna, per quam Nar amnis labitur, Tiberim influens paullo super Ocriculum, exiguis navigabilis navigiis. Dehinc* (sc. ad Viam Valeriam, *Itin. Ant.p.*70.) *Carsuli, & Mevania, præter quam labitur Teneas, & hic parvulis scaphis collectos ex agro fructus devehit in Tiberim.*

IV. 45. §. 2. *Otricoli.*) Post hæc verba, insere ista Bergierii a Typothetis omissa verba: „ *Paullo* „ *supra Ocriculum* influit *Nar* Tiberim, *exiguis* „ *navigabilis navigiis*, teste Strabone *lib.* v. *p. m.* 414.

IV. 45. § 6. *Hunc rivum Anienis novo lapideo* &c.) Noster: *L'Hmpereur Claudius tira un nouveau canal de ce fleuve, qu'il fortifia de pierre de taille de part & d'autre, & le conduisit jusques a Rome: où il le divisa par apres en plusieurs rameaux, pour entretenir quelques fosses, par lui faites en forme de lacs, enrichis artificiellement de beaux ouvrages tout à l'entour. Ceque Suetone veut signifier en ces mots,* Maxima de nihilo nascitur Historia: deceptus noster fuit vitiosa lectione: debuisset legere *Anienis novi*: intelligit enim Suetonius *l.l.* Aquæductum *Anienis novi*, de quo Frontinus *de Aquæd.l.* 1. & II. Fabrett.*de Aquæd.diss.*II. aliique laudati ab accuratissimo Pitisco ad *l.l.* Suetonii.

IV. 46. §. 1. *Canalibus.*) Reperio apud Non.*p.*94. versa: *Canalis, masc.Gradullius Gallicanus: Ego vero confiteor certo canali cuncta decurrere.* Item ap.Apulej.*Met.lib.*VI.*p.m.*704.*ed Basil.*1560.*Jam canale directo pergis ad ipsam Orci regiam.* & *lib.* IX. *p.* 320. *par.* II. *Propellor ad incurva spatia flexuosi canalis*: sed & ap. Sueton. *Claud. c.*20. legitur.

IV. 46. ad §. 3. Scaliger *Animadv. Euseb. p.* 177. dicit neminem scire, quo nomine hodie *Lacus Fucinus* vocetur: at tu vide Merul. *Cosmogr.* II. 4: 22 Mirandum vero hoc opus recentiores Eruditi Itali accuratius exposuerunt, & figuris illustrarunt.

IV. 46. §. 3. *Lacus hic longitudine* &c.) Ista narravit Strabo *lib.* v. *p. m.* 537. *& seq.* qui videatur.

IV. 46. ad §. 4.) *Fucinum lacum emittere destinarat* Cæsar, Suet. *Cæs. c.* 44. At Claudius *canalem absolvit*, Idem *Claud. cap.* 20. Tacitus vero *Annal.* XII. 57. ait primum *post apertum aquarum iter, incuriam operis manifestam fuisse, eoque, tempore interjecto, altius effossos specus.* Verum Dio *lib.* LX. *p. m.* 772. *In Fucino lacu, qui in Marsis est, in Tiberim emittendo, ut & locus circa eum lacum agriculturæ aptus, & Tiberis magis adhuc navigabilis fieret, inanes sumtus fecit.* Concilio ita, ut putem, opus nunquam pro voto fuisse perfectum, licet canalis prius absolutus, deinde etiam altius effossi specus fuerint. Tandem videntur perfecisse sive *Hadrianus*, (vide Cl. du Bos *Animadv. ad* I. 18. §. 2.) sive *Trajanus*. (vide *Notas* nostras *ad l. l.*

IV. 46. §. 6. *Drusinæ.*) non quod plures fuerint, sed quod per VIII. M. P. *fossa Drusiana* (sic eam unitatis numero appellat Tacit. *l. l.*) fuerit ducta, inter *Iseloort* vicum, & *Doesborgum* oppidum, A. U. C. 741. ante N. C. 12. uti nimirum classem ex superiore Rheni parte in Oceanum posset deducere: vide Cluver. *Germ. Ant.* III. 17. *de Tribus Rheni Alveis c.* 25. Junii *Batav. c.* 8.

IV. 46. §. 6. *Corbulonis fossa.*) De hac ejusque situ satis accurate disputat idem Cluver. *de tr. Rheni Alv. c.* 6.

IV. 47. §. 1. *Cnidii missis nunciis Delphos*, &c.) Idem firmat Pausanias *Corinthiac.* sive *lib.* II. *p.* 44. *ed. St. p.* 81. *ed. Wech.* ex versione Romuli Amasæi: *Gnidios ad Isthmum fodiendum aggressos, oraculum Pythii Apollinis deterruit. Tam scilicet difficile est, divinitus attributam certis rebus naturam humana arte superare.*

IV. 47. §. 1. *Fuit etiam Rex quidam Ægypti* &c) Lubet de magnanimis hisce ausis apponere, Græci & Latini, testium verba: prior est Herodot. *Euterp. sive lib.* II. *ed. St. p.* 67. *Wech. Lat. p.* 149. *Psammetichi filius, qui regnum Ægypti suscepit, exstitit Necus, qui fossam ad Rubrum Mare ferentem primus aggressus est, quam Darius Perses secundo loco depressit, longitudinis quidem quatuor dierum navigationis; latitudinis, ut per eam duæ possent simul agi triremes. Aqua, quæ in hanc e Nilo deducitur, paullo supra Bubastim urbem, juxta oppidum Arabiæ Patumon deducitur, evadens in Mare Rubrum. Initium fodiendi sumtum est a planitie Ægypti, Arabiam versus: nam quæ supra planitiem sunt, contiguus prope Memphin occupat mons, in quo lapicidinæ sunt. Itaque ad hujus montis ima ducta est fossa ab Occidente Orientem versus longo tractu: & deinde pertingit divortio montis tenus, (quod divortium ad Meridiem & ventum Austrum fert,) in sinum Arabicum. Qua igitur brevissimus tractus & maxime compendiarius est, a Mari Septentrionali ascensus ad Australe, quod idem Rubrum vocatur, a monte Casio, qui Ægyptum Syriamque disterminat, stadia mille sunt in Arabicum sinum. Et hoc quidem brevissimum est: verum fossa multo longior, scilicet quanto est obliquior: in qua fodienda sub Rege Neco CXX. millia Ægyptiorum perierunt: inque ejus medio opere Necus destitit, hoc interpellatus oraculo, eum id opus Barbaro præmunire. Ægyptii autem Barbaros omnes vocant, qui non ipsorum lingua loquuntur.* Hæ Pater Historiarum: ista vero Plinius: *H. N.* VI. 29. *Daneon portus, ex quo navigabilem alveum perducere in Nilum, qua parte ad Delta dictum decurrit, LXII. M. P. intervallo, quod inter flumen & Rubrum Mare interest, primus omnium Sesostris Ægypti Rex cogitavit: mox Darius Persarum: deinde Ptolemæus sequens; qui & duxit fossam, latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem XXXVII. millium IƆ. passuum usque ad Fontes Amaros. Ultra deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis Rubro Mari comperto, quam terra Ægypti. Aliqui non eam afferunt caussam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet.* Hæc Plinius: qui tacet de Cleopatra, quam tamen Noster idem tentasse refert: confer Strabon. *lib. I. p. m.* 90.

IV. 47. §. 2. *Julius Cæsar.*) teste Suetonio *in Cæs. cap.* 44.

IV. 47. §. 2. *Sanguis e terra erupit* &c.) vide Philostrat. *in vit. Apollon.* IV. 8.

IV. 47. §. 2. *Infelici exitu* &c.) Idem tradit Pausanias *l. l. Quicunque*, ait, *Peloponnesum insulam facere conatus est, morte oppressus opus imperfectum reliquit. Qua sane Isthmus fodi cœptus fuerit, operis exstant vestigia. Saxosa ejus pars omnino tentata non fuit; quare situs adhuc sui naturam servat. Alexandro quidem Philippi Filio id unum ex animi sententia non cessit, quod Mimantem fodere non potuit.*

IV. 47. §. 2. *Demetrius Rex.*) Strabo *lib. I. p. m.* 97. *Ait* Strabo, *& Demetrium Isthmum Peloponnesiacum perfringere conatum, ut classibus navigationis transitum præberet, ab Architectis autem prohibitum: qui, cum metarentur, renunciaverunt, Sinus Corinthii mare altius esse, quam quod ad Cergochrias esset: itaque intermedium si incideret locum, universum ad Æginam transitum cum ipsa pariter Ægina & proximas insulas demersum iri.*

IV. 47. §. 3. Strabo *lib. IV. p. m.* 321.) & denuo *p. m.* 342. *& seq.* qui locus legi meretur.

IV. 48. §. 2. *Pelagi.*) Isidorus *Etymol.* XIII. 16. *in fin. Pelagus est latitudo maris sine litore & portu: Græco nomine* ἀπὸ τῦ πλαγίυ, *h. e. a latitudine dictum, unde & Plagia, eo quod sint importuosa.* Ita Hispalensis: hinc & pisces *Pelagii* & *Litorales* distinguuntur.

IV. 48. §. 3. *Quem antea Græci* &c.) Aristides *Or.* III. 14. *in Panegyrico Romæ:* Ον γε μὴν ἠπίςουν τινὲς τῶν λογοποιῶν, μὴ εἶναι τὸ παράπαν, Ωκεανὸν, μήτε περιῤῥεῖν τὴν γῆν, ποιητάς τε εὑρόντας τοὔνομα, ψυχαγωγίας ἕνεκα εἰς ποίησιν θεῖναι, τῦτον ὅπω καλῶς ἀνεύρετε, ὥςε ἐδὲ ἡ ἐνταῦθα νῆτος ὑμᾶς διέφυγε. i. e. *Oceanum autem, quem multi Scriptores nec exstare prorsus, neque terram ambire credebant, verum Poetas nomen hoc fictum ad delectationem versibus suis inseruisse, tam probe reperistis, ut nec, quæ in eo erat Insula, vos* Romanos *latuerit.*

IV. 58. §. 5. *Rade, Port & Plage.*) alias: *Rades; Havres; Costes* aut *Falaises. Plagia* Hispanis *Playas*, Gr. ναύςαθμοι.

IV. 48. §. 5. *Abscessus.*) sunt loca litoralia abdita & recessus: Addo hic locum Isidori *Etymol.* XIV. 8. *in fin. Navalia sunt loca, ubi naves fabricantur. Hoc & Textrinum vocatus. Portus autem locus est ab accessu ventorum remotus, ubi hiberna opponere solent. Et Portus dictus a deportandis commerciis. Hunc Veteres a bajulandis mercibus Bajas vocabant ... Litus est terra aquæ & mari vicina: & dictus Litus, quia fluctu eliditur, vel quod aqua alluitur* (f. *allinitur*,) *Cicero in Topicis: Litus est, quod fluctus allidit .... Ostia ab ingressu & exitu fluminis dicta in mari.*

IV. 48. §. 6. *Aggeres.*) hoc sensu occurrunt apud Justin. II. 1. *Aggerationes Regum* ad Nilum. sic *in tit. Cod. de Nili aggeribus non rumpendis.* Cicero *Offic.* II. 4. vocat *Moles oppositas fluctibus.*

IV. 48. §. 7. *Talis fuit Portus ille* &c.) Servius Fuldensis ad *Æn.* I. 431. *Hic Portus alii effodiunt. Ut Portus scilicet faciant: & vere ait, nam Carthaginienses cothona fossa utuntur, non naturali portu.*

IV. 48. §. 8. *Istius pulveris hæc est* &c.) Dio Cassius *lib.* XLVIII. *p. m.* 444. *Terra ibi* Puteolis & Baiis *hac natura est, ut, quoniam ignis vim comburendi, propter aquæ conjunctionem, omnem amiserit, nihilominus tamen dividere ac colliquare objectam materiam possit, terræ eo loci omni pinguedine consumta tantum duræ ejus & quasi osseæ partes relinquantur: igitur glebæ necessario sunt cavernosæ, & si æstuoso in loco ponantur, in pulverem abeunt; sin aqua admisceatur, ita cohærent, ut quamdiu humectæ sint, condensatæ in lapidis modum consistant; cujus rei caussa est, quod ejus terræ friabilis per se, ariditatem ignis cognatus auget, atque eam comminuit: idem admixtione humoris cum refrigeretur, interiores hujus terræ partes humor constipat, ita ut dissolvi invicem haud possint.*

IV. 48. §. 8. *Fuerunt olim Puteolis* &c.) Sed & *Agrippa* juxta Bajas *id interstitium, quod Lucrinum lacum utrinque a mari dirimebat, angustis faucibus, per quas naves introire possent, apertis perfodit, effecitque portus navium stationi aptissimos.* Dio *lib.*

XLVIII. *p. m.* 443. Hic videtur *Portus* ille *Julius*, quem Auguſtus *XX. ſervorum millibus manumiſſis & ad remum datis, immiſſo in Lucrinum & Avernum mari effecit*, teſte Suetonio *Aug. c.* 16. ejuſdem meminit Virgilius *Georg.* II. 191. ubi Servius *C. Julio Cæſari* hoc opus adſcribit: ſcilicet is cœpit, Auguſti auſpiciis Agrippa perfecit. Hunc ipſum *Lucrini portum* poſtea reparari juſſit Theodericus Rex apud Caſſiod. *Variar.* I. 25. de Portu vero *Puteolano* vide Jul. Cæſ. Capaccii *Antichità di Pozzuolo*, (*Romæ* 1652.) *c.* 10.

IV. 48. §. 10. *Gradus*) Idem Surita *l. l.* „ In *Monumentis Commentariorum Regiorum* Jacobi Aragonum Regis ejus nominis I. & Petri IV. *Valentini Gradus*, quem nunc *Grao* vocant, fit „ mentio, & *Cullaritani* ad *Sucronis* amnis traje- „ ctum. *Morvedrenſis* præterea *Gradus* & *Orpe-* „ *ſenſis*, & in hoc *Aragoniæ* regno ad *Hiberi* traje- „ ctum, ad oppidum *Pinam*, *Gradus Pinenſis*, quod „ nomen in eo trajectu diu eſt, quod obliteratum „ videtur: hæc Surita. Trajanus Imp. cum inſtau- „ raret Portum Anconitanum e marmore & *Gra-* „ *dus* fecit, *per quos commodiſſime naves oneran-* „ *tur & exinaniuntur*. Albert. *Deſcr. Ital. p.* 430. „ adde mox §. 7. *Gradus* hi debuiſſent a Noſtro e- „ tiam referri ad *Vias Aquaticas*.

IV. 49. §. 2. *Sic conciliandos.*) Diſtingui etiam tempora Strabonis & Plinii poſſunt. Dio *l. l. Eo enim* Auguſti *tempore pleræque ejus continentis* Italiæ *partes portum nullum habebunt*.

IV. 49. ad §. 3.) De Portubus Italiæ paſſim agunt Albertus *in Deſcript. Ital.* Cluverius *in Ital. Ant.* & Hodœporici, maxime Pighius, Schottus, Capugnanus: de *Portu Bajano* paullo ante Dio.

IV. 49. §. 5. *Eſt autem hic Portus* &c.) Debet hæc Schotto *Itin. Ital. lib.* III. *p. m.* 553. ubi ſecutus vitioſam editionem in loco Flori legerat *oſtia*, *ἀντὶ τοῦ otia*: vertit enim: *comme certaines embouchures de la mer*. Sed Schottus iſta, quæ de *Miſeno* habet, & *Portu Miſenenſi*, ad totidem verba ex Pighii *Hercule Prodicio p. m.* 363. *& ſeqq.* exſcripſit; uti paſſim iiſdem verbis retentis totum illum librum Pighii in *Itinerarium* ſuum tranſcripſit, quantum agit de Italia ejuſque urbibus. Ride itaque, cum fideliter præeunte doctiſſimo Pighio *p. m.* 366. etiam Schottus *p. m.* 556. ait: „ Caſtrorum „ enim in iis locis magna ſunt veſtigia, claſſiario- „ rumque militum epitaphia e Sepulchris vicinis „ extracta me quondam vidiſſe & exſcripſiſſe me- „ mini, in quibus etiam erant expreſſa Prætoria- „ rum navium nomina, veluti *Fides*, *Iſis*, *Gallus*, „ in quarum claſſe ſinguli militaverant. (Scilicet Schottus in Italia etiam ante fuit, quam fuit!)

IV. 49. §. 6. *Schottus.*) Tu adi potius fontem, ex quo iſta totidem verbis pro more hauſta, Pighium *l. l. p. m.* 254. *& ſeqq. Formulam Comitivæ* Portus *Ravennatis* exhibet Caſſiodor. *Variar.* VII. 14.

IV. 49. §. 7. *Schottus.*) verius Pighius *l. l. m. p.* 260. qui plura notanda refert etiam Schotto adoptata. Sed & mox Eychovius æque atque Schottus, graculum Pighii egit, qui iſta *αὐτολεξεί* exſcripſerunt ex hujus Pighii *l. l. p.* 266. *& ſeqq.* tu vide quoque Albert. *l. l. p. m.* 430. 431. Patinum *in Numm. Impp. p.* 141.

IV. 49. ad §. 9. & 10.) De *Portu Oſtienſi* videas etiam Commentatores *ad Suetonii l. l.* Suritam *in Comm. ad Itin. Ant. pag.* 458. 459. Fr. Juretum *ad Symmach.* III. 55. Merulam *Coſmogr.* II. *part.* IV. 21. Theod. Sitzmannum *ad Rutilii* I. 155. Albertum *in Deſcr. Ital. p. m.* 125. Panciroll. *ad Not. Imp.* II. 9. De eo Portu *in C. T.* agunt *l.* 9. *de Suariis. pec. & ſuſc. l.* 3. *de Calcis coctorib. U. R. l. un. de Saccariis Portus Romæ. l. un. de Patronis Horreorum Portuenſium. l.* 2. & 4. *de Can. Frum. Urb. Rom.* & ad eas leges Jac. Gothofredus, Idemque ad Philoſtorg. XII. 3. Liceat ex his nonnulla excerpere, recenſere, & noſtra admiſcere. Aberat Roma XIX. *M. P.* adeoque III. M. P. ultra Oſtiam, ut patet ex *Itin. Ant. p.* 68. Dicebatur *Portus Julius*, *Auguſtus*, *Oſtienſis*, *Portus ἁπλῶς*, *Portus Urbis æternæ*. Habebat ſua *Horrea*, in quibus frumenta, *Condita Portuenſia*; ibidem erant Corpora *Caudicariorum*, ſive Naviculariorum Nautarumve Tiberinorum, qui annonam Romam ſolenni navigatione ſubvehebant; *Menſorum*, qui advectum ad Portum frumentum admetiebantur in Horreis condendum; *Fabrorum Navalium*; *Saccariorum*; *Operarum*; quibus ſingulis ſui præerant *Patroni*, *tres primi Patroni*, ſive principes aut capita, per *quinquennium* fere: ſub *Præfecto Urbis* erat *Comes Portus* (*Comitivæ Portus Urbis Romæ*, *formulam* habet Caſſiodor. *Var.* VII. 9.) & *Centenarius Portus*, *in Not. Imp. Occ. p. m.* 118. *verſa*: ibique Panciroll. II. 9. & 18. *Centenarius* videtur fuiſſe Limenarcha præfectus ſtationariis Portuenſibus, quem *Vicarium Portus* forte appellat Caſſiodor. *Var.* VII. 23. ubi *formulam* ejus exhibet: videtur curaſſe, ne cives & peregrini rixarentur, ne latrones ſecuritatem ſubvectionis turbarent. *Præfectus Annonæ* certis temporibus ad Portum ſeſe conferebat, inſpiciendi canonis cauſſa, *l.* 2. *C. T. de Can. frum. U. R.* Sidonius, ipſe Præfectus Urbi, *Epiſt.* I. 10. quam lege. *Præfectus* ipſe *Urbis* quandoque ad Portum ſe conferebat: *α.* præſente etiam Præfecto Annonæ, ſi quando Navicularius *diametrum incidiſſet* i. e. fraudulenta imminutione modiationis, frumentum intercepiſſet, *l.* 38. *ult. C. T. de Navicul.* *β.* ſtato tempore ad ſolenne ſacrificium in æde Caſtorum Oſtiæ peragendum, aut & alias, ubi mare aſperius retardabat commeatum, ut videlicet naves frumento onuſtæ ſecundis ventis feliciter ad Portum pervenirent. Ammian. Marcellin. XIX. 9. *p. m.* 178. *Dum Tertullus* Præf. Urb. *apud Oſtia in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit, mutatoque in Auſtrum placidum vento, velificatione plena Portum naves ingreſſæ frumentis Horrea referſerunt.* Æthicus *Coſmogr.* ubi *Tiberim* deſcribit, *ed. Leid.* 1646. *p.* 475. aut recenſ. Jac. Gronov. CL. V. nuperrimæ *p.* 41. Tiberis *de Etruria vel Sabinis ingreſſus per D. Apoſtoli Petri portam, intra Oſtienſem Portam, quæ eſt D. Paulli Apoſtoli, & Viam Portuenſem, quæ eſt ſancti Felicis Martyris, Urbem egreditur, qua naves de Portu Urbis ad dominam totius Mundi Romam aſcendunt. Hic iterum circa ſextum Philippi, quod Prædium Miſſalem appellatur, geminatur, & in duobus ex uno effectus, inſulam facit inter Portam Urbis & Oſtiam civitatem: ubi Populus Romanus cum Urbis Præfecto, vel Conſule, Caſtorum celebrandorum cauſſa egreditur ſolennitate jucunda. Inſula vero, quam facit intra Urbis Portum & Oſtiam Civitatem, tantæ viriditatis amœnitatiſque eſt, ut neque æſtivis menſibus, neque hiemalibus paſturæ admirabiles herbas debabeat: ita autem vernali tempore roſa vel cæteris floribus adimpletur, ut nimietate ſui odoris & floris inſula ipſa Libanus Almæ Veneris nuncupetur*: hæc ille. Ex quibus locis apparet, acute Stitzmannum in Rutilii, qui & ipſe *Præf. Urbi* fuit, *l. l.* legiſſe:

Pande, precor, gemino placatum Caſtore Portum!

non *Pontem*: ante enim mox dicebat:

Ipſe triumphali redimitus arundine Tibris,
Romuleis famulas claſſibus aptet aquas:
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devebat hinc ruris, ſubvehat inde maris!

neque

neque cauſſa fuit Barthio V. N. quærendi ad iſtum locum: *Quid Caſtoribus cum Portibus, quorum numina & ſidera mari imperant?* Fuit autem præter ampliſſimum Portum ibi etiam Moles, ſive Turris, quam deſcribunt *l. l.* Suetonius, & quæ Juvenali XII.76. dicitur *Tyrrhena Pharus*, at ἁπλῶς *Farus* in l. 3. *§*. 4. *C. T. de Calc. coct. U. R.* cujus quoque meminit Paullin. *Epiſt.* V. 2. & *in Carm. de Martiani periculis*. In hujus *Portus* & *Fari* reparationem vetuſto more Terracinenſes quotannis calcem præſtare debebant, *d. l.* 3. *Portus* hic una cum *Pharo* eleganter depictus exſtat *in Tab. Peut. Segm.* IV. adde Nummos ap. Patin. *in Numm. Imp. p.* 87. & & mox e Lando laudandos.

IV. 49. §. 10. *Claudius:*) adde Plin. *H. N.* XXXVI. 9. & 15. *in fin.* Scholiaſtes Vetus *ad Juvenal.* XII. 75. *Incluſa per æquora Moles.*) *Portum Auguſti dicit, ſive Trajani.* Ammianus quoque *l. l.* vocat *Portum Auguſti:* ſic & in nummis Neronis apud illuſtrem Landum, Complani Comitem, *in Select. Numiſm. ed. Leid.* 1695. *p. m.* 69. AVGVSTI. :: S. POR. OST. C. id eſt, *Auguſti Portus Oſtienſis*, SC. at ſine dubio hic per *Auguſtum* intelligitur *D. Claudius:* quod enim Sitzmannus ex Suet. *l. l.* dicit, *Portum Oſtienſem ab Auguſto precantibus aſſidue Marſis negatum*; in eo incuriæ arguitur, qui Suetonium aut non inſpexit, aut non intellexit: nam male commiſcet *Lacum Fucinum* & *Portum*, *Julium Cæſarem* & *Auguſtum*.

IV. 49. §. 11. *Trajanus* &c.) Scholiaſtes Vetus Juvenalis ad XII. 76. *Perrectaque brachia rurſum.*) *Quia Trajanus Portum Auguſti reſtauravit in melius, & interius tutiorem ſui nominis fecit.* In *Tab. Peut. Segm.* IV. videtur quodammodo Portus bipertitus in exteriorem & interiorem depingi. Hinc Nummi Trajani cum *PORT. OST. Pharum* illam poſtea quoque reſtituit Antoninus Pius. Capitolinum audi *in Ant. Pio c.* 4. *p. m.* 72. Opera ejus hæc exſtant: ..... *Phari reſtitutio, Cajetæ Portus, Terracinenſis Portus reſtitutio*: unde apparet, Portuum ſtudioſiſſimum Principem fuiſſe.

IV. 49. *§*. 11. *Propter metum Saracenorum.*) Imo Oſtiam a Saracenis dirutam Leo IV. P. M. colonis aliquot ex Corſica incolendam dedit & inſtauravit; poſtea Martinus V. P. M. arcem ad Portus urbiſque Romæ tutelam ibi munivit: at a Julio II. munitior, ut nunc apparet, eſt reddita. Hæc Albertus *l. l.* narrat. (Ut vero Lector hactenus dicta de Viis Ruſticis uno oculi obtutu poſſit pervidere, libuit in ejus gratiam figura totam rem exprimere: in qua cernis Viam Militarem, quæ ad Urbem ducit; ad Viam iſtam Villas, Manſiones, Mutationes, Sepulchra: in ea Cippos, Columnas Milliares, exciſam rupem illique inſcripta M. P. Statuas Mercuriales ſive Hermas, Arcus Triumphales: vides viam Vicinalem, quæ ad Vicum ducit, Priapum, qui fontem monſtrat: vides ſemitas ad Templum ad Viam, Portus e longinquo, Pontes cum commarginationibus & ſpondis ſuis: vides Terminos in Agris, Sylvis: vides Viæ aggerem & margines.

AD LIBRUM V.

V. 2. §. 1. *Tres Ætates.*) In his conſulatur longe accuratior Donatus *de Urb. Roma*, *toto libro* 1. maxime *cap.* 25. *& ſeqq.*

V. 2. *§*. 3. *Caſa.*) Hinc *Caſæ Regnum* dicitur apud Minut. Felicem *in Octav. p. m.* 140. *edit. Leid.* 1672.

V. 2. §. 3. *Ut per ea jurarent.*) Noſter hoc ex Valerio Maximo extundit; ſed locum accuratius inſpicienti apparebit eſſe Valerii rhetoricationem, non ſolennem ritum cæremoniamve.

V. 2. *§*. 3. *Ad ſuum uſque tempus* &c.) Neſcio, an ex verbis Vitruvii hoc certo colligatur, quod eadem Romuli Caſa perdurarit: de ſtramine, culmo, canna teſtes ſunt Virgil. *Æn.* VIII. 654. Ovid. *Faſtor.* III. 183. ubi Mars ait:

Quæ fuerit noſtri, ſi quæris, regia nati;
Aſpice de canna ſtraminibuſque domum.

Hæc Romuli Caſa ſub Auguſto conflagravit, teſte Dione Caſſio *lib.* LIV. *p. m.* 621.

V. 2. *§*. 4. *Perditos, facinoroſos* &c.) adde Auguſtinum *de Civ. Dei* I. 13.

V. 4. *§*. 2. *L. Craſſus* & ſeqq.) Doctiſſimus Auctor noſter non videtur ſatis intentis Plinium oculis legiſſe: ajebat enim Craſſo in atrio domus ſuæ fuiſſe *duodecim columnas Hymettias*; cum Plinius *H. N.* XVII. 1. memoret tantum *columnas quatuor Hymettii marmoris, Ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam advectas, in atrio domus* ab eo *fuiſſe ſtatutas*: at deinde XXXVI. 3. *peregrini marmoris columnas Hymettias non plures ſex* fuiſſe Craſſo Oratori in atrio Domus, quam *in Palatio habebat*, tradat; eaſdemque reſpiciens dicat poſtea *cap.* 15. *Scena ei* Theatro M. Scauri *triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum, in ea civitate, quæ ſex Hymettias non tulerat ſine probro civis ampliſſimi.* Primo ergo loco Plinii, ſcribæ, memoriæ aut typothetæ forſan culpa, τὸ *quatuor* ἀντὶ τοῦ *ſex* legitur: quare in verſione mea poſteriorum locorum numeros ſecutus ſum: verum nuſquam *duodecim* reperi; quare longitudinem *duodenum pedum* putem Bergierio erroris occaſionem præbuiſſe, quam tamen a verſione mea abeſſe volui: porro, ob has *columnas marmoreas* increpatum fuiſſe Craſſum a collega Cenſore, non Plinius, ſed Valerius Maximus IX. 1. *exemplo Rom.* 4. ait: *Cn. Domitius L. Craſſo collegæ ſuo altercatione orta objecit, quod columnas Hymettias in Porticu domus haberet. Quem continuo Craſſus, quanti ipſe domum ſuam æſtimaret, interrogavit: atque, ut reſpondit: Sexagies ſeſtertio: Quanti ergo eam, inquit, minoris fore exiſtimas, ſi decem arbuſculas inde ſuccidero? Ipſo tricies ſeſtertio, ait Domitius. Tunc Craſſus: Uter igitur luxurioſior eſt? Egone, qui* X. *Columnas centum millibus nummum emi; an Tu, qui* X. *arbuſcularum umbram tricies ſeſtertium ſumma compenſas?* Plinius narrat paullo alia: apponam locum Plinii integrum: *Nobiliſſimarum gentium ambo Craſſus atque Domitius Cenſuram poſt Conſulatum ſimul geſſere, A. C. U.* IↃCLXII. *frequentem jurgiis propter diſſimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, ut erat vehemens natura, præterea accenſus odio, quod ex æmulatione avidiſſimum eſt, graviter increpuit, tanti Cenſorem habitare, pro domo ejus ſeſtertium millies identidem promittens. Et Craſſus, ut præſens ingenio ſemper & faceto lepore ſolers, addicere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus: ac ne uno quidem denario, ſi adimerentur emtam volente Domitio, Craſſus, Utrumne igitur ego ſum, inquit, quæſo Domiti, exemplo gravis & ab ipſa mea Cenſura notandus, qui in domo, quæ mihi hæreditate obvenit, comiter habitem: an Tu, qui HS. millies ſex arbores æſtimes? Eæ fuere loti, patula ramorum opacitate laſcivæ, Cæcina Largo e Proceribus crebro in juventa noſtra eas oſtentante: duraveruntque . . . ad Neronis Principis incendia, quibus cremavit Urbem annis* CLXXX. *poſtea, cultu virides juveneſque, ni Princeps ille acceleraſſet etiam arborum mortem: ac ne quis vilem de cætero Craſſi domum, nihilque in ea, jurgante Domitio, fuiſſe dicendum præ-*

ter arbores judicet, *jam Columnas* IV. (lege VI.) *Hymettii marmoris*, *Ædilitatis gratia ad scenam ornandam advectas*, *in atrio ejus domus statuerat*, *cum in publico nondum essent ullæ marmoreæ. Tam recens est opulentia*: *tantoque tunc plus honoris arbores domibus afferebant*, *ut sine illis ne inimicitiarum quidem precium servaverit Domitius*. Lubentius eo hunc locum adscripsi, quod obiter multa doceat ad institutum nostri Auctoris facientia. Porro meus Auctor in suo libro convitium *Veneris Palatinæ*, factum Crasso, ad Domitium & Brutum conjunctim refert, cum soli Bruto facetum hunc leporem acceptum referat Plinius XXXVI. 3. quem in versione malui sequi, quam Bergierium.

V. 4. ad §. 3.) Omnia hic mirifice impedita erant, quæ expedivi. M. *Scaurum* dixit Syllæ generum, *beau fils*, cum fuerit *privignus* ejus, teste Plinio *l. l. c.* 15.

V. 4. §. 4. *Sic ut Lepidi domus* &c.) Auctor Noster non satis assecutus erat Plinium, in cujus verba digitum intendit: locus exstat XXXVI. 15. *in medio*, his verbis: *M. Lepido*, *Q. Catulo Coss. ut constat inter diligentissimos Auctores*, *domus pulchrior non fuit Romæ*, *quam Lepidi ipsius*. *At Hercule intra annos* XXXV. *eadem centesimum locum non obtinuit*. *Computet in hac æstimatione*, *qui volet*, *marmorum molem*, *opera pictorum*, *impendia regalia*, *& cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos*, *posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas*!

V. 4. §. 6. *Urbem marmoream* &c.) Dio autem hoc accepit aliter *lib.* LVI. *p. m.* 676: *Romam*, *quam luteam*, γηΐνην, *accepi*, *lapideam*, λιθίνην, *vobis relinquo*; *quo non ædificiorum elegantiam*, *sed firmitatem Imperii* Augustus *innuere voluit*.

V. 4. §. 7. *Amphitheatrum*;) hic Noster addiderat *Paulli Æmilii Basilicam*, at de ea nihil Suetonius eo loco. Dio *lib.* LIV. *p. m.* 615. ait sub Augusto fuisse *incendio absumtam*, fuit enim diu ante Augustum; *hanc postea verbo quidem ab Æmilio*, *qui ab eo*, *qui primus hanc fecerat*, *genus suum trahebat*, *re autem vera ab Augusto & Paulli amicis refecta est*.

V. 4. §. 8. *Incendia & Inundationes* &c.) Hinc apud Juvenalem III. 7. & 8. Umbritius inter caussas, ob quas Roma migrare civemque Cumis donare vellet, recenset *incendia*, *lapsus tectorum assiduos ac mille pericula*: quæ postea tragice depingit *vss.* 190. *& seqq.*

V. 5. §. 5. *Incendia* &c.) Sciens prudensque ita verto: nam revera duplex fuit incendium, ut videmus apud Tacit. *Annal.* XV. 40. unde fere Auctores numero multitudinis hac in re utuntur.

V. 5. §. 7. *Tectorum nimia altitudo*.) Hinc *altæ caligantesque fenestræ* Juvenali VI. 31.

V. 6. ad §. 1. *& seqq.*) Vide hic Panvin. *Descr. U. V. t.* III. *T. A. R. p.* 280. *& seqq.* item 390. *& seqq.*

V. 6. §. 2. *Proprie enim* &c.) *Regio* etiam est, quicquid propria privataque terminatione finitur, ut colligitur ex eodem Siculo *p.* 21. item est cujusque assignationis certa determinataque pars, ut docet Hygin. *de Limit. p.* 106. 201. tandem cujusque prædii pars illius regio censebitur, *l.* 8. ff. *de A. R. D.* observante Goesio *in Indice ad Auct. R. A. h. v.*

V. 6. §. 4. *Village* &c.) Belgis sunt voces maxime propriæ: *Dorpje*, *Gebucht*, *Buurt*. Germanis *Dörfflein*, *eine Nachbarschaft*.

V. 6. §. 4. *Vicus constat* &c.) ab hac voce Germanorum *Wick*, *Weich*, (unde *Weichbild* ortum videtur pro descriptione juris Vicorum) Belgarum *Wick*, Gallorum *Vic*, Anglorum *Wich*, apud eas Gentes desinunt, ut *Bardevvick*, i. e. *Bardorum vicus*; *Braunsvveich*, i. e. *Brunonis vicus*; *Cattvviijck*, i. e. *Cattorum vicus*; *Moyenvic*, i. e. medius vicus; *Norvvich*, i. e. *Vicus ad septem Triones*. In Isidoro ex *edit. Dion. Gothofredi* ita locus mox laudatus legitur: *Vici & Castella & Pagi ii sunt*, *qui nulla dignitate civitatis ornantur*, *sed vulgari hominum conventu incoluntur*, *& propter parvitatem sui majoribus civitatibus attribuuntur*. *Vicus autem dictus a vicinis tantum habitatoribus*, *vel quod vias habeat tantum sine muris*. *Est autem sine munitione murorum*, *licet & Vici dicantur ipsæ habitationes Urbis*: *dictus autem Vicus*, *eo quod sit vice civitatis*, *vel quod Vias habeat tantum sine muris*: adde supra IV. 6. §. 2. *& ibi Notata*.

V. 7. §. 5. *Ædicularum numerus par est* &c.) Videndi Ruffus & Victor *de R. U.* eorumque Enarratores: in Victore subinde plus minusve est Vicorum Ædicularumve.

V. 7. ad §. 6.) Conati sumus ad mentem Bergierii in gratiam Lectorum exhibere figura partem *Regionis octavæ* sive *Fori Romani*, quæ a meridie in septemtriones protenditur, & ab ortu ascendit in occasum. In ea figura exhibemus *Insulas* & *Vicos*: singulorum Vicorum *Ædiculas*; in Area binorum semper Vicorum, sua *Horrea*, *Pistrina*, *Domus*, *Puteos*: a meridie incipit pars *Fori Romani*, *statuis* suis ornata, dehinc *Arcus Septimii cum Foro Boario*, *Elephas Herbarius*, *Templum Cæsaris*, *Forum Cæsaris cum Basilica Julia*, *Fornix Fabianus*, *Forum Augusti*, *Forum* & *Templum* & *Columna Trajani*, ubi *Pavimenta Lithostrota* aliquomodo exhibuimus; intercurrit *Via Fori Romani*, divisa in aggerem & margines, in qua *Milliarium Aureum*. Infra iterum a meridie incipit *Arcus Augusti quadriforis*, deinde *Templum Castorum*, *Templum Deorum Penatium*, *Templum Vestæ*, *Regia Numæ*, *Templum Jani*, *Equus Domitiani Rhenum calcans*, & *Atrium Minervæ*. Hinc inde Vias ornant *Statuæ*, item cernuntur *foramina* per clathra ferrea in *Cloacas* patentia & ligneis operculis tecta, per quæ foramina a servis publicis sordes & immunditiæ Viarum Urbis in Cloacas everrebantur: studui etiam exhiberi *Pavimentationem* ordinariam, incertam, reticulatam, quadratam, lithostrotam.

V. 8. §. 2. *Generatim Templa*.) Vide hic Frontonem *in Corp. Auct. L. L. p. m.* 1330. & Ascon. *ibid. p.* 1362. *Ædes* quasi ἀείδης videri posset, a sacro, quem captabant sæpe, obscuritatis horrore. Sed vide de his & similibus Etymologos Isidorum, Festum, Nonium, alios: Vossium, & quo hic sæpissime usus est, Martinium, Becmanum. Macrobii locum Noster & mutilum attulit, nec recte perspexit.

V. 8. §. 2. *Cellam sive Fanum*.) Hæc non sunt Synonyma: in quo enim Auctore *Fana* dicuntur σηκοὶ, ἐνδότεροι τόποι τοῦ ἱεροῦ; sic ut partem Templi sigillatim distinguant? Dionysii Halicarnassensis auctoritas in hac voce Latina, quæ Interpreti non satis accurato debetur, male arcessitur a Nostro, qui ipse ad eundem lapidem subinde pedem offendit.

V. 8. §. 3. *Curia*.) Etymon puto huic voci dedisse Græcum Κυρία, unde postea etiam Κυριακὴ, & Germanorum *Kirch*, Belgarum *Kerck*, Anglorum *Church*.

V. 8. §. 4. *Porticus extrorsum apertas* &c.) Picturæ Amphitheatrorum veterum huic descriptioni non satis respondent. *Naumachias* mox dicebat Noster accessisse *ad formam Theatrorum*: at ego, præmonstrantibus nummis veritatem, substitui *Amphitheatrorum* formam.

V. 8. §. 5. *Horti*.) Qui & quales hi apud Romanos veteres fuerint, vere & optime docet acu-

tissimus & elegantissimus Hortorum cultor Renatus Rapinus *de Culturæ Hortens. disciplina*, *cap.* 6. & 7. A

V. 8. §. 6. *Palatium dicimus.*) Adde, quæ Auctoris verba typothetæ omiserunt; „ ut ait Demsterus *ad Rosin. A. R.* I. 4. (hic videatur, erudite enim *de Palatiis* disputat.)

V. 8. §. 8. *Nymphæa.*) „ Fuerunt ὑδρεῖα sive „ loca publica *Nymphis* sacra, in quibus erant „ aquæ salientes, & fontes manu facti ad aquas ex „ Silanis prosilientes, magis ad voluptatem, quam „ ad usum, marmoreis pavimentis, columnis & „ variis rebus ornata, quæ pascebant oculos, ut „ docuit Vir ingenio & doctrina præstans Valesius B „ ad Ammiani *lib.* XV. Dicta sunt *Nymphæa* sive a „ *lymphis*, quas emittebant, sive a *Nympharum* „ statuis, quibus ornabantur, de quibus vide Fabricii *Romam c.* 18. & *Nymphæum* Romæ inventum, quod illustravit Holstenius. *Thes. A. R.* „ *Tom.* V. *pag.* 799. hæc Cl. Grævius *Proleg. ad Tom.* III. *p.* 5. conf. nonnulla ex Fabretto *de Aq. & Aquæd. Diss.* 11. *nu.* 181. & *seqq. tom. V. p.* 1726. Hinc in *l.* 5. & 6. *C. de Aquæd.* Aquæductus deputantur & *Nymphæis*: ubi vide erudita notantem Dion. Gothofredum *lit. l.* adde Donat. *de U. R.* III. 11.

V. 8. §. 8. *Odea.*) *Odei* Atheniensis figuram C depingit αὐτόπτης Whelerus, *Itin. Athen. lib.* 11. *p. m.* 451. *tom.* 11.

V. 9. ad §. 1. & *seqq.*) Vide Lipsium *Admir.* III 4. & 5. quo Noster hac sectione usus est.

V. 9. §. 4. *Jam si porro* &c.) Confer Ammianum XVI. 6.

V. 9. §. 4. *Quadringenta talenta.*) Lips. *l. l. c.* 5. *in med.* male in laudatis Livii I. 63. verbis legit *quadraginta*, quæ vitiosa lectio ipsi mox, præeunte Dionysio & Plutarcho, emendatur *quadringenta*. Sed impeditus ibi hæret & operose facillimæ rem expeditionis extricare laborat: audi enim Liv. mox: D I. 55. *Augebatur ad impensas Regis animus. Itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant, vix in fundamenta suppeditavere: eo magis Fabio, præterquam quod antiquior est, crediderim, quadringenta ea sola talenta fuisse; quam Pisoni, qui quadraginta millia pondo argenti seposita in eam rem scribit, summam pecuniæ, neque ex unius tum Urbis præda sperandam; & nullius, ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exsuperaturam.* Lipsius scilicet hunc locum non animadvertit.

V. 9. ad §. 6. Martial. X. 51.

Capitolini summum penetrale Tonantis, E
Quæque nitent Cœlo proxima Templa suo.

adde Aristidem in divino illo Romæ Panegyrico *Orat.* III. 14.

V. 10. §. 2. *Ab his ædificiorum* &c.) Videatur Politicorum princeps Aristoteles *Polit.* VII. 12. Julianus JC. *in l.* 7. 11. *Ne quid in loco publ.* ait: *Is, qui nullo prohibente in loco publico ædificaverat, cogendus non est demolire, ne ruinis Urbis deformetur*: consule etiam Jac. Gothofredum ad *l.* 7. *C. T. de Navicul.* ex qua desumta laudata *l.* 2. *C. eod.*

V. 10. §. 4. *Hermogenes.*) Respicit, ut puto, locum Vitruvii III. 2. *Eas autem Symmetrias constituit Hermogenes, qui etiam primus octastylon pseu-* F *dodipterive rationem invenit......quare videtur acuta magnave solertia effectus operum Hermogenes fecisse, reliquisseque fontes, unde posteri possent haurire disciplinarum rationes.* De Symmetria ædificiorum & columnarum passim agit Vitruvius, maxime III. 2. & 3. IV. 2. & 3. at de Symmetria humana optime egerunt Pomponius Gauricus ipse summus artifex, *de Sculptura cap.* 2. Ludovicus Demontiosius *de Pictura*, *in p. m.* 144. *ed.* 1609. *cum Gorlæi Dactylioth.* Franc. Junius *de Pict. Vet.* III. 2. & decus illud nostræ Germaniæ Albertus Durerus, libro *de Symmetria*. Euphranoris Isthmii Pictoris opus de eadem periit. Vide Pli. H. N. XXXV. 11.

V. 10. §. 5. *Sunt enim Columnæ* &c.) *Tuscanicam* non habet Vitruvius, quam addit Plinius *H. N.* XXXVI. 23. cujus hæc verba: *Genera* Columnarum *quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricæ vocantur: quæ nonam, Ionicæ: quæ septimam, Tuscanicæ: Corinthiis eadem ratio, quæ Ionicis; & differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo, quæ colligitur crassitudine ima, ideoque graciliores videntur.* Vitruvius tantum *Ionicam*, *Doricam*, *Corinthiam* commemorat: agit quidem ille IV. 7. *de Tuscanicis rationibus ædium sacrarum*, sed adeo parce, ut ne quidem ejus ordinis, si sit talis, epistylia aut ornamenta propria recenseat, unde apparet, a Pollione ejus non habitam rationem. *Composita*, alias & *Romana* dicta, a Recentioribus addita, si verum amemus, nulla est, quippe mistura evidens *Ionicæ* & *Corinthiæ*, a quibus ornamenta sua furtim mutuatur, unde & cognominis *Compositæ* notam circumfert. Nec *Iones*, nec *Dores*, nec *Corinthii* harum sunt auctores columnarum cognominatarum, sed altioris sunt originis omnes: debentque ad unam proprie rationem referri. Salomoneum enim Templum Græcis istis longe antiquius unicum fontem præbuit, ex quo suas rationes hi postea derivarunt. Nostro sæculo, propositis præmiis Galli novaturientes invitarunt Architectos, ut novam rationem sive ordinem reperirent, sed istis ineptiis solide & mascule obviam ivit & ipse Gallus, nobilissimus Rolandus Freart. absque hoc fuisset, plus nugarum haberemus. *Tuscanica*, si ad rationis trutinam rem ponderemus, ad elegantis Architecturæ rationes referri nequit: certe non habet exempla in priscæ magnificentiæ ædificiis; unde etiam vere *Rusticam* cognominarunt.

V. 10. §. 5. *Fuit aliquando Dorica* &c.) Recte Vitruv. IV. 1. *Dimensi sunt virilis pedis vestigium, & cum invenissent pedes sextam partem esse altitudinis in homine, ita in Columnam transtulerunt, & qua crassitudine fecerunt basin scapi, tantum eam sexies cum capitulo in altitudinem extulerunt: ita Dorica columna virilis corporis proportionem & firmitatem & venustatem in ædificiis præstare cœpit*: sic & Plin. *l. l.* Mox Vitruv. *l. l.* paucis interjectis: *Posteri vero elegantia subtilitateque judiciorum progressi, & gracilioribus modulis delectati, septem crassitudinis diametros in altitudinem Columnæ Doricæ, Ionicæ octo semis constituerunt.*

V. 10. §. 5. *E contrario Tuscanica* &c.) Auctor Noster hic sequitur sententiam Sebastiani Serlii, sed præter hunc nemo Architectorum ulli Columnarum ordini sex diametros scapi basis dedit. Græci sane elegantiores subtiliore postea judicio Doricæ, non *sex*, sed *septem* diametros altitudinis dederunt: ut non male Goereeus conjiciat, Serlium forte magno Coccejo erroris ducem fuisse, cum *in Comm. ad Ezech.* æneas Salomonis columnas ad hos modulos exegit.

V. 10. §. 5. *Ionica est gracilior* &c.) Vitruv. *l. l. Item* Ionii *postea Dianæ constituere ædem, quærentes novi generis speciem iisdem vestigiis ad muliebrem transtulerunt gracilitatem, & fecerunt primum columnæ crassitudinem altitudinis octava parte, ut haberet speciem excelsiorem*: (postea vero *octo semis diametris. l. l.*) mox: *Ita duobus discriminibus columnarum* Doricæ & Ionicæ *inventionem, unam virili, sine ornatu nudam, specie; alteram muliebri subtilitate & ornatu symmetriaque sunt imitati.*

V. 10. §. 5. *Corinthia imitatur* &c.) Vitruv. *l. l. Tertium vero, quod Corinthium dicitur, virginalis habet gracilitatis imitationem, quod virgines propter ætatis teneritatem gracilioribus membris figuratæ, effectus recipiunt in ornatu venustiores.*

V. 10. §. 5. *Ionicæ columnæ* &c.) Vitruv. *l. l.* Ionii *Dianæ constituere ædem ..... Basim spira supposuerunt pro calceo, capitulo volutas, uti capillamento concrispatos cincinnos præpendentes dextra ac sinistra collocaverunt, cymatiis & encarpis, pro crinibus dispositis, frontes ornaverunt; truncoque toto strias, uti stolarum rugas matronali more, demiserunt.* Hæc Pollio: unde minus accurate Noster dixerat: *les plis de sa robe*; neque enim Diana Ephesia, stolata in Nummis occurrit: generatim Pollio: *matronali more*.

V. 10. §. 5. Græci istos sulcos vocant *Strias* &c.) Hæc a vero abeunt. In striatis Columnis eminulæ & extuberantes partes, sive plana illa inter duos cavos canaliculos superiora vocantur Latine *Striæ*, Græce ἐξοχαὶ; at cavi illi canaliculi, inter strias subsidentes & excavati, sive strigulum more sulcati, vocantur Latine *Striges*, *Canaliculi*, Græce ἐσοχαὶ, αὐλοὶ, πτύχες; figura quodam modo rem exhibet Barbarus *ad Vitr.* III. *p.* 120. Porro *Striæ* multiplices sunt, aut rectæ, aut helicis in modum convolutæ, seu scansiles, ut in Torcularis cochlea videre licet: possunt quoque dividi in ductas in Columnam longam, & ductas in latum, strias. Fiunt autem *Striæ* tam in columnis rotundis, quam quadratis. Romæ in Basilica D. Petri sunt Columnæ striis alterno ordine, claviculatim spiratimque obvolutis striatæ, & frondibus, sigillis, aviculis, palmitibus, racemis asperæ, teste Philandro *ad Vitr.* IV. 3.

V. 10. §. 5. *Nomina autem ista* &c.) Non quod origo penes eos populos fuerit, sed quod frequens usus. Noster Vitruvium sequitur IV. 1. atqui quatuor sæculis Salomon Callimachum Catatechnum antecessit. Josephus cum *Ant. Jud.* VIII. 2. (aliis 5.) ait, *Basilicam Salomonis* sustentatam fuisse XVI. *Columnis Quadrangulis, tectis opere Corinthiaco*: prolepsi utitur; scilicet innuit, valde eas convenisse cum illis columnis, quas Josephi ætate Romæ appellabant *Corinthias*, non vero, quod Salomon a *Corinthiis* exemplum sit mutuatus: sic III. 7. (al. 9.) ait in Tabernaculo fuisse *Mensam Delphicæ non absimilem*, quam *sustinuerint pedes dimidia sui parte inferiore per omnia pedibus similes, quales lectis Dorienses addere solent.*

V. 10. §. 6. *Stylobates Doricus.*) Sequitur popularem Architectorum errorem. Dorica columna in genuinis Veterum reliquiis Basi caret, ut videre licet ex reliquiis *Theatri Marcelli*: nec Vitruv. IV. ubi rationem *columnæ Doricæ* persequitur, baseos meminit; unde miror Philandri audaciam, qui *ad l. l. p. m.* 79. hunc quasi defectum de suo supplere conatus est.

V. 10. §. 6. *Epistylium est velut magna trabs perpetua.*) Hinc Gallis *Architrave* dicitur, quasi *Architrabs*.

V. 10. §. 6. *Phrise.*) Imo *Frise* ab Italorum *Freggio*. Barbarus *ad Vitruv.* III. 3. *p. m.* 118. *Fiebat Zophorus pulvini modo turgens, quemadmodum descriptio infra posita* (i. e. figura *pag.* 121. *lit.* C.) *ostendit, quandoque planus; interdum scalpturas habebat, interdum simplex erat*: ita Barbarus: unde Noster nimis generatim dixit, *velut fasciam latam & planam*.

V. 10. ad §. 7.) In his certant & super his varia & diversa disputant Architecti Recentiores variarum Linguarum & Gentium, iique tam majorum, quam minorum, uti Palladius, Serlius & hujus discipulus Philander, Barbarus, ejusque imitator, sed impari passu, Cataneus, Albertus, Bullantes, Scamozzus, Vignola, Durerus, Viola, Lormeus, & quos primo loco collocare debuissem, Villalpandus, Freartus, *Sagredus*, *Perraltus*, Goereeus: ex quorum Virorum, maxime posteriorum, eruditis laboribus me multa didicisse, & nonnulla hisce etiam Notis adaptasse, gratus ingenua mente agnosco & profiteor. Transeo autem hic Gothicarum ineptiarum admiratores Bloemium, Wendelinum, Dieierlingum, &, qui Bramantem Michaelis Angeli Bonarotæ acerrimum hostem nimis secutus sua passim inquinavit nugis Gothicis, Marolosium.

V. 10. §. 7. *Torus* &c.) imo Τόρος, *funis*, *torques*; at *Tori* sunt partes animalium carnosæ & pulposæ, ut in cervicibus, clunibus. Barbarus *ad Vitruv.* III. 3. *p.* 112. ubi figuram B. vide: „*Torus* „ est rotundum membrum pulvinaris in modum, „ unde nomen sumsit; στιβὰς Græce dicitur: tur- „ get autem & tanquam carnosus: tomur vide- „ tur. Itali a forma *Bastone* vocant, Galli *Rond* aut *Bozel* nominant.

V. 10. §. 7. *Os quoddam tali ovilli.*) imo verius *bubuli*. Latinis *Talus*, Italis *Tondino*, Gallis *Talon* dicitur.

V. 10. §. 10. *Triglyphi.*) Hi etiam in Epistyliis Corinthii ordinis collocati fuerunt, teste Vitruv. IV. 1. *init.* Certe in Salomoneo Templo, quod Corinthio ordini simile fuit, exstiterunt. Vide Goereeum, acuti judicii Virum, *Bibl. Ant. Belgice editar.* XI. 4. *pag.* 1531. *to. II.* ubi figuram rem illustrat.

V. 10. §. 10. *Intervalla sive interstitia inter Triglyphos* &c.) Vitruv. IV. 2. paullo accuratius: *Utraque & inter Denticulos & inter Triglyphos, quæ sunt intervalla, Metopa nominantur; Opas enim Græci tignorum cubilia & asserum appellant, uti Nostri ea Cava, Columbaria; ita, quod inter duas Opas est, intertignium, id Metopa est apud eos nominatum.* Sceleta capitum bubulorum denotant victimas, adeoque hæc ornamenta *Metoparum* ædibus sacris, ubi sacrificatur, proprie conveniunt. Capita Equina nondum reperi in Metopis efficta, quamvis sciam apud Persas Massagetasque *Equos* soli mactatos, vide Justin. I. 10. Ovid. *Fastor. I.* 385. apud Romanos Marti, ut ait Festus *in voce Equus*: item apud Mysios, Flor. IV. 12. item Neptuno apud Romanos, Victor *de Vir. Ill. in Sc. Pompejo*.

V. 10. §. 10. *Cymæ vox.*) Innuit sine dubio vocem Gallicam *Cime*. Latini enim Græcique ita non utuntur. Plinii locus laudatus hic est de brassica scribentis: *Cymas a prima sectione præstat proximo vere; hic est quidam ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus.*

V. 10. §. 12. *Omnium simplicissimum est Tuscanicum* &c.) Videnda figura Barbari *ad Vitruv.* IV. 7. *p.* 148.

V. 10. §. 12. *Capitellum Doricum* &c.) Vide Barbarum *ad Vitr.* IV. 3. de *Capitello Ionico* Eundem *Vitr.* III. 3. ubi figura *p.* 116.

V. 10. §. 12. *Capillos Dianæ.*) Imo generatim, matronales. Vide laudata ad §. 5. *de Ionicis Columnis*.

V. 10. §. 12. *Tribus his, quæ diximus, Capitulis, altius est Corinthium* &c.) Lepido Græcorum ingenio debetur fabella de origine Capituli Ionici, quam eleganti pro more figura exhibuit Goereeus *l. l. p.* 1517. Cæterum in Salomoneo Templo in Capitulis fuisse creduntur *folia sive rami Palmæ* aut *Olivæ*: Græcis vetustioribus *folia sive rami Olivæ* in usu fuerunt, ut ex reliquiis Columnarum veterum in Porticu Panthei & Thermis Diocletiani colligere licet. *Acanthi folia* maxime Romanis placuerunt, unde ea in Columnis ordinis, quem vo-

cant, *Compositi* videmus: vide Goereeum *l. l.* sed iam olim hanc rem animadverterunt Antiquitatum peritiores Architecti.

V. 10. §. 12. *Alii volunt Capitellum Compositum* &c.) sed inepte & contra mentem elegantium & peritiorum Architectorum.

V. 10. §. 13. *Quod ipsum in Dianæ Ephesiæ* &c.) adde Notata supra ad §. 5. ex Vitruvio de *Columna Jonica*. Plin. *H. N.* XXXVI. 23. *In Ephesiæ Dianæ æde, de qua prius fuit sermo, primum Columnis spiræ subditæ & Capitella addita: placuitque altitudinis octava pars in crassitudine, & ut spiræ haberent crassitudinis dimidium, septimæque partes detraherentur summarum crassitudini*: ita Plinius: hi autem loci non videntur ex asse convenire dictis & assertis Nostri Bergierii.

V. 10. §. 13. *E contrario optimi Architecti* &c) ita tamen, ut omnia fiant ad symmetriam modulorum.

V. 10. *ad* §. 14.) Plinius *l. l. Præter has sunt, quæ vocantur Atticæ Columnæ, quaternis angulis pari laterum intervallo*. Sed his possunt addi *Columnæ Caryaticæ* & *Persicæ*, quarum originem ita exponit Vitruvius I. 1. *Si quis statuas marmoreas muliebres stolatas, & quæ Caryatides dicuntur, pro columnis in opere statuerit, & insuper mutulos & coronas collocaverit, percunctantibus ita reddet rationem: Caryæ civitas Peloponnesi cum Persis hostibus contra Græciam consensit; postea Græci per victoriam gloriose bello liberati, communi consilio Caryatibus bellum indixerunt: itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in servitutem abduxerunt: nec passi sunt stolas neque ornatus matronales deponere: uti non uno triumpho ducerentur, sed æterno servitutis exemplo, gravi contumelia pressæ, pœnas pendere viderentur pro civitate: ideo, qui tunc Architecti fuerunt, ædificiis publicis designaverunt earum imagines oneri ferendo collocatas, ut etiam Posteris nota pœna peccati Caryatium, memoriæ traderetur. Non minus Lacones, Cleombroti filio duce, Plateæo bello, pauca manu infinitum numerum exercitus Persarum cum superavissent, acto cum gloria triumpho spoliorum & prædæ, Porticum Persicum ex manubiis laudis & virtutis civium, indicem victoriæ, Posteris pro tropæo constituerunt: ibique captivorum simulacra, Barbarico vestis ornatu, superbia meritis contumeliis punita, sustinentia tectum collocaverunt, uti & hostes horrescerent, timore eorum fortitudinis affecti; & cives id exemplum Virtutis adspicientes, gloria erecti ad defendendam Libertatem essent parati; itaque ex eo multi Statuas Persicas sustinentes epistylia & ornamenta eorum collocaverunt, & ita ex eo argumento varietates egregias auxerunt operibus*. Barbarus ibidem *p.* 9. & 10. addit utriusque Columnæ figuras. Hæ postea videntur transiisse in corruptelas Semivirorum, Hermarum, Satyrorum, Terminorum, Telamonum utriusque sexus, tandem planæ in monstra, chimæras ac lascivientium igeniorum infinitas nugas, quæ *Arabescæ* & *Grotescæ* vulgo cognominantur, & Gothico, quod vocant, operi fere solent adaptari, improbantibus eas majorum gentium Architectis.

V. 10. § 15. *Balaustras*.) Philander *ad Vitruv.* III. 2. vocat *Balustrias*, iisque usos Antiquos in candelabrorum scapis, idque se didicisse ex his, quæ marmorea longe pulcherrima viderit in æde D. Agnetis, secundo fere ab Urbe lapide, in suburbano, Viæ Nomentanæ sinistra.

V. 10. §. 16. *Sunt tamen Architecti quidam* &c.) indignantibus vero audacem hanc stultitiam melioribus & in arte peritioribus Architectis. Ineptum enim est miscere in eodem opere ordines Latinos & Græcos; item in Græ-

A cis Graciliores supponere Rubustioribus.

V. 10. ad §. 16.) Ut aliqua ex parte Lector sciat ornatum operum Romanorum Archithectonicum, lubet per Saturam nonnulla indicare, quæ ex testibus αὐτόπταις aut ipsis Architectorum filiis didici. Porticus πρόστυλος Panthei Agrippæ est ex columnis solidis e lapide Syenite sive Pyrrhopœcilo ordinis Corinthii, non tamen omnes ejusdem omnino altitudinis, ut non intercedant plus minus pollices nonnulli: peripheria habet XV. pedes Anglicanos, unde symmetriam licet colligere. Misson *Nouv. Voyag. d' Italie ed. 2. a la Haye* 1694. *lettre* 23. *pag.* 24. In Amphitheatro Titi columnæ seriei
B tertiæ, & parastades quartæ seriei capitella habent Corinthia: *ib. p.* 125. *lettr.* 26. *Doricum* Ordinem perspicies in Theatri Marcelli & Thermarum Diocletiani nonnullis reliquiis: *Jonicum* admiraberis in reliquiis ejusdem Theatri Marcelli, & Templi Fortunæ Virilis, hodie S. Mariæ Ægyptiacæ dicati. *Corinthium* lustrabis in dictis reliquiis Thermarum Diocletiani &, ut dixi, in Porticu Panthei. *Romanum* sive *Compositum* maxime disces ex Arcubus Triumphalibus, præcipue Vespasiani Romæ, & Veronensi. *Tuscanicum* imprimis ostendunt Columnæ Trajani & Antonini. Passim porro ex fi-
C guris *T. A. R. tom. III. in Donato de U. R.* poteris variorum ordinum symmetrias, ornamenta, exempla videre. Addo ex Wheleri elegantissimo Itinerario hæc elegantis Græciæ exempla. In Delo insula Porticum Marmoream vidit, cujus columnæ infra multiplici facie, supra striatæ erant, capitellis Corinthiis; *tom. I. p. m.* 88. Trojæ in Portu versus Meridiem vidit duas columnas prostratas, longas XXX. pedes, & unam a Sponio dimensam XXXV. pedes: posterioris diametrum ait fuisse latam IV. pedes & IX. pollices ex Porphyrite Ægyptio. Turcarum Imp. hinc magnam Columnarum copiam abstulisse ad Templum novum Sultanæ Matris ex-
D struendum; *ib. p.* 106. CP. vidit & depinxit *Columnam* cochlidem *Arcadii* & *Honorii*, vulgo dictum *Historicam*, similem Trajanæ & Antonianæ, cujus ectypæ imagines undique ejusdem ubique apparent magnitudinis; *ib. pag.* 147. hanc accurate etiam descripsit Petrus Gyllius *Topogr. CP.* IV. 7. aitque, posse dici *Tuscanam columnam*, cum basis & capitulum sint elaborata opere Tuscanico. Whelerus *p.* 148. depingit CP. Columnam ex diversis e Porphyretico marmore partibus compositam & a Constantino Roma delatam, veluti zonis ac circulis æneis per intervalla distinctam & circumligatam; sed hanc Columnam Purpuream Cycloterem
E accurate describit idem Gyllius *l. l.* III. 3. Whelerus quoque *p.* 149. vidit CP. Columnam Marciani, quam & depingit, cujus basis & stylus sunt ex marmore Porphyretico, capitellum vero ex candido marmore ordinis Corinthii, cui superimponitur lapis quadratus excavatus, quem in quatuor angulis ornant aquilæ. Sed de Operibus Architectonicis CP. vide passim Gyllium *l. l.* & Anonymi *Descr. Urb. CPtanæ* cum Notis Pancirolli. Idem Whelerus *p.* 221. narrat, a Gallando Regis Galliæ Antiquario esse communicatam cum doctissimo Sponio sequentem observationem: Videri *Kiosquam* sive Prætorium prope *Ingerliqui* ad Bosporum versum
F Pontum Euxinum a Solimanno Sultano structum, cujus fundamentum componatur ex variis columnis, inter quas unam esse e marmore candido, diametro pedis unius & dimidii, cujus tantum versus basin videatur circiter longitudo duorum pedum, quæ æque, atque reliquæ columnæ, ex fundamento emergant ad instar tuborum illorum æneorum, quibus in bello ad explodendos globos est usus: id vero in hac notatu dignum esse, quod ipse Columnæ stylus elaboratus sit & ornatus pam-

pinis vitis, intermixtis variis animalium figuris, qualia ſunt muſtelæ & limaces, ad verum effigiatis; & addantur duæ larvæ ſive perſonæ, & cupa vinaria plena uvis, quas tres viri pedibus conculcant, & alius vinum inde ad fundum elicit: omnibus eſſe antiquæ elegantiæ notas: hæc columna ſine dubio translata eſt ex templo Dei Bacchi, quod Byzantii fuit, & poſtea *SS. Sergio & Baccho* a Juſtiniano ſive ſtructum ſive renovatum eſt: hoc enim Gyllius *l. l.* II. 14. ita deſcribit: *Ejus* Templi, quod Turci hodie habent, *figura rotunda, hæmiſphærio lateritio tecta, octo pilis nitens. Inter pilas columnæ Ionicæ diſpoſitæ ſunt, duplici ordine: inferior ordo XVI. columnas habet, pavimenti ſolo ſuſtentatas: quarum VI. virides, X. albæ, maculis rubris diſtinctæ: ſuperior XVIII. complectitur, quarum VIII. virides, X. albæ, maculis rubris variæ. Capitula inferiorum Echinos habent circumdantes imam partem: reliqua pars eſt tota veſtita foliis: ſuperiorum volutæ ex quatuor angulis capitulorum eminent, echini vero ex latere prominent: reliqua pars folia egregie expreſſa continet. Supra inferiorum capitula exiſtunt epiſtylia affabre ſcalpta, & Zoophorus grandibus literis verſuum Græcorum ſcalptus ambientium totius ædis circulum. Pilarum ſummæ partes adumbrantur foliis vitium, interpoſitis racemis, deſignantibus ædem Baccho ſacram eſſe.* Hæc Gyllius, qui metu Turcarum forſan non ſatis commode e propinquo cætera, quæ Gallandus, vidit, potuit animadvertere. Idem Whelerus *ead. pag.* narrat, Thyatiræ, in *Kane* ſive Diverſorio Publico, ſe vidiſſe circiter XXX. columnas marmoreas, variarum rationum & ordinum, quarum capitula artificioſiſſime fuerint elaborata; nonnullas earum Corinthii ordinis columnas tam in capitellis, quam ſtylo ipſo fuiſſe foliis exornatas, partimque ſtriatas, partim ſcalptas Idem deinde ſibi obſervatum ait, in προςύλῳ templi, ex marmore, quod *Mylaſis*, hodie *Melaſſio*, *Auguſto* & *Romæ* conſecratum fuit, cujus figura plane meretur, cum elegantiſſimo Zoophoro, videri *p.* 285. ut & ibidem *Columna Menandri Euthydemi F.* (de quo poſteriore vide Strabon. *lib.* XIV. *p. m.* 369.) vetuſtiſſima, ſtriata, inſcripta & ſingulari capitello Corinthio conſpicua, cujus figura exſtat *p.* 285. item haud procul Mylaſis, antiquum Templum, forte Jovis, parvum & quadratum, ad ſingula latera quatuor columnis Corinthiis ornatum, cujus ſtructuram exhibet figura *p.* 286. obiter addo ex Strabonis *l. l. p.* 368. *in vico Labranda* eſſe *Jovis Militaris* Labrandeni *templum ac ſtatuam a circumvicinis & Mylaſiis cultum. Viam eſſe per LX. fere ſtadia uſque ad Urbem* Mylaſa *inſtratam, nomine Sacram, per quam Sacrorum pompa mittitur.* Porro Whelecus *p.* 279. exhibet tam figura, quam deſcriptione, ruinas Turcis *Jotan* dictas, ſitas prope ſinum Latmicum, quas Pickeringus V. Cl. habuit pro Mauſolei reliquiis; at Whelerus pro ruderibus Templi ac Oraculi Apollinis Didymæi ruinæ priſcam ſpirant magnificentiam, omnes ex marmore candido, & columnis Græcorum ordinum; quarum duæ Ionicæ ſtriatæ & circulis in latum diſtinctæ cum epiſtyliis reſtant. Item *p.* 281. *Jaſi*, hodie *Askemkaleſi*, depingit capitellum Corinthium aliqua ex parte diverſum a vulgata Architectorum ſecundi ſubſellii ſententia: *tom.* II. *pag.* 420. depingit Templum Minervæ in Arce Athenis, ornatum in fronte VIII. & poſtico totidem ſtriatis rationis Doricæ columnis, ad ſingula vero latera deinde utrimque XVI. ejuſdem rationis columnis: accuratiſſime *ibidem & ſeqq. p.* hoc Templum deſcribit, quæ legi digna ſunt: ſic & Templum Theſei ordinis Dorici extra Urbem depingit & deſcribit accurate *p.* 455. *& ſeqq.* in utroque obſervabis, quod ante dictum, baſi carere Doricas columnas: *p.* 432. in aditu ædis Panhagiæ Spiliotiſſæ exhibet figura & deſcribit tres προςύλους quadratas columnas marmoreas cum capitellis Corinthiis & epiſtylio, in cujus medio tres gradus aſſurgunt, quorum in medio ſtatua ſedet, ut & loculamenta viſuntur ſtatuarum in utraque laterali columna, quæ deſiderantur: *p.* 440. depingit & deſcribit extra Athenas Arcum Aquæductus Hadriani, cujus epiſtylium incumbit columnis marmoreis Ionicis, ejus inſcriptionem Gruterus 177. 4. mirifico errore collocavit *Mediolani in æde D. Ambroſii, porta Vercellenſi*, cum diſertis legatur in Inſc. verbis, *Aquæductum in Novis Athenis cœptum a Divo Hadriano Patre* ab *Antonino Pio* eſſe *conſummatum dedicatumque.* Tandem *p.* 535. Corinthi vidit a Foro verſus Occidentem XI. Columnas adhuc ſtantes Doricas, ſtriatas, e lapide duriſſimo, ſed rationis & proportionis inuſitatæ: perimetrus eſt XVIII. pedum, diametrus ergo circiter VI. pedum erit; altitudo tamen tantum ad XXII. (ſic enim colligendum, docet ipſa ratio ex Auctoris verbis, cum XX. tantum, errore, ni fallor, typi legantur;) pedes cum dimidio aſſurgit: ſcilicet ſtylus habet XX. pedes, capitella II. pedes cum dimidio.

V. II. §. 3. *Fabianus Papirius* &c.) ubi nota & iſta verba præcedentia: *Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntur que Gentium ſylvæ: æris ferrique uſus, jam auri quoque in exſtruendis & decorandis domibus.*

V. II. §. 3. Iſidorum *Orig.* XVI. 5.) Hujus tamen verba ita ſonant: *Numidium marmor Numidia mittit, ad cutem ſuccum dimittit croco ſimilem, unde & nomen accepit, non cruſtis, ſed in maſſa & liminum uſu aptum.* Sed de Marmoris variis ſpeciebus, natalibus locis, coloribus, indole, uſu vide, quæ Nos commentati ſumus in *Noctibus* noſtris *Ultrajectinis* aliquando luci donandis diurnæ.

V. II. §. 5. *Veſpaſianus illud reſtituit & impendit* &c.) Quantum ad *inaurationem*, Noſter ſolus ſine teſte ambulat: nihil certe ſimile obſervavit Juſtus Rycquius, diligentiſſimus Vir, *de Capitol. Rom. c.* II. *&* 16. cum ibi maxime debuiſſet rem tam inſignem prodere, nec Joh. Meurſius *de luxu Rom. cap.* 12. &, ſi me non omnino faſtidis librorum amore flagrantem, nec ego tale quicquam me legiſſe memini.

V. II. §. 5. *Caligula auri limati pulvere* &c.) Nec hoc credo. *Chryſocollæ* & *minii* pulvere conſtravit Circum, teſte Sueton. *l. l.* Sed Noſter in vulgaribus Lexicis Latino-Gallicis reperit *Chryſocollæ* vocem reddi per *ſoudure d'or*, hinc credidit eſſe & poſſe reddi: *limaille d'or*.

V. II. §. 5. *Extus auro contexit.*) Sed quis hoc idoneus Auctor narrat? Pomponius Lætus *in Comp Romanor. Hiſtoriar. ſub fin.* dicit, a Conſtante, Heraclii nepote, *dum fruſtra in Longobardos impetum facit* ac *in ſuos convertit iram, laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur*, fuiſſe *ſublatas*: ſed tamen etiam de hiſce laminis argenteis tacent Zonaras & Paullus Diaconus.

V. II. §. 7. *Aurea Roma.*) In ſignis ectypis cereis diplomatum Impp. ævi labentis ſæpe legitur: AUREA ROMA.

V. II. §. 7. *Inſeri etiam margaritæ & gemmæ.*) De *gemmis* Plinius teſtis eſt *H. N.* XXXVII. 2. *in.* ubi ait, in tertio Pompeii M. de Piratis, Aſia, Ponto, Gentibus & Regibus triumpho, translatum fuiſſe *Muſeum ex margaritis, in cujus faſtigio horologium erat.* Sed apertius Lucanus X. 113. *& ſeqq.* in regia Cleopatræ deſcribenda:

Ipſe locus Templi, quod vix corruptior ætas
Exſtruat, inſtar erat: laqueataque tecta ferebant

Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus sectisque nitebat
Marmoribus; stabatque sibi non segnis Achates,
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula
Calcabatur Onyx: hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma Domus: ebur atria vestit,
Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
Fulget gemma toris & Iaspide fulva supellex.

V. 11. §. 8. *Illud Plinii.*) ibidem *cap.* 25. (τὸ 15. enim est aberratio typi) hæc subjicit: *Novitium & hoc inventum. Agrippa certe in Thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit: in reliquis albaria adornavit; non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset, aut a parietibus scenæ, ut diximus,* (scilicet *cap.* 15.) ubi narrat, mediam partem e *vitro* fuisse) *Scauri pervenisset in cameras*: porro *seq. cap.* Vitri naturam & rationem faciendi & genera indicat.

V. 12. ad §. 1. & *seqq.*) Videndi Junius *de Pictura Vett.* Demontiosius *de Pictura*.

V. 12. §. 2. *De his ita Plinius.*) At ibi Plinius videtur de *expressis cera vultibus* potius agere, quam de Tabulis pictis. Tu de his cum Nostro mox omnino vide *Plin. c.* 4. *seq.*

V. 12. §. 4. *Ut non tantum ingens* &c.) At Plinius *H. N.* XXXIV. 7. tantum *de signis* meminit, non de *tabulis*, quibus Theatrum exornavit.

V. 12. §. 5. *Belli imaginem* &c.) Lego *Beli* in hoc loco: qui nasum habent, facile mecum sentient: cur enim Alexander semper bellicosus Rex *Bellum*, & cur non potius *Bellonam*, manibus post terga revinctis triumphali curru traheret?

V. 12. §. 6. *Pictura Encaustica.*) de hac vide, quæ disputant Panciroll. *Rer. Memorab.* 1. 2. ibique Salmuthus *in Natis*, Demontiosius *de Pictur. p. m.* 159. & *seqq.* & Salmasius *Exerc. Plin. p.* 163 & *seq. ed. Ultraj.*

V. 12. §. 6. *Duos fuisse modos* &c.) Ita ipse Plinius, qui tertium addit, *l. l. Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cera & in ebore cestro, id est, vericulo*, (ut recte legit Turnebus *Adv.* XIII. 24. ἀντὶ τοῦ *viriculo.*) *donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit, resolutis igne ceris penicillo utendi, quæ pictura in navibus nec sole nec sale* (f. salo) *ventisque corrumpitur.*

V. 13. §. 1. & seqq.) Confer Demontiosium de *Sculptura*, & *Cælatura*; & Gauricum *de Sculptura*.

V. 13. §. 1. *Fusuræ.*) Ne quis Criticus intempestiva carpendi prurigine hanc vocem lacessat, habet eam Plinius XXXIII. 6.

V. 13. §. 2. *Hos Plinii calculos* &c.) Illi vero, circa ætatem annorum 496. male ponuntur a Nostro: deme enim hic priores ante *U. C.* 24. annos, & remanebunt ab U. C. 472. anni, adeoque perveniemus in 124. Olympiadis Ipitheæ annum 2. & 3. at Olympias 83. incidit in A. U. C. 306. his si demas 24. annos ante U. C. elapsos, remanebunt ab U. C. anni 282. adeoque aut Plinius, aut lectio ejus *in ed. Gelenii* 1616. male colligit, Picturam & Statuariam a Sculptura inventas *post annos circiter* CCCXXXII. lege facili emendatione CCLXXXII. vide mox ad §. 10.

V. 13. §. 3. *Sculpturæ materia* &c.) De ea late Junius *de Pict. Vet.* III. 11. §. 3.

V. 13. §. 10. *Statuas e ferro.*) Herculem Ferreum fecit Alcon, laborum Dei patientia inductus: Plin. XXXIV. 14. talis etiam Tisagoræ Hercules cum Hydra conflictans in templo Apollinis Delphici: Pausan. *l.* X. *sive in Phocic. ed. Steph. p.* 334. *Wech. Lat.* 586. ubi addit: *Facere sane e ferro signa res longe difficillima & laboris plurimi.* Cassiod. *Var.* I. 45. meminit Ferrei Cupidinis in Templo Dianæ. Claudian. *Epigr.* 14. Ferreum Martem celebrat, qui a Venere ex Magnete facta attrahitur. *Cercopithecus aureus* pro numine cultus Thebis Ægyptiis: Juvenal. XV. 4. Imo vero Ægyptii, ut hoc addam, ajebant, *Statuarios Veteres maxime claros apud se ad tempus vixisse, ut fuerunt Telecles & Theodorus, Rhœco geniti, qui Samiis Apollinis Pythii simulacrum elaborarunt; nam statuæ hujus dimidium in Samo a Telecle fabricatum, Ephesique a Theodoro fratre alteram partem absolutam, memoratur, junctasque inter se partes ita consensisse, ut totum corpus ab uno confectum videretur. Quod genus artificii a Græcis nequaquam exerceri, sed frequentissimum apud Ægyptios usum habere, contendunt. Apud hos enim non oculorum contuitu, quod Græcis in more est, aptam statuæ conformationem æstimari, sed quando lapides excisos & in partes distributos elaborant, tunc portionem simul a minimis ad maxima desumi. Universi enim corporis structura in XXI. partes ac quadrantem divisa, totam symmetriam, qua partes ad partes eædemque ad universum corpus respondeant, ab illis reddi. Idcirco, ubi de magnitudine Artifices inter se convenerunt, digressi suam quisque partem tam congruam alteri facit, ut operis horum insolentia admirationem cum stupore inducat.* Hæc Diod. Sicul. *Bibl. lib.* I. *in fin.*

V. 13. ad §. 11. & 12.) Vide Lips. *Admir.* III. 9. (qui mirifica negligentia hic adscriptus erat: ex male lecto Lipsio, pro *Claudio*, *Commodus* §. 11. occurrebat.) Junium *l. l.* Jac. Gothofredum *ad l. un. C. T. de Imag. sacr.*

V. 13. §. 12. *Commodo.*) Sed & Divo Claudio *clypeus aureus* sive *expressa thorace vultus imago* Sc. in Romana Curia *collocata* est; &, *quod nulli antea, Populus Romanus sumtu suo in Capitolio, ante Jovis O. M. templum, statuam auream decem pedum collocavit*: Pollio *in D. Claud. cap.* 2. *p. m.* 641. eadem *de D. Claudio* tradit *in Epitome* Victor *p. m.* 267. ita tamen, ut statuam *prope ipsum Jovis simulacrum* sacratam dicit.

V. 14. §. 1. *Quæ Pelias a Poetis cognominatur.*) Noster; *avec sa javeline, que l'on appelloit Pelias.* scilicet quasi hoc istius hastæ nomen proprium fuisset. Plinii verba sunt *l. l. Placuere & nudæ* effigies *tenentes hastam, ab epheborum e Gymnasiis exemplaribus, quas Achilleas vocant.*

V. 14. §. 3. *Et Curules.*) quæ non solum Equos habent subjunctos, sed etiam Elephantos, Leones, aliaque animalia, ut ex priscis marmoribus, lapidibus, nummis, Arcubus Triumphalibus licet cernere.

V. 14. §. 3. Κέλης.) ὁ μονόζυξ ἵππος. Thomas Magister *h. v.*

V. 14. §. 4. *Et Loca Publica.*) In Inscr. Troadensi apud Wheler. *Tom.* 1. *Itin. p.* 107. occurrit *VIC. VII.* in fine, quod Sponius accipit, ac si foret *Vici Septimi* Statua, ut scilicet locus & positio quoque adnotaretur Statuarum.

V. 14. §. 4. *Quæ Architecti in intercolumniis* &c.) Vide Barbarum *ad Vitruv. III.* 1. *pag.* 98. & *fig. p.* 102.

V. 14. §. 4. *Statuæ marmoreæ, quas Augustus Cæsar* &c.) vide Lips. *Admir.* III. 7.

V. 14. ad §. 5.) Imp. Alexander Severus *Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, Divis Imperatoribus in Foro D. Nervæ, quod Transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo D. Augusti, qui summorum Virorum statuas in Foro suo e marmore collocavit, additis ge-*

ſtis. Lamprid. *in Alex. Sev. cap.* 6. *p. m.* 423.

V. 14. §. 6. *Philoſophus*.) non *Pius*, ut Noſter, *le Debonnaire*: res evidens ex ipſo Capitolino; adde Lipſ. *l. l.*

V. 14. ad §. 7.) Adde figuras apud Barbarum *in Vitruv. p.* 102. & 138.

V. 14. §. 8. *Columna Trajani*.) quam artifice cœlo expreſſit Petrus Sanctes Bartoli, ut & *Antonini Columnam*.

V. 14. §. 10. *Sic Julius Cæſar* &c.) Errat cum vulgo Interpretum Statii, ſed Cæſaris equus diverſus fuit a Bucephalo; hic in fronte, ille in pedibus diſcrimen habuit; illius vero, non hujus Bucephali, effigies fuit collocata ante Veneris Genitricis ædem, teſte diſertis verbis Plinio *H. N.* VIII. 42. & Suetonio *in Cæſ. cap.* 61. *Cæſar* vero, de quo Statius, eſt Imp. Nero, qui Alexandri equum inauravit, & ſuam ei ſtatuam impoſuit, uti ſentit ex Plin. XXXIV. 8. ad Statii *l. l. Gevartius*, qui ſuper illo tralatitio errore videndus, cui, ut medeatur, ait legi poſſe *in l. l.*

Et quem tradere es auſus,

ut duo equi intelligantur, Julii Cæſaris & Alexandri.

V. 14. ad §. 13.) Videndæ hic figuræ Nummorum, Lapidum, Marmorum, Arcuum, quæ paſſim occurrunt: adde figuras *T. A. R. t.* III. in Donato *de U. R.* ſparſim obvias. Foy-Vaillant *Numiſm. Colon. part.* 1. *p.* 30. 158. *part.* II. *p.* 241.

V. 15. ad §. 1. & ſeqq.) Noſter hic ſecutus eſt Pomponium Gauricum *de Sculpt. p. m.* 37. *& ſeqq* ſed tamen is VII. ordines Statuarum facit: „ *Pariles*, *Magnas*, *Majores*, *Maximas*; *Pariles* exacte reſpondent vero, danturque, ut ait, bene meritis & ſapientibus Viris. *Magnæ*, quæ & *Auguſtæ*, cum infra ſeſquialteram ſtatura continetur, & dantur Auguſtis Regibuſque; *Majores*, quando ad alteram ſtaturam excreverunt, & dantur Heroibus; *Maximæ*, quando humani corporis ſtatura ter, & ulterius, geminatur, dicantur Diis, quanquam & Reges Imperatoresque ſibi eas vindicaverint. Item aliquando e diverſo ſunt re minores, erunt aut *Parvæ*, aut *Minores*, aut *Minimis*, hoc modo: ſecetur, verbi gratia, quæ novem conſiſtat dimenſionibus, humana ſtatura, hæc in has tres partes, hæ mox ſingulæ in trinas: *Parvæ* intra hanc portionem conſtabunt, quæ eſt ad ſex; *Minores*, quæ eſt ad tria, *Minimæ*, quæ ad unum. Hujus autem diverſitatis ratio, opinor, hæc eſt; ut Minores fierent vel inopia, vel tranſportandi commoditas effecit; ut vero in centum & amplius aliquando cubitos excreſcerent, opulentia atque excellentior perſonæ dignitas: quam etiam cauſſam fuiſſe exiſtimo, cur auguſtiores ſpecie humana videantur imagines noſtrorum Impp. neque enim id tam cauſſa erat vulgo, ut imperiti exiſtimant, quod multum ex ea re diminutum iri videbatur, ſi ſtata magnitudine fuiſſent, cum de alto proſpectandæ ponerentur, quam quod excellens auguſtioris ejus dignitatis ratio ſervabatur. Porro generatim Statuæ *Deorum*, Εἴδωλα, Latine *Simulacra* proprie nominantur: *Heroum*, Ξόανα, quamvis initio omnes ſic vocatæ, maximeque Numinum Ægyptiorum: *Regum*, Ανδρίαντες *Sapientum*, Εἴκελα. Bene merentium Virorum, Βρέτεα. Nam in pictura ſunt Εικόνες, & Εκμαγεῖα de vultu, deque membris ipſis expreſſæ ſimilitudines, quas nos *Imagines* appellamus: in reliquis fruſtra ullam inveniemus appellationem, niſi fortaſſe unico vocabulo *Effigies* dixerimus: *Figura* enim ea eſt, quæ in plano deſignatur linea; *Circulus*, Hominis atque equi circumſcriptio, quod a Græcis Σχῆμα nominatur. Αγάλματα quidem olim Homeri temporibus dicebantur quævis Templorum ornamenta, quæ ſpectantium animos afficerent, unde & nomen hoc, quod vulgo etiam remanſit, habuere: poſterius vero generatim & ipſæ Statuæ, quod ex iis potiſſimum ejuſmodi ornamenta conſtarent. Quæ vero infra humani habitus ſtaturam fient, univerſæ omnes *Signa* vocantur; unde & *Sigilla*, quæ intra minimam hanc erunt portionem, cubitalis palmariſve altitudinis, vel etiam, quantum fieri poterunt, tantillæ, hoc eſt, parva ſigna: excerpo hæc ex Gaurico, in quibus nonnulla magis ingenioſa, quam vera, ut mox videbimus.

V. 15. §. 2. *Reges ac Principes*.) More utique antiquiſſimo. Diodorus Siculus *Bibl. lib.* 1. *p. m.* 51. *ed. Wech. at p.* 35. *ed. Steph.* teſtatur, Seſoſtrin, Ægypti Regem, quibuſdam locis, ubi feciſſet expeditionem, ſuam dedicaſſe *e ſaxo imaginem, arcu & laurea inſtructam, quaternos palmos quatuor cubitis, qua ipſe ſtatura erat, proceriorem*.

V. 15. §. 2. *Coloſſeæ*.) ſic dictæ vel a ſpecubus vaſtaque intus inanitate, κοῖλον ὄσσον: vel a noxia radiorum effuſione, quæ fieri ſolet ejuſmodi moles intuendo, κολούειν ὄσσα: ſic Etymol. Magn. *h. v.* vel ab Auctore *Coloſſo*; vel denique, quod maxime placet, κόλον ὄσσον, i. e. *magnum*, *quantum* eſt. Videntur autem Statuæ Coloſſicæ in Ægypto primum frequentatæ. Diodor. Sic. *l. l. pag.* 43. *W.* 33. *St.* ait, *Heliopoli* jam olim *plurimas Statuas Coloſſicas* fuiſſe *p.* 51. *W.* 37. *St.* narrat, *in Memphitico Vulcani templo* a Seſoſtri *ſuas & uxoris imagines ſtatutas ex integris ſaxis*, XXX. *cubitos altas*, *& filiorum ad* XX. *cubitos eductas*. Quare de Gaurici ſententia paullo ante propoſita, quæ quibus Statuæ poſitæ, ita Demontioſius *de Sculptur. p. m.* 132. non male ait: „ Viderit Gauricus, an huic obſervationi fidem adſtruere poſſit, cum aperte dicat Plinius XXXIV. 6. primum *Tripedaneas ſtatuas* in *Foro* poſitas bene meritis, quod ea *menſura honorata* tunc eſſet, cum & ejus menſuræ quædam adhuc in Urbe ſpectentur Deorum ſigna antiqua, ipſius etiam Jovis in Palatio Illuſtriſſimi Cardinalis Medicis, & celebriora ſigna Deorum, quæ hic nobis vide re contigit. Excedunt quidem communem hominum menſuram, ita ſuadente ratione Optices, ut, in loco ſuperiore collocata, parilia videri poſſint, cum aliquid ſemper diſtantia intercipiat. Sed Antinoi, qui eſt in Vaticano, eadem ſtatua eſt, atque Apollinis. Statuæ autem Alexandri Bucephalum domantis, quæ ſunt in monte Quirinali, majores ſunt omnibus ſignis Deorum Gentilium, quæ in Urbe exſtant. Dearum enim ſtatuæ fere omnes, quas hic vidi, non longe diſtant a communi mulierum menſura, Contra Sabinæ, quæ ſunt in eodem Palatio, duplo, aut eo amplius, hanc menſuram excedunt, ut & Niobe, quæ ibidem ſpectatur: itaque neſcio, unde ea in mentem venerint Gaurico: hæc ille: ego vero miror, Bergierio, cum videatur utrumque legiſſe, tamen fruge reperta adhuc placuiſſe glandem. veteres has avias quoque probavit Philander *ad Vitruv.* II. 8. quod idem miror.

V. 15. ad §. 4. 5. & 6.) Adde hic, quæ de Statuis Coloſſeis, de aliis Statuis & ſignis Deorum Hominumque in Capitolio erudite diſputat Juſtus Rycquius *de Capitol. cap.* 25. 26. & 27.

V. 15. §. 4. *Elide Jupiter Olympius, Phidiæ opus*.) At unde Noſter didicit, *Jovem Olympiæ, ex ebore & auro, a Phidia* factum, Plin. XXXIV. 8. in quo Plinius idem XXXVI. 5. non molem, ſed *pulchritudinem* admiratur, oppoſitam *Minervæ Athenis factæ amplitudini*,) fuiſſe Coloſſicæ molis & magnitudinis?

V. 15.

V. 15. §. 4. *Tarenti quoque erat talis Apollinis Colossus.*) At verba Plinii ita sonant: *Talis in Campo Martio Jupiter a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate Theatri: talis & Tarenti factus a Lysippo* XL. *cubitorum*. Videtur Plinius *talem* quoque *Jovem* innuere; Noster, at quo Auctore? *Apollinem* substituit. Quod vero Dalechampius hic legat: *Talis & Hercules Tarenti*: quia Strabo *lib.* VI. *p.* 537. dicit, *Herculis imaginem sublimem ex ære in Capitolio fixam esse, opus Lysippi, quod a Fabio Maximo oblatum est donum*, in eo fallitur: nam hunc *Herculem* clarissime mox ab isto *Jove* distinguit ipse Plinius: vide Rycquium *l. l. cap.* 25.

V. 15. §. 4. *Pedum* CCCC.) imo *quadraginta* pro *quadringentis* legendum contendit Demontiosius *l. l. p.* 127. *& seq.* ubi hunc locum Plinii cum cura examinat.

V. 15. §. 5. *Ergo olim tantum* &c.) Chinenses, Malabares, Coromandelani, Zeilanenses, cæterique Indi etiam hodie, in Pagodis suis, admirandæ molis & magnitudinis statuas Diis suis ponunt, testibus Hodopœricis: videantur Balbus, Baldeus, Neuhofius, Carolinus, & plures alii.

V. 15. §. 5. *Qui postea eraso Neronis* &c.) ni fallor a Vespasiano Imp Xiphilin. *lib.* LXVI. *p.* 752. *Vespasiano VI. & Tito IV. Coss. Templum Pacis dedicatum est, & Colossus Sacra Via collocatus. Imago Neronis erat, vel Titi, ut ab aliis traditum est* Postea *Simulacro illi Colosseo, quod Romani venerantur, Solis effigiem gerenti, capite demto suum imposuit* Commodus Imp. teste Herodian. *lib.* 1. *p. m.* 25. Lampridius vero *in Commod. c.* 5. *p. m.* 175. ait, *Colosso* per Commodum Imp. demtum esse *Neronis caput*, suo ipsius imposito: ea sic concilio, ut putem a Vespasiano erasos Neronis titulos, & Soli consecratum Colossum, manentibus licet Neronis lineamentis, quæ pro *Solis effigie* deinde dedicata: hoc autem *Solis*, quod *Neronis* vultum referebat, *caput* postea a Commodo mutatum: verum hæc memoria & impietas ejus per Sc. a nece Commodi rursus abolita. Lamprid. *ibid. c.* 6.

V. 15. §. 10. *Suetonius Imagunculæ voce* &c.) at ea certe numisma non fuit, verum *Statuncula*, ut tales vocat Cyprianus *de Aleator.* vide Figrel. *de Stat. Rom. c.* 17. Cuperi *Harpocr. p.* 85. 86. 87. nam illa *imaguncula Thurini ærea* fuit, *ferreis ac pæne jam exolescentibus literis, inscripta, & dono Principi data inter Cubiculares colebatur*, ut ibid. Sueton. ait.

V. 15. §. 17. *Qui Cos. fuit* &c.) A. U. C. 1267. Sed Claudius Imp. obiit A. U. C. 806. Ergo intercedunt anni 461.

V. 15. ad §. 20.) Ubi reperta sit, dicet Nardin. *Rom. Vet.* III. 10. Eam elegantissime depinxit Boissardus *Ant. Rom. part.* II. *p.* 49. sive *folio M.* 4. de ea ita Demontiosius *de Sculpt. p. m.* 137. „Laocoontem autem illum quis saltem fama non novit; „quod etiam dum in Vaticano artis miraculum ostentatur, spectantibus horrorem incutiens, „artis Statuariæ cum Poetica certamen, & utriusque cum ipsa Natura, palma dubia. Quantum „enim Virgilius carmine, tantum isti marmore „contendunt. Stupendum opus, ex uno lapide „Parens & Liberi, horrendi Draconum nexus, „Patris angustiæ, Liberorum gemitus expressi: addit mox: „Sunt etiam in eodem septo alia probatissima signa: Apollo ille arcum tenens emissa „sagitta, & Antinous eximiæ pulchritudinis.

V. 16. §. 3. *Orbis Compendium.*) Vide supra II. 32. §. 7. IV. 31. §. 5.

V. 16. §. 9. *Campos ad cursum equorum destinatos.*) imo ad deambulandum, aut ad spectacula, aut ad conventus: vide Fabric. *Descr. Rom. c.* 8.

V. 17. §. 1. *Ipsa nomina paullatim abolentur.*) quod exemplo docet Ausonius *l. l.* Martial. X. 2.

Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.

vide Juven. X. 143. *& seqq.* ibique a Commentatoribus & Nobis allata. Locus Statii, qui mox affertur, non adeo quadrat. ibi enim de lætissimis fatis, quibus *nitidos postes Graiisque effulta metallis Culmina* Herculi Pollius dedicaverat, qui Deus antea *litora pauper nuda tenebat*.

V. 17. §. 3. *Vectii* &c.) Quæro idoneum testem.

V. 17. §. 4. *Annus ab U. C.* 1300.) imo 1299. Incendia vero, Gallicum A. U. C. 366. Neroniana A. U. C. 817. contigerunt: ergo post Gallicum incendium effluxere anni 933. post Neroniana, anni 482.

V. 17. §. 11. *Poetæ Itali.*) At, si fides est habenda ipsius Carminibus, *Siculus* erit. Nam se *Panormitanum* a patria cognominat. Nostrum fefellisse videtur, quod in *Deliciis Poetarum Italorum* ejus Carmina quoque sint inserta; quamvis & ibi vocetur *Panormitanus*.

Atque hæc sunt, quæ per subsecivas parcissimi otii horulas potuimus annotare. Venatori vitio verti non solet, si in magna sylva omnes non ceperit feras; sed satis fecit officio, si plurimas, si multas, si non nullas ceperit: ita & apud æquos Ingeniorum arbitros intra veniam me fore sperabo, si, homo cum sim, non omnia potuerim solus. Illis vero, qui alienæ industriæ ex invidia aut inscitia modum ponunt, aut ex mera nigræque loliginis succo excitata obtrectandi scabie hæc qualiacunque carpent, Saniorem & Meliorem Mentem apprecabor.

Finis Notarum ad Bergierii libros.

Supplementa & Emendationes Locorum quorundam a BERGIERIO laudatorum, ex recensione HENR. CHR. HENNINII.

p. 6. *lin.* 6. XL. 7. *lege* VII. 40.
. . . 42. *libro* I. p. m. 23. *in init. Historiæ*.
. . . 43. Martiali XII. 8.
. . . 47. Athenæo *lib.* I. *p. m.* 10. vide II. 32. §. 7. & IV. 31. §. 5.

p. 7. *l.* 17. Cassiodori *Variar.* VII. 16.
. . . 55. Poeta VI. 846.
p. 8. l. 1. 2. Claudianus *de laud. Stilic.* III. 136.
. . . l. 3. *Verticem mundi*: imo *in Panegyr. Anthemii Aug. vs.* 438. Aurora ad Romam;

Quid caput o Mundi, dixit, mea regna revisis. A
. . . . *l.* 4. Frontinus *de Aquæd. l.* 11. p. 1654. *Tom. IV. Thesaur. A. R.*
. . . . *l.* 6. Propertius III. 21. *vs.* 17. 18.
. . . . l. 24. *Geograph. lib.* v. *p. m.* 429.
. . . . l. 33. *Antiq. Rom. p. m.* 246.
p. 9. *l.* 10. Cassiodorus *Variar.* III. 30.
. . . . l. 42. *lib.* v. *p. m.* 430.
. . . . *l.* 47. Albertus *in Descriptione Italiæ, ed. Lat. Coloniens. p. m.* 229. ubi *de Latio, de Æquicolis* agit.
. . . . l. 58. *lib.* 11. *in fin. p.* 1664. *Tom. IV. Th. A. R.*
. . . . *l.* 61. ait *Variar.* VII. 6. B
p. 10. l. 16. *l. l.* lege: *lib. I. p.* 1642. *Tom.* IV. *Th. A. R.*
. . . . l. 20. *lib.* 1. *vs.* 97. *& seqq.*
. . . . l. 42. *lib.* v. *p. m.* 429.
p 11. *l.* 16. Procopio *l.* IV. *de Bell. Goth.*
. . . . *l.* 17. Victori *de Region. Romæ sub fin.*
p. 12. l. 6. *lib. I. vs.* 63. *& seqq.*
. . . . *l.* 25. Aristide *Orat.* 14. *Tom.* 1.
. . . . *l.* 27. Seneca *de Clement.* 1. 6.
. . . . *l.* 35. laudat *p. m.* 25. *edit. Henr. Steph.*
. . . . l. 62. Panvinius *in Descript. Urb. Rom.*
. . . . Lipsius *de Magn. Rom.* III. 10. in *Electis* subinde, ut & in *Epistolis.* C
p. 19. A. l. 5. *Erato, sive lib.* VI. *p. m.* 154. *edit. Steph.* aut *p.* 343. *edit. Lat. Wechel*
. . . . B. l. 9. *lib.* LIV. *p. m.* 602.
. . . . F. l. ult. *lib.* III. *de L. L. c.* 3.
p. 20. A. l. 13. *lib.* I. *init. p.* 1635. *Tom. IV. Th. A. R*
- - - B. l. 1. *lib.* XLI. *c.* 27.
- - - - *l.* 6. *lib.* V. *p. m.* 395.
- - - - Festus V. *lege* voce.
- - - C. l. 12. *de L. L. p. m.* 22.
- - - E. l. 7. *de Rep.* sive *de Legib.* seu *Legumlatione. p. m.* 887. *edit. Jac. Stoer.* 1592. *vsion. Ficini, Tom.* III.
p. 21. B. *l.* 2. Varro *de L. L. lib.* IV. *p. m.* 6. D
- - - l. 7. *lib.* LV. lege: *lib.* LIV. *p. m.* 618.
p. 22. A. l. 3. CCCCXXX. 5.
- - F. *l.* 6. Festus hac voce,
p. 23. A. l. 2. *de Divinat. p. m.* 26. edit. Leidens. 1644.
- - C. l. 4. *lib.* LIX. *p. m.* 747. 748. & LX. *p. m.* 788.
- - E. *l.* 8. Fontejo *c.* 4. vide *seq. sect.* VII. §§. 5. 6. 7.
- - - l. 11. *Philos. c.* 4. *Hist. Aug. Tom.* II. *edit.* 1592. *ap. le Preux. p.* 100.
p. 25. F. l. ult. *Epistol.* 15. quam vide totam. E
p. 26. A. *l.* 7. Latinæ: *Sylv.* 4. *vs.* 59. 60.
- - - l. 10. *lib.* V. lege: *lib.* IV. Sylv. in ris. Saturnal. ad Plotium 9. vs. 17. 18. 19.
- - - l. 11. appellat; *in Epistola ad Marcell.* quam *lib.* IV. *Sylv.* præmisit: vide de hoc Plotio Grippo Tac. *Hist.* III. 39. & 52.
- - E. l. 8. *lib.* LV. *p. m.* 634. (verba in fine sic lege: *divisa fuit tunc XIV. q. s. d. h. V. C. Tribuni Plebis & Prætores præessent, idque hodie etiam fit.* F
p. 29. A. l. 11. *pro M. Fontejo c.* 4.
p. 30. D. *l.* 12. *de Aquæd.* in initio.
p. 30. F. *l.* 2. tesserarum sive lapidum quadratorum.
- - - l. 5. scribemus infra II. 26.
p. 31. B. l. 3. *lib.* V. *p.* 395.
- - - 10. alibi III. 22.
- - C. *l.* 7. libro sequente *sect.* §. 3.
- - E. *l.* 2. alibi passim libro II.
p. 31. D. *l.* 1. alibi III. 35. §. 3.
- - E. l. 3. *pro M. Fontejo c.* 4.

p. 32. A. l. 3. *lib.* VIII. *p. m.* 590. adde & *p.* 599.
- - - 10. *de Provinc. Consularib. c.* 2.
- - B. l. 7. *Aug. c.* 49.
p. 35. C. l. 11. *Origin.* XV. 16.
p. 36. D. *l.* 12. post IV. 39. *& seqq.*
p. 38. D. l. 10. *de L. L. p.* 42.
- - F. *l.* 3. Ciceronem *de Offic.* II. 22.
p. 39. B. l. 1. *Bellor. Civil. p. m.* 348. *& seqq.*
- - C. l. 5. *Agraria I. in Rull. c.* 2. *& seq.*
- - E. *l.* 11. Appian. *de Bell. Civ. l.* I. *p. m.* 349.
- - F. l. 3. *in Libyco p. m.* 115.
p. 40. B. *l.* 2. Lucas II. 1.
- - C. l. 12. *lib.* LII. *p. m.* 553.
- - D. *l.* 10. Zosimo *lib.* II. *c.* 10. *p. m.* 797. H. A. Zonara *p. m.* 747. H. A.
- - E. *l.* 3. Plinius *H. N.* XII.
- - - - 5. Xiphilinus *in vit. Neron. H. A. tom. I. p. m.* 731.
p. 41. B. l. 5. *in vit. Pompeii c.* 72.
- - C. *l.* 2. *lib.* XVII. *p. m.* 598.
p. 343. A. l. 6. *lib.* LXVIII. *p. m.* 8. *tom.* II. *H. A.*
- - B. l. 12. *Liv.* XLI. 27.
- - D. *l.* 2. *lib.* I. *p. m.* 349.
p. 14. C. l. 12. *lib.* LIII. *p. m.* 585. 586.
- - F. *l.* 7. postea III. 36. *& seqq.*
p. 45. D. l. 11. *ap. Smetium* CXLIV. 7. *Grut.* CLXXXVIII. 3.
- - E. l. 8. *Grut.* CLIII. 3.
p. 47. B. l. 10. *Grut.* CLIII. 9.
p. 48. E. *l.* 6. Victor *de Cæss. p. m.* 221.
p. 50. A. *l.* 12. pluribus II. 26. III. 25. §. 6.
- - B. l. 1. *lib.* LXVII. *p. m.* 1303. *H. A.*
- - - l. 5. *l.* IV. *carm.* 3.
p. 51. F. l. 3. *lib.* LXVIII. *p. m.* 13. *H. A.*
p. 52. C. *l.* 10. Resendio *Antiq. Lus. lib.* III. *p. m.* 186.
p. 64. E. l. 9. *lib.* LIII. *p. m.* 585. ubi disertis verbis: τὰς μὲν ἄλλας (ὁδοὺς) ἄλλοις τισὶ τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι τοῖς οἰκείοις τέλεσι, προσέταξε.
p. 66. C. l. 5. *lib.* XLIX. *p. m.* 476.
p. 70. A. l. 13. *l.* Abiit 6.
- - E. l. 2. *l.* 4. *C. Th. de Itin. mun.*
p. 71. A. l. 4. *Capitularibus* VI. 107.
p. 73. D. l. 1. *Antiq. Rom. in præfat. operis sui ad Lectores, sed quæ malo exemplo in omnibus repetitis editionibus est omissa.*
p. 75. D. l. 1. *Gruter.* CLXIII. 2.
p. 79. B. *l.* 8. ex Erizzo *Disc. sopra le Medaglie p. m.* 331.
- - D. *l.* 4. ex eodem *p. m.* 773.
p. 81. F. l. 8. *Belgii, in Rep. Hannon. p. m.* 161. *ed. Amst.*
p. 82. C. l. 5. Divæi *in Antiq. Belg. c.* 4. *p.* 30.
p. 88. E. l. 7. alibi III. 12.
p. 89. E. l. 4. in Desc. Britanniæ *p. m.* 23.
p. 95. E. l. 10. Sacræ Literæ *Psalm.* XCV. 5.
- - F. l. 7. Literis *Gen.* III. 19.
p. 96. C. *l.* 8. Hymnis suis *Ps.* XCV. 5.
- - E. l. 13. *lib.* II. aut, ut Nonius numerat, IV. 37.
- - F. l. 5. *lib. XV. Metam.* imo *Heroid.* V. 116.
p. 99. B. *l.* 7. Vitruvius II. 6.
- - F. l. 3. *H. N.* XVII. 11.
p. 100. D. *l.* 1. post hæc *sect. seq.* §. 6. 7. 8.
- - F. l. 3 *Elegiar.* I. 8. *vs.* 60.
p. 140. B. l. 13. *Sylvarum I.* 5. *vs.* 34. *& seqq.*
p. 198. F. l. 4. *Tusc. Qu.* I. 15.
p. 201. B. *l.* 2. Gruterus IↃCCCCXXI. 6.
p. 208. D. *l.* 1. *p.* 505. & 534.
p. 252. C. l. 3. *in Narrat.* II. *inter Auctt. Novi Orbis, ex edit. Hervagii* 1555. *Basil. p.* 539.
p. 351. C. l. 11. *Antiq.* II. 22.

p. 353. D. l. 11. *lib.* IV. *p* 344.
p. 415. E. l. 8. *Etymol.* XV. 2.
p. 442. C. l. 2. *Sat.* I. 6.
p. 449. E. l. 1. *Oratore* I. 48.
p. 456. C. l. 1. *R. M.* I. 9.
p. 479. B. l. 5. *lib.* II.
p. 543. B. l. 11. *Claud. c.* 20.
p. 552. C. l. 13. *cap.* 15.
p. 567. A. l. 12. Livium I. 53.
p. 580. F. l. 8. XXXVI. 25.


Reliqua Locorum indicia, ſi qua forte perverſa aut omiſſa, in Notis Noſtris indicantur & ſupplentur. Porro Benevoli Lectores rogantur, ut ſequentia Errata velint amica manu emendare.

pag. 11. *lin.* 22. Variarum, *lege* Viarum
- - - - 49. redigiſſe redegiſſe
p. 12. l. 37. portis portus.
p. 22. A. l. 3. CCCCXXX. *adde* 5.
p. 22. l. *penult.* vel qui *lege* qui
p. 24. D. l. 7. FRETENTIS FRETENSIS
p. 28. A. l. 5. poſt *Viarum*, adde: Sed
p. 30. C. l. 5. nullam nullum
p. 39. A. l. 4. Traistes Traittes
p. 41. E. l. 1. *inaditum* *inadſuetum*
p. 47. E. l. 10. anguſtiiſque anguſtiis
p. 50. D. l. 5. Orientem, *adde*: & Occidentem
p. 80. F. l. 6. magnum, magum,
p. 83. E. l. 4. quam quem
- - - l. 7. tamen D. e. h. p. e. *hæc litteris curſivis, ſive obliquis, erant imprimenda.*
p. 85. D. l. 4. erat eſſet
p. 91. A. l. 3. Ignatius Egnatius
- - B. l. 3. quæ qui
p. 98. B. l. 5. cæmento coagmento
p. 101. C. l. 3. lapidicinis lapicidinis
p. 105. B. l. 9. coagmentatur. coagmentantur.
p. 120. F. l. 7. ejus Vitruvii
p. 145. F. l. 5. *Frang* *Franq*
p. 146. D. l. 8. expoſito expolito
p. 157. D. l. 7. diverſæ diviſæ
p. 161. A. l. 11. Alter *præpone*: 5.
p. 166. B. l. 4. ſtructuræ *adde*: & ſtraturæ
p. 190. D. l. 2. quem quam
p. 208. E. l. 2. 9. Ut &c. (dele hic numerum 9. qui per incuriam a Bergierio & me illum ſecuto bis ponitur: pone autem loco ejus: 10. & deinde, ubi p. 209. A. l. 1. ſequitur: 10. Cæterum &c. ibi τὸ 10. dele, & verba iſta cum hoc §. 10. connecte.)

A p. 249. E. l. 3. *ſecundum* inſerere & adde hæc omiſſa: *Orontium Fineum. 4. Aliæ Leucæ diverſæ ſecundum*
p. 254. F. l. 3. paſſum & Francica 3000. paſſum: *lege*: paſſuum & Francica 2000. paſſuum *deinde corrige* numerum ſeq. §. 12. (non 13.)
- - F. l. 5. verbiquibus eas, *lege*: verbis, quibus ea
p. 255. F. l. 3. eam *adde*: columnam
p. 260. E. l. 7. *ſecurati* *ſecuritati*
p. 270. C. l. 9. 6. 9.
p. 283. F. l. 7. 2. 8.
p. 285. C. l. 5. qui quæ
p. 289. B. l. 6. Quinetia Quinctia (ſic & p. 291. B. l. 3. & *lin.* 9.)
p. 292. B. l. 10. Gabii Gabios
p. 294. E. l. 3. Alvaricus Alaricus
p. 296. B. l. 1. XV. XXV.
B p. 304. F. l. 7. *cæmin* *camin*
p. 318. C. l. 12. ſacrarent ſacrarant
p. 323. C. l. 8. poſt 2. inſere: *Earum ſitus* 3. deinde ordine corrige: 4. 5. 6.
p. 324. A. l. 11. 7. 3.
- - B. l. 12. *Ferojulenſi* *Forojulienſi*
p. 350. D. l. 10. 68. 86.
p. 361. F. l. 8. XIX. XXIX.
- - F. l. 5. Hiſpanias, *adde*: Germanias
p. 363. C. l. 13. *Macbeck* Macheck
p. 393. C. l. 4. hic lemmata, numero 6. & 7. ſunt inverſa, debentque, lemma, quod poſt τὸ 7. ſequitur, ſubjici τῷ 6. & rurſus lemma, quod poſt τὸ 6. ſequitur, ſubjici τῷ 7.
- - C. l. 7. *Viam*, adde: *Semitam & Callem.*
p. 410. F. l. 2. capita *adde*: reliqua
C p. 419. C. l. 3. Verum &c. (*hic eſt incheandus novus §. præponendo numerum 5.*)
p. 438. B. l. 8. Uterque &c. (*& hic præponas numerum 2. & a nova linea incboetur §.*)
p. 439. D. l. 4. Viros *adde*: publici muneris honore fulgentes
p. 440. A. l. 9. Hæc —— feciſſem. (*iſta omnia literis curſivis debuiſſent imprimi.*)
- - B. l. 2. *ſecundum* Secundum
p. 449. B. l. 1. *neſſitates* *neceſſitates*
p. 451. B. l. 1. *bis* dele
p. 521. E. l. 1. *ait*, ait,
p. 522. C. l. 10. *Theriat.* *Theriac.*
p. 529. B. l. 8. patiens patens
- - - 10. plaudibus paludibus
p. 546. lin. 15. *ab fore* *ab re fore*
- - - 36. *Fortunis* adde *meis*

Cætera Errata Typorum, quæ ultro patent, nec ſenſum valde turbant, æquitati Lectorum vel tollenda vel toleranda relinquimus.

POSTERITATI SACRUM!


Actenus Iſſe Vias libuit, queis aurea ROMA
Straverat Eoas Heſperiaſque plagas:
Nunc iter exegi duri multique laboris,
Hic tandem longæ Terminus eſto Viæ!
Viſimus Æneadas, mirati *Strata Viarum*,
Qua fert atque diem Phœbus Apollo refert.
Magnorum fuerat ſolers hæc cura Quiritum,
Conſtratas paſſim concelebrare Vias:
Ædilis, *Conſul*, prætextatuſque *Duumvir*,
Et *Curatores Quatuor* inde *Viri*:
Et, poſt Trojano demiſſum nomen *Iulo*,
Augusti curant publica *Strata*, *Vias*.
Viſimus & *Lapides*, *Scopulos*, exciſaque *Saxa*,
Viſaque, quæ molles nectat *Arena Tophos*:
Teſſera, *Teſſellæ*, *Lateres* & *Glarea* dura,
Aptus & hic pulchra ſternitur arte *Silex*!
*Teſta*que *Spicata*, &, magni monumenta laboris,
Illa tot e variis *Marmora* cæſa jugis.
Arte *Pavimenti* atque *emblemate Vermiculati*
Miramur doctas Dædaleaſque manus.
Picta novis mire ſplendent *Aſarota* figuris,
Per varias artes gemmea gaudet humus.
Umbones, crebrique, Viæ retinacula, *Gomphi*
Tum ſolidum firmant artis opuſque ligant.
APPIA mox teritur celebris Regina Viarum,
APPIA, quæ CLAUDII nomina clara canit.
Hinc Via, quæ totis Ligurum conſtrata metallis
Illi, quem *Dominum* Roma *Deumque* tulit.
Templa Vias cingunt antiqua utrimque Deorum;
Cuſtodes cinerum, mœſta *Sepulchra*, vides.
Hic *Tumuli*, *Moles*, ingentia *Mauſolea*,
Coni, *Obeli*, *Stelæ*, *Pyramides*que jacent;
Ampullæ, *Cippi*, *Phialæ*, *Menſa*, *Olla*, *Columnæ*,
Arcæ, *Urnæ*, *Lamnæ*, *Theca*, *Culigna*, *Lapis*.
Illa notis paſſim Monumenta animata videntur,
Tute memor mortis carpe Viator iter!
Inde nitent *Arcus*, Belli decora alta, *Tropœis*;
Hinc ornat ſtratas *Villa* beata Vias.
Extendit cum ſole decus mox incluta ROMA,
Jupiter Imperium cui ſine fine dedit.
Ipſe ducem *Auguſtus* ſe præbuit ANTONINUS.
Nec non quæ veteri picta *Tabella* manu eſt.
Unde Viæ pergunt *Portis*, totumque per Orbem
Concelebrant laudes, maxima ROMA, tuas.
Regia res, fieri tot Publica Commoda, certe eſt:
Hinc *Via* pro meritis *Regia* nomen habet.

Otia ne *Legio*, daret aut *Provincia* turbas,
Jussit ab his fieri provida ROMA Vias.
Jamque iter innumeras ingens meditamur ad *Urbes*,
Villas, *Municipes*, *Oppida*, *Rura*, *Domus*.
Longum iter hic nobis minuit *Mutatio* crebra,
Mansio sub noctem claudit ubique diem.
Publicus hinc *Cursor* se addit properante *veredo*,
Et teritur variis Orbita multa *rotis*.
Visimus hic *Vestes*, *Thesauros* atque *Monetas*,
Illic *Arma* sacris condita plura locis.
Rite *Magistratus*, lecta comitante *Cohorte*,
Et *Præses* solitas itque reditque Vias:
Militiam his *Prætor* metuendam ducit in hostes,
Miles & hinc fecit nomina trita Viis.
His ROMAM properat securus ubique *Viator*,
Plurima qui Dominæ fert *alimenta* suæ.
Quid loquar ingentes subjunctos *Pontibus* amnes?
Nec non *Pontifices Æquora* nacta suos?
Hic *Cippus* fessis requiem præstare videtur,
His numerat scriptus *Millia* multa *Lapis*.
Mercurium, *Triviam*, *Bacchum*que Viator adorat,
Ad Fontem monstrat falce *Priapus* iter.
Quid loquar aut factas vasto molimine *Fossas*,
Flumina navigiis mox celebranda novis?
Quid loquar aut *Portus*, sive hos *Natura* reclusit,
Sive illos audax præstitit arte *Labos*?
Sic tandem surgit rerum pulcherrima ROMA,
Atque *Jovi* tollit proxima *Templa* Suo.
Non poterant Belli rabies, ignesve *Neronis*,
Ausa ea magnanimæ sistere pulchra *Deæ*.
Pulchrior exsurgis caput inter sidera tollens,
Et majus reparas ROMA animosa decus.
Miramur *Vicos*, quos *Janus* & *Area* claudunt,
Pistrina & *Puteos*, *Horrea*, *Templa*, *Domus*:
Edita *Pyramidum* fastigia, *Balnea*, *Thermas*,
Et tot *Aquæductus*, *Pegmata*, *Naumachias*:
Ingentes *Circos*, crebrisque *Theatra* columnis,
Ampla tot innumeris *Amphitheatra* locis.
Atque *Triumphales Arcus*, altosque *Colossos*,
Tot loca tam multis prodigiosa *Foris*:
Hortos & *Campos*, *Nymphæa* & *Septa*, *Obeliscos*,
Quæque *Palatinæ* prænitet *Aula Domus*.
Structuræ veteris stupeo *ornamenta*, *modos*que
Artifices, quot vel Roma, vel Hellas habet.
Miramur vivos vario de *Marmore* Vultus,
Et tot Phidiaca *Signa* polita manu:
*Æra*que, magnorum quæ spirant ora Quiritum,
Aut quæ Parrhasia picta *Tabella* manu est.
Hæc sed ROMA fuit! tantum mirare ruinas:

Cernis? adhuc ſpirant rudera priſca decus!
Scilicet hæc Ævi ſtravit longinqua *Vetuſtas*,
Heu nimis ex vero nunc ea *Strata* jacent!
Deque tot & tantis ſolum pia Fama ſuperſtes
Plurima vulgavit vix habitura fidem.
Attamen Æneadum magnum & memorabile nomen
Spirat, & a domito tempore ROMA viget.
Fata Libri vincunt, priſcique perennior Ævi
Ære fugit Parcæ Charta polita colum.
BERGERIUS fatum ROMAE miſeratus acerbum,
ROMAM illam obſcuris eruit e tenebris:
Diruta reſtituit, purgat mox Strata, Viaſque
Eripit horrenti, quo jacuere, ſitu.
Ille *Viis* ſenium abſterſit, ſiliceſque priores,
Divorum ſtatuas, artificeſque manus;
Saxa tot & lapides, tot marmora, totque Columnas
Reddidit, & doctis ſtravit, ut ante, modis:
Quali olim Thebis divina Amphionis arte
In muros ultro ſaxa coiſſe ferunt.
Quas ante attonitus paſſim ſqualere ruinis
Vidiſti, & crebris ſentibus eſſe Vias:
Quas aut ramoſa propagine texerat arbos,
Aut & nocturnis antra relicta feris:
Singula jam turpi de pulvere traxit ad auras,
Tecta aperit, reparat fracta, ſoluta ligat.
Apparet rurſum moles operoſa Viarum,
Conſurgit Stratis Agger ubique ſuis.
Apparent rurſus turreſque minæque ingentes,
Ut ſtupet hic formæ reddita ROMA ſuæ!
Currit inoffenſus per Strata refecta Viator,
ROMAque BERGIERII ſtat recidiva manu.
Mire opifex, ſparſim quæ longa abſorpſerat ætas,
Hic uno cogens das recidiva libro!
ROMA fave! rurſum ſurgis de pulvere major,
Quam quondam fueras. cum Caput Orbis eras.
Et quod Romulidum quondam dare dextra nequibat,
BERGIERII dedit hoc dextera docta decus.
Nemo prius poterat talem ſic condere ROMAM;
Perdere ſed talem ſæcula nulla valent.
Hos non ignis edax, imber, nec Tempus honores
Delebunt, illos Charta tuetur anus:
At Vos BERGIERIO pia ROMA Lareſque Viales
Nectite gratanti laurea ſerta manu!
Hunc ego, Poſteritas ROMÆ ſtudioſa, laborem
Converſum atque Notas dedico, meque Tibi:
Accipe conatus, ſtudii tentamina, noſtros,
His majora mihi nec dare plura licet.
Da veniam facilis, ſi forſan me abſtulit error,
Error ab humano labilis ingenio.

Non venor laudes: errores, optime Lector,
Æquior exacta dextra bilance notet.
Nec mihi Mæcenas, nec ſunt mihi fata Maronis,
Ignorant noſtri candida ſigna dies.
Quin defæcatæ ſupereſt vix copia mentis,
Dum poſcit noſtram plurimus æger opem.
Sic inter lacrumas, ægrotorumque querelas
Mecum artes agitat mutus Apollo ſuas.
Vivite Pierides! mutas me cogit ad artes
Sors, & Phœbigenæ quærere juſſit opem.
Neſcio adulari aut confictas dicere laudes,
Captare auriculas mens generoſa negat.
Candida Poſteritas ades incorrupta roganti!
Tu judex noſtræ ſedulitatis eris.
Scribimus iſta Tibi; ſed nec veſana moramur
Judicia, aut dentes, invida turba, tuos.
Vivam! ſitque aliquis veniente HENNINIUS ævo!
Præmia ſi ſolum conſequar iſta, ſat eſt.

F I N I S.

FRANCISCI PATRICII
RES MILITARIS
R O M A N A

E X

ITALICA LINGUA IN LATINAM

V E R S A

A

LUDOLPHO NEOCORO.

SERENISSIMO DOMINO

ALPHONSO II.

DUCI FERARIÆ, MODENÆ, REGII ET CARNUTI &c.



Um veterum monumenta evolvo, Sereniſſime Domine, nobiliſſimos olim auctores, amplius triginta, de arte militari ſcripſiſſe reperio; inter quos, Reges & Imperatores; Sagati, Senatores, & Philoſophi, tam Græci, quam Latini fuerunt. Inter Reges de militia ſcripſit Pyrrhus, Rex Epiri, cui Annibal in ordine ſummorum Ducum ſecundum tribuebat locum; uti & filius ejus Alexander: quibus adjungendus eſt Iphicrates, celeberrimus Athenienſium Dux. Inter Imperatores Romæ adhuc florentis de eadem literis quædam prodiderunt Trajanus & Adrianus: inter Conſtantinopolitanos vero, Nicephorus & Leo ultimus, quorum ſcripta hodieque ſuperſunt. Ex Senatoribus veteris Romæ de hac ſcripſerunt Cato Cenſorius, Cincius, Paternus & Frontinus: inter eruditos, Cornelius Celſus Medicus, & Plinius, Hiſtoriæ Naturalis auctor: Sæculis vero poſterioribus ſub Valente Modeſtus, & ſub Valentiniano, Vegetius. Inter Græcos, diu ante omnes modo memoratos, de militia ſcripſerunt Philoſophi ſummi, Xenophon, Plato & Ariſtoteles, ex cujus Schola Alexander Magnus prodiit. Hos ſecuti ſunt Clearchus Peripateticus, Poſidonius Stoicus, Onoſander Platonicus, Cineas, qui Pyrrho a conſiliis fuit, Polybius, magiſter & comes Scipionis Africani minoris, Ælianus, Polyænus, Euangelus, Stratocles, Æneas, Hermias, Pauſanias, Eupolemus, & Brio. Hæc hiſtoria auctorum, qui de militia ſcripſerunt, ſatis oſtendit, quam nulla ratione Annibal Phormionem, Philoſophum Peripateticum, irriſerit, quod ſe præſente de bello diſſerere auſus eſſet. Quanto ſapientior Scipio ille, victor Annibalis, qui ſcripta Xenophontis, Philoſophi Socratici, tanti faciebat, ut ea nunquam de manibus deponeret, ſed continua lectione pervolveret, hauſtiſque inde præceptis, omniſque exempli documentis præclare ſe inſtrueret, ita ut ipſum deinde Annibalem artibus Imperatoriis & peritia rei militaris, ut eventus docuit, longe ſuperaret. Quæ cum ita ſint, mirum cuipiam videri non debet, ſi ego, qui non paucos libros, quod abſque jactantia dictum velim, haud perfunctorie legi, ut aliquando & mihi ipſe, ſi poſſem, & aliis operam aliquam utilem navarem, publicæ luci exponere aggreſſus ſim, quicquid de militia Romana ex celeberrimis auctoribus & rerum Romanarum ſcriptoribus diligenti obſervatione collegi. Credebam enim, ſi quid profuturum aliis de arte bellica, quæ eſt fundamentum pacis, omniſque felicitatis humanæ, ſcribere vellem; me non ab obſcuri alicujus, ſed omnium celeberrimi & maxime illuſtris populi militia exemplum capere debere. Sperabam enim, militiam eam, quæ jam olim in uſu fuit, & per nongentos amplius & triginta annos ab initio Urbis Conditæ uſque ad mortem Marci Antonini Philoſophi floruit, in lucem aliquando revocari; præclaramque illam bellandi ſcientiam bono Orbis Chriſtiani in uſum reduci poſſit, quæ jam mille & quadrigentis abhinc annis vigorem ſuum paulatim amittere & tandem exſtingui prorſus cœpit: Sic ut ab eo tempore nemo exſtiterit, qui oblivione ſepultam

revocare allaboraverit, vel ſaltem in ſpem venerit, eam ſpiritu quaſi vitali recepto unquam renaſci poſſe. Quod quidem eam ob cauſam eveniſſe exiſtimo, quod cum militia ipſa, nobiliſſima quæque exercitia, arteſque humanæ, & ſplendor gloriaque ſcriptorum & ſcientiarum una interire cœperint. Equidem, benignius fatum expertæ ſunt ſcientiæ, dum multa tandem poſt ſæcula complures divini ingenii viri exſtiterunt, omnem ſuam operam & induſtriam eo conferentes, ut ab Orco quaſi literas revocarent, omnemque illis ſitum detergerent, idque adeo feliciter, ut nihil hodie ad priſtinum ſplendorem & nitorem illis deeſſe videatur. Verum, qui in militia veterum Orbi reddenda, & ex tenebris in lucem eruenda, eodem modo elaboraverit, nemo adhuc repertus eſt: Vel, ſi quiſquam exſtitit, qui operi huic manum leviter admoverit, is cum eodem quaſi habitu lacero & ſqualido ſedentem eam exhibuit, cum quo olim ſepulta fuit; neque id egit, ut eam humo penitus erigeret, & ab omni quaſi pulvere & ſitu purgaret, cum quo tot jam ſæculis miſere conflictata eſt. Hanc indignam ejus fortunam cum ex illuſtrium auctorum lectione animadvertiſſem, dolore & miſeratione commotus, animo mecum reputare cœpi, qua ratione auxiliatrices ei manus aliquando porrigere poſſem, ita ut ex tenebris in lucem protracta, & motu quodam vitali animata, omnibuſque iis, quæ velut offuſa quadam caligine eam obſcurabant, liberata, fidem omnibus facere poſſet majeſtatis & dignitatis illius, quam olim habuiſſet, & quam auſpiciis magnanimi cujuſdam Principis, operaque viri alicujus ingenioſi hodieque recipere poſſet. In hac ergo re perficienda cum omnem meam curam, cogitationem, mentem denique omnem fixiſſem atque locaſſem, tantum temporis nactus, quantum mihi a graviſſimis incommodis, quibus per annos quinque & viginti expoſitus ſemper fui, vacabat; aggreſſus ſum qua ratione optime potui Rem Militarem Romanorum illuſtrare, eamque redivivam quaſi exhibere, Polybio, Hiſtorico graviſſimo, quem ſupra inter ſcriptores de Re Militari recenſuimus, duce & comite aſſumpto. Ex hujus Hiſtoriarum libris cum multi hodie interciderint, ad ætatem tamen noſtram pervenit fragmentum quoddam, quo continetur deſcriptio Rei Militaris Romanæ, manca quidem & imperfecta; plenior tamen & perfectior quam ulla earum, quæ apud alios ſcriptores leguntur. Hanc deſcriptionem exponere aggreſſus, id operam ſtudioſe dedi, ut eam cum aliis locis & teſtimoniis, quæ non ſolum apud ipſum Polybium, ſed cæteros etiam rerum Romanarum ſcriptores paſſim reperiuntur, conferrem, eamque variis figuris, ſenſum verborum ad oculum repræſentantibus, illuſtrarem. Hujus ego inſtituti jam inde ab initio certiorem feci quendam ex Tuis, Sereniſſ. Domine, miniſtris, qui tum temporis Muſis & præclararum rerum inventionibus favere credebatur, ut ejus beneficio propoſiti mei ratio Tibi innoteſceret. Cauſa, quæ me ad hoc faciendum inducebat, erat fiducia illa gratiæ Tuæ, jam olim haud obſcuris documentis mihi perſpectæ, quæ tantum apud animum meum valebat, ut nihil magis in votis haberem, quam ut occaſionem nanciſcerer, Sereniſſimæ Domui Tuæ animi mei devoti cultum omni tempore declarandi, præſagiente mihi animo felicem illum ſucceſſum, qui poſtea conſecutus eſt. Cæterum poſt id tempus velut turbine quodam adverſæ fortunæ abreptus, iterum in Hiſpaniam delatus fui; unde cum poſt tres annos, continuis laboribus exactos, privatus theſauro quodam veterum librorum Græcorum MSStorum, reverſus eſſem in Italiam, ſalutaris me præſidii Tui umbra excepit, ſub qua tot viros, in omnis generis artibus & ſcientiis excellentes, tam benigne foves, ut nullus ſit Princeps, qui Tecum hac in re comparari poſſit. Cum ergo huc veluti ex diuturna quadam jactatione in portum aliquem optatum perveniſſem, & pulſis ad exortum Sereniſſimæ faciei Tuæ nubilis, velut tranquilla quædam cœli ſerenitas me recrearet, ad Poly-

bium diu intermissum me referre cœpi, eumque tam clare & perspicue, ut ego quidem existimo, exposui, ut unusquisque ex hoc opere instituta militaria Romanorum intelligere facile possit. Equidem instituta illa militaria fuisse omnium optima & perfectissima, satis apparet ex decem his effectibus, qui omnia pene miracula humana excedunt, quosque saluberrima disciplinæ Romanæ ratio produxit.

Horum primus est, Romanos, spatio annorum 642. a morte Numæ usque ad imperium Augusti, continuis bellis gerendis suffecisse, totoque eo tempore non nisi semel, post bellum nempe Punicum primum, templum Jani clausisse, quod signum pacis apud eos habebatur.

Secundus; eos nunquam, quantumcunque vires illorum, vel externis, vel intestinis bellis fractæ essent & accisæ, pacem ab aliis petiisse; præterquam initio crescentis adhuc potentiæ ipsorum a Marco Coriolano cive suo, & a Gallis, qui ipsam Urbem ceperant.

Tertius; eos oblatam novi alicujus belli occasionem nunquam refugisse, vel ea segniter usos esse.

Quartus; eos nunquam veritos fuisse hosti obviam procedere, quem sciebant ad se oppugnandos venire.

Quintus; si hostis venire detrectaret, eos ultro ad ipsum contendisse.

Sextus; eos belli molem in terram hostium, licet maxime remotam, veluti Asiam, Armeniam, Parthiam & Persiam semper transtulisse.

Septimus; eos nunquam hostem fugisse, vel, ne copiam sui facerent, sese occultasse; sed alacres & quasi victoriæ certos, certamini se semper obtulisse, & quamprimum pugnandi occasionem quæsivisse, licet a suorum auxiliis quam longissime abessent.

Octavus; eos semper minore copiarum numero, quam hostes pugnasse.

Nonus; eos a Regifugio, usque ad mortem Augusti, id est, spatio annorum 478. quingenties & quinquagies signis collatis cum hoste conflixisse, ita ut toto eo tempore quadringenties quidem & trigesies septies beneficio solius virtutis & disciplinæ suæ victores ab hoste discesserint; centies vero & decies ter tantum victi fuerint, non sua ignavia, sed vitio Ducum, nunc audacia, nunc negligentia nimia peccantium.

Decimus; eos ab hoste nunquam exutos fuisse castris, quæ quidem ipsi tutari constituissent.

Hi & multi alii effectus similes, uti merito admirationem quandam in omnium animis excitant, ita operæ pretium est eos conferre cum hodierna militia Turcarum, tantopere a nobis formidata. Hi vero nunquam expeditionem aliquam suscipere audent, nisi copiarum numero hostibus longe præstent; & ab eo tempore, ex quo illorum potentia invaluit, qui sunt anni 283. non amplius sex & triginta prœlia cum hoste commiserunt, ex quibus octodecim secunda, totidemque adversa habuerunt. Iidem intra annos centum & viginti, & eo amplius, ex quo Ungariam bello petere cœperunt, non potuerunt eam totam sibi subjicere, quam tamen Romani minus trium annorum spatio in potestatem suam redegerunt; Sic uti antea, intra annos quinquaginta, Europam, Asiam & Africam, idest, totum pæne Orbem, ipsis tunc temporis cognitum, armorum felicitate devicerant. Quare, cum militia Turcarum, quæ hodie tantopere formidatur, comparata cum militia Romana, vel exigui, vel nullius pretii sit; vereor, ne risu digni sint ii, qui, arma quidem Turcarum metuentes, suam tamen bellandi rationem cum arte militari veterum Romanorum contendere audent. Equidem persuasum habeo, priscos illos Romanos, si reviviscerent, non mutaturos esse aciei suæ struendæ ratio-

nem, secus ac communis hodie est opinio, neque minus prospero eventu pugnaturos, post novam illam tormentorum bellicorum inventionem: quoniam, uti ea ordinibus illorum minus nocitura essent, quam nostris, ita quoque minus ipsis, quam nobis, eadem timenda forent. Cæterum, quantumcumque tormenta nostra ænea vulgo formidentur, nondum tamen effecerunt, ut quisquam in Europa ipsorum ope victoriam reportaverit; si discedamus ab Alphonso, gloriosæ memoriæ Avo Tuo, Serenissime Domine, qui ad Ravennam prospere pugnavit. Hic sane æternam laudem consecutus est, quod non solum tormenta hæc ad eam perfectionem perduxerit, quam postea omnes Principes imitati sunt; sed etiam optime illis uti noverit, quod nullus adhuc Princeps imitari potuit. Neque vero ille solum id curabat, ut arte hac hosti nocere posset; sed etiam, ne ipse vicissim ab aliis eadem læderetur, providebat. Testis est Ferraria, quam tam præclaris munivit operibus, ut ea muniendi ratio non solum ubique postea in exemplum abierit, sed & ab oppugnatione urbis istius tres ambitiosos Pontifices deterruerit, qui omnes alios Principes & Respublicas Italiæ vel afflixerunt, vel penitus everterunt. Sic igitur admirabili sua prudentia effecit, ut solus ipse in communi illa Italiæ tempestate non solum parta præclare tueretur, sed etiam amissa, immortali sua cum gloria, recuperaret. Hujus virtutes & excellens animi magnitudo, una cum virtutibus duorum Herculum, qui duorum Alphonsorum patres fuerunt, & tot aliorum illustrium Majorum tuorum, qui admirabili sua prudentia, fortitudine, aliisque virtutibus summis, in Italia & Germania per annos MCC. & eo amplius, Principatum & Imperium familiæ suæ conservarunt: (Quæ res certe miraculo pene similis est, quoniam in Historiis omnium gentium, & Regnorum mundi, nisi de uno forsan aut altero, simile quicquam haud legitur; & tam longo sæculorum decursu, non solum Principes minores & Respublicæ omnium nationum, sed etiam ipsi Reges & Imperatores potentissimi, tam inter Christianos quam Gentiles, torrente quasi temporum & fortunæ abrepti, tandem interierunt:) Horum, inquam, majorum omnium virtus & gloria cum in Te, Serenifs. Princeps, derivata sit; eamque ipse auxeris illustri accessione virtutum tuarum & experientiæ militaris, quam in bellis Italiæ & extra eam auspiciis Imperatorum & Regum sanguine Tibi junctorum gestis, consecutus es; quidni sperare audeam, fore, ut aliquando præclaram illam belli offendentis, uti loquuntur, rationem, veteribus usitatam, revoces? & gloriam majorum, ipsiusque avi Tui, tantum superes, quanto ratio belli offendentis, quam propulsantis, gloriosior & potior esse solet? Quare, si generosum hoc consilium Tuum, Serenifs. Domine, scripta mea aliqua ratione adjuvare poterunt, haud immerito apud Successores Tuos, totumque Orbem, nominis immortalitatem me consecuturum esse, sperare audeo. Quod si vero voto huic eventus non responderit, conatus certe meus contemni non debebit, quoniam ope magnanimi Principis, illorum armorum formidinem Christianis demere volui, quæ, licet per se infirma sint, tanto tamen jam tempore eos maxime terruerunt, & adhuc terrent. Hanc igitur animi sententiam & consilium, uti in præsens satis habeo Tibi, Serenifs. Domine, aperuisse; ita totum me in posterum cultui Tuo devoveo, submisse rogans, velis me Principali Tua gratia perpetuo beare.

Serenitati Tuæ

Devotissimus

FRANCISCUS PATRICIUS.

FRANCISCI PATRICII

RES MILITARIS ROMANA.

TOtum hoc opus de Re Militari Romana, divisum est in partes quindecim, quas eo, quo sequuntur, ordine universas hic exhibebimus, ut Lector de toto opere primo statim intuitu judicare possit.

Pars prima agit de delectu & divisione Tribunorum militarium, quorum dignitas, secundum Imperatorem & Legatos, in exercitu Romano summa erat.

Secunda, de delectu & divisione peditum Legionariorum.

Tertia, de divisione peditum, instituta a Servio Tullio Rege, secundum Dionysium & Livium.

Quarta, de ordinibus Legionum, descriptis a Livio Lib. 8. Dec. 1. Qui locus non magis est celebris, quam difficilis intellectu,

Quinta, de armis, quibus pedites instructi erant, secundum Polybium.

Sexta, de delectu & divisione Centurionum & Tergiductorum.

Septima, de divisione & armatura equitum.

Octava, de sociorum numero, eorumque divisione.

Nona, de forma castrorum, tam simplicium, quam dilatatorum & duplicatorum.

Decima, de legibus, & excubiis castrensibus.

Undecima, de pœnis maleficiorum, & præmiis virtutum.

Duodecima, de stipendio.

Decima tertia, de ratione movendi castra, & ducendi agminis.

Decima quarta de ratione castra metandi, ubi castrametatio Romana cum Græca confertur.

Decima quinta, de modo ordinario & extraordinario instruendi aciem.

Harum partium unaquæque, distincta rursus est in plures sectiones, quas quidem omni adhibita cura & diligentia ordine explicare conabimur, quantumvis eæ multis in locis sint difficillimæ, conferemusque eas non solum cum locis parallelis ipsius Polybii, Livii & Dionysii; sed etiam aliorum Historicorum, qui de rebus Romanis scripserunt.

PARS PRIMA.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Ἐπεὶ δ' ἂν ἀποδείξωσι τοὺς ὑπάτους, μετὰ ταῦτα χιλιάρχους καθιστᾶσι τετταρεσκαίδεκα μὲν, ἐκ τῶν πέντε ἐνιαυσίους ἐχόντων ἤδη στρατείας· δέκα δ' ἄλλους σὺν τούτοις ἐκ τῶν δέκα τῶν λοιπῶν, τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα, τοὺς δὲ πεζοὺς ἕξ.

ROmani, designatis Consulibus, Tribunos Militum creant: quatuordecim quidem ex iis, qui jam quina stipendia annua confecerunt; & decem præterea alios ex iis, qui reliqua dena, si equites; sena vero, si pedites sint, meruerunt.

SEctio hæc, quæ totius operis prima est, difficultate forsan, reliquas omnes longe superat. Hæc ergo ut, quantum fieri potest, dilucide explicetur, non tam ab ipso Polybio, quam ab aliis F auctoribus petendum erit auxilium. Polybius enim, qui circiter annum 550. Urbis Conditæ floruit, & Scipionem Minorem æqualem habuit, quippe quo familiariter usus est, ejusdem in expeditionibus

bellicis comes, dum in Fragmento hoc, quod temporum injuriam effugit, instituta militaria, quibus Romani ipsius ætate usi sunt, describit, adeo obscurus sæpe est, ut necessario ex aliorum auctorum locis huic materiæ lux afferenda sit. Quare, ut difficilem hunc Polybii locum illustrare aggrediar: primo dico, omnibus satis notum esse, binos olim apud Romanos fuisse Consules; & Consulatum summum Romæ Magistratum fuisse, post exactos Reges institutum, eoque honore præditis multorum in Republica negotiorum, præcipue vero delectuum habendorum, bellique gerendi arbitrium & potestatem concessam fuisse. Non dico, penes solos Consules semper hoc jus fuisse, quoniam sæpe contingebat, ut illorum loco Dictatores, & Tribuni militares cum Consulari Potestate, nec non in Provinciis Proconsules, Prætores, Proprætores, & si qua alia erant Magistratuum nomina, hanc potestatem exercerent. Tantum hic loquor de ordinaria belli gerendi apud Romanos potestate, quam Consules tempore Scipionis, non vero ante id tempus, habebant, eoque me ducunt verba ipsa Polybii (*eligunt, edicunt, jubent,*) quibus tempus præsens denotatur. Romani ergo, inquit Polybius, designatis Consulibus, creant viginti quatuor Tribunos Legionum. Hi Tribuni temporibus vetustioribus a Consulibus vel Dictatoribus eligi solebant, non ex tironibus vel militibus belli adhuc inexpertis, sed ex iis, qui jam quina stipendia confecissent. Ex his vero ipsis non nisi quatuordecim creabantur, quoniam reliquos decem, plura stipendia habere oportebat. Ex his enim, peditibus quidem, annos militiæ senos, equitibus vero, denos, prioribus quinque adjicere lex injungebat: Et sic, illi quidem legitimum stipendiorum numerum complevisse censebantur, si annos undecim, hi vero, si annos quindecim militassent. Hic omnis difficultas relinquitur de decem illis annis reliquis, quorum hic Polybius meminit; quoniam inde evinci posse videtur, Romanis quinque annorum militia perfunctis, non nisi dena insuper stipendia merenda fuisse; id quod Livii, aliorumque scriptorum auctoritati repugnare videtur. Illi enim testantur, annum ætatis decimum septimum, initium; & quadragesimum quintum finitum, vacationem demum militiæ Romanis attulisse. Unde sequitur, eis non quindecim tantum, sed integros viginti novem annos militandum fuisse. Et quidem, annum ætatis decimum septimum Romanis militiæ initium fuisse, Livius non solum secundo & quinto, sed etiam septimo libro Decadis tertiæ, clarissime his verbis tradit: *Atque ex iis qui principio ejus belli sexdecim annos nati fuerant, neque militaverant, omnes ærarios fecerunt.* Qui erant sexdecim annos nati, id est, eos jam impleverant; quoniam si eos nondum implessent, non censebantur esse ætate militari, ut Suetonius de Augusto scribit, dicens: *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quanquam expers belli propter ætatem.* Ex quo loco manifestum est, Cæsarem, cum annum decimum sextum ageret, (tot enim annos efficiunt quatuor supra duodecim) nondum ætate militari fuisse, nec, nisi eo finito, ætatem eam ingressum esse. Porro, annum ætatis quadragesimum quintum finitum, Romanis militiæ vacationem dedisse, probatur auctoritate Dionysii, qui libro quarto, ubi Censum secundæ classis a Servio Tullio institutum describit, Διελὼν δὲ, inquit, καὶ τούτων τοὺς ὑπὲρ τετταράκοντα καὶ πέντε ἔτη γεγονότας, ἀπὸ τῶν ἐχόντων στρατεύσιμον τὴν ἡλικίαν, δέκα μὲν ἐποίησε λόχους νεωτέρους. id est, *ex his decem Centurias elegit, eosque, qui quadragesimum quintum annum jam excessissent, divisit ab eis, qui militari adhuc ætate erant.* Ex quibus verbis probatur, eos, quorum ætas intra annum quadragesimum quintum consisteret, adhuc ætate militari fuisse; non vero, qui eum annum jam egressi essent. Tunc enim ætas omnibus vacationem a militia dabat, quod etiam Polybius paulo post his verbis confirmat: ἐξ δεῖ στρατείας τελεῖν κατ' ἀνάγκην, ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς, id est: *Necesse est, ut intra quadragesimum sextum ætatis annum finem stipendiis imponant.* Quare, si omnes annos inter septendecim & quadraginta sex interjectos computes, viginti novem colligentur anni, quibus Romanis militandum fuerit, non vero quindecim, ut significari videtur istis Polybii verbis: *Qui supra quina stipendia, reliqua dena confecerint.* Hæc difficultas ut solvatur, non aliud puto responderi posse, quam, ætatem militarem quidem viginti novem annis definitam fuisse, sed ex illis non nisi quindecim, militiæ laboribus necessario impendendos fuisse, quos annos *stipendia* olim Romani dixerunt. Sententiæ meæ auctorem habeo Cornelium Tacitum, apud quem libro primo, ubi seditio legionum adversus Drusum orta narratur, Percennius seditionis istius dux & auctor hæc verba profert: *Ut singulos denarios mererent, sextusdecimus stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solveretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere?* Et paulo post: *Adclamavere, ut filius Blæsi Tribunus, legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab annis sexdecim.* Quorum verborum sensus esse videtur, seditiosos non recusasse, quo minus unum annum diutius, quam lex & consuetudo Populi R. jubebat, militarent, modo missionem postea consequerentur, & largius ipsis stipendium solveretur: Id quod etiam a Druso expresserunt, auctore Dione libro quinquagesimo quinto. Quare cum milites hi unius anni spontaneam militiam susceperint, manifestum est, nonnisi quindecim annos militiæ, obligatione legis comprehensos fuisse. Quod si etiam annus decimus sextus comprehensus fuit, id post Polybii tempora necesse est usu obtinere cœpisse, quoniam ejus ætate legitimæ militiæ terminus erat annus decimus quintus, ut ipse hoc loco significat. Sed non æque manifestum est, qua ratione quindecim anni militiæ, inter viginti novem annos ætatis militaris divisi fuerint; an nimirum omnes in illorum principio, medio, vel fine continuati fuerint; an vero alternis vicibus annum militiæ annus vacationis exceperit. In qua quidem re non aliam regulam quam necessitatem secutos esse Romanos arbitror. Nam in obsidione Vejorum militia decem annis continuabatur; & libro quarto Decadis tertiæ Livius, *Nomina*, inquit, *omnium ex juniorum* (id est, quadraginta quinque annis minorum,) *tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent.* Nimirum cum cives ad militiam non vocabantur, licebat ipsis plures annos continuos domi manere; & uti hoc casu certam habebant vacationem, ita, exigente necessitate, non tantum quindena, sed interdum etiam vicena stipendia illis facienda erant, uti paulo post Polybius docebit: uno Livius libro tertio Decadis primæ memorat, Scaptium quendam vicena stipendia meruisse; & testem quendam, contra Oppium productum, viginti septem annos militasse. Et postea quidem, temporibus bellorum civilium, & imperantibus Romæ Augustis, usu, ut credo, invaluit, ut milites Romani trigenos, vel etiam quadragenos annos mererent. Nam idem Percennius, cujus paulo

ante mentio facta, his verbis apud Tacitum militum animos exasperat: *Satis præter annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent.* Ut igitur ad Polybium nostrum revertamur: electis Tribunis quatuordecim ex iis, qui annua quina stipendia habebant, reliqui decem creabantur ex illis, qui vel sena reliqua, si pedites; vel dena, si equites essent, præter quina priora, meruissent. Et quidem duas ob rationes crediderim pedites hac prærogativa præ equitibus gavisos esse, ut, cum undecim annorum militia perfuncti essent, secundo Tribunorum ordini inseri possent, secus ac equites. Primo, quia pedites pluribus in bello periculis erant expositi, majoresque eis exantlandæ erant molestiæ, quam equitibus: Deinde, quia Romani plus momenti in peditibus,

A

quam equitibus situm esse putabant. Et, si verum est, quod Polybius paulo post monet, neminem potuisse ad Magistratum aliquem in Republ. adspirare, quin decem annos militasset; aperte hinc colligitur, Tribunis his decem secundi ordinis, aditum ad honores & magistratus civiles jam patuisse, & proinde eos dignitatis non exiguæ fuisse. Sed nascitur hic dubium aliquod; Equitem nempe, quoniam legitimo quindenorum stipendiorum numero impleto, ad Tribunatum demum aditus ei patebat, necessario diutius militare debuisse, quam lege teneretur. Ad hoc, quoniam nihil aliud, quod quidem ad rem faciat, succurrit, respon-

B

deo, Romanos hac arte usos esse, ut equites, spe istius honoris, qui ex summis militiæ erant, ut infra demonstrabitur, velut illecebra quadam captos, diutius in militia retinerent.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Oὓς δεῖ ϛρατείας τελεῖν κατ᾽ ἀνάγκην ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἕξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς, πλὴν τῶν ὑπὸ τὰς τετρακοσίας δραχμὰς τετιμημένων· τούτους δὲ παριᾶσι πάντας εἰς τὴν ναυτικὴν χρείαν· ἐὰν δέ ποτε κατεπείγῃ τὰ τῆς περιστάσεως, ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ ϛρατεύειν εἴκοσι ϛρατείας ἐνιαυσίους.

EOs enim stipendia militiæ intra quadragesimum ætatis annum adimplere necesse est, exceptis iis, qui infra quadringentas drachmas censi sunt, quos omnes ad usum nauticum reservant. Quod si necessitas aliquando urgeat, pedites annua vicena stipendia facere oportet.

PRima & ultima verba hujus sectionis, ob ea quæ jam supra disputata sunt, nova explicatione non egent. At media illa, de reservatis ad usum nauticum, minus bene cum præcedentibus & sequentibus cohærere videntur, neque satis convenire cum censu Servii Tullii. Ille enim, ut Dionysius aperte tradit, minimum censum esse voluit, minas duodecim & dimidiam, qui conficiunt ducentos & quinquaginta Ducatos Venetios, sive bis mille & quingentas drachmas, sive Marcellos vel Julios. Et qui censum minorem habebant, tam secundum Livium, quam Dionysium, a militia & tributis immunes erant. Inter hos igitur procul dubio etiam fuerunt, qui drachmis quadringentis censebantur, quoniam hæc vix sexta pars est census minimi. Huic difficultati, ut occurratur, meo quidem judicio dicendum est, temporibus Tullii Romanos nondum habuisse copias navales, neque iis uti cœpisse ante annum 489. Urbis conditæ, sive annum 313. post censum institutum. Tunc enim, pro ratione temporum ob novam rem, nova quoque lege, pauperiores obstringi cœperunt. Sed hic

C

aliud rursus existit dubium; quodnam nimirum fuerit munus eorum in Republica, quorum census drachmas quidem quadringentas, sive totidem Julios excedebat, attamen ad bis mille & quingentas non pertingebat. Ego quidem ingenue fateor, mihi nullum auctoris cujuspiam testimonium succurrere, ex quo huic quæstioni lux affulgere possit. Aliam insuper dubitandi occasionem nobis præbent verba Polybii, eo quod nimirum affirmare videatur, eis, qui usui nautico essent destinati, quadragesimum sextum ætatis annum non fuisse laborum & militiæ terminum. Iniquum vero videtur, eos simul & paupertatis & ætatis beneficio

D

privatos fuisse. Ne dicam, omnium hominum, postquam ætatem militarem jam excesserunt, vires minui & debilitari solere, præcipue vero eorum, qui militiæ navalis molestias perpessi fuerunt, multo utique majores, quam quibus milites terra expositi esse solent. Sed hoc dubium a nobis solvi non potest, quoniam & auctoritate & conjectura, quæ testimonio alicujus Scriptoris nitatur, destituimur.

SECTIO III.

POLYBIVS.

Πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον, ἐὰν μὴ δέκα ϛρατείας ἐνιαυσίους ᾖ τετελεκώς.

URbanum vero magistratuum non ante capere cuiquam licitum est, quam decem annos militando exegerit.

TRia ex his verbis observari possunt. Primum, quanto studio Romanæ leges civibus suis militiam commendaverint & injunxerint. Quoniam enim omnibus iis aditus ad Magistratus urbanos præclusus erat, qui nondum decem annos militassent: solo virtutis tramite inter eos ad honores grassandum erat. Alterum; non ante annum æta-

E

tis vigesimum septimum muniis publicis quenquam inter Romanos admotum fuisse, qua ætate, id jam longo rerum usu homines plerumque solent esse consecuti, ut alios apte regere possint. Tertium; cives, qui ad Magistratum aliquem urbanum adspirarent, decem annos continuos, nulla vacatione interposita, a primo militiæ anno, stipendia

merere debuisse. Quare, si in delectu habendo a Consulibus non vocarentur ad militiam, sponte in bellum proficiscebantur, quod multos fecisse legimus. Præterea notandum, Polybium hic loqui de Magistratu urbano, quoniam ad honores militares, ut supra dictum, ii jam admittebantur, qui A quina tantum stipendia fecissent. Magistratus urbani quinque tantum fuisse videntur, qui Patriciis competerent, Quæstura nimirum, Ædilitas, Prætura, Censura, & Consulatus. Plebeiis iidem quoque patebant, & præterea Tribunatus Plebis, a quo Patricii excludebantur.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Ἐπὰν δὲ μέλλωσι ποιεῖσθαι τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν, οἱ τὰς ὑπάτους ἔχοντας ἀρχὰς, προλέγουσιν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ δεήσει παραγενέσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἡλικίαις Ῥωμαίους ἅπαντας· ποιοῦσι δὲ τοῦτο καθ᾽ ἐνιαυτόν.

Quando igitur Consules delectum habituri sunt, diem edicunt Populo, qua omnes, quibus est ætas militaris, conveniant: Et hoc faciunt quotannis.

Dies edicebatur, missis per urbem Romam, nec non alias urbes præconibus, ut legitur apud Dionysium libro quarto & alibi. Die igitur per præconem publicata, in Capitolio vel Campo Martio conveniebant omnes, qui ætate militari erant, a decimo septimo scilicet anno, ad quadragesimum usque quintum finitum, ut jam ante diximus, & in eos, qui se non sistebant, severe animadvertebatur. Non enim, qui aberant, fallere poterant Consules, quandoquidem a Servio Tullio institutum erat, ut omnes qui morerentur vel nascerentur in tabulas publice referrentur, ut adeoque neque numerus Populi, neque ætas singulorum civium, Consules lateret. Cum convenissent, fortitione facta tribus evocabantur, & ex iis cives singuli citati ad nomen respondere tenebantur. Et hoc est, quod adeo frequenter apud auctores legitur, *nomen dare*. Addit Polybius, B istud quotannis factum fuisse, id est, quotannis novas Legiones & milites conscriptos fuisse. Nam Consules quotannis creabantur, & creati binas singuli delectu habito conscribebant Legiones. Neque id mirum est, quoniam Romani pene continuis distinebantur bellis, si ea tempora excipias, de quibus Livius libro Decad. I. ita scribit: *Janum ad infimum Argiletum indicem Pacis bellique fecit: Apertus, ut in armis esse civitatem; clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numæ regnum clausus fuit: Semel T. Manlio Consule, post Punicum primum perfectum bellum: Iterum, quod nostræ ætati Dii dederunt, ut videremus post bellum Actiacum ab Imperatore* C *Cæsare Augusto, pace terra marique parta.* Quare cum singulis annis bellum gererent Romani, & novos Consules crearent, novas etiam Legiones identidem scribere solebant.

SECTIO V.

POLYBIUS.

Τῆς δὲ ἡμέρας ἐπελθούσης, καὶ τῶν στρατευσίμων παραγενομένων εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ μετὰ ταῦτα συναθροισθέντων εἰς τὸ Καπιτώλιον, διεῖλον σφᾶς αὐτοὺς οἱ νεώτεροι τῶν χιλιάρχων, καθάπερ ἂν ὑπὸ τοῦ δήμου κατασταθῶσι, ἢ τῶν στρατηγῶν, εἰς τέτταρα μέρη.

Ubi dies adest, & omnis militaris juventus Romam convenit, & in Capitolio Congregata est, juniores Tribuni dividunt se eo ordine, quo à Populo vel Imperatoribus constituti sunt, in quatuor partes.

Dicit auctor, *ubi juventus Romam convenit*, quoniam magna pars juniorum in agris extra Urbem habitabat, agriculturæ dedita, ut Dionysius aperte testatur. Ætas militaris, ut jam dictum est, omnes annos comprehendebat, qui inter annum decimum sextum finitum, & quadragesimum sextum ineuntem erant interjecti. Et cum in Ca- D pitolio, vel etiam aliquando in Campo Martio omnes congregati essent, Tribuni juniores, id est, quatuordecim priores, se dividebant in quatuor partes, eo ordine quo a Populo, tempore Polybii, vel, ut alias, a Consulibus, & nonnunquam a Dictatoribus constituti, & huic vel illi Legioni, ut mox sequetur, adtributi erant.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Διὰ τὸ τέτταρα παρ᾽ αὐτοῖς στρατόπεδα τὴν ὁλοσχερῆ καὶ πρώτην διαίρεσιν τῶν δυνάμεων ποιεῖσθαι.

Idque ideo, quia apud Romanos summa & prima divisio copiarum est in quatuor Legiones.

Moris erat apud Romanos ætate Polybii & E ante eam, Consulibus non plus quatuor dare Legiones, singulis binas; paucissimis temporibus exceptis, quibus singuli ternas, ut legitur apud Livium lib. 2. Dec. I. Dictator vero quatuor habuisse legitur. Et quamvis bello Punico secundo acciderit, ut viginti tribus Legionibus Romani rem gererent, Consules tamen non plus qua-

tuor habebant. Reliquis vel Prætores vel Proconſules imperabant. Dictatori quidem quatuor vel plures aliquando datæ leguntur, ob ſummam in Republica auctoritatem & poteſtatem, quæ ipſi A conceſſa erat. Temporibus tamen ſequentibus, Conſulibus quoque plures Legiones commiſſæ fuerunt, & Cæſari quidem in Gallia octo, tandem vero decem, datæ ſunt.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Καὶ τὰς μὲν πρώτας κατασαθέντας τέτταρας, εἰς τὸ πρῶτον καλέμενον ςρατόπεδον ἔνειμαν. Τὰς δ᾽ ἑξῆς, εἰς τὸ δεύτερον. Τὰς δ᾽ ἑπομένους τέτοις τέτταρας, εἰς τρίτον· τρεῖς δὲ τὰς τελευταίας εἰς τὸ τέταρτον.

ET quatuor quidem Tribunos, qui primi creati fuerunt, Legioni, quam vocant Primam, adtribuunt; tres proximos, Secundæ; quatuor alios, Tertiæ; tres noviſſimos, Quartæ.

QUæras hic, quomodo nondum ulla Legione conſcripta, Tribuni ſe in quatuor partes dividere potuerint, ita ut primi quatuor primæ Legioni, tres proximi ſecundæ, & alii deinceps aliis attribuerentur? Occurrimus, eos jam ante vel a Populo, vel aliis Magiſtratibus iis Legionibus deſtinatos fuiſſe, quæ poſtea demum conſcribendæ, & diſcriminis gratia nomine Primæ, Secundæ, & deinceps, appellandæ erant. Et quidem uſus iſte, Legiones ab ordine ita denominandi, obtinuit uſque ad tempora Alexandri B Severi, ſub quo Dion vixit, cujus verba libro XXXVIII. hæc ſunt: *Sic enim ſecundum ordinem delectuum Romanæ legiones nominantur, hodieque eadem ratione cognomenta ſua ſortiuntur.* Apud Cæſarem Legiones iiſdem numerorum nominibus diſtinguuntur, & appellantur, ſexta, octava, decima, duodecima; uti & apud alios auctores. Dion loco allegato memoriæ prodit, ſub Veſpaſiano Legiones triginta ſeptem ſcriptas fuiſſe, nominibus numerorum appellatas, quæ apud ipſum legi poſsunt.

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Τῶν δὲ πρεσβυτέρων δύο μὲν τὰς πρώτας, εἰς πρῶτον· τρεῖς δὲ τὰς δευτέρας, εἰς τὸ δεύτερον τιθέασι ςρατόπεδον· δύο δὲ τὰς ἑξῆς, εἰς τὸ τρίτον· τρεῖς δὲ τὰς τελευταίας, εἰς τὸ τέταρτον.

SEniorum vero Tribunorum duos quidem primo creatos, Primæ adſignant Legioni; tres ſequentes, Secundæ; duos proximos, Tertiæ; denique tres ultimos, Quartæ.

NOn ſolum quatuordecim Tribunos juniores, verum etiam decem ſeniores in quatuor partes dividebant, ita ut quatuor junioribus, primæ Legioni aſſignatis, duos veteranos adderent; aliis tribus, ſecundæ aſſignatis, tres: Et rurſus aliis quatuor, tertiæ Legioni aſſignatis, duos; & tribus ultimis, quartæ Legioni adtribu- C tis, tres: mirabili judicio, longo jam bellorum uſu & experientia ſatis edoctos, immiſcentes iis, qui rei militaris minus erant periti, ut peccata juniorum a ſenioribus & prudentioribus corrigi poſſent. Hinc ergo patet, partitione eo modo facta, in quolibet exercitu Conſulari ſeptem juniores, & quinque ſeniores Tribunos fuiſse.

PARS SECUNDA.

De Electione & Diviſione Peditum.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Γενομένης δὲ τῆς διαιρέσεως καὶ κατασάσεως τῶν χιλιάρχων τοιαύτης, ὥςε πάντα τὰ ςρατόπεδα τὰς ἴσας ἔχειν ἄρχοντας· μετὰ ταῦτα καθίσαντες χωρὶς ἀλλήλων κατὰ ςρατόπεδον, κληρῶσι τὰς φυλὰς κατὰ μίαν καὶ προσκαλῶνται τὴν ἀεὶ λαχῶσαν.

PEracta vero electione & diviſione Tribunorum, ita ut ſingulæ legiones pari numero duces habeant: cujuſque Legionis Tribuni ſeparatim poſtea ſedentes, ſigillatim tribus ſortiuntur, &, ut cuique ſors obvenit, evocant.

FActa hoc modo diviſione viginti quatuor Tribunorum, ſingulis Legionibus, quarum quatuor erant, ſex aſſignabantur, ita ut Duces pari in omnibus eſsent numero. Senis his Tribunis D ſeorſim ſedentibus, ſortitio tribuum fiebat, ſalubri ſane inſtituto & conſilio prudentiſſimo. Sors enim, quoniam a Deo regi credebatur, nec gratiæ vel odio ullus in ea locus erat, omnem æmulatio-

nem, & ex ea nascentes plerumque in societate civili seditiones, facile tollebat. Sortitione hac fiebat, ut cujus tribus sors prima exiret, primo quo-

A que evocaretur; secundo, cujus altera, & sic deinceps reliquæ. Hæc omnia quam fieri potuit optime in sequenti figura repræsentavimus.



SECTIO II.

POLYBIUS.

Ἐκ δὲ ταύτης ἐκλέγουσι τῶν νεανίσκων τέτταρας ἐπιεικῶς τοὺς παραπλησίους ταῖς ἡλικίαις καὶ ταῖς ἕξεσιν. Προσαχθέντων δὲ τούτων, λαμβάνουσι πρῶτον τὴν ἐκλογὴν οἱ τοῦ πρώτου στρατοπέδου, δεύτεροι δ' οἱ τοῦ δευτέρου, τρίτοι δ' οἱ τοῦ τρίτου, τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ τετάρτου. Πάλιν δ' ἄλλων τεττάρων προσαχθέντων λαμβάνουσι πρῶτοι τὴν αἵρεσιν οἱ τοῦ δευτέρου στρατοπέδου, καὶ ἑξῆς οὕτως· τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ πρώτου. Μετὰ δὲ ταῦτα ἄλλων τεττάρων προσαχθέντων, πρῶτοι λαμβάνουσι οἱ τοῦ τρίτου στρατοπέδου, τελευταῖοι δ' οἱ τοῦ δευτέρου. Καὶ ἀεὶ κατὰ λόγον οὕτως ἐκ περιόδου τῆς ἐκλογῆς γινομένης, παραπλησίους συμβαίνει λαμβάνεσθαι τοὺς ἄνδρας εἰς ἕκαστον τῶν στρατοπέδων.

Ex ea Tribu quatuor juvenes eligunt, ætate & habitu corporis propemodum pares. His accedere jussis, primi electionem faciunt primæ legionis Tribuni; secundi, secundæ; tertii, tertiæ; novissimi, quartæ. Rursusque aliis quatuor productis, primi eligunt secundæ Legionis Tribuni, & sic deinceps: ultimi vero primæ. Postea aliis quatuor denuo adductis, primi delectum habent tertiæ Legionis Tribuni; ultimi, Legionis secundæ. Et ita electione semper in orbem eunte, evenit, ut pares capiantur in quamque legionem milites.

Verba hæc Polybii per se satis clara sunt, & præterea omnia, quæ Polybius iis significare voluit, figura addita declarat. Sed quæri hic potest, ob quam causam quatuor illos electos Polybius vo-

B cet juvenes, cum ex eadem Tribu non solum Velites eligendi essent, qui erant juvenes florenti ætate, & Hastati; sed etiam Principes & Triarii, milites ætatis maturioris? Ad hanc quæstionem re-

ſponderi poteſt, Servium Tullium, cum in claſſes A & centurias Populum deſcriberet, centurias in juniores & ſeniores diviſiſſe, & nomine juniorum, ut ex Dionyſio patet, omnes eos comprehendiſſe, qui quadraginta quinque annis minores eſſent. Et hi tenebantur foris militare. Nomine ſeniorum reliqui omnes appellabantur, iſta ætate majores, quibus defenſio ipſius Urbis Romæ committebatur. Quare cum Principes & Triarii ex illorum numero eſſent, quibus foris militandum erat, nomine juniorum comprehendebantur; quamvis iidem veterani quoque dicti fuerint, comparati cum Velitibus & Haſtatis, qui ætate & rei bellicæ peritia illis inferiores erant.

SECTIO III.

POLYBIUS.

OΤαν δ' ἐκλέξωσι τὸ προκείμενον πλῆθος (τοῦτο δ' ἐστὶν ὁτὲ μὲν εἰς ἕκαστον στρατόπεδον πεζοὶ τετρακισχίλιοι καὶ διακόσιοι, ποτὲ δὲ πεντακισχίλιοι, ἐπειδὰν μείζων τις αὐτοῖς προφαίνηται κίνδυνος) μετὰ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς, τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίοις. νῦν δὲ προτέρους πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς. Καὶ ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον.

POſtquam conſcripſerunt, quam propoſuerant, multitudinem: quæ eſt quandoque in ſingulas Legiones peditum quaternum millium & ducentorum; aliquando quinum millium, quoties majus aliquod periculum impendere videtur. Equites, olim quidem poſt quater mille ducentos pedites eligebant, nunc vero priore loco conſcribunt pro ratione cenſus a Cenſore initi; atque illorum trecentos unicuique Legioni adſignant.

TAntus plerumque fuit numerus peditum in B unaquaque Legione, quantum hic Polybius dicit. Cæterum obſervavi, aliquando pauciores pedites, aliquando vero plures in iis fuiſſe, veluti 3000. 3200. 4000. 4200. 5000. 5200. 6000. 6200. quos quidem numeros nunquam excesſerunt, ob commoditatem eos diſpeſcendi & deſcribendi in manipulos, centurias & cohortes. Sic quoque moris erat ordinarii, ut equites in ſingulis Legionibus trecentos implerent: Attamen reperio eoſdem & 200. & 220. & 250. & 300. & 320. & 330. & 350. & 400. interdum impleviſſe, uti alio loco demonſtrabitur. Quod vero Polybius obſervat, equi- C tes olim quidem poſt pedites electos fuiſſe, ſua vero ætate ante eoſdem, & quidem a Cenſoribus, parum ad rem facit. Sed quod idem addit, ex cenſu ſcriptos fuiſſe, duplicem recipit ſenſum; vel, neceſſe fuiſſe, ut equites eſſent ex numero opulentiorum, & eorum, qui primum Cenſum haberent, ſecundum inſtitutionem Servii Tullii; vel, Cenſores non habita ratione primi vel ſecundi, vel cujuſcunque alterius Cenſus, id tantum ſpectaſſe, an quis tantas haberet facultates, ut equum emere & alere poſſet. In hac tamen re nihil definio, quoniam deſtituor teſtimoniis auctorum. Cæterum res miratu digna eſt, Servium Tullium, cum Equites ad primum Cenſum retuliſſet, ſive numero eorum, qui opulentiſſimi erant, adſcripſiſſet, illis tamen dena millia æris, ſive octingenos & tricenos ternos Julios publice præberi juſſiſſe ad emendum equum; & ad eundem alendum, viduis bina millia æris, ſive centenos ſexagenos ſenos Julios, imperaſſe. Nimirum conjicere inde licet, illorum divitias non adeo magni momenti fuiſſe. Mos iſte duravit annos centum & ſeptuaginta ſeptem, uſque ad obſidionem Vejorum, de quo tempore Livius ita ſcribit: *Cum repente, quibus Cenſus equeſter non eſſet, equi publici non erant aſſignati, conſilio prius inter ſeſe habito, Senatum adeunt, factaque dicendi poteſtate, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt.* Et poſt addit: *Et tum primum equis merere equites cœperunt.* Certum tamen ſtipendium iis decretum fuit: *Et equis certus numerus æris eſt aſſignatus.* Eodem bello cum Vejentibus, peditibus quoque ſtipendium aliquod præberi cœpit, cum ante id tempus per trecentos quinquaginta octo annos ſuo ære militaſſent, ut Livius lib. 4. Dec. I. docet. Videtur tamen mos equum publicum præbendi, poſtea eſſe revocatus, quoniam apud eundem Livium lib 4. Dec III. hæc verba leguntur: *His, ſuperioribuſque illis equi adempti qui publicum equum habebant.* Apud eundem lib. 7. & 10. ubi de duobus Cenſoribus equum publicum habentibus agitur, & lib. 9. Dec. IV. eadem legas.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

ΕΠιτελεσθείσης δὲ τῆς καταγραφῆς τὸν προειρημένον τρόπον ἀθροίσαντες τοὺς ἐπιλελεγμένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων καθ' ἕκαστον στρατόπεδον, καὶ λαβόντες ἐκ πάντων ἕνα τὸν ἐπιτηδειότατον, ἐξορκίζουσιν, Η μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν. Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ' ἕνα προπορευόμενοι, τοῦτ' αὐτὸ δηλοῦντες, ὅτι ποιήσουσι πάντα καθάπερ ὁ πρῶτος.

PEracto delectu, eo, quo diximus, modo, Tribuni militum ſuæ quiſque Legionis, eos, qui fuerunt conſcripti, congregant, atque unum ex omnibus eligentes maxime idoneum, ſacramento adigunt, ſe obtemperaturum omnino, & quicquid a Ducibus mandatum fuerit, facturum pro viribus. Reliqui autem omnes alter poſt alterum procedentes, & in eadem verba jurantes, promittunt ſe omnia facturos, ſicut ille primus.

MUltum intererat, unum ex omnibus maxime D idoneum eligere, eumque ſacramento adigere, quem reliqui omnes ſequerentur, eadem ſe, quæ ille, facturos, religioſe promittentes. Tria vero, ut ego quidem ſentio, hunc præ aliis idoneum potiſſimum reddebant. Primum erat, religio

& pietas; alterum, animi fortitudo; tertium, prudentia & rei bellicæ peritia. Postremum requirebatur, ut Ducibus suis parere sciret: duo priora, ut & metu Numinis id facere vellet, neque per ignaviam imperia exsequi detrectaret. Qui sacramento adigebantur, manum dextram elevabant, porrecto pollice, quem proinde filiis infantibus a A patribus suis præcidi nefas erat, quoniam, qui eo mutilati erant, rite sacramento se obstringere non poterant, atque ideo a militia immunes erant. Qui vero hujus doli & facinoris comperti erant, in eos graviter animadvertebatur. Verba sacramenti secundum Dionysium lib. 9. hæc erant: *Ex animi mei sententia*

SECTIO V.

POLYBIUS.

Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς οἱ τὰς ὑπάτους ἀρχὰς ἔχοντες, παραγγέλλουσι τοῖς ἄρχουσι τοῖς ἀπὸ τῶν συμμαχίδων πόλεων τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας, ἐξ ὧν ἂν βούλωνται συστρατεύειν τοὺς συμμάχους, διασαφοῦντες τὸ πλῆθος καὶ τὴν ἡμέραν καὶ τὸν τόπον, εἰς ὃν δεήσει παρεῖναι τοὺς κεκριμένους. Αἱ δὲ πόλεις παραπλησίαν ποιησάμεναι τῇ προειρημένῃ τὴν ἐκλογὴν καὶ τὸν ὅρκον ἐκπέμπουσιν, ἄρχοντα συστήσασαι καὶ μισθοδότην.

Eodem quoque tempore Consules denunciant Magistratibus Sociarum in Italia Civitatum, ex quibus auxilia sibi mitti volunt, & numerum & diem locumque ad conveniendum edicunt iis, qui lecti fuerint. Civitates, conscriptos a se milites, eodem, quem diximus, modo, & jurejurando adactos, Duce etiam & Quæstore constituto, mittunt.

PRæter binas Legiones civium, Consulibus adtributas, exercitum quoque Sociorum Romani habebant, totidem peditibus, quot ipsorum, duplo vero equitum numero constantem. In peditibus, ut ex Livio discimus, non raro variatum fuit, quamvis non adeo multum. Neque Livius solum tacet de duplo equitum numero in exercitu Sociorum, sed raro etiam illorum numerum definit. Descriptiones Ordinum, & arma Sociorum similia erant Romanis, ut Polybius hoc loco docet; & apud Dionysium legitur, Volscos, antequam facti essent Socii, a Marco Coriolano doctos, more Ro- B manorum milites suos armare, aciemque instruere cœpisse. Inter Latinos vero id multo clarius affirmat Livius, ut paulo post videbitur. Morem hunc Romanorum & alii Populi extra Italiam postea imitati sunt, veluti nonnulli Asiatici, & Cherusci in Germania. Sæpe quoque apud Livium Consules Sociis scripsisse leguntur, *ut militem ex formula, ex fœdere, ex instituto darent.* Quam quidem formulam variam olim fuisse credendum est, prout civitates, ad quas scribebant, vel coloniæ, vel municipia, vel præfecturæ essent, & prout numero hominum vel opibus valerent.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Οἱ δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ χιλίαρχοι μετὰ τὸν ἐξορκισμὸν παραγγείλαντες ἡμέραν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ, καὶ τόπον, εἰς ὃν δεήσει παρεῖναι χωρὶς τῶν ὅπλων, τότε μὲν ἀφῆκαν. Παραγενομένων δ' εἰς τὴν ταχθεῖσαν ἡμέραν, διαλέγουσι τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους, εἰς τοὺς γροσφομάχους· τοὺς δ' ἑξῆς τούτοις, εἰς τοὺς ἀστάτους καλουμένους· τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις, εἰς τοὺς πρίγκιπας· τοὺς δὲ πρεσβυτάτους, εἰς τοὺς τριαρίους. Αὗται γάρ εἰσι καὶ τοσαῦται διαφοραὶ παρὰ Ῥωμαίοις καὶ τῶν ὀνομασιῶν, καὶ τῶν ἡλικιῶν, ἔτι δὲ καὶ τῶν καθοπλισμῶν ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ.

Tribuni vero Romæ, militibus jurejurando adactis, Legioni cuique diem & locum ad conveniendum sine armis denunciant, & tunc quidem omnes dimittunt. Cæterum ubi ad dictam diem convenerunt, natu minimos & pauperrimos Tribuni seligunt in Velites; proximos his, in Hastatos, quos ita vocant; ætate florentissimos, in Principes; natu maximos, in Triarios. Tot enim & tales sunt apud Romanos differentiæ appellationum, ætatum & armorum in unaquaque Legione.

TRia his verbis continentur; facultates nimirum, ætates, & appellationes militum Romanorum. Appellationes & ætates erant quatuor. De facultatibus sive patrimonio nihil aliud hic dicitur, quam Velites omnium minimas habuisse opes. Et hic secundus quidam erat delectus eorum, qui antea, modo supra exposito, ex Tribubus selecti erant, eoque quatuor constituebantur C militum genera pro differentia ætatum, quorum neque Dionysius, neque Livius in censu Servii Tullii ullam mentionem fecit. Illi enim solius census sive patrimonii, in distinguendis his quatuor militum generibus, rationem habuerunt, non etiam ætatis, quæ, usque ad annum quadragesimum quintum, *militaris* dicebatur. Sed hac de re inferius plura.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Διαιροῦσι δ᾽ αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστ᾽ εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους καὶ τριαρίους προσαγορευομένους ἑξακοσίους, τοὺς δὲ πρίγκιπας χιλίους καὶ διακοσίους, ἴσους δὲ τούτοις τοὺς ἀστάτους, τοὺς δὲ λοιποὺς καὶ νεωτάτους γροσφοφόρους.

ITa autem hos dividunt, ut ætate maxime provecti, qui Triarii dicuntur, sint numero sexcenti; Principes, mille ducenti, totidemque Hastati; reliqui vero & natu minimi, Velites.

SI ordinariam Romanorum Legionem cum auctore nostro quater mille ducentis militibus constitisse statuamus, ex iisque, per secundam hanc electionem, sexcentos Triariorum ordini adtribuamus; reliqui, ter mille sexcentos implebunt. Quibus si demas Principes, numero mille ducentos, totidemque Hastatos; Velites, pari numero, sive mille ducenti, restabunt. Sed quoniam ratio disponendi ordinandique legionem a Polybio hic descripta multum discrepat ab ea, quam Livius lib.8. Dec.I. tradit; neutra vero convenit cum ea, quam Servius Tullius instituit, de- A scriptam ab eodem Livio & Dionysio Halicarnasseo, haud abs re me facturum putavi, si tres has descriptiones in medium productas inter se contenderem, easque per partes diligenter explicarem, ne in posterum confundantur illi, qui historiam Romanam non perfunctorie legere in animo instituerunt. Primo ergo loco ponam ordinationem Servii Tullii, a Dionysio & Livio de scriptam, quorum ille, exposita ratione, quam Servius Tullius iniit, cognoscendi numerum civium Romanorum, eorumque opes & facultates, hæc subjungit:

PARS TERTIA.

De Censu Servii Tullii.

SECTIO I.

DIONYSIUS.

Μίαν ἀφεῖλεν ἐξ ἁπάντων μοῖραν, ἧς τὸ μέγιστον τίμημα ἦν τῆς οὐσίας, ἐκ ἔλαττον ἑκατὸν μνῶν· τούτους δὲ συντάξας εἰς ὀγδοήκοντα λόχους, ὅπλα φέρειν ἐπέταξεν, ἀσπίδας Ἀργολικὰς καὶ δόρατα, καὶ κράνη χάλκεα, καὶ θώρακας, καὶ κνήμας, καὶ ξίφη. Διελὼν δὲ αὐτοὺς διχῇ, τετταράκοντα μὲν ἐποίησε νεωτέρων λόχους, οὓς ἔδει τῆς νεότητος εἰς πόλεμον ἐξιούσης ἐξέρχεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους τετταράκοντα τῶν πρεσβυτέρων ὑπομένοντας ἐν τῇ πόλει τὰ ἐντὸς τοῦ τείχους φυλάττειν. Αὕτη πρώτη σύνταξις ἦν. Χώραν δὲ κατεῖχεν ἡ νεότης ἐν τοῖς πολέμοις τὴν προαγωνιζομένην τῆς φάλαγγος ὅλης.

EX omnibus elegit partem, cujus census erat maximus, nec minor centum minis. Hanc in octoginta centurias digestam, arma habere jussit clypeos Argolicos, hastas, galeas ex ære, loricas, ocreas, & gladios. Ex his bipertito divisis, quadraginta Centurias juniorum fecit, qui foris bella gererent; totidemque seniorum, qui manerent ad Urbis custodiam. Hæc prima classis fuit: Cujus juventus primum semper in acie locum tenebat, totamque phalangem propugnabat.

LIVIUS.

CEnsum instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: Ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello. Ex iis, qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, LXXX. confecit centurias, quadragenas seniorum ac juniorum. Prima classis omnes appellati. Seniores, ad Urbis custodiam ut præsto essent: juvenes, ut foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clypeum, ocreæ, lorica, omnia ex ære. Hæc ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hastaque & gladius. Additæ huic classi duæ fabrum centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent. Datum munus, ut machinas in bello ferrent.

DUo hæc Livii & Dionysii loca in rebus præcipuis inter se conveniunt, nisi quod locum junioribus primæ classis in acie assignatum Livius silentio prætermisit, quod tamen ob rei momentum faciendum non fuisset. Discrepant etiam in eo, quod Livius, duas fabrum centurias primæ huic B classi; Dionysius vero, secundæ additas esse scribat. Præterea de armis, quibus corpus tegebatur, non idem tradunt, quoniam Livius quidem ea omnia ex ære facta fuisse dicit; Dionysius vero de sola tantum galea id affirmare videtur. Dissentire etiam a se videntur in magnitudine census, quoniam

Dionysius eum facit centum minarum, quarum quælibet continebat centum drachmas, quæ conficiunt centum Julios, sive Marcellos Venetios. Unde ex centum minis existit summa decem millium drachmarum, sive mille Ducatorum Venetiorum. Sed *centum millia æris* apud Livium non videntur ad eandem summam pertingere; quoniam unus as valebat tres Quatrinos Venetios, sive quatuor Lombardicos, æquantes pretio nummum, ut *Soldo* in Italia dicitur: ita ut inde existat summa centum millium solidorum, qui ad Marcellos sive Julios redacti, non plus octies mille trecentos & triginta implent; Ducatos vero Venetios non plus octingentos & triginta tres confi- A ciunt: quam summam Dionysius fere centum & sexaginta septem Ducatis excedit. Quod ad arma adtinet, Livius *Clypeum* vocat, quod Dionysio est *Aspis*; uti infra, quod Dionysius *Thyreon* vocat, Livius reddit *Scutum*: inter quæ hæc intercedebat differentia, quod Clypeus esset ovatus, Aspis vero rotunda, & Scutum quadratum instar januæ. Ea omnia ex ære fuisse, mirum non est, quoniam idem & apud Homerum legitur, & aliæ quoque gentes armis æreis olim usæ fuerunt. Ego etiam ipse in urbe Cypri Baffo loricam quandam totam æream vidi, e terra effossam, eamque antiquissimam esse tunc asserui.

SECTIO II.

DIONYSIUS.

Ἔπειτα ἐκ τῶν ὑπολειπομένων ἑτέραν ἀφῄρει μοῖραν ἧς ἦν ἐντὸς μὲν μυρίων δραχμῶν, οὐ μεῖον δὲ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα μνῶν τὸ τίμημα· συντάξας δὲ αὐτοὺς εἰς εἴκοσι λόχους, τὰ μὲν ἄλλα ὅπλα φορεῖν προσέταξεν, ὅσα τοὺς προτέρους, τοὺς δὲ θώρακας αὐτῶν ἀφεῖλε, καὶ ἀντὶ τῶν ἀσπίδων ἀνέδωκε θυρεούς. Διελὼν δὲ καὶ τούτων τοὺς ὑπὲρ τετταράκοντα καὶ πέντε ἔτη γεγονότας ἀπὸ τῶν στρατεύσιμον ἐχόντων τὴν ἡλικίαν, δέκα μὲν ἐποίησε λόχους νεωτέρων, οὓς ἔδει προπολεμεῖν τῆς πόλεως· δέκα δὲ πρεσβυτέρους, οἷς ἀπέδωκε τειχοφυλακεῖν. Αὕτη δευτέρα σύνταξις ἦν. ἐκοσμεῖτο δ' ἐν τοῖς ἀγῶσι μετὰ τοὺς προμάχους.

E Reliquis deinde aliam selegit classem, cujus census erat intra decem millia drachmarum, non autem infra septuaginta quinque minas. His in viginti centurias divisis eadem dedit arma, nisi quod loricæ illis ademptæ, & scuta pro clypeis data. Hic quoque quadraginta quinque annis majores ab iis, qui erant militari ætate, divisit, & centurias decem juniorum, qui pro patria pugnarent, fecit; totidemque seniorum, quibus mœnium custodia commissa. Huic secundæ classi post propugnatores locus dabatur in acie

LIVIUS.

SEcunda classis intra centum usque ad quinque & septuaginta millium censum instituta. Et ex his senioribus junioribusque viginti conscriptæ centuriæ: Arma imperata, scutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem.

ARma secundæ classi uterque eadem tribuit; quippe Dionysii θυρεὸς, quadratus instar januæ, quæ Græcis θύρα dicitur, respondet *Scuto* apud Livium. Et salubri sane consilio institutum videtur, ut loco clypei rotundi, quo milites primæ classis juxta cum lorica armati erant, militibus secundæ scutum daretur. Scutum enim, quod erat quadratum & longum, eundem pene usum in tegendo corpore iis præbere poterat, quem aliis lorica. Sed causam, ob quam lorica secundæ huic B classi adempta sit, conjicere tantum licet, quoniam auctores nostri ea de re tacent. Servius Tullius ni mirum id ideo fecisse videtur, ne sumptibus nimiis eos oneraret, quod & pauperiores essent prioribus, & suo omnino ære omnes militarent. Quod quidem institutum plus trecentos & quinquaginta duos annos ab Urbe condita duravit. Cæterum Livius hic tacet de ætate militari quinque & quadraginta annorum, & de loco, qui secundis his in acie assignatus fuit.

SECTIO VII

DIONYSIUS.

Τὴν δὲ τρίτην ἐποίει σύνταξιν ἐκ τῶν ὑπολειπομένων, ὅσοι τίμησιν εἶχον ἐλάττονα μὲν τῶν ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων δραχμῶν, οὐ μείονα δὲ μνῶν πεντήκοντα. τούτων δὲ ἐμείωσε τὸν ὁπλισμὸν οὐ μόνον τοῖς θώραξιν, ὥσπερ τῶν δευτέρων, ἀλλὰ καὶ ταῖς περικνημῖσι. Συνέταξε δὲ καὶ τούτοις εἴκοσι λόχους καὶ διεῖλε τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς προτέροις καθ' ἡλικίαν, δέκα λόχους ἀποδοὺς τοῖς νεωτέροις, καὶ δέκα τοῖς πρεσβυτέροις· χώρα δὲ ἡ στάσις ἦν τούτων τῶν λόχων ἐν ταῖς μάχαις καὶ μετὰ τοὺς ἐφεστῶτας τοῖς προμάχοις.

TErtiam classem confecit ex reliquis, quorum census ut ad septies mille & quingentas drachmas non perveniebat, ita L. minis haud erat inferior. Horum armaturam minuit, non modo lorica adempta, ut secundis, sed etiam ocreis. In hac etiam classe viginti constituit centurias, & facto eodem, quo in superioribus, ætatis discrimine, decem centurias juniorum, totidemque seniorum esse jussit. Hi locum & stationem in acie post proximam propugnatoribus classem tenebant.

LIVIUS

LIVIUS.

Tertiæ classis quinquaginta millium censum esse voluit. Totidem centuriæ & hæ, eodemque discrimine ætatum factæ. Nec de armis quicquam mutatum; ocreæ tantum ademptæ.

Nec hic a sese abeunt Livius & Dionysius, nisi quod ille æque ac antea omiserit mentionem loci, tertiæ classi in acie adtributi.

SECTIO IV.

DIONYSIUS.

Ἀφελὼν δὲ πάλιν ἐκ τῶν ὑπολειπομένων τοὺς ἐλάττω πεντακισχιλίων δραχμῶν ἔχοντας οὐσίαν, ἄχρι καὶ εἴκοσι μνῶν, τετάρτην ἐποιήσατο μοῖραν· διέταξε δὲ καὶ ταύτην εἰς εἴκοσι λόχους· καὶ δέκα μὲν ἐποίησε τῶν ἐν ἀκμῇ, δέκα δὲ τῶν ὑπερηλίκων κατὰ ταὐτὰ τοῖς προτέροις. Ὅπλα δὲ φέρειν ἔταξεν αὐτοὺς, θυρεούς τε καὶ ξίφη καὶ δόρατα, καὶ στάσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι τὴν ὑστάτην.

Ex reliquis rursus cum detraxisset, qui minus quinque millibus drachmarum in bonis possiderent, usque ad viginti minas, quartam classem fecit, æque in viginti divisam centurias; decem, ætate florentium; totidemque ætate jam provectiorum, eodem, quo supra, modo. Arma bis data, scuta, hastæ & gladii. Locus assignatus in postrema acie.

LIVIUS.

In quarta classe census quinque viginti millium, totidem centuriæ factæ. Arma mutata, nihil præter hastam & verutum datum.

Quod ad summam census, numerum centuriarum, & hastam adtinet, consentiunt: In reliquis vero armis, inter se discrepant. Dionysius enim præter hastam, tribuit illis scutum & gladium: Livius autem neque gladium neque scutum, sed verutum, tantum sive jaculum. Quamvis mendum in his verbis esse possit, ita ut pro *scutum* positum sit *verutum*: Id quod probabile est, quoniam Romani unum civem servare, quam centum hostes occidere malebant. Scutum autem defensioni haud dubie inserviebat. Auget suspicionem mendi, quod Livius: præter scutum, iis gladium quoque adimat. Hoc enim si verum est, miles, hasta & veruto emissis, neque corporis tegumento, neque telo in hostem instructus, tam ad se defendendum, quam ad hostem lædendum inhabilis prorsus fuisset. Quod quidem peccatum in Regem adeo prudentem & providum cadere non potuisse videtur. De loco quem hi in acie tenuerint, Livius rursus silet.

SECTIO V.

DIONYSIUS.

Τὴν δὲ πέμπτην μοῖραν, οἷς ἐντὸς εἴκοσι καὶ πέντε μνῶν ἄχρι δώδεκα καὶ ἡμίσους μνῶν ὁ βίος ἦν, εἰς τριάκοντα συνέταξε λόχους· διῄρητο δὲ καὶ οὗτοι καθ' ἡλικίαν· πεντεκαίδεκα γὰρ αὐτῶν λόχοι τοὺς πρεσβυτέρους εἶχον· πεντεκαίδεκα δὲ τοὺς νεωτέρους· τούτους ἔταξε σαυνία καὶ σφενδόνας ἔχοντας ἔξω τάξεως στρατεύεσθαι.

Quinta classis illorum erat, quorum facultates censerentur inter viginti quinque minas & duodecim cum dimidia. In hac triginta erant centuriæ pro ætatis ratione pariter divisæ; quindecim seniorum, totidemque juniorum. His imperatum, ut cum jaculis & fundis extra ordinem militarent.

LIVIUS.

Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ: fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant. In his accensi, cornicines, tibicinesque in tres centurias distributi. Undecim millibus hæc classis censebatur.

Arma apud Dionysium & Livium eadem, secus ac census. Ille enim classis hujus censum minarum duodecim & dimidiæ; hic vero, undecim millium, fuisse tradit. Præterea, quod Livius addit de accensis, cornicibus & tibicinibus, discrepat ab eo, quod Dionysius de illis in sequentibus scribit.

SECTIO VI.

DIONYSIUS.

Τέσσαρας δὲ λόχους οὐδὲν ἔχοντας ὅπλον ἀκολουθεῖν ἐκέλευσε τοῖς ἐν ὅπλοις· ἦσαν δὲ τῶν τεττάρων τούτων δύο μὲν, ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατασκευαζόντων τὰ εἰς τὸν πόλεμον χρήσιμα· δύο δὲ, σαλπιστῶν τε καὶ τυμπανιστῶν, καὶ τῶν ἄλλοις τισὶν ὀργάνοις ἐπιση-

μαινόντων τὰ παρακλητικὰ τοῦ πολέμου. Προσέκειντο δὲ οἱ μὲν χειροτέχναι τοῖς δεύτερον ἔχουσι τίμημα, διῃρημένοι καθ' ἡλικίαν, ὁ μὲν τοῖς πρεσβυτέροις, ὁ δὲ τοῖς νεωτέροις ἀκολουθῶν λόχοις· οἱ σαλπισταὶ δὲ καὶ οἱ τυμπανισταὶ τῇ τετάρτῃ συνετάττοντο μοίρᾳ· ἦν δὲ καὶ τούτων εἷς μὲν τῶν πρεσβυτέρων λόχος, εἷς δὲ τῶν νεωτέρων.

QUatuor centurias reliquas absque armis jussit sequi armatos; duas quidem eorum, qui arma, machinas, aliaque bellicis usibus inservientia fabricarent; duas vero tubicinum, & tympanistarum, quique aliis instrumentis canentes militibus pugnæ ineundæ signum darent. Opifices secundæ classi addebantur, tubicines vero & tympanistæ, quartæ, pro ætatis ratione in juniores & seniores divisi.

UTi Dionysius, opifices, quos Livius primæ classi addiderat, ad secundam classem refert; ita in eo quoque dissentit a Livio, quod tubicines, qui secundum ipsum in duas centurias divisi, quartæ classi adtributi erant, secundum Livium A in tres centurias digesti, quintæ adscribantur. Præterea in recensendis instrumentis, quibus classicum canebatur, variant, quia Livius cornuum & tibiarum, Dionysius vero tubarum & tympanorum mentionem facit.

SECTIO VII.

DIONYSIUS.

AΥτη μὲν ἡ διακόσμησις ἦν ἡ τὸ πεζικὸν ἐκπληροῦσα τῶν τε φαλαγγιτῶν καὶ τῶν ψιλῶν στράτευμα.

HIs ordinibus pedester exercitus legionariorum pariter & leviter armatorum explebatur.

MIrum sane alicui videri possit, cur in classium harum descriptionibus, quæ a duobus gravissimis auctoribus memoriæ proditæ sunt, nulla occurrat mentio Legionum, nec Velitum, nec Hastatorum, nec Triariorum, quibus tamen omnis pene Historia Romana plena est. Apud Livium in historia temporum Romuli nomen Legionis sæpe legitur, veluti cum dicit: *Raptim & ad hos Romana Legio ducta, palantes in agris oppressit*. Et deinde in conflictu Horatiorum & Curiatiorum: *Romanas Legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat*. Mox: *Albanos contra Legionem Fidenatium collocat*. Et paulo post: *Legiones deinde ductæ ad diruendam Urbem*. Porro: *Legiones & veteres eodem supplemento explevit, & novas scripsit*. Quæ quidem loca, excepto primo, qui in historia Romuli occurrit, ad tempus Tulli Hostilii pertinent. Porro, ubi de temporibus Anci Martii agit, *Modo Sabinas Legiones &c.* inquit. Plutarchus quoque in vita Romuli bis Legionis mentionem facit. Semel, cum ait: Κτισθείσης δὲ τῆς πόλεως, πρῶτον μὲν ὅσον ἦν ἐν ἡλικίᾳ πλῆθος, εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλεν· ἕκαστον δὲ σύνταγμα, πεζῶν τρισχιλίων ἦν, καὶ τριακοσίων ἱππέων· ἐκλήθη δὲ λεγεὼν τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. *Condita urbe, omnem multitudinem, quæ in civitate erat, in ordines militares divisit, quorum singuli tribus millibus peditum, & trecentis equitibus constabant. Hæc Legio dicta, quoniam milites isti ex omnibus selecti erant*. Postea vero Sabinis in civitatem receptis, numerus militum in singulis legionibus ad sexies mille pedites & sexcentos equites excrevit. Et antequam Urbs condita, & quicquam eorum, quæ dicta sunt, a Romulo institutum esset, centuriarum & manipulorum mentionem facit his verbis: Πολλὴν δὲ καὶ σὺν αὐτῷ δύναμιν ἦγεν συλλελογισμένην εἰς ἑκατοστύας· ἑκάστης δὲ ἀνὴρ ἀφηγεῖτο, χόρτου καὶ ὕλης ἀγκαλίδα κοντῷ περικειμένην ἔχων· μάνιπλα ταῦτα Λατῖνοι καλοῦσιν. Ἀπ' ἐκείνου δὲ καὶ νῦν ἐν τοῖς στρατεύμασι τούτους μανιπλαρίους ὀνομάζουσιν. *Ducebat secum magnas copias, in centurias divisas, quas singulas præcedebat aliquis in summa hasta fasciculum graminis gerens, quem manipulum vocant. Unde ad hanc usque ætatem mos mansit manipulares eos appellandi*. Quibus verbis Plutarchus docet, usum manipulorum ad B sua usque tempora viguisse, & Legiones jam inde a condita Urbe divisas fuisse in centurias sive manipulos peditum, eodem modo quo equites divisi erant in tres centurias, Ramnensium, Tatiensium & Lucerum. Et affirmare ausim, classes a Tullio eodem modo in centurias militares descriptas fuisse; ita ut prima classis in bello divisa fuerit in quadraginta centurias, & aliæ sequentes in X. & XV. Livius enim de Tarquinio Superbo, paulo post mortem Tullii, agens, ita inquit: *Qui ubi ad edictum Romani Regis ex omnibus populis convenere: ne ducem suum, neve secretum imperium, propriave signa haberent, miscuit manipulos ex Latinis C Romanisque, ut ex binis singulos facerent, binosque ex singulis, ita geminatis manipulis centuriones imposuit*. Et postea libro secundo, ubi primorum Consulum res contra Tarquinium gestas narrat, *Rex ipse*, ait, *cum Legionibus sequebatur*. Et paulo post: *Consulum alter T. Lucretius, porta Nævia cum aliquot manipulis militum egressus, ipse Valerius Cœlio monte cohortes delectas educit*. Harum cohortium, octo quoque annis post, Dictatore A. Postumio, mentionem facit: *Cohorti suæ, quam de electa manu præsidii causa circa se habebat*. Eodem loco manipulorum Latinorum & antesignanorum Romanorum mentio occurrit: D *Desiliunt ex equis, provolant in primum & pro antesignanis parmas objiciunt*. Et anno sequente: *M. Lettorio Primipili Centurioni*. Proximo deinde anno: *Defixis pilis stare suos jussit*. Et decimo quarto post anno, M. Fabio & Cn Manlio Coss. prima Triariorum mentio apud Livium occurrit: *Mittunt ad oppugnanda castra, in quæ haud magno certamine impetu facto, dum prædæ magis quam pugnæ memores terent tempus, Triarii Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerunt* &c. Sed apud Dionysium prima eorum exstat mentio in descriptione belli a primis Coss. contra Tarquinium gesti, quod inci- E dit in annum vigesimum sextum a morte Servii Tullii. Dionysii verba hæc sunt: Ἦσαν δὲ αὐτοῦ φύλακες οἱ τριάριοι λεγόμενοι, παλαιοί τε καὶ πολλῶν ἔμπειροι πολέμων, οἷς ἐσχάτοις, ὅταν ἀπογνωσθῇ πᾶσα ἐλπίς, εἰς τοὺς περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνας καταχρῶνται. *Tuebantur castra Triarii, quos vocant, veterani & multis bellis exercitati milites; quorum opera utuntur Romani, cum rebus plane disperatis*

ultimum adeundum est certamen. Idem libro octavo: Ἔπειτα τούτων κατόπιν οἱ καλούμενοι, τριάριοι, κυκλώσαντες τοὺς λόχους. Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ πρεσβύτατοι τῶν στρατευομένων, οἷς τὰ στρατόπεδα ἐπιτρέπουσι φυλάττειν, ὅταν ἐξίωσιν εἰς τὴν μάχην. *Post hos qui Triarii dicuntur, conglobatis centuriis. Hi sunt veterani spectatæ virtutis, quibus tempore pugnæ custodia castrorum credi solet*. Verum enim vero hæc difficulter conciliari posse videntur cum iis, quæ ab eodem Dionysio in censu primæ classis dicta sunt. Si enim verum est, Triarios fuisse milites veteranos; veteranos autem, ipso teste, dictos qui multis jam bellis exercitati erant; exercitatos autem fuisse eos, qui in prima classe locati erant; B quoniam hi, eo quod numero essent pauciores, ut ipse inquit, & in plures centurias divisi, semper pene præliis intererant, & nunquam fere a belli laboribus vacabant; & prima insuper classis, ipso teste, primum in acie tenebat locum, non videntur milites expertæ in bello virtutis, reliquis pugnantibus, præsidio castrorum relicti fuisse. Præterea si Livio, aliisque credimus, in divisione ordinum, tertium hi locum in acie obtinuerunt. Huic dubio non aliter occurri posse videtur, quam dicendo, cum Livius nullam in censu mentionem fecerit primi, vel secundi vel sequentium locorum, quæ militibus in præliis assignata essent, Dionysium supervacanea diligentia, & ex suo potius in- C genio ordines hos militibus assignasse; præsertim cum ex locis supra allegatis manifestum sit, & ante Servium Tullium & post mortem ejus non plus sex & viginti annis, factam esse mentionem Legionum, Centuriarum, Manipulorum, Cohortium, Triariorum & Antesignanorum, qui non alii sunt quam Hastati & Principes, ut paulo post ostendetur. Nisi forte quis ad excusandum Dionysium dicere velit, ordines hos vivente tantum Servio in usu fuisse, eoque mortuo, pristinum militiæ morem revocatum fuisse, quod tamen existimo ullius scriptoris auctoritate probari posse. Quare credendum Livio, lib. 9. Dec. I. ita dicenti: *Horum in quolibet tum indoles eadem, quæ in Alexandro erat, animi ingeniique, tum disciplina militaris jam inde ab initiis Urbis tradita per manus in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum venerat. Ita Reges gesserant bella; ita deinde exactores Regum Junii Valeriique, ita deinceps Fabii, Quintii, Cornelii, ita Furius Camillus* &c. De Legatis quoque & Tribunis Legionum Livius lib. 2. inquit: *Concurrunt ad eum Legati Tribunique monentes*. Et de Centurionibus paulo ante: *A Centurionibus corruptum exercitum diceret*. Et hic erat annus sexagesimus tertius a morte Servii Tullii. Eorundem mentio exstat sub finem libri tertii, nec non libro quarto, Æmilio Mamerco Dictatore. Antesignani manipulorum memorantur sub C. Sempronio Consule; & rursus alio loco, antequam nimirum incipiat libro octavo describere ordines illos Legionum, quos hic subjunximus. Quoniam enim in illorum descriptione occurrunt nonnulla verba obscura & corrupta, haud abs re me facturum putavi, si Latina ipsius Livii verba subjicerem, & quicquid esset in iis ambigui, explicarem.

PARS QUARTA.

De ordinibus Legionum a Livio descriptis.

SECTIO I.

LIVIUS.

FUit enim civili maxime bello pugna similis: *Adeo nihil apud Latinos dissonum a Romana Republica præter animos fuit. Clypeis antea Romanis usi sunt, deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere, & quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse*.

COnflictum hunc Romanorum cum Latinis D Livius similem fuisse dicit bello civili, in quo cives ejusdem Reipublicæ, paribus armis instructi & ornati, secum pugnare solent: quorum quidem bellorum civilium fato Roma postea, plus quam ulla alia civitas, misere jactata fuit. Similitudo hæc, quam Livus inter Romanos & Latinos fuisse dicit, erat in armis & modo instruendi aciem. Nam Latini, antequam clade ad Lacum Regillum accepta, stipendiarii Romanorum facti essent, consueverant in bello gestare clypeos ovatos, quibus & Romanos antea usos fuisse, ex censu Tulliano primæ classis constat. Sed non æque notum est, cur E eos clypeos Livius *Romanos* vocet, quoniam Romulus, initio Argolicis clypeis uti solebat, quos scutis Sabinis postea mutavit. Docet hoc Plutarchus in vita Romuli his verbis: Θυρεοῖς δὲ τοῖς ἐκείνων ὁ Ῥωμύλος ἐχρήσατο, καὶ μετέβαλε τὸν ὁπλισμὸν αὐτοῦ τε καὶ τῶν Ῥωμαίων, Ἀργολικὰς πρότερον ἀσπίδας φορούντων. *Romulus scutis illorum* (Sabinorum) *utebatur, quæ loco aspidum Argolicarum, quas ipse & Romani gestare antea consueverant, assumpsit*.

Cæterum jam supra vidimus, vocem *aspis* a Livio per *clypeum* exponi. Latini igitur pro clypeo scutum adhibere cœperunt, mutata insuper ratione instruendi aciem, quam antea, more Phalangis Macedonicæ, fronte continua & nullis intervallis distincta explicare soliti, postea, Romanos imitantes, manipulatim disponere cœperunt. Et hanc rationem ordinandi aciem jam inde a Romuli temporibus cœptam, ad Plutarchi usque ætatem, qui sub Trajano vixit, durasse, multis auctorum testimoniis jam supra demonstratum est. Inter ea unum produximus, quod Livio hic valde repugnare videtur, eratque id ipsius Livii, de Tarquinio memorantis: *Miscuit manipulos ex Latinis Romanisque, ut ex binis singulos facerent, binosque ex singulis. Ita geminatis manipulis Centuriones imposuit*. Ex quibus verbis apparet, Latinos jam habuisse manipulos, triginta sex circiter annis ante pugnam ad Lacum Regillum commissam. Sed nodus hic solvi potest, si dicamus, Latinos separatim habuisse manipulos suos; verum cum prælium committendum esset, eadem in fronte constipatos fuisse, ita ut nullo spatio intercedente

disjungerentur, eamque ob causam frons Phalangi A Macedonicæ similis esset. Phalanx ejusmodi suas pariter habebat partes, dictas *Tetrarchias*, *Xenagias*, *Pentacosiarchias*, *Chiliarchias* & plures alias, quæ quidem erant corpora certa militum in se considerata, sed tamen in acie collocata tam arcte invicem jungebantur, ut inter singulos milites spatium tantum pedis & dimidii intercederet. Erat ergo ea frons, non ut Romana, certis intervallis discreta, sed continua, ut mox pluribus explicabitur.

SECTIO II.

LIVIUS.

Postremo in plures ordines instruebantur, ordo sexagenos milites, duos Centuriones, Vexillarium unum habebat.

Descriptionem hanc rei militaris veterum Romanorum Livius valde obscuram & ambiguam reddit per vocem *Ordinis*, utpote quam ipse quatuor significationibus, maxime diversis, donat. Primo enim hæc vox ei manipulum significat, ut hoc loco: Deinde, seriem manipulorum per frontem, sive secundum longitudinem collocatorum: Porro, seriem manipulorum secundum latitudinem, sive profunditatem dispositorum: Denique corpus quoddam militum quocunque modo ordinatorum. Hæ significationes quatuor probe sunt distinguendæ, ne confundamus Ordines a Livio commemoratos, quos recte intelligere, magni sane refert. Latini igitur, ut ad explicationem loci C hujus propius accedam, initio aciem suam in modum Phalangis instruxerunt; postea, stipendiarii Romanorum facti, eam manipulatim dispositam, certis intervallis in fronte discreverunt, ita ut ordines, spatio illo intercedente, distincti a se & separati conspicerentur. *Postremo*, inquit hic Livius, *in plures ordines instruebantur*. Quod duplicem sensum recipit. Vel in plures ordines per frontem, id est, in plures manipulos, quod idem foret quod *manipulatim*; eumque sensum juvat, quod sequitur, *Ordo habebat sexagenos milites*, id est, manipulus: vel in plures manipulorum ordi- D nes, non per frontem sive secundum longitudinem collocatorum, quoniam hac ratione unus tantum efficeretur ordo; sed secundum altitudinem, ita ut alter alterum a tergo exciperet: Cui interpretationi favere videntur ea, quæ sequuntur: *Prima acies Hastati erant*. Et hactenus uterque sensus verbis Livii, *in plures ordines instruebantur*, recte convenit; quoniam, sive ea de fronte, sive de altitudine aciei accipienda putes, utrobique plures erant ordines; illic quidem plures manipuli, (nam B & singulos manipulos dici posse *ordines*, jam supra dictum,) hic vero, plures ordines manipulorum. Cæterum, quia statim sequitur, *Ordo habebat sexagenos milites*, manipulum hac voce significari certum est, non vero ordines Hastatorum, Principum, Triariorum, Rorariorum & Accensorum; quoniam hac ratione Legio non plus trecentos pedites habitura fuisset. Ea enim summa colligitur, si quinque in sexaginta ducas, pro numero quinque ordinum, modo dictorum, & quindecim in Centuriones & Vexillarios dividas: ipse vero Livius postea docebit, Legionem tum quinque millium numerum implevisse. Restat ergo *Ordinem* hic significare manipulum, qui sexagenos milites, binos Centuriones, & unum Vexillarium habebat, ex quibus sexaginta trium summa colligitur. Discrepat vero ab hoc numero Plutarchus, qui centuriam sive manipulum Romuli centenos milites habuisse scribit. Sed utrumque verum esse potest, quoniam prout tempus & necessitas exigebat, milites vel plures vel pauciores centenis in manipulis erant. In Legione enim quater mille & ducentorum militum, quem numerum Polybius Legioni tribuit, singuli manipuli Hastatorum, Principum & Velitum, centum & viginti militibus constabant, qui numerus prioris duplus est; manipuli vero Triariorum, sexagenis: Et in legione quinquies mille militum, horum quidem numerus idem erat; illorum vero, ad 146. excrescebat. Hæc varietas non debet legentium animos turbare: sed ita existimandum est, tempore quidem belli hujus, cum Latinis gesti, & circiter, manipulos tot habuisse milites, quot Livius hic tradit; aliis vero temporibus aliter rem sese habuisse: idque credere, minime a ratione alienum est.

SECTIO III.

LIVIUS.

Prima acies hastati erant, manipuli XV. *distantes inter se modicum spatium. Manipulus leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leves autem, qui hastam tantum gæsaque gerebant, vocabantur.*

Prima acies, inquit Livius, Hastati erant. Hic E *Acies* unum ex illis ordinibus significat, qui in plures ordines secundum altitudinem instruebantur. Et hi in fronte dividebantur in quindecim manipulos, modico inter se spatio distantes, cujus paulo post reddetur ratio. Addit auctor, singulos manipulos habuisse vicenos milites leves, & reliquam turbam Scutatorum, sive gravis armaturæ militum. Unde manifestum est, milites leves, in manipulis quindecim, trecentorum numerum implevisse, & nomine Hastatorum comprehensos fuisse. Leves milites non alia habebant arma, quam hastam & gæsa: unde colligitur, eos in institutione census, quartæ classi adscriptos fuisse, quoniam huic, ut supra ostensum, auctor noster hastam & verutum tribuit: dummodo *verutum* & *gæsum* idem sit. Utrumque certe telum missile fuit. Monendum hic, in censu unum tantum verutum a Livio militibus tribui; hic vero, numero multitudinis, *gæsorum* mentionem fieri. Dici potest numerum illorum tum temporis auctum fuisse. Quæsitum est, an gæsa & pila eadem fuerint arma? Ego istud negaverim, fretus auctoritate Livii, qui libro nono Dec. III. de apparatu bellico Scipionis in Africam trajecturi agens, Aretinos narrat ei inter alia multa dedisse, *pila*, *gæsa*, *hastas longas*. Quare existimo, gæsa quidem levium; pila vero, gravis armaturæ militum fuisse. Septimo enim lib. Dec. I.

auctor noster de Sexto Tullio, qui septimum jam primum pilum ducebat, inquit: *Positoque pilo, stricto gladio in hostem impetum facit*. Sextus hic dubio procul unus ex graviter armatis fuit, non solum quod primum pilum duceret, sed etiam quod gladium strinxisse dicatur, quem Livius, nec hic nec in descriptione census, levibus militibus tribuit. Idem lib. 2. ejusdem Decadis, *Defixis*, inquit, *pilis stare suos jussit: ubi ad manus venisset hostis, tum coortos tota vi, gladiis rem gerere*. Et hoc loco gladius cum pilo conjungitur: Unde apparet, pilum fuisse Hastatorum & Principum, qui erant gravis armaturæ milites. Et lib. 7. ejusdem Decad. hæc verba leguntur: *Ab Romanis nec opus intermissum. Triarii erant, qui muniebant, & ab Hastatis Principibusque, qui pro munitoribus intenti armatique steterant, prælium initum. Præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastæque, non tanquam ex æquo missa, vana, quod plerumque fit, caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur*. In hoc loco præter id, quod de pilis dicitur, notari meretur, hastas etiam ab Hastatis in hostem missas fuisse. Sed ut ad milites leves, a quibus digressi sumus, redeamus: Mirum videri possit, eos hasta tantum & gæsis instructos fuisse, nec ullum corporis tegumentum habuisse, ne parmam quidem, quam tamen Polybius Velitibus suis tribuit. Neque ex Livii verbis constat, an milites hi leviter armati ante, an vero post Scutatos in acie constiterint. Quanquam videntur, hastis suis & gæsis in hostem emissis, post Scutatos se recepisse: Vel, si semper a tergo Scutatorum constiterunt, necesse est trans illorum capita hastas suas in hostem misisse. Scutatorum autem non plus quinæ erant series, & in unaquaque milites octoni; ipsorum vero levium militum, ternæ. Cæterum non videntur eo loco constituti, hosti, nisi Scutatis valde propinquo, nocere potuisse.

SECTIO IV.

LIVIUS.

HÆc prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus Principibus est nomen, hos sequebantur. Scutati omnes, insignibus maxime armis.

DEscriptio horum juvenum videtur magis Velitibus Polybii convenire, quam Hastatis, qui non erant ex numero Tironum, nec Rorariorum, nec Accensorum, sed eorum, qui jam aliquot stipendia fecissent: Unde & in prima fronte collocati erant, non vero in postrema acie, ut Rorarii & Accensi. Erant nihilominus juvenes, quos robustior ætas excipiebat, *Principes* dicti, insignibus maxime armis instructi, & in quindecim manipulos divisi, uti Hastati.

SECTIO V.

LIVIUS.

HOc xxx. manipulorum agmen, Antepilanos appellabant; quia sub signis jam alii xv. ordines locabantur.

HI triginta manipuli, quindecim nimirum Hastatorum, & quindecim Principum, Antepilani, ut Livius inquit, vocabantur. Hic vocem *Antepilani* alieno loco positam esse, mutandamque in *Antesignani*, tribus rationibus adductus, affirmare non dubito. Prima est, vocem hanc, considerata ejus etymologia, non aliud significare posse, quam eos qui ante pila stabant: Id quod hic locum minime habere potest, quoniam ipsi Hastati & Principes pila gestabant, ut jam supra demonstratum; & Triarii non pila, sed hastas gerebant, auctore nostro paulo post dicente, *hastas subrecta cuspide*. Quare non possunt Hastati & Principes proprie *Antepilani* dici, quoniam revera nullos in acie præcedebant, qui pilis armati essent. At vero nomen *Antesignanorum* optime in eos convenit, quoniam ante Aquilam aliaque Legionis signa, quæ Aquilam circumstabant, eos constitisse certum est. Altera ratio est, quod verba hæc Livii, prout hodie leguntur, *Antepilanos appellabant*, &c. nullum habeant sensum, neque illud, *quia jam sub signis*, ullo modo cohæreat cum verbis his, *Antepilanos appellabant*. Sed si corrigamus, *appellabant Antesignanos, quia jam sub signis*; & sensus & connexionis ratio huic loco optime constat, & pulchre ei respondet quod postea sequitur: *Cæsos Hastatos Principesque, stragem & ante signa & post signa factam*. Ante signa nimirum cæsi erant Hastati & Principes; post signa, Rorarii & Accensi. Nam & *Rorarii procurrebant inter Antepilanos*, (leg. *Antesignanos*) *addiderantque vires Hastatis Principibusque*. Et post: *Accensos ab novissima acie ante signa procedere jubet*. Quoniam igitur non solum Hastati & Principes, qui erant *ante signa*, cædebantur, sed etiam Rorarii & Accensi, qui stabant *post signa*, & inter Antesignanos procurrerant, stragem non solum *ante signa* sed etiam *post signa* factam esse Livius dicit. Constiterunt ergo Hastati & Principes *ante signa*, eam ob causam dicti *Antesignani*; Rorarii vero & Accensi *post signa*, & Triarii *sub signis*: Quo pertinet illud quod sequitur, *Quia sub signis*. Tertia ratio est, quod vox *Antepilani* non reperiatur apud ullum auctorem, nec usquam apud ipsum Livium, si ab hoc loco discesseris, in quo ter vox illa occurrit: Mentio vero Antesignanorum frequentissima est apud Livium, Cæsarem, Salustium, Hircium, Vellejum & alios. Et hoc primum est ex duobus illis mendis, quibus insignis hic Livii locus corruptus est. Per *signa* hic intelligitur Aquila, aliaque signa, quæ ei adjuncta erant. Nam & Hastati & Principes propria habebant signa, quoniam sæpe legitur, *Antesignani signa intulerunt*. Præterea supra jam Livius dixerat, quemlibet ordinem Hastatorum suum habuisse vexillarium, qui dubio procul is erat, qui signum portabat. Aquilam vero post Principes stetisse, satis clare testantur verba Taciti, libro decimo septimo dicentis: *Primani, stratis una & vicesimanorum Principibus, Aquilam abstulere*. Quid Aquila fuerit, Dio lib. XL. his verbis docet: *Aquila exiguum quoddam templum est, in quo Aquila aurea collocata est*. Aquilam alia etiam signa comitari solita fuisse, ex Tacito, lib. XV. colligitur:

Hinc agmina Legionum stetere fulgentibus Aquilis, signisque & simulacris Deorum, in modum templi. Et lib. XIX. *Hic Aquilarum signorumque ordo.* Unde apparet, Aquilam alia etiam signa & simulacra Deorum circumstetisse, totumque eorum ordinem & apparatum vocatum fuisse *signa*. Qui ergo ante ea in acie stabant, dicebantur *ante signa* & *Antesignani*: Ex quo porro satis manifestum est, quinam *sub signis* & *post signa* stare dicti fuerint. A- A quilæ vero locum post Principes fuisse, jam demonstratum est ex adductis verbis Taciti, qui primanos scribit, Principibus stratis eam abstulisse. Hi ergo cum Hastatis fuerunt *Antesignani*, non *Antepilani*. *Quia jam sub signis alii* XV. *ordines locabantur*. Hæc verba de Triariis intelligenda sunt, quos eam ob causam Tacitus aliquo loco *subsignanum militem* vocat.

SECTIO VI.

LIVIUS.

Ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat, eorum unamquamque, primum pilum vocabant: tribus ex vexillis constabat, vexillum 186. homines erant.

Dixerat antea, *quia sub signis jam alii* XV. *ordines locabantur*; nunc de quindecim his ordinibus explicatius agens, dicit, unumquemque ex iis habuisse tres partes. Sed observandum, ordinem hic non significare manipulum, nec primam frontem in acie, nec ordines secundum altitudinem collocatos, sed agmen quoddam militum certo modo ordinatum. Unumquemque igitur ex his quindecim ordinibus tres partes habuisse dicit, earumque partium unamquamque, *Primum pilum* vocatam. Sciendum est, vocem primi pili plures habere significationes. Hic enim partem alicujus ordinis vel corporis denotat. Alibi vero centuriones, sive eorum ductores. Sic Dionysius lib. 9. Flavolejum, dicit, in una Legionum illustri imperio ornatum fuisse, cujus ductum & jussa sexaginta centuriones sequi lex jubebat: quos duces Romani sua lingua *Primipilos* vocant. Sed ex verbis istis, *tribus ex vexillis constabat*, non satis certum est, utrum unusquisque ordo, an vero primus pilus tria habuerit vexilla, quorum singula 186. hominibus constarent. Si enim posteriori sensu verba hæc capiantur, necessario statuendum est, in unoquoque ordine, qui in tres primos pilos divisus erat; 1674. Unde ordines isti quindecim, conficerent summam 25110. hominum: Id quod ab omni ratione alienum est, quoniam tota Legio non plus quinque millia hominum habebat. Restat ergo, priorem sensum præferendum esse; unumquemque nimirum ordinem, ex istis quindecim, tria habuisse vexilla, primum Triariorum, alterum Rorariorum, & tertium Accensorum, ut sequenti Sectione dicetur. Hac igitur ratione primum vexillum Triarios duxit, alterum Rorarios, & tertium Accensos. Sed quæ sequuntur verba, *Vexillum* CLXXXVI. *homines erant*, non parum difficultatis habent. Nam si vexillum Triariorum, id est, universos Triarios, numero CLXXXVI. fuisse statuamus, totidemque Rorarios & Accensos: Legio non implebit summam VM. militum: quam tamen implevisse, paulo post auctor noster affirmabit. Cum enim Hastati, in quindecim manipulos divisi, quorum singuli tribus & sexaginta militibus constabant, essent numero nongenti & quadraginta quatuor, totidemque Principes, conficiunt ambo summam mille octingentorum & sexaginta hominum; quibus si addantur centum & octoginta sex Triarii, totidemque Rorarii & Accensi: universi summam 2448. hominum implebant, quæ ne dimidiam quidem partem Legionis constituit. Quod si quis numerum 186. militum, qui erant in unoquoque vexillo, mutandum censeat in 1860. dimidio pene auctiorem faciet Legionem, pro quinque millibus, septies mille quadringentos & septuaginta substituendo. Quare haud facili negotio se ex hac difficultate quisquam expediet, nisi conjectura ductus, numerum illum quinque millium, ex quo Legio constabat, suppleat, tanto numero adjecto, quantus mille octingentis & nonaginta Hastatis Principibusque deest. Desunt autem illis, quatenus nimirum dictus ille quinque millium numerus implendus est, tria millia centum & decem. Hi æquis partibus in tria vexilla descripti, in unoquoque eorum, mille & triginta sex implebunt, duobus residuis. Quare vetus quidam Livii descriptor, in numerorum notis oculorum errore deceptus, pro 10. centum, & pro 3. 8. posuisse videtur; quæ causa est, cur hodie in Livio legatur, *vexillum* 186. *homines erant*, cum legi debeat 1036. Hac ratione, cum unumquodque vexillum divisum esset in quindecim ordines, id est, manipulos, haud secus ac Hastati & Principes; unusquisque manipulus non sexaginta tres habuit milites, uti Hastatorum; sed sexaginta novem, ita ut in universo summa unitatis tantum detur excessus; qui numerus non multum discedit a numero militum qui in aliis manipulis erant. Quare, si Legio quinque millibus hominum constitit, in unoquoque manipulo tot utique, quot dicti sunt, milites fuisse necesse est, numerique in Livio corrigi & emendari debent. Cæterum, si quis in verbis sequentibus Livii, *Scribebantur autem quatuor fere Legiones, quinis millibus peditum*, vocem *fere* non referendam censeat ad *Legiones*, (uti nec potest eo apte referri, quoniam non fere, sed certo semper quatuor scribi solebant Legiones, a singulis Consulibus duæ) sed ad *quinis millibus*: ei concedi facile poterit, manipulos Triariorum, Rorariorum & Accensorum, ternos & sexagenos tantum habuisse milites, æque ac Hastatorum; quoniam tunc in Legione pene quinque millia hominum fuissent, minus ducentis & septuaginta. Tantus enim numerus conficitur, si de singulis manipulis senos detrahas. Hunc defectum rursus supplevissent Duces, Consules, Legati, Quæstores, Tribuni, Præfecti, illorumque Ministri, veluti Scribæ, Lictores, Præcones & alii. Si igitur hanc correctionem receperimus, propius sane ad verum accedemus, quam si vel numerum hunc 186. in Livio toleremus, vel eundem in 1860. mutemus, quoniam utroque modo in errorem gravissimum incidemus. Quæ cum ita se habeant, mirum non est, omnibus, qui annotationes in Livium ante conscripserunt, locum hunc difficillimum & pene inexplicabilem visum esse.

SECTIO VII.

LIVIUS.

PRimum Vexillum Triarios ducebat, veteranum militem spectatæque virtutis; secundum, Rorarios, minus roboris ætate factisque; tertium Accensos, minimæ fiduciæ manum: eo & in postremam aciem rejiciebantur.


UTi vox *Antepilani* nullo alio loco apud Livium, nec quenquam scriptorum veterum occurrit; ita nomen *Rorariorum*, si ab hoc loco discedas, nusquam nec apud Livium, nec alium quenquam auctorem invenitur. Accensorum quidem mentionem facit Livius in Censu quintæ classis, sed non tanquam ordinis alicujus militum, sed tanquam ordinis ministrorum, ad quorum numerum etiam refert Cornices & Tibicines. Eodem libro apud Livium legitur: *Quod se Q. Fabius magistrum equitum duxerit, ac non accensum Dictatoris.* Et apud Suetonium in Cæsare: *Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur.* Quamvis autem dicam, per *Rorarios* & *Accensos* non significari certum quoddam militum genus, apud ullum vel Latinum vel Græcum rerum Romanarum Scriptorem; non tamen ideo affirmo, voces eas hic esse mendosas, quod ante de voce *Antepilani* affirmavi. Quin potius Livio credendum puto, in hac quidem pugna rem ita se habuisse; etiamsi in tot bellis, quæ alii auctores descripserunt, ordines quidem Hastatorum, Principum & Triariorum recenseantur, nulla vero *Rorariorum* nec *Accensorum* mentio occurrat. Cæterum videtur hic Livius tam a semet ipse, quam a Polybio dissentire, qui ordinibus tribus Hastatorum, Principum & Triariorum, non alium addit, quam Velitum, institutum, ut Livius ipse narrat, in obsidione Capuæ. Cum ergo Triarii essent *Veteranus miles*, mirum non est Rorariis fuisse *minus roboris ætate factisque*: *Factis*, quoniam non confecerant tot stipendia, quot Triarii, A *Ætate*, quoniam juniores erant Triariis. Hi enim, quoniam quadragesimum circiter ætatis suæ annum agebant, robore & viribus corporis maxime vigebant. *Rorariis* usu & peritia belli inferiores, ætateque minores erant *Accensi*; dicti propterea Livio *minimæ fiduciæ manus*, quoniam, cum tirones essent, & bellorum adhuc inexperti, rebus in prælio desperatis & afflictis parum præsidii & auxilii afferre posse putabantur. Unde post omnes ordines in extrema acie locabantur, ut spectatores essent præliorum, & alieno periculo edocti, virtuti & disciplinæ militari paulatim assuescerent. Hic facile inducor, ut credam, *Accensos* B fuisse tirones primæ vel secundæ militiæ, natos septendecim vel duodeviginti annos: *Rorarios* vero paulo majores fuisse, modo statuere velimus, eos non isto solum, sed aliis etiam quibuscunque temporibus in acie olim adhibitos fuisse. Existimo etiam, utrosque gravibus armis instructos fuisse, more Triariorum. In hanc opinionem inducor, quod legam, Latinos, qui institutorum Romanorum, ob diuturnum cum iis commercium, minime erant ignari, cum vidissent *Accensos* sibi obviam procedere, falso, *Triarios* esse, credidisse. Narrat istud Livius his verbis: *Accensos ab novissima acie ante signa procedere jubet. qui ubi subiere,* C *extemplo Latini tanquam idem adversarii fecissent, Triarios suos excitaverunt.* Unde manifestum est, Accensos, nisi eandem, quam Triarii, armaturam habuissent, falsam Triariorum speciem præbituros non fuisse Latinis, quibus error iste cladis insecutæ causa fuit.

SECTIO VIII.

LIVIUS.

UBi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant.

LOcus hic Livii, nostri temporis Sagatis, & Tactices hodiernæ peritis intellectu perquam difficilis videtur, quoniam concipere non possunt, quomodo Principes in ordinum suorum intervalla Hastatos receperint. Dicunt enim, fieri non posse, ut Cohortes militum suorum, in prima acie locatæ, retrocedant, ordinibus non turbatis; vel ut eædem ab iis, qui a tergo stant, in intervalla ordinum suorum recipiantur. Nimirum existimant, Romanos eodem modo aciem suam struxisse, quo hodierni bellorum Duces; quod tamen secus est. Romani enim manipulos militum suorum, non recta serie unum post alterum, sed oblique, hoc modo



in acie locare solebant, eo consilio, ne illi, qui in prima acie erant, ab hostibus pulsi, & in suos fuga illati, secundæ aciei ordines turbarent. Sæpe tamen Romani, quamvis omni cautione & diligentia adhibita, malum istud evitare non potuerunt. Et D sane cum consideramus, quantum numerum militum ordines isti, quantamque altitudinem, ut loquuntur, in acie olim habuerint, (nimia autem aciei altitudo causa fuit, cur Cyrus Croesum, & Marius Cimbros profligaret;) haud immerito dubitari posse videtur, an milites ex prima acie pulsi, se ad dictum modum intra sequentium intervalla, salvis ipsorum ordinibus, recipere potuerint. Sed, credo, mirari & dubitare desinent, neque omnem huic rei fidem denegare in animum inducent, cum considerabunt, agmen quadratum, tribus & sexaginta, summum, hominibus constans, octo in longum, totidemque in profundum habere milites; E & proinde ejus recessionem non æque esse difficilem, ac hodiernæ Squadronæ, ut vocant, sive cohortis millenariæ, præsertim si milites non sint impediti hastis oblongis, secus ac nostri, nec sarissis, quemadmodum Macedones illi, qui a Paulo Æmilio fusi fugatique fuerunt, eam solum ob causam, quod acies illorum nimis esset profunda, & milites sarissis impedirentur. Romanis enim impetu in il-

lorum aciem invectis, cum sarissæ, densique a tergo ordines obstarent, quo minus illi, qui in prima acie locati erant, cedere possent, & a sequentibus intra sua intervalla reciperentur, omnes cæsi fuerunt, donec illa strage ordines rariores facti, paucis reliquis majorem fugiendi facultatem præberent. Credunt itaque Sagati nostri, Romanos ex prima acie se facile, & integris ordinibus, intra eos se recepisse, qui recta serie a tergo starent. Et hos vicissim in illorum aciem successisse, ordinibus neutrubi turbatis: Id quod omni apud eos fide caret. Ajunt enim, Cæsarem de hoc more retrocedendi prorsus tacere; quamvis memoret eos, qui a tergo locati erant, in primam aciem successisse. Hoc ipsum tamen apud Cæsarem usquam legi, pariter pernego. Uti enim de recessione, ita quoque de successione tacet, nec unquam in tot præliorum descriptionibus memorat, qua ratione copiæ ipsius dispositæ fuerint, sed tantum ait, factas esse *duas*, *tres* vel *quatuor acies*. Neque minus negotii Cæsarianis nostris hæc acies facessit, quam militibus nostris recessio illa, & in primam aciem successio. Quare, ut nostrates hæc eo melius & distinctius capiant, dico, Romanos olim cum prælio decernere vellent, non instruxisse aciem suam in eos ordines, quos hodie Squadronas vocant; nec, uti Macedones olim, in frontem, aliquot passuum millia longam; nec in catervas sparsas & quasi disseminatas, uti Germani olim, & Nostrates in prælio ad amnem Tarum, sed in certa corpora militum (quæ Livius hic *manipulos* vocat, & Polybius *cohortes*,) a se invicem discreta & disjuncta. Et ut materia hæc adeo difficilis plene & clare explicetur, quinque mihi demonstranda erunt. Primo, corpora hæc militum fuisse discreta, & non continua: Secundo, spatium satis latum inter ea intercessisse: Tertio, eos, qui a tergo, sive in secunda acie erant, in primam aciem successisse: Quarto, eos, qui in prima acie erant, relato pede, se intra secundæ aciei intervalla recepisse: Quinto, quo situ tota acies locata fuerit, ut hæc apte & ordine fieri possent. Quod ad primum & secundum adtinet, manipulos fuisse a se disjunctos, modico intervallo intercedente, manifesto id Livius hic tradit, de Hastatis ita dicens: *Prima acies Hastati erant, manipuli quindecim, distantes inter se modicum spatium.* Deinde lib. 6. Dec. I. de Camillo ait: *In equum insilit, & ante signa obversus in aciem, ordines interequitans.* Si Camillus, inter ordines equitavit, oportet sane spatium inter eos fuisse interjectum, ut illud commode fieri potuerit. Id quod inter nostras *Squadronas*, quas vocant, hodie fieri nequit. Neque Camillus solus interequitabat ordines, sed stipatus, tanquam Imperator & Dictator, Lictoribus, Tubicinibus & Cornicinibus, imo cohorte Prætoria, cui corporis ejus custodia commissa erat, & sæpe etiam Legatis, Quæstore, Præfecto castrorum, & Tribunis, imperia expectantibus. Intervalla ergo hæc satis lata fuerunt, adeo ut Livius lib. 13. Dec. III. iis viæ nomen imponat: *Vias patentes inter Manipulos Antesignanorum, Velitibus, (ea tunc armatura levis erat) complevit.* Aliis præterea multis in locis idem Livius, & Polybius, & Appianus, & Tacitus horum intervallorum meminerunt. Neque milites solum distinctos hos ordines servare, sed eosdem quoque necessitate exigente densare noverant, ut Livius hic inquit, *Veluti claudebant vias;* & plurimis aliis in locis, *Densatis ordinibus*. Uti vero densare & contrahere, ita etiam pandere rursus ordines suos didicerant, ut Livius lib. 10. Dec. I. testatur: *Ad nutum omnia, ut ante præparata, fiunt, panduntur inter ordines viæ, provolat eques*, &c. Et lib. 8. Dec. III. *Sed ubi patefactis ordinibus.* Et hæc sufficiunt ad duo priora capita demonstranda, nempe, non solum intervalla inter manipulos fuisse, sed etiam adeo lata, ut Imperator cum tota sua cohorte Prætoria, aliisque comitibus, eos interequitare posset. Tertium est, eos qui a tergo locati erant, in priorum ordines successisse. Quod probatur ex lib. 3. Dec. I. *Cum secunda acies jussu Consulis in primam successisset.* Et ex lib. 7. Dec. III. *Primæ legioni, tertia; dexteræ alæ, sinistra subiit.* Et ex multis præterea aliis locis, de quibus Sagati nostri hodie non adeo dubitant. Quod quartum adtinet, primam aciem in intervalla secundæ se recepisse: de eo libro 2. Dec. III. ubi pugna Minutii cum Annibale describitur, hæc leguntur verba: *Volventesque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare, ac jam prope una acies facta erat victi integrique exercitus.* In hoc loco notandum, eos qui ex prima acie ab hoste pellebantur, nunc referentes pedem, nunc restantes, ita se integris immiscuisse, ut una acies viderentur: Id quod fieri nequaquam potuisset, nisi in secunda acie fuissent intervalla, quæ retrocedentes subire potuissent. Sed multo clarius lib. 7. Dec. III. hac de re Livius loquitur: *Cedere inde ab Romanis dextera ala, & extraordinarii cœpere: quod ubi Marcellus vidit, duodevicesimam Legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est, dein prorsus fusa.* Et libro 5. Dec. IV. *Secunda Legio missa, & extraordinarii recepti.* Ex postremo hoc Livii loco, & tertium & quartum caput probatur. Apud Polybium lib. 9. legitur: *Tunc receptis in vexillorum intervalla Velitibus.* Et lib. 16. *Eodem tempore Titus receptis in vexillorum intervalla iis, qui pugnæ initium fecerant. Vexilla* hic dicuntur cohortes, sive manipuli. Et hic intervallorum & receptionis fit mentio Plutarchus in vita Crassi ita inquit: *Cum Crassus jussisset excurrere leviter armatos, ii haud longe progressi, multis vulneribus acceptis, intra armatos se receperunt.* Quod ad quintum adtinet, sive ad ordinem & situm horum intervallorum, notandum est, ea non solum inter manipulos Hastatorum, sed etiam Principum & Triariorum fuisse, quoniam Livius hoc loco inquit: *Eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant.* Et de Triariis: *Ubi in intervalla ordinum suorum Principes & Hastatos recepissent.* Omnes ergo hi tres ordines habuerunt intervalla. Quæritur porro, quem situm manipuli, eorumque intervalla inter se obtinuerint. In qua quidem quæstione facile intelligitur, duplicem tantum eorum situm concipi posse, alterutrumque horum necessario admittendum esse. Vel enim manipuli ita locati fuerunt, ut frontes Principum recta serie tergis Hastatorum obversæ essent, & frontes Triariorum, tergis Principum; & sic omnia intervalla manipulorum, sibi mutuo respondentia, una & recta serie totam aciem distinguerent, ut ex addito schemate patet:

HASTATI
PRINCIPES
TRIARII

Vel, ut singulos manipulos Hastatorum a tergo exciperet intervallum Principum; & intervallum Hastatorum, manipulus Principum; & huic rursus responderet intervallum Triariorum, horumque manipulo vicissim intervallum Principum, ad hunc modum:

HASTATI
PRINCIPES
TRIARII

In

In horum modorum priore facile apparet, fieri non posse, ut vel prima acies a secunda recipiatur, vel hæc in illam succedat, quoniam necesse foret, ut manipulus Hastatorum, pedem relaturus, impelleret manipulum Principum, recta a tergo oppositum; & hi vicissim successuri, incurrerent in Hastatos a fronte oppositos. Hinc, si altera acies nihilominus alteram subire vellet, necesse esset, ut manipuli ordines obliquando, latiores panderent vias: Quam quidem ob causam ordines turbatum iri, nostri Sagati haud immerito metuunt. Neque leguntur Romani priore modo aciem suam unquam struxisse, si excipias Scipionem, qui cum Annibale pugnaturus id ideo fecit, ut Elephantis recta transitum per aciem daret. Cæterum hæ difficultates omnes in posteriore modo, quo manipuli eorumque intervalla in quincuncem disponuntur, cessant. Namque tunc Hastati pedem referentes intervallo Principum recta opposito accipiuntur; & hi in primam aciem succedentes, integris ordinibus, quippe nemine impellente vel obstante, Hastatorum intervalla occupant. Et hoc more Romanos in acie sua struenda, manipulisque collocandis usos olim fuisse, testatur Polybius lib. XV. qui in pugna Scipionis cum Annibale, ita inquit: *Primum Hastatos eorumque manipulos per intervalla, horumque a tergo Principes locavit: positis eorum manipulis non ex adverso vacui spatii, quo distabant invicem Hastatorum manipuli, sicut mos est Romanorum*. Modus hic ordinandi aciem, Romanis usitatus, a Scipione mutatus fuit in priorem, ut his verbis Polybius addit: *Sed alios post alios in eadem serie, cum aliquo intervallo, propter multitudinem Elephantorum, quos hostes habebant. Ultimos posuit Triarios. Ab lævo cornu C. Lælium cum Italico equitatu, ab dextro Massanissam cum omnibus Numidis opposuit. Vias patentes inter prima vexilla, velitum cohortibus complevit, dato præcepto, ut pugnæ initium facerent. Sin autem hostium vim, aut Elephantorum impetum sustinere non possent, retro pedem ut referrent; partim qui celeritate possent alios prævertere, per vias rectas inter manipulos patentes, pone aciem universam; partim, qui essent ab hoste circumdati, in dextram sinistramve iis sese applicarent intervallis, quæ essent inter signa*. Ex verbis his, *sicut est mos Romanorum*, satis clare apparet, Romanos consuevisse manipulos posteriores opponere ad intervalla, quæ inter priores manipulos intercedebant: Scipionem vero ob multitudinem hostilium

A Elephantorum hunc morem non servasse, sed ex duobus modis a nobis propositis priore usum esse, Principesque a tergo Hastatis recta serie opposuisse, majore tamen quam alias intervallo relicto. Nec alia ratione Triarios ab eo collocatos esse credendum est, ut Elephanti ab hoste inducti pars per vias recta patentes, ut postea contigit; pars per intervalla transversa inter ordines manipulorum relicta, ex acie exire possent. Velitibus præcepit, ut qui velocitate pedum præstarent, per recta viarum spatia pone ultimam aciem se reciperent; qui vero ab hoste essent circumdati, transversa cohortium intervalla peterent. Idque eo consilio,

B ut jam dictum, Scipio fecit, ut Elephantis impetum facientibus rectus pateret transitus, non vero ullam aliam ob causam. Hæc enim collocatio ordinum ad alios usus, veluti receptionem Hastatorum, & successionem Principum, prorsus inutilis fuisset. Nec vanum est credere, Elephantis per recta viarum spatia ex acie egressis; Principes, Hastatis & Triariis suo loco permanentibus, ad illa viarum intervalla, more solito, se opposuisse. Mori huic inter Romanos recepto aciem suam disponendi valde obstare videtur quædam difficultas. Si enim Principes eo, quem diximus, modo col-

C locati fuerunt, & Hastati se in illorum intervalla receperunt, vel Principes in horum aciem successerunt; necesse est, eos sibi invicem ita immixtos fuisse, ut unam quandam & continuam frontem facerent. Quare non potuerunt hi postea a Triariis in ordinum suorum intervalla recipi, ut Livius vult, neque Triariis, Principum intervalla ingredi licuit, utpote jam ante ab Hastatis repleta. Responsionem ad hanc objectionem nobis ipse Livius suppeditat, qui non dicit, Hastatos, ubi ex prima acie se recepissent in intervalla Principum, unam cum iis & continuam frontem effecisse; sed, *Tum Principum pugna erat, Hastati*

D *sequebantur*, id est, a tergo illorum stabant. Quare cum intervalla Principum vacua semper manerent, Triarii utique in ea succedere poterant: Vel, si Triarii Hastatos & Principes in ordinum suorum intervalla receperunt, dicendum est, ab iis Hastatos primo, ut qui tum a tergo Principum stabant, ad intervallum Triariorum oppositi; & deinde Principes, receptos fuisse. Ut adeoque nihil obstet, quo minus Principes quoque, gradum referentes, post tergum Triariorum se recipere potuerint.

SECTIO IX.

LIVIUS.

TUm Principum pugna erat: Hastati sequebantur. Triarii sub Vexillis considebant sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide, in terra fixas, haud secus, quam vallo septa inhorreret acies, tenentes.

VErba hæc per se satis clara sunt, nec ulla iis difficultas inest, nisi quod quidam dicant, Triarios in genua se submittere solitos fuisse. Quod quidem non ex hoc loco, sed ex verbis paulo post sequentibus colligitur: *Et Triarii genu dextro innixi, nutum Consulis ad consurgendum expectabant*. Et antea dixerat: *Triarii consurgentes*. Atqui ista genu flexio magis defatigasse milites videtur, quam si erecti stetissent. Ad hoc respondemus, milites Romanos diuturna assuetudine & exercitio id consecutos fuisse, ut nullas non molestias facile perferre possent, neque gravius ipsis esset, in genua subsidere, quam pedibus erectos stare. Quid, quod nullam aliam ob causam Romani id fecisse existimandi sint, quam ut lassitudini

E membrorum occurrerent, quoniam, si semper erecto corporis habitu fuissent, omni pondere non solum armorum, sed etiam scuti & hastæ gravati, eo temporis tractu, quo Principes & Hastati in hostem pugnabant, haud mediocriter defatigari & viribus exhauriri potuissent. Verum genibus nixi, scuti parte inferiore, nec non hastæ, in terram reclinata, in superiore ejusdem scuti parte requiescere poterant, humerum sinistrum ea fulcientes. Quare ista genu flexio, non erat lassitudinis causa, sed efficiebat potius, ut integris postea viribus in hostem consurgerent. Sic Hircius dicit, Gallos in acie considere solitos. Et Vegetius affirmat, milites in genua se submittentes, melius corpus suum scutis adversus telorum ictus protegere posse.

SECTIO X.

LIVIUS.

SI apud Principes quoque haud ſatis proſpere eſſet pugnatum, a prima acie ad Triarios ſenſim referebantur. Inde rem ad Triarios rediiſſe, cum laboratur, proverbio increbuit.

ET hæc verba nulla explicatione egent, niſi quod dubium videatur, quare hic Livius dicat, *a prima acie*. Sed quoniam Haſtati, primum alias in acie locum obtinentes, cum hoſtium vim & impetum ſuſtinere non poſſent, poſt terga Principum ſe recipiebant, facile intelligimus, hos in primam aciem ſucceſſiſſe. Qui cum nec ipſi proſpere pugnarent, ex prima acie pariter ſe ad Triarios recipiebant. Et iſtud cum contingeret, laborabat Romana acies, quoniam duæ partes exercitus jam pulſæ & fugatæ erant.

SECTIO XI.

LIVIUS.

TRiarii conſurgentes, ubi in intervalla ordinum ſuorum, Principes & Haſtatos recepiſſent, extemplo compreſſis ordinibus veluti claudebant vias. Unoque continuato agmine, jam nulla ſpe relicta, in hoſtem incedebant.

TRiarii poſtquam in ordinum ſuorum intervalla Haſtatos & Principes, modo ſupra dicto, recepiſſent, extemplo manipulis & ordinibus ſuis compreſſis, vias & intervalla, quæ ipſorum aciem ante diſtinxerant & per quæ alios receperant, claudebant, factaque una & continua fronte, hoſtibus obviam procedebant. Hi enim continuo uſu exercitati, non ſolum hoc, ſed & aliis multis modis ordines ſuos prompte facileque variare, movere & flectere noverant. Cæterum duo hic notanda ſunt. Primum eſt, ſi intervalla Triariorum, Haſtatis & Principibus recipiendis, patere debuerunt, idque abſque periculo turbandorum ordinum, non debuiſſe Rorarios & Accenſos ea intervalla objectu ſuo claudere, ſed tergis Triariorum oppoſitos ſtare, ut vacuum relinqueretur ſpatium, quo Haſtati & Principes ſe recipere poſſent, eodem modo quo oſtenſum Velites ſe recepiſſe, & Elephantes per aciem Scipionis tranſiviſſe. Alterum eſt, cum manipuli numero quindecim fuerint, neceſſe eſſe, ut unus omnium fuerit medius, ejuſque latus ſeptem alii utrinque clauſerint: Illum autem, qui in medio immobilis ſtabat, octo homines in fronte habuiſſe, quorum unuſquiſque tres occuparet pedes, ſecundum rationem podiſmi Vegetiani & Polybiani, univerſos autem ſpatium quatuor & viginti pedum obtinuiſſe: Eademque ratione ſeptem manipulos ab uno latere, ſi in ſingulos, quatuor & viginti pedes deſcribas, in univerſum CLXVIII. pedes occupaſſe; idemque de reliquis ſeptem, alterum latus claudentibus, dicendum eſt. Quare ſi totius frontis pedes computes, ſumma trecentorum & ſexaginta pedum colligetur, qui faciunt paſſus noſtros duos & ſeptuaginta. Inter hos quindecim manipulos, quatuordecim fuerunt intervalla, quæ ſi manipulos Principum, in primam aciem ſuccedentium, capere debebant, & tantundem ſpatii, quantum manipuli Haſtatorum, occupabant; neceſſe erat, ut ſingula quatuor & viginti pedes longa eſſent, adjecto utrique lateri uno pede & dimidio, ut podiſmus pedum trium impleretur, eam ob cauſam, ne manipuli ſuccedentes ſtringerent vel tunderent latera illorum manipulorum, quorum intervalla ingrediebantur. Unumquodque igitur intervallum viginti ſeptem pedes longum eſſe oportuit. Unde ſequitur, univerſa hæc quatuordecim intervalla continuiſſe pedes trecentos & ſeptuaginta octo, qui conficiunt paſſus ſeptuaginta quinque & dimidium, cum pede dimidio. Totius igitur frontis longitudo, non ſolum manipulos, ſed eorum etiam intervalla comprehendentis, centum tantum & quadraginta ſeptem paſſus & dimidium, cum pede dimidio, continuit; quod quidem ſpatium ne ſeptimam quidem milliaris partem abſolvit. Hac ratione primus manipulus alterutrius lateris, ſe cum medio ad frontem continuam efficiendam, conjungere volens, pedes tantum quinque & viginti cum dimidio emetiendos habebat, qui ſunt paſſus quinque & pes dimidius; ſecundus vero, paſsus decem & dimidium; tertius, paſsus quindecim, cum pede uno & dimidio; quartus, paſſus viginti, & pedem dimidium; quintus, paſsus viginti quinque & dimidium; ſextus, paſsus triginta, cum uno pede & dimidio; ſeptimus denique & ultimus, paſsus triginta quinque & dimidium; ab uno latere. Manipulis ab altero latere collocatis totidem erant emetiendi paſsus, qui proinde ſi in unam ſummam colligantur, additis quinque paſſibus manipuli medii, totam frontem unius Legionis apparet extenſam fuiſse per paſsus duos & ſeptuaginta: per totidemque, frontem alterius Legionis. Unde colligitur ſumma paſsuum, centum & quadraginta quatuor. Porro cum Sociorum Legiones totidem paſsus occupaverint, ſequitur, frontem continuatam totius exercitus Conſularis, obtinuiſse ſpacium ducentorum & octoginta octo paſsuum, pro ratione podiſmi ante dicti. Poterant igitur Triarii ad dictum modum breviſſimo temporis ſpatio ordines ſuos denſare & comprimere, uti adeoque bene Livius dicat: *Extemplo compreſſis ordinibus veluti claudebant vias.*

SECTIO XII.

LIVIUS.

ID erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insecuti, novam repente aciem exurgentem, auctam numero cernebant.

NOn potuit non id hosti formidolosissimum esse. Nam cum Latini, Hastatis & Principibus pulsis, hostem a se penitus jam profligatum existimarent, non poterant non ingenti formidine percelli, cum novam repente aciem hostium exurgentem cernerent; præsertim cum ea res præter opinionem ipsis prorsus eveniret. *Auctam* vero *numero* Livius dixit ob tres rationes. Prima est, quoniam manipuli Triariorum, Rorariorum & Accensorum, numerum militum in A aliis manipulis, senis superabant, uti demonstratum est. Altera, quod Hastati & Principes pulsi duos tantum constituerent ordines, Triarii vero, Rorarii & Accensi, qui adhuc integris erant viribus, tres. Tertia, quoniam ad hos ipsos iidem illi duo ordines fugati accedebant, qui altitudinem eorum augebant. Reliqua verba Livii cum sint clara, neque ulla explicatione egeant, omissis iis, ad Polybium, a quo digressi sumus, revertemur.

SECTIO XIII.

POLYBIUS.

ΕΑν δὲ πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσιν, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν τριαρίων τούτους ἀεὶ τοὺς ἴσους.

QUod si pluribus quam quatuor millibus Legio constet, eadem proportione eos dividunt exceptis Triariis, qui semper sunt numero eodem.

JAm supra dictum est, numerum tam peditum quam equitum in Legione fuisse varium, prout tempus & necessitas postularet. Quando igitur Legio constabat quater mille & ducentis militibus; Velites mille & ducentos implebant, totidemque Hastati & Principes; Triarii vero sexcentos. Si vero Legio plenior esset, ita ut quinque millibus peditum eam constitisse ponamus, Triariis semper eundem numerum, quem antea habebant, retinentibus, ut Polybius hic docet (in quo tamen dissentit a Livio,) supererant in reliquis ordinibus quater mille & quadringenti: Quibus B secundum proportionem in tres partes æquales divisis, quilibet ordo mille quadringentos & sexaginta sex pedites habuit, duobus superantibus. Pariter dicendum, Legionem, cum sexies mille peditibus constaret, sexcentos habuisse Triarios; eademque ratione, si quinquies mille & quadringentos reliquos in partes tres æquales dividas, Velites in ea mille & octingentos, totidemque Hastatos & Principes fuisse oportet. Et hæc proportio in omni alio numero militum, quo Legio quæque constabat, sive is major sive minor esset, observanda est.

PARS QUINTA.

De armis peditum.

SECTIO I.

POLYBIUS.

ΚΑὶ τοῖς μὲν νεωτάτοις παρήγγειλαν μάχαιραν φορεῖν, καὶ γρόσφους καὶ πάρμην· ἡ δὲ πάρμη καὶ δύναμιν ἔχει τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀρκοῦν πρὸς ἀσφάλειαν· περιφερὴς γὰρ οὖσα τῷ σχήματι, τρίπεδον ἔχει τὴν διάμετρον· προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ, ποτὲ δὲ καὶ λυκείαν, ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν· ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ἡγεμόσι προκινδυνεύοντες, ἐῤῥωμένως καὶ μὴ, διάδηλοι γίνωνται.

ET Velitibus quidem (junioribus) præcipiunt, ut ferant gladium, hastas & parmam. Parma & firmitatem habet a structura; & magnitudinem, quæ tegendo corpori sufficiat. Cum enim forma rotunda sit, habet diametrum tripedalem. Adornatur insuper Velitum quisque vili capitis tegumento, & interdum lupinam, aut aliquid ejusmodi sibi imponit, tutelæ simul & signi caussa, ut ductoribus ordinum, cum præ aliis strenue pugnaverint, possint innotescere.



1 VELES 2 HASTATUS 3 PRINCEPS 4 TRIARIUS 5 EQUES

INcipit hic Polybius agere de armis, quæ quatuor Peditum genera, ut & Equites habuerunt; quæ non ſolum in militibus leviter armatis, ſed etiam in aliis, pro temporis ratione, varia fuerunt. Quænam arma Romulus militibus ſuis dederit, conjici potius, quam certo ſciri poteſt, quoniam nec Plutarchus, nec Livius, nec Dionyſius, nec alius quiſquam auctor de illa armatura quicquam memoriæ prodidit; quamvis apud Livium jam ante tempora Servii Tullii, legatur de haſtis Equitum, gladiis Horatiorum, & ſcutis in hiſtoria Tarpejæ. Dionyſius in hiſtoria Tulli Hoſtilii mentionem quidem facit militum leviter armatorum, ſed de armis illorum nihil tradit. Idem vero Curiatiorum & Horatiorum pugnam deſcribens, eos non ſolum ſcuto & gladio, ſed etiam omni alia armatura ita inſtructos fuiſſe memorat, ut nulla pars corporis, qua quidem vulnerata mors haud dubie metuenda fuiſſet, intecta eſſet. Ex quo colligo, eos & galeam, & loricam, & tegumenta brachiorum femorumque, & ocreas habuiſſe. Cæterum, hæc minus convenire videntur cum iis, quæ Dionyſius & Livius de Servio Tullio memoriæ prodiderunt. Is enim, ut uterque teſtatur, Cenſu inſtituto, primam claſſem armis ſupra dictis inſtruxit, ſecundam vero & tertiam, paucioribus & levioribus: Unde ſuſpicandi locus eſt, Romanos ante ætatem Servii Tullii ejuſmodi armis uſos non fuiſſe. In deſcribendis deinde armis quartæ claſſis iidem auctores inter ſe diſcrepant, ut jam oſtenſum eſt; quoniam Livius ei dat haſtam & verutum; Dionyſius vero haſtam, ſcutum & gladium. Porro, quintæ claſſi Dionyſius tribuit jaculum & fundam; Livius *fundas, Lapideſque miſſiles*, abſque haſta. Camillus poſtea, teſte Plutarcho, galeas ex ferro fecit, cum antea, ut hi duo auctores tradunt, eſſent æreæ. Idem ſcuta lamina quadam ærea munivit adverſus ictus, qui a ponderoſis Gallorum gladiis ingerebantur. Et Livius, in loco ſupra expoſito, auctor eſt, Leves tantum haſtam & gæſa geſſiſse: Polybius vero hic memorat, Velites habuiſse gladium, parmam, groſphum & galeam. Notandum vero eſt, primam Velitum mentionem apud Livium occurrere lib. 6. Dec. III. ubi narratur hiſtoria obſidionis Capuæ. Ibi enim dicitur, inſtitutum tum fuiſse, ut Velites in Legione eſsent. Contigit hoc, anno centeſimo vigeſimo octavo poſt bellum cum Latinis geſtum, in cujus deſcriptione Livius inquit, arma Levium fuiſse *haſtam* & *gæſa*. Et lib. 10. ubi narratur prælium Scipionis cum Annibale, quod decem annis poſt obſidionem Capuæ accidit, hæc verba legun-

tur: *Vias patentes inter manipulos anteſignanorum Velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit.* Quaſi diceret, ante id tempus Levem armaturam non habuiſſe iſtud nomen, nec ea arma, utpote tunc demum inventa. Mutato enim veteri more, in locum eorum, qui gerebant haſtam, gæſum vel verutum, ſubſtituebantur Velites, de quibus ſic Livius lib. 6. Dec. III. *Eis parmæ breviores, quam equeſtres, & ſeptena jacula, quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale haſtis velitaribus ineſt.* At vero, poſtrema Livii verba haud obſcure indicant, Velites, de quibus hoc loco agitur, diverſos fuiſſe a Velitibus ordinariis, poſtea demum inſtitutis, quamvis nomine a ſeſe non diſtinguantur. Dubium hoc ſolvitur, ſi dicamus, priores quidem Velites, ea ratione armatos, inſtitutos fuiſſe ad uſum obſidionis Capuæ, ſeptem & octoginta annis poſt prælium Latinorum cum Romanis, deſcriptum a Livio lib. 8. Dec. I. Romani enim cum ab Equitatu Campanorum ſæpe victi eſſent, arte hac æquare ſtudebant, quod viribus deerat. Ex omnibus Legionibus juvenes vigore & levitate corporum maxime veloces eligebant, qui armis modo dictis induti, poſt equites equos aſcenderent, & ſigno dato perniciter deſilirent. Sed finita poſtea obſidione Capuæ, hic eorum uſus manſit, ut in Legionibus alios præcederent, retinentes haſtas tali ferro præfixas, armatique eo modo, quem Livius lib.8. Dec. IV. deſcribit: *Et cum cominus venerant, gladiis a Velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet, & in dextera haſtas, quibus eminus utitur: gladio Hiſpanienſi cinctus eſt. Quod ſi pede collato pugnandum eſt, translatis in lævam haſtis, ſtringit gladium.* Convenit hoc cum Polybio (qui vixit circiter ſexaginta annis poſt inſtitutos Velites) qui illis parmam ejuſdem magnitudinis, & haſtam & gladium adtribuit. Hæ haſtæ procul dubio differebant a pilis, quoniam Livius eas ſemper vocat haſtas, & nunquam pila. Verba modo allegata, iſta præcedunt apud Livium: *Conſul quia non cominus pugnam, ſed procul locis oppugnandis futuram præceperat animo, ingentem vim pilorum, Velitarium haſtarum, ſagittarum, glandis, & modicorum, qui funda mitti poſſent, lapidum paraverat.* In quo loco *Pila* & *Haſtæ Velitares* aperte diſtinguuntur. Polybius Pila vocat ὑσσὸς. Quare Laſcares in ſua verſione vocem γρόσφος male reddit *Pilum*; multoque gravius errant illi, quia *Pilis* Velites vocant *Pilanos*: quoniam Pila non erant arma Velitum, ſed Haſtatorum & Principum, quibus Polybius ὑσσὸς adtribuit. Triarii poſtea haſtas gerebant, quibus & Polybius paulo poſt eos armabit, & Livius in loco jam expoſito armavit. Sed verba Livii dubitandi locum præbere poſſunt. Si enim Velites non alia habuerunt arma, quam haſtam, gladium & parmam; quinam ii fuerunt, quos pila, ſagittas, glandes, & ſaxa cum fundis habuiſſe dicit? Ad quod reſpondendum eſt, Pila fuiſſe Haſtatorum & Principum. Nam in fine prælii iſtius Livius ait: *Legionum anteſignani pila conjecerunt.* Per *anteſignanos* Livius hic intelligit *Haſtatos* & *Principes*, qui quare ita dicti fuerint, jam ſupra abunde oſtenſum eſt. Hi ergo gerebant pila, & Velites haſtas Velitares. Sed ſagittis, glandibus & ſaxis hi ſequentes utebantur. *Et ab Attalo Cretenſes ſagittarii, & funditores & Triballi Thraces.* Hi omnes levis ibidem armatura vocantur. *Qui poſtquam ab levi armatura ſuperatos ſe viderunt.* Et poſtea: *Et cum levis armatura tale prælium ediderit* &c. Et in ſequenti prælio cum Gallis: *Conſul, ſicut in Olympo monte, locata levi armatura, telorum omnis generis ut æque magna vis ad manum eſſet, curavit.* Et paulo poſt: *Conſul jam per ſe turbatis, ſi Legionum ſigna oſtendiſſet, verſuros extemplo in fugam omnes ratus, receptis inter ordines Velitibus, & alia turba auxiliorum.* Quæ turba, uti in monte Olympo, erant ſagittarii, & funditores, Cretenſes, Triballi & Thraces, quos hoc loco ait fuiſſe auxiliares. Adeo ut, ſi legatur alibi poſt tempora Scipionis, in levi armatura fuiſſe ſagittarios, funditores, & ſimiles; auxiliares eos fuiſſe, intelligi debeat; Levemque armaturam Romanorum, fuiſſe Velites, galea, parma, gladio & haſta armatos. Quale armorum genus glans fuerit, ignoratur. Sciendum tamen, eam corporibus infigi potuiſſe. Ita enim Livius lib. 38. cap. 21. in deſcriptione prioris pugnæ inquit: *Iidem cum aculeus ſagittæ, aut glandis abditæ introrſus tenui vulnere in ſpeciem urit, & ſcrutantes quæ vellant, telum non ſequitur.* Ex quibus verbis apparet, eam habuiſſe aculeum, quo corpus penetrare poſſet; vel ſi habuit formam glandis vel globi Sclopetarii, magna ſane vi oportet tormento excuſſam fuiſſe. Id vero qua ratione factum ſit, apud nullum ſcriptorem reperire potui.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Τὸ δὲ τῶν γρόσφων βέλος ἔχει τῷ μὲν μήκει τὸ ξύλον, ὡς ἐπίπαν, δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον· τὸ δὲ κέντρον σπιθαμιαῖον, καὶ τοσῦτον ἐπὶ λεπτὸν ἐξεληλασμένον, καὶ συνωξυσμένον, ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν. εἰ δὲ μὴ, κοινὸν γίνεται τὸ βέλος.

GRoſphus telum eſt habens haſtile, duos ut plurimum cubitos longum; craſſum vero digitum unum. Ferrum illi eſt, ſpithamæ unius, eo tenuitatis atque acuminis perductum, ut neceſſario ſtatim a primo jactu reflectatur, neque remitti poſſit ab hoſtibus. Alioquin commune fiat hoc telum.

HÆc deſcriptio per ſe ſatis eſt clara, in qua quidem vocem Polybii *Groſphus* retinui, quoniam aliam in lingua noſtra non habebam, qua eam apte exprimere poſſem. Groſphus hic ob tam exiguam longitudinem, duorum nempe cubitorum, ſive trium pedum & paulo amplius, non meretur nomen haſtæ Velitaris, ut Livius hanc vocem reddit; convenitque potius cum veruto, quod Veget. lib. II. c. 15. his verbis deſcribit: *Aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, haſtili trium pedum & ſemis, quod tunc veruculum, nunc verutum dicitur.* At verte potius: *Quod tunc verutum, nunc veruculum dicitur.* Quot vero Groſphos ſive jacula, unum digitum craſſa, unuſquiſque Velitum habuerit nec Polybius, nec alius quiſpiam memorat. Sed veriſimile videtur, tot ſingulos habuiſſe, quot quiſque capere & comprehendere poſſet manu dextra, ex qua in ſiniſtram ea trans

ferebant, cum stringendus esset gladius, ut Livius loco supra allegato auctor est, ubi arma illorum describit. Sinistra manu insuper gestabant parmam, haud dubie prehensa ejus ansa, ut eo commodius jacula, tria ad summum vel quatuor, eadem manu tenere possent.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Τοῖς γε μὴν δευτέροις μὲν κατὰ τὴν ἡλικίαν, Ἀστάτοις δὲ προσαγορευομένοις, παρήγγειλαν φέρειν πανοπλίαν· ἔστι δ' ἡ Ῥωμαϊκὴ πανοπλία, πρῶτον μὲν θυρεὸς, οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐστὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων· τὸ δὲ μῆκος, ποδῶν τεττάρων· ὁ δὲ μείζων ἔτι καὶ παλαιστιαῖος.

Ætate proximis, quos Hastatos vocant, præcipiunt integram armaturam ferre. Ad eam vero pertinet, scutum primo, cujus latitudo est in superficie gibba duorum pedum & semis; longitudo, pedum quatuor: aut, si sit majus, ad hanc mensuram accedit palmus.

Descriptis armis Velitum, progreditur auctor ad πανοπλίαν sive integram armaturam militum statariorum, sive gravis armaturæ. In ea describenda initium facit a Scuto, quod θυρεὸν vocat, quam vocem Lascares male *Clypeum* reddit. Clypeus enim est *Aspis* Græcorum, ovi formam habens, qua Spartani & reliqui Græci uti solebant: θυρεὸς vero erat similis januæ, quoniam θύρα Græce januam significat, unde ea vox descendit, & proinde quadrilaterum, non ovatum fuisse oportet. Clypeus tamen non minus quam Scutum apud Romanos in usu erat, quoniam, ut ex Livio supra allegato vidimus, *Latini Clypeis Romanis usi sunt*; & postea, *Scuta sumpsere*. In multis præterea aliis locis Clypei mentio exstat. Romanis ergo usitatus fuit Clypeus, ad ovi formam accedens: Scutum vero, quadrilaterum, januæ instar. A Samnitibus postea tertium quoddam genus Scuti assumpserunt Romani, quod in marmoribus occurrit, parte superiore quadratum, & inferiore ovatum, quod in figura, superius proposita, Princeps manu tenet, ut Scutum Triarius, & Clypeum Hastatus. Tale Scutum Livius describit lib. 9. Dec. I. his verbis: *Forma erat Scuti, summum latius, qua pectus, atque humeri teguntur, fastigio æquali, ad imum cuneatior, mobilitatis causa*. Et hanc formam recens ab eis inventam fuisse dicit. Scutum ordinarium Romanorum, teste Polybio, in superficie gibba latum fuit duos pedes cum dimidio, ita ut latitudinem militis, qui istud gerebat, circiter uno pede excederet. Miles enim iste, pro communi humanorum corporum habitu, quantacunque esset crassitie & latitudine, vix mensuram pedis unius cum dimidio excedere poterat. Hac ratione igitur Scutum, ob majorem latitudinem, totum hominem tegere potuit. Notandum vero, Polybium dicere, in superficie gibba. Inde enim colligitur, Scuta non fuisse plana, sed incurva; idque ideo, ut corpora melius defenderent. De Gallis enim ante memoratis Livius dicit: *Scuta longa, cæterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipsa plana, male tegebant Gallos*. Cæterum, non satis capio, quare Scuta plana, si eadem satis lata sint, non satis corpora tegant, nisi forte ob hanc rationem, quod Scutum, si sit curvum, & ad pectus apprimatur, non solum latus sinistrum, sed etiam dextrum cingat, atque ideo tam a fronte, quam a lateribus corpus tutum præstet. Sin autem planum sit, nonnisi pectus solum tegere potest. Præterea, si forte contingat, ut, dum gladius manu dextra tractatur, Scutum ejusmodi a latere impellatur, situsque ejus rectus paulum mutetur; non solum latus dextrum, sed etiam totum pectus nudari necesse est. Unde apparet, Scutum planum, unum tantum latus tegere: Gibbum vero, si pectori admoveatur, tria latera; sin autem paulum inclinetur, unum latus integrum, & duo dimidia, idest, totum latus dextrum vel sinistrum, pectus dimidium, & tergi partem dimidiam. Quanquam autem hæc ita sese habeant, Romani tamen, non obstante Polybii auctoritate, Scutis etiam planis usi esse videntur, tempore florentis adhuc militiæ, idest, paulo post mortem Cæsaris. Testatur id satis aperte Dio Lib. XLIX. ubi testudinem, quam Antonius milites suos condensatis clypeis adversus sagittas Parthorum facere jussit, his verbis, secundum interpretem Latinum, describit: *Hæc testudo talis est, & hoc modo fit. Impedimentis & levis armaturæ militibus, equitibusque in medio exercitus collocatis, gravis armaturæ pedites, hi qui oblongis clypeis cavis, ac in morem tubi incurvatis, utuntur, in extremis partibus, velut in laterculo quodam ita collocantur, ut ad hostem spectantes, & armis tecti, cæteros undique contineant. Alii qui lata gestant scuta, in medio conferti, ea supra se & reliquos omnes tollunt, ita ut nihil aliud quam clypei per totam phalangem conspiciantur, omnesque propter densitatem ordinum a telis tuti sunt. Est enim hæc clypeorum densatio adeo firma, ut & super ea ingredi aliquot homines possint, & equis eadem vehiculisque ferendis sit, si in cavo & angusto loco constipetur. Hæc est figura illius ordinis, nomenque testudinis & propter firmitatem, & quod tam egregie exercitum contegit, invenit. Usus porro ejus duplex est. Nam aut in oppugnando aliquo loco facta testudine succedunt ad murum, ac sæpenumero quosdam ea exceptos in ipsum murum attollunt: Aut a Sagittariis circundati, omnes simul inclinato corpore subsidunt, (nam & equos se in genua submittere adsuefaciunt) hostibusque speciem defatigatorum præbent, quibus accedentibus repente consurgunt, illisque terrorem incutiunt*. Ejusmodi testudinem in oppugnatione Cremonæ fecerunt Vitelliani, teste Tacito; & Cestius, cum militibus tali testudine tectis, mœnia Hierosolymæ subiit, cuniculosque sub iis egit, ut lib. 2. Josephus narrat. Talis etiam testudinis ope, pluribus ordinibus sibi invicem impositis, capta est Heraclea, urbs Macedoniæ, teste Livio lib. 5. Dec. V. Quod autem Dion dicit, eos, qui lata Scuta gestarent, se aliosque contexisse, de Scutis planis necessario intelligendum est. Si enim curva fuissent, haud sane tam apte jungi & conferi potuissent, ut equis, jumentis & vehiculis commodum supra se transitum præbuissent; neque ii, qui Heracleam ceperunt, in gibba eorum superficie firmo gradu stare potuissent, altera testudine alteram sustinente. Quare statuamus necesse est, Scuta hæc fuisse plana. Scuta hic voco, quæ Dio improprie *Aspides* appellat, quam vocem alias *Clypeum* significare dixi. Nam si ex Clypeis, qui erant ovati, testudines factæ fuissent, multo minus eum, quem dixi, usum præbere potuissent. Et hæc de latitudine & plana scutorum superficie dicta sunto. Quod ad longitudinem

adtinet, Polybius ea quatuor pedes longa fuisse scribit, additis quatuor digitis, si majora essent. Hæc longitudo sufficiebat toti pene militum corpori tegendo, quoniam vulgaris hominum statua non solet quinque pedes excedere. Unde colligitur, milites non plus quam dodrantem pedis, vel ad summum, unum pedem supra Scutum prominuisse. Quod si iidem paulum se inclinarent, totum utique corpus objecto Scuto tegere poterant; A quamvis iis, qui statura erant breviore, nulla corporis inclinatione opus esset. Scutum ergo milites ab omnibus telorum & jaculorum ictibus tutos præstabat, non vero sola lorica; uti nec hodiernæ loricæ, quas corsalettas vocant, milites ab omni parte tutantur, sed faciem, partemque corporis, quæ est infra medium femur, intectam, Turcarum & Tartarorum telis exponunt.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Ex διπλῦ σανιδώματος ταυροκόλλη πεπηγὼς, ὀθονίῳ, μετὰ δὲ ταῦτα μοσχίῳ δέρματι περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν· ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται, καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξερείσεις· προσήρμοσται δ' αὐτῷ καὶ σιδηρᾶ κόγχος, ἣ τὰς ὁλοσχερεῖς ἀποστέγει πληγὰς, λίθων καὶ σαρισσῶν, καὶ καθόλου βιαίων βελῶν.

Est ex duplici tabulato glutine taurino compactum: Extrema superficies linteo, deinde vitulino corio circumtegitur. In ambitu circa superam inferamque partem ferream habet laminam, qua adversus cæsim illatos ictus, & contra depositiones in terram munitur. Adaptatur etiam illi ferreus umbo, qui vehementiores ictus lapidum, sarissarum, omniumque violentorum telorum avertit.

Magna sane cum diligentia Polybius scutum describit, utpote præcipuum ex iis armis, quæ militibus tegumento erant, quoniam non ab una tantum parte corporis, uti galea, lorica & ocreæ, sed a toto corpore telorum ictus propulsabat; telorum, inquam, tam quæ cominus feriebant, quam quæ eminus mittebantur. Cominus gladiorum ictus, qui cæsim inferebantur, depellebat; quem in finem ferrea quadam lamina, ut Polybius ait, in ambitu munitum erat. Plutarchus vero scribit, Camillum lamina ærea Scutum circumdedisse; quæ certe id adversus quosvis gladiorum ictus, æque munire potuit. Duplex illud tabulatum, ex quo Scutum constabat, taurino glutine erat compactum, linteoque & corio vitulino tectum. Ad cujus compacturæ similitudinem quodammodo accedit conglutinatio clypeorum nostrorum, non quidem quæ in iis fit inter duas tabulas, sed extrinsecus sub pictura, cujus loco Romani olim scuta sua contegebant corio vitulino, quod non solum arctissime ea colligabat, sed etiam siccatum non parum per se vim telorum hostilium retundebat. Neque ictus gladiorum tantum hæc scuta propulsare poterant, sed etiam hastarum, imo sarissarum quoque, quæ erant hastæ Macedonicæ, longæ sedecim cubitos, idest, pedes viginti quatuor, qui faciunt duodecim brachia, sive passus quatuor cum pedibus quatuor. Ad eam longitudinem nulla hodie hastarum nostrarum, quas *piquas* vocant, pertingit. Piqua vero nostra, cum nullam aliam ob causam, quam ob suam lon- B gitudinem, pro telo maxime violento habeatur; Sarissam utique tanto violentiorem fuisse oportet, quanto eadem fuit longior. Adversus hanc ipsam tamen satis validum quoque munimentum fuit Scutum Romanum, quod umbone suo ferreo vehementissimos quoque ictus saxorum, omniumque missilium telorum, veluti pilorum, hastarum, sagittarum & glandium, sustinere poterat. Et illa quidem omnia tanto majore cum impetu incidebant, quanto ex longiore intervallo mitterentur, nisi alia præ aliis majore vi ipsis tormentis excussa essent. Cæterum in tam diligenti & accurata descriptione Scuti Polybius non docet, an umbo totum scutum contexerit, vel majorem saltem ejus C partem, an vero medium tantum occupaverit. Si enim totum Scutum, vel saltem majorem ejus partem obduxit, videtur id ob nimiam ponderis gravitatem vix gestari potuisse: sin autem medium tantum Scuti, umbone munitum fuit, uti hodie in rotundis quibusdam clypeis cernitur, qui ex Azimia afferuntur, umbonem ferreum in medio habentes; Scuta in ea quidem parte, quæ umbonem habebat, vehementiores ictus depellere potuisse videntur, non etiam in aliis. Certe si quibusdam marmoribus, quæ hodienum exstant, fides adhibenda est, D umbo tantum in medio fuit, & nonnulla Scuta per superficiem distincta fuerunt laminis quibusdam ferreis, quæ obliquis suis ductibus, serpentum meatus, vel fulguris descensum effingentes, scutis robur & firmitatem adversus saxorum aliorumque telorum ictus addebant.

SECTIO V.

POLYBIVS.

Ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιρα· ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρόν. Καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἰβηρικήν. ἔχει δ' αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι.

Simul cum scuto gladium habent, quem ad latus dextrum gestant. Hispaniensem ipsi vocant. Habet autem & mucronem eximium, & ictum utrinque vehementem, quoniam lamina ejus firma est & valida.

Tanti faciebant Romani Scutum suum, ut, ne ulla res obstaret, quo minus commode eo uterentur, latus dextrum non accingerent gladio, E quemadmodum hodie omnes nationes faciunt, quibus proinde gladiis, quatuor pedes vel plures longis, uti licet. Romani vero malebant potius gladiis

brevioribus rem gerere, quo Scutum eo commodius tractare poſſent. Et erat ſane omnino neceſſarium, ut gladii illorum eſſent breviores, quoniam non ſolum lateri dextro eos accingebant, ſed etiam manu dextra e vagina educebant. Pyrrhus Ligorius, Vir Antiquitatum peritiſſimus, communicavit mecum eorum formam & menſuram, ſecundum quam lamina duos & viginti pollices longa erat; affirmavitque idem Vir doctiſſimus, ſe tres vel quatuor gladios hujus longitudinis vidiſſe, ex antiquis monumentis effoſſos. Cæterum breviores mihi gladii iſti videntur, quam ut ullum Equitibus uſum præbere potuerint: Et tamen apud Livium lib. 1. Dec. IV. equites in prælio contra Philippum Macedoniæ Regem, equitatum hoſtium impetu facto perrumpentes, ſtrenue gladiis uſi eſſe leguntur; eoſque paulo longiores fuiſſe marmora etiam fidem faciunt. Verum eſt, tempore Veſpaſiani, ut narrat Joſephus, Romanos gladium geſtaſſe ad latus ſiniſtrum; pugionem vero, duodecim digitorum menſuram non excedentem, ad latus dextrum. De gladio autem addit, eum pugione multo longiorem fuiſſe. Nihilominus in columnis Antonini & Trajani conſpiciuntur gladii breviores, iique non e cingulo, medium corpus ambiente, ut hodie apud omnes pene nationes fit; ſed ex baltheo, qui ab humero ad oppoſiti lateris femur tranſverſus deſcendit, pendentes, more apud Græcos antiquiſſimo, cujus etiam Homerus meminit. Et hodie quidam Sagati hac ratione cincti ſunt, non quia ita moris eſt, ſed quia præcipui quid affectant. De longitudine autem gladii Polybius tacet, ſed monet tantum, eum ancipitem habuiſſe aciem, mucronemque acutiſſimum & laminam firmam validamque; videturque is non multum diſcrepaſſe a forma illorum gladiorum, quos noſtrates *Stocco* vocant; quamvis in marmoribus capulo ampliore & latiore conſpiciantur. Mucro autem erat acutiſſimus, quoniam Romani, teſte Vegetio lib. 1. cap. 12. punctim, non cæſim hoſtem petebant, ob eximias illas rationes, quas Vegetius eo loco adducit, ridebantque eos, qui hoſtem cæſim ferirent. Quare ſi jam reviviſcerent priſci illi Romani, riderent utique gladios duarum ferociſſimarum, formidoloſiſſimarumque nationum, Germanorum nempe & Turcarum, aliorumque Orientis populorum; utpote quibus punctim hoſtis feriri nequit. Cum Vegetio pugnare videtur Livius, qui lib. 1. Dec. IV. ubi de bello, contra Philippum Regem Macedoniæ geſto, agit, ita inquit: *Nam qui haſtis ſagittiſque, & raro lanceis vulnera facta vidiſſent, cum Græcis Illyriiſque pugnare aſſueti, poſteaquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora, brachiis*

A *abſciſſis, ac tota cervice deſecta, diviſa a corpore capita, patentia viſcera, & fœditatem aliam vulnerum viderunt, adverſus quæ tela, quoſque viros pugnandum eſſet, pavidi vulgo cernebant.* Hæc ſane vulnera Romani non punctim, ſed cæſim ferientes infligere Macedonibus potuerunt, habenteſque gladium, cui ſatis lata eſſet lamina. Et ut mihi quidem videtur, gladii illi, quos hodie vocant Bolonienſes, quod ad longitudinem, latitudinem & mucronem, valde ſimiles ſunt iis gladiis, quos Romani, ut Livius hic ait, Hiſpanienſes vocabant. Notandum vero eſt, vulnera hæc inflicta fuiſſe ab equitibus: unde colligitur, & illos gladiis B ejuſmodi Hiſpanienſibus uſos eſſe. Velitibus quoque eundem gladium tribuit Livius, loco ſupra adducto, quo arma eorum deſcribit. Idem lib. 7. Dec. I. Manlium cum Gallo pugnaturum his inſtruit armis: *Armant inde juvenem æquales, pedeſtre ſcutum capit, Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam.* Manlius nimirum pedeſtre prælium initurus, omiſſis armis ſuis equeſtribus, pedeſtre ſcutum capit (non velitare, quod erat parma) & gladium Hiſpanum, qui ad propiorem habilis erat pugnam. Hæc verba nos dubitare non ſinunt de brevitate gladii Hiſpanienſis. C Ego ex hoc loco tria colligo: primum eſt, Scutum peditum, diverſum fuiſſe a Parma equitum. Alterum, gladium equitum fuiſſe longiorem gladio peditum; quoniam ſi is fuiſſet æque longus, vel brevior, Manlius hunc altero non mutaſſet, ut gladium ad propiorem pugnam habilem caperet; quo poſtea quoque hoſtem punctim occidit. Cæterum, hodiernis temporibus mos plane contrarius uſu invaluit, quoniam pedites, qui quam proxime ad hoſtem accedere poſſunt, gladiis longioribus utuntur; Equites vero, quibus per varios equi motus fræna aliquando recuſantis, ejuſdemque caput, collum & pectus, ab ephippio longe prominentia, hoſtem D ex loco proximo ſemper ferire non licet, breviores geſtant. Nam ſi hoſtem habeant a fronte, vel a latere ſiniſtro, tam prope ad eum accedere vix poſſunt, ut tales gladii ipſis uſui eſſe queant. Quare breviores iſti gladii equitibus non poſſunt, niſi quando a latere dextro hoſtis ipſis eſt proximus. Multo vero minus iis utiles eſſe poſſunt machæræ illæ breviores, quas capiti ephippii hodie annexas habere ſolent. Tertium eſt, equites tempore quidem Philippi, non vero Manlii, gladium Hiſpanienſem geſtaſſe, eumque non alium fuiſſe, quam quo pedites gravis armaturæ non ſolum Manlii & Polybii, ſed etiam ſequentibus temporibus uſi fuerunt. Omnia ergo militum Romanorum genera eoſdem tandem gladios geſtare cœperunt.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Πρὸς δὲ τούτοις, ὑσσοὶ δύο, καὶ περικεφαλαία χαλκῆ, καὶ προκνημίς.

Accedunt pila duo, & galea ærea, & ocreæ.

Quod Polybius ſupra *groſphum* vocabat, Velitum telum, & Livius ſimpliciter *haſtam*, Laſcares, uti dictum, *pilum* interpretatur: & quæ arma hic Polybio *hyſſi* dicuntur, idem *veruta* reddit; alii vero, *gæſa*. Quoniam enim Livius lib. 8. *haſtam* & *gæſa* jungit; & in Cenſu, *haſtam* & *verutum*; exiſtimant illi *gæſa* & *verutum* idem fuiſſe telum. Sed ego arbitror, duorum illorum telorum, quæ hic Polybio *hyſſi* dicuntur, majus quidem fuiſſe haſtam, quam Vegetius *pilum* vocat; minus vero, non aliud, quam quod a Livio *gæſum*, & ab

E eodem, nec non Vegetio, *verutum* appellatur. Deinde cum Livius dicit *conjectis pilis*, vel ſimili loquendi modo, eum non diſtinguere pilum majus a minori, ſed utrumque ſimplici *pili* nomine appellare. Dicit ergo Polybius, gravis armaturæ milites geſtaſſe duos ὑσσούς, vel gæſa, vel pila, vel veruta, vel ſi quod aliud nomen iis indere placeat, quorum diverſam magnitudinem mox oſtendet; & galeam æream. In quo cum Livio conſentit, qui in Cenſu dicit: *Omnia ex ære, galea, clypeus, lorica, & ocrea.* Iidem etiam geſtabant ocreas dimidiatas tantum

tantum crus tegentes, factas ad modum earum, quæ hodie *horzachini* vocantur, quales & marmora ostendunt. Harum nonnullæ ex una lamina totæ constabant, erantque non solum adversus cæsam, sed etiam punctam firmæ; nonnullæ vero ex laminis, quodam inter se spatio distinctis, & in morem serpentum oblique ductis, factæ erant, quæ tantum adversus cæsam crus muniebant. Credo autem eas sic perforari solitas fuisse, ut crura gestantium minus onerarent; & ob causam eandem breviores eas fuisse existimo, quoniam, licet scutum paulum attolleretur ad caput defendendum, crurum tamen pars superior, quamvis ocreis nuda, ob scuti longitudinem ab ictibus satis tuta erat. Ocreas has quidam Jurisconsultus *tibialia* vocat. Mirum autem videri possit, equites non gestasse longiores ocreas quam pedites (modo marmora hic non fallant,) dextrumque genu cum femore & crure dimidio nudum habuisse, quæ tamen corporis pars, A homini in equo sedenti; omnium maxime ad ictus patet (sinistrum enim a scuto tegitur.) At non possum mihi persuadere, Romanos adeo providos & cautos circa ea, quæ ad armaturam pertinerent, huic parti corporis nullum tegumentum dedisse, sive id esset ex ære, sive ex ferro, sive ex texto lineo, ex quo etiam loricæ confiebant. Quod vero ad ocreas adtinet, Vegetius affirmat, Romanos dextro tantum cruri eas induxisse, quod, cum gladio cominus rem gererent, pedem dextrum inante haberent, eumque ideo scuto minus tectum. Livius vero B de Samnitibus lib. 9. Dec. I. inquit: *Sinistrum crus ocrea tectum*. Et Polybius hic de ocrea, numero unitatis, loquens, sententiam istam confirmare videtur. Sed Livius in Censu, *Galea, Clypeus, Ocreæ, Lorica. Ocreæ* pluraliter dixit, ideoque de duabus, non vero una intelligendus. Dionysius quoque numero multitudinis Ocreas dixit, & monumenta lapidea de binis, non de una fidem faciunt.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Τῶν δὲ ὑσσῶν εἰσὶν οἱ μὲν παχεῖς, οἱ δὲ λεπτοί· τῶν δὲ στερεωτέρων, οἱ μὲν στρογγύλοι παλαιστιαίαν ἔχουσι τὴν διάμετρον· οἱ δὲ τετράγωνοι, τὴν πλευράν· οἵ γε μὴν λεπτοὶ σιβυνίοις ἐοίκασι συμμέτρους, οὓς φοροῦσι μετὰ τῶν προειρημένων· ἁπάντων δὲ τούτων τοῦ ξύλου τὸ μῆκός ἐστιν, ὡς τρεῖς πήχεις· προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις, οὗ τὴν ἔνδεσιν καὶ τὴν χρείαν οὕτως ἀσφαλίζονται βεβαίως, ἕως μέσον τῶν ξύλων ἐνδέοντες, καὶ πυκναῖς ταῖς λαβίσι καταπερονῶντες· ὥστε μὴ πρότερον τὸν δεσμὸν ἐν ταῖς χρείαις ἀναχαλασθῆναι, ἢ τὸν σίδηρον θραύεσθαι, καίπερ ὄντα τὸ πάχος ἐν τῷ πυθμένι, καὶ τῇ πρὸς τὸ ξύλον συναφῇ τελῶν ἡμιδακτυλίων· ἐπὶ τοσοῦτον καὶ ταύτην πρόνοιαν ποιοῦνται τῆς ἐνδέσεως.

Pilorum autem alia sunt crassa, alia tenuia. E crassis & firmioribus rursus alia rotunda, quæ palmarem habent diametrum; alia quadrangula, quæ latus. Tenuia autem sibynis modicis assimilantur, quæ gestant cum jam dictis. Istorum omnium hastile, tria fere cubita longum est. Aptatur singulis telum ferreum, hamatum, paris longitudinis cum ipsis lignis: cujus nexum usumque adeo firmant valide, ad medium usque ligni religantes, & crebris fibulis adstringentes, ut non ante nexus inter utendum laxetur, quam ferrum frangatur; etsi crassum in fundo, & qua ligno committitur, digitum unum cum dimidio. Usque adeo magna cautione prospiciunt huic nexui.

Magni sane Polybius facere videtur veterum Romanorum pila (ita enim Polybii ὑσσοὺς in posterum appellabimus, ne semper de voce litigemus) quoniam adeo prolixe, & tanta cum diligentia ea describit. In ipsis his pilis vero nihil tantopere admirari videtur, quam nexum illum, quo ferrum cum hastili committebatur, quoniam eum satis longo verborum ambitu sollicite describit. Quamvis autem hæc ita sese habeant, non videtur tamen pili hujus structuram curiosius indaganti plene satisfacere, eique omnes scrupulos eximere. Præterquam enim quod de usu ejus taceat, quædam etiam affert, quæ dubio & difficultate sua non carent. Antea dixerat, milites binis esse armatos pilis; nunc addit, horum pilorum alia esse crassiora, alia tenuiora; non satis clare exprimens, utrum binorum horum pilorum alterum fuerit crassius, & alterum tenuius; an vero in genere de omnibus pilis Romanorum loquendo, alia eorum crassiora, alia vero tenuiora fuerint. Quamvis in eam inclinem sententiam, ut existimem, verba hæc intelligenda esse de duobus illis pilis, quibus singuli milites instructi erant, eorumque alterum fuisse crassius, alterum vero tenuius; nec aliud significare velle Livium, cum *hastam* & *verutum*, vel *hastam* & *gæsum* junctim nominat. E crassioribus alia rotunda fuisse, porro dicit, alia quadrata; dubiumque manet, utrum de hastili, an vero de ferro hæc verba capienda sint. Appianus vero in Celtic. ita inquit: *Τὰ δὲ δόρατα ἦν οὐκ ἐοικότα ἀκοντίοις, ἃ* C *Ῥωμαῖοι ὑσσοὺς καλοῦσι ξύλου τετραγώνου τὸ ἥμισυ, καὶ τὸ ἄλλα σιδήρου τετραγώνου, καὶ τοῦδε μαλακοῦ, χωρίς γε τῆς αἰχμῆς. Erant hastæ non similes jaculis, quæ Romani Hyssos vocant, e ligno quadrato parte media, parte reliqua e ferro quadrato, atque eo molli, excepto mucrone.* Pergit Polybius, & dicit, hastile longum fuisse tria cubita, quæ sunt quatuor pedes cum dimidio; additque ferrum æque longum fuisse ac hastile, id est, quatuor pedes & dimidium. At vero, quis gestet ferrum in parte extrema, palmum; idest, quatuor digitos, crassum (quam mensu- D ram Polybius *παλαιστιαίαν* vocat) longum vero, paulo minus passum? quis adeo sit robore viribusque pollens, qui id manu tractare, & in hostem jaculari queat, quamvis in acumen paulatim gracilescens? Sed nodum hunc Polybius solvit, cum paulo post addit, ferrum hoc ad medium usque, ligno insertum fuisse. Necessario itaque dimidius ligni ferrique modus perit, & utrique cubitus unus & semis decedit, retinuitque hac ratione tota pili longitudo quatuor cubitos & dimidium; unum nempe & dimidium, solum lignum; unum & dimidium, ferri ligni que nexus; unum denique & dimidium, so- E lum ferrum in mucronem prominens; quæ quidem magnitudo non enormis, sed justa fuit. Nexus, sive immissio ferri in lignum multis & crebris fibulis erat adstricta, ne facile laxaretur; & ferrum in fundo ejus, idest, ubi extra lignum prominere incipiebat, crassum erat di-

gitum unum cum dimidio, quod inde in acumen paulatim desinebat. Ad acumen istud sive mucronem erat hamus, sive uncinus, ne telum corpori impactum facile & absque laceratione membrorum inde evelli posset. Ad eundem modum quædam gentes, & imprimis Candiotæ sagittarum suarum spiculis hamos addunt. Mucro erat ex ferro duro, ut Appianus dicit,& supra Polybius de grosphis Velitum dixerat: reliquum vero molle, ne scilicet frangeretur telum, sed reflecteret acumen, eoque reflexo non posset ab hoste remitti, sed corpori vel scuto transverberato inhærens, pendulum traheretur, hostemque prægravaret. Verum est, quædam pila fuisse quadrata, quoniam & Polybius & Appianus id testantur, quorum singula latera habebant latitudinem quatuor digitorum, in parte nimirum inferiore, ut credo, non vero superiore, versus quam,inde ab initio nexus seu devinctionis, paulatim gracilescebant, ut eo commodius tractari & vibrari possent.Lignum ipsum usque ad mediam tantum pili partem erat quadratum, ut ex Appiano apparet; idque excipiebat postea ferrum pariter

A quadratum, eo loco, quo nexus sive commissuræ initium erat, uti Polybius affirmat. Rotunda quoque pila quædam erant, quæ in parte inferiore habebant diametrum palmarem, paulatim deinceps, uti quadrata, in acutum coeuntia. Tanta igitur pilorum crassities Romanis placuit, ut telum istud pondere suo gravius & vehementius in hostem incideret. Præter hoc crassius, milites tenuius quoque pilum habebant, longitudinis & nexus ejusdem, quod ob levitatem suam tunc usui esse poterat, quando longius jaculandum erat. Vegetius, qui circiter annis quingentis & triginta post Polybium vixit, in describendis pilis nonnihil ab eo B discrepat. Dicit enim, lignum eorum fuisse longum quinque pedes & dimidium; ferrum vero triangulum, digitos duodecim, qui faciunt dodrantem pedis: ita ut tota longitudo fuerit pedum sex, uniusque quadrantis. Et hæc de pilo majore. In minore lignum erat longum tres pedes & dimidium; ferrum vero, quinque uncias, sive pedem dimidium, paulo minus. Hinc tota ejus longitudo quatuor pedum fuisse colligitur.

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ, καὶ πτεροῖς φοινικίοις, ἢ μέλασιν, ὀρθοῖς τρισὶν, ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος ὧν προστεθέντων κατὰ κορυφὴν ἅμα τοῖς ἄλλοις, ὁ μὲν ἀνὴρ φαίνεται διπλάσιος ἑαυτοῦ κατὰ τὸ μέγεθος, ἡ δ' ὄψις καλὴ καὶ καταπληκτικὴ τοῖς ἐναντίοις.

Super hæc omnia adornantur apice plumeo, pennisque tribus puniceis aut nigris, iisque rectis, & longitudine fere cubitalibus. Quæ ubi cæteris armis ad summum verticem accesserunt, vir duplo major apparet, speciesque inde existit pulchra & hosti formidolosa.

Apud omnes pene populos hodieque in usu sunt apices plumei, sive cristæ; modo tamen & more diverso. Nonnulli enim pennas majores, quidam minores; alii plures, alii pauciores, vertici aptant. Sæpius tamen equites quam pedites C pennis uti solent, iisque altioribus, & pulchrioribus. Præ cæteris autem quidam Turcarum, dicti Dellii, supra alios ferocia militari, cristis plumeis superbire, iisque non solum suum, sed etiam equi sui caput adornare solent.

SECTIO IX.

POLYBIUS.

Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ προσλαβόντες χάλκωμα σπιθαμιαῖον πάντῃ πάντως, ὃ προστίθενται μὲν πρὸ τῶν στέρνων, καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα, τελείαν ἔχουσι τὴν καθόπλισιν.

At plerique capientes æream laminam duodecim digitorum ab omni parte, eam pectori apponunt, & vocant pectorale; ac sic plenam habent armaturam.

Nec Livius, nec Dionysius in Censu, aliove in loco, nec ullus alius scriptor hujus pectoralis mentionem facit: ne ipse quidem Polybius;præterquam hoc loco. Equidem, quale id fuerit, ignoro. Videtur id autem simile fuisse pectorali illi, quo quidam Germani interdum utuntur, qui forte ob exiguas patrimonii sui facultates integram loricam sibi parare non possunt. Et in hoc bello, quod D Veneti cum Turcis gerunt, cohors quædam centenaria fuit, cujus milites gestabant dimidiatam loricam, quæ pectus vix ad mamillas usque tegebat: inde descendens in acutum paulatim coibat, adeo ut miles paululum se inclinans extremæ partis cuspidem ventri suo infigeret. Eadem pectoralis hujus forma & longitudo a tergo quoque erat.

SECTIO X.

POLYBIUS.

Οἱ δὲ ὑπὲρ τὰς μυρίας τιμώμενοι δραχμὰς, ἀντὶ τοῦ καρδιοφύλακος σὺν τοῖς ἄλλοις, ἁλυσιδωτοὺς περιτίθενται θώρακας.

Qui tamen super decies mille drachmas censi sunt, ii loco pectoralis super cetera arma loricas capiunt hamatas.

Ex his verbis intelligitur, pectorale istud a pauperioribus gestatum fuisse, quamvis, uti jam dictum, nec in Censu Servii Tullii, nec alibi, ejus E facta sit mentio. Livius vero memorat, secundæ classi, intra centum usque ad quinque & septuaginta millium censum institutæ, loricam fuisse ad-

emptam. Idem de iis affirmat Dionysius, qui intra decem millia drachmarum censi erant. Has loricas Polybius Græca voce ait fuisse ἁλυσιδωτὰς, quod omnes interpretantur *hamatæ* vel *ex hamis factæ*. Id quidem non aliud esse potuit, quam quod vernacule *maglia* dicimus, sive opus ex hamulis vel catenulis sibi invicem innexis consertum. Hujus generis loricas quidam lapides antiqui adhuc ostendunt. Præter has, aliæ fuerunt φολιδωτοὶ, idest, squamatæ, ut Plutarchus in Lucullo eas vocat, quas ad loricas nostras ex laminis factas accessisse puto. Aliæ pectus & tergum uno & continuo tegmine circundabant, eæque ex diversa materia fieri solebant. Nonnullæ enim illarum, testibus Livio & Dionysio, erant æreæ; nonnullæ,

A ferreæ; aliæ vero lineæ, sive ex texto lineo. Hujusmodi fuit lorica Galbæ, cum occideretur; necnon Alexandri Magni: & Plutarchus in Vita Crassi, mentionem facit loricæ, ex crudo corio bovino factæ. De tegumentis humerorum, brachiorum, cubitorumque hamatis, nec non chirothecis, & lapides & libri, quantum memini, tacent, nisi quod in historia Imperatorum mentio humeralium occurrat. Xenophon quoque tali tegumento maritum formosæ Pantheæ armat. Et, si verum est, veteres Romanos militum suorum brachiis & manibus, saltem dextris, quibus gladios tractabant,

B de nullo tegumento prospexisse, non minus id mirum foret, quam eosdem equitum quoque genua non armasse.

SECTIO XI.

POLYBIUS.

Ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς καθοπλίσεώς ἐστι καὶ περὶ τοὺς πρίγκιπας καὶ τριαρίους· πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ τριάριοι δόρατα φοροῦσιν.

EOdem modo armantur & Principes & Triarii, nisi quod Triarii pro pilis hastas gerunt.

ARma, quæ Polybius Hastatis, eadem Principibus quoque & Triariis tribuit, tam ea quibus ictus inferuntur, quam quibus propulsantur, veluti scutum, galeam, & plerisque eorum pectorale; iis autem qui supra decem millia drachmarum censi erant, loricas hamatas. Quoniam enim in ordinibus his describendis ætatis præcipue, non autem facultatum habebatur ratio, probabile est, in singulis & ditiores fuisse, & pauperiores, horumque forsan maximam fuisse partem.

C Cæterum, Triarios armatos fuisse hastis, Livius & Polybius uno consensu tradunt; existimoque, hastas has easdem esse, quas Livius in bello Africano Scipionis, *hastas longas* vocat. Hæ hastæ ad jaculandum aptæ erant, præcipue e loco superiore, ut ex verbis his Livii lib. 7. Dec. I. apparet: *Præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastæque, non tanquam ex æquo missa, vana (quod plerumque fit) caderent.*

PARS SEXTA.

De Electione Centurionum.

SECTIO I.


POLYBIUS.

Ἐξ ἑκάστου δὲ τῶν προειρημένων γενῶν, πλὴν τῶν νεωτάτων, ἐξέλεξαν ταξιάρχους ἀριστίνδην δέκα· μετὰ δὲ τούτους ἑτέραν ἐκλογὴν ἄλλων δέκα ποιοῦνται. Καὶ τούτους μὲν ἅπαντας προσηγόρευσαν ταξιάρχους· ὧν ὁ πρῶτος αἱρεθεὶς, καὶ συνεδρίου κοινωνεῖ. Προσεκλέγονται δ' οὗτοι πάλιν αὐτοὶ τοὺς ἴσους οὐραγούς.

EX singulis, quæ sunt exposita, generibus, exceptis natu minimis, ordinum Ductores decem eligunt, pro cujusque virtute. Post illos altera electione iterum decem: atque hos appellant ordinum Ductores; quorum is, qui primo loco est electus, consilii particeps est. Illi autem rursus totidem Uragos, sive coactores agminis, eligunt.

DElectu legionis habito, ordinibusque Hastatorum, Principum & Triariorum constitutis, Tribuni duplici electione, eos, qui rei militaris præ cæteris erant periti, Ordinum Ductores creabant. Hos Polybius Græce ταξιάρχους vocat, & ἡγεμόνας, idest, *Duces*, & postea, voce Latina, *Centuriones*. Decem primi electi quodam dignitatis gradu reliquos antecedebant, quoniam consilii militaris erant participes. Et hi sunt ii, ut ego arbitror, qui vocabantur *Primipili*, sive Centuriones

D primi pili, & primorum ordinum, quorum crebra quidem, at obscura, apud historicos exstat mentio. Electis decem prioribus, eligebantur decem reliqui, qui pariter erant Centuriones. Addit Polybius, Centuriones tam primi quam secundi ordinis elegisse postea viginti Tergiductores manipulorum vel centuriarum suarum; qui omnes erant pars corporis jam electi, neque extra ejus numerum censebantur.



2. Sacramentum militare. 4. Signa traduntur Signiferis. 6. Centuriones Electi. 7. Tergiductores electi.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Ἑξῆς δὲ τούτοις μετὰ τῶν ταξιάρχων διεῖλον τὰς ἡλικίας ἑκάστην εἰς δέκα μέρη, πλὴν τῶν γροσφομάχων. Καὶ προσένειμαν ἑκάστῳ μέρει τῶν ἐκλεχθέντων ἀνδρῶν δύο ἡγεμόνας καὶ δύο οὐραγούς.

SEcundum hæc una cum Ordinum Ductoribus dividunt ætates ſingulas ſive genera in decem partes, exceptis Velitibus: & adtribuunt cuique parti ex viris jam electis duos Duces & duos Uragos.

A

MIlites hi diverſorum generum & ætatum, ex quibus eligebantur Centuriones & Tergiductores, ideſt Haſtati, Principes & Triarii, (Velites enim non veniunt in hunc cenſum) in decem tribuebantur partes æquales; adeo ut Haſtati in tota legione, quæ quater mille & ducentis militibus conſtaret, mille & ducentorum numerum implerent; iiſdemque in decem partes diviſis, quælibet pars centum & viginti haberet Haſtatos; quem numerum duo manipuli Liviani implent: Eademque fuit ratio Principum. Triarii vero, qui numerum ſexcentorum in Legione non excedebant, pariter in decem partes diviſi, ſexagenos in ſingulis implebant; qui fere manipulum Livii efficiunt. Decem his partibus unius cujuſque ordinis, binos Centuriones, qui frontem ducerent, totidemque Tergiductores, qui agmen cogerent, aſſignabant, ita ut Triarii ſexageni, æque duos Centuriones, totidemque Tergiductores haberent, ac centeni & viceni Haſtati, hiſque numero pares Principes. Fuerunt itaque in tota Legione ſexaginta Centuriones, totidemque Uragi ſive Tergiductores, in unoquoque nimirum ordine viginti.

SECTIO III.

POLYBIUS.

ΤΩν δὲ γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος, ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν.

VElites vero, prout ipsorum numerus est, æquabiliter in omnes partes dividunt.

TRes ordines Legionariorum erant divisi in partes triginta, unusquisque nempe in decem. Singulis his partibus æqualis Velitum numerus adtribuebatur. Verba autem Polybii hic nonnihil sunt obscura & ambigua, eaque Dux Urbinensis Franciscus Maria Senior ita intelligit, ut dicat, singulis partibus æqualem numerum fuisse adtributum, atque ideo singulis partibus Triariorum, quæ erant sexagenariæ, assignatos fuisse quadraginta Velites; singulis vero partibus Hastatorum & Triariorum, quæ duplo numero consta- A bant, octoginta. Comes Marius Savorgnanus, & Valerius Chiericatus, ita capiunt verba Polybii, ut dicant, Triariis nonnisi dimidiam partem Velitum eorum, qui Hastatis & Principibus assignati erant, adtributam fuisse; idest, si Principibus, quorum partes centenis & vicenis militibus constabant, octo & quadraginta adsignarentur: Triarios sibi vendicasse Velites viginti quatuor. Sed hæc controversia infra a nobis decidetur, cum suum cuique ordini & pediti locum in castrametatione assignabimus.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

ΚΑὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν· τοὺς δὲ ἡγεμόνας κεντυρίωνας, καὶ ταξιάρχους.

AC singulas quidem has partes appellant ordinem, manipulum, signum; Duces vero earum, Centuriones & Ordinum Ductores.

VOces Græcæ, quibus Polybius hic utitur, sunt, *τάγμα*, *σπεῖρα*, & *σημαία*. Per vocem *τάγμα* omnes alii Scriptores Græci, Plutarchus, Dionysius, Josephus, Appianus & Dio intelligunt *legionem*, quam Polybius appellat *στρατόπεδον*, quæ vox ipsi præterea & exercitum & locum castrorum significat. Sed hoc loco cum vox *τάγμα* adhibeatur ad denotandam unam ex decem illis partibus, positaque sit pro *τάξις*, verti eam *ordo*, uti etiam Livius aliquo loco manipulum *ordinem* vocavit. Cæterum ipse Polybius lib. XI. *σπεῖραν* interpretatur *cohortem*, in his verbis: *Καὶ λαβὼν αὐτὸς μὲν ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ, Λεύκιος Μάρκιος δὲ καὶ* C *Μάρκος Ἰούνιος, ἀπὸ τῶν εὐωνύμων τρεῖς ἴλας ἱππέων τὰς ἡγουμένας, καὶ πρὸ τούτων γροσφομάχους τοὺς εἰθισμένους, καὶ τρεῖς σπείρας· τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ Ῥωμαίοις Κόορτις*, &c. *Tum autem cum assumpsisset ipse quidem a dextra, Lucius vero Marcius & M. Junius a læva, turmas equitum ternas, & qui hos antecederent Velites pro Romanæ militiæ more, itemque spiras tres; quod corpus peditum vocant Romani Cohortem.* Quo quidem loco si non aliud dicere vult Polybius, quam Duces hos ex unoquoque cornu assumpsisse tres ex illis partibus quæ centenis & vicenis viris constabant, vero D nomine dictas *centurias*; longe sane ab aliorum usu recessit, qui per *cohortem* corpus quoddam pluribus militibus constans intelligunt. Ut omittamus enim testimonium Vegetii, qui annis septingentis post Polybium vixit; ex plurimis sane locis Livii, Cæsaris, aliorumque constat, *cohortem* majorem fuisse *centuria*. Dividebatur enim totus exercitus Consularis in duas legiones, unaquæque legio in B cohortes, cohors in centurias, centuria in manipulos, & hic in decurias, quæ erant decem militum, ut alio loco abunde demonstrabitur. Et dum Polybius lib. XI. dicit, eos assumpsisse tres *spiras*, idest, tres *cohortes*, non absonum esse puto, per *cohortem* hic intelligi *centuriam* centum & viginti Hastatorum, una cum centuria totidem Principum, & manipulo sexaginta Triariorum, ex quibus colligitur summa trecentorum virorum in unaquaque cohorte. Quod si igitur verum est, corpus tot militum, appellandum potius esse nomine *cohortis*, quam centuriam centum & viginti hominum: statuendum utique est, Polybium, dicto loco, voce *σπείρας* abusum esse, eumque magis proprie dicturum fuisse *centuriam*, vel etiam *manipulum*, quoniam Plutarchus auctor est, manipulos Romuli centum peditibus constitisse. Vox *σημαία* apud Polybium non habet ullam difficultatem. Cum enim hæc vox proprie *signum* denotet, quod ordinibus in acie præferebatur, & sub unoquoque ex istis signis comprehenderetur centuria, factum est, ut ab istiusmodi signo, sive *σημείῳ*, centuria diceretur *σημαία*, vel *signum*. Sic hodieque per signa sive vexilla peditum, eorum centurias intelligere solemus. Duces harum centuriarum, ordinum, sive manipulorum, vocabantur *Centuriones*, a centuriis, ut testatur Dionysius lib. 3. Polybius addit, eosdem dictos etiam fuisse *ταξιάρχους*, non quasi Romani hoc nomine eos appellassent, sed ut voce aliqua Græca exprimeret Latinorum *Caput ordinis*, quæ tamen appellatio, quantum ego recordor, apud nullum Scriptorem exstat.

SECTIO V.

POLYBIUS.

ΟΥτοι δὲ καθ᾽ ἑκάστην σπεῖραν ἐκ τῶν καταλειπομένων ἐξέλεξαν αὐτοὶ δύο, τοὺς ἀκμαιοτάτους καὶ γενναιοτάτους ἄνδρας σημαιοφόρους.

HI in suis quisque manipulis signiferos duos ex omni numero eligunt, vigore corporis & animi præstantes.

NOn Consul, neque Legati, neque Tribuni, sed Centuriones eligebant signiferos centuriarum vel manipulorum suorum, quæ quidem res non parvam iis auctoritatem conciliasse videtur. Quæstor vero non solum pecunias & annonam quæ militibus erogabantur, dispensabat, sed ei quoque commissa erat custodia armorum publicorum & signorum, quæ Romæ in ærario servari solebant, ut Livius lib. 4. Dec. I. his verbis testatur: *Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus, ut signa eo ipso die a Quæstoribus ex ærario prompta, delataque in Campum quarta diei hora, mota ex campo sint*. Patet ex hoc loco signa in ærario olim asservata, & a Quæstoribus inde deprompta, & in Campum Martium, ubi delectus Legionum habebatur, delata fuisse: Verisimileque est, signa ea ab iisdem Quæstoribus tradita postea fuisse Signiferis, a Centurionibus electis. Idem Livius libro septimo: *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos juniores jussisset, signaque eodem Quæstores ex ærario deferre*. Qui locus docet, Quæstores nonnisi armata jam legione, signa distribuisse, iisque distributis, exercitum loco moveri cœpisse. Dionysius lib. 10. præterea notat, signa in templis asservata fuisse, narratque, Appium ea ex templis efferri jussisse. Signa erant sacra, uti Dionysius ea appellat; & in acie, sive in castris, erant instar templi. Sed de his alio loco copiosius agetur. A Centurionibus itaque eligebantur signiferi, qui & corporis viribus & animi robore aliis præstarent. Quoniam enim Romani signa tanta veneratione prosequebantur, par utique erat, ut ea talibus committerentur viris, qui forti & intrepido animo præditi, vel cum manifesto vitæ periculo ea defendere & tueri non recusarent. Amissionem enim signorum, maximæ jacturæ loco ducebant, præcipue vero Aquilæ, quæ inter signa principatum tenebat. Eam enim reliqua signa ita circumstabant, ut Tribuni aliique Duces Consulem. Quoniam igitur Centuriones in unaquaque centuria duos eligebant Centuriones, apparet in unoquoque corpore centum & viginti militum, duo fuisse signa. Id quod congruit cum eo, quod Livius supra dixit, unumquemque ordinem sexaginta militibus constantem, habuisse vexillarium unum. Eodem modo, cum secundum Polybium, unumquodque militum genus fuerit divisum in partes decem; tam Hastatos, quam Principes & Triarios Vexillarios vicenos habuisse necesse est, ita ut in tota legione essent Vexillarii sexaginta, singulisque ordinibus, Hastatorum quidem & Principum, sexagenariis; Triariorum vero, tricenariis, singuli adtributi essent. Secundum Livium vero lib. 8. non solum Hastati, Principes & Triarii, sed etiam Rorarii & Accensi quindenos habuerunt Vexillarios; unde in universum summa 75. colligitur. Præterea in singulis legionibus erat Aquila, cum signis quibusdam eam circumstantibus; eaque proprie *signorum* nomen habebant, stabantque uno ordine & loco juncta. Qui igitur ea signa in acie præcedebant, dicebantur *ante signa*; qui vero sequebantur, *post signa* consistere. Cæterum, quot fuerint in legione signa, quisve locus eis assignatus fuerit vel in agmine vel in castris, vel in acie, Polybius nec hic, nec alibi uspiam memorat; quod tamen attingere saltem debuisset, quoniam de militia Romana scribere instituerat, eaque res multo majoris est momenti, quam inser- tio ferri in hastile pili. Sed de hac re agemus suo loco.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

ΔΥο δὲ καθ' ἕκαστον τάγμα ποιοῦσιν ἡγεμόνας, εἰκότως. Αδήλου γὰρ ὄντος καὶ τί ποιήσει, καὶ τί παθεῖν τι τὸν ἡγεμόνα, τῆς πολεμικῆς χρείας οὐκ ἐπιδεχομένης πρόφασιν, οὐδέποτε βούλονται τὴν σπεῖραν χωρὶς ἡγεμόνος εἶναι καὶ προστάτου· παρόντων μὲν οὖν ἀμφοτέρων, ὁ μὲν πρῶτος αἱρεθεὶς ἡγεῖται τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς σπείρας. Ο δὲ δεύτερος τῶν εὐωνύμων ἀνδρῶν τῆς σημαίας ἔχει τὴν ἡγεμονίαν. Μὴ παρόντων δ', ὁ καταλειπόμενος ἡγεῖται πάντων.

QUod autem duos cuique manipulo Ductores adtribuunt, non absque ratione id faciunt. Quum enim incertum sit, quid Dux vel facturus sit vel passurus, neque excusationem ullam bellica res admittat, committere nolunt, ut unquam centuria Ductore careat. Igitur præsentibus quidem ambobus, uter fuerit prior electus, is dextræ manipuli præest parti; alter sinistræ. Si non adsunt ambo, qui solus restat, is omnium ducatum obtinet.

RAtio est per se satis manifesta, quare Tribuni binos Centuriones eligerent in singulis centuriis. Ne scilicet uno vel ægrotante, vel vulnerato, vel mortuo, vel a Duce superiore ad exequendum aliquod negotium ablegato, centuria careret Ductore.

SECTIO VII

POLYBIUS.

ΒΟύλονται δ' εἶναι τοὺς ταξιάρχους οὐχ οὕτω θρασεῖς καὶ φιλοκινδύνους, ὡς ἡγεμονικοὺς καὶ στασίμους, καὶ βαθεῖς μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς, οὐδ' ἐξ ἀκεραίου προσπίπτειν, ἢ κατάρχεσθαι τῆς μάχης, ἐπικρατουμένους δὲ καὶ πιεζομένους ὑπομένειν καὶ ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τῆς χώρας.

PRobant autem Romani Centuriones non tam eos, qui sunt audaces & ad pericula subeunda prompti, quam eos qui arte Imperatoria valent, suntque firmi ac stabiles, & alto magis animo. Nec qui temere confligant aut pugnæ initium faciant, sed qui cum ab hoste victore premuntur, gradum non referant, ac prius mortem oppetant, quam stationem deserant.

VErba illa ὡς ἡγεμονικὼς, *quam qui periti ſunt ordinum ducendorum*, oſtendunt, Centuriones non fuiſſe tirones, nec rei bellicæ rudes, ſed jam plurimis ante præliis interfuiſſe. Cum enim homines imperiti, nec dum ullius uſus in bello, tanti momenti negotio præficiuntur, ſumma certe rerum non poteſt non in manifeſtiſſimum periculum adduci. Cum vero miles ſpectatæ virtutis ordinibus præponitur, is non minus ſtrenue quam prudenter munia ſua obire ſolet, ſecus ac tirones, qui vel nimia audacia peccant, ut qui vulnerum dolores nondum ſenſerint; vel, ubi manus conſe- A runtur, ad conſpectum ſui vel alieni ſanguinis illico expaveſcunt, atque ita utroque modo confuſionis & cladis auctores eſſe ſolent. Cui malo & periculo ut occurrerent Romani, pœnam capitis conſtituerant in eos, qui vel ſtationem ſuam deſeruiſſent, vel ex loco ſibi aſſignato egreſſi eſſent. Quare, cum alii ordinum Ductores, tum Centuriones præcipue, & formidine infamis hujus ſupplicii, & ſuapte virtute animique fortitudine inducti, in ſtatione ſua tuenda mortem oppetere, quam hoſti loco cedere malebant.

PARS SEPTIMA.

De Diviſione Equitum.

SECTIO I.

POLYBIUS.

ΠΑραπλησίως δὲ κ̀ τὺς ἱππεῖς εἰς ἴλας δέκα διεῖλον. ἐξ ἑκάϛης δὲ τρεῖς προκρίνυσιν ἰλάρχας· ὗτοι δ' αὐτοὶ τρεῖς προσέλαβον ὐραγύς.

EQuites ſimiliter in turmas decem dividere ſolent; e quarum ſingulis tres turmarum præfectos creant. Hi tres Uragos ſive Tergiductores aſſumunt.



Numerus 1. & 3 denotant Tribunos primæ & tertiæ Legionis, qui eligunt Duces turmarum. 2 & 4. Tribunos alterius Legionis, qui idem faciunt. 5 tres Decuriones ſingularum Turmarum. 9 tres Tergiductores ſingularum Turmarum. 10 tres Decuriones Decuriarum ſequentium, numero 11. 12. 13. notatarum. 14 tres Tergiductores harum Decuriarum.

HUcusque Polybius locutus est de delectu peditum, eorumque divisione & armatura, nec non eorum Ducibus & Signiferis; jam transit ad equites, qui,ut supra dixerat, in unaquaque Legione trecentos implebant. Hi ergo equites, docente hic Polybio, dividebantur in decem alias; quæ vox sæpissime apud omnes historicos Latinos legitur, quamvis in alia significatione. Quoniam igitur trecenti equites unius Legionis in decem alas dividebantur, singulas earum triginta equitibus constitisse manifestum est. Notandum est, corpus illud equitum, quod a Polybio hic Græce dicitur ἴλη, ab eodem in castrorum descriptione & alibi dici οὐλαμός, quod proprie reddo *turmam*; alamque accipio pro parte dimidia totius equitatus, id est, centum & quinquaginta equitibus, qua significatione hæc vox apud Livium, aliosque Scriptores Latinos plerumque accipitur. Ex unaquaque harum turmarum, ut Polybius porro inquit, eligebant tres Præfectos, sive Duces: & hi rursus tres assumebant Tergiductores; ita ut singuli horum Ducum decem equitibus præessent, quos ideo Græci Δεκαδάρχους, & Latini Decuriones appellant, a decem, quibus imperabant; quamvis unus horum trium, totius Turmæ præfectus, sive Ἰλάρχης, etiam diceretur; reliqui vero duo, Decuriones tantum, ut hic Polybius subjungit.

A

SECTIO II.

POLYBIUS.

Ὁ Μὲν οὖν πρῶτος αἱρεθεὶς ἰλάρχης ἡγεῖται τῆς ἴλης. Οἱ δὲ δύο, δεκαδάρχων ἔχουσι τάξιν. Καλοῦνται δὲ πάντες Δεκυρίωνες. Μὴ παρόντος δὲ τοῦ πρώτου, πάλιν ὁ δεύτερος ἰλάρχου λαμβάνει τάξιν.

QUi igitur primus Turmæ Ductor electus est, Turmæ præest: reliqui Decurionum locum obtinent; omnes vero Decuriones appellantur. Primo absente, secundus in locum ejus succedit.

QUamvis unus horum Decurionum, qui nempe primus electus erat, toti Turmæ præesset, atque ideo totius Turmæ Dux vocaretur, habebat tamen ipse Decuriam aliquam, cui peculiariter imperaret, uti duo reliqui Decuriones. Ob hanc ergo causam omnes appellabantur Decuriones, primusque eorum insuper, Dux Turmæ, quoniam præcipuæ Turmæ imperabat. Eo vero absente, secundus Præfecti Turmæ locum assumebat, uti de duobus Centurionibus quoque dictum est; secundo vero absente, tertius pariter in locum ejus & dignitatis gradum succedebat.

B

SECTIO III.

POLYBIUS.

Ὁ Δὲ καθοπλισμὸς τῶν ἱππέων νῦν μέν ἐστι παραπλήσιος τῷ τῶν Ἑλλήνων· τὸ δὲ παλαιὸν, πρῶτον μὲν θώρακας οὐκ εἶχον, ἀλλ' ἐν περιζώμασιν ἐκινδύνευον. ἐξ οὗ πρὸς μὲν τὸ καταβαίνειν, καὶ ταχέως ἀναπηδᾶν ἐπὶ τοὺς ἵππους, ἑτοίμως διέκειντο καὶ πρακτικῶς· πρὸς δὲ τὰς συμπλοκὰς ἐπισφαλῶς εἶχον, διὰ τὸ γυμνοὶ κινδυνεύειν.

ARmatura porro Equitum nunc quidem Græcanicæ est similis. At olim loricas non habebant, sed in veste succincti pugnabant. Ex quo quidem fiebat, ut ad descensum ascensumque facilem in equos magis expediti essent; inter pugnandum vero periculis exponerentur, quoniam nudi dimicabant.

POstquam Polybius equites in Turmas & Decurias divisit, de armatura illorum deinceps agit, vel potius docet, quam manca & imperfecta antiquior illorum armatura fuerit. Dicit enim, eos nullis armis durioribus, veluti loricis, tectos, prælia antiquitus iniisse, sed campestribus tantum & subligaculis cinctos,quod hodieque quidam Turcæ, Tartari & Muscovitæ faciunt. Ex eo quidem fit, ut promptius & expeditius ascendant & descendant ex equis, sed revera in pugna multis sint expositi periculis, quippe nudi, non quidem vestibus, quemadmodum hodie Arabes & olim Numidæ, sed armis. Eundem morem præter dictas jam nationes, servant hodieque Ungari, Croati & Albani. Sed tempore Polybii equites assumpta armatura Græcorum, magis erant tuti in conflictibus, quippe, eorum more, lorica, scuto ligneo, & hasta firma stabilique armati, quæ arma auctor satis prolixe & copiose describit.

C

SECTIO IV.

POLYBIUS.

ΤΑ δὲ δόρατα κατὰ δύο τρόπους, ἄπρακτα ἦν αὐτοῖς. Καθ' ἕνα μὲν ἡ λεπτὰ καὶ κλαδαρὰ ποιοῦντες, οὔτε τοῦ προτεθέντος ἠδύναντο σκοποῦ στοχάζεσθαι, καὶ πρὸ τοῦ γε τὴν ἐπιδορατίδα πρός τι προσερεῖσαι, κραδαινόμενα δι' αὐτῆς τῆς τῶν ἵππων κινήσεως, τὰ πλεῖστα συνετρίβετο· πρὸς δὲ τούτοις ἄνευ σαυρωτήρων κατασκευάζοντες, μιᾷ τῇ πρώτῃ διὰ τῆς ἐπιδορατίδος ἐχρῶντο πληγῇ. μετὰ δὲ ταῦτα κλασθέντων, λοιπὸν ἦν ἄπρακτα αὐτοῖς καὶ μάταια· τόν γε μὲν θυρεὸν εἶχον ἐκ βοείου δέρματος, τοῖς ὀμφαλωτοῖς ποπάνοις παραπλήσιον, τοῖς ἐπὶ τὰς θυσίας ἐπιτιθεμένοις. Οἷς οὔτε πρὸς τὰς ἐπιβολὰς

ἐπιβολὰς ἦν χρῆσθαι, διὰ τὸ μὴ στάσιν ἔχειν ὑπό τε τῶν ὄμβρων ἀποδερματούμενοι καὶ μυδῶντες, δύσχρηστοι καὶ πρότερον ἦσαν, καὶ νῦν ἔτι γίνονται παντελῶς. Διόπερ ἀδοκίμου τῆς χρείας οὔσης, ταχέως μετέλαβον τὴν ἑλληνικὴν κατασκευὴν τῶν ὅπλων, ἐν ᾗ τῶν μὲν δοράτων τὴν πρώτην εὐθέως τῆς ἐπιδορατίδος πληγὴν εὔστοχον ἅμα καὶ πρακτικὴν γίνεσθαι συμβαίνει διὰ τὴν κατασκευήν, ἀτρεμοῦς καὶ στασίμου τοῦ δόρατος ὑπάρχοντος. Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἐκ μεταλήψεως τοῦ σαυρωτῆρος χρείαν, μόνιμον καὶ βίαιον. Ὁ δ᾽ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν θυρεῶν. Καὶ γὰρ πρὸς τὰς ἐπιβολάς, καὶ πρὸς τὰς ἐπιθέσεις ἑστηκυῖαν καὶ τεταγμένην ἔχουσι τὴν χρείαν. Ἃ συνιδόντες ἐμιμήσαντο ταχέως. Ἀγαθοὶ γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον Ῥωμαῖοι.

HAstæ deinde duabus de causis erant illis inutiles. Nam & graciles eas faciebant & tremulas, eoque nec collineare recte & scopum tangere poterant; & priusquam cuspidem in aliquo defigerent, concussæ ipso motu equorum pleræque frangebantur. Præterea, sine ima cuspide factæ, solam plagam ictumque primore parte dabant, eaque defracta reliquum inutile & inefficax iis erat. Scutum vero illis erat e boum corio, umbilicatis illis placentis simillimum, quas in sacrificiis solent apponere; quibus neque in pugna commode uti poterant, quia firmitatem non habebant, & ab imbre corio vitiato & soluto, quæ ante non magno usui essent, jam plane inutilia evadebant. Quare cum horum usum improbarent, Græcanicam armorum structuram adsciverunt loco suæ, in qua primum quidem mucronis ictum dirigi recte atque efficacem esse contingit, eo quod ita conficitur hasta, ut stabilis sit, non tremula; & similiter versa hasta cuspidis usum firmum esse & violentum. Eadem ratio est in scutis: Nam & cum ictus inferuntur, & cum hostis invaditur, stabilia & firma sunt. Quod cum animadverterunt, celeriter sunt imitati. Romani enim, si qua alia gens, mores suos facile mutant, ut meliores æmulentur.

HOc loco Polybius in laudandis Græcis potius, quam describenda armatura Romanorum multus est, quoniam non aliis armis equitem suum instruit, quam hasta firmiore, cuspidemque in ima parte habente, & scuto novo, loco veteris, quod ex corio bubulo factum erat. Quomodo hoc corium fuerit præparatum, & scuto veteri aptatum, non docet. Addit tantum, illud placentis umbilicatis, quæ in sacrificiis offerebantur, erantque rotundæ & tenues, fuisse simile. Vox ὀμφαλωτὸς, *umbilicatus*, si conjungatur, (uti conjungenda est) cum voce *placentis*, non aliud significare potest, quam eas vel in medio, vel in ambitu, vel passim, eminentias quasdam habuisse similes umbilicis, illisque clavis, quibus librorum quorumdam compactorum involucra pellicea vel holoserica ornari solent. Græcis enim ejusmodi eminentiæ dicuntur ὄμφαλοι sive umbilici. Sed si vox *umbilicatus* referenda esset ad *scuta*, significaret *umbonem*, sive partem illam mediam scuti, quam supra jam diximus lamina quadam ferrea, nidi instar prominente, munitam fuisse. Nam & umbo a Græcis dicitur ὄμφαλος. Et Homerus clypeos vocat ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας, idest, *umbilicatos*. Cæterum, quomodocunque se hæc res habeat, non video, quomodo Polybius dicere possit, Romanos in mutando equitum scuto, Græcos imitatos fuisse. Utut enim in hasta illud verum fuisse concedamus; scutum tamen equites Romani, non a Græcis sumpsisse videntur, sed a suismet

A pedicibus, qui, ut supra dictum, unam scuti formam a Samnitibus, & alteram a Liguribus acceperant: quam ob causam apud Livium aliquo loco *Scuti Ligustini* mentio exstat. Sed utcunque hæc sese habeant, Polybius dando equitibus hastam & scutum, præ se fert se eos integra armatura instruxisse, quemadmodum hodiernis quoque temporibus Albani, Græci, Turcæ, Croati, aliique, hasta & scuto tantum equites armare solent. Et nisi Polybius antea dixisset, *Olim non habebant loricas*, potuisset quis, ejus verba legens, sibi persuadere, nec Polybii tempore equites Romanorum loricis armatos fuisse. De galea, ocreis &
B gladio prorsus tacet; quibus quidem si equites Romani instructi quoque fuerunt, uti & marmora fidem faciunt, & Historici testantur, non video, quid sibi velit Appianus in Libyc. de Scipione in pugna Africana cum Annibale, dicens: *Cum pedites videret proculcari ab elephantis, eosque ob gravitatem armorum parum agiles esse ad insequendum aut refugiendum, jussit Italicos equites ab equis desilire, & tela conjicere in elephantos*, idest, hastas. Si enim equites, galeam, loricam, ocreas, scutum, gladium & hastam habuerunt, non minus graviter sane armati fuerunt quam pedites. Sed forsan eo tempore non habuerunt galeam, neque ocreas, uti ex hoc loco Polybii, qui fuit comes & æqualis Scipionis minoris, nullamque eorum armorum mentionem fecit, colligi posse videtur.

P A R S O C T A V A

De Sociorum numero, eorumque divisione.

S E C T I O I.

P O L Y B I U S.

TΟιαύτην δὲ ποιησάμενοι τὴν διαίρεσιν οἱ χιλίαρχοι, καὶ ταῦτα παραγγείλαντες περὶ τῶν ὅπλων, τότε μὲν ἀπέλυσαν τοὺς ἄνδρας εἰς τὴν οἰκείαν. Παραγινομένης δὲ τῆς ἡμέρας εἰς ἣν ὤμοσαν ἀθροισθῆναι πάντες ὁμοίως εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον ὑπὸ τῶν ὑπάτων. Τάττει δ᾽ ὡς ἐπίπαν ἑκάτερος χωρὶς τὸν τόπον τοῖς αὐτοῦ

στρατοπέδοις· ἑκατέρῳ γὰρ δίδοται τὸ μέρος τῶν συμμάχων, καὶ δύο τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων. Παραγίνονται δὲ πάντες ἀδιαπτώτως οἱ καταγραφέντες, ὡς ἂν μηδεμιᾶς ἄλλης συγχωρουμένης προφάσεως τοῖς ἐξορκισθεῖσι, πλὴν ὀρνιθείας καὶ τῶν ἀδυνάτων.

TRibuni militum postquam hujusmodi partitionem instituerunt, & hæc super armis dederunt mandata, unumquemque domum remittunt. Ubi vero dies adest, ad quam se conventuros jurarunt, adsunt pariter omnes, eo quem designavit Consul loco. Fere autem separatim uterque Consul locum suis legionibus ad conveniendum edicit. Utrique enim eorum pars auxiliorum adtribuitur, & Romanæ Legiones duæ. Omnes porro, qui sunt conscripti, adveniunt indubitanter & necessario: quippe alia nulla prorsus eorum qui sacramento dixerint, excusatio admittitur, præter auspicium & ea quæ sunt impossibilia.

FActa divisione peditum & equitum, omnibusque iis, quæ ad armaturam illorum pertinebant, ordinatis, edicebatur dies, ad quam diem omnes loco constituto convenirent. Locus iste non semper erat idem, quoniam ex quatuor Legionibus, quarum delectus quotannis habebatur, duæ unicuique Consuli adtribuebantur, cum dimidia parte Sociorum. Consules ergo, cum raro ad idem bellum ambo proficiscerentur, sed plerumque sortirentur provincias, in quibus bellum ipsis gerendum esset, quisque locum aliquem, qui suis ad conveniendum commodissimus esset, designabant. Eo igitur loco omnes absque exceptione conveniebant, quoniam pœna capitis constituta erat in eos, qui dicto die non adessent, nec ulla absentiæ excusatio admittebatur, præterquam si alicui morbus, aliusve casus, omnem veniendi facultatem ademisset. Hodiernis vero temporibus Duces bellorum, & eos ipsos, qui fontico morbo laborant, si modo stipendium acceperint, cogere solent, ut navi se committant, quamvis videant, eos perferendis expeditionis molestiis non fore pares. Quanto humanius foret, caussarios, valetudinis curandæ gratia, domi relinquere, sponsionemque ab illis exigere, se, recuperata valetudine, vel militiam repetituros, vel acceptam mercedem redditurosesse. Præter morbum, excusabat etiam absentes *auspicium*, ut præter Polybium Gellius quoque testatur, cap. 4. lib. XVI. qui & alias, præter has, memorat causas, adductas ex Cincio *de Re Militari*; eæque sunt sequentes: Funus familiare; feriæ vindemiales; sacrificium anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi esset; & status condictusque dies cum hoste.

SECTIO II.

POLYBIUS.

ΑΘροισθέντων δὲ καὶ τῶν συμμάχων ὁμοῦ τοῖς Ῥωμαίοις τὴν μὲν οἰκονομίαν καὶ τὸν χειρισμὸν ποιοῦνται τούτων αὐτῶν οἱ καθεστάμενοι μὲν ὑπὸ τῶν ὑπάτων Ἄρχοντες, προσαγορευόμενοι δὲ Πραίφεκτοι, δώδεκα τὸν ἀριθμὸν ὄντες.

UBi cum Romanis etiam socii una congregati sunt, viri a Consulibus constituti, omnia inter eos administrant, quos vocant Præfectos, numero duodecim.

LEgionariis & Sociis omnibus in unum locum, antea designatum, congregatis, Consules ex numero Sociorum duodecim eligebant viros, qui illis imperarent, *Præfectos* dictos. Hi ut numero, ita jure & potestate in suos cives, pares erant Tribunis Legionum Romanarum. Præter hos præfectos, a Consulibus creatos, postquam exercitus totus in unum locum congregatus esset, Socii habebant quoque Ducem & Quæstorem, quem ipsi jam antea elegerant, cum delectum haberent in suis civitatibus, quibus Romani certum militum numerum imperaverant, ut Polybius supra docuit. Quomodo vero Dux ille, sive Præfectus, appellatus fuerit, auctor noster non addit, nec in ullo alio Scriptore invenitur, nisi quod Livius lib. 9. Dec. I. Ducem Prænestinorum, *Prætorem* vocet. Cæterum de Quæstore Sociorum an quisquam alius auctor mentionem fecerit, non memini. Dubium tamen non est, quin inter suos honore & munere Quæstori Romano pares fuerint, ut ipse Polybius infra docebit, ubi de stipendio aget.

SECTIO III.

POLYBIUS.

ΟΙ πρῶτον μὲν τοῖς ὑπάτοις τοὺς ἐπιτηδειοτάτους πρὸς τὴν ἀληθινὴν χρείαν ἐκ πάντων τῶν παραγεγονότων ἱππεῖς καὶ πεζοὺς ἐκλέγουσι, τοὺς καλουμένους ἐκστραορδιναρίους, ὃ μεθερμηνευόμενον, ἐπιλέκτους δηλοῖ.

HI ante omnia ex omnibus Sociis, qui adsunt, ad usum Consulum aptissimos eligunt, tam equites quam pedites, quos vocant Extraordinarios. Id valet, si Græce vertas, Ἐπιλέκτους.

COnsulum ministerio non solum Lictores, æneatores, cornicines, & scribæ inserviebant, sed eos etiam multi armati stipabant, qui in castris & in acie ipsis erant a satellitio, corpusque illorum tuebantur. Inter hos erant *Evocati*, qui, cum vel perpetuam, vel saltem ejus anni vacationem haberent, castra sequebantur, non jussi, sed rogati a Consule, ut amicitiæ causa se ad bellum proficiscentem comitarentur. Hinc dicebantur *Evocati*, quasi a Consule vocati, non conscripti, erantque

ſemper ipſi præſto, eumque ſtipabant. Eodem pertinebant Extraordinarii Sociorum, quos Præfecti ipſorum ex omni ſuorum numero electos ad miniſterium Conſulis, corporiſque ejus cuſtodiam ſecreverant. Numerum eorum paulo poſt indica- A bit Polybius; cum docebit, quot in univerſum Socii in exercitu fuerint; videnturque illi non alii fuiſſe, quam qui Cohortem Prætoriam Conſulis vel Dictatoris conſtituebant.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Τὸ δὲ πλῆθος τὸ πᾶν τῶν συμμάχων, τὸ μὲν τῶν πεζῶν, παρισοῦσι τοῖς Ῥωμαϊκοῖς στρατοπέδοις, ὡς τὸ πολύ· τὸ δὲ τῶν ἱππέων, τριπλάσιον.

Multitudo autem omnis Sociorum, quod quidem ad pedites, par eſt ut plurimum Romanis Legionibus; quod vero ad equites, dupla.

Pedites Sociorum, ut plurimum, pares numero erant Legionibus; ita ut, ſi ambæ Legiones octies mille & quadringentos haberent milites, Socii quoque numerum hunc æquarent; ſi decies mille, Sociorum rurſus par eſſet numerus. Quod etiam Livius lib. 8. confirmat, ubi cum dixiſſet, *Scribebantur quatuor Legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas Legiones trecenis:* addit, *Alterum tantum ex Latino delectu adjiciebatur*. Et ſic plerumque Livius, quo- B ties tam Legionum, quam Sociorum numerum recenſet. De equitibus vero Polybius hic dicit, eos altero tanto exceſſiſſe Romanos: id eſt, ſi in exercitu eſſent equites Romani trecenti, Latinos implevisse ſexcentos. Equites ergo Sociorum numero ſemper excedebant Romanos, licet non ſemper ad duplum pertingerent. Uti enim aliquando duplum non attingebant, ita aliquando excedebant, prout res & tempus poſtularet.

SECTIO V.

POLYBIUS.

Ἐκ δὲ τούτων λαμβάνουσι τῶν μὲν ἱππέων εἰς τοὺς ἐπιλέκτους, ἐπιεικῶς τὸ τρίτον μέρος· τῶν δὲ πεζῶν, τὸ πέμπτον.

Ex his ſumunt ad Extraordinarios, ex equitibus quidem tertiam fere partem; e peditibus, quintam.

Cum ergo in ambabus legionibus ſexcenti eſſent equites Romani; equites Sociorum, quorum dupla erat multitudo, mille & ducentos impleverunt; ex quibus tertia pars Conſulum miniſterio deſtinabatur. Cum ambæ Legiones C peditibus octies mille & quadringentis conſtarent, numerumque eorum Socii adæquarent, quinta horum pars ad uſum Conſulis in Extraordinarios aſſumpta, mille ſexcentos & octoginta implevit.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Τοὺς δὲ λοιποὺς διελόντες εἰς δύο μέρη, καλοῦσι τὸ μὲν δεξιόν, τὸ δ' εὐώνυμον κέρας.

Reliquos in duas partes dividunt, quarum alteram, cornu dextrum; alteram vero, ſiniſtrum appellant.

Reliquos equites, octingentos nimirum, in duas partes diviſos, per cornua Legionum diſponebant, ita ut quadringenti cornu dextro; totidemque ſiniſtro adtribuerentur. Eodem modo pedites reliquos, ſexies mille ſeptingentos & viginti, in duas partes diviſos, quarum ſingulæ ter mille trecentos & ſexaginta continebant, iiſdem cornibus aſſignabant. Et dum Poly- D bius dicit, unam eorum partem, dextrum; & alteram, ſiniſtrum cornu, fuiſſe appellatam, id docere vult, milites hos eundem ſemper & in caſtris & in acie tenuiſſe locum, atque adeo eos, quamvis nullo a Ducibus imperio accepto, ſciviſſe ſemper, quem locum, tam in ordinatione aciei, quam metatione caſtrorum, occupare deberent.

PARS NONA

De Forma Caſtrorum.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Τούτων δ' εὐτρεπῶν γενομένων, παραλαβόντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς Ῥωμαίους ὁμοῦ καὶ τοὺς συμμάχους, κατεστρατοπέδευσαν, ἑνὸς ὑπάρχοντος παρ' αὐτοῖς θεωρήματος ἁπλοῦ περὶ τὰς παρεμβολάς, ᾧ χρῶνται πρὸς πάντα καιρὸν καὶ τόπον. Διὸ καὶ δοκεῖ μοι πρέπειν τῷ καιρῷ, τὸ πειραθῆναι, καθόσον οἷόν τε τῷ λόγῳ τοὺς ἀκούοντας εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν τοῦ κατὰ τὰς πορείας καὶ στρατοπεδείας καὶ παρατάξεις χειρισμοῦ τῶν δυνάμεων. Τίς γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀπεοικὼς πρὸς τὰ καλὰ καὶ σπουδαῖα τῶν ἔργων, ὃς οὐκ ἂν βουληθείη μικρὸν ἐπιμελέστερον ἐπιστῆσαι περὶ τῶν τοιούτων, ὑπὲρ ὧν ἅπαξ ἀκούσας, ἐπιστήμων ἔσται πράγματος ἑνὸς τῶν ἀξίων λόγου καὶ γνώσεως.

His rite paratis, Tribuni Legiones una cum Sociis accipiunt, & metari caſtra incipiunt. Eſt autem apud illos una & ſimplex caſtra metandi ratio, qua omni tempore & loco utuntur. Propterea opportunum mihi viſum eſt, quantum quidem fieri verbis poterit, efficere, ut audientes modum illorum rationemque cognoſcant ordinandi copias in itinere faciendo, metandis caſtris, & acie inſtruenda. Nam quis adeo alienus ſit ab iis, quæ pulchra ſunt & honeſta, ut paulo accuratius animum iſtis nolit intendere; quæ ſi ſemel perceperit, notitiam conſequetur rei inter alias memorabilis & conſideratione digniſſimæ?

Omnibus rebus in exercitu ordinatis, eo, quo dictum eſt, modo, delectu nimirum habito; copiis diviſis & armatis; ducibus unicuique militum ordini aſſignatis; & cohorte Prætoria Conſuli adtributa, nihil reſtabat amplius, quam ut exercitus ad hoſtem duceretur. Polybius ergo, cum videret in omni militia tria præcipue capita conſideranda eſſe, agmen nempe, caſtrametationem, & inſtruendæ aciei rationem; occaſione hic invitante & exigente, promittit ſe de ſingulis dicturum, admonito Lectore, digniſſimam hanc eſſe rem, in cujus contemplationem omnis homo generoſus, & ingenii non plebeii, animum accurate intendat. Non ſolum enim ſcientiam præclaram & minime ſpernendam ſibi comparaturum eſſe eum, qui tria hæc recte perceperit; ſed etiam laudibus eximiis ornatum iri, ſi hæc aliis rurſus exponat & narret. Quamvis autem Polybius dicat, ſe de agmine, caſtrametatione, & acie, acturum eſſe; non tamen eum ordinem, licet is ſit optimus, & naturæ conveniens, ſervat. Nam primo quidem neceſſe eſt, ut exercitus domo proficiſcatur, & A deinde caſtra metetur in Reipublicæ ſuæ territorio, in quo non minus ordinato agmine, nec minus circumſpecte incedere debet, quam in hoſtico, vel iis in locis, ubi inſidiarum metus eſt, ob egregias illas rationes, quæ apud Onoſandrum legi poſſunt. Polybius igitur ordinem a ſe propoſitum ipſe invertens, primo loco agit de caſtrorum metatione, eorumque variis formis, & omnibus iis quæ circa ea contingere ſolent. Et quamvis hæc pars militiæ ſit omnium nobiliſſima, & quæ merito ab omnibus maximi fiat, tamen non tam plene de ea hic agitur, ut nihil ei deſit, prout ſuo loco oſtendetur. Hinc quoniam hæc materia eſt maximi momenti, eademque obſcuriſſima, B adhibebimus in ea explicanda diligentiam quantam poterimus maximam. De primo capite, ſive de Agmine, auctor ſecundo loco agit: Tertium vero caput in hoc Tractatu plane omiſit. Hunc igitur defectum aliunde, ex undecimo nimirum libro ipſius auctoris noſtri ſupplebimus, & oſtendemus, qua ratione Romani olim aciem ſuam inſtruere ſoliti ſint; de qua re tamen jam ſupra aliquid a nobis dictum eſt.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Ἔστι δὲ τὸ γένος αὐτῶν τῆς στρατοπεδείας τοιόνδε· τοῦ κριθέντος ἀεὶ τόπου πρὸς στρατοπεδείαν, τοῦτο τὸν ἐπιτηδειότατον εἰς σύνοψιν ἅμα καὶ παραγγελίαν, ἡ τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴ καταλαμβάνει. Τεθείσης δὲ τῆς σημαίας, οὗ μέλλουσι πηγνύναι ταύτην, ἀπομετρεῖται πέριξ τῆς σημαίας τετράγωνος τόπος· ὥστε πάσας τὰς πλευρὰς ἑκατὸν ἀπέχειν πόδας τῆς σημαίας, τὸ δ' ἐμβαδὸν γίνεσθαι τετράπλεθρον.


Est autem caſtrametatio illorum ejuſmodi. Quoties locus caſtris captus eſt, partem illius quæ ad proſpiciendum & dandum mandata fuerit commodiſſima, Prætorium occupat. Vexillo autem poſito, ubi id defixuri ſunt, ſpatium quadratum circa id vexillum menſura ita definitur, ut ab eo latera omnia centum diſtent pedes: totaque area fiat jugerum quatuor.

Qui paulo accuratius perpendet modum caſtrametationis hujus, quam explicare ordimur, ejuſque figuram & rationes, quare hoc potiſſi- C mum modo fieret, clariſſime perſpiciet ignorantiam & inſcitiam, qua omnes pene gentes hodiernæ in caſtris ſuis metandis laborant. Hodie enim

castra vel undique aperta ponuntur, vel una tan- A tum fossa clauduntur, intra quam milites absque ordine, terni vel quaterni, longo a se spatio disjuncti, extra conspectum Ducis, hinc & illinc sparsi consident. Quæ quidem res uti multorum aliorum malorum & cladium, ita memorabilis quoque captivitatis Francisci Regis Galliæ causa fuit. Hoc tamen exemplum, junctis multis aliis, Duces & Imperatores, qui post id tempus vixerunt, nondum inducere potuit, ut excogitarent castrametationem, quæ & ratione inventionis & usu sua esset potior. Franciscus Maria Dux Urbini, solus, quantum quidem memini, inter Sagatos nostros, de modo castrametationis Romanæ co- B gitavit, ejusque formam, secundum descriptionem Polybii, elegantissime delineavit, quam infra huic Tractatui inseram, una cum alia, cujus auctor est Franciscus Robortellus, vir nostri temporis longe doctissimus, qui magna sua cum gloria primus omnium librum Æliani de Militia Græca notis & figuris illustravit, mihique tam suam, quam Ducis Urbinensis formam dono dedit. Differentia, quæ inter formas has intercedit, uti & ea, quam nos statuimus, suo loco examinabitur. Nunc ut ad Polybium revertamur; Romanos, ait ille, loco castris capto, primum omnium dispexisse, ut Prætorium, C quod erat tentorium Consulis, sive Imperatoris, loco commodissimo poneretur: Ex quo nimirum totus exercitus prospici, & voluntas Imperatoris omnibus facile innotescere posset. Significare ergo vult Polybius, locum istum præ aliis editum esse debuisse, quoniam situs ejusmodi efficit, non solum, ut alii omnes oculis Ducis subjiciantur, & ab eodem vel per vexillum, vel cornua & tubas, celerrime mandata omnibus dari possint; sed etiam ut ipse Imperator undique conspiciatur, ejusque imperia, quocunque modo data, ab omnibus absque ulla mora accipiantur. Ob hanc causam igitur, cum Imperator militibus suis significare vellet, ut D se ad pugnam pararent, non alio opus erat signo, quam vexillo rubri coloris juxta Prætorium erecto; quod in loco humiliore, vel æquo positum, non potuisset ab omnibus conspici, præcipue vero ab iis, qui in extrema castrorum parte locati erant. Et hactenus editus Prætorii situs ad communem totius exercitus utilitatem pertinebat. Ad solum vero Imperatorem istud præcipue commodum inde redundabat, quod locus ille editus, utpote ventorum flatibus magis expositus, aerem salubriorem, & a gravi fœtore, qui vel ex sordibus exercitus, vel ex alia quadam causa nasci poterat, immu- E nem haberet. Præterea faciebat hoc ad augendam majestatem Imperatoris, habere sedem suam in loco aliquo excelso, in quem cuncti oculos converterent. In eo igitur loco, quem ita elegerant, vexillum aliquod erigebant, ut omnibus constaret, ibi Prætorium positum iri. Secundum illius enim normam & mensuram tota castrorum metatio fiebat, adeo ut, exercitu in eum locum inducto, militum quisque sciret, in qua parte castrorum, & quam longe a vexillo, post quem, & in qua via (ordo enim iste semel receptus nunquam mutabatur) consistere deberet, & proinde haud secus ac si in urbem patriam ingressi essent, absque ulla confusione in suum quisque locum recta se conferebant, ut Polybius postea memorabit. Vexillo in loco Prætorii posito, spatium quadratum circa illud metiebantur, ita ut latera omnia ab eo centum pedes distarent. Dimensio ergo ista totum illud spatium perfecte quadratum efficiebat, cujus singula latera centum continebant pedes; tota vero area, quatuor plethra implebat. *Plethrum* apud Græcos significat spatium terræ, cujus singula latera centum obtinent pedes. Horum plethrorum quatuor aream modo dictam necessario continuisse ex figura hac quadrata A.B.C.D. apparet.

A	100	B
100	o	100
C	100	D

Lascares hunc locum male exponit, vocem πλέθρον, *actum* reddens. *Actus* enim apud Latinos significat spatium, pedes centum & viginti latum, totidemque longum, estque idem quod jugerum quadratum. Spatium Prætorii igitur continebat quatuor plethra, quæ faciunt perfectum quadratum, cujus singula latera erant pedum ducentenum, tota vero area quadragies mille pedum quadratorum, passuum vero octies mille. Spatium hoc amplissimum sane erat, utpote quod homines quadringentos perquam commode capere poterat, quatuor passibus quadratis in singulos descriptis, ut postea dicetur. Hoc spatium ita oportet divisum fuisse, ut non solum Duci, sed etiam ejus Scribis, Lictoribus, aliisque ministris, & comitibus quibusdam interioris admissionis, veluti filiis, cognatis & amicis, nec non reliquis servis vilioribus, lixis puta, calonibus, iisque qui sarcinarum, armorum, & stabuli curam gerebant, suus esset assignatus locus. Dionysius enim libro nono refert, in prætorio Caii Manlii culinam igne cœlesti conflagrasse, & ex ejus equis pretiosissimum fulmine percussum, omniaque arma corrupta fuisse. De quibus omnibus cum Polybius hic taceat, nec de eorum situ & ordine quicquam memoret, multa ab eo prætermissa esse quisque facile videt. Bene Josephus dicit, τὸ στρατήγιον ναῷ παραπλήσιον, *Prætorium templo simile*; sed quali templo simile fuerit, num rotundo, an quadrato, an alius formæ, non addit. Cæterum, quamcunque ejus formam fuisse quis statuat, existimo ego, eam pro arbitrio Consulum, uti structuram ipsam, variam fuisse. Spatium vero huic Prætorio destinatum, semper erat quadratum, capax ministrorum quadringentorum, habebatque in ambitu pedes octingentos, qui fere sextam milliaris partem absolvunt. Sed ut omnia hæc rectius intelligantur, totam castrorum metationem, Romanis olim usitatam, eo ordine, quo a Polybio hic describitur, sigillatim persecutus sum, ut ita in partes divisa, a Lectore facilius capi posset.



1. *Prætorium*. 2. *Tentoria Tribunorum*. 3. *Via Lata ad usum transitus*. 4. *Tentoria Equitum*. 5. *Tentor. Triar.* 6. *Tent. Princ.* 7. *Tentor. Hastat.* 8. *Tentor. Equitum Socior.* 9. *Tent. Pedit. Socior.* 10. *Via Portæ Decumanæ*. 11. *Via, per quam intrabant & exibant Triar. & Princ.* 12. *Via, per quam intrabant & exibant Hastati & Equites Sociorum*. 13. *Spatium ambiens tota castra, latum pedes* 100. *per quod exibant pedites Socior.* 14. *Via Quintana*. 15. *Area Mercatus*. 16. *Area Quæstoris*. 17. 19. *Tentor. Evocatorum*. 18. 20. *Tentor. Equitum Electorum*. 21. *Tent. Equitum Extraordinariorum*. 22. *Tentor. Pedit. Extraordinariorum*. 23. *Tentor. Peditum Electorum Sociorum*.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Τούτου δὲ τοῦ σχήματος ἀεὶ παρὰ μίαν ἐπιφάνειαν καὶ πλευρὰν, ἥτις ἂν ἐπιτηδειοτάτη φανῇ πρός τε τὰς ὑδρείας καὶ προνομὰς, παραβάλλεται τὰ Ῥωμαϊκὰ στρατόπεδα τὸν τρόπον τοῦτον.

AD unum semper figuræ hujus adspectum ac latus, quod aquationibus & pabulationibus opportunissimum visum fuerit, Romanæ Legiones isto modo collocantur.

SI, Prætorio posito, quod semper omnium primo & figi & detendi solebat, ab Oriente verbi gratia aquatio & pabulatio commodior esset, eam partem Prætorii facies spectabat, & ad idem latus Legiones Romanæ collocabantur. Sin autem latus Septentrionale, vel Occidentale, vel Meridio- A nale usui huic opportunius esset, eodem Prætorium spectabat, & milites versus eandem castrorum partem locabantur, adeo ut certa semper esset castrametationis ratio, nec in ea milites errare unquam possent.


STRATA VIARVM VRBIS
IN PARTE REGIONIS VIII SIVE FORI ROMANI

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Ἐξ ὑπαρχόντων χιλιάρχων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ, κατὰ τὸν ἄρτι λόγον· Δυεῖν δὲ στρατοπέδων ὄντων τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀεὶ μεθ᾽ ἑκατέρῳ τῶν ὑπάτων· φανερὸν, ὅτι δώδεκα χιλιάρχους ἀνάγκη συστρατεύειν ἑκατέρῳ τῶν ὑπάτων.

CUm ſex Tribuni ſint in Legione, ut diximus, & binas uterque Conſulum Legiones ſecum habeat, palam eſt, duodecim in utriuſque exercitu Tribunos neceſſario verſari.

HÆc, præterquam quod per ſe ſatis clara ſunt, jam ſupra quoque auctor expoſuit; Nimirum cum delectus haberetur, ante omnes alios, viginti quatuor Tribuni creabantur, Legionibuſque ſingulis, quarum conſcribebantur, A quatuor, eorum ſex adtribuebantur: Et cum uterque Conſulum duas haberet Legiones, neceſſario duodecim Tribuni, in ſingulis Legionibus ſeni, cum uno Conſule erant.

SECTIO V.

POLYBIUS.

Τιθέασι δὴ τὰς τούτων σκηνὰς εἰς μίαν εὐθεῖαν ἀπόστας, ἥτις ἐστὶ παράλληλος τῇ τοῦ τετραγώνου προκειμένῃ πλευρᾷ, πεντήκοντα δ᾽ ἀπέχει πόδας ἀπ᾽ αὐτῆς. Ἵπποις, ἅμα δ᾽ ὑποζυγίοις, καὶ τῇ λοιπῇ τῶν χιλιάρχων ἀποσκευῇ τόπος.

STatuunt igitur horum omnium tentoria ad lineam unam rectam; cujus omnes partes a quadrati illius latere, quod electum fuerit, pari intervallo diſtant. Abeſt autem ab eo pedes L: eſtque ibi equis, jumentis & reliquis Tribunorum impedimentis locus.

LInea deinde fronti Prætorii parallela ducebatur, quæ æqualiter ab iſta fronte, ſive latere quadrati diſtabat pedes quinquaginta, ſive paſſus decem. Hic ſtatuebantur duodecim tentoria totidem Tribunorum, & proinde ſpatium illud de- B cem paſſuum, quod inter dictam frontem ſive latus Prætorii & tentoria illa Tribunorum intererat, vacuum relinquebatur, ubi eorum equis, jumentis, impedimentis, miniſtris & ſervis locus erat.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Αἱ δὲ σκηναὶ τοῦ προειρημένου σχήματος εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμέναι πήγνυνται πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν· ἣν νοείσθω καὶ καλείσθω δὲ καθάπαξ ἡμῖν ἀεὶ τοῦ παντὸς σχήματος κατὰ πρόσωπον.

POrro, tentoria locantur deſcriptæ jam figuræ averſa, extrorſum ſpectantia. Eam intelligat Lector univerſæ figuræ frontem eſſe, planeque ita ſemper a nobis vocabitur.

TEntoria Tribunorum, inquit, a dicta figura Prætorii quadrati averſa locabantur, ita nimirum, ut frons eorum fronti Prætorii non eſſet adverſa, ſed ab ea averſa, & illam partem caſtrorum ſpectaret, in qua erant Legiones. Et hanc, ait, vocabimus ſemper frontem totius figuræ ſive caſtrorum. Fiebat ergo per hanc metationem, ut C tentoria Tribunorum a fronte ſive facie Prætorii averſa eſſent. Quod quidem Polybius multo brevius & clarius exprimere potuiſſet, ſi dixiſſet, frontem tentoriorum Tribunitiorum, idem caſtrorum latus ſpectaſſe, quo frons Prætorii verſa erat, uti ex addita figura perſpici poteſt.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Ἀφεστᾶσι δ᾽ ἀλλήλων μὲν ἴσον αἱ τῶν χιλιάρχων σκηναί. τοσοῦτον δὲ τόπον, ὥστε παρ᾽ ὅλον τὸ πλάτος ἀεὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων παρήκειν.

SEjuncta ſunt invicem Tribunorum tabernacula pari intervallo, eoque tanto, ut per totam latitudinem Romanarum Legionum porrigantur.

DIxit Polybius, longitudinem tentoriorum Tribunitiorum, occupaſſe quinquaginta pedes ſpatii illius, quod inter tentoria Tribunorum, linea recta locata, & parallelum latus Prætorii intercedebat. Nunc addit, latitudinem eorum tantam fuiſſe, quanta erat omnium Legionum Romanarum; quæ D quidem, ut poſtea videbitur, erat pedum octingentorum & quinquaginta, computatis quoque trium viarum intervallis, quæ illorum pedaturas diſtinguebant. His ſi dematur via media, lata pedes quinquaginta, quæ reſpondebat ſpatio illi, quod inter tentoria Tribunorum medium erat, & ad

Prætorium aditum præbebat, reſtat Legionum latitudo pedum octingentorum, utrimque nimirum quadringentorum. Hac ratione igitur ſex tentoria Tribunorum, ab uno latere Prætorii poſita, habuerunt in latitudine pedes quadringentos; totidemque ſex reliqua. Addit Polybius, tentoria dicta pari intervallo a ſe disjuncta fuiſſe: quantum vero hoc intervallo fuerit, non memorat. Quæ cauſa eſt, quare nec ſingulorum tentoriorum latitudo ſeparatim ſciri poſſit. Cæterum, ſi ea quadrata fuiſſe ſtatuamus, qualia etiam Conſulis, Equitum, Principum & Haſtatorum erant, ut poſtea docebitur, latitudo eorum ad calculum facile revocari poterit. Cum enim ſingula eſſent longa A pedes quinquaginta, neceſſe eſt, totidem quoque pedes lata fuiſſe: atque ideo, cum ſex eſſent ab utroque latere, quinquaginta pedibus in ſingula deſcriptis, occuparunt in latitudine ſua ſpatium pedum trecentorum, qui dempti quadringentis, relinquunt pedes centum, quos intervalla, iis interſita, ſibi vindicabant. Erant autem inter ſena tentoria Tribunorum neceſſario intervalla quina, quibus æqualiter viceni pedes admetiendi, ad dandum tranſitum iis, qui ex via lata, tentoria iſta in duas partes dirimente, vel ex aliis Legionum viis, tendebant in Forum & Quæſtorium, quæ, uti poſtea dicetur, a poſtica parte tabernaculorum Tribunitiorum ſita erant.

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Ἀπομετρηθέντων δὲ πάλιν ἑκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πρόσθεν κατὰ πάσας τὰς σκηνάς λοιπὸν ἀπὸ τῆς τοῦτο τὸ πλάτος ὁριζούσης εὐθείας, ἥτις γίνεται παράλληλος ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἀπὸ ταύτης ἄρχονται ποιεῖσθαι τὰς τῶν στρατοπέδων παρεμβολάς, χειρίζοντες τὸν τρόπον τοῦτον.

Rurſus inita menſura pedum centum, frontem verſus, e regione omnium iſtorum tabernaculorum, ab ea linea recta, quæ latitudinem hanc definit, & dictis tentoriis parallela eſt, legiones locare incipiunt, quo in negotio ita ſe gerunt.

E Rectis Tribunorum tentoriis, a parte illorum anteriore, ſive verſus frontem caſtrorum, inita menſura centum pedum, ducebatur linea, quæ di- B ctis Tribunorum tentoriis parallela eſſet. Ab hac linea, verſus frontem caſtrorum, Legiones locare incipiebant, idque modo ſequente.

SECTIO IX.

POLYBIUS.

Διχοτομήσαντες τὴν προειρημένην εὐθεῖαν ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου πρὸς ὀρθὰς τῇ γραμμῇ, τοὺς ἱππεῖς ἀντίους ἑαυτοῖς ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβάλλουσι, πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀλλήλων, μέσην ποιοῦντες τὴν τομὴν τοῦ διαστήματος.

Dictam lineam rectam in duas partes dividentes, ab hac ſectione & ſigno recta ad lineam angulis equites utriuſque legionis adverſos inter ſe locant, quinquaginta pedum intervallo, cujus medium ſectio illa obtinet.

Linea, tentoriis Tribunorum parallela, & ab iis C centum pedes æqualiter remota, quam in figura numerus 3 denotat, in duas ſecabatur partes. Hujus ſectionis punctum cum obtineret medium illius intervalli, quod erat pedum quinquaginta, ab extremitate horum pedum quinquaginta, ad angulos rectos verſus frontem caſtrorum duæ aliæ lineæ rectæ ducebantur, utrinque una, pone quas, relicto inter eas dicto intervallo pedum quinquaginta, locabantur equites legionum, pars ab uno, & pars ab altero latere, ita ut e regione invicem conſiſterent, ut in figura numerus 4. indicat.

SECTIO X.

POLYBIUS.

Ἔστι δὲ ἥτε τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν σκηνοποιΐα παραπλήσιος. γίνεται γὰρ τὸ ὅλον σχῆμα καὶ τῆς σημαίας καὶ τῶν ἰλαμῶν τετράγωνον· τοῦτο δὲ βλέπει μὲν εἰς τὰς διόδους, ἔχει δὲ τὸ μὲν μῆκος ὡρισμένον, τὸ παρὰ τὴν δίοδον. ἔστι γὰρ ἑκατὸν ποδῶν. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὸ βάθος ἴσον πειρῶνται ποιεῖν, πλὴν τῶν συμμάχων.

Eſt autem metatio tentoriorum tam equitum quam peditum ſimilis. Fit enim univerſa & manipuli & turmarum figura ſive pedatura quadrata: eaque ad interjectas vias ſpectans, longitudinis quidem modum habet definitum juxta ipſam viam; eſt enim centum pedum. Ut plurimum vero etiam, ut profunditas ſive latitudo eandem menſuram habeat, efficere conantur, præterquam in Sociis.

Spatium, in quo equites metabantur, ſimile fuiſſe dicit ſpatio ſive pedaturæ peditum, id eſt, quadratum. Longitudo enim, quæ juxta viam porrigebatur, erat centum pedum; eumque menſuræ modum æquabat longitudo, quæ juxta vias Triariorum, Principum & Haſtatorum extendebatur. Et ut plurimum latitudo tam equitum quam pedi- D tum, totidem erat pedum, exceptis Triariis, qui, quoniam dimidiato tantum numero erant, nonniſi quinquaginta pedum latitudinem obtinebant. Horum ergo pedatura, non erat quadrata, ſed quadrilatera. Porro, turmas equitum, quarum ſingulæ triginta viris conſtabant, tantundem ſpatii occupaſſe dicit, quantum vexilla, ſive manipuli peditum.

SE-

SECTIO XI.

POLYBIUS.

ΟΤαν δὲ τοῖς μείζοσι στρατοπέδοις χρῶνται, τὸ κατὰ λόγον καὶ τῷ μήκει καὶ βάθει προστιθέασι.

QUoties autem legionibus plenioribus utuntur, pro rata ad longitudinem & latitudinem adjiciunt.

HActenus Polybius locutus est, & ad finem usque Tractatus hujus loquetur tantum de Legione, quæ peditibus quater mille & ducentis, equitibusque trecentis constabat. Sed si quando contingeret, inquit, ut in Legione numerus peditum cresceret, crescebat quoque numerus equitum, neque tamen pedaturæ multiplicabantur, sed numero denario semper manente, longitudo earum & latitudo, quæ erat pedum centenum, pro rata augebatur. Reperio in Livio, quater tantum numerum equitum fuisse auctum, ita ut plures essent trecentis; semel nimirum, trecenti & triginta; ter vero, quadringenti. Opportunum jam est hoc loco examinare, in quantum, non solum in primo, sed etiam reliquis augmentis, pedatura equitum extendi & dilatari amplius debuerit. Equitibus trecentis unius Legionis, decem spatia assignabantur, ut dictum est, paris inter se latitudinis & longitudinis, id est, longa pedes centenos juxta viam mediam, totidemque lata. Hinc universa illorum area comprehendit decies mille pedes quadratos, qui conficiunt passus quadratos 400. in tali igitur spatio, pedes nimirum centum lato, totidemque longo, locabantur triginta equites, qui erant decima pars equitum trecentorum. Non videtur autem accessio trium equitum, qua singulæ turmæ augebantur, cum in Legione essent equites trecenti & triginta, tanti momenti fuisse, ut propterea solita spatia turmarum laxiora fieri deberent, quoniam ea his quoque recipiendis facile sufficiebant, licet nec longitudo eorum, nec latitudo augeretur. Sed fac majorem his laxitatem datam fuisse, quanto ea major esse debuit, accedentibus tribus equitibus? Denis pedibus in longitudine, totidemque in latitudine, quoniam hi sunt decima pars centum pedum, uti tres equites sunt decima pars hominum triginta. Hac ratione igitur longitudo pedaturæ implevit pedes centenos denos, totidemque latitudo; tota vero area, pedes quadratos duodecies millenos & centenos, qui faciunt passus 484. Quod si vero in una legione essent equites quadringenti, longitudinem cujusque pedaturæ, quæ erat pedum centenum, tertia parte augeri oportebat, quoniam & centum illi equites adjecti, erant tertia pars equitum trecentorum, quot una legio plerumque habebat. Et decem illi, qui ad singulas turmas accedebant, erant tertia pars equitum triginta, qui in turmis illis jam ante erant. Tertia vero pars centenum pedum, sunt triginta tres cum triente. Qua ratione longitudo hujus pedaturæ tres & triginta pedes cum triente, totidemque latitudo habere cœpit: Area vero pedes quadratos circiter decies septies mille sexcentos & nonaginta complectebatur, qui faciunt passus quadratos 676. Et hæc est accessio, qua pedaturæ turmarum augebantur. Nunc videamus, quantum spatii describendum esset in singulos equites ex illis triginta, qui in unaquaque pedatura erant, quæ, ut dictum est, quadringentos passus quadratos continebat. Sane si equites singulos tantum equos secum habuerunt, ut plures eos habuisse non legimus; unaquæque pedatura habuit triginta equos, quorum singulis si tribuantur duo passus quadrati, universi non plus sexagenos passus occuparunt, & triginta equites, pariter sexagenos; adeo ut superarent passus ducenteni & octogeni, cujus spatii laxitas abunde sufficiebat recipiendis illorum sarcinis variis, jumentis, instrumentis culinæ, aliisque rebus. Porro, equites triginta tres, si duo passus singulis assignarentur, summam priorem duodecim passibus superabant, relicto spatio passuum ducentorum & sexaginta octo ad eosdem usus: quamvis vix contingeret, ut propter accessionem trium tantum equitum, spatia turmarum laxiora fierent. Nunc quoniam de augmento pedaturæ turmarum sive equitum egimus, expendamus pariter, qua ratione pedatura peditum ampliata fuerit, sequentes principia & fundamenta Polybii. Pedatura Hastatorum & Principum similis erat pedaturæ equitum, in Legione ordinaria, quater mille & ducentis peditibus, equitibusque trecentis constante. Erant enim longæ pedes centenos, totidemque latæ; & area illarum quadringenos passus quadratos complectebatur, in eaque centeni & viceni Hastati tendebant, totidemque Principes: quorum singulis si dentur duo passus quadrati, uti equitibus, universi occuparunt ducentos & quadraginta passus, superantibus centum & sexaginta passibus ad alios usus necessarios. Porro, spatia illa, ubi Triarii tendebant, erant longa pedes centenos, lata sexagenos, qui efficiunt aream ducentorum passuum, in qua tendebant Triarii sexaginta, quibus si bini passus tribuantur, uti aliis, occuparunt universi passus centum & viginti, superantibus octoginta passibus, in quo spatio & suus Velitibus erat assignatus locus, qui Triariis adjuncti erant. Implebant autem illi in unaquaque pedatura quadragenos, ut vult Dux Urbinensis in sua figura; quibus si assignentur bini passus, occuparunt universi octoginta passus reliquos. Hac ratione vero fiebat, ut nullum spatium ad usum impedimentorum, vel culinæ, superesset. Quod si vero Triariis adjuncti essent Velites viceni quaterni, dimidia tantum pars eorum XLVIII. qui Hastatis & Principibus additi erant, occuparunt ii passus quadragenos octonos, superantibus tricenis binis ad usum impedimentorum. Sic in pedatura Hastatorum erant Velites octo & quadraginta, qui occupabant spatium sex & nonaginta passuum, restabantque passus quatuor & sexaginta, qui dupli rationem obtinent ad passus illos duos & triginta, in pedatura Triariorum restantes: Eademque prorsus est ratio pedaturæ Principum. Et hæc divisio rationi & veritati magis conveniens esse videtur, quam si singulis ordinibus quadraginta Velites adtribuantur, quoniam tunc, Triarii quidem nullum spatium; Hastati vero & Principes, octogenos passus vacuos habituri essent. Cæterum in Legione, in qua militum numerus ad quinquies mille excrescebat, Triariis numerum suum sexcentenarium retinentibus, reliqui ordines quater mille & quingentos milites habuerunt. Hi in partes tres æqualiter divisi, in unaquaque mille quadringentos & sexaginta sex implebant; adeoque Triarii tunc dimidiam eorum partem non adæquabant, sed pauciores erant ducentis

& sexaginta sex. Hinc si Triariis nonnisi quatuor & viginti Velites adderentur, in reliquos ordines sexageni singuli distribuendi erant, quorum singuli cum necessario unius tantum passus spatium occuparent, in tota eorum pedatura nonnisi tres passus supererant ad usum impedimentorum. Quare dicendum est, Velites mille quadringentos & sexaginta sex, in quinquies quinque partes fuisse divisos, quarum quinque, id est, ducenti & nonaginta tres, Triariis fuerint assignati; decem vero, sive quingenti & octoginta sex, qui numerus prioris duplus est, Hastatis; totidemque Principibus. Hi rursus in decem pedaturas distributi, in singulis quinquagenos octonos implebant, senis restantibus; pedaturis vero Triariorum pro rata assignandi erant noveni & viceni Velites, quo facto in tota summa tres redundant. Hac ratione igitur Triarii in pedaturis suis, quinorum; Hastati vero & Principes, denorum accessione augebantur: quorum illi quidem, decem; hi vero, viginti passus ultra solitum podismum occupabant. Sed in Legione 400. equitum, & 5000. peditum, crescente equitum pedatura, ut supra vidimus, ad 676. passus quadratos; totidem passuum accessione, Hastatorum & Principum pedaturæ, augebantur; adeo ut, si spatium illud 676. passuum inter 146. Hastatos, (qui erant in singulis pedaturis) & 58. Velites, (qui prioribus juncti summam 204. hominum efficiunt) ita distribueretur, ut singulis eorum duo passus assignarentur, universi 408. passus occuparunt, restaruntque 268. quod spatium impedimentis servisque capiendis sufficiebat. Sed, si in Legione essent equites quadringenti, & pedites 5200. pedaturis priorem laxitatem, & Triariis solitum suum numerum non excedentibus, Principum numerus ad 1533. excrevit, uti & Hastatorum & Velitum. Velitibus autem in quinquies quinque partes, ut supra, divisis, ordini Triariorum trecenti & seni; Hastatorum vero & Principum, sexcenteni & duodeni assignandi erant. Hi rursus per denas pedaturas cujuslibet ordinis divisi, in singulis pedaturis Triariorum 31. admodum implebant, qui Triariis 60. juncti, summam 91. efficiebant. Inter hos si spatium 303. passuum dividatur, occupabuntur passus 182. restantibus 121. ad alios usus. Sic ex Principibus qui universi 1533. implebant, 153. singulis pedaturis adtributi, junctis Velitibus 61. efficiebant summam 214. in quos si passus 484. de-

A scriberentur, occupatis 428. restabant 56. ad usum impedimentorum. Unde apparet, in omni augmento militum & pedaturarum, singulis tam equitibus quam equis, omniumque generum peditibus, assignari solitos fuisse duos passus quadratos, spatiumque illud solum, quod impedimentorum servorumque usibus destinatum erat, in extraordinariis his Legionibus nunc arctius, nunc laxius fuisse. Et hæc quidem ex calculo amplitudinis pedaturarum, numeroque militum in illis locatorum hactenus colligi potuerunt. Cæterum, dubium adhuc superest de Velitibus, an nempe unicuique illorum tantundem spatii assignatum fuerit, quantum singulis B Triariis, Principibus & Hastatis. Cum enim Velites essent militum pauperrimi, levissimisque armis instructi, convenientius fuisse videtur, ut iisdem pro minore opum modo minus etiam spatium assignaretur. Quare si hanc rem Polybius æque curiose & prolixe persecutus esset, ac modum, quo ferrum ligno pili insertum eique innexum erat, multo magis sane officio prudentis Historici functus esset, nosque de re quapiam certiores fecisset, quæ longe majoris est momenti, quam iste ferri nexus; atque ita supersedere potuissemus illa computatione, quam ad defectum hunc supplendum instituimus, C per conjecturam potius ex ejus principiis, numerique ratione ductam, quam ex clara & certa descriptione, ab ipso prodita. Neque ex aliis Historicis vel Scriptoribus Rei Militaris Romanæ certiorem notitiam consequi possumus, qui omnes de ea re, quamvis tanti momenti sit, tacuerunt. Præterea, Polybius docere nos debuisset, utrum universi milites in unaquaque pedatura unum tantum, an vero plura tentoria haberent; si plura, quantus illorum numerus esset, & quoteni milites sub unoquoque tentorio, quove ordine locari solerent; utrum graviter armatis anterior, an vero posterior locus assignaretur, & similia alia, quæ & D ad commoditatem tendendi, & ad dignitatem militum, & prærogativam primo vel postremo in aciem excundi, vel se in pedaturas suas recipiendi, plurimum facere poterant. Præterea commemorare debuisset, in quem locum milites impedimenta sua conferrent; utrum ea unusquisque in suum tentorium deportaret, an vero communis aliquis locus huic usui destinatus esset; quod de culina quoque, aliisque rebus castrensibus dictum velim.

SECTIO XII.

POLYBIUS.

ΓΕνομένης δὲ τῆς τῶν ἱππέων παρεμβολῆς κατὰ μέσας τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς, οἱονεὶ ῥύμης τινὰ ἐπικαρσίου πρὸς τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν εὐθεῖαν, καὶ τὸν πρὸ τῶν χιλιάρχων τόπον· τῷ γὰρ ὄντι ῥύμαις παραπλήσιον ἀποτελεῖται τὸ τῶν διόδων σχῆμα πασῶν, ὡς ἂν ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους, αἷς μὲν ταγμάτων, αἷς δ᾽ ἰλαμῶν ἐπὶ τὸ μῆκος παρεμβεβληκότων.

FIt autem metatio hæc equitum ad media tabernacula Tribunorum, similis strigæ aut vico transversario ad dictam lineam rectam, & eum locum, qui est ante tabernacula Tribunorum. Et est revera vicis similis hæc omnis species intercurrentium viarum, utpote secundum quas ab utroque latere partim manipuli, partim turmæ porrectas in longum suas metationes habeant.

EQuites dicto modo locati, & a puncto illo, quod lineam tentoriis Tribunorum parallelam secabat, utrinque pedum 25. spatio remoti, seseque in longitudinem pedum 100. porrigentes, regione stabant oppositi duobus tentoriis Tribunorum, qui in medio, prope frontem Prætorii tendebant. Et quod Polybius hic dicit ἐπικάρσιον sive *transversum*, ante dixit πρὸς ὀρθὰς, *ad angulos rectos*.

E Qui ergo a dictis tentoriis Tribunorum versus frontem Legionum recta prospiceret, ei tentoria equitum ex adverso sibi opposita, similia videbantur vico recto, pedes mille & quinquaginta longo, qui conficiunt passus 210. suntque quinta pars milliaris, & eo amplius. Pone hos equites Triarii locati erant, nullo intervallo intercedente, uti & Hastati pone Principes, qui omnes ad

viam, juxta quam locati erant, ſpectabant, equites quidem ad viam mediam, Triarii vero & Principes ad eam, quæ ipſos dividebat, equiteſque ſociorum & eorum pedites ad ſpacium 200. pedes latum, quod inter ipſos & vallum interjectum erat. Et ſic revera ſex vici recti per caſtra ſe porrigebant, diſtincti inter ſe viis quinque, æque longis, ac ipſi vici erant.

SECTIO XIII.

POLYBIUS.

Πλὴν τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν κατόπιν τοὺς ἐξ ἀμφοτέρων τῶν στρατοπέδων τριαρίους κατ' οὐλαμὸν ἑκάστῃ σημαίαν ἐν ὁμοίῳ σχήματι τιθέασι· συμψαυόντων μὲν τῶν σχημάτων ἀλλήλοις, βλεπόντων δ' ἔμπαλιν πρὸς τὰς ἐναντίας τοῖς ἱππεῦσιν ἐπιφανείας, ἥμισυ ποιοῦντες τὸ βάθος τοῦ μήκους ἑκάστης σημαίας, τῷ καὶ κατὰ τὸ πλῆθος ἡμίσεις ὡς ἐπίπαν εἶναι τούτους τῶν ἄλλων μερῶν.

CÆterum a tergo dictorum equitum, Triarios legionis utriuſque iis adplicant; ſingulos nempe manipulos ſingulis turmis, figura ſimili: ita ut tangentibus ſe mutuo pedaturis eo reſpiciant Triarii, unde equites ſunt averſi. Latitudinem etiam cujuſque manipuli dimidiam longitudinis faciunt, quia & ipſi dimidio fere ſuperantur a cæteris partibus.

CUm ſinguli Triariorum manipuli, ſexagenis militibus conſtantes, pone ſingulas equitum turmas ita locarentur, ut terga tergis obverterent, eorumque pedaturæ ſe mutuo tangerent, ut in mea figura numerus 5. oſtendit; neceſſario in eam partem aſpiciebant Triarii, unde equites erant averſi; haud ſecus ac bini homines, qui tergis ſe mutuo tangunt. Quia autem Polybius ſingulos Triariorum manipulos pone ſingulas equitum turmas locat, decem neceſſario Triariorum pedaturæ fuerunt, longæ pedes centenos, latæ vero quinquagenos tantum, quoniam & ipſi Triarii dimidio fere ſuperabantur a reliquis ordinibus, non quidem equitum, ſed Principum & Haſtatorum, qui in Legione ordinaria millenos & ducentenos implebant, cum Triarii tantum numero eſſent ſexcenti. In plenioribus vero Legionibus Triarii erant infra dimidium reliquorum, ut ſupra dictum eſt.

SECTIO XIV.

POLYBIUS.

Διόπερ ἀνίσων ὄντων πολλάκις τῶν ἀνδρῶν, ἰσάζειν ἀεὶ συμβαίνει πάντα τὰ μέρη κατὰ τὸ μῆκος, διὰ τὴν τοῦ βάθους διαφοράν.

QUa ratione cum impar ſæpe ſit numerus virorum, ſemper tamen metationum longitudo eſt æqualis, propter latitudinis variationem.

OMnes pedaturæ tam equitum, quam Triariorum, Principum & Haſtatorum, nec non equitum & peditum ordinariorum apud ſocios, non ſolum eandem habebant longitudinem, ſed etiam pari erant numero, quoniam in ſingulis ordinibus erant decem, non plures nec pauciores. Et quamvis numerus militum in Legione vel ordine aliquo interdum augeretur, non tamen vel numerus vel longitudo pedaturarum unquam variabatur, ita ut altera eſſet altera longior, ſed ſola latitudo variationibus aliquando obnoxia erat, idque tantum in Triariorum, equitum, & peditum Sociorum metationibus. Quoniam enim Triarii numero dimidiato tantum erant, comparati cum reliquis Legionariis; pedaturæ quoque illorum dimidiatam tantum latitudinem obtinebant. Et ſic, quod ad latitudinem equitum ſocialium adtinet, quoniam hi plerumque quadragenos implebant, atque adeo Legionarios denis ſuperabant, illorum pedaturæ parte tertia dilatabantur, ſervata eadem longitudine. Et ſic pedites ſociorum cum in unaquaque pedatura, inter Triarios, Principes, & Haſtatos, & Velites 336. implerent, illorum metatio dilatabatur, aſſignabaturque illis quidquid latitudinis erat reliquum, uſque ad ſpatium illud quod vallo erat proximum. Talis ergo pedatura, in Legione 4200. viris conſtante, lata foret 210. pedes, & centum lata; totaque area occupatura eſſet unum & viginti millia pedum quadratorum, ſive paſſus 840. Si ergo ſingulis peditibus aſſignentur duo paſſus quadrati, occupabuntur in univerſum paſſus 672. reſtabitque ſpatium 168. paſſuum ad impedimentorum uſum. Et hæc eſt variatio latitudinis in pedaturis Triariorum & Sociorum, quæ naſcitur ex vario illorum numero, qui non ſemper erat idem, ſecus ac Equitum, Principum & Haſtatorum Legionariorum, quorum pedaturæ proinde eandem longitudinem & latitudinem perpetuo ſervabant,

SECTIO XV.

POLYBIUS.

Αὖθις δὲ πεντήκοντα πόδας ἀφ' ἑκατέρων τούτων ἀποστήσαντες, ἀντίους παρεμβάλλουσι τοῖς τριαρίοις τοὺς πρίγκιπας.

RUrſus autem intervallo pedum quinquaginta ab horum utriſque adverſos Triariis Principes interjiciunt.

A Triariis utriusque Legionis, quinquaginta pedum intervallo semotos locant utrinque Principes utriusque Legionis e regione Triariorum, eo loco, quem numerus 6. in Tabula designat.

A Hi cum in 10. pedaturas essent distributi, & Principes in totidem, apparet denas illorum metationes ex adverso sibi mutuo fuisse oppositas.

SECTIO XVI.

POLYBIUS.

Νευόντων δὲ καὶ τούτων εἰς τὰ προειρημένα διαστήματα, δύο αὖται πάλιν ἀποτελοῦνται ῥῦμαι, τὰς μὲν ἀρχὰς ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας λαμβάνουσαι, καὶ τὰς εἰσβολὰς ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσιν, ἐκ τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων ἑκατομπέδου διαστήματος· λήγουσαι δὲ πρὸς τὴν κατάντικρυ τῶν χιλιάρχων πλευρὰν τοῦ χάρακος, ἣν ἐξ ἀρχῆς ὑπεθέμεθα καὶ πρόσωπον εἶναι τοῦ παντὸς σχήματος.

His ipsis spectantibus & vergentibus in spatia atque intervalla jam dicta, duo ecce rursus fiunt vici, principia atque aditus ab eadem recta linea sumentes cum equitibus, ab area nimirum illa centum pedum, quæ est ante Tribunos; desinentes vero in latus valli Tribunis adversum, quod initio posuimus universæ figuræ frontem esse.

Principes e regione Triariorum ita locati, ut via 50. pedes lata inter utrumque ordinem interjecta esset, duos alios formabant vicos, quales erant vici equitum. Hi vici ab eadem linea recta, cum equitibus, initium capiebant, introitumque

B ab eodem spatio, sive area centum pedum, quæ ante tentoria Tribunorum porrigebatur, habebant, (vid. Tabul. num. 50.) desinentes in latus valli, (vid. Tab. n. 21.) ad quod, ut initio dictum est, frons Prætorii versa erat.

SECTIO XVII.

POLYBIUS.

Μετὰ δὲ τοὺς πρίγκιπας, ὄπισθεν τούτων ὁμοίως ἔμπαλιν βλέποντας, συμψαύοντα δὲ τὰ σχήματα τιθέντες, τοὺς ἀστάτους παρεμβάλλουσι.

Proxime Principes, ac pone eos iterum aversos locant Hastatos, pedaturis se invicem contingentibus.

Uti Triarii a tergo equitum, ita Hastati pone Principes locabantur. Hi cum tergis suis terga Principum contingerent (in Tab. num. 6.)

C eo respiciebant, unde Principes erant aversi: id quod ex figura clarissime apparet.

SECTIO XVIII.

POLYBIUS.

Δέκα δὲ σημαίας ἐχόντων ἁπάντων τῶν μερῶν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς διαίρεσιν, πάσας ἴσας συμβαίνει γίνεσθαι τὰς ῥύμας, καὶ κατὰ τὸ μῆκος, καὶ τὰς ἀποτομὰς ἰσάζειν αὐτῶν τὰς πρὸς τῇ καὶ τὸ πρόσωπον πλευρᾷ τοῦ χάρακος· πρὸς ἣν καὶ τὰς τελευταίας ἐπιστρέφοντες στρατοπεδεύουσιν.

Cum autem in quaque legionis parte sint manipuli decem, prout principio eam divisimus, vici omnes pari sunt longitudine, & eorum quoque extrema æqualiter pertinent ad latus, quod est frons castrorum; quo etiam conversi postremi manipuli tendunt.

Jam supra dictum est, milites pro numero decem manipulorum, qui erant in unoquoque ordine, in decem quoque pedaturas fuisse divisos, quæ quia paris erant longitudinis, ut modo dictum est, initiumque omnes capiebant a linea illa, quæ tentoriis Tribunorum erat parallela, ab iisque centum

D pedes æqualiter distans, necessario eorum quoque extrema æqualiter desinentia, pertinebant ad frontem valli, in quam ultimorum etiam manipulorum frons versa erat; non uti aliorum, in vias, quæ vicis interjectæ erant, sed in spacium illud 200. pedum, quod fronti castrorum obversum erat.

SECTIO XIX.

POLYBIUS.

Ἀπὸ τῶν ἀστάτων πεντήκοντα πάλιν διαλείποντες πόδας τοὺς τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἀντίους παρεμβάλλουσι τούτους, ποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας, καὶ λήγοντες ἐπὶ τὴν αὐτήν.

Ab Hastatis relicto iterum quinquaginta pedum intervallo, Sociorum equites locant adversos, ab eadem cum superioribus linea incipientes, & in eadem recta desinentes.

Sensus est, equites Sociorum e regione Hastatorum locatos, novum formasse vicum, relicta inter ambos via quinquaginta pedum, pari cum reliquis longitudine, quoniam ab eadem cum aliis vicis linea initium capiebat, & in idem latus valli, quod est frontem versus, desinebat.

E

SECTIO XX.

POLYBIUS.

Ἔστι δὲ τὸ πλῆθος τῶν συμμάχων, ὡς ἐπάνω προεῖπα, τὸ μὲν πεζῶν πάρισον τοῖς Ῥωμαϊκοῖς στρατοπέδοις, λεῖπον τοῖς ἐπιλέκτοις· τὸ δὲ τῶν ἱππέων διπλάσιον, ἀφῃρημένου καὶ τούτων τοῦ τρίτου μέρους εἰς τοὺς ἐπιλέκτους.

Est autem multitudo Sociorum, ut jam supra dixi, peditum quidem par Romanis legionibus, exceptis detractisque Extraordinariis: equitum dupla, quo etiam ex numero pars tertia in Extraordinarios est detracta.

Hæc omnia jam supra sunt exposita: Nimirum si ex peditibus 8400. quinta pars detrahatur in Extraordinarios 1680. restare 6720. Et sic cum equites Sociorum parte dimidia superarent equites Romanorum, qui in ambabus legionibus 600. implebant, tota illorum summa ad 1200.

A adscendit: ex quibus parte tertia, sive 400. in Extraordinarios detracta, restabant 800. qui una cum peditibus in dextro & sinistro cornu collocati, pedites quidem numerum 3360. equites vero 400. implebant:

SECTIO XXI.

POLYBIUS.

Διὸ καὶ τὸ βάθος αὔξοντες τούτοις πρὸς λόγον ἐν τοῖς στρατοπεδευτικοῖς σχήμασι, πειρῶνται κατὰ μῆκος ἐξισοῦν τοῖς τῶν Ῥωμαίων στρατοπέδοις.

Idcirco in castrametationum pedaturis instituendis, pro rata ad horum latitudinem adjiciendo, ut longitudine pares sint Romanis legionibus, efficere conantur.

Dictum fuit, pedaturas tam Romanorum, quam Sociorum pari semper longitudine fuisse. Nunc addit, quoniam equites Sociorum numero excedebant equites Romanorum, illorum latitudinem pro rata auctam fuisse. In quo quidem hæc servanda fuit proportio, ut, si 30. equitibus Romanis daretur latitudo 100. pedum, equitibus 40

B sociorum eo amplius dandam fuisse partem tertiam pedum 100. sive pedes 35. cum triente; adeo ut tota illorum latitudo occuparet pedes 133. cum triente. Quamvis autem illorum latitudo dicto modo augeretur, non tamen longitudini quicquam adjiciebatur, utpote quæ semper æquabat longitudinem Legionum Romanarum, ut ante dictum est.

SECTIO XXII.

POLYBIUS.

Ἀποτελεσθεισῶν δὲ τῶν ἁπασῶν πέντε διόδων, αὖθις εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμένας ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσι τιθέασι τὰς τῶν συμμαχικῶν πεζῶν σημαίας, αὔξοντες τὸ βάθος πρὸς λόγον, βλεπούσας δὲ πρὸς τὸν χάρακα: καὶ πρὸς τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας ἑκατέρας.

Absolutis igitur omnibus quinque viis, iterum ab Equitibus aversos locant peditum socialium manipulos, augentes latitudinem pro portione, spectantes vallum versus & versus latera ab utraque parte.

Postquam a tergo equitum Romanorum locaverant Triarios, & Hastatos a tergo Principum, eisque deinde adversos equites Sociorum, absolverantque vias quinque, quarum una erat in medio inter equites legionarios, duæ inter Triarios & Principes ambarum legionum, & duæ ultimæ inter Hastatos & equites sociorum; pedaturisque in modum vici dispositis, a tergo horum equitum locabant Sociorum pedites, quorum latitudo pro rata augebatur, uti & equitum. Nam cum in singulis pedaturis essent in universum 336. quorum unicuique tantundem assignandum erat spacii, quantum singulis Romanis, id est, duo passus quadrati, relicto insuper spacio vacuo ad alios usus: primo quidem universis passus 672. necessario dandi fuerunt; & deinde, ut vacuum aliquod spatium relinquere-

C tur, singulis insuper dimidius saltem passus dandus fuit, ex quorum collectione summa 168. passuum conficitur. Latitudini deinde illi pedum 100. quam Principes & Hastati Romanorum obtinebant, alii 100. pedes adjiciendi, ita ut tota illorum summa esset 210. qui ducti in pedes 100. quos longitudo occupabat, efficiunt aream pedum 21000. qui conficiunt passus 840. His in 336. milites ita divisis, ut eorum singulis bini assignarentur, occupabantur passus 672. restantibus 168. quæ summa conflatur ex dimidiis illis passibus, qui ideo singulis militibus superaddebantur, ut haberent, ubi impedimenta sua ponere possent. Ob eandem causam singulis quoque Principibus & Hastatis in legione dimidius passus adtribuebatur, ut supra dictum est.

SECTIO XXIII.

POLYBIUS.

Καθ' ἑκάστην δὲ σημαίαν τὰς πρώτας ἀφ' ἑκατέρου τοῦ μέρους σκηνὰς οἱ ταξίαρχοι λαμβάνουσιν.

In singulis autem manipulis prima hinc & inde tabernacula Centuriones occupant.

Σημαίαν Polybius hactenus de peditibus semper dixit, & οὐλαμὸν, sive turmam de equitibus, qui in una eademque pedatura locati erant. Vult igitur, in unaquaque pedatura peditum, prima tentoria tenuisse Centuriones, qui peditum Ductores tantum erant: de Ductoribus vero equitum, uti etiam Tergiductoribus nihil addit. De ipsis Centurionum tentoriis non memorat, quantum occupaverint spatium, in quo quidem A non possumus non diligentiam ejus desiderare. Tacet praeterea, quod majoris momenti est, de tentoriis duorum Praefectorum, qui praeerant equitibus Romanis, & eorum, qui equitibus Sociorum imperabant, nec non de duodecim Praefectis Peditum Socialium, uti & de tentorio Praetoris illorum summi, & Quaestoris, de quo postea quaedam memorabimus, quantum quidem conjectura assequi poterimus.

SECTIO XXIV

POLYBIUS.

Ἅμα δὲ τὸν προειρημένον τρόπον παρεμβάλλοντες καθ' ἕκαστον μέρος, τὸν ἕκτον οὐλαμὸν ἀπὸ τοῦ πέμπτου πεντήκοντα πόδας ἀφιστᾶσι· παραπλησίως δὲ καὶ τὰς τῶν πεζῶν τάξεις, ὥστε γίγνεσθαι καὶ ταύτην ἄλλην διὰ μέσων τῶν στρατοπέδων δίοδον, ἐπικάρσιον μὲν πρὸς τὰς ῥύμας, παράλληλον δὲ ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἣν καλοῦσι πέμπτην, διὰ τὸ παρὰ τὰ πέμπτα τάγματα παρήκειν.

Dum vero eo, quem indicavi modo, equites utrinque disponunt, sextam turmam a quinta spatio pedum quinquaginta separant, idemque in peditum quoque manipulis observant: ita ut fiat haec quoque transitio pervia per medias legiones, quae ratione quidem strigarum transversa est, sed parallela tentoriis Tribunorum. Hanc Romani Quintanam vocant, quia secundum quintos ordines pergit.

Hactenus Polybius locutus est de denis pedaturis tam equitum quam peditum, dixitque eas initium cepisse cunctas ab eadem linea, pariterque omnes eodem latere valli, quod frontem versus erat, terminatas fuisse. Nunc meminit alicujus rei antea omissae, nempe viae, quae omnes quinque vias ante dictas decussatim secabat, & quidem in medio, uti etiam vicos. Ait enim, inter turmam quintam & sextam intervallum 50 pedum relictum fuisse, idemque in peditum manipulis observatum, id est, inter quintam & sextam pedaturam Triariorum, Principum & Hastatorum, uti & equi- B tum & peditum Socialium, idem intervallum 50. pedum intercessisse. Via ergo haec medias legiones secuit, quae, quia secundum quintos ordines pergebat, dicta fuit *Quintana*. Hujus viae in historiis aliquoties exstat mentio; eratque parallela tentoriis Tribunorum, ab iisdemque aequaliter remota, quoniam inter haec & illam intererat latitudo viae Principalis, sive areae 100. pedum, nec non latitudo pedaturarum primarum, secundarum, tertiarum, quartarum & quintarum, quae longitudine inter se erant pari, uti antea dictum est.

SECTIO XXV.

POLYBIUS.

Ὁ δ' ὑπὸ τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς ὄπισθεν τόπος ὑποπεπτωκώς, ἐξ ἑκατέρου δὲ τοῦ μέρους τῆς τοῦ στρατηγοῦ παραστάσεως παρακείμενος, ὁ μὲν εἰς ἀγορὰν γίνεται τόπος, ὁ δ' ἕτερος τῷ τε ταμίᾳ, καὶ ταῖς ἅμα τούτῳ χορηγίαις.

At qui pone tentoria Tribunorum situs est locus, & ex utraque parte Praetorio adjacet, ejus unam partem forum occupat, altera Quaestori ejusque apparatibus destinata est.

Hactenus Polybius exposuit pedaturas tam militum Romanorum, quam copiarum Socialium, earumque amplitudinem ab omni latere, nec non vias, tam secundum longitudinem intercurrentes, quam transversas recensuit: Nunc pergit docere, cui usui destinatum fuerit illud spatium, quod pone tentoria Tribunorum situm erat. Hoc ut recte intelligatur, revocare nobis in memoriam debemus, quod supra de Praetorio, secundum C cujus normam tota castrorum metatio fiebat, dictum est; nempe id in loco quodam statutum fuisse, qui omnium conspectui expositus esset & singula ejus latera pedes ducentos occupasse. Deinde, versus pedaturas Legionum, quo frons Praetorii spectabat, spatium 50. pedes latum, per quod pateret aditus, relictum fuisse: Ad cujus spatii extremitates, 50. pedum intervallo a dicto latere Praetorii remotas, Tribuni tentoria sua ponebant, sena utrinque,

ejusdem amplitudinis, & æquali a se intervallo semota. Hæc amplitudo & distantia, quoniam Polybius ejus nullam fecerat mentionem, a nobis secundum proportionem ad calculum revocata est, ita ut diceremus, pedaturas Tribunorum 50. pedes latas fuisse, totidemque longas, easque intervallo 20. pedum a se fuisse separatas, adeo ut senæ pedaturæ ab uno latere se porrigerent per totam Legionum latitudinem, quæ spatium 400. pedum continebat; & ab altero latere itidem, comprehensa via, quæ erat inter Triarios & Principes. Hac ratione duo illa tentoria Tribunorum, quæ ab utroque latere viæ, aditum ad Prætorium præbentis, prima locata erant, a se dirempta 50. pedum intervallo, quinquagenos occuparunt pedes; quibus si addantur 20. pedes viæ, primum & secundum tentorium dividentis, colliguntur amborum laterum pedes 140. His si jungantur 50. pedes, quos latitudo viæ, ad Prætorium ducentis, occupabat, nascitur summa 190. pedum, quibus tota Prætorii frons decem pedes plures habet. Ex his decem pedibus reliquis, quini utrinque in secunda Tribunorum tentoria incidunt; quamvis hoc in nostra figura non adeo accurate delineatum sit. A tergo reliquorum 45. pedum situm erat spatium, de quo nunc agere incipit Polybius. Hujus latitudo parallela erat dictis 45. pedibus tentorii secundi, 20. pedibus viæ; 50. tentorii tertii, 20. viæ tertiæ, 50. tentorii quarti, & 20. viæ quartæ; 50. tentorii quinti; 20. viæ quintæ, & 50. pedibus tentorii sexti; unde in universum colligitur summa 325. pedum, qui efficiunt latitudinem passuum 65. Longitudo vero ejus spatii tanta erat, quanta laterum Prætorii, id est, 200. pedum, sive 40. passuum. Hinc tota utriusque spatii, pone Tribunorum tentoria jacentis, area occupabat 2600. passus. Dicit ergo Polybius, unam harum arearum inserviisse foro rerum venalium, (vid. tabul. num. 15.) in quo carnes aliæque res venum exponebantur; alteram vero, usui Quæstoris, omnibusque ejus apparatibus destinatam fuisse, ut in tabul. num. 16. videri potest. Hi apparatus, ut ego quidem sentio, erant, æra militibus danda, frumentum peditibus & equitibus distribuendum, & hordeum quod equis dabatur, ut postea dicetur; addo & legumina varii generis, quæ, si non ætate Polybii, at certe post illa tempora, militibus præbita fuerunt. In Appiano enim & Plutarcho legitur, eo die, quo Crassi exercitus a Parthis ad internecionem deletus est, militibus lentes & salem data fuisse; idque pro tristi omine habitum fuisse, eo quod Romani hæc existimarent feralia. Præterea eo loco erat armamentarium, cujus cura Quæstori commissa erat. Unde in eodem Appiano legimus, Scipionem, cum exploratores quosdam ab Annibale in castra Romanorum missos cepisset, eos non affecisse supplicio, sed circumductis omnia in castris ostendi jussisse, & inter cætera, ὁπλοθήκην, sive armamentarium. Huic Dux Urbinensis locum proximum pone tentoria Tribunorum assignat, ita ut illos 50. pedes occupet, qui inter dicta tentoria & Prætorium intercedebant. Sed de hoc alio loco agetur.

SECTIO XXVI.

POLYBIUS.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐφ' ἑκάτερα τελευταίας τῶν χιλιάρχων σκηνῆς, κατόπιν οἷον ἐπικάμπιον ἔχοντες τάξιν πρὸς τὰς σκηνὰς, οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι, καί τινες τῶν ἐθελοντηδὸν στρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι· πάντες οὗτοι στρατοπεδεύουσι παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων τοῦ χάρακος ἐπιφανείας, βλέποντες οἱ μὲν ἐπὶ τὰς τοῦ ταμιείου παρασκευὰς, οἱ δ' ἐκ θατέρου μέρους εἰς τὴν ἀγοράν.

AB utroque vero extremo Tribunorum tabernaculo, a tergo quasi inflexam metationem habent Extraordinariorum equitum Ablecti, & eorum nonnulli, qui ultro in gratiam Consulis militant. Omnes hi secundum latera castrorum locati, alii Quæstorium, alii Forum spectant.

HIc ultimum Tribunorum tentorium vocatur id, quod omnium maxime a Prætorio utrinque remotum erat, & proxime hinc sinistro, illinc dextro valli lateri adjacebat. Pone hæc duo ultima tentoria dicit Ablectos inflexam habuisse metationem. In Græco est vox ἐπικάμπιος, quæ hic situm rectangulum denotat: eundemque sensum apud Polybium habet vox ἐπικάρσιος, qua supra in describendo situ equitum Legionariorum usus est, locans eos ἐπικαρσίως, id est, ad angulos rectos illi lineæ, quæ erat parallela Tribunorum tentoriis. Pone hæc ergo extrema tentoria, situ rectangulo, tendebant Selecti ex equitibus Extraordinariis, sive iis, qui jam ante electi erant ex equitibus Sociorum, nonnullisque aliis equitibus: qui in gratiam Consulis militabant, non in numeros relati, sed sponte; quos Evocatos dictos fuisse jam supra monui. Quantus vero horum Evocatorum & Ablectorum fuerit numerus, nec Polybius, nec ullus alius scriptor, quantum memini, docet; neque numerum illorum definiri posse puto, quoniam Consules non æque omnes erant gratiosi, neque pari semper comitum numero stipati. De tentoriis illorum dicit, alia Quæstorium, alia Forum spectasse, id est, eo versus introitum habuisse. Quam longa fuerit illorum pedatura, paulo post apparebit, nempe 200. pedes, ut æquaret latus Prætorii e regione oppositum. Quoniam vero Polybius nihil amplius de iis addit, non incongrue in duas partes eos dividi posse puto, & Evocatos quidem eo loco, quem in figura numerus 17. & 19. Ablectos vero, quem num. 18. & 20. signat, locatos fuisse arbitror. Quanta vero illorum latitudo fuerit, sciri nullo modo potest, quoniam ea neque a Polybio prodita est, neque per conjecturam ex proportione numeri, qui prorsus ignoratur, elici potest. Cæterum, probabile videtur, eam ad spatium usque vacuum pertinuisse, quod vallo proximum tota castra circundabat, & in quod pedites Sociorum versos fuisse supra dictum est.

SECTIO XXVII.

POLYBIUS.

ΩΣ δ' ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνει τούτοις, μὴ μόνον στρατοπεδεύειν σύνεγγυς τῶν ὑπάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς πορείας, καὶ κατὰ τὰς ἄλλας χρείας περὶ τὸν ὕπατον καὶ τὸν ταμίαν ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν ὅλην διατριβήν.

PLerumque autem evenit, iſtos non modo metari prope Conſulem, verum etiam quoties agmen ducitur, aut aliud quid eorum fit quæ uſus poſtulat, Conſulem & Quæſtorem obſervare, & circa eos continenter agere,

HI electi ex Extraordinariis, uti & Evocati, non tantum in caſtris, docente hic Polybio, metabantur prope Conſulem, id eſt, 325. pedes tantum ab eo remoti, quanta nimirum erat latitudo arearum; ſed etiam cum agmen duceretur, nec non in pugna & luſtratione exercitus, vel quandocunque uſus & neceſſitas poſtulabat, Conſuli & Quæſtori præſto erant. Satellitium ergo quaſi A Conſulis & Quæſtoris erant, quorum hic, cum maximi momenti negotia curaret, & nummos, arma, annonamque militarem diſpenſaret, corporis cuſtodia, juxta Conſulem, maxime opus habebat. Horum ergo omnium opera uſui tantum Conſulis & Quæſtoris erat dicata, ita ut illi, qui Quæſtorium ſpectabant, Quæſtorem; qui verum forum rerum venalium intuebantur, Conſulem obſervarent.

SECTIO XXVIII.

POLYBIUS.

ΑΝτίκειται δὲ τούτοις ἐπὶ τὸν χάρακα βλέποντες οἱ τὴν παραπλήσιον χρείαν παρεχόμενοι πεζοὶ τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν.

OPponuntur his ſpectantes vallum verſus pedites, qui ſimilia modo dictis equitibus miniſteria obeunt.

COnſulem & Quæſtorem non ſolum equites, ſed etiam pedites obſervabant & tutabantur. Hi a tergo modo dictorum equitum tendebant, eo modo quo dictum eſt Triarios a tergo equitum Legionariorum, & Haſtatos a tergo Principum, & B pedites Sociorum a tergo ſuorum equitum locatos fuiſſe. Pedites vero hi, æque ac pedites Sociorum ad vallum ſpectabant, quod a latere dextro & ſiniſtro tota caſtra circundabat, habebantque pedaturas ſuas eo loco, quem in figura num. 23. ſignat.

SECTIO XXIX.

POLYBIUS.

ΕΞῆς δὲ τούτοις δίοδος ἀπολείπεται πλάτος ποδῶν ἑκατὸν, παράλληλος μὲν ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς· ἐπὶ θάτερα δὲ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τοῦ ταμιείου παρατείνουσα, παρὰ πάντα τὰ προειρημένα μέρη τοῦ χάρακος.

SEcundum iſtos via relinquitur pedes centum lata, parallela Tribunorum tentoriis, ad utrumque autem Fori latus & Prætorii & Quæſtorii pertingens, & ad omnes dicti valli partes.

UTi ante Tribunorum tentoria per totam caſtrorum latitudinem via centum pedes lata porrigebatur; ita pone pedaturas Evocatorum, & C Forum rerum venalium, & Prætorium, & Quæſtorium, itidem via pari longitudine & latitudine cum priore, pandebatur.


SECTIO XXX.

POLYBIUS.

ΠΑρὰ δὲ τὴν ἀνωτέρω πλευρὰν ταύτης, οἱ τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἐπίλεκτοι στρατοπεδεύουσι, βλέποντες ἐπί τε τὴν ἀγορὰν ἅμα καὶ τὸ στρατήγιον καὶ τὸ ταμιεῖον.

AD ſuperius viæ hujuſce latus Extraordinarii Sociorum equites caſtra metantur; Forum ſimul & Prætorium ac Quæſtorium e regione habentes.

POne hanc viam centum pedes latam metabantur Extraordinarii equites, qui ex equitibus Sociorum erant ſelecti. Horum pedaturæ ab ea D parte qua introitum habebant, ad viam modo dictam & Prætorium & Quæſtorium & Forum (vid. in Figur. num. 21.) ſpectabant.



SECTIO XXXI.

POLYBIUS.

Κατὰ μέσην δὲ τὴν τόπων τῶν ἱππέων παρεμβολὴν καὶ κατ' αὐτὴν τὴν τοῦ στρατηγίου περίστασιν, δίοδος ἀπολείπεται πεντήκοντα ποδῶν φέρουσα μὲν ἐπὶ τὴν ὄπισθεν πλευρὰν τῆς στρατοπεδείας, τῇ δὲ τάξει πρὸς ὀρθὰς κειμένη τῇ προειρημένῃ πλατείᾳ.

Circa mediam horum equitum metaturam, & e regione ipsius Prætorii via relinquitur 50. pedum, quæ fert ad posticum castrorum latus, situ autem rectangula est modo dictæ viæ latæ.

A Supra dictum est, equites Extraordinarios secundum viam illam ante memoratam, centum pedes latam, locatos fuisse. Nunc addit Polybius. eorum pedaturam in duas partes æquales divisam fuisse, secante eam via quadam, quæ viæ latæ modo dictæ ad angulos rectos incumbebat, ex adverso posticæ Prætorii partis. Hæc via, lata erat pedes quinquaginta, & a dicta via lata ad posticum castrorum latus, sive vallum ferebat. Latitudo harum metationum, comprehenso quoque viæ spatio, erat pedum 850. Prætorium enim latum erat pedes 200. area Quæstoris 325. & Forum pedes totidem. Ab extremitate horum 850. pedum ad spatium usque vacuum, quod cum vallo castra cingebat, restabant utrinque pedes 393. qui prioribus juncti ad 723. utrinque excrescebant. Si pedibus 850. demas pedes 50. quos via media occupabat, restant 800. quorum dimidia pars utrinque quadringeni erant pedes, prout ex ratione dictæ latitudinis colligitur. Hoc vero spatium multo utique erat latius & laxius quam pro metatione equitum 400. & peditum 1680. qui dicebantur Extraordinarii: Præsertim cum jam ex eorum numero quidam essent selecti, ut ante dictum est, & locati inter eos, qui a lateribus Quæstorii & Fori tendebant. Baccius Cavalcantius pedaturas quidem eorum, qui ad latera arearum tendebant, dimetitur; cæterum, de Extraordinariis silet, quasi minus necesse esset, illorum pedaturam & numerum ad calculum revocare.

B Quoniam hic exhibentur duæ Formæ castrorum, quarum superior a Duce Urbinensi, inferior vero a Francisco Robertello delineata est; quæ loca quisque numerus designet, hic exponere necessarium duximus.

1. *Prætorium.* 2. *Tentorium Legati.* 3. *Tent. Quæstoris.* 4. *Tent. Tribunorum.* 5. *Forum rerum venalium.* 6. *Area apparatuum ad bellum spectantium, quorum cura Quæstori demandata.* 7. *Equites Electi.* 8. *Evocati.* 9. *Via pone Prætorium.* 10. *Pedatura Peditum Extraordinariorum.* 11. *Pedatura Equitum Extraord.* 12. *Via parallela tentoriis Tribunorum.* 13. *Via Legiones medias dividens.* 14. *Pedatura Equitum Legionariorum.* 15. *Pedat. Triar.* 16. *Via Triarios a Principibus separans.* 17. *Pedat. Principum.* 18. *Pedat. Hastatorum.* 19. *Via Hastatos a Sociis dividens.* 20. *Pedat. Equitum Socialium.* 21. *Pedat. Pedit. Socialium.* 22. *Via Quintana.* 23. *Spatium tota castra ambiens.* 24. *Spatium usui postremo advenientium inserviens.* 25. *Porta Decumana.* 26. *Porta sinistra Principalis, sive Quæstoria.* 27. *Porta dextra Principalis.*

C Cæterum, Dux illorum quoque numerum definit, qui ab utroque Prætorii latere metabantur, censetque selectos ex Extraordinariis, 59. utrinque implevisse; eos vero, qui ministerio Consulis destinati erant, sive Evocatos, 451. Illorum vero, qui supra hos tendebant, nullam pariter mentionem facit.

Forma Castrorum a Robertello delineata.

1. *Tentorium Consulis, ejusque ministrorum.* 2. *Forum Quæstorium.* 3. *Forum rerum venalium.* 4. *Pedatura Evocatorum,* 5. *Pedat. Ablectorum.* 6. *Pedat. Tribunorum.* 7. *Pedat. Præfectorum Sociorum.* 8. *Pedat. Equitum Auxiliarium.* 9. *Spatium illis destinatum, qui postremo advenissent.*

D Robertellus censet, ad latera, equites quidem 110. pedites vero 672. locatos fuisse: supra eos vero, sive e regione posticæ partis Prætorii, equites 100. & pedites 224. eosque dimidiam tantum spatii ante dicti partem, Prætorio vicinam, occupasse, partemque alteram illis servatam fuisse, qui ad usum præliorum post alios forte advenissent. Hæc sententiarum varietas oritur ex silentio Polybii, qui quidem si memorasset, quot ex Extraordinariis ad satellitium & ministerium Consulis Quæstorisque selecti fuissent, hoc ipso de illorum etiam numero nobis constaret, qui in supera castrorum parte tendebant. Sed quoniam illius silentium viris doctissimis occasionem præbuit in diversas eundi sententias, tam quod ad situm pedaturarum, quam numerum militum in illis tendentium; haud abs re fore existimavimus, salva horum virorum auctoritate, examinare, uter illorum ad veram Polybii mentem, quæ partim ex verbis ejus expressis, partim ex conjectura, elicienda est, propius accesserit. Et primo quidem, quod ad situm pedaturarum adtinet, Robertellus, qui in Forma sua castrorum tentoria Præfectorum Sociorum (nu. 7.) tentoriis Tribunorum (num. 6.) nullo relicto intervallo jungit, omnes sane vias occludit, per quas militibus Legionariis, usu & necessitate exigente, aditus in Forum & Quæstorium patere debebat. Pari ratione equitibus Evocatis & Electis, si forte in via lata versarentur, omnem ad sua tentoria adimit transitum, ita ut nullo modo ea adire possent, nisi totam peditum Electorum (num. 5.) suamque ipsorum (numero 4.) pedaturam circumirent. Horum sola vero latitudo erat pedum 383. atque

E adeo situs iste multo minus erat accommodatus auxiliis ferendis, cum hostis in castris esset, quam si, ut in Figura Ducis, inter extremum Tribunorum tentoriorum & pedaturam dictorum militum Electorum & Evocatorum (vid. Figur. num. 4. & 7.) via 50. pedes lata relinqueretur, respondens viæ illi, quæ Hastatos & Equites Sociorum dividebat.

Hanc viam Dux adeo necessariam credidit, ut ei in Forma sua locum dederit, tacente quamvis de ea Polybio, & pedatura Præfectorum Sociorum refragante; imo expressis licet Polybii verbis contrarium suadentibus, quippe qui dicit, pone tentoria Tribunorum, situ rectangulo, Equites Electos & Evocatos pedaturam suam habuisse. Ex his verbis Polybii tria elici possunt. Primum est, viam illam, 50. pedes latam, ex Figura tollendam esse: Alterum, pedaturam Ablectorum & Evocatorum ad angulos rectos ultimo Tribunorum tentorio incubuisse, atque ideo demendos ei esse 50. pedes, quibus pedatura Ducis, utpote ad viam usque latam ab eo porrecta, justum longitudinis modum excedit: Tertium, laxitati arearum tantum demi debere, quantum latitudo viæ modo dictæ eam dilataverat, nimirum 50. pedes. Hæc via, præter quam quod Polybius de ea taceat, minime quoque necessaria mihi videtur, qui inter bina tentoria

A Tribunorum viam 20. pedes latam relinquo, secutus verba Polybii, expresse dicentis, tentoria Tribunorum pari intervallo a se disjuncta fuisse. Hoc intervallum ex calculi ratione collegimus fuisse pedum viginti. Intervalla vero erant quinque, quorum unum utrinque objectu Prætorii claudebatur; reliqua autem quatuor pervia ad areas ferebant; quæ, quoniam & majorem habebant latitudinem quam 50. pedum, quantam Dux viæ suæ tribuit, (80. enim pedes, quatuor illa intervalla occupabant,) & locis distincta commodiorem B transitum pluribus præbebant, optime sane dictis usibus inservire poterant. Hæc igitur intervalla pervia quicunque ex clara Polybii mente admittet, tollendum utique e medio censebit armamentarium, cui Dux, num. 4. pone Tribunorum tentoria locus assignat. Istud autem quo loco ponendum sit, postea disputabitur.

SECTIO XXXII.

POLYBIUS.

Τοῖς δ' ἱππεῦσι τούτοις ἀντίτυποι τίθενται πάλιν οἱ τῶν συμμάχων ἐπίλεκτοι πεζοί, βλέποντες πρὸς τὸν χάρακα, καὶ τὴν ὄπισθεν ἐπιφάνειαν τῆς ὅλης στρατοπεδείας.

His demum equitibus aversi locantur sociorum Extraordinarii pedites, aspicientes vallum & tergum castrorum.

Dixit de equitibus Extraordinariis, supra viam quæ posticæ parti Prætorii & arearum prætendebatur, locatis. Verum quam longa & lata illorum pedatura fuerit, non memorat. Sed cum a tergo illorum locarentur pedites aversi, æque ac in aliis pedaturis, ita ut aspicerent vallum, quod posticam universorum castrorum partem claudebat; & medias hasce pedaturas via 50. pedes lata dirimeret, & ab earum extremitate spatium quoddam vacuum utrinque relinqueretur, accipiendis iis, qui forte post alios advenissent, ut mox dicetur; dispiciendum est, quot peditum locus iste capax fuerit, longitudine istarum metationum ad calculum prius revocata. Hæc longitudo, quoniam Polybius de ea tacet, ex ratione longitudinis, quam totum vallum habebat, colligenda est. Et quidem ab extrema fronte castrorum usque ad Prætorium colliguntur pedes 1400. Prætorium ipsum occupat pedes 200. & via, quæ posticam ejus partem excipit, 100. Hac ratione putata, pedes ducenti tribuendi sunt spatio extimo, quod inter universas pedaturas & vallum interjectum erat, ut postea Polybius dicet. Hinc, calculo subducto, existit summa pedum 1900. quæ, ut ex tota castrorum latitudine, cui longitudo par erat, colligitur, excrescere debet ad 2016. His si demantur 1900. restant pedes 116. quos longitudo dictæ pedaturæ sibi vindicat. Quod ad latitudinem adtinet, eam absolvunt pedes 50. viæ in medio relictæ, pedes 75. quibus Prætorium latitudinem hujus viæ utrinque superat, & denique pedes 325. binarum arearum; unde infertur, singulas has pedaturas latas esse pedes 400. a quorum extremitate si ducatur linea recta versus frontem castrorum, ea incidet in partem anticam pedaturarum, quæ equitibus Electis & Evocatis assignatæ erant, in extremitatem ultimi tentorii Tribunorum, & in frontem Hastatorum. Hac ratione quicquid latitudinis reliquum erat usque ad extimum castrorum spatium, illorum pedaturæ servabatur, qui post alios forte advenissent. Quoniam ergo spatio illi extimo 200. pedes integri tribuendi sunt, tota latitudo, pedaturæ postremo

C advenientium assignata, erit pedum 383. non vero, ut Robertellus censet, pedum 385. Longitudo vero eadem erit, quæ Extraordinariorum, a latere tendentium, pedum nempe 116. Hinc fit, ut tota pedatura postremo advenientium occupet 44428. pedes quadratos, sive passus 1748. Extraordinariorum vero, pedes integros 46400. sive passus 1840. Quodsi igitur inter Extraordinarios fuerunt equites 90. ut dicit Cavalcantius, hi, pro ratione spatii aliis equitibus assignati, pro se quidem occuparunt passus 180. pro equis suis vero alterum tantum; his addendis insuper passus nonaginta, quos efficiunt dimidii illi passus, qui singulis equitibus & equis D dabantur, ut spatium aliquod vacuum haberent. Subducto ergo calculo, tota summa passuum occupatorum excrescit ad 450. restantque pro peditibus Extraordinariis passus 1390. His in pedites ita descriptis, ut singulis passus duo & dimidius dentur, spatium illud capax erit peditum 556. Id quod cum calculo Cavalcantii, 178. pedites tantum colligentis, minime congruit. Neque aliter se res habet cum illis pedaturis, quæ ad latera arearum illos pedites capiebant, qui supra modo dictos 556. ad usum & satellitium Consulis & Quæstoris seligi solebant. Hos utique tot numero esse oportet, ut E prioribus 556. juncti, partem dimidiam Extraordinariorum, quæ ad summam 840. pertingit, exæquent. Unde sequitur numerum illorum fore 284. non vero 224. vel 178. ut illi volunt. Quod si vero equites, qui Consuli erant a custodia & satellitio, numero 451. fuisse statuamus, & Electos 59. quæ est sententia Ducis; tota eorum summa ad 510. excrescet, occupabuntque universi passus 1275. singuli vero binos & dimidium, restabuntque hac ratione 165. passus vacui. Porro, pedites 230. occupabunt passus 575. restabuntque in justo quadrato, quale a Robertello descriptum est, ab omni F parte ducentos pedes lato, passus vacui 1025. Quod quidem spatium ratione equitum nimis grande est, omnemque proportionem excedit. Mea vero sententia hæc est: Ex universis Sociis partem quintam in pedites Extraordinarios detractam fuisse,

eosque numerum 1680. implevisse. Ex his rursus electos fuisse 500. ad ministerium Consulis, id est, ut ego interpretor, ad constituendam cohortem Prætoriam, iisque in duas partes æquales divisis, ab utroque latere 250. locatos fuisse. His si darentur passus bini cum dimidio, ab universis occupatum fuit quaquaversum spatium 625. passuum, passusque reliqui assignandi fuerunt equitibus, qui ex Extraordinariis & Evocatis electi erant. Horum numerus cum semper esset incertus, incertum quoque est, quantum illi spatium occupaverint, & quot equites Electi juxta eos tetenderint: Unde sequitur, incertum quoque esse, quot equites Electi in supera castrorum parte e regione Prætorii & arearum locati fuerint. Cæterum, quot pedites Extraordinarii in supera illa castrorum parte tendere debuerint, constat; nimirum omnes intra 1680. qui erant quinta Sociorum pars, usque ad 500. illos ad cohortem Prætoriam electos; qui numerum 1180. implent. His si passus bini cum dimidio tribuantur, occupabunt universi passus 2950. quorum pars dimidia, id est, 1475. passus, dimidiæ parti horum Extraordinariorum, sive quingentis & nonaginta, æqualiter utrinque cedet, restantibus ab utroque latere passibus 365. quos equitum pedatura sibi vindicat. Hi passus ita divisi, ut singulis equis bini cum dimidio, totidemque singulis equitibus assignentur, non majus dabunt spatium, quam quo 146. equites utrinque capi possint. Unde computatis amborum laterum equitibus, tota eorum summa excrescet ad 292. Hi si detrahantur ab illis 400. qui ex omni Sociorum numero electi, Extraordinariorum nomine insigniebantur, restabunt 108. ad arearum latera locandi numero utrinque dimidiato, qui redit ad 54. isque non multum discedit a calculo Ducis, secundum quem 59. equites utrinque tetenderunt. Hac ratione putata, quantum spatii pro Evocatorum pedatura supersit, videamus. Et quidem totum spatium a me descriptum, quod ultra 393. pedes arearum ad extimum

A usque spatium castrorum, 200. pedes latum, porrigitur, in latitudine quidem continet pedes 393. in longitudine vero 200. unde laxitas totius areæ colligitur pedum 78600. sive passuum integrorum 3120. His si demantur passus 625. a 250. peditibus Cohortis Prætoriæ, ut dictum est; & passus 270. a 54. equitibus occupati, ambæ hæ summæ conficient passus 895. quos si toti summæ 3120. passuum detraxeris, restabunt passus 2225. Evocatorum pedaturæ tribuendi. Hi Evocati si totum istud spatium compleverunt, numerus illorum, datis nempe unicuique equiti & equo binis passibus cum dimidio, ad 445. excrevit; qui numerus prope abest

B a calculo Ducis, cujus summa ad 451. pertingit. Quæ quidem summa longe certe major est, quam ut exiguo illo spatio capi possit, quod Dux in sua Figura tam ipsorum, quam Electorum equitum & peditum pedaturæ assignat. Quod si ipse pedaturam suam, ut ego facio, ad spatium usque extimum castrorum porrigat, servata eadem proportione in passibus assignandis, deerit tamen locus quinque illis peditibus, & sex equitibus, quorum ratione calculus ipsius meum excedit; tantum abest ut pedatura ipsius omnes capere possit. Ut itaque sententiam meam de pedaturis his ad latera area-

C rum sitis, quam possum in paucissima conferam, dico, in illis tendere debere cohortem Prætoriam peditibus 250. utrinque constantem; equites 54. ex Extraordinariis selectos, & Evocatos 445. In pedaturis vero ad superum Prætorii latus sitis, equites 146. & pedites Extraordinarios 590. Quod vero ad spatium illud adtinet, quod postremo advenientibus destinatum erat, longum, ut ante diximus, pedes 116. latum 383. qui in se ducti areæ superficiem 44428. pedes integros, sive passus 1748. amplam faciunt; in eo tendere poterant, proportione ante dicta in passibus distribuendis servata, equites 582. cum equis suis, totidemque pedites, pari nimirum spatio tam in equos, quam equites & pedites descripto.

SECTIO XXXIII.

POLYBIUS.

ΤΟ δ᾽ ἀπολειπόμενον ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τούτων κένωμα παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων πλευρὰς δίδοται τοῖς ἀλλοφύλοις, καὶ τοῖς ἐκ τοῦ καιροῦ προσγινομένοις συμμάχοις.

QUod restat vacui spatii ad latera hinc & inde extraneis adtribuitur, & sociis, si qui forte propter aliquam occasionem advenerint.

SPatium illud vacuum quod ad latera harum pedaturarum secundum latitudinem hinc & inde ad spatium usque extimum castrorum porrigebatur, in nostra quidem figura num. 23. in figura Robertelli autem num. 10. notatum, adtribuebatur sociis & extraneis, qui non cum aliis Legionibus simul domo profecti erant, sed postea demum advenerant. Horum numerus cum esset in-

D certus, Dux noster spatio illi nullos dat terminos; Robertellus vero istud limitat, ita tamen, ut ejus latitudinem duorum pedum adjectione supra verum augeat. Diximus enim illud longum fuisse pedes 116. & latum 383. non vero, ut Robertellus vult, pedes 385. Quamvis hæc differentia non adeo magni sit momenti.

SECTIO XXXIV.

POLYBIUS.

ΤΟύτων δ᾽ οὕτως ἐχόντων, τὸ μὲν σύμπαν σχῆμα γίνεται τῆς στρατοπεδείας τετράγωνον ἰσόπλευρον· τὰ δὲ κατὰ μέρος ἤδη τῆς τε ῥυμοτομίας ἐν αὐτῇ, καὶ τῆς ἄλλης οἰκονομίας, πόλει παραπλησίαν ἔχει τὴν διάθεσιν.

HÆc cum ita se habeant, universa quidem castrorum forma est quadrata æquilatera: at strigarum in iis directiones, & reliqua partium dispositio, speciem urbi similem præbet.

ITa sensit quoque Philippus Rex Macedoniæ, qui ut narrat Livius lib. I. Dec. IV. ex tumulo quodam subjecta cernens castra Romana, admiratus dicitur & universam speciem castrorum, & descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis, & negasse, Barbarorum ea castra ulli videri posse. Hinc non immerito Polybius infra dicit, milites Romanos, cum in castra intrassent, suum quemque in pedaturis suis locum cognitum habuisse, & ad eum, haud secus ac in urbe patria ad ædes notas, recta & absque errore se contulisse. Universam ergo castrorum formam Polybius hic ait fuisse quadratam æquilateram; quot vero pedes unumquodque latus habuerit non memorat. Cæterum potest hoc ex tota castrorum latitudine subtili ratione colligi. Pedaturæ enim equitum utrinque erant latæ pedes 100. Triariorum, pedes 50. & viæ, ad quas illi spectabant, pedes 50. pedaturæ Principum, pedes 100. & Hastatorum, totidem, & viæ additæ, pedes 50. Hi in summam redacti faciunt 450. & ab altero latere totidem, unde emergit summa 900. additisque pedibus 50. viæ inter equites interjectæ 950. Et hi sunt podismi a Polybio memorati. Accedunt deinde utrinque 200. pedes spatii illius, quod vallo subjectum erat, qui priori summæ juncti, efficiunt 1350. Quanta fuerit reliqui spatii latitudo, ex calculo proportionis haud difficulter elici poterit. Si enim tricenis equitibus Romanis dabantur 100. pedes in latum, quadragenis equi- A tibus Sociorum, qui tricenos illos triente superabant, triens insuper centenum, sive 33. pedes dari oportuit, ita ut pedatura illorum in latum utrinque obtineret pedes 133. quorum accessione summa ante dicta ad 1616. excrescit. Restat ergo spatium peditibus sociorum assignatum, cujus latitudo hac ratione colligitur. Peditum horum numerus 8400. implebat, quibus pars quinta, sive 1680. detracti, Extraordinariorum nomen, ut dictum est, accipiebant. Supererant igitur 6720. quibus per viginti pedaturas, utrinque denas, distributis, singulis pedaturis 336. pedites adtribuendi fuerunt. His pro ratione 160. Principum B & 160. Hastatorum, in Pedatura pedum centenum tendentium, dandi fuerunt utrinque pedes ducenteni, quorum accessione superior summa 1616. ad 2016. pedes excrescit. Tanta fuit universorum castrorum latitudo. Et quoniam Polybius hic affirmat, formam illorum fuisse quadratam æquilateram, longitudinem utique latitudini huic parem fuisse oportet, id est, itidem pedum 2016. Hoc numero in se ducto tota area fit 4064256. pedum, qui sunt passus quadrati 162409. Ambitus ergo esse debet passuum 1612. & pedis unius, qui milliare unum & semis, passibus 112. excedunt. C Hæc area castrorum nostra sane ætate, peditibus 16800. & equitibus 1800. nimis augusta foret, in qua Romani tamen satis laxe & commode tendebant.

SECTIO XXXV.

POLYBIUS.

TOν δὲ χάρακα τῶν σκηνῶν ἀφιστᾶσι κατὰ πάσας τὰς ἐπιφανείας διακοσίους πόδας· τοῦτο δὲ τὸ κένωμα, πολλὰς καὶ δοκίμους αὐτοῖς παρέχεται χρείας· πρός τε γὰρ τὰς εἰσαγωγὰς, καὶ τὰς ἐξαγωγὰς τῶν στρατοπέδων εὐφυῶς ἔχει καὶ δεόντως· ἕκαστοι γὰρ κατὰ τὰς ἑαυτῶν ῥύμας εἰς τοῦτο τὸ κένωμα ποιοῦνται τὴν ἔξοδον, ἀλλ' οὐκ εἰς μίαν συμπίπτοντες ἀνατρέπουσι καὶ συμπατοῦσιν ἀλλήλους.

POrro inter vallum ac tabernacula spatium quaquaversum pedum 200. interjiciunt, estque illis id vacuum ad res multas easque eximias magno usui. Nam & ut induci educique commode Legiones queant, præstat id spatium: quippe omnes ex adverso suæ quisque strigæ in locum hunc vacuum exeunt: neque in eandem viam concursu facto sese invicem evertunt ac conculcant.

CIrca universa tentoria quadratæ istius pedaturæ relinquebatur spatium, pedes 200. quaquaversus latum, quo vallum, utpote æqualiter ubique a tabernaculis remotum, itidem quadratum efficiebatur. Vallum hoc structum erat ex vallis, sive sudibus, multiplici serie in terram defixis, quibus intertexta erant vimina, vel rami, in modum cratis; quod munitionis genus Romani *loricam* vocabant. Ordinibus vallorum interjectus erat agger, erectus ex humo illa, quæ egerebatur ex fossa, vallo extrinsecus præducta. Hæc fossa, prout usus & necessitas postulabat, vel magis, vel minus erat lata & alta, uti & vallum, de quo Polybius hic quidem tacet; lib. XVI. vero structuram ejus clare describit. Locum hunc Polybii, quia prolixior est, Latine tantum, uti a Casaubono redditus est, hic apponemus: *Quum non posset Quintius comperiri quo loco hostes castra haberent, certo tamen sciret in Thessaliam ipsos jam advenisse, militibus præcepit, uti vallos singuli cæderent, quos secum ferrent, si qua forte nascere-tur occasio iis utendi. Hoc autem Græcorum quidem instituto videtur fieri omnino haud posse: Romanorum vero moribus, levis est labor. Nam Græci in itinere faciendo ipsum corpus suum vix sustinent, & vexationem ejus oneris vix ægre ferunt. Romani cum scuta ansarum sive vinculorum coriaceorum ope ex humeris suspensa gestent, manibus* D *ipsa pila, hoc amplius vallum ferre non detrectant. Accedit quod ipsorum vallorum differentia est magna. Græci vallum putant optimum illum esse, qui plurimos & maximos circa ipsum stipitem habeat surculos erumpentes. Valli quibus Romani utuntur, duos ramulos aut tres habent, aut qui plurimos, quatuor, & quidem ii sumuntur valli, in quibus surculi ab uno latere sint enati, non ab utroque alternatim. Unde fit ut & gestatio eorum sit facilis; singuli enim ternos quaternosve, in unum fascem compositos ferunt: & usus eximie firmus. Græcus* E *siquidem vallus pro castris defixus, facile potest evelli. Quoniam enim pars stipitis quæ in terra obruta ipsum opus continet, sola est, surculi vero ex ipso enati & multi sunt & grandes; si accesserint duo aut tres, qui surculis prehensis vallum convellant, nullo negotio evellitur: quod ubi accidit, statim propter stipitis magnitudinem patet aditus; & cum ejusmodi valli ob surculorum brevitatem implicari atque alternatim complecti sese parum valeant, uno avulso, eorum, qui ei adsident, solvitur compages. Apud Romanos hujus contrarium evenit: Nam statim a principio sic eos inter se implicant, ut neque surculorum extrema ex qua propagine manent earum, quæ in terram sunt defossæ, possit dignosci; nec quæ propagines ad duos pertineant surculos, jam per foramina manus immittere & vallum prehendere; id vero neque fieri potest, impedien-*

tibus surculis densis quos magno studio exacuunt: & si apprehenderis, extrahere tamen difficile. Ratio autem est; quoniam quamcunque partem valli prehenderis, huic terra eam præstat firmitudinem, ut nisi cum toto opere labefactari nequeat deinde, quod unum si attrahas surculum multos simul, sibi invicem propter mutuam implicationem obsequentes, tollas necesse est. Ut autem duo aut tres eundem simul vallum prehendant, vix ac ne vix quidem fieri queat. Quod si quis forte usus concussione crebra & violenta, unam alteramque sudem evulserit, ejusmodi fit intervallum, quod ne apparet quidem. Quum igitur adeo præstet Romanus vallus, quia facile est parabilis, & quia commode gestatur, postremo quia est ejus usus firmus ac stabilis; liquet manifesto, si ulla res alia ex institutis militaribus Romanorum, hanc certe, meo quidem judicio, æmulatione & imitatione esse dignam. Dicit porro Polybius, spatium hoc in castris ad multas res usui fuisse, velut ad egressus & ingressus copiarum, & ordinum instructionem. Passim apud historicos legitur, Legiones intra vallum instructas subito, & per occasionem in hostes eruptionem fecisse, mox ex una, mox tribus, mox quatuor portis. Quoniam ergo, secundum Livium, copiæ Romanorum manipulatim disponebantur, manipulus vero octo homines in fronte habebat, quorum singulis tres pedes sufficiebant, ut Polyb. lib. XVII testatur, octo hi milites pedes 24. occuparunt. Hac ratione spatium illud pedum 200. capere potuit octo manipulos continenti serie sibi junctos, qui plus quam dimidiam partem ordinis Hastatorum, aliorumque constituunt. Reliqui septem manipuli pone eos locabantur, quos pari ratione Principes aliique ordines a tergo excipiebant. Cum vero & eo versus, sive in profundum quoque manipulus octo haberet homines, singulisque horum tres itidem assignarentur pedes; ratione profunditatis, unusquisque ordo 24. occupavit pedes. Porro, si quinque ordines Livianos dimidies, sive singulos eorum in duos seces partes, decem inde existent corpora, quorum profunditas, sive versus erit pedum 240. Sociorum ordinibus alterum tantum occupantibus. Supererat itaque maxima pars pedum 2016. quos vacuum illud spatium, in quo agmina disponebantur, in longum occupabat. Hinc satis commode intra vallum milites Romani ad prælium instrui poterant, eodem, quo in acie, intervallo a se disjuncti. Cæterum cum ordines ita densarentur, ut vir viro consertus esset, singulis militibus unus pes cum dimidio sufficere poterat. Hac ratione universis quindecim manipulis in fronte locatis, jugum aciei continebit 120. homines, qui non plus 180. pedes occupabunt: Altitudinem vero absolvent quinque ordines Legionis, totidemque ordines Sociorum, non plus 80. hominibus constantes, quorum profunditas non excedet pedes 120. Sed si ordines, more Polybiano, per 10. Centurias instruantur, & quinque illarum in fronte locentur, singulæ hominum 12. & in profundum hominum 10. (qui in summam redacti, constituunt corpus 120. hominum) jugum, sive frons aciei habebit homines 60. quibus si terni pedes adtribuantur, occupabunt universi 180. pedes, supererunt que in spatio illo ducentos pedes lato, pedes 20. in profunditate vero erunt 20. Hastati, 20. Principes & 10. Triarii, qui collecti excrescunt ad 50. Hi, tribus pedibus in singulos descriptis, occupabunt universi 150. pedes, totidemque pedes Socii. Densatis vero ordinibus, universas decem centurias Hastatorum frons una explicabit, utpote non excedentes numerum 120. hominum, qui, uno pede cum dimidio in singulos descripto, pedes 180. obtinebunt: in profunditate vero tres hi ordines non excedent numerum 25. hominum, qui, si in singulos unus pes cum dimidio describatur, universi 37. pedes occupabunt, æquantibus hunc pedum numerum Sociis; atque adeo tota acies in spatio illo satis commode instrui poterat. Et hic usus est ex præcipuis, quos spatium illud 200. pedum intra castra Romanis præbuisse Polybius commemorat. Poterant igitur milites hac ratione intra vallum instructi ex quacunque porta egredi, & eruptionem tentare, tentoriis minime disturbatis, nec ipsi ab iis impediti: eademque ratione castra rursus intrare poterant, compositi & ordinibus in fronte explicatis. Subjungit Polybius, omnes milites per suam quemque viam in vacuum hoc spatium exivisse, quoniam porta Decumana egressuri, quæ Prætorio a fronte erat opposita, omnes per vias suas in vacuum illud spatium, quod erat frons valli, se conferebant. Hæ viæ cum latæ essent pedes quinquagenos, facile in iis Decuriæ uniuscujusque ordinis altera post alteram incedere poterant, ita ut sese invicem non everterent neque conculcarent. Quod si ipsis exeundum esset e portis lateralibus, quas quidem a Livio Principales vocari puto, omnes ordines primum exibant in proximas quisque vias suas, quæ recta ad viam 100. pedes latam, ad Quintanam, & spatium illud extimum ferebant. Per has pariter absque ullo impedimento mutuo ad spatium ejus lateris pervenire poterant, cujus lateris porta exire decreverant. Sic si porta Prætoria exeundum ipsis esset, per spatium laterale commodissime ad eam pervenire poterant, neque a Prætorio, neque Quæstorio, aliisve pedaturis & areis mediis impediti.

SECTIO XXXVI.

POLYBIUS.

TΑ'ς τε τῶν παρεισαγομένων θρεμμάτων, καὶ τὰς ἐκ τῶν πολεμίων λείας εἰς τοῦτο παράγοντες ἀσφαλῶς τηροῦσι τὰς νύκτας.

ADhæc pecudes abactas aut prædas ex hostico captas huc agunt feruntque & noctibus servant.

ALios jam usus spatii hujus non minus insignes Polybius commemorat, nempe pecudes, boves, capras, aliaque, vel empta, vel hostibus erepta, illuc compulsa fuisse, quæ aliis tamen usibus non officiebant, quoniam jumenta vel pecora ad latus pedaturarum, qua vallum spectabant, vel ad ipsum vallum religata, non nisi minimam partem ducentorum pedum, quos spatium illud in latum habebat, occupare poterant. Præter pecora, omnia quoque alia ex hostico capta illuc ob temporis angustiam raptim comportari, ibique nocte servari solebant: Postero autem die ea quemque existimo in suum tentorium inde deportasse.

SECTIO XXXVII.

POLYBIUS.

Τὸ δὲ μέγιστον, ἐν ταῖς ἐπιθέσεσι ταῖς νυκτεριναῖς, οὔτε πῦρ οὔτε βέλος ἐξικνεῖται πρὸς αὐτοὺς, πλὴν τελείως ὀλίγων. Γίνεται δὲ καὶ ταῦτα σχεδὸν ἀβλαβῆ, διά τε τὸ μέγεθος τῆς ἀποστάσεως καὶ διὰ τὴν τῶν σκηνῶν περίστασιν.

PRæcipuum vero eſt, quod in nocturnis invaſionibus, neque ignis neque telum ad eos pervenit, præter pauciſſima: eaque ipſa innoxia fere fiunt, cum ob intervalli ſpatium, tum ob tentoria circumpoſita.

QUinta utilitas hujus ſpatii erat, quod in nocturnis invaſionibus, addo, & in diurnis, nullum telum miſſile, nec ignis hoſtilis, militibus, cum in tentoriis ſuis eſſent, nocere poſſet. Nemo enim tanto brachiorum robore pollet, ut quis telum aliquod vel ſaxum ultra paſſus 40 jaculari queat, cujus impetus ſpatio illo non langueſcat, quodque vano poſtea ictu in hoſtem non incidat. Ne dicam de latitudine & altitudine valli, nec non de latitudine foſſæ, vallo præductæ, quæ intervallum hoc adeo augebant, ut nec ſagitta arcu miſſa, nec ullum aliud telum tormento excuſſum, iſto ſpatio ſuperato quemquam lædere poſſet. Quod ſi caſtra Syphacis & Asdrubalis in Africa ſpatium ejuſmodi vacuum in circuitu habuiſſent, haud ſane una nocte a Scipione ignibus deleri potuiſſent, neque ipſi duos exercitus numeroſos tam brevi temporis ſpatio amiſiſſent. Si tamen telum aliquod ad pedaturas uſque militum forte perveniſſet, id ictu adeo languido incidebat, ut ne tentorii quidem pelles perrumpere poſſet, atque adeo vanum prorſus atque innoxium mitteretur.

SECTIO XXXVIII.

POLYBIUS.

Δεδομένου δὲ τοῦ πλήθους, καὶ τῶν πεζῶν, καὶ τῶν ἱππέων καθ' ἑκατέραν τὴν πρόθεσιν, ἄντε τετρακισχιλίους, ἄντε πεντακισχιλίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον ποιῶσι· παραπλησίως δὲ καὶ τῶν σημείων τοῦ τε βάθους καὶ τοῦ μήκους καὶ τοῦ πλάτους δεδομένου. Πρὸς δὲ τούτοις τῶν κατὰ τὰς διόδους, καὶ πλατείας διαστημάτων· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων δεδομένων· συμβαίνει τοῖς βουλομένοις συνεφιστάνειν καὶ τοῦ χωρίου τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὅλην περίμετρον τῆς παρεμβολῆς.

CUm igitur tradita a nobis ſit qua peditum qua equitum multitudo in ſingulis legionibus, ſive quatuor millium, ſive quinque millium eas facere voluerint: poſita etiam profunditatis, longitudinis & latitudinis indicia: hoc amplius intervalla arctiorum & latiorum viarum, pariterque alia hoc genus omnia cum tradita ſint; facile erit cupientibus magnitudinem totius ſpatii, atque adeo caſtrorum univerſum ambitum, ſimul intelligere.

ESt hæc anacephalæoſis ſive epilogus omnium eorum, quæ hactenus de pedaturis duarum Legionum Romanarum, ut & Sociorum, de numero eorum, de amplitudine pedaturarum, earumque diviſione, nec non de intervallis & ſitu viarum & vicorum dicta ſunt. Nunc addit Polybius, univerſum caſtrorum ambitum ab unoquoque facile ſciri poſſe, ſicuti & nos partim ex verbis Polybii expreſſis, partim ex calculo proportionis oſtendimus, circuitu eorum comprehenſos fuiſſe 1612. paſſus; totam vero aream amplam fuiſſe paſſus quadratos 165650. Hæc area, ſi non niſi pedites in ea metentur, ſingulisque paſſus duo cum dimidio aſſignentur, capax erit peditum 66260. quæ quidem capacitas vel numeroſo exercitui abunde ſufficit.

SECTIO XXXIX

POLYBIUS.

Ἐὰν δέ ποτε πλεονάζῃ τὸ τῶν συμμάχων πλῆθος, ἢ τῶν ἐξ ἀρχῆς συστρατευομένων· ἢ τῶν ἐκ τοῦ καιροῦ προσγινομένων, τοῖς μὲν ἐκ τοῦ καιροῦ, πρὸς τοῖς προειρημένοις καὶ τοὺς παρὰ τὸ στρατήγιον ἀναπληροῦσι τόπους τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ταμιεῖον, συναγαγόντες εἰς αὐτὸν τὸν κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν τόπον.

QUod ſi major aliquando Sociorum adſit copia, qui vel ab initio expeditionis comites fuerint vel pro tempore poſtea advenerint: iſtis quidem quos occaſio adduxit, præter jam dicta, etiam vacua circa Prætorium loca complent, Forum ipſum & Quæſtorium, ſi res exigat, in unum conferentes locum.

SUpra Polybius aſſignavit pedaturas non ſolum duabus legionibus Romanis, & Sociis ordinariis, qui cum illis ſimul in bellum exire ſolebant, ſed etiam illis qui poſt alios demum adveniſſent, quorum duo erant genera. Alii enim erant Evocati equites, qui nulla lege obſtricti, ſed ſponte in gratiam tantum Conſulis vel Imperatoris militabant, quos Polybius ad latera arearum locavit. Et hi ſtatim ab initio ſimul cum Legionibus domo proficiſcebantur. Alii vero poſtea demum pro tempore ſuperveniebant, qui tendere jubebantur proxime Extraordinarios ultra viam, quæ Prætorium a tergo excipiebat, ut ſupra dictum eſt. Quod ſi quando contingeret, ut utrique horum majore eſſent numero, quam ut ſolitæ pedaturæ eos capere poſſent, tunc loca etiam vacua, Prætorio & Quæſtorio vicina, completa fuiſſe Polybius hic monet. Puto autem hic intelligendam eſſe viam illam latam, Prætorio a tergo oppoſitam, quæ ob latitudinem ſuam ad hunc uſum reſervata fuiſſe videtur. Illa enim uſui tantum illorum equitum inſerviebat, qui ex pedaturis proximis in illam exibant, quorum nu-

merus sane exiguus erat, considerata viæ ejus latitudine. Non tamen illi viam istam adeo complebant, ut impedirent, quo minus dicti equites, aliique, qui ex areis exibant, liberum per eam transitum haberent. Quodsi tamen istud ob nimiam accedentium multitudinem, quæ diu in castris commoratura esset, contingeret, pedaturæ dilatabantur, quamvis de eo Polybius hic taceat. Notari hanc in rem meretur, quod de Asdrubale legitur, qui cum in castris Livii Salinatoris ad Metaurum bis signum canere audivisset, misit qui specularentur, num bina ex unis facta essent castra, vel an vallum eorum aliqua parte auctum esset. Sed ut Livius, inquit, *castra nihil aucta errorem faciebant.* Neronis enim copiæ ita per pedaturas dividebantur, ut Tribunus Tribunum, Centurio Centurionem, miles militem acciperet, nec castra dilatari opus esset; idque ideo, quoniam Nero non diu ibi commoraturus erat. Quod si vero ibi diutius manere decrevisset, castra vel dilatanda fuissent, vel duplicanda, quod quomodo fieri soleret, paulo post Polybius exponit.

A

SECTIO XL.


POLYBIUS.

Iis vero, qui ab initio simul egressi fuerunt, locandis, si major eorum sit numerus, strigam unam ab utraque parte Romanarum Legionum, ad superiorem metaturam, in lateribus castrorum apponunt.

Τοῖς δ' ἐξ ἀρχῆς συνεκπορευομένοις, ἐὰν ᾖ πλῆθος ἱκανώτερον, ῥύμην μίαν ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τῶν Ρωμαϊκῶν στρατοπέδων πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας παρατιθέασι.

Non solum cum eorum, qui ab initio simul cum Legionibus domo profecti erant, sed etiam eorum, qui postea forte ad usum præliorum adveniebant, justa esset ad duos insuper vicos implendos multitudo, credo, tot vicos prioribus additos fuisse ab utraque parte Legionum, ita ut neque ex pristino illarum, neque Sociorum ordine quicquam immutaretur. Collocati ergo fuisse videntur juxta Hastatos, ita ut vicus novus inter Hastatos & equites Sociorum interjectus esset. Quod si ergo his liber egressus & ingressus in pedaturas suas, qui nec Hastatis nec equitibus Sociorum impedimento esset, patere debebat, necessario duæ viæ aperiendæ fuerunt, una nimirum inter vicum ipsum & Hastatos; altera vero inter eundem vicum & equites Sociorum, ut figura declarat.

C



SECTIO XLI.

POLYBIUS.

ΠΑντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων, καὶ τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς ἕνα χάρακα συναθροισθέντων, οὐδὲν ἕτερον δεῖ νοεῖν, πλὴν δύο στρατείας κατὰ τὸν ἄρτι λόγον παρεμβεβληκυίας ἀντεστραμμένας αὐταῖς συνηρμόσθαι, συναπτούσας κατὰ τὰς τῶν ἐπιλέκτων ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβολάς. οὓς ἐποιοῦμεν εἰς τὴν ὄπισω βλέποντας τῆς ὅλης παρεμβολῆς.

AT si quatuor Legiones & Consules ambo intra unum vallum fuerint congregati; aliud nihil fingere animo debes, nisi duos exercitus exposito jam modo locatos, cohærere inter se, invicem sibi obversos, contingentes sese, qua parte utriusque exercitus Extraordinarii, *quos statuebamus tergum universorum castrorum spectare, metantur.*

HActenus Polybius egit de castris unius tantum exercitus Consularis, ordinariis primum, deinde accessione duorum vicorum auctis. Nunc dicit, siquando contingeret, ut ambo Consules intra unum vallum tenderent (quod sæpe accidebat: uti etiam non raro ambo ad idem bellum perfecti seorsim metabantur) non aliud nos mente concipere debere, quam duplex ejusmodi vallum, quale superius descriptum est, cum suis vicis, pedaturis Tribunorum, Consulis, Quæstoris, Ablectorum, Evocatorum, & Extraordinariorum; atque adeo binos exercitus, ita locatos, ut sese contingerent ab ea parte, quæ tergum castrorum dicebatur, & in quam Extraordinarii pedites spectabant. Habebant enim hi frontem suam obversam posticæ valli parti: unde fiebat, ut intuerentur Extraordinarios alterius exercitus Consularis, cujus pedaturæ omnes eodem pariter, quem jam diximus, modo, dispositæ erant & descriptæ. Sed hæc omnia figura, quam adjecimus, clariora faciet.

SECTIO XLII.

POLYBIUS.

ΟΤε δὴ συμβαίνει γίνεσθαι, τὸ μὲν σχῆμα παράμηκες, τὸ δὲ χωρίον διπλάσιον τοῦ πρόσθεν, τὴν δὲ περίμετρον ἡμιόλιον.

INde fit, ut figura quidem sit oblonga, spatium priore duplo majus, ambitus sesquialter.

BInis illis vallis a tergo sibi junctis, tria contingere necesse erat. Primum est, formam non amplius fuisse quadratam æquilateram, uti erat singulis castris seorsim positis. Cum enim ita juncta essent, manente eadem latitudine, quæ antea fuerat, longitudinem duplicari necesse erat. Alterum est, capacitatem quoque sive aream castrorum duplicatam, quoniam duo spatia æqualia jungebantur, in quibus non duæ legiones, & simplex Sociorum numerus, ut antea, sed quatuor legiones, & duplus numerus Sociorum, nec non bini Consules & bini Quæstores, & 24. Tribuni metabantur. Tertium est, dicente Polybio, ambitum castrorum ratione prioris fuisse sesquialterum. Quod enim Polybius hoc loco, aliique Græci vocant ἡμιόλιον, Latini dicunt *sesquialterum*, estque is terminus notissimus in Arithmetica & Musica, nec non in magnitudinibus proportionalibus, ut vocant, significatque totum alicujus rei cum ejusdem dimidio. Sic, verbi gratia, numerus 6. est sesquialter ad 4. quoniam numerus senarius continet quaternarium totum, & insuper ejus dimidium, id est, binarium. Pari modo numerus 9. est sesquialter ad 6. quoniam & totum senarium, & dimidium ejus, id est, ternarium continet. Eadem proportio est inter 12. & 8. & inter 18. & 12. & sic ordine inter reliquos numeros. Eadem ratio est magnitudinum, quoniam baculus, 6. pedes longus, est in proportione sesquialtera ad baculum 4. pedes longum: Et via trium milliarium, est sesquialtera ad viam duo tantum milliaria longam: idemque de reliquis rebus dicendum est. Dicit ergo Polybius, binis castris junctis, circuitum eorum fuisse sesquialterum ad ambitum castrorum simplicium; sive, ambitum castrorum duplicatorum, dimidia parte majorem fuisse ambitu castrorum simplicium: Id quod pro diverso considerandi modo verum non est. Si enim id vult Polybius, circuitum duorum castrorum, sibi invicem junctorum, habuisse proportionem sesquialteram ad circuitum duorum castrorum separatorum; priorem utique circuitum posteriore oportuit dimidio esse majorem. Atqui is multo erat minor, quoniam castra cum jungebantur, perdebant bina illa valli latera, quæ tergum ipsorum claudebant. Id quod non solum ad oculum demonstrari potest, sed etiam ex ipsa ratione satis manifestum est. Apparet hoc etiam ex ipso calculo, quoniam si unumquodque latus duorum castrorum separatorum longum erat pedes 2016. id est, passus 403. sequitur, quatuor latera singulorum fuisse longa passus 1612. qui numero duplicato ad 3224. excrescunt. In binis vero castris junctis, ambo valli latera, quæ fronti obversa sunt, habent passus 806. singula nimirum 403. latus dextrum itidem 806. totidemque latus sinistrum, qui in summam redacti faciunt 2418. minorque proinde est hæc summa quam prior passibus 806. ob bina nimirum illa valli latera, quæ, ut dictum est, castra utraque in conjunctione perdebant. Quod si quis verba Polybii contrario sensu interpretari velit, bina nempe castra separata habuisse circuitum sesquialterum ratione castrorum conjunctorum, nec sic rem veram esse deprehendet. Nam passus illi 3224. non continent passus 2418. ut totum, & præterea dimidium, sive 1209. quoniam ambæ hæ summæ collectæ reddunt 3627. qui numerum illum priorem 3224. excedunt passibus 403. Vera autem sunt verba Polybii, si ea sic interpretemur, bina castra conjuncta habuisse ambitum sesquialterum ad singula separata. Ambitus


2
3
5 5 5 5
4 4 4 4
3 3
1 1
2 2
4 4 4 4
5 5 5 5

bitus enim conjunctorum erat passuum 2418. singulorum vero separatorum, passuum 1612. cujus dimidium sunt 806. Hi si prioribus 1612. addantur, A tota summa ad 2418. excrescit. Et hac sola ratione veritas Polybii verbis constabit; quamvis tunc ipse loquendi modus pro insolito habendus sit.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν, οὕτως ἀεὶ χρῶνται ταῖς στρατοπεδείαις· ὅταν δὲ χωρὶς, τ' ἄλλα μὲν ὡσαύτως, τὴν δ' ἀγορὰν, καὶ τὸ ταμιεῖον, καὶ τὸ στρατήγιον μέσον τιθέασι τῶν δυεῖν στρατοπέδων.

AC quoties quidem Consules ambo juncta habent castra, semper hoc modo illa disponuntur: Quoties vero separata; cætera quidem, ut dictum est antea, locant; Forum vero, Quæstorium & Prætorium constituunt in medio utriusque exercitus.

DIxit Polybius de metatura amborum Consulum intra unum vallum; qui si castra sua conjungere nollent, sed ea quisque separata & discreta habere, tunc Forum, Quæstorium & Prætorium in medio utriusque exercitus posita fuisse Polybius monet. De hac re cum is plura non memoret, videntur verba ejus satis clare repræsentata esse in figura adjecta, in qua num. 1. designat Prætorium. 2. Forum. 3. Quæstorium.

Cæterum, si verum est, Prætoria & Quæstoria, quæ erant cardo totius castrametationis, in medio utriusque exercitus posita fuisse, mirum id videri queat, & minus prudenti consilio factum. Hac ratione enim Imperatores & quæstores expositi fuerunt omnibus assultibus hostium, tam diurnis quam nocturnis, quoniam tentoria illorum nullo utrinque vallo munita facilem hostibus accessum præbebant, uti ex figura apparet. Quod si vero Polybius intelligat, locum in quo tendebant, vallo quoque munitum fuisse; dicendum est, vel vallum istud binis castris utrinque contiguum fuisse, vel ab illis discretum. Si discretum, vel rotundum fuit, vel quadratum. Utramcunque vero figuram habuerit, majoris sane operis, majorumque sumptuum fuit vallum ejusmodi discretum, quam contiguum. Multo enim faciliore negotio bina tantum latera illa claudi, quam totum spatium intermedium vallo vel rotundo vel quadrato circumdari potuisse, manifestum est. Sive autem prius sive posterius admittamus, Consules non seorsim, ut Polybius vult, sed a suis quisque castris separati, una ambo tetenderunt. Sin autem spatium illud clausum fuit vallo non discreto, sed binis utrinque castris contiguo; vel id extima horum castrorum latera junxit, ita ut a fossa & vallo uno, ad fossam & vallum alterum recta serie porrigeretur; vel interius ductum fuit. Posterius autem factum fuisse nulla ratio ut credamus, suadere videtur. Nam præterquam quod id spatii intermedii usum commodiorem non fecisset; eadem sane opera in parte extrema vallum duci potuisset, quo quidem facto, spatii interioris capacitas aucta fuisset. Sed utroque tamen horum modorum fiebat, ut bina castra jungerentur, utpote uno & continuo vallo clausa; non vero a se invicem separarentur, ut Polybius vult. Quod si revera tamen discreta fuerunt, vel exiguum vel magnum intervallum inter ea intercessisse necesse est. Si exiguum, & Prætoria in spatio intermedio posita fuerunt absque vallo a castris utrisque discreto; contra omnem rationem id fecisse videntur Romani, quoniam Consules, ut ante dictum, periculis & incursionibus hostium identidem expositi fuissent. Sin intervallum illud ingens fuit, multo magis dicta ratio obstat. Quocunque ergo sensu verba hæc Polybii capiantur, difficultate, ne dicam absurditate, vix carebunt.

B Præterea apud alios Scriptores occurrit quidem sæpe mentio castrorum binorum, ternorum & quaternorum, nec non castrorum majorum & minorum; sed nunquam apud eosdem, Prætoria & Quæstoria extra castrorum vallum posita fuisse leguntur. Cæterum, quomodocunque sese hæc res habeat, in medium proferre mihi placuit, quid de hoc loco sentirem. Dispiciant alii, qui plus hac in re vident, quam ego, an ex hoc loco sanus aliquis sensus elici possit. Atque his verbis adeo obscuris & ambiguis Polybius descriptioni castrorum Romanorum finem imponit.

C

DIGRESSIO.

CUm omnia, quæ hactenus a Polybio dicta sunt, mecum perpendo, eaque confero cum illis, quæ varii Historici de re militari Romana memoriæ prodiderunt, verum mihi esse videtur judicium Dionysii Halicarnassei, qui in proœmio historiæ suæ Polybium illis Scriptoribus accenset, qui non magnam in narrandis & describendis rebus Romanis diligentiam adhibuerunt. Namque is in hac materia multas sane partes exercitus, tam magis quam minus principales omisit, quibus nullam prorsus pedaturam assignavit. D Videtur autem castrametatio Polybii sex non exigui momenti defectibus laborare.

Primus est, quod castris nullas det portas, cum tamen non solum ipse variis Historiæ suæ locis, sed etiam alii Scriptores testentur, vallum plures habuisse portas, quamvis non adeo constet, quantus illarum fuerit numerus temporibus antiquioribus. Ætate Vespasiani castra Romanorum quatuor habuisse portas, scimus ex Josepho: Et in Livio de porta *Prætoria*, *Quæstoria*, *Decumana*, *Principali*, & interdum *duabus Principalibus* legitur, uti & de nonnullis harum in Cæsare, aliisque. Et necessariæ utique in castris erant portæ, quoniam ipse Polybius de egressu & ingressu copiarum E in castra loquitur.

Alter est, quod de vallo nihil dixerit, neque ex qua materia, neque quo modo factum, nec quam altum latumve fuerit. Sic de fossa quoque omnino tacuit, quæ tamen sunt præcipue castrorum partes.

Tertius est, quod castrametatio ejus cum veritate non videatur congruere, quoniam Josephus docet, Prætorium fuisse in medio castrorum, quod, si descriptionem Polybianam sequamur, secus se habet.

Quartus defectus est, quod non assignaverit pedaturam Legatis, (quorum in quolibet exercitu consulari, pro numero Legionum, bini erant) qui Consuli erant a consiliis, & secundum ab eo locum

tenebant. Sic de loco etiam tacet, in quo Prætor, & Quæftor Sociorum, eorumque Præfecti duodecim nietati fuerint. Porro oblitus eft fuum affignare locum Præfecto Caftrorum, Præfecto Cohortis Prætoriæ, five Ablectorum & Evocatorum, Præfecto Equitum, Præfecto Fabrorum, uti & Fabris ipfis; nec non Tibicinibus, Cornicinibus, Lictoribus, Scribis, aliifque miniftris Confulis; denique calonibus, agafonibus, lixis, & mulionibus, quorum tamen omnium munus in exercitibus Romanis notiffimum erat, utpote quorum alii principem in militia locum obtinerent, alii ad multos ufus effent neceffarii.

Quintus defectus eft, quod non memoret, quo loco Aquila cum reliquis fignis, quæ eam comitari folebant, fixa fuerit: Neque, ubi hoplotheca five armamentarium, uti & frumentum, hordeum, & reliqua annona fita fuerit, quam Quæftor militibus diftribuebat; neque ubi locus fuerit affignatus machinis, & officinæ ferrariæ, in qua arma fabricabantur, nec non jumentis & vehiculis, quorum & ingens erat numerus, & fingula fpatium non mediocre occupabant.

Sextus defectus eft, quod non doceat, ex qua materia tabernacula tam Ducum quam gregariorum militum fuerint facta, nec quam habuerint formam, quod tamen diligens Scriptor, univerfam caftrametationis rationem memoriæ proditurus, omittere non debuiffe videtur. Nos igitur, ad defectum hunc utcunque fupplendum, nonnullas thefes quafi, five conclufiones in medium afferemus, Lectoremque, qui earum confirmationem defiderat, remittemus ad teftimonia auctorum, qui a nobis adducentur. Et primo quidem, quod ad portas caftrorum adtinet, manifeftum eft, Polybium hic nullam earum mentionem feciffe, quæ caufa eft, quare nec Cavalcantius, nec Robertellus eas in figuris fuis expreffermt. Dux vero tres portas ponit, *Quæftoriam* ad dextram, *Prætoriam* ad finiftram, & *Decumanam* in fronte. Choulius quatuor, *Decumanam* a tergo Prætorii, *Prætoriam* in fronte, *Quintanam* ad dextram, & *Principalem* ad finiftram. Mea fententia eft, more ordinario quatuor in caftris fuiffe portas, pro numero quatuor valli laterum. Auctorem habeo Livium, qui numerum hunc exprimit Lib. 10. Dec. IV. *Ad quatuor portas exercitum inftruxit, ut figno dato, ex omnibus partibus eruptionem facerent.* Suis deinde nominibus portas has appellat, recenfens *Extraordinariam, dextram Principalem, finiftram Principalem*, & *Quæftoriam*. Dum autem eodem loco fubjungit *omnes portas*, quod idem eft cum eo, quod ante dixerat *omnibus partibus*; clare apparet, portas non plures quatuor, ex fententia Livii, in caftris fuiffe De porta vero *Decumana*, quæ erat omnium celeberrima, ut & de *Prætoria*, Livius tacet. Nos dicimus, *Decumanam* fuiffe eam, quæ erat in fronte caftrorum, e regione Prætorii, in quo confentientem habemus Ducem. Et derivatio hujus nominis eadem eft, quæ viæ *Quintanæ*. Uti enim illa a fitu fuo, quod nempe fecundum quintos Ordines pergeret, appellationem traxit; ita porta hæc *Decumana*, dicta eft a decimis Ordinibus, ibi tendentibus. Quare fententia Choulii, nec ratione etymologiæ, nec auctoritatibus nititur, qui *Decumanam* locat a tergo Prætorii, quoniam quæ porta eo loco fita erat, dicebatur *Prætoria*, eo quod pofticæ parti Prætorii e regione refponderet, illique omnium proxima effet. Et hanc ego a Livio, loco fupra laudato, *Extraordinariam* effe dictam exiftimo, eo quod pedaturis Extraordinariorum effet proxima. Pari ratione portæ illi, quæ *Quæftoria* dicebatur, appellationem inditam effe exiftimaverim a Quæftorio & area Quæftoria, utpote a quibus ea haud procul diftabat. Hanc aream Dux locat ad dextram Prætorii; Robertellus vero ad finiftram, potius ex fuo quifque ingenio, quam nitentes expreffa auctoritate Polybii, qui hujus quoque fitum non abfque infigni defectu, indictum reliquit. Uti vero reliquæ omnes caftrorum partes fixum femper & ftatum habebant fitum, ita probabile eft, areas quoque & portas eodem femper loco pofitas fuiffe, non vero, variante fitu, mox ad dextram, mox ad finiftram. Mihi quidem non fuppetunt expreffa auctorum teftimonia, quibus demonftrari poffit, ad utrum Prætorii latus utra area pofita fuerit; cæterum decori ratio exegiffe videtur, ut area dignior, quæ erat Quæftoria, fita effet ad latus dignius, id eft, dextrum, ad quod Dux quoque eam locat; minus vero digna, id eft, forum rerum venalium, ad finiftrum. Hanc ob caufam dicerem, portam *Quæftoriam* fuiffe eam, quam Livius, loco fupra adducto, *Principalem dextram* vocat, nifi utriufque diftinctam ibidem faceret mentionem. Quare non aliud de ifto loco Liviano dicendum mihi videtur, quam, vel per portam *Quæftoriam* haud dubie ibi intelligi debere *Decumanam*, vel textum ipfum effe corruptum. Si enim ponamus, caftrametationem Polybianam veram effe, in qua frons caftrorum fronti Prætorii obverfa eft, neceffe eft, latus dextrum fuiffe, in quo cornu dextrum; & finiftrum, in quo cornu finiftrum Sociorum locatum erat; portafque ad latera hæc utrinque pofitas, dictas fuiffe, alteram *dextram*, alteram *finiftram Principalem*: *Extraordinariam* vero eo loco fitam fuiffe, a quo Extraordinarii non procul tendebant; eamdemque *Prætoriam* dictam fuiffe, eo quod Prætorio omnium effet proxima: Huic vero oppofitam, appellatam fuiffe *Decumanam*, quod ab ordinibus, five manipulis decimis proxime abeffet. Hanc ultimam vero dictam quoque fuiffe *Queftoriam* nulla fitus ratio ut credamus fuadet, quoniam ea a Quæftorio remotiffima erat. Quia ergo Qu eftorium portæ dextræ laterali proximum erat, probabile eft, portam iftam a fitu fuo dictam fuiffe *Quæftoriam*. Hoc fi admittimus, locus Livii fupra adductus mendo laborabit, & pro *Quæftoria*, legendum erit *Decumana*. Atque hæc difputata hactenus nituntur probabili conjectura, quam nobis fuppeditat caftrametatio Polybiana. Cæterum huic manifefto contrarius eft locus quidam Livii lib. 10. Dec. I ex quo intelligimus, Romanos caftra fua alia ratione metatos fuiffe. Dum enim ibi Livius, Samnites caftra Romanorum oppugnaffe narrat, *Ab tergo*, inquit, *caftrorum D:cumana porta impetus factus. Itaque captum Quæftorium, Quæftorque ibi L. Opimius Panfa occifus.* Ubi clare dicitur, portam *Decumanam* fuiffe a tergo, non vero in fronte caftrorum. Porro, dum ait Livius, Quæftorium omnium primo fuiffe captum, fignificat, portæ illi proximam fuiffe metaturam Quæftoris; quod, fecundum Polybium, de Prætorio dicendum foret, utpote quod in ipfius caftrametatione, illi portæ, quæ eft a tergo caftrorum, ex adverfo refpondet. Livius vero Prætorium locare videtur interius, & magis verfus medium caftrorum, dum addit: *Conful tumultu excitus cohortes duas Sociorum Lucanam Sueffanamque, quæ proximæ forte erant, tueri Prætorium jubet, manipulos Legionum Principali via inducit.* Ex quibus verbis colligitur, Confulem, duabus his cohortibus ad tuendum Prætorium relictis, ad hoftes, qui erant circa Quæftorium, contendiffe, manipulis Principali via inductis. Id quod in caftrametatione Polybii nullum habet fenfum, quoniam inter Prætorium & Quæftorium intererat area, variis apparatibus Quæftoris impedita & occupata. Sed in caftrametatione Livii dicendum eft,

inter Prætorium & Quæstorium intercessisse viam, dictam Principalem. Subjungit deinde Livius: *Vix dum satis aptatis armis in ordines eunt, e clamore magis quam oculis hostem noscunt, nec quantus numerus sit æstimari potest. Cedunt primo incerti fortunæ suæ, & hostem introrsum in media castra accipiunt.* Quæ verba docent, manipulos cedentes in media castra hostes accepisse, nec dum ad Prætorium pervenisse. Unde ex mente Livii dicendum videtur, Prætorium in ea parte castrorum, quæ Quæstorio erat opposita, locatum fuisse. Sed postea Romani animis & viribus receptis hostem *expellunt extra portam vallumque*, eadem, qua intraverat, via & porta. Porro, castrametationem Livii diversam esse a castrametatione Polybii, ex alio etiam loco demonstrari potest. Is est lib.4. Dec. IV. ubi, cum Galli castra Romanorum ab omni parte aggressi essent, Livius inquit: *Consul armatos paulisper continuit, ut & stolidam fiduciam hosti augeret, & disponeret copias, quibus quæq; portis erumperent. Duæ Legiones duabus Principalibus portis signa efferre jussæ.* Ibi cum atrox pugna coorta esset, subjungit: *Cum alius tumultus ab adversa parte castrorum est exortus. In portam Quæstoriam irruperant Galli.* Hic non potest proprie dici, portam Quæstoriam fuisse adversam duabus portis Principalibus, cum hæ ipsæ, altera dextra, & altera sinistra, sibi essent oppositæ. Sed *partem adversam* hic Livius dixit eam, quæ esset longe distans, ut ex verbis sequentibus apparet: *Ita simul tria prœlia, circa castra, locis distantibus erant.* Præterea cum Livius dicat, Gallos castra ingressos occidisse L. Posthumium Quæstorem, uti antea Samnites; statuendum est, & ibi Quæstorium vicinum fuisse portæ illi, quæ dicebatur *Quæstoria*, per quam Galli intraverant, uti Samnites irruptione facta intraverant per portam *Decumanam*, quæ erat *a tergo Castrorum*. In hac varietate dicendum est, vel, portas *Quæstoriam* & *Decumanam* unam eandemque fuisse, vel Scriptores, ex quibus Livius ista hausit, verum harum portarum situm, totamque castrametandi rationem ignorasse, vel Livium ipsum negligenter hæc scripsisse vel exscripsisse, vel formam & faciem castrorum non fuisse semper eandem, sed pro conditione temporum, situ locorum, & ingenio Ducum variasse. Quod tamen cum auctoritate Polybii pugnat, qui unam semper & certam castrametandi rationem apud Romanos usitatam fuisse, expresse affirmat. Quicquid horum statuamus, certum utique est, binas illas castrametationes, de quibus Livius loquitur, diversas esse a castrametatione Polybii. Quod ad portam *Quintanam* adtinet, quam Lazius comminiscitur, deceptus loco aliquo Polybii supra exposito, in quo non de porta, sed de *Via Quintana* agitur, ejus non puto apud ullum Scriptorem mentionem fieri. Quod si tamen aliis forte occurreret locus aliquis, quem ego invenire non potuissem, in quo portæ *Quintanæ* mentio exstaret, existimarem ego, fuisse eam propinquam foro rerum venalium, in quo erat locus aliquis, ubi vendebantur & distribuebantur prædæ, *Quintana* dictus, diversus a via, eodem nomine appellata, ut inferius dicam. Et hanc portam Livius alias vocat *sinistram Principalem*.

Quod ad defectum secundum adtinet, dicendum est, fossam vel magis vel minus latam & altam fuisse, pro ratione temporum & multitudine hostium. Inde in Cæsare legitur, fossas diversis temporibus ab eo factas, variam habuisse latitudinem, nunc pedum duodecim, nunc quindecim, nunc viginti. Latitudini fossæ plerumque par erat altitudo. Vegetius tamen eam semper facit latam pedes duodecim, novem vero altam. Vallum deinde, erat agger, ad labrum interius fossæ, ex humo, quæ ex ea egesta erat, structus. Quo loco ducendum erat vallum, ibi in terram defigebantur densæ sudes, sive valli, duos tresve ramos singuli habentes, ut Polybius, cujus verba supra adduximus, lib. XVII. docet, quos ipsi milites cædebant & secum portabant. Valli hi multiplicata serie in terram defixi, sepe quadam viminea, vel crate intertexebantur, ab ea parte, qua fossam spectabant; idque munimenti genus *Loricam* vocabant. Spatium deinde vacuum, his vallis interjectum, terra ingesta complebatur. Cum igitur totus castrorum ambitus hoc opere clauderetur, spatiis tantum portarum exceptis, castra ipsa similitudinem quandam urbis muratæ præferebant. Atque hac ratione non solum Romani, sed etiam Græci, aliæque gentes omnes olim castra communire solebant, ut historiarum monumenta testantur. Cæterum tota hæc res jam inde a tempore Vegetii ad nostram usque ætatem in desuetudinem abire cœpit. Hodie enim, hostis potius lædendi, quam exercitus defendendi causa, loca communiri solent.

Quod ad tertium adtinet, Prætorium nempe situm fuisse in medio castrorum, secus ac Polybius tradit; dicendum est, fieri potuisse, ut intra illud temporis spatium, quod inter Polybii & Vespasiani ætatem intercessit, hac in re variatum sit. Videtur tamen Josephus cum Polybio conciliari posse, quoniam hic quoque Prætorium in medio latitudinis locat, & pene etiam in medio longitudinis, utpote non plus 250. pedes ab eo remotum. Cæterum, turbat hic multum Livius, qui lib. 1. Dec. V. ubi ingressum Istrorum in castra Romana ad lacum Timavum describit, *Prætorio dejecto*, inquit, *direptisque quæ ibi fuerant, ad Quæstorium forum, Quintanamque hostes pervenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositamque copiam, & stratos lectos in Quæstorio invenissent, Regulus accumbens epulari cœpit, mox idem cæteri omnes armorum hostiumque obliti faciunt.* Hic verba illa, *Quæstorium forum, Quintanamque*, dubium movent. Significare enim videntur, Quæstorium fuisse in Quintana, vel proxime eam, ibidemque Istros paratas epulas invenisse. *Quintana* vero, secundum Polybium, erat via, quæ versus frontem castrorum, Quintos ordines excipiebat, omnesque alias vias decussabat. Ad quod dubium respondendum est, *Quintanam*, quam hic Livius vocat, non esse viam illam, de qua Polybius loquitur, sed aream rerum venalium, Prætorio proximam, quæ dicebatur *Quintana*, a loco aliquo, qui in ea erat, ubi præda hastæ subjici & distribui solebat. Conjectura mea nititur loco illo Suetonii in Nerone: *Tabernulas etiam effringere, expilare, quintana domi constituta, ubi partæ & ad licitationem dividendæ prædæ pretium assumeretur.* Hic *Quintana* significat locum illum, quem Nero domi suæ destinaverat auctioni rerum illarum, quas ipse noctu circa vicos vagans effractis tabernis surripuerat. Lazius *Quintanam* hoc loco interpretatur portam, qui etiam apud Livium dicto loco, hanc vocem significare vult portam, quæ fuerit areæ proxima. Sed in eo quidem valde errat; uti etiam fallitur in interpretando loco Polybii supra dicto, ubi, cum de via *Quintana* expresse agatur, ipse tamen Polybium de porta loqui putat. Cæterum his & similibus erroribus, interpretationibusque falsis, grande ejus volumen plenissimum est.

Ad quartum defectum quod adtinet, multo sane difficilius est eum supplere, quoniam neque ex Polybio, nec aliis auctoribus ulla hic certa lux affulget; atque adeo conjecturis potius, ex ingenio nostro ductis, quam claris testimoniis auctorum hic

niti necesse est. Ego quidem existimo, circa Prætorium, in spatio illo quadrato non exiguæ capacitatis, a latere utroque & a tergo, posita fuisse tentoria, quorum unum utrinque assignatum fuerit singulis Legatis, qui a Consule identidem in consilium adhibebantur, & secundum ab eo locum tenebant, singuli singulis Legionibus præfecti. Oportebat enim eos proxime Prætorium tendere, ut, cum subita res posceret, quod sæpe in bellis contingere solet, Imperator illico accitos in consilium adhibere, illisque quid faciendum esset, confestim edicere posset. Atque hos credo fronti Prætorii proximos fuisse, & a tergo illorum reliquos ministros, velut lictores, æneatores, & scribas locatos fuisse, certo quodam inter se ordine, quem & dignitas & usus eorum postularet. Dux Urbinensis quadrato Prætorii spatio, duas alias pedaturas quadratas in figura sua apponit, unam, in qua Quæstor, & alteram, in qua ambo Legati tenderent. Sed potius est, ut credamus, Legatos ita metatos fuisse, ut Tribunis suæ quisque Legionis proximi essent, quippe quibus imperia, a Consule accepta, dare debebant. Ordo vero in dandis & accipiendis imperiis talis erat. Consul ea dabat Legatis, Legati Tribunis suæ Legionis, & Præfectis suorum Sociorum, hi Centurionibus, Centuriones Decurionibus, sive Decanis, & hi denique militibus gregariis: Idque semper ordine admirabili, absque ullo tumultu, & celerrime fiebat. Ob eandem rationem, Prætorem quoque Sociorum circa Prætorium tetendisse existimo, nec non Præfectum castrorum, qui lites emergentes dijudicabat; locumque, in quo omnia hæc tentoria erant, dictum fuisse *Principia*, non solum quia inde omnes pedaturæ initium capiebant, sed etiam quia Duces primi ordinis ibi tendebant; *Principiorumque* appellationem extensam quoque fuisse ad viam illam, quæ erat ante Prætorium, & inter duo prima Tribunorum tentoria. Porro *Quæstorium* fuisse puto in medio foro, quod *Quæstorium* dicebatur, & circa id quatuor promptuaria sive horrea, in quibus res ad usum belli necessariæ, quæ curæ Quæstoris commissæ erant, asservabantur. Primum illorum erant armamentarium; secundum, promptuarium machinarum bellicarum; tertium, horreum, in quo condita erat annona, sive frumenta & legumina, quæ militibus distribuebantur; & denique quartum, promptuarium vestimentorum militarium. Nummos, utpote exiguum spatium occupantes, credo Quæstorem penes se habuisse, & proxime eum tetendisse Quæstorem Sociorum, cujus tamen, nisi me memoria fallit, apud nullum scriptorem, si a Polybio discedas, mentio exstat. De Prætore vero, & aliis Ducibus Sociorum, passim legimus, velut de Eumene, Attalo, aliisque Regibus & Principibus, qui Romanis opem tulisse leguntur. Prope armamentarium credo locatos fuisse, qui arma fabricabant; & prope machinas, fabros lignarios & ferrarios, aliosque ministros, huic usui destinatos. Probabile quoque est, inter eos loco quodam separato tetendisse Præfectum fabrorum, atque haud procul inde stetisse carros, quibus commeatus, aliaque ad usum exercitus necessaria, advehebantur. Area autem ad usus hos omnes satis patebat, utpote 2600. passus quadratos ampla. Præfectum Extraordinariorum, & Cohortis Prætoriæ, inter suos tetendisse puto, loco aliquo & tentorio digniore. Præfectis Sociorum Cavalcantius & Robertellus eundem assignat locum, contiguum nempe Tribunorum tentoriis. Qua quidem ratione, uti Tribuni respondebant latitudini Legionum, ita præfecti illi æquabant ab utraque parte latitudinem Sociorum, quibus imperare jussi erant. Calones deinde, agasones, muliones & carpentarios partim credo destinatos fuisse portandis iis, quæ ad apparatum Quæstorii pertinebant, eosque ibi inter carros & jumenta sua mansisse; reliquosque deinde privatos cujuscunque ordinis in postica castrorum parte metatos fuisse, in qua muli quoque & carri erant, qui illorum impedimenta portabant. In hoc loco cum essent, nec transitum per vias, nec ordines militares, nec quicquam eorum quæ in castris fiebant, impediebant. Atque hæc de quarto defectu hactenus dicta sunto. Accedo jam ad quintum, quem ut utcunque suppleam, dico, Aquilam & reliqua Signa illi adjuncta, stetisse in via, quæ erat ante Prætorium. Horum cura demandata erat Aquiliferis & Signiferis. Vel potius dicendum, Aquilam solam ante Prætorium stetisse; reliqua vero Signa singulis Tribunorum tentoriis singula adtributa fuisse, uti alia vexilla suis singula ordinibus militum assignata erant.

Quod ad sextum defectum adtinet, certum est tabernacula militum ex pellibus (bubulis credo,) olim facta fuisse, idque ab illo tempore, quo Camillus Vejos obsedit. Cæsar quoque & Hirtius & Tacitus & Josephus testantur, ea temporibus suis ex pellibus corioque facta fuisse. Postea tamen sæculis inferioribus tentoria mutata fuisse crediderim ad eum modum, quem Choulius repræsentat, ita ut tectum quidem haberent, ex asseribus ligneis factum, lateribus vero prætenderentur vela lintea; modo tamen verum sit, inventum fuisse lapidem illum antiquum, quem ipse adhuc exstare dicit. Quoniam autem locum non addit, in quo reperiatur, in suspicionem venio, nusquam eum exstare. Sufficit scire ad Taciti usque ætatem ea fuisse ex pellibus; ex quibus Consulis quoque, reliquorumque Ducum tentoria facta haud dubie erant, quamvis ornamenta quædam accessisse par sit credere, quibus a reliquis distinguerentur.

PARS DECIMA.

De disciplina & legibus Castrensibus.

SECTIO I.

POLYBIUS.

ΜΕτὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν συναθροισθέντες οἱ χιλίαρχοι, τοὺς ἐκ τοῦ στρατοπέδου πάντας ἐλευθέρους ὁμοῦ καὶ δούλους ὁρκίζουσι, καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν· ὁ δ' ὅρκος ἐστίν· Μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τις, τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους.

PEracta metatione castrorum, conveniunt in unum Tribuni, & ab omnibus qui in legione quaque sunt liberi aut servi, jusjurandum exigunt, viritim singulis jurantibus. Est illud hujusmodi: Nihil e castris se furaturum, verum etsi quis forte aliquid invenerit, ad Tribunos relaturum.

BIs jurejurando milites adigebantur; semel habito delectu Legionum, de quo jurejurando supra dictum est, quo fidem suam obstringebat miles, se pro viribus in hostem pugnaturum; iterum vero, castrametatione peracta, ut Polybius hoc loco testatur. Cincius vero lib. V. de re militari, citante Gellio lib. XVI. cap. 4. dicit, jusjurandum hoc habito statim delectu a militibus exactum fuisse, cujus etiam formulam ibidem exhibet. Uti vero prius jusjurandum, ut dictum est, adstringebat milites ad aleam certaminis animose subeun- A dam, ita posterius furta in castris prohibebat. Et ne quisquam, re amissa, suspicaretur eam furto surreptam esse, recuperandæ ejus copia erat apud Tribunos, secundum Polybium: & apud Consules, secundum Cincium, ad quos omnia in castris forte inventa deferebantur. Hodie vero inter milites nostros istud fieri minime solet, qui, cum nulla jurisjurandi religione a furandi licentia absterreantur, omnis generis rapinas, & cædes committunt, scelera hæc strenuo milite maxime digna esse existimantes.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Ἑξῆς δὲ τούτοις διέταξαν τὰς σημαίας ἐξ ἑκάστου στρατοπέδου τῶν πριγκίπων, καὶ τῶν ἁστάτων· δύο μὲν εἰς τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ τόπου τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων. τὴν γὰρ διατριβὴν ἐν ταῖς καθημεριναῖς οἱ πλεῖστοι τῶν Ῥωμαίων ἐν ταύτῃ ποιοῦνται τῇ πλατείᾳ. Διόπερ ἀεὶ σπουδάζουσι περὶ ταύτης, ὡς ῥαίνηται καὶ καλλύνηται σφίσιν ἐπιμελῶς.

SEcundum hæc manipulos Principum & Hastatorum cujusque legionis ordinant: duos ad curam loci ante Tribunorum tentoria. In hac namque lata via plerique Romanorum totos dies versantur: propterea ut aspergatur ac scopis mundetur diligenter, curam semper adhibent.

MIlitibus jurejurando adactis, nihil se e castris furaturos, primum omnium manipulis Principum & Hastatorum sua cuique munia assignabant. Et duos quidem horum curam gerere jubebant viæ illius latæ, quæ erat ante Tribunorum tentoria, ut a saxis sordibusque eam purgarent, B & tempore æstivo, quo itinera pulverulenta esse solent, aqua subinde aspergerent, quo commode transiri perambularique posset ab iis, qui mandata a Ducibus, proxime eam tendentibus, accepta, perferebant ad alios; & ad curanda exercitus negotia, identidem in ea versabantur.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Τῶν δὲ λοιπῶν ὀκτωκαίδεκα τρεῖς ἕκαστος τῶν χιλιάρχων διαλαγχάνει· τοσαῦται γάρ εἰσι τῶν ἁστάτων καὶ πριγκίπων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ σημαῖαι, κατὰ τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν διαίρεσιν. χιλίαρχοι δὲ ἕξ.

E Reliquis octodecim manipulis ternos singuli Tribuni sortiuntur: Tot enim sunt in unaquaque legione ex superiore nostra divisione, Hastatorum ac Principum manipuli: Tribuni autem militum sex.

DUobus manipulis, uno Principum, & altero Hastatorum, viam latam curare jussis, & reliquis octodecim, novem nempe Principum & novem Hastatorum manipulis (secundum divisionem enim superius traditam, decem Principum, C totidemque Hastatorum in unaquaque Legione erant manipuli) ternos sortiebantur singuli Tribuni, quos unaquæque legio, ut dictum est, senos habebat.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Τῶν δὲ τριῶν σημαιῶν ἀνὰ μέρος ἑκάστη ἑκάστῳ τῶν χιλιάρχων λειτουργεῖ λειτουργίαν τοιαύτην. ἐπειδὰν καταστρατοπεδεύσωσι, τὴν σκηνὴν ἱστᾶσιν οὗτοι, καὶ τὸν περὶ τὴν σκηνὴν τόπον ἠδάφισαν. Κἄν τι περιφράξαι δέῃ τῶν σκευῶν ἀσφαλείας χάριν, οὗτοι φροντίζουσι.

EX tribus autem istis manipulis singuli per vices Tribuno hujusmodi ministerium præstant. Cum castra metantur, hi tentorium ejus statuunt, & locum circa complanant. Et si quid ad utensilium custodiam fuerit septo claudendum, id quoque isti præstant.

TRia ministeria tres manipuli Principum & Hastatorum suis Tribunis præstabant. Nam & tentorium illorum statuebant, & locum circa com- D planabant, septoque claudebant, si opus esset. Quodnam quartum illorum ministerium fuerit, auctor deinceps tradit.

SECTIO V.

POLYBIUS.

ΔΙδόασι δὲ καὶ φυλάκεια δύο· τὸ δὲ φυλακεῖον ἐστιν ἐκ τεττάρων ἀνδρῶν, ὧν οἱ μὲν πρὸ τῆς σκηνῆς, οἱ δὲ κατόπιν παρὰ τοὺς ἵππους ποιοῦνται τὴν φυλακήν· οὐσῶν δὲ σημαιῶν ἑκάστῳ χιλιάρχῳ τριῶν, ἐν ἑκάστῃ δὲ τούτων ἀνδρῶν ὑπαρχόντων ὑπὲρ τοὺς ἑκατὸν, χωρὶς τῶν τριαρίων καὶ γροσφομάχων (οὗτοι γὰρ οὐ λειτουργοῦσι) τὸ μὲν ἔργον γίνεται κοῦφον, διὰ τὸ παρὰ τετάρτην ἡμέραν ἑκάστῃ σημαίᾳ καθήκειν τὴν λειτουργίαν. Τοῖς δὲ χιλιάρχοις ἅμα μὲν τὸ τῆς εὐχρηστίας ἀναγκαῖον, ἅμα δὲ τὸ τῆς τιμῆς, διὰ τῶν προειρημένων ἀποτελεῖται σεμνὸν καὶ προστατικόν.

PRæstant & binas excubias. Harum singulas quaterni viri obeunt, quorum pars ante tabernacula, pars a tergo juxta equos ponitur in custodia. Cum autem quisque Tribunorum tres habeat manipulos, & in quoque eorum milites supra centum, præter Triarios & Velites, qui non ministrant, haud grave illis hoc munus est, quarto demum die vice sua ad singulos manipulos redeunte. At Tribunorum tum commoditati ad ea quæ sunt necessaria, hac ratione consulitur, tum etiam honori, ad dignitatem atque auctoritatem eis conciliandam.

QUartum ministerium, quod manipuli sorte lecti præstabant Tribunis suis, erant excubiæ, quas ad eorum tentoria quaterni viri obibant. Horum autem pars ante tentorium, pars a tergo juxta equos excubias servabat. Unde haud dubie colligimus, Tribunos etiam equo fuisse vectos, tam in agmine, quam præliis, ut ad ea loca, in quibus præsentia ipsorum opus erat, cito pervenire, & mandata Imperatoris celerrime perferre possent. Porro, equos hos a tergo tentoriorum Tribuniciorum locatos fuisse, ex verbis istis apparet. Subjungit deinde Polybius, munus hoc manipulis haud grave fuisse, quoniam, cum in quoque eorum essent homines supra centum, præter Triarios & Velites, & ex illis octoni quarto die vices excubiarum obirent, nonnisi post longum tempus munus hoc in orbem ibat. Erant enim in quoque manipulo 120. homines, qui quindena excubiarum corpora, singula octo virorum, constituebant. Quoniam ergo quartus dies quin- A decies præteribat, post sexaginta demum dies ordo muneris ad primos redibat; quæ res efficiebat ut ministerium hoc minime esset grave. Addit Polybius, Velites manipulorum ab hoc ministerio liberos fuisse, quoniam illis aliud munus injunctum erat, ut inferius dicetur. Cæterum, non video quare Polybius dicat, quemque manipulum habuisse milites supra centum, præter Triarios & Velites. Nam jam ab initio, tam in divisione militum, quam in castrametatione, Triarios a Principibus & Hastatis separavit, & per hosce tres ordines Velites æqualiter divisit. Debuisset itaque dicere B manipulos Principum & Hastatorum, præter Velites, qui ipsis adtributi erant, habuisse plus centenos homines; non vero, præter Triarios, utpote qui ipsis non erant adjuncti, sed tum in acie, quam in castris ordines habebant ab aliis separatos & secretos. Quare nisi hic ἀβλεψίας dicam Polybio scribere velimus, in locum hunc mendum irrepsisse statuendum erit.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

ΑΙ' δὲ τῶν τριαρίων σημαῖαι, τῆς μὲν τῶν χιλιάρχων παραλύονται λειτουργίας· εἰς δὲ τὰς τῶν ἱππέων ἴλαμους ἑκάστη σημαία καθ' ἡμέραν δίδωσι φυλάκειον, ἀεὶ τῷ γειτνιῶντι κατόπιν τῶν ἰλ[α]μῶν· οἵτινες τηροῦσι μὲν καὶ τἄλλα, μάλιστα δὲ τοὺς ἵππους, ἵνα μήτ' ἐμπλεκόμενοι τοῖς δέμασι, β[λά]πτωνται πρὸς τὴν χρείαν, μήτε λυόμενοι καὶ προσπίπτοντες ἄλλοις ἵπποις, ταραχὰς καὶ θορύβους ἐμποι[ῶσι] τῷ στρατοπέδῳ.

TRiariorum vero manipuli a ministrando Tribunis sunt liberi: Sed eorum singuli turmis equitum quotidie quaternos milites præbent, ad excubandum ei turmæ quæ a tergo proxime assidet. Hi cum alia custodiunt, tum equos maxime, ne aut vinculis impliciti fiant inutiles, aut soluti in alios equos incidant, & trepidationem ac tumultum in exercitu faciant.

EXposito ministerio Principum & Hastatorum, tradit deinceps, quænam fuerint Triariorum munia. Hi autem excubias quotidie præstabant illi turmæ equitum, quæ a tergo ipsorum proxime assidebat, custodiebantque cum alia, tum maxime equos illorum, qui ipsis erant proximi, utpote pone pedaturas Turmarum locati. Equi enim, vinculis impediti, sese lædere, & ad usum militiæ reddere inutiles, vel nocte soluti terrorem & tumultum in castris excitare potuissent, militibus, qui veram consternationis causam ignorarent, su- C spicantibus hostem intra castra esse, quod aliquando contigisse Tacitus libro II. narrat. Triarii vero, in suis tabernaculis manentes, has excubias præstabant equitibus, quia pedaturæ amborum a tergo erant contiguæ. Cæterum, non addit Polybius, quoteni has excubias obierint, utrum octoni, an vero quaterni. Sed statuendum videtur, quaternos excubuisse, quoniam ex octonis illis viris, qui ad Tribunorum tentoria excubabant, quaterni quoque equos illorum custodiebant. Quoniam vero manipuli Triariorum, comparati cum

A manipulis Hastatorum & Principum, erant tantum numero dimidiato, fiebat, ut non post duos demum menses, velut in aliis manipulis, sed decimo quinto quoque die vices excubiarum ad primos redirent; idque ideo, quoniam nonnisi sexageni Triarii in quoque erant manipulo, & singuli tantum eorum manipuli, non vero terni, excubias has præstabant.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Μία δ' ἐξ ἁπασῶν καθ' ἡμέραν σημαία ἀνὰ μέρος τῷ στρατηγῷ παρακοιτεῖ. ἥτις ἅμα μὲν ἀσφάλειαν παρασκευάζει τῷ στρατηγῷ πρὸς τὰς ἐπιβολάς. ἅμα δὲ κοσμεῖ τὸ πρόσχημα τῆς ἀρχῆς.

Unus porro e cunctis manipulis, suam quisque vicem Imperatori excubat; qui & tutum ab insidiis eum præstat, & imperii majestatem simul ornat.

B Triginta erant in una Legione manipuli peditum, & in ambabus Legionibus sexaginta, quibus cunctis unum Polybius dicit quotidie ad tentorium Consulis excubuisse, cum securitatis, tum majoris dignitatis gratia. Sed hic omnino desideramus Polybii diligentiam, qui non memorat, quomodo ministerium hoc per manipulos divisum fuerit, & an excubiæ hæ Triariis quoque obeundæ fuerint, quorum manipuli cum tantum sexagenis viris constarent, ex quibus quaterni semper proximæ Turmæ equos custodiebant, eveniebat, ut eo die, quo Triarii excubandum erat, & securitati & dignitati Consulis minus consuleretur. C Quare qui dixerit, ut salva semper esset & dignitas & securitas Imperatoris, binos semper Triariorum manipulos suo die una excubuisse, contradicet Polybio, qui de uno tantum, non vero duobus manipulis loquitur; & licet hoc verum fuisse concederemus, tamen octoni Triarii, ex singulis manipulis quaterni, ad custodiam equorum relinquendi fuissent; manipulis Principum & Hastatorum iis diebus, quibus non ministrabant Tribunis, integro numero excubantibus. Qui vero dixerit, Triarios muneris istius immunitatem habuisse, ei itidem adversabitur Polybius, quippe qui dicit, *ex omnibus manipulis*. Hac voce *omnibus* D non solum comprehendere videtur manipulos Legionum, sed etiam Sociorum, qui erant numero viginti, si in singulas pedaturas singuli computentur; vel potius 60. in singulas pedaturas ternis computatis, quoniam 336. Socii qui in una pedatura tendebant, in Principes, Triarios & Hastatos divisi erant: præcipue vero si Socii essent Latini, vel ex populis Italiæ, qui ordinibus Romanorum militaribus assueti erant. Quæ cum ita sese haberent, per centum & viginti manipulos excubiæ nonnisi quarto quoque mense in orbem ibant. Cæterum, commemorare quoque Polybius debuisset, an numero horum manipulorum comprehensi etiam fuissent Extraordinarii & Ablecti. Quod quidem si factum, multo utique serius vices excubandi ad singulos redierunt. Præterea, dicere debuisset, utrum manipuli a fronte tantum Prætorii locati, an vero per quatuor latera divisi, excubias egissent. Ex historia quidem, quæ de Lucullo narratur, videtur colligi posse, non fuisse ullas excubias in aditu tentorii ejus locatas. Cum enim, bellum contra Mithridatem gerens, medio die aliquando requiesceret, Ultacus quidam Scytha, Prætorium intrare conatus est, ut ipsum occideret, teste Plutarcho & Appiano. Prohibitus autem fuit ingressu non ab excubitoribus, sed a libertis & servis Luculli. Quare dicendum hic erit, vel, excubias circa Prætorium quidem, non vero ad ejus aditum, positas fuisse, quod tamen verisimile non videtur; vel, excubitores Luculli negligentia peccasse; vel, nullos ibi prorsus manipulos excubuisse; vel, a temporibus Polybii usque ad Luculli ætatem, morem istum mutatum fuisse; quod tamen affirmari nequit, quoniam sæpius in historiis legitur, *cohors quæ ad Prætorium stationem habebat.*

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Τῆς δὲ ταφρείας καὶ χαρακοποιΐας, δύο μὲν ἐπιβάλλουσι πλευραὶ τοῖς συμμάχοις, παρ' ἃς καὶ στρατοπεδεύει τὸ κέρας αὐτῶν ἑκάτερον. δύο δὲ τοῖς Ῥωμαίοις, ἑκατέρῳ τῷ στρατοπέδῳ μία.

Porro in præducenda fossa & struendo vallo, duo Sociis latera incumbunt, ad quæ utraque ipsorum ala metatur: Duo reliqua Romanis, utrique Legioni unum.

E Dictum est, Romanos tam in sua ditione quam in hostico castra nunquam metatos fuisse, quin ea vallo fossaque communirent. Hoc ergo ut fieret, ex quatuor lateribus, quibus ambitus castrorum terminabatur, dextrum, peditibus Sociorum alæ dextræ muniendum assignabatur; & sinistrum, peditibus alæ sinistræ: Frons vero & tergum castrorum, quæ erant duo reliqua latera, Legionibus Romanis munienda dabantur, utrique Legioni unum. Neque dubito, quin hic quoque certo semper fixoque ordine dextræ Legioni unum, & sinistræ alterum latus muniendum incubuerit: Utrum vero latus utri Legioni assignatum fuerit, nec Polybius, nec alius quisquam scriptor docet. Fieri tamen etiam potuit, ut Legiones vices alternarent, invidiæ & contentionis vitandæ gratia, cui major commoditas vel difficultas muniendi, pro vario locorum situ & ingenio, occasionem præbere potuisset. Sic inferius Auctor memorabit, cum exercitus iter faceret, alternis diebus & legionum & alarum alteram præcessisse, & subsecutam esse, ut ad omnes aquationis & pabulationis, aliarumque rerum commodum & incommodum ex æquo pertineret.

SECTIO IX.

POLYBIUS.

Διαιρεθείσης δὲ τῆς πλευρᾶς ἑκάστης κατὰ σημαίας, τὴν μὲν κατὰ μέρος ἐπιμέλειαν οἱ ταξίαρχοι ποιοῦνται παρεστῶτες.

Diviso autem latere unoquoque per manipulos, curam partium Centuriones gerunt, iisque assistunt.

UNumquodque castrorum latus, ut dictum est, patebat in longitudinem passus 403. qui per triginta manipulos, decem nimirum Hastatorum, decem Principum, & decem Triariorum, (loquor autem de legionibus) dividendi erant. Quoniam autem Triarii ad reliquos duos ordines dimidiato tantum erant numero, illis quinta tantum longitudinis pars, sive passus 80. (fragmentis quæ ex divisione trium pedum reliquorum resultant, omissis) Hastatis autem, passus 160 totidemque Principibus assignandi erant; eademque ratione, ad unumquemque manipulum Triariorum pertinebant passus 8 & aliquot digiti; ad manipulum vere Principum, passus 16. & ad manipulum Hastatorum, totidem. Unicuique ergo manipulo Triariorum in fossa præducenda, valloque struendo octo passus assignati fuerunt, quibus per homines 60. divisis, redibunt ad singulos digiti deni, & duo trientes; totidemque competent singulis Hastatorum & Principum, quorum manipuli 120. hominibus constabant. Hæc cum ita sint, potuit utique opus hoc celerrime perfici, & fossa vallumque brevissimo tempore castris circundari. Multum autem celeritatem facilitatemque operis hujus adjuvit accessio Velitum, qui manipulis dictis adtributi erant. Hi cum in quaque legione 1200. implerent, ex quibus 24. in singulos Triariorum manipulos tribuebantur, octonos illos passus, qui in unumquemque manipulum descripti erant, per homines 84. dividi oportebat, quo facto ad singulos pertinebant digiti circiter septem & dimidius; idemque dicendum de Principibus & Hastatis. Qua ratione fiebat, ut Romani multo celerius & commodius castra sua vallo fossaque communire possent, quam vix quisquam credat, neque opus haberent multitudine fossarum castrensium, quibus hodie in castrametatione usus est. Quod si vero opera illorum Romani uterentur, uti aliquando usos legimus, id tum fiebat, cum vel viæ complanandæ essent, exercitu iter faciente; vel fossæ hostium replendæ, vel simile quid faciendum; non vero cum castra vallo essent circundanda, quod a solis Triariis sæpe factum legitur, nequicquam hostibus impedire conantibus, quos interea acie instructa sustinebant Principes & Hastati, a quorum tergo Triarii & nonnunquam Velites opus faciebant. Extra hos casus autem munitio castrorum nullo vel minimo negotio a militibus Romanis peragebatur. Munientibus adstabant ipsi Centuriones, ut opus rite & ordine fieret, cujus peracti probatio & inspectio postea ad duos Tribunos pertinebat, ut deinceps docebit Polybius. Idem a Præfectis Sociorum factum esse in munitione lateris dextri & sinistri, operique isti Centuriones Sociorum pariter adstitisse, credendum est. Cæterum, si Extraordinarii & Ablecti, qui ex Sociorum numero detracti erant, eos non adjuverunt, major utique Sociis labor insumendus fuit in munitione laterum, quæ ipsis assignata erant, quam Legionibus. Cum enim in singulis pedaturis sive manipulis Sociorum non essent viri supra 336. universa illorum multitudo, in manipulos decem divisa, fuerunt 3360. homines, quibus pensum fuit conficiendum æquale illi, quod 4200. Legionariis, computatis etiam Velitibus, injunctum fuit. Hac ratione passibus 403. per decem Sociorum manipulos divisis, ad unumquemque 40. passus pertinuerunt, minutiis reliquis omissis. His passibus quadragenis in milites 336. unius manipuli æqualiter tributis, ad singulos novem circiter digiti cum dimidio, in opere faciendo, pertinuerunt. Differentia tamen hujus partitionis a priori adeo est exigua, ut non putem ejus rationem habitam esse.

SECTIO X.

POLYBIUS.

Τὴν δὲ καθόλου δοκιμασίαν τῆς πλευρᾶς δύο τῶν χιλιάρχων.

Lateris universi probatio ad duos e Tribunis pertinet.

DUorum Tribunorum, inquit Polybius, munus erat, vallo perfecto, totum opus recognoscere, quod architecti facere solent; Centuriones vero opus urgebant, illique adstabant.

SECTIO XI.

POLYBIUS.

Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν κατὰ τὸ στρατόπεδον ἐπιμέλειαν οὗτοι ποιοῦνται. Κατὰ δύο γὰρ σφᾶς αὐτοὺς διελόντες ἀνὰ μέρος τῆς ἑξαμήνου τὴν δίμηνον ἄρχουσι, καὶ πάσης οἱ λαχόντες τῆς ἐν τοῖς ὑπαίθροις προΐστανται χρείας.

Similiter & cæteram castrorum curam hi sustinent. In binos enim dividentes sese, mutua vice semestris spatii menses duos imperant: Ac quibus sors evenit, ii omnibus, quæ in castris geruntur, præsunt.

Seni

SEni erant in quaque legione Tribuni, qui senos menses omnium negotiorum castrensium curam sustinebant, idque munus æqualiter inter se partiebantur, ita ut senis his mensibus in tres partes divisis, bini Tribuni binos menses imperarent. Hi ergo suis mensibus non solum munitioni castrorum, sed etiam omnibus aliis negotiis, quæ in castris gerebantur, quæque ad utilitatem exercitus pertinebant, præerant. Quo referenda cura frumentorum, lignorum, straminis, carnium, aquæ, & similium. Imperabant enim calonibus, & militibus ipsis, curarent mature, ut harum rerum copia tanta, quanta necessitatibus sufficeret, in castris semper esset. Et de hac quidem divisione mensium & Tribunorum nescio an ullus Historiæ Romanæ scriptor quicquam memoret, præter Polybium hoc loco, & Livium lib. 10. Dec. IV. cujus hæc sunt verba: *Secundæ Legionis Fulvius Trib. militum erat, is mensibus suis dimisit Legionem.*

SECTIO XII.

POLYBIUS.

Ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς ἀρχῆς ἐστι καὶ τῶν πραιφέκτων περὶ τοὺς συμμάχους.

E*Adem est imperandi ratio & Præfectorum inter Socios.*

QUo munere apud Romanos Tribuni, in tres partes divisi; eodem quoque fungebantur inter Socios Præfecti, recognoscentes nimirum munitionem laterum, quæ Sociis imperata erat, militibusque suis de rebus necessariis prospicientes.

SECTIO XIII.

POLYBIUS.

ΟἹ δ' ἱππεῖς καὶ ταξίαρχοι πάντες ἅμα τῷ φωτὶ παραγίνονται πρὸς τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνάς· οἱ δὲ χιλίαρχοι πρὸς τὸν ὕπατον· Κἀκεῖνος μὲν τὸ κατεπεῖγον ἀεὶ παραγγέλλει τοῖς χιλιάρχοις, οἱ δὲ χιλίαρχοι τοῖς ἱππεῦσι καὶ ταξιάρχοις· οὗτοι δὲ τοῖς πολλοῖς, ὅταν ἑκάστων ὁ καιρὸς ᾖ.

A*D Tribunorum tabernacula luce orta Equites præsto sunt & Ductores ordinum: Tribuni statim ad Consulem. Hic quæ usus postulat, Tribunis mandat; Tribuni Equitibus & Centurionibus: Isti militibus, ubi suum quæque res tempus est nacta.*

HActenus Polybius locutus est de iis, quæ ad modum & ordinem castra metandi muniendique, ipsorumque castrorum formam pertinent. Nunc incipit disserere de vigiliis, aliisque rebus, quæ in castris fieri solebant. Dicit ergo, hunc morem fuisse observatum, ut luce orta omnes equites, (erant autem in quaque Legione trecenti) & sexaginta Centuriones ad tentoria Tribunorum; & hi deinde ad tentorium Consulis convenirent. Consul igitur Tribunis, &, ut credere par est, Præfectis quoque Sociorum, edicebat, quid fieri vellet; qui deinde eadem mandata dabant Equitibus & Centurionibus, ut, quid sibi faciendum esset, scirent. Hi denique militibus suis, quid facto opus foret, edicebant, non statim & eodem tempore, sed quando usus & necessitas postulabat. Quod quidem eam ob causam factum crediderim, ne arcana inter milites temere vulgarentur, & tandem rumor illorum ad hostem dimanaret, neque spatium ipsis daretur reperiendi rationes, ob quas imperium detrectandum existimarent. Sæpe enim fit, ut milites, dum de negotio imperato diu secum cogitant, & periculi subeundi magnitudinem perpendunt, desperatione rei perficiendæ ab audendo deterreantur; unde disciplinæ militaris solutio, & Ducum contemptus. Quare hic mos pene apud omnes nationes hodieque in bello observatur.

SECTIO XIV.

POLYBIUS.

ΤΗ'ν δὲ τοῦ νυκτερινοῦ συνθήματος παράδοσιν ἀσφαλίζονται τὸν τρόπον τοῦτον. Καθ' ἕκαστον γένος καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν, οἱ ἐκ τῆς δεκάτης σημαίας ἐν τοῖς τελευταίοις μέρεσι στρατοπεδεύουσιν κατὰ τὰς ῥύμας· ἐκ τούτων εἷς ἑκάστης ἀνὴρ λαμβάνεται κατ' ἐκλογὴν, ὃς τῶν μὲν κατὰ τὰς φυλακὰς λειτουργιῶν ἀπολύεται. παραγίνεται δὲ καθ' ἡμέραν δύνοντος ἡλίου πρὸς τὴν τοῦ χιλιάρχου σκηνὴν καὶ λαβὼν τὸ σύνθημα (τοῦτο δ' ἐστὶ πλατεῖον ἐπιγεγραμμένον) ἀπαλλάττεται πάλιν. ἀναχωρήσας δ' ἐπὶ τὴν αὐτοῦ σημαίαν τότε ξυλήφιον παρέδωκε, καὶ τὸ σύνθημα μετὰ μαρτύρων τῷ τῆς ἐχομένης σημαίας ἡγεμόνι· παραπλησίως δὲ πάλιν οὗτος τῷ τῆς ἐχομένης· τὸ δ' ὅμοιον ἑξῆς ποιοῦσι πάντες, ἕως ἂν ἐπὶ τὰς πρώτας καὶ σύνεγγυς τοῖς χιλιάρχοις στρατοπεδευούσας σημαίας, ἐξικνῆται. τούτους δὲ δεῖ τὸ πλατεῖον ἔτι φωτὸς ὄντος ἀναφέρειν πρὸς τοὺς χιλιάρχους. κἂν μὲν ἀνενεχθῇ πάντα τὰ δοθέντα, γιγνώσκει, διότι δέδοται τὸ σύνθημα πᾶσι, καὶ διὰ πάντων εἰς αὐτὸν ἥκει· ἐὰν δ' ἐλλείπῃ τι, παραπόδας ζητεῖ τὸ γεγονὸς, εἰδὼς ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς ἐκ ποίου μέρους οὐχ ἥκει τὸ πλατεῖον. οὗ δ' ἂν εὑρεθῇ τὸ κώλυμα, τυγχάνει τῆς καθηκούσας ζημίας.

NOcturni signi traditionem tutam securamque hoc modo reddunt. In unoquoque genere equitum peditumque ex decimo signo, quod in strigarum parte extrema metatur, vir unus quispiam eligitur, qui a reliquo munere excubiarum immunis sit. Hic quotidie circa solis occasum ad Tribuni tentorium venit, & tessera accepta (ea est latior tabella inscripta) revertitur: qui ut ad signum suum est reversus, parvulum istud lignum ac simul tesseram adhibitis testibus proximi Ordinis Ductori tradit. Ille similiter sequentis Centurioni: atque idem omnes deinceps faciunt, donec ad primos Ordines qui prope Tribunos tendunt, signum perveniat. Hos oportet tabellam ad Tribunos referre, dum adhuc lucet. Tribunus si omnes fuerint relatæ, quas dederat, cognoscit tesseram ad omnes & per omnes ad se venisse: sin desit aliqua, e vestigio qui factum sit hoc, inquirit; noscens ex inscriptione, cujus partis tabella non sit allata; & cujus culpa aut mora id factum, digna pœna afficitur.

TEsseræ militares inventæ sunt, ut confusio, A quam ignorantia & error militum in nocturnis & subitis hostium invasionibus parere solet, evitetur. Hæ nostro tempore a Ducibus superioribus in aures inferiorum insusurrari solent. Romani vero hunc in usum tabellas ligneas, quibus uniuscujusque noctis signum inscriptum erat, adhibebant. Has tabellas ita aptatas fuisse necesse est, ut præcedentium noctium tesseræ deleri, & aliæ in noctem sequentem iis inscribi possent; vel quotidie novas adhibitas fuisse oportet. Tabellas istas Tribuni dabant uni cuipiam viro, qui in ultimo sive decimo Ordine versus frontem castrorum metabatur; B isque hanc ob causam a munere excubandi immunis erat. Dicit autem Polybius, virum unum fuisse electum ex singulis decimis Ordinibus, & omnibus generibus equitum & peditum; id est, tam equitum Romanorum, quam Socialium, nec non tam peditum Romanorum, quam Socialium. Erant autem sex Ordines decimi in una Legione, juncta Sociorum ala; duo nempe equitum, & quatuor peditum; totidemque in altera Legione, juncta itidem ala Sociorum. Hinc, pro numero decimorum Ordinum in unoquoque exercitu Consulari, duodecim electi fuerunt viri, quibus quotidie circa occasum solis totidem tabellæ a Tribunis datæ fuerunt. C Hi quotidie, sole jam inclinante, adeuntes suæ quisque Legionis Tribunum, cui, una cum alterius Legionis Tribuno, universorum castrorum cura ad duos menses demandata erat, accipiebant ab eo singuli tabellam ligneam, quibus omnibus una eademque inscripta erat tessera, quæ totum exercitum pervadebat. Cæterum, præter tesseram ipsam, singulis tabellis inscriptum quoque erat nomen illius, cui tabella a Tribuno dabatur, vel Ordinis, ut Tribunus illico cognosceret, cujus partis tabella non fuisset sibi reddita. Si enim nomine tesserarii, vel Ordinis, tabellæ non fuissent signatæ, Tribuni scire nequivissent, cujus partis tabella ad se non redisset; & proinde multa in hoc negotio peccari potuissent, ignorantibus semper Tribunis, quis ob culpam vel moram suam debita pœna afficiendus esset. Acceptis ergo a Tribuno tabellis duodecim hi milites ad suos quisque Ordines revertebantur, & adhibitis testibus, eas Centurioni Ordinis vicini tradebant. Hic pariter coram testibus acceptam tabellam Centurioni Ordinis proximi, sive octavi; iste similiter, Centurioni Ordinis septimi tradebat, atque idem deinceps reliqui faciebant, donec tabella hac ratione per manus tradita ad Centurionem primi Ordinis pervenisset, qui eam Tribuno reddebat. Tribunus ergo receptis omnibus tabellis, quas per suam Legionem distribuerat, intelligebat, tesseram ad omnes Ordines pervenisse. Quod si vero quædam ex illis desiderarentur, illico ex inscripto nomine vel tesserarii, vel Ordinis (verbi gratia Triariorum, vel Principum) constabat, in qua parte peccatum esset. Quare tabella facile reperta, Tribunus in eum pro merito animadvertebat, qui acceptam aliis deinceps non dederat. Pœnæ genus & modum Polybius hic non exprimit, neque me de eo apud alium quenquam scriptorem legisse quicquam memini. Cæterum, unum dubium nascitur ex hoc loco Polybii, dicentis, tesserarium decimi manipuli, qui non erat Centurio, sed ex aliis militibus ad hoc munus delectus, tradidisse tesseram proximi Ordinis Ductori, quem hic ἡγεμόνα Polybius appellat. Hac voce enim idem supra quoque, ubi de Centurionibus agit, utitur, eamque ibi exponit per ταξίαρχον & κεντυρίωνα sive Centurionem. Quoniam igitur Polybius hoc loco non adhibet eandem vocem ταξίαρχος, non videtur hic Centurionem denotare velle. Præterea probabile videtur, cum primus, qui tabellam a Tribuno accipiebat, non esset Centurio, alios quoque in manipulis reliquis, qui eandem a primo accipiebant, non fuisse Centuriones, sed itidem ad hoc electos, uti primus. Quoniam autem Polybius hoc expresse non memorat, quisque in explicatione hujus loci suo abundet sensu.

SECTIO XV.

POLYBIUS.

TA' δὲ περὶ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς ὅπως διεξάγεται παρ' αὐτοῖς. Τὸν μὲν στρατηγὸν, καὶ τὴν περὶ τὴν σκηνὴν ἡ παρακειμένη σημαία φυλάττει. τὰς δὲ τῶν χιλιάρχων καὶ τὰς τῶν ἱππέων ἴλαμὸς οἱ ἐκτεταγμένοι κατὰ τὸν ἄρτι λόγον, ἐξ ἑκάστης σημαίας.

QUod ad vigilias nocturnas adtinet, eæ administrantur a Romanis hoc modo. Imperatorem & Prætorium ejus custodit manipulus ante fores solitus excubare: Tribunorum tabernacula & equitum turmas, qui ad id sunt designati e singulis manipulis, ut ante diximus.

DIctum supra est, unum ex cunctis manipulis, D suam quemque vicem Imperatori excubuisse; & ex tribus manipulis Principum & Hastatorum sorte lectis, octonos milites ad tentoria Tribunorum binas excubias præstitisse, quaternos a fronte, totidemque a tergo, juxta equos; & tentoria equitum custodita fuisse ab illis Triariis, qui a tergo illorum metabantur: Quæ omnia Polybius breviter hic repetit, & omnium excubiarum summam quasi colligit.

SECTIO XVI.

POLYBIUS.

Ὁμοίως δὲ καὶ παρ' ἕκαστον τάγμα πάντες ἐξ ἑαυτῶν τιθέασι φυλακήν. τὰς δὲ λοιπὰς ὁ στρατηγὸς ἀποτάττει. Γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τὸν ταμίαν, καὶ παρ' ἕκαστον τῶν πρεσβευτῶν καὶ συμβούλων δύο. Τὴν δ' ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι, παρ' ὅλον καθ' ἡμέραν τὸν χάρακα παρακοιτοῦντες. Αὕτη γὰρ ἐπιτέτακται τούτοις ἡ λειτουργία. ἐπὶ τῶν εἰσόδων ἀνὰ δέκα ποιοῦνται τούτων αὐτῶν τὰς προκοιτείας.

Similiter etiam ad quemque Ordinem excubias e ſuo numero omnes locant. Reliquas Imperator ipſe diſponit. Fere autem ad Quæſtoris tutelam ternæ excubiæ conſtituuntur; & ad Legatorum, qui iidem conſiliarii erant, binæ. At laterum exteriorum cuſtodiam Velites agunt, qui propter vallum totum de die in excubiis manent. Hoc enim munus iis incumbit. In portis ſingulæ eorum decuriæ excubant.

Dicit hic Polybius, ad quemque Ordinem (tam Equitum nimirum, quam Triariorum, Principum & Haſtatorum, nec non Equitum & Peditum Sociorum) ex ſuo numero omnes diſpoſuiſſe excubias. Per *omnem Ordinem* vero Polybius hic non intelligit, univerſos Triarios, Principes &c. ſed ſingulos illorum manipulos. Utitur enim hic voce *τάγμα*, quam ſupra quoque adhibuit, cum diceret, decimam quamque partem trium horum Ordinum vocatam eſſe *τάγμα*, *σπεῖραν* & *σημαίαν*, quæ voces eo loco Manipulum ſignificant. Unicuique ergo Ordini ſive Manipulo milites, qui in eo metabantur, præſtabant excubias, tam Equites quam Pedites. Non addit autem Polybius, quoteni ſingulas has excubias obierint. Atque hoc quidem una eademque ratione ita ſemper fiebat, neque quotidie ad iſtud ordinandum novo imperio opus erat. Reliquas vero excubias, dicente Polybio, ipſe Imperator ordinabat, & in tres partes dividebat, unamque earum aſſignabat Quæſtori, ipſiuſque apparatibus; ſecundam vero, duobus Legatis, quorum Polybius hucuſque nullam fecit mentionem, neque in qua parte caſtrorum metati fuerint, dixit: Nihilominus illis dat vigilias, diſtinctas ab iis, quas ipſe Prætorio adtribuit. Cæterum, hæ vigiliæ tanti erant momenti, ut ipſe Imperator eas divideret & diſponeret. Cuinam vero militum generi eæ incubuerint, Polybius non memorat. Veriſimile autem videtur, illas imperatas fuiſſe Extraordinariis, quoniam nullum hactenus munus iis a Polybio aſſignatum fuit. Notandum vero eſt Polybium dicere, *πρεσβευτῶν καὶ συμβούλων*, *Legatorum & Conſiliariorum*, quæ voces hic ſunt ſynonymæ. Nuſquam enim legitur, in caſtris fuiſſe alios *συμβούλους*, ſive Conſiliarios, præter duos Legatos, qui in militia ſecundum ab Imperatore locum tenentes, ſingulis Legionibus præerant. Et Appianus Legatos, quos alii Hiſtorici Græci *πρεσβευτὰς* vocant, nunquam fere alio nomine appellat, quam *συμβούλους*, id eſt, *Conſiliarios*. Tertia erat cuſtodia valli; quæ mandabatur Velitibus, tota die in excubiis ibi manentibus, quod & de nocte intelligendum, quoniam Polybius hic agit de vigiliis ſive excubiis nocturnis. Præterea iidem Velites in portis caſtrorum deni excubabant. Duo vero Polybius ſilentio hic prætermiſit: Primum eſt, an Velites Legionum totum caſtrorum vallum, an vero frontem ejus ſolum & tergum cuſtodiverint, Velitibus Sociorum in reliquis duobus valli lateribus utrinque excubantibus, quam diviſionem in munitione caſtrorum factam fuiſſe, ſupra dictum eſt. Alterum, an omnes ſimul & eodem tempore abſque intermiſſione in vallo excubuerint, an vero in certa excubiarum corpora diviſi, vices alternaverint, eodem modo quo dictum eſt denos illorum in portis caſtrorum excubias ſemper egiſſe. Sed de his duabus rebus nec apud Polybium, nec alium quenquam, certi quicquam invenire potui.

SECTIO XVII.

POLYBIUS.

Τῶν δ' εἰς τὰς φυλακὰς ἀποταχθέντων ἀφ' ἑκάστου φυλακείου, τὸν τὴν πρώτην μέλλοντα τηρεῖν, εἷς ἐξ ἑκάστης σημαίας οὐραγὸς ἄγει πρὸς τὸν χιλίαρχον ἑσπέρας. Ὁ δὲ δίδωσι τούτοις πᾶσι ξυλήφια κατὰ φυλακὴν, βραχέα τελέως ἔχοντα χαρακτῆρα, Λαβόντες δ' οὗτοι μὲν ἐπὶ τοὺς ἀποδεδειγμένους ἀπαλλάττονται τόπους.

E Singulis autem quaternionibus eorum qui ad cuſtodias ſunt deſtinati, ille, qui primus in ſtatione eſt futurus, ad Tribunum veſpere deducitur ab agminis coactore cujuſque ſigni. Tribunus omnibus his pro ſingulis excubiis parvulas e ligno teſſellas tradit oppido exiguas, quæ nota quadam ſunt inſignitæ. Illi his acceptis ad deſignatas quiſque ſtationes ſe conferunt.

Inter eos qui ad vigilias deſtinati erant, alii primas, alii ſecundas, alii tertias, alii quartas excubias, ordine ita exigente, agebant. Dicit ergo Polybius, eos, quorum erant primæ excubiarum vices, a Tergiductore uniuſcujuſque manipuli veſperi deductos fuiſſe ad Tribunum, cujus eo tempore bimeſtre in ſuam Legionem erat imperium. Hic omnibus iis exiguam dabat tabellam, charactere aliquo notatam, qui qualis fuerit, vel quid ſignificaverit, nec Polybius docet, nec apud alios ſcriptores reperire potui. Tabella accepta ad ſuas quiſque ſtationes ſe conferebant.

SECTIO XVIII.

POLYBIUS.

Ἡ δὲ τῆς ἐφοδείας πίστις εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται. Δεῖ γὰρ τὸν πρῶτον ἰλάρχην καθ' ἕκαστον στρατόπεδον ἑνὶ τῶν οὐραγῶν τῶν αὐτοῦ παραγγεῖλαι πρωὶ παράγγελμα τοιοῦτον· ἵνα τέτταρσιν αὐτὸς ἐμφανίσῃ νεανίσκοις τῶν ἐκ τῆς ἰδίας ἴλης πρὸ ἀρίστου τοῖς μέλλουσιν ἐφοδεύειν. Μετὰ δὲ ταῦτα τῷ τῆς ἐχομένης ἴλης ἡγεμόνι δεῖ τὸν αὐτὸν ἀφ' ἑσπέρας παραγγεῖλαι, διότι τούτῳ καθήκει τὰ περὶ τῆς ἐφοδείας φροντίζειν εἰς τὴν αὔριον. Τοῦτον δ' ἀκούσαντα παραπλησίως ταὐτὰ δεῖ ποιεῖν τοῖς προειρημένοις εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ἑξῆς.

AT circuitionis fides curæ equitum demandatur. Oportet enim, ut qui primi ſunt in quaque Legione Turmarum Præfecti, uni e ſuis coactoribus agminis mane hujuſmodi dent præceptum: ut juvenibus quatuor ſuæ Turmæ edicat, ipſos eſſe qui ante prandium circumire debeant. Deinde Præfecto Turmæ ſecundæ ſignificare idem tenetur ſub veſperam, pertinere ad ipſum circuitionis munus in diem ſequentem. Hunc quoque ſimiliter ubi præceptum accepit, eadem facere cum jam dictis in proximum diem oportet; & ita alios quoque deinceps.

POlybius ab excubiis nocturnis tranſit ad diurnas, atque ideo, quoniam eas inter ſe commiſcet, difficilem reddit loci hujus interpretationem. Circuitio enim vigiliarum non de die, ſed noctu fieri ſolet; & tamen ex verbis his Polybii colligitur, quatuor iſtos juvenes, ex Equitum Turmis electos, a luce orta uſque ad prandium circumiviſſe, & ſic reliquos in dies ſequentes. Quod ſi vero dicere quiſquam velit, horam prandii fuiſſe matutinam, & uſque ad id tempus circuitionem eſſe factam, illi adverſabitur Polybius dicens, primum Turmæ cujuſque Præfectum uni Tergiducto- A rum ſuorum mane præcepiſſe, ut quatuor juvenibus ediceret, ad ipſos circuitionis munus pertinere. Mandatum hoc ergo mane datum uſque ad tempus prandii executi ſunt juvenes. Unde neceſſario ſequitur, circuitionem hanc diverſam fuiſſe ab ea, de qua paulo poſt dicetur. Quis fuerit Præfectus Turmæ equitum, jam dictum eſt; fuiſſe nempe eum, qui ex tribus Decurionibus primus erat electus; & tres pariter fuiſſe Tergiductores in unoquoque οὐλαμῷ, id eſt, Turma (ita enim hæc vox vertenda) ſive in quoque Signo equitum.

SECTIO XIX.

POLYBIUS.

Οἱ δὲ προχειρισθέντες ὑπὸ τῶν οὐραγῶν, ἐκ τῆς πρώτης ἴλης τέτταρες, ἐπειδὰν διαλάχωσι τὰς φυλακάς, πορεύονται πρὸς τὸν χιλίαρχον, καὶ γραφὴν λαμβάνουσι, πόσας καὶ πόσας ἐφοδεῦσαι δεῖ φυλακάς.

QUatuor autem illi, quos e prima Turma agminis coactores elegerunt, vigilias inter ſe ſortiti Tribunum adeunt, & ſcriptum ab eo accipiunt, quoti ordinis, & quot vigilias obire oporteat.

CUm quatuor eſſent cuſtodiæ nocturnæ, quæ dicebantur vigiliæ, uti ipſa cuſtodiarum corpora, ſtationes; & quatuor diurnæ: quatuor juvenes a Tergiductoribus electi de ordine muneris inter ſe ſortiebantur. Hoc facto adibant Tribu- B num, qui eis, dato libello, præcipiebat, quot ſtationes unuſquiſque, & in quota vigilia, num prima, ſecunda, tertia, an quarta, circumire deberet: Hic enim ſenſus eſt verborum illorum *quoti ordinis*.

SECTIO XX.

POLYBIUS.

Μετὰ δὲ ταῦτα παρακοιτοῦσιν οἱ τέτταρες, παρὰ τὴν πρώτην σημαίαν τῶν τριαρίων. Ὁ γὰρ ταύτης ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βυκανᾶν. Συνάψαντος δὲ τοῦ καιροῦ τὴν πρώτην ἐφοδεύει φυλακὴν ὁ ταύτην λαχών, ἔχων μετ' αὐτοῦ μάρτυρας τῶν φίλων· ἐπιπορεύεται δὲ τοὺς ῥηθέντας τόπους, οὐ μόνον τοὺς περὶ τὸν χάρακα καὶ τὰς εἰσόδους, ἀλλὰ καὶ τοὺς κατὰ σημαίαν ἅπαντας, καὶ τοὺς κατ' οὐλαμόν. Κἂν μὲν εὕρῃ τοὺς φυλάττοντας τὴν πρώτην ἐγρηγορότας, λαμβάνει παρὰ τούτων τὸ ξύλον. ἐὰν δὲ εὕρῃ κοιμώμενον, ἢ λελοιπότα τινὰ τούτων, ἐπιμαρτυράμενος τοὺς σύνεγγυς, ἀπαλλάττεται. τὸ δὲ παραπλήσιον γίνεται καὶ ὑπὸ τῶν τὰς ἑξῆς φυλακὰς ἐφοδευόντων.

POſt quæ illi quatuor ad primum manipulum Triariorum excubias agunt; quoniam ejus Centurioni cura incumbit ad quamque vigiliam buccina ſignum dandi. Ubi tempus venit, primam vigiliam circuit qui eam fuerit ſortitus, teſtes ſecum habens ex amicis nonnullos. Obit autem hic dictas ſtationes non circa vallum duntaxat & portas, verum etiam circa manipulos omnes ac

turmas. Qui si primæ vigiliæ custodes offenderit vigilantes, tenue illud lignum ab iis accipit. At si aliquis dormiens fuerit inventus, aut qui stationem deseruerit, attestatus eos, qui adsunt, abit. Consimile fit & ab iis, qui sequentes vigilias lustrant.

A HIc Polybius non de custodiis diurnis, ut supra, sed nocturnis agere videtur, & nihilominus de iisdem quatuor juvenibus, qui a Tergiductoribus electi erant, loquitur. Quare necesse est eosdem hos juvenes mane electos, tam diurnas quam nocturnas stationes obiisse. Quoniam enim custodes non solum noctu, sed etiam interdiu nonnunquam obdormiscere & stationem suam deserere solent, utroque tempore par periculi metus, atque adeo par lustrandi necessitas. Quatuor hi a Tergiductoribus electi, sortiuntur inter se primam, secundam & sequentes vigilias. Inde Tribunos adeunt, ut ab eis mandata, scripto comprehensa, accipiant, quot stationes, & in quota vigilia quisque illorum circumire debeat. B Dum autem Polybius dicit, juvenes illos jam antea inter se sortitos esse, & postea tamen subjungit, Tribunum, dato scripto, singulis imperasse, quot stationes & in quota vigilia circumire deberent; declarat, non omnes stationes obiisse eum, qui primam vigiliam sortitus esset, uti nec sequentes; sed primum quidem, certum stationum numerum in prima, secunda, tertia & quarta vigilia: eademque ratione, secundum & sequentes, circumire debuisse. Hinc fiebat, ut primus, lustratis omnibus primæ vigiliæ stationibus, reliquum noctis quieti dare non posset, quod hodie fit; sed tota nox, in quatuor vigilias descripta in circuitione ei consumenda esset. Vigiliarum harum initium buccina indicabat, uti hodie in castris tympanum, & in castellis sonus campanæ. Cura autem ad quamque vigiliam signum buccina dandi incumbebat primo Centurioni Triariorum, sive Primipilo primi Ordinis, cujus non exigua erat auctoritas. Ad hujus manipulum quatuor illi juvenes electi cum suis quisque amicis excubabant, signoque buccina dato, ad obeundas vigilias, discedebant, adhibitis quisque amicis suis loco testium. Quos igitur custodes offendebant vigilantes, ab iis accipiebant tabellam illam a Tribuno datam. At si aliquem dormientem invenirent, vel qui stationem suam deseruisset, attestati eos, quos secum habebant, indicium ejus rei ad Tribunum deferebant, qui in illos, eo, quem paulo post dicet, modo animadvertebat.

SECTIO XXI.

POLYBIUS.

ΤΗν δ' ἐπιμέλειαν τῆ κατὰ φυλακὴν βυκανᾶν, ὡς ἀρτίως εἶπον, ἵνα σύμφωνον ᾖ τοῖς ἐφοδεύουσι πρὸς τὰς φυλάττοντας, οἱ τῆς πρώτης σημαίας τῶν τελαρίων ἐξ ἑκατέρας τῆς στρατοπέδου ταξίαρχοι, καθ' ἡμέραν ποιοῦνται.

DAndi autem signi buccina singulis vigiliis, ut modo dixi, quo circuitoribus cum vigilibus conveniat, curam gerunt suo quisque die Centuriones primi manipuli Triariorum in quaque Legione.

C NOn die duntaxat, sed etiam nocte signum buccina dabatur, Polybio ipso paulo ante teste. Quare per diem hic Polybius intelligit non solum tempus illud, quod inter ortum & occasum Solis intercedit, sed diem civilem viginti quatuor horarum, qui etiam noctem comprehendit. Si enim aliter hanc vocem hic accipiamus, non conveniet hic locus cum iis, quæ hactenus de vigiliis a Polybio dicta sunt.

SECTIO XXII.

POLYBIUS.

ΤΩν δ' ἐφόδων ἕκαστος ἅμα τῷ φωτὶ πρὸς τὸν χιλίαρχον ἀναφέρει τὸ σύνθημα. Κἂν μὲν ᾖ πάντα τὰ δεδομένα, χωρὶς ἐγκλήματος ἀπαλλάττονται πάλιν· ἂν δέ τις ἐλάττω φέρῃ τῆ πλήθες τῶν φυλακείων, ζητοῦσιν ἐκ τῆ χαρακτῆρος, ποῖον ἐκ τῶν φυλακείων λέλοιπε. Τούτε δὲ γνωσθέντος, καλεῖ τὸν ταξίαρχον· οὗτος δ' ἄγει τὰς ἀποταχθέντας εἰς τὴν φυλακήν· οὗτοι συγκρίνονται πρὸς τὸν ἔφοδον· ἐὰν μὲν οὖν ἐν τοῖς φύλαξιν ᾖ τὸ κακὸν, εὐθέως δῆλός ἐστιν ὁ τὴν ἐφοδείαν ἔχων, ἐπιμαρτυράμενος τὰς σύνεγγυς· ὀφείλει γὰρ τοῦτο ποιεῖν· ἐὰν δὲ μηδὲν ᾖ τοιοῦτο γεγονὸς, εἰς τὸν ἔφοδον ἀναχωρεῖ τοὔγκλημα. Καθίσαντος δὲ παραχρῆμα συνεδρίου, τῷ χιλιάρχῳ κρίνεται· κἂν καταδικασθῇ, ξυλοκοπεῖται.

PRima dein luce quisque circuitorum ad Tribunum tesseras defert: quæ si tot inveniantur, quot fuerant datæ, inculpati discedunt: Sin pauciores aliquis refert quam pro numero excubiarum, inquirunt ex charactere, quænam vigilia defecerit. Quo cognito Centurionem vocat, qui designatos ad vigilias adducit: Ii disceptant cum circuitore. Quod si penes vigiles culpa sit, confestim qui lustravit, testificatum se esse proximos declarat. Id enim facere tenetur. Atque id si non fuerit factum, ad circuitorem redit culpa. Statim igitur Concilio advocato, Tribunus de ejus causa cognoscit, & si damnatus fuerit, fuste percutitur.

D LOcus hic satis est clarus atque perspicuus, ut ampliore explicatione non egeat. Notandum tantum est, omnes, qui in stationibus erant, habuisse tabellam, insignitam charactere, qui designabat stationem, cui quæque tabella data erat; idque ad vitandum errorem, prout de alia quoque

tabella Polybius supra dixit. Neque solum cuique stationi, sed etiam singulis vigilibus, qui in ea erant, ejusmodi tabella dabatur, quo facilius, an quid peccatum esset, cognosci posset. Porro, circuitor tenebatur adhibere semper testes, idque si non fecisset, omnis culpa in ipsum recidebat, ipseque pœna, quæ mox memorabitur, plectebatur. A Contra vero, in custodes animadvertebatur, si a testibus criminis essent convicti. Judicium hoc exercebat idem Tribunus, qui tabellas dabat, & per bimestre spatium, ut dictum est, negotiorum omnium castrensium curam gerebat.

PARS UNDECIMA.

De Pœnis & Præmiis.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Τὸ δὲ τῆς ξυλοκοπίας ἐστὶ τοιοῦτον· Λαβὼν ξύλον ὁ χιλίαρχος, τούτῳ τοῦ κατακριθέντος οἷον ἥψατο μόνον· οὗ γενομένου, πάντες οἱ τοῦ στρατοπέδου τύπτοντες τοῖς ξύλοις καὶ τοῖς λίθοις τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ στρατοπεδείᾳ καταβάλλουσι· τοῖς δ' ἐκπεσαμένοις, οὐδ' ὣς ὑπάρχει σωτηρία· πῶς γὰρ, οἷς οὔτ' εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτῶν ἐπανελθεῖν ἔξεστιν, οὔτε τῶν ἀναγκαίων οὐδεὶς ἐν οἰκίᾳ τολμήσειε δέξασθαι τὸν τοιοῦτον. Διὸ τελείως οἱ περιπεσόντες ἅπαξ τοιαύτῃ συμφορᾷ καταφθείρονται. Τὸ δ' αὐτὸ πάσχειν ὀφείλει τοῖς προειρημένοις, ὅτε οὐραγὸς, καὶ ὁ τῆς ἴλης ἡγεμὼν, ἐὰν μὴ παραγγείλωσιν, ὁ μὲν τοῖς ἐφόδοις, ὁ δὲ τῷ ἐχομένης ἴλης ἡγεμόνι τὸ δέον ἐν τῷ καθήκοντι καιρῷ. Διόπερ οὕτως ἰσχυρᾶς οὔσης καὶ ἀπαραιτήτου τῆς τιμωρίας, ἀδιάπτωτα γίνεται παρ' αὐτοῖς τὰ κατὰ τὰς νυκτερινὰς φυλακάς.

Fustuarium, pœna est hujusmodi. Tribunus fustem capit, eoque condemnatum quasi attingit solum; quo facto omnes Legionarii qua fustibus qua saxis inibi intra castra ut plurimum sontem necant: sed & si qui evaserint, non tamen salvi propterea sunt. Nam quæ illis salus, quibus in patriam redire non licet? & quos necessariorum nemo ausit tecto recipere? Quamobrem qui semel in eam calamitatem inciderunt, planissime pereunt. Idem quoque supplicium manet tam coactorem agminis, quam turmæ Præfectum, si mature ille circuitores, hic sequentis turmæ decurionem sui officii non admonuerit. Quare cum adeo vehementer & sine spe veniæ delicta hæc puniantur, disciplina nocturnarum excubiarum inoffenso tenore servatur.

PŒnæ huic fere similis est illa, quæ hodie militibus hastarum ictibus infligi solet, nisi quod in hac nemo mortem effugiat, secus ac olim in fustuario, quoniam ictus hastæ longe differunt ab ictibus saxorum & fustium. Cæterum pœna, qua hodie afficiuntur custodes obdormiscentes, mors est, quæ in arbitrium circuitoris collata est. In quo quidem more facilis est injuriæ faciendæ occasio, quoniam circuitor, odio vel inimicitia adductus, custodem, quamvis vigilantem, hasta, B quam manibus plerumque gestat, noctu nihil tale metuentem, occidere facile potest. Notandum est, Circuitori eandem pœnam subeundam fuisse, si testes secum non habuisset; nec non Tergiductori, si quatuor suæ Turmæ juvenibus non denunciasset, quid ipsis faciendum foret. Eadem quoque pœna manebat Præfectum Turmæ, si is Præfecto Turmæ sequentis non indicasset, quid facto opus esset, uti supra dictum est.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Δεῖ δὲ προσέχειν τοὺς μὲν στρατιώτας τοῖς χιλιάρχοις, τούτους δ' ἔτι τοῖς ὑπάτοις. Κύριος δέ ἐστι καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος, καὶ ἐνεχυράζων καὶ μαστιγῶν.

Tenentur autem milites quidem Tribunos observare, iisque auscultare, Tribuni vero Consulibus. Et habet Tribunus potestatem mulctæ dicendæ, pignoris capiendi, virgis aut fustibus cædendi.

MAgnam fuisse Tribunorum auctoritatem argumento sunt multa superius a Polybio dicta. Ad ea accedit, quod hoc loco dicitur, milites Tribunis, & hos Consuli dicto audientes fuisse. Hoc vero non solum supervacue dictum videtur, quia tacente etiam Polybio id intelligere facile unusquisque potuisset, & ab ipso jam variis in locis hoc inculcatum est; sed etiam ordo, quo C inferiores superioribus parere tenebantur, non integer hic propositus esse videtur. Ordo enim parendi talis erat, ut Consuli Legati, Legatis Tribuni, Tribunis Centuriones, Centurionibus Decuriones, & his denique milites obedirent & auscultarent. Cæterum verba hæc Polybii intelligenda sunt de imperiis, quæ universis militibus dabantur. Loquitur etiam hoc loco Polybius de potestate, quam

habebant Tribuni puniendi milites, nec non Centuriones, & equites, & equitum Præfectos; ratione cujus potestatis nullum agnoscebant superiorem, nisi solum Consulem. Poterant itaque Tribuni & pignora capere, & pœna fustuarii milites afficere, ut dictum est. Qui vero pœna hac a Tribunis afficiebantur, ii non damnabantur immediate ad mortem, quoniam nonnulli inter lapidum & fustium ictus effugere poterant. Potestas enim suppliciorum vere capitalium erat penes solum Consulem, qui milites virgis cæsos jubebat securi percuti, quam gestabant Lictores, qui solius ipsius, non vero alterius cujusdam erant ministri. Neque solum in milites, sed etiam in Centuriones, imo ipsos quoque Tribunos, Legatos & Magistros equitum, Consul jus vitæ & necis habebat. Sic Manlius legitur filium suum, qui erat Tribunus, securi percussisse; & Papirius Dictator eadem pœna afficere voluit Fabium, Magistrum equitum, qui secundum ab ipso locum tenebat. Quam potestatem Tribuni in Legionarior, eandem Præfecti Sociorum in pedites suos & equites habebant.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας τι τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. Καὶ μὴν ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ, παραπλησίως. Καὶ ἐάν τις τῶν ἐν ἀκμῇ παρακεχρημένος εὑρεθῇ τῷ σώματι. Πρὸς δὲ τούτοις, ὁ τρὶς περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας ζημιωθείς. Ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἀδικήματα κολάζουσιν.

Fuste autem percutitur etiam is, qui aliquid e castris fuerit furatus, item qui falsum testimonium dixerit: nec non si quis in flore ætatis male usus corpore fuerit deprehensus: adhæc is, cui ter eandem ob causam mulcta fuerit irrogata. Et hæc quidem ut crimina puniunt.

Recensentur hic quatuor alia delictorum & criminum genera, ob quæ pœna fustuarii reis a Tribuno infligebatur. Horum primum est furtum, cum nempe quis e castris aliquid furatus esset; idque ob duplex delictum. Fur enim talis non solum amicum offendebat, occasionemque jurgio & majori malo præbebat, sed etiam sacramenti religionem impie violabat, qua se obstrinxerat, fore, ut nihil quicquam furto auferret eorum, quæ intra castra essent; extra ea autem, ultra 10. millia passuum, secundum Cincium loco supra ex Gellio allegato, non solum hostibus, sed etiam amicis quid surripere, permissum fuisse videtur. Secundum delictum erat perjurium, ob easdem duas causas; damnum nempe, quod de cepto ex perjurio oriebatur, & ob temeratam fidem, quæ Diis obstricta erat. Tertium erat, si quis juvenis in flore ætatis (incipiebant enim Romani militare anno ætatis decimo octavo) corpore suo abusus esset. Hoc tamen crimen non solebant omnes Imperatores punire, quoniam frater Flaminii scortum secum habuisse, & suo exemplo fenestram aliis ad libidinem & licentiam aperuisse legitur. Temporibus vero posterioribus crimen hoc prorsus impunitum esse cœpit. Quartum erat, si quis ob crimen aliquod, quod per se quidem capitale non erat, jam ante ter damnatus esset: Is enim, si quarto reus esset ejusdem criminis, fuste percutiebatur, quasi qui ob summam ad delinquendum proclivitatem vita esset indignus. Et hæc crimina erant illa, quæ, dicente Polybio, ut delicta, Romani punire solebant. Cæterum, erant & alia, quæ probro ducebantur, utpote ex animo ignavo & timido profecta, & a ratione virtutis & audaciæ militaris prorsus aliena, eaque erant sequentia.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Εἰς δ' ἀνανδρείαν τιθέασι καὶ στρατιωτικὴν αἰσχύνην τὰ τοιαῦτα τῶν ἐγκλημάτων. Ἐάν τινες ψευδῆ περὶ αὐτῶν ἀνδραγαθίαν ἀπαγγείλωσι τοῖς χιλιάρχοις, ἕνεκεν τοῦ τιμὰς λαβεῖν. Ὁμοίως ἄν τινες ἐς ἐφεδρείαν ταχθέντες φόβου χάριν λείπωσι τὸν δοθέντα τόπον· παραπλησίως, ἐάν τις ἀποῤῥίψῃ τι τῶν ὅπλων κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον διὰ φόβον.

Ad ignaviam vero & flagitium militare referunt hujusmodi crimina. Si qui præmii adipiscendi causa strenuum aliquod factum suum ad Tribunum falso retulerint. Similiter si qui in statione positi, per metum locum suum deseruerint: Itemque si quis in ipso prælio aliqua arma per metum abjecerit.

Primi criminis exemplum non memini me ullum in historiis legisse; duorum vero reliquorum plurima apud auctores leguntur; uti etiam illorum, qui mortem potius perpeti, quam stationem suam deserere voluerunt; nec non illorum, qui armis quibusdam amissis, ut ea recuperarent, obstinato ad moriendum animo in medios hostes se immiserunt, ut ibi potius honestam mortem occumberent, quam inter suos postea infami fustuarii pœna afficerentur. Eadem hæc Polybius in sequenti sectione tradit.

SECTIO V.

POLYBIUS.

ΔΙὸ καί τινες μὲν ἐν ταῖς ἐφεδρείαις προδήλως ἀπόλλυνται, πολλαπλασίων αὐτοῖς ἐπιγινομένων, οὐ θέλοντες λιπεῖν τὴν τάξιν, δεδιότες τὴν οἰκείαν τιμωρίαν· ἔνιοι δὲ κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον, ἐκβαλόντες θυρεὸν, ἢ μάχαιραν, ἤ τι τῶν ἄλλων ὅπλων παραλόγως, ῥίπτουσιν ἑαυτοὺς εἰς τοὺς πολεμίους, ἢ κυριεύειν ἐλπίζοντες ὧν ἀπέβαλον, ἢ παθόντες τι, τὴν πρόδηλον αἰσχύνην διαφεύξεσθαι, καὶ τὴν τῶν οἰκείων ὕβριν.

PRopterea nonnulli in stationibus suis certam mortem oppetunt, ab hostibus oppressi, qui multis partibus sint plures, dum imminentis supplicii metu assignatum sibi locum deserere nolunt. Quidam vero excusso inter dimicandum scuto, aut ense, aliove ex armis casu fortuito, conjiciunt ipsi sese in hostes, ea spe, quod aut recuperaturi sint quæ amiserant: aut, si quid evenerit secius, manifestam ignominiam & probrum inter suos evitaturi.

EXemplo hic sit filius Catonis Censorini, qui, uti narrat Livius, cum in prælio cum Perseo Macedonium rege gladium amisisset, scuto objecto A in medios hostes se intulit, multisque vulneribus acceptis gladium ad suos salvus retulit. Plura haud dubie exempla inveniet, qui historias evolvet.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

ΕΑν δέ ποτε τὰ αὐτὰ ταῦτα περὶ πλείους συμβῇ γενέσθαι, καὶ σημαίας τινὰς ὁλοσχερῶς πιεσθείσας λιπεῖν τοὺς τόπους, τὸ μὲν ἅπαντας ξυλοκοπεῖν ἢ φονεύειν ἀποδοκιμάζουσι· λύσιν δὲ τοῦ πράγματος εὑρίσκονται, συμφέρουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικήν. Συναθροίσας γὰρ τὸ στρατόπεδον ὁ χιλίαρχος, καὶ προαγαγὼν εἰς τοὺς λελοιπότας, κατηγορεῖ πικρῶς· καὶ τὸ τέλος, ποτὲ μὲν πέντε, ποτὲ δὲ ὀκτὼ, ποτὲ δὲ εἴκοσι, τὸ δ' ὅλον πρὸς τὸ πλῆθος ἀεὶ στοχαζόμενος, ὥστε δέκατον μάλιστα γίνεσθαι τῶν ἡμαρτηκότων. Τούτους ἐκ πάντων κληροῦται τῶν ἀποδεδειλιακότων, καὶ τοὺς μὲν λαχόντας ξυλοκοπεῖ κατὰ τὸν ἄρτι ῥηθέντα λόγον ἀπαραιτήτως.

QUod si plures peccasse contingat, & manipuli universi hoste urgente cesserint loco; ut omnes fuste percutiant aut necent, non est moris illorum; sed modum & rationem repererunt commodam pariter & terribilem. Tribunus enim advocato exercitu desertores in medium producit, eosque acriter increpat. Deinde, modo quinque sortitur, modo octo, modo viginti, atque ut verbo omnia dicam, id semper agit, ut pro numero noxiorum decimus quisque eorum semper capiatur. Hos, inquam, ex omnibus qui ignave se gesserunt, sorte eligit, & in quos ea sors cecidit, sine ulla spe veniæ fuste percutit ad modum jam dictum.

MOris hujus exemplum primum legitur apud Livium lib. 2. Dec. I. cum Appius Claudius decimaret exercitum; & apud Dionem lib. XLIX. exercitu Augusti a Dalmatis profligato. B Apud Dionysium quoque lib. IX. simile exemplum legitur, multaque alia apud alios passim scriptores, quæ omnia adducere supervacaneum esse existimo.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

ΤΟῖς δὲ λοιποῖς τὸ μέτρημα κριθὰς δοὺς ἀντὶ πυρῶν ἔξω κελεύει τοῦ χάρακος καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολήν.

REliquis hordeum pro tritico admetiens, extra vallum & munitionem castrorum tendere jubet.

DAtio hordei loco frumenti erat potius ignominia quam pœna, quoniam ii, quibus hordeum istud dabatur, brutis quasi & jumentis, qui hordeo vesci solent, æquiparabantur. Submotio vero extra castra, tam ignominia erat, quoniam indigni censebantur, qui inter alios milites tenderent; quam pœna, quoniam expositi sem- C per erant invasionibus hostium. Adversus horum vim si se defendere vellent, opus illis erat ea fortitudine & audacia, cujus in deferenda statione sua obliti fuerant. Hujus instituti & moris exempla reperiuntur iisdem in locis auctorum, in quibus de decimatione legitur, quoniam ea semper cum hac pœna & ignominia conjuncta erat.

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Λοιπὸν, τοῦ μὲν κινδύνου καὶ φόβου, τοῦ κατὰ τὸν κλῆρον, ἐπ' ἴσον ἐπικρεμαμένου πᾶσιν, ὡς ἂν ἀδήλου τοῦ συμπτώματος ὑπάρχοντος· τοῦ δὲ παραδειγματισμοῦ κατὰ τὴν κριθοφαγίαν ὁμοίως συμβαίνοντος περὶ πάντας, τὸ δυνατὸν ἐκ τῶν ἐθισμῶν εἴληπται, πρὸς κατάπληξιν καὶ διόρθωσιν τῶν συμπτωμάτων.

Atque ita cum periculum & metus ſortis ex æquo omnibus impendeat; nemo enim ſcit in quem ea ſit caſura: exemplum autem veſcendi hordeo in omnes pariter edatur: hoc inſtituto, quantum fieri poteſt, & terror omnibus injicitur, & quod admiſſum eſt, corrigitur.

Pœnæ hæ ſuperius memoratæ uſu inter Romanos receptæ erant, quoniam eæ, ut Polybius dicit, non ſolum homines, quantum fieri poterat, a peccando revocabant, ſed etiam ad corrigendum, ſi quid admiſſum eſſet, ſtimulabant. Nulla enim res animos hominum efficacius movere ſolet, quam metus pœnæ & ſpes præmii; idque omnibus hominibus eſt commune. Cum vero homines eatenus inter ſe differant, quod alii majore, alii minore vel vitæ, vel præmii gloriæque amore teneantur, fit, ut non omnes his rebus æque moveantur. Amor enim vitæ & commodorum corporis facit, ut vix quicquam aliud quam utile appetatur; atque adeo homines, in quibus affectus iſte prævalet, metu damnorum corporalium in officio potiſſimum continentur. Sed in quibus major eſt animi generoſitas, ii ſpe præmii & metu infamiæ vehementius moventur. Quod cum Romani ex experientia cognoviſſent, ut ad virtutem & egregia facinora incitarent milites ſuos, in quibus, uti in aliis omnibus hominibus, alteruter horum affectuum neceſſario prævalebat, alios pœnæ corporalis, alios ignominiæ A metu terrebant, ne quid contra diſciplinæ militaris leges peccarent. Præmia vero & honores propoſiti erant iis, qui præclara facinora ediđiſſent. Et hactenus quidem Polybius locutus eſt de pœnis criminum & delictorum, addens, modum hunc rationemque puniendi plures, qui metu & ignavia noxam aliquam ſimul admiſerant, fuiſſe terroris plenam; idque merito. Antequam enim ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lectus eſſet, ad omnes pertinebat metus, ne ſors in ſe caderet; & ſortitione jam peracta, unuſquiſque non abſque horrore ſecum reputabat, ſortem in ſe cadere potuiſſe. Quare metus iſte decimationis, juncta in- B famia illa & pœna, dum nempe dicti criminis rei hordeo paſcebantur, & extra vallum ſubmovebantur, ut in continuo periculo & metu verſarentur, efficiebat, ut milites haud facile culpam aliquam admitterent, vel admiſſam prompte emendarent. Et hic erat modus ille, quo Romani, quantum fieri poterat, diſciplinæ militari conſulebant, militeſque in officio continebant, cum omnes, qui deliquiſſent, morte afficere nollent.

SECTIO IX.

POLYBIUS.

Καλῶς δὲ καὶ τοὺς νέους ἐκκαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. Ἐπειδὰν γὰρ γένηταί τις χρεία, καί τινες αὐτῶν ἀνδραγαθήσωσι, συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου, καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντάς τι πεπραχέναι διάφορον, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἑκάστου λέγει περί τε τῆς ἀνδραγαθίας, κἄν τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχῃ τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνήμης ἄξιον. Μετὰ δὲ ταῦτα, τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον, γαῖσον δωρεῖται. Τῷ δὲ καταβαλόντι καὶ σκυλεύσαντι, τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἱππεῖ φάλαρα, ἐξ ἀρχῆς δὲ γαῖσον μόνον.

Præclare vero etiam juventutem ad pericula ſubeunda excitant. Nam ubi prœlium aliquod eſt commiſſum, ac juvenes aliqui fortiter ſe geſſerunt; Imperator advocato in concionem exercitu, productis prope ſe iis, quorum præ cæteris virtus inſignis exſtitit, primum quidem ſingulos illorum laudat a fortitudine, & ſi quid aliud in eorum vita fuerit quod commemorari cum ipſorum laude queat: deinde ei, qui hoſtem vulneraverit, haſtam donat: qui proſtraverit & ſpolia detraxerit, pediti quidem phialam, equiti vero phaleras: quanquam olim haſta ſola præmium erat.

Continetur hac Sectione ratio altera, quæ efficiebat, ut milites pericula prompte ſubire non detrectarent, nimirum deſiderium honoris & amor gloriæ. Et primo quidem de juvenibus, ſive tironibus, Polybius hic loquitur, quoniam illi, & quod bellorum inexperti, & ætate tenera eſſent, timore facilius in conflictibus percelli poterant. Hi igitur ut deſiderio honoris per virtutem conſequendi accenderentur, cum in prœlio aliquo fortiter & ſtrenue rem geſſiſſent, Imperator ad- C vocata concione, illos publice laudibus extollebat, eorumque virtutem, qua præ cæteris enituiſſent, ſuo teſtimonio decorabat. Hujus rei ut præſens ſemper haberent argumentum, is, qui hoſtem vulneraverat, haſta; qui vero occiderat, pedes quidem phiala, eques vero phaleris donabatur. Cæterum, hæc non de omnibus occaſionibus & temporibus, ſed de iis tantum, quæ Polybius ſubjungit, intelligenda ſunt.

SECTIO X.

POLYBIUS.

Τυγχάνει δὲ τούτων οὐκ ἐὰν ἐν παρατάξει τις ἢ πόλεως καταλήψει τρώσῃ τινὰς, ἢ σκυλεύσῃ τῶν πολεμίων· ἀλλ᾽ ἐὰν ἐν ἀκροβολισμοῖς, ἢ τισιν ἄλλοις τοιούτοις καιροῖς, ἐν οἷς μηδεμιᾶς ἀνάγκης οὔσης κατ᾽ ἄνδρα κινδυνεύειν, αὐτοί τινες ἑκουσίως καὶ κατὰ προαίρεσιν αὑτοὺς εἰς τοῦτο διδόασιν.

Ista vero consequitur, non qui in justo prælio signis collatis dimicans, aut in capienda urbe aliquos hostes sauciaverit vel spoliaverit: Verum qui in velitationibus cum hoste, aut aliis ejusmodi occasionibus, quando nulla necessitas quenquam dimicare viritim cogit, ipsi suamet sponte eo se dederint.

Ratio eorum, quæ Polybius hic tradit, est, quod Romani videbant futurum, ut præmium istud nimium vulgaretur, & tandem vilesceret, si, quicunque justa acie hostem percussissent, illo donaretur. Sæpe enim toti exercitui, si res ita tulisset, præmium ejusmodi dandum fuisset. Quare tunc tantum locum habuisse præmium in- A telligendum est, cum quis extra ordinem, vel in singulari aliquo certamine strenuum se præbuisset; veluti Valerius Corvinus, qui occiso Gallo, phaleris, quarum Polybius hic meminit, donabatur; uti & Manlius Torquatus: quo præmio alter quoque Manlius dubio procul affectus fuisset, nisi absque consensu patris cum hoste dimicasset.

SECTIO XI.

POLYBIUS.

Τοῖς δὲ πόλεως καταλαμβανομένης πρώτοις ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀναβᾶσι, χρυσοῦν δίδωσι στέφανον ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπερασπίσαντας καὶ σώσαντάς τινας τῶν πολιτῶν ἢ συμμάχων, ὅ, τε στρατηγὸς ἐπισημαίνεται δώροις.

Quoties urbs capitur, auream iis coronam, qui primi muros conscenderint, donat: Similiter etiam eos qui vel cives vel socios defenderint vel servaverint, Imperator donis insignit.

Non recenset hic Polybius omnes caussas, ob quas milites præmiis & honoribus olim affici solebant, sed tantum paucas aliquas, inter has quoque erat, si quis urbe capta, primus muros con- B scendisset, cui imperator coronam auream donabat; & si quis civem in manifesto mortis periculo constitutum, in prœlio servasset, qui corona quercea donabatur; de qua hic tacet Polybius.

SECTIO XII.

POLYBIUS.

Οἵτε χιλίαρχοι τοὺς σωθέντας, ἐὰν μὲν ἑκόντες ποιῶσιν· εἰ δὲ μὴ, κρίναντες συναναγκάζουσι τὸν σώσαντα στεφανοῦν. Σέβεται δὲ τοῦτον καὶ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον ὁ σωθεὶς, ὡς πατέρα, καὶ πάντα δεῖ τούτῳ ποιεῖν αὐτὸν, ὡς τῷ γονεῖ.

Et qui servati fuerunt, solent ultro; sin minus, Tribuno post causæ cognitionem cogente, servatorem suum coronare. Colit autem hunc qui servatus est per omnem vitam, ut parentem, omniaque ei tenetur præstare quæ filius patri.

Hujus rei nullum in historiis legitur exemplum: Unde vel fides Polybii in dubium hic vocari, vel diligentia historicorum desiderari posse videtur, qui nulla facti tam illustris exempla, quo- C rum multa tamen contigisse dubitari non debet, memoriæ prodiderint. Verba ipsa Polybii satis superque clara & perspicua sunt.

SECTIO XIII.

POLYBIUS.

Ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης παρορμήσεως, οὐ μόνον τοὺς ἀκούοντας καὶ παρόντας ἐκκαλοῦνται πρὸς τὴν ἐν τοῖς κινδύνοις ἅμιλλαν καὶ ζῆλον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν οἴκῳ μένοντας. Οἱ γὰρ τυχόντες τῶν δωρεῶν, χωρὶς τῆς ἐν τοῖς στρατοπέδοις εὐκλείας, καὶ τῆς ἐν οἴκῳ παραχρῆμα φήμης· καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τὴν εἰς τὴν πατρίδα, τάς τε πομπὰς ἐπισήμως πομπεύουσι, διὰ τὸ μόνοις ἐξεῖναι περιτίθεσθαι κόσμον τοῖς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐπ᾽ ἀνδραγαθίᾳ τετιμημένοις. Ἔν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς.

HOc autem incitamento, non eos tantum, qui præſentes audiunt, ad pericula certatim & cum æmulatione adeunda excitant: ſed eos etiam qui ſunt domi. Nam qui donis hoc genus ſunt donati, præter gloriam, qua fruuntur inter Legiones, & famam quam domi ſtatim conſequuntur, hoc amplius, reverſi in patriam feſtorum ludorumque ſolennia inſignes cultu agitant. Nam ejuſmodi ornamenta geſtare ſolis licet iis, qui virtutis cauſa ab Imperatore fuerint iis honeſtati. Iidem ſpolia ponunt in maxime conſpicuis ædium ſuarum locis, ut ſint monumenta ac teſtimonia ſuæ virtutis.

OMnia hæc ſunt clara; & quod de pompis hic dicitur, intelligendum eſt, eos, qui donis militaribus eſſent honeſtati, in Triumpho, vel Ovatione iis ornatos inceſſiſſe; idque iis ſolis, non vero etiam aliis facere licitum fuiſſe: quæ certe res uti ipſis magnæ gloriæ, ita dedecori erat aliis, qui ornamentis hujuſmodi carebant, & incitamento A etiam illis, qui prælio iſti non interfuerant. Atque hac gloria non tantum in tempus præſens fruebantur, ſed etiam in futurum, quia ſpolia & monumenta iſta honoris in maxime conſpicuis ædium ſuarum locis ſuſpendebant; unde fiebat, ut virtutis ſuæ memoriam valde diuturnam redderent.

SECTIO XIV.

POLYBIUS.

TΟιαύτης δ' ἐπιμελείας ὔσης ϗ σπυδῆς, περί τε τὰς τιμὰς ϗ τιμωρίας τὰς ἐν τοῖς ςρατπέδοις, εἰκότως ϗ τὰ τέλη τῶν πολεμικῶν πράξεων ἐπιτυχῆ ϗ λαμπρὰ γίνεται δι' αὐτῶν.

CUm igitur tanta cura & ſtudio pœnas & præmia militaria diſpenſet, merito etiam bella quæ ſuſcipiunt, læto atque illuſtri exitu terminant.

CUm Romani dicto modo milites ſuos, hinc metu pœnæ & ignominiæ ad officium cogerent, illinc ſpe præmii & honoris ad virtutem accenderent, mirum non eſt, eos beneficio diſciplinæ iſtius tantam ſibi in bellis gloriam & potentiam peperiſſe, quantum nulla totius Orbis natio. Et qui ea, quæ hactenus dicta ſunt, attentius conſiderabit, deprehendet ſane, ea unicum & ſolidum fuiſſe militiæ Romanæ fundamentum. His enim inſtitutis fiebat, ut milites obſequio, armaturæ, & ſuis quiſque ordinibus ſervandis aſſuefierent, animique illorum ad audaciam & patientiam erudirentur; quibus duabus virtutibus omnia, etiam difficillima quæque, & moleſtiæ laboriſque plenisſima feliciter tandem ſuperarunt Romani. Hinc mirum non eſt, multas gentes, licet numero, robore corporis, potentia, aſtutia, imo audacia quoque ſuperiores, ſed quarum diſciplina deſtituta eſ- B ſet duobus fundamentis dictis, metu nempe pœnæ & ſpe præmii, unde velut a fonte, reliqua inſtituta militaria inter Romanos promanabant, tot prœliis ab iis fuiſſe ſuperatas. Neque aliam ob cauſam tantopere celebratur militia Turcarum, quamvis ea longe a perfectione abſit, quam quia dictis fundamentis itidem innititur. Cum vero militia Chriſtianorum duobus hiſce fundamentis, omnibuſque iis, qui inde ſequuntur, effectibus careat, mirum non eſt, eos & in conſiliis capiendis, & exſequendis, eſſe infelices. Quod ſi tamen quædam adhuc umbra virtutis militaris inter eos ſupereſt, ea non eſt alia, quam ſtudium illud honoris & gloriæ, quod C in quorundam animis nondum penitus exſtinctum eſt. Verum, cum hoc de generoſioribus tantum dici poſſit, quorum ſunt pauciſſimi, militia Chriſtiana ſane maxima ſui parte eſt inutilis.

PARS DUODECIMA.

De Stipendio.

SECTIO I.

POLYBIUS.

ΟΨώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνυσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολὺς. Οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλῦν. Οἱ δ' ἱππεῖς δραχμήν. Σιτομετρῦνται δ' οἱ μὲν πεζοὶ, πυρῶν, Ἀττικῦ μεδίμνυ δύο μέρη, μάλιςά πως. Οἱ δ' ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνυς εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο. Τῶν δὲ συμμάχων οἱ μὲν πεζοὶ τὸ ἴσον, οἱ δ' ἱππεῖς πυρῶν μὲν μέδιμνον ἕνα ϗ τρίτον μέρος, κριθῶν δὲ πέντε.

STipendium pedites accipiunt, in diem duos obolos; Ordinum ductores duplum; equites drachmam. Frumenti modum accipiunt pedites Attici medimni duas partes admodum; equites hordei ſeptem medimnos in menſem, frumenti duos. Sociorum pedites, capiunt par Romanis; equites vero frumenti medimnum unum & trientem, hordei quinque.

NArrat Livius lib. 4. Dec. I. Senatum, ad deliniendam & conciliandam ſibi plebem, conſtituiſſe, ut militi ſtipendium de publico daretur. Id D quod contigit anno U. C. 348. cum ante id tempus quiſque privato ſumptu militiæ munere functus eſſet. Quantus vero ſtipendii hujus modus fuerit,

Livius nusquam memorat. Polybius vero hoc loco docet, peditem Romanum binos obolos in diem accepisse. Obolus erat moneta Græca, valebatque tertiam partem drachmæ, cui (drachmæ) hodie respondet Julius Romanus, vel Marcellus Venetianus. Quare obolus respondebit ei monetæ speciei, quam Veneti *gazetta* vocant; & duo oboli erunt duæ gazettæ, quæ conficiunt quatuor solidos Venetianos, & in singulos menses Ducatum. Centuriones capiebant duplum, idest, quaternas gazettas in diem, & binos Ducatos in mensem; equites vero drachmam, idest, Marcellum, & in singulos menses ternos Ducatos. Et hæc de pecunia numerata, militibus in stipendium data. Præterea frumenti modum pedites accipiebant duas circiter partes medimni Attici, qui, ut Suidas vult, fuit librarum 108. & continuit modios Romanos sex singulos librarum 18. Et cum Polybius dicit duas partes medimni, intelligendi sunt, ut ego quidem sentio, duo modii Romani, sive libræ 36. idque non in diem, sed in mensem, quem si dividas in 30. dies, singulis in diem data fuit libra una, & duæ unciæ cum dimidia; qui sane exiguus fuit frumenti modus. Sed ponamus, per duas partes medimni hic intelligi duos trientes, idest, quatuor modios, erunt in mensem libræ 72. & in diem duæ, cum quinque admodum unciis; qui quidem modus defatigato militi magis conveniebat. Quantum fuerit frumenti pretium ipse Polybius docet lib. 2. dicens, medimnum Siculum valuisse quatuor obolos, qui sunt octo solidi Venetiani. Medimnus vero Siculus Romano minor erat uno modio. Fuit ergo librarum 90. Hac ratione, si libræ 90. valuerunt solidos octo; libræ 72. valebunt solidos sex, & paulo plus quam quatrinum. Quæ cum ita se habeant, miror sane, qui Cavalcantius, homo acutissimus, in commentationibus suis in hunc ipsum Polybii locum, de stipendio Romanorum agens, omisso calculo duorum obolorum, quos pediti in diem datos esse Auctor hic tradit, sequatur auctoritatem Plinii lib. 33. cap. 3. ubi tamen non alia stipendii Romani occurrit mentio, quam hæc: *Quin si militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ, pensatores libripendes dicuntur*. Et post: *In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus.* Ex quibus sane verbis non colligitur id, quod Cavalcantius dicit: *Nam ex libro XXXIII. cap. 3. Plinii apparet, temporibus Polybii stipendium Romanorum diurnum fuisse decem asses.* Et quod ex Corn. Tacito allegat, non adtinet quicquam ad tempora Polybii, sed Augusti, qui plus centum & viginti annis posterior fuit. Fieri enim potuit, ut Cæsar pro sua liberalitate stipendium militare ad dictum modum primus augeret, idque Augustus postea imitaretur. Verba autem Polybii clara sunt, milites sua ætate habuisse duos obolos in diem; cui quidem auctoritati inhærere debuisset Cavalcantius. Obolus erat sexta pars drachmæ; drachma vero, octava pars unciæ argenti, cui Julius Romanus valore respondet. Hoc haud dubie verum cum sit, si ipse in calculo ineundo, obolos Polybii secutus esset, non dixisset, stipendium Romanorum menstruum paululum excessisse triginta Carolinos, neque affirmasset, ex Polybii sententia dici posse, Romanis militibus olim in diem datos fuisse 14. quatrinos, in pecunia numerata; sex vero circiter quatrinos, in frumento. Polybius enim non ad asses, sive denarios Romanos modum stipendii exigit, sed ad obolos Græcos; obolus vero, ut idem recte censet, erat sexta pars drachmæ; & drachma valet Julium Romanum. Quod si Carolinus valore Julium æquat, non acceperunt milites Romani quot mensibus triginta Carolinos, sed decem tantum. Tota enim summa obolorum in singulos menses ad 60. excrescit, qui per sex divisi, in qualibet parte decem, efficiunt. Quod ad frumentum adtinet, certum est Suidam dicere, medimnum habere libras 108. Sed quia non addit *Atticus*, largimur Cavalcantio, medimnum Atticum esse librarum 150. Harum partes duas in diem dum milites accepisse Polybius dicit, valde ambigue loquitur, utpote non exprimens, num duos trientes cum dimidio, an duos quadrantes cum dimidio, an vero duos sextantes acceperint singuli. Sed quoniam medimnus, sex modios Romanos continebat, probabile est, hic per duas partes intelligi duos modios, idest, duos sextantes librarum 150. qui forent libræ 50. in singulos menses. Et quoniam Polybius lib. 2. testatur, medimnum Siculum, qui erat librarum 90. sua ætate sæpe quatuor obolis venisse: libræ illæ 50. quæ in mensem dabantur militi, valuerunt obolos duos sive quatuor solidos & duos quatrinos; unde in mensem colliguntur 18. quatrini Lombardici, qui in triginta dies divisi, unum *bagattinum*, ut vocant, & dimidium, paululum excedunt, (novem enim restant) Adeo ut duo trientes quatrini, non vero sex quatrini in frumento militibus Romanis in diem olim dati fuerint. Vera ergo ratio stipendii singulis peditibus Romanorum in mensem olim dati hæc est, eos decem Julios in pecunia numerata; solidos vero sex, & unum quatrinum in frumento accepisse. Hæc summa si componatur cum nostrorum temporum stipendio, non est, quod hodierni milites conquerantur de avaritia Principum suorum, qui ipsis plerumque Scutatos tres, qui veterum stipendium triplo & amplius excedunt, dare solent. Quod si Principes hodie stipendii Romani modum in usum revocare vellent, nulli forent milites, qui vitam suam minoris quam Scutato vendituri essent. Turcarum Imperator erga Janizaros suos, quos tamen omnes mancipiorum loco habet, non parum munificus & liberalis est, quoniam junioribus illorum, binos Asperos; veteranis, ad octonos in diem dare solet. *Asperus* autem valet obolum, ejusque quadrantem; unde junior habebit in diem duos obolos & dimidium, qui mensis spatio conficiunt summam 75. obolorum, qui sunt Julii duodecim cum dimidio, sive Scutatus unus, & solidi decem. Veteranus autem in dies singulos accipit Asperos octo, quæ summa priorem triplo excedit; unde colliguntur quot mensibus Scutati quatuor, & solidi quadraginta. Ex quibus apparet, tam minima quam maxima Turcarum stipendia, Romanis esse majora. Ex stipendio vero Romanorum multum diminuebatur, deducto inde frumento (id enim, ut postea dicetur, militibus non dabatur gratis, sed in parte mercedis numerabatur,) nec non vestibus, armis & tentoriis: Quæ diminutio stipendium istud ad minimum sane redegit. Hodie quoque apud Venetos, tabernaculum, quod Duci classis maritimæ in triremibus instruitur, & penulæ & camisiæ sive indusia, quæ classiariis & remigibus de publico præbentur, de stipendio ipsorum detrahuntur: Quod ad stipendium equitum adtinet, pecuniæ numeratæ modus erant tres Ducati; frumenti vero, duo medimni, qui secundum rationem medimni Siculi supra dictam, efficiebant decem modios valebantque 40. obolos, qui sunt quatuor libræ ad monetam Venetorum. Porro, equitibus quatuor medimni hordei dabantur, qui pene sex medimnos Siculos æquabant, quorum singuli valebant duos obolos, teste Polybio lib. secundo. Colligitur ergo hinc summa duodecim obolorum, qui faciunt in mensem libram unam, & solidos quatuor, eaque summa de equitum, uti & peditum stipendio deducebatur. Et hæc de sti-

pendio Romanorum dicta sunto. Equites Sociorum, eundem frumenti modum, demptis duobus trientibus; hordei vero, dimidium capiebant; idque gratis. Quoniam vero Polybius nullam hic facit mentionem pecuniæ, Sociis in stipendium da- A tæ; superius vero memoravit, Quæstorem cum ipsis domo venire solitum, colligere facile licet, eos a civitatibus quidem suis pecuniam, a Romanis vero frumentum accepisse.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Δίδοται δὲ τοῖς μὲν συμμάχοις τοῦτ' ἐν δωρεᾷ, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις τοῦ τε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος, κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται.

Atque hoc Sociis quidem gratis donatur: Romanis vero sive frumentum, sive vestis tribuatur, aut etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium nomine Quæstor certum pretium de stipendio deducit.

Cornelius Tacitus lib. I. in historia seditionis Percennianæ inter alia hæc habet verba: *Enimvero militiam ipsam, gravem, infructuosam, denis in diem assibus animam & corpus æstimari; hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam Centurionum & vacationes munerum redimi*. Ex quibus verbis apparet, vestem quidem, arma & tentoria ipsis imputata fuisse, non vero frumentum, ut Polybius hoc loco tradit. Apud Livium tamen B aliquo loco frumentum quoque imputatum fuisse legitur. Possunt autem verba Polybii hunc sensum recipere; frumentum equitibus quidem, non vero peditibus, in stipendium imputatum fuisse. Verba enim hæc stipendii equestris descriptionem proxime sequuntur. Quod si quis ad pedites etiam verba illa Polybii extendere volet, tantum ex stipendio illorum diminuet, quantus frumenti modus ipsis datus fuit.

DECIMA TERTIA PARS
De Oedine Agminis.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Τὰς δ' ἐκ τῆς παρεμβολῆς ἀναστρατοπεδείας ποιοῦνται τὸν τρόπον τοῦτον. Ὅταν τὸ πρῶτον σημήνῃ, καταλύουσι τὰς σκηνὰς, καὶ συντιθέασι τὰ φορτία πάντες· οὔτε δὲ καθελεῖν ἔξεστιν, οὔτ' ἀναστῆσαι πρότερον οὐδένα τῆς τῶν χιλιάρχων καὶ τοῦ στρατηγοῦ σκηνῆς. Ὅταν δὲ τὸ δεύτερον, ἀνατιθέασι τὰ σκευοφόρα τοῖς ὑποζυγίοις. Ἐπὰν δὲ τὸ τρίτον σημήνῃ, προάγειν δεῖ τοὺς πρώτους, καὶ κινεῖν τὴν ὅλην παρεμβολήν.

Profectionem e castris hoc modo instituunt. Simul datum est primo signum, tentoria omnes detendunt & vasa colligunt. Cæterum neque auferre neque figere suum cuique tabernaculum prius fas est, quam Tribunorum & Imperatoris fuerint tensa aut detensa. Ubi autem datum iterum est signum, sarcinas jumentis imponunt. At tertio signo dato, primos oportet procedere, & tota castra movere.

Postquam in superioribus auctor de Castrametatione Romanorum egit, nunc verbis claris tradit modum, quo iidem e castris perfectionem instituerint: quo facto ipsum deinceps agminis ordinem describet. Romani autem, dicente Polybio cum e castris essent discessuri, buccina ter signum dabant. Cum primum sonuissent, detendebant omnes tentoria, sed non ante, quam viderent Imperatoris & Tribunorum esse detensa. Nulli enim ante licitum erat suum tentorium detendere; uti nec licitum erat ea erigere, antequam Imperatoris & Tribunorum tentoria erecta essent. Fiebat id autem, non solum ut sua Ducibus constaret auctoritas & veneratio, sed etiam, quia locatio Prætorii & tentoriorum Tribunitiorum erat velut basis & norma totius castrametationis, ad quam reliqua- C rum pedaturarum omnium situs & ordo exigebatur. Licet autem posterior ratio in detendendis tentoriis cessaret, manebat tamen prior illa, sive veneratio, ob quam Imperatoris & Tribunorum tentoria omnium prima deponi solebant. Cum signum secundo esset datum, instrumenta & publici apparatus belli, nec non sarcinæ privatorum, carris, mulis, equis, aliisque jumentis imponebantur. His vero sarcinis non annumeranda sunt arma militum, neque cibaria, nec frumentum, nec aliud quicquam, quoniam milites præter arma, etiam D cibaria sua quisque portabant. Cum tertium signum sonuisset, primi procedebant, quos alii deinceps ordine sequebantur. Quinam vero in primo, vel secundo, vel novissimo agmine locati fuerint, in sequentibus auctor exponit.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Εἰς μὲν οὖν τὴν πρωτοπορείαν, ὡς ἐπίπαν, τάττουσι τοὺς ἐπιλέκτους· τούτοις δὲ τὸ τῶν συμμάχων δεξιὸν ἐπιβάλλει κέρας· ἑξῆς δὲ τούτοις ἕπεται τὰ τῶν προειρημένων ὑποζύγια· τῇ δὲ τούτων πορείᾳ τὸ πρῶτον τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀκολουθεῖ στρατόπεδον, ἔχον ὄπισθεν τὴν ἰδίαν ἀποσκευήν. ἔπειτα κατακολουθεῖ τὸ δεύτερον στρατόπεδον, ἑπομένων αὐτῷ τῶν ἰδίων ὑποζυγίων, καὶ τῆς τῶν συμμάχων ἀποσκευῆς, τῶν ἀπὸ τῆς οὐραγίας τεταγμένων· τελευταῖον γὰρ ἐν τῇ πορείᾳ τάττεται τὸ τῶν συμμάχων εὐώνυμον κέρας.

ET in primo quidem agmine ut plurimum Extraordinarios locant. Succcdit his Sociorum ala dextra. Hos continuo sequuntur prædictorum jumenta. Horum agmen prima legio Romana excipit, suas a tergo sarcinas habens. Pone hos it secunda legio, sequentibus propriis jumentis, & eorum Sociorum impedimentis, qui universum agmen cogunt. Nam in novissimo agmine secunda Sociorum locatur ala.

LIcet verba Polybii, quibus ordo agminis describitur, satis clara sint, adjeci tamen figuram
A agminis, ex qua omnia melius intelligi poterunt, quam si verba Polybii hic repeterem.

Figura & ordo ogminis.

1. Pedit. Extraordinarii. 2. Equites dextri cornu Sociorum. 3. Pedites dextri cornu Socior. 4. Impedimenta eorum. 5. Velites legionis 1. 6. Hastati leg. 1. 7. Principes leg. 1. 8. Triarii leg. 1. 9. Impedimenta leg. 1. 10. Equites leg. 1. 11. Equites leg. 2. 12. Velites leg. 2. 13. Hastati leg. 2. 14. Principes leg. 2. 15. Triarii leg. 2. 16. Impedimenta leg. 2. 17. Impedimenta sinistri cornu Sociorum. 18. Pedites cornu sinistri. 19. Equites cornu sinistri. 20. Extraordinarii.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Οἱ δ' ἱππεῖς, ποτὲ μὲν ἀπουραγοῦσι τοῖς αὐτῶν ἕκαστος μέρεσι· ποτὲ δὲ παρὰ τὰ ὑποζύγια πλάγιοι παραπορεύονται, συνέχοντες ταῦτα, καὶ τὴν ἀσφάλειαν τούτοις παρασκευάζοντες.

EQuites modo suam quisque partem a tergo consequuntur, modo ad latera jumentis adequitant, continentes ea & securitatem præstantes.

UTerque hic situs equitum exhibetur in adjecta figura.
B

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Προσδοκίας δ' οὔσης κατὰ τὴν οὐραγίαν, τὰ μὲν ἄλλα παρ' αὐτοῖς τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον. αὐτοὶ δ' οἱ τῶν συμμάχων ἐπίλεκτοι τὴν οὐραγίαν ἀντὶ τῆς πρωτοπορείας μεταλαμβάνουσι.

QUoties autem a tergo hostis metuitur, de cætero ordine nihil mutantes, solos Extraordinarios Sociorum a primo agmine ad ultimum traducunt.

HIc tertius est ordinandi agminis modus, qui facillime quoque ex eadem figura intelligi poterit. Nihil enim ex primo ordine mutatur, ni-
C si quod illi, qui erant in primo agmine, in novissimo locentur.

SECTIO V.

POLYBIUS.

Παρὰ δὲ μίαν ἡμέραν τὰ μὲν ἡγεῖται τῶν στρατοπέδων καὶ τῶν κεράτων, τὰ δ' αὐτὰ πάλιν ἕπεται ταῦτα κατόπιν, ἵνα τῆς περὶ τὰς ὑδρείας καὶ σιτολογίας ἀκεραιότητος πάντες ἐπ' ἴσον κοινῶσι, μεταλαμβάνοντες ἀεὶ τὴν ἐπὶ τῆς πρωτοπορείας ἐναλλὰξ τάξιν.

ALternis autem diebus & legionum & alarum altera præcedit: eædemque rursus subsequuntur, ut ex æquo omnes aquatione ac pabulatione integra fruantur, primum in agmine locum suam quisque vicem perpetuo occupantes.

HÆc quoque figura inspecta manifesta fient. Per cornua, sive alas, intelliguntur hic Socii, quos Polybius supra in castrametatione in
D dextrum & sinistrum cornu divisit. Servabant autem illi idem nomen, ordinesque eosdem, tam in castris, quam in acie & agmine. Uno die

Pag. 635.



ala dextra, & altero sinistra in agmine præcedebat; eodemque modo legiones, ipsis proximæ, vices alternabant, ut æqualiter ad omnes pertineret commodum & incommodum aquationis & pabulationis, utpote quibus primi agminis milites in terris adhuc intactis plenius & citius frui poterant.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Χρῶνται δὲ καὶ ἑτέρῳ γένει πορείας ἐν τοῖς ἐπισφαλέσι τῶν καιρῶν, ἐὰν ἀναπεπταμένους ἔχωσι τόπους. Ἄγουσι γὰρ τριφαλαγγίαν παράλληλον τῶν ἁστάτων καὶ πριγκίπων καὶ τριαρίων, τάττοντες τὰ τῶν ἡγουμένων σημαιῶν ὑποζύγια πρὸ πάντων· ἐπὶ δὲ ταῖς πρώταις σημαίαις τὰ τῶν δευτέρων· ἐπὶ δὲ ταῖς δευτέραις τὰ τῶν τρίτων· καὶ κατὰ λόγον οὕτως ἐναλλὰξ ἀεὶ τιθέντες τὰ ὑποζύγια ταῖς σημαίαις.

Est & alius itineris faciendi modus, quo utuntur, quando periculum ab hoste imminet, ac patentia nacti sunt loca. Hastatos enim, Principes ac Triarios in triplicem aciem divisos ducunt paribus intervallis invicem distantes, jumentis manipulorum, qui cæteris præeunt, ante omnes locatis. At primis manipulis secundorum jumenta subjiciuntur: secundis tertiorum. Et sic impedimenta atque ordines alternatim locant.

ET hæc ita clara sunt, ut explicatione non egeant; loquiturque hic Polybius & de legionibus & alis Sociorum, dicens, tam has, quam illas divisas fuisse in tres ordines, quos similitudinis gratia *phalanges* vocat, eo quod cuncti Hastati locati essent in primo ordine, & pone eos Principes, & sic deinceps Triarii, æquali intervallo invicem distantes, jumentis suis & sarcinis unum quemque ordinem præcedentibus. Atque hæc tam de legionibus intelligenda sunt quam alis Sociorum, quoniam & hi suos Hastatos, Principes & Triarios habebant. In hoc autem agmine altera Sociorum ala præcedebat, legiones medium tenebant, & altera ala a tergo subsequebatur; ita ut mutato quotidie ordine, tam legiones quam alæ alternatim sese præcederent & sequerentur, prout ante dictum est. Cum igitur hæc ad eum, quem diximus, modum sese haberent; sarcinæ & jumenta Hastatorum Socialium totum agmen præcedebant, eaque ipsi Hastati pone insequebantur: His a tergo proxima erant jumenta Principum, & deinceps ipsi Principes; quos excipiebant impedimenta Triariorum, & pone ea Triarii ipsi: Hos sequebantur jumenta Hastatorum ex una legione, & deinceps Hastati ipsi: Hos excipiebant impedimenta Principum, & deinceps Principes ipsi; eodemque ordine reliqui omnes, donec tandem Triarii ultimæ Sociorum alæ, totum agmen clauderent. Cæterum in secundo hoc agminis genere non memorat Polybius, quem locum Extraordinarii & equites tenuerint. Verisimile vero est, eundem eos ordinem hic servasse, quem in primo agminis genere. Quare, cum nullus a tergo hostis metueretur, Extraordinarii in primo agmine locabantur; sin secus in novissimo: Equites vero modo suam quisque partem a tergo consequebantur, modo ad latera jumentis adequitabant. Dubium autem hic nascitur de equitibus, quorum quatuor tantum erant corpora, in quaque legione & ala Sociorum unum: Illa enim in primo quidem agminis genere suæ quodque legionis & alæ Triarios a tergo exceperunt; in secundo autem non videntur omnibus jumentis & impedimentis ad latera adequitare potuisse: quoniam ipsi in quatuor tantum, ut modo diximus, corpora divisi; impedimenta vero duodecim ordinum intervallis a se discreta erant. Ne dicam de impedimentis & apparatibus Quæstoris & Consulis, quibus auctor nec in priore nec posteriore agminis genere locum assignavit. Ratio autem suadet, ut statuamus, ea in locum maxime tutum, id est, totius agminis medium, collata fuisse, quoniam ea servari totius exercitus maxime intererat. Quare, si equites ad omnia latera impedimentorum, quæ suum quæque agmen præcedebant, locari debebant; oportebat unumquodque ex quatuor illis corporibus equitum, in tres partes dividi, ut in universum essent duodecim; vel potius in sex, ut essent viginti quatuor, quorum corporum pars dimidia lateribus impedimentorum utrinque adequitavit. Inspiciatur figura.

SECTIO VII.

POLYBIUS.

Οὕτω δὲ συντάξαντες τὴν πορείαν, ἐπειδὰν προσπίπτῃ τι τῶν δεινῶν, ποτὲ μὲν παρ' ἀσπίδα κλίναντες, ποτὲ δ' ἐπὶ δόρυ προάγουσι τὰς σημαίας ἐκ τῶν ὑποζυγίων πρὸς τὴν τῶν πολεμίων ἐπιφάνειαν.

HAc ratione autem composito agmine, si quid ingruat periculi, modo ad scutum inclinantes, modo ad hastam, producunt manipulos ex jumentis in eam partem, unde hostis apparuerit.

DIxit Polybius, Romanos posteriore modo agmen suum ordinare solitos fuisse, cum iter faciendum esset per loca, in quibus vis hostilis metueretur. Quare cum eveniret, ut hostis agmen subito adoriretur, omnes ordines sese convertentes, mox ad scutum deflectebant, id est, ad sinistram; (est enim hæc phrasis militaris, qua etiam Ælianus utitur) cum nimirum hostis sinistrum latus adoriretur: mox ad hastam, id est, ad dextram, cum inde vis hostilis ingrueret. Educti ergo hac

ratione manipuli extra impedimenta & jumenta, obviam hosti procedebant: idque absque ullo negotio. Cum enim singuli pedites, exempli gratia, frontem suam ad latus scuti obverterent, omnes simul hostem habebant adversum, cui ob- A viam illico procedebant, relictis a tergo impedimentis, & agmine non in frontem, uti antea, explicato, sed in profunditatem sive altitudinem instructo.

SECTIO VIII.

POLYBIUS.

Λοιπὸν, ἐν βραχεῖ χρόνῳ καὶ μιᾷ κινήσει τὸ μὲν τῶν ὁπλιτῶν σύστημα λαμβάνει παρατάξεως θέσιν.

Atque ita brevi tempore & motu unico armatorum manus in aciem instruitur.

Romani enim, cum hostem a latere imminentem cernerent, tantisper morati, dum motu unico pectus eo obverterent, quo antea latus spectabat, omnes graviter armati in aciem illico instruebantur, suis distincti intervallis, quæ impedimenta complebant. Cæterum non erant dispositi per manipulos; neque Hastati, Principes & B Triarii a tergo sese invicem excipiebant ad instar quincuncis; sed ordines erant recti, ut ex figura apparet, in quibus Hastati, Principes & Triarii alternatim locati erant per frontem, non vero a tergo. Porro Socii utrinque erant in cornibus, & legiones ipsæ in medio; Velites vero per intervalla dispositi fuisse videntur.

SECTIO IX.

POLYBIUS.

Ἂν μή ποτε προσελίξαι δέῃ τοὺς ἀστάτους. Τὸ δὲ τῶν ὑποζυγίων καὶ τῶν παρεπομένων τούτοις πλῆθος ὑπὸ τοὺς παρατεταγμένους ὑποσταλκὸς, ἔχει τὴν καθήκουσαν χώραν πρὸς τὸν κίνδυνον.

Nisi forte insuper oporteat Hastatos evolvi: Tunc enim jumenta & omnis multitudo, quæ castra sequitur, pone terga, stantium in acie, locata, commodum adversus periculum obtinet locum.

Locus hic Polybii perquam est difficilis: in quo (ut taceam, Strozzium, qui librum hunc vertit, non intellexisse, quid fuerit *evolutio*, & idcirco vocem hanc confudisse; Lascarem vero eam usurpasse) vox *evolutionis*, in significatione sua militari accepta, sive de Hastatis, sive aliis intelligatur, vix ullum admittit sensum. Et ut difficultas hujus loci eo melius perspiciatur, sciendum est, quid de *evolutione* scribat Ælianus cap. 27. & 28. Quamvis & is adeo obscure hanc rem tradat, ut Robertellus non ausus sit *evolutionem* ejus in figura adumbrare. Duos *evolutionis* modos ponit Ælianus, unum per versum, alterum per juga; sive, ut nos diceremus, per altitudinem & per frontem: additque, utriusque tres esse species. Exponit deinde evolutionis per altitudinem species tres, idque adeo obscure, ut ægre inde sensus aliquis exsculpi possit, verbisque ejus omnibus veritas vix constare queat, si res ad actum deducenda sit. Dicit autem evolutionem, quæ dicitur *Chorea* vel *Persica*, vel *Cretica*, fieri ad hunc modum, ut phalanx quidem eundem locum retineat, singuli vero armati pro locis, quæ prius tenebant, alia occupent, & Lochagus in locum Tergiductoris se transferat, eoque frons agminis convertatur, ubi antea tergum erat. Quomodo vero hoc fiat, capite sequenti tradit, dicens: Ὅταν ὁ λοχαγὸς μεταβαλλόμενος ἐκ δόρατος προάγῃ τοῦ λόχου, οἱ δὲ λοιποὶ ἐπακολουθῶσιν, ἕως ἂν ὁ λοχαγὸς σχῇ τὸν τοῦ οὐραγοῦ τόπον, ὁ δὲ οὐραγὸς τὸν τοῦ λοχαγοῦ. *Cum Lochagus ad hastam deflectens præcedit Lochum, eumque reliqui subsequuntur, donec ipse in locum Tergiductoris; Tergiductor vero in locum Lochagi perveniat*. Hac ratione ergo fiebat, ut, fronte in eum locum translata, ubi antea tergum erat, secundus occuparet locum penultimi, tertius ante- C penultimi, & hi vicissim loca priorum. Macedonica Evolutio erat, cum Lochagus se converteret, & reliqui ad scutum deflectentes ipsum præterirent & a tergo ejus consisterent, ita ut ipse quidem eodem remanens loco, frontem ad eam partem obverteret, a qua antea fuerat aversus. Hæc Evolutio hostibus pone imminentibus fugæ speciem præbebat. Huic contraria erat Evolutio Laconica, qua Tergiduce se convertente, reliqui etiam se convertebant, & succedentes cum Lochago tergum agminis fronte mutabant: Unde hæc persecutionis speciem hostibus pone imminentibus exhibebat. Atque hæc de Evolutionibus secundum latitudi- D nem sive per versum. De Evolutionibus per juga sive frontem, non aliud tradit, quam eas tum fieri, *cum ad intermedias Phalangum sectiones cornua quis velit statuere, & vice versa sectura proximos in locum cornuum, ut partes mediæ corroborentur; ac dextræ quidem similiter sinistræ, ac sinistræ dextris*. Hoc qua ratione fiat, capite sequenti exponit, dicens, si quis tagma aliquod (quod est justum quadratum, sedecim hominibus per singula late constans) evolvere velit, id fieri, vel ut agmen eodem loco maneat, vel transeat in locum agminis dextri, vel sinistri. Quomodo id autem fiat, deinde non do- E cet. Ut igitur ad Polybium nunc redeamus, non videtur *evolutio* Hastatorum, quam ipse factam aliquando esse tradit, ad ullum dictorum modorum referri posse, quoniam Hastati pone prima impedimenta incedentes, cum hostis a dextra subito appareret, omnes ad hastam inclinabant, relictisque a tergo impedimentis, hosti obviam procedebant; Idemque cum Principes & Triarii utriusque Legionis, nec non Socii in alis facerent, instruebatur acies quatuordecim manipulos in fronte habens. Nulla hic ergo Evolutio per versum sive secundum altitudinem

tudinem locum habebat, quoniam neque *Chorea* fiebat, in qua universum quidem agmen eodem maneret loco, Tergiductor vero in Lochagi, & hic vicissim in illius locum transiret: multo minus *Macedonica*, in qua Lochagus relicta fronte ad tergum agminis se conferret: Neque *Laconica*, quoniam hostes erant a fronte. Atque hæc non de solis Hastatis, sed etiam omnibus aliis Ordinibus intelligenda sunt. Quod si autem dicamus, Hastatis, qui tunc extremum in sinistro cornu locum obtinebant, evolutionem per jugum facientibus, secundum manipulum ad latus exterius magis deflexisse, factoque eo alios in eodem cornu magis se dilatasse; videtur evolutio hæc, de qua Polybius loquitur, aliquem locum habere posse: Non tamen referri potest ad ullam speciem earum trium, quæ ab Æliano describuntur. Porro in cornu dextro Hastati non erant primi, uti in sinistro, sed Triarii Sociorum; qui cum pariter sese dilatarent, non solos Hastatos, sed etiam Triarios ultimos evolutionem fecisse, Polybius dicere debuisset. Sic ut ultima triphalangia Sociorum contrario modo disposita esset, atque tres præcedentes, in quibus semper primi erant Hastati, secundi Principes, & tertii Triarii, prout Polybius ordine eorum mentionem fecit; in illa vero primi essent Triarii, secundi Principes, & ultimi Hastati. Quod si igitur hoc modo rem sese habuisse dicamus, sensum quidem aliquem locus hic Polybii habebit: cæterum testimonium non suppetit, quo ultimam triphalangiæ dispositionem usitatam unquam fuisse, probari possit. Quare si hoc non satisfaciat curioso indagatori Militiæ Romanæ, ingenue fateor, me nihil habere aliud quod de voce hac *evolutionis*, qua auctor noster hic utitur, dicere possim; si nempe eam sensu militari capere velimus, quod Polybius facere solet.

PARS DECIMA QUARTA.

De ratione castra metandi, ejusque comparatione cum more castrametationis Græcorum.

SECTIO I.

POLYBIUS.

Ὅταν δὲ κατὰ τὰς πορείας ἐγγίζωσι στρατοπεδεύειν, προπορεύονται χιλίαρχος καὶ τῶν ταξιαρχῶν οἱ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἀεὶ προχειριζόμενοι. Οἵτινες ἐπειδὰν συνθεάσωνται τὸν ὅλον τόπον, οὗ δεῖ στρατοπεδεύειν, ἐν αὐτῷ τούτῳ πρῶτον μὲν διέλαβον, τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴν οὗ δεήσει θεῖναι κατὰ τὸν ἄρτι λόγον· καὶ παρὰ ποίαν ἐπιφάνειαν καὶ πλευρὰν τῆς περὶ τὴν σκηνὴν περιστάσεως παρεμβαλεῖν τὰ στρατόπεδα. Τούτων δὲ προκειθέντων, διαμετροῦνται τὴν περίστασιν τῆς σκηνῆς· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν εὐθεῖαν, ἐφ' ἧς αἱ σκηναὶ τίθενται τῶν χιλιάρχων· ἑξῆς δὲ τὴν ταύτης παράλληλον, ἀφ' ἧς ἄρχεται τὰ στρατόπεδα παρεμβάλλειν. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐπὶ θάτερα μέρη ταῖς τῆς σκηνῆς καταμετρήσαντο γραμμαῖς, περὶ ὧν ὑπεδείξαμεν ἄρτι διὰ πλειόνων κατὰ μέρος.

Postquam prope illum locum agmen pervenit, ubi castra sunt facienda, præcedunt Tribunus & illi Centuriones, quos moris est in eam rem eligere. Hi locum universum ubi metari oportet, contemplati, ante omnia convenientem Prætorio sedem., prout ante diximus, capiunt: & ad quem aspectum, latusve spatii Prætorium ambientis Legiones sint locandæ, statuunt. Quæ ubi delecta sunt loca, Prætorii ambitum dimetiuntur: deinde rectam illam, ad quam Tribunorum tabernacula statuuntur. Mox aliam lineam rectam e regione prioris productam, unde incipit metatura Legionum. Similiter etiam spatium, quod ab altera parte est Prætorii, cujus particularem descriptionem pluribus ante sumus persecuti, lineis dimetiuntur.

Descripto agminis ordine, variisque ejus modis, Romanos, dicit auctor, cum jam prope instaret tempus castra metandi, præmisisse Tribunum & Centuriones, qui semper ad munus capiendi locum castris eligi solebant. Hi locum contemplati, quem castris faciendis commodum judicassent, spatium Prætorii ante omnia dimetiebantur, eaque faciebant, quæ deinceps in auctore sequuntur. Ostendit autem ista repetitione Polybius, hoc demum loco, secundum naturalem rerum ordinem, postquam nimirum iter fecisset exercitus, ipsam castrametationem describendam fuisse. Cæterum, dicit hic quidem Polybius, ad locum castris capiendum præmissos semper fuisse Tribunum & Centuriones quosdam; non autem numerum illorum addit. Probabile vero est, non fuisse pauciores quatuor; ex qualibet nimirum Legione & ala Sociorum, unum, eosque veteranos, & usu rerum præ aliis edoctos. Hi itaque secum habebant ministros, qui dimensores vocabantur; qui perticis totum locum dimetiebantur, eumque æquali partitione describebant, uti supra pluribus se tradidisse, auctor hic monet.

SECTIO II.

POLYBIUS.

Γενομένων δὲ τούτων ἐν βραχεῖ χρόνῳ, διὰ τὸ ῥᾳδίαν εἶναι τὴν καταμέτρησιν, ὡς ἁπάντων ὡρισμένων καὶ συνήθων ὄντων διαστημάτων· μετὰ δὲ ταῦτα σημαίαν ἔπηξαν μίαν μὲν καὶ πρώτην, ἐν ᾧ δεῖ τόπῳ τίθεσθαι τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνήν, δευτέραν δὲ τὴν ἐπὶ τῆς προκειθείσης πλευρᾶς,

τρίτην ἐπὶ μέσης τῆς γραμμῆς, ἐφ᾽ ἧς οἱ χιλίαρχοι σκηνοῦσι· τετάρτην, παρ᾽ ἣν τίθενται τὰ στρατόπεδα· καὶ ταύτας μὲν ποιοῦσι φοινικᾶς, τὴν δὲ τοῦ στρατηγοῦ λευκήν. Τὰ δ᾽ ἐπὶ θάτερα ποτὲ μὲν ψιλὰ δόρατα πηγνύουσι, ποτὲ δὲ σημαίας ἐκ τῶν ἄλλων χρωμάτων.

His brevi tempore expeditis, utpote facili dimensione, cum omnia intervalla sint definita, & ex familiari usu nota: mox vexillum defigere solent, unum quidem & primum eo loco, ubi Prætorium est ponendum: alterum in electo latere: tertium in medio ejus lineæ, ad quam Tribuni tendunt: quartum in ea, ad quam legiones metantur. Et cætera quidem punicea statuunt: at Imperatorium vexillum est album. In lateribus, modo nudas hastas defigunt, modo vexilla ex aliis coloribus.

Explicat hic auctor ordinem castrametationis, dicitque, loco castris capto, vexillum album defigi solitum fuisse eo loco, ubi Prætorium ponendum erat, quod quidem intelligendum est de ejus centro. Ab hoc vexillo deinde dimetiebantur quaquaversus centum pedes, ita ut impleretur mensura quatuor plethrorum, veluti supra dictum est. Secundum vexillum statuebatur in fine centum pedum illius lateris, quo frontem Prætorii, fronti castrorum sive valli obversam, spectare volebant. E regione hujus vexilli, loco eo, ubi locanda erant tentoria Tribunorum, erigebatur a- A liud vexillum, 50. pedes a priore remotum. Inde, relicto centum pedum intervallo, aliud statuebatur, ad lineam rectam prioribus respondens, in principio metaturæ Legionum, sive in medio istius spatii, a quo initium capiebat via, inter equites utriusque Legionis interjecta. Atque hæc vexilla, quorum tria erant punicea, unum vero album, ad lineam rectam fuisse posita dicendum est. Ad latera deinde vexilli hujus albi, & a tergo, ubi Legati, Quæstor, Ablecti, Evocati & Extraordinarii metaturi erant, defigebantur vel hastæ nudæ, vel vexilla aliorum colorum quam albi & rubri.

SECTIO III.

POLYBIUS.

Γενομένων δὲ τούτων, ἑξῆς τὰς ῥύμας διεμέτρησαν, καὶ δόρατα κατέπηξαν ἐφ᾽ ἑκάστης ῥύμης· ἐξ ὧν εἰκότως ὅταν ἐγγίσῃ τὰ στρατόπεδα κατὰ τὰς πορείας, καὶ γίνετ᾽ εὐσυνόπτος ὁ τόπος τῆς παρεμβολῆς, εὐθέως ἅπαντα γίνεται πᾶσι γνώριμα, τεκμαιρομένοις καὶ συλλογιζομένοις ἀπὸ τῆς τοῦ στρατηγοῦ σημαίας. Λοιπὸν, ἑκάστου σαφῶς γινώσκοντος ἐν ποίᾳ ῥύμῃ, καὶ ποίῳ τόπῳ τῆς ῥύμης σκηνοῖ, διὰ τὸ πάντας ἀεὶ τὸν αὐτὸν τόπον ἐπέχειν τῆς στρατοπεδείας, γίνεται τι παραπλήσιον οἷον ὅταν εἰς πόλιν εἰσίῃ στρατόπεδον ἐγχώριον. Καὶ γὰρ ἐκεῖ διακλίναντες ἀπὸ τῶν πυλῶν, εὐθέως ἕκαστοι προάγουσι, καὶ παραγίνονται πρὸς τὰς ἰδίας οἰκήσεις ἀδιαπτώτως, διὰ τὸ καθόλου καὶ κατὰ μέρος γινώσκειν, ποῦ τῆς πόλεώς ἐστιν αὐτοῖς ἡ κατάλυσις· Τὸ δὲ παραπλήσιον τούτοις καὶ περὶ τὰς Ῥωμαϊκὰς συμβαίνει στρατοπεδείας.

Secundum hæc strigas statim dimetiuntur, & in singulis earum hastas figunt: ut merito, simul ac appropinquarunt Legiones, & locus castrorum potest conspici, omnia confestim omnibus sint nota, vexillo Imperatoris pro indicio utentibus ad cætera conjicienda. Denique cum nemo sit, quin sciat, in qua striga, & qua strigæ parte tendat: quia semper eundem singuli locum in castris occupant: simile quid evenit, ut cum urbem suam aliquis exercitus indigena ingreditur. Tunc enim recta a portis divertentes alius alio progrediuntur, & ad suas ædes sine errore perveniunt: quia & in universum & per partes norunt, in qua regione proprium cujusque sit diversorium. Simile inquam his est, quod in Romanorum castrametatione usuvenit.

Verba hæc Polybii clara sunt, quibus dicitur, Romanos absque ullo negotio & difficultate castrametationem suam peregisse: & merito. Eandem enim castrametandi rationem, cui milites facile assuescebant, semper servabant, nec unquam ex ea quicquam mutabant, nisi quod interdum vicum aliquem utrique lateri adjicerent, ut B ante dictum est, quod tamen universum solitæ castrametationis ordinem non turbabat. Mirum ergo non est, loco castris capto, eos æque scivisse, in quo latere castrorum, in qua via, & qua parte viæ unusquisque tendere deberet; ac Romani reversi, portamque ingressi, singuli norant viam, quæ recta domum suam quemque duceret.

SECTIO IV.

POLYBIUS.

Ἧι καὶ δοκοῦσι Ῥωμαῖοι καταδιώκοντες τὴν ἐν τούτοις εὐχέρειαν, τὴν ἐναντίαν ὁδὸν πορεύεσθαι τοῖς Ἕλλησι κατὰ τοῦτο τὸ μέρος. Οἱ μὲν γὰρ Ἕλληνες ἐν τῷ στρατοπεδεύειν ἡγοῦνται κυριώτατον τὸ κατακολουθεῖν ταῖς ἐξ αὐτῶν τῶν τόπων ὀχυρότησιν· ἅμα μὲν ἐκκλίνοντες τὴν περὶ τὰς ταφρείας ταλαιπωρίαν· ἅμα δὲ νομίζοντες οὐχ ὁμοίας εἶναι τὰς χειροποιήτους ἀσφαλείας ταῖς ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως ἐπὶ τῶν τόπων ὑπαρχούσαις ὀχυρότησιν.

Ac mihi videntur Romani, eam potissimum ob causam, quia facilitati in hoc negotio studebant, contr-riam Græcis hac in parte viam instituisse. Græci enim quoties metantur castra, operæ pretium ducunt, ante omnia, loca a natura munita observare, & se illis accommodare: simul laborem ducendæ fossæ subterfugientes: simul quia non æqualiter fidunt arte factis munitionibus, & iis, quas ipsa locorum natura exhibet.

ROmanos, dicit Polybius, castra sua metari solitos fuisse contraria ratione atque Græci, quippe qui ante omnia id spectabant, ut locus, in quo castra ponerentur, a natura esset munitus, idque ob duas rationes: Tum, quoniam credebant, loca naturali situ munita, præferenda esse munitionibus manu factis: Tum, ut muniendi laborem, qui ipsis molestus nimium videbatur, evitarent. In ea autem re quantopere falsi fuerint Græci, satis ostendit castrametatio Philippi Regis Macedoniæ, & filii ejus, Persei: quo- A rum ille castra posuit in jugo montis cujusdam in faucibus Epiri; hic in angustiis Thermopylarum. Utraque tamen, licet naturali locorum situ munita, a Romanis facile expugnata fuerunt. Contra, Romanorum castra, quæ opere tantum muniri solebant, vix unquam vi expugnata esse leguntur; sed intra ea, etiam post cladem, tutus ipsis erat receptus, poterantque impetus ferocissimorum etiam & numerosorum exercituum intra vallum suum facile sustinere.

SECTIO V.

POLYBIUS.

Διὸ καὶ κατά τε τὴν τῆς ὅλης παρεμβολῆς θέσιν πᾶν ἀναγκάζονται σχῆμα μεταλαμβάνειν, ἑπόμενοι τοῖς τόποις, τότε μέρη μεταλλάττειν ἄλλοτε πρὸς ἀλλήλους καὶ καταλλήλους τόπους· ἐξ ὧν ἄστατον ὑπάρχειν συμβαίνει καὶ τὸν κατ' ἰδίαν καὶ τὸν κατὰ μέρος ἑκάστῳ τόπον τῆς στρατοπεδείας.

EA propter cum in universorum castrorum positione coguntur quamlibet figuram assumere, dum locis obsequuntur; tum partes quoque ipsas variare aliter atque aliter pro ingenio loci. Unde evenit, ut in metandis castris nemo certus sit de loco aut suo privatim, aut ordinis sui.

GRæci iis in locis castra metari solebant, quæ ingenio suo munita essent; illa autem cum non unam semper haberent formam, castra quoque ipsa quæ situi & formæ locorum accommodanda erant, variam subinde sortiebantur formam, nunc quadrilateram, nunc quadratam, mox triangularem, mox plurium laterum, mox rotundam, eo modo, quem Vegetius quoque attingit. Et cum universorum castrorum forma sæpe variaret, necessario quoque singulæ eorum partes & tentoria tam Consulis, quam aliorum Ducum & B militum varias assumebant formas. Unde non absque magno labore, nova ipsis semper ratio ineunda fuit dimetiendi & describendi pedaturas; eaque res non confusionem sæpe parere. Hæc ratio est, quare Philippus supra memoratus, cum castra Romanorum oculis subjecta cerneret, dixisse feratur, non posse ea Barbarorum (sic enim Græci Romanos vocabant) castra ulli videri: Quibus quidem verbis castrametationem Romanorum tacite prætulisse videtur castrametationi Græcorum.

SECTIO VI.

POLYBIUS.

Ῥωμαῖοι δὲ τὴν περὶ τὰς τάφρους ταλαιπωρίαν, καὶ τἆλλα τὰ παρεπόμενα τούτοις ὑπομένειν αἱροῦνται χάριν τῆς εὐχερείας καὶ τοῦ γνώριμον καὶ μίαν ἔχειν καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ παρεμβολήν.

ROmani vero & ducendæ fossæ laborem, & vexationes id genus alias eo consilio sustinent, ut facilius res confiat, utque nota & unica eademque semper castrametatione utantur.

ROmani ut in castris metandis scire possent, ubi singulis tendendum foret, & ut unam semper eandemque castrorum formam servarent, non detrectabant unquam laborem fossæ ducendæ, vallique struendi. Quamprimum enim labore isto defuncti erant, castra illorum in omne C tempus reliquum non minus ad ordinem apte erant descripta, quam ad usum tuta. Hoc spectantes Romani, non subterfugiebant unquam muniendi laborem; præsertim cum illi jam essent assueti, ejusque non nisi pars valde exigua, ut supra demonstratum est, ad singulos pertineret.

SECTIO VII.


POLYBIUS

Τὰ μὲν οὖν ὁλοσχερέστερα μέρη τῆς περὶ τὰ στρατόπεδα θεωρίας, καὶ μάλιστα περὶ τὰς παρεμβολάς, ταῦτ' ἔστιν.

QUod igitur ad tractationem de Legionibus Romanis attinet, maxime autem ad rationem ponendorum castrorum, summatim hæc dicta sunto.

HÆC est conclusio omnium eorum, quæ supra de castrametatione Romanorum, & præcipuis partibus Legionum dicta sunt: Quot nimirum fuerint; quommodo earum delectus habitus; quot pedites & equites in quaque illarum fuerint & in quot genera divisi; quinam fuerint eorum Duces & Præfecti; quot Socii; quis ordo agminis; & præcipue quæ ratio fuerit castra metandi, & dimetiendi pedaturas singulorum manipulorum; quæ disciplina castrensis; quomodo puniti nocentes; quæ ratio excubiarum tam diuturnarum quam nocturnarum fuerit. Et sic Polybius pertractavit duas partes ex tribus, quas D supra proposuit; ordinem nempe agminis, & modum castrametandi. Sequi jam debuisset pars tertia, ratio nimirum instruendæ aciei: sed quæ injuria temporum intercidisse videtur. Nos tamen eam summatim hic attingemus ex libro quinto Polybii nostri, ubi aciem Scipionis contra Annibalem his verbis describit: *Πλὴν ὁ μὲν Πόπλιος ἔθηκε τὰς τάξεις τῶν ἰδίων δυνάμεων τὸν τρόπον τοῦτον. Πρῶτον μὲν τοὺς ἀστάτους καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασιν. ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς πρίγκιπας, τιθεὶς τὰς σπείρας, οὐ κατὰ τὸ τῶν πρώτων σημαιῶν διάστημα, καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ κατ' ἀλλήλους ἐν ἀποστάσει διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρὰ τοῖς ἐναντίοις ἐλεφάντων· τελευ-*

ταίς δ' ἐπέστησε τοὺς τριαρίους. ἐπὶ δὲ τῶν κεράτων ἔταξε κατὰ μὲν τὸ λαιὸν, Γάϊον Λαίλιον, ἔχοντα τοὺς Ἰταλικοὺς ἱππέας. κατὰ δὲ τὸ δέξιον μέρος, Μασσανάσσην μετὰ πάντων τῶν ὑφ' ἑαυτὸν ταττομένων Νομάδων· τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε ταῖς τῶν γροσφομάχων σπείραις, παραγγείλας τούτοις προκινδυνεύειν· ἐὰν δὲ ἐκβιάζωνται, καὶ κατὰ τὴν τῶν θηρίων ἔφοδον, ἀποχωρεῖν· τοὺς μὲν καταταχοῦντας διὰ τῶν ἐκ εὐθείας διαστημάτων εἰς τοὐπίσω τῆς ὅλης δυνάμεως· τοὺς δὲ περικαταλαμβανομένους, εἰς τὰ πλάγια παρίστασθαι κατὰ τὰς σημαίας. Quæ ſic vertit Caſaubonus: *Cæterum copiarum ſuarum ordines, ita tum Scipio diſpoſuit. Primum Haſtatos, eorumque manipulos per intervalla: horum a tergo Principes* B *locavit: poſitis eorum manipulis non ex adverſo vacui ſpatii quo diſtabant invicem Haſtatorum mani-* A *puli, ſicut mos eſt Romanorum; ſed alios poſt alios in eadem ſerie, cum aliquo intervallo, propter multitudinem elephantorum quos Pœni habebant. Ultimos in extrema acie Triarios conſtituit. Ab lævo cornu C. Lælium cum Italico equitatu; ab dextro Maſſaniſſam, cum omnibus ſuis Numidis oppoſuit. Vias patentes inter manipulos Anteſignanorum Velitum manipulis complevit; dato præcepto, ut ante alios pugnam committerent. Sin autem hoſtium vim, aut elephantorum impetum ſuſtinere non poſſent, retro pedem ut referrent; partim qui celeritate poſſent alios prævertere, per vias rectas inter manipulos patentes, pone aciem univerſam; partim qui circumfuſo hoſte comprehendi metuerent, in dextram ſiniſtramve iis ſe applicarent intervallis, quæ eſſent inter ſigna.*



Ex his verbis clariſſime apparet, quis fuerit Romanorum modus ordinarius aciem inſtruendi; & modum, quo Scipio hic uſus eſt, fuiſſe Extraordinarium. Locantur enim hic a Scipione Principes recta ſerie a tergo Haſtatorum, cum ſecundum morem ordinarium, locandi fuiſſent ex adverſo vacui ſpatii, quo Haſtatorum manipuli invicem diſtabant. Romani enim recepto more in prima acie conſueverant locare manipulos Haſtatorum, intervallo quodam a ſe disjunctos, prout Polybius hic dicit: *Primum Haſtatos, eorumque manipulos per intervalla*: & Livius, loco ſupra a nobis expoſito: *Diſtantes inter ſe modicum ſpatium*. A tergo deinde Haſtatorum locabant Principes, id E eſt, manipulos illorum, oppoſitos intervallis Haſtatorum: eumque fuiſſe morem ordinarium, & Polybius hic affirmat, & nos ſupra in allegato loco Livii oſtendimus: uti etiam figura adjecta repræſentat. Locabant autem Romani ad dictum modum manipulos, ut Principes, pulſis Haſtatis, in primam aciem ſuccedere poſſent, nemine impediente & obſtante; hi vero ſeſe intra Principum intervalla reciperent, neque tamen illorum ordines receptu ſuo turbarent, uti ſupra expoſitum D eſt. Modus ergo ſtruendæ aciei, quo Scipio hic uſus eſt, fuit Extraordinarius; idque propter Elephantes hoſtium, quibus hac ratione vias omnes pandere & intervalla aperire volebat, ut nimirum recta ex acie exire poſſent, neque tamen incurrerent in Principes, qui ſecundum morem quidem ordinarium, ex adverſo intervallorum locandi fuiſſent; tunc vero Haſtatos recta ſerie a tergo excipiebant, uti Triarii Principes. Præcipiebat ergo Scipio, ut Velites, ne conculcarentur ab Elephantis, per intervalla illa patentia, pars pone Triarios, in extrema acie locatos, ſeſe reciperent; illi nimirum, qui eſſent ante primam frontem Haſtatorum: pars vero, qui eſſent ad latera frontis, & ab hoſte circundari timerent, intervalla lateralia peterent. Inter Haſtatos enim & Principes, a tergo priorum locatos, intercedebat intervallum, quod totam aciem tranſverſam ſecabat, & ſimile huic intervallum Principes & Triarios dirimebat. Hæc ergo duo intervalla intrare jubebantur Velites, qui erant ad latera aciei, ſeſeque recipere pars inter Haſtatos & Principes; pars inter hos & Triarios: Id quod non ſolum per ſe facile eſt intellectu, ſed etiam ex figura clariſſime patebit.

F I N I S.

HYGINI GROMATICI, ET POLYBII MEGALOPOLITANI, DE CASTRIS ROMANIS

Quæ exſtant.

Cum notis & animadverſionibus, quibus accedunt diſſertationes aliquot de re eadem militari populi Romani,

RATBODI HERMANNI SCHELII.

PROLEGOMENA DE CASTRIS HYGINI ET POLYBII.



Opulum Romanum illum veterem, liberum & gentium domitorem, armorum peritia multum populis præstitiſſe omnibus, & bellandi quadam arte, non tantum bello nationes viciſſe, neque dubium & apud omnes pridem in confeſſo eſt paulo modo humaniores : tot enim, tam egregia, tam præclara & pæne divina militiæ inſtituta utramque in hiſtoria Romana paginam faciunt, & a veteribus novisque celebrantur ingeniis, ut in omnium gentium Annalibus nihil inveniatur, quod cum his poſſit ulla parte componi: Sed cum tam multa paſſim occurrant omni laude digna, ac aliud alii ad cœlum tollant, qua parte maxime valuerit Romanus, quaque ſe ipſum vicerit ac ſupergreſſus ſit, difficile id quidem dictu eſt. Huic moroſus ille virorum delectus unicum libertatis publicæ & diſciplinæ militaris fundamentum videtur: ille legionem & ordinem ejus rationemque promotionis non humano, ſed divino conſilio inſtitutam exclamat : miratur alius aſſiduam & indefeſſam meditationem armorum & ludum militarem nihil a vero prælio diverſum, niſi quod incruentus : alius armorum genus in omnem belli uſum unice aptum & adeo habile, ut membrorum inſtar corpori putes innatum. Quid dicam modum agminis ducendi, aciei inſtruendæ, caſtra metandi, illa quæ & in toto genere tot habent laudabilia & in ſingulis partibus? quid præmia neque gravia reipublicæ & ad virtutem excitandam potentiſſima? quid pœnarum inexorabiles leges? Quæ omnia (longum enim ſit ſingula enumerare) quo minus abſunt a perfectione, eo magis dubium faciunt & incertum, quid maxime ſit perfectum, cui primas, cui ſecundas oporteat deferre. Sunt tamen ex veteribus illuſtres quidam viri ac magni nominis homines, qui præ cæteris Romanorum militaribus inſtitutis, caſtra eorumque rationem & diſciplinam ſummis ferant laudibus. Polybius ille tanti & tam prudentis ſcriptor judicii, ille & Græcæ militiæ intelligentiſſimus & Romanæ, artes omnes in contubernio Scipionis ſui edoctus, cum delectum, arma, præmia, pœnas, cæteraque populi Romani inſtituta militaria mandaverit literis : tamen caſtrorum deſcriptioni ſeſe accingens, rem pulchram, præclaram & omnium cognitione digniſſimam ſeſe tradìturum præfatur, ac hanc partem haud paulo diligentius pleniuſque quam reliquas exſequitur. Non aliud fuit acerrimorum hoſtium judicium. Philippus res Macedoniæ, is qui cum Romanis bellum geſſit, *ſubjecta cernens caſtra & univerſam ſpeciem & deſcripta ſuis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum intervallis*, adeo admiratus fertur, ut extorta ei vox ſit, qua ab homine Græco, id eſt, ſuperbo & omnium nationum mores legeſque præ ſuis contemnente nulla nec verior nec præclarior in laudem potuerit expectari : *Barbarorum illum ordinem minime barbarum eſſe*. Hoc enim eſt pulcherrimum, eſſe dignum Græcorum elegantia & pæne invidia. Idem dictum Pyrrho Epirotarum Regi adſcribit Plutarchus. Ille itaque (ſi huic fides) tantus Imperator, qui hac ipſa ſolertia caſtrorum ponendorum ſingularem commeritus eſt gloriam, qui ipſos Romanos exemplo ordinationis ſuæ inſtruxit, invenit tamen jam tum in caſtris eorum, quod ipſe quoque ſuſpiceret & admiraretur. Ac erant profecto cum in univerſa diſciplina, tum in compoſitione caſtrorum ſingularia non pauca, remota ab communi uſu & more nationum, & ut ita dixerim παράδοξα Romana, quæ etiam veteres bellandi & longo uſu callidos Duces in ſtuporem dabant. Nam inter populos bellica laude nobiles, quidam animorum ferocia quam arte bellari, aut ſi quid hic eſſet ſcientiæ a veris, non ab commentitiis periculis, e medio hoſte, non e ludo cenſebant peti debere. Alii arti pluſculum tribuentes, hanc tamen omnem ſola armorum meditatione & ludicra pugnæ quadam imagine finiebant : Laborem autem & opera illa gravia & aſpera, adeo in pace non præmeditabantur, ut eo iniqua bellorum conditio videretur, quod urgente neceſſitate & hoſte inſtante interdum ſubeunda eſſent & concoquenda : aliam rationem ſequebatur Romanus. Non ſolum aſſidua campi meditatione, ſed etiam operum munerumque labore in pace militiam docebat, diſcebatque : incedere compoſito agmine juxta ac ſi hoſtes adeſſent, militem ſuper arma ferramentis & copiis onerare, capere idoneum caſtris locum, eumque ſubinde mutare, deſcribere partes ſingulas & dimetiri, ſuum cuique locum adſignare, foſſam percutere, figere vallum, ſtationibus, vigiliis, omni militari

custodia firmare cæterisque muneribus, quæ in ipso rerum actu usui sunt, ut justis militaribus in castris militem erudire. In bello enim, ubi peccato locus non est, non bene in ipsis periculis tirocinium poni, & sicuti novus & intractatus equus insidenti inutilis sæpe & periculosus : ita & militem rudem & inexercitatum suis quam hostibus formidolosiorem. Nam sufficere belli laboribus, nisi qui quotidiana meditatione sibi eos emollivisset, non munera militaria nisi assiduo usu familiaria quenquam recte obire, cum accessisset ex hoste timor, qui etiam peritos sæpe turbat & exercitos. Ad hoc non tam metu hostili quam lege & disciplina dura illa & ardua volebant suscipi. Quid? quod ne arma quidem credebant manibus, nisi opere castrorum ad virtutem duratis? quod nihil in acie boni sperabant de milite, nisi quem invicta laboris tolerantia approbavisset? Erat enim hæc illorum sententia, cum ad disciplinam & universum bellum conficiendum multum, tum etiam ad virtutem non parum conferre laboris patientiam : imo hanc pæne pluris fecerunt, quam illam ipsam, qua sola alii bella geri credebant, ferociam : hac enim in omni actu belli usum esse, cum illa in solis prœliis valeat : ab hac facile ad contentionem periculorum milites traduci, at illos feroculos laborem sæpe parum fortiter sustinere. Hinc magni quidam Imperatores in delectu, non genus, non mores, non fortunam, argumenta magnitudinis animi spectasse leguntur, sed robur, vires, lacertos, ut operis instrumenta, quasi animos ipsi adjecturi. *Da mihi grandes, ego eos fortes reddam*, dixit delectori suo Rex ille, cujus paulo ante mentionem feci, Romanorum aliquando hostis, sed Romana indole animi & ingenii. Ex his alia & hæc quoque peculiaris laus Romanorum, divina in prœliis ineundis providentia. Quamvis enim hoc genere inprimis excellerent & ut Martii ingenii homines pugnandi fere arderent cupiditate : illam tamen cupiditatem, illum animorum armorumque ardorem suorum non minori prudentia temperaverunt, raro admodum nec nisi inviti in hostem ducentes, nisi castris communitis justoque præsidio firmatis. Possem memorare, ubi egregii Duces & celebres Imperatores deesse occasionibus suis & præbentem se fortunam ex manibus dimittere maluerunt, quam opere nondum perfecto suos & exercitus fortunas paululum in dubium devocare. Equidem, si superveniens necopinato hostis aut belli quædam necessitas protinus de via in pugnam traheret, non illi erant Romani qui campo turpiter cederent, aut fuga salutem quærerent : instruebant agmen, non detrectabant certamen, sed ne tum quidem castrorum immemores : prima, vel & prima & secunda acie contra hostem stante, tertiam opus facere jubebant : imo in ipso interdum pugnæ fervore manus aliquot subsidiis detractas applicabant munitioni : non enim virtuti quantumvis probatæ & exercitæ tantum arrogandum putabant, ut casuum humanorum obliviscerentur. Quicquid possint usus & experientia armorum, quicquid fama multis victoriis parta, quicquid providentia ducis & ars instruendi, (posse quidem haud dubie multum) fortunam tamen de acie, hoc est, de regno suo, nunquam totam dejici : in illa permixtione & rerum confusione suam semper partem sibi vindicare, sæpe & omnia quasi suo jure. Castra censebant esse, quæ in illo Martio campo, communi Marti intercederent; quæ circumscriberent, quantum humanitus liceret, hanc vim & potestatem, quæ nisi integram & solidam victoriam darent, hoc certe quod in bello proximum est, præstarent, ne vincerentur. Lubet de hac Romanorum prudentia audire Imperatorem Romanum ingentem virum & antiquæ disciplinæ unum servantissimum, Paulum Æmilium intelligo, qui cum bello Macedonico, oblata rei bene gerendæ, ut videbatur, opportunitate, cum Perseo manum inire distulisset, ea de causa præcipue, quod castra nondum essent posita, ac ideo apud plebem castrorum & ferocissimos primorum male audiret, prudentiæque quasi criminis istorum vocibus reus ageretur, sevocatos principes juventutis rationem consilii sui docuit, ac ibi inter cætera ita legitur locutus : *Majores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant, unde ad pugnam exirent, quo jacti tempestate pugnæ receptum haberent : ideo quum munimentis ea sepsissent, præsidio quoque valido firmabant, quod qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo habebatur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium : quam multi exercitus, quibus minus prospera fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post eruptione facta, victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallum pro mœnibus & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt.* Ergo nullo loco, nullo tempore, in nullum belli casum, castra exercitui deesse volebant. Erant hæc in pacato disciplinæ sedes & schola omnium rerum in usu militari positarum : in hostico salus & tutela, si rem ad manus deducere placeret: hinc tamen instare, urgere, capere tempora & loca idonea & bellum quodam genere ad pedem deducere. At si trahere ratio rerum postularet, tunc omnia in castris posita ducebant. Hic securi agitabant inter media pericula, hic omnes tumultus & insultus hostiles velut ex sanctiore arce despicabantur : cujus rei cum alii Imperatores populi Romani, tum ille imprimis & re & nomine maximus illustre dedit documentum, qui prolapsam ac pæne perditam Ducum temeritate rempublicam cunctando restituit, & illum omnium ad id locorum hostium suorum triumphatorem castris in ordinem cogendo, *fortunam bono Imperatori non tanti momenti esse, mentem rationemque ostendit dominari.* Cum enim unum ad victoriam iter per casus prœliorum incertos tritum esset, tutius certiusque munivit aliud, docuitque (quod deinde de Romanis proverbio increbuit : adeo eorum proprium habebatur) *sedendo vincere.* Jam hoc quoque peculiare Romanæ disciplinæ : eadem semper & ubique forma castrorum, eadem metatione utebantur : quippe Græci cæteræque nationes simul securitati consulentes & fugientes duritiam operum, sectabantur

tur loca munita. Horum ingenio castra accommodabant sua, non admodum de forma exteriori aut compositione interiori solliciti, dum in tuto metarentur: longa an lata, rotunda an semirotunda, rectis an obliquis angulis constituerentur: quo quisque loco, quibus ordinibus consideret; parum referre rati, dummodo omne ab hoste periculum loci natura averteret. At Romani quamvis in locis solerter capiendis nihil intermitterent, non tantum idonea, sed talia quibus alia non darentur meliora eligentes: attamen in situ inaccesso tantum non posuerunt, quantum in certa ratione & compositione castrorum. Quare si montium colliumque natura non esset accommoda, insolentia & iniqua loca devitare satis habentes castra in plano sola arte muniebant: idque non levibus de causis. Cum enim alius alibi terrarum situs, nec ubique locorum beneficium occurreret; victoriæ autem studenti, non juga montium, sed hostis esset sequendus, ita instituerunt militem, ut securitatem suam non tam in loci natura, quam in manibus & arte reponeret. Loca magis subjecerunt sibi, quam se locis. Dabat & hoc solemnis & perpetua hæc compositionis ratio, ut nullo negotio castra ponerent, ut facile posita tuerentur, ut semper apta, composita & ordinata essent. Ingressus enim in castra miles, non secus ac si patrias ad sedes, suamque in urbem pervenisset, omnia cognita habebat statim & perspecta. Non illum fugiebat, qua parte, qua striga, quo tabernaculo tenderet, non quem locum in tumultu tueretur, quo auxilio accurreret, quo in hostem educeretur: nullum erat periculum, ut in alium alius incurreret, aut ut aliarum partium propugnatione aliæ omitterentur, quod solet evenire in castris, quorum forma subinde mutatur, nullus turbæ locus, nullus confusioni: sed uti in cœlo sidera & ille exercitus, ut ita appellem, cœlestis, sic hic omnia certo ordinatoque cursu incidebant & movebantur, nihil turbata totorum castrorum ratione. Quamobrem hæc castrorum facies non tantum locorum naturæ non cessit, sed velut lex quædam perpetua & immutabilis per multa sæcula apud Romanos custodita fuit & sancte observata. Quamvis ut in cæteris artibus, sic in hac quoque haud dubie usus & meditatio prudentium quædam docuerit, quibus paulatim ad perfectionem est perventum: quamvis alius legionum numerus alia castra ex parte fecerit, & inprimis rei militaris mutatio aliquid quoque mutationis invexerit: ratio tamen & modus mansit idem, mansit voluntatis & generis quædam similitudo, & ita a more majorum recessum est, ut tamen in his novis castris illa prisca facile agnosceres. Eadem castrorum utrorumque forma, eadem viarum directio, idem locus Prætorii, Quæstorii, Tribunorum, Legatorum, cæterorumque principum, eædem portæ, eadem munitio, adeo ut hæc omnia prisca etiam tunc vocabula retinuerint, cum causæ vocabulorum jam pridem desiissent. Tanto in disciplina militiæ, quam domi conservanda constantiores fuerunt. Hac enim non semel transfigurata illa sui similis mansit. Ac sanctitas hæc & constantia eo laudabilior est in Romanis, quod qui aliarum gentium instituta promptissime adsumerent & avide persequerentur, iidem diversa virtute semel adsumta constantissime tuerentur & pæne consecrarent disciplinæ quadam perpetuitate & religione. Hoc autem isto consequebantur tenore, ut omnia militaria munera militibus nota essent, ut durissima quæque mitius acciperentur & tanquam non ab importuna ducum severitate, sed ab antiquæ disciplinæ rigore profecta, minus invidiæ, plus auctoritatis haberent. Imperabantur gravia militi & pæne injusta, sed minus gravia erant, quia consueta: hac lege scribebantur, hac in bella ibat miles, hæc animo jam ante omnia præceperat, priusquam subiret. Ita dum pulchra omnia & præclara, tanquam sua arripiunt, nec quicquam alienum putant quod usu salubre: dum non minorem in tuenda quam comparanda disciplina ponunt virtutem, militiam ad summum perduxerunt, eaque effecerunt rei militaris facinora, quæ omnes deinceps stupuerunt nationes, nullæ adsecutæ sunt. Putet fortassis aliquis, certam compositionem insidiis patere: & non immerito putet, siquidem parum ordinatæ vescæ aut temerariæ partes quædam fuissent; sed quum omnia munimentis, vigiliis, stationibus, præsidiis firmata, cum aptissimo ordine disposita, quid tandem habent quod insidias timeat? Quid quod non bene cognitum suum inferat terrorem aggressuris? quid enim pulchrius, quid perfectius, quid omnibus numeris absolutius? nimium dico: quid simile aut secundum ulla unquam in militia fuit? Si qua enim pars alia, hæc peculiaris certe & propria Romanorum est; non hic subtilitatis tamen aut reconditæ artis tantum, quantum prudentiæ militaris agrimensoriæ inest, quantum quotidianus & facilis usus recipit, pertica militari ita metationem dispensante, ut pateat area in usum describentis, ut nihil pereat loci, omnesque partes aptæ sint & ordinatæ. Aspice speciem castrorum universam, quadrata vel quadra oblonga est, simplici & haud longa munitione, quæ tot hominum distributa manibus haud adeo multum operis præbeat & opinione celerius perficiatur: nam sinus & circuitionis urbium munitarum firmamenta nec celeritas munitionis admittat, nec propter multitudinem copiæ militaris & propugnatorum admodum requiras. Portas & angulos tantum propugnaculis præmuniunt, turribusque & tormentis crebris instruunt vallum. Fossa & vallum, quæ neque incursu transiliri possint & impetum quemvis facile eludant, quotidianam metationem satis tutantur. Adsidet enim ab omni parte miles ad vallum spectans propugnandis, si qua vis ingruat, tuendisque munimentis: nec deest spacium, quo submitti subsidium ac instrui major copia possit. Jam quatuor portæ & ad eas ducentes grandiores viæ media secant castra, quo neque multitudine portarum infirmetur munitio, & ab omni parte educi & eruptione pugnare commode queant. Sedet inter has medias Imperator a nulla parte remotus & undique pro-

ſpiciens, tutiſſimo, aptiſſimo & quodammodo nato imperiis loco. Sedet inter aras, altaria, cultus & imagines divinas, velut in templo auguſtiſſimę religionis, ubi & ſanctitas loci & circumſtantia undique numina majeſtate cum & horrore circumdent ſuo, ſimul in omni cœpto aurem ei vellant & admoneant non prius hominum quam deorum meminiſſe. Proxime hęc habentur judicia caſtrenſia: hic dantur imperia, hic indicuntur munera, hic pleraque magni momenti gerunt in oculis & deorum & imperatoris. Hic principes caſtrorum, legati, tribuni, primorum ordinum centuriones, concilium ducis & auctoritas, & ad danda per exercitum imperia miniſterium: hic copiarum digniſſimæ & honeſtiſſimæ, primæ equitum turmæ, cohortes primæ legionum ſociorumque, & poſteriori ævo cohortes prętorianæ. Pręterea comites Imperatoris, primipilares evocati, velut altera quędam cohors prętoria ex centurionibus, veteranis & emeritis compoſita, ſelecta quędam manus duci, quæ niſi juſſa a latere ejus non abſcedat, in caſtris decus, in acie pręſidium. Eques tam nova quam veteri militia medium tenet locum, pedite utrimque latera tegente, contra quam in acie fit: nullus enim aut exiguus admodum in caſtris uſus ejus, non ad tuendam aptus munitionem, non ad propugnandum, non ad concurrendum, niſi e carcere illo in ſuum & liberiorem campum emittatur. Nolo te hic per longa exordia tenere, aut per ſingulas ducere partes. Intuere tantum univerſam metationis rationem, illum pulchrum compoſitionis modum, illum aptum ordinem, illa dimenſa itinerum intervalla, illam ſtrigarum compoſitam directionem, illam tot millium in tantulo pede laxam tenſionem, illam providam cautamque adverſus omnes belli caſus diſpoſitionem, nihil non præclarum, nihil non egregie admirabile invenies: quo enim oculos cunque convertes, ordo, ratio, diſciplina, ſanctitas, religio obverſabuntur, ut Romani caſtra toties ponentes moventeſque ſua, non alia, ſed eadem caſtra; imo non caſtra, ſed urbem bene moratam & compoſitam & munitam ſecum portaſſe, inque ea prudentiam & ſapientiam ſuam & invictæ & æternæ Urbis majeſtatem deſcriptam, viviſque depictam coloribus, omnibus populis & nationibus, cum quibus bella geſſerunt, oſtentaſſe videantur. Noli enim putare, ſolam hanc exteriorem formam & ordinationem mirabilem. Pulchra illa quidem & laudabilis, pulcherrima tamen ejus pars in tabula non depingitur, nec aliis quam oculis ſpectatur. Hęc in ſanctitate diſciplinæ, in ſeveritate inſtitutorum (Fabii verba ſunt) in amore quodam laboris & quotidiana exercitatione & aſſidua belli meditatione conſiſtit. Hæc principes terrarum fecit Romanos, & ſupra omnia mortalia evexit ad ſummum illud rerum culmen. Hęc vera caſtrorum forma, vera facies eſt, nam ſpeciem quidem externam monſtrata ſemel vera ratione fingere atque adeo inventis priorum de ſuo aliquid addere haud adeo magnum eſt. Illa interna & viva ſpecies velut anima huic corpori adjugata mirabilia demum effecit caſtra: hanc ea ſecuta eſt fortuna (ſi eſt ea fortuna) ut inter tot ſæcula, quæ continentibus bellis dicam, an uno contra omnes nationes bello contriverunt, ab tam variis hoſtium generibus, quorum hi miſſili telo pugnaces, illi manuario, alii equite pollebant, alii pedite, alii impetu, alii perſeverantia, illi propiori pugna, alii eminus metuendi, contra omnium gentium arma & virtutem caſtra Romana invicta ſteterint, & tanquam rupes adverſus fluctus maritimos inconcuſſa. Vix enim ac ne vix quidem legas Romanas legiones acie abſtinentes ſedibuſque ſe continentes munimentis per vim exutas fuiſſe: parvæ quinimo & disjectæ manus contra immanem vim hoſtium ſatis plerunque in iis habuerunt pręſidii, validiſſimos impetus refutaverunt, & dum non ſuperabantur, ſępius ſuperaverunt. Hęc eſt illa pars millitiæ Romanæ, quæ ſi qua alia (ſunt autem quam plurimæ) omnibus nationibus veluti perfectiſſimum exemplar, ab imitandum propoſita ac omnium confeſſione, qui aliquid hic intelligunt, his armis & hoc ævo etiam ſalutaris. Delectus ille acerbus, illa lex militandi inexorabilis paucarum gentium ſunt nec horum utique temporum. Machinas & tormenta Romanorum horrenda novi Martis fulmina difflaverunt pridem & disjecerunt. Ceſſerunt caſtris nec credere ſeſe audent, ubi tam male fuerunt accepta. Arma veterum an hodie ſint reſumenda, non abſque cauſa aut ſpecie addubitant multi, propter vim bombardarum & ignearum glandium vehementiam. At quotidianam munitionem illam, ordinatam compoſitionis rationem, & reliquam caſtrorum diſciplinam antiquorum, quid tandem eſt quod rejiciat pręter imperitiam, dicam, an communem omnium velut ex compoſito ignaviam? Etenim cum telis noſtris, non thorax ullus, ſcutum reſiſtat, cum & ligna & ferrum, quæ quidem tractari manibus & portari poſſunt, muſquettorum impetu tranſverberentur, quo recurrendum eſt, niſi ad dolabram & priſcum hoc militare ſepimentum, foſſam cum terreo aggere, quo etiam majora illa & quaſſatiora tormenta tam facile eluduntur? nemo hoc hodie ignorat: rejecta pridem ſunt lapidea pleraque & lignea munimenta & omne munitionis ingenium intra hos terræ aggeriſque faciendi velut cancellos coarctatum eſt & concluſum. Conſtat de utilitate & neceſſitate, & tamen (quid hoc dicam mali?) in quotidiano caſtrorum opere ceſſamus & omittimus laborem, quo uno poſſumus ſervari. Equidem negari nec debet nec poteſt, patrum noſtrorum memoria quibuſdam in locis, præſertim in Belgio egregios quoſdam viros & proximos antiquis longo quidem intervallo, ſed tamen proximos Duces extitiſſe, qui edocti priſca quędam inſtituta ex comparatione tam ordinatæ militiæ, quam multæ res ſibi deeſſent, animum advertentes, non pauca jam pridem deſita & inaudita revocarunt. Ac primum quidem, quod nunquam ſatis laudabitur, ſanctitatem aliquam caſtris reddiderunt: raptus, latrocinia, ſtupra, cęteramque infamiam demendo, quæ adeo invaluerant, ut pęne

inter militaria censerentur facinora, certe absque his non magis, quam absque armis & telis bella tractari posse crederentur. Jam labore, qui pridem servilis habebatur, reducto egregia & posteritati quoque stupenda perfecerunt opera : jam cunctando & sedendo, jam ratione & disciplina bellum gerere, nec ut antea solebat, casibus cæcis omnia permittere. Quam rem ea comitata est gloria, ut Belgium sedes disciplinæ & schola rei Militaris & quicquid illic in usu esset, norma & lex quædam militandi haberetur. In universum tamen æstimanti satis liquet, quantum decessores suos superaverint bellandi arte, tantum infra priscam Romanorum virtutem substitisse : sive enim genus belli, sive natura locorum hoc fecit, omnis hæc scientia in obsidiis & oppugnationibus oppidorum, tanquam in una Troja hæsit & consenuit. In cæteris nulla contentio est. Non illi conlatis cominus castris hostili vestigio consistebant, non premebant, non urgebant Romanum in morem, non tam facile, nec quotidie castra muniebant sua, nec adeo formam & rationem metationis ad hoc aptam habebant : quippe miles longe lateque per corpora cohortium collocabatur, eques vero extra castra, ut plurimum vicinis in pagis. Quid? quod illa ipsa quæ perfecerunt opera partim servilibus manibus, partim milite suo, sed voluntario & mercede ad id conducto perfecerunt, & fere felicius, quam si juberent, argumentum avaritiæ potentioris quam disciplinæ : nolo cætera persequi, quia de opere castrorum præcipue agimus. Et viri magni fuerunt & qualicunque hac ratione pulchra & celebria opera effecerunt, expugnaruntque oppida, quæ ad eam diem invicta habebantur, digni sunt vel ipso proposito, ut credamus eos, quæ voluerunt, perfecisse atque adeo Romanos æquasse : quorum si disciplinam non per omnia reduxerunt, at multum tamen præstiterunt, manifestis probarunt documentis posse. Quo magis miror esse hodieque homines in his rebus exercitatos, qui quamvis salubrem utilemque fateantur, negent tamen posse antiquam disciplinam restitui. Romanos illos priscos *durum a stirpe genus*, invictis ab labore corporibus, mirari magis homines nostros, quam imitari posse: nam ne cæteras quidem nationes, quibus olim cum Romano hoste res fuit, operum labore pares fuisse: quasdam etiam munitione tentata succubuisse, statim adeo animo consternatos (quod de Gallis tradit Cæsar) ut omnia, quæ imperarentur, sibi perferenda & patienda existimarint. Quin ipsos Romanos illam traditam per manus & usu tot sæculorum firmatam disciplinam vitiorum illecebris & dulcedine captos tandem excussisse, ne nunc ignotam recipiant homines in otio nati, tot sæculorum socordia & educatione prava in aliam quasi naturam transformati, præsertim, cum ductores ordinum nostrorum plerique laboris insueti, vulgus militum vaga fortuito ac temere conglobata turba tædio operis & laborum odio ad militiam plerumque tanquam diverticulum desidiæ confugiant. Qua in disputatione sicut nonnihil est veri, cum omnino statuendum sit priscam disciplinam reducere conanti, non pauca ad priscum morem recidenda, ita non video, cur ideo pondus rei tantopere perhorrescere & ante experimentum desperare debeamus. Militiæ nostræ vitium esse desidiam & laboris intolerantiam, nemo negat. Omne genus hominum atque adeo sæculum inertiæ condemnare iniquum putamus: Vide juventutem rusticanam, fossores, agricolas, fabros, aurigas, venatores, cæteros virilibus ministeriis vitam sustentantes : assiduo illi labore & vitæ duritia nihilo priscis inferiores sunt : non gravem illis, non laboriosum, sed suavem & jucundum putes laborem, cum festis diebus, quibus opus vetitum, nec cessare soleant: comminisci in fraudem legum aliquid, iter facere, venari, jaculari, in conviviis etiam & commessationibus tripudiare, per lusum & lasciviam sese cum paribus exercere, & ne animum quidem suum laxare posse, nisi quodam corporis labore. Ac ita profecto est : nihil citius, si adsueveris, in naturam vertit; nihil usu levius fit : desidentibus sæpe inertia sua gravior est, quam exercitatis opus. Ac ne ab alio genere ad aliud argumentari necesse habeamus, viderunt hæc sæcula, videntque etiam nunc multis in locis magna belli pacisque opera a mercenariis hominibus redemta brevissimo tempore perfici & absolvi, ut plane iniqui sint, qui laboris studium ævo nostro abjudicando militari ignaviæ patrocinantur. Nam cum isti parando victui aut parva spe lucri objecta, impigre paratisque ac lubentibus animis operentur, an arduum sit in Republica bene constituta eosdem impellere ad munera militaria, nihilo, si res ex vero æstimetur, graviora, tanto vero honestiora & digniora? An cæteris rebus valemus, hic solum torpent artus? hic hebent dolabræ? hic effæta est virorum natura? Aut quid tam demisse sentimus, ut fieri posse desperemus, quæ & olim facta sunt & fieri posse quotidie videmus. Proponantur modo labori justa ad vitam sustentandam stipendia, proponantur more antiquo honos, laus, decus, eaque præmia, quibus omnes ducuntur, qui ingenui sanguinis aliquid habent. Quid? quod ne nunc quidem minus dura miles sustinet. Minus ne tu operis putas, quod in hostico sine munitione confidentibus necesse est, totas noctes sub armis morari? minus ne solicitum & exercitum toties ad arma conclamare? omnibus pæne auris, omni sono terreri? semper in statione esse, quam brevi opere defungi? Non tantum magis operosum, sed etiam summæ stultitiæ est, cum causa desidiæ laborem fugias, desidia plus quam labore fatigari, & fatigari non quo securior tutiorque sis, sed quo lassatus confectusque hosti fias opportunus. Duri, fateor, Romani : parce tamen credere aliusmodi atque cæteros homines eos naturam finxisse: sunt & nobis lacerti & in illis ignaviæ fuit materia. Duri, sed olim. Posterioribus sæculis per bella præsertim civilia & sub Cæsaribus in tantam sæpe socordiam licentiamque effusi fuerunt, ut Romanæ disciplinæ Romano in exercitu nullum vestigium apparuerit. Non hic

liberæ reipublicæ tibi ostendam corruptum militem, qualem Scipio ad Numantiam aut Metellus in Numidia invenit, quando quidam illos nostro militi etiam male præferunt: sed sub Nerone aliquo omnium justorum militarium ignaros veteranos, *qui non stationem, non vigilias iniissent, vallum fossamque quasi nova & mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi & quæstuosi, militia per oppida expleta;* hos tamen Corbulo Dux ad durissima vocare & ad cunctam veterum disciplinam a tanta imperitia licentiaque formare potuit. Quid igitur nova jam hæc & invisitata objiciunt? Tanquam non & res novæ habeant gratiam suam & invisitata miraculo quodam homines rapere soleant: etiam perniciosæ & in publicum exitiosæ novitates inveniunt plerunque populum suum aut nullis aut incertis præmiis adductum, nedum hæc tam salubris usu & experimentis, constituta mercede. Rempublicam ad novas leges traducere periculo sæpe haud vacat. Rem & disciplinam militarem de integro coudere, milites quos mercede conducas (non enim aliis hodie utimur) melioribus legibus alligare, quod est periculum? Adde quod non omnia nostris moribus nova sunt, & inter ea quæ nova sunt, quædam quæ secundo milite possint institui, armorum exercitia & assidua campi meditatio habent, quo capiant erectioris indolis juventutem: lusu & æmulatione honesta, si quid in eo grave est, facile levatur: castrorum in hostico munitione tot incommoda redimuntur, ut ne militem quidem ejus pœnitere possit: Paucitas stationum, quibus castra munimentis septa tuta præstantur cætero milite quiete & in utramque, quod ajunt, aurem dormiente: Tabernacula, æstus frigusque & omnem aeris inclementiam defendentia & similia priscorum castrorum talia sunt, ut semel recepta resides quoque animos excitatura & nostris hominibus arbitrer lenocinatura, ut ne adeo ad mores suos & inertem hanc, duram interim & laboriosam socordiam relabantur. Ac ipsum quidem opus castrorum, ad cujus nomen maxime contremiscunt, modo & disciplina levius evadit: ratione & arte describentis parva area in usum totius exercitus patet, angustiorem pedem dispositio facit capacem multitudinis. Continuantur ordines tentoriis, plures unum tabernaculum tegit, interjiciuntur dimensa itinerum intervalla, suus cuique locus adsignatur, ut densis castris omnia compleantur, intraque parvum spacium conclusus exercitus non constipetur & ad concurrendum inutilis evadat; contrahuntur autem castra, quo munitio celeriter & parvo negotio absolvi & absoluta non multo magnoque præsidio defendi queat. Quid ergo est? non deest nobis hodie laboris tolerantia. desunt ratio & disciplina: non desunt milites, desunt Duces antiquis pares, aut certe ideo desunt milites, quia Duces: occulta enim lege & fatali quadam socordia si qua interdum priscæ virtutis aura afflat, non illa est diuturna: redit cito ad ingenium suum sæculum & pleraque in libris tantum renascuntur, quasi in opprobrium nostrum, ut sciamus quondam viros fuisse. Hos animus, illos scientia, alios auctoritas deficit & in tanta bellandi libidine nemo a socordia sua impetrare potest, ut huc omnes nervos afferat, ut discat bellare. Da mihi aliquem illis priscis Imperatoribus parem, hoc ex professo agentem, ut lapsam castrorum disciplinam refoveat, qui militari ludo quotidie præsit & intersit, qui in agmine, in opere, in se ipsum exerceat imperium, nec plus militi quam sibi imponat oneris, qui studium militum tanquam exactor intendat & tanquam particeps sociusque relevet, qui labore & virtute omnia vendat, næ ego tibi brevi exercitum laboris studio & tolerantia aut parem aut proximum illis antiquis præstabo: non tantum quotidiana illa priscorum opera, sed novas urbes, nova mœnia inter militares, si necesse sit, manus, derepente surgentia, circummunitas hostiles munitiones, obsessos obsidentes, quæque alia in veterum monumentis resides & segnes stupemus. Sed hæc cum satis visum fuerit dare reges principesque antiquos, nunc cum res proxime latrocinium multis in partibus venit, eoque quorumdam processit furor, ut nec causam in suscipiendo, nec disciplinam in gerendo bello ad rem putent pertinere, amentis sit sperare. Ne ab his quidem expectaveris boni quicquam, qui quamvis sine raptu & injuriis contineant militem; nihil tamen aliud nec docent nec discunt, quam militiam quæstui habere & quasi pacti ordinum ductores, stipendiorum fraudationem, milites desidiam & vacationem munerum, disciplinam resolvunt omnem: postquam enim deest hostis, abiit si quid fuit prisci moris, torpent otio & segnitie, nisi cum sua eos vitia habent exercitos. Nos tamen adeo non pœnitet versatos paulisper esse in illis olim invictis, nunc etiam doctis castris, quorum disciplinæ fere omne debetur, quicquid in re militari magnificum est, ut etiam quæ ibi observaverimus publici juris facere non simus veriti, si quid forte interea illorum studio prodesse possemus, qui cognitione antiquitatis delectantur & eorum exemplis ad præclara facinora incitantur, qui fama nominis sui orbem terrarum impleverunt. Aliam autem in hac parte atque in cæteris viam & rationem amplexi sumus. Cum enim duo veterum fragmenta de re castrensi ex professo agentia ad nos pervenerint, illa hic ipsa dare consilium fuit, quo harum rerum studiosi ex fontibus haurire possent, rivulos necesse ne haberent consectari. Accessit quod bene ab aliis hac in re dicta & eruta describere aut aliis verbis repetita obtrudere non placuit. Nam Polybii castra viri in republica aut literis insignes meditationibus curisque suis jam pridem revocarunt in lucem. Ex professo quidem Franciscus Patritius & Justus Lipsius inter cætera militiæ Polybianæ hanc partem etiam libris commentariis illustraverunt: sed formam castrorum descripserant jam ante eos non multo diversam Franciscus Maria Dux Urbini, Franciscus Robortellus & Conlius, uti opinor. Hi prima illa senticeta amovere, primi hanc partem antiquitatis explicuerunt, postea concursus ad

hanc palmam factus est. Quis enim de re militari, de munitionibus oppidorum aut aliqua parte belli meditatus aliquid est (prodiit autem turba voluminum aliorum super alia) qui non intelligens disciplinæ veteris haberi vellet? qui non sibi videretur? qui non a nomine Romano bellis nobili scriptis suis famam & auctoritatem mutuaretur. Quamvis enim nihil a prioribus fere dissentirent, nihil adferrent novi, peritia vero rerum Romanarum & dicendi arte ab illis multis partibus vincerentur; placuit tamen eadem usquequaque cantilena. Nobis quum summopere displiceat istorum arrogantia, qui sine gravi causa magnis nominibus quorum meritis boni omnes adsurgunt, caput suum inserunt, atque adeo bene ab illis & sapienter scripta, corrupta paululum aut male intellecta pro suis venditant; ne eorum similes videremur, Polybianam quidem metationem auctoribus totam relinquere constitutum erat, nisi in quibusdam rebus nequaquam omittendis sententiam Polybii parum adsecutos esse vidissemus. Est autem inter ista insigne, quod illam formam & dispositionem, quam Polybius duarum & quatuor legionum metationi aptam proposuit, de sola duarum compositione intellexerint, eoque errore ablati Prætorium, Forum & Quæstorium in exercitu consulari collocarint, eo in loco, quo in conjunctis quatuor legionum castris collocantur. Ac ut Polybii verba, quibus docet quomodo hac in compositione simplicium castrorum ponantur, aliorsum traherent, formam nescio quam nobis procuderunt, qua Prætorium, Quæstorium, Forum, ut in medio utriusque exercitus constituerent, pæne extra utraque castra ejecerunt. Sunt & alia quædam observatu non indigna, quæ hanc materiam tractantibus silentio præterire non licuit, hic autem præfari non est necesse. Dedimus tamen hoc tantorum virorum reverentiæ, ut hæc omnia paucis tantum transiremus: illa autem quæ isti recte & ex sententia veterum dixerunt, ne attingeremus quidem. Quemadmodum enim nullius gloriæ tantum studendum esse arbitramur, ut studio veritatis ac solidæ rerum cognitioni derogetur, ita parum ingenui parumque grati animi esse arbitramur per causam paucorum erratorum, quod hodie in morem vertit, viris de Republica literaria benemeritis insultare, derivare omnem in se laudem & scripta eorum manibus legentium excutere. Utinam hic ejusdem ætatis Latinum scriptorem Polybio dare possemus comitem, neque in tanto literarum naufragio eo deventum esset, ut omnis illa vetus populi Romani militia uni hoc scripto veluti divulsæ discerptæque a laecero navigii corpore tabulæ innataret. Est quidem hoc quantivis pretii, pretiosius tamen quod unum superest: quantivis pretii, sed tamen fragmentum vel digressio ex historia, in qua multa (ut semper in ejusmodi diverticulis) omittuntur, multa obscure, multa perfunctorie admodum docentur & neglegenter: Scriptum ab viro absque controversia magno & omnium rerum bellicarum & civilium sane quam prudentissimo, sed scriptum Græce, quod ut in aliis rebus optandum esset propter prærogativam elegantiæ & singularem ejus linguæ felicitatem: ita hic tamen hoc mali habet, ut castra Romana non in nativa & domestica illa compositione, in qua plerǫque res habent Venerem nescio quam, & perfectius intelliguntur, sed externo cultu habituque deformata conspiciamus: vocabula certe militaria & illum castrensem sermonem non audientes; illa nomina portarum, viarum, cęterarum partium propria desiderantes, non tanquam Romani in nostra, sed tanquam hospites & externi in aliena castra ducamur. Non hoc nobis accideret, si Cincius Alimentus, si Cato imprimis ille priscus hodie superesset: haberemus haud dubie castra illa vetera Latino stilo ad vivum expressa, & quod non minus optabile esset, illum genium tanti viri vere Romanum & in magno scriptore magnum Imperatorem agnosceremus. Sed quum nullus hic votis locus sit, nec quicquam querelis proficiatur; arripiamus potius utraque manu, quicquid in hoc naufragio fluctuum decumanorum lęvitiæ ereptum sua quędam fortuna servavit aut provida majorum cura ad nos transmisit. Hygino itaque tantorum virorum vicario inter Latinos utamur, qui non optima quidem ætate, nec eandem per omnia quam Polybius & Cato, sed suæ ætatis metationem literis consignatam reliquit. Vixit autem circa imperium Trajani & Hadriani, is quidem certe qui librum de limitibus constituendis scripsit & in quibusdam libris dicitur *Hyginus Augusti libertus*, ut ex eo libro constat, in quo ita scribit: *Nuper ecce quidam Evocatus Augusti, vir militaris disciplinæ, professionis quoque nostræ capacissimus, cum in Pannonia agnos veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Trajani adsignaret in ære, id est, in formis non tantum modum quem adsignabat adscripsit aut notavit, sed extremam lineam uniuscujusque modi comprehendit, uti acta est mensura adsignationis, ita scripsit longitudinis.* Vivo Trajano nec ita diu post adsignationem agrorum hæc scripta apparet. Adscribitur autem & uterque liber in membranis his eidem Hygino & argumentum utriusque eidem professioni conveniens est. Agrimensores enim illa ætate castra metabantur, iidem in coloniis limites constituebant, & in utraque re non pauca similia sunt: nec mirum, militarium virorum utraque sedes. Coloniæ quasi emeritorum castra: castra quasi militantium quædam coloniæ. Ac illum de militibus librum auctorem castrorum metationis non rudem habuisse, loca aliquot testantur, & hic plenus est vocabulis mensorum, qualia sunt, *groma*, *striga*, *scamnum*, *stella*, *novercæ*, *coxæ*, *&c.* Adhoc in castris non pauca exigit ad mensuram communem agrimensorum, ut pedaturam papilionis, latitudines viarum & similia. In eo quoque gemini, quod subjectis formis omnia explanant. Nec genus militum, quibus in hisce castris pedatura adsignatur, aliud ævum sapit: Alas milliarias & quingenarias, cohortes item milliarias & quingenarias, pedi-

tatas & equitatas, vexillarios, classicos Misenenses & Ravennates, auxilia nationum, quorum hic meminit, cæteramque copiam jam in gentis Flaviæ imperio militia Romana habet, ut ex Tacito, Suetonio, Plinio, Josepho, reliquis ejus ætatis scriptoribus satis constat & nos in notis breviter ostendimus. Si qua interim in hoc libello occurrunt vocabula, quæ apud istos aut non inveniuntur aut in alia significatione inveniuntur, ut *papilio*, *prætentura*, *retentura*, *striga*, *hemistrigium*, *supplementum*, *principales*, *officiales*, *schola cohortium*, *cohortes equitatæ & peditatæ*, *&c.* non est quod statim abjiciamus & ad inferiora sæcula cum auctore suo relegemus: partim τεχνολόγικα sunt, partim plebeja, quæ apud bonos scriptores aut frustra quæras aut non sine culpa invenias. Nam postquam terrarum orbis Romam confluxit, & tot exteri in civitatem recepti, corruptus est paulatim nativus ille sermonis color, & quam plurima exotica & semibarbara in vulgari usu esse cœperunt, quæ politiores aures respuerunt. Scriptorum quidem præstantissimi non ad suum se sæculum ea tempestate componentes, timebant Latio & civitate donare, quæ a probatis auctoribus recepta non essent; nedum ut castrensibus vocibus, rudi caligatæ turbæ & incondito sono aut fictis in usum mensorum vocibus locum darent in monumentis historiarum, quæ quamvis ad rerum imprimis veritatem, tamen non minus ad memoriam posteritatis & famam ingenii composita, tanquam solutæ quoddam poeseos genus effugere solent ab omni rerum & verborum vilitate & ad minima hæc infra majestatem suam vix sese demittere. Nam quod in sequioris ævi scriptoribus partem horum vocabulorum reperias, mirum non est. Non enim tum supererat antiquus ille delectus verborum, sed nova priscis, barbara Latinis, rustica urbanis, insolentia consuetis miscere & absque ulla necessitate verba procudere artiumque vocabulis scripta inquinare, scientiæ & doctrinæ ostentatio erat, morbi genus quo hodieque laborat magna pars eorum, qui vernaculo sermone scribunt, nec pauci qui Latine conantur. Alia in hoc libello est Hygini ratio, qui castra metandi modum ex professo docens & in media militari versans turba, a castrensi quoque lingua, uti nec ab ullo vocabulo abhorrere debuit, quod aut mensorum aut militum usu tritum esset: non enim homo otiosus bellum & copias & castra, quæ in usu non sint posita, solo animo & cogitatione fingit, *rerumque ignarus imagine gaudet*. Sed agrimensor & metator Imperatoris verarum copiarum, quæ tunc Romanum imperium tuebantur, dispositionem, &, ut ipsius verbis utar, *quotidianam metationem* docet. Est certe hoc frequens ac tritum imprimis vitium eorum, qui rei militaris præcepta posteritati tradiderunt, fictas nullisque probatas experimentis meditationes adducere aut rursus ex Tacticis antiquis & rerum scriptoribus, quicquid speciem aliquam prudentiæ habet aut disciplinæ, sine discrimine & judicio arripere, non ponderatis pensitatisque causis, non temporibus, non locis, non armorum genere, quæ nisi eadem sint aut similia, etiam prudenter excogitata ad nihil recidunt, & sapientissima quæque, si velis imitari, fiunt stultissima. Neminem eorum qui labente re Romana Tactica nobis reliquerunt, immunem ab hoc vitio pronunciaverim. Laborant imprimis Græculi, sua alienis, Romana externis, vetera novis miscentes, peditum instituta ad equites, in quibus tunc omne robur, transferentes passim turbantesque, ut ad eos legendos cognitione non parva antiquitatis ac terso opus sit judicio. Scatet non minus Flavius Vegetius, qui homines suos ad prisca instituta & exempla passim vocat. Recte quidem istuc: Sed non armorum genus, non militum, non legionis ordinationem, non aciei dispositionem, non ullam veteris militiæ partem recte eos docet, in sententiis quidem & generalibus militaris prudentiæ præceptis (hęc enim facile intellexit) pulcher est & probabilis. Cæterum in propriis illis veterum institutis tantam ubique prodit ignorantiam & infantiam, ut non tam ratione & judicio quam fama & opinione communi & quadam nominis Romani superstitione captus antiqua admirari videatur & extollere. Cautius & majori longe prudentia viri docti, qui his proximis sęculis intermortuas pridem literas suscitando sęculum ab illo horrore & squallore ad cultum traduxerunt, non putant sese defunctos solis sententiis aliquot veterum compilatis: distinguunt tempora, loca, mores, & id serio operam dant, ut vera nos instruant rerum cognitione. Est tamen ubi cepisse eos etiam videatur majestas illa, & ut sic dixerim religio antiquitatis, ubi præferunt etiam melioribus postea inventis minus laudabilia priorum, ubi instituta, quæ Romanorum non sunt, nec si essent, digna prudentia eorum essent, ad cœlum tamen ferunt miris laudibus, quasi divinitus excogitata, hac una de causa, quod Romanorum esse putant. Sic in hac ipsa castrorum ordinatione, cum ex male intellecto Polybio, Prætorium in prætentura non longe a porta prætoria ponant, laudant tamen hanc positionem, quamvis temeritatis & periculi plenam, quasi bene & sapienter ordinatam. Sed rarius hoc istis accidit. Nos tamen inde discamus, quanto tutius eorum insistamus vestigiis, qui de rebus suæ ætatis, quas & usus comprobavit & ipsi per omnes penitus numeros cognoverunt, monumenta nobis reliquerunt. Tale est Hygini hoc in usum exercituum illius ætatis conscriptum, & sigillatim illarum copiarum, quas in hoc libello recenset, quarum compositio & ordinatio illi, ad quem liber hic scriptus est, ab Imperatore imposita videtur fuisse, nisi toti potius pręfectus fuerit exercitui. Hoc autem scriptum a librariis pessime acceptum, mirumque in modum ad nos perve-

nit depravatum. Mutilum primum & ἀκέφαλον incipiens his verbis : *Nunc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendimus*, palam clamantibus illa, quæ de cohortibus, de exercitu, de legione, & si quæ alia præcesserant, deesse. Nam priora illa de lateribus polygoniorum huc non faciunt : alterius libri & argumenti sunt, adeoque & nobis non hoc agentibus, ut omnia Hygini explanemus, sed ut castra & rem militarem illustremus, merito hinc amolienda fuerunt. Præterea cum alias castrorum partes diligenter & accurate describat, alias ne verbo quidem tangat, in ceteris quoque descriptorum vitio quam neglegentia ipsius omissa quędam potius crediderim. Jam illud non parvas offundit tenebras, quod formis, quibus & tota castra & singulæ descriptæ fuerant partes, neglegentia librariorum spoliatus & velut lumine suo est orbatus. Quid dicam imperitiam reliquam & malam manum, quæ immane quantum errorum congessit ? ut omittam defectus, transposita & luxata verba, corruptos sensus, confusos & vitiatos numeros : vix una periodus : periodum dico? imo vix tria aut quatuor vocabula, quæ non aliqua saltem correctiuncula juvanda sint : inter quæ uti quędam quæ emendare haud ita difficile (non enim ingenio, sed stupiditate plerunque peccatur, quo facilior medicina) sic alia non pauca deposita omnino & desperata, ut in his castris æque ac in veris barbarorum violentiæ Roma succubuerit. Nescio enim, quomodo res ordinatissima & pulcherrima, confusa & deformata nobis præ ceteris relicta est. Non jam illam speciem verorum castrorum, sed captorum potius & direptorum quędam videmus rudera, vulsum scissumque vallum, incisa & disjecta tabernacula, direptas sarcinas, sparsa passim arma, omnia loco suo dejecta, tumultus, fugæ & confusionis plena. Hinc illa Hygini malis accessit infelicitas, ut jam pridem viris doctis inspectus, diu tamen ipse publicum non viderit; nunc etiam quinquaginta & quod excurrit annos publicatus, pędore tamen & squallore suo oblitus, omnibusque modis jaceat deformatus. Viderant jam pridem in Bibliothecis inter doctas antiquorum reliquias tam ratum vetustatis monumentum Volaterranus, Pithœus, Lipsius, alii : nemo protraxit, nemo velut conclamato & tantum non elato medicam manum admovit. Fatetur Volaterranus plenum esse verborum obscurorum, partim etiam vetustate corruptorum, ex quibus parvus admodum sensus elici possit. Lipsius non semel citat in libris de Militia, sed suspectum sibi, non ultra ad manum, paucula tantum excerpta esse : alios ad edendum cohortatur. At Petrus Scriverius anno hujus seculi sexto primus ei lucem dedit : rursus vigesimo primo alia editione omnia ad fidem codicis scripti illius, quo & Lipsius fuerat usus, expressit : quibus editionibus etiamsi notas non adjecerit, manumque adeo abstinuerit etiam illis, quæ restituere nullo negotio potuisset, debet tamen ei me judice etiam sic multum Respublica literaria, ac nescio an non eo plus debeat, quod non illa qua plerique ducuntur gloriola, sed uno publici juvandi studio hanc sibi sumens provinciam, & priusquam ipse virium suarum periculum faceret, liberum aliorum industriæ & ingenio campum non dubitaverit aperire. Quod si idem fecissent illi, quibus antea contigerat videre libros manu exaratos, multæ haud dubie veræ lectiones pridem erutæ & in ceteris vel errorum similitudine vel varietate via ad probabiles conjecturas strata esset. Promisere deinde Commentaria in hunc Gromaticum principes harum literarum, Isaacus Casaubonus & Claudius Salmasius. Ille epistola ad Scriverium : hic vero in scriptis passim suis, in quibus etiam loca aliquot emendat aut emendare conatur. Sed vel spe codicum meliorum vel interventu aliarum curarum, illi quidem promissorum fidem non impleverunt. Cum autem hodie nemo, quod equidem sciam, eadem sit pollicitus, quid superest, nisi ut ad suam pro se quisque industriam & qualemcunque opem confugientes, harum rerum studiosi conentur, si qua male habitum libellum industria & ingenio juvare possint? Nos quidem conati sumus : an adfuerit cœptis fortuna, aliorum judicium esto. Voluimus quidem certe pleraque explanare, multa probabilibus conjecturis restituere, & castris illis disjectis & misere fędatis aliquam Romanorum castrorum speciem reddere. Si fallimur aliquando, nec ariolos nos, nec divinos esse scias : non tantum proclive, sed omnino homini necesse est. Nemo alia lege in hoc ludo versatur, nec cuiquam vitio fuit quędam non vidisse, dum multa tamen primus eruerit. Barbaros autem nostros, qui totum hoc scriptionis genus, quia plebeii saporis non est, leve ac nugatorium arbitrantur, rogatos velimus, ne nobis hic saltem, ubi tam necessarium est, vitio vertant, quod in verbis interpretandis emendandisque multi simus : cum enim conjecturæ hic totiens indulgendum, cum in alieno libro qualicunque ingenio nostro utendum, cum a viris longe doctissimis, quorum merito suo magna apud literatos omnes opinio & auctoritas est, non raro dissentiendum multaque aliter atque illi fecerunt explicanda essent, postulare profecto non decuit, ut nobis fides haberetur, in nostramque iretur sententiam, nisi adjectis causis testimoniis & auctoritatibus, quibus sectam rationemque nostram aliis approbaremus. Speciosius, fateor, illa velut ante pedes posita transilias ; sed utilius excutiuntur. Nos quidem in ea fateor, illa velut ante pedes posita transilias, sed utilius excutiuntur. Nos quidem in ea sumus hęresi, ut veram hanc & pęne unicam viam & rationem putemus ad solidam & non fucatam rerum præsertim priscarum cognitionem, quam viri omni ævo maximi sunt secuti : qui quamvis verborum non agerent curam, nisi rerum causa tamen ancillantes has literas ad id necessarias ducentes, non raro descendunt ad verborum interpretationem, atque adeo Grammaticas quisquilias & parva illa, sed quæ si negligas majoribus non sit locus. Doceant alia, si sciunt,

iſti. Nos adeo circa verba deinde non hęrebimus, ut etiam in barbaram, ſi dis placet, eruditionem eorum conceptis verbis jurare parati ſimus. At ſi verbo critica, reapſe omne hiſtoriæ & antiquitatis ſtudium petitur, ſi ignorare nos omnia quæ ante nos acta ſunt, hoc eſt, ſemper pueros eſſe volunt, cum hęc ad pueros rejiciunt magiſtri noſtri. Habeant ſibi & ament ſine rivali ſuas illas ſapientias : ſed nos cum illis inepti ſumus. Ad caſtra potius ipſa tranſeamus. Caſtra dividuntur primo in partem exteriorem & interiorem. Exteriorem appello πρὸς τῆς ἐκτὸς ἐπιφάνειαν ad vallum & circa vallum : Interiorem, quæ intra viam ſagulariam ab Hygino eſſe dicitur. Hujus diviſionis reſpectu omnem copiam in duo tribuit genera, legiones & ſupplementa. Legiones ad vallum collocat pręter cohortes primas. Reliquum exercitum, intra viam ſagulariam. Deinde & aliter diſtinguuntur caſtra, tum in longitudine, tum in latitudine : longitudinem in tres partes diſtribuit, (fallitur qui putat in duas) Latera Pretorii, Pręt enturam & Retenturam. Latera Pręt orii dicuntur pars media, dextra ſiniſtraque Pręt orii a via principali ad Quintanam. Pręt entura pars prima a principiis ad frontem pertinet. Retentura a Quintana ad tergum caſtrorum. Latitudo tota in duo dividitur, dextram & ſiniſtram. Harum partem alteram tantum ordinat, quia eadem utriuſque ratio & diſciplina, eædem ut plurimum copiæ : quæ forma & partium & totorum caſtrorum quomodo efficiatur, craſſiori hic minerva & breviter, ſed nude & abſque involucro in gratiam tyronum exponamus, adjectis imprimis illis, quæ in Hygini hoc fragmento non ſatis clare & expreſſe dicuntur. In mediis principiis ante Pręt orium in caſtrorum latitudine, in longitudine vero fronti paulo propius Gromam ſtatuimus, id eſt, ut clare rem dicam, locum medium, in quo quatuor concurrunt & conveniunt lineæ. Per hoc itaque punctum medium duas lineas rectas tranſverſas ducimus, ita ut ſtella vel crux efficiatur ✠ : hæ ducunt ad quatuor caſtrorum portas : & caſtra dividunt illa quidem, quæ per longitudinem ad Prætoriam & Decumanam portas, dextram partem a ſiniſtra diſtinguit, & fit partim via Pręt oria, partim medium Pręt orium & Quęſtorium. Iſta quæ per latitudinem ad portas principales dextram & ſiniſtram currens latera Pręt orii a Pręt entura dividit, dicitur via principalis. Ut nunc alteram diviſionem caſtrorum & Retenturæ principium inveniamus, ab puncto illo medio Decumanam verſus procedemus, tot pedes, quot copiarum latere Pręt orii tendentium tenſio poſtulat, ſeptingentos viginti ut plurimum pedes ; ibi aliam lineam facimus transverſam per eam, quam a Pręt oria ad Decumanam parallelam illi quam a principali altera ad alteram duximus, & habemus viam Quintanam & in ea totam hanc diviſionem interiorem longitudinis & latitudinis. Diviſionem autem, quam diximus, interioris partis ab exteriori facit via ſagularis quatuor lineis ſeſe contingentibus, quarum duæ parallelæ, huic quæ ad frontem & tergum excurrit ab utroque latere. Duæ item aliæ a fronte & tergo caſtrorum eodem currentes, quo illę duę priores, tres caſtrorum partes facientes : Ac ita



habemus quadratum rectangulum, non tamen ęquilaterum ſemper, ſed altera parte fere longius, & in ea ſex areas minores item quadratas, tres utroque latere. Harum arearum quamvis pedatura interim variat, prout plus vel minus legionum aut ſupplementorum fuerit, tamen lateribus caſtrorum unam omnibus latitudinem eſſe, via ſagularis vel linea hęc quam lateribus duximus recta percurrens oſtendit. Longitudo lateris Pręt orii ſeptingentos viginti pedes non excedit, quo cohortes primę Pręt orię & alę equitum integris ſtrigis commode tendant : at Pręt enturę & Retenturę longitudini aut demi poteſt aut adjici. Circum hoc quadratum interjecto aliquanto ſpacio aliud paulo grandius ducimus quadratum, locum legionariarum cohortium. In quarum poſitione in univerſum hoc obſervatur, ut quę dextro & ſiniſtro latere, tendant paribus areis : ſimiliter etiam quę in fronte & tergo caſtrorum. Nam uti a tergo viam ſagularem recta percurrere, ita & ſpacium quod eſt inter vallum & legiones, ejuſdem latitudinis eſſe debet : his ſi adjicias ab omni parte ſpacium ſexaginta pedum, vallum & totorum caſtrorum formam habebis. Hęc forma partium, hic rigor viarum in omni metatione cuſtoditur : ſed partium figura interdum longior, interdum latior eſt, interdum major, interdum minor, prout plus aut minus copię fuerit acceptum. Pręcipua autem ars hujus compoſitionis in eo conſiſtit, ut ita formentur pedaturæ & legionum circa vallum & ſupplementorum intra viam ſagularem, ut illæ per totum ambitum, hæ interioribus in caſtris commode tendentes omnem expleant pedaturam & in ea capiantur, ſervata tamen hac, quam diximus, ratione & rigore viarum. Tendunt per ſemiſtrigia, hoc eſt, triginta pedum latitudinem, ita ut pedem adjecta quinta in longitudine ſtrigarum, triginta autem pedes in latitudine accipiant pedites, quibus ſimplex pedatura aſſignatur : equites autem duos pedes ſemis adjecta quinta in eadem latitudine. Hac computatione centuria accipit pedaturam pedum triginta per centum viginti. Tantundem turma quadraginta equitum. Centuriam autem & turmam quoad ejus fieri poteſt integram eodem ordine tendere ; cohortem & alam aream rectis angulis quadratam, ſed non æquilateram ad pedem complere oportet. Inde cohortes legionariæ, quia habent centurias ſex, quatuor tantum formis recte tendunt ; vel ea quæ habent ſex ordines papilionum ſive ſemiſtrigia, quorum ſingula capiunt unam centuriam ; vel ea, quæ tres ordines ſingulos duarum centuriarum ; vel ea, quæ duos trium ſingulos centuriarum ; vel denique, quæ unum : nam ſi vel pluria quam ſex, vel quatuor aut quinque hemiſtrigia dederis, centurias diſtrahere

& divi-

& dividere, vel partem areæ nudam & inanem relinquere necesse sit. Hic illud maxime observari debet, ut ita ordinentur, ut ne viæ illæ grandiores & percurrentes, prætoria, principalis, quintana, in medias cohortes incurrant, aut inanis soli multum relinquatur. Ordines autem quibus dispositæ legiones, lateribus quidem castrorum per longitudinem, in fronte & tergo per latitudinem excurrunt : spectant enim ad vallum primi papilionis. At intra viam sagularem in prætentura & retentura a via principali ad tergum castrorum hemistrigia ducunt. unde fit, ut latitudo prætenturæ intra viam sagularem: longitudo vero retenturæ non fere augeatur aut minuatur, nisi adjectis aut detractis centum viginti pedibus semel aut pluries. Ut enim latitudo strigarum non nisi per triginta, sic longitudo plerumque per centum viginti commutatur, quo centuria, ut diximus, uno eodemque semistrigio tendere possit. His itaque rationibus in copiarum præcipuis observatis augeri aut minui longitudines & latitudines arearum debent, ea lege, ut legionariæ cohortes omnem castrorum ambitum, supplementa vero interiorum castrorum pedaturam repleant. Quod qua ratione fiat in majori aut minori exercitu, quæque proportio observetur, non tam accurate quam oportebat ostendit. Hæc tantum fundamenta ex eo colligi possunt, super quibus tamen alia struere non admodum arduum sit & difficile. Copiarum dispositionem quod attinet, legiones, ut diximus, ad vallum, cohortes tantum primæ cum vexillariis intra viam sagularem tendunt: Equitum plurimum in Prætentura, minus lateribus prætorii, minimum in Retentura. Prætentura alarum milliarium, latera Prætorii prætorianorum, Retentura cohortium equestrium & pedestrium sedes: nationes exteræ, partim in Prætentura, partim in Retentura locantur, utrobique in medio. Sed quæ quoque loco copiæ tendant, quamvis non admodum distincte, satis fuse tamen docet Hyginus. Methodum autem hanc observat. Priori libelli parte universam metationis rationem, & quo quæque loco in qualicunque exercitu disponantur, docet: Posteriori exercitum suum tres legiones cum supplementis componit. Ac primo quidem capite eorum, quæ supersunt, rationem strigæ & semistrigii exponit: item metationem legionum cum vexillariis. Secundo, cohortes prætorias, equites prætorianos & singulares collocat Prætorii lateribus, ipsiusque Prætorii & quæ circa illud constitutionem ostendit. Transit tertio capite ad Prætenturam, ibi viæ principalis & prætoria, scamna Legatorum & Tribunorum, alæ, nationes, valetudinarium, veterinarium & fabrica, item cohortes primæ. Quarto describit Retenturam, in qua via quintana, quæstorium, centuriæ statorum, cohortes equitatæ & peditatæ, nationes. Adjicitur deinde aliquid de via sagulari, scholis cohortium, & universa castrorum forma cum brevi repetitione, quo quisque loco tendat. Inde capite quinto transiens ad secundam partem, copiam suam exponit tres legiones cum supplementis, & his divisis eodem, quo antea ordine primum, latus Prætorii componit alterum : huic dat longitudinem pedum septingentorum viginti, latitudinem pedum sexcentorum (ut & cæteris partibus) intra viam sagularem ; cum via vero sagulari & pedatura legionum septingentos similiter viginti pedum. Prætenturæ tribuit (sextum hoc caput) intra viam sagularem longitudinem hanc ipsam; cum via vero & legionum pedatura octingentos, opinor, pedes. Latitudo ut supra. Capite septimo docet, quomodo contrahi aut ampliari debeat pedatura, cum major vel minor exercitus. Octavo Retenturam ordinat. Longitudo hujus quadringenti octoginta pedes, cum legionum & viæ pedatura quingenti septuaginta. Latitudo eadem quæ reliquis. Adjicit his pauca de legionum pedatura ultra viam sagularem, adsignans cohortibus quæ lateribus tendunt, singulis nonaginta per ducentos quadraginta, iis vero quæ fronte & tergo, sexaginta per trecentos sexaginta. Quorum omnium pedaturæ si adjicias ab omni parte sexaginta pedes, aream intervalli, totorum castrorum longitudo erunt duo millia trecenti viginti, latitudo mille sexcenti viginti. Addit his duo capita: nonum quo castra munit, & postremum quo idoneum capit locum. Ac universa quidem ratio, ut diximus, propius inspecta non tantum abit a Polybiana, quantum prima facie videtur, & in tanta exercitus diversitate, ambitus tamen & magnitudo castrorum utrorumque pæne eadem sunt. Nam Polybianorum perimetrum octo millia pedum parum admodum excedit. Hyginiano non multum abest. Latiora illa, hæc longiora, sed quantum latitudine vincunt, longitudine superantur. Habent illa septendecim paulo minus millia peditum, duo equitum Romanorum sociorumque, nationes enim exteras nullas : At hæc duo circiter & triginta millia peditum, novem equitum complectuntur. Legionarii tamen inter hos septendecim millia quadringenti quadraginta tantum sunt, & si numerum gravis armaturæ militum utriusque exercitus computaveris, tres hæ legiones, illas quatuor (duas Romanas cum duabus Socialibus) vincunt, nisi si quinum millium singulæ fuerint. Sed de justo exercitu alibi dicimus. Octo (paulo plus minusve) pedum millia justum ambitum, justam magnitudinem castrorum fuisse, non vane ex utrisque his castris colligi videtur posse. Nam quamvis castra pro numero militum majora fuerint aut minora, tamen justa quædam castra æque ac justum exercitum fuisse indubium. Discrepat autem horum ratio eo inprimis a Polybiana, quod in illis legiones lateribus Prætorii & Quæstorii, eo in loco tensionem accipiant, quo in his partim cohortes prætoriæ, partim cohortes equestres & pedestres cum nationibus: in his vero legiones ad vallum tendant, ubi illic socii Latini nominis & extraordinarii & delecti, unde & cohortes & turmæ decimæ Romanorum Sociorumque, cohortes autem primæ hastatorum & principum teneant locum. Hoc quoque dissident, quod cum illic legiones manipulatim, hic per cohortes collocentur.

Præterea equites in medio quidem, sed non cum legionibus suis tendunt, ut olim: denique in Prætentura etiam nationes. Ac omnis hæc mutatio non tam libidine novandi, quam necessitate facta mihi esse videtur propter commutatam rem militarem, aliam ordinationem legionis & aliud genus copiarum. Quarum rerum partem maximam jam a Caii Marii temporibus in usu fuisse probabile est, ab illis, inquam, temporibus, quibus maxima apud Romanos rei militaris & simul reipublicæ facta est mutatio; quibus corruptis militaribus institutis corrumpi cœpit quicquid erat prisci & integri moris, & cum vera libertas prolapsa est. Ea res veterem & illum qui deinde apud Romanos conscribebatur exercitum serio recensenti & utriusque rationes consideranti minime dubia esse potest. Scipionum ætate & ante C. Marium quatuor militum genera in legione erant, velites, hastati, principes, triarii, adhoc equites Romani trecenti: hi armis, censu & ætate diversi & distincti: velites pauperrimi & maxime adolescentes parmula & septenis hastis instruebantur: hastati flos juvenum pubescentium gravis armaturæ: mediæ ætatis principes: horum arma (omittimus hærentia corpori, in quibus parum discriminis) scutum & duo pila: triarii veterani & spectatæ virtutis sexcenti tantum numero erant: hasta pro pilo armabantur. Hi manipulatim in acie ut plurimum collocabantur, prima acies erant hastati, secunda principes, tertia triarii, velites nulla acie ordinati sparsim ante signa procurrebant & eminus, suo vocabulo, velitabantur: si instarent hostes, referentes pedem in intervallis manipulorum vel post signa recipiebantur. At Cajus Marius, neglecto more majorum & discrimine ordinum confuso, pauperes & divites, atque adeo omnes quos in legionariam militiam adlegit, iisdem armis instruxit & telis, manipulisque omnibus & centuriis eundem numerum dedit, nisi forte cohorti primæ majorem quam reliquis: hastatorum, principum & triariorum nomina quidem reliquit & ordinem quendam, ut primus manipulus triariorum, alter principum, tertius hastatorum diceretur, sed ut iisdem armis ornatos omnes in eadem acie non manipulatim, ut antea, sed per cohortes instruxit: velitum vero non arma tantum, sed etiam nomen sustulit, adauctis eorum loco gravis armaturæ manipulis. Nam suppetente copia in tanto imperio velocitate corporum insignium & omni telo exercitatissimarum nationum, placuit hanc partem belli, jam olim communicatam cum auxiliis, totam ad ea transferre, Romanumque & civile genus soli gravi armaturæ & honestiori militiæ reservare. Præterea priscus Romanorum exercitus, quantum legionarii militis, alterum tantum sociorum Latini nominis habuit. Hæc quoque ratio commutata est. Sociis enim civitate donatis interiit socialis exercitus, & ex sociis & Romanis sine discrimine (Romani erant facti) legiones conscriptæ fuerunt. Ergo jam & Italia dabat legiones & plerique gravius armati legionarii erant. Eodem tempore vetus ille equitum Romanorum equitatus rarior esse cœpit: Alæ ex Italicis sociis & exteris nationibus & quidem grandiores plerumque quadringenariæ, quingenariæ & sexcenariæ, fortassis & milliariæ legionibus jungebantur. Quæ tanta novatio in equite, in pedite, in omni genere militum, in ordinatione legionis, in cohortium & manipulorum divisione fecit, ut Romana militia jam multis in rebus sui dissimilis, aliam compositionem castrorum postularet. Veteri militia socii Latini nominis, quibus in externis bellis satis fidebant, sicuti in acie in alas dividebantur, sic & in castris latera, sed & frontem tenebant. Velites ab omni parte pro vallo excubabant, qui quamvis pauperes & viles, legionarii tamen & cives & eo opinor aptiores ad propugnationem & custodiam, quod & expediti & missilibus ad eminus pugnandum instructi. Posteaquam & velites & socii Latini nominis esse desierunt, nec jam ulla manus socialis aut levis armaturæ cujus fidei & dextris munimenta castrorum recte committerentur, necessario legiones ad vallum traductæ: receptis intra viam sagulariam auxiliis, ut eorum fides non munimentis solum, & alio virorum ab omni parte circumsidentium vallo contineretur. Cum autem omne id quicquid erat in exercitu externæ opis, nec viribus nec vitiis multum misceri utile censentes disjungere fere & spargere amarent, & in Prætentura sola id facere haudquaquam possent, nonne probabile est jam tum partem eorum in Retenturam rejectam, ut in locum & a Prætentura & ab hoste paulo remotiorem? Quo facto nonne palam loco suo dejecti legionarii inferiorum ordinum, qui veteri metatione eam tenebant partem? nonne a Polybiana metatione discessum? Sed hoc probabile, illud certum est legiones ex eo non manipulatim, ut antea, sed per integra corpora cohortium metatas. Sublata enim tunc causa præcipua, quare in manipulos dividebantur, diversitate nimirum generis, dignitatis & armorum, res ipsa manere non potuit: sed & in acie & plerisque muniis commutata est, dum manipulatim in acie instruebantur, manipulatim quoque in castris collocabantur. At postquam in acie totæ cohortes conjunctæ, disciplinæ ratio postulavit, ut & in castris eandem acciperent pedaturam, quo una exire & in hostem possent educi. Cum autem equitatus illa tempestate major & ala plures plerunque turmas haberet quam cohortes legio, ne hi quidem prisco more cum peditibus collocari nec singulis cohortibus singulæ turmæ jungi potuerunt. Quæ cum sint præcipua, quibus distant a Polybianis Hyginiana castra, sequitur hanc mutationem metationis eo tempore factam, quo illa totius militiæ, & proinde non novitia nec sub Imperatoribus demum nata hæc esse castra,

ſed aut illa ipſa aut certe proxima illis, quæ poſtremis libertatis temporibus in uſu fuerunt & magnorum illorum Imperatorum, Marii, Pompeii, Cæſaris & reliquorum ejus ætatis ducum victoriis illuſtria ſunt. Cohortium Prætoriarum & equitum Prætorianorum hic fateor aliquando plus. Sed leve hoc diſcrimen eſt pro illis, quæ diximus. Polybiana autem metatio laxior, hæc contractior: illa ſimplicior & facilior, hæc in tota diſpoſitione & compoſitione recta partim intricatior: illa non niſi uſum militiæ, hæc inſuper artem Gromatici videtur poſtulare. Habet illa multa, ſed & hæc quædam præter priora laudabilia. Imitari quidem hoc ævo & in uſum vertere aliquid ex priſcorum more conanti operæ pretium fuerit & hæc & illa caſtra prudentibus & peritis oculis ſpectaſſe. Poſſunt utrimque exercere judicium, & hoc imprimis docere, quomodo mutato genere militum & legionis ordinatione Romani Romanos fuerint imitati. Neque enim velut ſacramento rogati aut ſuperſtitione conſtricti nefas duxere, abire paulum a more majorum ratione rei militaris ita poſtulante. Rurſus neque temere, neque ſine gravi cauſa rejecerunt a veteribus ſapienter excogitata & tantis experimentis comprobata: univerſam certe compoſitionis rationem & præcipua caſtrorum, quoad ejus fieri potuit, ſemper cuſtodiverunt. Et fortaſſis etiam ideo non inutile fuerit deſcendere ad hæc inferiora labantis diſciplinæ tempora, quod ordinatio legionis per corpora cohortium, quod uſus cohortium Prætoriarum, quod ipſum genus moreſque militum uſui noſtro propiora. Non tunc ſolo Romano & civili ſanguine, ſed etiam provinciali bella geſſerunt, ac nomen & imperium ſuum commodantes ſervienti orbi, ſuaque diſciplina, alieno milite vincentes manifeſtis oſtenderunt documentis, non unius populi, (quod quidam opinantur) ſed generis humani, illarum utique nationum, quæ hodie in Europa bella tractant, commune bonum eſſe Romanam virtutem. Adde quod nec priſca illa erat morum ſanctitas: venales animæ, ſed tamen fortes: impiæ ſæpe in patriam, ſed tamen magnæ virtutes: ne fraudatio quidem ſtipendiorum, redemtio munerum, odium centurionum, quæque alia flagitia militiam infamant noſtram, ignota erant, ut plane turpiter hodie deſperetur de iis, quæ iſti homines potuerunt adſequi. Quicquid autem deſideremus in Hyginianis his caſtris, hoc certe iis debemus, quod rationem & methodum priſcorum Gromaticorum, quod ſtrigarum veram ordinationem, quod papilionum conſtitutionem, partium, viarum nomina & cætera vocabula caſtrenſia hodie intelligimus. Mihi quidem non indignum cura videtur Urbis illius armatæ, in qua maximi quique viri immortalitati conſecrati, faciem & illa ſacra heroum veſtigia propius contemplari; nec injucundum fuit addiſcere etiam parva hæc, abſque quibus nihil recte, intelligas, percipere quodammodo auribus ſonum illum Romanorum militarem, & veluti priſcæ metationi intereſſe.

HYGINI GROMATICI DE CASTRAMETATIONE LIBER.

†Nuncpapilionumten sionemcohortium suprascriptarum ostendimuspapilio unusoccupat·p·x·ac cepitincrementum tensuraeped·II·tegit homines·VIII·plena centuriahabermili tes·LXXX *a*erintpapi liones·x·quioccur runtinlatitudine ped·cxx·namquodad latitudinemesthe mestricipd·xxx.at tinentpapilionidan turped·x·armisped. v·iumentisped·VIIII· fiuntped·XXIIII·hocbis XLVIII·quoniamcum conpraetenderetet ficiturstrigaped·LX· reliquiped·XII·quicon uersantib·spatiosuf ficienthaecpedatura adplenamlegionem estcomputataexqui b·inuigiliisingulis euntetnonplusquam· octonospapiliones singulaetendunt itasicsicutcenturio eorumineadempeda turaeorumpapilionum· pensionemaccipiat alioquinplusdariopor tuisset·

Legionesquoniamsunt militiaeprouinciales fidelissimaadballum· tenderedebentut opusballitueantur exercitumgentib· meatumsuonumero corporaliinmurose nequandoautemsup plimentaaplurafue rintubinecesseest chorspedaturam *b*extendereresernat altitudinememis tricietidpedemanen tiiammutauimus utquisfuit·cxx·per CLXXX·sicsit·xc·per CCXL·inmodumforma estsubiectumuel·LX· per·CCCLX·similiter utformaostenditur xxx·enimped·*c*per diae·xx·cohorsunum· occupatnuncquotiens latitudodupplicatur longitudopartisminuet

Quodlegionesplures acceperimusetsup plimentapaucoraut necessarium*d*cohor tiscircaballumcre briusponerecon uertimus*e*perdatu ramquodfueritsig nistabulinumnum· senestramutabi musrationetensu raesuaecujusq·gene rissubieciemus

Aliquacohors·CL·per CL·soletadsignari sedinquantumfie ripotestdebitari debetdeeoquodcen turiaesuoordine tenderenonpoterint etpedaturacohor tisunopariternuda bitursicutforma subiectaestcohors primacausasignorum. etaquileintrabesagu lariametquoniam duplumnumerum habesduplampeda turamaccipietutpu tasignisped·cxx·ta bulinoped·CCCLX· uelsignis·CLXXX·tabu linoped·CCXL·formæ ratioutreliquiigitur silegionesinpares hocesttresacceptæ fuerintduaeprimae laterib·*f*peraetoriper rigoremuiaesagula ristenderedebebunt aliiinpraetentura similiterperrigorem· uiaesagularisintran tib·portampraeto riamparte*g*leuaex tracohortemcontra riotendatutpossit exercituscumuina tuseduci

Quotiensautemquinq· uelsexlegionesac ceptaefuerintviae cohortesprimaela terib·praetoriiten deredebebuntduae inpraetenturasu praquib.ualetutin ariadeindeeuexilla riuecohorssedunde *h*etresexigetcohors peditataquingenaria

a erunt *b* extendereseruat *c* pe *d* sitcohor *e* pedatu *f* praetori *g* leuauit *h* etsires

locavexellariorum soletsuperponiet sistrictiorfuerit pedaturacohorslegio nariaedaredebetsed numerosuout·LXX· ped·ualletudinarium etreliquaquaesupra tendensaccipiant hocestueterinarium etfabricaquaeideo longiuspositaest utbaletudinarium quietumesseconua lescentib·posset quorumpedaturam insingulasspecies adhominesetsolet computariuexillari legionum*a*eadempe daturamaccepere debentquodcohors legionariaquaeadses centenoshomines computanturcausa inpedimentorum tenderedebentin praetenturauella terepraetoriiutdixe ramsupercohortes utprimasadballum sifieripotestideo tenderenondebent quodlegatuseorum pariternonsit*b*etcasum abhosteballuminter *c*ruptorfueritlegio etlegatuseorumper uexillariosfactum essecontendet Cohorspraetoriaela terib·praetoriistendere debentutduplampe daturamrecipere quod temporib·maioris utanturprimipila rib·etiameteumcati ineadempedatura locumaccipiuntae quitespraetoriani lateredextroprae toriisingularesim peratoreslatere suoquorumsimaior numerusfueritut putasingulares D·C·praetoriani·CCC· poterint·DL·singu laresinstrigaprae torianorumtende reitasicutetpari numerodispositi decurionesetreli quiprincipaleseorum·

uinosaequospossi dentespropensius tendantetsiminor numerusuirorum quaefueritutcente nisaequitibb·aemitri cissuislaxiustendant noneritaesitandum· quoniamofficialib· lateriuestropro ximisibipedatura adsignareturquod sicohorspraetoriæ inparesacceptofue ritquoniamnume rusetdispositio dextralevaq·prae toriicenturiones aparib·effedebent lococohortisaequi tespraetorianipo nentursingularis autem·C·si·DCCC·aut DCCCC·fuerintpari nume rosintegris strigislaterib·ten deredebebuntsiad nosfuerintutstri gaestsufficiat Illummaximeobser uaredebebimusut latus·p·L·actorinon plusquam·DCCXX·ped· longitudinisacci piat itafietutcohortes primipilariumacto riaeetreliquusnu merusquilatere praeteriitenditin tegrisstrigissuape daturaoptimeten dant Namquantum adlatitudinemprae toriitotiusadtinet a·CLX·atCCXX·potest observariinlongi tudinemutsupra dixiped·DCCXX.sta tionidarioportetse cundumpraetorium ped·xx·etsiresexi gitped·x·sufficent Itemcomitib·inpera torib·nostris·ap·L· utad·LXX.potestob seruariinquapeda turapro·pr.primolo coautaprincipalia adsignaridebetinter positadeindeviaco hortispraebetoriae etreliquusnume rusproutdisponide *d*libelloextendimus

debetaerisinstitu tisinformampartis imaeauguratorium partedextraprae toriaturaprincipa lemagnovimusut dixineetaugurium rectecaperepotest parteleua*e*tribuna *f*statuituutaugurio acceptoinsuperas cendatetexercitum· feliciahospicioadlo quatur Inintroitumpraetorii partismediaeautui amprincipalemgro maelocusappellatur quodturbabicongru atsiveindictationem etadpositioineodem locoferramentogro masuperponaturut portaecastrorum inconspectumrigo risstelamefficiant Et*g*professioreseius artissausasupra scriptigromaticisunt cognominati Viaeuinariaeideo danturpercurrentes proxime*h*ragularis utaberuptionem exercitusexpediti progredipossunt Nuncpraeteriturae rationemexponam uiamprincipalisqua estinterportasdex terioremetsinistrio remquaeaprincipes nomenoptiessede betalatitudineean demquaopusp·LX· quodestinterbalum etlegioneset*i*ideo quib·daminterballum etscognominatus Itemviamquaeducit adportampraeturiam inpraetoriosinedu bioviapraetoriadu citurlatitudinem utsupraped·LX·prop· terquodrigoremcen suressuaesuperio risstrigisinpraeto riiuranonpercur runtquoniamadviam praetoriamsigna spectaredebebunt dabimusitaq·intra viamprincipalemle

a eandem *b*. etsicasum *c* ruptum. *d*. libellostendimus *e* tribunal *f* statuiturut *g* professores *h* sagulari *i* ideoq.

gatispedaturamquod
scamnumestappel
latumneccommunis
strigarumindicatio
nemmoeatationes
haberepropter 77
numerumincertum
quodnonsemperla
titudinemapedib·lat·
LXXX·obſervaridebe
bitproutnumerus
lectionumeffecerit
inquotribunocohor
tiumpraetoriarum
tenderesolentsimi
litertribunilegionum
inferiusadsignaride
betquodaeq·scamnum
dicituraquouiainter
positaaliaemiliariae
uelgenariaeetdein
cepsproutquisten
deredebebitinforma
subiecimusnuncut
suoreferamlocoad
aliammiliariamtor
mashabetxxIIII.ineis
lemcurionesduplica
explicariidemqui
etnumerusturmarum·
stabuntetquossin
gulidecurionester
nosduplicarietses
quinplicarriinos*b*si
supernumerumae
quorummilleaeduc
tissingulisquiinnu
merumcomputantur
XCVI·a·L·adturmasha
bet·XVI·decuriones
etreliquaproutnu
merumturmarum
ampliusquosutsu
pra·LXIIII·etideoinsin
gulisaequitib·terni
pd·computanturmil
ledeficiturineopede
praefectusalaepe
duturamaccipiat
etprincipaleseorum.
aliquolaxiustendant
alioquinsingulini
nospedesetsemis
sesacciperentquan
tumautemetrepen
tinapertinetuiae
quaestsuperpraeto
riapercujusrigorem
utraque·partecumma
ioreexercitusesthoc
estquinq.legiones
estupraportamea
quartaed*a*risolent
acciperedebentlati

tudinemped·XL·sipor
taeibidataefuerint
L·ped·accipietetcog
nominatoreetiamquin
tanamcausamcopiarum
Quaestorumdicitur
quodaliquandoquaes
toresibipedaturam
acceperintquodest
suprapraetorium
inrigoraeportaequa
cohortib·decimisibi
tendentib·decima
naestappellataquaes
toriumminoresse
debetlatitudinem
quampraetorium
utstrigaestadpos
ticiumpraetoriipro
ximisintinquomaxime
legatihostiumetob
sidesetsiquaprae
dafactafuerintinquaes
tioneponiturlaterib·
eiusdem*c*tenderede
betaduiamquintanam
centuriaestatorum
utposticiumpraeto
riueanturetproxi
misinpraetoresqui
[illegible] m
[illegible]
eisdemtensoriisutan
turqu [illegible]
praetoriae [illegible] er
quoscohorspeditata
quingenariauelaequ
tataproutstrigemag
nitudofueritponide
bebitetperreliquas
strigascohortipedi
tatevelaequitate
aduiamquintanam
spectaredebebunt
utsupersumactares
etreliquinationes
tenderedebebuntet
itafietutomnipar
tenationesetsupra
scribtascontinean
turquaeangulariae
XXX·pedesſufficiet
quinq·legionesfue
rint·XL·pedeslatitu
dinesaccipcredebe
buntscholaecohor
tisprimisubimune
*d*radicunturiniscan
niumlegato
rumcontraaquilam
daridebetcastrain
quantumfieripotue
rittertiataessede
bebunturflatusau

raestusexercitus
laenia*f*hcdixitertia
utputalongump·
II·cccc.latumped·∞DC·
silongiorafuerit
classicadicenturne
bucinumintumul
tumadportamdeci
mamdamfacilepotue
ritexaudirisilatior
fuerintproximae
quadraturaesequens
estdictatioquantum
attinetadeaquaesunt
necessariassatispu
todiligenterrettu
limusetsiqueratio
nesathucfuerint
necessariaesuore
feramlocopraete
reamunitionemcas
trorumetsolilec
tionemstatuendam
etationemetitem
iniquitateslocoui
tiandinepraeteris
seuidearbreuiter
inparteimaexponam
interimhostendam
inceptationemme
tationesetnume
roconpositaformæ
recognoſcamus
*g*admonemusitaque
quisubtenderedebeat
laterib·praetorico
hortespraetoriae
adaequitepraeto
rianiaequitessingu
laresinperatores
*h*altaemiliariaeuel
quingenariaesipe
daturampermise
rintuexillarietco
hortessecundae
uelquinquaginta
peditataequingena
riaesupercohortes
primae*i*praehendunt
alamiliariaeuelquin
genariae*k*maunaequi
tespannoniuerari
classiclomnesideo
praetenduntquod
aduiasmuniendas
primiexeuntetquo
sinttutioresamau
risaequitib·etpan
nonesberidarisope
rantesproteguntur
quiacohortib·primi
proximitendere
debentuexillarile
gionumitemex

a uelquigenariae *b* sic *c* tendere *d* ralegionumdic *e* quamfieri *f* hocdixi *g* admonebimus *h* alae *i* praetendunt *k* mauriaequi

pluratoresinstriga· cohortesprimae Praetenduntcohor tesaequitatemilia riaeuelquingenariæ quarumrationessubiec ti Omnesmilespro uincialisaccipitpe daturampedem adiectaquintaper totamlatitudinem aemistriciaeq·siau temduasemisadiec ti*a*quitanuncquoti ensnumerosacce perimusutreteni turamcomputemus cohors*b*aequitatadnu merumpeditumre digimusutaequitib· cumcohortib·suis pedaturamfacilius adsignimushiihabet itaq·cohorsaequita tamiliariaequites CCXL·quodredigoad peditemutpedem quodaccipitmilexre digoadduosemisquod accipitaequesfitdi midiasumptaductum quinquiessictracta uimusnumerum aequitumfit·cxx·du cemusquinquiesfit DC·acciditexeocohor temmiliariamdetri tisaequitib·reliquid pedes·DCCLX·fitcum superioremille·CCCLX· meminerimusitaq· adomputationeco hortisaequitatemi liariaepedaturam ad ∞ CCCLX·daridebeat cohorsaequitataad indimidioeandemra tionemcontinetquod cohors·*c*habeatitaque cohorsaequitatami liaria 77 x·aequites ped·CCXL·turmasde curionestendunt papilionib·cxxxvI· exeo 77 etdecurio nessingulispapilio nib·utunturcohors aequitataquigena riahabet 77 VI·reli quapropartedimidia cohorspeditatami liariahabet 77 x· tendipapilionibus·

c.exeis 77 singulis itempeditataquin genariahabet 77 VI· reliquautsuprana tionescantabrige tatiparmyrentdaci brittones 77 sta torumetsiquidaliud datumfueritinexer citosummam*d*clari ficumretenturam· ponimuscamillos cumsuisebimmatis singulisped·v·adsig nauimustenderede bebuntsiinhostem exiturieruntinprae tenturamiuxtaclas siquossiadpraedam *e*partantumpraesto erunt*f*indumquaes toriumtenderede bebuntdatusitaq· numerusquiinfra scriptisuntsiccom putavimus Legiones·III·uexilla ri· ∞ DC·cohorsprae toria·IIII·aequites praetores·cccc·ae quitatumsinguli inped.CCCCL·alaemi liariae·IIII·quingena riae·v·*g*mariaequites DC·pannoniberidari DCCC·classicimesinaci D·ravennatis·DCCC·explo ratores·cc·coaequitat· mil·*h* III·quingenariae·IIII· cohorspeditatemil·III· miliariaequingena riae·III·parmyrent D·getati·DCCCC·daci DCC·brittones·D·cau tabri·DCC·77 statorum· II·sempernumeros acceptispraetentu racomputaredebe musutsciamusquod emistria*i*ndemes triainretenturam nafcanturnunc fitnumerusquire tendit·XIII·DCXL·su mopartemdimidiam *k*dequodapatrib·ten datnafcanturfit VI·Dcccxx·nunclatus praetoriicompura mussiretentura similitercompute mussiutretenturam· fecimusutsciamus

cohortib·legionariis quidtabulinovelsig nodaredebeamus obseruareitaq·de bebimusutquotiens treslegionescum supplimentisaccep taefueruntdimidia parscastrorum Dccxx·ped.latitudi nishabeatetlaterib· castrorumcohor tib·tabulino·xc·sig nis·ccxL·pd·adsigne musutdeductota bulinocohortium etlatitudinemuiae sagularisreliqui·DC· *l*centumped·super sintutalaemilia riaeinpedituramad pedemtendantur nuncstatuamusre liquosped.*m*statua mus·Dc·explimus latusunumpraeto risutsciamusquod alaeinpraetenturam tensuraesunt· Occupanturnumero militumlaterepraе toripd·cccxx·prae toriiped·LX·statio niped·xx·communi ped·LX·inuiaspd·L quod*n*fereihaclatitu dinemitafueritdis positiofiunt·Dc·77 Nuncpraetenturam idcomponamusnu merumaeq·alarium· quisuntreliquicom putemusfiunt·IIII·ac partesdimidia·II·ac ciperedebentala miliariasigniped· cL·tabulinopd.Dc· acrationeped·cL· efficiunt emistricioaccepit aequites·III·sedin longitudinispd·Dc· sumopartemtertiam· uthabeantaequites numerumquiineolon gitudinemtendetfit cc·eritmitricio*o*unus etnuncemistricia dicimus v·quinquies cc·fit ∞.aliaemille pedaturamreliquum autemnumerumsi cutretentaturam·

a quinta *b* aequitataad· *c* habet· *d*·clariorumretent· *e* portandum *f*·indutam *g* mauriaequites *h* II. *i* τὸ·indemestria.*deletur* *k*· ideoquod *l* τὸ·centum *deletur.* *m* *Et illud*,statuamusi,*deletur.* *n* fereinhaelatitu· *o*· unius

computemusutscia mussimiliterquod aemistricianascun turfitnumeruscum pedaturaualetudina rium[a]ueteranarium etfabricaequaeinunum addohominescompu tantur·VIIII· fumimus dimidiafit·IIII D·hoc eritpartisdimidiae est·DC·ped· perlongitudinem quodhominescapet sitq·diximuspeditem adiectamquintamad pedemacciperenihil itaq.intersitanad numerumconputa tum[b]quitampartem adiciamusanueroex longitudinemutnunc DC·pedumdeducamus partem·VI·relique quingentostotho ..inescapietaemis triciumsedhabemus .umerum·IIII·uide ..usquotiensha ..eoquodest·VIII·tot idemaestrigianas cunturfit·CCXL.et superiorescompu tatialariumped·ccc fitinunum·DXL·pote ritessetenturae cohortes·III·faciunt ped·ECCXX·exquibus deceditquodnume rusoccupatpd·CCXL· reliquiped·CLXXX·quod uirestrigasnascun turutnuncuicina riaiuuassupercohortem primam· Itemnume roquattuorpedum denumfitinuiaped· LX·reliquiped·cxx· [c]quosimanestribuno rumetlegatorum singuli·LX·ped·adsig nauimus·nuncsidic tatormillehomines supernumerumcon positumineandem pedaturamlocusad signetursicfaciemus quoniampartesdimi diae·D·esseconstat quoscapiteemistri ciodeducamusscam nisped·x·etuiamde interbalistollamus quaetuncdatursipe

daturapermittetfi untped·xxx·eritae mistriciumquod·D· hominesposteaac ceptosrecipietnunc econtrariosimiliter numeriscompositis deducamushomines ∞ quorumestpedatura strigeapedum·LX·da bimus· Scamnumle gatorumped·LXXX· tribunorumped. LXX· etuiainteraliasre ponimus· Itemlate ripraetoriietreten turaesimilitersiquo plusuelminusfuerit idemobseruabimus utpraetoriumetco mitumpedaturam Itemquaestoriminua musuelampliusser uatisportionib·la titudinissuaeautem [d]abiessepoterintsi pedaturainscriptior fueritintercohortem praetoriasedalias aequitumideoquod disciplinammilitarem adsumquisq·numerum conjuncticonvenient siobseruentitadico etin[e]retenturam quisolentetquem quamgenushominib· perstrigasstrictius seulaxiustendequo niamsaepenumerus euenitconputare tenturaampliusef ficiantquamstrige ineandempedaturam incurrentnecplus exeisdeducidebetquam peditatequingena riaesupercohortes primasetsiamplius supersuntutnec strigamexpleant necesseeritperre liquasstrigasutdi xiartiustendant similiterutlaxius tendantefficitur quotiensreliquus numerusconuertit nectotiusmetatio nisordoturbetur etretenturasper strigasaequalinu merolaxiustendunt Retenturenumerum

conputatumutin praetenturaconue nirentquodsiadhuc ampliusseuminus quamostendimus supplimentandafu issent[f]omniinmu tabunturetcohor tescircaballumali tertenderenunc retenturaediximus partisdimidiaenu merum D C DCCCCXX· quoniameslatitu do ·DC· uideoquod aemistrigiaesse possintutnuncerit decemseptiesset quaestoriopedatu rasufficiesparipossèt summoitaq.numeri partem·XVI·quodae mistrigiaessedixi musfit·cccc·erit numerusmilitum tenderedebebunt peraemistrigium unumadiectaquin tamped·LXXX·fiunt ped·ccccxx·undeef ficiturduaecohortes latereretenturae tendantsumma·c· teriasetreliquasna tionesquotiensper strigasdistribuimus nonplusquamtriper titiessedebebunt nelongeabalteru trumutuinamtesse rasuouocabulocita tiones[g]habeant Obseruabimusprimae strigaesignisidem adsignariquodcohors primaeut[h]uiuicenariæ percurranterint itaq·laterib·cohors XVI·praetendenset retendentquattuor miliaetsingulaesexa gintaper·CCCLX·re liquiquattuormilia intrauiamsagula reminquantumpo tui· Dominefrater protyrociniomeo inbrebiomnesauc toressumpersecu tussedquidquidcir caconpositionem castrorumaestiua liuminstituerunt inhoclibelloprius

[a] ueterinarium [b] quintam [c] quodsi [d] abesse [e] retenturam [f] omniainmu [g] audeant [h] uiaeuicenariæ

quam

quamnumeroinsti tueresubrationem omniadeclaraui *a*Praecipitiainomniin ceptationemmeta tionib·scribendenul lusauctorumhunc diemostenditpropter quodsperosollicitu dinemnostramdig netibiplacituram exposuimusitaque suaspeciaeetuniuer sumexercitumsuis locisconstituimus osostendimusetiam sinecessumfuerit quisnumerostam mutaridebeatquod sialaeinretenturam positaefuerintetpe ditespraetentura siuecohortesaequi tatenullanecessi tatecogentessine dubiometatoresin peritiaesignumest Illudplanepoterit obferuariutsicohor tasaequitateineo exercitumomnino fuerintouimusalas quingenariaslate rib·quaestoriut retenturaaequita tumhabeatnamquod alegionesastaset diuisiduosnumeros pertinetquodexpe ritisconpositionem difficultatesosten detmaetodummoe tationesameexqui situmadnumerum·77· *b*Pertinetintentato ingenioelaborabiut sidignatusfuerisin iungerenouitatem metationisadmag nitudinemtuampri mosadferamquae tibisperoplacebit siprimumcottidia nammetationem tractabis Nuncmu nitionemcastrorum etreliq·quaeplurib· auctorib·scribse runtbrebiterper feramus Munitionemextinua liumobseruaturge nerib·*c*quiq·fossabal

loagmineagremmis fossalocosecurio riscausaaedisciplinc cuius*d*speciesfatiga tauelpunicafastiga tadiciturquaeasum mamlatitudinemla terib·debexisinangus tiamadtedolumcon iunctaperueniunt Punicadiciturquae laterіexterioriad perpendiculumdi rigiturcontrarium· deuexumsitquod infatigataquib·lati tudodaridebeatadmi nimumpedemquinq· altumped·tresre gressispedib·exte riussexagintaper latitudinemporta rumsimiliterfossa fietquodpraeterbre bitatemtitulumcog nominatumestbal lumlocosuspectio ri*e*exruidebetcespi teautlapide*f*asxosi uecimentosufficit latusped·VIII·altum ped·VI·etloricaper besissimiliterante *g*portauttitulusad fossasadballumcau saeinstructionis sanctamessecogno minatum·*h*Ceruoeruo litrunciramossiad hosdecurritursiso linaturanimiatene ritatecespesfrago riturneq·lapidem mobilemnisicopio sumballumextrui potestnecfossafie riutnonripedecidant quotiensceruolide suntetestlocus suspectiorarmorum· ordinib·castrorum IIII·castramuniunt utpersingulosordi nesuigiliaecrebrius ponanturetaequites alternauicecastra circuiredebentsiin pacatosolummodo tuendedisciplinae causaunusordoar morumsufficitet *i*uigiliaaerariuscons tituntur aggeribus

autemitafitballo utsilocuspetrosus autarenosusfuerit quodsinedubioagge rifactomunitionem· castrispraebet Anguluscastrorum circinarioportetquia coxasefficiuntin stabiliuntquaeopus propugnationem tutantcircinari debebuntexangu loscohortiumquaeq· efficiuntlatitudi nesoperisped·LX· usq·quolineaexte riorescompraehen deritquaeefficiunt parsquartasimi literclauiculacirci naturexlineainte riorebaliiuncto mediae*k*poteadaper tocircinoadcardinem· porteeamediaprae teruiaecircinabis ineandemlineam quaecentroserviet Itempunitomanen tiadicieslatitudinem· ad*l*balietiterumcir cinabisineandem lineamutintran tessemperdetecti sintetadbenientem. inrectocursuex cludantnomenque abeffectuclabicula trahet Namquodadtinet adsolicitudinem instatuendi moe tationis Primum locumhabentquae excampumaeminen tiamlentiperadtol lunturinquaposi tioneportedecima *m*naeminentissimo lococonstituitur Vtregionescastris subiaceantporta praetoriasemper hostemsectarede betsecundumlo cumhabentquae inplanoconstitu enturtertiumquae incollequartum quaeinmontequin tumquaeinlocum necessariumunde

a Prin *b* pertinentem *c* quinq· *d* speciesestfastiga *e* extrui *f* saxosi *g* portasut *h* ceruolitrunci *i* uigiliaerariuscons *k* porte *l* balli *m* naeaeminentissimo

et[a]cessariacaſtra
dicunturpraecipuae
observaridebebit
uiaquaelaterib·cas
trorumsupersit
ceteraquocumque
laterefiumensi
uefontemhabere
debebitinqualicumq·
positionecaſtrorum
iniqualocaquaeaprio
rib·nobiriaeappel
lanturomnimodo

uitaridebent
Nemonscastrisinmi
neatperquemsu
pervenirehostes
autprospicerepos
sitquidincastrisagatur
Nesiluacelaturahos
tesadiaceatneuefos
sauallesperquos
obruticastrisob
cultepossint
Neuicinifluministor
rentissubitatempestate

[b]castraminundantin
[c]tereameminisseopor
teinhosticoascen
susballidupliceset
frequentisfacereet
tormentistribuna
liaextruerecircum
portasincoxisinloco
tyriummaximeins
tuendumeritballi
tormentisabeolate
requonobercasiuita
rinonpotuerunt

[a] necessaria [b] castraminundain [c] tereantmeminisseopor

LIBER· GROMATICUS
HYGINI· de DIUI
SIONIB· AGRORUM
EXPLICIT
INC· LIB· HYGINI· GRO
MATICUS

INTER *omnes Menſurarum ritus*, &c. quæ in Editione nupera Rigaltii pag. 160. ſub titulo [HYGENI AUGUSTI LIBERTI DE LIMITIBUS CONSTITUENDIS. Apud Turnebum p. 91. & p. 256.

RAPHAEL VOLATERRANUS LIB. XVI.

HIGYNUS, *prænomine* JULIUS, *nonnullis* Y *præponitur* HYGINUS, *ſcripſit (inter alia) librum* GROMATICON *appellatum, nuper inventum: eſt enim* Groma, *ut ipſe teſtatur*, ars loca ſtationeſque in caſtris opportune capiendi, ornandive.


ET LIB. XXX.

Loco eminenti *jubet* fieri caſtra, ut regioni dominentur; neu paludibus interluantur, præſertim porta Decumana: Secundum locum habent, quæ in plano conſtituuntur: Tertium, quæ in colle: Quartum, quæ in monte: Quintum, quæ in loco neceſſario, unde & *neceſſaria caſtra* dicuntur. Præcipue obſervari debet via, quæ lateribus caſtrorum ſuperſit. Caſtra quocunque latere flumen ſeu fontem habere debebunt in qualicunque poſitione. Iniqua loca, quæ a prioribus * *Nobiria* appellantur, omni modo vitari debent. Ne mons caſtris immineat, per quem ſupervenire hoſtes, aut perſpicere poſſint, quid in caſtris agitur: Ne ſylva celatura hoſtes adjaceat, neve foſſæ ſeu valles, per quas obruti caſtris occumbere poſſint: Ne vicini fluminis torrens ſubita tempeſtate caſtra inundatione obruat. Meminiſſe oportet in hoſtico aſcenſus valli duplices & frequentes facere, & tormentis tribunalia extruere circum portas in coxis: In loco contrarium maxime inſtruendum erit vallum tormentis ab eo latere, qua * Nobiria, ſi vitari non poterunt. *Hæc ex Hygino*. HACTENUS VOLATERRANUS.

P. S

** *Iniqua loca quæ* Nobiria *appellat Volaterranus ex fide codicis Bobiani corruptiſſimi (ut omnia illius libelli exemplaria) revera ſunt* Novercæ: *In membranis noſtris priore loco* NOBIRIae, *poſteriore* NOBERca *legitur*. *In Apographo Eyndiano* Nobirce & Noberce. *In Wouvvereno* Nobircæ, Nobiriæ, & Nobercæ. *In codice, quo viri docti in Galliis ante annos* LXVI. *uſi*, Nobirca & Noberca. *Scribendum omnino*, Novercæ. *Vide Julium Frontinum, & reliquos Agrimenſores veteres; vel, ſi placet, nos in Notis ad hunc libellum de metatione Caſtrorum.*

HYGINI GROMATICI DE CASTRAMETATIONE LIBER.



Unc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendemus. Papilio unus occupat pedes decem, accipit incrementum tensuræ pedes duos, tegit homines octo; plena centuria habet milites octoginta, erunt papiliones decem, qui occupant in latitudine pedes centum viginti. Nam quod ad latitudinem hemistrigii pedum triginta attinet, papilioni dantur pedes decem, armis pedes quinque, jumentis pedes novem, fiunt pedes viginti quatuor, hoc bis, quadraginta octo; quoniam conjuncti tendunt, efficiunt strigam pedum sexaginta, reliqui pedes duodecim, qui conversantibus spatio sufficient. Hæc pedatura ad plenam legionem est computata. Ex quibus in vigiliis singulis eunt, & non plus quam octonos papiliones singulæ tendunt, ita fit ut Centurio eorum in eadem pedatura eorum papilionum tensionem accipiat, alioquin plus dari oportuisset. Legiones quoniam sunt militiæ provincialis fidelissimæ ad vallum tendere debent, ut opus valli tueantur & exercitum gentium exterarum suo numero corpora legionum contineant. Quando autem supplimenta plura fuerint, ut necesse sit cohortis pedaturam extendere, servata latitudine hemistrigii & ad pedem manente, aream mutabimus, ut quæ fuit centum viginti, per centum octoginta, sic sit nonaginta per ducentos quadraginta in modum formæ subjectum (N. 1. & 2.) vel sexaginta per trecentos sexaginta, similiter ut forma ostenditur (N. 3.) Triginta etiam pedes per septingentos viginti cohors una occupat: nunc quoties latitudo duplicatur, longitudo partis minuet. Quod si legiones plures acceperimus & supplementa pauciora, ut necessarium sit cohortes circa vallum crebrius ponere, convertemus pedaturam, quod fuerat signis tabulino dabimus, & hemistrigia mutabimus ratione tensuræ suæ, cujusque generis subjecimus. Aliquando cohorti centum quinquaginta per centum quinquaginta solent adsignari, sed in quantum fieri potest, evitari debet, ideo quod centuriæ suo ordine tendere non poterunt, & pedatura cohortis una parte nudabitur, sic ut forma subjecta est (N. 5.) Cohors prima causa signorum & aquilæ intra viam sagulariam, & quoniam duplum numerum habet, duplam pedaturam accipiet, ut puta, signis pedes centum viginti, tabulino pedes trecentos sexaginta, vel signis centum octoginta, tabulino pedes ducentos quadraginta, formæ ratio, ut reliqua. Igitur si legiones impares, hoc est, tres acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii per rigorem viæ sagularis tendere debebunt: Alia in prætentura, similiter per rigorem viæ sagularis intrantibus portam prætoriam parte læva: dextra cohortes contrariæ tendant, ut possit exercitus combinatus educi. Quoties autem quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii tendere debebunt, duæ in prætentura, supra quas valetudinarium, deinde vexillarii, vel cohors secunda, & si res exigat, cohors peditata quingenaria, loco vexillariorum solet super poni, & si strictior fuerit pedatura, cohorti legionariæ dari debet, sed numero suo, ut septuaginta pedes valetudinarium, & reliqua, quæ supra tendunt, accipiant, hoc est, veterinarium & fabrica, quæ ideo longius posita est, ut valetudinarium quietum esse convalescentibus possit, quorum pedatura in singulas species ad ducentos homines solet computari. Vexillarii legionum eandem pedaturam accipere debent, quam cohors legionaria, quia ad sexcentenos homines computantur: causa impedimentorum tendere debent in prætentura vel latere prætorii, ut dixeram, super cohortes primas: ad vallum, si fieri potest, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non sit, & si casu ab hoste vallum interruptum fuerit, legio & legatus eorum per vexillarios factum esse contendet. Cohortes prætoriæ

lateribus prætorii tendere debent & duplam pedaturam recipere, quod tentoriis majoribus utantur, primipilares etiam & evocati in eadem pedatura locum accipiant. Equites prætoriani latere dextro prætorii: Singulares Imperatoris latere finiſtro, quorum ſi major numerus fuerit, ut puta, ſingulares ſexcenti, prætoriani trecenti, poterunt centum quinquaginta ſingulares in ſtriga prætorianorum tendere: ita fiet, ut pari numero diſpoſiti decuriones & reliqui principales eorum, binos equos poſſidentes, propenſius tendant. Et ſi minor numerus utrorumque fuerit, ut centenis equitibus hemiſtrigiis ſuis laxius tendant, non erit hæſitandum, quoniam officialibus lateri dextro proximis ibi pedatura aſſignabitur. Quod ſi cohortes prætoriæ impares acceptæ fuerint, quoniam numeri diſpoſitio dextra lævaque prætorii centuriis paribus eſſe debet, loco cohortis equites prætoriani ponentur. Singulares autem, ſi octingenti aut nongenti fuerint, pari numero, integris ſtrigis lateribus tendere debent, ſi ſpatium fuerit & ſtrigæ ſufficiat. Illud maxime obſervare debemus, ut latus prætorii non plus, quam ſeptingentos viginti pedes longitudinis accipiat, ita fiet, ut cohortes primæ prætoriæ & reliquus numerus, qui latere prætorii tendit, integris ſtrigis ſua pedatura optime tendat. Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet, a centum ſexaginta ad ducentos viginti poteſt obſervari in longitudine, ut ſupra dixi, pedum ſeptingentorum viginti: Stationi dari oportet, ſecundum prætorium pedes viginti, & ſi res exigat, pedes decem ſufficient. Item comitibus Imperatoris noſtri, a pedibus quinquaginta ad ſeptuaginta poteſt obſervari, in qua pedatura, præfecto prætorio primus locus ad viam principalem adſignari debet: interpoſita deinde via cohortes prætoriæ & reliquus numerus, prout diſponi debere oſtendimus. Aris inſtitutis in formam partis imæ: auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere poſſit: parte læva tribunal ſtatuitur, ut augurio accepto inſuper aſcendat & exercitum felici auſpicio alloquatur. Introitu prætorii parte media ante viam principalem, *Groma*, locus appellatur, quod turba ibi congruat ſive in dictatione metarum, poſito in eodem loco ferramento, Groma ſuperponatur, ut portæ caſtrorum in conſpectu rigoris ſtellam efficiant, & profeſſores ejus artis, cauſa ſupraſcripta, *Gromatici* ſunt appellati. Viæ vicinariæ ideo dantur, percurrentes proxime ſagularem, ut ad eruptionem exercitus expediti progredi poſſint. Nunc prætenturæ rationem exponam: Via principalis, quæ eſt inter portas dexteriorem & ſiniſtriorem, quæ a principiis nominatæ, eſſe debet latitudine eadem, qua opus pedum ſexaginta, quod eſt inter vallum & legiones, & ideo a quibuſdam intervallum eſt cognominatum. Item via quæ ducit ad portam prætoriam (a prætorio ſine dubio via prætoria dicitur) latitudine, ut ſupra, pedum ſexaginta, propter quod rigore tenſuræ ſuæ ſuperiores ſtrigæ in prætorii ora non percurrunt; quoniam ad viam prætoriam ſigna ſpectare debent. Dabimus itaque intra viam principalem legatis pedaturam, quod *Scamnum* eſt appellatum, nec communem ſtrigarum indicationem metationis habet, propter numerum legionum incertum, quod non ſemper latitudine a pedibus quinquaginta ad octoginta, obſervari debet, prout numerus legatorum exegerit, in quo Tribuni cohortium prætoriarum tendere ſolent, ſimiliter Tribunis legionum inferius adſignari debet quod æque ſcamnum dicitur; a quo via interpoſita ala milliaria vel quingenaria & deinceps prout quis tendere debet in forma ſubjecimus. Nunc ut ſuo referam loco ad alam milliariam: turmas habet viginti quatuor, in iis decuriones duplicarii & ſeſquiplarii, idem qui & numerus turmarum. Habent equos ſinguli decuriones ternos, duplicarii & ſeſquiplarii binos, fiunt ſuper numerum equorum mille, deductis ſingulis qui in numerum computantur nonaginta ſex. Ala quingenaria turmas habet ſedecim, decuriones & reliqua prout numerum turmarum, amplius equos ut ſupra ſexaginta quatuor. Et ideo in ſingulis equitibus terni pedes computantur, nihil deducitur, in eo pede præfectus alæ pedaturam accipiet & principales eorum aliquanto laxius tendere, alioquin ſinguli binos pedes & ſemiſſes acciperent. Quantum autem ad retenturam pertinet, via quæ eſt ſuper prætorium, per cujus rigorem utraque parte cum major exercitus eſt, hoc eſt, quinque legiones & ſupra pedatura cohorti primæ dari ſolet, accipere debet latitudinem pedum quadraginta: ſi portæ ibidem datæ fuerint, quinquaginta pedes accipiet, & cognominatur etiam *Quintana* cauſa copiarum. Quæſtorium dicitur quod aliquando ibi quæſtores pedaturam acceperint, quod eſt ſupra prætorium in rigore portæ, quæ a cohortibus decimis ibi tendentibus *Decumana* eſt appellata. Quæſtorium minori eſſe debet latitudine quam prætorium, ut ſtrigæ ad poſticium prætorii proximæ ſint, in quo maxime legati hoſtium & obſides, & ſi qua præda facta fuerit, in quæſtione ponitur: lateribus ejuſdem tendere debent ad viam quintanam centuriæ ſtatorum, ut poſticium prætorii tueantur & proximi ſint Imperatori, quibus duplam pedaturam adſignavimus, quod iiſdem tentoriis utantur, quibus cohortes prætoriæ: ſuper quas cohors peditata quingenaria vel equitata prout ſtrigæ magnitudo fuerit, poni debet. Et per reliquas ſtrigas cohortes peditatæ vel equitatæ ad viam quintanam ſpectare debent, & ſuper hos ſumactares & reliquæ nationes tendere debent: ita fiet, ut omni parte nationes ſupraſcriptæ contineantur. Viæ ſagulari triginta pedes ſufficient: ſi quinque legiones fuerint, quadraginta pedum latitudinem accipere debet. Scholæ cohortibus primis ubi munera legionum dicuntur, intra ſcamnum legatorum contra aquilam dari debent. Caſtra in quantum fieri poteſt, tertiata eſſe debebunt, ut flatus auræ æſtus exer-

citus leniat. Hoc dixi tertiata: ut puta, in longum pedes duo millia quadringenti, in latum mille ſexcenti. Si longiora fuerint, claſſica dicentur, ne buccinum in tumultu ad portam decumanam non facile potuerit exaudiri: Si latiora fuerint, proxima quadraturæ ſequens eſt dictatio. Quantum attinet ad ea, quæ ſunt neceſſaria, ſatis puto diligenter retulimus, & ſi quæ rationes adhuc fuerint neceſſariæ, ſuo referam loco: præterea munitionem caſtrorum & ſoli electionem, in ſtatuenda metatione artem iniquitates locorum vitandi, ne prҽteriiſſe videar, breviter in parte ima exponam. Interim hic oſtendam inceptam rationem metationis & numeros compoſitæ formæ recognoſcemus. Admonebimus itaque, quis ubi tendere debeat. Lateribus prҽtorii, cohortes prҽtoriæ: ad hoc equites prҽtoriani, equites ſingulares Imperatoris, alæ milliariæ vel quingenariæ, & ſi pedatura permiſerit, vexillarii & cohortes ſecundæ vel quingenariæ peditatæ, ſuper cohortes primas. Prҽtendunt alҽ quingenariæ vel milliariæ, Mauri equites, Pannonii veredarii, claſſici omnes, ideo prҽtendunt, quod ad vias muniendas primi exeunt & quo ſint tutiores, a Mauris equitibus & Pannoniis veredariis operantes proteguntur. Cohortibus primis proximi tendere debent, vexillarii legionum, item exploratores in ſtriga cohortis primҽ. Retendunt cohortes equitatҽ milliariҽ vel quingenariҽ, quarum rationes ſubjectҽ. Omnis miles provincialis accipit pedaturam, pedem, adjecta quinta, per totam latitudinem hemiſtrigii: eques autem duos ſemis adjecta quinta. Nunc quoties numerum acceperimus, ut retenturam computemus, cohortes equitatas, ad numerum peditum redigemus, ut equitibus cum cohortibus ſuis facilius pedaturam aſſignemus. Habebit itaque cohors equitata milliaria, equites ducentos quadraginta, quos redigo ad peditem, ut pedem, quod accipit miles, ad duos ſemis, quod accipit eques: fit dimidia ſumpta ductum quinquies; ſic tractabimus numerum equitum, fit centum viginti: ducemus quinquies, fiunt ſexcenti: accedunt ex eadem cohorte milliaria, detractis equitibus, reliqui pedites ſeptingenti ſexaginta: fit cum ſuperiori mille trecenti ſexaginta. Meminerimus itaque, ad computationem cohortis equitatҽ milliariҽ pedaturam ad mille trecentos ſexaginta dari debere. Cohors equitata quingenaria in dimidio eandem rationem continet, quam cohors milliaria. Habet itaque cohors equitata milliaria pedites ſeptingentos ſexaginta, centurias decem, equites ducentos quadraginta, turmas decem, tendunt papilionibus centum triginta ſex; ex iis centuriones & decuriones ſingulis papilionibus utuntur. Cohors equitata quingenaria habet centurias ſex, reliqua pro parte dimidia. Cohors peditata milliaria habet centurias decem, tendit papilionibus centum, ex iis centuriones ſingulis. Item peditata quingenaria habet centurias ſex, reliqua ut ſupra. Nationes, Cantabri, Getҽ, Daci, Britones, Palmyreni, centuriҽ ſtatorum, & ſi quid aliud datum fuerit in exercitu nationum, in retentura ponimus. Camelis cum ſuis epibatis ſingulis, pedes quinque adſignabimus: tendere debebunt ſi in hoſtem exituri erunt, in prҽtentura juxta claſſicos: ſi ad prҽdam portandam prҽſto erunt, ſecundum quҽſtorium tendere debebunt. Datos itaque numeros, qui infra ſcripti ſunt, ſic computabimus; legiones tres, vexillarii mille quingenti, cohortes prҽtoriҽ quatuor, equites prҽtoriani quadringenti, equites ſingulares Imperatoris quadringenti quinquaginta, alҽ milliariҽ quatuor, quingenariҽ quinque. Mauri equites ſexcenti, Pannonii veredarii octingenti, exploratores ducenti, cohortes equitatҽ milliariҽ duҽ, quingenariҽ quatuor, cohortes peditatҽ milliariҽ tres, quingenariҽ tres, Palmyreni quingenti, Gҽtҽ nongenti, Daci ſeptingenti, Britones quingenti, Cantabri ſeptingenti, centuriҽ ſtatorum duo. Semper numeris acceptis prҽtenturam computare debemus, ut ſciamus, quot hemiſtrigia in retentura naſcantur. Nunc ſit numerus qui retendit tredecim millia ſexcenti quadraginta: ſumo partem dimidiam, ideo quod a partibus tenſuras nanciſcuntur, fiunt ſex millia octingenti viginti. Nunc latus prҽtorii componamus & retenturam ſimiliter computemus, ſicut prҽtenturam fecimus, ut ſciamus in cohortibus legionariis, quid tabulino vel ſigno dare debeamus. Obſervare itaque debemus, ut quoties tres legiones, cum ſupplementis acceptæ fuerint, dimidia pars caſtrorum ſeptingentos viginti pedes latitudinis habeat, & lateribus caſtrorum, cohortium tabulino nonaginta, ſignis ducentos quadraginta pedes adſignamus, ut deducto tabulino cohortium & latitudine viæ ſagularis, reliqui ſexcenti pedes ſuperſint, ut alæ milliariæ in pedatura ad pedem tendant. Ut nunc ſtatuamus reliquos pedes ſexcentos, computemus latus unum prætorii, ut ſciamus, quot alæ in prætentura tenturæ ſint. Occupantur numero militum latere prætorii pedes quadringenti viginti, prætorio pedes ſexaginta, ſtatione viginti, comitibus Imperatoris noſtri pedes ſexaginta, viis pedes quadraginta, fiunt ſexcenti. Nunc prætenturam ut componamus numerum equitum alarium, qui ſunt reliqui, computemus: fiunt quatuor millia, partis dimidiæ duo millia: accipere debet ala milliaria, ſignis pedes centum quinquaginta, tabulino pedes ſexcentos: hac ratione pedes centum quinquaginta efficiunt hemiſtrigia quinque: accipit eques tres pedes in longitudine pedum ſexcentorum. Sumo partem tertiam, ut habeam equitum numerum, qui in ea longitudine tendit: fiunt ducenti, erit hemiſtrigii numerus, & nunc hemiſtrigia diximus, quinque, quinquies ducenti, fiet mille, alæ milliariæ pedatura: Reliquum autem numerum ſicut retenturam computemus, ut ſciamus ſimiliter, quot hemiſtrigia naſcuntur, ſit numerus, cum pedatura valetudinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum ad ſexcentos homines computantur, octo millia, ſumimus dimidiam partem, fiunt quatuor millia. Nunc erit partis dimidiæ hemiſtrigium ſexcentorum pedum, per longitudinem, quod quingentos homines ca-

piet, ſicut diximus, peditem adjectam quintam ad pedem accipere. Nihil itaque interſit, an ad numerum computatum quintanam partem adjiciamus, an vero ex longitudine, ut nunc ſexcentorum pedum deducamus partem ſextam, relinquemus quingentos: tot homines capiet hemiſtrigium. Sed habemus numerum quatuor; ducemus quod habemus, erunt octo; totidem hemiſtrigia naſcuntur, fiunt ducenti quadraginta, & ſuperiores computati alarium pedes trecenti, fiunt in unum quingenti quadraginta, poterit eſſe tenſura cohortium trium: faciet pedes ſeptingentos viginti: ex quibus decedit, quod numerus occupat pedes quingenti quadraginta: reliqui pedes centum octoginta, quo ſex hemiſtrigia naſcuntur: ut nunc vicinaria via ſuper cohortem primam: Item numero quatuor pedum denum, fit in vias pedes ſexaginta, reliqui pedes centum viginti, quos ſcamnis tribunorum & legatorum ſingulis ſexaginta pedes aſſignabimus. Nunc ſi dentur mille homines, ſuper numerum compoſitum, quibus in eandem pedaturam locus adſignetur, ſic faciemus: quoniam partis dimidiæ quingentos eſſe conſtat, quos capit hemiſtrigium, deducemus ſcamnis pedes decem & viam inter alas tollemus, quæ tunc datur, ſi pedatura permittit; fiunt pedes triginta; erit hemiſtrigium, quod quingentos homines poſtea acceptos recipiet. Nunc e contrario ſimiliter numeris compoſitis, deducamus homines mille. Quoniam eſt pedatura ſtrigæ pedum ſexaginta, dabimus ſcamno legatorum pedes octoginta; tribunorum pedes ſeptuaginta & viam inter alas reponemus. Item latere prætorii & in retentura ſimiliter, ſi quo plus vel minus fuerit, idem obſervabimus, ut prætorium & comitum pedaturam, item quæſtorium minuamus vel ampliemus ſervatis portionibus latitudinis: via autem abeſſe poterit, ſi pedatura ſtrictior fuerit, inter cohortes prætorias & alas equitum, ideo quod diſciplina militari ad ſuum quique numerum conjuncti convenient. Idem obſervetur, ut dixi in retentura, quia ſolent etiam quadringentis hominibus per ſtrigas ſtrictius ſeu laxius tendere. Quoniam ſæpe numeros evenit commutari, ut tenſuræ amplius efficientes, quam ſtrigæ in eandem pedaturam incurrant: Nec plus ex iis deduci debet, quam peditata quingenaria ſuper cohortes primas, & ſi amplius ſuperſunt, ut nec ſtrigam expleant, neceſſe eſt, per reliquas ſtrigas, ut dixi, artius tendant. Similiter ut laxius tendant, efficitur, quoties reliquus numerus convenit: non fuerit, ne totius metationis ordo turbetur & retenturæ æquali numero laxius tendent, retenturæ numerum computatum, ut in prætentura conveniant. Quod ſi adhuc amplius vel minus quam oſtendimus ſupplimentis dandum ſit, omnia immutabuntur, & cohortes circa vallum aliter tendent. Nunc retenturæ partis dimidiæ diximus numerum, ſex millia ſexcentos quadraginta, quoniam latitudo ſexcenti, video, quot hemiſtrigia eſſe poſſint, ut nunc, erunt decem & ſeptem, ut quæſtorio & viis pedatura ſufficiens dari poſſit: ſumo itaque partem decimam ſeptimam, quot hemiſtrigia eſſe diximus, fit quadringenti, erit numerus militum; tendere debebunt per hemiſtrigium unum, adjecta quinta pedum octoginta, fiunt quadringenti octoginta; inde efficitur, ut duæ cohortes latere retenturæ tendant. Sumadares & reliquas nationes, quoties per ſtrigas diſtribuimus, non plus quam tripertitæ eſſe debent, nec longe ad alterutrum, ut unam teſſeram ſuo vocabulo citationis habeant. Obſervabimus primæ ſtrigæ ſignis idem adſignari, quod cohortis primæ, ut viæ vicinariæ percurrant. Erunt itaque lateribus cohortes ſedecim: prætendent & retendent, quatuor millia & ſingulæ ſexaginta per trecentos ſexaginta; reliqua quatuor millia intra viam ſagularem. In quantum potui, Domine frater, pro tirocinio meo in brevi, omnes auctores ſum perſecutus; ſed quidquid circa compoſitionem caſtrorum æſtivalium inſtituerunt, in hoc libello, priusquam numeros conſtituerem, ſub ratione omne declaravi. Præcipuas in omni incepto rationes in metationibus ſcribendis, nullus auctorum ad hunc diem oſtendit: propter quod ſpero ſollicitudinem noſtram digne tibi placituram. Expoſuimus itaque ſingulas ſpecies, & univerſum exercitum ſuis locis conſtituimus: oſtendimus etiam ſi neceſſum fuerit, qui numerus commutari debeat. Quod ſi alæ in retentura poſitæ fuerint, & pedites in prætentura ſive cohortes equitatæ nulla neceſſitate cogente, ſine dubio metatoris imperitiæ ſignum eſt. Illud plane poterit obſervari, ſi cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino fuerint, ponamus alas quingenarias lateribus quæſtorii, ut retentura equitatum habeat. Nam quod ad legiones ſparſas & diviſos in duo numeros pertinet, quod & peritis compoſitionum difficultates oſtendit, methodum a me exquiſitum ad numerum centuriarum pertinentem, intento ingenio elaborari, ut ſi dignatus fueris injungere, novitatem metationis ad magnitudinem tuam primus adferam, quæ tibi, ſpero, placebit, ſi primum cottidianam metationem tractabis. Nunc munitionem caſtrorum & reliqua, quæ pluribus auctores ſcripſerunt, breviter perferamus. Munitio æſtivalium obſervatur generibus quinque, *foſſa*, *vallo*, *cervolis*, *armis*, *aggere*. Foſſa loco ſecuriore cauſa diſciplinæ, cujus ſpecies eſt faſtigata vel punica. Faſtigata dicitur, quæ a ſumma latitudine lateribus devexis, in anguſtiam ad ſolum conjunctam pervenit. Punica dicitur, quæ latere exteriori ad perpendiculum dirigitur, contrario devexo fit, quemadmodum faſtigata: quibus latitudo dari debet ad minimum pedum quinque, altitudo pedum trium. Egreſſu pedibus exterius ſexaginta per latitudinem portarum, ſimiliter foſſa fiet, quę propter brevitatem *Titulus* cognominata eſt. Vallum loco ſuſpectiori extrui debet ceſpite aut lapide ſaxo ſive cęmento, ſufficient latitudini octo, altitudini pedes ſex. Et lorica parva fiet ſimiliter ante portas ad titulum, ut ad foſſam vallum. Cauſa inſtructionis ſancta eſt cognominata. Cervoli trunci ramoſi: ad hos decurritur, ſi ſoli naturę nimia teneritate

cespes frangitur, ne que lapide mobili nisi copioso vallum extrui potest, nec fossa fieri, ut non ripæ decidant. Quoties cervoli desunt, & est locus suspectior, armorum ordinibus quatuor castra muniuntur, & per singulos ordines vigiliæ crebrius ponuutur, & equites alterna vice castra circuire debent. Si in pacato, solummodo tuendæ disciplinę causa, unus ordo armorum sufficit, & vigilię rarius constituuntur. Aggeribus autem ita fit vallum, ut si locus petrosus vel arenosus fuerit, qui sine dubio aggere facto munitionem castris prębet. Angulos castrorum circinare oportet, & quia coxas efficiunt instabiliuntque opus propugnatione tutari. Circinari debent ex angulis cohortium & valli, qui efficiunt latitudinem operis pedum sexaginta, usque quo lineas exteriores comprehenderint; quo deficit pars quarta. Similiter clavicula circinatur ex linea interiore valli & puncto medię portę, adaperto circino ad cardinem portę, e qua media pręter viam circinabis in eandem lineam quę centro serviet. Eodem puncto manenti adjicies latitudinem valli & iterum circinabis in eandem lineam, ut intrantes semper detecti sint, ut advenientes in recto cursu excludantur, nomenque ab effectu clavicula trahit. Nunc quod attinet ad soli electionem in statuenda metatione, primum locum habent, quę ex campo in eminentiam leniter attolluntur, in qua positione porta decumana eminentissimo loco constituitur, ut regiones castris subjaceant. Porta pretoria semper hostem spectare debet: secundum locum habent, quę in plano constituuntur: tertium, quę in colle: quartum, quę in monte: quintum, quę in loco necessario, unde & *necessaria castra* dicuntur. Pręcipue observari debet, ne qua via lateribus castrorum supersit. Cęterum quocunque latere flumen sive frontem habere debent in qualicunque positione. Castrorum iniqua loca, quę a prioribus *Novercæ* appellantur, omni modo vitari debent: ne mons castris immineat, per quem supervenire hostes aut prospicere possint, quid in castris agatur: ne silva celatura hostes adjaceat: neve fossę vel valles, per quas obrepi castris occulte possit: ne vicini fluminis torrente subita tempestate castra inundata intereant. Meminisse oportet in hostico adscensus valli duplices & frequentes facere & tormentis tribunorum extruere circum portas, in coxis, in loco tyronum: maxime instruendum erit vallum tormentis, ab eo latere, quo novercę evitari potuerunt.



NOTÆ IN HYGINUM.



A IN principio scriptum est: *Incipit liber Hygini Gromatici:* in fine: *Liber Gromaticus Hygini de divisionibus agrorum explicit. Inc. lib. Hygini Gromaticus*. Unde alii librum hunc, alii scriptorem Gromaticum appellari censent: quorum utrum recipiatur, non equidem in magno ponam discrimine. Plures enim libros gromaticos, ut de metatione castrorum, de divisionibus agrorum &c. scripsisse vi-
B detur: nec tamen ipse male Gromaticus dicitur, cum professores artis agrimensoriæ, ita vocatos testetur.

Nunc papilionum tensionem.) Docet hoc capite Hyginus rationem compositionis strigæ & hemistrigii, quæ papilioni, armis, jumentis, quæ uni, quæque duabus centuriis adsignetur pedatura. Inde legionibus locum suum dat, & ostendit, qua forma, prout plus minusve legionum vel auxiliorum fuerit, cohortes legionariæ tendant. *Papiliones vocantur, a similitudine*, ut ait Isidorus, *parvi animalis volantis, quod maxime abundat florentibus malvis: hæ sunt avicu-*
C *læ, quæ lumine accenso conveniunt, & circumvolantes ab igne proximo interire coguntur*. Vidi, qui vellet tabernacula Principum, gregarii militis papiliones esse, non tam veterum auctoritate persuasus, quam consuetudine hujus ævi, quo centuriones & præpositi tentoriis utuntur, manipulares ex stramento, arundinibus aut obvia materia tuguriola faciunt, quibus bini singulis contegantur. Sed Romani neque tot flammæ alimenta in castris esse, neque primores molliter, cæteros omnes negligenter haberi ex usu & disciplina castrorum existimantes, tam his
D quam illis tentoria ex pellibus attribuebant, quæ castrensi vocabulo *papiliones* vocabantur. Ita enim & Imperatorum tabernacula appellant. Lampridius de Alexandro Imperatore: *Apertis papilionibus prandit atque cœnavit*. Trebellius de Herode: *Homo orientalis & Græcæ luxuriæ, cui erant sigillata tentoria & aurati papiliones*. Forma papilionis & pedaturæ quæ ei adsignatur, eadem, id est, quadrata: hæc enim ad explendam aream & continuandos papilionibus papiliones inprimis apta, cum rotunda quæque alia obliquis lateribus nudam & inanem pedaturæ partem relinquant. Sunt tamen & in Trajani co-
E lumna tabernacula rotundis propiora. Utrimque apertos fuisse, ratio compositionis Hyginianæ ostendit: cum enim inter papilionem & papilionem nihil spacii relinquatur, præter duos pedes, incrementum tensuræ; hinc autem via, inde arma & jumenta ponantur, ne aut ab armis suis aut a via intercurrente objectu pellium excluderetur miles, papilionem pervium fuisse & hinc inde exitum habuisse necesse est. Ac inde, opinor, castrense hoc nomen tentoria traxerunt, quod binis a fronte & a tergo pellibus in medio ad exitum apertis & divisis in modum quatuor alarum tegerentur, quibus hinc inde paulum allevatis inde papilionum volantium similitudinem quandam exhiberent. Q. Curtius de Alexandro Magno: *Pellibus sæpe tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes*. Et de Imperatore Alexandro jam diximus, apertis papilionibus solitum prandere & cœnare.

Cohortium suprascriptarum.) Cohortes legionarias intellige. Sequitur enim paulo post: *Hæc pedatura ad plenam legionem est computata*. Et quamvis ea hic jaciat fundamenta, quibus omnis hæc metatio incumbat & innitatur, de legionum tamen tensione ex professo agit.

Papilio unus occupat pedes decem.) In longitudine hemistrigii, tantundem, ut mox dicet, in latitudine: scrupulum itaque terræ occupat.

Accepit incrementum tensuræ.) Scribe, *accipit*. *Tensuram* hic vocat, quam paulo ante *tensionem*: ut *mensionem* & *mensuram* dicebant veteres.

Tegit homines VIII.) Octo homines vel quaterni binis ordinibus sibi oppositi in quadrato hoc denum pedum commode cubabant. Accipient pedes duos cum semisse in latitudinem, quinque in longitudinem, nisi si ex incremento tensuræ adjiciendum aliquantum. Justa enim militaris statura sex vel utique quinque pedum & undecim unciarum habebatur, & longitudini lectorum sex vulgo pedes, tres latitudini dabantur. Sed nihil fortasse necesse est tantum adsignari in terra vel lectis ex stramento vel gramine requiescentibus & oppositis. Apud Xenophontem ipse describitur Cyrus, *ἐπὶ στιβάδος κατακλιθείς*: cui Gobryas *κλῖναι δ' ὑμῖν εἰσιν, ὁπόσαι γένοιντ' ἂν εὐναὶ ἐπὶ γῆς· στρώματα δὲ νομίζετε οὐχ ὁπόσα πρόβατα φύει ἔρια, ἀλλ' ὁπόσα φρύγανα ὄρη τε καὶ πεδία ἀνίησι*. Quodnam genus lectorum in castris Romanis fuerit, docet nos Varro, cum lecticam inde & *segestria* nomen accepisse ait: *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiamnunc fit in castris*. Et mox: *Lecticam, quo involvebant quod fere stramenta erant e segete, segestria appellant, ut etiam nunc in castris*. Communis itaque in terra lectus facit, ut tegendis octo hominibus papilio denum pedum sufficiat: Et si cui mirum videtur, quod in latitudine pedum triginta hemistrigii satis ampla, tam augustis papilionibus utantur, is sciat magnitudine papilionum

pilionum numerum impedimentorum, quem recidi inprimis utile est, multum adaugeri, imminui strigæ partes, in quibus arma, jumenta, currus, cætera belli instrumenta collocantur: non ignibus, non liberiori auræ quæ inprimis valetudini conducit locum relinqui, si quidem tentoria nimis extendantur. *Tegit*, inquit, *homines octo*. Octo igitur homines contubernium. Sed infra contubernia cohortis peditatæ majora facit, ut & Vegetius, qui undecim in eodem contubernio homines ponit. Quid ergo dicemus? an legionibus minora contubernia quam auxiliis, quia minores centuriæ? eundemque semper numerum in qualicunque centuria contuberniorum, non eundem in contubernio majoris & minoris centuriæ contubernalium fuisse? Sunt sane quæ hoc persuadeant. Hyginus tam centuriæ legionariæ, quam auxiliari decem papiliones dat, quamvis hæc centum, illa octoginta homines habeat. Totidem contubernia Vegetius centuriæ centum undecim hominum attribuit: undecim enim homines ei contubernium sunt. Tradit & Josephus agmen Vespasiani iter facientis, denos e singulis centuriis cum mensuris ad metanda castra præcessisse: quid ita denos? nisi ut numerum papilionum adæquarent e singulis contuberniis singuli. Adde quod contubernia minima quidem exercitus, sed tamen corpora; unde contubernales, *concorporales* vocat Ammianus: & erant his corporibus præpositi Decani. *Erant*, inquit Vegetius, *decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur*. *Erant*, inquit, tanquam de re antiqua, ne quis novitium putet. Gente certe Flavia rerum potiente jam decanos in militia pedestri fuisse Josephus testatur: *καὶ στρατιώτης μὲν δεκαδάρχην, δεκαδάρχης δ᾽ ἑκατοντάρχην, τοῦτο δ᾽ ἐσπούδαζεν ἀρέσασθαι χιλίαρχον*. Quare sicut in legione quaternum millium idem numerus tribunorum, centurionum, optionum qui in legione quinum vel senum millium; ita & in centuria minori & majori idem semper numerus minorum corporum & præpositorum: decem semper contubernia, totidem decani erant. Centuria igitur hominum centum & decem contubernia undecim hominum, centum decem, octoginta octo hominum hac ratione habebat. Sed nobis sequentia Hygini, & inprimis examinantibus, quod paulo post dicit, centuriam octo tantum papilionibus tendere, dubitatio suboritur, anne hæc quoque legionaria contubernia decem homines habeant? non enim aliter octo papilionibus recte distribuentur homines octoginta, ut infra dicemus. Dicit hic quidem tegere papilionem homines octo, demtis nimirum binis vigilibus; sed non dicit tot homines contubernium esse. Confirmat hunc numerum in Pescennio Ælius Spartianus, cum scribit: *Pescennium ob unius galli gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussisse*. Commanipulones sunt contubernales: contubernium enim ea ætate manipulus vocabatur, ut testatur Vegetius: in lapidibus priscis, *manipuli*, *commanipuli*, *commanipulares* passim hoc sensu. Vir magni in literis nominis, libro posthumo de re militari Romanorum apud Cornelium Tacitum, manipulum etiam pro contubernio accipit; sed male. Annalium enim I. manipulis centuriones & vexilla non semel attribuit. *Interea*, inquit, *manipuli ante cœptam seditionem Nauportum missi, ob itinera & pontes, & alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt; direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentes centuriones in risu & contumeliis, postremo verberibus insectantur*. Eodem libro: *Concionem discedere in manipulos jubet, sic melius audituros responsum, vexilla præferri, ut id sal-*

A *tem discerneret cohortes*. Locus qui in hanc eum sententiam traduxit, eodem libro est: *Non tentoria manipulis, non fomenta sauciis*. Ubi videtur singulis manipulis suum tentorium adsignare: sed videtur; non enim liquet, an proprie loquatur. Quid? si dixisset *non tentoria cohortibus*, an ideo singulis cohortibus unum tantum tentorium fuisse diceremus? Manipulos quidem aliquoties pro militibus aut manipularibus posuit, nusquam pro contubernio. Locis autem jam citatis palam est, vel duas centurias more antiquo, vel utique unam manipulum vocare. Ipse Vegetius inter veteres & recentiores velut fluctuans, nunc contubernium, nunc centuriam, & tantum non eodem loco vocabulo hoc
B designat: nam cum dixisset libro secundo in fine, cap. XIII. *Contubernium manipulus vocabatur*: statim subjicit initio capitis sequentis: *Quemadmodum inter pedites centuria vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur*. Habuerunt quidem aliæ nationes contubernia, manipulis haud multo minora. Cyri apud Persas instituto, ut auctor est Xenophon, *τάξις*: vel centuria unum contubernium faciebat; qui & causas adducit, propter quas convictum militum eodem in contubernio e republica censeat. Existimasse enim Cyrum se hoc
C inde consecuturum commodi, ut qui se eodem omnes modo haberi cernerent, eadem alacritate in hostem irent, nemo remissius aut ignavius sese gereret, tanquam arctius cæteris habitus: utile præterea esse, ut militi miles innotesceret, crescere pudorem notitia, homines inter se ignotos, ut qui in tenebris versantur, sine metu infamiæ peccare & ad turpia facilius prolabi: non facile sese deserere, qui una viverent: bruta quoque animantia una pasci adsueta, ægre divelli & miro sui desiderio teneri. Jam ordinem ipsum contubernii ad aciei instructionem non parum conferre: non secus enim ac si in acie instructi essent, sub suo quemque præ-
D posito contineri.

Plena centuria habet homines LXXX.) Centuria cohortis legionariæ: nam auxiliarium cohortium grandiores. Est qui putet, centuriam legionariam demtis demum viginti vigilibus, octoginta, alioquin revera centum homines habere. Sed Hyginus de plena centuria loquitur: mox autem ubi de vigilibus agit, eos ex hoc numero detrahit: cum enim centuriæ octo tantum propter vigiles papiliones adsignet, & papilio homines octo tegat, quatuor tantum & sexaginta efficientur.

Qui occurrunt.) Scribe, *occupant*.

In latitudine.) Imo in longitudine hemistrigii: nam de latitudine mox dicet: sed turbat hic aliquo-
E ties Hyginus latitudinem appellans, quæ est proprie longitudo.

Ped. CXX.) *Pedes centum viginti*, mensoribus longitudo actus sunt: item strigæ, cujus latitudo pedes sexaginta: jubent enim mensuræ quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere. Hyginus: *Omnem mensuræ hujus quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere debemus, & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare; quod in longitudinem, strigam*. Hyginus noster latitudinem quidem strigæ castrensis pedibus sexaginta, longitudinem vero non tam arcto spacio
F definit; sed omnes qui eodem ordine & rigore tendunt, sub ejusdem strigæ vocabulo complectitur, plures centurias, turmas, cohortes in eadem striga collocat, C. 3. *Poterunt centum quinquaginta singulares in striga prætorianorum tendere*. In prætentura intra viam sagularem quingentos milites: in retentura quadringentos: lateribus prætorii sexcentos pedem adjecta quinta accipientes, unum hemistrigium capit. Interdum tamen strigam pro pedatura cohortis sumit, ut C. 6. *Observabimus primæ*

strigæ signis idem adsignari, quod coborti primæ, ut viæ vicinariæ percurrant. Alioquin in veteri novaque castrorum metatione, non pauca observes ad agricolarum & agrimensorum leges componi: quorum neutrum mirum: veteres Romani, atque adeo ipsi Imperatores, agricolæ erant, *qui*, ut ait Plinius, *eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra*. Novorum vero castrorum metatores, professione agrimensores erant.

Nam quod ad latitudinem est hemetrici ped. XXX. attinent.) lege, *quod ad latitudinem hemistrigii pedum triginta attinet*. Vox hæc in Hygino fere ubique, sed alibi aliter corrupta est: alibi enim scribitur *emistrici*, alibi *enestra*, alibi *æmtricis*, item *æmistrici*, *emistria*, *emistricio*, *mitrici*, *emistricia*, *æmistricium*, *æmistrimi*, *æmistrigium*. Haud dubie autem scribendum est, ut monuerunt viri docti, *hemistrigium* vel *semistrigium*, quia dimidia strigæ pars est, ut *hemisphærium* dimidiam sphæram dicimus. Definita areæ qua una centuria tendit longitudine, nunc latitudinem triginta pedum ordinat, & ex ea primum papilioni, deinde armis, tertio jumentis locum adsignat.

Armis pedes quinque.) Scutum, pila, galeam deponebant in contubernio, vel, ut hic locus docet, proxime tentoria, saguloque tecti per castra ibant. Hinc in repentinis tumultibus, milites sine scutis & justis armis deprehensos non raro legimus. Tacitus Historiarum V. *Romani vulneribus exciti quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter, plerique circum brachia torta veste & strictis mucronibus*. Livius in vigesimo quinto de Graccho: *Inter hæc dicta paludamento circa lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit*. Varro & Nonius ex Pacuvio: *chlamyde clupeat brachium*. Tradit & Cæsar milites suos, qui colloquii causa ad Afranii castra transierant, quod scuta non portassent, dextras in repentino periculo sagis involvisse, atque ita gladiis districtis se a cetratis & equitibus Afranii defendisse: nam veteres, ubi casu aut necessitate in pugnam vocatis scutum deesset, sago, pallio vel toga circa brachium in modum scuti intorta, sese defendebant. Eucolpius apud Petronium: *Idem & ego ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum*. Deposita autem in contubernio arma, ex antiqua disciplina ne capere quidem injussu ducum fas erat; adeo omnia lege & ordine gerebantur. Inde Vejentium & Hetruscorum illud apud Livium, M Fabio & Cn. Manlio Coss. militem intra castra continentibus: *Impune se insultaturos, non credi militi arma*. Et mox dato juratis pugnæ signo Livius: *Arma capiunt, eunt in pugnam irarum speique pleni, nunc jubent Hetruscos probra jacere, nunc armatis sibi quisque lingua promtum hostem offerri. Nunc*, inquit, *armatis sibi*, quia antequam datum pugnæ signum, armati scuto, galea, pilis non fuerant. In castris prætoriis aliisque in pacato arma armamentario etiam clausa legimus. Cæterum gladium & hærentia corpori tegmina, non nisi de nocte deponebant.

Jumentis pedes novem.) Jumentis sarcinariis, calonibus, lixis & impedimentis hæc adsignatur pedatura, ea latitudine quæ jumentis sufficere possit. Columella bubilia pedes decem vel minime novem lata fieri vult, quæ mensura ad procumbendum pecori & jugario ad circumeundum laxa ministeria præbeat. Virgilius in castris Latinorum famulos Rhamnetis temere inter tela & aurigam sub ipsis equis cubantem describit. Æneid.IX.

Tres juxta famulos temere inter tela jacentes
Armigerumque Rhemi premit aurigamque sub ipsis
Nactus equis.

Ponimus autem in his æstivis sub dio, equos; quia Hyginus spacium hoc, quod adsignat jumentis, distinguit a papilione; nec usquam legi sub tabernaculo, sed aliquoties strato dorso stetisse. Nec res ipsa est probabilis; cum tantum impedimentorum & tanta tentoria, quæ cum milite equos capiant, nimium oneratura sint exercitum. Sed totam hanc hemistrigii ordinationem in Magone, nisi fallor, Amilcaris in contubernio cum contubernalibus suis jacente, depingit Silius Italicus, ita canens:

——— *Nec degener ille*
Belligeri ritus, taurino membra jacebat
Effultus tergo, & mulcebat tristia somno.
Haud procul hasta viri terræ defixa propinquæ,
Et dira e summa pendebat cuspide cassis,
Et clypeus circa, loricaque & ensis, & arcus,
Et telum Baleare: simul tellure quiescunt,
Juxta lecta manus, juvenes in Marte probati.
Et sonipes strato carpebat gramina dorso.

Præterea ignes in hac pedatura jumentorum, quæ jumentis, (neque enim tot numero erant) non explebatur, fieri solitos Virgilius innuere videtur Æneid.IX.

——— *ubi ignem*
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos.

Juxta equos in hemistrigio rite religatos, ignes fuisse non quidem, quia vigilibus totam noctem servabantur, sed qui calefaciendo corpori aut cibis coquendis fiebant, & ubi cubitum discederent, extinguebantur aut paulatim deficiebant.

Quoniam cum comprehenderet.) Profligatissima scriptura: an scripserat: *quoniam conjuncti tendunt*? Causam enim afferre videtur, quare papilionis armorum & jumentorum pedatura bis computet hemistrigio nondum absoluto, videlicet quia jumentis jumenta continuantur. Hyginus infra: *Quoniam disciplina militari ad suum quisque numerum conjuncti conveniunt*. Festus: *Striges sunt ordines rerum inter se conjunctæ copulatarum*: aut, ut alii codices habent, *continuate copulatarum*: vocabulo huic rei proprio. Sic Cicero libro de natura Deorum primo, de atomis ex Theologia Epicuri: *In hac igitur immensitate longitudinum, latitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quæ interjecto inani cohærescunt; tamen inter se & aliæ alias apprehendentes continuantur, ex quo efficiuntur hæ rerum formæ atque figuræ*. Varro tauros, ut lupos propulsent, frontibus diversos, clunibus continuatos adsistere dixit. Polybius manipulos triariorum & turmas equitum, hastatorum item & principum manipulos tergis continuatos, frontibus diversos collocat: Μετὰ δ' τὰς πρίγκιπας ὄπισθεν τούτων ὁμοίως ἔμπαλιν βλέποντας, συμψαύοντα δὲ τὰ χήματα τιθέντες τὰς ἀϛάτας περεμβάλλουσι.

Et efficitur striga pedum LX.) Refer hæc ad sequentia & scribe: *efficiunt strigam pedum sexaginta reliqui pedes duodecim*, vel *efficitur striga pedum sexaginta reliquis pedibus duodecim*. Hos enim duodecim pedes reliquos efficere pedes sexaginta perspicuum est. Festus: *Striges sunt ordines rerum inter se continuate copulatarum a stringendo*: imo potius a *strigando* antiquo verbo ejusdem significationis. Charisius Sosipater: *Striga, castrense vocabulum, intervallum turmarum significans, in quo equi strigantur; unde etiam strigosi dicuntur equi corpore macilento*. Vocabulum hoc in castris antiquum, (*strigosi* enim jam Livio dicuntur *equi* & ante hunc Sabino Masurio apud

Gellium) in Urbe vix unquam receptum videtur. Optimi enim Latinitatis auctores, cum de ſtrigis & hemiſtrigiis loquuntur, non ſtrigas, ſed quod erant, ordines appellant. Livius de caſtris Romanis: *Deſcripta ſuis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis*. Lucilius: *Hic ubi conſeſſum pelleſque ut in ordine tentæ*. Cæſar de caſtris Numidarum incompoſitis & inordinatis: *Numidæ barbara quadam conſuetudine nullis ordinibus paſſim conſederant*. Græci ῥύμας appellant vicos, a ſimilitudine: quemadmodum enim in vicis domus, ſic in caſtris tentoria ab utraque parte viarum vicinalium in longum exporriguntur. Polybius: τῷ γὰρ ὄντι ῥύμαις παραπλήσιον ἀποτελεῖται τὸ τῶν διόδων σχῆμα πασῶν, ὡς ἂν ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους, αἱ μὲν ταγμάτων, αἷς δ' ἰλαμῶν ἐπὶ τὸ μῆκος παρεμβεβληκότων. Joſephus vicos Romanis in caſtris compoſite dirigi ait & ordinarii: ῥυμοτομοῦσι δ' ἐνδιαθέτως εἴσω τὸ ςρατόπεδον. Julius Africanus utroque verbo & Græcorum & Latinorum, ῥυμοειδῶς κατ' ὄρδινον, conſtitui tentoria modico inter ſe intervallo diſtantia, capite περὶ ἀπλήκτων: Τὸ δὲ πλάτος τῆς τοιαύτης ὁδοῦ ἄχει τεσσαράκοντα εἶναι ἢ πεντήκοντα ποδῶν, ἑκατέρωθεν δ' αὐτῆς παρακεῖσθαι ῥυμοειδῶς τὰς τένντας τῶν ἱππέων κατ' ὄρδινον ἐχούσας ὀλίγον ἀπ' ἀλλήλων διάςημα. Quem uno atque altero verbo immutato, ut ſcilicet ſuum aliquid agnoſceret, deſcripſit Leo Imperator, Conſtitut. XI. ἔνθεν κἀκεῖθεν παρακεῖσθαι αὐτῇ τὰς τέντας ῥυμοειδῶς καὶ ὄρδινον ἐχούτας αὐτὰς ὀλίγον ἀπ' ἀλλήλων διάςημα. Similis ῥυμοτομία hæc vicorum in urbe, ut teſtatur Polybius, directionis: nam urbes cum cura ædificatæ pariter ac caſtra, dimenſa viarum ſpacia & directos vicorum ordines habebant. In Roma quidem veteri illa, quæ cæſis Gallis inſtaurata, feſtinatio curam exemerat vicos dirigendi, dum amiſſo, ut ait Livius, ſui alienique diſcrimine, in vacuo ædificaverant. At in nova & Neroniana Roma, dimenſis vicorum ordinibus ac latis viarum ſpaciis ac patefactis areis, ædificatio peracta erat.

Ped.LX.) Triginta & ſexaginta pedes in caſtris Hyginianis perpetua hemiſtrigii & ſtrigæ latitudo. Hanc pedaturam tam equites quam pedites, tam legionarii quam auxiliares accipiunt. Hac pleræque caſtrorum partes definiuntur. Ampliata quidem interdum aut contracta: nam in caſtris Polybianis areæ & viæ non triginta & ſexaginta, ſed quinquaginta & centum pedum: ea juſta latitudo eſt. Rurſus apud Cæſarem lego tota caſtra hoc anguſtiora fuiſſe, (haud dubie itaque & ſtrigæ & viæ) quod Cæſar ſine impedimentis legiones tranſportaſſet. Hoc tamen maxime obſervatum, ut iiſdem in caſtris eadem omnium ſtrigarum, in quantum fieri poſſet, latitudo eſſet, quo rigor viarum, ordo metationis & tota compoſitionis ratio recte cuſtodiretur. Ideoque ut in caſtris Hyginianis per ſexaginta & triginta pleraque diſponuntur, ſic in Polybianis per centum & quinquaginta.

Reliqui pedes XII.) Duodecim pedes actuarii limitis latitudo. Octo pedes viæ minimæ vel duorum actuum, quatuor pedes actus latitudo. Hyginus: *Actuarii autem extra maximos decimanum & cardinem latitudinem habent pedum duodecim: per hos iter populo ſicut per viam publicam debetur*.

Qui converſantibus ſpatio ſufficient.) Frontinus de coloniis: *Sed ſi converſationis cauſa eas partes inter ſe cuſtodiendas cenſuerunt, non rectura imputandum eſt, ſed concurrenti definitioni fides adhibenda*. Dubitabam tamen, anne hic verius, *qui concurſantibus &c.* Hoc certe in pedatura hac viarum arbitror: ut eos qui ad viam quamque tendunt, via capiat, ne, cum educitur exercitus aut ad arma concurritur, alii aliis impedimento ſint.

A Duo papiliones tegunt homines ſedecim, occupant pedes duodecim in longitudine hemiſtrigii. Erit in via duodenum pedum quadrata totidem pedum area, in qua ſedecim milites, ſinguli tres pedes quadratos accipient. In caſtris Polybianis area centum per centum capit homines centum viginti: hoc bis, erunt ducenti quadraginta. Hi in via intercurrente pedum quinquaginta, ſinguli in longitudine pedes ſex, in latitudine tres accipient: reliqui ſex pedes, qui centurionibus & ſigniferis antecedentibus agmen ſpatio ſufficiunt. B Atque ita Hyginus abſolvit ſtrigæ latitudinem, ſed non ſatis clare oſtendit, quo quæque ordine diſponantur. Verborum quidem ordinem conſideranti apparet, primo loco papiliones collocari, ſecundo arma, tertio jumenta. *Papilioni*, inquit, *dantur pedes decem, armis pedes quinque, jumentis pedes novem*. Sed deinde *hoc*, ait, *bis*: an igitur ſecundum jumenta alius ordo papilionum, armorum, jumentorum, nulla interjecta ſemita aut via ad exitum? verba id quidem præ ſe ferunt, res ipſa minime probabilis eſt. Quis enim credat milites inter jumenta & arma, medios tanquam in carcere cluſos fuiſſe, nulla ad exitum & introitum C relicta pedatura. Spatium vero hoc pedum duodecim in duo dividere & inter jumenta & papiliones pedes ſex in quoque hemiſtrigio interjicere quis audeat, cum Hyginus conjungat, abſolutis duobus papilionum, armorum & jumentorum ordinibus, demum mentionem ejus faciat, & ſic integram ſtrigam abſolvat? Accedit quod non cauſæ ſatis eſſe videtur, cur unus ordo papilionum, armorum & jumentorum, hemiſtrigium appelletur, & duorum ordinum compoſitio ſimul doceatur, niſi ſi bini ordines continuentur. Neque enim ſolius formæ cauſa dimidio longioris quam latioris ſtrigæ latitudinem ſexaginta pedibus definiri crediderim: D cum laxius ab Hygino ſumatur ſtrigæ longitudo, quam de pedatura centum viginti pedum. Et ſi tantum in forma eſſet, ea non minus inveniretur in latitudine triginta pedum hemiſtrigii & in longitudine ſexaginta pedum, quam in latitudine ſexaginta & in longitudine centum viginti pedum. Probabilius itaque eſt Hyginum, cum duplicari hanc pedaturam jubet, jumenta jumentis continuari, deinde arma, poſtremo papilionum ordinem adponi velle. Ita papiliones a fronte viam, a tergo arma & jumenta ſua habebunt, & quamvis averſi, eodem tamen ordine tendent. In caſtris E Polybii ea perpetuo ratio obſervatur, ut duæ areæ, ſed grandiores aliquanto his (centum enim pedum pleræque ſunt) ſeſe contingant, & in his tendentes manipuli omnes averſi, vias intercurrentes reſpiciant. Hæc ratio in caſtris Hyginianis non aliter procedit, quam ſi ita ſingulæ centuriæ tendant converſæ, ut antea in Polybianis manipuli: nam cum non manipulatim ut illi, ſed per cohortes & centurias tendant, vel in totarum cohortium vel in centuriarum collocatione hæc ratio obſervetur, neceſſe eſt. Atqui in cohortium ordinatione non obſervatur. Cohortes enim legionariæ a tergo viam ſagularem habent, non tur- F mas aut cohortes alias: alis quoque milliariis in prætentura ſingulis via ſua objicitur. Lateribus prætorii & in retentura poſſit fortaſſis ſimile aliquid fingi in tenſione cohortium & alarum, quæ illic nulla interjecta grandiori via conjuncti tendunt: ſed pedaturæ eorum inæquales cum Polybiana ratione non faciunt. Sequitur itaque, ut in compoſitione ſingularum centuriarum cuſtodiatur. Nam non tantum Polybius, ſed etiam poſteriorum ſæculorum ſcriptores, Joſephus, Africanus, alii, ut antea oſtendimus, ſtrigarum ordinem & directionem vicis in urbe adſimilant. In urbibus

autem ea vicorum compositio est, ut ad quamque viam bini ædium ordines sint in viam respicientes: inter viam bini similiter ordines, sed aversi & tergis sese contingentes. Eadem igitur strigarum quoque in castris ratio. Quibus de causis in formis, quibus cohortium metationem expressimus, hunc ordinem & dispositionem stricte secuti sumus: ut post papiliones constituerimus arma, post hæc jumenta, deinde alia iterum sequentis centuriæ jumenta, rursus arma & papiliones, interjecta denique via pedum duodecim, papiliones, arma & sic deinceps: vide formas N. 1. 2. 3. & 5. Quia tamen non satis perspicuus hic est Hyginus, nec desunt causæ, propter quas aliter aliis videri possit, illam compositionis rationem, qua eodem respiciunt ejusdem cohortis centuriæ & inter unumquodque hemistrigium via senum pedum collocatur, adjecimus forma quarta. Erunt fortassis etiam, quibus verius videatur, ante tabernacula poni arma. Nec pugno, si quis olim ita fuisse contendit. Dionysius Halicarnasseus libro V. meminit τῶν καταπεπηγμένων παρὰ ταῖς σκηναῖς ὅπλων. Sed cum Hyginus primo papilionum, deinde armorum, tertio jumentorum mentionem faciat, ab ejus ordine recedere non sum ausus.

Hæc pedatura ad plenam legionem est computata.)

Proprie ad plenam centuriam: de unius enim & duarum centuriarum pedatura in hemistrigio & striga hactenus tantum egit, non autem de cohortis aut legionis pedatura. Et fortasse an illa quæ sæpe in hoc libello occurrit, nota hic quoque fuerat, qua cum modo centuria, modo legio designetur, imperitus librarius de legione accepit, quod debuit de centuria. Illa certe quæ sequuntur, ad unam tantum centuriam referenda sunt. Nos tamen scripturam non mutavimus, quod vulgata lectio tolerari possit, ut plenam legionem dixerit, pro centuria plenæ legionis: quamvis enim plenæ centuriæ esse possint, ut non sit plena legio propter defectum cohortium vel centuriarum integrarum; legio tamen plena esse non potest, nisi plenæ sint centuriæ.

Ex quibus.) Amat Hyginus post nomina collectiva, quæ vocant, relativum plurale: *Ita fit ut centurio eorum &c. Legio & legatus eorum per vexillarios factum esse contendet. In eo pede præfectus alæ pedaturam accipiet & principales eorum aliquanto laxius tendent.* Ita Salustius: *Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna pendenda erat. Quorum progeniem.* Sed hæc nota sunt: tangenda erant, ne quis in scriptura vitium suspicaretur.

Ex quibus in vigiliis singulis eunt.) Puto *in vigilias singulas*: ut, *in stationes & vigilias ordine ibant.* Non expressit, quot homines ex quaque centuria in vigilias eant. Sed cum duos papiliones propter absentiam vigilum de numero quem prius adsignaverat tollat, probabile est, sedecim homines esse, hoc est, quatuor excubias. Excubia enim una quatuor homines erant, unde & τετράδιον appellatur, ut apud Lucam in Actis Apostolorum, ubi Petrus ab Herode in custodiam conjectus, τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν servandus datur, hoc est, quatuor excubiis sive sedecim militibus, quot Hyginus ex singulis centuriis quotidie vult excubare. Sed anne duo integra contubernia quotidie in excubiis? Hygini quidem verba id innuere videntur: decem enim papiliones dedit in centuriam, qui octonos homines singuli tegant: demit nunc duos de numero papilionum, in numero contubernalium nihil mutat. Sed mihi tamen rem propius consideranti, minime id fit probabile: cum enim octo papiliones centuria tantum tendat, neque adeo spatium sit, quo plures capiantur adsignata centurioni cætera pedatura, quibus tandem papilionibus vigiles ex vigiliis redeuntes recipientur? ubi tendent? deest enim locus, nisi si in locum succedentium in vigilias succedant, & alii in aliorum tentoria quotidie transmigrent. Quod non est verisimile. Tentoria enim militi domus & penates sunt: non mutant hæc nisi castris motis: in his, sive in vigilias & stationes eant, sive alio expediti ducantur, relinquunt vasa, sarcinas, & quicquid est peculii castrensis aut instrumentorum belli. Quare probabilius est, binos ex quoque contubernio vigilias obire, ac inde fieri, ut contubernium cum ex decem hominibus constet, octo tamen tantum habeat. Sed de vigiliis pluribus suo loco.

Ita sicut centurio eorum.) Scribe: *Ita fiet ut centurio eorum.* Hyginus infra: *Ita fiet ut cohortes prætoriæ & reliquus numerus, qui latere prætorii tendit, integris strigis sua pedatura optime tendant.* Idem error librarii in istis: *Ita sicut & pari numero dispositi decuriones & reliqui principales eorum propensius tendant*: fuerat enim: *Ita fiet ut, &c.*

Centurio eorum in eadem pedatura eorum papilionum.) In pedatura duorum papilionum, quos demsit, locum centurioni adsignat: non addit, quantum loci. Non equidem arbitror tam laxe tetendisse, ut totam hanc pedaturam quatuor & viginti pedum occuparet, sed potius relictum aliquantum viæ transversariæ, (fortasse an duodecim pedes, ut in latitudine strigæ) quo posteriores centuriæ ejusdem cohortis ad priores, & contra priores ad posteriores transire, jumenta aquatum, pabulatum, aut ad alios usus educi, & cætera recte administrari possint. Absurdum enim sit nihil hic viæ aut semitæ fuisse, præsertim in hemistrigiis longioribus trecentorum sexaginta, sexcentorum & septingentorum viginti pedum: quod non debuit omisisse Hyginus.

Pensionem accipiat.) Scribo *tensionem accipiat*: ut paulo ante: *Accipit incrementum tensuræ.*

Legiones quoniam sunt militiæ provincialis fidelissima.) Salmasius legit, *militis provincialis fidelissimi*. Nec addit causam, propter quam mutet τὸ *militiæ*. Fuit fortasse an illa, quod ei ut Bezæ & Scioppio *militia* pro exercitu insolens videretur. At in scriptoribus medii ævi ita sæpe accipitur. Tacitus Historiarum primo, *urbanam militiam & prætorias cohortes legionibus & Germanico exercitui* opponit. Ambrosius de vocatione gentium: *Cœlestium armorum præsidio a dextris & a sinistris instruitur Christiana militia.* Tertullianus de Oratione: *Nam & militia Dei sumus.* In Evangelio Lucæ: πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου: quod vertit vulgatus Interpres: *Multitudo militiæ cœlestis.* Beza post Ambrosium: *exercituum cœlestium*: quod *militiam* pro exercitu nusquam legerit. Quid? quod apud Livium *cogere militiam*. In quarto: *Lege sacrata, qua maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectus habitus.* Quare retinebimus scripturam libri. *Provinciales* autem *legiones* appellantur, non sine causa. Veteri republica, ut notum est, ex solis Romanis: sed obortis civilibus bellis vulgataque civitate Romana primum ex Latio & Italia, deinde & e Provinciis scripserunt legiones. Augustus autem adeptus terrarum imperium, Italis, ut auctor est Herodianus, munera militiæ omnino remisit. Prætoriæ quidem & urbanæ cohortes ex Etruria, Umbria, Latio & coloniis in Italia sub Imperatoribus primis deligebantur. Ideo Italiæ alumnos & vere Romanam juventutem apud Tacitum appellat Otho. Sed legiones pene omnes ex Provinciis: unde & provincialibus militibus adnumerantur. Præterea Augustus ex copiis

militaribus legiones & auxilia omnia provinciatim distribuit. Prætoriis tantum urbanisque cohortibus Urbem & Italiam continuit: hinc opponunt legionibus urbanum militem. Tacitus Historiarum I. *Varios motus non solum apud urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat*. In secundo prælio inter Othonianos & Vitellianos: *Hinc legionum & Germanici exercitus robur, inde urbanæ militiæ & prætoriarum cohortium decus attollentium: illi ut segnem & desidem & circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum & externum increpabant*. Et quemadmodum veteri republica legiones, quæ ad custodiam Urbis aut subita belli conscriptæ interim ex Urbe non educebantur, & sub Cæsaribus cohortes quæ in Urbe continebantur, *urbanæ* dicebantur: sic legiones etiam quod in provinciis tendebant, *provinciales* recte appellari potuerunt. Quantum autem ad rationem legionis Hyginianæ attinet, tributa in decem, ut semper apud Romanos, cohortes, habet quinque millia ducentos octoginta homines: cohors prima nongentos sexaginta, cæteræ quadringentos octoginta. Junguntur his vexillarii, cohors vel vexillum unum, quingenti homines: erunt in unum quinque millia septingenti octoginta. In cohorte centuriæ sex, singulæ hominum, ut diximus, octoginta. Omnem hanc turbam fuisse gravis armaturæ, Hyginus quidem non dicit, nos tamen non falso suspicamur, quod eodem vocabulo appellantur, iisdem ordinibus tendunt & eandem omnes accipiunt pedaturam. Nam levis armatura, ut vilior contemtiorque, nec tantum impedimentorum trahens, si non loco & nomine distingueretur; at strictius certe tenderet. Sed suspicionibus & conjecturis ex pedatura hic opus non est, quum ætate Hygini, id est, sub Imperatoribus, imo ab illo tempore quo C. Marius militiam immutavit, nullam in legione levem armaturam fuisse liqueat. Neque enim ullo modo adsentiri possum viro celeberrimo & eruditissimo, quo nemo hac ætate latius se per omnem diffudit antiquitatem, censenti, nomen quidem velitum, sed non levem armaturam de legione sublatam: mutationem autem in eo consistere, quod cum antea omnes manipuli partem scutatorum, partem velitum haberent, postea quædam cohortes totæ ex gravi armatura, aliæ totæ ex levi in legione fuerint. Ita enim scribit in libro inchoato de re militari: *Ex velitum corpore, qui mille ac ducentos pedites constituebant, duæ compositæ cohortes singulæ sexcentorum peditum. Ita septenæ cohortes exierunt ex quaternis ac ducentis illis millibus, quibus constabat antiqua legio, in velites, hastatos, principes ac triarios dispertita: sed quia tunc legio sena millia militum accepit, nova illa quæ a Mario introducta est institutione, tres adjectæ sunt cohortes, ut decem fierent partim ex gravi, partim ex levi, ut verisimile videtur, armatura. Fingamus unam levium fuisse additam, duas gravium armatorum. Sic decem cohortes legionis plenæ extiterunt ex senis millibus constantis, ex quibus tres fuerant levis armaturæ. Si velimus duas tantum ex levibus fuisse concinnatas, quot olim velites in legione fuerunt, id etiam licet. Conjectare tamen possimus etiam leves antiquos de novo additos. Quod si est, non minus addi potuit, quam ex quo una cohors fieret. Ita ergo nomen velitum in hac nova legionis institutione abolitum est*. Hæc ille. Quæ non tantum incerta (ipsa id fluctuatio ostendit) sed etiam omnino a vero aliena esse, certus sum. Decem in legione cohortes erant, ex quibus unaquæque, Cæsaris etiam ætate, tres manipulos vel certe sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem pilanorum habebat. Nam apud Cæsarem non tantum de primipilo, sed etiam de A principe & quidem priori cohortis primæ legitur. Meminit & Cicero octavi principis eadem ætate. Aliorum alii, ne putes intra cohortem primam nomina hæc stetisse, viginti, inquam, hastatorum, totidem principum & triariorum centuriæ etiam tunc erant. Non dico censu & ætate ista genera tunc distincta fuisse, non aliis armis hastatos & principes instructos, aliis triarios; sed servasse vetus nomen & omnes gravis fuisse armaturæ. Nusquam enim illo ævo invenias, nomina hæc ad levem armaturam translata: nulla itaque in legione cohors, nulla centuria levium armatorum. Antesignanos quidem & antesignanorum signa & cohor- B tes habent, sed antesignani neque velites fuerunt, neque velitum successores, ut infra probabimus. Habent & leves cohortes, ut Tacitus Annalium: *Hostes tota vi in novissimos incurrerunt, turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes*. Sed istæ non legionariæ, sed auxiliares sunt. Jam olim enim levibus militibus, a sociis missis aut ab externis mercede conductis, usi leguntur: bello Punico secundo Hiero epistola ad Senatum scribit: *Milite atque equite scire nisi Romano Latinique nominis uti; levium armatorum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis: itaque misisse mil-* C *le sagittariorum ac funditorum aptam manum adversus Baleares ac Mauros pugnacesque alias missili telo gentes*. Hic miles & præfectos & cohortes habuit suas: de hoc, non de legionario accipi debent, quæ de levibus cohortibus in historia Romana dicuntur, hic tunc levem armaturam omnem faciebat. Hinc distinguunt fere & opponunt eum legionariis. Scriptor belli Hispaniensis: *Ceciderunt ex levi armatura* CCCXXIV. *ex legionariis* CXXXVIII. Tacitus: *Legionarius frequens ordinibus levi cum armatura conglobatus*. Græci illa ætate ideo legiones ὁπλιτῶν, solas cohortes auxiliares levis armaturæ appellant ψιλῶν vocabulo, quo an- D tea velites etiam designabantur. Non autem dubito Cajum Marium, qui corrupto antiquo ordine & more, majorum pleraque mutavit in legione Romana, etiam velites sustulisse & cum velitibus omnem levem armaturam. Sustulit enim censum in delectu, a quo discrimen classium honoratæque & minus honoratæ militiæ: neque probabile est hominem popularem scribentem milites, prout cujusque libido erat, nulla habita census ratione, quosdam in levem armaturam rejecisse; sed potius leves ad honestiorem gravioremque traduxisse militiam. Accedit quod ex eo tempore omnia per cohortes geri cœperunt, cum antea manipulatim, quo tria- E rii, hastati & principes etiam inter se æquabantur quodammodo. Præterea arma levis armaturæ, parmulæ cum septenis hastis, tum ademtæ: de parmulis Festus: *Parmulis pugnare milites soliti sunt, quarum usum sustulit C. Marius, datis in earum vicem Bruttianis*. Ergo non nomen tantum, sed etiam arma mutata, & in graves armatos omnes legionarii delecti fuerunt. Vegetius more suo turbat & confundit tempora, libro 2. *Legionibus semper auxilia, tanquam levis armatura, in acie jungebantur, ut in his præliandi magis adminiculum esset, quam principale subsidium*. Post iterum in- F serit legioni leves, & quidem abolitum jam pridem nomen, *ferentarios*, item *funditores & sagittarios*, qui neque prisca republica, neque sub primis Imperatoribus pars legionis fuerunt, & *balistarios*. Eodem libro. Post has, *erant ferentarii & levis armatura, quos nunc auxiliatores & armaturas dicimus*. Auxiliatores ait dictos, haud dubie inde, quod nulla sub Imperatoribus levis armatura, præter auxiliares & mercenarios.

Ad vallum tendere debent.) Proprius hic locus in castris Hyginianis legionum, aut, ut verius di-

cam, cohortium legionariarum præter primas. Inferius: *Quod ſi legiones plures fuerint, & ſupplementa pauciora, ut neceſſarium ſit cohortes circa vallum crebrius ponere*. Item: *Quod ſi plus vel minus ſupplementis dandum fuerit, omnia immutabuntur & cohortes circa vallum aliter tendent*. Africanus etiam ſcutatos & gravem armaturam, vallum & latera caſtrorum tueri ab omni parte jubet: Τα συντάγματα τῶν ὁπλιτῶν γυρόθεν τὸ περιμέτρου τοῦ ὅλου φοσσάτου συντεταγμένα κατὰ τάξιν &c. Nec nova hæc ratio metationis. Ex illo certe, ut diximus, tempore apud Romanos in uſu fuit, quo cœperunt ex ſociis legiones conſcribere, quoque velites de legionibus ſublati. Virgilius caſtra Æneæ more poetarum ad modum ſuæ ætatis revocans, totas legiones ad vallum in excubiis ponit, iiſque curam dat valli tuendi:

Omnis per muros legio ſortita periclum.
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum.

Tacitus ſimiliter in caſtris Quintilii Vari ambitu caſtrorum locat cohortes legionarias: *Prima Var. caſtra lato ambitu & dimenſis principiis trium legionum manus oſtentabant*. Quem locum ignorantia caſtrametationis ævi illius viri doctiſſimi non bene intellexerunt. Vir celebris in commentariis ad Tacitum: *Quo argumento*, inquit, *ex principiis colligebatur manus trium legionum? quia quoties plures legiones unis caſtris, principia ſuæ cuique legioni deſcripta, in quibus aquila & ſigna, item principia majora*. In analectis ad militiam Romanam: *Si tres ſub uno Conſule legiones, tunc metatio latior & principia per vias ſuas magis diviſa. Sic interpretor. II. Annalium de Germanico, qui cum copiis ad infelicem locum venit, ubi Varus cæſus. Prima Vari &c. id eſt, cum principia dimenſi eſſent, repererunt tribus legionibus locum*. Nec aliter Henricus Savilius: quæ talia ſunt, ut toto cœlo & a mente Taciti & a more Romanorum diſtent. Quis enim legit unquam, quot legiones, tot in caſtris Romanis principia fuiſſe, aut cum tres ſub uno conſule legiones, tunc metationem latiorem & diviſa per vias principia? Inaudita hæc & abſurda ſunt. Jam hoc quoque parum probabile eſt, dimenſum principia Germanicum. quid enim dimetiretur? an ut ſciret, cum quot legionibus Varus concidiſſet? at nemo hoc illa ætate ignorabat: an ut locum ubi tetendiſſent, inveniret? at illum ipſa adhuc caſtra oſtentabant. Hæc enim Taciti mens eſt, oſtentaſſe etiam tunc expugnata ante ſex annos & disjecta Vari caſtra Romanæ compoſitionis modum & rationem & præcipue lato caſtrorum ambitu, id eſt, circa vallum undique & in principiis ex diſciplina Romana dimenſis, ſedem legionum. Per omnem enim caſtrorum ambitum cohortes legionariæ & ad principia duæ cohortes primæ tendebant, tertia in prætentura, cum tres legiones eſſent, ut infra docet Hyginus.

Ut opus valli tueantur.) *Opus valli*, *opus caſtrorum* & abſolute *opus*, ut præcipua inter opera militaria, caſtrorum munitio paſſim appellatur. Hyginus infra totum hoc ſpacium, quod eſt inter vallum & legiones, *opus pedum ſexaginta* vocat. Cauſa, propter quam hic legiones collocat, perſpicua eſt & ſatis clare docetur. Nec alia de cauſa Æneas in urbe obſeſſa ea parte, qua facillime adiri poteſt & hoſtium inſidiis maxime opportuna eſt, honoratiſſimos civium & participes reipublicæ, vigiles collocat.

Et exercitum gentibus meatum ſuo numero corporali inmuroſene.) Intricatiſſima lectio: cujus tamen ſenſum, opinor, quam verba facilius divinaveris. Salmaſius notis ad Vopiſcum legit: *& exercitum gentium ſuo numero corporali ceu muro teneant*. Nos conabamur: *& exercitum gentium exterarum ſuo numero corpora legionem contineant*. Vel: *exterarum gentium motum ſuo numero corpora legionum contineant*. Tale enim aliquid latere videtur. *Corpora legionum* ſunt legiones vel cohortes. Frontinus: *Caſtra antiquitus Romani paſſim per corpora cohortium, veluti mapalia, conſtituere ſoliti erant*. Veteri militia manipuli: quo ſenſu Ovidius:

Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
Corpora

Hyginus capite 4. *Ita fiet ut nationes ſupraſcriptas ab omni parte contineant*.

Quando autem ſupplementa plura fuerint.) Supplementa non ſunt Hygino, quæ vulgo Latinis, ſed auxilia; immo quicquid præter legiones militum in exercitu. Univerſum enim exercitum in legiones & ſupplementa tribuit: *Quod ſi legiones plures fuerint & ſupplementa pauciora. Quotiens tres legiones cum ſupplementis acceptæ fuerint*. Auxilia equidem ſub Imperatoribus non ſolebant tantum vicem legionum ſupplere, ſed etiam ipſas interdum legiones. Tacitus Hiſtoriarum III. *Claſſicis Ravennatibus legionariam militiam poſcentibus optimus quiſque adſciti, claſſem Dalmatæ ſupplevere*. Idem de ordine militiæ ſub Vitellio Principe turbato & confuſo: *Sibi quiſque militiam ſumſere, quamvis indignus, ſi ita maluerat, urbanæ militiæ adſcribebatur: rurſus bonis remanere inter legionarios vel alares volentibus permiſſum*. Sed cum laxius vocabulum hoc accipiat Hyginus, dubito, anne Gromatici copiam, quæ intra viam ſagularem tendit, ſupplementa appellaverint, quod interiora caſtra velut locum ab legionibus nudum relictum ſupplerent.

Ubi neceſſe eſt chors pedaturam extendere.) Malim: *ut neceſſe ſit cohortis pedaturam extendere*: paulo poſt: *Quod ſi legiones plures acceperimus & ſupplementa pauciora, ut neceſſarium ſit cohortes circa vallum crebrius ponere*.

Cobortis pedaturam.) Hyginus cum cohortium ἁπλῶς meminit, legionarias fere intelligit, contra morem ſcriptorum ejus ætatis, quorum plerique cohortes auxiliares, quas hic *cohortes equitatas & peditatas*, ſine alio additamento *cohortes* nominant, ut in Tacito, Suetonio, aliis, paſſim videre eſt. At in Cæſare Ciceroniſque & Pompeii epiſtolis obſerves, non tantum cohortes legionarias cohortes ſimpliciter dici, ſed etiam cum cohortium numerum, qui plenas legiones facit, ut puta, decem, viginti, triginta, quadraginta, non minus ſæpe per cohortes quam per legiones exprimi, ſive quod ea tum placuerit ratio, qua omnes copiæ comprehendi poſſent, ſive quod ex diverſis legionibus, ſive quod recens conſcriptæ & nondum in legiones hæ cohortes diſtributæ eſſent.

Pedaturam extendere.) Cum pauciores legiones & ſupplementa plura fuerint, non quidem laxius tendent, aut plus pedaturæ cohortes occupabunt: ſed ita in longum exporrigetur earum pedatura, ut pauciores cohortes univerſum caſtrorum ambitum expleant, auxiliis vero cæteriſque copiis intra viam ſagularem tendentibus plus ſpacii relinquatur.

Servat altitudinem emiſtrici & id pede manenti jam mutavimus.) Lego: *ſervata latitudine hemiſtrigii & ad pedem manente aream mutabimus*, vel *eam mutabimus*, ut referatur ad τὸ *pedaturam*. Mutabimus quidem aream & latitudinem ejus imminuemus; ſed ea tamen lege, ut latitudo hemiſtrigii triginta pedum obſervetur, hoc eſt, ut triginta & inde multiplicatis pedibus, puta, nonaginta vel centum viginti imminuatur: ita latitudo hemiſtrigii ſervabitur. Longitudo autem hemiſtrigii plerunque centum viginti pedibus augetur vel

N° 1.

120.

AB

A

B

N. 2.

N. 3.

360.

N. 4.

360.

N. 5.

180.

AA Hemystrigium

BB Striga

minuitur, ut integræ centuriæ eodem ordine tendant. Sed plerunque non ſemper: in forma enim centum quinquaginta per centum quinquaginta id non obſervatur, quam tamen Hyginus ideo in quantum fieri potuerit evitare jubet. Hoc quoque in mutatione hac pedaturæ cohortis obſervatur, ut hemiſtrigia ejuſdem longitudinis ſint, quo ne aut partem nudam relinquere, aut cohortes miſcere neceſſe ſit.

Ad pedem manente.) Hyginus infra: *Ut alæ milliaria in pedatura ad pedem tendant.*

Ut quis fuit CXX. *per* CLXXX.) Scribe: *ut queis fuit*, vel *ut quæ fuit*: videlicet, area vel pedatura, cujus latitudo centum viginti, longitudo centum octoginta pedes. *Centum viginti*, inquit, *per centum octoginta*, quia area, lineis rectis, ſed tranſverſis finitur, & ut magnitudinem ejus inveniamus, latitudinem per longitudinem metimur. Frontinus: *Pes conſtratus ſic obſervatur: longitudinem per latitudinem metiemur &c.* Nam in angulis rectis quadratis æquilateris, vel altera parte longioribus, numerus latitudinis per longitudinem multiplicatus, ut notum eſt, efficit totius areæ pedaturam. Conſtat hæc area ſex hemiſtrigiis hemiſtrigium centuriam accipit, ut in forma ſubjectum eſt, N. 1. Non enim quinque centurias, ut vult Vegetius, ſed ſex, antiquo Romanorum inſtituto, cohors Hyginiana habet. Probant id omnes hæ, quæ cohorti adſignantur, pedaturæ: tum quod ampliores, quam quinque centuriæ requirant, tum quod alius formæ, quam in qua quinque centuriæ rectæ tendant ex præſcripto Hygini, qui vult centuriam eodem quamque hemiſtrigio accipi. Quinque centuriæ iſto modo quinque hemiſtrigia poſtulant: at hæ pedaturæ, alia ſex, alia tribus, alia duobus hemiſtrigiis conſtant. Nulla itaque harum ejuſmodi cohorti apta eſt. Quare fallitur Salmaſius in libro de re militari Romanorum, qui putat, ex quo cohortes primæ milliariæ factæ ſunt, cæteras cohortes, (atque adeo hanc ipſam ob cauſam, quod cohortes primæ milliariæ) quinque tantum centurias habuiſſe: in legione enim Hyginiana, quamvis cohortes primæ duplum numerum, cæteræ tamen omnes ſex centurias habent.

Sic ſit XC. *per* CCXL.) Hac forma in caſtris Hyginianis trium legionum cum ſupplementis, ſedecim cohortes legionariæ lateribus caſtrorum tendunt. Accipiunt ex longitudine caſtrorum ducentos quadraginta, ex latitudine nonaginta pedes; & tendunt tribus hemiſtrigiis, quorum unumquodque duas centurias accipit.

In modum forma & ſubjectum) I. e. in modum forma ſubjectum. Formam vide, N. 2.

Vel LX. *per* CCCLX.) Hac forma quatuor cohortes in iiſdem caſtris ad vallum juxta portam prætoriam, totidem juxta decumanam, duobus ſingulæ hemiſtrigiis tendunt. Subjecimus formam, Num. 3.

XXX. *Enim ped. perdiæ* XX. *cohors unum occupat:*) Corruptiſſima lectio. Vir ampliſſimus legendum putat: *Triginta enim pedes perticæ cohors una occupat.* Unam enim adſignationem *perticam* menſores appellant. Sed ſcribimus: *Triginta etiam pedes per ſeptingentos viginti cohors una occupat.* Nam ex corroſis & vitiatis notis numeralibus DCCXX. facile naſci potuit ſcriptura libri DIÆ XX. & deſcriptis jam pedaturis, quibus ſex, tribus & duobus hemiſtrigiis cohors tenderet, ſuperat, ut hanc adjiceret, quo uno eodemque hemiſtrigio. Nam quinque & quatuor hemiſtrigiorum conſulto hic omiſit, quia in his centuriæ ſuo ordine tendere non poſſunt.

Longitudo partis minuetur.) Quantum alteri parti adjicitur, alteri demetur, ſive longitudo, ſive latitudo fuerit: eadem enim ratio eſt. *Partem* hic vocat aream vel pedaturam, qua cohors tendit. Hæc non ſemel Polybio μέρος dicitur. Livius: *Admiratus eſſe dicitur & univerſam caſtrorum ſpeciem & deſcripta ſuis quæque partibus.* Leoni μέρος ſunt tria hominum millia; quam multitudinem ille turmam appellat. Μοῖρα, cuneus, vel ala milliaria. At Polybius manipulos legionarios, ut partes in quas legio dividebatur, μέρη appellat: Ἑξῆς δὲ τούτοις καὶ τῶν ταξιαρχῶν διεῖλον τὰς ἡλικίας, ἑκάστην εἰς δέκα μέρη. & ſtatim: καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν, ὃ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν. Ita & Latini. Varro, *Manipulum*, ait, *minimas eſſe partes, quæ ſequuntur unum ſignum.* Livius IX. *Romana acies diſtinctior, pluribus partibus conſtans*, & XXXVII. *fronte in decem partes diviſa.* Cæſar bello Gallico II. *Quam quiſque in partem ab opere devenit, quæque prima ſigna conſpexit.* De bello civili III. *Numero multis partibus fuiſſe inferiorem.* Quæ etſi ex vulgari conſuetudine ſermonis Latini videntur dicta, ab militari tamen hac diviſione ortum trahunt; fortaſſis cum *partes* militare ſit vocabulum. Sed vide, anne rectius hæc periodus legatur: *Num quoties latitudo duplicatur, longitudo partis minuetur?* ut latitudinem & longitudinem vocet, quæ in prima illa forma centum viginti per centum octoginta longitudo & latitudo fuerunt, & cauſam adjiciat, quare has pedaturas ita mutaverit, quia alteri parti demendum ſit, quod adjicitur alteri: nam illa quæ ſequuntur, oppoſita ſunt his, quæ jam dixit. Dedit enim principio cum hemiſtrigii rationem docuit, formam, quæ accepit latitudinem centum viginti pedum. Adjecit deinde, quomodo hæc extendenda ſit, cum pauciores legiones acceperimus, quam quæ hac forma omnem caſtrorum ambitum complecti poſſint. Nunc ſequitur, quomodo imminuenda hæc latitudo, cum plures legiones fuerint, quam quæ hac pedatura ad vallum tendere poſſint.

Quot legiones plures.) Forte: *quod ſi legiones*, &c.

Ut neceſſarium ſit cohortes circa vallum crebrius ponere.) Quare neceſſarium? quia cohortes legionarias ad vallum vult tendere, aut omnes aut certe plurimas. Cum igitur plures fuerint, minus unaquæque ſpacii ex ambitu caſtrorum accipere poterit. *Crebrius ponere.* Hyginus: *Per ſingulos ordines vigiliæ crebrius ponuntur:* ſed anne *crebriores?* Saluſtius: *Vigilias crebras ponere & eas ipſe cum legatis circuire.* Tacitus: *Poſtquam crebras pro munimentis cohortes & nihil remiſſum ſenſere.*

Convertimus pedaturam quod fuerit ſignis tabulinum num feneſtra mutabimus.) Forte: *convertemus pedaturam, quod fuerat ſignis, tabulino dabimus, & hemiſtrigia mutabimus ratione tenſuræ ſuæ.* Cum plures, inquit, legiones fuerint, quam quæ dictis jam modis ad vallum tendere omnes poſſint, formas quidem non mutabimus, ſed convertemus, ita ut brevius earum latus vallum contingat: exempli gratia: areæ nonaginta pedum per ducentos quadraginta latus pedum ducentorum quadraginta ad vallum erat: nunc converſa pedatura latus pedum nonaginta ad vallum ponemus. Fuerant antea tabulino nonaginta, ſignis ducenti quadraginta: nunc contra tabulino ducentos quadraginta, ſignis nonaginta pedes dabimus. Similiter aream pedum ſexcentorum per trecentos ſexaginta, ſi res exigat, convertemus, ut cohors in ambitu caſtrorum ſexaginta tantum pedes occupet. Ita fiet, ut cohortes iiſdem formis & pedaturis, ſed converſis, crebriores circa caſtrorum munimenta ponantur: quia autem pars hæc areæ ad vallum ſpectans minorem centum viginti pedibus latitudinem habet & proinde centuriam integram non capit, hemiſtrigia quidem ut antea ratione areæ ordinabimus: ſed cum area converſa etiam hæc convertentur & ratione tenſuræ ſuæ muta-

buntur. Antea enim ordines papilionum quibus legiones tendunt ab angulo castrorum ad alium angulum, per longitudinem valli excurrebant: nunc contra a vallo ad viam sagularem & interiora castra exporriguntur. Hic, uti arbitror, vitiati hujus & obscuri loci sensus est. *Signa* autem & *tabulinum* Gromaticorum vocabula sunt, quibus duæ areæ partes latitudo & longitudo designantur. Nam Hyginus cum paulo ante cohorti nonaginta per ducentos quadraginta dederit, infra eandem rem aliis verbis dixit: *Tabulino nonaginta, signis ducentos quadraginta pedes*. Item de cohorte prima: *Quoniam duplum numerum habet, duplam pedaturam accipiet, ut puta, signis pedes centum viginti, tabulino pedes trecentos sexaginta, vel signis centum octoginta, tabulino pedes ducentos quadraginta*. Ubi manifestum est, duo latera pedaturæ, quæ cohorti primæ datur, describi. Cum enim antea cohorti dederat sexaginta per trecentos sexaginta, & nonaginta per ducentos quadraginta, nunc cohorti primæ quia duplum numerum habet, duplicato minori numero pedum, quem signorum nomine appellat, alterum tantum adsignat. Sed quamvis appareat duas pedaturæ partes hisce vocabulis indigitari, non tamen causa latitudinis aut longitudinis, vel minoris aut majoris pedaturæ, altera pars signorum, altera tabulini nomen accipit: in cohortium enim lateribus castrorum tendentium pedatura nonaginta per ducentos quadraginta, minor pedatura *tabulinum*, major *signa* dicitur: at in pedatura cohortis primæ. Item alæ milliariæ contra major pedatura tabulinum, minor signa. Non ratione hemistrigiorum: nam in pedatura cohortium signorum latus est, longitudo hemistrigiorum, tabulinum latitudo. In pedatura alæ milliariæ contra. Nec etiam ratione totorum castrorum: signa enim cohortis primæ ad principia tendentis latus sunt pedum centum viginti juxta viam principalem per latitudinem castrorum sese extendens. In cohorte vero legionaria & ala milliaria latus quod ad vallum & viam prætoriam exporrigitur. Nihil itaque probabilius succurrit, quam signorum latus esse, quo signa constituuntur; constitui autem eo latere, quo quæque cohors aut ala viam aut intervallum grandius habet, in quod se, cum ad arma conclamatur, effundit: ut puta, signa cohortis primæ latere prætorii tendentis ad principia: cohortium cæterarum ad vallum: alæ milliariæ ad viam prætoriam, & sic deinceps. Non quidem ignoro in dictatione metarum mensores ad omnes angulos signa posuisse. Frontinus: *Cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet & ad omnes angulos signa ponere*. Auctor incertus: *Ad omnes angulos signa ponenda, quæ normaliter ex rigore aguntur*. Testatur etiam Polybius in metatione castrorum ad angulos cujusque areæ hastas vel vexilla figi, unde *adsignare locum, pedaturam* in metatione occurrit. Sed cum ad omnes angulos signa hæc ponuntur, unum vel duo latera opposita nomen inde non videntur traxisse. Probabilius itaque, ut diximus, signa dici illam partem, qua signa militaria constituuntur, aut certe ad quam spectant. Hoc enim verbo utitur Hyginus in copiis in prætentura tendentibus: *Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt*. Quod nec mediocriter confirmatur hoc ipso loco: conversa enim pedatura, non signa etiam & tabulinum convertuntur. Sed datur signis quæ fuerat tabulino pedatura, manentibus eo quo antea fuerant loco signis & tabulino. At unde pars altera pedaturæ tabulinum dicatur, obscurius est: an a tabulis interstantibus? Tabulinum enim etiam vocatur, quod tabulis fabricatum est. Varro: *Ad focum hyeme ac frigoribus cœnitabant: æstivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino, quod Mænianum possumus intelligere tabulis fabricatum*. An vero quod revera tabularium cohortium, in qua matriculæ & quicquid scripti erat, servaretur, ab illa parte esset.

Cujusque generis subjecimus.) Columella: *Sed quoniam diversæ agrorum formæ veniunt in disputationem, cujusque generis species subjiciemus, quibus quasi formulis utemur*. Nisi malis: *hemistrigia mutabimus, rationem tensuræ sui cujusque generis subjecimus*. Cæsar: *Primam aciem quaternæ cohortes ex quinta legione tenebant, has subsidiariæ ternæ & rursus aliæ totidem suæ cujusque legionis subsequebantur*. Suetonius: *Ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit, sed desideranti consuetudinem veterem concessit, ut sui cujusque mensis acciperet*. Quod frustra mutat Torrentius in *Nonas cujusque mensis*. Intelligendum enim concessisse, ut tesseras sui cujusque mensis acciperet solito & veteri more.

Aliqua cohors CL. *per* CL. *solet adsignari.*) Scribe: *aliquando cohorti centum quinquaginta per centum quinquaginta solet adsignari*. Quadratum æquilaterum centum per centum Polybio justa manipuli vel turmæ pedatura est. At Hyginus cohortibus, (per cohortes omnia more a Mario instituto ordinat) non quadratum æquilaterum, sed aliquot σχήματα altera parte longiora tanquam justas cohortium pedaturas adsignavit. Nunc ostendit quadratum centum quinquaginta per centum quinquaginta aliquando etiam cohorti dari: sed in bonis formis non habet & duabus præcipue de causis evitari jubet.

Sed in quantum fieri potest debitari debet, de eo quod centuriæ suo ordine tendere non poterunt,) Corrige: *Evitari debet, ideo quod centuriæ suo ordine tendere non poterunt*. Cap. ultimo: *Ab eo latere quo novercæ evitari non potuerunt*: & 2. *ad vallum si fieri potest, ideo tendere non debent, quod, &c.* Prima causa propter quam pedaturam hanc rejicit, quod centuriæ quas integras eodem hemistrigio collocari vult & in superioribus pedaturis collocavit, in hac distrahantur, pars earum uno hemistrigio tendat, pars in aliud traducatur. Cum enim in hemistrigio centum quinquaginta pedum triginta pedes superent pedaturam justam centuriæ, duo secundæ centuriæ papiliones in primo hemistrigio, cæteri in secundo tendent. Quatuor vero tertiæ centuriæ papiliones eodem secundo hemistrigio, reliqui in tertium transferentur: & sic deinceps. Accedit ad hanc, opinor, ἀταξίαν, quod secundum papiliones centurionum nihil viæ relinqui posset recta percurrentis.

Et pedatura cohortis uno pariter nudabitur) Lege: *una parte nudabitur*. Hæc est secunda causa: nam cum duodecim papiliones non nisi quatuor & quadraginta pedes postulent, & sex pedes reliqui in quoque hemistrigio centum quinquaginta pedum, papilionem non capiant; sequitur, ut nudi relinquantur & pereant, quod Hyginus pedaturæ minime prodigus evitari vult. Lucanus:

> *Nudatos Cæsar colles desertaque castra*
> *Conspiciens, capere arma jubet.*

Vide formam Num. 5.

Cohors prima causa signorum & aquilæ.) Mariana militiæ mutatione aquilam a triariis ad aciem primam translatam fuisse, dubium non est. Vegetius de hac: *Hæc suspicit aquilam, quod præcipuum signum in Romano semper exercitu & totius legionis insigne*. Quare sedes quoque aquilæ in castris, ut hic ostendit Hyginus, apud cohortem primam, &, ut infra docet,

A docet, contra scamnum legatorum ad viam principalem erat: *Scholæ cohortibus primis in scamno legatorum contra aquilam dari debent*. Illud vero quærendum, ante præter aquilas eodem loco cætera signa? Nam velle id Hyginum, non immerito aliquis suspicetur. *Causa signorum*, inquit, *& aquilæ intra viam sagularem pedaturam accipiet*. Quare causa signorum, nisi omnia, aut plura utique quam apud cæteras cohortes, signa apud cohortem primam constituantur? Confirmat rem eandem Tacitus, Annalium primo. Ubi ait, Planco, quem occidere parabant seditiosæ legiones, *periclitanti, non aliud subsidium fuisse, quam castra* B *primæ legionis*: (id est, ea pars castrorum, qua prima legio tendebat: quod moneo, nequis existimet cum Viro doctissimo mutandam interpunctionem) *Illic signa & aquilam amplexus, religione sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria deum commaculavisset*. Ubi & hoc notandum, quod ad signa, altaria, quippe quæ ut propria legionum numina, ut præsentes & testes sacramenti dii religiose colebantur & adorabantur, & in stativis & hibernis (ut Dio & Herodianus testantur) C collocabantur templo vel sacello. Accedit, quod quæ ea viæ principalis parte, ad quam aquilæ constitutæ, gerebantur, *ad* vel *apud signa* geri dicuntur. Lucanus: *Convocat armatos extemplo ad signa maniplos*. Tacitus: *Jurejurando Pæti cautum apud signa, neminem Romanum Armeniam ingressurum*. Vulcatius Gallicanus de Avidio Cassio: *Ad signa edici jussit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret*. Sic Antoninus epistola ad Cornelium Balbum scribit, *se literas ad signa recitandas misisse*. Præterea, Tacitus Annalium primo tradit, seditione Pannonica milites seditiosos, *tres legiones in unam miscere agitantes, una tres aquilas & signa cohortium collocasse*. D Quid? nisi ut trium legionum signa ita constituerent, ut vulgo unius legionis constituebantur. Quæ quamvis signa unum in locum videantur contrahere, non desunt tamen argumenta, quæ ad quamque centuriam & cohortem signa sua disposita fuisse, probent. Primo enim centuriæ non alio quam quo mansuræ essent loco, signa leguntur constituisse: unde illud jam olim illius in foro Romano: *Signifer statue signum, hic manebimus optime*. Eundem morem ne quis antiquioris tantum ævi putet, Vegetius in positione castrorum suorum tradit & addit primum omnium fuisse quod agerent castra collocaturi. E *Prima*, inquit, *signa suis locis intra castra ponuntur, quia nihil est venerabilius majestate eorum militibus*. Loca vero quibus figerentur, palam etiam designat pedatura, quam quæque centuriæ acciperent: *Singulæ centuriæ dividentibus campi doctoribus & principiis, accipiunt pedaturas, & scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis cincti gladio fossam aperiunt*. Ut nesciam, qui exciderit Lipsio, quod dicit Vegetii ævo signa uno in loco circa principia constitisse. Idem enim adfirmat lib.1.cap.23. *Intra portam prætoriam primas centurias, hoc est, cohortes papiliones tendere, & dracones & signa consti-* F *tuere*. Si intra portam prætoriam, non utique intra viam principalem. Videtur & Flaccus per tota castra signa spargere, cum castra in universum *signis fulgentia*, ut alibi, *agmina pilis horrentia*, appellat. Accedit & hoc, quod Hyginus latus alterum pedaturæ, quam cohors accipit, signorum nomine donat: non alia probabiliter, ut supra diximus, de causa, quam quod ad illud latus signa spectent. Quod autem Hyginus hoc loco signa cohorti primæ in castris apponit, de potioribus & totius legionis & ejusdem cohortis signis & fortasse etiam de imaginibus deorum & imperatorum intelligi potest. Ut & inde locus ad principia, *ad signa* sit appellatus. Quanquam cum milites ad signa convocari aut aliquid ad signa geri dicitur, dubito, an intelligantur sedes aquilarum, quæ apud cujusque legionis cohortem, ut hic Hyginus ostendit, primam: non eodem omnes loco, quædam earum a prætorio aliquanto remotæ. Principia potius ipsa & eam principiorum inprimis partem, qua tribunal positum intelligo: eo enim advocata concione, miles sub suis quisque signis conveniebat & aquilas & signa sua circa tribunal constituebat, ut numismata vetera ostendunt & nos infra dicemus. Hinc ad signa convocari miles, ad signa aliquid edici aut geri dicitur. Quod autem de signis cohortium unum in locum contractis Tacitus scribit, quia seditionis & confusionis est, nescio an in argumentum trahi debeat. Quod si rem ipsam consideremus, ne veri quidem simile signa cohortium & centuriarum, illa tam necessaria ad excitandam continendamque militarem fidem, illa tam utilia in subitis belli & nec opinatis tumultibus ad danda & accipienda imperia, illos bellorum deos quos deserere nefas & a quibus illi demum abesse dicebantur, qui a castris aberant, a cohortibus & centuriis suis remota & aliorum tutelæ quam suorum commendata fuisse.

Intra be sagulariam.) Scribo: *Intra viam sagularem*: ut infra: *Per rigorem viæ sagularis*. Item: *Reliqua quatuor millia intra viam sagularem*: eadem via alibi errore, ut opinor, librarii, *Angularia*, dicitur: *Viæ angulariæ triginta pedes sufficient*. Salmasius ad Flavium Vopiscum legit hoc loco, *intra viam sagulariam*. Sane eo nos scriptura ducit & ratio linguæ Latinæ, ut *sagularem* & *sagalariam* credamus dictam, ut *alaris* & *alarius*, *auxiliaris* & *auxiliarius*, *singularis* & *singularius*, *gregalis* & *gregarius*, & sexcenta alia. Sed unde hoc nomen sortita est? Unde via prætoria, principalis, quintana nominatæ sint, quamvis obscurum non sit, in hac brevitate Hyginus non omisit. De hac sola nihil dixit, cum tamen origo nominis minus obvia id inprimis postulet. Neque habeo certi quicquam, quod adferam, nisi a *sagulo sagularis* dicta, quod terga cohortium legionariarum instar saguli circumdet. Nam hæc viæ hujus ratio & situs. Hæc tamen origo mihi non admodum placet, ut verum fatear: itaque initio volebam viam *angularem* vel *angulariam*, ut semel habet liber, obvia nominis origine; quod nimirum circumeundo supplementa quatuor angulos efficiat, & ad castrorum angulos pæne concurrat. Sed cum toties dicatur *sagularis*, tenuit me reverentia veteris scripturæ. Hyginus infra: *Duæ primæ lateribus prætorii per rigorem viæ sagularis, aliæ in prætentura similiter per rigorem viæ sagularis intrantibus portam prætoriam parte læva*. Ergo & lateribus prætorii & in prætentura non procul a porta prætoria via sagularis: & tam hac quam illa castrorum parte, cohortes primæ per rigorem ejusdem viæ tendunt. De retentura ad portam decumanam, hic quidem non loquitur, neque id locus postulat, cum nullæ ibi cohortes primæ: eadem tamen ratio, qua cohortes legionariæ a fronte & a tergo castrorum tendunt, requirit, ut illic eadem quoque via sit. Quod & inde fit verisimile, quod metationem supplementorum illic æque ac cæteris castrorum partibus separatim, tanquam divisorum a legionibus describit. Sed vero viam sagularem per totam castrorum longitudinem exporrigi manifestum. In computatione enim latitudinis castrorum triginta pedes dat latitudini viæ sagularis & sexcentos pedes dimidiæ castrorum parti intra viam sagu-

larem. Via hæc itaque supplementa velut corona circumdat & a cohortibus ad vallum tendentibus dividit. Huic lateribus castrorum in Polybiana metatione respondet, via quinquaginta pedum inter socios Latini nominis & hastatos media.

Et quoniam duplum numerum habet.) Lipsius & Salmasius sub Imperatoribus medii ævi collabente jam re Romana, cohortes primas duplum numerum demum accepisse & milliarias factas putant. At Vegetius de cohortibus primis milliariis, tanquam antiquo instituto, loquitur lib. I. cap. 12. *Decem cohortes habere legionem diximus, sed prima erat milliaria, in qua censu, genere, literis, forma, virtute pollentes, mittebantur. Erant*, inquit, & *mittebantur*. Non quidem optimus auctor antiquitatis Vegetius, ut cui antiqua interdum non quæ libera republica aut sub primis Imperatoribus, sed etiam quæ sub Trajano, Hadriano, Antoninis in usu fuerunt: miscet tamen non raro etiam antiquiora & inter ætatis suæ sordes, flores quosdam ex priscis scriptoribus decerptas spargit. Idem hic ei fortasse contingit. Nam cohortibus primis legionum jam Cæsar & Cicero peculiare aliquid tribuunt. Ille de bello Gallico V. *Duabus missis subsidio cohortibus atque his primis legionum duarum*. Hic libro V. epistolarum ad Atticum: *At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipili nobilem sui generis*. In acie Pharsalica Crastinus evocatus, qui priori anno primum pilum duxerat, (ἀνδρῶν ἑκατὸν εἴκοσι λοχαγὸν vocat Plutarchus Pompejo) centum viginti homines ejusdem centuriæ secum in hostem rapuisse traditur: *Primus ex dextro cornu procurrit atque cum milite electi circiter centum viginti voluntarii ejusdem centuriæ sunt prosecuti*. Fuisse autem centuriam cohortis primæ, vero non absimile est, tum quia cohortes primæ, primæ fere in prælio concurrebant, tum quia Crastinus primipilus prioris anni eos manipulares suos fuisse ait. Nec obstat quod voluntarios appellat Cæsar. Nam inde cohortes primæ principio cæteris grandiores factæ fortasse sunt, quod voluntarii & electi milites in iis centuriarentur. Quod si centuria cohortis primæ jam tum centum viginti homines, totam cohortem etiam duplum numerum habuisse, non dubitamus. Inter causas quare cohortes primæ olim cæteris nihilo majores postea adauctæ fuerint, primum locum hæc tenere videtur, quod ex quo acies per corpora integra cohortium instrui cœpit, aquila legionis quæ antea in tertia acie apud triarios erat, in primam traducta fuerit, ubi nisi & majori manu & ipso virorum robore septa, hostili impetui exposita fuisset & objecta. Atque ætate Julii Cæsaris, jam vulgo acies per cohortes ordinabatur & in prima acie aquila erat. Considerent itaque antiquitatis periti, anne jam tum cohortes primæ majores fuerint.

Si legiones impares, hoc est, tres acceptæ fuerint.) Quamvis postremis libertatis temporibus & sub Imperatoribus numerus legionum, alius in hac, alius alia provincia, & nunc una, nunc duabus, tribus, quatuor, quinque & pluribus legionibus iisdem in castris res publica gereretur; Hyginus tamen infra tres legiones cum supplementis tanquam justum ætatis suæ exercitum in exemplum proponit, ut Polybius exercitum consularem duas legiones Romanas, cum sociis Latini nominis. Ac sane numerus militum gravis armaturæ in utroque exercitu, si legiones illæ veteres quinque millium, ut erant aliquando, fuerint, non multum discrepaverit. Hæ enim tres legiones totæ ex gravius armatis militibus. Illæ quatuor (socios ad duas legiones computamus) velites suos insertos habuerunt. Africanus πεντακοσιαρχίας duas & triginta habere vult justum exercitum, ex quibus triginta tantum instruit & in totidem partes dividit aciem.

Duæ primæ.) Intellige cohortes: neque enim de metatione duarum legionum hic agit, quas ad vallum, non vero intra viam sagularem locat: neque duæ primæ legiones possunt intelligi. Hyginus: *Quoties autem quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duæ cohortes primæ lateribus prætorii tendere debebunt.*

Lateribus prætorii.) *Latera prætorii* sunt pars media castrorum, ut diximus, a via principali ad quintanam dextra lævaque prætorii. Sic mediam aciem ad exemplum, opinor, castrorum, *Castra prætoria* dicta fuisse Ammianus Marcellinus scribit Historiarum XVI. *Iter sibi aperiendo adusque primanorum legionem pervenit locatam in medio, (quæ confirmatio castra prætoria dictitatur) ubi densior & ordinibus frequens miles instar turrium fixa firmitate consistens, prælium majore spiritu repetivit*,

Per rigorem viæ sagularis.) *Rigor est*, ut ait Frontinus de agrorum qualitate, *quicquid inter duo signa vel in medio lineæ rectum perspicitur*. εὐθυωρίαν Græci dicunt.

Alii in prætentura.) Forte: *Alia*. sed solet mutare numerum. Ac hic quidem locus cohortium primarum lateribus prætorii & in prætentura intra viam sagularem, sed non procul a portis tribus præcipuis, duabus principalibus & prætoria, sive illæ defendendæ, sive in hostem educendus exercitus: singularis enim non immerito portarum cura erat & stationibus antiquitus semper firmabantur. Africanus [illegible] πολιτικῶν ταγμάτων ad portas collocat: Leo de nocte τοὺς χρησιμωτέρους τοῦ κουμίτου cum cohortibus suis. Sed hæc alterius loci sunt. Illud hic quæri non immerito possit, an legati & tribuni omnes ab aquila & cohorte prima legionis in prætentura tendentis remoti ad viam principalem tenderent? videtur sane. Nullam enim aliam iis Polybius & Hyginus pedaturam adsignant. Legio itaque, quæ in prætentura, primipilum & omnium ordinum centuriones tantum juxta suam quosque centuriam habebat, sed nullos tribunos.

In prætentura.) Vir doctissimus in commentariis ad Ammianum Marcellinum scribit, prætenturam in castris dictum olim locum ad vallum, ubi cohortes primæ, exploratores & classici cum auxiliaribus equitibus tenderent, ejusque rei testem citat Hyginum. Ac fateor quidem Hyginum in compositione trium legionum cum supplementis, uni cohortium primarum, nec non exploratoribus & classicis, item equitibus alariis in prætentura pedaturam adsignare. Sed prætenturam, eam utique prætenturæ partem, qua his pedatura adsignatur, ad vallum fuisse nego: cohortes enim legionariæ, quamvis & ipsæ in prætentura, ad vallum frontem & latera horum tegebant. Prætendebant & vexillarii unius legionis, sed non ideo ad vallum tendebant. De his Hyginus: *Tendere debent in prætentura vel latere prætorii, ut dixeram super cohortes primas: ad vallum, si fieri potest, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non sit*. Apparet autem totam illam castrorum partem, quæ est inter viam principalem & portam prætoriam, Hygino prætenturam esse. Ostensurus enim rationem compositionis prætenturæ, a via principali orditur. *Nunc*, inquit, *prætenturæ rationem exponam. Via principalis est.* Ad hoc alas milliarias, quas secundum scamnum legatorum (quod est ad principia) interposita tantum via collocat, easdem in prætentura tendere ait: *Ut sciamus, quot alæ in prætentura tensuræ sint*. Item: *Quod si alæ in retentura positæ fuerint & pedites in prætentura sive cohortes equitatæ nulla necessitate cogente, sine dubio metatoris imperitiæ si-*

gnum est. Exporrigitur sane pars hæc castrorum hinc inde lateribus castrorum, nec non ad portam prætoriam ad vallum usque. Sed ideo non magis locus ad vallum est, quam cæteræ castrorum partes vallum ab aliqua parte contingentes. Quanquam non negaverim sonum vocabulorum respicienti illos proprie & prætendere & retendere videri, qui a fronte & tergo castrorum positi ad vallum spectant. Ac hoc sensu accipit noster cum ait: *Prætendent & retendent quatuor millia & singulæ sexaginta per trecentos sexaginta*. Cohortes enim legionarias intelligit. Sed fere alibi laxius sumit *prætenturam*. Apud Vegetium, Ammianum, aliosque ejusdem ævi scriptores, *prætenturæ* & *agrariæ* & *stationes agrariæ* passim pro præsidiis militum, quæ castellis & aliis locis extra castra, tuendæ regionis causa imponebantur: ipsa etiam loca, in quibus hæ stationes, *prætenturæ* dicuntur: ut & *præsidium* locus, in quo præsidium est. Ut vero *præsidium* & *subsidium* opposita. *Præsidium enim est*, ut ait Festus, vel ex eo Paulus Diaconus, *quod pro utilitate & salute alicujus auxilii gratia praeponitur: subsidium, quod postpositum est ad subveniendum laborantibus*: sic in castris *prætentura* & *retentura* partes adversæ, altera prima, altera postrema sunt.

Intrantibus portam prætoriam parte levavit extra cohortes contrario tendat.) *i. intrantibus portam prætoriam parte læva, ut dextra cohortes contrario tendant*. Nisi velis & numerum harum quoque cohortium expressum: tres enim cohortes legionariæ cohorti primæ cum vexillariis dextra viæ prætoriæ in compositione trium legionum opponi videntur.

Ut possit exercitus cum vinatus educi.) sc. *& possit exercitus combinatus educi*. Glossæ: *Combinat*, ζευγρύει, συνάπτει. Diomedes: *Pedes poetici duplices, qui vel compositi vel combinati sedecim*. Sensus est, opponendum cohorti primæ cohortes legionarias, ut cum educendus est exercitus cum cohorte prima vel statim post eam, tanquam combinatæ possint educi. Cum enim ex sua quisque striga in majorem viam se effundant, sequitur, ut dextra lævaque ejusdem viæ tendentes in ea conjungantur; quare ejusdem generis milites ab utraque parte collocari, & legionarios legionariis, alarios alariis, nationes nationibus vult opponi. Nam aliter collocati distraherentur in concursatione qui ejusdem generis, combinarentur qui diversi, quod confusioni proximum.

Viæ cohortes primæ.) Scribe: *duæ cohortes primæ*. Non enim de via, sed de tensione cohortium primarum hic agit. Cum quinque vel sex legiones acceptæ fuerint, duas cohortes primas lateribus prætorii, duas in prætentura ponit: de una vel duabus reliquis hic silet, sed infra in retentura per rigorem viæ quintanæ collocat.

Valetudinarium.) Valetudinarium auctore Vegetio pertinebat ad curam præfecti castrorum, lib. I. cap. 10. Macer Jurisconsultus inter munia tribuni recenset, *inspicere valetudinarios*. Vegetius alibi principum, tribunorumque & comitis etiam diligentiæ commendat, libro tertio: *Ut ægri contubernales opportunis cibis reficiantur ac medicorum arte curentur, principum tribunorumque & ipsius comitis qui majorem sustinet potestatem, jugis quæritur diligentia*. Magni quin imo Imperatores non habebant satis delegare hanc provinciam quantumvis principibus viris, nisi & ipsi susciperent. Invisere ægros & saucios non primores tantum, sed manipulares, sustentare alloquio, cura, ope, sibique & bello firmare, occurrit passim apud veteres inter laudes imperatorias. Unum atque alterum nunc adducemus: de Tiberio Cæsare Vellejus: *O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem, per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo e nobis gradumve nostrum aut præcedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tanquam districtissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum lectica ejus publicata, cujus beneficium, cum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant: cæterum nihil quod ab illis aut præstari aut desiderari posset*. Plinius Panegyrico Trajani: *Quid? quum solatium fessis ægris opem adferres? Non tibi moris tua inire tentoria nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori nisi post omnes dare*. Tacitus de Germanico: *Ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura sibique & prælio firmabat*. De Alexandro Lampridius: *Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adjuvit: & si forte gravius laborassent, per civitates & agros patribus familias, hominibus, & sanctioribus matronis, eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, sive convaluissent illi, seu perissent*. Ubi omnino arbitror reponendum esse, *patribus familias humanioribus*, vel *honestioribus*, cum Salmasio, pro *hominibus*, quos hic inepte intruserunt. Est hoc hujus vocabuli fatum aliquoties in membranis, ut in alienum locum irrepserit; alibi vero sit corruptum. Ne hic citem loca ab aliis observata, Suetonius Cajo: *Monenti aviæ Antoniæ, & tanquam parum esset non obedire, Memento, ait, omnia mihi, homini licere*. Aliæ editiones, *in omnes*: manu exarati codices quidam, *& homini*. lego: *Omnia mihi in homines licere*. Dixit enim idem, se in hominum bona omne jus habere. Et sic credibile est locutum Latialem illum Jovem; illum, qui se inter Castorem & Pollucem præbebat adorandum; illum, qui cum Luna concumbere, & cum Jove secreto jactabat fabulari. Nam & sic Poetæ & Oratores solent adulari Principibus, ut eos hominibus opponant:

Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet, ac hominum queritur curare triumphos.

Latinus Pacatus: *Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetant æternitatis; & quicquid homines vocamus laborem, vestra natura est*. Papinianus I. Thebaid.

—— Maneas hominum contentus habenis,
Undarum terræque potens, & sidera dones.

Ubi male Luctatius interpretatur istud *sidera dones*. *Concedas numinibus, vel suis locis esse sinas*. Sensus enim est: *Maneas contentus imperio hominum, terræ & pelagi: cœlo autem alios dones, alios deos facias*: respicit enim ad morem illius ætatis, quo Cæsares in deos referebant fato functos decessores suos. Auctor Octaviæ: *Stulte verebor ipse, cum faciam Deos*. Plinius Panegyrico: *Tu sideribus patrem intulisti, quia Deum credis*. Vellejus de Tiberio: *Sacravit parentem suum Cæsar, non imperio, sed religione; non appellavit eum, sed fecit Deum*. Et magna profecto ratione: nulla enim justior cura, nulla in publicum utilior, neque in vulgus gratior humanitas, quam quæ in imbecillos, & saucios exercetur. Quis in ima castrorum plebe, tam plebejo

& abjecto animo, qui ſe curæ eſſe Principibus, ſuos labores ab Imperatore noſci, ſua vulnera conſpici, non ponat in parte felicitatis? Habent vultus adfatuſque magnorum virorum neſcio quid, quod medicæ opi adjunctum, ſæpe ſupra illam ipſam animi & per animum corporis valetudini conducat.

Deinde vexillariæ cohors ſedundæ.) Lege: *deinde vexillarii, cohors ſecunda.*

Cohors legionariæ dare debet.). Lege: *cohorti legionariæ dari debet.*

Ut LXX. *pedes valetudinarium.*) Numerus corruptus. Valetudinarium, veterinarium & fabrica, tum ſingula, tum univerſa ad certum hominum numerum computantur. At nullus numerus ſeptuaginta pedes accipit; non in latitudine ſtrigæ. triginta enim & ſexaginta pedibus omnia definiuntur. non in longitudine, quia ſexaginta homines, duos & ſeptuaginta pedes occupant. Sed dictu non tam facile, qui numerus fuerit, cum non ſatis conſtet, de latitudine hemiſtrigii, an de longitudine; de tribus his ſpeciebus, an de una loquatur: & numeri inſuper, quibus notaverat Hyginus, ad quot homines hæ ſpecies vel ſingulæ vel in unum computentur, depravati ſint. Ad quos dabimus qualemcunque conjecturam noſtram.

Et reliqua quæ ſupra tendens.) Scribe: *quæ ſupra tendent:* id eſt, ſupra cohortem legionariam vel vexillarios: nam veterinarium & fabrica non ſupra valetudinarium, ſed eadem, ut opinor, ſtriga. Superior pars caſtrorum retenta, inferior prætentura: ſupra alios tendunt, qui portæ decumanæ propiores.

Veterinarium.) Nota curam Romanorum, & ut ita loquar, humanitatem etiam erga jumenta imbecilla: ſuum iis valetudinarium in caſtris, ſui medici. Non enim fabris ferrariis & indoctiſſimis quibuſque, uti hodie moris, ſed medicorum filiis res veterinaria olim demandabatur: & erat illo ferreo & duro ævo in illa ſede laboris major ægrorum jumentorum cura, quam hodie quibuſdam in caſtris luxu diffluentibus militum gregariorum. Illi cum antiqua diſciplina haberent militem, nihil quod utile aut neceſſarium negligebant: nos in ſupervacanea laboramus, quæ illi procul a caſtris removebant.

Et fabrica.) Erat hæc in caſtris ἐργαςήριον πολέμυ. Vegetius lib. II. cap. 11. poſtquam dixiſſet, legionem habere fabros tignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, pictores & reliquos artifices: *Habebat etiam fabricas ſcutarias, loricarias, arcuarias, &c. Hæc enim erat cura præcipua, ut quicquid exercitui neceſſarium eſſet, nunquam deeſſet caſtris:* & mox addit horum judicem proprium præfectum fabrorum fuiſſe. Meminit & Cæſar præfecti fabrorum Pompeii.

Quorum pedaturam in ſingulas ſpecies ad homines & ſolent computari.) Salmaſius legit: *quorum pedatura in ſingulos pedes ad homines ſolet computari.* Fuiſſe enim in membranis putat, *pecies* pro pedibus, ut & alibi: ex eo natum *in ſpecies*. Ingenioſa correctio, ſiquidem ſenſus ineſſet idoneus, quem nullum video. Quid enim illud eſt, pedaturam in ſingulos pedes ad homines computare? aut quis ita loquitur? An pedem in ſingulos homines computari vult? ne hoc quidem hic recipi poteſt. Neque enim certus & definitus hominum numerus in valetudinario, aut jumentorum in veterinario ſemper erat, quo in ſingulos pes dari poſſit: ſed univerſa pedatura ad certum aliquem hominum numerum pro incerto computanda erat. Quem numerum haud dubie notaverat Hyginus, ubi nunc ſcriptum eſt, *ad homines &c.* Sic poſt de his ipſis, valetudinario, veterinario & fabrica non minus corrupte: *Fit numerus, cum pedatura valetudinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum ad do homines computantur:* ubi in *do* depravatæ notæ numerorum, ut ſupra in *&*: neque eædem fuerant. Hic enim tres haſce ſpecies in unum, illic ſingulas ſeorſum computat. In eo conveniunt, quod nihil in utriſque ſani. Quantum autem ex pedatura, quæ infra numero prætenturæ cum hiſce ſpeciebus datur, conjicere licet, valetudinario, veterinario & fabricæ unum hemiſtrigium intra viam ſagularem adſignatur: hemiſtrigium integrum per caſtrorum latitudinem a via ſagulari dextræ partis ad ſiniſtram capit homines mille: hic itaque numerus fuerit: at eo de quo nunc agimus loco, tertia hujus pars homines trecenti triginta tres. Atque hac ratione ſuperius, ubi liber habet, *Ut ſeptuaginta pedes valetudinarium, ut reliqua quæ ſupra tendunt accipiat*; forte fuerit, *Ut* XXX *pedes:* quæ eſt hemiſtrigii latitudo. Sed hæc neſcio an nimis audacia. Volebamus initio quoque, ne omnino a libro recederemus: *quorum pedatura in ſingulas ſpecies* CC. *&c. quæ in unum ad homines* DC. Sed neque ſexcenti hemiſtrigii dimidiæ partis numerus, ſed quingenti. Quo recepto non minus quam antea a veſtigiis ſcripturæ abeundum: erit enim pars tertia, CLXVI. Sed Hyginum hiſce locis, illo certe quo hæc in unum computat, de pedatura in totis caſtris ab utraque parte viæ prætoriæ loquitur. Mille itaque, ut diximus, homines, nec minus fuiſſe videntur. Quicquid ſit, *in ſpecies* loco hoc ſanum: omne vitium in notis numeralibus. Hyginus: *Expoſuimus itaque ſingulas ſpecies & univerſum exercitum ſuis locis conſtituimus.* Sic enim legendum, ubi in codice eſt, *ſuas peciæ*.

Vexillarii legionum eandem pedaturam accipere debent, quod cohors legionaria:) *accipere debent quam cohors legionaria.* Vexillariorum duo genera Lipſius obſervat, veteranos & cohortes a legionibus ſuis disjunctas. Diſſentit Salmaſius in libro de Re militari Romanorum, & vexillarios ſub Imperatoribus levis armaturæ milites fuiſſe contendit: ſed fruſtra, ſi quid ego judico. Loco enim Taciti, quo id probare conatur, minime id probat. Is eſt in ſecundo Hiſtoriarum: *Præcipua quartadecimanorum ferocia, qui ſe victos abnuebant: quippe Bedriacenſi acie, vexillariis tantum pulſis, vires legionis non adfuiſſe.* Non ajunt vexillarios vilem & levem manum, ut inde confici poſſit levis armatura, ſed negant vires legionis eſſe: quamvis enim veterani, ex alia tamen legione & tam pauci numero erant, ut nihil ad totam legionem. Mirum autem, quod etiam Hygini hunc locum adducit, qui Lipſianam ſententiam maxime confirmat. Multum enim impedimentorum iis tribuit, cum ait: *Qui ad ſexcentenos homines computantur cauſa impedimentorum, tendere debent in prætentura, vel latere prætorii ſuper cohortes primas.* At levis armaturæ milites, parum aut nihil impedimentorum habebant. Ad hoc legatum vexillariorum negat in caſtris fuiſſe: *Ad vallum, ſi fieri poteſt, ideo tendere non debent, quod legatus eorum pariter non ſit.* Quis vero unquam legit levis armaturæ milites, qui pars legionis eſſent, alium quam cæteros legionarios legatum habuiſſe? quem ſi habuiſſent, abſurdum profecto foret, eum plerumque abeſſe ab illis, quorum legatus erat. Quid ergo ait legatum eorum pariter non eſſe? Quia vexillarii a legionibus, in quibus merebant aut meruerant, abſtracti, aliis legionibus jungebantur. Erant autem plerumque veterani & emeriti, qui ſive invidiæ vitandæ cauſa, quod exauctorati munerum vacationem haberent; ſive quod tutius in publicum crederetur illos veteranos & emeritos quibus reſpu-

lica præmia & agros debebat, adjungi aliis legionibus, quam in quibus propter diuturnitatem stipendiorum auctoritate pollerent, ad alias certe legiones plerumque traducebantur. Tacitus: *Quatuor legionum aquilæ per frontem & totidem e legionibus aliis vexilla.* Dicti vexillarii, quia sub vexillo habebantur. Quemadmodum supplementa apud Livium sub uno vexillo passim ad exercitus legimus missa, quæ in castris in corpus legionum insererentur. Cæsar de bello Gallico VI. *Complures erant in castris ex legionibus ægri relicti; ex quibus qui hoc spacio dierum convaluerant, circiter trecenti sub vexillo una mittuntur.* Sic hi divisi a corpore legionum suarum & plerumque exauctorati, id est, tantum non dimissi, quasi jam jamque agros & justa emeritorum stipendiorum præmia accepturi, sub uno vexillo interim habebantur. Nam vexillum quamvis equestre & pedestre, centuriæ & cohortis signum; peculiariter tamen cohortis est. Nihilo felicius vir idem illustris autumat, Cæsaris ætate antesignanos fuisse, qui deinde vexillarii, & antea velites. Ac operose conatur probare apud Cæsarem & Livium, antesignanos sic accipi; sed Livium desultoriæ levitatis & inconstantiæ arguit, quod cum multis locis antesignanos vocaverit eos, qui ante signa & primam aciem hastatorum pugnent, alibi ipsos hastatos ita nominet. Ac nos quidem libenter fatemur, clariusque est quam ut negari possit, primos manipulos seu primam gravis armaturæ aciem, Livio antesignanos esse. *Vias*, inquit, *patentes inter manipulos antesignanorum velitibus complet:* non igitur velites manipuli antesignanorum, præsertim cum velites manipulatim non collocarentur, neque inter velites, ut inter gravis armaturæ manipulos, viæ relinquerentur. *Τὰ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν* dixerat Polybius, *intervalla primorum signorum*: quod vertit Livius: *Vias patentes manipulos antesignanorum.* At velitibus nulla signa erant, & Polybius, manus velitum hic quidem *σπείρας*; at nusquam *σημαίας* appellavit. Alibi Livius pila antesignanis tribuit non velitum, sed gravis armaturæ telum: libro XXX. *Velites in eos ancipites ad ictum utrimque conjiciebant hastas, nec pila ab antesignanis cessabant*: & lib. XXXVIII. *In eos qu. portas stationibus suis clauserant, legionum antesignani pila conjecerunt*: libro quoque XXVIII. palam eos distinguit a velitibus: *Velites antesignanique & qui primi agminis*: ubi Salmasius, ut opinionem confirmet suam, legere velit, *Velites antesignani*: & male & frustra: male, quia contra mentem Livii: frustra, quia ne sic quidem persuaderet velites eosdem & antesignanos esse, Livio toties reclamante. *Antesignanique*, inquit, *& qui primi agminis:* id est, cæteri qui primi agminis: nam antesignani profecto primi agminis erant. Sic sæpe veteres & inter eos Livius, libro XXXV. *Quinctius legatique Corinthum redierunt*: item: *Ut Popilius & ea legatio quæ ad Antiochum missa erat, Romam rediit*, id est, Quinctius & cæteri legati, Popilius & cætera legatio. Nam Popilius & Quinctius legationis capita erant. Sed nos exempla e re militari potius adducamus, ut ne sic quidem a suscepto opere abeamus. Idem Livius XXVIII. *Tumultuoso genere pugnæ equitum velitumque & levis armaturæ.* Sic quoque Frontinus velites & levem armaturam dixit, quasi velites levis armaturæ non essent: Ita apud Cæsarem Numidæ & levis armaturæ equites, quamvis Numidæ haud dubie levius armati equites. Sed hæc fortasse ita accipi possunt, ut velites, qui parmulis & septenis jaculis instructi, comparatione aliorum levium, qui funda vel in arcu solo armati, gravis quodammodo armaturæ viderentur. Sic sæpe apud eundem *Frumentum commeatusque*. In libris sacrorum: Ἀποκριθεὶς δὲ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι. Act. V. solet etiam aliquando inverti hoc genus eodem sensu, ut *levis armatura & velites*. Apud D.Marcum Angelus: Εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ. Est enim & hoc σχῆμα non infrequens, *συγκαταλέγειν τὸ μέρος τῷ ὅλῳ*, ut dixit Strabo. Alibi proprie: *Frumentum & reliquus commeatus*: quibus in locis, ut subauditur & omissum est τὸ *reliqui* aut *alii*, sic alibi etiam posuisse memini Livium, ubi si proprie loquutus esset omisisset. Libro XXXVIII. *receptis inter ordines velitibus & alia turba auxiliorum*: quasi velites ex auxiliaribus, non ex legionariis fuissent, proprie dixisset, *& alia turba levis armaturæ, quæ erant auxilia*: quod Livio eo fortassis facilius in mentem venit, quod sua ætate omnis levis armatura ex auxiliis erat. Sed ut ad cœptum revertamur, Livio alibi palam prima acies, antesignani. Lib. IX. *Cadunt antesignani & ne nudentur propugnatoribus signa, fit ex secunda prima acies.* Idem XXII. *Post nova de integro pugna exorta est: non illa ordinata per hastatos, principes & triarios, nec ut pro signis antesignanus, post signa alia dimicaret acies.* At velitibus, quamvis ante ipsos hastatos pugnam inirent, tamen nomen aciei proprie non tribuebatur, ut recte dixit Salmasius, non itaque velites, antesignani. Videamus nunc, an a se ipso dissideat Livius. Libro XXXVIII. *Ante signa*, inquit, *modico intervallo velites eunt.* Ergo velites sunt antesignani. Sed nondum concessimus, antesignanos appellari eos, qui ante aciem primam & signa legionum pugnam ineunt: alioquin & equites & evocati & omnis levis armatura, (sæpe enim ante omnes acies pugnabant) sub hoc nomen venirent. Livio quidem eos sub hoc nomen non venire, apparet ex eo, quod hac ipsa in pugna cum Gallis, pila antesignanis, non hastas velitares tribuit. *In eos*, inquit, *qui portas stationibus suis clauserant, legionum antesignani pila conjecerunt.* At enim libro XXIII. *Triplex stetit Romana acies, peditum pars inter antesignanos locata, pars post signa accepta.* Ubi *pedites κατ' ἐξοχὴν*, milites justæ armaturæ; antesignani velites esse videntur. Sed corruptus hic locus, (quamvis sic quoque valde obscure & dubie quod iste vult probet) & omnino recipiendum est, quod in membranis esse testatur magnus Livii vindex: *Velitum pars inter antesignanos &c. Triplex*, inquit, *stetit Romana acies.* Hic descripsit ordinationem gravis armaturæ per hastatos, principes & triarios: sequitur nunc, ut addat, quo loco velites, qui aciem non faciebant nec triplicis aciei pars erant. *Velitum*, ait, *pars inter antesignanos locata*: proprius velitum locus. *Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus complevit.* Item, *receptis inter ordines velitibus.* Neque usquam legas gravem armaturam inter velites dici collocatam, quod diceret Livius, siquidem vulgata lectio retenta isto modo acciperetur; sed semper velites inter manipulos, inter ordines gravis armaturæ, in intervallis manipulorum. *Pars post signa accepta*: hic quoque velitum locus. Ubi enim velitatione pugnam irritassent, recedebant & post signa recipiebantur. Livio itaque prima acies, prima signa, *antesignani.* Ad Cæsarem transeamus. Hic non semel in commentariis antesignanorum meminit. *Adolescentes* atque *expeditos*, *electos milites ad pernicitatem* appellat & inter equites jubet præliari. Quæ omnia non nisi velitibus convenire videntur: nam maxime adolescentes olim in velites legebantur. Velites non tantum expediti erant, sed etiam bonis auctoribus sine alio additamento *expediti* appellantur: adeo ut Festus non aliter definiat, quam *expeditos milites*. Qui vero eligi potuerunt ad pernicitatem, nisi adolescentes & ætate veloces & armis leves, hoc est, velites? Jam inter equites præliari

quorum jam inde ab prima institutione nisi velitum? Ac libro de bello Africano diserte dicitur, levis armaturæ nilites ante legiones missos turmis equitum interpositos fuisse. Quare non sine causa vir doctissimus in eam opinionem traductus videtur, quod Cæsari sint antesignani qui prioribus velites. Mihi tamen Cæsaris verba ponderanti alia sedet sententia. Luculentus de hac re locus est, libro de Bello Civili primo, ubi pugnam suorum cum Petreii atque Afranii copiis describit: *Legiones tres*, inquit, *ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos procurrere* (ita enim rectius legitur, quam *præcurrere*) *atque occupare eum tumulum jubet. Quare cognita, celeriter, quæ in statione pro castris erant Afranii cohortes, breviore itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur prælio, & quod prius in tumulum Afraniani venerant, nostri repelluntur, atque aliis summissis præsidiis terga vertere, seque ad signa legionum recipere coguntur. Genus erat pugnæ militum illorum, ut magno impetu primo procurrerent, audacter locum caperent, ordines suos non magnopere servarent, rari dispersique pugnarent; si præmerentur, pedem referre, & loco excedere non turpe existimarent: cum Lusitanis reliquisque barbaris genere quodam pugnæ assuefacti: quod fere fit, quibus quisque in locis miles inveteraverit, uti multum earum regionum consuetudine moveatur. Hæc tamen ratio nostros perturbabat, insuetos hujus generis pugnæ: circumiri enim sese ab aperto latere procurrentibus singulis, arbitrabantur: ipsi autem suos ordines servare, neque ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti censuerant oportere. Itaque perturbatis antesignanis, legio, quæ in eo cornu constiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem sese recepit. Cæsar omni pæne acie perterrita, &c.* Vide quam hæc omnia quæ hic tribuit antesignanis, velitum non sint. Velites sine signis, sine ordinibus rari & dispersi pugnam inibant: antesignani hi Cæsaris ordines servabant, neque ab signis discedebant. Velites, si premerentur, non tantum non turpe ducebant recedere, sed fere recedebant & recedentes post ordines recipiebantur: antesignani non sine gravi causa locum quem ceperant, deserere oportere censebant. Perturbatis velitibus nihil novi accidebat: pellebantur enim fere, quoties cum gravi hoste cominus congrederentur: antesignanis pulsis legio tota locum deseruit & omnis pæne acies perturbata est. Velites non alii generi pugnæ assueti erant, quam huic quod cum Afranianis cohortibus: at antesignani ejus insueti. Afranianas fortasse cohortes levis armaturæ fuisse suspicetur aliquis; pleraque enim velitum illis adscribuntur. Sed neque istæ fuerunt. Nihil enim novum in eo genere pugnæ, si levium: at novum & insolens, quod cohortes legionariæ isto modo pugnarent. Præterea velites viles & contemti: at antesignanos Cæsar delectos & fortissimos viros appellat, inter quos etiam centuriones, qui velitibus antiquitus omnino nulli. Libro I. *Delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros, antesignanos, centuriones, Cæsar ei classi attribuit.* Quod si intelligas antesignanos pro centurionibus classi datos, manet tamen hoc ipsum quod diximus, viros egregios & exercitos fuisse. Jam quod antesignani expediti, quod inter equites præliantur, ne hoc quidem vincit, levis armaturæ esse. Proprium enim Cæsaris institutum, qui ex antesignanis quosdam expeditos habuit, quos inter equites pugnam conferere jussit. Libro 3. de Bello Civili: *Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites præliari juberet, qui quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis præliorum perciperent.* Hirtius bello Africano: *Trecentos, quos ex legionibus habere expeditos consueverat, ex proxima legione, quæ in eo prælio in acie constiterat, jubet equitatui succurrere.* Ibidem: *Expeditos ex singulis legionibus vicenos milites esse jusserat.* Quod si antesignani velites essent, non utique narraret Cæsar tanquam institutum suum, quod eos expeditos habere consueverit: non, quosdam ex antesignanis expeditos se habuisse, cum omnes velites prisco instituto expediti: at non vice versa omnes, qui expediti, velites: totæ enim legiones sæpe expeditæ habebantur. Similiter cum novum institutum Cæsaris dicitur, quod ex antesignanis quidam inter equites præliarentur, sequitur antesignanos velites non fuisse, qui jam olim inter equites manus conserere docti, ejus generis pugnæ ignari esse non poterant, ut hi antesignani qui hac in re tyrones erant, ac inter equites præliari jubebantur, quo sicut levis armaturæ milites quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis præliorum perciperent. At Cæsarem levem armaturam interposuisse equitibus, Hirtius tradit. Fecit id sane, sed non erat illa levis legionum armatura, sed externa, ut de Bello Gallico VII. *Cæsar trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas superioribus annis pacaverat, equitesque ab his accersit & levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari consueverant.* Quod Germanorum institutum, quia usu cumprimis salubre, adeo ut pauci equites intermixtis peditibus immanem vim equitum sustinerent, adsumsit Cæsar; & ne necesse haberet immiscere externum semper peditem, ex antesignanis legionum adolescentes pernicissimos expeditos habuit & huic generi pugnæ adsuefecit. Quapropter manifestum est, neque Livio, neque Cæsari, antesignanos esse velites vel levem armaturam. Justus Lipsius antesignanos putat primam esse aciem, eosque qui positi ante signa iisque propugnandis: non enim nuda statim signa objecta hosti, sed munita & vallum aliquod virorum objectum fuisse. Dubitat tamen idem, anne interdum hastati omnes, imo & principes, in hoc nomen venerint. Ubi partim falsus est, partim verum dixit. Falsus est, quod putat antesignanos, qui in prima acie ante signa collocentur: non enim pars militum ante, pars post; sed omnes post signa sua, tam in acie, quam in agmine constituebantur: in ipsa pugna ante ea procedebant. Præterea si antesignani qui ante signa, (nisi a tergo omnium signa) non tota acies, sed pars ejus; non prima magis quam secunda & tertia acies in hoc nomen veniret. Eodem enim modo in suo corpore ponebant signa. Adhoc nulli essent in agmine, ubi, etiam Lipsio assentiente, prima ferebantur signa: sed antesignanorum mentio fit, tam in agmine, quam prœlio. Antesignani itaque, ne te diutius morer, Cæsari & Livio prima signa, prima acies, primum agmen militum gravis armaturæ. Græcis πρόμαχοι & πρόμαχοι τῶν σημαίων. Dividunt enim aciem εἰς δύο τάξεις, προμάχους καὶ βοηθούς: antesignanos & postsignanos, aciem & subsidium. Dionysius censu Serviano, primam classem præ omnibus aliis gravibus instructam armis, προμάχους appellat. Ac si quis nominis poscit rationem: antesignani dicuntur primi subsignanorum, ut antecursores, primicursores, tamen a cursoribus alii: anteambulones, primi ambulantium, propugnatores etiam interdum, primi pugnantium.

Eandem pedaturam accipere debent.) Vegetius: *Singulæ centuriæ dividentibus campi doctoribus & principiis accipiunt pedaturas.*

Quæ ad sexcentenos homines computantur.) Scri-

be: *quia ad sexcentenos homines computantur*: ut referatur tam ad cohortem legionariam, quam ad vexillarios. Eadem enim pedatura est & ad eundem utraque numerum computatur ea ratione, qua miles accipit pedem adjecta quinta. Salmasius propter hujus loci auctoritatem, sexcentos vexillarios dat cuique legioni: at Hyginus non dicit esse sexcentos, sed ad sexcentos computari: & quidem *causa impedimentorum*, non quod tot numero sint, sed quod plus impedimentorum habeant, quam cæteri milites. Computantur enim genera quædam ad majorem vero numerum. Ala milliaria ad ducentos supra numerum hominum propter majorem equorum numerum, præfectum alæ & principales: cohortes equitatæ ad homines mille trecentos sexaginta propter equites. Apud Tacitum vexillum veteranorum quingentos homines habet, in III. Annalium: *Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias, præsidium, cui Thala nomen, adgressas, fuderint*. Idem Hygino nostro adsentitur, in eo quod singulis legionibus una vexillariorum plerunque cohors. Historiarum II. *Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla*. Interdum tamen & plures. Othoni bello civili cum tribus prætoriis cohortibus mille vexillarii: Muciano in modicis viribus tredecim millia vexillariorum.

Super cohortes ut primas.) Expungendum τὸ *ut* quilibet videt. Cohortibus primis proximos locat vexillarios in castris. Tacitus & in agmine: *Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla*.

Quod legatus eorum pariter non sit.) Scribit Salmasius in notis ad Capitolinum, legati vexillariorum apud Hyginum fieri mentionem, quasi præter legatos consulares, qui toti exercitui præerant, & prætorios qui uni legioni, aliud genus legatorum, legati vexillariorum. Non dicit Hyginus vexillariorum legatum: sed legatum eorum, id est, legionis eorum, ut qui apud legionem a qua divulsi, ipsi absuisse vel pariter non fuisse. Vegetius. *Non possunt æqualiter jussa complere, qui ante pariter non fuerunt*.

Et si casu ab hoste vallum interruptum fuerit.) Ita corrigitur ad marginem, cum esset *interruptor Interruptum*, scissum aut divulsum, quod erat primum quod faciebant, qui castra oppugnabant, vel irruptione pugnabant; ut utar verbis Cæsaris apud scriptorem belli Africani: *Dubitante Cæsare, & sibi irruptione pugnare non placere clamitante, & etiam atque etiam aciem sustentante, subito dextro cornu injussu Cæsaris tubicen a militibus coactus, canere cœpit*. Ita enim legendum, ubi vulgo *eruptione pugnare*. Cæsar enim jam eductis e castris copiis & instructa acie, eruptione non poterat pugnare. Sed Scipione militem suum sub vallo, partim in castris continente, timebat, ne dato pugnæ signo, hostes sese intra castra reciperent; quo sui in iniquum temere delati locum, aut in hostilem munitionem vi irrumpere, aut cum pudore pedem referre cogerentur: de Bello Gallico VII. *Castra opportunis locis erant posita, ibique castella viginti tria facta, in quibus castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret*.

Legio legatus eorum per vexillarios factum esse contendet.) Legati legionum & primores castrorum, quoties ab hoste esset metus, circuire ipsi vigilias, curare in ea castrorum parte qua maxime laboraretur, providere, nequid a quoquam peccaretur, & si peccatum esset, in reos animadvertere solebant: præterea si quid inter diversarum legionum milites controversiæ obortum, (quod hic præcipue ad rem pertinet) aderant suis apud Imperatorem eorumque causam ut patroni agebant. Exemplum hujusce rei habes apud Livium post expugnationem Carthaginis novæ, ubi duobus, Quinto Trebellio centurione legionis quartæ, & Sexto Digitio socio navali professis, se primos murum adscendisse, & de corona murali apud Imperatorem contendentibus, sociis C. Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus traditur adfuisse. Cum itaque legionarii legatum suum habeant in castris, vexillarii nec legatum nec ullum alium pari auctoritate patronum, custodiam iis munimentorum cum legionariis demandare, iniquum censet Hyginus & inconsultum, ne hi cum legato suo, etiamsi quid ipsi peccaverint in tuendo vallo, conferant tamen culpam omnem in vexillarios, justo patrocinio destitutos & injuriæ opportunos.

Cohors prætoria.) De instituto, origine & augmento cohortium prætoriarum, recte ab aliis dicta, repetere supersedebimus: illud tantum addam, non omnes milliarias fuisse. Milliariæ fuere, quas instituit Augustus, si qua fides Dioni. Eundem numerum habuerunt, ut urbanæ quatuor & prætoriæ sedecim cohortes a Vitellio scriptæ, teste Tacito. At Hyginianas has minores esse, quamvis non dicat Hyginus, satis manifesto tamen ostendit. Nam cum duplam his pedaturam æque ac cohortibus primis adsignet, non eandem tamen utriusque rei adfert causam: illis enim quod duplum numerum habeant, his quod tentoriis majoribus utantur, primipilares præterea & evocati in eadem pedatura accipiant locum, duplam pedaturam adsignari dicit. Ac ne quis putet duplum ejus quod cohorti primæ dari, cohortem prætoriam una striga pedum septingentorum viginti collocari, ut & primam legionis ex verbis Hygini manifestum est: quingenariæ itaque aut certe milliariis minores.

Lateribus prætorii tendere debent.) Cohortes prætoriæ cum equitibus eum fere locum tenent, quem in castris Polybianis triariorum quinque priores manipuli inter quintanam & principalem vias, nisi quod hic comites Imperatoris prætorio proximi.

Ut duplam pedaturam recipere.) Scribe: *& dupl.* &c.

Quod temporibus majoris utantur.) Transpositæ postremæ duarum vocum syllabæ: refinge: *quod tentoriis majoribus utantur*. Infra: *Decuriones singulis papilionibus utuntur*. Et de centuria statorum: *Quibus duplam pedaturam adsignavimus quod iisdem tensoris* (scribe & hic *tentoriis* vel *tensuris*) *utantur, quibus cohortes prætoriæ*. Prætoriani itaque accipiunt duplam pedaturam, quia laxius tendunt & majoribus tensuris utuntur, quam cæteri milites. Debuit hic addere, quot pedes papilio, quot arma, jumenta, via occupat, aut saltem, quem numerum hominum duplex hæc capiat pedatura, ut inde de papilionis cæterarumque partium area conjicere possemus; sed utrumque per incuriam omisit. Ne hoc quidem dixit in longitudinem, an in latitudinem hemistrigii, an vero utrimque partium pedatura extendatur. Sed utrimque quidem extendi non potest, nisi si quædam partes augeantur, quædam minuantur, aut minor dimidio numerus tendat in dupla pedatura. Quorum veri neutrum simile est: ab altera igitur parte tantum excrescunt. Sed ne facile quidem dictu est, a qua parte, quia non docet, an in hac pedatura striga binos ordines papilionum, jumentorum & armorum habeat, ut vulgo, an vero unum tantum. Si illud, necesse est singulas partes per longitudinem hemistrigii crescere: si hoc, per latitudinem.

Primipilaribus etiam & eumcatis.) Reſtituimus: *Primipilares etiam & evocati*. Primipilares etiamſi omnia ſtipendia nondum confeciſſent, quia tamen primum pilum geſſerant, habebantur pro emeritis & equitibus dignitate æquabantur: itaque quoties in gratiam Imperatorum & ſpe præmiorum militiam iterum ſumerent, non jam merebant in legionibus, ſed ſeparata quædam cum cæteris evocatis manus erant, quæ fere circa Imperatorem verſabatur, donec ad eundem primipili aut majorem alium honorem promoverentur. Itaque & in caſtris in pedatura cohortium prætoriarum collocantur proxima Imperatori. Evocati ſimiliter emeriti maximam partem, &, ut auctor eſt Dio, vites inſtar centurionum gerebant. Galba etiam equeſtris ordinis juvenes delegit, (verba ſunt Suetonii) qui manente aureorum annulorum uſu, evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum agerent. Hi ſunt illi, opinor, qui evocati Auguſti dicti. Hyginus de limitibus: *Nuper ecce quidam evocatus Auguſti, vir militari. diſciplinæ, profeſſionis quoque noſtræ capaciſſimus.*

Equites Prætoriani.) Prætorianos equites inſtituit habuitque circa ſe Auguſtus cum prætoriis cohortibus, firmamentum dominationis: nam ſub initio Tiberii, jam mentio eorum in Tacito. Numerum eorum in tanto ſilentio veterum non facile definiverim. Illud tamen certum, falli, qui ex Suetonio colligit non plures turma una fuiſſe. Nam quamvis dicat Claudium Cæſarem exhibuiſſe *Trojæ luſum & Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis, ipſoque præfecto*: tamen inde efficere, unam tantum turmam fuiſſe, non minus ineptum ſit, quam ſi quis dicat, C. Julio Cæſare rerum potiente, duplicem tantum turmam puerorum in urbe fuiſſe, quia Suetonius tradit, *Trojam luſiſſe duplicem turmam majorum minorumque puerorum*. Tradit Tacitus cum Druſo ad Pannonicas legiones *magnam partem equitis prætoriani miſſam*, & Suetonius Cajum Caligulam, cum juſſu ejus quam tumultuoſiſſime nuntiatum eſſet, adeſſe hoſtem cum amicis & *parte equitum prætorianorum*, proripuiſſe ſe in proximam ſylvam: argumentum non unam turmam neque tam paucos numero fuiſſe, quorum pars etiam magna ad exercitum mitteretur, & cum quorum parte Imperator caſtris egrederetur. Hyginus in caſtris ſuis computat quadringentos, alæ, non turmæ numerum. Ac alæ & præfecti alæ prætorianorum in priſcis lapidibus memoria eſt: DIANÆ SAC CÆLIVS BROCCIVS. PRÆFECT. ALÆ PRÆ. Item alio: V CONT. PRÆF. ALÆ. PR. PRÆTO IN LEG. PR. MINERV. Sunt etiam inter inſcriptiones priſcas, quæ equitis prætoriani certæ cohortis, ut tertiæ, ſextæ, meminerunt: Ut D.M T.ÆL MALCO. LICTORI. EC. PRÆTORIAN. COH. IIII. PR. in aliis *eques Romanus prætoriæ cohortis*. Ex quibus apparet, fuiſſe etiam cohortes quaſdam prætorias equitatas, id eſt, habentes inſertum equitem prætorianum, quemadmodum cohortes auxiliares, quæ equitatæ dicebantur, de quibus poſtea. Sed equites prætoriani ſub Auguſto & Hygini ætate, cohortibus non fuerunt inſerti: nam Tacitus duabus prætoriis cohortibus non ſuum equitem addit, nec eos ſub vocabulo cohortium complectitur. *Miſſus*, inquit, *Druſus cum prætoriis cohortibus duabus, delecto milite ſupra ſolitum firmatis*: *Additur pars magna prætoriani equitis & robora Germanorum*. Hyginus etiam hic oſtendit, non certum cuique cohorti numerum, ſed alias plus in exercitu fuiſſe, alias minus: neque equitatas appellat cohortes prætorias, neque ut cohortis equitatæ equitem, prætorianos equites collocat cum peditibus ſuis; ſed ſeparatim ab uno prætorii latere, prætoriis cohortibus ab utroque tendentibus.

Singulares.) Et hos inſtituit Octavianus, ſi qua fides inſcriptionibus: in quibus frequentiſſime occurrunt. In quibuſdam appellantur, ut hic, equites ſingulares. In aliis equites ſingulares Imperatoris, equites ſingulares Imperatoris noſtri, equites ſingulares Cæſaris, Auguſti, Auguſti noſtri, Domini noſtri. Vide de his Gruterum. Meminit & Tacitus in IIII. Hiſtoria alæ ſingularium: *Acceſſit ala ſingularium excita olim a Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa*. Fuit hæc ſingularis quædam, ut ipſum nomen ſatis oſtendit, equitum manus, cujus, ut evocatorum & primipilarium, alias major, alias minor numerus: quare Hyginus diſtincte trecentis, quadringentis quinquaginta, ſexcentis, octingentis & nongentis ſuum in caſtris adſignat locum.

Latere ſuo.) Reſtitue: *latere ſiniſtro*. Nam dextro prætorianos oppoſuit. Idem error inferius: *Expoſuimus itaque ſuas pecies & univerſum exercitum ſuis locis conſtituimus*. Lege, ut monuimus, *ſingulas ſpecies*.

Ita ſicut & pari numero diſpoſit.) *Ita fiet ut*. Si ſingulares ſexcenti, prætoriani trecenti fuerint, quartam illorum partem transferemus in latus dextrum prætorii, quo tendunt prætoriani, reliquos in ſiniſtro collocabimus: ita fiet primum, ut par numerus quadringenti quinquaginta equites utrimque, deinde ut hi ipſi laxius aliquanto, & principales eorum ſingulis tendant papilionibus: nam duo hemiſtrigia ſeptingentorum viginti pedum, quæ eſt longitudo lateris prætorii, accipient, cum mille trecenti quinquaginta pedes ſufficerent.

Decuriones & reliqui principales.) Id eſt, duplicarii & ſeſquiplarii. *Principalis* enim eſt præcipuus & princeps: Plinio pici Martii principales in augurio: hinc & ad Principes refertur reipublicæ, ut *principalia arma*, apud Vellejum: ad ſolos deinde Cæſares, ut *principalis domus*, *principales* [illegible], *&c.* In re militari, qui ſcriptoribus prioris ævi principes caſtrorum, legionis, alæ, centuriæ, turmæ, item primores juvenum & duplicarii; hi ſub Cæſaribus principales, ut jam olim in caſtris porta & via appellabantur. Vegetius: *Principalium militum, & ut proprio vocabulo utar, principum nomina & dignitates ſecundum præſentes matriculas indicabo*. Opponuntur gregalibus, ut immunibus munifices. Idem: *Principales qui privilegiis muniuntur, munifices qui munus facere coguntur*. Tacitus in II. Hiſtoriarum: *Nec principes modo coloniarum aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti & parta victoria magna ſpes, ſed manipuli quoque & gregarius miles viatica ſua & balteos phaleraſque inſigni armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant*.

Propenſius tendant.) Retinet Salmaſius vocem, *propenſius*, & interpretatur *laxius*, quo ſenſu in Solino dicatur: *Propenſior laus, propenſior claritas, notæ propenſiores, venæ propenſius vino irrigatæ*. Infra quidem Hyginus de ala: *Principales eorum aliquando laxius tendent*. Nos putabamus, *papilionibus ſingulis* vel *papiliones ſingulos tendant*. Sic idem poſtea: *Decuriones ſingulis papilionibus utuntur*.

Et ſi minora numerus virorum quæ fuerit.) Forte: *Si minor numerus utrorumque fuerit*. Dixit quid agendum ſit, ſi minor numerus prætorianorum, major ſingularium: nunc docet, quo genere pedatura explenda, ſi tam hi, quam illi pauci numero.

Centenis equitibus æmitricis ſuis laxius tendant.) Lege: *centenis equitibus hemiſtrigiis ſuis laxius tendent*: id eſt, minor numerus quam centum. Infra: *Qua-*

Quadringenis bominibus per ſtrigas ſtrictius ſeu laxius tendent.

Non erit æſitandum quoniam officialib. lateri veſtro proximis ibi pedatura adſignaretur.) Forte: *non erit hæſitandum, quoniam officialibus lateri dextro proximis ibi pedatura adſignabitur.* Sed quinam iſti officiales lateri dextro proximi? *Officium* pro honore & dignitate ſive adminiſtratione dignitatis, apud ſcriptores optimi ævi raro quidem, invenias tamen frequentius apud L. Senecam, Tacitum, Suetonium & iſtos. Sed neque apud illos, neque apud hos memini officiales appellari, qui in gradu aut dignitate conſtituti. Nec arbitror Hyginum deſignare hoc vocabulo eoſdem, quos paulo ante *principales* vocavit, quando neque ratio, neque diſciplina militaris permittat, ut hi a numero cui præſunt, divulſi tendant cum equitibus prætorianis aut ſingularibus. *Officiales* poſtremo Latinitatis ævo apparitores eorum, qui in dignitatibus, in Notitia Imperii paſſim: *Officium Viri ſpectabilis, Ducis Thebaidos, Ducis Arabiæ, Ducis Phœnices, babet ita: Principem de ſcbola Agentium in rebus, Ab Actis, Numerarios & adjutores eorum*: deinde fere ſubjicitur: *Exceptores & cæteros Officiales.* Non alio plerumque ſenſu in Codice Juſtiniani uſurpatur. Euſebio quoque *officiales* & *beneficiarii* iidem apparitores magiſtratuum, quorum opera utebantur in conquirendis reis, exigendis vectigalibus & ſimilibus miniſteriis. Sed quinam hi officiales, qui nuſquam præterea in hiſce caſtris, adfirmare non auſim, niſi ſint officiales quidam domus Auguſtæ, qui per errorem Gromatici noſtri vel incuriam librarii omiſſi ſint. Quod genus in Codicibus Imperatorum, & ejus ætatis Scriptoribus, *Caſtrenſes miniſtri* & *Caſtrenſiani* dicuntur. Hinc titulus in Codicibus: *de Caſtrenſianis & Miniſterianis. l.7. Cod. Theod. de Privilegiis eorum qui in ſac. Pal. mil. quique in ſcriniis militant, quique inter Agentes in rebus plenum vigiliarum munus exercent, admiſſionales etiam, & qui ſub Caſtrenſis officio, quique Comitatenſibus & privatis largitionibus obſecundant.* Alibi *miniſteriales* appellantur, & *aulicum miniſterium*, An potius, officialibus hiſce barbaris, quos imperitia librarii principibus caſtrorum permiſcuit, hinc faceſſere juſſis alares ab altera parte tendentes hic in ſuum reſtituimus locum? Sed retinemus manum, qua hic toties nobis in alieno libro ac neſcio an nimis temere interdum utendum eſt.

Quod ſi cobors prætoriæ impares accepto fuerint.) Lege: *Cobortes prætoriæ impares acceptæ fuerint.*

Quoniam numerus & diſpoſitio dextra lævaque prætorii centuriis paribus eſſe debent.) Forte: *quoniam numeri diſpoſitio dextra lævaque prætorii centuriis paribus eſſe debet*, vel *numeri diſpoſiti*, &c. *debent. Ita fiet ut pari numero diſpoſiti decuriones & reliqui principales eorum propenſius tendant.* & poſtea: *Pari numero integris ſtrigis lateribus tendere debent.* Mens certe eſt, parem utrimque numerum collocari, utcunque concinnentur verba.

Loco cobortis equites prætoriani ponentur.) Quadringenti equites prætoriani duobus hemiſtrigiis pedum ſeptingentorum viginti, quæ eſt cohortis prætoriæ pedatura, laxe ſatis tendent.

Singularis autem C. *ſi* DCCC. *aut* DCCCC. *fuerint.*) Puto: *Singulares autem ſi octingenti aut nongenti fuerint*, ex puncta priori nota numerali.

Pari numero integris ſtrigis tendere debebunt.) Id eſt, duobus hemiſtrigiis integris: non enim duplam pedaturam & tenſiones majores accipiunt, quemadmodum cohortes prætoriæ. Liquet id ex eo, quod alæ prætorianorum eadem qua quadringenti vel quadringenti quinquaginta ſingulares pedatura tendenti, non niſi unius cohortis pedatura adſignatur, quæ ſi iiſdem tenſuris uteretur, duas ſtrigas integras poſtularet.

Si ad nos fuerint utut ſtriga eſt ſufficiat.) Corruptiſſima lectio: an ſcripſerat: *Si ſpatium fuerit, ut ſtrigæ ſufficiant?* Hyginus cap. 1. *Reliqui duodecim pedes, qui converſantibus ſpatio ſufficient*: & infra: *Alæ milliariæ vel quingenariæ ſi pedatura permiſerit.*

Illum maxime obſervare debemus.) Scribe: *Illud*: ut: *Illud plane poterit obſervari, ſi cobortes equitatæ in exercitu nullæ omnino fuerint.*

Ut latus ped. L. actori.) Male acceptus locus: non enim de prætorio, ſed de latere prætorii loquitur, cui Hyginum non plus quam quinquaginta pedes adſignare, ſanus nemo dixerit: nam in compoſitione trium legionum, latus prætorii ſexcentos pedes latitudinis intra viam ſagularem accipit, vel ſeptingentos viginti cum pedatura cohortium & latitudine viæ ſagularis: longitudinis vero quadringentos octoginta vel ſeptingentos viginti pedes, ut reſpondeat pedaturæ duarum vel trium cohortium legionum lateribus ad vallum tendentium: imo haud dubie ſeptingentos viginti pedes, ut ſuo loco probamus. At ex his numeris nullus vitiatæ libri ſcripturæ affinis. Præterea ſi quis hic numerus fuit, numerus latitudinis videtur fuiſſe: at ille neque proprius lateris prætorii, (idem enim omnium partium lateris prætorii, prætenturæ & retenturæ) neque ſemper idem, ut in univerſum definiri poſſit: nam Hyginus in metatione trium legionum, ſexcentos tantum pedes latitudini harum partium dat, non in omni metatione. *Obſervare itaque debemus*, inquit, *ut quoties tres legiones cum ſupplementis acceptæ fuerint, dimidia pars caſtrorum ſeptingentos viginti pedes latitudinis babeat & lateribus caſtrorum cobortium tabulino nonaginta, ſignis ducentos quadraginta pedes adſignemus, ut deducto tabulino cobortium & latitudine viæ ſagularis reliqui ſexcenti pedes ſuperſint.* At hæc verba: *Ut latus pedum quinquaginta, &c.* non tantum certum & in omni genere perpetuum, ſed etiam numerum jam antea definitum, ut Scholaſtica voce utar, præſupponunt: cum tamen de pedatura lateris prætorii univerſa, antea ne verbum fecerit. Nullus itaque dubito ſcripſiſſe Hyginum ſine numero ſimpliciter, ut latus PRÆTORII, quæ ſcriptura, duabus tantum literis corroſis aut leviter mutatis, facile præferre potuit PLACTORI, inde librarius imperitus, qui ſciret τὸ P pedes toties deſignare, & τὸ L notam numeralem eſſe, effecerit *ped. L. actori.* Alioquin legendum ſit: *latus pedum ſexcentorum.*

Non plus quam ſeptingentos viginti pedes longitudinis accipiat.) Dubitabam initio, anne latitudinem lateris prætorii, id eſt, eam pedaturam quæ a via prætoria ad vallum exporrigitur, longitudinem Hyginus hic appellaret, primum quod loco jam citato dimidiæ caſtrorum parti in latitudinem ſeptingentos viginti pedes eundem, quem hic, numerum adſignat: deinde propter eum qui ſequitur locum: *Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet, a centum ſexaginta ad ducentos viginti poteſt obſervari in longitudine, ut ſupra dixi, pedum ſeptingentorum viginti: ſtationi dari oportet ſecundum prætorium, &c.* Ubi ſi illa, *in longitudine, ut ſupra dixi &c.* ad proxime ſequentia referenda ſunt, de latitudine dimidiæ partis haud dubie accipienda ſunt: nam ſtationem, comites, cohortes prætorias & reliquum numerum infra palam in hac latitudine computat. Quod ſi ad præcedentia reſpiciunt hæc verba, tamen idem illud latus prætorii, quod in his ſequentibus, computare poſſit videri: quia ille tam deſultorius de latere in latus tranſitus,

non est probabilis. Nobis tamen Hygini verba & dispositionem propius intuentibus, de vera longitudine loqui dubium non est. Longitudinem enim lateris prætorii nusquam nisi hic definit, quam non probabile est omisisse, cum & prætenturæ & retenturæ longitudinem descripserit, & omnino, ut describatur res, exigat. Præterea quoties de dimidia parte totorum castrorum sermo est, vel de latitudine partium, latitudinem semper, nunquam longitudinem appellat, & ipse numerus hic longitudini convenit. Cum enim alis quingenariis lateribus collocandis pedatura quadringentorum octoginta pedum non sufficiat, superest, ut septingenti viginti pedes assignentur. Cui pedaturæ optime convenit illa causa, propter quam non plus quam septingentos viginti pedes vult attribui, ut cohortes prætoriæ integris strigis sua pedatura optime tendant: una enim cohors prætoria quingentorum hominum duplam pedaturam recipiens, strigam septingentorum viginti pedum ad pedem occupabit: nec minus recte reliquus numerus hanc pedaturam explebit.

Ita fiet ut cohortes primipilarium &.) Primipilaribus & evocatis in pedatura cohortium prætoriarum adsignavit locum. Sed primipilares tot numero in exercitu fuisse, ut totam cohortem efficerent, neque usquam memini legere, & ipse Hyginus negat; & cum in pedatura cohortis prætoriæ iis partem attribuit, & cum in recensione insuper copiarum suarum nullius usquam cohortis mentionem facit, quæ vel sit vel appelletur primipilarium cohors. An fuerat: *cohortes primæ, prætoriæ &*, &c. nisi si quis velit cohortes primas, primipilorum cohortes dici, quia primi earum centuriones & primæ centuriæ, primi pili.

Integris strigis sua pedatura optimæ tendent.) Cohors prima, cohors prætoria, ala quingenaria, equites prætoriani, equites singulares: quæ sunt copiæ latere prætorii intra viam sagularem tendentes, una striga septingentorum viginti pedum optime singulæ collocabuntur.

Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet a CLX. *ad* CCXX. *potest observari in longitudinem, ut supra dixi, ped.* DCCXX) A centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari in longitudinem, ut supra dixi, pedum septingentorum viginti. Dubitabam initio, anne hæc latitudo prætorio ex longitudine lateris pedum septingentorum viginti adsignaretur, cum eandem partem prætorii, quæstorii & comitum pedaturæ latitudinem infra vocitare videatur: *Si quo plus vel minus fuerit, idem observabimus, ut prætorium vel comitum pedaturam, item quæstorium minuamus, servatis portionibus latitudinis.* Sed tamen exactius consideranti satis constat, utramque hic definiri partem & sicuti comitibus, cohortibus & alis latere tendentibus; sic etiam prætorio universum hoc spacium pedum septingentorum viginti, quod est inter vias principalem & quintanam, adsignari. Frons enim prætorii ad principia spectat & portam prætoriam. *Introitu*, inquit, *prætorii partis mediæ ad viam principalem*. Item: *Via quæ ducit ad portam prætoriam, propter quam rigore tensuræ suæ superiores strigæ in prætorii ora non percurrunt.* Postica vero pars ad quintanam: *Lateribus quæstorii tendere debent ad viam quintanam centuriæ stratorum, ut posticium prætorii tueantur.* Præterea cum parcus pedaturæ Hyginus nihil temere in castris suis relinquat nudum, inter prætorium tamen & quintanam locum adsignat nemini. A centum sexaginta igitur ad ducentos viginti pedes per septingentos viginti relinquuntur prætorio: ingens profecto spacium, quod octo, septem vel minimum sex capere cohortes, & Imperatoris

A tensioni etiam nimis grande videri possit. Sed cogitare debemus, non hic prætorium constitui uni alicui ex priscis illis consulibus ab aratro ad imperium vocato, & mox ab imperio ad aratrum redituro, quo tempore virtus suis tantum fulgebat honoribus: ne semestri quidem aut annuo potentissimæ jam reipublicæ duci, sed terrarum gentiumque domino, turba amicorum & servorum, cæteroque fortunæ suæ apparatu aliquantum onerato; quibus rebus illa ætate tanti imperii majestas adornata, externis gentibus ostentabatur. Ac dubitare non immerito possis, anne & pars aliqua hujus pedaturæ nuda & inanis relicta, tum ad liberiorem B ab omni parte prospectum, tum ad alarum & cohortium aliquot extraordinariam re exigente stationem, anne etiam pars aliqua foro cesserit? In castris quidem Polybianis, jam tum Imperatori circa prætorium multum spacii datur, quod nisi exigente necessitate, milite non expletur. Adde quod tribunal, quod auguratorium, & fortassis quædam aræ in eadem, ut mox dicemus, area.

Item comitibus Imperatoribus nostris.) Scribe: *Comitibus Imperatoris nostri.* Inscriptio vetus apud Gruterum: AMICO ET COM. AUG. N. In lapidibus quibusdam *Comites Imperatoris*: in multis C addito nomine Imperatoris, cujus comites fuerunt, Tiberii, Claudii, &c. Erant autem amici & familiares Imperatoris, pro cujusque ingenio adsciti ad concilium aut delicias. Eorum alii primi, alii secundi, alii tertii ordinis vel loci, ut viri docti pridem observarunt.

A ped. L. *ad* LXX. *potest observari.*) Salmasius in notis ad Ælium Spartianum: *Comitibus Imperatoris nostri a pedibus sexaginta ad septuaginta potest observari.* Causam mutati prioris numeri non addit: ergo illam suspicor esse, quod postea in metatione castrorum suorum, sexaginta comitibus adsignet pedes. Sed nihil vetat Hyginum illic meD diam pedaturam adsignasse: non enim vult quinquaginta vel septuaginta stricte, sed a quinquaginta ad septuaginta observari, id est, minimum quinquaginta, plurimum septuaginta pedes.

In qua pedaturam pro PR. primo loco anta principaliam adsignari debet.) Vir idem clarissimus: *Isque pedatura pro prætorio primo loco ad viam principalem adsignari debet.* Sed comites Imperatoris, non pro prætorio, sed lateribus & quidem post stationem accipiunt locum; neque etiam in universum ad viam principalem, nedum primo loco poterant tendere, cum striga comitum, non per longitudi E nem viæ principalis, sed ut cæteræ omnes lateris strigæ a via principali ad quintanam percurrat. Ade quod ipsa quodammodo scriptio ostendit aliud subesse. Scribo: *In qua pedatura præfecto prætorio primus locus ad viam principalem adsignari debet.* Nam vox *præfecto prætorio*, abbreviate scribebatur: PR. PR. vel PRF. PRT. a quo facilis ad scripturam codicis error. Et Hyginus qui legatis & tribunis, tam legionum, quam cohortium prætoriarum scamnum attribuerit suum, qui nec præfectos cæteros, ne centuriones, decuriones & principales quidem omnino reliquerit intactos, quo piaculo potuit omittere præfectum prætorio tanto in fastigio collocatum? Adde quod hic locus perF sonæ ejus convenit. Nam cum in loco ducum & præfectorum vel hoc spectetur, ut juxta suas quique copias tendant, vel ut ad principia & prope Imperatorem, in qua positione fere, quo quisque est dignior, eo honore quoque loci Imperatori propior sit: utrumque hic observatur, ubi datur præfecto prætorio primus locus in comitum pedatura ad principia, medius inter cohortes prætorias & prætorium & proximus Imperatori. Præerat enim cohortibus prætoriis & erat pæne Imperatori, quod

antiqua republica dictatori magister equitum. Augustus quidem solos equestris ordinis homines hac dignitate voluit ornari, neque senator quisquam ad eam fuit promotus, præter Arretinum Clementem & Titum Vespasianum ante imperium Severi Alexandri, qui tandem senatoriam fecit: sed vel inde colligi magnitudo potest, quod Princeps terrarum sibi & imperio tutum non censuit, credi eam multarum imaginum & summi ordinis hominibus. Erat secunda dignitas in imperio, βασιλείαν ἀπόρφυρον vocat Eunapius: qua qui donabatur, accipiebat ab Imperatore pugionem & vice sacra judicabat. Scribimus autem *primus locus adsignari debet*, quod res & ratio postulet, & sic alibi Hyginus C. 2. *Primipilares etiam & evocati in eadem pedatura locum accipiunt*. & C. 5. *in eandem pedaturam locus adsignetur*.

Interposite deinde via cohortis præbetoriæ & reliquus numerus.) Putat vir doctissimus hoc loco viæ cujusdam ex castrensibus fieri mentionem, quæ appelletur *via cohortis prætoriæ*. Sed priora cum sequentibus examinanti, viæ hic nomen non insertum satis liquet. Primum enim stationi dari pedaturam, deinde comitibus Imperatoris, post hos interjecta via, cohortes prætorias & reliquum numerum collocat. De via hac & cæteris vicinariis erit infra dicendi locus. Scribe: *Interposita deinde via cohortes prætoriæ & reliquus numerus*.

Prout disponi de libello extendimus debet.) F. *prout disponi debere ostendemus*.

Æris institutis in formam partis imæ) F. *aris institutis*: vel si malis vocem *debet* huc referre, *debent aræ instituti in formam partis imæ*. Aras hic costitui velle Hyginum minime dubito & quidem plures: nam aliorum deorum aliæ erant. Apud Tacitum invenias auguralem aram vel utique structam auguralem aram, ut mavult Lipsius: *Structa ante auguralem aram subdita face cremari*. Invenias & altaria ad signa & aquilas: *Illic aquilam & signa amplexus, religione sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria deum commaculavisset*. Sed quid sibi volunt ista *in formam partis imæ*? an vult constitui aras ea forma, qua pars ima prætorii? an *in formæ parte ima* scripserat, designans locum, partem imam formæ, id est, pedaturæ prætorii? an fuerat *intra viam parte ima*? Ante tabernaculum certe Imperatoris & ad principia aras fuisse extructas dubitare non licet. Sacra enim in nulla re, nedum in militari a summo imperio disjungi patiebantur, nec magis Imperatori arma & tela & consultorum copiam, quam sacra & religionum instrumenta consultissimi & quantum licebat sapientissimi mortales semper ad manum esse volebant. Considebat inter medias aras & altaria non aliter quam in templo, sapientissimo consilio, quo neque ipse publicæ quicquam rei gereret, nisi consulto placatoque prius deorum numine, & deorum cultus & religionum sanctitates ab omni parte conspicuæ sua quadam reverentia, sua majestate eum circumdarent, & parentibus facerent augustiorem. Accedit quod non alius in castris locus aris aptior, tum propter spacium amplum & multitudinis capax, tum propter situm legibus sacrificantium convenientem. Aræ enim deorum ita constituebantur, ut ipsæ & sacrificantes immolantesque ad ipsas orientem, aut si natura loci intervallaret, flumen vel viam aditam respicerent. Recte itaque extruebantur ad viam principalem, quæ erat præcipua castrorum, respicientes ad hanc & portam prætoriam, quæ vel hostem vel orientem spectare solebat.

Auguratorium parte dextra prætoriatura principalem.) Scribe: *Auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem*. Romæ ad D. Joannis Lateranensis: TRAJANUS HADRIANUS AUG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. II. COS. III. PP. AUGURATORIUM. DILAPS. . . . . *Augurale* vocat Tacitus. *Nocte*, inquit, *cœpta egressus augurali per occulta & vigilibus ignara*. Ubi ostendit, ita tabernaculo Imperatoris adjunctum & continuatum fuisse, ut ignaris vigilibus e prætorio ingredi potuerit: nisi verius est a parte hac sanctiore & auspiciis, quæ unius Imperatoris erant, totum prætorium *augurale* appellatum, ac ita hic a Tacito appellari. Verba quidem id facile persuadeant. Cum enim dicit egressum augurali Germanicum per occulta & vigilibus ignara, non per augurale, innuit jam ante fuisse & tensionem habuisse in loco, qui *augurale* dicebatur. Et solitum veteribus augustis ejusmodi locis, quo major inesset religio, a parte sanctiore nomina indere: sic Capitolium quondam auguraculum dictum fuisse, Festus scribit: *Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur*. Nescio anne & Quintilianus confirmet hanc sententiam loco sæpius a viris doctis citato, sed non satis explicato: *Carmen funebre proprie nænia & tabernaculum ducis augustale*: an fuerat *augurale*? Josephus constitutum inter media principum tabernacula prætorium, ναῷ παραπλήσιον ait fuisse.

Agnovimus.) Forte *adponemus*, scilicet aris parte ima institutis. Ante auguratorium enim aram jam diximus fuisse. Est & alibi in hisce membranis *ovimus*, ubi scribi debuit *ponemus*: *Si cohortes equitatæ in eo exercitu omnino fuerint, ovimus alas quingenarias lateribus quæstorii*.

Ut dixi ne & augurium recte capere potest.) Recepimus conjecturam ampl. viri Jani Rutgersii, quod minimum a scriptura recedat: *Ut dux in eo augurium recte capere possit*. Sed cum ipsi Imperatori, non ducum cuilibet, prætorium hisce in castris paret, dubito, anne aliud quid lateat. Non tamen prætulerim huic conjecturæ quod in mentem veniebat nobis: *ut rem divinam facere & augurium recte capere possit*, ut illud ad aram, hoc ad auguratorium, de quibus nunc agit conjuncte, referatur. Rem quidem ipsam quod attinet, Imperatores, priusquam concilium advocarent, in concionem adscenderent, in hostem ducerent aut quidquam publicæ rei agerent, rem divinam fecisse & aves consuluisse: re bene gesta & peracta pugna, similiter sacrificasse & meritos dis honores persolvisse, ignorare nemo potest, nisi qui in omni historia fuerit hospes: erat enim hoc adeo receptum & tralatitium, adeoque justum omnium opinione & necessarium, ut contemtores cæteroquin talium & minime superstitiosi duces, vulgi tamen causa religiose observarint, neque facile quisquam contemserit, nisi magno suo exercitusque malo. Livius: *Sacrificio rite perpetrato concilium advocat*. Cæsar: *Postero die, re divina facta, concione advocata, in conspectu oppidanorum milites collaudat*: & passim.

Parte læva tribunal statuitor.) Scribe: *statuitur*. In Græcorum etiam castris tribunal prætorio fuisse junctum, ostendit Plutarchus, cum scribit Periclem milites, si bene memini, suos convocasse, ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ στρατήγιον. Homerus similiter jam olim una collocat forum, judicium & deorum altaria: ut hanc dispositionem tam antiquissimam esse appareat, quam est prudentissima, qua loca illa, in quibus summum imperium summumque judicium exercetur, iis adponantur, in quibus Deus colitur. στρατηγικὸν βῆμα appellat Dionys. Halicarnasseus,

ad differentiam aliorum tribunalium. Ac ſolet tribunal, etiamſi abſit Imperator, tamen Imperatoris nomine appellari, quia quicquid a minoribus ducibus pro tribunali geritur, non geritur, niſi auctoritate & nomine illius. Scipio apud Livium: *In prætorio tetenderunt Albius & Atrius, claſſicum apud eos cecinit, ſignum ab iis petitum eſt: ſederunt in tribunali P. Scipionis: ſubmoto inceſſerunt: faſces cum ſecuribus prælatæ ſunt.* D. Paulus in Actis Apoſtolorum cum adſtaret ad tribunal Feſti, ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρος, dicebat, ἑστώς εἰμι.

Ut augurio accepto inſuper adſcendat & exercitum felici auſpicio alloquatur.) Tacitus Germanico: *Auctus omine addicentibus auſpiciis, vocat concionem & quæ ſapientia prævisa aptaque imminenti pugna diſſerit.* Inauſpicato nihil ſeriæ rei agere fas erat; augurio accepto & addicentibus auſpiciis, tum demum exercitum ad concionem vocabant. Fiebat id claſſico: convocati ſub ſuis quiſque ducibus & ſignis, manipulatim aut centuriatim conveniebant & tribunal circumfuſi, ibi potiſſima ſigna & aquilas conſtituebant. Livius in XXII. *Ut conſtituta ſunt ante tribunal ſigna, progreſſus ante alios magiſter equitum.* Quem habitum faciemque circumſtantium & ſigna & vexilla præferentium, numiſmata & monumenta vetera, jam ab aliis exhibita, etiam nunc oſtentant. In tribunali concionaturo Imperatori ponebatur caſtrenſis ſella, ut apparet ex Suet. recenſente inter infauſta omina, quæ Galbæ in adoptione Piſonis evenerant, quod miniſtri caſtrenſem ſellam de more ponere obliti fuerint *Obſervatum eſt*, inquit, *etiam Kal. Januariis ſacrificanti coronam de capite excidiſſe: auſpicanti pullos evolaſſe: adoptionis die neque milites allocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali, oblitis miniſtris & in ſenatu curulem perverſe collocatam.* Livius VIII. *Ne tribunal quidem ſatis quietum: legati circumſtantes ſellam orabant, ut rem in poſterum diem differrent.* Legati enim cum Imperatore aſcendentes tribunal, ipſam ſellam ejus circumſtabant; dubito, an & tribuni. Nam Livius hic ſolorum legatorum meminit, & paulo poſt iterum de eodem Papirio dictatore: *Juſſit de tribunali deſcendere legatos.* Apud Joſephum in ſeptimo ἁλώσεως, Titus expugnatis Hieroſolymis devictaque & pacata omni Judæa, bene meritos milites pro concione laudans & donis militaribus donans, μετὰ τῶν ἡγεμόνων in tribunali conſtitiſſe dicitur; quæ vox ſæpius de ſolis legatis accipitur, interdum complectitur & tribunos & præfectos. Illud autem obſervo, Imperatores concionantes, cum milites ſuos alloquerentur, aut pro concione laudarent, fere ſteriſſe: at cum judicis partibus fungerentur, ſella ſediſſe. In judicio aſſidentes legatos tribunoſque deſcribit in Milite Mariano Quintilianus: *Nec pudet accuſatorem apud C. Marium aſſidentibus legatis, præfectiſque, & iſtis illi prodigio diſſimillimis tribunis, toto armatorum judicio, objicere militi, quod vir ſit.* Prioris moris exempla habes in Galba & Tito Veſpaſiano: poſterioris in Papirio, Scipione & aliis. Tractum a more urbano, quo judices ſedebant, oratores ad populum verba facientes ſtabant, ſatis congruente cum natura rerum habitu utroque, quia alteros quieto ſedatoque animo, alteros commotiori munus ſuum explere oportet.

Introitum prætorii partis mediæ aut viam principalem.) Scribe: *introitu prætorii partis mediæ ad viam principalem*, vel *ante viam principalem*, quomodo & ſupra, ubi de auguratorio & tribunali loquitur, non male ſcripſeris. Ante principia enim judicia habita, Fabius & Sueton. ſcribunt. Ille milite Mariano: *Sed neque hæc Mars parens, neque ſigna militaria aquilæque victrices ſinant, ut tua quoque ſententia quiſquam vir & Romanus & miles nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt.* Hic caligula: *Capite punivit & quidem ante principia caſtrorum.* Quibus tamen in locis diſtingui videntur a via principali principia; & proprie ſumi pro ipſo illo loco, in quo tendunt principes, ante quem habebantur judicia. Quare tutius hic legeris *ad viam principalem*: niſi ſi verius ſit, quod longius a ſcriptura abit, *parte media viæ principalis*. Nam groma media via principali poni videtur debere, ut mediæ caſtrorum portæ in conſpectu rigoris efficiant ſtellam: ſi in ipſo introitu ad viam principalem poſueris, mediis quidem portis prætoriæ & decumanæ reſpondet, at non principalibus.

Groma locus appellatur.) Salmaſius legit *grumæ*, ſecutus Nonium, qui ait: *Grumæ ſunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur & conveniunt viæ.* Suidæ γνῶμα vocatur: Ὀλίγον ἐξωτέρω τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς χωρίον τι ὥσπερ ἀγορὰ ἀπεδέδεικτο, ὃ δὴ γνῶμα προσηγορεύετο· ἐκεῖσε δ' αἱ πρεσβεῖαι καὶ αἱ ἀγγελίαι καὶ ὅλα ἐγίνοντο. Ubi male vir doctiſſimus vocem ὅλα in ἄλλα velit mutatam, & quaſi Hyginum non inſpexiſſet, inauditum ſibi dicit, quis ſit ille locus, quem *gromam* appellat Suidas. Circa gromam autem, hoc eſt, in principiis & ad principia, dabantur per exercitum jura & imperia, indicebantur munera, habebantur caſtrenſia judicia, fiebat res divina, huc convocabatur ad concionem exercitus, huc turba caſtrenſis, ut ad forum conveniebat, hic totos dies verſabatur, donec principia dimitterentur; ideo ait Suidas, hic legationes & nuncios & omnia adminiſtrari.

Quod turbabi congruat.) Recte Salmaſius: *Quod turba ibi congruat. Congruere* enim eſt convenire, a *gruibus* ductum, de quibus Solin. c. 10. *Concors omnium cura pro fatigatis, adeo ut ſi quæ defecerit, congruant univerſæ laſſataſque ſuſtollant.* Hyginus: *In caſtris groma ponitur in tetrantem, quo velut ad forum convenitur.* Sed inepta & haud dubie falſa hæc derivatio *gromæ* a *congruendo*: nec melior, ſi legas: *Quod turba ibi congrumet*, eodem ſenſu, (quamvis fortaſſe ut *degrumare*, ſic & *congrumare* inter caſtrenſia vocabula fuerit) Non enim *groma* a *congrumando*, ſed contra *congrumare* a *groma* deduci deberet. Sed melior hæc quæ ſequitur cauſa hujus nominis.

Sive in dictationem & adpoſito.) Aſſentior viro eidem clariſſimo legenti: *Sive quod in dictatione metarum.* Hyginus: *Prolato exiguum per rigorem ferramento, normaliter paucas dictabimus metas.* Frontinus: *Metis ad ferramentum poſitis per ipſum erit dictandum.* Idem: *Dictabimus metas non minus tres.* Niſi hic metationem caſtrorum docens ſcripſerit potius: *In dictatione metationis*: ut infra: *Nec communem indicationem* (forte *dictationem*) *metationis habet propter numerum incertum.*

Adpoſitio in eodem loco ferramento.) Lege: *poſito* vel *adpoſito*. Frontinus: *Metis ad ferramentum poſitis.* Hyginus de militibus conſtituendis: *Multi ignorantes mundi rationem, ſolem ſunt ſecuti, hoc eſt, ortum & occaſum, quod ſimul ferramento comprehendi non poteſt: quid ergo? poſita auſpicialiter groma, ipſo forte conditore præſente, proximum vero ortum comprehenderunt.* Ferramentum cui groma imponebatur, *tetrans* geometrarum erat. Hyginus: *In caſtris groma ponitur in tetrantem, quo velut ad forum convenitur.*

Groma ſuperponatur.) Hæc ſine dubio vera cauſa eſt, propter quam locus hic in caſtris *groma* vel *gruma* appellatus, quod groma in eo ſuper tetrantem poneretur ad dirigendas caſtrorum vias & por-

tas. *Est autem groma*, ut ait Festus, *genus machinæ cujusdam, quo regiones agri cujusque cognosci possint*. Nonius: *Mensuram quandam esse notat, qua fixa viæ ad lineam dirigantur*. Ac hic quidem locus satis non docet, quamobrem in tetrante figeretur groma, ut scilicet viæ & portæ quatuor ad hanc machinam directæ stellam efficerent. Primum enim in castrametatione posita groma statuendum erat, quibus partibus quatuor portas locari placeret, easque ita dirigere, ut stellam vel crucem efficerent. Quibus directis cætera omnia in proclivi erant: nam omnes metæ his respondebant & omnes areæ & viæ ab altera parte viæ principali, ab altera parte prætoriæ & lineæ illi, quæ a prætorio ad decumanam portam excurrebant, parallelæ erant. Primum itaque in castrametatione posita groma, linea, ut opinor, mensurabant vias, deinde pertica cujusque generis pedaturam. Videsis Salmasium in Exercitationibus Plinianis de eadem γνώμονα & *groma* multa docte, fuse, sed nonnihil etiam confuse disserentem. Cui ut in cæteris assentiar, in eo quidem assentiri non possum, quod gromam & perticam eandem esse opinatur. Et sane τεκτονικὸν utrumque instrumentum: sed aliud hæc, aliud illa: pertica vel decempeda mensurabant singulas partes: groma in tetrante figebatur, & quatuor castrorum portas ostendebat: groma signum erat, pertica mensura: groma dirigebat perticam, pertica a groma dirigebatur. Et quanquam confundi hæc interdum, ut pleraque a scriptoribus, & signa quoque, quæ in angulis constituebantur, perticas appellari non equidem negaverim; proprie tamen aliud gromam, aliud perticam esse, multis probare possemus.

Ut portæ castrorum in conspectum rigoris.) *Conspectus* est, quod ex eodem loco recta linea normaliter conspici potest, sive una sive plures signorum conspectorum lineæ fuerint. Vide Hyginum de limitibus.

Stellam efficiant.) Est & hoc mensorum vocabulum. Cajus & Theodosius: *Et signatim ut inveniantur pali ipsi, stellam consecravimus & ipsa stella junior nomine vocatur*. Forma stellæ hæc est ✠. unde Africanus & Leo, vias hasce ex eodem puncto ad quatuor castrorum portas dirigere jubentes, non plures, sed unam viam transversam in modum crucis jubent fieri, ἐν τῷ μέσῳ δὲ φοσσάτου σταυροειδῆ πλατεῖαν, &c.

Et professores ejus artis causa supra scripti.) Salmasius: *jus artis causa, ut supra scripsi*. Sed nihil supra in his quidem, quæ supersunt, hac de re scripsit: potest servari scriptura libri: *Professores ejus artis*: intellige, figendi in tetrante gromam & ad eas vias portasque castrorum dirigendi: hoc est mensoriæ artis: *causa supra scripti*, id est, causa ejus quod supra scriptum est, quod scilicet groma feramento superponatur: ut enim inde locus ipse castrorum *groma*, sic etiam metatores *gromatici* appellati: aut si quid mutandum, scriberem *causa suprascripta*: *suprascriptum* autem & *infrascriptum*, etiam ad proxime præcedentia & sequentia refert: *Nunc papilionum tensionem cohortium suprascriptarum ostendemus. Datos itaque numeros qui infra scripti sunt, sic computabimus. Legiones tres vexillarii, &c. Prædictum* & *supradictum* medio ævo frequentia sunt artium scriptoribus, & formulariis fortassis etiam ante in usu fuerunt: at apud politiores vix est ut invenias hoc sensu. Nam quoties priora in memoriam revocare volunt, solent dicere *de quibus ante dictum*, aut simili modo. Apud Livium quidem: *Præmonitis militibus adesse certamen quadrato agmine, ad prædictas hostium latebras succedunt*. Sed ibi *prædictæ latebræ*, non intelligendæ latebræ, de quibus antea sumus locuti; sed quæ ipsi *prædictæ* fuerant, de quibus antea fuerat monitus. Ætate Polybii tribunus cum centurionibus ad eam rem delecti, præcedentes capiebant castris locum, totamq; metationem peragebant. In Cæsare leguntur & exploratores & centuriones ea de causa præmissi. Josephus in primo agmine exercitus Flaviani cum stratoribus viarum ponit ἀφ᾽ ἑκάστης ἑκατονταρχίας δέκα τήν τε αὐτῶν σκευὴν καὶ τὰ μέτρα τῆς παρεμβολῆς φέροντας. Illud certum est, veteri disciplina quemadmodum omnia pæne militaria, ita hanc quoq; partem centurionibus & exercitis militibus demandatam fuisse: nihil enim in re militari necessarium volebant a suis ignorari, neque legiones omnibus numeris absolutas alieno subsidio indigere. At posterioribus sæculis, deficiente paulatim illa antiqua disciplina & peritia armorum, quæsiti extra numeros & tantum non extra castra magistri earum rerum, quas veteranum neminem ignorare oportebat; & quo plus magistrorum, eo minus scientiæ fuit. Hinc tot nova dignitatum munerumque militarium nomina, veteribus ignorata, ut numerum eorum inire non sit facile. His quoque accenseo *metatores* & *mensores*, quorum crebra apud Latinos, qui sub primis Imperatoribus scripsere, nec non apud Græcos sequioris ævi mentio, & Hygini *gromaticos*, & Vegetii *campidoctores* vel *campiductores*, *campigenos* & *antesignanos*, item *antecessores* Mauritii Imperatoris: quæ vocabula cum denotent eos, qui castris metandis præerant, simul ostendunt peculiare munus aut pluria etiam munera fuisse, quæ a cæteris non obirentur. Agrimensores fuisse auctor est Vegetius lib. III. *Ita autem ab agrimensoribus podismum colligi oportet, ut ad quantitatem concludatur exercitus.*

Viæ vicinariæ.) Ulpianus lege II. *ne quid in loco publico vel itinere*: postquam vias vicinarias vel vicinales a publicis & privatis, ut tertium genus distinxit, eas ita definit: *Vicinales sunt viæ, quæ in vicis sunt vel in vicos ducunt*. Livius etiam earum meminit in Urbe. Agrimensoribus, auctore Siculo Flacco, *viæ vicinales sunt, quæ de publicis divertuntur in agros*. Ad harum exemplum viæ vicinales in castris dicuntur minores illæ & intercurrentes, quæ ex majoribus, prætoria, principali, quintana & sagulari in strigas vel vicos ducunt. Est enim omnis hæc metatio vicorum admodum similis propter intercurrentes vias, ut jam diximus ex Polybio. Ac omnes vias, quarum meminit sine nomine intra viam sagularem in pedatura supplementorum, vicinarias arbitror fuisse. Lateribus prætorii duarum mentio, unius inter comitum pedaturam & cohortes prætorias; alius inter cohortes & alas equitum. In prætentura primam ponit inter scamnum tribunorum & alam milliariam, secundam inter duas alas, tertiam & quartam inter cæterum numerum, quintam super cohortem primam. In retentura viarum quidem diserte non meminit; fortasse quod eædem, quæ latera prætorii, percurrant etiam hanc partem, ut fit in metatione Polybiana: nam pedatura satis ampla est. Sed omnia hæc satis obscure in corruptissimo hoc libello definiuntur. Illud apparet eas quas in prætentura collocat, per transversa castra excurrere & desinere in via singulari. At quæ lateribus prætorii, per longitudinem castrorum a via principali ad viam, opinor, quæ illic est ad tergum. Nam in computatione longitudinis prætenturæ & latitudinis lateris prætorii, viarum quoque latitudo computatur. At in computatione latitudinis prætenturæ & longitudinis laterum de viis verbum non facit. Imo sexcentos pedes latitudinis prætenturæ & septingentos viginti longitudinis lateris & quadringen-

tos octoginta retenturæ milite explet, ut ne viis quidem spacium supersit. Causæ diversitatis diversitas strigarum, quæ in prætentura per latitudinem castrorum, in duabus aliis partibus per longitudinem exporriguntur. An præter hac intermorientes, aut ut verius dicam, in via sagulari desinentes, aliæ ad intervallum usque per transversas strigas excurrant, difficilius dictu est. Non desunt enim utrimque causæ. Nam dari ideo possunt videri, quod Hyginus viarum vicinalium percurrentium mentionem facit, quasi distinguens ea ab intermorientibus, & addit causam, ut exercitus ad eruptionem expeditus progredi possit; quæ causa videtur postulare, ut ad spacium hoc, quod est inter vallum & legiones, percurrant. Accedit quod longitudinem castrorum definit duobus millibus quadringentis pedibus, quod spacium octo legionariis cohortibus solis & viis majoribus non expletur: ad pedem autem expletur, si quidem inter cohortem & cohortem viam viginti pedum interjeceris. At contra quis credat, Hyginum, qui cæterarum viarum locum & pedaturam descripsit, has uno tantum verbo & tam obscure tetigisse, id est, pæne præteriisse? præsertim cum commode dari non possit, nisi aut per medias cohortes alasque in viam sagularem tendentes, aut per medias cohortes legionarias, non tantum per strigas transversas percurrant? quod neque utile neque decorum est. Et longitudo castrorum justo minor est, nisi inter cohortes legionarias interposueris vias. At latitudo castrorum mille sexcentorum pedum interjectis viis sexaginta pedibus pedaturam suam excedet: nam eadem ratio postulat, ut tam ad portam decumanam & prætoriam, quam lateribus castrorum transcurrant. Jam illa quæ de percurrentibus viis dicuntur, obscura sane sunt, nec satis ostendunt, quonam percurrant. Verius itaque fortasse erit, longitudinem illam, quam exempli quidem gratia, non autem diserte castris suis attribuit, non tam exacte observari, & illa de viis percurrentibus aliter (possunt autem commode) explicari, quam tot vias absque auctoritate Hygini in castris muniri.

Ideo dantur percurrentes proxime sagularis.) Finge: *proxime sagularem*, vel *sagulares*. Puto loqui de viis, quæ a principiis ad tergum castrorum interiorum per latera perque retenturam ducunt: nam de latere prætorii hic agit: *percurrentes* vocat ideo, quod a via ad viam perque duas castrorum partes percurrant, aut si de omnibus velis intelligere, possis: *ad proximas sagulares*. Nam ad intervallum usque non percurrere, ex eo efficitur, quod eæ quæ in prætentura in pedatura septingentorum viginti pedum longitudinis computantur, quæ a tribus legionibus latere castrorum tendentibus tota occupatur, quodque illæ quæ lateribus prætorii, pars sint sexcentorum pedum, quos duæ cohortes legionariæ ad tergum tendentes explent.

Nunc præterituræ rationem exponam viam principalis.) Scribe; *nunc prætenturæ rationem exponam. Via Principalis*, &c. Exposita ratione prætorii & laterum prætorii, transit nunc ad descriptionem prætenturæ: sed priusquam ad cætera transeat, viam principalem, quæ prætenturam a lateribus prætorii distinguit, nobis exhibet.

Via principalis.) Meminit hujusce in castris viæ Livius libro X. *Manipulos legionum via principali inducit*. Alioquin viarum in castris nomina apud veteres non facile invenias.

Qua est inter portas dexteriorem & sinisteriorem, quæ a principes nomen opti.) *Quæ est inter portas dexteriorem & sinisteriorem, quæ a principiis nominatæ*: vel *a principibus nomen aptæ*, id

A est, adeptæ. Festus: *Principalis castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, quo princeps ordines tendunt*. Ad hanc enim viam Imperator, præfectus prætorio, legati, tribuni, cohortes prætoriæ & primæ, principes denique exercitus tam antiqua, quam recentiori ratione metationis tendebant. Illa autem, *quæ a principiis*, &c. tam ad portas, quam ad viam, cum idem utriusque nomen, referri possunt.

Esse debet latitudine eadem, qua opus pedum sexaginta.) Videntur hæc verba transposita paulum: sed amat noster, alioquin scripsisset: *esse debet pedum sexaginta latitudine eadem*. Viarum
B publicarum apud Romanos diversa genera, quarum alia aliis latitudo. Viis regiis, consularibus vel prætoriis quidam sexaginta, alii quadraginta, triginta pedum latitudinem alii attribuunt. Erant & viæ viginti pedum, item duodecim: minimæ vero octo pedum. Eædem hæ latitudines in his castrensibus Hygini viis observantur, & sunt omnium latitudinum quædam præter minimam. Viæ prætoria & principalis, nec non intervallum sexaginta pedes accipiunt: quintana quadraginta: sagularis triginta: viæ vicinariæ viginti: denique spacium illud, quod est inter singulas strigas duodecim pedes. In pedatura autem spacii ejus quod
C est inter vallum & legiones, nimium quantum a Polybio diversus abit. Ille enim huic spacio ducentos pedes adsignat, adjecta causa, cur tantum adsignet: præstare enim locum hunc inanem esse, ut introduci & educi legiones commode possint, ex sua quemque striga eo effundi, eo cogi & de nocte adservari, si qua præda fuerit facta: id vero imprimis efficere, ut ne ignis, neve quod telum ad legiones adigi possit. At Hyginus huic spacio sexaginta tantum pedes, quantum viis principali & prætoriæ tribuit, neglectis & posthabitis tam gravibus causis, plane non proportione cætera-
D rum partium. Ac videntur hoc inprimis egisse posterioris ætatis Gromatici, (desidiæ hoc an arti tribuemus) ut contractis copiis, pedaturam quam densissimis castris complerent, quo minori labore munitio perficeretur & perfecta paucioribus defensoribus egeret. Lucanus:

Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.

Coronam appellabant, quicquid interius vel exterius circumdabat. Sic *corona valli* apud Poetam, vallum. *Corona* passim populus, qui consessum judicum vel verba facientem cingebat. Auctor Dialogi de Claris oratoribus vel Causis corruptæ
E eloquentiæ: *Quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes & in unum conversos! coire populum & circumfundi coronam & accipere affectum, quemcunque orator induerit!* Sic enim legendum est, ubi legitur *circumfundi coram*, nullo idoneo sensu. Plinius epistolarum lib. VII. *Nonne quum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipsi diffidis, tum commutata, non plurima, sed omnia cupis; utique si scena latior & corona diffusior*. Silius Italicus lib. VII.

Cernis ut armata circumfundare corona,
Et vallet clausos collectus miles in orbe.

Cæsar de Bello Civili I. *Circumfundi noctu equita-*
F *tum Cæsaris, atque omnia loca atque itinera obsideri.* Sed ut revertamur eo unde digredimur, considerandum etiam atque etiam, anne abreptus sæculi sui desidia Gromaticus partem hanc nimis contrahat. Est tamen tanta, ut cohortes ut in acie instructæ, in ea subsistere facile possint: quam in urbe munita latitudinem aggeri dari jubet, Vitruvius l. I. cap. 5. *Interiore parte substructionis fundamentum distans ab exteriore, introrsus amplo spacio constituendum est, ita ut cohortes possint quemadmo-*

dum in acie instructæ, ad defendendum supra latitudinem aggeris consistere.

Et ideo a quibusdam interballum est cognominatus.) *Et ideo a quibusdam intervallum est cognominatum. Intervallum* proprie esse spacium, quod est inter vallum, vel cervulum & alium cervulum, testatur Varro. Hygino usu castrensi spacium hoc, quod est inter vallum & legiones, etiam intervallum.

Item viam quæ ducit ad partam prætoriam in prætorio sine dubio via prætoria ducitur.) Corrige: *Via quæ ducit ad portam prætoriam, (a prætorio sine dubio via prætoria dicitur)* vel *via quæ ducit a porta prætoria in prætorium, unde sine dubio via prætoria dicitur.* Via enim hæc ab via principali vel introitu prætorii ducit ad portam prætoriam, vel quod eodem recidit, a porta ad prætorium. Polybius viæ huic, cui Hyginus sexaginta, quinquaginta tantum attribuit: fortassis, quod in prætentura illa multum nudi soli, vel quod ad conjuncta castra respexit, in quibus via hæc, non ad portam prætoriam, sed ad media & alterius consulis castra ducens, minori spacio indigeat. *Extraordinaria*, opinor, æque ac *prætoria* dicebatur, sicut & porta utrumque habuit nomen.

Propter quod rigorem censuræ suæ superioris strigis in prætori jura non percurrunt.) Vir ingeniosus: *Propter quod rigorem censuræ suæ superioris strigis in prætoria via non percurrunt.* Fortasse an fuerat: *Propter quod rigore tensuræ suæ superioris strigæ in prætorii ora non percurrunt.* Facit, inquit, spacium hoc pedum sexaginta, quod datur viæ prætoriæ, mediam prætenturam secanti, ut frons prætorii ne claudatur & libera sit a strigis, quæ a lateribus castrorum ad viam prætoriam rigore tensuræ suæ excurrunt. *Superiores* enim *strigas* hic appellare videtur, strigas prætenturæ, quamvis alioquin prætenturam partem inferiorem dicat. *Ora prætorii* introitus & frons, ut *ora phalangis* frons phalangis, στόμα Græcis Frontinus: *Equites a sinistro cornu præter ora phalangis jussit transcurrere.* Cicero: *In aditu atque ore portus.*

Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt.) An *quarum ad* &c. Refero enim ad superiores strigas, id est, cohortes primas, alas milliarias, cæterumque prætenturæ numerum. Non quidem ipsæ spectant, id est, respiciunt viam prætoriam, sed vel frontem castrorum vel viam principalem, quia strigarum rigor per latitudinem castrorum exporrigitur, sed signa eorum eo spectant. Infra enim latus hoc alæ milliariæ, quod est ad viam prætoriam, signorum nomine appellat: *Accipere debet ala milliaria signis pedes centum quinquaginta &c. & tabulino pedes sexcentos.*

Dabimus itaque intra viam principalem legatis pedaturam.) *Intra viam principalem*, hoc est, ut arbitror, ad viam principalem, ea parte, cui via hæc accensetur, quæ est prætentura. *Intra viam sagularem* aliquoties dixit; meliori tamen, nisi fallor, jure, quod via sagularis supplementa ambiens interiora quædam castra faciat. Tendunt certe in prætentura ad viam principalem contra comites, cohortes primas & prætorias plane eodem loco, quo Polybiani tribuni.

Quod scamnum est appellatum.) Hyginus de limitibus: *Omnem mensuræ hujus quadraturam dimidio longiorem quam latiorem facere debemus, & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare, quod in longitudinem, striga.* Frontinus: *Quicquid secundum hanc conditionem in longitudinem est delimatum, per strigas appellatur; quicquid per latitudinem, per scamna.* Vides causam, quare legatorum hæc & tribunorum pedatura, *scamnum* dicatur. Quanquam, si ideo scamnum quod per latitudinem castrorum delimata, quodque in

A latitudinem castrorum longior, cæteræ quoque prætenturæ pedaturæ eodem excurrentes scamna dici debeant: at hæ *strigæ* dicuntur & *hemistrigia*. Usus igitur castrensis fecisse hoc videtur, ut primæ hæ ad viam principalem areæ, quia & transversa per castra currunt & non servant communem strigarum latitudinem, scamna appellentur: at illæ sequentes quamvis eodem excurrant, quia tamen strigarum rationem servant, strigarum quoque servent vocabulum.

Nec communis strigarum indicationem metationis habere.) An *Nec cummunem strigarum dictationem metationis habet?* Sensum esse apparet, non
B observari perpetuam alioquin hemistrigii triginta & strigæ sexaginta pedum latitudinem.

Propter 77. numerum incertum.) Nota hæc duplex aliquoties in hoc libro reperitur. Simplex frequentissime in inscriptionibus priscis. Lipsius vitem cum flagello esse putat. Centurionem certe vel centuriam plerumque significat, ut MIL. COH. I. P. 7. JULIANI. id est, *miles cohortis primæ prætoriæ centuriæ Juliani*. MIL. COH. V. PRÆTORIÆ STIP. XIIII. EX. 7. MONNI. id est, *miles cohortis quintæ prætoriæ stipendiorum quatuordecim ex centuria Monni*. M. POMPEJO M. F. ANI.
C ASPRO. 7. LEG. XV. *centurioni legionis decimæ quintæ*. Interdum tamen & legionem designat. Utrumque jam observarunt docti. Duplex hæc nota in hoc libro plerumque etiam numero plurium centurias vel centuriones, ut: 77. *statorum duo*, id est, *centurias statorum duas*. *Ex eis 77. singulis*, id est, *centuriones singulis*. 77. *& decuriones singulis papilionibus utuntur*, id est, *centuriones & decuriones sing.* &c. Hoc tamen loco vix est, ut de centuriis possit accipi, cum de legatorum scamno agatur, quod non probabile est pro numero centuriarum mutari, sed potius pro numero legionum. Cum enim plures legiones vel
D pauciores fuerint, plures quoque aut pauciores legati legionum, & proinde latitudo hujus scamni augetur aut minuitur. Scripsit itaque: *Propter legionum numerum incertum.*

Quod non semper latitudinem a pedibus lat. LXXX. observari debebit.) *Quod non semper latitudine a pedibus quinquaginta ad octoginta.* Ex nota enim L. & voce, *ad*, corrupta lectio nata paulo ante: *Quod ad latitudinem prætorii totius attinet, a centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari.* Item: *Comitibus Imperatoris nostri a pedibus quinquaginta, vel ad septuaginta potest observari.* Et inferius scamnis legatorum
E octoginta, tribunorum septuaginta attribuens, cum pedatura suffecerit; & decem de his detrahens pedes, cum strictior fuerit, ostendit scamnorum pedaturam interim variare: quanquam offendit nos sane repetitio hæc τοῦ *quod*, cum melius cum superioribus aliter connecteretur. Sed satis bene nobiscum agitur, si verum ex hisce ruderibus eruimus sensum: nitorem & concinnitatem, si qua fuit, reddent scriptori, qui meliores codices nacti fuerint.

Observari debebit pro ut numerus lectionum effecerit.) Ita hæc distingue, nisi velis abesse vocem *sed*, & scribe: *Observari debebit, prout numerus legionum effecerit*, aut potius *exegerit*. Hyginus:
F *Stationi viginti pedes, &, si res exigit, decem sufficient.* Vide tamen, anne hæc sic melius concinnentur: *Quod scamnum est appellatum, nec communem strigarum dictationem metationis habet, propter legionum numerum incertum, nec semper latitudinem eandem: a pedibus quinquaginta ad octoginta observare debebit, prout numerus legionum exegerit.*

In quo tribuni cohortium prætoriarum.) Tribunos cohortium prætoriarum, tum quod digniores

cæteris, tum quod numero pauciores, & quo cohortibus suis propiores sint, eodem quo legatos scamno collocat: in eodem scholæ cohortium primarum.

Similiter tribunis legionum.) Alios in militia Imperatorum Romanorum tribunos legionum, alios tribunos cohortium fuisse, monuerunt pridem viri docti in hac parte antiquitatis versati. Ac indubium quidem est, præfectos cohortium auxiliarium & externarum, qui tribuni cohortium vocabantur, ut tribuni Maurorum, Vocontiorum, nec non tot alia tribunorum genera, quales sunt tribuni equitum, & in aula tribuni stabuli, fabricæ, voluptatum, &c. diversos esse a tribunis legionum. Sed quæri potest, an in legione duo quoque tribunorum genera, quorum in prisco more toti legioni præessent, illi singulis cohortibus? Nam video virum illustrem, tribunatum legionis apud Suetonium interpretari, præfecturam unius cohortis in legione: ex quo colligitur, statuere vel duo tribunorum genera, quorum alteri cohortium præfecturam gererent, alteri totius legionis haberent curam, vel omnes tribunos legionis, non nisi cohortis legionariæ tribunos fuisse. Agnosco quidem tribunos laticlavios & augusticlavios, sed non hoc illud discrimen est. Tam augusticlavii quam laticlavii, tribuni legionis dicuntur, ut locuples testis est Suetonius, qui scribit, patrem suum Suetonium Lenem, tribunum augusticlavium tertiæ decimæ legionis, interfuisse bello civili inter Othonem & Vitellium. Agnosco & majores & minores tribunos, sed inter quos non aliam differentiam observat Vegetius, quam quod illi per epistolam sacram Imperatoris judicio destinentur; hi proveniant ex labore. Sic & libera republica tribunorum militarium duo genera, ut scribit Asconius. Primum eorum, qui Rufuli dicebantur; hi in exercitu creari solebant. Alii erant Comitiati, qui Romæ comitiis designabantur: nihilo minus totius legionis utrique tribuni. Ac præter hasce differentias nullas observo alias. Hyginus non nisi unorum meminit, collocatque omnes eodem scamno. Scribit Suetonius Claudium Cæsarem equestres militias ita ordinasse, *ut post cohortem alam, post alam tribunatum daret* Ubi cohors non accipienda de tribunatu cohortis legionariæ, sed externæ; ascenditur enim inde non statim ad tribunatum legionis, (quod sine dubio fieret, si quidem hic in legione tribunatus) sed primum ad alam, hinc ad tribunatum legionis. Tria hæc in exercitibus ejus ævi passim recensentur genera, legiones, alæ, cohortes: per omnium horum præfecturas ordine ire voluit equites; primo toti cohorti præfici, deinde alæ, tertio legioni. Neque interim in legione distinguit inter tribunatum cohortis & legionis. Ad tribunatum vero pertinuisse etiam sub Augusto curam totius legionis, non unius cohortis, ostendit Horatius, quando de se dicit:

Quod mihi paruerit legio Romana tribuno.

Ostendit & Hyginus, qui ad principia eos in eodem scamno collocat: non in pedatura singularum cohortium, ubi locari deberent, si singulis cohortibus præessent. Adde quod primi centuriones & præcipue primopilus, quorum illi in sua quique cohorte imperium tenebant, hic & primam cohortem & totam legionem regebat secundus a tribunis legionum, deturbati quodammodo de potestate sua, si singulis cohortibus tribuni sui fuissent præpositi. Præterea isti tribuni non legionis, sed cohortis legionariæ tribuni dici deberent: quemadmodum præfecti, qui in universum præerant sociis Latini nominis præfecti dicebantur sociorum:

A at qui cohortibus singulis præfecti cohortium, ut apud Livium: *Præfectus cohortis Pelignæ*. Sed vero cohortis legionariæ tribunus, quantum nunc memini, apud scriptores rerum Romanarum nullus est. Vegetius quidem cohorti primæ præfuisse vult, tribunum armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuum: reliquas cohortes prout Principi placuisset a tribunis vel præpositis regi solitas. Sed vel hoc ipso ostendit, etiam sequiori sæculo tribunos cohortibus extra ordinem Principis rescripto datos, cum alioquin a præpositis regerentur; non vulgo singulis cohortibus singulos fuisse tribunos. Sed quicquid fuerit illo infimo sæculo, quo priscæ militiæ nihil superfuit præter nomina quædam, sub prioribus Imperatoribus non alios, quam tribunos legionis totius in integra legione fuisse. In integra, inquam: nam in sparsa & divisa, si quis pertendit cohortibus præfectos interdum datos, qui tribuni cohortium dicerentur, non pugnabo. Video enim Cæsarem, qui alioquin præfectos solet distinguere a tribunis, tribunorum cohortium mentionem facere, libro II. de Bello Civili: *Simul atque cognitum sit de edicto Cæsaris, consensisse Gaditanos cum tribunis cohortium, quæ essent ibi in præsidiis*. Numerum tribunorum quod attinet, decem ea ætate, quot sunt cohortes, fuisse putat vir doctissimus Henricus Savilius. Ego uti nihil certi habeo quod adfirmem, ita plures quam olim fuisse vel propter ambitionem & corruptelas ævi, facile concesserim. Video enim labante jam libertate, ambitiose petitos datosque tribunatus solius interdum honoris & commodi causa, absque labore militiæ, ut apparet ex epistola Ciceronis ad Trebatium ni fallor octava: video deinde & semestres factos, quo in plures distribui posset beneficium non magis Principum quam principalium mancipiorum: video & uni alæ ab Augusto duos laticlavios præpositos, atque adeo plerosque honores per ambitionem multiplicatos

Inferius adsignari debet quod æque scamnum dicitur.) Scamnum tribunorum post scamnum legatorum in longitudine castrorum collocatur: liquet id, tum ex hoc loco, tum infra ex computatione longitudinis prætenturæ, in qua duobus scamnis adsignantur pedes centum viginti, singulis sexaginta.

In forma subjecimus, nunc, ut suo referam loco, ad alam milliariam.) Verius videtur: *In forma subjecimus & suo referam loco. Nunc ad alam milliariam*: pagina sequenti: *Quantum attinet ad ea, quæ sunt necessaria satis, puto diligenter retulimus, &, si quæ rationes adhuc fuerint necessariæ, suo referam loco*. Nam mutatio numeri in istis, tum aliis, tum Hygino frequens est. Si quis tamen retinere malit quod est in libro, per me licet: & fortassis fuerat, *ut suo quæque referam loco*.

Nunc ad alam milliariam.) Quinque equitum genera in castris Hygini inveniuntur. Prætoriani, Singulares, Alæ, Equitatus cohortium, & ex nationibus Mauri equites. Nunc alarum exponit rationem. Alæ in re militari proprie sunt aciei partes dextræ & sinistræ, quæ mediæ aciei corpus instar alarum utrimque tegunt. Transiit hoc vocabulum usu ad eas copias, quæ in antiqua aciei ordinatione, quæ semper eadem erat, id locorum obtinebant: solitum enim veteribus Romanis a loco quem in prælio tenebant, dare nomen copiis. Sic socii *cornua*, *κέρατα*, dicti, quod dextrum lævumque cornu facerent: pilani, triarii, quia instruebantur in tertia acie: principes, qui prima gravis armaturæ (hastati enim initio videntur leves fuisse) antiquitus acies. In castris contra loca pleraque a ducibus aut copiis acceperunt nomen, ut prætorium, quæstorium, portæ & viæ principales,

les prætoria, extraordinaria, quæstoria, decumana, &c. Alæ igitur veteri republica socii Latini nominis tam pedites quam equites: qua significatione alæ, pedites equitesque alarii, item cohortes alariæ distinguuntur a legionariis. Deinde ubi socii civitate donati dedere æque ac Romani legiones, alariorum quidem peditum nomen ab illis ad auxiliares & externos transiit: at equitum alariorum apud illos certe mansit, sed cum externis, opinor, commune; legionibus enim in Italia aut provinciis scriptis alæ equitum adjungebantur Italici, provincialis aut etiam externi sanguinis, non vero Romani aut equestris. Intellige Equites Romanos veterem illum legionis Romanum equitatum tunc non fuisse. Ita & illa inferius: *non quidem legionarius, aut Romanus, sed honestissimus provincialium;* ne quis secus ea accipiat: neque enim equestris ordo cum civitate Romana vulgatus erat neque equites Romani sufficere potuissent tot legionibus, quot tum gerebatur respublica. Inde jam rarior legioni, si tamen ullus equitatus Romanus, præsertim posteaquam numerus equitum bellis civilibus attenuatus & attritus admodum. C. quidem Cæsarem in Galliis bellantem, paucos admodum in exercitu equites Romanos habuisse, apparet ex ejus commentariis. Plurimus ejus equitatus ex Provincialibus Gallis, Hispanis, & Germanis. Cum enim ad Ariovistum colloquii causa profecturus esset, equitibus Gallis quibus non satis fidebat, legitur equos detraxisse, iisque imposuisse milites legionis decimæ: quod non credibile est facturum, si quidem tot alas equitum Romanorum, quot legiones habuisset. Ac in Cæsare equites Romani fere distincti ab equitatu, solent evocatis & tribunis jungi aut quibusdam administrationibus præfici. In septimo scribit: *Labienum naves quas a Metrosedo deduxerat, (erant quinquaginta numero) singulas equitibus Romanis attribuisse, quibus administrantibus exercitus equitatusque* (verba sunt Cæsaris) *celeriter transmissus fuerit.* Ubi vides & paucos numero & diversos ab equitatu. Eodem libro dicitur; *Cæsar a tribunis militum reliquisque, sed & equitibus Romanis & evocatis equos sumsisse*, quos distribueret Germanis equitibus: indicans, ut puto, illos ut evocatos circa Imperatorem in exercitu fuisse & vel detractis equis munere suo potuisse fungi, alioquin non absque ignominia sumti ab iis fuissent. Alarii pedites occurrunt non semel in Cæsare, equites vix unquam: non ideo certe, quod alarii non essent, sed ideo credo, quod nihil præter alas equitum, nec ullus equitatus legionarius in exercitu esset, a quibus hac appellatione discernebantur. Sub primis deinde Imperatoribus, alæ iterum & alarii equites distinguebatur a prætorianis singularibus & cohortibus equestribus. Alariorum peditum aliqua tum, sed rarior memoria: cohortes appellabantur. Alarum autem vocabulum, ut proprium & suum equestum vindicavit, non quidem legionarius aut Romanus, sed tamen honestissimus provincialium & qui in vicem legionarii addebatur fere legionibus. Quam mutationem tam insignem tamque necessariam ad recte intelligendam Cæsarianam militiam, miror tot viros longe eruditissimos, qui in hoc pulvere ante nos versati, & inprimis virum nobilissimum, qui hanc sibi ex professo delegit provinciam, ut ostenderet differentiam antiquæ & novæ militiæ, adeo non observasse, ut de ea ne dubitaverit quidem. Dubitaverit autem? immo vero diserte attribuit singulis legionibus equitatum Romanum etiam sub Augusto & sequentibus Imperatoribus cap. 9. libri de re militari: *Postea alæ tantum equitum dictæ & alarii equites pro auxiliariis & hi alarii equites sive auxiliares distinguebantur a legiona-*

A *riis, qui legionum corpori velut adnexi erant: apud Tacitum & alios ejusdem ævi scriptores, quoties meminerunt alariorum equitum, de auxiliariis ii sunt intelligendi.* Rursus c. 20. *Viginti & quinque legiones sub Augusto fuerunt, quibus singulis cum trecenti equites sui, id est, legionarii, septem inde millia equitum legionariorum cum quingentis extitisse oportet.* Quasi tunc & singulis legionibus equites Romani & quidem trecenti numero, ut veteri republica. Quorum neutrum fuit: apparet id tum ex omni historia, tum ex locis, quibus exercitus illa ætate recensentur. Unum atque alterum inspicere operæ pretium fuerit. Tacitus Annalium
B I. ubi compressa seditione in hostem ducit Germanicus. *Sequitur*, inquit, *ardorem militum Cæsar, junctoque ponte tramittit duodecim millia ex legionibus sex, & viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.* Ubi misere hallucinatur Hugo, qui alas interpretatur turmas nullo exemplo: sed Tacitus neque ibi, neque postea instruens hunc numerum, alius equitatus meminit, quam alarum. Annalium IV. ubi recensentur omnes copiæ, quas tum in armis habebat Romanum Imperium, de legionario equite altum iterum silentium. *At*, inquit, *apud*
C *idonea provinciarum sociæ triremes alæque & auxilia cohortium.* Historiarum II. ubi describitur exercitus Vitellii urbem ingrediens: *Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla: mox duodecim alarum signa & post peditum ordines eques.* Non alius equitis meminit Mucianus oratione ad Vespasianum: *Tibi e Syria Judæaque novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ, sed firmatus usu miles & belli domitor externi: classium, alarum, cohortium robora & fidissimi reges & tua ante omnes experientia.* Ejusdem generis equitatum tribuit Vellejus Quintilio Varo, cum scribit: *Cæsum Varum*
D *trucidatasque tres legiones, totidemque alas & sex cohortes.* Idem: *Vala Numonius, legatus Vari, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est, quod factum ejus fortuna ulta est: non enim desertis superfuit, sed desertor occidit.* Lege scriptores illius ævi: (piget enim nunc plura loca compilare) lustra cum illis exercitus Romanos & instructas passim acies, nusquam trecentos equites Romanos in illis invenies, nusquam justum legionis equitatum. Neque vero credibile, adeo nullo in numero fuisse florem Romanæ juventutis, ut ubique deli-
E tuerint sub legionum aut communi alarum vocabulo, tanquam vulgus sine nomine, ut eos neque locus suus, neque imperia, ne virtus quidem aut ignavia secreverit usquam ab equitum turba; cum in antiquiori historia tam frequens inter Romanos & socios equites distinctio occurrat. Hyginum quidem in castris suis omisisse eos non dicam absque supina negligentia, sed absque stupore non potuerit. Nam uti præfecti alicujus per incuriam aut errorem non meminisse veniam habeat: ita equiti legionario non adsignare locum, id sit castrorum in castris describendis oblivisci. Neque frustra Livius in rebus priscæ reipublicæ de numero legionum equitumque,
F ut de veteri ac jam obsoleto instituto loquitur, lib. VIII. *Scribebantur autem quatuor fere legiones quaternis millibus peditum, equitibusque in singulas tricenis.* Neutrum enim sua ætate observatum. Hinc Cæsar opponit legionib. equites, de bello Gall. V. *Cæsar legiones equitatumq; revocari, atq; itinere desistere jubet.* Eodem: *Ut hostes impetum legionum, atque equitum sustinere non possent.* Ibidem: *Præmisso equitatu, confestim legiones subsequi jussit.* At enim Augustus equitum turmas frequenter recognovit post longam intercapedinem reducto more

transvectionis, & in historia etiam sequentium Imperatorum sunt equites Romani equo publico. Sed aliud census & recognitio equitum Romanorum, aliud dilectus. Ne veteri quidem republica illæ equitum Romanorum turmæ, quæ donabantur a censoribus equo publico, cum lustrum conderetur & ab iisdem in transvectione recognoscebantur, eodem actu scribebantur: consulum hoc, illud censorum erat. Non negamus sub Imperatoribus equites Romanos equo publico fuisse, sed non in equitatum legionarium vulgo dilectos. Immo fuere inter hos, qui castra in vita nunquam viderunt: exemplum habes in Ovidio poeta, qui cum equum publicum haberet, testatur tamen de se ipso:

Aspera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.

Rapiebant enim multos statim civilia officia, antiquata pridem lege, quæ jubebat militare, priusquam honores peterent. Illi autem qui e digniori illa stirpe militabant in singularibus aut prætorianis equitibus (video enim hos a Tacito opponi gregariis equitibus) pars si forte & in alis, (non enim præfracte negamus equites Romanos ullos in alis militasse, sed tum vulgo fuisse legionibus alas ex equitibus Romanis) sed digniores statim ad præfecturas admovebantur. Suetonius Claudio: *Equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret*: ubi Lipsius: *Quid? Præfecturæ cohortis & tribunatus equestres militiæ sunt? Ego serio repono*: semestres. At nihil sincerius vulgata lectione: equites enim Romani merebant præfecti cohortium exterarum & alarum & tribuni legionum: inde *equestres militiæ* vocantur: argumentum & ipsum alas equitum Romanorum legionibus tum vulgo nullas fuisse, præsertim quum neque decurionatus, neque præfecturas harum inter equestres militias recenseat. Apud Cæsarem Trebonius, eques Romanus, equitum præfectus. Trebatio, Ciceronis amico, Cæsar tribunatum dedit. Plinium majorem præfectum alæ militasse, testatur minor Plinius, lib. V. epistola 3. Augustus Senatoribus Romanis militiam auspicantibus, teste Suetonio, non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas dedit alarum, ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios præposuit singulis alis. Ac erat in tanto imperio major jam dignitas equitum Romanorum, quam ut gregarios inter equites mererent; minor vero numerus, quam ut tot legionum equitatum explerent, imminuta per bella civilia & admodum recisa equestris ordinis stirpe: adeo ut Cajus, quo paucitati eorum subveniret, primores ex omni imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellebant, in eum ordinem adlegerit, quibusdam eorum in spem dignitatis senatoria veste ubi dederit, priusquam ullum magistratum gessissent, ut tradit Suetonius. Sed hæc alibi. Nunc satis est probasse, equites Romanos in Cæsarem militia, non fuisse equitatum legionum. At Vegetius, *Equitum*, inquit, *alii alares dicuntur, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur ab eo quod velis seu flammulis utuntur. Est & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi sunt legioni ad quorum exemplum ocreati milites instituti*. Sed cum ex scriptoribus partim antiquioribus, partim recentioribus compilaverit opus suum, non illa, quam res postulat, judicii maturitate, hæc ex illis hausisse credibile est: nam illa ætate neutrum genus supererat: qui olim alarii, tunc vexillationes: equites legionarii vero & re & nomine interierant, tantum quod ad eorum exemplum milites ocreati instituti: nam in monumentis ejus ætatis, præsertim in notitia Imperii inter tot vexillationes, cuneos, alas, nullus eques legionarius. Alæ legionariæ jam a C. Mario leguntur adauctæ. Apud Cæsarem varium earum numerum invenio & inæqualem, sive consuetudini ejus ætatis, sive casibus belli hoc adscribendum est. Successoribus hujus rerum potientibus pleræque milliariæ vel quingenariæ; quædam & sexcenariæ videntur fuisse. Legioni quidem raro minus ala quingenaria tum datum legas: sæpe milliaria: interdum & plures milliariæ vel quingenariæ: nimirum uti dignitate illis priscis impares & nequaquam comparandi, ita quod dignitati & virtuti defuit, multitudo supplevit. Crevit certe magis magisque numerus equitum prolabente jam antiqua disciplina & honore legionum, donec sæculis sequentibus omne robur exercitus ad equitem recidit. Alæ milliariæ & quingenariæ in militia Macedonum jam olim fuerunt, sed illæ, ut scribit Curtius, a Magno Alexandro institutæ. Talis ala quam *agema* vocabant. Apud Ælianum magisterium equitum habet equites quingentos duodecim: ephipparchia sive duo magisteria equites mille viginti quatuor. Ad horum exemplum alæ milliariæ & quingenariæ apud Romanos possunt videri institutæ, cum illa ætate patrii moris negligentiores ad Græca deflexerint; nisi potius a prisco Romanorum instituto, quo socii duplicem numerum equitum dabant, ut adaucto equitatu alæ quingenariæ numerum quasi & imaginem quandam equitis legionarii, milliariæ socialis alæ habuerint. Illud observa Tacticos unius generis militi eundem, in quantum possunt, dare numerum: si excesserint, duplum potius quam sesquiplum aut minorem alium, quod duplex numerus commodius, quam hi, tum in castris cum cæteris collocetur, tum in acie.

Turmas habet XXIV.) Cum ala quingenaria sedecim turmas habeat, milliariæ alterum tantum adjici initio suspicabamur. Augebat hanc suspicionem nostram numerus turmæ, triginta antiquitus, & Vegetii etiam ætate non plus quam duo & triginta homines: a quo non multum abeant hæ turmæ, si quidem alam milliariam in duas & triginta diviseris turmas, nongenti nonaginta duo erunt, in turma unus & triginta. Hac vero ratione retento numero quem habet liber, turma fuerit unius & quadraginta equitum; reliqui sedecim, ut justissime numerus millenarius expleatur. Vidi deinde & Scriverium ad Vegetium habuisse suspectum numerum hunc, & Salmasium ad Trebellium Pollionem emendasse eodem, quo nos volueramus, modo. Sed nos considerantes cohortes equitatas & peditatas milliarias duplum etiam quam quingenariæ numerum hominum habere, at non centuriarum nec turmarum; (quingenariæ enim sex centurias, milliariæ decem, sed illis aliquanto grandiores habent) duplicare numerum turmarum propter duplum equitum, ausi non sumus. Præterea observantes turmas vigintiquatuor, numero equorum nonaginta sex, quos decurionibus, duplicariis & sesquiplariis supra numerum attribuit, admodum confirmari, ut mox ostendemus de sinceritate hujus lectionis non jam ambigimus. Turma, quantum conjectura assequor, habet equites quadraginta, sed prima octoginta. Quæ opinio non tam Vegetii auctoritate mihi nata est, qui primæ cohortis turmis dat centum triginta duos, cæteris sexaginta sex, quam quod ista ratione millenarius justissime efficitur. Quod viginti quatuor paribus turmis assequi non possis: aliqui enim aut deficient semper aut separabunt. Et quod caput est, pedatura alæ milliariæ me in hac sententia confirmat. Tendit enim hemistrigiis quinque, quorum unum-

A quodque ducentos equites capit: ducenti equites erunt hac ratione quinque turmæ, aut (quod eodem recidit) una duplex cum simplicibus tribus. In primo hemistrigio quatuor, in reliquis quinque turmæ, in singulis ducenti homines tensionem accipient. Quod si aliam ineas rationem, pares omnes, sed grandiores faciendo turmas effugere non poteris, quin aut alium numerum in singulis hemistrigiis loces, aut turmas unas in duo hemistrigia distrahas, aut denique a numero viginti quatuor turmarum aut millenario equitum recedas. Quæ cum Hygino minime faciunt. Vegetius in sua legione in quamque cohortem duas turmas, duplum in cohortem primam tribuit. Idem in ala milliaria, B re ita exigente (etiamsi non inferantur, tamen fuit fortassis proportio) facere possis: supererunt duæ turmæ vexillariis legionis. Hac tamen ratione dari videntur cohorti primæ quatuor turmæ, id est, quinque turmarum numerus; quia prima duplum numerum habet.

In iisdem curiones duplicariis explicari idem qui & numerus turmarum stabunt, & quos singuli decuriones ternos duplicari & sesquinplicariinos. Scriverius in notis ad Vegetium hæc ita citat: *Ala milliaria turmas habet viginti quatuor* (error in calculo) *in iisdem decuriones duplicarii, sesquiplarii, itemque numeri turmarum stabunt, equos singuli decuriones ternos, duplicarii & sesquiplarii binos habent*. Salmasius ad Trebellium Pollionem: *Nunc, ut suo referam loco, Ala milliaria turmas habet* XXXII. *in ea decuriones, duplicarii, sesquiplarii, totidem qui & numerus turmarum stabunt. Equos &c.* Mirum, ni addat, quot in turma decuriones sedeant vel jaceant: dicuntur quidem recte *stare in acie* milites, *stare in striga* vel *adsistere* equi, sed *stare in turma* equites aut decuriones hoc sensu, Latinum non est. Docet enim, quot sint cuique turmæ decuriones, duplicarii, sesquiplarii. D Scribe: *Nunc ad alam milliariam: turmas habet XXIV. in iis decuriones, duplicarii & sesquiplarii, idem qui &* (vel *est*) *numerus turmarum. Habent equos &c.* Sensus est, esse cuique turmæ decurionem, duplicarium & sesquiplarium, esse eundem horum & turmarum numerum. *In iis*, id est, in ala vel omnibus his turmis: non enim in singulis viginti quatuor decuriones.

Duplicarii & sesquiplarii.) Duplicarii & sesquiplarii hic sunt principales equitum, a modo, quem accipiebant stipendii, ita dicti: antiquitus tam hi, quam decurio, *decuriones* appellabantur. Festus: *Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt*. Varro: *Primi singularium turmarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiamnum terni*: ἰλάρχας non semel eodem nomine E appellat Polybius. Quæ ideo dicimus, ut ostendamus, tres in quaque turma gradus, tam veteri quam nova militia fuisse: non in hac confusos turbatosque hos gradus, ut putat Lipsius. In centuria quoque peditum duplicarios & sesquiplarios fuisse, ex Festo & Vegetio liquet, nec non ex Siculo Flacco, qui in adsignationibus agrorum hanc etiam differentiam observat. Siculus Flaccus: *Manipulus ergo singulas acceptas accipient, aliqui gradus singulas & dimidias, aliqui binas*: *acceptæ* sunt portiones agri viritim adsignatæ, manipulus gregarii milites, duo hi gradus sesquiplarii & duplicarii. Du- F plicariorum horum jam primis libertatis temporibus mentio apud Livium II. *Ubi signa? ubi arma essent? singulos rogitans inermes milites: signo amisso, signiferos, adhoc centuriones, duplicariosque qui reliquerant ordines, virgis cæsos, securi percussit*. Vides jungi centurionibus duplicarios, ut hic decurionibus, nec alii, opinor, intelliguntur, quam optiones & succenturiones, aut si qui præterea virtutis causa duplicia cibaria accipiebant. Signiferi autem videntur ex hoc numero eximi, an quod sesquiplarii? Non facile dixerim, cum apud antiquiores nihil de his, quod nunc quidem succurrat, legerim. *Equitum* autem *duplarium, duplariorum* aut *duplicariorum* memoria crebra est in saxis antiquis.

Habent equos singuli decuriones ternos, duplicarii & sesquiplarii binos.) Equites alares gregarios ostendit hic locus unum tantum equum habuisse, duplicarios & sesquiplarios binos, decuriones ternos. Prisco illo & vere equitum equitatu, gregarii quoque non plures uno equo habuerunt: unus enim publicus dabatur, & in hunc e publico stipendium: qui tamen sic quoque & alibi (adeo plerique suis sumtibus non aluerunt) dubites honos, an onus fuerit, cum inter præmia virtutis causa donata, *Ne censor equum publicum adsignaret*. Numidæ, Sarmatæque equites olim binos equos secum trahebant in modum desultorum. Sed Romanis is mos non fuit. *Desultores*, μεταβάται, qui sæpe binos, interdum quaternos senosque equos transiliebant in circo tantum spectaculi & palmæ causa, apud eos noti erant: in aciem non ducebantur. Valerianus epistola ad Rosinum Claudio tribuno ternos equos dari jubet, quot hic decurioni.

Sic super numerum equorum mille deductis singulis qui in numerum computantur XCVII.) Scribendum, *fit vel fiunt super*. &c. Cum in singulis turmis sit decurio, duplicarius & sesquiplarius, quorum ille ternos, hi binos equos habent, & unus tantum equus decurionis, unus duplicarii, nec non sesquiplarii unus, in numerum mille equorum computetur: sequitur ut quatuor equi, duo decurionis, singuli duplicarii & sesquiplarii, sint in quaque turma supra numerum & proinde in ala nonaginta sex, quos viginti quatuor quater ducti efficiunt. Hic itaque numerus confirmat numerum priorem turmarum quatuor & viginti: nam illo mutato, hic quoque mutandus erit. fac, in ala duas & triginta turmas esse, equi supra numerum erunt centum viginti octo.

A. l. ad turmas habet XVI.) Lipsius libro de Militia secundo legit: *Ala habet turmas sedecim*. Sed scripserat dubio procul Hyginus: *Ala quingenaria turmas habet sedecim*: quod præcedentia probant & sequentia & ipsum quodammodo erratum librarii: nam ex ala quingenaria proclive est factum primo *Ala D.* & ex hoc A. L. AD. Alarum harum jam apud Livium mentio: *Numidarum ala equites quingenti*. Proprie tamen habuisse equites quadringentos octoginta omnino mihi persuadent, cum pedatura quam iis adsignat Hyginus, striga videlicet integra pedum septingentorum viginti: tum etiam numerus veteris turmæ triginta equites, qui decies sexies multiplicatus hunc efficit: quem cum tam in veteribus, quam recentioribus justum numerum turmæ videam, non tantum in tricenaria ala, sed etiam in quadringenaria, quingenaria & sexcenaria observatum arbitror: ita ut quadringenaria trecentos nonaginta, vel quadringentos viginti homines, tredecim vel quatuordecim turmas: sexcenariæ viginti turmas habuerint, quemadmodum quingenariæ sedecim.

Amplius quos ut supra LXIII. Corrige: *Amplius equos, ut supra sexaginta quatuor*. nam sedecim quater ducti, efficiunt hunc numerum.

Mille deficitur.) Fortassis *nihil deducitur*. Terni, inquit, pedes dantur in equitem alarium, nec quicquam de iis deducitur, propter equos super numerum, præfectum alæ & principales eorum: cum alioquin eques non accipiat, nisi duos pedes semis adjecta quinta. Datur itaque his duplum ejus, quod pediti legionario, & plus quam equitatui cohortium

& nationum: argumentum & dignitate potiores fuisse, ut equitatus qui legionibus attribuebatur.

In eo pede.) Id est, in ea pedatura: quod dixit, ne bis eandem vocem repeteret. Frontinus: *Memoriæ tradit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede castrorum complexa fuerat metatio, postero die abeunte exercitu intactis frugibus relictam.*

Præfectus alæ) Præfecti olim apud Romanos sociis erant, quod civibus tribuni militum, totidemque numero; nec alæ socialis parti præerant singuli, sed ut tribuni toti legioni, sic & hi toti alæ, tam equiti, uti opinor, quam pediti. Liquet ex Livii XXVI. ubi præfecti sociis equitibus imperant, quemadmodum tribuni legionariis: *Dimittens*, inquit, *prætorium tribunis militum, ac præfectis socium imperavit, uti duobus millibus equitum delectis nunciarent, ut ad tertiam buccinam præsto essent*: præfecti alarum & cohortium illa ætate, non in sociali exercitu, sed in separatis & externis cohortibus & alis. Posterioribus temporibus introductum est, ut singulæ alæ præfectum suum haberent, quippe quæ non connexæ legioni, ab alia ad aliam interdum traducebantur. Invenias & turmæ præfectos in Floro: *Frentanæ turmæ præfectus Obsidius*. In scriptore belli Hispaniensis: *Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ donavit millia* XIII. *& præfecto torques aureos* II. *& levi armaturæ millia* X. Sed hæ turmæ grandiores & edecumatæ in alis non videntur fuisse; alioquin vulgo turmæ decuriones habebant, alæ præfectos: *equitum præfectos* & *præfectos* absolute appellat aliquoties C. Julius. Dignitas horum tanta illa ætate, ut vel tribunis legionum præferrentur. Suetonius Augusto: *Militiam auspicantibus non tribunatum modo legionis, sed & præfecturas dedit alarum. Ostendit ordo ipse gradum hunc potiorem.* Præponit & Cæsar tribunis, cum ait: *Præfectos tribunosque ad se missos.* Mutavit locum horum Claudius Cæsar, quando equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret. Universo equitatui præficiebantur fere legati, neque erat singularis hæc dignitas, nisi sub dictatore, qui magistrum equitum dicebat. Sed hoc hujus loci non est.

Aliquo laxius.) In scriptis Flori, aliisque codicibus aliquoties *aliquo*, pro *aliquatenus* inveniri testantur, qui inspexerunt. Quod an hic scriptum fuerit, an errore librarii *aliquo*, pro *aliquanto*, ut supra *aliqua*, pro *aliquando*, non disputabimus. Viderint quibus otium est.

Quantum autem & repentina pertinet viæ quæ est.) Emenda: *quantum autem ad retenturam pertinet, via quæ est*. Sic aliquoties noster: *Nam quantum ad latitudinem prætorii totius attinet, a centum sexaginta ad ducentos viginti potest observari*. Item: *Nunc quod attinet ad solicitudinem instituendæ metationis*. Retentura pars castrorum tertia & postrema a via quintana ad tergum castrorum. Hujus descriptionem orditur a via quintana, ut supra, prætenturæ a via principali: *Nunc prætenturæ rationem exponam. Via principalis, &c.*

Via quæ est super prætoria.) Scribe: *Via quæ est super prætorium*. Ita enim malim quam *supra prætoriam*, scilicet viam; quia via prætoria per longitudinem, hæc per latitudinem currit.

Cum major est exercitus, hoc est, quinque legiones & supra porta mea quartæ dari solent.) Locus misere adfectus. An fuerit: *Cum major est exercitus, hoc est, quinque legiones & supra, pedatura coborti primæ dari solet?* Ex scriptura enim PEDATURA COHORTI I. portentum hoc PORTA MEA QUARTÆ fortasse nasci potuit. Hanc mentem Hygini censeo; cum enim cohortes primæ intra viam sagularem tendant omnes, duæ in prætentura, duæ lateribus prætorii, sequitur, ut duæ vel una reliqua cum sex vel quinque legiones acceptæ fuerint, in retentura collocentur per rigorem viæ quintanæ.

Si porta ibi datæ fuerint L. *ped. accipiet.*) In justis & vulgatis veterum castris, tam nova, quam antiqua militia, quatuor tantum portas fuisse notum est. Hyginus: *Quibusdam coloniis postea constitutis, sicut in Africa ad Medera decumanus & cardo a civitate oritur & per quatuor portas in morem castrorum, viæ amplissimis limitibus diriguntur*. Liquet tamen ex hoc loco, majori exercitu & longioribus castris dari interdum sex portas præter principales duas, prætoriam & decumanam, duas quintanas. Adstipulatur huic Festus Pompejus: *Quintana appellabatur porta in castris post prætorium, ubi rerum utensilium forum fuit*. Ad quæ Lipsius: Portæ *profecto vox delenda, (palam enim falsa) aut in* partem *commutanda: unde enim porta forum?* Sed parum Festi mentem (quod in pace tanti viri dixerim) adsequutus est. Neque enim his verbis innuere voluit forum in porta aut portam in foro: sed forum inter duas portas medium esse, tamque has dici quintanas, quam illud. Sic idem de porta principali: *Principalis castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, quo principes ordines tendunt*. At non eo in loco, quo principes metantur, proprie portæ principales, sed dextra sinistraque ejus: quemadmodum & portæ quintanæ dextra & sinistra viæ quintanæ. Eadem igitur utrobique Festi mens est. Africanus & Leo quatuor magnas & δημοσίας portas in castris fieri jubent, sed minores complures, παραπόρτια quæ vocant.

Et cognominatur etiam quintanam causam copiarum.) *Quintana causa copiarum*. Διὰ τὸ παρὰ τὰ πεμπτὰ (sic recte emendavit Casaubonus, cum antea legeretur πεντ-) τάγματα παράκειται, sed prisca illa & Polybiana compositione castrorum: Hyginiana enim non semper eædem cohortes, sed prout plus aut minus legionum erat, aliæ atque aliæ ad viam quintanam tendebant. In castris trium legionum, quæ exempli causa subjicit, quintana non dividit quinctos ordines a sextis aut quartis, sed sextos a septimis: ad vetera igitur castra respexit, non ad sua, cum ait: *Quintanam causa copiarum cognominari*, & est ipsum nomen novis his castris antiquius.

Quæstorium dicitur quod aliquando quæstores ibi pedaturam acceperint.) Ostendit quæstores sub Imperatoribus non ivisse ad bella, aut utique veterem illum & suum locum in castris non obtinuisse. Non pauca eorum quæ antea quæstorum fuerunt, ut custodia ærarii, sub Imperatoribus ab alios translata. In castris fortassis præfectus castrorum hunc obtinuit locum.

Quod est supra prætorium in rigore portæ.) Quæstorium jam olim in consulari exercitu in rigore portæ decumanæ fuisse, ad Polybium diximus. Addimus: in retentura inter quintanam & portam decumanam. Exposita enim quintanæ ratione, a qua incipit retentura, de quæstorio demum agit, & postea diserte ostendit copiam, quæ lateribus quæstorii collocatur, in retentura collocari. *Si cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino fuerint, ponemus alas quingenarias lateribus quæstorii, ut retentura equitatum habeat*. Præterea cum retenturæ pars dimidia accipiat pedaturam hemistrigiorum viginti, septendecim tamen hemistrigia tantum occupat miles, ut quæstorio pedatura sufficiens dari possit: jubet & ampliari vel minui quæstoriam, si quo plus vel minus copiæ in retentura collocandum sit. *Item latere prætorii & in retentura similiter, si quo vel*

minus fuerit, idem observabimus, ut prætorium & comitum pedaturam, item quæstorium ampliemus vel minuamus servatis portionibus latitudinis.

Quæ a cohortibus decimis ibi tendentibus decumana est appellata.) In castris unius consulis ex Polybii præscripto, cohortes decimæ legionum & sociorum, nec non turmæ decimæ equitum tergum castrorum, quod est ad portam decumanam, contingebant & respiciebant. Hyginiana ratione non omnes cohortes decimæ, sed duarum legionum considebant proxime portam decumanam. Sed notio nominis antiqua ab prisco instituto est. Dicebatur hæc alio vocabulo *quæstoria* & erat aversa ab hoste: per hanc delinquentes milites ad supplicium ducebantur, ut ab aliis jam notatum & proinde notum est.

Quæstorium minor esse debet latitudinem) Scribe: *minori esse debet latitudine.* Non addit, quanto minori. Nos in castris Hyginianis dedimus pedes centum quinquaginta; quum enim sex hemistrigia relinquat in retentura, prætorio & viis, ita commode pedatura ordinari & centuriæ statorum secundum prætorium tendere videbantur posse; non tamen pugno, si cui aliter placet, in his quibus non prævivit Hyginus.

Ut striga est ad posticium prætorii proximi sint.) An? *ut strigæ ad posticium prætorii proximæ sint.* ideo enim angustius fieri jubet quæstorium, ut centuriæ statorum posticam prætorii partem commodius tueri queant.

In quo maxime legat hostium, obsides) Bene hic legatos hostium & obsides locat proxime portam decumanam aversam ab hoste & inter medias centurias statorum, quibus cura tuendi eos. An & hic carcer castrorum, cujus apud veteres mentio? non absurdum sit milites delinquentes hoc quoque parte castrorum servatos, non procul a porta, qua educi ad supplicium scribit Vegetius.

Et si qua præda facta fuerit in quæstione ponitur.) Lipsius: *In quæstorio.* Verum, quod ad sensum, ni illa repetitio offenderet; & potest fortasse servari vulgatum, *ut præda in quæstione* dicatur, quæ in publicum & ad quæstores redacta servabatur. Quo sensu apud Plautum legitur. In quæstorio præter hæc, frumentum, cæterumque commeatum & pecuniam arbitror custoditam. Hæc enim omnia ad quæstores antea pertinuerant & pedatura his omnibus sufficit.

Centuriæ statorum.) Tradit Polybius, manipulum militum quotidie excubasse ad prætorium, ut & tutum ab insidiis præstarent Imperatorem & summi imperii majestatem adornarent. Sed de his Hyginus accipiendus non est, sed de statoribus, peculiari genere militum ad Cæsarum custodiam. Meminerunt eorum saxa prisca, ut apud Gruterum: M. AVR. CÆSARI &c. PETRONIVS MAMERTINVS ET CAVIVS MAXIMVS PR. PR. TRIBVNI COHORTIVM PRÆTORIARVM DECEM ET VRBANARVM TRIVM CENTVRIONES COHORTIVM PRÆTORIARVM ET VRBANARVM ET STATORVM EVOCATI. COHORTES PRÆTORIÆ DECEM ET VRBANÆ. X XII. XIII. CENTVRIÆ STATORVM OPTIMO AC PIISSIMO. In quibusdam & mentio *statorum prætorianorum*: & hi in castris laxiori tensione prætorianis æquantur. *Stationem imperatoriam* & *regiam* appellat Spartianus: ὁ πέραμέμων ςρατιώτης Græcis dicitur, qui Latinis *stator*: munus ejus tueri prætorium & quæstorium, neque abscedere a Principis latere. *Centuriarum* tantum meminit Hyginus, in lapidibus & *cohortes*.

Ut posticum prætori veantur & proximis in prætores.) Scribo: *Ut posticium prætorii tueantur & proximi sint Imperatori.*

Quod eisdem tensoris utantur quibus cohortes prætoriæ.) Corrigo: *Iisdem tentoriis* vel *tensuris*, ut supra monuimus. Salmasius: *Iisdem censuris*: quod vellem explicasset.

Super quos cohors peditata quingenaria.) Eadem quidem striga qua statores, sed parte proxima portæ decumanæ, quam vocat *superiorem*, cohortem peditatam vel equitatam quingenariam ponit.

Pro ut strigæ magnitudo fuerit.) An? *prout strigæ magnitudo feret.* Sed potest servari: nihil muto.

Et per reliquas strigas coborti peditate vel equitate ad viam quintanam spectare debebunt.) *Cohortes peditatæ vel equitatæ*; cætera sana. Sed quomodo hæ cohortes ad viam quintanam spectabunt, cum strigis a tergo castrorum ad quintanam currentibus sedentes vel ad quæstorium vel ad latus castrorum necessario spectent? nullæ enim copiæ respiciunt longitudinem hemistrigiorum, qua papiliones papilionibus connectuntur & cohærent; omnes latitudinem, ubi viæ interjiciuntur. Sed *spectare ad viam quintanam* non est respicere & conversos tendere ad viam hanc, quo sensu accepit doctissimus Polybii interpres, cum illud *βλέπει εἰς τὰς διόδυς* convertit, *spectat ad vias intercurrentes*; sed tantum, eas tendere ea strigæ parte, quæ est proxima quintanæ. Quod non sine causa monet, cum in proxima quæstorio striga centurias stratorum posuerit ea in parte, cohortes vero contraria: hic contra, cohortes ad quintanam ponit, nationes vero super eas: legionarias cohortes & tergum versus. Sic dicimus regiones spectare ad orientem vel septentrionem, non quod eo revera spectent, sed quod septentrionali vel orientali parte sitæ sint: neque aliter supra Hyginus: *Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt.*

Ut super sumactares.) Vocabulum aliquod nationum latere videtur, sed inter nationes, in retentura tendentes, Palmyrenos, Getas, Dacos, Britones, Cantabros, nulla est huic scripturæ affinis: & vetant nos conjecturæ licentius indulgere duo alia Hygini loca, nihilo quidem plus lucis adferentia, sed tamen ab hac lectione non multum recedentia: *Sumacterias & reliquas nationes quoties per strigas distribuimus.* Rursus: *Centuriæ statorum & si quid aliud datum in exercitu fuerit summam clarificum* (in margine scribitur *clariorum*) *retenturam ponimus.* Alioquin non absurdum sic scribi: *Et super has Palmyreni & reliquæ nationes.* Palmyreni enim primi sunt inter nationes, quas hic recenset.

Ita fiet ut omni parte nationes & supra scriptas contineantur.) Lege: *Ita fiet, ut omni parte nationes supra scriptas contineant*, vel *supra scriptæ contineantur.* Illa parte retenturæ, quæ ad quintanam spectat, posuit cohortes equitatas & peditatas: illa, quæ ad quæstorium, centuriam statorum cum cohorte. Duabus reliquis partibus, videlicet lateribus & tergo castrorum, cohortes legionariæ tendunt; ita fiet, ut nationes externæ, quarum fidei ita innitebantur, ut a perfidia bene tuti essent, ab omni parte circumdatæ, neque quicquam movere possint & facile in officio contineantur.

Quæ angulariæ XXX. pedes sufficiet.) Emenda: *Viæ sagulariæ triginta pedes sufficient.* Tantum enim dari latitudini sagularis infra diserte ostendit: *Observare itaque debemus, ut quoties tres legiones cum supplementis acceptæ fuerint, dimidia pars castrorum septingentos viginti pedes latitudinis habeat & lateribus castrorum cohortium tabulino nonaginta, signis ducentos quadraginta pedes adsignemus, ut deducto tabulino cohortium & latitudine viæ sagularis, reliqui sexcenti pedes supersint.* Deductis nonaginta & triginta pedibus, supererunt sexcenti: præterea hujus viæ latitudinem de

qua tanquam jam definita loquitur, (non enim exprimit numerum (nusquam alibi descripsit, & ipsa nos libri maculata scriptura quodammodo ad verum ducit.

Quinque legiones fuerint XL. *latitudinis accipere debebunt.*) Adjiciendum, vel utique intelligendum, τὸ *si*: *si quinque legiones fuerint, quadraginta latitudinis accipere debebunt*.

Scholæ cohortis primæ.) *Schola cohortis primæ*. Scholarum in scriptoribus & inscriptionibus medii ævi, nec non codicibus Imperatorum diversa genera esse, nemo jam ignorat paulo humanior: tales scholæ domesticorum, scutariorum, gentilium, exceptorum, chartulariorum, protectorum, fagulariorum, fabrorum, vexillariorum, speculatorum, legionum & aliæ. Et scholas Palatinas, Ammiano absolute *scholas*, & in iis militantes, *scholares* appellari, recte observat vir doctissimus in notis ad hunc scriptorem. Putat idem scholam in castris esse contubernium, quia Vegetius scholis dat capita sua. Cum enim legio in cohortes, cohors in centurias, centuria in contubernia dividatur; & in hac divisione soli contuberniorum præpositi *capita* appellentur, *capita scholarum* quos appellat Vegetius, eosdem quos alibi *capita contuberniorum*, & proinde scholam & contubernium idem esse. Quæ conjectura etiamsi absurda non sit, non tamen liquido probat nullos præter contubernii principes *capita* recte appellari. Hyginus vero non sinit nos eam recipere, quando scholam cohortis primæ, non in pedatura cohortis primæ, ubi contubernia & papiliones eorum, sed in scamno legatorum contra aquilam dari jubet: & addit, qui locus sit, videlicet, *ubi munera legionum*, puta opera, stationes, vigiliæ, cætera justa militaria, *inducuntur*, danturque & accipiuntur imperia. Tradit Polybius equites & centuriones prima luce ad tabernacula tribunorum; tribunos ad prætorium convenire accipiendis imperiis. Imperatorem enim tribunis, tribunos centurionibus edicere, quicquid agendum sit. Idem scribit tesserarios inclinante jam die ad tentoria tribunorum venisse tesserarum causa. Hic itaque locus, ubi tribuni per legionem imperia dabant, schola cohortis primæ. Ponitur ab Hygino in scamno legatorum contra aquilam, hoc est, ante tentoria tribunorum. Plures autem in legione atque adeo singulis cohortibus scholas suas fuisse, & Hyginus hic innuit & Vegetius non obscure testatur, lib. II cap. XIX. *Sed quoniam in legionibus plures sunt scholæ, quæ literatos milites quærunt*: & cap. XXI. *Quasi in orbem quendam per diversas cohortes & diversas scholas milites promoventur; ita ut a prima coborte ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem, & rursus ad ea excrescentibus stipendiis cum majore gradu per alias recurrat ad primam: ideo primipili centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas, &c.* Cæterum cohortium scholas similiter probabile loca fuisse, ubi singularum cohortium munera indicebantur. An & ubi instituebantur singuli in armis, ut vocabulum *scholæ* ne sic quidem recesserit a significatu suo? Cum enim illi, qui instruebant militem, armorum doctores & magistri; cum ipsa scientia, disciplina; quidni ludus quoque in quo erudiebantur, *schola*, sit appellata? De loco tamen scholarum reliquarum cohortium nihil Hyginus. Juxta papiliones primarum centuriarum, si quidem in æstivis fuerunt, Hygini ævo fuisse non dubito: an ad latus illud, quod *tabulini* nomine appellatur, an ad intervallum, non dixerim. Possis suspicari esse has ipsas tabulinum, a quo pars altera pedaturæ nomen habet: sed vetat Hyginus, cum in scamno legatorum contra aquilam, scholam cohortis primæ locat, hoc est, non tantum non in pedatura cohortis primæ, sed & contra eam partem, quæ signorum vocabulo denotatur. In stativis & hibernis, scholas cum cura & impenso extructas, refectas & ornatas, inscriptiones antiquæ testantur, quæ & dant eis curatores suos.

Ubi munera legionum dicuntur.) Non temere mutarim. Valet enim sæpe idem quod *edico*, interdum & quod *indico*. Varro: *Dico orginem habet Græcam, quod Græce δικάζω*: paulo post: *Hinc in manipulis castrensibus dicta a ducibus; hinc dictata in ludo, hinc dictator magister populi*. Suetonius: *Cæsarem a senatoribus & equitibus petiisse, ut ipsi disciplinam tyronum susciperent & exercentibus dictata darent*. *Indictionem munerum* inter pœnas recenset Juriconsultus, sed plurium & graviorum: alioquin non pœna erat, sed officium.

In iscamnium legatorum.) Scribe: *in scamno* vel *intra scamnum legatorum*.

Castra in quantum fieri potuerit tertiata esse debebunt.) De forma castrorum non satis convenit Græcis & Romanis. Spartani disciplinæ militaris inter Græcos facile principes, locorum quidem naturæ multum dabant; ea non interpellante, rotunda castra cæteris præferebant eamq; formam, quæ suapte natura omnium perfectissima habetur, in castrorum quoque compositione amplectebantur. Nec illis suæ defuerunt rationes: nam coxæ angulique, quos efficiunt formæ quadratæ, infirmant opus & hostibus quam militi oportunius faciunt. Eamque ob causam in urbium munitione, quarum eadem ratio est, rotundæ habebantur potiores. Orbis quoque non ad impugnandos impetendosque alios, sed ad resistendum rebus extremis una ex bonis aciei formis existimabatur, quod neque usquam tergum latusque apertum præberet hosti, & ab omni parte una fronte defenderetur. At Romani veteres quadrata tantum & quadra oblonga probaverunt: illa cum duabus, hæc cum quatuor legionibus res gereretur. Neque ab hac ratione defecerunt posteriores, quamvis varium admodum acciperent numerum legionum. Causa, quod nulla expeditiora & faciliora, nulla ad interiorem metationem aptiora. Nam angulos castrorum turribus & propugnaculis facile tutabantur, neque ab illo vitio munitionis unquam summa res in periculo fuisse legitur. Africanus castra rotunda ideo postponit quadratis, quod illa corona circumdata ab omni parte, velut una acie pariter oppugnari queant: hæc non nisi diductis & distractis in quatuor partes copiis, quo vis oppugnationis infringitur. Τὸ δὲ σχῆμα τοῦ φοσσάτου οὐ δεῖ εἶναι στρογγύλον διὰ τὸ εὐχερῶς ὑπὸ τῶν πολεμίων κυκλόθεν καταπολεμεῖσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον εἶναι δεῖ τετράγωνον· οὕτος γὰρ ὄντος ἢ κατὰ μίαν πλευρὰν ἐπιθήσονται αὐτῷ οἱ πολέμιοι ἢ ἀνάγκη διαιρεθέντας αὐτοὺς εἰς τὰς δύο τοῦ φοσσάτου πλευρὰς καὶ εἰς τὰς τρεῖς ἢ καὶ εἰς τὰς τέσσαρας ἀσθενεστέραν αὐτῶν τὴν ἐπίθεσιν γενέσθαι. εἰ δὲ τύχοι παρακεῖσθαι αὐτὸ, ὡς εἴρηται, ἢ εἰς ποταμὸν ἢ εἰς ἄλλον ἀσφαλῆ τόπον, χρὴ εἶναι αὐτὸ τετράγωνον μὲν, ἀλλ' ἑτερόμηκες, ὡς πρὸς τὸν ποταμὸν ἐπὶ μῆκος παρακείμενον &c. Ubi oblonga castra fieri jubet, sed super amnem vel tuto loco. At Hyginus hæc in universum optima censet, cum ait: *In quantum fieri potuerit tertiata esse debere*. *Tertiata* appellat *castra* tertia parte longiora, quam latiora. Quod vocabulum, quia hoc sensu novum, opinor, repetit mox & exemplo explanat: *dixi tertiata, ut puto in longum duo millia quadringenti, in latum mille sexcenti pedes*. Probat & hanc formam Leo Imperator Constitutione IX. Οἴδαμεν ὅτι διαφόρους θέσεις καὶ σχήματα φοσσάτων οἱ ἀρχαῖοι παραδεδώκασιν ἐν τῇ στρατοπεδείᾳ, ἐπαινετὴ δὲ ἡ παραμήκης τετράγωνος, ὡς εὔτακτος καὶ ἀναγκαία. Laudat ut bene ordinatam & necessariam: bene ordinatam, quia hac ratione castra commode dividuntur in longum in tres partes,

tanquam in tres acies considentes: in latum in duas tanquam in dextrum & sinistrum cornu: præterea strigarum & viarum directiones, cæteraque pulchro & apto ordine disponuntur, ut necessaria autem videtur hæc castra commendare, quod necessario intus copiæ quadratas pedaturas accipiant, (nisi multum soli perire velis,) unde exit tota castrorum forma quadrata vel quadra oblonga. Vegetius Græcos hac in parte aut ad Græcorum mores deflectentes Romanos secutus, formam castrorum in parvo discrimine ponit. Sed quadra oblonga cæteris pulchriora esse fatetur, Vegetius: *Vel quadrata vel rotunda vel oblonga castra constitues, nec utilitati præjudicat forma: tamen pulchriora creduntur, quibus ultra latitudinis spacium tertia pars longitudinis accedit*.

Ut flatus aura æstus exercitus leviat.) Finge: *ut flatus auræ æstu exercitum leniat*: eo enim nos verba ducunt; & certum est, inter causas, quare viarum spacia & strigarum ordines ad normam directi, cæteraque apte collocata, hanc quaque esse, ut liberior aura castra perflare, æstum lenire & corruptelas aeris purgare possit; sed inter causas, quæ hujus solius formæ propriæ non sint, nisi forte ideo, quod hæc maxime omnium ordinata & composita. Putabam: *Ut si lata duas, tres partes sint longa*. Sed cum hæc a librario non videantur supposita, & pauca illa quæ sequuntur de universa castrorum forma tam abrupta sint, & unam tantum aliquam ex causis leviter tangant, quod est in membranis, servare fuerit consultius.

Hoc dixi tertia.) Fortasse: *hoc dixi tertiata*.

Ut puta longum ped. II. CCCC. *latum ped.* DC.) Lege: *in longum pedum duorum millium quadringentorum, in latum mille sexcentorum*, vel si mavis, *longa pedes duo millia quadringentos, lata mille sexcentos*. Inferius dimidiæ parti castrorum, quoties cum supplementis acceptæ fuerint, adsignat septingentos viginti pedes, & proinde toti castrorum latitudini mille quadringentos quadraginta. Sed ibi neque spacium pedum sexaginta, quod est ad vallum utrimque, neque viam prætoriam; sed duntaxat eam, quam copiæ occupant, pedaturam cum via sagulari computat. Cui si adjeceris centum octoginta, habebis mille sexcentos viginti: longitudinem vero duorum millium quadringentorum istis copiis, quæ illic collocantur, vix expleas, nisi vias intercurrentes aut aliud quid interjeceris, ut in forma ostenditur: ac nescio, an necesse sit. cum hanc castrorum magnitudinem proponat tantum in universum, neque exacte, sed in quantum fieri potuerit, jubeat observari. Ac hæc quidem castra, quamvis altera parte longiora, a Polybianis quod ad circuitum non multum abeunt: illa enim duorum millium pedum circiter ab omni parte, quem numerum hæc altera parte quadringentis pedibus superant, altera superantur.

Si longiora fuerit, classica dicentur.) Vigiliarum initia, cæteraque quæ vulgo buccina nuntiabantur, classico, ut magis sonoro, nuntiari jubet in longioribus hisce castris: de his signis eorumque differentia, multa recte Lipsius dixit, in libris de militia: quibus nos loco suo quædam observata adjicimus.

Ad portam decumanam.) *Buccinum* vel *classicum* dicebatur apud Imperatorem prope principia, a quo loco in castris tertiatis nulla pars longius abest, quam porta decumana & latus illud. In longioribus præterea castris huic parti plusquam cæteris videtur adjici, cum portæ quintanæ non sine causa ibi constituantur, & retentura, utpote brevior cæteris, merito crescat: quare timet, ut buccinum in tumultu ad portam decumanam exaudiri possit.

Si latior fuerint proximæ quadraturæ sequens est dictatio.) An, *si latiora fuerint proxima, quadraturæ frequens est dictatio*? ut dicat quadrata castra in frequenti usu esse. An sequebatur aliquid de hac compositione: non enim corrupta tantum hæc & alia hujus libelli, sed etiam abrupta, & excerptis abbreviatorum, quam legitimo scripto similiora videntur.

Et soli lectionem statuendam & actionem.) Fortassis: *Soli electionem in statuenda metatione*. Quo & infra ducere arbitror illa: *Quod attinet ad sollicitudinem statuendæ metationis*.

Et item iniquitates loco vitiandi.) Fortassis: *Artem iniquitates locorum vitandi*: nisi malis hic quoque: *solicitudinem statuendæ metationis, & item iniquitates locorum vitandi*.

Interim hostendam inceptationem metationis & numero conposita formæ recognoscamus.) Scribo: *Interim hic ostendam inceptam rationem metationis & numeros compositæ formæ recognoscemus*. Τὸ *inceptationem* retinere non sumus ausi, quamvis nos non fugiat idem infra vocabulum in libro repeti: *Præcipitia in omnibus inceptationum metationibus*.

Cohortes prætoriæ ad equites prætoriani.) Fortassis: *ad hoc equites*.

Alæ milliariæ vel quingenariæ si pedaturam permiserint.) Alarum quasdam in prætentura, alias lateribus prætorii collocat. In compositione trium legionum cum supplementis, quatuor milliarias in prætentura, quingenarias quinque lateribus prætorii, ut ibi ostendimus.

Vexillarii & cohortes secundæ.) Scribe: *Vexillarii, cohortes secundæ*.

Vel quinquaginta peditatæ quingenariæ.) Dele meo periculo τὸ *quinquaginta*, quod ex ultima litera τῦ VEL prognatum est. Quanquam & in aliis scriptoribus occurrit hoc mendum, ut cohortes quingenariæ, *quinquagintariæ* appellentur. Sic in Vegetii scriptis quibusdam, libro II. cap. 6. scribitur: *cohors quinquagintaria*, pro *quingenaria*. Idem mendum est apud Curtium libro V. *Novem, qui fortissimi judicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant C. Chiliarchas vocabant, tum primum in hunc numerum distributis copiis; namque ante quingenariæ cohortes erant*. In libris est, *quinquagenariæ*. Ælius Spartianus Adriano: *Multis ingentia dedit munera, sed nulli majora quam Hitso, cui & elephantem & quinquagenariam* (scribe *quingenariam*) *cohortem post magnifica dona dedit*. Sic in notitia Imperii sub dispositione viri spectabilis Ducis Mesopotamiæ recensetur *cohors quinquagenaria*, pro *quingenaria*, *Arabum Betballadæ*.)

Super cohortes primæ prætendunt.) Distingue & scribe: *super cohortes primas*.

Mauri equites.) Notum genus equitum apud Romanos levis armaturæ, quod jam tempore Iulii Cæsaris & ante in exercitu Romano, nec minus sub sequentibus Imperatoribus: sub Trajano Maurorum præfectus Lusius Quietus ad consulatum evectus legitur. Tribuni Maurorum (sic præfecti appellabantur) Trebellius meminit. Item in notitia Imperii non semel equitum Maurorum mentio fit.

Pannoni verari.) Pannonii tum equites, tum pedites meruerunt sub Imperatoribus in exercitu Romano. Tacitus: *Adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium & quingenti Pannonii nondum sub signis*. Idem Annal. XV. *Alares quoque Pannonios, robur equitatus in parte campi locat*: hic tamen recte legunt viri docti *Pannonii veredarii*, quod hi Pannonii levis armaturæ veredarii essent: de veredis & cursu publico, alii ad codicem Justiniani dixerunt.

Quod ad vias muniendas primi exeunt & quo sint tutiores a Mauris equitibus & Pannones beridaris operantes proteguntur.) Scr. & *Pannoniis veredariis*. Josephus in agmine Flaviano primum locum attribuit auxiliis, sagittariis & id genus levis armaturæ militibus; sequitur pars equitatus & peditatus Romani: deinde e singulis centuriis metandis castris: post quos ὁδοιποιοὶ muniendis viis. Καὶ μετ᾽ αὐτοὺς ὁδοιποιοὶ τά τε σκολιὰ τῆς λεωφόρου κατευθύνειν καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν, ὡς μὴ ταλαιπωροῖτο δυσπορῶν τὸ στράτευμα. Vegetius: *Primi equites iter arripiant, deinde pedites.*

Quia cohortibus primis proximi tendere debent.) Tò *quia* redundare videtur.

Item explaratores in striga cohortis. Primæ prætendunt cohortes equitatæ.) Scribo: *item exploratores in striga cohortis primæ. Retendunt cohortes equitatæ*. Mutavimus distinctionem, quia nullum aliud verbum sequitur, quod cohortibus jungatur. Scripsimus *retendunt*, quia cohortes hæ in retentura ponuntur. Hyginus: *Quod si alæ in retentura positæ fuerint, & pedites in prætentura, sive cohortes equitatæ nulla necessitate cogente, sine dubio metatoris imperitiæ signum est*. Et hinc jam incipit retenturam computare. *Nunc*, inquit, *quoties numeros acceperimus, ut retenturam computemus*.

Cohortes equitatæ milliariæ vel quingenariæ.) Quænam sint hæ equitum *cohortes*, quas Hyginus *equitatas* appellat, inter tot viros doctissimos, qui hoc & priori sæculo antiquitatem illustrarunt & non uno nomine bene de re Romana meriti sunt, nemo adhuc, quod sciam, recte intellexit, nemo utique nos docuit. Ac nomen quidem quod attinet, cohortes quas *equestres* vel *equitum* vel *equitatus* (si quidem cohors ad equites transferenda) appellare oportebat, (ut dicimus *copias equitum* & *equitatus*) *cohortes equitatas* appellari, insolens certe, neque ullius boni auctoris auctoritate confirmatum esse fateor. Hic tamen liber in tantis & tam variis lubricæ scripturæ mendis, in isto constans ac plane similis sui est: nusquam meminit cohortium harum, ubi non *equitatas* vocet: a cujus tamen auctoritate recedere, religio mihi non foret, nisi veteribus aliquot inscriptionibus confirmaretur. Apud Gruterum in lapide prisco: L. FL. T. F. Q. VIR. SECULARI. PRÆFECTO COHORTIS PRIMÆ EQUITATE CIV. ROM. IN. GERM. INFERIORE item alio: PLICINIO P. F. GAL. MAXIMO PRÆFECTO COHORTIS II. GALLORUM EQUITATE IN DACIA TRIBUN. MIL. LEG. VII. similiter: P. LICINIO P. F. GAL. LICINIANO PRÆFECTO COHORTIS VII. PRÆFECTORUM EQUITATE IN GERMANIA. Est & in aliis lapidibus: COHORS EQUIT. vel. EQ unde non elicias *equitatæ*, an *equitatus* nominentur. Sed ex illis satis liquet, hanc appellationem, si a politioribus Latinitatis auctoribus etiam medio ævo repudiata, at in castris usu communi receptam fuisse, unde noster in castrorum suæ ætatis metatione versans, assumere non dubitaverit. Plinius quidem & Trajanus non *equitatas*, sed *equestres* appellant, sive ita etiam vulgo nominatæ, sive insolentiam vulgaris appellationis devitantes, quod erant, Latine appellare maluerunt. Epistola CVIII. libri X. *Rogatus, Domine, a Publio Accio Aquila centurione cohortis sextæ equestris, ut mitterem tibi libellum*. Eodem plane vocabulo Trajanus Imperator epistola sequenti Plinio respondet: ubi quibusdam suspecta est *cohors equestris*: alii cohortem equestrem, cujus & Imperator & Plinius meminerunt, movere quidem non audent, nihil tamen nos certiores faciunt, neque docent, quodnam illud genus cohortium, aut unde nomen traxerint. Lipsius, cum in Ammiano, cohortem palam ad equites transferri videret, soli confusioni illius sæculi tribuit: *Adeo*, inquit, *non res solum, sed & verba in militia jam confusa*. Quod quidem in multis verum esse non imus inficias, plerasque tamen has confusiones a mutatis militaribus institutis, originem suam traxisse certum est, ut & accidit in hac cohortis usurpatione. *Cohortes* enim, quas *equestres* vel *equitatas* vocant, non erant turmæ equitum, non alæ; sed cohortes, quæ partim ex pedite, partim equite constabant. Cohortes, inquam, peditum, quæ habebant proprios & *insitos*, ut cum Vegetio loquar, *equites suos*. Liquet hoc non tantum ex citato Plinii loco, quo *cohortem equestrem* appellat & tamen Accium Aquilam *centurionem* ejus, hoc est, peditum ductorem; sed etiam ex epistola libri ejusdem XXII. qua scribit, Trajanum jussisse, ut Gabius Bassus contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno ex cohortibus, quibus ipse Plinius præerat, innuens iisdem in cohortibus & equites & centuriones & beneficiarios fuisse. Confirmat idem vetus inscriptio vel edictum Domitiani Cæsaris, quod extat Salonæ in tabula ænea, qua Imperator emeritos cohortium duarum equestrium, qui peregrinæ conditionis erant, civitate donat: PEDITIBUS ET EQUITIBUS QUI MILITANT IN COHORTE IV. ALPINORUM ET IN VIII. VOLUNTARIORUM CIVIUM ROMANORUM QUI PEREGRINÆ CONDITIONIS PROBATI ERUNT ET SUNT IN DALMATIA SUB Q. POMPONIO RUFO QUI QUINA ET VICENA STIPENDIA AUT PLURA MERUERUNT: item: DIMISSIS HONESTA MISSIONE EMERITIS STIPENDIIS POSTERISQUE EORUM &c. Vides & pedites & equites in Alpinorum & Voluntariorum cohortibus. Tradit & Flavius Josephus in exercitu Flaviano, decem σπείρας fuisse, quæ pedites mille; decem alias, quæ pedites sexcentenos, equites centum viginti haberent. Atque hæ sunt cohortes quas *equitatas quingenarias* appellat Hyginus; illæ quas *peditatas milliarias*, in quibus non tantum externos, sed cives etiam Romanos militasse, inscriptiones, quas adduximus, evincunt. Jam enim illa ætate extra legiones etiam cives Romani merebant & legionaria militia fastidiri incipiebat, unde legiones magis magisque exinanitæ, tandem eo reciderunt, ut nihil earum apud Romanos præter nomen superfuerit. *Magnus est*, inquit Vegetius, *in illis labor militandi, graviora arma, plura munera, severior disciplina: quod vitantes plerique in auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere, ubi & minor sudor & maturiora sunt præmia*. Hujus generis fuerunt cohortes Batavorum & Canninefatium, qui relicto spretoque Hordeonio Flacco cum Claudio Civili se conjunxerunt. Tacitus in IV. Historiarum: *Iisdem diebus Batavorum & Canninefatium cohortes, cum jussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius, assequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, & pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed causam seditioni*. Cum augeri equitum numerum postulent, apparet jam fuisse in illis equites, plures ad equum rescribi & ad honoratiorem militiam voluisse traduci. Ex harum cohortium instituto ortum duxit, quod etiam in legione singulis cohortibus equites sui attribuerentur, ut apud Vegetium cohorti primæ, quæ habet pedites mille centum quinque, equites loricati centum triginta duo: cæteris cohortibus, quæ habent pedites

pedites quingentos undecim, equites sexaginta sex: nam etsi ab antiquo, idem in legione numerus turmarum & cohortium esset; turmæ tamen illæ per cohortes non distribuebantur, sed erant totius legionis equitatus.

Omnes miles provincialis accipit pedaturam pedem adjecta quinta per totam latitudinem emistriciæ.) Id est, pedem adjecta quinta ad longitudinem, triginta pedes in latitudine strigæ, sive, ut cum Hygino loquar, pedem, adjecta quinta per triginta, quæ est tota hemistrigii latitudo. In longitudine igitur hemistrigii, inquit, *omnis miles provincialis accipit pedem adjecta quinta*. Itane vero Hygine? omnis miles provincialis? At supra legionariis illis provincialis militiæ fidelissimis pedem & semissem dedisti, octoginta hominibus pedes centum viginti? An librariorum culpa est, quod legionarii militiæ provinciali adcensentur, cum scripserat, *Legiones quoniam sunt militia provinciali fideliores*? Non puto: legionarios enim recte provinciali militi adnumerari, ibi dixi. Verius videtur Hyginum, quo facilius omni copiæ pedaturam adsignet, omnes centurias, tam legionarias, quam auxiliares ad eundem numerum centum hominum computare; quamvis legionariæ re ipsa non nisi octoginta haberent, hac ratione omni militi provinciali pedem adjecta quinta adsignare. Utitur enim Hyginus ad faciliorem adsignationem pedaturæ ejusmodi fictionibus, ut supra diximus.

Æq. si autem.) Scribe: *Eques autem*. Solent Latini opponere militem equiti. Cæsar: *Tripartito milites equitesque in expeditionem misit*. Frontinus: *Equitatu post terga militum collocato*. Pedes enim in quo præcipuum robur, disciplina Romanorum prisca, κατ' ἐξοχὴν *miles* appellabatur: at posterioribus sæculis sub Constantino & illis Imperatoribus, quum omnis vis exercitus in equitatu, eques vulgo *miles* dicebatur, (ut & Græcis ϛρατιώτης, quod nomen antea quoque ut apud Romanos militis gravis armaturæ) Quæ appellatio ad hunc usque diem manet: *milites* enim & *militaris ordinis* dicuntur, qui sunt equestris. Sed veteres aliter: iidem & *exercitum* simili ratione opponunt equiti, quasi nec pars exercitus esset. Vide utriusque rei exempla in notis Livianis, viri, cui uni plus debet princeps Historicorum, quam cæteris bene de eo meritis omnibus, qui nunc intelligitur, apud posteros nominabitur. Similiter velites a peditibus distinguunt: quasi peditum nomine non sint digni, qui justæ plenæque armaturæ non sunt. Frontinus: *Appii Claudii sententia senatus eos, qui a Pyrrho rege Epirotarum capti & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam*. Valerius de eadem: *Decreverunt, ut ex iis qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur*. Sic quoque Dionysius libro VIII. καὶ ἱππέων καὶ πεζῶν καὶ ψιλῶν distincte meminit.

Duæ semis adjecta quinta.) Corrige: *Duos semis adjecta quinta*. Hoc quoque in universum verum non est, nisi equites alarios, quibus singulis tres pedes dedit, ad majorem numerum computaveris. Quod velle Hyginum apparet, quando iis, propter equos supernumerarios, præfectos alæ & principales tantum adsignans, *alioquin*, adjicit, *binos pedes cum semisse acciperent*.

Ut retenituram computemur.) *Ut retenturam computemus*.

Cohortes cum equitibus suis.) Vegetius: *Legionarii equites cohortes suas contubernii affectione venerantur, cum naturaliter equites a peditibus soleant discrepare*. Peditum igitur etiam tunc proprie cohortes, sed quia inserti innexique equites

A cohortibus, quæ *equitatæ* dicebantur, inde *cohortis* vocabulum pro tota illa manu equitum peditumque cœpit usurpari.

Habet itaque cohors equitata milliaria equites CCXL.) In cohorte equitata ea observatur proportio, ut tribus peditibus unus eques adjungatur. Septingentos viginti pedites, ducentos quadraginta equites habet milliaria, dimidium utrorumque quingenaria. Proprie quidem ducenti quinquaginta equites forent, sed fortassis ut vitaretur impar in decuriis numerus, qui in æquas partes tribui non potest, (centuria enim ista ratione pedites LXXV, equites XXV haberet) decem homines equitum numero detractos pediti adjecerunt. Confirmat hunc

B numerum Josephus, cum ait, in Flaviano exercitu tredecim cohortes fuisse, quibus singulis sexcenti pedites, centum viginti equites: ubi si dixisset sex centurias pro sexcentenis peditibus, (& voluit, opinor, aut debuit ita dicere; facilis enim in eo scriptorum lapsus, ut pro centuria quamvis minori centum homines computent) per omnia cum Hygino faceret: præter numerum enim centuriarum, omnia quæ in cohorte milliaria, pro parte dimidia in quingenaria ponit. Meminit & hujus numeri equitum iterum, sed obscurius, in descriptione agmi-

C nis exercitus Vespasiani lib. III. cap. 8. εἵπετο δὲ αὐτῷ τὸ ἴδιον τῦ τάγματος ἱππικόν· ἴδιοι γὰρ ἑκάϛου τάγματος εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἱππεῖς. Ubi mire hallucinatur interpres. Sic enim vertit: *Equitum præterea suorum agmine comitatus; de singulis enim turmis proprios centum & viginti equites deputatos habebat*. Quasi τὸ τάγμα primum *agmen*, mox *turmam equitum* significet, & turmæ apud Romanos plus quam centum viginti homines habeant. Quæ absurda & inaudita sunt. At Savilius Latine sic reddidit: *Secuti ipsum equites legioni adscripti; singulis enim legionibus adjuncti erant equites centum viginti*. Addit, errare Josephum, qui singulis le-

D gionibus attribuat equites centum viginti. Rursus in agmine Titi hunc equitatum ponit statim post ipsum: Καὶ μετὰ τοὺς τούτων ὁπλίτας αὐτὸς ἐξήλαυνε τούς τε ἐπιλέκτους καὶ τοὺς λογχοφόρους ἔχων· εἵπετο δὲ αὐτῷ τὸ ἴδιον τῦ τάγματος ἱππικόν. Videtur autem equites τάγματος distinguere ab equitibus σπείρης & ἴλης. Sic enim equitatum cohortium & alarum vocat. In VII. καὶ τῶν ἀπὸ σπείρης τις ἱππέων Πεδάνιος. Quod male reddidit interpres: *Quidam ex ala equitum Pedanius*: vertendum erat: *Ex cohorte equestri*. Eodem: Πούδης τις τοὔνομα τῶν ἐξ ἴλης ἱππέων. *Pudens quidam eques alarius*. An igitur legionarios equites intelligit? Sane Josephus

E & reliqui ejus ætatis Græci scriptores legionem plerumque τάγμα appellant; sed plerumque, non semper: confundunt enim vocabula militaria & pauca admodum uni rei tam propria dicant, ut non interdum transferant ad aliam. Ipse Josephus in eadem descriptione agminis Vespasiani vocem hanc latius sumit. Alibi etiam pro agmine. Polybio *spira* & *tagma* & *signum* ejusdem significationis sunt, libro 6. καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαϛον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα καὶ σπεῖραν καὶ σημαίαν. manipulum significare dubium non est: cohortem enim ex tribus spiris compositam σύνταγμα peditum appellat, libro XI. καὶ τρεῖς σπείρας (τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ Ῥωμαίοις κοόρτις) & libro X. τῶν χι-

F λίων σύνταγμα. Mutata autem apud Romanos ratione militiæ, cum non manipulatim, sed per cohortes in acie & castris collocarentur, transiit *spiræ* vocabulum a manipulo ad cohortem. Ac ita tum plerumque usurpant Græci. Minus mirum, τάγμα, quod *ordinem* significat, de cohorte quoque accipi. Præterea Josephus nusquam alibi tribuit legioni equites centum viginti, aut ex hoc multiplicatum numerum, puta ducentos qua-

draginta, trecentos sexaginta, sed alas ferè, aut quoties numerum eorum init, quingentos; sexcentos, mille, bis mille. At cohortibus quingenariis aut sexcenariis diserte dedit hunc numerum. Quare non dubitem, τάγμα hic *cohortem equitatam* interpretari: sed quia cohortis hic equitatus proxime Imperatorem in utroque Vespasiani & Titi agmine ponitur, cohortem potius prætoriam (nam & has equitatas fuisse supra ostendimus) quam auxiliarem. Equitatus vero cohortium quingenariarum, quamvis vulgo centum viginti equites, aliquando tamen major aut minor numerus fuit. Nam apud Tacitum lego, cohortes Batavorum & Caninefatium seditiose postulasse, ut numerus equitum adaugeretur. In Actis Apostolorum, tribunus duobus centurionibus mandat, ut parent ducentos milites & septuaginta equites, qui Paulum Apostolum ducant Cæsaream: ubi & peditum centuriæ & equitum decuriæ Hyginianis majores, sed proportione eadem, quia tribus peditibus eques unus respondet. Impendium quoque veteri Republica, quod in unum equitem, & tres pedites fiebat, erat idem Tradit & Josephus Capitonem centurionem a Floro præmissum cum equitibus quinquaginta: quibus in locis observes centuriones cohortis equitatæ decurionibus (non enim credibile tantum equitum sine decurione) in imperio prælatos & digniores habitos.

Quod redigo ad peditem, ut pedem quod accipit miles, redigo ad duos semis.) Duos equites redigit ad quinque pedites, quatuor ad decem, quadraginta ad centum.

Fit dimidia sumta ductu quinquies sic tractavimus.) Scribe: *Fit dimidia sumpta ductum quinquies: sic tractabimus* &c.

Accidit ex eo cohortem miliariam detritis æquitibus reliquid pedes DCCLX.) Depravatissima lectio, quam sic restituendam putamus: *Accedunt ex eadem cohorte milliaria detractis equitibus, reliqui pedites septingenti sexaginta.* Sensus est, adjiciendum ducentis quadraginta equitibus, ad sexcentenos pedites redactis, peditatum ejusdem cohortis equitatæ, qui detractis paulo ante equitibus reliquus: videlicet homines septingentos sexaginta, ut sciamus numerum, ad quem cohors equitata debeat computari. Hunc autem verum peditum cohortis equitatæ milliariæ numerum esse, sequentia indicant, ubi dicitur, ad quot homines computari, quotque papilionibus tendere debeat: ad hoc ille ipse numerus equitum, qui huic adjectus milliarium efficit, a quo cohors milliaria dicta.

Fit cum superiore mille CCCLX.) Sexcenti & septingenti sexaginta faciunt mille trecentos sexaginta, ad quem numerum cohorti equitatæ milliariæ pedatura dari debet.

Ad ∞CCCLX. *dari debeat.*) Scribe: *dari debere.*

Cobors æquitata ad in dimidio eandem rationem continet quod cobors.) Fortassis: *Cohors equitata quingenaria in dimidio eandem rationem continet, quam cohors milliaria.* Ex vocibus *equitata ad*, fecimus *equitatam quingenariam*, ut supra ex *ala ad*, *alam quingenariam*. De milliaria adjiciendum putavimus: debuit enim hic subjicere, quem numerum efficeret cohors equitata quingenaria, redacto, ut supra, equite ad peditem: & dimidium efficere dubium non est.

Habet itaque cohors equitata miliaria 77. X.) Lege: *Habet itaque cohors equitata milliaria centurias decem.* Nam notis his centurias designari, supra diximus: & nota numeralis nos de numero earum non sinit dubitare. Centuria itaque cohortis equitatæ milliariæ habet homines sex & septuaginta, qui numerus ad centenarium se habet, ut septingenti sexaginta, numerus peditatus totius cohortis, ad millenarium.

Æquites ped. CCXL.) Hæc sunt valde contaminata. Vestigia quæ supersunt, nos eo ducunt, ut credamus equitum peditumque numerum repetiisse: *Equites CCXL. pedites DCCLX.*

Turmas decuriones.) Fortassis: *Turmas decem.* Quamvis enim equites ducenti quadraginta, octo turmas equitum triginta, vel sex equitum quadraginta efficere possint; à vero tamen alienum non videtur, in cohorte milliaria, quot centurias, totidem turmas fuisse. Turma igitur habuerit equites quatuor & viginti, qui adjecti septuaginta sex peditibus, efficiunt numerum centenarium. Dimidias has turmas habes apud Virgilium:

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bisseni quemque secuti,
Agmine partito fulgent paribusque magistris.

Tendunt papilionibus CXXXVI.) Cum dederit in peditem pedem adjecta quinta, sequitur ut in decem pedites, duodecim pedes pedaturam papilionis. Tendunt hac ratione decem papilionibus centum homines, centum papilionibus mille, & proinde centum triginta sex papilionibus mille trecenti sexaginta. Numerus, ad quem cohortem equitatam milliariam redegit.

Ex eo 77. & decuriones singulis papilionibus utuntur.) Scribe: *Ex iis centuriones & decuriones singulis papilionibus utuntur.* Paulo post: *Ex iis 77. singulis.* Deinde de numero CXXXVI. tot papiliones, quot sunt in cohorte centuriones & decuriones. Fac eos, quibus hi papiliones adsignabantur, quotidie in vigilias ire; ita centuriones & decuriones in his papilionibus tensionem accipient.

Cobors equitata quingenaria habet 77. VI.) *Habet centurias sex:* paulo post, de cohorte peditata quingenaria: *Habet* 77. VI. Totidem igitur centurias habet, euot cohors legionaria.

Reliqua parte dimidia.) Præter numerum centurionum fortassis & decurionum: habet itaque pedites trecentos octoginta, equites centum viginti: centuria homines tres & sexaginta; quod si centurias hominum sexaginta velis, cohors trecentos sexaginta efficiet. Turmæ siquidem numerum centuriarum adæquent, erunt viginti hominum: alioquin tres turmas quadraginta, quatuor triginta hominum ex eodem numero commode efficere possis.

Cobors peditata miliaria habet 77. X.) *Centurias decem.* *Cobors peditata* est, quæ more antiquo ex solo pedite constat & ad differentiam æquitatæ *peditata* appellatur. Tacitus *peditatum cohortium* vocat Annalium XIII. *Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis & peditatu cohortium.* Hæ cohortes, ut equitatæ, magnam partem auxilia ejus ætatis erant; hinc sæpe *cohortes auxiliares*, *auxilia cohortium*, item *socias* & *sociorum cohortes* idem Tacitus appellat. Singulæ autem a nationum, ex quibus conscriptæ, vocabulo; item auctorum, qui scripsissent; & si plures erant, ut cohortes legionariæ etiam numero distinguebantur. Tacitus Histor. I. *Septimam decimam cohortem colonia Hostiensi in Urbem acciri Otho jusserat.* Sed hæc exempla in historia passim obvia, adducere operæ pretium non est.

Tendi papilionibus centum ex eis 77. singulis.) *Centuriones singulis.* Cohors peditata milliaria habet homines centum. Contubernium tegit homines decem: reliqui centum, ut videtur, vigilias quotidie obeunt.

Item peditata quingenaria habet 77. VI. *reliqua ut supra.*) Centuria siquidem justissime dimidiam

partem habebit homines tres & octoginta, reliqui duo: sin octoginta dederis, quadringentos octoginta cohors habebit, ac erit legionariæ par.

Cantabri.) Pridem ante hæc tempora inter auxilia Romana. Cæsar de Bello Civili. I. *Equites, auxiliaque totius Lusitaniæ a Petrejo Celtiberis, Cantabris, barbarisque omnibus, qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur.* Lucanus:

Cantaber exiguis & longus Teutonus armis.

Parmyrent.) *Palmyreni.* In notitia Imperii sub dispositione Ducis Thebaidos ponitur ala octava Palmyrenorum.

Daci.) Horum & alæ & cohortes in lapidibus priscis: C. JVLIVS ERVCIANVS CRISIPPVS PRÆF. ALÆ PRIMÆ VLPIÆ DACORVM. Alio: COH. ÆLIÆ. DAC. TETRICIANORVM ET GORDIANÆ. Habet & Imperii notitia.

Brittones. Inscriptio vetus apud Gruterum: L. TERENTIO. M. F. QV. RVF. PRÆF. COH. VI. BRITTON. EQ. I. M. P. F. DON. DON. AB. IMP. TRAJANO BEL. DAC. Alia: TRIB. COH. I. ÆLIÆ. BRITTON.

Et si quid aliud datum fuerit in exercitu summam clariorum retenturam ponimus.) An fuerat: *Et si quid aliud datum fuerit in exercitu nationum,* (vel *auxiliarium*) *in retentura ponemus.*

Camillos cum suis ebimmatis singulis ped. V. *assignavimus.*) Scribimus: *Camelis cum suis epibatis singulis pedes quinque adsignabimus. Epibatæ* quidem vulgo tam Græcis quam Latinis classiarii milites: in universum tamen vectores & inscensores, ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν. Possis & legere: *cum suis epistatis.* Indos, id est, rectores & magistros elephanti sic Græci appellant. Arabes sagittarios de camelo pugnantes apud Livium invenias. *Camelis,* inquit, *insidebant Arabes sagittarii, gladios habentes longos quaterna cubita, ut ex tanta altitudine contingere hostem possent.* Duos sagittarios singulis imponit Xenophon παιδείας VI. ἐπὶ τὰς καμήλας δὲ ἐκτεταγμένοι ἦσαν ἄνδρες δύο εἰς ἑκάστην τοξόται. quorum alter, quoties fugerent, in tergum cameli conversus in hostem jaculabatur. Apud Herodianum cataphractos camelis insidentes Artabanus habet. *Clibanarii* Persis dicebantur. Quod vocabulum quamvis & in historicis Latinis & in notitia Imperii, hoc loco tamen vix puto fuisse.

Tendere debebunt si in hostem exituri erunt in prætenturam juxta classi quos si ad prædam portandum præsto erunt induam quæstorium tendere debebunt.) Corrige: *tendere debebunt, si in hostem exituri erunt, in prætentura juxta classicos; si ad prædam portandam, præsto erunt secundum quæstorium.* Supra: *Stationi dari oportet secundum prætorium pedes viginti.* Uterque in Romano etiam exercitu usus camelorum fuit. Tacitus Annalium XV. *Comitabantur exercitum præter alia assueta bello magna vis camelorum onusta frumento, ut simul hostem depellerent.* Sed de camelorum elephantumque usu alius erit dicendi locus.

Datus itaque numerus.) *Datos itaque numeros.*

Cohors prætoria IV. *æquites prætores* CCCC.) *Cohortes prætoriæ quatuor, Equites prætoriani quadringenti.*

Equitatum in singuli in ped. CCCCL.) Emenda: *equites singulares Imperatoris quadringenti quinquaginta.*

Classici Mesinaci D. Ravennatis DCCC.) Scribe: *Classici Mesinates quingenti, Ravennates DCCC.* Notum est Augustum Cæsarem classes duas, alteram Miseni, alteram Ravennæ collocasse ad tutelam superi & inferi maris. Vegetius libr. V. cap. 1. *Apud Misenum & Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius a tutela Urbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Stabant,* inquit, ut de re jam desita. Nam illa ætate, quamvis nomen præfecturæ classis fortassis superfuerit, (præfecti enim hujus in notitia Imperii mentio) classes tamen ipsæ non erant; adeo ut, scribente Jornande, ille olim portus illustris Ravennæ sua ætate arboribus consitus fuerit. Hæ classes in lapidibus passim *prætoriæ* appellantur, vel dignitatis causa, ut opinatur Lipsius, quod inter minores alias, ut prætoria aliqua navis eminerent; vel exemplo prætoriarum cohortium, qui ad Italiæ & Principis tutelam. Nisi forte jam ab antiquo classis justa *prætoria* appellata, ut *exercitus prætorius* & *consularis,* quod ut huic consul, sic illi prætor præfici soleret. Ex his classibus classiarii sub Imperatoribus ad terrestrem quoque militiam traducebantur. Ac primus Nero (si fides Suetonio) classiarios ex remigibus justos milites fecit. Tacitus Historiarum III. classicos legionariam militiam poscentes, adscitos fuisse memorat. Idem Historiarum II. in exercitu Othonis, classicos quoque recenset: *Ipsum Othonem comitabantur, speculatorum lecta corpora cum cæteris prætoriis cohortibus, veterani e prætorio classicorum ingens numerus.* Legiones tamen classicas jam olim nummi habent, ut citat Lipsius ex nummo antiquo, cujus ab una parte: ANT. AVG. III. VIR. R. P. C. ab altera: LEG. XVII. CLASSICÆ.

Coæquitat mil. II. *quingenariæ* IIII.) Scribe: *Cohortes equitatæ milliariæ duo, quingenariæ quatuor.*

Cohors peditate mil. III. *milliariæ quingenariæ* III.) *Cohortes peditatæ milliariæ tres, quingenariæ tres.*

Parmyrent D. *Getati* DCCCC. *Daci* DCC. *Brittones* D. *Cantabri* DCC. 77. *Statorum* II.) Hæc corrigenda, ut supra: *Palmyreni, Getæ, Daci, Brittones, Cantabri, Centuriæ statorum,* adjectis suis cuique numeris.

Semper numeros acceptis prætentura computare debemus, ut sciamus quod emistrigia in retenturam nascantur) Fortassis: *Semper numeris acceptis prætenturam computare debemus, ut sciamus, quot hemistrigia in retentura nascantur.* At quomodo ex computatione prætenturæ de numero hemistrigiorum in retentura constabit? An quia latitudo castrorum ubique eadem, & numerus hemistrigiorum in retentura ex castrorum latitudine (per longitudinem enim ducunt) dependet? Noster inferius de retentura: *Quoniam est latitudo DC. video, quot hemistrigia esse possint, ut nunc erunt decem & septem, ut quæstorio pedatura sufficiens dari possit.*

Nunc fit numerus qui retendit XIII. D. CXL.) *Tredecim millia sexcenti quadraginta.* Ex numeris suprascriptis in retentura ponuntur cohortes equitatæ milliariæ duæ, quingenariæ quatuor, quæ computantur in unum ad quinque millia quadringentos quadraginta homines. Adde cohortes peditatas milliarias tres, tria hominum millia; totidem quingenarias, mille quingentos homines; adhoc Palmyrenos quingentos, Getas nongentos, Dacos septingentos, Britones quingentos, Cantabros septingentos, centurias statorum duas, quæ quia duplam pedaturam recipiunt, ad homines quadringentos computantur: erunt justissime tredecim millia sexcenti quadraginta.

Sumo partem dimidiam ideo quod a partibus tendat nascantur.) Fortassis: *Ideo quod a partibus tensuram nanciscuntur,* vel *tensura nascuntur:* nisi malis: *tendas,* vel *tendæ.* Quod vocabulum apud Africanum, Leonem, aliosque ejus ætatis *tentorium* significat.

Nunc latus prætorii compunamus si retenturam similiter computemus si ut retenturam fecimus.) An : *Nunc latus prætorii componamus & prætenturam similiter computemus, sicut retenturam fecimus?* Confusa hæc & inquinata videntur, sed quantum conjicimus, hoc vult: Latus prætorii, prætenturam, & retenturam intra viam sagularem primum computari debere, ut ex harum magnitudine colligatur, qua forma cohortes legionariæ ad vallum has partes amplectentes tendere debeant. Debuit hic diserte docere, quæ forma, latitudo, longitudo singularum partium, quæ inter omnes proportio, at illud supra, ubi de partibus his in universum agit, vix attigit: hic vero ne exemplo quidem trium legionum satis explanat: adeo non perfecit, quod debuit hic quidem, qui misere adfectus ad nos pervenit. Hyginus.

Ut sciamus cohortibus legionariis quid tabulino vel signo dare debeamus.) Fortassis: *Ut sciamus, quid cohortium legionariarum tabulino vel signo dare debeamus*: vel utique, *quid cohortibus legionariis, tabulino vel signo* &c. intellige *earum*: ut paulo post: *Ut lateribus castrorum cohortibus, tabulino* XC. *signis* CCXL. *pedes adsignemus*.

Ut quoties tres legiones cum supplementis.) Cum illis supplementis, quæ jam recensuit, vel uti justa trium legionum.

Dimidia pars castrorum DCCXX. *pedes latitudinis habeat*.) Latitudo dimidiæ partis, quæ expletur ab intervallo ad viam prætoriam: sexcentos enim pedes in prætentura miles & eques occupant intra viam sagularem, nonaginta cohortes legionariæ, triginta via sagularis, ut jam dicet. Intervallum itaque & via prætoria, ut diximus, hic non computantur.

Et lateribus castrorum cohortibus, tabulino XC. *signis* CCXL. *pedes adsignemus*.) Sic distingue, ni legere malis: *cohortium tabulino*, ut statim. Hæc est forma, qua cohortes legionariæ lateribus castrorum tendent, ut jam monimus.

Reliqui DC. *centum pedes supersint*.) Recte deletur in margine τὸ *centum*. Sexcentos enim pedes intra viam sagularem dari vult.

Ut alæ miliariæ in pedatura ad pedem tendant.) Ut singulis hemistrigiis ducenti equites vel quinque turmæ: quinque vero hemistrigiis ala justissime tendere possit.

Ut nunc statuamus reliquos ped. statuamus) deletur & hoc recte in margine (DC. *explimus latus unum prætorii*.) Scribe: *Explebimus latus unum prætorii*. Lateris prætorii longitudinem septingentorum viginti pedum esse voluit eadem de causa, qua latitudinem prætenturæ intra viam sagularem sexcentorum, videlicet, ut copiæ præcipuæ hemistrigia, in quibus collocantur, explentes aliis, ne misceantur. Ut enim alæ in prætentura quinque hemistrigiis ad pedem tendunt, sic cohortes primæ, alæ quingenariæ, cohortes prætoriæ integris strigis: reliquus similiter numerus lateribus prætorii hemistrigia sua tota occupat.

Ut sciamus, quot alæ in prætentura tensuræ sint.) Apparet ex hoc loco, quod jam diximus, sed non probavimus, alas quasdam lateribus prætorii tendere. Idem confirmatur infra in compositione prætenturæ: *Nunc prætenturam ut componamus numerum equitum alarium qui sunt reliqui computemus*. *Qui sunt reliqui*, inquit, ostendens jam quasdam antea lateribus prætorii positas. Item: *Via autem abesse poterit inter cohortes prætorias & alas equitum, si pedatura strictior fuerit*. Cohortes autem prætoriæ omnes lateribus prætorii collocantur. Ergo & quædam alæ. Inter alas enim quæ in prætentura, & cohortes prætorias non tantum via principalis, quæ nullis unquam castris abest, sed & legatorum & tribunorum scamna sunt media, ut de illis hic non agi certum sit. Accedit quod supra etiam dixit, alas milliarias vel quingenarias lateribus prætorii tendere. Oportuit autem Hyginum hic quoque definire, quænam hæ alæ & quot numero, quod neglexit, ut multa alia, ita tamen ut ea nobis vestigia reliquerit, quibus verum investigare possemus. Nam cum in his copiis alas milliarias quatuor, quingenarias quinque recensuerit, & illis in prætentura pedaturam deinde adsignet, sequitur, ut hæ omnes lateribus prætorii tendant: nam in retentura nullas collocat.

Occupantur numero militum latere prætorii ped. CCCXX.) Quasdam ex notis numeralibus, quibus describitur pedatura lateris prætorii, in mendo esse, manifestum est. Cum enim in unum sexcentos pedes efficere debeant, quingentos decem tantum efficiunt. Salmasius servato numero pedum trecentorum viginti, in cæteris vitium esse putat. Ego hunc quoque laborare nullus dubito. Cum enim in latitudinem strigarum militi nusquam minus hemistrigio, id est, triginta pedibus adsignetur, non alius hic numerus esse potuit, quam per triginta multiplicatus, qualis hic non est. Qui autem numerus fuerit, non rectius assequemur, quam si copiarum latere prætorii tendentium pedaturam metiamur. Eæ sunt, cohortes primæ duæ cum duobus vexillis, alæ quingenariæ quinque, cohortes prætoriæ quatuor, equites prætoriani quadringenti, singulares quadringenti quinquaginta: ut igitur dimidiam castrorum partem expleamus, dimidium horum collocabimus. Cum habeat latus prætorii septingentos viginti pedes longitudinis, cohors prima integra striga tendet: vexillarii hemistrigio: alæ duæ cum dimidia hemistrigiis quinque: cohortes prætoriæ duæ duabus strigis: equites prætoriani adjectis viginti quinque ex singularibus, vel singulares detractis viginti quinque, striga integra satis laxe tendere poterunt: nam quadringenti vinginti quinque, quadringentorum octoginta equitum alariorum pedaturam accipient. Erunt hemistrigia quatuordecim, quæ efficiunt latitudinem pedum quadringentorum viginti. Omissum igitur, quod facile potuit, in codice unum C, & scripserat Hyginus: *Occupantur numero militum latere prætorii pedes* CCCCXX.

Prætorii ped. LX.) Salmasius legit: *prætorio pedes CLX*. haud dubie, quia Hyginus supra dixit, prætorii totius latitudinem a centum sexaginta ad ducentos viginti observari. Sed parum cogitavit, Hyginum hic dimidiam partem castrorum explentem, dimidiam partem prætorii tantum computare aut etiam minus: quia sexaginta pedes prætorii medii respondent latitudini viæ prætoriæ, quæ in latitudine pari dimidiæ prætenturæ non computatur. Nihil itaque verear retinere numerum, qui est in membranis. Adjice huic sexaginta pedes alterius partis, tantundem pro latitudine viæ prætoriæ, erit latitudo prætorii totius pedum centum octoginta. Aut si quid mutandum, scripserim *ped. L*, ut sit prætorii totius latitudo CLX.

Stationi ped. XX.) Supra: *Stationi dari oportet secundum prætorium pedes viginti & si res exigit, pedes decem sufficient*.)

Communi ped. LX. (Scribe: *Comitibus Imperatoris* (vel *Imperatoris nostri*) *supra comitum pedaturam a quinquaginta ad septuaginta observari jussit*.

In vias ped. L.) Nusquam neglegentius se gessit Hyginus, quam in positione harum viarum: numerum enim universæ pedaturæ inire satis habens non ostendit, quot numero sint, non quo quæque loco ponantur, non quantum inter singulas intervallum, non an eædem quæ latera prætorii, latera

A etiam quæstorii percurrant, quemadmodum fit in priscis Romanorum castris; an vero intermoriantur & desinant cum latere prætorii. Duarum quidem in descriptione hujus partis, quasi fortuito & non hoc agens, videtur meminisse; alterius secundum comitum strigam; alterius inter cohortes prætorias & alas equitum: illius diserte: *Comitibus Imperatoris nostri a pedibus quinquag. ad septuaginta potest observari; in qua pedatura præfecto prætorio primus locus ante viam principalem adsignari debet, interposita deinde via cohortes prætoriæ & reliquus numerus*. At hujus ambigue: *Suæ autem abesse poterunt inter cohortem prætoriam & alas equitum, si pedatura inscriptior fuerit*. B Dubium enim, de una inter cohortem & alam, an de duabus, quarum hæc inter alas, illa inter cohortes prætorias, loquatur? Huc quidem ducit nos scriptura codicis, nec absurdum est has potius tolli, quæ ejusdem, quam illam, quæ diversi generis copiæ interjecta est, nam & in prætentura mille hominum super numerum compositum collocaturus, non aliam sustulit, quam quæ inter duas alas milliarias: *Viam inter alas tollemus, quæ tunc datur, si pedatura permittit*. Quod si singulas alas & cohortes prætorias via sua dividit, inter numerum diversi generis vias interponi singulas, ambigendum non est. C Erit hac ratione prima inter comites & cohortem prætoriam; secunda inter cohortes prætorias; tertia inter cohortes prætorias & equitem prætorianum; quarta inter hos & alam; quinta inter alas; sexta fortassis inter alam secundam & dimidiam alam; septima inter hanc & vexillarios, quos octava a cohorte prima distinguet: aut si verum videtur conjungi cum vexillariis eadem striga dimidium alæ, poteris unam ex hoc numero tollere, & habebunt singulæ strigæ singulas vias. Sed sic quoque plus viarum, quam quibus quinquaginta aut sexaginta pedes tantum adsignentur: si vexillarios cohorti primæ, dimidiam alam junxeris integræ, via nulla interposita, relinquentur sex, D quibus decem pedes in singulas dati, efficient sexaginta, pedaturam viarum prætenturæ. Viderint tamen rerum militarium periti, an ad liberiorem transitum a retentura ad principia, aut una aut plures viæ ampliores hic potius requirantur. Polybius in ea castrorum compositione, qua prætorium in prætentura constituitur, huic parti dat vias quinque, singulas pedum quinquaginta, quo ut in hac metatione constituto sex arbitror fuisse, tres utroque latere. Qua ratione duæ viæ vicinales, triginta pedum singulæ, sagulari (hæc enim tertiæ loco est) adjiciendæ videntur. Sed utroque modo mutandi numeri, quos habet codex: E viginti enim de comitum stationis & prætorii pedatura deducendi, decem viis adjiciendi erunt, nisi si quadraginta pedes duabus viis dari velis, quod & Salmasio visum. Ita numeri reliqui servari possint. Sed in his quæ sola conjectura investiganda sunt, suum cuique arbitrium potius relinquamus.

Quod fere in hac latitudinem ita fuerit dispositio.) Fortasse: *quod fere in hanc latitudinem ista fiat dispositio*.

Fiunt DC.77.) *Fiunt sexcenti pedes*: nota enim hæc male in hunc locum videtur irrepsisse: paulo ante: *Ut nunc statuamus reliquos pedes sexcentos, explebimus latus unum prætorii*.

F *Nunc prætenturam id componamus*.) Scribe: *ut componamus*. Eadem qua supra methodo, primo latus prætorii componit, deinde prætenturam, ultimo retenturam.

Numerum æq.alarium qui sunt reliqui.) Refinge: *numerum equitum alarium, qui sunt reliqui*: & intellige quatuor alas milliarias.

Fiunt IIII. *partes dimidiæ* II.) *Fiunt quatuor millia, partis dimidiæ duo millia*.

*Accipere debent ala miliaria signis ped.*CL.*tabulino ped.* DC. *ac ratione ped.* CL. *efficiuut emistricio*.) Fortassis: *Accipere debet ala milliaria signis pedes centum quinquaginta, tabulino pedes sexcentos; hac ratione pedes centum quinquaginta efficiunt hemistrigia quinque*: paulo post: *Nunc hemistrigia dicimus* V. Ala, inquit, milliaria quinque hemistrigiis pedum sexcentorum tendit, quæ faciunt in latitudinem pedes centum quinquaginta.

Accipit equites III. *sed in longitudinis ped.*DC.) Emenda: *Accipit equites tres pedes in longitudine pedum sexcentorum*. Superius Hyginus de alariis: *In singulis equitibus terni pedes computantur*.

Sumo partem tertiam, ut habeant equites numerum qui in eo longitudinem tendet.) *Sumo partem tertiam, ut habeam equitum numerum, qui in ea longitudine tendet*. Cum eques tres pedes accipiat in longitudine pedum sexcentorum, sumta tertia parte longitudinis hujus, habebis numerum equitum, qui in ea tendit: fiunt ducenti.

Erit mitrici unus, vel, ut in margine adscriptum, *unius*.) Lege: *Erit hemistrigii unius*: scilicet numerus: ni potius: *Erit hemistrigii numerus*. Alibi: *Et militum numerus*. Item: *Fient pedes triginta, erit hemistrigium*. *Quomodo & hoc loco legere non inepte possis*: Sumo partem tertiam, ut habeam equitum numerum, qui in ea longitudine tendit. Erit hemistrigium.

Et nunc emistricia dicimus V. *quinquies* CC. *fit* ∞ *aliæ mille pedaturam*.) Lege: *Et nunc hemistrigia diximus quinque; quinquies ducenti, fiet mille, alæ milliariæ pedatura*. Infra: *Nunc retenturæ partis dimidiæ diximus numerum sex millia sexcentos quadraginta*. Statim: *Nunc erit partis dimidiæ hemistrigium sexcentorum pedum per longitudinem, quod quingentos homines capiet, sicut diximus*. Quanquam hæc, ut multa alia, in hoc libello, præterquam quod inquinata, transposita videntur aut confuse dicta. Nam ordo postulabat: *Et nunc hemistrigia quinque diximus, alæ milliariæ pedaturam; quinquies ducenti fient mille*: vel potius: *quinquies ducenti fient mille; & nunc hemistrigia quinque diximus alæ milliariæ pedaturam*.

Reliquum autem numerum sicut retentaturam computemus.) *Sicut retenturam computemus*: id est, *equites, milites legionarios & quicquid præterea in prætentura tendit, ad certum hominum numerum redigamus, quibus in singulos pes detur adjecta quinta*. Sic enim retenturam supra computavit.

Ut sciamus similiter quot emistricia nascuntur.) *Quot hemistrigia nascuntur*. Nam cum jam constet longitudinem hemistrigiorum in prætentura intra viam sagularem sexcentorum pedum esse, computato numero militum numerum hemistrigiorum facile inveniemus.

Fit numerus cum pedatura valetudinarum veterinærum & fabricæ quæ in unum addo homines computantur VIIII.) Scriptura hæc præfert hanc lectionem: *Fit numerus cum pedatura valetudinarii, veterinarii & fabricæ, quæ in unum ad* DC. *homines computantur novem millia*. Sed ut de sinceritate vel vitio ejus constet, numerum in prætentura tendentem lustremus. Præter duas alas milliarias, quibus jam adsignavit pedaturam, prætendit cohors prima cum vexillariis: nam ut lateribus prætorii, sic omnem copiam, intra viam sagularem, in quibus & cohors prima, in hoc numero computare debemus. Cohors itaque prima cum vexillariis ea ratione, qua pes adjecta quinta in militem datur, computatur ad mille octingentos milites. Opponuntur cohorti primæ parte altera tres cohortes legionariæ eundem numerum efficientes. Mauri equites sexcenti ea ratione, qua equites cohortis peditatæ ad peditem

redacti, faciunt mille quingentos: Pannonii veredarii (si tamen eandem quam cæteri accipiunt pedaturam. Equites enim Pannonii veredarii duplam pedaturam accipere videntur debere; nisi si corruptus est numerus, & pro DCCC. legendum CCCC. Ista quidem ratione cætera conveniant huic computationi) octingenti: classici mille trecenti, & exploratores ducenti his adjecti. Erunt septem millia quadringenti: reliqui mille sexcenti, ut novem millia efficiantur. Quem numerum supra respicientes diximus valetudinarium, veterinarium & fabricam minimum unum hemistrigium integrum pro totam castrorum latitudinem occupare. Sed ut verum fateamur, hic numerus quamvis dimidio (quatuor millibus quingentis) statim subjecto confirmetur; tamen nobis suspectus est, ideo quod omnis collocatur octo hemistrigiis, quorum unumquodque capit homines quingentos in dimidia parte. In numero enim hemistrigiorum vix est, ut vitium admittatur, nisi turbata nota, quæ sequitur, ratione compositionis & computationis: scribendum igitur videtur: *Octo millia* quod ipsæ notæ VIIII. deleto uno I. facile permittunt: & paulo post expungendum τὸ D. quod ex sequenti voce fortasse an adrepsit. Quo recepto tribus his speciebus non nisi sexcenti pedes supererunt, quo & ipsa scriptura ducit quodammodo: legemus itaque: *Fit numerus cum pedatura valetudinarii & fabricæ, quæ in unum ad sexcentos homines computantur, octo millia*. Nam totum hemistrigium tria hæc genera occupare nihil necesse est.

Sumimus dimidium fit IIIID.) Scribe igitur: *& hic sumimus dimidium, fit quatuor millia*.

Hoc erit partis dimidiæ est DC. *ped. per longitudinem*.) Fortassis: *Nunc erit partis dimidiæ himistrigium sexcentorum pedum per longitudinem*. Sic enim passim: *Nunc hemistrigia diximus quinque. Nunc si dentur mille homines*, &c.

Quod homines capet sitque diximus peditem adjectam quintam ad pedem accipere.) Anne: *Quod quingentos homines capiet, sicut* (vel *sic quomodo*) *diximus peditem adjectam quintam ad pedem accipere*. Vel potius, ut supra: *adjecta quinta pedem accipere*. Tot certe homines capere hemistrigium dimidiæ partis prætenturæ, ex sequentibus certius est, quam ut probare necesse sit, & nihil proclivius, quam ab iis, qui librum descripsere, omissum numerum tanquam literam male repetitam: cum fuerit QVOD. D. HOMINES. &c. infra: *Erit hemistrigium quod D. homines postea acceptos recipiet*.

Deducamus partem VI. *relique quingentos*.) *Relinquemus quingentos*.

Sed habemus numerum IIII.) Corruptus ergo, ut diximus, superior numerus. Si enim ille sincerus, esset non quatuor, sed quatuor & dimidium, sive quatuor millia quingentos haberemus.

Videmus quotiens habeo quod est VIII.) Fortassis: *Ducemus quod habemus, erunt octo*.

Totidem æstrigia nascuntur fit CCXL.) *Totidem hemistrigia nascuntur. Fiunt ducenti quadraginta pedes*. Octo hemistrigiorum latitudo erunt ducenti quadraginta.

Et superiores computati alarium ped CCC.) *Alarium pedes trecenti*. Duæ alæ milliariæ tendunt hemistrigiis decem, quæ occupant in latitudine pedes trecentos. Est autem hæc latitudo in longitudine castrorum.

Poterit esse tenturæ cohortes III.) Forte: *Poterit esse tensura cohortium trium*: mox: *Video quod hemistrigia esse possint*. Hi, inquit, quingenti quadraginta pedes, quos numero intra viam sagularem dedimus, poterunt respondere pedaturæ trium cohortium legionariarum latere prætenturæ ad vallum tendentium: nam quamvis accipiant singulæ ducentos quadraginta pedes ex longitudine castrorum, in unum septingentos viginti; adjecta tamen pedatura scamnorum & viarum, ille minor numerus hunc adæquabit.

Faciunt ped. DCCXX. *ex quibus decedit quod numerus occupat ped.* CCXL.) Scribe: *Faciunt pedes septingentos viginti: ex quibus decedit, quod numerus occupat pedes quingenti quadraginta*. Fuerat DXL. Tot enim pedes numero jam adsignavit, & ita scriptum fuisse probat, quod sequitur, *reliqui pedes* CLXXX.

Quod virestrigas nascuntur.) Scribe: *Quo sex hemistrigia nascuntur*: vel, quod eodem recidit, *tres strigæ*. Sed τὸ *virestrigas* ex VI. HEMISTR. corruptum videtur, & sæpius hemistrigiis computat, ut: *Video, quot hemistrigia esse possint: ut sciamus similiter, quot hemistrigia nascantur*, &c.

Ut nunc vicinaria juvas super cohortem primam) Videtur fuisse: *Ut nunc, via vicinaria super cohortem primam*. Et est sane via vicinaria super cohortem primam. Hyginus: *Observabimus primæ strigæ signis idem adsignari, quod cohortis primæ, ut viæ vicinariæ percurrant*. Via hæc pedum viginti.

Item numero quatuor pecum aenum.) Si sana hæc sunt, ex quatuor hisce viis, prima inter scamnum tribunorum & alam milliariam, secunda inter duas alas, tertia inter alam & nationes, quarta inter medias nationes ponenda est.

Fit in via ped. LX.) *Fit in vias pedes sexaginta*.

Reliqui pedes CXX. *quod si manes tribunorum & legatorum singuli* LX. *ped. adsignavimus*.) Scribe: *Reliqui pedes centum viginti, quos scamnis tribunorum & legatorum singuli sexaginta pedes adsignabimus*. Scamnum legatorum, quamvis non semper ejusdem latitudinis, a quinquaginta tamen ad octoginta pedes supra jussit observari.

Nunc si dictator mille homines super numerum compositum in eandem pedaturam locus adgsinetur.) Fortassis: *Nunc si dentur mille homines, quibus super numerum compositum in eadem pedatura locus adsignetur*. Putabam initio de dictatione aliquid latere, veluti: *si dictatione mille hominibus super numerum*, &c. sed illud nunc magis placet. *Dari & accipi* dicitur numerus, cui pedatura adsignanda est: supra: *Datos itaque numeros, qui infra scripti sunt, sic computabimus*. Qui optima ætate vixerunt, dixissent: *Nunc si detur mille hominum*.

Quoniam partes dimidiæ D. *esse constat, quos capite emistricio*.) *Quoniam partis dimidiæ quingentos esse constat, quos capit hemistrigium*. Sed & hæc luxata & transposita videntur: ordo postulabat: *Quoniam quingentos esse constat, quos capit part. dimidiæ hemistrigium*.

Deducamus scamnis ped. X.) *Deducamus scamnis pedes decem*. *Singulis* intellige, *utrisque* viginti: via enim inter alas, quæ his adjecta efficit triginta, decem pedum est.

Et viam de interbalis tollamus.) Scribe: *Viam inter alas tollemus*: statim: *Viam inter alas reponimus*. Erat hæc Romanorum consuetudo, ut quoties densis castris considere placeret, contraherent quasdam vias, alias omnino tollerent. Cæsar de Bello Gallico V. *Castra etsi erant exigua per se vix hominum millium septem, præsertim nullis cum impedimentis, tamen angustiis viarum, quam maxime potest, contrahit*. Hyginus mox: *Via autem abesse poterit inter cohortem prætoriam & alas equitum, si pedatura strictior fuerit*. Polybius: *Quod si major aliquando sociorum copia adfuerit, qui vel ab initio expeditionis comites fuerint vel postea advenerint, iis quos casus adduxit præter jam dicta, etiam vacua circa prætorium loca complent*.

Quæ tunc datur si pedatura permittet.) Lege: *Quæ tunc dabitur, si pedatura permittet.*

Nunc e contrario similiter numeris compositis deducamus homines mille.) Dixit, quis locus adsignandus sit mille hominibus super numerum compositum acceptis: nunc contra docet, quibus adsignanda sit pedatura, quæ deductis de numero composito mille hominibus nudatur.

Quorum est pedatura striga ped. LX.) Integram strigam potest intelligi nudare, si duo hominum millia deducit. Sed numeris antea compositis, mille hominum deducens hemistrigium tantum scamnis adjiciet.

Dabimus scamnum.) Scribe: *Scamno*. Cætera recte se habent.

Et via inter alias reponimus:) *Et viam inter alas reponemus.*

Item lateri prætorii & retenturæ.) *Item latere prætorii & in retentura.*

Item quæstori minuamus vel amplius.) Lege: *Item quæstorium minuamus vel ampliemus*. Frontinus: *Pelopidas Thebanus castris ampliorem locum supra ripam complexus, vallum cervulis & alio materiæ genere constructum incendit.*

Servatis portionibus latitudinis.) Imo *longitudinis*. Cum enim strigarum numerus dextra sinistraque prætorii & quæstorii augeri vel minui hac ratione debeat, sequitur, ut latitudo prætorii vel quæstorii augeatur vel minuatur, longitudo vero servetur: inter prætorium enim & quæstorium nullas copias interponit. Scripsit igitur, *servatis portionibus longitudinis*: aut *latitudinem* vocavit, quæ est proprie *longitudo*.

Suæ autem abesse poterint si pedatura inscriptior fuerit.) Emenda: *Via autem abesse poterit, si pedatura strictior fuerit*: vel, *viæ autem abesse poterunt.* supra: *Et si strictior fuerit pedatura, coborti legionariæ dari debet.*

Inter cohortes prætorias & alias equitum.) Lege: *Inter cohortes prætorias & alas equitum*. Equites prætoriani, singulares & nationum alas quoque suas habuerunt: *alæ* tamen simpliciter non hos, sed equites alarios plerunque denotant: intellige hic alas quingenarias.

Ideo quod disciplinam militarem ad sum quisque numerum conjuncti conveniunt.) Lege: *Ideo quod disciplina militari ad suum quisque numerum conjuncti convenient*. Videtur velle, nihil interesse, an sublata via alæ & cohortes prætoriæ conjunctæ tendant, quia quamvis egredientes papilionibus in striga combinentur, eductæ tamen ad principia, hæ dextra, illæ læva, facile cum genere suo conjungi possint.

Si observent ita dico & in retenturam.) Fortassis: *Idem observetur, ut dixi, in retentura.* vel: *Si observent ita ut dico & in retentura*. Ut velit idem in retentura observari, hoc est, tolli quoque hanc viam, quæ, ut mea fert opinio, per retenturam percurrit & numerum diversi generis una ad quintanam educi, ut ibi cum copiis suis conjungatur.

Qui solent & quemquam genus hominibus per strigas strictius seu laxius tende.) Intricata lectio. Suspicor fuisse: *Qui solent etiam quadringentis hominibus per strigas strictius seu laxius tendere*. Quamvis, inquit, unumquodque retenturæ hemistrigium capiat homines quadringentos, tamen si plus vel minus militum acceptum fuerit ut ita necesse sit, solet singulis hemistrigiis paulo major vel minor numerus dari.

Quoniam sæpe numerus evenit computare.) Fortassis: *Quoniam sæpe numeros evenit commutari, ut* &c. An potius: *Quoniam sæpe numeros convenit computare, ne* &c.

Tentura amplius efficiant quam strigæ in eandem pedaturam iucurrant.) Fortasse: *ne tensuræ amplius efficientes quam strigæ in eandem pedaturam incurrant*: nisi si cui verius videtur servare hic vocem *tentura*, quam & alibi habet liber, & composita *prætentura* & *retentura* firmant. Antiquiores certe *tenta* dicebant: *Tympana tenta sonant. Hic ubi consessum pellesque ut in in ordine tentæ.* unde & *tentoria*.

Quoties reliquus numerus convertit.) An: *quoties reliquus numerus non fuerit?*

Nec totius metationis orao turbetur, & retenturas per strigas æquali numero laxius tendunt.) *Ita nec totius metationis ordo turbatur & in retentura æquali numero laxius tendunt.*

Petenturæ numerum computatum ut in prætentura conveniunt.) Puto velle, per omnem retenturam æquali numero strictius vel laxius tendere debere: ita ut expleant pedaturam sexcentorum pedum, quæ est latitudo prætenturæ cæterarumque partium. Fortassis ita concepta fuerat sententia: *Ut nec totius metationis ordo turbetur in retentura, & per strigas æquali numero laxius tendat, retenturæ numerus computatus, ut prætentura conveniat.*

Quod si adhuc amplius seu minus quam ostendimus supplimentanda fuissent.) Scribe: *Sapplementis dandum fuerit*. Ut *dabimus* papilioni, *scamno*, &c.

Et cohortes circa ballum aliter tendere.) *Et cohortes circa vallum aliter tendent.*

Nunc retenturæ diximus partis dimidiæ numerum DC. DCCCCXX.) Inquinatissimus numerus. fac ut supra: *sex millia octingentos viginti.*

Quoniam est latitudo DC. *video quot hemistrigia esse possint.*) Latitudo partis dimidiæ castrorum intra viam sagularem & prætoriam vel ei respondens spacium sexcentorum pedum pedatura proprie viginti hemistrigiorum. Hyginus: *Nunc video quoties metiri possim* XXVI.

Ut nunc erit decem septi esset quæstorio pedatura sufficies dari posset.) Puto reliquisse Hyginum: *Ut nunc, erunt decem & septem, ut viis & quæstorio pedatura sufficiens dari possit*. Video, inquit, sexcentos pedes efficere posse viginti hemistrigia, sed cum ex hac pedatura viis & quæstorio nonaginta dari debeant, reliqua tantum erit pedatura septendecim hemistrigiorum. Vias vicinarias retenturæ verbo tantum attingit, nec diserte docet, quot numero sint, nec quantum singulis detur: fortassis, quia eædem, quæ latera prætorii & hanc partem percurrunt. Non dubito autem viarum hic meminisse, quia nonaginta soli quæstorio non adsignari liquet, cum prætorio, quod est majori latitudine, sexaginta vel quinquaginta tantum adsignentur in hac computatione sexcentorum pedum dimidiæ partis. Suffecerint itaque quinquaginta vel quadraginta (minus enim quam prætorio dandum est) quæstorio & supererunt sexaginta, ut supra, viis. Ex male accepta sciptura XVII. VT. VIIS. ET. QVÆSTORIO, nasci videtur potuisse: *Decies septies & quæstorio.*

Summo itaque numeri partem XVI. *quod æmistrigia esse diximus fit* CCCC.) Emenda: *Sumo itaque numeri partem decimam septimam, quot hemistrigia esse diximus, fiunt quadrigenti*. Septendecim hemistrigia in retentura esse & superior scriptura & numerus retenturæ dimidiæ evincunt: quadringenti enim, decies septies ducti, efficiunt sex milia octingentos.

Erit militum numerus tendere debebunt.) Ita hæc distinguenda. supra: *Camelis cum suis epibatis pedes quinque adsignabimus, tendere debebunt, si ad prædam portandam præsto erunt, secundum quæstorium.*

Adjecta quintam ped. LXXX *fiunt ped.* CCCCXX.) Manifestum in calculo mendum. Scripserat enim:

A *fiunt quadringenti octoginta*. Hæc est longitudo hemistrigiorum retenturæ pertinentium a via quintana ad sagularem, legionarias cohortes tergo castrorum a supplementis distinguentem.

Inde efficitur duæ cohortes latere retenturæ tendant.) Scribe: *Inde efficitur, ut duæ cohortes, &c.* Duæ cohortes legionariæ lateribus castrorum ad vallum tendentes, eandem pedaturam quadringentorum octoginta pedum occupant in longitudine castrorum: singulæ ducentos quadraginta. nam accipiunt nonaginta per ducentos quadraginta, ut supra diximus & statim iterum attingemus.

Quoties per strigas distribuimus.) Id est, quoties B iisdem hemistrigiis, quibus cohortes peditatas & equitatas collocamus, quo fit in hac compositione; ubi cohortes parte inferiori ad quintanam ponuntur, nationes parte superiori proxime legiones tergum castrorum tuentes.

Nec longe ab alterutrum ut vinam tesseram.) Fortassis: *unam tesseram*. Vegetius: *Tessera dicitur præceptum ducis, quo vel ad opus vel ad bellum movetur exercitus. Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nunciant.* Præceptum hoc unum per omnem exercitum volebant esse, ne quis errori locus aut confusioni. Recenset Vegetius inter incom- C moda, auxiliares copias variarum nationum sequentia, quod alia his, alia illis instituta sint, nec omnes unius præcepti significatione convertantur. lib. II. *Auxiliares conducuntur ad prælium ex diversis locis, ex diversis numeris venientes, nec disciplina inter se nec natione nec affectione consentiunt. Alia instituta, alius inter eos est usus armorum. Necesse est autem tardius ad victoriam pervenire, qui discrepant, antequam dimicent. Denique cum in expeditionibus plurimum prosit, omnes milites unius præcepti significatione converti, noo possunt æqualiter jussa complere, qui ante pariter non fuerunt.* Huic malo, ut paret aliquam medicinam, una saltem tessera na- D tiones ad belli munia cieri vult, nec longe ab invicem disjungi, quo id recte & ordine fieri possit.

Suo vocabulo.) Vegetius: *Signa vocalia dicuntur, quæ voce humana pronuntiantur, sicut in vigiliis & in prælio pro signis dicitur, ut puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris: sciendum tamen ista vocabula quotidie debere variari, ne ex usu hostes signum agnoscant.* Suo igitur vocabulo cui adsueti erant & quod intelligebant, non eodem quo legionibus & alis, his imperabatur; utique cum in castris novi, neque dum Romanis imperiis essent adsueti.

Citationes audiant.) *Citationem* appellare vide- E tur, imperium vel signum vocale, quo ad belli munia *cientur*. Tacitus: *Omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Virgilius: *Ære ciere viros Martemque accendere cantu.* Fortassean igitur fuerat: *Ut una tessera suo vocabulo citationes audiant.* vel: *Ut unam tesseram suo vocabulo citationis habeant.*

Observabimus primæ strigæ signis idem adsignanti quod cohors prim · ut vicinariæ percurrant.) Scribe: *Observabimus primæ strigæ signis idem adsignari, quod cohortis primæ, ut viæ vicinariæ percurrant.* Sensum arbitror, pedaturam, in qua cohors prima, tam lateribus prætorii, quam in prætentura F tendit, ejusdem latitudinis esse debere cum pedatura, quæ illi latere dextro viæ prætoriæ & in retentura opponitur: ut via vicinaria quæ est super cohortem primam in prætentura, per totam castrorum latitudinem: quæ lateribus prætorii per retenturam recta percurrere possint. Primæ strigæ dici videntur, & quæ lateribus & quæ in prætentura proximæ viæ sagulari.

Erunt itaque lateribus cohortes sedecim.) Non hæc & sequentia accipienda sunt de universa co- A pia numerum hunc multum excedente, neque de dimidia, latere uno, non lateribus tendente; neque de numero intra viam sagularem (quatuor enim millia ex his tantum intra viam sagularem ponuntur) sed de legionibus. Finita enim collocatione supplementorum, addit, quomodo cohortes legionariæ circa vallum tendant, sed paucis: quia rationem compositionis earum jam supra docuit. Ac primum ait, *lateribus sedecim cohortes esse*. Cum enim prætentura septingentos viginti, tantundem longitudinis accipiant latera prætorii; retentura vero quadringentos octoginta, & cohortes legionariæ singulæ nonaginta per ducentos quadragin- B ta, id est, ducentos quadraginta ex castrorum longitudine: sequitur, ut tres cohortes latere uno prætenturæ, tres latere prætorii, duæ latere retenturæ & proinde octo uno castrorum latere, sedecim duobus tensionem accipiant.

Prætendent & retendens quatuor millia.) Lege: *prætendent & retendent quatuor millia*. Octo cohortes legionariæ, efficientes quatuor hominum millia, justissime tria millia octingentos quadraginta, ad vallum prætorium & decumanum ultra viam sagularem tendent. Hoc enim hic est *prætendere & retendere*.

C *Et singulæ sexaginta per trecentos sexaginta.*) Singulæ cohortes tendent forma hac, quam supra inter bonas dedit: & cum trecentos sexaginta accipiant ex latitudine castrorum, quæ demtis intervallo & via prætoria, est pedum mille quadringentorum quadraginta, sequitur, ut hac pedatura in fronte castrorum quatuor cohortes collocentur, totidem tergo.

Reliqui quatuor millia intra viam sagularem.) Reliquas sex cohortes intra viam sagularem ponit. Lateribus prætorii duas ex primis: in prætentura tertiam, cui & vexillariis juxta tendentibus parte contrariæ viæ prætoriæ tres alias cohortes opponit. D Erunt quatuor millia trecenti viginti. Sic habebimus universam triginta cohortium dispositionem.

In quantum potui Domine frater.) Apud Senecam est; *Dominus meus Gallio*: quo minus mirum hunc ætate inferiorem fratrem suum *Dominum* appellare, præsertim cum hic, ad quem scriptus libellus, honoribus auctus fuisse videatur; statim: *Si dignatus fueris injungere, novitatem metationis ad magnitudinem tuam primus adferam.*

In brevi omnes auctores sum persecutus:) Paulo aliter Plinius XXI. *Ex nostris autem scripsere aliqui libros Anthologicon; Flores vero persecutus est nemo, quod equidem inveniam.*

E *Castrorum æstivalium.*) *Æstiva* & *hyberna* veteres appellare solent. Vopiscus *hyemalia*, ut hic *æstivalia*: *Tum est illic hyemalia & æstiva disponere, ubi tuis nihil desit*. infra: *Munitio æstivalium observatur generibus quinque.*

Priusquam numero instituere.) Fortassis: *Priusquam suis locis constituerem.* statim: *Universum exercitum suis locis constituimus*: *constituere* enim non tantum statuere significat, quod fiebat in metatione, signis, tentoriisque positis, sed etiam componere, ordinare, & in certum statum perducere. Quo sensu *constituere rempublicam* passim apud optimos scriptores. Cicero pro Marcello: *Hæc tibi reli-* F *qua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu inprimis composita summa tranquillitate & otio perfruare.* Noti in Romana historia & priscis nummis *Triumviri reipublicæ costituendæ* fatale legibus collegium, post quos libertas a nullo Romanorum fuit repetita: ita servitutem in rempublicam constituerunt: sic & *constituere fortunas tenuiorum* dicuntur, qui *statum non habentibus*, ut appellat Vellejus, agros adsignant, quo fortunæ eorum in tuto collocentur. Sed minus

nus ab sensu hujus loci abeunt ista, *constituere exercitum, rem militarem*: quod alibi expressit Cicero *collocare rem militarem*.

Sub ratione omnia declaravi præcipitia in omni inceptationem.) Fortassis: *Præcipuum in omni incepto rationem*. Ut dicat se primum omnium ostendisse, quam rationem, quodque consilium Romani secuti sint in compositione exercitus. Cum id tamen præcipuum in omni negotio sit, neque unquam debeat omitti, in re profecto militari ratio est, quæ Romanos distinguit a barbara multitudine, ratio, qua una omnes nationes vicerunt, quam tanquam proprium sui generis bonum, imitati superbiam Græcorum, cum aliis raro communicant. Tacitus de moribus Germanorum: *Multum* (*ut inter Germanos*) *rationis & solertiæ, præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce quam in exercitu*. Ubi tamen malim: *Nec nisi ratione & disciplina*, id est, per rationem & disciplinam, beneficio rationis & disciplinæ: ut supra: *Multum rationis & solertiæ*. Tacitus eodem libro: *Occidere solent non disciplina & severitate, sed impetu & ira*. Conjuncta autem *ratio* & *disciplina* solent poni in laudibus egregiorum ducum. Cicero Verrina V. *Non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus qui postea fuit singulare consilium, neque ad Pauli rationem atque disciplinam, neque ad C. Marii vim & virtutem, sed ad aliud genus Imperatorum esse referendum*. Seneca: *Illis corporibus, illis animis* (de Germanis loquitur) *delicias, opes, luxum ignorantibus, da rationem, da disciplinam: ut nihil aliud dicam, necesse erit nobis Romanos mores repetere*. Hyginus tamen de sua Gromaticorum ratione, parte non postrema disciplinæ militaris in constituendis ordinandisque castris, proprie accipiendus. Quare vide, an ista sic rectius legantur: *In brevi omnes auctores sum persequutus, & quicquid circa compositionem æstivalium instituerunt, in hoc libello, priusquam numeros constituerem, subjecta ratione omnia declaravi. Præcipuum id in omni inceptione: in metationibus scribendo nullus auctorum ad hunc diem ostendit: quapropter*, &c.

Metationibus scribende nullus auctorum hunc diem ostendit. (*De metationibus scribendo* (vel *in metationibus scribendis*) *nullus auctorum ad hunc diem ostendit*.

Exposuimus itaque suas peciæ.) Emenda, ut supra jussimus, *singulas species*: nam & illic *suas*, pro *singulis*.

Quis numeros tam mutari debeat.) *Qui numerus commutari debeat*.

Quod si alæ in retentura positæ fuerint & prætentura.) Equitum plurimum in prætentura, minus lateribus, minimum vero in retentura ponit, quo cum castra movenda, aut educendus est exercitus, eques inter primos educi possit; si contra fiat, imperitiæ metatoris adscribit.

Si cohortes equitate in eo exercitum omnino fuerint ovimus alas quingenarias lateribus quæstori.) Inferam negativam & scribe: *Si cohortes equitatæ in exercitu nullæ omnino* (vel *omnino non*) *fuerint, ponamus alas quingenarias lateribus quæstorii*. Minimum equitatus dari vult retenturæ: non tamen omnino nihil: alarum potius minimas, si cohortes equitatæ non fuerint, illic collocari, quam omnino equite carere.

Nam quod a legiones astas & divisi duos numeros pertinet.) Fortassis: *Nam quod ad legiones sparsas & divisos in duo numeros pertinet*. Tac. *Cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat*. Idem Agricola: *Quanquam exacta æstas, sparsi per provinciam numeri*.

Quod experitis compositionem difficultates ostendit.) *Experiti* dicebantur antiquis, auctore Festo, qui vulgo imperiti. Sed cum id vocabulum apud neminem utique illius invenias ævi, & hic de re loquatur, quæ & peritis difficultatem præbens, nova methodo opus habeat; inducor potius, ut credam reliquisse Hyginum: *quæ & peritis compositionum*, vel *expertis compositionem*, &c.

Metodum metationes a me exquisitum ad numerum 77. pertinet.) In margine: *Pertinentem*. Fortassis: *Methodum metationis a me exquisitam ad numerum centuriarum pertinentem*.

Intentato ingenio.) Puto: *Intento ingenio*: ut *intento animo, intentiore cura*, & similia.

Si primum cottidianam metationem tractabis.) An potius *tractaveris*. Quemadmodum non aliam copiam in castris suis collocat, quam qua utebantur Romani circa imperium Trajani & Hadriani, ita non fictorum & commentitiorum, sed verorum & usu receptorum castrorum compositionem docet: sic tamen, ut nec sæculi sui disciplina contentus, quædam ad severiorem legem & mores revocet, majorum laudabile prorsus temperamentum secutus, ut neque suæ ætatis, neque priorum inventa repudiet, sed eligat ex utrisque optima. Quod an adsecutus sit, difficile jam dictu est, posteaquam omnia illa antiquorum monumenta, quæ se prosecutum dicit, injuria temporis interciderunt. Illud certe verum est, unicam hanc viam esse, unicam rationem, qua artes ad summum perducuntur, quaque aliquid post antiquos scribitur, quod post illos legi velis.

Nunc munitionem castrorum & reliqua, quæ pluribus auctoribus scripserunt, breviter perferamus.) Videtur fuisse: *Quæ pluribus auctores scripserunt*, vel *pluribus auctoribus scripta sunt*. Polybius in suo de castrametatione, partem hanc metationis pæne totam præteriit, non excusanda neglegentia, nisi alibi in libris, qui interierunt, exsecutus erat, quemadmodum in eis qui supersunt, vallum Romanum ejusque ab Græco differentiam, alibi descripsit. Hoc enim tantum notat in præducenda fossa & extruendo vallo, duo latera Romanis legionibus, duo sociis dari; quasi de munitione nihil præterea necesse sit monere. Simplex, fateor, majorisque laboris, quam artis est opus castrorum: tale tamen, ut in eo magna pars disciplinæ atque adeo salus & columen exercitus vertatur, cum hac potissimum de causa in interiori metatione & compositione tantum curæ adhibeatur, ut omnis copia intra brevem munitionem apte concludi possit. Quid enim profit absque eo dirigere ordines vicorum? quid dimetiri viarum spatia? quid omnia ordine disponere, nisi ut ab superveniente nec opinato hoste sternantur ordinati & compositi? Munitio est, quæ omnia in tuto locat: munitio, quæ facit ut tantæ artis fructus ad eos perveniat, qui ea utuntur. Hyginus quidem brevis etiam est, sed non alia de causa, quam quod jam pridem vulgata & a pluribus pertractata hæc pars, multis verbis non egeat.

Munitionem extinualium observatur generibus quinque.) *Munitio æstivalium observatur generibus quinque*. Castrorum duo genera æstiva & hiberna fuisse notum est: sed hæc veteres illi & prisci Romani diu ignoraverunt, continentia quidem cum accolis bella, sed tamen ita gerere consueti, ut hieme quasi a rerum natura & tempore anni induciis factis dimitterent semper militem, in domosque & tecta sua reducerent. Obsidione Vejorum anno ab Urbe condita circiter trecentesimo

quadragesimo octavo instituta primum hiberna, & quia res nova militi eoque gravis, *stipendiis*, ut ait Florus, *taxata*. Servabatur tamen diu post illa tempora, quoties licebat, mos antiquus, & hibernacula adeo in promiscuo usu tunc non erant, ut etiam pro pœna irrogarentur. Frontinus: *P. Valerio consuli Senatus præcepit exercitum ad Sirin victum ducere Setinum, ibique castra munire & hiemen sub tentoriis exigere*. Bello Punico secundo militum qui ex Cannensi prælio fugerant, ignominiæ hoc legitur inter cætera adjectum: *Ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent*. Equidem mali moris solutæque disciplinæ semper habitum, equitem, non tantum peditem, per oppida, vicos aut villas sparsum sub tectis & in umbra æstiva agere. Ostendit hoc, P. Scipio Africanus, cui cum relatum esset, bene magnum Carthaginensium equitatum per æstatem sub tectis contineri: *Sint*, inquit, *vel plures, dum talem habeant ducem*. Tam mollis effeminatique animi, tam corruptæ licentiæ maximo Imperatori videbatur, quod hodie in morem vertit, equites æstivo anni tempore domos circumspicere & recessum, ut quantamvis multitudinem adoriri non dubitaverit, nec sibi magnopere inquirendum de numero eorum putaverit, quos tam molliter haberi comperisset. Proprio enim rerum agendarum & ipsius quodammodo virtutis tempore alibi quam sub dio aut pellibus habitare, quid nisi dedecus, nisi flagitium rei militaris æstimarent homines in castris educati, in iisque tantum rei bene gerendæ momentum ponentes? Solebant tamen fere, ut diximus, remittere aliquid de virtute, nec vulgaris duritiæ habebatur, ne hyeme quidem domos subire. Jactantia hæc erat Ariovisti: *Invictos Germanos, exercitatissimos in armis, intra quatuordecim annos tecta non subiisse*. Sed postquam longinqua & gravia bella procul a domo traxere, militem militiamque perennem fecere, nullo præstituto militandi tempore, nisi quis legitimorum stipendiorum esset, aut bello confecto domum reduceretur: non raro disciplinæ interfuit, ut tam hyeme, quam æstate in castris continerentur, quo semper velut in procinctu adversus hostem stantes, neque insidiis locum præberent, neque hosti laxamenti aliquid darent ad respirandum, viresque recolligendas: simul ut inter externos & sæpe pessimos mores remoti ab oppidorum vitiorumque contactu sanctius & incorruptius agerent. Sed ista hibernacula non tantum exterius adversus omnes conatus hostiles magno opere emuniebantur, sed & interius laxius disponebantur multo paratu multaque cura. Sæpe lapide vel saxo contra inclementiam & injurias aeris ædificabantur, præsertim, quæ in finibus imperii aut ferocibus & nondum satis pacatis nationibus; sed belli aut servitutis pluriumque annorum hiberna, rationem quidem & ordinem castrorum cætera rum omnia in modum municipii habebant. Ideoque & tractu temporis magis magisque adauctæ, quædam eorum claris aliquot oppidis originem dederunt. In hibernis aliarum nationum sæpe etiam notari videas, quod arundinibus, ligno & stramento intecta. Livius: *Milites in portis murisque sibimet ipsos tecta coegerat militariter ædificare: erant autem pleraque ex cratibus & tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria alimentis ignis*. Idem XXX. *Hibernacula Carthaginiensium congesta temere ex agris materia exædificata lignea ferme tota erant*. Apud Polybium hic est observare, frondibus, vel materiæ quibus tegebantur latera, tabernaculorum terram immisceri solitam; id enim non fuisse in castris Carthaginensium, tanquam insolitum, notat: in castris iisdem Asdrubalis describit τὴν συνέχειαν τῶν σκηνῶν.

Et in Cæsare, ni fallor, tabernacula lego stramentis & arundinibus hibernorum causa intecta: sed aut extra insidiarum periculum posita, vel utique non ex disciplina rei militaris veteri ædificata fuisse certum. Nam Romani hiberna quidem cura majori exædificabant, tamen ignis alimentum in castris fugientes, tam hæc quam æstiva sub pellibus vulgo agebant. De primis ad Vejos hibernis Florus: *Tunc primum sub pellibus hiematum*. De iisdem Livius: *Militem Romanum in opere ac labore nivibus pruinisque obrutum, sub pellibus durare*. Cæsar: *ibique sub pellibus hiemare constituit*. De hibernis Corbulonis Tacitus Annal. XIII. *Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis & peditatu cohortium, retentusque omnis exercitus sub pellibus quamvis hieme adeo sæva, ut obducta glacie, nisi effossa humus tentoriis locum non præberet*. Quintilianus in milite Mariano: *Nemo nostrum accusat itinerum laborem, nec invisam super arma falcem, non æstivi solis ardorem, nec sub pellibus actam hyemem*. Sed de hibernis hic non agit Hyginus. Æstiva vel in unius noctis transitum ponebantur, quæ absque alia adjectione *castra* dicuntur, & inde *castra* pro uno die, aut unius diei itinere: ut *primis, secundis, tertiis*, &c. *castris*, ad aliquem locum pervenire: vel in plures dies aut aliquod tempus. *Stativa* Latini, χρόνιον ἄπληκτον vocant sequioris ævi Græci: in plures, inquam, dies, nam & hæc *stativa* dicuntur, non tantum quæ in longum tempus ponebantur, ut putat vir doctus. Liv. in XXXVII. *Ibi plures dies stativa habuit*: & in XXIII. *Ibi quia ociosa stativa erant, crebro decurrere militem cogebat*. Hoc tantum intererat, quod, quæ in diuturnam mansionem instituebantur, magnitudine operum & laxitate totorum castrorum hibernaculis propria: ordo & ratio eadem erat. Sed ne in illis quidem munitionem intermittebant, nullamque noctem sine muro confidebant, ne in pacato quidem, ex prisca disciplina. In hostico etiam posterioris ætatis Tactici jubent. Onosander cap. VIII. Ἐν γὰρ τῇ ἐχθρῶν καταστρατοπεδεύων χώρᾳ καὶ περιβαλλέσθω καὶ τάφρον, ἂν ἐφ' ἡμέραν μέλλῃ τὴν παρεμβολὴν θήσειν: Quæ & sequentia capitis octavi & noni, Leo mutatis dicam an corruptis, ut solet, paucis verbis in suum convertit, constitutione XI. §. 2. 3. 4. & 5. Immo etiamsi pugnare decretum esset, non sinebat tamen disciplina militaris ad universæ rei dimicationem venire, nisi castris positis, communitisque. Diximus id supra: nunc veterum auctoritate probemus, ne cui hæc (ut solent hodie dura) fabulosa & composita videantur. Nec tibi hic adducemus Paulum Æmilium (quamvis hic unus instar omnium esse possit) ne quis ætate senili fractum, & cæteris Imperatoribus tardiorem & consideratiorem factum existimet; sed fortissimos & calidissimos Ducum, qui ultro lacessere hostem ac fortunam prælii experiri in votis semper habuerunt. Marcellus ille primus Romanorum, qui ostendit Hannibalem in acie non esse invictum, cum instaret, urgeret, ab eo & vestigio ejus non discederet, tantaque arderet pugnandi cupiditate, ut castra castris nunquam satis duceret collata, tamen hanc legem militiæ nusquam neglexit; priusquam in hostem duceret, castris positis cupiditati suæ & casibus incertis præliorum semper intercessit. Liv. XXVII. *Marcellus vestigiis instabat, castraque castris conferebat, & opere perfecto, extemplo legiones in aciem inducebat*. Non aliter Cajus Marius, qui bello Cimbrico quum pronuntiasset facturum se militibus pugnandi potestatem, eosque quanta maxima alacritate in hostem ferri & paratissimos ad prælium ineundum esse conspexisset, *Sed muniendα*, inquit, *primum castra sunt*, remque in posterum diem distulit. Idem in magni Cæsaris actis passim observari potest, qui nunquam in

bellis, quæ maxima celeritate velut vincendo confecit, Romanæ disciplinæ & providentiæ castrensis non fuit memor, de Bello Gallico VIII. *Cæsar castris eo loco metatis, muniri jubet castra, absolutis operibus legiones pro vallo instructas collocat.* De Bello Civili III. *Tertio die Macedoniam ad Pompejum pervenit juxtaque cum castra posuit & postridie eductis omnibus copiis, acie instructa, decertandi potestatem Pompejo fecit*, & alibi. Quare non immerito Livius Bello Gallico hoc peccatum tribunorum militum consulari potestate exagitat. *Ab undecimo*, inquit, *ab Roma lapide, tumultuario exercitu raptim ducto, ægre occursum: ibi tribuni militum non loco castris ante capto, non præmunito vallo quo receptus esset, non deorum saltem, si non hominum memores, nec auspicato nec litato instruunt aciem.* Josephus diserte, ne repentino quidem hostium incursu opprimi posse Romanos; quod non nisi munitis castris in hostico considant. Multis enim magnisque subsidiis se privant, hæc qui negligunt: loco æquiori pro castris ad certamen: receptaculo, hoste victo vel dilata pugna: perfugio, si quid secius acciderit. Qui sunt igitur isti, qui segnem istam vocant sapientiam parumque Martii ac virilis animi? Barbari, quibus omne opus, omnis cunctatio servilis, remque in ancipitem aleam dare, quam prudentia vincere potius videtur. Timida tu hæc putas consilia? At ferocissimas fortissimasque nationes vicerunt. morari victoriam? At illi usurparunt, qui incredibili celeritate confecerunt bella orbemque terrarum triumphis suis peragrarunt. Ita enim insliterunt fortunæ suæ, ut rationem semper & disciplinam in consilio habuerint. Legimus quidem interdum pugnatum ex itinere & castris nondum vallatis certamen contractum; sed raro admodum sponte ducum Romanorum, nisi forte cum occasionis, non prælii res esset, aut cum illo hoste negotium, quem in aviis, latebrisque delitescentem majoris operæ esset protrahere, quam vincere. Alioquin instante & instructa acie se offerente hoste, is mos Ducum Romanorum fuit, ut contra quidem instruerent, ne certamen detrectare viderentur, sed suis se locis continentes, quantum liceret, hostem non lacesserent. Prima potius & secunda acie instructa, tertiam ad opus applicabant, aut si minus periculi, sola prima acie, sicut constituta erat, manente, duas alias castra munire præcipiebant. Veteri militia triarios sæpe, interdum & hastatos & triarios sic opus perfecisse legimus: recentiori similiter tertiam, vel & secundam & tertiam aciem. Livius III. *Trifariam Romani muniebant, alius exercitus prælio intentus stabat.* Cæsar de Bello Civili. Lib. I. *Cæsar in præsentia similem rationem operis instituit, singula latera castrorum singulis attribuit legionibus munienda, fossamque ad eandem magnitudinem perfici jubet, reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit.* Hirtius Bello Africano: *Dum hæc opera fiebant a legionibus, interim pars aciei ante opus instructa sub hoste stabat.* Eodem: *Cæsar deterritus non est, quo minus prima acie pro vallo instructa, reliqua pars exercitus opus faceret.* Sed obvia passim exempla sunt. Vegetius, quoniam in Cæsarum militia haud paulo major multitudo munerum vacationem habebat, munificibus opus facientibus omnes equites & eam peditum partem, quæ non operatur privilegio dignitatis, ante fossam in procinctu armatam vult consistere, ut ingruentes repellat hostes. Nam hoste vicino omnino non necessarium instructas quasdam copias manere. Solebant enim tum imprimis aciem ostentare vel velitatione lacessere ad tardandum opus castrorum. Scriptor Belli Africani: *Consuetudine pervulgata militari credebat instrui Cæsar ad opus suum tardandum, quo plures in armis tenerentur.* Idem: *Cum ei nuntiatum esset ad impediendos milites suos & ab opere depellendos hostem propius accedere, necesseque haberet legiones e munitionibus deducere.* Sæpe etiam rei bene gerendæ occasionem aucupantes, dispersos in opere de improviso aggrediebantur, quemadmodum Nervii apud Cæsarem Romanos non sine summo periculo calamitatis accipiendæ, nisi veterani & multis præliis exercitati milites instruxissent sese sponte sua, & pæne ducis munia ipsi implevissent. Opus Romani æquis partibus distruebant. In exercitu consulari duabus legionibus cum pari numero sociorum Latini nominis, duo latera Romano, duo socio exercitui munienda dabantur. In majori exercitu æque quoque partes pro portione adsignabantur. Illud tamen discrimen hic veteris & novæ militiæ, quod quoties pars exercitus in acie contra hostem staret, pars muniret, illa, semper pars cujusque legionis, puta triarii & principes, opus faceret: pars alia, hastati, in acie maneret: hac vero, sæpe integræ legiones instructæ, aliæ totæ operi applicabantur. Sic quoque in Cæsare non omnes legiones, sed quæ primæ advenerant, opus fecisse legas de Bello Gallico. II. *Legiones sex, quæ primæ advenerant, opere dimenso castra munire cœperunt.* Ac ideo fortassis etiam ordinem agminis mutatum ac de eo sortitas legiones in Tacito legimus; ne quædam aut tardius accederent, aut omnino ab opere immunes essent. Tribuni quorum in imperio vices erant, præerant universi operis probationi. Interdum & legati, ut apud Cæsarem Nerviis aggredientibus. Hi igitur universum opus regere, curare, ut singulis cohortibus centuriisque æquæ partes obvenirent, & quæ obvenissent ex disciplina perficerentur, instare operi, nec nisi perfecto discedere. At singulas partes centuriones decempedis dimensi militibus distribuebant, providebantque, ne quid ignavia aut errore alicujus peccaretur. Ita omnis munitio, multitudine operantium opus accelerante, celerius, quam suspicentur imperiti, perficiebatur. Peracta munitione copiæ pro vallo instructæ, ordine se intra munitionem recipiebant. Exemplum habes in Cæsare contra Petrejum & Afranium, duas acies instructas continente & interim occulte opus perficiente. Leo constitutione XVI. *Quando exercitus castra positurus est, ne perturbate aut confuse ad castra fossati transeat; sed si hostes immineant & pedites exercitui nostro adfuerint, currus omnes ex ordine ponant & fossas undique ad modum valli ducant. Expediti autem milites*, οἱ ἐκπλυκτοὶ, *omnes parvo intervallo instructi ab illis distent, tumque apparatus & impedimenta ordine ingrediantur in castra: ubi autem excubias vigiliasque emiseris, tunc armati ipsi ex ordine ingrediantur & castra ponant, & si hostes prope non adfuerint, satis erit uno drungo instructo hanc formam observari, ut reliqui castra muniant.*

Fossa vallo agmine agremmis.) Valesius: *Fossa, vallo aggere & agminibus.* Non ordinem Hygini in explicandis his quinque generibus secuti, legimus: *Fossa, vallo, cervolis, armis, aggere.* Cervolorum hic quidem nec vola nec vestigium; sed quum descriptis fossæ vallique rationibus ad cervolos transeat, iisque uti præcipiat, tanquam singulari genere munitionis, ubi neque fossa fieri neque vallum extrui potest; non est simile vero hic omisisse. Cervolis deficientibus armorum ordinibus castra munit; postremo aggere.

Fossa loca securioris causæ disciplinæ.) Scribo: *Fossa loco securiori fit causa disciplinæ.* De loco suspectiori omisit, cum alioquin loco suspectiori securitatis, securiori disciplinæ causa fossa fiat. Operæ

pretium est observare, non in priscis Tacticis (quid enim facilius quam ardua præcepta dare?) sed in historia Rom. quomodo maximi quique Imperatores non tantum continentibus armorum exercitiis, sed etiam operum labore militem sive in pace sive inter media prælia præliis paraverint. Non loquor nunc de circumvallatione urbium munitarum, aut hostilium munitionum, aliisque operibus ad claudendos obsidendosque hostes, aut securitatem exercitus per ingens terrarum spacium ductis, quorum in historia Romana miracula quædam sese offerunt, adeo nostris moribus incredibilia, ut sint, qui in numerum fabularum adscribi velint: quæ quamvis talia sint, apparet tamen quorsum spectent: sed de operibus loquor, quibus ad formandum militem usi sunt. Ut alios omittam, Julius ille Cæsar, qui jactare solebat, milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse, bello tamen Africano tironum exercitum nactus, nihil prius habuit, quam opere eum fatigare, tantumque in eo posuit, ut rem in aleam certaminis deducere non sit ausus; adeo ut hostibus jam se ipso tardior & consideratior factus & de solita bellandi consuetudine & celeritate excessisse videretur. Scriptor ejus belli: *Cæsar jubet milites rursus ad opus redire, & per causam munitionum tirones in labore defatigare non intermittit*. Idem: *Cæsar non more superiorum Imperatorum in hibernis exercitum continebat; sed tertio quartoque die procedendo propiusque hostem accedendo, castra communiebat opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem, quod legiones non uno in loco contineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc raptaret*. Et hic ille Cæsar, qui si quis alius militem armis instruere norat; sed tamen qui, ut diximus, non minori indulgentia, quam severitate disciplinam regeret, nec nisi necessario labore militem fatigaret, quippe quem per causam facilitatis & benignitatis studebat sibi acquirere, reipublicæ corrumpebat. Plane ut hujus solius exemplo probari satis possit, veteres Duces operum laborem non minus ad victoriam, quam ad disciplinam conferre existimavisse, nec credidisse satis arma militi, quem non prius ligone exercuissent. At cæteri Duces etiam tuendæ disciplinæ causa, militem operibus duraverunt & contra otium pugnaverunt, ut ita dicam, in otio tam veteri republica quam sub Cæsaribus. Ita Flaminius, ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit Aretium. Liv. XXXIX. P. Nasica in hibernis, quamvis classis usus necessarius non esset, ne tamen desidia miles corrumperetur, naves ædificare instituit, ut auctor est Frontinus. Corbulo, ne segnem militem attineret, inchoatum a Druso aggerem Rheno coercendo absolvit. Obvia passim in historia Romana exempla. Quid dicam pontium, theatrorum, basilicarum, aquæductuum & similes structuras, non nisi a milite factas? Raro enim bene illis cessit desidia & otium militare: magno steterunt intermissa munera, corruptamque disciplinam vel seditione militari vel clade ab hoste, malo aliquo publico semper luerunt. Fossa sola absque vallo etiam Cæsarem castra communivisse lego, sed ut hostem falleret, quem intelligere nolebat munitionem fieri, de Bello Civili I. *Ne in opere faciendo milites repentino hostium incursu exterrerentur, atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere & procul videri necesse erat, sed a fronte castrorum contra hostem pedum* XV. *fossam fieri jussit: prima & secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat, permanebat: post has opus in occulto tertia acies faciebat: sic omne prius est perfectum, quam intelligeretur ab Afranio castra muniri*. Idem stratagema refert Frontinus: C. *Cæsar cum adversus Afranium copias educeret, & recipiendi se sine periculo*

A *facultatem non haberet, sicut constituerat, prima & secunda acie furtim a tergo ad opus applicata*, XV. *pedum fossam fecit*. Manifestus defectus: neque enim prima & secunda acies furtim ad opus applicari potuit, neque in Cæsare, ex quo hæc descripta, ulla obscuritas, quo secius intelligi potuerit. Fortassis ita supplendum: *manente, sicut constituta erat, prima & secunda acie, tertia furtim a tergo ad opus, &c.* vel *furtim tertia ad opus*, &c.

Cujus species est.) Id est, *cujus forma*. Livius: *Miratus dicitur & universam castrorum speciem*. Frontinus: *Angulus autem omnis species capit duas, planam & solidam*. Idem: *Aliæ species & formæ,* B *per quas frequenter arcifiniorum agrorum quadratura concluditur*.

Fatigata dicitur quæ a summam latitudinem lateribus debexis in angustiam ad te dolum conjuncta perveniunt.) Scribo: *Fastigata dicitur, quæ a summa latitudine lateribus devexis in angustiam ad solum conjuncta pervenit*. Res per se clara est. Cæsar de Bello Gallico VII. *Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur paulatim angustiore ad infimum fastigio*. Idem: *Fossam pedes viginti latam directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant.* C *Summa labra* vocat Cæsar, quam noster *summam latitudinem*: & infra, *ripam*: *labra summa fluminis* in fragmento Sisennæ apud Nonium pro *ripis*, quas & Græci & Hebræi suo idiomate per translationem sic appellant. *Summæ latitudini* opponitur *solum*: quam vocem hic Hygino restituimus. Rutgersius legit: *ad titulum conjuncta, &c.*

Punica dicitur quæ lateri exteriori ad perpendiculum dirigitur contrarium devexum sit quod in fatigata.) Scribe: *Punica dicitur, quæ latere exteriori ad perpendiculum dirigitur, contrarium devexum sit, quemadmodum in fastigata*. Quæ D sit *ripa ad perpendiculum directa*, jam docuit nos Cæsar: *Directo latere, cujus solum tantundem pateat, quantum summum labrum*. Sed utrumque fere latus ad perpendiculum dirigit Hirtius: *Fossam duplicem pedum quinum denum lateribus directis*. Quam speciem Hyginus hic prætermisit, fortassis, quia improbat, exteriorem tantum ripam latere directo, interiorem fastigatam fieri jubens, haud dubie propter incumbens onus pondusque valli, ne ripa decidat. Quare *Punica* dicatur, non observavi: fortassis, quod in fossis aut ædificiis Pœnorum tale aliquid. Hodie propter soli teneritatem utrumque latus, sed interius ta- E men magis devexum facere tutius censent.

Quibus latitudo dari debeat ad minimum pedem quinque altum pedes tres.) Lege: *Quibus latitudo dari debet ad minimum pedum quinq; altitudo pedum trium*. Minima hæc fossæ latitudo & altitudo, quam *tumultuariam* vocat Vegetius: *Quod si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris cespes non possit abscindi, tunc opere tumultuario fossa perducitur lata pedes quinque, alta tres*. Alibi tamen & tumultuariam majorem facit. lib. I. cap. XXIV. *Deinde tumultuaria fossa fit lata pedes novem & alta pedes septem: sed ubi vis acrior imminet hostium, tunc legitima fossa ambitum convenit munire castro-* F *rum. Ita ut duodecim pedes lata sit & alta sub linea (sicut appellant) pedibus novem. Legitimam fossam* opponit *tumultuariæ*. Sed & in hujus latitudine definienda, rursus secum ipse concors non est, jubens imparem numerum observari. *Fossam*, inquit, *aperiunt latam aut novem aut undecim pedibus, vel si major adversariorum vis metuitur, pedibus decem & septem: imparem enim numerum moris est observari*. Certissimo argumento librum ex diversis auctoribus compilantem, nunc hos, nunc

illos secutum esse: hic vero, ut videtur, superstitionibus addictum aliquem, quod genus imparem numerum magis faustum & prosperum habebat. Alioquin non video id vulgo observatum. Cæsar qui fossarum latitudinem satis diligenter describit in munitionibus castrorum, alibi denum, alibi duo denum, alibi quindecim, alibi novendecim, rursus alibi viginti pedum facit. Josephus quatuor cubitorum: *τάφρος ἔξωθεν περιβάλλεται βάθος τετράπηχυς καὶ εὖρος ἴσον*. Africanus dat septem vel octo pedum latitudinem, quinque pedum altitudinem: *γύροθεν δὲ τοιαύτας φοσσάτας δεῖ ὀρύσσειν τάφρον τὸ μὲν βάθος ποδεῖν πέντε, τὸ δὲ πλάτος ποδῶν ἑπτὰ ἢ ὀκτώ*. At Leo latitudinem quinque aut sex pedum, altitudinem septem aut octo. Quæ & sequentia, ut & alia non pauca descripsit ex Africano, dissimulato, ut solet, nomine auctoris; in quo tamen excusandus videtur, quod eo in Africanum jure utitur, quo Africanus in alios. Nam hic Æneæ Tactico tota capita tantum non ad verbum surripuit, neque dubito, quin aliis alia. Quod manifestum foret, si aut prisci illi Tactici superessent, aut eos qui latent etiamnunc in Bibliothecis, omnes nobis videre contigisset. Africani autem numerum saniorem, quam hunc, esse suspicor, quia interdum æqualem altitudini latitudinem, sæpe majorem, raro minorem dari observo. Illud apparet crescente ignavia militari, munitionum magnitudinem paulatim decrevisse. Olim vigente disciplina Romana legitimam fossam vix denis pedibus minorem arbitror fuisse, quanta latitudo requiri videtur, ut ne tam facile repleri fossa & scindi vallum possit: at non raro majorem. Imo in obsidionibus & imminente hoste, majori longe opere, duplici sæpe fossa valloque aliisque munimentorum generibus castra sæpe firmabant, ut in obsidione Alesiæ fecit Cæsar: cujus filius Octavianus obsidens Perusiam, fossis triginta pedes altitudinis, tantundem latitudinis habentibus, castra sua amplexus fuit. Nec immensi laboris res est. Non sua tantum, sed hostilia etiam castra intra paucas horas sæpe circum munierunt. Auctor Livius in tertia Historia, M. Geganium consulem de quarta vigilia signa protulisse, ut hostilem Volscorum ad Ardeam munitionem circumplecteretur, *cœptumque opus atque adeo approperatum fuisse, ut sole orto Volsci firmiori se munimento ab Romanis circumvallatos, quam a se urbem viderent, aliaque simul parte consulem muro Ardeæ brachium injunxisse, qua ex oppido sui commeare possent*. Vides celeritatem, post quartam vigiliam cœptum, ante lucem perfectum opus, & vides circuitum haud dubie longiorem, aliena castra & quidem Ardeam obsidione amplexa circumvallantem. Et ne putes Romanos illos veteres vires ultra fidem, immanesque quosdam & ad opus natos præ cæteris gentibus lacertos habuisse; Nervios intuere, ingentem quidem vim, sexaginta millia, sed tamen hominum Gallorum, hoc est, rudium operis & laboris intolerantium & ne ferramentorum quidem copiam habentium. Hi Q. Ciceronis hiberna oppugnantes, gladiis cespitem circumcidendo & manibus sagulisque exhauriendo terram, fossam quindecim & vallum undecim pedum in circuitu XV. millium passuum minus tribus horis & quidem hibernis & brevioribus perfecerunt. Ergo ut miles his non sit instructior, neque peritior, castra mille sexcentorum passuum, qui est circuitus castrorum Polybii & Hygini, tredecim millia militum intra horam & dimidiam; viginti vero millia intra horam ejusmodi fossa valloque communire potuerunt. Non loquimur miracula. Illis, tribus horis pes adjecta quinta: his, intra horam tertia, ni fallor, & quinta decima pars pedis ex illa latitudine & altitudine, quam diximus,

A fossæ vallique singulis perficienda sint. Quare ad.it modo ratio, adsit studium bonarum rerum, omnia faciliora & leviora evadent, quam credant imperiti. De circumvallatione alibi plura dicimus.

Regressis pedibus exterius sexaginta per latitudinem portarum.) An potius: *Egressu pedibus exterius sexaginta*: ut supra: *Introito prætorii partis mediæ*. Cornelius Nepos Hannibale: *Quo repentino objecto viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus*.

Similiter fossa fiet quod præter brevitatem Titulum est cognominatum.) Statim: *Ut Titulus ad fossas ad vallum*. Scribit Festus, milites ipsos B *titulos* dictos: *Tituli milites appellantur, quasi tituli, quod patriam tuerentur; unde & Titi prænomen ortum*. Dicebatur & *titulus* suggestus comæ in formam galeri. Varro: *Tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent ut metam: id titulus appellatur ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis habent, uti velatum dicunt tutulos*. Item pallium, quo velabant caput. Fulgentius de prisco sermone: *Numa Pompilius & ipse de pontificalibus scribens, tutulum ait dici pallium, quo sacerdotes caput tutabant, cum ad sacrificium accessissent, sicut & Virgilius ait*:

C *Et capita ante aras Phrygio velamur amictu*.

Simili fortassis ratione propugnaculum hoc ante portas aut fossa ejus (solet enim usus partibus sæpe dare nomen, quod toti rei magis conveniret) a *tuendo titulus* appellata; præsertim cum rotunda ad similitudinem galeæ & suggestus in capite, & quemadmodum hæc caput, sic illa portas castrorum defendant & tueantur. Hyginus similiter *propter brevitatem*, ait ita appellari. Ita enim videtur scribendum: *Quæ propter brevitatem titulus est cognominata*.

Vallum loco suspectiori extrui debet cespite.) Vulgaris valli materia, cespites & terra, unde & D ab *aggestu* terræ dictus *agger*: ut & Græcis *χῶμα* & *χῶσις*, ἀπὸ τοῦ χωννύειν, quod est, aggestu terræ vel glebarum obruere. Inde & Rei rusticæ scriptoribus fossa & terreus agger, *militare sepimentum* dicitur. Varro: *Tertium militare sepimentum est fossa & terreus agger*. Sane, re ita exigente & dante loci natura, struebatur etiam lapidibus vallum vel materia sive concædibus (ὕλην Græci vocant) sed frequentissime cespite. Hic vulgaris later militaris faciendo castrorum muro, exscindebatur: nec temere, aut pro libitu cujusque, sed ad certam normam formamque, ut lateres. Vegetius: *Cespes fit altus semissem, latus pedem, longus pedem se*E*mis*. De laterum, quibus Romani utebantur, magnitudine Vitruvius lib. II. *Fiunt autem laterum genera tria, unum quod Græce δίδωρον appellatur, id est quo nostri utuntur, longum pede, latum semipede. Cæteris duobus Græcorum ædificia struuntur: ex his unum πεντάδωρον, alterum τετράδωρον dicitur*. Quem locum descripsit Plinius in XXXV sed, ut hodie quidem legitur, oppugnat. *Genera eorum*, inquit, *tria, didoron, quo utimur, longum sesquipede, latum pede*. Non dicam vocem *didoron* merito hic viris doctis suspectam esse, quia nec Plinianus modus hujus lateris, quantumvis diversus, significationi satis convenit: hic enim ab omni parte F excedit, ille solam latitudinem duorum palmorum habet, a qua nomen traxisse, non est probabile. Accedit, quod uterque scriptor tetradoron & pentadoron a quatuor vel quinque quoquoversus palmis deducunt: neuter didoron a duobus: præterea in veteribus *Lydium* vel *Lydion*, non *didoron* invenisse testatur Salmasius, recipitque eam lectionem, non a mensura, sed a populis Lydiæ dictam. Jam formam alterius, aut utriusque in vitio esse; res ipsa clamat. Philander Plinianam le-

ctionem præfert, quia Vitruvius cap. VIII. lib. II. causam, propter quam in urbe Romana lateritii muri non sint probandi, hanc potissimum adfert, quod ibi plusquam una contignatione opus, & lege vetitum sit, majores crassitudines, quam sesquipedales constitui: lateritii autem, nisi diplinthii aut triplinthii fuerint, sexquipedali crassitudine non possint plus, quam unam contignationem sustinere: unde conjicit, pedem semis unius lateris mensuram, tres pedes diplinthium, quatuor semis triplinthium esse; probabili quidem conjectura, non tamen certa, quando mensura Vitruviana paries ex latitudine & longitudine lateris queat construi. Ego potius crediderim, tam in hac, quam illa lectione, vitii aliquid latere: quia nihil hic de altitudine, quæ qualiscunque fuerit, definiri tamen debuit, neque prætermissa est in tetradoro & pentadoro quoquoversus quatuor vel quinque pedum. *Plinthion* proprie Mathematicis forma est, cujus pari longitudine & latitudine minor altitudo: δοκός, cujus major altitudo. Et hodie quidem vulgari lateri, non tantum minor longitudine latitudo, sed etiam minor latitudine altitudo est. Considerent itaque rerum harum periti, an inde Plinii & Vitruvii discrepantia, quod omissa in altero mensura longitudinis, in altero altitudinis, uterque depravatus sit & fuerit: *Longum sesquipede, latum pede, altum semipede*, congruente cum Vegetiano cespite mensura. Nec sane a vero absonum hunc militarem, ad normam illius circumcisum, *ad cujus similitudinem*, ut ait Vegetius, *exscindebatur*. *Quod si terra solutior fuerit, ad similitudinem lateris non possit cespes abscindi*. Ac lateris crudi fingendi formandique non imperitos fuisse milites apparuit in obsidione Massiliæ, ubi Cæsariani lateritium murum struxere: *Trebonius aggeris novum genus & inauditum ex lateritiis duobus muris senum pedum crassitudine atque eorum murorum contignationem facere instituit, æqua fere latitudine*. In circumvallatione Græcorum πλίνθους & πλινθία non raro invenias.

Lapide saxo sive cimento.) Lapide & saxo quadrato etiam in æstivis murus extruebatur interdum. Virgilius:

Præfodiunt alii fossas aut saxa sudesque
Subvectant.

Tacitus: *Tunc montibus arduis, ut signa clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit*.

Sive cimento.) *cæmento*. Ita sæpe in antiquis codicibus, *aulidi, tragidi, solicismus* & similia, *pro aulœdis, tragœdis, solœcismus*. Vitruvius saxum quadratum plerunque distinguit a cæmento: lib. I. c. 6. *Sequitur ordo de lapidicinis explicare, de quibus & quadrata saxa & cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ*: & rursus: *Ubi sunt saxa quadrata sive silex sive cæmentum*. Neque dum satis convenit inter interpretes, quæ sint cæmenta. Hermolaus nihil certi adfirmat: *Cæmentum Vitruvio & Plinio esse lapides, quo cum alibi, tum Romæ utantur exciso monte aliquo aut effosso*. Sipontinus: *Lapides parvos aptos ad ædificandum*. Philander: *Lapidem rudem, non cæsum, vulgarem esse*. Salmasius negat veteres *cæmentum appellasse, ut vulgo sibi persuadeant, rudem lapidem, sed cæsum & politum ad usum ædium, non tamen quadratum*: mox tamen: *quemlibet lapidem e lapidicina cæsum, vel ex alio majore saxo decisum cæmentum dici*: & rursus: *cæmentum lapidem ipsum cæsum e lapidicina & æquatum ad struenda tecta*. Non habent quod sibi exprobrent: in tanta varietate aliquid omnes veri dicunt, & tamen ex parte falluntur. Nam Vitruvium attente legenti satis liquet, cæmenta esse lapides, non quadratos, qui sive quod

A sine delectu & respectu formæ forte temere tantum cædantur, sive quod cædendo lapide quadrato hinc inde eximantur, decidant & frangantur, cæmenta dicuntur. Relinquuntur hi interdum, & exciduntur rudes & impoliti; interdum poliuntur & aptantur ædificiis, sed non ad eandem & certam omnes mensuram, unde *cæmentorum* nomen retinent. Utrovis genere vallum extrui posse docet Vitruvius: non enim omnis fert omnia tellus: utendum est eo, quod dederit. Sic de muri materia Vitruvius l. I. c. 5. *De ipso muro, e qua materia struatur aut perficiatur, ideo non est præfiniendum, quod in omnibus locis quas optamus copias, eas non*

B *possumus habere; sed ubi sunt saxa quadrata, sive silex, sive cæmentum, aut coctus later, sive crudus, his erit utendum. Non enim, uti Babylone abundantes liquido bitumine (pro calce & arena) & cocto latere factum habent murum: sic item possunt omnes regiones, seu locorum proprietates, habere tantas ejusdem generis utilitates, uti ex his comparationibus ad æternitatem perfectus habeatur sine vitio murus*. Vir clarissimus legit: *abundantes liquido bitumine, eo pro calce & arena & cocto latere farctum habent murum*: non necessaria emendatione: τὸ *eo* enim recte subaudiri potest, ut sæpe fit apud veteres: τὸ *factum* hic quoque potius re-

C tinuerim, quia non solius meminit bituminis, sed cocti lateris, id est, omnis materiæ, ex qua factus murus. Sensus enim est, ex bitumine & latere murum factum: non bitumen pro calce & harena & cocto latere, sed pro illis duabus speciebus fuisse. Justinus de Semiramide: *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, harenæ vice bitumine interstrato*. Salmas. *harenari vice. Non enim solius harenæ, sed calcis arenatæ vice interstratum bitumen*. Sed ne hæc quidem mutatio necessaria. Alteram enim specierum pro utraque posuit, ut & Plinius qui bitumen interpositum

D vice calcis scribit. Plinius de bitumine: *Calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis Babyloniæ muris*: id est, calcis & harenæ usum præbuit. Ita & Vitruvius lib. II. c. 4. harenam continere cæmenta dixit: *Si exemtæ* (arenæ fossiciæ) *diutius jaceant, ab sole & luna & pruina concoctæ resolvuntur, & fiunt terrosæ: ita cum in structuram conjiciuntur, non possunt continere cæmenta*. Sed ut ad murum castrorum revertamur, parum referre ait, saxis an cæmentis agger extruatur. Quid mirum? cum ratio temporis & necessitates bellicæ sæpe jubeant qualicunque materia aggerem replere aut vallum

E extruere. Sic totas arborum truncos, ramorum & virgultorum fasciculos, & quicquid natura loci suppeditat, in hunc usum vertit sæpe necessitas. Legimus quinimo cadaveribus occisorum vallum extructum & mortuos superstitibus factos munimentum. Scriptor belli Hispaniensis: *Ex hostium armis pro cespite cadavera collocabantur, scuta & pila pro vallo insuper, & gladii & mucrones & capita hominum ordinata*. Hannibal hac sævitia dicitur suos efferasse & ab humanitate, quæ effæminatum & molle nescio quid illis feris videtur habere, ad immanem & sævam virtutem traduxisse. Livius: *Hunc natura & moribus immitem ferum-*

F *que insuper dux ipse efferavit pontibus & molibus & humanorum corporum strue faciendis*.

Sufficit latus ped. VIII. altum ped. VI.) *Latum ped.* vel *sufficient latitud.ni pedes octo, altitudini sex*. Hanc quoque partem operis, labente re Romana, desidia imminuit. Vegetius enim murum instrui jubet altum tribus pedibus supra terram; ubi vis acrior immineat hostium, quatuor pedibus. At Cæsar denum aut duodenum pedum plerumque, lib. VI. de Bello Gallico, libro III. de Bello Civili, & alibi. Interdum & majori opere muniebant; sed

ne te deterream, non sæpe. Quippe Cæsar in obsidione Alexiæ, illa castra tantis operibus munita, quibus vim totius Galliæ, & illum postremum libertatis bellicosissimæ gentis impetum sustinuit, non vallaverat, nisi vallo duodenum pedum. Sed turres inædificabant, loricas pinnasque vallo adjiciebant: quarum cum tam crebra in historiis mentio, miror Hyginum hic oblivisci: præsertim cum res ipsa illis armis & tormentis apprime necessaria: turres, ut superne & ab latere aperto vulneraretur hostis: loricæ pinnæque, ut ne miles in vallo consistens & propugnans, hostilibus telis nudus obiiceretur. Nam vallum illud vulgare non erat illis pro lorica, sed loricam ei inædificabant. Cæsar: *Castra imperat vallo pedum duodenum muniri, loriculasque pro hac ratione ejus altitudinis inædificari*. Adscendebant enim vallum propugnantium primi. Cæsar: *Cum celeriter nostri arma cepissent vallumque adscendissent*. Idem: *Ad arma concurrunt, vallum adscendunt*. Virgilius:

Ferte citi vallum, date tela, scandite muros.

Idem infra Hyginus vult, cum jubet, *in hostico adscensus valli duplices & frequentes fieri*. Neque enim prohibere potuissent, ne compleretur fossa, scinderetur vallum & munitio perrumperetur, nisi fuissent qui insisterent & e loco superiori in hostem pugnarent. Quid igitur prætermisit Hyginus rem tam utilem? An quia illo ævo in vulgari & quotidiana æstivorum munitione, quam nunc docet, nullæ neque turres, neque pinnæ, neque loricæ? & satis videbatur propugnantes e vallo beneficio loci superioris uti? Legimus sane aliquoties castra absque his munita & castris jam munitis oppugnante hoste demum adjecta: argumentum in castris utique in unius noctis transitum positis non fuisse. In ipsis hibernis Q. Ciceronis Nerviis jam oppugnantibus turres & loricæ demum ædificabantur, auctore Cæsare de Bello Gallico V. Adde quod sub Imperatoribus, major quam antea tormentorum copia castra defendebat; sed de horum ratione, uti de turrium, quæ observavimus, dicere non est hujus brevitatis. Sub Imperatoribus tamen sæpe tam humili depressaque munitione, castra videntur cincta, ut lorica quam vallum verius fuerit. Unde & scriptoribus illius ævi, vallum & totum opus castrorum *lorica* aliquoties appellatur.

Et lorica perbe sit similiter.) Scribo: *Et lorica parva sit similiter*. Si hæc de lorica vallo inædificata intelligas, poteris Hyginum hac culpa absolvere. Sed dubito, an titulo loricam tantum pro vallo esse velit. Loricæ erant interdum vimineæ ex cratibus pluteisque, interdum ex lapide aut terra, munitiuncula ad tegendum pectus objecta, unde & nomen traxit: quod tanquam lorica militis pectus, sic hæc omnium propugnantium defenderet. Interdum etiam pro justo vallo sumitur, ut diximus, sive quia pars valli, sive quia vallum eorum lorica, qui post vallum stabant. Florus, munitionem Cæsaris ad Gergoviam *loricam* vocat. Vegetius totum opus, quod turribus, vallo, sudibus constat, appellat *loriculam*, lib. V. Vide quæ da lorica Lipsius in Poliorceticis.

Ante portas ut titulus ad fossas ab ballum) Hæc sunt inquinatissima. Nobis videbatur: *Ante portas ad titulum, ut ad fossam vallum*. Loricam enim hanc post vallum & cum vallo describens, ut antea titulum statim post fossam, persuadebat tituli vallum esse: sin de universorum castrorum lorica accipere placuerit, hæc aliter emendanda sunt: veluti: *Ante portas ad titulum, ad fossam, ad vallum*.

Causæ instructionis sanctam esse cognominatum.) Hæc quoque dubium, an ad solam loricam tituli, A an & ad fossas & vallum referenda: nam locus quo dicitur, suadet, ut ad proxime præcedentia; constructio verborum, ut ad vallum referatur. Et erat sane sanctum vallum: *Inde si vallum quis transcendisset, aut per murum castra ingressus esset, capite puniebatur: si quis vero fossam transiliisset, militia rejiciebatur*, ut testantur Modestinus & Ruffus. Sed ideo *sanctum* cognominatum esse non dixerim. Veri mihi etiam nunc similius videtur, loricam hanc ante portas, *loricam sanctam* dictam, eique ut fossæ, ad quam posita, singulare nomen fuisse. *Causæ instructionis*: potest explicari, causa instructi operis, ut *instructio balinei* apud Plinium: si B quis tamen probabiliora adfert, utraque manu amplectemur.

Cervoli trunci ramos si ad bos decurritur si soli natura nimia teneritate cespes fragoritur.) Facilis emendatio: *Si soli naturæ nimia teneritate cespes frangitur*. De cervorum generibus, forma, usu, post Polybium & veteres, Lipsius, aliique ad necessitudinem rei dixerunt. Illud hic tantum monuerim, non videri militem, ut hæc quidem verba præ se ferunt, semper sudes portasse, quemadmodum antiqua disciplina fiebat; neque semper, sed extra ordinem & ubi cespes deesset, ad cervos C decurrisse, cum olim fere vallo insererentur. Etiam Tibulli ad Messalam carmen indicat, pro loci ratione & situ cervolis, fossa, vallo castra emuniisse, quando dicit Messalam Tactices peritum apprime scire:

Qua deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit & arduus hosti.

Ubi videatur cervos defigere, quoties vallo castra D non cinguntur; tamen posterioribus temporibus, fossæ & aggeri cervos vel vallos etiam adjectos, passim legimus.

Neque lapidem mobilem nisi copiosum vallum extrui potest nec fossa fieri ut non ripæ decidant.) Emenda: *Neque lapide mobili nisi copioso*, &c. Ut intelligas, ubi non sit ea copia lapidum mobilium, vel ubi nimia copia opus sit ad extruendum vallum: nisi velis, *nisi composito*: eo sensu, ut lapidem mobilem cervolis componi jubeat, ne decidat. Plinius: *in solutiori terra sepibus firmari, ne procidant; aut supinis lateribus procumbere*.

Quoties cervoli desunt & est locus suspectior armorum ordinibus castrorum IIII. *castra muniunt.*) E Lipsius male jungit præcedentibus illa, *quoties cervoli desunt*. Valesius & hic legit: *agminibus seu armorum ordinibus*. Scribimus, ut supra: *armorum ordinibus quatuor castra muniuntur*, deleta voce *castrorum*. Genus munitionis quod in scriptoribus medii & postremi ævi Romani imperii invenias. In Ammiano aliquoties legimus duobus, tribus & quinque scutorum ordinibus, item multiplicato scutorum ordine castra composita. Libro XXIV. *In valle graminea prope rivum multiplicato scutorum ordine in orbiculatam figuram, metatis tutius castris quievimus*. Eo forsitan & Lucanus respexit, F cum ait:

Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.

Et Tacitus historia II. *Sed expeditis & tantum ad prælium egressis, munimentum fuere arma & victoria*. Quæ etiamsi aliter accipi queant, inclinat tamen animus, ut de hoc genere munitionis intelligam, uti non ignoto veteribus Romanis; ita pro-

pter infirmitatem raro admodum usurpato, utique solo. Nam vallum in periculo cinxisse armis & armatis indubium est. Fabius milite Mariano: *Cum alii excubent armati, alii claustra portarum tueantur, alii vallum fossasque scutis innixi cingant, cibum ipsum stantes capiant, tribunus inter scorta volutabitur & has solas vigilias aget.* Tantum armorum & armatorum in hac munitione castrorum, quæ non muniebantur, in excubiis posuerunt, quantum ambitum castrorum semel, bis, ter, quater (quot ordines armorum constitui res postularet) amplecteretur. Ex his crebras vigilias ponebant cæteris juxta cubantibus, ut simul hostilis tumultus increpuisset, armatorum ordinibus castra cincta essent: militem enim a scutis suis abstrahi minime probabile est, de nocte, cum ordinatos etiam & compositos ordines servare & omnia ex disciplina obire, arduum est. Neque id sit castra munimento scutorum armare, sed militem armis spoliare. Igitur juxta scuta pilaque sua excubabant, accincti & in occasionem parati. Cæsar de Bello Gallico VII. *Duas legiones in armis excubar jubet*: & de Civili I. *Atque ibi sub armis proxima nocte conquiescit.* Orbiculata hæc castra describit Ammianus: *In valle graminea prope rivum multipl.cato scutorum ordine in orbiculatam figuram, metatis tutius castris quievimus.* Sive quod tum etiam castra rotunda more Græcorum facerent, sive quod orbis in hoc genere, cum munimenti nihil esset, adversus nocturnos impetus tutior haberetur. Posteriores etiam tribulis sive muricibus castra muniebant, de quibus vide Vegetium & Leonem. Item carris, plaustrisque, quod genus *carrago* appellatur, & re nomine barbarorum munimentum, quod nec hodie omnino interiit.

Ut per singulos ordines vigiliæ crebrius ponantur.) Malim: *Et per singulos ordines vigiliæ crebrius ponuntur.* Cum nullo munimento præter arma castra cingerentur, pluribus vigiliis opus erat, quo & accubantes celerius excitarentur, & esset statim manus aliqua resistendo hosti. In Cæsare etiam lego, contra irruptionem hostium dispositos de nocte milites, *non certis ut vulgo spaciis intermissis, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingerent inter se, & omnem munitionem explerent.*

Et equites alterna vice castra circuire debent.) Olim circuitio nocturna proprium equitum Romanorum munus erat, sed postea circitores singulare genus facti sunt: quare Hyginum de circuitione in equis, hoc est, de excubiis equitum extra castra, adducor potius ut credam accipi debere. Statius Thebaidos X.

Monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem, vigilataque castra
Explorare datus.

Vegetius: *Sciendum est, equites extra castra nocturnas excubias facere debere.*

Tuende disciplinæ causa unus ordo armorum sufficit & vigiliæ rarius constituuntur.) *Solummodo tuendæ disciplinæ causa: unus ordo armorum sufficit, & vigiliæ rarius constituuntur.*

Aggeribus autem ita fit ballo ut si locus petrosus vel arenosus fuerit.) An: *Aggeribus autem tunc fit vallum, si locus petrosus vel arenosus fuerit*: supra: *Viam inter alas tollemus, quæ tunc datur, si pedatura permittit.* Sensus manifestus est. Docet, quando & quo loco genere quoque utendum sit. Ad cervolos decurri, si soli naturæ nimia teneritate cespes frangatur, si cervoli desint & sit locus suspectior, armorum ordinibus castra muniri: nunc addit, aggere fieri vallum, si locus petrosus vel arenosus fuerit. *Agger* accipitur pro aggestu terræ & vallo latiori, denotatque terram, qua latitudo vel crassitudo valli efficitur. Cæsar: *Tantumque ejus valli agger in latitudinem patebat.* Igitur in solo petroso & arenoso latitudine aggeris suppleri vult defectum intractabilis terræ. Vegetius: *Quod si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris cespes non possit abscindi, tunc opere tumultuario fossa perducitur, lata pedes quinque, alta tres, cujus extrinsecus agger excrescit, ut sine metu securus requiescat exercitus.* Idem: *Persæ ductis fossis castra constituunt, & quia arenosa sunt prope omnia, saccos quos inanes portant, ex pulverulenta, quæ effoditur, terra complent, eorumque cumulo aggerem extruunt.*

Quod sine dubio aggere facto munitionem castris præbet.) Volebam: *Qui non nisi duplici aggere facto, munitionem castris præbet.* Servari tamen videtur posse scriptura, *quod*, id est, *quia*, vel *qui sine dubio aggere facto munitionem castris præbet.*

Angulus castrorum circinari oportet & quia coxas efficiunt instabiliunt quæ opus propugnationem tutant.) *Angulos castrorum circinare oportet, & quia coxas efficiunt instab liuntque opus, propugnatione tutari.* Livius V. *Quippe illos hiemen sub tectis suis aggere, egreg is muris situque naturali murum tutantes.* XXXIII. *Prælia impigre inire & armis magis muros quam se ipsos mœnibus tutari.* Possis etiam: *Circinari oportet, ut quia coxas efficiunt, instabiliuntque opus, propugnatione tuti sint.* Sensus perspicuus est. *Coxas* mensores appellant, angulos sive flexus & versuras terminorum rigorem non servantes. Siculus Flaccus: *Ergo convenientia possessionum terminos consecrat: ut ante dixeramus, omnibus angulis coxisque positi esse debebunt.* Infirmare munitionem sive *instabilire opus* dicuntur, quia ubi in acutum desinunt: paucissimos capiunt defensores; ne illos quidem conjunctos in eodem ordine, nec in eandem partem conversos, sed diversos & alios alio respicientes aliumque locum tuentes. Inde fit, ut hostis adortus castrorum angulos paucis telis possit peti & a fronte tantum, non etiam ab utroque latere, ut qui cæteras castrorum partes aggrediuntur: similiter qui proxime angulos oppugnant, ab uno latere tuti sunt. Ea de causa in munitione urbium angulos præcipiunt evitare, murosque per artem obliquos, aut introrsus sinuatos facere, ut non solum junctis manibus propugnatores resistant, sed latera etiam oppugnantium ad ictus patescant. Vitruvius: *Collocanda autem sunt oppida non quadrata, nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus; ut hostis ex pluribus locis conspiciatur: in quibus enim anguli procurrent, difficulter defendentur, quod angulus magis hostem tuetur, quam civem.* Vegetius libro VI. cap.2. *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset expositus; sed sinuosis anfractibus, jactis fundamentis clausere urbes, crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt: propterea, quia si quis ad murum tali ordinatione constructum vel scalas vel machinas voluerit admovere, non solum a fronte, sed etiam a lateribus & prope a tergo veluti in sinum circumclusus opprimitur.*

Circinari debebunt ex angulos cohortium quæque efficiunt latitudines operis pedum sexaginta.) Fortassis: *Circinari debebunt ex angulis cohortium & valli, qui efficiunt latitudinem operis pedum sexaginta.* Centro posito in angulo valli, sexaginta inde pedes, quæ est latitudo intervalli, adaperies circinum, & ab linea exteriori valli circinabis in alteram. Ita accipio illa.

Usq; quo linea exteriores comprehenderit quæ effiiunt pars quarta.) Legio enim: *Usq; quo lineas exteriores comprehenderint, quo deficit pars quarta.* Pars

quarta

quarta fere circulo integro abest; tantum enim intra vallum castrorum: vel *quæ efficiunt partem quartam*, eodem sensu. Non quidem diserte adfirmat, extra an intra vallum hoc propugnaculum; nos tamen, quia ipsos angulos jubet circinari, usque quo lineas exteriores comprehenderint, in modum turrium in angulis murorum infra castra posuimus, vallumque & fossam circumduximus.

Similiter clavicula circinatur ex linea interiore valli juncto mediæ portæ.) Et puncto mediæ portæ. Idem vitium aliquoties in Frontini expositione formarum: *Æquali junctorum diastemate*: & paulo post iterum: *Ex quolibet juncto, qui per caput recta linea transeat.* Ubi fuit *punctorum* & *puncto*. *Claviculam* hic appellare videtur, totum hoc propugnaculum ante portam in formam cavæ lunæ ductum, cujus fossam *titulum* & *loricam sanctam* paulo ante dixit nominari. Cum enim illa sexaginta pedes extra portam fieri jusserit, ubi & hanc videtur circinare, illa partes hujus suspicor esse. Vegetius de portis urbium: *Ante portam addatur propugnaculum, in cujus ingressu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis ac funibus pendet.* Cæsaris ætate *ericium* & *cataractam* claustra portarum in castris invenio: in metu hostili *fores etiam altiores portis & turres impositas*. Claviculæ hujus mentionem fieri non memini.

Adaperto circino ad cardinem porte ea media præter viæ circinabis en eandem lineam.) Scribo: *Ad cardinem portæ, e qua media præter viam circinabis* &c. Ex puncto mediæ portæ circinabis dimidiam hanc lineam portis adjectam, ita ut statim a vallo incipias ducere circulum, nisi quod spacium viæ relinquere debes.

Item punito manenti, adicies latitudinem ab balli.) Item: *puncto manenti adjicies latitudinem valli, & iterum circinabis in eandem lineam.* Ante interiorem propugnaculi partem delineavit: nunc adjecta valli latitudine exteriorem.

Ut intrantes semper detecti sint & advenientem in recto cursu excludantur.) Vitruvius: *Excogitandum, uti portarum itinera non sint directa, sed σκαιὰ: namque cum ita factum fuerit, tum dextrum latus accedentibus, quod scuto non erit tectum, proximum erit muro.*

Nam quod attinet ad solicitudinem in statuendi metationis.) Verba præ se ferunt: *solicitudinem in statuenda metatione*: paulo ante: *Spero solicitudinem nostram tibi digne placituram*. Frontinus: *Et me seu naturalis solicitudo, seu fides sedula non ad diligentiam, verum ad amorem quoque commissæ rei instigant.* *Solicitudo* enim idem quod cura in rebus agendis: unde solent conjungi, ut in Dialogo de claris Oratoribus. Adscribemus locum pulcherrimum, ut adjectione unius literæ sensum ei suum oblata hac occasione reddamus: *Nam Crispus & Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac præsenti fortuna concupiscendum? An quod timent? an quod timentur? Quod, cum cottidie aliquid rogentur, his, quibus præstant, indignantur*? ita enim scribendum, non ut vulgo, *hi quibus præstant*; nec ut Lipsius, *hi quibus non præstant*: importunam enim quotidie aliquid rogantium impudentiam molestiamque describit, qua invitis & pæne indignantibus extorquent beneficia: ostendunt hoc sequentia: *Quod alligati cum adulatione nec dominantibus unquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero dulces, ut ait, Virgilius, Musæ remotum a curis & solicitudinibus & necessitate cottidie aliquid contra animum faciendi in illa sacra illosque fontes ferant*, &c. Volebam tamen, ut diximus. Nunc quod attinet ad soli electionem. Partem hanc providentiæ & scientiæ militaris, qua locus castris ido-

A neus capitur, veteres magno habuisse in pretio, atque adeo inter præcipuas laudes Imperatoris posuisse, ignorare nemo potest, qui eorum monumenta tractaverit. Hannibal ille tantus Imperator colloquio cum Scipione Africano, Pyrrho Epirotæ secundum in magnis ducibus locum dedisse fertur, hac præcipue causa, quod *docuerit castra metari, nemo elegantius loca ceperit, præsidiaque disposuerit*. Inter curas & meditamenta, quibus, Philopœmen ab ineunte ætate agitaverat paraveratque bellis animum, hæc non postrema dicitur fuisse, quod *cum quopiam iter faceret, contemplatus ab omni parte loci naturam,* (Livii verba agnoscis) *cum solus*

B *iret, secum ipse agitaret animo; cum comites haberet ab iis quæreret, quid si hostis ab ea parte apparuisset, quid si a fronte, quid si ab latere hoc, aut quid si a tergo adoriretur, capiendum consilii foret; ac inter hæc castris quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia esset, qua proximo die castra movendi tutum maxime iter, quæ forma agminis foret?* Romani quidem loca munita non legebant, nisi eadem suæ castrorum formæ essent accommoda: cæterum his capiendis non minus diligentes. *Id vero periculum erat* (inquit Livius, Romanos du-

C ces Magno Alexandro comparans) *ne Alexander solertius, quam quilibet unus ex iis castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis præcaveret, &c.* Non enim sufficere putabant locum bonum eligere, nisi talis esset, *ut alter eo non posset melior inveniri*. Itaque & Imperatores, tum veteres, tum novos, bellica laude insignes, ipsos quin imo rei Romanæ dominos, Vespasianos, Trajanos, Hadrianos, commendant ab hac scientia. De Vespasiano Tacitus: *Vespasianus acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario differens*. De Agricola suo: *Militum*

D *in agmine modestiam laudare, disjectos coercere, loca castris ipse capere, æstuaria ac sylvas ipse prætentare, & nibil interim apud hostes quietum pati.* Quintilianus lib. XII. *Nisi forte Imperatorem quis idoneum credit, in præliis quidem strenuum, & fortem, & omnium, quæ pugna poscit, artificem; sed neque delectus agere, neque copias contrahere, atque instruere, neque prospicere commeatus, nec locum capere castris scientem*. Xenophon scribit inter Regis apud Lacedæmonios munia, fuisse, tempus locumque, *quibus castra muniantur, prospicere*.

E *Primum locum habent quæ ex campum æminentiam lentiper attolluntur.)* Repone: *Primum locum habent, quæ ex campo in eminentiam leniter attolluntur*: id est, ex plano in collem leniter assurgunt, ut dixit Tacitus. Possis & legere *clementer*, eodem sensu Annalium XIII. *Locumque delegit, cujus pars altera colles erant, clementer assurgentes, accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas*: vel *leviter*, auctore Cæsare. Sed nihil necesse est rejicere illud, quod a scriptura libri minus abit. Ejusmodi erat natura loci hibernorum in inferiori Germania ab Augusto constitutorum, quæ *Vetera*

F dicebantur. De iis Tacitus: *Pars castrorum in collem leniter assurgens, pars æquo adibatur*. Aliquoties in Cæsare hanc positionem observo; præsertim, ubi res cum hostibus, quorum eximia virtutis opinio aut ingens multitudo erat. Bello Belgico talia describit castra. *Is collis*, inquit, *ubi castra posita erant, paululum ex planitie editus, tantum adversus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat, atque ex utraque parte lateris dejectus habebat, & in fronte leviter fastigiatus paulatim ad planitiem redibat*. Non multum diverso nec tamen eodem situ in Nerviis illa,

quæ ad flumen Albin ponebat, quando Nervii Romanos aggrediebantur: *Loci natura erat hæc, quem nostri castris delegerant. Collis ab summo æqualiter declivis ad flumen Albin vergebat: ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur.* In Unellis Q. Titurius Sabinus simili loco habuit castra, quæ oppugnatum Viridovix venit. *Locus enim,* ut ait Cæsar, *erat editus ac paulatim ab imo acclivis, circiter passuum M. Huc magno cursu contenderunt, ut quam minimum spacii ad se colligendos armandosque Romanis daretur.* Papinian. Theb. VII.

Haud procul inde jugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre est
Sidonias: placuit sedes, fidique receptus.
Colle per excelsum patulo quem subter aperto
Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant
Despectus.

Cur hæc castra primum locum habeant, in promptu causa est. Habent & planitiei & collium commoditatem, equiti simul peditique apta: dant facilem tuis descensum, majorem impetum, vehementiorem telorum jactum, ac cætera loci superioris, cum hostes sub murum succedere nequeant, nedum oppugnare, quin iniquis locis se subjiciant. Si placet rem in aciem committere, en pro vallo campum, in quo copias explicare & omnem exercitum instruere, & si quid secius acciderit, relato paululum pede hostem in locum tuum trahere possis: sin displicet pugnæ consilium, in loco securitas est. Addit & aliam causam Imperator Leo Constitutione XI. *Ad splendorem & pompam exercitus venditandam magis valent obliqua & ad altitudinem spectantia castra, majoremque numerum castrorum, quam plana & æqualia loca præ se ferunt. Si igitur aliqua pompa opus sit, obliqua & declivia loca eligantur, tumque potissimum, cum commeatum idoneum habent ad omnes necessarios usus.*

In qua positione porta decumana eminentissimo loco constituitur, ut regiones castris subjacent.) Hunc quoque situm in descriptionibus castrorum, quas jam adduximus, nota. Cæsar de Bello Gallico II. *Calones qui ab decumana porta ac summo jugo collis nostros victores flumen transire conspexissent.* Ubi apparet, portam decumanam eminentissimo esse loco. Idem paulo ante dixit, castrorum contra Belgas positorum locum *in fronte*, hoc est, ad portam prætoriam, *leviter fastigiatum, paulatim ad planitiem rediisse*. Et Tacitus in descriptione Veterum scribit, *æquissimum eorum locum ad portam prætoriam fuisse*. Decumana igitur summo collis jugo, quod necessario munitio amplectebatur, ne hostis ex loco superiori tela immittere & incurrere posset: non enim castra regionibus, sed regiones castris subjacere oportebat. Dabatur autem pars munitissima decumanæ aversæ ab hoste & infirmissimæ illa ætate, ut ad quam minimum legionarii militis considebat: illa vero declivis & paulatim ad planitiem rediens portæ prætoriæ, ut ad procurrendum & erumpendum, tam equiti, quam pediti conveniens & in omnem belli usum idonea.

Porta prætoria semper hostem sectare debet.) Lege: *Porta prætoria semper hostem spectare debet* Vegetius: *Porta, quæ appellatur prætoria, orientem spectare debet, aut illum locum, qui hostes respicit.*

Secundum locum habent quæ in plano constituuntur.) Castra in campo posita vel illis quæ in colle & monte præfert ex antiqua disciplina Romanorum, qui non ea cura, qua Græci, inaccessa & natura munita loca persequebantur, manu potius muniebant, ita securitati consulentes, ut etiam fiduciam ostentarent, parati plerumque rem ad manus deducere & prælio decertare. Videntur ideo planitiem anteposuisse, quod ad aquandum, pabulandum & educendum exercitum fere commodior collibus, propter interjectas convalles sæpe parum tutum exitum habentibus. Alioquin est sane tutior collis & in periculo melior. Sed eo ipso habet timoris confessionem & auget hosti animos. Cornelius Nepos de Hannibale: *Quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.* Quod tamen non concesserit Livius Marcello, in utraque re etiam plus quam Hannibali fiduciæ adscribens, lib. XXVII. *In conspectu Hannibalis loco plano, quum Pœnus collem teneret, posuit castra: addidit & aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit.* Adsentitur huic Frontinus Strategematum libro XI c. 3 *Hannibal cum frequentibus præliis a Cl. Marcello superaretur, novissime sic castra metabatur, ut aut montibus, aut paludibus, aut simili locorum aliqua opportunitate adjutus, aciem eo modo collocaret, ut vincentibus quidem Romanis pæne indemnem recipere posset intra munimenta exercitum; cedentibus autem instandi liberum haberet arbitrium.* Auctor Polybius, Romanos, ubi primum cum elephantis congressorum acies impetu belluarum disjecta fuisset, tantum terrorem incessisse, ut proximo biennio, quamvis sæpe in Africa, sæpe in Selinuntia regione hostes obvios habuerint; nunquam tamen aut manum inire, aut in campo propius quinque vel sex stadiis castra ponere sint ausi, sed collibus semper & montibus metu elephantorum se tenuerint. Ne Julius quidem Cæsar vanam timoris speciem re exigente tanti fecit, ut castris in campo positis verum potius periculum adiret. Immo bello Africano cum primo in campo posuisset castra, posteaquam Scipio eum cum universis copiis subsequi cœpit, atque ab ejus castris millia passuum sex consedit, castra ex campo in collem ac tutiora loca collocare non dubitavit, scribente Hirtio. Unde & quidam veterum, metationem in campo omnino postponunt illi, quæ in colle, inter quos Appianus, qui lib. IV. de Bellis Civilibus, castra Bruti castris Antonii comparans, tum aliis nominibus, tum hoc etiam illa præfert, quod in colle, cum hæc in plano essent posita: quamvis fateatur Antonium illa sua audacia hostes obstupefecisse.

Tertium quæ in colle.) Frequens & hæc castrorum positio. Cæsar: *Cæsar proximo in colle castra ponit.* Idem: *Pompejus, qui castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, spectans, si iniquis locis Cæsar se subjiceret:* & passim in Græcis Latinisque historiis, castra ἐπὶ λόφε posita.

Quartum quæ in monte.) Tuta hæc quidem, sed propter metus suspicionem, difficiliorem frumentationem, aquationem & pabulationem, nec non equitatus incommoda, tam ad pugnam quam victum, interdum non optima. Fabio cunctatori collapsam temeritate rem Romanam restituenti inprimis placuere. Nota vox Hannibalis: *Tandem eam nubem, quæ sederet in jugis montium, sollicitatam procella imbrem dedisse.* Amavere multæ nationes, præsertim si facilis descensus, ἀκρωνυχία ὄρες ὑφ' ὧν ἡ κατάβασις εὖ εἰς τὸ πεδίον.

Quintum quæ in locum necessarium, unde & necessaria castra dicuntur.) In loco necessario. Cæsar: *Cæsar loca maxime necessaria complexus, noctu præmunit.* Idem: *Tum vero, neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate consistunt, necessario procul ab aqua & natura iniquo loco castra ponunt.* Ita enim fortassis legendum, ubi vulgo *consistunt necessario*, sensu tamen non inepto. Ut & de Bello Gallico VII. *Erat e*

septentrione collis, quem quia propter magnitudinem circuitus opere circumplecti non potuerunt nostri, necessario pæne iniquo loco & leniter declivi castra fecerunt. Hinc *locorum necessitas*. Vegetius: *Interdum semirotunda, prout loci qualitas vel necessitas postulaverit, castra facienda sunt*. Siculus Flaccus: *Ex ipsorum locorum necessitate & fossarum positione colligi debebit, quæ sint finales*.

Præcipue observari debebit via, quæ lateribus castrorum supersit.) Puto velle: *Ne qua via lateribus castrorum supersit, per quam in castra possint irrumpere*. Africanus: Τὸ δὲ ἄπληκτον μὴ ἐγγὺς ἔσω ὄρους ἢ ἕλους δασέως ἢ ἔχοντος διόδος, ἀφ᾽ ὧν ἴσως οἱ πολέμιοι ἀθρόως ἐπελθόντες κατεργάσοιντο τὸ στρατόπεδον.

Cætera quocunque latere flumen sive fontem habere debebit in qualicunque positione.) Scribe: *cæterum*. Legimus passim super amnem castra posita. Livius: *Quum tria millia ferme abesset a Tripoli (Scejam vocant) super Peneum amnem posuit castra*. Virgilius:

Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem: nam dextra cingitur amni.

Leo tamen absente hoste, minus probare videtur hanc positionem, quod equi ad crebro bibendum adsuescant: quasi necessario crebrius, quam fas est, bibant.

Sive fontem.) Qui ab Imperatoribus exigunt scientiam omnium rerum, quæ in castrensi vita usui sunt, noscere eos volunt, quod solum fontes habeat:

Fontibus ut dulces erumpat terra liquores.

Ne cum in locis aridioribus bellandum est, aquæ penuria conficiatur exercitus. Hujusmodi scientia Moysen populum Hebræum, & quidem ductu asinorum agrestium ab certo exitio servasse, primumque sibi ad potentiam iter struxisse, autumat Tacitus libro Historiarum IV. Lubet adscribere locum non nugacissimæ sententiæ causa (quid enim vanius?) sed quod corruptus est & perperam intelligitur: *Cæteris per lacrymas torpentibus Moysen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem expectarent ab utrisque deserti, sed sibimet, ut duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent*. Hæc sic accipiuntur a viris doctis, quasi dicat Tacitus, suasisse Moysen Judæis, ut sibi propter prodigia in Ægypto edita & pulsas suo auxilio miserias, tanquam duci cœlesti crederent, seque sequerentur: quod ne per somnium quidem cogitavit. Regem enim Bocchorum scribit purgandi regni sui causa, conquisitos collectosque Judæos tanquam diis invisos in alienas terras avehi jussisse. Nulla ibi Moysis, nulla miraculorum, nulla auxilii mentio. Rebus depositis & conclamatis, relicto vastis in locis populo, Moysen simpliciter *unum exulum* appellat: huic primum facinus adscribit, quod cæteros per lacrymas torpentes alloquio erexerit & oratione. At qui potuit talis persuadere, sibi ut duci cœlesti crederent, nullo adhuc insigni facto tantæ rei fidem faciente? Qui potuit jactare suo auxilio miserias & quidem præsentes tum pulsas, cum in maxima rerum omnium calamitate lacrymis torpentes animum desponderent. Non potuit certe: nec illud Taciti est, sed scioli alicujus veræ Moysis historiæ gnari, ad cujus fidem Tacitum corrupit. Scribo: *Ne quem deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti: adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent*. Est enim hæc obliqua Moysis, populum rebus extremis & desperatis excitantis adhortantisque oratio; cui generi audaces ejusmodi & abruptæ sententiæ conveniunt. Di vos, inquit, & homines, ut videtis, deseruerunt: quid ultra inanibus lacrymis & nihil profuturis precationibus eos frustra fatigatis? Vosmet ipsi audiatis; vobis ipsi adsitis, oportet. An expectatis de cælo ducem? Dii propter vos non descendent. Ille vobis instar cœlestis ducis sit, quicunque præsens hoc malum est depulsurus. Duo enim suadet. Primum, ut agant ipsi, adsint sibimet, quo propitios & volentes habeant Deos. Crebræ sunt in historiis tales adhortationes, eorum præsertim, qui in rebus arduis animos ad contemptum religionum receptarum conati sunt traducere, qualis hic describitur Moyses. Ita Flaminius apud Livium, quacunque adire audirique potest, adhortatur suos, stare ac pugnare: *Nec enim inde votis aut imploratione Deum, sed vi ac virtute evadendum esse*. Apud eundem Manlius Capitolinus: *Di prohibebunt hæc, sed nunquam propter me de cælo descendent; vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis*. Et ille Deum contemtor ad dextram & arma sua:

Dextra mihi Deus & telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

Vectius Messus simili modo ad Volscos suos: *Quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos rapturumque inde putatis? Ferro via facienda est*. Præterea suadet, ut se votis obstringant, illi ut duci cœlo misso fidem habeant, illum sequantur, qui in præsentia illis adfuturus & ex hac miseria eos liberaturus sit. De futuro enim omnino accipienda sunt illa: *ut duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent*. Ut in conjuratione contra Neronem: *Ut quisque audentiæ habuisset, accurreret trucidaretque*. Notum autem non tantum votis se obligasse, sed etiam eos, qui consilio aut virtute e magnis periculis alios liberassent ab illis, quos liberassent, non tantum ut duces cœlestes, sed instar Deorum propemodum in omni vita fuisse cultos.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ob ovilibus imbuet agnus.
Ille meos errare boves, &c.

Unde medicorum illa divinitas. De Philippo medico magni Alexandri Curtius: *Nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque dextram ejus amplexi grates habebant, velut præsenti Deo*. Hanc esse mentem Taciti probant illa, quibus dicitur Moyses ad novas & contrarias omnibus gentibus religiones eos traduxisse, atque adeo ipsum asinum, quo monstrante sitim depulerant, penetrali consecravisse: probant & sequentia, quæ ostendunt omnium ignaros fortuitum iter incepisse. *Assensere*, inquit, *& omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat, jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit: id levamen*. Hac itaque fortuna & arte Moysen miserias populi levando primum in pulso & extorri populo fidem invenisse vult, deinde institutis novis sacrorum ritibus & ceremoniis eum sibi confirmavisse. Quoties diutius in uno loco commorandum esset, hoc quoque observatum fuisse, ut aer salubris esset & veteres testantur & quilibet facile judicare potest. Scribit Vitruvius, Romanos, priusquam stativa ponerent, pecoribus immolatis, quæ iis in locis pascerentur, inspexisse jecinora. Si essent livida & vitiosa prima, alia immolasse, dubitantes, utrum mor-

bo an pabuli vitio læsa essent. Cum pluribus experti essent & probassent solidam & integram jecinorum naturam & aqua & pabulo, ibi constituisse munitiones: si autem vitiosa invenirent indicio, transtulisse, judicantes & in humanis corporibus nascentem iisdem in locis aquæ cibique copiam pestilentem futuram. Leo jubet evitare loca condensa, cœnosa, paludosa aut stagnis abundantia; halitum enim parum salubrem emittere odoresque graves gignendis morbis. Vetat & Vegetius in pestilenti regione juxta morbosas paludes, aridis & sine opacitate arborum campis aut collibus, præsertim sine tentoriis commorari. Itaque si autumnali aut æstivo tempore diutius iisdem in locis commorandum sit, frequenti mutatione castrorum vult subveniri, quod ex contagione aquarum & odoris ipsius fæditate, vitiatis haustibus & aere corrupto perniciosissimus nascatur morbus.

Castrorum iniqua loca quæ a prioribus nobiriæ appellantur.) Bene monuit doctissimus Scriverius legendum esse *novercæ*. *Novercæ* enim & *canabulæ* a mensoribus appellantur loca iniqua. Frontinus: *Eorum delimitatio est per rationem arcuum, riparum, canabularum vel novercarum.* Ex libris Magonis & Vegolæ: *Item variatio fluminum, rivorum cursus, canabulæ, vel novercæ tegulis construitur.* Et passim in libris mensorum.

Ne mons castris immineat per quem supervenire hostis aut prospicere possit quid in castris agatur.) Addit Vegetius, *ne ex superioribus locis missa ad eum tela perveniant.* Leo: *Illa autem loca imprimis fugito, quæ aliquid prope celsius vel eminentius habent, ne illud hostes confertim præoccupantes, multa ex eo mala inferant.* Barbarorum est isthuc, procul a prudentia Romana. Hirtius: *Castra eorum, ut barbarorum fert consuetudo, relictis locis superioribus, ad ripam fluminis esse demissa.* Frontinus: *M. Porcius Cato, qui tum tribunus militum a populo factus in exercitu erat, dejectis jugis Callidromi Ætolis qui præsidio tenebantur superimminentem* (ita recte emendat Stevvechius, cum antea legeretur *eminentem*,) *castris regiis collem a tergo subitus apparuisset.*

Ne silva celatura hostes adjaceat neve fossa valles.) *Ne silva celatura hostes adjacet neve fossa vel valles.* Leo Constitutione XI. πλησίον δὲ ὀχυρώματος ἐχθρῶν ἢ ὕλης μὴ ἐπιτηδείως ἀπληκεύειν τὸ στρατ. Unde legimus totiens castra in aperto posita, ubi nullus insidiis hostium locus. Livius I. *Et castris in aperto positis aliquoties exercitus Latinus cominus cum Romanis signa contulerat.* Sic copiæ in *aperto* dicuntur *instrui.* Cæsar de Bello Gallico: *Copias omnes loco edito atque aperto instruxerunt.* Sic *pugna in aperto*, id est, *puro & patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute res geri posset*, ut dicit Livius in XXV. Tacitus de vita Agricolæ: *Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones & manus adducerent, quod & ipsis vetustate militiæ exercitatum, & hostibus inhabile, parva scuta & enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum & in aperto pugnam non tolerabant.* Ubi Lipsius velit *in operto*: haud dubie male, quia in campo in jugum assurgente pugnabatur. Melius qui legit *in arcto*, sensu probo, si eo verba ducerent. Livius III. *Dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in arctum compulsi, quum vix movendis armis spatii satis esset.* Idem XXVIII. *Quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura erat.* Nobis hunc locum legentibus in mentem veniebat, mutata unica litera, *in aperto pugnam*. In propiore enim pugna & armorum complexu partes nudas & apertas corporis quærebant fodiebantque, in has pugnabant; cui rei Britannorum gladii prælongi sine mucronibus inhabiles. Tacitus. *Densarent ictus, ora mucronibus quærerent, latos barbarorum artus, nuda ora foderent.* Livius XXI. *Nec ad trajiciendum satis magnam vim habebat, nec quicquam aperti erat quod peteret.* Cæsar de bello Civili II. *Humerum apertum gladio appetit, parumque abfuit, quin interficeretur.* Virgilius Æneid. XI.

—— Tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, partesque rimatur apertas.

Præcesserat autem:

—— Dextra complectitur hostem.

Idem libro X.

—— Huic gladio perque ærea scuta,
Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.

Ubi Servius: *Haurit, modo ferit significat, non nudum latus, sed quod aperuerat, & putatur* ὕστερον πρότερον. *Quidam Italicam elocutionem putant: cum enim a latere quis aliquem adortus gladio occidit*, Hausit illum, *dicunt.* Ursinus malit *ærea suta*: ut Papinianus:

—— Latus omne sub armis
Ferrea suta tegunt.

Fateor equidem latus apertum non esse, quod scuto tegitur; sed Virgilius, ut solent poetæ, in heroibus suis hæc in miraculum composuisse videtur, ut ostenderet, Æneam latus tectum transadigendo aperuisse. *Pugnare in latera, in frontem, in tergum*, obvia passim apud Latinos, multoque significantiora sunt, quam *contra aliquem pugnare*, cum denotent hanc partem præcipue peti, in hanc pugnari. Non multum diverso, quamvis non plane eodem modo, dicunt, *ferre signa in hostem* & *inferre hosti signa.* Sic quoque Tacitum accipio, cum dicit *ferre libertatem in præsentia*, loco in quo hærent viri celeberrimi. De vita Agricolæ: *Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, & nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere: nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi, prima statim congressione ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* *Præsentia* Tacito dici res præsentes, præsentem rerum statum, notius est, quam ut probari necesse sit. Annalium I. *Cum cæteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta & præsentia quam vetera & periculosa mallent.* Et sæpe alibi. Qui igitur in servitute sunt, iis servitus præsentia sunt; iis qui in libertate, libertas. Qui præsentem statum mutare & in alium convertere conantur, illi eam formam, cujus auctores sunt, ferunt in præsentia. Atque ita, qui servientes in libertatem vindicat, ille dicitur libertatem in præsentia ferre, id est, introducere in præsentem statum, inferre rebus præsentibus & contra præsentes res. Sic apud Poetam, Æneas dicitur intulisse deos suos Latio.

—— Dum conderet Albam,
Inferretque deos Latio.

Hoc est, quod Galgacus dicit, Brigantes, Voadicea duce conatos esse & perficere potuisse: *Quamvis*, inquit, *ea Brigantum esset conditio, ut sub jugo viverent, castrisque & colonia Romana velut sedibus servitutis continerentur, adeo ut in libertatem aliter vindicari non possent, nisi exsurgerent contra præsentem rerum statum & libertatem in eum ferrent: tamen rem tantam & tam arduam præstare potuissent, nisi sua ipsorum socordia fortunam corrupissent: quanto magis nos integri & nunquam antea subacti, qui non

contra præsentem statuam exsurgimus, sed eum armis tuemur, hoc poterimus efficere, dum sit virtus & animus vere virilis. Sed nos a proposito divertimus. *Pugnam in aperto*, ut diximus, volebamus loco superiori legere. Dubito tamen, an defendi possit vulgata, cum *apertum certamen* aliquando de propiori pugna videatur accipi, quia in eo genere plerumque vir virum legit, pes pede teritur & res ad manus adducitur. Livius IX. *In aperto certamine virium spem habebat.* XXXVIII. *Etsi iniquo loco, prælio tamen justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat.* Hoc certe volunt, ut insidiis non sit locus, & ideo loca arboribus tecta aut fossis invia, cauti duces vitabant, nisi prius aperirentur. Tacitus historia secunda: *Contator natura & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placebant, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem jubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur.*

Per quos obrui castris occulte possint.) Si cui retinere placeat τὸ *obrui*, omnino scribendum sit: *Per quas obrui castra occulte possint.* Livius IIII. *Quæ si in unum conveniant, vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, sisti posse.* Sed nobis omnino verum videtur: *Per quas obrepi castris occulte possit.* Nam illud magnæ vis, turbinis & ruinæ: hoc furtorum belli, quibus aptæ sylvæ, fossæ & valles. Sic *adrepere animis* est clam & occulte sese ingerere. Lepidus apud Tacitum Annal. III. *Studia illi ut plena vecordiæ, ita inania & fluxa sunt; nec quicquam grave aut serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis, sed muliercularum adrepit.* Frontinus in hac re dixit, *per obreptionem aggredi*, lib. II. cap. 5. *Ventidius Parthos in loca iniqua deductos aggressus per obreptionem adeo debellavit, ut destituto Labieno* (ita scribo, vulgo *destituti*) *provincia excederent.* Volaterranus legit: *Neve fossæ seu valles, per quas obruti castris occumbere possint.*

Ne vicini fluminis torrentis subita tempestate castra in unda intereant.) Repone: *Inundata intereant.* Vegetius: *Ne subditis tempestatibus campus, in quo manendum est, soleat inundari.* Idem: *Considerandum est, ne torrentibus inundari consueverit campus.*

Meminisse oportet in hostico adscensus valli duplices & frequentes facere.) Gradus fieri vult, quo vallum altius (qualia in hostico) facilius adscendi possit & descendi. Varro: *Qua simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum; in altiorem, scamnum. Duplicata scansio gradus dicitur, quod graditur ab inferiori in superiorem.*

Et tormentis tribunalia extruere.) Aggeres & suggestus cespitum, in quibus tormenta collocabant, *tribunalia* appellat, quia in similitudinem tribunalis erecti &, ut tribunal, ex cespite exstructi: an quod & inde tormenta jus, ut ita loquar, dicebant hosti? Ejusmodi aggeres supra ceteram munitionem aut circumsitas partes eminentes, videntur vulgo in castris *tribunalia* dicta, ut quæ tormentis aut signis extruebantur. Ita accipio Tacitum in seditione Pannonica: *Una tres aquilas & signa cohortium locant, simul congerunt cespites, extruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus advenit increpabatque ac retinebat singulos.* Ubi putat vir eximius Blæsum ob tribunal cespitium adeo inclamare, *quia capitale prorsus facinus & tribunalis extructio adscensioque signum proprium Imperatoris.* Sed Tacitus non dicit tribunal hoc a seditiosis extructum, ut pro tribunali esset duci seditionis (necdum enim ducem elegerant) sed quo signorum una constitutorum magis conspicua sedes esset. Signa autem de more in tribunali utique Imperatoris non fuisse posita, vel hic locus evincit; nam si ibi una jam ante fuissent pro insolito non referretur, quod in unum locum congesta. Quare aggerem, in quo signa ponere non destinaverant, *tribunal* appellat Tacitus ex more castrensi. Blæsus autem non propter unum tribunal erectum, sed propter omnia hæc, quæ invitis ducibus seditiose faciebant, inclamat & obsistit furentibus.

Circum portas in coxis in loco tyrium.) Scribe: *Circum in portas in coxis, in loco tyronum.* Nihil enim probabilius ex hoc ultimo vocabulo elicio: jubet tribus præcipue locis vallum tormentis instrui, circum portas, in angulis, & ea parte, quæ tyronibus data est tuenda: quo enim minus fiduciæ in milite reponebant, eo turribus, tormentis & reliquo machinarum munitionumque ingenio castra magis firmabant.

Maxime instruendum erit vallum tormentis ab eo latere quo nobercas ivitari non potuerunt.) Lege: *Ab eo latere, quo novercæ evitari non potuerunt.* Præcepit paulo ante novercas, quoad ejus fieri potuerit, evitare: quod si loci necessitas id non permittat, maxime iniquitati huic frequentia tormentorum subvenire jubet.

POLYBII MEGALOPOLITANI

DE

CASTRIS

Scriptum ex Hiſtoriarum Lib. VI.



Τούτων δ' εὐτρεπῶν γενομένων, παραλαβόντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς Ῥωμαίους ὁμοῦ καὶ τοὺς συμμάχους, κατεστρατοπέδευσαν, ἑνὸς ὑπάρχοντος παρ' αὐτοῖς θεωρήματος ἁπλοῦ περὶ τὰς παρεμβολάς, ᾧ χρῶνται πρὸς πάντα καιρὸν καὶ τόπον. Διὸ καὶ δοκεῖ μοι πρέπειν τῷ καιρῷ, τὸ πειραθῆναι καθόσον οἷόν τε τῷ λόγῳ τοὺς ἀκούοντας εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν τοῦ κατὰ τὰς πορείας καὶ στρατοπεδείας καὶ παρατάξεις χειρισμοῦ τῶν δυνάμεων. Τίς γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀπεοικῶς πρὸς τὰ καλὰ καὶ σπουδαῖα τῶν ἔργων, ὃς οὐκ ἂν βουληθείη μικρὸν ἐπιμελέστερον ἐπιστῆσαι περὶ τῶν τοιούτων, ὑπὲρ ὧν ἅπαξ ἀκούσας, ἐπιστήμων ἔσται πράγματος ἑνὸς τῶν ἀξίων λόγου καὶ γνώσεως.

Ἔστι δὲ τὸ γένος αὐτῶν τῆς στρατοπεδείας τοιόνδε. Τοῦ κριθέντος ἀεὶ τόπου πρὸς στρατοπεδείαν, τοῦτον τὸν ἐπιτηδειότατον εἰς σύνοψιν ἅμα καὶ παραγγελίαν, τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴ καταλαμβάνει. Τεθείσης δὲ τῆς σημαίας, οὗ μέλλουσι πηγνύναι ταύτην, ἀπομετρεῖται πέριξ τῆς σημαίας τετράγωνος τόπος, ὥστε πάσας τὰς πλευρὰς ἑκατὸν ἀπέχειν πόδας τῆς σημαίας, τὸ δ' ἐμβαδὸν γίνεσθαι τετράπλεθρον. τούτου δὲ τοῦ σχήματος ἀεὶ παρὰ μίαν ἐπιφάνειαν καὶ πλευράν, ἥ τις ἂν ἐπιτηδειοτάτη φανῇ πρός τε τὰς ὑδρείας καὶ προνομὰς παραβάλλεται τὰ Ῥωμαϊκὰ στρατόπεδα τὸν τρόπον τοῦτον. Ἓξ ὑπαρχόντων χιλιάρχων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ κατὰ τὸν ἄρτι λόγον. δυεῖν δὲ στρατοπέδων ὄντων τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀεὶ μεθ' ἑκατέρου τῶν ὑπάτων φανερὸν ὅτι δώδεκα χιλιάρχους ἀνάγκη συστρατεύειν ἑκατέρῳ τῶν ὑπάτων. τιθέασι δὴ τὰς τούτων σκηνὰς ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἁπάσας, ἥ τις ἐστὶ παράλληλος τῇ τοῦ τετραγώνου προκειθείσῃ πλευρᾷ, πεντήκοντα δ' ἀπέχει πόδας ἀπ' αὐτῆς· ἵπποις ἅμα δ' ὑποζυγίοις καὶ τῇ λοιπῇ τῶν χιλιάρχων ἀποσκευῇ τόπος. αἱ δὲ σκηναὶ τοῦ προειρημένου σχήματος εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμέναι, πήγνυνται πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν· ἣ ἔστω καὶ κα-



A His rite paratis, Tribuni militum legiones una cum auxiliis accipiunt, & metari caſtra incipiunt. Eſt autem apud illos una & ſimplex circa caſtrametationes obſervatio, qua omni tempore ac loco utuntur. Propterea viſum mihi opportunum jam eſſe, ut quantum ejus fieri verbis poterit, efficiam, quo audientes modum rationemque illorum B cognoſcant, diſponendi copias in agmine ducendo, metandis caſtris & acie inſtruenda. Nam quis adeo alienus ſit ab iis quæ pulchra ſunt & honeſta, ut paulo accuratius animum iſtis nolit intendere? quæ ſi ſemel perceperit, rei inter alias memorabilis ac dignæ notitia evadet peritus?

Eſt autem caſtrametatio Romanorum hujuſmodi. Quoties locus caſtris eſt captus, partem illius, quæ ad proſpiciendum & dandum mandata fuerit commodiſſima, C Prætorium occupat. Vexillo autem eo loci poſito ubi Prætorium ſunt fixuri, ſpacium quadratum circa ipſum vexillum ſic metiuntur, ut ab eo latera omnia centum diſtent pedes: ac jugerum quatuor fiat area. Ad unum ſemper figuræ hujus aſpectum ac latus, quod aquationibus pabulationibuſque opportuniſſimum viſum fuerit, Romanæ legiones iſto modo collocantur. Sunt in quaque legione Tribuni ſex, ut modo dicebamus: & quum binas uterque Conſulum legiones ſecum habeat, palam eſt, D duodecim in utriuſque exercitu Tribunos neceſſario verſari. Statuunt igitur horum omnia tentoria ad lineam unam rectam; cujus omnes partes a quadrati illius latere quod electum fuerit, pari intervallo diſtant. Abeſt autem ab eo pedes L. eſt ibi capiendis equis, jumentis & reliquis Tribunorum impedimentis locus. Porro tentoria locantur deſcriptæ jam figuræ averſa, extrorſum ſpectantia. Eam intelligat lector univerſæ figuræ frontem eſſe; pla-

λείθω δὲ καθάπαξ ἡμῖν ἀεὶ τοῦ παντὸς σχήματος κατὰ πρόσωπον. ἀφεστᾶσι δ' ἀλλήλων μὲν ἴσον αἱ τῶν χιλιάρχων σκηναί. τοσοῦτον δὲ τόπον, ὥστε παρ' ὅλον τὸ πλάτος ἀεὶ τῶν Ῥωμαικῶν στρατοπέδων παρήκειν. Ἀπομετρηθέντων δὲ πάλιν ἑκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πρόσθεν κατὰ πάσας σκηνὰς, λοιπὸν ἀπὸ τῆς τοῦτο τὸ πλάτος ὁριζούσης εὐθείας τις γίνεται παράλληλος ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἀπὸ ταύτης ἄρχονται ποιεῖσθαι τὰς τῶν στρατοπέδων παρεμβολὰς, χειρίζοντες τὸν τρόπον τοῦτον. Διχοτομήσαντες τὴν προειρημένην εὐθεῖαν, ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου πρὸς ὀρθὰς τῇ γραμμῇ, τοὺς ἱππεῖς ἀντίους ἑαυτοῖς ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβάλλουσι, πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀλλήλων, μέσην ποιοῦντες τὴν τομὴν τοῦ διαστήματος. ἔστι δ' ἥ τε τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν σκηνοποιία παραπλήσιος. γίνεται γὰρ τὸ ὅλον σχῆμα καὶ τῆς σημαίας καὶ τῶν ἰλαμῶν τετράγωνον. τοῦτο δὲ βλέπει μὲν εἰς τὰς διόδους, ἔχει δὲ τὸ μὲν μῆκος ὡρισμένον, τὸ παρὰ τὴν δίοδον. ἔστι γὰρ ἑκατὸν ποδῶν. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὸ βάθος ἴσον πειρῶνται ποιεῖν, πλὴν τῶν συμμάχων. ὅταν δὲ τοῖς μείζοσι στρατοπέδοις χρῶνται, τὸ κατὰ λόγον καὶ τῷ μήκει καὶ τῷ βάθει προστιθέασι. γενομένης δὲ τῆς τῶν ἱππέων παρεμβολῆς κατὰ μέσας τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς, οἱονεὶ ῥύμης τινὸς ἐπικαρσίου πρὸς τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν εὐθεῖαν, καὶ τὸν πρὸ τῶν χιλιάρχων τόπον· τῷ γὰρ ὄντι ῥύμαις παραπλήσιον ἀποτελεῖται τὸ τῶν διόδων σχῆμα πασῶν, ὡς ἂν ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους, αἷς μὲν ταγμάτων, αἷς δ' ἰλαμῶν ἐπὶ τὸ μῆκος παρεμβεβληκότων· πλὴν τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν κατόπιν τοὺς ἐξ ἀμφοτέρων τῶν στρατοπέδων Τριαρίους κατ' ἰλαμὸν ἑκάστην σημαίαν ἐν ὁμοίῳ σχήματι τιθέασι, συμψαυόντων μὲν τῶν σχημάτων ἀλλήλοις, βλεπόντων δ' ἔμπαλιν πρὸς τὰς ἐναντίας τοῖς ἱππεῦσιν ἐπιφανείας, ἥμισυ ποιοῦντες τὸ βάθος τοῦ μήκους ἑκάστης σημαίας, τῷ καὶ κατὰ τὸ πλῆθος ἡμίσεις ὡς ἐπίπαν εἶναι τούτους τῶν ἄλλων μερῶν. διόπερ ἀνίσων ὄντων πολλάκις τῶν ἀνδρῶν, ἰσάζειν ἀεὶ συμβαίνει πάντα τὰ μέρη κατὰ τὸ μῆκος, διὰ τὴν τοῦ βάθους διαφοράν. Αὖθις δὲ πεντήκοντα πόδας ἀφ' ἑκατέρων τούτων ἀποστήσαντες, ἀντίους παρεμβάλλουσι τοῖς Τριαρίοις τοὺς Πρίγκιπας. νευόντων δὲ καὶ τούτων εἰς τὰ προειρημένα διαστήματα, δύο αὗται πάλιν ἀποτελοῦνται ῥύμαι, τὰς μὲν ἀρχὰς ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας λαμβάνουσαι, καὶ τὰς εἰσβολὰς ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσιν ἐκ τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων ἑκατομπέδου διαστήματος· λήγουσαι δὲ πρὸς τὴν καταντικρὺ τῶν χιλιάρχων πλευρὰν τοῦ χάρακος, ἣν ἐξ ἀρχῆς ὑπεθέμεθα κατὰ πρόσωπον εἶναι τοῦ παντὸς σχήματος. μετὰ δὲ τοὺς Πρίγκιπας ὄπισθεν τούτων ὁμοίως ἔμπαλιν βλέποντας, συμψαύοντα δὲ τὰ σχήματα τιθέντας, τοὺς Ἀστάτους παρεμβάλλουσι. δέκα δὲ σημαίας ἐχόντων ἁπάντων τῶν μερῶν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς διαίρεσιν, πάσας ἴσας συμβαίνει γίνεσθαι τὰς ῥύμας καὶ κατὰ τὸ μῆκος, καὶ τὰς ἀποτομὰς ἰσάζειν αὐτῶν τὰς πρὸς τῇ κατὰ τὸ πρόσωπον πλευρᾷ τοῦ χάρακος, πρὸς ἣν καὶ τὰς τελευταίας σημαίας ἐπιστρέφοντες στρατοπεδεύουσιν.

Ἀπὸ τῶν Ἀστάτων πεντήκοντα πάλιν διαλείποντες πόδας, τοὺς τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἀντίους παρεμβάλλουσι τούτοις, ποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς αὐτῆς εὐθείας, καὶ λήγοντες ἐπὶ

A neque ita semper a nobis vocabitur. Sejuncta sunt invicem Tribunorum tabernacula pari intervallo: eoque tanto, ut per totam latitudinem Romanarum legionum porrigantur. Rursus inita mensura pedum centum frontem versus e regione omnium istorum tabernaculorum, ab ea linea quæ latitudinem hanc definit, & a dictis tentoriis æqualiter omni parte distat; inde, inquam, legiones locare incipiunt: quo in negotio ita se gerunt. Dictam lineam in duo secantes, lineæ ab eo puncto ad rectos angulos ductæ, equites legionis utriusque adversos inter se applicant, in- B vicem disjunctos pedum quinquaginta intervallo: cujus medium sectio illa obtinet. Est autem tabernaculorum in equite & pedite par ac similis ratio. Efficitur namque universa & manipuli & turmarum figura sive pedatura quadrata: eaque ad interjectas vias spectans, longitudinis quidem modum habet definitum juxta ipsam viam; est enim centum pedum: ut plurimum vero etiam, ut profunditas sive latitudo eandem mensuram habeat, efficere conantur, præterquam in Sociis. Quoties autem plenioribus legioni- C bus utuntur; & longitudinis & latitudinis modum æqua proportione adaugent. Fit autem metatio hæc equitum opposita mediis Tribunorum tentoriis, similis vico transversa regione ducto ad modo dictam lineam rectam, & eum locum qui est ante tabernacula Tribunorum. Et est revera vicorum similis hæc omnis species intercurrentium viarum: utpote secundum quas ab utroque latere partim manipuli, partim turmæ porrectas in longum suas metationes habeant. Cæterum a tergo dictorum equitum, Triarios legionis utrius- D que iis applicant; singulos nempe manipulos singulis turmis, figura simili. Ita ut tangentibus se mutuo pedaturis eo respiciant Triarii, unde equites sunt aversi. Latitudinem etiam cujusque manipuli dimidiam longitudinis faciunt, quia & ipsi dimidio fere superantur a cæteris partibus: qua ratione quum impar sæpe sit numerus virorum; semper tamen metationum longitudo est æqualis, propter latitudinis variationem. Rursus autem intervallo pedum quinquaginta ab horum u- E trisque adversos Triariis Principes interjiciunt: quibus ad illud quod commemoravimus intervallum vergentibus, duæ ecce rursus fiunt strigæ, principia atque aditus ab eadem recta linea sumentes cum equitibus: area nempe illa centum pedum, quæ ante Tribunorum est sedem, desinentes vero in latus ambientis castra valli, Tribunis adversum, quod initio posuimus universæ figuræ frontem esse. Proxime Principes, ac pone eos, interserunt Hastatos, retrorsus iterum spectantes, & pedaturis se invicem contingentibus. Quum autem in quaque legionis F parte sint manipuli decem, prout principio eam divisimus, strigæ omnes pari sunt longitudine, & earum quoque extrema æqualiter pertinent ad latus, quod est frons castrorum; quo etiam conversi postremi manipuli tendunt. Ab Hastatis relicto iterum quinquaginta pedum intervallo, Sociorum equites locant adversos: ab eadem cum superioribus

τὴν αὐτήν. ἔστι δὲ τὸ πλῆθος τῶν συμμάχων, A ὡς ἐπάνω προεῖπα, τὸ μὲν τῶν πεζῶν πάρισον τοῖς Ρωμαϊκοῖς στρατοπέδοις, λεῖπον τοῖς ἐπιλέκτοις· τὸ δὲ τῶν ἱππέων διπλάσιον. ἀφῃρημένου καὶ τούτων τοῦ τρίτου μέρους εἰς τοὺς ἐπιλέκτους. διὸ καὶ τὸ βάθος αὔξοντες τούτοις πρὸς λόγον ἐν τοῖς στρατοπεδευτικοῖς σχήμασι, πειρῶνται κατὰ τὸ μῆκος ἐξισοῦν τοῖς τῶν Ρωμαίων στρατοπέδοις. Ἀποτελεσθεισῶν δὲ τῶν ἁπασῶν πέντε διόδων, αὖθις εἰς τοὔμπαλιν ἀπεστραμμένας ὁμοίως τοῖς ἱππεῦσι τιθέασι τὰς τῶν συμμαχικῶν πεζῶν σημαίας, αὔξοντες τὸ βάθος πρὸς λόγον, βλεπούσας δὲ πρὸς τὸν χάρακα, καὶ B πρὸς τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας ἑκατέρας. καθ' ἑκάστην δὲ σημαίαν τὰς πρώτας ἀφ' ἑκατέρου τοῦ μέρους σκηνὰς οἱ ταξίαρχοι λαμβάνουσιν. Ἅμα δὲ τὸν προειρημένον τρόπον παρεμβάλλοντες καθ' ἕκαστον μέρος τὸν ἕκτον οὐλαμὸν ἀπὸ τοῦ πέμπτου πεντήκοντα πόδας ἀφιστᾶσι. παραπλησίως δὲ καὶ τὰς τῶν πεζῶν τάξεις· ὥστε γίγνεσθαι καὶ ταύτην ἄλλην διὰ μέσων τῶν στρατοπέδων δίοδον, ἐπικάρσιον μὲν πρὸς τὰς ῥύμας παράλληλον δὲ ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς, ἣν καλοῦσι πέμπτην, διὰ τὸ παρὰ τὰ πέμπτα C τάγματα παρήκειν. Ὁ δ' ὑπὸ τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνὰς ὄπισθεν τόπος ὑποπεπτωκώς, ἐξ ἑκατέρου δὲ τοῦ μέρους τῆς τοῦ στρατηγοῦ παραστάσεως παρακείμενος, ὁ μὲν εἰς ἀγορὰν γίνεται τόπος, ὁ δ' ἕτερος τῷ τε ταμίᾳ καὶ ταῖς ἅμα τούτῳ χορηγίαις. ἀπὸ δὲ τῆς ἐφ' ἑκάτερα τελευταίας τῶν χιλιάρχων σκηνῆς, κατόπιν οἷον ἐπικαμπίαν ἔχοντες τάξιν πρὸς τὰς σκηνάς, οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι, καί τινες τῶν ἐθελοντηδὸν στρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι. πάντες οὗτοι στρατοπεδεύουσι παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων τοῦ χάρακος ἐπιφανείας· D βλέποντες οἱ μὲν ἐπὶ τὰς τοῦ ταμιείου παρασκευάς, οἱ δ' ἐκ θατέρου μέρους εἰς τὴν ἀγοράν. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνει τούτοις, μὴ μόνον στρατοπεδεύειν σύνεγγυς τῶν ὑπάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς πορείας, καὶ κατὰ τὰς ἄλλας χρείας περὶ τὸν ὕπατον, καὶ τὸν ταμίαν ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν ὅλην διατριβήν. Ἀντίκεινται δὲ τούτοις ἐπὶ τὸν χάρακα βλέποντες οἱ τὴν παραπλησίαν χρείαν παρεχόμενοι πεζοὶ τοῖς προειρημένοις ἱππεῦσιν. Ἑξῆς δὲ τούτοις δίοδος ἀπολείπεται πλάτος ποδῶν ἑκατόν. παράλληλος μὲν ταῖς τῶν χιλιάρχων σκηναῖς· E ἐπὶ θάτερα δὲ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τοῦ στρατηγίου, καὶ τοῦ ταμιείου παρατείνουσα, παρὰ πάντα τὰ προειρημένα μέρη τοῦ χάρακος. παρὰ δὲ τὴν ἀνωτέρω πλευρὰν ταύτης, οἱ τῶν συμμάχων ἱππεῖς ἐπίλεκτοι στρατοπεδεύουσι, βλέποντες ἐπί τε τὴν ἀγορὰν ἅμα καὶ τὸ στρατήγιον, καὶ τὸ ταμιεῖον. κατὰ μέσην δὲ τὴν τούτων τῶν ἱππέων παρεμβολήν, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν τοῦ στρατηγίου περίστασιν, δίοδος ἀπολείπεται πεντήκοντα ποδῶν. φέρουσα μὲν ἐπὶ τὴν ὄπισθεν πλευρὰν τῆς στρατοπεδείας, τῇ δὲ τάξει πρὸς ὀρθὰς κειμένη, τῇ F προειρημένῃ πλατείᾳ. τοῖς δ' ἱππεῦσι τούτοις ἀντίτυποι τίθενται οἱ τῶν συμμάχων ἐπίλεκτοι πεζοί, βλέποντες πρὸς τὴν ὄπισθεν ἐπιφάνειαν τῆς ὅλης στρατοπεδείας. Τὸ δὲ ἀπολειπόμενον ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τούτων κένωμα παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων πλευρὰς δίδοται τοῖς ἀλλοφύλοις, καὶ τοῖς ἐκ καιροῦ προσγινομένοις συμμάχοις,

linea incipientes, in eadem recta deſinentes. Multitudo Sociorum, ut jam ſupra dixi, peditum quidem par admodum eſt Romanis legionibus, detractis Extraordinariis jam facta minor: equitum dupla: quo etiam ex numero pars tertia in Extraordinarios eſt detracta. Icciro in caſtrametationum pedaturis inſtituendis, pro rata ad horum latitudinem adjiciendo, ut longitudine pares ſint Romanis legionibus, efficere conantur. Ubi jam ſunt, abſolutæ intercurrentes viæ (quinque omnino hæ ſunt) manipulos auxiliorum equitibus apponunt ab illis averſos, itidem ut antea: & latitudinem his ad proportionem augent. Spectant autem hi manipuli vallum verſus, & verſus latera ab utraque parte. In ſingulis autem manipulis prima hinc & inde tabernacula Centuriones occupant. Simul, dum eo quem indicavi modo, equites utrinque diſponunt, ſextam turmam a quinta ſpatio pedum quinquaginta ſeparant: idemque in peditum quoque manipulis obſervant: ita ut fiat hæc quoque tranſitio pervia per medias legiones, quæ ratione quidem ſtrigarum tranſverſa regione ducitur, ratione vero tabernaculorum ubi tendunt Tribuni, lineam rectam facit æqualiter ab iis diſtantem. Hanc Romani quia ſecundum quintos ordines pergit, Quintanam nominant. Qui autem poſticæ parti tabernaculorum, ubi tendunt Tribuni, ſubjacet locus, & vacuo circa prætorium ſpacio utrinque adjacet, ejus unam partem occupat Forum; alteram Quæſtor & res exercitui neceſſariæ quæ illum ſequuntur. Ab extremo vero in utraque parte Tribunitio tentorio, a tergo quaſi inflexam efficientes cum ipſis tabernaculis figuram, metantur Selecti ex equitibus Extraordinariis, & eorum nonnulli qui ultro in gratiam Conſulis militant. Omnes hi ſecundum latera caſtrorum locati, ſpectant partim Quæſtorii apparatus, partim qui his ſunt oppoſiti, Forum. Ac fere ſolent iſti non metari tantum prope Conſulem, verum etiam quoties agmen ducitur, ut aliud quod eorum ſit quæ uſus poſtulat, Conſulem & Quæſtorem obſervare, & circa eos continenter agere. Opponuntur his ſpectantes vallum verſus pedites, qui ſimilia modo dictis equitibus miniſteria obeunt. Secundum iſtos via relinquitur pedes centum lata: quæ e regione tabernaculorum Tribunitiorum directa, & a parte altera Fori, Prætorii ac Quæſtorii, omnibus his locis prætenta ad vallum uſque porrigitur. Ad ſuperius viæ hujuſce latus Extraordinarii Sociorum equites caſtrametantur, Forum ſimul & Prætorium ac Quæſtorium e regione habentes: horum prætenturæ circa medium, & ex adverſo ejus loci quem occupat Prætorium, via relinquitur pedum L. quæ ad poſticum latus caſtrorum ferens ſitus ſui ratione latæ, quam diximus, viæ ad angulos rectos incumbit. Rurſus pone equites iſtos locantur auxiliorum pedites Extraordinarii, vallum & univerſorum caſtrorum averſa reſpicientes. Quod reſtat vacui ſpacii ad latera hinc & inde Extraneis attribuitur, & Sociis ſi qui forte propter aliquam occaſionem advenerint. Hæc quum ita ſe habeant, univerſa quidem ca-

τούτων

A τούτων δ' οὕτως ἐχόντων, τὸ μὲν σύμπαν σχῆμα γίνεται τῆς στρατοπεδείας τετράγωνον ἰσόπλευρον· τὰ δὲ κατὰ μέρος ἤδη τῆς τε ῥυμοτομίας ἐν αὐτῇ, καὶ τῆς ἄλλης οἰκονομίας, πόλει παραπλησίαν ἔχει τὴν διάθεσιν. Τὸν δὲ χάρακα τῶν σκηνῶν ἀφιστᾶσι κατὰ πάσας τὰς ἐπιφανείας διακοσίους πόδας. τοῦτο δὲ τὸ κένωμα, πολλὰς καὶ δοκίμους αὐτοῖς παρέχεται χρείας. πρός τε γὰρ τὰς εἰσαγωγὰς καὶ τὰς ἐξαγωγὰς τῶν στρατοπέδων εὐφυῶς ἔχει, καὶ δεόντως. ἕκαστοι γὰρ κατὰ τὰς ἑαυτῶν ῥύμας εἰς τοῦτο τὸ κένωμα ποιοῦνται τὴν ἔξοδον, ἀλλ' οὐκ εἰς μίαν συμπί-

B πτοντες ἀνατρέπουσι καὶ συμπατοῦσιν ἀλλήλους. τάς τε τῶν παρεισαγομένων θρεμμάτων, καὶ τὰς ἐκ τῶν πολεμίων λείας εἰς τοῦτο παράγοντες ἀσφαλῶς τηροῦσι τὰς νύκτας. τὸ δὲ μέγιστον, ἐν ταῖς ἐπιθέσεσι ταῖς νυκτεριναῖς, οὔτε πῦρ οὔτε βέλος ἐξικνεῖται πρὸς αὐτούς, πλὴν τελείως ὀλίγων. γίνεται δὲ καὶ ταῦτα σχεδὸν ἀβλαβῆ, διά τε τὸ μέγεθος τῆς ἀποστάσεως, καὶ διὰ τὴν τῶν σκηνῶν περίστασιν. Δεδομένου δὲ τοῦ πλήθους, καὶ τῶν πεζῶν καὶ τῶν ἱππέων, καθ' ἑκατέραν τὴν πρόθεσιν, ἄν τε τε-

C τρακισχιλίους, ἄν τε πεντακισχιλίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον ποιῶσι. παραπλησίως δὲ καὶ τῶν σημείων τοῦ τε βάθους καὶ τοῦ μήκους καὶ τοῦ πλάτους δεδομένου· πρὸς δὲ τούτοις τῶν μεταξὺ τὰς διόδους καὶ πλατείας διαστημάτων. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων δεδομένων, συμβαίνει τοῖς βουλομένοις συνεφιστάνειν καὶ τοῦ χωρίου τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὅλην περίμετρον τῆς παρεμβολῆς. Ἐὰν δέ ποτε πλεονάζῃ τὸ τῶν συμμάχων πλῆθος, ἢ τῶν ἐξ ἀρχῆς συστρατευομένων, ἢ τῶν ἐκ τοῦ καιροῦ προσγινομένων ταῖς μὲν ἐκ τοῦ

D καιροῦ, πρὸς τοῖς προειρημένοις καὶ τοὺς παρὰ τὸ στρατήγιον ἀναπληροῦσι τόπους, τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ταμιεῖον, συναγαγόντες εἰς αὐτὸν τὸν κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν τόπον. τοῖς δ' ἐξ ἀρχῆς συνεκπορευομένοις, ἐὰν ᾖ πλῆθος ἱκανώτερον, ῥύμην μίαν ἑκατέρου τοῦ μέρους τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις παρὰ τὰς ἐκ τῶν πλαγίων ἐπιφανείας παρατιθέασι. Πάντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων, καὶ τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς ἕνα χάρακα συναθροισθέντων, οὐδὲν ἕτερον δεῖ νοεῖν, πλὴν δύο στρατείας κα-

E τὰ τὸν ἄρτι λόγον παρεμβεβληκυίας ἀντεστραμμένας αὐταῖς συναπτούσας κατὰ τὰς τῶν ἐπιλέκτων ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβολάς. οὓς ἐποιούμεθα εἰς τὴν ὀπίσω βλέποντας ἐπιφάνειαν τῆς ὅλης παρεμβολῆς. ὅτε δὴ συμβαίνει γίνεσθαι τὸ μὲν σχῆμα παράμηκες, τὸ δὲ χωρίον διπλάσιον τοῦ πρόσθεν, τὴν δὲ περίμετρον ἡμιόλιον. ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν, οὕτως ἀεὶ χρῶνται ταῖς στρατοπεδείαις. ὅταν δὲ χωρίς, τ' ἄλλα μὲν ὡσαύτως, τὴν δ' ἀγοράν, καὶ τὸ ταμιεῖον, καὶ τὸ στρατήγιον, μέσον τιθέασι τῶν

F δυεῖν στρατοπέδων. Μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν συναθροισθέντες οἱ χιλίαρχοι, τοὺς ἐκ τοῦ στρατοπέδου πάντας ἐλευθέρους ὁμοῦ καὶ δούλους ὁρκίζουσι, καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν. ὁ δ' ὅρκος ἐστίν, ΜΗΔΕΝ ΕΚ ΤΗΣ ΠΑΡΕΜΒΟΛΗΣ ΚΛΕΨΕΙΝ· ΑΛΛΑ ΚΑΝ ΕΥΡΗΙ ΤΙΣ, ΤΟΥΤ' ΑΝΟΙΣΕΙΝ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΧΙΛΙΑΡΧΟΥΣ. Ἑξῆς δὲ τούτοις διέταξαν τὰς σημαίας ἐξ ἑκάστου

rum forma est quadrata æquilatera : at strigarum in iis directiones & reliqua partium dispositio speciem urbi similem præbet . Porro vallum inter ac tabernacula spacium quaquaversum pedum ducentorum interjiciunt , & est illis hic inanis locus ad res multas easque eximias magno usui . Nam & ut induci educique rite ac commode legiones queant , præstat id spacium : quippe omnes ex adverso suæ quisque strigæ in locum hunc inanem se effundunt , neque in eandem viam concursu facto omnium , sese invicem evertunt ac conculcant . Ad hæc , prædam , sive pecudum quæ e vicinis locis subinde abiguntur , sive illam quæ hostibus adimitur , horsum cogunt & per noctes tuentur . Maximum vero est quod in nocturnis invasionibus neque ignis neque telum ad eos pertingit , nisi perquam rarissime : & id quoque fere sine ullo damno , cum propter intervalli longitudinem , tum propter circumposita tentoria . Quum igitur data explorataque sit qua peditum qua equitum multitudo in singulis legionibus , sive quatuor millium , sive quinque eas facere voluerint : posita etiam profunditatis , longitudinis & latitudinis indicia : hoc amplius intervalla arctiorum & latiorum viarum , pariterque alia hoc genus omnia quum data sint ; facile erit cupientibus magnitudinem spatii totius , atque adeo castrorum universum ambitum , simul intelligere . Quod si major aliquando Sociorum adsit copia , qui vel ab initio expeditionis comites fuerint , vel pro tempore postea advenerint , istis quidem quos occasio adduxit , præter jam dicta , etiam vacua circa Prætorium loca complent , Forum & Quæstorium in eundem , quem potissimum præsens utilitas suggesserit , conferentes locum . Iis vero qui ab initio comitantur , locandis , si major eorum sit numerus , strigam unam ab utraque parte Romanarum legionum , ad superiorem metaturam , in lateribus castrorum apponunt . At si quatuor legiones & Consules ambo intra unum vallum fuerint congregati , aliud nihil fingere animo debes , nisi duos exercitus exposito jam modo locatos , cohærere inter se , invicem sibi obversos , contingentes sese qua parte utriusque exercitus Extraordinarii , quos statuebamus tergum universorum castrorum spectare , metantur , cum quidem usuvenit , ut figura fit oblonga , spatium prioris duplum , circuitus sesquialter . Ac quoties quidem Coss. ambo juncta habent castra , semper hoc modo illa disponuntur : quoties vero separata , cætera quidem , ut dictum est antea , locant ; Forum vero , Quæstorium & Prætorium in medio constituunt utriusque exercitus . Peracta metatione castrorum , conveniunt in unum Tribuni , & ab omnibus qui in legione quaque sunt liberi aut servi , jusjurandum exigunt , viritim singulis jurantibus . Est illud ejusmodi : NIHIL E CASTRIS SE FURATURUM : VERUM ETSI QUID FORTE ALIQUIS INVENERIT , AD TRIBUNOS RELATURUM . Secundum hæc manipulos Principum & Hastatorum cujus-

στρατοπέδου τῶν Πριγκίπων, καὶ τῶν Αστάτων· δύο μὲν εἰς τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ τόπου τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων. τὴν γὰρ διατριβὴν ἐν ταῖς καθημερείαις οἱ πλεῖστοι τῶν Ῥωμαίων ἐν ταύτῃ ποιοῦνται τῇ πλατείᾳ· διόπερ ἀεὶ σπουδάζουσι περὶ ταύτης, ὡς ῥαίνηται καὶ καλλύνηται σφίσιν ἐπιμελῶς. τῶν δὲ λοιπῶν ὀκτωκαίδεκα, τρεῖς ἕκαστος τῶν χιλιάρχων διαλαγχάνει. τοσαῦται γάρ εἰσι τῶν Αστάτων καὶ Πριγκίπων ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ σημαῖαι, κατὰ τὴν ἄρτι ῥηθεῖσαν διαίρεσιν· χιλίαρχοι δὲ ἕξ. τῶν δὲ τριῶν σημαιῶν ἀνὰ μέρος ἑκάστη ἑκάστῳ τῶν χιλιάρχων λειτουργεῖ λειτουργίαν τοιαύτην. ἐπειδὰν καταστρατοπεδεύσωσι, τὴν σκηνὴν ἱστᾶσιν οὗτοι, καὶ τὸν περὶ σκηνὴν τόπον ἠδάφισαν. κἄν τι περιφράξαι δέῃ τῶν σκευῶν ἀσφαλείας χάριν, οὗτοι φροντίζουσιν. διδόασι δὲ καὶ φυλάκεια δύο. τὸ δὲ φυλάκειόν ἐστι ἐκ τεττάρων ἀνδρῶν, ὧν οἱ μὲν πρὸ τῆς σκηνῆς, οἱ δὲ κατόπιν παρὰ τοὺς ἵππους ποιοῦνται τὴν φυλακήν. οὐσῶν δὲ σημαιῶν ἑκάστῳ χιλιάρχῳ τριῶν. ἐν ἑκάστῃ δὲ τούτων ἀνδρῶν ὑπαρχόντων ὑπὲρ τοὺς ἑκατὸν, χωρὶς τῶν Τριαρίων καὶ Γροσφομάχων (οὗτοι γὰρ οὐ λειτουργοῦσι) τὸ μὲν ἔργον γίνεται κοῦφον, διὰ τὸ παρὰ τετάρτην ἡμέραν ἑκάστῃ σημαίᾳ καθήκειν τὴν λειτουργίαν. τοῖς δὲ χιλιάρχοις ἅμα μὲν τὸ τῆς εὐχρηστίας ἀναγκαῖον, ἅμα δὲ τὸ τῆς τιμῆς, διὰ τῶν προειρημένων ἀποτελεῖται σεμνὸν καὶ προστατικόν. αἱ δὲ τῶν Τριαρίων σημαῖαι, τῆς μὲν τῶν χιλιάρχων παραλύονται λειτουργίας· εἰς δὲ τοὺς τῶν ἱππέων οὐλαμοὺς ἑκάστη σημαία καθ' ἡμέραν δίδωσι φυλάκειον, ἀεὶ τῷ γειτνιῶντι κατόπιν τῶν οὐλαμῶν. οἵτινες τηροῦσι μὲν καὶ τἄλλα, μάλιστα δὲ τοὺς ἵππους· ἵνα μήτ' ἐμπλεκόμενοι τοῖς δέμασι, βλάπτωνται πρὸς τὴν χρείαν· μήτε λυόμενοι καὶ προσπίπτοντες ἄλλοις ἵπποις ταραχὰς καὶ θορύβους ἐμποιῶσι τῷ στρατοπέδῳ. μία δ' ἐξ ἁπασῶν καθ' ἡμέραν σημαία ἀνὰ μέρος τῷ στρατηγῷ παρακοιτεῖ· ἥτις ἅμα μὲν ἀσφάλειαν παρασκευάζει τῷ στρατηγῷ πρὸς τὰς ἐπιβουλὰς, ἅμα δὲ κοσμεῖ τὸ πρόσχημα τῆς ἀρχῆς. Τῆς δὲ ταφρείας καὶ χαρακοποιίας, δύο μὲν ἐπιβάλλουσι πλευραὶ τοῖς συμμάχοις, παρ' ἃς καὶ στρατοπεδεύει τὸ κέρας αὐτῶν ἑκάτερον. δύο δὲ τοῖς Ῥωμαίοις, ἑκατέρῳ τῷ στρατοπέδῳ μία. Διαιρεθείσης δὲ πλευρᾶς ἑκάστης κατὰ σημαίαν, τὴν μὲν κατὰ μέρος ἐπιμέλειαν οἱ ταξίαρχοι ποιοῦνται παρεστῶτες, τὴν δὲ καθόλου δοκιμασίαν τῆς πλευρᾶς δύο τῶν χιλιάρχων. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν τὴν κατὰ τὸ στρατόπεδον ἐπιμέλειαν οὗτοι ποιοῦνται. δύο γὰρ σφᾶς αὐτοὺς διελόντες ἀνὰ μέρος τῆς ἑξμήνου τὸν δίμηνον ἄρχουσι, καὶ πάσης οἱ λαχόντες τῆς ἐν τοῖς ὑπαίθροις προΐστανται χρείας. ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς ἀρχῆς ἐστι τῶν Πραιφέκτων περὶ τοὺς συμμάχους. Οἱ δ' ἱππεῖς καὶ ταξίαρχοι, πάντες ἅμα τῷ φωτὶ παραγίνονται πρὸς τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνάς· οἱ δὲ χιλίαρχοι πρὸς τὸν ὕπατον· κἀκεῖνος μὲν τὸ κατεπεῖγον ἀεὶ παραγγέλλει τοῖς χιλιάρχοις, οἱ δὲ χιλίαρχοι τοῖς ἱππεῦσι καὶ ταξιάρχοις· οὗτοι δὲ τοῖς πολλοῖς, ὅταν ἑκάστων ὁ καιρὸς ᾖ. Τὴν δὲ τοῦ νυκτερινοῦ συνθήματος παράδοσιν ἀσφαλίζονται τὸν τρόπον τοῦτον. καθ' ἕκαστον γένος καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν, οἱ ἐκ τῆς δεκάτης σημαίας ἐν τοῖς τελευταίοις μέρεσι στρατοπεδεύουσιν κατὰ τὰς ῥύμας. ἐκ τούτων εἷς ἑκάστης ἀνὴρ λαμβάνεται κατ' ἐκλογὴν, ὃς τῶν κατὰ τὰς φυλακὰς λειτουργιῶν

A que legionis ordinant : duos ad curam loci ante Tribunorum tentoria . In hac namque lata via plerique Romanorum dies totos verſantur , propterea ut aſpergatur ac ſcopis mundetur diligenter , curam ſemper adhibent : e reliquis octodecim manipulis ternos ſinguli Tribuni ſortiuntur : tot enim ſunt in unaquaque legione ex ſuperiore noſtra tributione , Haſtatorum ac Principum manipuli : Tribuni autem militum ſex . Trium autem horum manipulorum quiſque ſuam vicem Tribuno hujuſmodi præſtant miniſterium . B Ubi caſtris locus eſt captus , hi ſunt qui tentorum ſtatuere , & locum circa pavire ac complanare ſolent : & ſi quid ad utenſilium cuſtodiam fuerit ſepto claudendum , id quoque iſtis curæ : præſtant & binas excubias . Harum ſingulas quaterni viri obeunt : quorum pars ante tabernacula , pars a tergo juxta equos ponitur in cuſtodia . Quum autem quiſque Tribunorum tres habeat manipulos , & in quoque eorum milites ſupra centum , præter Triarios & Velites , qui non miniſtrant , haud grave C illis hoc munus eſt , quarto demum die vice ſua ad ſingulos manipulos redeunte . At Tribunorum tum commoditati ad ea quæ ſunt neceſſaria , hac ratione conſulitur ; tum etiam honori , ad dignitatem & auctoritatem eis conciliandam . Triariorum vero manipuli a miniſtrando Tribunis ſunt liberi : ſed eorum ſinguli turmis equitum quotidie quaternos milites præbent , ad excubandum ei turmæ , quæ a tergo proxime aſſidet . Hi cum alia cuſtodiunt , tum equos maxime : ne aut vinculis impliciti fiant inu- D tiles , aut ſoluti in alios equos incidant & trepidationem ac tumultum in exercitu faciant . Unus porro e cunctis manipulis , ſuam quiſque vicem Imperatori excubat ; qui & tutum ab inſidiis eum præſtat & imperii majeſtatem ſimul ornat . Porro in præducenda foſſa & ſtruendo vallo , duo Sociis latera incumbunt , ad quæ ipſorum utraque ala metatur : duo reliqua Romanis ; utrique legioni unum . Diviſo autem per manipulos unoquoque latere , quum per partes curent Centuriones , ipſi inſtantes operi : lateris univerſi proba- E tio ad duos e Tribunis pertinet . Similiter & cæteram caſtrorum curam hi ſuſtinent . In binos enim dividentes ſeſe , mutua vice ſemeſtris ſpacii menſes duos imperant : ac quibus ſors evenit , ii omnibus quæ in caſtris geruntur , præſunt . Eadem eſt ratio imperandi & Præfectorum inter Socios . Ad Tribunorum tabernacula luce orta equites præſto ſunt , & ductores ordinum : Tribuni ſtatim ad Conſulem ; hic quæ uſus poſtulat Tribunis mandat ; Tribuni equitibus & Cen- F turionibus ; iſti militibus , ubi ſuum quæque res tempus eſt nacta . In nocturnæ teſſeræ traditione ne quid peccetur , hoc cavent modo . In unoquoque genere equitum peditumque , milites decimi ſigni in extremis partibus ſtrigarum metantur : e ſingulis iſtis decimis ordinibus unum inter omnes eligunt , quem ab excubandi munere liberant . Hic quotidie circa ſolis occaſum ad Tribuni tentorium venit , & teſſera accepta-

A ἀπολύεται. παραγίνεται δὲ καθ' ἡμέραν δύνοντος ἡλίου πρὸς τὴν τοῦ χιλιάρχου σκηνὴν, καὶ λαβὼν τὸ σύνθημα (τοῦτο δ' ἐστὶ πλατεῖον ἐπιγεγραμμένον) ἀπαλλάττεται πάλιν. ἀναχωρήσας δ' ἐπὶ τὴν αὐτοῦ σημαίαν, τότε ξυλήφιον παρέδωκε, καὶ τὸ σύνθημα μετὰ μαρτύρων τῷ τῆς ἐχομένης σημαίας ἡγεμόνι· παραπλησίως δὲ πάλιν οὗτος τῷ τῆς ἐχομένης· τὸ δ' ὅμοιον ἑξῆς ποιοῦσι πάντες, ἕως ἂν ἐπὶ τὰς πρώτας καὶ σύνεγγυς τοῖς χιλιάρχοις στρατοπεδευούσας σημαίας διϊκνῆται. τούτοις δὲ δεῖ τὸ πλατεῖον ἔτι φωτὸς ὄντος ἀναφέρειν πρὸς τοὺς χιλιάρχους· κἂν μὲν ἀνενεχθῇ πάντα τὰ δοθέντα, B γιγνώσκει, διότι δέδοται τὸ σύνθημα πᾶσι, καὶ διὰ πάντων εἰς αὐτὸν ἥκει. ἐὰν δ' ἐλλείπῃ τι, παρὰ πόδας ζητεῖ τὸ γεγονὸς. εἰδὼς ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς, ἐκ ποίου μέρους οὐχ ἥκει τὸ πλατεῖον. οὗ δ' ἂν εὑρεθῇ τὸ κώλυμα, τυγχάνει τῆς καθηκούσης ζημίας. Τὰ δὲ περὶ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς οὕτως οἰκονομεῖται παρ' αὐτοῖς. τὸν μὲν στρατηγὸν, καὶ τὴν τούτου σκηνὴν ἡ παρακοιτοῦσα σημαία φυλάττει. τὰς δὲ τῶν χιλιάρχων καὶ τοὺς τῶν ἱππέων οὐλαμοὺς, οἱ διατεταγμένοι, κατὰ τὸν ἄρτι λόγον, ἐξ ἑκάστης σημαίας. Ὁμοίως δὲ καὶ παρ' ἕκαστον τάγμα πάντες ἐξ ἑαυτῶν τιθέασι φυλακήν· C τὰς δὲ λοιπὰς ὁ στρατηγὸς ἀποτάττει. γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τὸν ταμίαν, καὶ παρ' ἕκαστον τῶν πρεσβευτῶν, καὶ συμβούλων δύο. τὴν δ' ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ Γροσφομάχοι πληροῦσι, παρ' ὅλον καθ' ἡμέραν τὴν χάρακα παρακοιτοῦντες. Αὕτη γὰρ ἐπιτέτακται τούτοις ἡ λειτουργία. ἐπὶ τῶν εἰσόδων ἀνὰ δέκα ποιοῦνται τούτων αὐτῶν τὰς προκοιτείας. τῶν δ' εἰς τὰς φυλακὰς ἀποταχθέντων ἀφ' ἑκάστου φυλακείου, τὸν τὴν πρώτην μέλλοντα τηρεῖν, εἷς ἐξ ἑκάστης σημαίας οὐραγὸς ἄγει πρὸς τὸν χιλίαρχον ἑσπέρας. D ὁ δὲ δίδωσι τούτοις πᾶσι ξυλήφια κατὰ φυλακὴν, βραχέα τελέως ἔχοντα χαρακτῆρα. λαβόντες δ' οὗτοι μὲν ἐπὶ τοὺς ἀποδεδειγμένους ἀπαλλάττονται τόπους. Ἡ δὲ τῆς ἐφοδείας πίστις, εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται. Δεῖ γὰρ τὸν πρῶτον ἰλάρχην καθ' ἕκαστον στρατόπεδον ἑνὶ τῶν οὐραγῶν τῶν αὐτοῦ παραγγεῖλαι πρωῒ παράγγελμα τοιοῦτον. ἵνα τέτταρσιν οὗτος ἐμφανίσῃ νεανίσκοις τῶν τῆς ἰδίας ἴλης πρὸ ἀρίστου τοῖς μέλλουσιν ἐφοδεύειν. μετὰ δὲ ταῦτα τῷ τῆς ἐχομένης ἴλης ἡγεμόνι δεῖ τὸν αὐτὸν ἀφ' ἑσπέρας παραγγεῖλαι, διότι τούτῳ καθήκει τὰ περὶ τῆς E ἐφοδείας φροντίζειν εἰς τὴν αὔριον. τοῦτον δ' ἀκούσαντα, παραπλησίως ταὐτὰ δεῖ ποιεῖν τοῖς προειρημένοις εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν. ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ἑξῆς. οἱ δὲ προχειρισθέντες ὑπὸ τῶν οὐραγῶν, ἐκ τῆς πρώτης ἴλης τέτταρες, ἐπειδὰν διαλάχωσι τὰς φυλακὰς, πορεύονται πρὸς τὸν χιλίαρχον, καὶ γραφὴν λαμβάνουσι, * πόσου καὶ πόσας ἐφοδεῦσαι δεῖ φυλακάς· μετὰ δὲ ταῦτα παρακοιτοῦσιν οἱ τέτταρες, παρὰ τὴν πρώτην σημαίαν τῶν Τριαρίων· ὁ γὰρ ταύτης ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανᾶν. F Συνάψαντος δὲ τοῦ καιροῦ τὴν πρώτην ἐφοδεύει φυλακὴν ὁ ταύτην λαχὼν, ἔχων μετ' αὐτοῦ μάρτυρας τῶν φίλων. ἐπιπορεύεται δὲ τοὺς ῥηθέντας τόπους, οὐ μόνον τοὺς περὶ τὸν χάρακα καὶ τὰς εἰσόδους, ἀλλὰ καὶ τοὺς κατὰ σημαίαν ἅπαντας, καὶ τοὺς κατ' οὐλαμόν. κἂν μὲν εὕρῃ τοὺς φυλάττοντας τὴν πρώτην ἐγρηγορότας, λαμβάνει παρὰ τούτων τὸ κάρφος.

(ea eſt latior tabella inſcripta) revertitur qui ut ad ſignum ſuum eſt reverſus, parvulum id lignum ac ſimul teſſeram adhibitis teſtibus proximi ordinis Ductori tradit : ille ſimiliter, ſequentis Centurioni : atque idem omnes deinceps faciunt : donec ad primos ordines qui prope Tribunos tendunt, ſignum perveniat. Hos oportet tabellam ad Tribunos referre, dum adhuc lucet. Tribunus ſi omnes fuerint relatæ, quas dederat, cognoſcit teſſeram ad omnes & per omnes ad ſe veniſſe. Sin deſit aliqua, e veſtigio, qui factum ſit hoc, inquirit : notum habens ex inſcriptione, cujus partis tabella non ſit allata : atque is per quem ſtetiſſe invenitur, multa condigna afficitur. Quod ad vigilias nocturnas, eæ adminiſtrantur a Romanis hoc modo. Imperatorem & Prætorium ejus cuſtodit manipulus ante fores ſolitus excubare. Tribunorum tabernacula & equitum turmas, qui ad id ſunt deſignati e ſingulis manipulis, ut ante diximus. Similiter etiam ad quemque ordinem excubias e ſuo numero omnes locant : reliquas Imperator ipſe diſponit. Fere autem ad Quæſtoris tutelam ternæ excubiæ conſtituuntur : ad Legatorum, qui concilium participant, binæ. At laterum exteriorum cuſtodiam velites agunt, qui propter vallum totum de die in excubiis manent. Hoc enim muneris eſt illis impoſitum. Hi ad uniuſcujuſque portæ ac lateris cuſtodiam de ſuo numero denas collocant excubias. E ſingulis autem quaternionibus eorum qui ad cuſtodias agendas ſunt deſtinati, ille qui primus in ſtatione eſt futurus, ad Tribunum veſpere deducitur ab agminis coactore cujuſque ſigni. Tribunus omnibus his pro ſingulis excubiis parvulas e ligno teſſellas tradit oppido exiguas, quæ nota quadam ſunt inſignitæ : illi his acceptis ad deſignatas quiſque ſtationes concedunt. At circuitionis fides curæ equitum demandatur. Oportet enim ut qui primi ſunt in quaque legione Turmarum Præfecti, uni e ſuis coactoribus agminis mane hujuſmodi dent præceptum, ac juvenibus quatuor ſuæ turmæ ante prandium edicat, ipſos eſſe qui circuire debeant : deinde Præfecto turmæ ſecundæ ſignificare idem tenetur ſub veſperam, pertinere ad ipſum circuitionis munus in diem ſequentem. Hunc quoque ſimiliter, ubi præceptum accepit, eadem facere cum jam dictis in proximum diem oportet ; & ita alios quoque deinceps. Quatuor autem illi, quos e prima turma agminis coactores elegerunt, vigilias inter ſe ſortiti, Tribunum adeunt, & ſcriptum ab eo accipiunt, quæ loca & quot vigilias obire oporteat : deinde ad primum manipulum Triariorum excubias agunt illi quatuor, quoniam ejus Centurioni cura incumbit ad quamque vigiliam buccina ſignum dandi. Ubi tempus venit, primam vigiliam circuit qui eam fuerit ſortitus, teſtes ſecum habens, ex amicis nonnullos. Obit autem hic dictas ſtationes non circa vallum dumtaxat & portas, verum etiam circa manipulos omnes ac turmas : qui ſi primæ vigiliæ cu-

ἐὰν δ' εὕρῃ κοιμώμενον ἢ λελοιπότα τινὰ τὸν τόπον, ἐπιμαρτυράμενος τοὺς σύνεγγυς, ἀπαλλάττεται. τὸ δὲ παραπλήσιον γίνεται καὶ ὑπὸ τῶν τὰς ἑξῆς φυλακὰς ἐφοδευόντων. τὴν δ' ἐπιμέλειαν τοῦ κατὰ φυλακὴν βυκανᾶν, ὡς ἀρτίως εἶπον, ἵνα σύμφωνον ᾖ τοῖς ἐφοδεύουσι πρὸς τοὺς φυλάττοντας, οἱ τῆς πρώτης σημαίας τῶν Τριαρίων ἐξ ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου ταξίαρχοι, καθ' ἡμέραν ποιοῦνται. τῶν δ' ἐφόδων ἕκαστος ἅμα τῷ φωτὶ πρὸς τὸν χιλίαρχον διαφέρει τὸ σύνθημα. κἂν μὲν ᾖ πάντα τὰ δεδομένα χωρὶς ἐγκλήματος, ἀπαλλάττονται πάλιν. ἂν δέ τις ἐλάττω φέρῃ τοῦ πλήθους τῶν φυλακείων, ζητοῦσιν ἐκ τοῦ χαρακτῆρος, ποῖον ἐκ τῶν φυλακείων λέλοιπε. τούτου δὲ γνωσθέντος, καλεῖ τὸν ταξίαρχον. οὗτος δ' ἄγει τοὺς ἀποταχθέντας εἰς τὴν φυλακήν. οὗτοι δὲ συγκρίνονται πρὸς τὴν ἔφοδον. ἐὰν μὲν οὖν ἐν τοῖς φύλαξιν ᾖ τὸ κακόν, εὐθέως δῆλός ἐστιν ὁ τὴν ἔφοδον ἔχων, ἐπιμαρτυράμενος τοὺς σύνεγγυς. ὀφείλει γὰρ τοῦτο ποιεῖν. ἐὰν δὲ μηδὲν ᾖ τοιοῦτο γεγονός, εἰς τὸν ἔφοδον ἀναχωρεῖ τοὔγκλημα.

A stodes offenderit vigilantes, tenue illud lignum ab iis accipit: at si aliquis dormiens fuerit inventus, aut qui stationem deseruerit, attestatus eos qui adsunt, abit. Consimile fit & ab iis qui sequentes vigilias lustrant. Dandi autem signi buccina vigiliis singulis, quo circuitoribus cum vigilibus conveniat, curam gerunt suo quisque die Centuriones primi manipuli Triariorum, ex utraque legione. Prima dein luce singuli qui perlustraverunt vigilias ad Tribunum tesseras deferunt: quæ si tot inveniantur quot fuerant datæ, inculpati discedunt: sin
B pauciores aliquis referat quam pro numero excubiarum, ex impressa nota de eo excubitorum quaternione cujus ratio non constat, inquirunt. Qua re cognita Centurionem vocat: hic designatos ad vigilias adducit: qui cum circuitore disceptant. Quod si penes vigiles culpa hæreat, confestim qui lustravit, testificatum se esse proximos declarat: hoc enim faciat oportet. atque id si non fuerit factum, ad circuitorem redit culpa.



AD POLYBII SCRIPTUM DE CASTRIS NOTÆ.



ΕΝὸς ὑπάρχοντος παρ' αὐτοῖς θεωρήματος ἁπλῦ περὶ τὰς παρεμβολὰς, ᾧ χρῶνται πρὸς πάντα καιρὸν ϗ τόπον.) *Eſt autem una apud illos & ſimplex circa caſtrametationes obſervatio, qua omni tempore & loco utuntur.*) In acie inſtruenda, nec non ponendis caſtris veteres Romani, quoad ejus fieri poterat, unam ſemper eandemque ſervabant rationem: ſed inprimis in his. Cauſa præcipua, quod exiſtimarent ordinem in caſtris, velut animam rationemque in corpore humano eſſe, cujus maxima ſemper cura eſſe debeat: ordinem autem ſervari non poſſe, niſi omnibus & ſingulis nota eſſent munera ſua; nec nota eſſe, niſi certa & definita, utique non varia, nec admodum difficilia. Ideo ait Polybius, Romanos contrariam Græcis inſtitiſſe viam, quod facilitati ſtuderent. ᾗ ϗ δοκῦσι Ρωμαῖοι καταδιώκοντες τὴν ἐν τούτοις εὐχέρειαν τὴν ἐναντίαν ὁδὸν πορεύεσθαι τοῖς Ἕλλησι κτ̀ τῦτο τὸ μέρος: & paulo poſt: Ρωμαῖοι δὲ τὴν περὶ τὰς τάφρυς ταλαιπωρίαν ϗ τ' ἄλλα τὰ παρεπόμενα τύτοις ὑπομένειν αἱρῦνται χάριν τῆς εὐχερείας ϗ τῦ γνώριμον ϗ μίαν ἔχειν ϗ τὴν αὐτὴν αἰεὶ παρεμβολήν. Nam quæ quotidie fieri ex diſciplina militari erat, ea non oportebat eſſe incerta nec multæ computationis: quare eam formam inſtituebant, in qua nihil novum eſſet, præter locum, nihil arduum & laborioſum, præter operum laborem, quem quotidiano uſu & apta diſtributione emolliebant & facilem ſibi reddebant.

Τῦ κτ̀ τὰς πορείας ϗ ςρατοπεδείας ϗ παρατάξεις χειρισμῦ τῶ δυνάμεων.) *Modum & rationem diſponendi copias in agmine, metandis caſtris & acie inſtruenda.*) Quamvis & agminis & aciei rationem promittat, & illam quoque deinde exſequatur, non tantum metationem caſtrorum: hanc tamen partem potiſſimum docere voluiſſe ſatis oſtendit, tum quod eam aggreſſurus hæc præfatur, tum quod non aliam plenius tractat, & in fine diſſertationis tractaſſe ſe profitetur: Τὰ μὲν ὖν ὁλοσχερέςερα μέρη τῆς περὶ τὰ ςρατόπεδα θεωρίας ϗ

A μάλιςα περὶ τὰς παρεμβολὰς ταῦτ' ἐςίν.

Εςι δὲ τὸ γένος αὐτῶ τῆς ςρατοπεδείας τοιόνδε.) *Eſt autem caſtrametatio eorum hujuſmodi.* Putat Patritius Polybium ordinem naturalem, quem paulo ante in præfatione & partitione hujus digreſſionis obſervaverit, hic neglexiſſe: prius enim tempore & natura eſſe iter, poſteriorem caſtrorum collocationem: itaque de agmine prius agere debuiſſe. Sed non cogitavit Romanos eo in loco, quo ad edictum conſulis conveniſſent, ſtatim caſtra poſuiſſe: dixit id paulo ante Polybius: Τύτων δ' εὐτρεπῶν γενομένων παραλαβόντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς Ρωμαίυς ὁμῦ ϗ τὺς συμμάχυς κατεςρατοπέ- B δευσαν. Sequitur autem Polybius in hoc ſcripto ordinem Romanorum. Primum delectum habet, delectos ſacramento rogat, & ſtatim edicit diem ad conveniendum. Deinde eos (ipſi interim faciebant) armat. Ubi convenerunt, cæteris, quæ ſuperſunt agenda, ordinatis, caſtra ponit, & quæ ad caſtra pertinent, ordine docet. Recte igitur & ex more Romanorum caſtra prius poſuit, quam movit.

Τῦ κριθέντος αἰεὶ τόπυ.) Qui longo uſu caſtrorum ponendorum veteres, ex ipſo aſpectu & con- C templatione loci, facile de magnitudine & capacitate ejus judicabant, & ſi quid forte dubitarent, jactu ſagittæ ſpatium dimetiebantur, ſcribente Julio Africano.

Τὸν ἐπιτηδειότατον εἰς σύνοψιν ἅμα ϗ παραγγελίαν.) Similem in urbe obſeſſa locum Prætorem, qui ſummæ rei præſt, cum comitibus tenere vult Æneas: Τὸν μὲν ςρατηγὸν τ̃ πόλεως ἡγεμόνα ϗ τοὺς μετ' αὐτῦ τετάχθαι δεῖ περὶ τὰ ἀρχεῖα καὶ τὴν ἀγορὰν, ἐὰν ὀχυρότητος μετέχῃ. εἰ δὲ μὴ, προκατειλῆφθαι τόπον τ̃ πόλεως ἐρυμνότατόν τε ϗ ἐπὶ πλεῖςον ἀπ' αὐτῦ τ̃ πόλεως ὁρώμενον.

D Η τῦ ςρατηγῦ σκηνή.) *Prætorium ſive ducis tabernaculum.* Feſtus: *Initio Prætores erant, qui nunc Conſules, & ii bella adminiſtrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* Sic & apud Græcos τὸ ςρατήγιον & ἡ τοῦ ςρατηγοῦ σκηνὴ ſæpe pro re eadem. Proprie tamen illud laxius ſumitur, tam apud Græcos quam Romanos, & denotat τὸ ἐμβαδὸν, ſive omnem eam pedaturam, quæ Imperatori cum contubernalibus & impedimentis ad

signatur. Ita Dionysius Libro IX. *Prætorium* distinguit a *tabernaculo* ducis: Τῶ γὰρ ἑτέρω τῶν ὑπάτων Γαΐω Μαλλίω κεραυνὸς εἰς τὸ στρατήγιον ἐμπεσὼν τήν τε σκηνὴν διέσπασε, καὶ τὴν ἑστίαν ἀνέτρεψε καὶ τῶν πολεμιστηρίων ὅπλων τὰ μὲν ἐσπίλωσε, τὰ δὲ εἰς τέλος ἠφάνισεν. Sic quoque Livius sumit, cum in prætorio describit sermones inter se serentium circulos: *In principiis prætorioque, ubi sermones inter se serentium circulos vidisset*. Cum dicitur *prætorium dimitti*, interdum intelligitur omnis illa turba, quæ circa prætorium: interdum solum concilium, ut libro XXI. *Delige centenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias: nunc corpora curare tempus est. Ita prætorium missum est*. Ita recte ex libris restituit hunc locum magnus Lipsius, cum antea legeretur *præconium missum est*, quod omnino rejiciendum, quamvis non ea de causa, quæ illum movit: *Explicant*, inquit, *præcones circummissos, qui edicerent corpora curare. Ego vero non admitto in Romana aut Punica militia præcones, etsi Græcos habuisse probe scio*. Idem rursus adfirmat Dialogo XIII. V. de militia, explicans Josephi locum, in quo dicitur egressuros e castris milites κήρυξ ter interrogasse, an parati ad bellum essent, *Mos*, ait, *quem non alibi ego legi, sed nec temere de præcone in Romanis castris. Sed etsi* κήρυξ *illi est, tamen licet intelligere & vertere accensum aut curionem*. Quæ nollem excidisse, cum in Livio toties præconis in exercitu Romano fiat mentio. Libro VI. *Ni præcones per urbem dimissi. poni arma & parci inermi jussissent*. Libro XXVI. *Præconi imperat, ut lictorem lege agere juberet*. Et XXVIII. *Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit: præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio*. Sed hæc obiter. In restitutione loci, cum *prætorium mitti* vel *dimitti* recte dicatur, & sensus hic longe melior sit, omnino ei librisque adsentiendum est. Laxiori etiam significatione sumi videtur, cum Imperator *in prætorio tendere* dicitur: *In prætorio tetenderunt Atrius & Umbrius, &c*. Confunduntur autem hæc, ut pleraque similia, varie tam a Græcis quam Latinis, & interdum ἡ τοῦ στρατηγοῦ σκηνὴ omnem pedaturam prætorii, & contra στρατήγιον solum interdum tabernaculum designat: ita & infra Polybio σκηνοποιΐα est tota ratio metationis, ut veros sensus magis quam verba scriptorum attendenti non potest esse obscurum.

Τὸ δὲ ἐμβαδὸν γίνεσθαι τετράπλεθρον) Suidas scribit, πλέθρον esse sexaginta octo cubitorum vel centum pedum, sextam stadii partem, congruens cum Polybio. *Jugerum* vertunt, cui tamen mensores dant ducentos quadraginta pedes longitudinis, & latitudinis centum viginti: *Versum* Varro dicit *centum pedes quoquoversus quadratum esse*.

Τοῦ δὲ τοῦ σχήματος.) Lascaris, Lipsius, Casaubonus, tum hic, tum alibi hanc vocem fere vertunt *figuram*: & *schema* Rhetores Latinos vulgo *figuram* reddere, *figuram*que de specie & forma, ut *figura corporis*, & similia recte dici notum est. In re tamen mensoria, quod Græci σχῆμα, non *figuram*, sed *formam* appellant fere ubique Columella, Frontinus, Aggenus, Hyginus & quicquid est mensorum Latinorum. *Formam* enim definiunt, quæ sub aliquo vel aliquibus finibus continetur, & quinque formarum describunt genera. Ac in hac ipsa re castrensi pedaturæ, quam copiis adsignat, figuram vel speciem Hyginus semper quoque *formam* dixit. Sic itaque *schema*, quoties de castris vel acie vel re mensoria agitur, convertemus.

Τιθέασι δὴ τὰς τούτων σκηνὰς ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἁπάσας.) *Statuunt horum tabernacula omnia ad unam lineam rectam*. Scamnum tribunorum ad principia eo ponit loco, quo Hyginus scamnum legatorum. Legatis non tantum scamnum non adsignat per transversa castra, sed plane locum nullum, quamvis tum vulgo in castris fuisse dubium non sit, & iis deinde excubias attribuat suas. Lipsius juxta prætorium collocat in foro parte opposita quæstorio, in illa forma, qua prætorium inter principia & portam prætoriam situm est, ea de causa, quod ibi satis spatii est. Vide tamen ibi, an ipso in scamno tribunorum rectius iis locus adsignetur? nam cum scamnum hoc a media via, quæ est inter legionarios & socios ad viam decumanam in medium prætorium percurrentem, sit pedum quadringentorum viginti quinque: ex ea pedatura poterunt occupare sex tribunorum tabernacula, singula quinquaginta pedum, trecentos: adjice denos pedes intervallum his interjectum, vel duodenos, efficies sexaginta, vel duos & septuaginta; erunt trecenti sexaginta vel septuaginta duo: superent sexaginta quinque vel quinquaginta tres pedes pedatura legati. Sed uti in hac positione prætorii de loco legatorum non contenderim, ita in illa altera Hyginiana ad principia & proxime prætorium fuisse non ambigo. Dignissimi enim principum ducumque proximi Imperatori tendebant, quod & Spartiani olim observarunt, quorum instituto Polemarchi & tres ex Paribus in castris Regis contubernales. Xenophon: Συσκηνοῦσι δὲ αὐτῷ οἱ πολέμαρχοι, ὅπως ἀεὶ συνόντες μᾶλλον καὶ κοινοβουλῶσιν, ἤν τι δέωνται. συσκηνοῦσι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς ἄνδρες τῶν ὁμοίων.

Πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν.) *Extrorsum spectantia. Exterior aspectus* omnia castrorum latera recte dicuntur, cum principia & quæ circa prætorium, *interiora castra* sint. De velitibus infra: Τὴν δὲ ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι. Nec unius alicujus lateris, sed omnium laterum exteriorum custodia demandabatur velitibus. Ac hac ratione extrorsum spectare dici debet, vel qui ad vallum tendit, vel qui proximum vallum respicit: introrsum vero, qui interiora & latus castrorum remotius, a proximo aversus. Atqui in metatione exercitus consularis, a tentoriis tribunorum nulla pars longius abest, quam porta decumana, quam respiciunt. Introrsus igitur, non extrorsus spectant. Quare putabam Polybium scripsisse, πρὸς τὴν ἐντὸς ἐπιφάνειαν. Video tamen tergum castrorum (de vero tergo vel porta decumana loquor) & alibi τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν dici, libro X. de castris Scipionis ad Carthaginem novam: Καὶ περιεβάλλετο κατὰ μὲν τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν τῆς στρατοπεδείας τάφρον καὶ χάρακα διπλοῦν ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν. Quod Livius vertit tergum: *Castra ab regione urbis, quæ in septentrionem versa est, posita: his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum objectum*. Ubi in scriptis non comparet τὸ *frons*, adjectum a Rhenano, ni fallor, quia Polybius eam partem, quæ in urbem spectabat, nullo munimento dicit circumdatam. Κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὴν πόλιν ἁπλῶς οὐδέν: quam partem postea τὴν ἐντὸς ἐπιφάνειαν vocat. Et dicitur quidem recte *frons castrorum* in obsidione pars, quæ in urbem spectat: quamvis interdum & pars contraria, quia anceps est munitio & sæpe tam hac quam illa respicit hostem, sed vox *frons* abest libris & de fronte universa proprie verum non est natura munitam fuisse, quippe pars, quæ urbem continenti jungens mediisque castris opposita, maxime *frontis* nomen merebatur, non erat natura tuta; quamvis & hæc, sed alia de causa, vallo non clauderetur. *Unde*, inquit Livius, *quum tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum Imperator Romanus, seu fiduciam hosti superbe ostentans, sive ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recur-*

ſus pateret: in manuſcriptis eſt, *nam natura tuta erant:* unde faciebam: *nam latera tuta erant.* Partes enim, quibus hinc ſtagnum, hinc prominens ab altera parte mare pro munimento erat, etiamſi dicantur a Polybio introrſus urbem verſus ſpectare; tamen re ipſa lateribus quam fronti caſtrorum ſimiliores. Liv. XXXII. *Muri pars adbuc integra utraque tuta præſtabat latera.* Sed vide an poſſis ſervare vulgatam; *bis ab tergo (nam natura tuta erant:* intellige *caſtra vallum objectum.* Polybius e quo hæc deſumta: Αὐτὴ γὰρ ἡ τοῦ τόπου φύσις ἱκανὴν ἀσφάλειαν αὐτοῖς παρεσκεύαζε. Libri quidam habent *nullum vallum*, quaſi fuerit: *niſi a tergo nullum vallum objectum.* Polybius, *duplex* vel *duplum vallum*. Sed ut revertamur ad propoſitum, illud latus, quod urbi obſeſſæ propius, *interior;* quod ab ea remotius, *exterior aſpectus* merito vocatur. Neſcio an eodem jure in caſtris urbi non admotis portam prætoriam *interiorem*, decumanam *exteriorem* ἐπιφάνειαν appellare poſſimus, quia non tantum in obſidionibus, ſed etiam, quoties duo conſulares exercitus conjunguntur, hæc pars ſit interior & media caſtrorum. Hæc certe cauſa accipienda eſt, aut ſcribendum, τὴν ἐντὸς ἐπιφάνειαν.

Ἡ σοι ἔστω καὶ καλείσθω δὲ καθάπαξ ἡμῖν αἰεὶ τοῦ παντὸς σχήματος κατὰ πρόσωπον.) Merito monet hanc partem, qua decumæ cohortes tendunt, totius formæ frontem imaginari lectorem debere; ac ſe ita ſemper dicturum, cum in caſtris duarum legionum, a quarum poſitione pleræque partes nomina acceperunt, non frons, ſed tergum ſit. Ab decumis enim ordinibus cognominata eſt proxima porta *decumana*, quæ ab hoſte averſa ponitur. Equidem in caſtris duorum conſularium exercituum, quia frontibus conjungebantur, duarum legionum cohortes decimas ad tergum, duas in fronte neceſſe eſt conſediſſe, commutatamque decumanarum portarum alteram in prætoriam: nam ſicuti *decumanam*, quæ ab hoſte averſa, ſic *prætoriam*, quæ hoſtem ſpectabat, vocitabant in qualicunque ordinatione, tamque in hoſtili quam Romana. Putat Lipſius tergum caſtrorum *frontem* & contra frontem *tergum* a Polybio appellari, quod omnia illuc ſpectent & intendant. Quod qui venerit in mentem viro doctiſſimo neſcio: nam in forma Polybiana illa ipſa, quam nobis exhibet in libris de militia, cohortes omnes legionariæ ſociæque præter decimas ad portam decumanam tendentes, vias intercurrentes & latera caſtrorum reſpiciunt. Probabilius Savilius Polybium docendi cauſa converſis nominibus *frontem* appellare, quod eſt tergum; & contra *tergum*, quæ eſt frons caſtrorum. Sed cauſam addit minus probabilem, quod in dictatione metationis a prætorio procedat verſus decumanam; quaſi non eadem ratione ab altera prætorii & ſcamni tribunorum parte ad portam prætoriam procedat. Sed Polybii præcipua in hoc opuſculo cura eſt, ut tenſionem legionum Romanarum doceat, cætera neglegentius exſequitur: itaque a puncto medii prætorii orſus ad eam caſtrorum partem, quam illæ tenent, progreditur, ibique frontem fingit, eo juſtius, quia in exemplo duarum, metationem etiam quatuor legionum docet, in quarum caſtris altera harum ſit revera frons caſtrorum, ut diximus.

Ἀφεστᾶσι δὲ ἀλλήλων μὲν ἴσον αἱ τῶν χιλιάρχων σκηναί.) Intervallo viginti pedum, ut probabiliter conjicit Patritius, ſiquidem in pedatura quadringentorum pedum a via decumana ad illam, quæ ſocios a legionibus dividit, ſex tribuni ſint collocandi: occupabunt enim tribunorum tentoria trecentos quinque, intervalla centum pedes: quod ſi & hic legatos loces aut frontem prætorii liberam eſſe velis, illa, quam tetigimus ſupra, diſpoſitio, ſimilior vero ſit.

Ἀπομετρηθέντων δὲ πάλιν ἑκατὸν ποδῶν εἰς τὸ πρόσθεν.) Via principalis, cui dat latitudinem centum pedum, πλατεῖαν infra vocat: τὴν γὰρ διατριβὴν ἐν ταῖς καθημερίαις οἱ πλεῖστοι τῶν Ῥωμαίων ἐν ταύτῃ ποιοῦνται τῇ πλατείᾳ. Principiorum hæc pars erat: nam quamvis principia locus, quo principes ordines tendunt, venit tamen & locus tribunalis & aquilarum in hoc nomen & ipſa via principalis. Ἀρχεῖα etiam Græci vocant, ut curias, eundem fere, quem in caſtris principia, uſum præſtantes eundemque ſæpe locum tenentes, quando ad ſimilitudinem urbis bene ordinatæ caſtra componebantur. De Perſarum hac in re more Xenophon, παιδείας. I. Ἔστιν αὐτοῖς ἐλευθέρα ἀγορὰ καλουμένη. ἔνθα τά τε βασίλεια καὶ τὰ ἄλλα ἀρχεῖα πεποίηται. Ubi *forum liberum* viæ principali, βασίλεια prætorio, τὰ ἄλλα ἀρχεῖα totis in caſtris principiis reſpondere videntur.

Διχοτομήσαντες τὴν προειρημένην εὐθεῖαν ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου πρὸς ὀρθὰς τῇ γραμμῇ.) Hic eſt ille locus, in quo Gromam in tetrante ponit Hyginus, ut quatuor caſtrorum portæ in conſpectu rigoris ſtellam efficiant. Hinc totam metationem orditur. Illud intereſt, quod in hac compoſitione, qua prætorium ab altera parte viæ principalis erigitur, primum huic adſignat locum, deinde tribunis & viæ principali: ab hoc puncto legiones demum collocare incipit: ſed ſive a medio prætorio ad punctum hoc, ſive ab hoc puncto ad punctum medii prætorii dimenſus ducentos quinquaginta pedes progrediare, eodem recidit; utroque modo quatuor caſtrorum portæ hic ſtellam efficiunt.

Τοὺς ἱππεῖς ἀντίους ἑαυτοῖς ἑκατέρους τοῦ στρατοπέδου παρεμβάλλουσι.) Equites tam veteribus quam novis in caſtris in medio collocabantur, quod ne Leonis quidem ævo, quo tantum in equite robur, obſolevit. Leo: Τοὺς δὲ καβαλλαρίους ἐὰν γένηται καιρὸς εἰσελθεῖν, ἐν τῷ μέσῳ τοῦ φοσσάτου ἀπληκεύειν καὶ μὴ ἐν τοῖς ἄκραις. Et juſta quidem de cauſa. Cum in caſtris minimi uſus, & ipſis munimentis vix ſatis tuti, niſi alio virorum munimento defendantur, aut relictis equis pedeſtrem ipſi pugnam capeſſant. Xenophon ſcribit equitum imprimis cauſa a barbaris munitionem caſtrorum inſtitutam; non quod caſtra bene tutarentur, ſed quod abſque munimento in hoſtico conſidentes nunquam ſatis tuti eſſent, παιδείας. 3. *Et Aſſyrii quidem cum iis quos ſecum habebant, quum jam exercitus propius acceſſiſſent, foſſa caſtra circummuniebant, quod barbari reges hodieque faciunt. (Et quidem facillime propter ingentem hominum multitudinem.) Sciunt enim copias equeſtres, præſertim barbarorum, qui equos ad præſepia compeditos tenent, de nocte tumultuoſas eſſe & difficilis uſus: operoſum eſſe de nocte, ſi quis aggrediatur, ſolvere equos, frenare, inſternere, induere loricas, ac plane fieri non poſſe, ut per caſtra vehantur. Quibus de cauſis cum alii, tum illi caſtra munimento circumdant; ſimul exiſtimant in ſua locis munitis conſidentium poteſtate eſſe, ſi velint, prælio abſtinere.*


Πεντήκοντα διέχοντας πόδας ἀλλήλων.) Hæc eſt latitudo viarum vicinalium a via principali ad tergum caſtrorum percurrentium: in qua latitudine hoc imprimis ſpectari videtur, ut copiæ dextra ſiniſtraque cujuſque viæ tendentes, ſimul ut manipuli alii commode a retentura ad prætenturam poſſint tranſire. Cæterum in metatione Polybiana quinquaginta pedes hemiſtrigium, centum ſtriga eſſe: eandem certe rationem videntur obtinere, quam triginta & ſexaginta in caſtris, ut ibi dicimus, Hygini. Illic triginta viæ ſagularis & quintanæ latitudo, hic quinquaginta. Ille ſtrigæ perpetuo adſignat ſexaginta, hic areis quibus ſinguli manipuli tendunt, centum: qui minimum in his caſtris, accipiunt quinquaginta, ut tribuni, triarii: nulla copia minus ſemiſtrigio: in iſtis pleraque denique iſta ratione utrobique componuntur.

Ἔστι δή τε τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν σκηνοποιΐα παρα-

A πλήσιος.) Σκηνοποιΐα proprie est *confectio tabernaculorum*: σκηνοποιὸς, *is qui conficit*, ut in Historia Sacra D. Paulus & Aquila dicuntur σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. Sed Polybio idem est quod σκηνοπηγία, aut ut verius dicam, παρεμβολὴ, & ratio metationis tota, quam in equite & pedite similem esse dicit: accipere enim utrosq; quadratum æquilaterum pedum centum per centum, & in vias vicinales conversos tendere. In Hygini castris eadem etiam strigarum & hemistrigiorum latitudo equiti & pediti, eadem ratio tensionis. Turma alæ milliariæ eandem pedaturam ad pedem accipit, quam centuria legionis: sed ista turma quadraginta equites habet, Polybiana triginta. Ista centuria octoginta homines, Polybianus manipulus centum viginti. Hyginianus itaq; eques duplam pedaturam accipit, Polybianus quadruplam: B tanto laxius vetus eques Romanus novo illo & ignobili equite tendebat. Est & hoc argumentum, veteres Romanos, præter equum bellatorem, jumentum sarcinarium habuisse. Ac docet hic quidem Polybius, quam pedaturam accipiant, & quo respiciant. At, quod æque necessarium ad recte intelligendam metationis rationem, quo modo hanc pedaturam expleant, quot quibusque ordinibus considéant, quæ strigæ, quæ hemistrigii latitudo, quot tabernaculis tendat manipulus, quæ singulorum forma tabernaculorum, quanto intervallo distent, quot tegant homines, adeo non docet, ut ne C vestigia quidem satis certa reliquerit, quibus hæc persequeremur: nam si vel numerum ordinum, quibus tendunt, vel contuberniorum in manipulo, vel contubernalium in contubernio, vel denique unius tabernaculi pedaturam descripsisset, haberemus in hoc labyrintho filum, quo cæca vestigia regeremus. Nunc cum nihil horum attigerit, quid nobis reliquit præter conjecturam, quæ sua cuique libera esse potest? Illud satis constat, non forte, temere, aut pro libitu passim in hac area tendere, sed certo ordine. Lucilius:

D *Hic ubi confessum, pellesque ut ordine tentæ.*

Livius: *Descripta suis quæque partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum intervallis*. Ordines autem, quibus tendunt, eodem quo vias vicinales excurrere obscurum non est: ait enim *respicere eos* vias & longitudinis modum juxta ipsam viam definitam habere. Patritius quamvis nihil certi adfirmet, atque adeo dubitet, uno an pluribus tabernaculis tendat manipulus; in forma tamen castrorum sua, quatuor dat cuique manipulo, in quorum fronte ad viam centuriones locat in hunc modum ⁘ ⁘. Lipsius duodecim papiliones tetendisse manipulum E vult, quorum singuli acceperint *undecim homines vel decem cum decano ex præscripto Vegetii: quem numerum pro ipsa area non esse ineptum, ut terni & terni steterint ordine quaterno: ipsos autem centuriones in capite cujusq; manipuli ad exitum sitos: ut Polybius palam scripserit, reliquos adsitos probabile esse, ut ætas aut dignitas cujusq; esset*. Sed profecto non bene posuit calculum, si undecim homines hac ratione vult esse in contubernio: duodecim enim tabernacula non capient centum viginti, sed centum triginta duos homines. Ac ne demtis quidem de hoc numero duobus tabernaculis, quæ centurionibus tribuas, numerus conveniet; reliquis enim decem, centum undecim homines tantum capientur. F Credo igitur velle virum doctissimum decem homines in eodem contubernio esse: ita duodecim tentoria tegant justissime centum viginti milites: ad horum exitum supra hunc numerum duo sint centurionum tabernacula. Area ipsa quadrata pedum centum per centum commode dividitur in sedecim minores XXV. pedum per XXV. quarum si & duodecim militi adsignaveris, reliqui erunt quatuor; vel duæ duplices, duobus centurionibus in hunc modum:



Ex quinque his & viginti pedibus, cum pars jumentis, pars armis, pars semitis danda sit, vix laxius Hyginianis ista poterunt disponi: nisi quod inter singula tentoria aliquanto plus spacii: nam si papilioni decem, jumentis novem, viæ sex pedes dederis, habebis viginti quinque: superest, ut ad latus cujusque tentorii arma fuerint posita, non post illud, quibus tredecim pedes erunt, id est, septem supra modum Hyginianum; sed ista ratione ab illa quoque parte semitæ non nihil fuerit. Quod si manipulum uno ordine & omnes ad vias intercurrentes tendere velis, haud paulo grandiora contubernia & tabernacula in latitudine areæ (latitudinem appello a via ad aream contiguam) longiora oportet facias, qualis est fere domuum species usu non improbata. Erunt fortassis etiam, quibus ab Hyginiano modo non abhorrere videatur, manipulum duobus ordinibus collocari, ordini quinquaginta pedes latitudinis adsignari, ut Hyginus triginta. Ita dimidiatus manipulus sub uno centurione, uno ordine tendere poterit. Da enim duodecim pedes aut paulo plus tentoriis, quæ capiant decem homines, sex tentoria miles accipiet, & duorum spacium relinquetur centurioni, ut apud Hyginum. Possit hunc modum probabilem facere, quod dimidiatus manipulus jam olim *ordo* dictus. Quid? nisi quod uno ordine tenderent in castris. Nam in acie hoc sensu, quo ordo pro una serie accipitur, neque ordo neque manipulus uno ordine instruitur, sed pluribus. Si in hoc vocabulo unum corpus intelligeres, in manipulum quidem quadraret integrum, non autem in dimidiatum; manipulatim enim ordinabantur. A locatione igitur in castris dimidiatus manipulus *ordo* dici videtur. Illud quidem dixerim unum ex his tribus generibus recipiendum, quando triariis dimidium numerum habentibus, dimidiam pedaturam adsignat: unde conjicimus nec tribus nec quinque ordinibus tendere, quod ista pedatura dimidium non capiat ordinum. Sed quid hæremus in his, ubi viam non præiverunt antiqui?

Τοῦτο δὲ βλέπει μὲν εἰς τὰς διόδους.) Casaubonus vertit: *eaque ad interjectas vias spectans*. Recte, sed ambigue. Spectare enim ad viam interdum est proxime viam tendere vel esse, interdum eo respicere, ut diximus ad Hyginum. Itaque ad ambiguitatem evitandam malim cum Lascari: *respiciens vias vicinales* vel *intercurrentes*. Anxie hoc quidem Polybius in hac metatione legionum ubique docet, quo quisque manipulus respiciat, nec sine causa: cum veram metationis rationem ignoremus, nisi sciamus, quo obversi ordines, quo educantur, quo concurrant. Sed non minus necessarium fuisset adjicere de ordinibus & ratione tensionis, quæ omnino omisit. Respiciunt autem proximas vias omnes manipuli turmæque, & quidem eodem, etiamsi pluribus ordinibus tendant ejusdem manipuli milites: at qui interjectas vias non habent, aversi tendunt. Non multum diversa, nec tamen omnino eadem Hygini ratio: non enim cohortes vel manipuli pluribus ordinibus collocati, sed singuli ordines, ut quidem videtur, diversi sibi tergum præbent & ab utraque parte in vias vicinarias spectant.

Τὸ κατὰ λόγον καὶ τῷ μήκει καὶ τῷ βάθει προστιθέασι.) Quod interpretatur doctissimus interpres: *Quoties plenioribus legionibus utuntur & longitudinis & latitudinis modum æqua proportione adaugent*. Isto itaque modo quoties centuria septuaginta homines habet,

habet, ut unius papilionis pedatura sit adjicienda centuriæ, duorum manipulo, aut quotiens octoginta, ut quatuor tabernacula sint adjicienda non tantum longitudini, pura in qua tabernacula constituuntur, tantum soli adjiciendum, quantum ista occupant. Sed etiam latitudini inanis soli tantumdem, & tantum occupabit centuria septuaginta vel octoginta hominum, quantum centum hominum. Quæ cum pravæ *οἰκονομίας* ex imperitia metandi sint, non possum mihi persuadere hanc esse Polybii mentem. Adducor magis ut credam, κατὰ λόγον non hic esse vertendum *æqua proportione*, ut vertit Causaubonus: alibi enim aliud significat: interdum, *ex animi sententia*, ut in legationum lib. III. Ῥωμαῖοι πυθόμενοι κατὰ λόγον κεχωρηκέναι τοῖς Ἀχαιοῖς τὰ κατὰ τὴν Μεσσήνην. Interdum, *prout ratio exigit*: libro I. τὸ κατὰ λόγον ἐπετελεῖτο κατὰ τὴν μάχην ὥσπερ εἰκὸς, ὅταν ᾖ παραπλήσια πάντα τὰ τῶν ἀγωνιζομένων. Quo sensu & hic velim accipi: *prout res & ratio, prout numerus militum exigit*. Postea de sociorum equitum pedatura latitudinem solam πρὸς λόγον adaugeri διότι καὶ τὸ βάθος αὔξοντες τούτοις πρὸς λόγον ἐν τοῖς στρατοπεδευτικοῖς σχήμασι πειρῶνται κατὰ τὸ μῆκος ἐξισοῦν τοῖς τῶν Ῥωμαίων στρατοπέδοις. Idcirco etiam in formis metationis horum latitudini pro ut ratio & numerus militum exigit adjicientes longitudinem Romanis legionibus adæquare conantur, τὸ καὶ autem disjunctive, quod ajunt, hic potius accipi velim, quam copulative. Sic enim usurpant interdum Græci, & inter eos aliquoties Aristoteles, quemadmodum & Latini & omnes fere nationes, ut notant & Grammatici & Jurisconsulti. Ita apud Poetam:

Præcipitare jubent subjectisque urere flammis.

Ubi Servius: Que *copulativa conjunctio est*, aut *disjunctiva*: *quomodo ergo per* aut *adjunxit*, *cum non utrumque*, *sed alterutrum fieri poterat*, *quod suadebatur*. Quæ tam parva dictu res, cum plane diversam a vulgari & consueta sententiam adferat, ambiguitatis & obscuritatis interdum tantæ causa est, ut vix viri docti sese extricent, præsertim aliis ambiguitatis causis concurrentibus. Cujus rei luculentum exemplum habemus in loco quodam Manilii, in quo explicando viri in literis incomparabiles frustra desudant: is est libro I. ubi agit de mutatione meridianorum:

Quando aliis aliud medium est volat hora per orbem.
Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis,
Illis sexta manet, quos tum premit aureus orbis.
Rursus ad Hesperios, sexta est, ubi cedit in umbras.
Nos primam ac summam sextam numeramus utramque
Et gelidum extremo lumen sentimus ab orbe.

Ad quæ Josephus Scaliger: Atque ubi se: &c. (*Esto Zucotorinis oriri solem*. Sexta manet) *Moluccensibus*: *nam tum illis erit meridies, quia meridianum eorum premet aurea solis rota*. Rursus ad Hesperios &c.) *Rursus ad Habassenos sexta est, qui Hesperii & occidentaliores sunt illis, quando Moluccensibus cedet in undas*. Nos primam ac summam.) *Nos, qui in Canariis sumus, eandem horam primam diei numeramus, quam illi sextam*. Primam ac summam *dixit*, *quia summa hora noctis, id est, duodecima confecta init prima diei: sic Attici ἕνην καὶ νέαν dicunt*. Hæc Scaliger. Post quem Salmasius: *Sequitur apud Manilium locus insignis aliquot versibus expressus, quibus exponit, quomodo mutentur meridiani, atque ex eorum mutatione, quomodo volitet hora per orbem. Eum locum eo lubentius afferam, quod nec a Scaligero intellectus, nec quisquam, puto, illo cessante hodie intelligit. In his explicandis speciem, ut loquuntur Jurisconsulti, prorsus alienam ponit Scaliger & commentitiam. Scribebat Manilius in climate Romæ, si ab illo meridiano, cui Roma subest, nonaginta gradus numeres, Orientem versus, devenies ad eum meridianum cui subjacet India intra Gangen. Quum igitur Indis illis meridies est & sol supra verticem, tum Romanis in ortu est, hoc est, quod dicit*: Atque ubi se *&c. Quando Sol, inquit, oritur nobis Romanis (sic enim plane intelligendum) tum illis sexta hora est, hoc est, meridies*. Quos premit aureus orbis) *quorum meridianum premit Sol*. Ac hæc quidem recte: at quæ sequuntur ostendunt, hoc tantum vidisse Salmasium, quod nihil hic vidit Scaliger. Sic enim scribit: *Sequens versus ita interpungi debet, qui vulgo pessime distinctus est*:

Rursus ad Hesperios, sexta est ubi, cedit in umbras.

Pessime, inquam, vulgo legitur, Rursus ad Hesperios sexta est, ubi cedit in umbras. *Ut non mirum sit, si nihil boni ex ea interpunctione potuit vir summus exsculpere. Ubi, inquit, nobis Sol oritur, tum Indis meridies est: at ubi nobis sexta est hora, rursus illis sol in umbras cedit & Hesperios petit, id est, occidit. Hesperii enim sunt, ubicunque sol occidit. Egregia certe ex levicula interpunctione emendatio. Ubi sol nobis oritur, illis qui eum habent supra verticem, meridies stat: Ubi nobis sexta est, rursus illis sol occidit. Nihil verius*. Sic quidem ille. Ego vero non video, quamobrem hæc distinctio recipienda; video cur rejicienda sit, cum in vulgata distinctione vera Manilii mens sit. Dixit antea sole Romæ oriente, *Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis*, meridiem esse apud alios, putat Indos, uno quadrante circuli Orientaliores: rursus eadem ratione occidente Romæ sole apud Hesperios uno quadrante circuli Occidentaliores esse meridiem.

Rursus ad Hesperios sexta est, ubi cedit in umbras.

Pergit Salmasius nihilo felicius: *Quod sequitur id ostendit & unice confirmat*: Nos primam ac summam sextam numeramus utramque. *Nihil istic Scaliger vidit, ut ex ejus interpretatione apparet, &c. Nihil alienius a mente Manilii quam hæc est expositio. Ait igitur auctor ex illis, quæ dixit, consequi, ut tam prima quam suprema diei hora pro meridianorum diversitate sexta debeat numerari. Etenim quum sol oritur Romanis, prima hæc illis diei hora est, aut Indis tum sexta est vel meridies. Rursus quando Romani meridiem habent & sextam numerant, tum Indis occidit sol & summa est illis diei hora: sic utraque hæc hora, prima inquam & suprema, pro meridianorum diversitate sexta numeratur*. Sed facile est intelligere serio attendenti, non esse hanc Manilii mentem: non enim dicit prima & suprema ab aliis sexta numeratur, sed *nos* Romani *numeramus*: cum tamen antea dixisset sole apud Romanos oriente, apud alios sextam esse:

Illis sexta manet, quos tum premit aureus orbis.

At profecto non bis quotidie sextam numerant Romani, nec sexta eis est, cum oritur sol nec cum occidit. Vera sententia est: oriente apud nos sole, apud Indos meridies est; occidente apud nos sole, apud Hesperios meridies est, vel sexta diei hora, nos neutram harum sextarum sextam, sed alteram primam, alteram summam numeramus, primam qua sol exoritur, summam qua occidit. Neutra harum sextarum elatus supra nos sol est, sed utraque ab extremo orbe, illa ab oriente, hac ab occidente nos respicit gelido lumine: hoc est quod dixit:

Nos primam ac summam sextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen sentimus ab orbe.

Sextam utramque primam ac summam numeramus, A id est, duarum harum sextarum Indorum & Hesperiorum, alteram primam, alteram summam, numeramus. Ita Livius: *Nisi quod utriusque populi fortuna & extollere & minuere animos poterat*, hoc est, alteris extollere, alteris minuere. Idem libro XXIII. *Cum sex imperatoribus, quorum quatuor consules, duo dictator ac magister equitum fuerint:* intellige duo, quorum alter dictator, alter magister equitum fuerit. Sed nos nimium quantum a proposito divertimus, & veremur jam pœne, ne indignentur homines magna professi, qui minutias has quasi infra majestatem suam ad pueros superbi & & contemnentes solent amandare, B & cum ipsi nihil admodum intelligant in literis, tam felici tamen insania sunt, ut nihil, quod sapientem scire oporteat, se putent ignorare. Sed ad rem. Polybium hic putamus velle, ut plenioribus legionibus vel longitudo vel latitudo vel etiam utraque, prout ratio & res exigit, augeantur. Non enim semper æquam proportionem iis datam probant præcedentia, Ἔχει δὲ τὸ μὲν μῆκος ἀφωρισμένον τὸ παρὰ τὰς διόδους ἐστὶν ἑκατὸν ποδῶν, ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ τὸ βάθος ἴσον πειρῶνται ποιεῖν πλὴν τῶν συμμάχων. Probat & hoc, quod triariis dimidium tantum latitudinis adsignat, quia dimidium numerum habent. C

Γενομένης δὲ τῆς ἱππέων παρεμβολῆς κατὰ μέσας τὰς τῶν χιλιάρχων σκηνάς.) Ex hoc loco colligi videtur posse, tum solos tribunos in hoc scamno tendere (non alium enim quam hunc locum occuparent legati) tum tribunorum media tentoria, non nisi quinquaginta pedum intervallo disjuncta esse. Quamvis Polybius in istis satis neglegens, interdum tabernacula & tabernaculorum locum vocat, quæ est tota pedatura.

Ἥμισυ ποιοῦντες τὸ βάθος τοῦ μήκους.) Ex hoc loco, siquidem triarii eadem ratione, qua cæteri manipuli, tendunt, efficiendum videtur, quod diximus, D triarios vel uno vel duobus ordinibus pedaturam pedum quinquaginta complevisse, & proinde cæteros manipulos vel uno latiori vel duobus vel quatuor papilionum ordinibus: neque enim aliter dimidio numero dimidium pedaturæ recte adsignari videtur.

Διὰ τὴν τοῦ βάθους διαφοράν.) Quum impar sæpe sit numerus hominum, longitudo tamen eadem manet propter latitudinis variationem. Longitudo quidem pedaturæ manipuli, ut plurimum centum pedum est, non tamen semper, (plenioribus enim legionibus & huic adjicitur) sed semper æqualis est: hoc est, eandem longitudinem, quam accipiunt hastati, eandem & principes & triarii & equites E & socii: quam primus manipulus, eam & cæteri: nam eadem longitudine totam metationem esse oportet a via principali ad tergum castrorum. Latitudo autem pedaturæ ita mutari potest, ut tamen unius generis manipulos eadem maneat, quo ne alii latiorem aliis pedaturam accipiant & viæ intercurrentes rigorem servare & a principiis ad decumanum latus recta possint percurrere, puta, triarius primus dimidiam vel etiam dimidio minorem latitudinem accipiat, eadem & cæteris triariis datur. Quare, si qua diversitas in numero singulorum generum, quæ non tantum in principio inter triarios, F & cæteros milites, sed etiam belli casibus inter hastatos & principes nasci potest, ei contracta arearum latitudine subveniri potest. Sed si centuriæ vel manipuli aliis ejusdem generis minores fiant, ei malo non sic occurritur: vel æquari centurias oportet, traducta parte militum ex majoribus ad minores, vel minoribus eandem quam grandioribus pedaturam adsignari.

Πρὸς ἣν καὶ τὰς τελευταίας σημαίας ἐπιστρέφοντες στρατοπεδεύουσι.) Observatur hoc in castris tam novis quam veteribus Romanorum, ut copiæ ad vallum tendentes, quacunque castrorum parte vallum respiciant, quo hoste adoriente egredientes tentoriis suis, expeditius ad vallum tuendum accurrere queant. Ita sociorum pedites ab utroque castrorum latere, ita extraordinarii ad portam extraordinariam conversi tendunt. Ita per omnem castrorum ambitum apud Hyginum cohortes legionariæ.

Ἀποτελεσθεισῶν δὲ τῶν ἁπασῶν πέντε διόδων.) In hac compositione castrorum, qua prætorium ea in parte ponitur, quæ Hygino est prætentura, quinque viæ vicinales a principiis ad decumos ordines percurrunt. Sed cum prætorium in medio duarum legionum erigitur, tunc vias hasce vel quatuor vel sex esse probabile est, vel nulla ad prætorium via vel duæ, singulæ singulis lateribus, nascentur, ut prætorium mediam partem obtineat & utriusque lateris metatio sit similis.

Καθ' ἑκάστην δὲ σημαίαν τὰς πρώτας ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους σκηνὰς οἱ ταξίαρχοι λαμβάνουσιν.) *Prima hinc & inde* vel *ab utraque parte tentoria centuriones*, ait, *occupare*. Sed quid vocet *utramque partem*, non admodum perspicuum est. An dextra & sinistra, puta prioris centuriæ primum hastatum ad principia secundæ centuriæ juxta hastatum? An a fronte alter est ad viam, alter a tergo proxime pedaturam contigui & aversi manipuli? An vero hinc inde in duabus areis oppositis ad viam vult tendere centuriones? Præterea in eodem ordine, quo milites, an extra ordinem? Deinde an eadem pedatura, an ampliori? Nihil horum nos docet Polybius in istis parvis sane dictu, sed ad instituendam recte metationem cum maxime scitu necessariis, nimis neglegens. Divisa area in sedecim areolas pedum viginti quinque per viginti quinque poterunt centuriones, ut in stipendiis & donativis, hic quoque duplum accipere, duplum, inquam, ejus quod cætera contubernia, quod & in Hyginiana metatione videtur fieri: ac ista ratione vel in fronte ad viam vel ad latus unum arearum ordinem vel hinc inde dimidium occupare. Disposito in duos ordines tabernaculorum manipulo amplitudo areæ facile permittit utrovis modo vel eodem ordine vel alio centurioni pedaturam adsignari. Sed his immorari non est propositum, non quod tanti non sit, sed quod Polybius nec illius ætatis quisquam nobis auctor sit. Leo præfectum in medio turmæ collocat.

Ἣν καλοῦσι πέμπτην, διὰ τὸ παρὰ τὰ πέμπτα τάγματα παρήκειν.) Lascaris & Lipsius legebant, διὰ τὸ παρὰ τὰ πέντε τάγματα. Quod ille vertit: *Quod post quinque ordines traducitur*. Hic: *Quod quinque illos ordines secat & pervadit*. Dividit hæc via medias legiones, ita ut hinc inde quinque cujusque generis habeat manipulos. Probabilius tamen, non inde, sed a quinctis ordinibus nomen sortitam, ut decumana a decimis ordinibus, principalis a principibus ordinibus: quod & Hyginus confirmat, cum ait: *Quinctanam appellari causa copiarum*. Rectius itaque cum Casaubono legemus, παρὰ τὰ πέμπτα τάγματα.

Ὁ μὲν εἰς ἀγορὰν γίνεται τόπος, ὁ δ' ἕτερος τῷ ταμίᾳ καὶ τοῖς ἅμα τούτῳ χορηγίαις.) Forum rerum utensilium & quæstorium non semper hac castrorum parte, sed interdum alia: ad portam decumanam in exercitu consulari: in duplicibus castris ab altera parte prætorii forum, ab altera quæstorium. Quoties major sociorum copia accepta, scribente Polybio infra, etiam vacua circa prætorium loca complentes: τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ταμιεῖον συνάγοντες εἰς αὐτὸν τὸν κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν τόπον. Plerumque autem conjuncta aut parvo dirimente intervallo collocabantur. Causa, quod quæstori peculiaris cura rerum ad victum necessariarum & in hoc forum inspectio. Fallitur autem Lipsius, quod opinatur,

hoc illud esse forum, quod conventibus & legationibus audiendis servierit, quod *Gnomam* dicit Suidas appellari: in medio enim principiorum *Groma.*

Οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι.) Lipsius: *Extraordinariorum equitum ablecti*. Casaubonus: *Selecti ex equitibus extraordinariis*. Sed illud hac utique significatione Latinum non arbitror. *Selectos* recte vertas, quia ἀπόλεκτος, quamvis interdum idem quod ἐκλεκτὸς, tamen non raro, qui accuratiori cura & secundo quodam delectu ex electorum corpore selectus est. Sic apolecti sanctius concilium, quod ex delectis constabat viris, ut Livius interpretatur, apud Ætolos. Livius: *Concilium quidem universæ gentis Ætoli post dimissos Romanos non habuerunt, per apolectos autem (ita vocant sanctius concilium, quod ex delectis constat viris) id agitabant, quomodo res in Græcia novarentur*. Sic Latini dicunt *selectos judices, selectaque corpora patres*, apud Ovidium. *Delectos* itaque vel *selectos* recte appellabimus. Fuit hæc turma & cohors quædam delecta consulum, ex quo fonte equites prætoriani & singulares deinde originem videntur traxisse.

Καὶ τινες τῶν ἐθελοντηδὸν στρατευομένων τῇ τῶν ὑπάτων χάριτι. Evocatos intelligit. Hi enim ex beneficiariis Imperatorum & in gratiam Consulum speque præmiorum & ordinum militabant. Cæsar: *Evocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant*. Idem: *Multi undique ex veteribus Pompeii exercitibus spe præmiorum atque ordinum evocantur*. Apud Hyginum primipilares & evocati in pedatura cohortis prætoriæ accipiunt locum dextra sinistraque prætorii: proxime prætorium tendunt comites Imperatoris.

Ἑξῆς δὲ τούτοις δίοδος ἀπολείπεται, πλάτος μὲν ποδῶν ἑκατόν.) Viam hanc centum pedum in hac compositione castrorum, qua prætorium inter vias principales & hanc medium usum etiam quinctanæ præbuisse, resque in ejus parte venales & similia fuisse, quæstorium & forum adsitum facile persuadent. Hanc autem esse, quam *quinctanam* Hyginus appellat, ad posticum prætorii positam, ut putat vir doctissimus, neminem arbitraturum certus sum, qui Hygini castra propius in spexerit, nostrasque ad eum notas. Prætorium illud ab altera viæ principalis parte, postica pars ejus ad veram illam viam quinctanam a quintis ordinibus ita dictam posita est. Huic autem viæ in Hyginianis castris respondere videtur pars illa sagularis, quæ super quatuor cohortes legionarias in fronte castrorum ad vallum prætendentes, per transversa castra percurrit: quamvis enim Hyginus diserte non dicat ttansire hac viam sagularem, distinguit tamen has cohortes a cohortibus ea castrorum parte intra viam sagularem tendentibus, ex quo apparet viam intermediam esse.

Δίοδος ἀπολείπεται πεντήκοντα ποδῶν.) Hæc est via in castris Hyginianis & simplicibus prætoria, cui Hyginus quantum viæ principali tribuit pedes sexaginta: at hic tantum quinquaginta, sive quod lata illa transversa via tantum spacii occupat, ut satis sit ad educendas ad intervallum copias, sive quod combinata consulum castra respicit, in quibus hinc non ad portam prætoriam, sed ad alterius consulis castra transitus est.

Πάντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων.) Omnes Polybii interpretes hæc ita accipiunt, quasi rem novam hic doceat, de qua antea non sit locutus, præcedentia ad duarum legionum vel consularem exercitum referentes: quod ut clarius exprimeret Casaubonus vocem δὲ interpretatus est *at*. Ego vero non dubito progredi Polybium in re eadem explicanda, tantum quod, cum antea omnia eodem modo collocarit, nunc differentiam adjiciat, quæ est in composi-

A tione duarum & quatuor legionum. Quare convertemus. *Cum igitur quatuor legiones*. Ita supra: Ἀθροισθέντων δὲ καὶ τῶν συμμάχων ὁμοῦ τοῖς Ῥωμαίοις. Item: Τούτων δ' εὐτρεπῶν γενομένων.

Συναπτούσας κατὰ τὰς τῶν ἐπιλέκτων ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβολὰς, οὓς ἐποιοῦμεν εἰς τὸ ὀπίσω βλέποντας ἐπιφάνειαν.) Salmasius in Exercitationibus Plinianis scribit gravissime lapsos viros maximos, qui veluti ex descriptione Polybii prætorium *locent haud longe a porta prætoria inter tribunorum & aliorum ducum tentoria medium. Ad ipsam vero portam prætoriam extraordinariis pedaturam adsignent. Nihil tam ex διαλέτρου contrarium Polybiana metatio-
B ne. Extraordinarii ad portam decumanam tendebant, quæ opposita prætoriæ ad tergum castrorum*. Statim: *Duo terga castrorum cohærebant ad portam decumanam, ubi extraordinarii tendebant: duo castra sic juncta si divideres omnibus iisdem manentibus, prætoria consulum in utrisque castris ad portam decumanam deprehenderentur*. Sed profecto ipse labitur gravissime ejusque erroris reus est, cujus priores insimulat. Cohæsisse duplicia castra ea parte, qua extraordinarii tendebant, Polybii hic locus in dubium vocare non sinit, & inter omnes convenit. Illud quæritur, pars hæc ad portam prætoriam,
C an ad decumanam fuerit? Pro hac sententia stat Salmasius, pro illa cæteri omnes, qui ad Polybium scripsere. Causam, quæ illum movit, non equidem adducit, ut docebat in re, in qua a sententia tot tantorumque virorum discedit: sed quantum conjicio, non alia fuit, quam quod Polybius partem hanc *tergum castrorum* nominat: ad tergum autem castrorum & erat & a Latinis esse dicebatur porta decumana. Sed Polybius, ut supra monuimus, docendi causa frontem appellat, quod est tergum; & contra tergum, quæ est frons. Et ideo aliquoties dicit has partes ita se semper nominare, minime necessaria monitiuncula, nedum repetitione, nisi
D a vulgari & consueta appellatione recederet. Cum de latitudine & longitudine castrorum loquitur, non interpretatur: nihil enim abit a consuetudine loquendi. At frontis & tergi cum meminit, describit, quæ illa pars sit, quam hoc nomine appellaturus sit. Nam extraordinarios alioquin non ad verum castrorum tergum, hoc est, decumanam in simplicibus castris (de iis enim disputamus: nam in duplicibus in medio) consedisse evincat vel nomen portæ extraordinariæ ab extraordinariis haud dubie juxta tendentibus, ut decumana a cohortibus decimis, ductum. Si enim locus extraordinariorum ad portam decumanam, hanc & portam extraor-
E dinariam eandem esse oporteret: at hæ non tantum diversæ, sed etiam adversæ sunt. Livius XL. M. Valerium *erumpere extraordinaria porta jussit: ad dexteram principalem hastatos legionis primæ instruxit: tertia legio adversus sinistram principalem: Q. Fulvius Flaccus cum dextera ala ad quæstoriam portam positus*. Quæstoriam enim, & decumanam portam, eandem esse, non est dubium. Sequitur igitur, Prætoriam etiam atque extraordinariam, eandem esse, cum hæ sint oppositæ. Idem firmat dispositio Polybiana in qua extraordinarii non juxta cohortes decimas, sed contraria castrorum parte
F ad vallum tendunt. Quod si velimus extraordinarios ad portam decumanam collocari, statuendum sit cohortes decimas legionis ad portam extraordinariam vel prætoriam sedere: quod minime admittendum, cum in illis castris omnia antiquo more disponantur, principes castrorum ad principia, quinti ordines ad quintanam, porta prætoria in prætorii, quæstoria in quæstorii rigore, unde hæc traxerunt nomina. Quare extraordinarios eadem ratione ad portam extraordinariam vel prætoriam, decimas cohortes ad decumanam tetendisse certum est.

A Τὸ δὲ χωρίον διπλάσιον τοῦ πρόσθεν, τὸ δὲ περίμετρον ἡμιόλιον.) Spatium prioris duplum, circuitus sesquialter. Siquidem inter extraordinarios utriusque exercitus spatium illud, quod est ad vallum, cum pedatura ipsius valli bis fuerit relictum inane, hoc est, quadringenti quinquaginta, vel utique supra quadringentos pedes erit, præcise verum erit de tota castrorum pedatura ejusque circuitu exteriori. At si nimium videtur minusque necessarium in mediis castris tantum inanis soli, de interioribus castris eorumque podismo & perimetro hæc accipi poterunt; nisi potius Polybius minutias istas non consectatus est.

B Οὐδὲν ἕτερον δεῖ νοεῖν πλὴν δύο στρατείας.) Alterius exercitus consularis pedaturam non explevit, quia eadem utriusque ratio. Ita & Hyginus partem dimidiam castrorum tantum disponit, quod percepta ea de toto constet.

Ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν.) Hæc repetitio satis probat, quod supra diximus, de eadem hic compositione qua superius, loqui. Ac omnes quidem Polybii interpretes, quique de castris Polybianis scripserunt, omnia, quæ in hoc opusculo dixit, de castrametatione duarum legionum intelligunt: nec sine magnis causis, cum tot loca nos eo trahant. C Ac primum consules quotannis quatuor legiones ait scribere, sed fere legionibus suis edicere separatim locum ad conveniendum: Τάττει δὲ ὡς ἐπίπαν ἑκάτερος χωρὶς τὸν τόπον τοῖς αὐτοῦ στρατοπέδοις· ἑκατέρῳ γὰρ δίδοται τὸ μέρος τῶν συμμάχων καὶ δύο τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων. Videtur autem vulgarem rationem metationis hic docere. Præterea castrorum, quæ descripsit, universa forma fit quadrata æqui-latera. Τὸ μὲν σύμπαν σχῆμα γίνεται τῆς στρατοπεδείας τετράγωνον ἰσόπλευρον. Quæ manifestum est de duarum legionum castris dici: quatuor enim legionum castra non quadrata, sed oblonga fiunt. Et statim post hæc, quamvis jam non nisi duabus legionibus D pedaturam adsignaverit, ex dictis jam facile esse colligere totorum castrorum magnitudinem. Ad hoc motis infra castris non nisi duarum legionum cum sociis agmen describit. Ac ne quis putet de aliis illic copiis, de aliis hic loqui, castra ibi eadem omnino, qua hic, ratione, nec alio loco forum, prætorium & quæstorium ponit. Est & inde palam simplicia castra respicere, quod in præducenda fossa muniendisque castris duo latera sociis, duo Romanis, utrique legioni unum attribuat. At Salmasius in Exercitationibus Plinianis in alia est sententia, dicens id eos fefellisse, *quod Polybius non* E *simplicium castrorum, sed combinatorum metationem tota ea narratione describat, ut ipse disertim profiteatur, quod mirari se tantos viros non advertisse. Igitur quum ambo consules bina castra in unum jungerent, & quatuor legiones intra unius valli ambitum concluderent, eam metandi rationem locum habuisse, ex binis castris velati una facta, duo terga castrorum cohæsisse ad portam decumanam, ubi extraordinarii tenderent: amborum consulum prætoria haud longe inde in medio tribunorum & aliorum ducum utriusque exercitus. Sic factum, ut duo prætoria consulum simul metantium in medio ferme sic adunatorum geminorum castrorum reperi-* F *rentur. Duo castra sic juncta si divideres omnibus iisdem manentibus, prætoria consulum in utrisque castris ad portam decumanam deprehendi, ubi pedatura extraordinariorum. Nam ad portam posticam, ubi portæ decumanæ, contingere sese duo castra, cum essent juncta. Deinde probat hoc & præcedenti loco Polybium clare & plane fateri, quæcunque de castrametatione in anterioribus scripserit, accipienda esse de junctis castris, atque adeo nihil apertius esse, quam prætorium in medio castrorum*

A *locari solitum, quum simplicia essent castra.* Sed decumanam fuisse ad quam extraordinarii tenderent supra refutavimus. Ad duplicia castra referre hic Polybium, quæ superius dixit, serio attendenti non ambiguum videtur. Οὐδὲν ἕτερον, inquit, δεῖ νοεῖν πλὴν δύο στρατείας κατὰ τὸν ἄρτι λόγον παρεμβεβληκυίας. Et rursus in hoc loco, ut supra citavimus. Quid igitur dicemus? Quomodo componemus hanc pugnam non tam doctissimorum virorum quam ipsius secum Polybii? Non aliter quam statuendo, Polybium hoc agentem in hac digressione, ut una descriptione nos doceret & duarum & quatuor legionum compositionem, duarum tantum dedisse, B ea ratione, qua in duplicibus castris semper disponerentur, ita ut duplicata forma haberemus quatuor legionum castra. Hanc autem formam, tum ut una descriptione res perageretur, prætulisse, tum quod & in simplicibus castris, ita aliquando prætorium & quæstorium collocarentur. Hoc enim indicare arbitror illa: ὅπως ἀεὶ χρῶνται τῇ στρατοπεδείᾳ. semper, eo modo intellige, quem ostendi, solent metari: cum contra in simplicibus non semper ita collocarentur; imo vulgo alio, ut jam dicet, sed tamen aliquando etiam hoc modo. Nam & Cæsarem lego prætorium in castris unius legionis, non C in medio, sed ad littus posuisse. *Tabernaculum*, inquit scriptor belli Africani, *secundum littus ipsum constituit, ut prope fluctus verberaret: hoc eo consilio fecit, nequis moræ quicquam fore speraret, & ut omnes in dies horasque parati essent.* Sive quod in castris in unius noctis transitum positis non semper justo loco constitueretur prætorium, sive quod ex insueto castrorum ordine colligere potuerunt non diuturnam fore mansionem. Africanus & Leo tantum vetant media via collocari prætorium, non admodum laborantes, a qua parte viæ. Africanus: Τὸν δὲ στρατηγὸν εἰς ἓν μέρος δεῖ ἀπληκεύειν καὶ μὴ ἐν τῷ μέσῳ τῆς ὁδοῦ, ἵνα καὶ τὴν πάροδον κωλύῃ, καὶ ὑπὸ τῶν D διερχομένων ὀχλῆται, &c.

Ὅταν δὲ χωρίς.) *Quoties vero separata habent castra.* Et verba & sententia verborum satis perspicua, si per interpretes liceret. Hi enim persuasum habentes Polybium supra omnia docuisse, quæ ad metationem unius consularis exercitus pertinent, fingunt hic formam nescio quam, qua & conjuncta & separata castra habent consules, cum palam sit de uno consulari exercitu loqui.

Τὴν δ' ἀγορὰν καὶ τὸ ταμιεῖον καὶ στρατήγιον μέσον τιθέασι, τῶν δυοῖν στρατοπέδων.) In hoc loco interpretando, propter eam, quam diximus, opinionem, hallucinati sunt omnes: vertunt enim: E *Forum & quæstorium & prætorium in medio utriusque exercitus collocant.* Nec tamen probabilem extricant sensum. Patritius, postquam diu multumque frustra se fatigavit, multum hunc locum absurditatis dicit habere: cujus sententiam amplexus Lipsius quamvis dissimulet, *Videtur*, inquit, (*nam satis hæc ambigua*) *quod ad legiones omnia tunc fuisse eadem: duntaxat prætorium, quæstorium & forum tunc admota ad vallum, & sic communionem inter consules fuisse, singulis tamen castris vallo suo discretis: nam hoc nisi fuisset, jam non esset metatio, & castra diversa. Hoc autem fieri potuit, vel in oblonga illa figura jam* F *dicta, saltem ut extraordinarii amoverentur & ad latus locarentur, vel in figura alia, ut castra velut geminarentur, sed duplici vallo discreta. Prætorium autem & adjuncta ad latus utrumque circa portas principales. Ista ex Polybio, etsi raro in libris, qui hodie, consules sic junctis castris vallo tamen divisos fuisse legas.* Hæc ille: quibus ego addo, non raro, sed plane nusquam apud veteres inveniri, sed patrum nostrorum memoria in cerebro interpretum Polybii natum altumque hoc

commentum plenum absurditatis & periculi. Quid enim absurdius, quam duo prætoria ut conjungantur extra protrudi? duos consules tanquam milites, qui parum prospere pugnassent, extra vallum a suis abstrahi, & quodammodo hostibus exponi? Sed illa, quam diximus, opinio produxit hoc monstrum, fecitque, ut verba per se clara alio detorquerentur. Vidit hoc, &, quo dignior laude, primus omnium vidit Salmasius, monuitque Polybium hic de simplicibus castris loqui, sed tamen ne sic quidem hunc locum recte interpretatus est: *Forum vero & quæstorium, prætoriumque in medio ponunt*: nec addit, quod caput est, quorum in medio. Velle videtur in medio castrorum: indicant id verba sequentia: *Quid apertius quam prætorium in medio castrorum locari vulgo solitum, quum simplicia erant castra?* At Polybius sic intelligi non potest, sive rem sive verba spectes. Forum enim & quæstorium & prætorium inquit in medio poni: at hæc omnia in medio castrorum non ponebantur. Nec verba ipsa *μέσον τιθέασιν τῶν δυοῖν στρατοπέδων* verti possunt *in medio castrorum*, nisi velis cum interpretibus *in medio duorum castrorum vel utriusque exercitus*: quo illorum sententia maxime confirmetur. Vertendum erat omnino: *In medio duarum legionum*. Polybium enim voce ista hoc loco legionem designare, sole meridiano clarius apparet ex præcedentibus, ubi de differentia metationis duplicium & simplicium castrorum agere incipit: *Πάντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων καὶ τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς ἕνα χάρακα συναθροισθέντων*. Quæ recte de quatuor legionibus acceperunt: quo magis miror, adeo illis fascinatos fuisse oculos, ut illa de duabus accipi debere non viderint. Repetit deinde eandem rem aliis verbis, ne longior periodus, in qua dicitur, & qua parte castrorum duplicia castra cohæreant, & quam efficiant formam, obscurum faciat, quod illi propositum hic est, ostendere nempe discrepantiam metationis unius & duorum consularium exercituum: *Ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν.* *Quoties igitur contingit utrosque consules una metari, vel juncta castra habere*, *οὕτως ἀεὶ χρῶνται ταῖς στρατοπεδείαις*: *hoc modo semper solent metari*, vel *semper hoc modo illa disponuntur*. Addit jam quo differant simplicia castra. *Ὅταν δὲ χωρίς*. *Quoties vero seorsum*, scilicet metantur vel separata habent castra. Quid tum? Forum & quæstorium & prætorium *μέσον τιθέασιν τῶν δυοῖν στρατοπέδων*. Plerumque autem veteri republica unum consulem duabus legionibus rem gessisse notum est. Polybius libro III. *καὶ τοὺς μὲν πλείστους ἀγῶνας δι' ἑνὸς ὑπάτου καὶ δύο στρατοπέδων καὶ τοῦ προειρημένου πλήθους τῶν συμμάχων κρίνουσι*. Hæc erant simplicia castra: ut in duplicibus quatuor, sic in simplicibus duæ legiones: utque in illis prætoria & quæstoria bina ea parte, qua conjungebantur castra, id est, in medio quatuor legionum, ita in his prætorium & quæstorium in medio duarum legionum. Illud in utrisque non procul a media parte totorum castrorum ad principia: quæstorium vero in rigore portæ decumanæ a tergo prætorii, inter quæ medium forum. Ac hunc in consulari exercitu & quotidiana metatione harum partium locum esse multa probant: ita quæstorium ad portam decumanam in castris Atilii consulis locat Livius. *Ab tergo*, inquit, *castrorum porta decumana impetus factus: itaque captum quæstorium quæstorque ibi L. Opimius Pansa oocisus*. Adde, quod ipsa porta quæstoria cognominata: unde, nisi a quæstorio proximo? Livius XXIII. *Alius tumultus ab aversa castrorum parte est exortus: in portam quæstoriam irruperant Galli*. Similiter quintanam forum rerum utensilium esse, & Festus & vox ipsa inde ad hastam translata satis adstruunt; sitam vero, quo diximus loco, nemo negare potest, nisi qui Polybium & veteres palam impugnet. Quæ sane talia esse ipse Lipsius fatetur, *ut nihil iis sine calumnia obtendere possit. Descendit autem illuc, ut olim & veteri ævo quæstorium fuerit e regione decumanæ via media quintana: ante Polybii tamen ævum mutarit & visum transferri quæstorium in prætorii latus, ut vicinius*. Quæ ego non laborabo refellere, ut nulla veterum auctoritate fulta; immo ut illis ipsis auctoritatibus, quas adducit, satis refutata. Quis enim disertius dixit Hygino, quæstorium etiam illa ætate fuisse supra prætorium in rigore portæ decumanæ? Quis magis illi contrarius quam ille, quem pro se citat, Livius in XLI? *Prætorio dejecto, direptis, quæ ibi fuerant, ad quæstorium, forum, quintanamque hostes pervenerunt: ibi quum omnium rerum paratam expositamque copiam & stratos in quæstorio invenissent, regulus accubans epulari cepit*. A prætorio ad quintanam, ab hac ad quæstorium itur, & plane eodem ordine, quo in castris Hyginianis hæc sunt disposita, ut inter duas legiones medias esse dubium non sit. Nam & alii veterum, prætorium non in prætentura, ut isti, sed, ut Hyginus, in medio castrorum locant. Virgilius de prætorio in castris Æneæ, in quo concilium habebat Ascanius cum principibus exercitus:

Ductores primi Teucrum & delecta juventus
Consilium summis regni de rebus habebant:
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuncius esset:
Stant longis adnixi hastis & scuta tenentes,
Castrorum & campi medio.

Servius: *In medio campi spacio: qui campus castrorum medius fuit, quia in mediis castris Principes sunt*. Josephus scribit principum tabernacula in medio castrorum esse, inter quæ μεσαίτατον, maxime medium prætorium. At enim hac ratione, siquidem cætera eodem, quo antea, modo disponantur, prætentura jam in illis duplicibus castris satis vacua & inanis, magis magisque nudabitur. Vellem equidem Polybius clarius & minus negligenter hæc docuisset, scrupulosque similes exemisset: sed tamen cum nationibus in prætentura paulo ante dederit locum, his utrimque ubi forum & quæstorium fuit, receptis jam non admodum multum supererit, præter viam prætoriam, quam in istis castris latiorem, centum minimum pedum esse non ambigo. Quid si valetudinarium, veterinarium & fabrica, quæ hic omnino intacta reliquit, & Hyginus in hac parte locat, adjicienda? Quid si suum Legatis scamnum æque ac Tribunis? Occupabitur pleraque pars prætentura, quam Polybius perfunctorie admodum describit, etiam in illa duorum exercituum compositione, quasi satis habens, metationem legionum Romanarum ostendisse. Sed & in eo a Polybii mente positio hæc Prætorii inter duas legiones abire videtur, quod tota castra non quadrata æquilatera, sed ducentis minimum pedibus latiora quam longiora fiant. Sed cum longitudinem prætenturæ parum accurate definiverit, nec satis ostenderit, an cum intervallo quod est ad portam prætoriam, an vero absque eo castra hæc dimidiata vel simplicia quadrata sint, ne hoc quidem pro certo affirmari potest. Si enim absque intervallo ea jam est castrorum forma, interposito prætorio & adjecto intervallo, habebis iterum justum quadratum: utrique enim ducenti dabuntur pedes, huic in longitudine castrorum. Quanquam hanc formam non semper ad pedem observari ostendit ipse Polybius: quoties enim major fuerit sociorum multitudo, ad pedaturam eorum utrimque lateribus strigam jubet adjicere, quo castrorum latitudo paulum excrescat necesse est.

Πάντας ἐλευθέρας ἐμὲ καὶ δούλους ὀμνύουσι καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν.) A Transit Polybius a metatione ad jusjurandum, quod castris positis dicebant. Meminit supra alterius sacramenti, in quod peracto delectu adacti, jurabant se ducibus fore dicto audientes, strenueque & pro viribus effecturos, quæ jusserint. Apud alios autem rerum Romanarum scriptores, aliorum aut certe non per omnia eorundem sacramentorum mentio fit, unde melius plerisque visum de sacramentis militaribus uno loco agere. Ac non pauca veterum testimonia huc facientia collegerunt pridem viri docti & antiquitatis Romanæ gnari; inprimis autem Carolus Sigonius, Barnabas Brissonius & Justus Lipsius: B ad quorum te erudita scripta mittere, nos quidem malebamus, quam supervacanea repetitione eorum, quæ bene ab istis dicta sunt, mihi tibique tædio esse. Sed quum illi partim nuda loca citare satis habuerint nullis nec distinctionibus eorum, quæ confuse dicuntur, nec interpretatione eorum quæ obscure adjecta, partim veterum mentem parum assequi videantur, nobis hanc materiam belli tractantibus partem hanc silentio præterire non licuit: quia autem hæc & quæ deinceps dicturi sumus, ex pluribus scriptoribus & longe lateque sparsis antiquitatis reliquiis colligenda sunt, ea tibi non in morem notarum, sed in certa capita digesta tradere consilium fuit. Verum priusquam a castrorum metatione discedamus, castra tum Polybiana, tum Hyginiana tironum causa, hic in forma placuit subjicere.

CAPUT I.

DE

SACRAMENTIS.

Sacramentum a *sacro* dicitur, auctore Varrone. Sacrabatur enim aliquid, in civili illo sacramento pecunia ad Pontificem deposita: at in hoc militari, ipsi milites: sic *leges sacratæ*, ut scribit Festus? dicebantur, *quibus sancitum erat, ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui deorum esset cum familia pecuniaque*. Ejusmodi leges ad cogendum exercitum Æqui, Volsci, Ligures olim habuere: de illis Livius in IV. *Lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, utrimque validi exercitus profecti in Algidum convenere*. Meminit & Livius legis sacratæ militaris apud Romanos C. Marcio, Q. Servilio Coss. latæ: *Ne cujus militis scripti nomen nisi ipso volente deleretur*. *Sacrata jura* apud Virgilium Æneid. 2.

> *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,*
> *Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,*
> *Si qua tegunt, teneor patriæ nec legibus ullis.*

Quod Servius interpretatur, ut non incidat in sacramenti pœnam: militare sacramentum τὸν ἱερὸν ὅρκον Dionysius appellat libro VIII. *Καὶ προσιόντες ἐπὶ τὴν στρατολογίας τεῖς πάντας ἰδίοις τὸν ἱερὸν ὅρκον ὤμνυσαν καὶ ὑπὸ τὰς σημαίας κατεγράφοντο*. Merito: tum vocem Latinam, *sacramentum* respiciens, tum rem ipsam insignis sanctimoniæ, a qua militia sacrata & milites sacrati. Livius: *Cæca ac fortuita pro solemni ac sacrata militia fit*. Vegetius: *Milites jurare solent & ideo militiæ sacrati dicuntur*. Maximinus apud Julium Capitolinum milites suos ita alloquitur: *Sacrati commilitones, imo etiam mei consecranei*. Tertullianus Apologetico: *Sed qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster; cum lignum aliquod propitiatur*. Dionysius libro VI. Τῶν γὰρ ἱερῶν ἔτι πραγμάτων κύριος ἦν τοῖς στρατιωτικοῖς ὅρκοις κατειργμένοις ... οὐδεὶς ἀπολείπεσθαι τῶν σημείων ἠξίου. C Ad quæ Lipsius: *Sacras legiones se nec intelligere nec retinere, transponere magis Græcam vocem & legere τῶν ἱερῶν σημείων, & signis addere, quæ dicta & habita sacra*. At nulla erat turbandi hunc locum causa: eadem ratione, qua a *sacramento* Latini militiam, militesque *sacratos*, Dionysius propter τὸν ἱερὸν ὅρκον *legiones sacras* dixit. Sic ἱερὸς λόχος Athenæo, Hesychio, aliis, *sacra cohors* Thebanorum, quæ ab Epaminonda, vel ut alii volunt, Gorgida instituta. Idem Dionysius τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον τὸν κράτιστον ὅρκον vocat, quod inviolate sancteque haberetur, maximeque omnium servaretur: D *ὤμοσε τὸν ἐπιχώριον τοῖς Ῥωμαίοις καὶ κράτιστον ὅρκον*: nam, ut alibi scribit, ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος ... ἁπάντων μάλιστα ἐμπεδοῦσι Ῥωμαῖοι: *grave mysterium Romani Principatus*. Ac sacramentum militare tam necessarium veteres existimasse, ut non crederent jure pugnare in hostem posse, nisi qui eo obligatus esset, ex Cicerone notum est libro I. de Officiis, ubi scribit dimissa a Pompilio legione, in qua Catonis Censorii filius militaverat, Catonem ad Pompilium scripsisse, *ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento; quia priore amisso jure pugnare cum hoste non posset*. E *Ejusdem M. Catonis senis esse epistolam ad M Filium, in qua scripserit se audisse, eum missum factum a consule, cum in Macedonia Persico bello miles esset, monere in ea, ut caveat ne prælium ineat; non enim ei jus esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste*. Cujus rei causam inquirit Plutarchus in Quæstionibus Romanis, An, inquit, quod solam necessitatem homini hominis occidendi jus dare oportet & qui sine lege & extra ordinem occidit, homicida est? Ideo Chrysantam laudavit Cyrus, quod cum in eo esset, ut interficeret hostem, jamque ensem sustulisset; simul ac receptui cani audivit, repressit manum & cæde sibi interdictum ratus, hominem dimisit. An vero quod qui cum hoste manum conserere vult, sine lege

esse non debet, nec impune ferre, si quid per ignaviam peccaverit: non enim tantum fortiter faciendo prosit, quantum noceat male pugnando fugiendoque. Dimissus autem miles, legibus militaribus non tenetur; at qui sacramento se obligavit, Imperatori legibusque se subjecit. Ac nihil vetat utramque recipi causam. Altera justitia, altera prudentia Romanorum digna est. Cum enim bellum non hominum interficiendorum, sed justitiæ & juris, quod per leges non licuit, per arma obtinendi gratia suscipi debeat, æquum est illud sic quoque geri, ut in omni actu appareat juris & legum reverentia, ut videant ipsi, qui ut hostes occiduntur, parci sibi ut hominibus; occidi se ab invitis & gementibus, nec nisi sub certa lege, quatenus finis belli & necessitas publica exigunt. Quando autem & quatenus hæc pugnam cædemque requirant, non est cujuslibet e vulgo; sed ejus judicium, cui summa imperii bellique administrandi permissa est. Hujus itaque legibus bonus miles ante omnia adstringi debet. Præterea cum usu compertum sit, non tantum ferociam & virtutem ad summam victoriæ conferre, quantum disciplinam quæ obsequio continetur: ad hoc rem militarem plus quam humana vi & divina quadam fortuna opus habere, nemo ignoret; merito milites, priusquam eorum dextris fideique tanta res committeretur, sanctissimis sacramentis & disciplinæ obligare & ipsis deis consecrare videntur voluisse. Tria autem apud veteres Romanos comperior fuisse sacramenta militaria & rebus quas complectebantur & formis jurisjurandi diversa & distincta, quæ in legitima militia omnes milites, sed diversis diebus & temporibus adigebantur.

Primum in ipso delectu, cum nomina darent, antiquitus dixisse docent nos veteres, quando *delectum habere, citare & sacramento rogare, nomina dare & sacramento dicere* pro re pæne eadem sumunt. Dionysius libro XI. *Licet enim tribunis obsistere consulibus: ac si qui vi ad sacramentum adigantur, tribuni eos eripiunt & impediunt, ne ulla de imperium detrectantibus sumatur pœna.* Livius: *Dictator omnes juniores nullo detrectante militiam sacramento adegit.* Idem lib. IV. *Hoc decreto consul armatus, cum paucis appellantibus tribunum collum torsisset, metu cæteri sacramento dixere.* Idem lib. XXX.II. *Obvios in agris sacramento rogatos arma cap ere & sequi jubebat*: lib. II. *Quum retinendi jus creditori non esset, concursus in forum, ut sacramento dicerent, fieri.* Juniores militiam detrectantes primo statim delectu citati, ad nomen non respondebant, &, si consul lictorem mitteret, appellabant tribunos: non autem nominibus jam datis post delectum demum (quo tempore Polybius scribit sacramento dixisse) sacramentum detrectabant. Prius igitur & in ipso delectu ubi citati nomina dedissent, singuli sacramento antiquitus dixerunt. Dionysius diserte in delectu ad militare sacramentum citatos plebejos non obtemperasse scribit, l. VI. Χρόνον ὁρίσαντες ἐν ᾧ τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν ἔμελλον ποιεῖσθαι. ὡς δὲ οὐχ ὑπήκουον αὐτοῖς οἱ δημοτικοὶ καλούμενοι πολλάκις ἐπὶ τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, οὐκέτι τὴν αὐτὴν ἑκάτερος εἶχε γνώμην. Servius item ad VIII. Æneidos ostendit singulos rogatos: *Apud majores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia aut conjuratio aut evocatio. Legitima erat militia, qua singuli jurabant pro republica se esse facturos, nec discedere nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus & sacramentum vocabatur. Ut Æn. II. Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura. Aut certe si esset tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos interrogare non vacabat,*

A *qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium & exinde proferens duo signa unum roseum, quod pedites evocabat, & unum cœruleum quod erat equitum: & qui convenissent simul jurabant, & dicebatur ista militia conjuratio.* Sacramentum opponit conjurationi, quod illo singuli rogarentur, singuli jurarent: hac vero neque singuli rogarentur & omnes simul conjurarent. Factum & posterioribus temporibus interdum, ut nominatim citati prisco illo more sacramentum adigerentur. Livius de seditionis Scipionis militibus ad Sucronem: *Citati milites nominatim apud tribunos militum in verba Scipionis jurant.* Apud eundem Gracchus lib. 24. *Cita-*
B *tosque singulos jurejurando adigam, nisi queis morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potumque quoad stipendia facerent capturos.* Rogabant sacramento illi qui præfecti delectui, qui erant veteri republica loco consulum plerunque tribuni militares: hi per præconem, ut testatur Appianus, citabant nominatim: apud hos (ita loquuntur) dicebatur sacramentum. Cæsar Bello Civili II. *Ne primam sacramenti, quod apud Domitium atque apud se quæstorem dixissent, memoriam deponerent.* Livius: *Citati nominatim milites apud tribunos militum in verba P. Scipionis jurant.* Tertullianus de
C Oratione: *Ideo nec extat in quæ verba docuerit Johannes, adorare quod terrena cœlestibus cesserint.* Apud tribunos militum, sed in verba summi ducis. Interdum tamen etiam apud summum ducem sacramentum dixerunt. Cæsar de Bello Civili 1. *Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubent. In verba jurare* dicebantur, non ejus qui verba præibat (quamvis id etiam antiquitus factum ab illis, in quorum verba jurabant, phrasis ostendat) sed ejus cujus nomine præibantur, qui summo imperio erat præfuturus, cui obedientiam promittebant, cujus nomen in sacramento nominabatur; unde & *in nomen jurare* dicunt Tacitus, Suetonius, Ammia-
D nus. Tacit. *Addebat Messala Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii.* Ammianus de Juliani militibus: *Jussique universi in ejus nomen jurare solemniter gladiis cervicibus suis admotis sub execrationibus diris, verbis juravere conceptis omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos.* Herodianus sic aliquoties ad verbum, lib. II. de Pertinace: Εἴς τε τὸ ἐκείνου ὄνομα τοὺς συνήθεις ὅρκους ὀμόσαντες καὶ θύσαντες δαφνηφοροῦντες, πᾶς ὁ δῆμος καὶ τὸ στρατιωτικόν. Eadem locutione utitur alibi, quæ non multum abit a Baptismi formula, *baptizare in nomen*, εἰς τὸ ὄνομα: phrasis enim hæc Hebraica cum alibi aliud si-
E gnificet, fere tamen imperium ejus involvit, in cujus nomen transitur. Esaiæ IV. *Mulieres petunt, ut invocetur nomen viri super eas*: hoc est, ut sub imperio viri sint & ab eo trahant nomen. Significat autem non tam in nomine, id est, jussu Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizare, quam Deo consecrare & devovere. Ac præcedunt Baptismum in Ecclesia interrogationes & responsiones, quibus velut sacramento rogantur & sacramento dicunt & in verba ejus jurant, in cujus nomen deinde baptizantur: εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἔξεστιν, inquiebat Philippus Æthiope postulante
F baptismum: Respondit ille, πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν. Habet & hoc Baptismus cum militari sacramento commune, quod in eo, sicuti in delectu militiæ, nomen datur. Propter quam similitudinem affinitatemque, *sacramenti* vocabulum a Latinis Patribus & ab Ecclesia receptum fuit. Tertullianus ad Martyres: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba spondimus.* Hieronymus ad Heliodorum: *Recordare tirocinii tui diem, a quo, Christo consepultus, in sacramenti verba jurasti.* Baptismum

enim, ut primum, quo Christo initiamur, sacramentum; & sacramento militari imprimis simile *κατ' ἐξοχὴν* vocant *sacramentum*. Arriano etiam in Epictetum placuit hæc similitudo. Jubet enim nos in Dei verba jurare, quemadmodum milites jurant in verba Cæsaris: ipsius verba: *Τῷ Θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον στρατιῶται τῷ Καίσαρι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν*. Josephus *Ουεσπασιανῷ ὀμνύειν*. Idem eodem ni fallor libro *εἰς αὐτὸν ὤμοσεν*. Sic & scriptores Novi Testamenti, quod alibi dicunt *baptisare in nomen alicujus*, alibi *in aliquem*. D. Paulus ad Romanos VI. *Ἠ ἀγνοεῖτε, ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν*; I. ad Corinth. X. *Πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο*. Tertullianus sacramentum militare & simul Baptismum respiciens, utroque dicit *in Dominum responderi*: *Credisne humanum sacramentum divino superinduci licere & in alium Dominum respondere post Christum?* Hieronymus ad Heliodorum: *Recordare tirocinii diem, a quo, Christo consepultus, in sacramenti verba jurasti*. Baptismus enim ut primum, quo Christo initiamur, sacramentum & sacramento militari inprimis simile, *κατ' ἐξοχὴν* vocant *sacramentum*. Vulgo autem veteri republica in verba duorum consulum, qui delectum haberent & summo cum imperio apud legiones essent, habente delectum dictatore in verba etiam consulum adactos legas apud Livium II. *Quanquam per dictatorem delectus habitus esset, tamen quia in consulum verba jurassent, sacramento teneri militem rati per caussam renovati ab Æquis belli, educi ex urbe legiones jussere*. Causa fuit, quod plures legiones scriberet, quarum quasdam etiam tum consulibus regendas daturus erat. Fortassean & illa, quod se dictatura abeunte novo delectu opus esse non voluit. Apud eundem in tertio L. Quintius Cincinnatus, *Nobis vero*, inquit, *nihil delectu opus est, quum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba juraverint, conventuros se jussu consulis nec injussu abituros. Edicimus itaque omnes, qui in verba jurastis, crastina die armati ad lacum Regillum adsitis*. Hæc antiqui sacramenti formula, *Conventuros se jussu consulis nec injussu abituros*. Polybius in ipso sacramento non meminit diei; sed postea dicit *jurasse ad diem conventuros*: *παραγενομένης δὲ τῆς ἡμέρας εἰς ἣν ὤμοσαν ἀθροισθῆναι*. Dubitari itaque non debet, an vera hæc fuerit formula; dubitari potest, an integra: exceptiones certe adjectas ex Gellio vel potius Cincio de re militari apud Gellium liquet lib. XVI. c. 4. *Militibus autem scriptis dies præfiniebatur, quo die adessent, & ut citanti consuli responderent*. Sed hæc a Gellio præpostero ordine citantur: Primo loco dicit quæ postremo, postremo quæ primo fiebant. Primum recitavit jusjurandum, quod tempore ultimum; in castris enim dicebatur. Addit militibus scriptis diem dictum ad conveniendum: nunc agit de jurejurando, in quod adigebantur, vel in ipso delectu vel utique statim post delectum Priusquam dies præfiniretur quo adessent, *Conventuros se jussu consulum* jurabant non adjecta die; quia volebant eos convenire, quoties & quando necessum videretur, ut apparuit paulo ante ex oratione Cincinnati, qui milites jam dimissos vi hujus sacramenti iterum convocavit & ad Lacum Regillum adesse jussit. Rectius autem in Gellio hic legeris. *Et ut citanti consuli responderant*, quia sequitur, *Deinde*, &c. Sensus est, cum ad nomen respondissent & nomen dedissent, tum jusjurandum adactos. *Deinde*, inquit, *ita concipiebatur jusjurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce quæ causa erit, funus familiare, feriæve*

A *denicales, quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve quod sine piaculo præterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostisve, status condictusve dies cum hoste: si cui eorum harumce quæ causa erit, tum se postridie quam per eas causas licuisset, eo die venturum, adjuturumque eum, qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit*. Polybius in hac re excusationem nullam scribit admitti præter auspicia & ea quæ sunt impossibilia, id est, suapte natura excipiuntur. Lib. VI. B *Παραγίνονται δὲ πάντες ἀπαραιτήτως οἱ καταγραφέντες, ὡς ἂν μηδεμιᾶς ἄλλης συγχωρουμένης παραιτήσεως τοῖς ἐξορκισθεῖσι πλὴν ὀρνιθείας καὶ τῶν ἀδυνάτων*. Sed neglegentius, opinor, ut cætera, sacramenti has quoque exceptiones attigit. Plures complectitur & haud dubie veras Cincii formula, quarum pleraque pertinent ad sacrorum religiones, pietatem erga Deos, & quæ proxima semper habita, erga suos talia, sacrificium anniversarium, auspicium, feriæ denicales, funus familiare: quorum cum nihil sine impia fraude neglegi credebatur posse, provideri placuit, ne his suscipiendis militaris disciplina & sacramenti religio violaretur. Tanta cura fuit, ne quis etiam privatim neglectu aliquo C religionum militiam auspicaretur. Jam vis hostisve, morbus sonticus inter illa sunt, quæ præstare nemo possit. Unum militum & simul peregrinorum commodis datum, si forte status condictus cum hoste dies intercederet. Atque hæc omnia non aliter excusabant, quam si is, cui hæc causa emansionis, postridie quam per eas causas licuisset, adesset. Causæ autem an justæ essent, etiam posteriori militia, solebat diligenter examinari. Arrius Menander Digestis de re militari: *Examinantur autem causæ semper emansionis, cur & ubi fuerit & quid egerit & datur venia valetudini, affectioni parentum & affi-* D *nium, & si servum fugientem persecutus est, vel si qua hujusmodi causa* Item: *Qui commeatus spatium excessit, emansoris vel desertoris loco habendus: habetur tamen ratio dierum, quibus reversus est, item temporis navigationis vel itineris, & si se probet valetudine impeditum, vel a latronibus detentum, similive casu moram passum, dum non tardius a loco profectum se probet, quam ut occurrere posset, intra commeatum restituendus est*: hæc de commeatu ille, eo tempore quo jusjurandum hoc pridem desierat. Altera pars, *Nec injussu abituros*, nullam exceptionem admisit, quando desertionis nulla satis justa causa. Præterea Polybius peracto demum delectu E milites jurejurando adigit simplici & generali obedientiæ: *Ἐπιτελεσθείσης δὲ τῆς καταγραφῆς τὸν προειρημένον τρόπον, ἀθροίσαντι τοὺς ἐπιλελεγμένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων καθ' ἕκαστον στρατόπεδον καὶ λαβόντες ἐκ πάντων ἕνα τὸν ἐπιτηδειότατον ἐξορκίζουσιν, ἦ μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν. Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ' ἕνα προσπορευόμενοι τοῦτ' αὐτὸ δηλοῦντες, ὅτι ποιήσουσι πάντα, καθάπερ ὁ πρῶτος*. Diversum hoc ab illo priori dixeris sacramentum. Illud enim ipso delectu juravisse ostendimus; hoc delectu jam habito liquet dictum. Illo spondent conventuros jussu consulum nec injussu abituros; hoc generaliter, fore omnino, F ut pareant imperio ducum. Illud singuli nominatim citati adiguntur; hic unum præjurantem cæteri sequuntur, idem in se quisque jurantes. Sed Polybius in delectu citat tantum milites, sacramenti mentionem nullam omnino facit: nec hic sacramenti verba singula persequitur (liquet id ex eo loco, quo dicit, jurasse ad diem conventuros, cujus rei tamen hic non meminit) sed rem ipsam summatim complectitur *obedientiæ* vocabulo, cujus non postrema pars est convenire jussu ducum nec injussu abire. Proba-

Probabile itaque eſt, Polybii hoc jusjurandum forma quidem & tempore quo dicebatur aliud atque illud antiquum eſſe: cæterum re ipſa idem, ac primum etiam, quod illa ætate milites jurabant. Quod mihi fit veriſimilius, cum apud Livium, & Frontinum legam bello Punico ſecundo, in forma ſacramenti a more majorum paululum receſſum eſſe. Livius XXII. 38. *Milites tum primum, quod nunquam antea factum, jurejurando adacti a tribunis militum, juſſu conſulum conventuros, neque injuſſu abituros. Ad eum diem nihil præter ſacramentum fuerat, &c.* Frontinus IV.1.4. *Paulo* (ita hic ſcribendum eſt, vulgo legitur *L. Flacco:* Lucius enim Æmilius Paulus C. Terentio Varrone conſul fuit, anno Cannenſi clade noto, in quem annum hæc refert Livius) *L. Paulo & C. Varrone Coſſ. milites primo jurejurando facti ſunt: ante enim ſacramento tantummodo a tribunis rogabantur.* In quibus explicandis admodum laborat vir ſummus, libro de militia Romana, I. Dialogo de Sacramento. *Quid ais*, inquit, *Livi? nunquam antea factum: tu aliter docuiſti & dedi jam totidem verba, ſed diſcriminat ipſe, etſi non ſine ambage & nodo. Nam ſubdit ad eum diem, &c. Dicit hic duo, nec vinculum æque validum fuiſſe, nec eadem verba. Non vinculum, quia ſacramentum & velut fœdus ſpontaneum quoddam inter ipſos erat, nec tribuni adigebant: non verba, quia formula tota diverſa, nec quicquam ibi de ſequela ducum aut ſignorum. Ita hic quidem Livius. Sed quis cum Dionyſio concilet, qui palam de ducibus & ſignis habet. Quin habet etiam Livius ipſe, ut dedi ſupra. At, inquies, non jurarunt? Cur igitur idem Livius ſic locutus: Omnes, qui in verba juraſtis. Item: In verba ſua juratos centuriavit. Atque hæc olim & diu ante Punica. Præfatus ſum intricate hæc ſcripta, nec ego plene & ad meum votum extrico.* Hæc Lipſius. Cauſa cur non extricet eſt, quod ſacramentum a jurejurando & conjuratione non diſtinguat. Adacti quidem jam olim in verba conſulum milites Romani, ſed ſacramento, non legitimo jurejurando. Sacramentum vim jurisjurandi habebat, & qui Sacramento dixerant, jurati recte dicebantur. Sed ſacramenti non eadem & legitimi jurisjurandi forma. Sacramento rogabant, qui delectui præerant; dicebant, qui rogabantur. In civili quoque ſacramento rogabant & ſpondebant. Feſtus: *Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur ſive eo quis interrogatur ſive contenditur.* In hoc militari jam diximus & paſſim legitur. Frontinus ſupra: *Ante a tribunis tantum ſacramento rogabantur. Rogare* autem & *dicere* relata eſſe notum eſt, *rogare ſententiam* & *dicere ſententiam, rogare ſacramento* & *dicere ſacramento.* At *jurejurando rogare* non dicunt Latini, ſed *jurejurando adigere*, vel *jusjurandum adigere, exigere, deferre, dare inter ſe:* nam formula verborum conceptorum, quæ præibat is, qui jusjurandum adigebat, non habebat vim interrogandi, ut male putant, ſed dictandi. Apud Plautum Rudente: L. *Præi verbis, quid vis id quod domi eſt, nunquam illi ſupplicabo. G. Tene aram hanc. L. Teneo. G. Dejurato mibi argentum daturum. L. Fiat, &c.* Idem ex Milite glorioſo ſcena ultima liquet. Eadem ratione intelligenda, quoties præitur ſolemnis illa formula: *Ex tui animi ſententia.* ut apud Livium. XLIII. *Ex tui animi ſententia, tu ex edicto C. Claudii Tib. Sempronii cenſorum in provinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris.* Præeuntis enim verba hæc ſunt, quæ in ſecunda perſona non concipiebantur, quo interrogarent eum, quem adigebant jusjurandum. ſic enim etiam concipiebatur, cum nullæ interrogandi cauſæ, ut apud Petronium: *Ex tui animi ſententia, ut tu Tryphæna neque injuriam tibi factam a Gytone quereris, &c.* Quæ erat tabulæ fœderis forma: ſed ne ille qui verba præibat, in ſua perſona verba concipiens, religione aliqua verborum alligaretur; tanta enim erat jurisjurandi apud veteres ſanctitas, ut quamvis proprie non obligaret niſi ex animi ſententia affirmaretur, tamen ipſa quoque verba, quæ teſtem advocarent Deum, non temere de ſe pronuntiarent. Videre id etiam eſt in loco paulo ante ex Plauto citato, ubi cum Gripus in ſua perſona quædam præiviſſet, mox tamen ubi ad execrationem pervenit, mutat perſonam:

L. Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mibi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento ſalvum inveſtigavero,
Iſque in poteſtatem meam pervenerit,
Tum ego huic Gripo, dico, Venus, ut tu exaudias,
Talentum argenti magnum continuo dabo.
G. Si fraudaſſis, dicito, uti te in quæſtu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam:
Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.

Jusjurandum, quod præjuratione fiebat, in prima perſona concipiebatur. Idem enim jurabat, qui præibat verba concepta: at in quod alios tantum adigebant, in ſecunda perſona. Legitimum itaque jusjurandum, eo diverſum a ſacramento, quod illud interrogatione, hoc adactione fiebat & conceptis verbis quæ præibantur. Sacramento præterea ſinguli antiquitus rogabantur. At hoc jusjurandum Polybianum præjuratione fiebat. Uno præjurante cæteri idem in ſe jurabant: eo potiſſimum conjurationem a ſacramento diſtinguit Servius loco, quem ſupra citavimus. Feſtus: *Præjurationes facere dicuntur, qui ante alios conceptis verbis jurant, poſt quos in eadem verba jurantes tantummodo dicant: Idem in me.* Præjurationis exemplum in Livio, loco quem ſupra citavimus: *Victor, Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem Gradivumque & alios iratos invocat Deos. Idem deinceps in ſe quiſque jurat.* In quo etiam habes formulam invocationis in jurejurando militari: patrium enim jusjurandum dixiſſe, auctor Dionyſius, & addit arrecto enſe, lib. IX. *Καὶ τὸ ξίφος ἀνατείνας ὤμοσε τὸν ἐπιχώριόν τε Ῥωμαίοις καὶ κράτιστον ὅρκον.* Eſt & formula execrationis apud Livium XXII. præeunte verba P. Scipione: *Si ſciens fallo ex animi mei ſententia, tum me Jupiter OPT. MAX. domum familiamque meam peſſimo letho afficiat.* Ubi ſeque, domum & familiam, quemadmodum lege ſacrata, execrationibus devovet, ſi fallat fidem. Cauſam hujus mutationis, qua milites, qui antea ſacramento tantum rogabantur, jurejurando adigere inſtituerunt, eandem, quam Servius ſupra allegat, conjurationis in tumultu Gallico fuiſſe arbitror. Quum enim in illo gravi bello in Italia dimicaretur & Hannibal ad portas eſſet, rationem delectus inſtituiſſe videntur, quæ & facilis & expedita eſſet, nec longa ſingulorum interrogatione tribunos moraretur. Fortaſſis etiam in illo publico periculo accuratiorem formulam fecerunt, additis nominatim omnibus exceptionibus juſtiſque cauſis emanſionis. Nam illæ quas utrique ſacramento adjectas ſcribit Gellius, longiores ſunt, quam quæ in delectu, quoties ſacramento rogarent, id eſt, ad ſingulorum nomina a tribunis recitarentur; & quamvis antiquæ ſint, illos tamen barbatos barbaros illam ultimam antiquitatem minime mihi redolere videntur. His demtis jusjurandum hoc & priſcum ſacramentum eodem vinculo militem adſtrinxiſſe eandemque rem continuiſſe, Livius diſerte nos docet. *Milites tum primum*, inquit, *jurejurando adacti a tribunis militum, juſſu conſulum conventuros nec injuſſu abituros.* At priſca republica non diu poſt exactos reges jam dixerat

jurasse milites in verba consulum, conventuros jussu consulum nec injussu abituros. Hoc itaque interest, quod in rem eandem olim sacramento postea jurejurando legitimo adacti sunt. Quod olim in ipso delectu, postea delectu finito juraverunt. Posterioribus temporibus adauctam sacramenti formulam & accuratiorem factam, a vero non abhorret. Illud tamen quod Polybius dicit, jurasse fore se ducibus dicto audientes & strenuam fortemque operam daturos, jam olim in sacramento fuisse facile mihi persuadeo: quum obsequium & parendi necessitas primum & maximum vinculum sit, quo res & disciplina militaris continetur. Apud Livium bello Punico secundo Volones a triumviris jurejurando adiguntur, *strenuam fortemque operam daturos, quoad Pœni in Italia essent*. Vegetius scribit, *jurare milites omnia se strenue facturos quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos nec mortem recusaturos pro republica Romana*. Quæ ex prisco aliquo scriptore hausta esse probabile est: adeo congruunt cum iis, quæ in antiquo sacramento fuisse tradunt. Omnia strenue facturos, quæ præceperit Imperator, Polybianum jusjurandum est: non deserturos, Livianum: hoc vero ultimum de republica insertum fuisse, veteres etiam testantur, nec uno Dionysii loco, quod putat Lipsius, nititur. Apud Dionysium lib. IX. Appius plebi exprobat perjurium quod arma, quæ se pro patriæ defensione jurassent sumturos, in ipsam vertissent. Idem lib. X. scribit jurasse, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις ἐφ᾽ οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηθὲν ἐναντίον τῷ δήμῳ. Sed & Servius ad 2. & 8. Æneid. *Sacramento rogati qui post electionem in rempublicam jurant*: & ibidem paulo ante: *Miles legibus sacramentorum rogabatur, ut exiens ad bellum juraret, se nihil contra rempublicam facturum*. Atque hæc tam necessaria primo illo antiquo & proprie dicto sacramento jam olim jurasse, tum auctorum horum testimonia, tum res ipsa revincit. Nihil enim horum omitti videtur potuisse: non illud obedientiæ vinculum, quo & se adfuturos ad diem, neque deserturos, & quæcunque jusserit Imperator, strenue facturos pollicentur, quia sine illa nulla sit militia: non illud fidei & pietatis in patriam sacramentum, quia sine hoc virtus hæc omnis ingens scelus sit. Nec sane dubium esse potest anxiam veterum in istis solicitudinem ponderanti, quin, uti disciplinam militarem & illam simplicem obedientiam advocatis in testimonium deis sanciverunt, ita simul providerint, nequid impie in patriam, nequid scelerate per causam religionis & jurisjurandi perpetraretur. Voluerunt jus ratumque esse, quod militiæ imperaretur, dum summum jus summaque lex esset patriæ salus. Voluerunt militem per omnia esse in ducum potestate: ita tamen, ut & duces essent in potestate Senatus Populique Romani. Parere, non deliberare militem de imperiis; attamen non sic omnem sensum communem ejerare, ut specie dicto audientis nefaria facinora suscipere cogeretur. Atque hoc quidem prisca republica, illis antiquis moribus, cum non nisi pium & sanctum esset, quod sacramentum dicebatur, nec minus sancte & religiose custodiebatur, quam dictum erat. Neque dum enim didicerant interpretari & ad libidinem suam detorquere jusjurandum; mores suos ad id accommodabant. At posteaquam desciscentes ab illa prisca virtute vertere in patriam arma & fortes ad sanguinem civilem facti sunt, aut neglexerunt palam & contempserunt, aut impie in causam traxerunt jusjurandum: imo impia etiam sacramenta dixerunt. Tale certe scribit Lucanus Cæsari civilia arma moventi dictum esse, præeunte verba Lælio primipilo:

Nec civis meus est, in quem tua classica Cæsar
Audiero. Per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenaque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ:
Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscunque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem,
Roma sit.

Verba quidem hæc licentia poetica effundat Lucanus, sed rem ipsam quod attinet, per bella civilia nulla civium patriæque ratione habita, non aliter in omne facinus ruerunt, quam si impio sacramento obstricti fuissent. Sub Imperatoribus jusjurandum militum adeo nullam exceptionem patiebatur, ut Tertullianus dicat *patrem & matrem & omen proximum ejurasse*. Arrianus scribit jurasse se *omnibus præposituros salutem Cæsaris*: a quo non abit illud Caligulæ & sororibus ejus dictum: *Neque me liberosque meos cariores habeo quam Caium & sorores ejus*. Renovari quotannis solitum ex Plinii ad Trajanum epistolis liquet. Sed nos ad melioris reipublicæ tempora revertamur.

Secundum jusjurandum apud Livium in XXII. habemus, loco cujus partem jam adduximus: *Milites tum primum, quod nunquam antea factum, jurejurando adacti a tribunis militum, jussu consulum conventuros neque injussu abituros. Ad eum diem nihil præter sacramentum fuerat, ubi decuriatum & centuriatum convenissent sua voluntate, ipsi inter se equites decuriati, pedites centuriati conjurabant, sese fugæ & formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi aut hostis feriendi aut civis servandi causa: id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimi jurisjurandi adactionem translatum*. Ejusdem meminit Frontinus lib. IV. Strategematum cap. 1. L. Paulo & C. Varrone *consulibus milites primo jurejurando facti sunt: ante enim sacramento tantummodo a tribunis rogabantur, cæterum ipsi inter se conjurabant, se fugæ & formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli* [illegible]*endi, feriendive hostis, aut civis servandi causa*. Diversum hoc a primo tempore, quia illud in ipso delectu & antequam decuriarentur & centuriarentur, dicebatur. Liv. de Camillo: *Justitioque indicto delectum juniorum habuit, ita ut seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua juratos centuriaret*. *Juratos*, demum dicit, *centuriasse*. At hoc dicebatur non ipso delectu, sed cum decuriatum & centuriatum convenisset, id est, alio die. Tres enim dies dictos auctor Polybius: primo dabant nomina, secundo decuriabantur & centuriabantur, tertio castra ponebant. Secundo itaque die hoc secundum sacramentum jurabant & quidem jam decuriati & centuriati, ut palam scribit Livius & res ipsa clamat. Neque enim verisimile est jurasse se ex ordine non recessuros, nisi postquam ordinati, inque cohortes, manipulos, centurias essent digesti. Diversum & genere. Illud enim a tribunis rogati dicebant: hoc nemine adigente inter ipsos. Illud sacramentum erat: hoc conjuratio & voluntarium fœdus. Diversum denique materia. Illo obsequium Imperatoribus: hoc virtutem in hostem pollicebantur. Duo autem speciatim jurabant: *Primum se fugæ & formidinis causa non abituros*. Renovata interdum, cum in aciem educerentur, hæc conjuratio, ut jam non jurarent se fuga non abituros, sed victores re-

versuros ex acie. Livius II. *Centurio erat M. Flavolejus inter primores pugnæ flagitator. Victor, inquit, Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem Gradivumque aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat.* In quo & invocationis in jurejurando & præjurationis exemplum. Ante pugnam Pharsalicam simile jusjurandum dixit Labienus, quem secuti primores castrorum: *Se nisi victores in castra non reversuros.* Adjiciebatur in illa solemni conjuratione: *se ex ordine non excessuros.* Dignum & hoc prudentia Romana. Cum enim in ordinibus servandis omnis spes victoriæ, omnis salus, non vulgari studio huic res providebant: sed quemadmodum quotidiana campi meditatione discebant, tam recedentes, quam in hostem euntes, tam decurrentes, quam ambulantes, ordines servare; ita jurejurando inter se dato efficiebant, ne quis ordines deserere auderet. Nec soli usurparunt Romani, sed etiam Græci. Lycurgus oratione adversus Leocratem scribit Atheniensibus esse jusjurandum, quo jurent omnes cives, posteaquam in Lexiarchicas tabulas relati & ephebi facti sint, *se neque ordinem deserturos, sed patriam defensuros melioremque tradituros.* Idem fecerunt & Lacedæmonii, unde & λόχος, vel potius quarta pars ejus, ἐνωματία dicta fuit. Hesychius: Ενωμοτία τάξις τις διὰ σφαγίων ἐνώμοτος. Suidas: Ενωμοτία τάξις τις στρατιωτικὴ ἀνδρῶν ε' καὶ κ' παρὰ Λακεδαιμονίοις· εἴρηται δ' ἐκ τοῦ ὀμνύναι αὐτοὺς μὴ ἀπολείψειν τὴν τάξιν. Videtur & in hoc sacramento de signis adjectum aliquid; neque enim credibile est signorum mentionem in alio quam in hoc factam, cum centuriati decuriatique signa accepissent, eaque præsentia velut testes sacramenti invocare possent. Certe Dionysius testatur loco citato eos jurasse, μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα. Alii tamen eo nos potius ducunt, ut credamus per signa militaria tanquam bellorum numina jurasse.

—— Per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocunque ex hoste triumphos.

Tertullianus Apologetico: *Religio tota castrensis signa veneratur, signa jurat, dis omnibus præponit.* Signa quidem præcipue religioni & deferere nefas fuisse & nos alibi dicimus & notius est, quam ut probari necesse sit. Exceptiones, sub quibus jurabant ex ordine non recessuros, erant, ut diximus: *Nisi teli petendi, hostis feriendi & civis servandi causa.* Hanc conjurationem sive voluntarium inter milites fœdus bello Punico secundo ad legitimam jurisjurandi adactionem etiam translatam fuisse, docuit nos supra Livius. An in unum diem cum priori collatum, non addit. Inclinat potius animus, ut credam etiam deinceps alio die dictum, quia alio die centuriatum & decuriatum conveniebant. Conversum autem in legitimum jusjurandum videtur, ut majori vinculo militem adstringeret: quamvis enim conjuratione æque ac jurejurando iratos invocarent deos, si fidem fallerent, jurejurando tamen apud magistratum dicto super divinam vindictam etiam humana pœna solet adjungi, quam illo tempore, quo fugerant Romani, intendi e Republica erat.

Tertium jusjurandum, de quo Polybius, ab primo & secundo in eo diversum, quod non soli milites, sed omnes tam liberi quam servi dicerent. Merito sane: cum ab servis plus hic quam ingenuis periculi, quorum velut proprium probrum habebatur furtum: unde & in venditione servorum promitti solebat, fures non esse. Eo etiam diversum, quod castris positis demum dicebatur, ut Polybius auctor est: Μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν, &c. Cincius tamen apud Gellium scribit, dictum non in castris, sed cum delectus fieret & milites scriberentur, apud Gellium sic legitur: *In libro ejusdem Cincii de re militari quinto, ita scriptum est: Cum delectus antiquitus fieret & milites scriberentur, ad jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc.* Sed verba hæc, quicquid sonent, Cincii non esse reor: Cincius enim qui circa bellum Punicum secundum vixit, de hoc jurejurando, ut de re antiqua & jam desita loqui non potuit, cum non tantum illo ævo, sed & post illud Polybii ætate in usu fuerit; præsertim in jurejurando nominans illud consulum par, quod post bellum Punicum demum fuit, cum in Asiam trajectum bellumque cum Antiocho gestum. Solet autem Gellius ad meliorem connexionem verborum & intellectum rerum quædam de suo addere, priusquam ad ipsa auctorum quæ citat, veniat verba, ut in principio hujus capitis apparet & statim post hanc formulam. Quæ quamvis connecti videantur, Gellii tamen sunt, nec minus de vero, ut videtur, aberrant. Gellii itaque error est, qui hujus jurisjurandi tempus parum accurate observans, secundum pro primo accepit. Cincii Alimenti nihil hic præter ipsum jusjurandum, quod tale est: *In magistratu C. Lælii C. F. Consulis, L. Cornelii P. F. Consulis in exercitu decemque millia passuum prope furtum non facies dolo malo solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos, extraque bastam, bastile, ligna, pomum, pabulum, utrem, follem, si quid ibi inveneris sustuleris ve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. F. Consulem, L. ve Cornelium P. F. Consulem sive quem ad utrum eorum jus erit, proferes aut profitebere in triduo proximo, quidquid inveneris sustulerisve sine dolo malo; aut domino suo, cujum id esse censebis, reddes, uti, quod rectum factum esse voles.*

Quum nullum frequentius nec potentius in vita humana malum sit avaritia, quæ in fraudulentam alieni subductionem effundi & furtis societatem solet turbare; ubi vero virium acceperit incrementum, palam in tyrannidem & violentam oppressionem erumpere, merito Legislatores providerunt, ut hoc tantum mali, in ortu suo, id est, in furtis (neque enim prius deprehendi potest) jugularetur. Qui vero sanctiore vitæ professione suos a vulgaribus vitiis avocare voluerunt, inter cætera etiam hanc injustitiam religioso sacramento jusserunt ejerare. Scribit Josephus Essenos, priusquam in communionem victus & interiorem vitæ societatem ab aliis reciperentur, inter cætera jurasse, φυλάξειν χεῖρας κλοπῆς καὶ ψυχὴν ἀνοσίου κέρδους καθαράν. De primis Christianis Plinius: *Sacramento se non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent.* Habet in hac parte, quod jactet Romana militia, quasi æmula eorum quos sanctius vitæ institutum a vulgo hominum secernit, furta execrationibus a castris relegat, & dicit hoc suum moribus bonis *sacramentum*. Et sunt sane graves causæ, præter hanc: cum enim in castris nihil obsignatum & clausum omniaque in tentoriis deposita & velut communi fidei commendata, interest disciplinæ, ut dolus malus & alieni fraudulenta contrectatio procul hinc arceantur. Præterea a raptus & prædæ nimia cupiditate militem retinere voluerunt hac lege, cum jubebant omnia ad Imperatorem deferre, nec quicquam ex præda avertere. Hanc enim etiam mentem hujus jurisjurandi esse testatur Polybius l. X. Περὶ δὲ τοῦ μηδένα νοσφίζεσθαι μηδὲν τῶν ἐκ τῆς διαρπαγῆς, ἀλλὰ τηρεῖν τὴν πίστιν κατὰ τὸν ὅρκον ὀμνύουσι πάντες, ὅταν ἀθροισθῶσι εἰς τὴν παρεμβολήν, ἐξιέναι μέλλοντες εἰς τὴν πολεμίαν. Consideremus ipsam, sed paucis jurisjurandi formulam,

non ut in militari jure obtusiorem, sed ad Jurisconsultorum præscriptum accuratam. *In exercitu decemque millia passuum prope*: Vides, quod diximus, etiam prædandi extra castra licentiæ frenos injectos, cum justi itineris spacio in circuitu sacramentum obligaret. Decem enim millium spacium, ut justum iter, constitutionibus Augusti & Hadriani armati instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire jubebantur in castra, ita ut aliquam itineris partem cursu alacri conficerent. Quod si longius excursiones juberentur facere, aut a castris progredi, propter itineris longitudinem in tantum hoc jurejurando soluti videntur fuisse, ut non omnia quæ invenissent aut sustulissent, ad Imperatorem proferre aut profiteri cogerentur. Noto & alibi in legibus militaribus decem millia passuum definita. Sic militibus, qui ex Cannensi clade aufugerant, ignominiæ causa vetitum fuit, *ne hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent*. In jure etiam legitimum diei iter sunt XX. passuum millia. Romani eodem spatio removerunt ab mari Carthaginem. Epitomator in Livii librum XLIX. *Consules M. Manilius & Censorinus, Carthaginiensibus, ex auctoritate Patrum, jusserunt, ut in alium locum procul a mari decem millia passuum, nec minus remotum migrarent, oppidumque facerent*. Non autem longius vulgo castris exisse populatum, probabile est, quam ut eodem die in castra possent redire. Ideo denum millium hic mentio. *Furtum non facies dolo malo*: Cum furtum, ut definiunt Jurisconsulti, sit contrectatio fraudulenta lucri faciendi causa, vel usus ejus possessionisve, non equidem sine affectu furandi & dolo malo committi posse, iidem consentiunt: unde & impuberem tum demum ajunt furtum facere posse, si jam doli capax est. Placuit tamen antiquis hic de dolo malo adjicere, quia quædam rei alienæ contrectatio induit furti speciem, & si actum exteriorem spectes, nihil differt. *Pluris nummi argentei in dies singulos*: Intellige nummi sestertii, qui est minimus nummorum argenteorum & καθ' ἐξοχὴν *nummus* solet appellari. *Extraque hastam, hastile*: *Hastæ* vocabulo tela omnia complectitur, sive pilum, sive verutum, sive hasta, sive quod aliud fuerit. *Hasta* enim inter tela latius quam cætera patet: significat enim & hastam equestrem & hastam triariorum & hastam velitarem & sarissam Macedonicam. Interdum autem omnia omnino missilia, ut hic, ubi mens magis quam verba spectari debent. Ita cum lege duodecim tabularum permissum est occidere *furem, qui cum telo fuerit*, Jurisconsulti *teli* nomine intelligunt & ferrum & fustem & lapidem & omne quod nocendi causa habetur. Hæc autem exceptio hastæ & hastilis inter ea, quæ sublata profiteri necesse non erat, ita minime accipienda est, quasi in castris tela commilitonum tollere aut surripere licuisset: grave id crimen erat, & posteriori etiam militia sub Imperatoribus severe vindicabatur: nam pellebatur minimum gradu militiæ, qui arma aliena surripuisset, auctore Modestino. Sed intelligenda hæc de telo in hostem emisso aut hastili, aut sine certo domino invento, quod erat occupantis: unde etiam teli petendi causa licebat ordine excedere. Sæpe autem legimus discurrisse ad colligenda tela inter duas acies aut alibi sparsa. *Ligna, pomum, pabulum*: Cum lignatum pabulatumque exirent, nec ligna nec pabulum detulerunt ad Quæstores Imperatoremve: converterunt in eos usus, quos disciplina aut sua necessitas exigebat. Pomum quoque excipitur. Hinc inter notabilia continentiæ exercitus Romani exempla refertur, quod Marcus Scaurus tradidit memoriæ, pomiferam arborem quam in pede castrorum complexa fuerat metatio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. Id, si poma quoque carpere & in usus suos convertere vetitum fuisset, pro miro non referretur. Alii libri pro *pomo napum* habent, nec absurdum sit, uti poma, eximi quoque illa stricta lege id genus. *Utrem*: Duo utrium genera in Romano exercitu, alterum quo transirent flumina, alterum quo aquam & similia portarent. *Follem*: Id est, saccum vel peram. Glossarium vetus: Πήρα, *mantica, follis*. Livius: *Eques folliculis in castra frumentum vehebat*. Vegetius: *Decem folles, id est, decem sacci*. *Si quid ibi inveneris sustulerisve, quod tuum non erit*: Vides quod diximus, ne has quidem exceptiones licentiam dedisse, ut similia surriperent commilitonibus: tantum ne cogerentur profiteri, si quid forte invenissent aut sustulissent. Quod & confirmat Polybius, qui rem ipsam breviter describens, jusjurandum tale esse ait: Μηδὲν ἐκ παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τις, τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους. Gellius: *Quam caste autem & quam religiose a prudentissimis viris, quid esset furtum, definitum sit, prætereundum non puto, ne quis eum solum furem esse putet, qui occulte tollit aut clam subripit*. Verba sunt Sabini ex libro Juris civilis secundo: *Qui alienam rem attrectavit, cum id se invito domino facere judicare deberet, furti tenetur*. Item alio capite: *Qui alienum jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive nescit*. Quæ verba & in Pandectis referuntur sub nomine Ulpiani ad Sabinum. Nec nos citamus quasi nova aut ignota, sed ut videamus, quam accurate hæc castrensis jurisjurandi formula ad sententiam Jurisconsultorum veterum fuerit composita. *Uti tu ad C. Lælium C. F. consulem, L. ve Cornelium P. F. consulem sive quem ad utrum eorum jus erit*: Dissentire Polybius videtur, qui ait jurare se ad tribunos relaturos si quid invenerint: verum non dissentit. Istis enim & similibus rebus tribuni nomine consulum præerant, unde modo illis, modo his a veteribus adscribuntur. Sic alibi consules, alibi tribuni delectum habere dicuntur: sic tesseram nunc Imperator dare, nunc tribuni. Quemadmodum autem facere quisque dicitur, quod per alium facit; ita recte apud consules fieri vel ad consules referri dicuntur, quæ ad tribunos, vicem utriusque vel alterius præsidentes referuntur. *Aut domino suo, cujum id esse censebis, reddes*: *Nam etiamsi non fuit derelictum, neque putavit jacens*, ut ait Jurisconsultus, *tamen tulit, non ut lucretur, sed redditurus ei cujus fuit, non tenetur furti*. *Uti quod rectum factum esse voles*: Formula qua claudebant sponsionem, cui similis illa apud Livium: *Uti quod sine dolo malo facere poteris*. Hoc igitur contra furta jusjurandum illa ætate dicebatur. Dubitare possis, an ante bellum Punicum secundum, cum scribat Livius Paulo Æmilio & Varrone Coss. demum factum, ut milites jusjurandum adigerentur, antea enim nihil præter sacramentum fuisse: nisi jam ostendissemus, Livium præter formam nihil tum velle mutatum. Postremis libertatis temporibus nihil de eodem memini legere, nihil de diversis & pluribus sacramentis, sive illud scriptorum paucitate accidit, sive licentia bellorum civilium hanc quoque disciplinæ partem corrupit. Gellii certe ætate in usu non fuisse adducta ex Cincio formula fidem facit. Ac in his juramentis non vulgaris Romanorum prudentia apparet: nihil, quod ad tuendam militarem disciplinam jurejurando posset effici, omiserunt, nec tamen rerum, quas juraverunt, turba jurisjurandi infregerunt sanctitatem. Cum enim tria in bono milite imprimis inesse oporteat, Obsequium, Virtutem, Probitatem, (Obsequium quo reipublicæ fidus & ducibus dicto audiens sit:

Virtutem, ut contra hostem fortiter faciat: Probitatem, ne in cives sociosque & commilitones sit injustus) his non solum vi legum militarium adstrinxerunt milites, sed etiam tribus sanctissimis sacramentis, ut ne specie quidem externa & simulatione, quibus fere hominibus illuditur, defunctos sese crederent, nisi tota vi, totis mentibus, & quæ est formula jurisjurandi, ex *animorum suorum sententiis* incumberent & eniterentur. Ac potissima quidem nominatim inseruere, additis sollicite necessariis exceptionibus, ne aut per caussam sacramenti munere suo ne fungerentur, aut exceptiones pro se quisque fingendo & sibi quoties videretur jurisjurandi gratiam faciendo, resolverent religionem & perjurio latebram haberent. Juraverant adfuturos ad diem: si tamen funus, si sacrum ea die, quod sine impietate negligi non posset, si morbus sonticus, si vis hostilis, excusabant hæc quidem, sed ita, ut adessent postridie quam per eas causas licuisset. Juraverant sese dicto fore audientes, sed dum ne contra rempublicam essent, aut palam turpia aut scelerata quæ juberentur. Juraverant ex ordine sese non recessuros, eo tamen neque civis salutem negligi volebant. adjiciebant itaque: *nisi hostis feriendi, civis servandi & teli petendi causa*. Similiter minima illa, quæ vix tanti erant, ut furti militem obligarent, ne viam ad majorem sternerent, nominatim excipiebant. Res autem sacramento promissæ, non vulgari pœna perjurii, sed capite san-

A citæ, ut si qui forte Dei non satis memores essent, at humani supplicii metu continerentur. Neque enim vulgares aut leves, sed omnium maximæ sunt, sive difficultatem spectes sive necessitatem. Parere simpliciter & omne deliberandi exuere judicium, ubi de capite & vita tua comitia habeantur, durum, sed tam necessarium, ut in eo omnis disciplina militiæ posita sit. Quid autem magis arduum quam in rebus tam asperis non perturbari? quam in illa rerum turba non tumultuantem de gradu dejici? quam non corripi timore, ubi ferrum, vulnera, sanguis, laceri artus, captivitas, cædes, & ut semel omnia dicam, in variis formis B illud, quod appellat Philosophus terribilium terribilissimum, ubique ante oculos versatur? Hæc res tamen militaris prima postulat. Quid? quod ne illud quidem minus difficile his moribus & rarum, abstinere manus a furto & in militia innocenter vivere. Quamobrem non immerito proposuere his peccatis, quicquid possent mali: summam a civibus infamiam & turpitudinem: summum ab Imperatore supplicium & quidem ἀκρίτως & indicta causa: summam denique a Deo vindictam, quæ sequitur perjuros. Ita severitas humanarum legum morumque jurisjurandi religioni, & jurisjurandi religio vicissim moribus legi- C busque subsidio fuit, & mutua ope sacramentum humano supplicio sancitum, & leges divinis pœnis consecratæ, utraque magnam vim habuerunt & sanctitatem.

CAPUT II.

DE

CUSTODIA CASTRORUM.

Positis ordinatisque castris, & jurejurando contra furta, tanquam munimento, contra pravos cives & degenerem turbam etiam interius firmatis, ad reliquam curam & custodiam pergit Polybius. Sequamur ducentem & hic quoque decurrentes per capita, si quæ præter priores observaverimus, in medium proferamus. Custodia castrorum alia est diurna, alia nocturna. φυλακὰς & νυκτερινὰς φυλακὰς appellat Polybius. Distingui etiam solet a diversitate loci in quo agitur, cum alia interiora castra tuetur, alia exteriora. & rursus hæc vel intra castra in vallo, portis, turribus, vel extra castra, ibique vel longius vel propius. Φύλακες & προφύλακες veteri Græciæ: sequiori Hellenismo corrupto & Latino vocabulo, ἐσώβιγλα & ἐξώβιγλα dicuntur. Differunt etiam genere militum excubiæ: quædam enim equitum, quædam peditum, quædam legionum, quædam auxiliorum, quædam gravis, quædam levis armaturæ. Denique numero diversæ sunt, cum partim a singulis paucisque excubiis sive τετραδίοις, partim a totis manipulis aut cohortibus obeantur, quæ hodie *corpora custodiarum* appellamus. Latina vocabula, *custodia*, *stationes*, *excubiæ*, *vigiliæ*, has differentias neque satis exprimunt, & a bonis auctoribus promiscue usurpantur, præter vigilias quæ sunt nocturnæ. Fallitur enim, ut solet, Isidorus, qui *excubias diurnas* putat esse, quemadmodum *vigiliæ nocturnæ* sunt. Nam sive orginem vocis spectamus, ducitur ab *excubando*, id est, extra papiliones & locum adsignatum cubando. Illorum hoc proprie

D est, quorum in statione aut vigiliis vices nondum advenerunt aut jam præterierunt: uno enim vigilum vigilante & sub armis stante, tres reliqui juxta cubant. sive usum respicimus, non crebrius pro diurna statione quam pro vigiliis accipitur. Nec minus errant Lipsius & qui eum secutus est Hermannus Hugo, cum *stationes* solius diurni temporis *custodiam* interpretantur. Opponuntur, non nego, interdum vigiliis, quasi diurna munia, ut apud Livium in historia IX. *Fore ut minus intentæ in custodiam urbis diurnæ stationes ac nocturnæ vigiliæ essent*. Et apud Tacitum: *Statio-* E *nes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia*. Sed non ideo opponuntur, quod stationes nullæ nocturnæ, sed quod vigiliæ nullæ diurnæ: stationum vero quarundam ratio alia sit de nocte atque interdiu. nam stationes nocturnas Romanorum apud bonos auctores passim reperire est. Virgilius de Niso & Euryalo portam castrorum Æneæ de nocte custodientibus:

> *Tunc quoque communi portam statione tenebant.*

Statius:

> F *Non impacatis regum advigilantia somnis*
> *Pila, nec alterna ferri statione gementes*
> *Excubiæ.*

Ubi excubantes de noctu dicuntur *gemere*, id est, laborare, grave illis esse. id enim est *gemere*, ut apud Ovidium:

Pressique jugo gemuere juvenci.

Alterna ferri statione, hoc est, cum iis vigilandum & alternis vicibus sub armis standum est. Proprie autem sumsit utrumque vocabulum: ut enim excubantes excubiæ, sic in custodia & sub armis stantes proprie *stationes* sunt, sive de die, sive de nocte fuerit. Poetica hæc est, inquis, licentia & confusior paulo facundia: diurna munia ad noctem, nocturna ad diem propter similitudinem transfert. At possumus tibi historiæ principes dare testes. Livius lib. III. *Vigiliæ in urbe, stationes ante portas, præsidia in muris disposita.* Apud eundem lib. XXV. L. Martius ad milites suos: *Tertia vigilia noctis, silenti agmine ducam vos: exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non stationes justas esse.* Eodem libro: *Ibi vero quo longius ab hoste aberant, & quia sub lucem pabulatum, lignatum & prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta invenere: arma tantum in stationibus posita, milites inermes, aut humi sedentes accubantesque, aut obambulantes ante vallum portasque.* Idem XXVIII. *Vix dum satis certa luce equitatum in stationes Punicas immisit.* Plura attulimus loca (& possemus ex aliis, si necesse esset alia) ut ostenderemus, quam temere vir doctissimus ab illo quem ante citavimus Taciti loco in hanc sententiam sit deductus: tum ut moneremus stationes nocturnas, quamvis confundantur interdum, sæpe tamen a vigiliis distingui. Vigiliæ enim tunc excubias quatuor virorum significant: at stationes grandiuscula corpora, ut quæ ad prætoriam & in portis. Hæc de castris nocturno tempore tollere, id vero non nimis bene sit consulere exercitus securitati: at hæc, ut recte monuerunt viri docti, frequentissima & maxime trita vocis hujus est significatio. Hæc de vocabulis monuisse necesse fuit. Rem ipsam quo paucis expediamus, nocturnas primum trademus custodias & habebimus levi mutatione diurnas. Etenim illæ sunt, quæ maxima cura & solicitudine constituuntur propter temporis ipsius insidias, somnum militum & cæcum per tenebras usum oculorum. Levissimus tumultus, quem de die facile contemnas, omnia tunc turbat & miscet. Deserit & multos fortiter faciendi studium, cum desierunt spectari, virtusque & ignavia iisdem involvuntur tenebris. Et habet nox proprii terroris aliquid & omnia sine modo fere timentur, cum, qui debeas timere, non satis intelligas. Anceps quidem pars horum malorum & utrique parti adversa, major tamen animus est inferentium pericula, major securitas: eminus peti non possunt & propugnatores sæpe advenire eos non sentiunt, sed advenisse. Quamobrem tesseris, circuitionibus, majori vigilum numero, aliisque inventis veteres novique duces noctem communiunt, & quo plus est periculi, intentius agunt. Apud Romanos (ut ipsorum custodiamus ordinem) tribuni, quorum in imperio vices sunt, sole jam inclinante, eunt ad Imperatorem signum petitum, traduntque ei tum codicillos numerum militum, qui ea die apud signa sunt, continentes. Βιβλίον ἐφήμερον τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ παρόντος, ut inquit Appianus. Etenim Romani Imperatores considerantes, quantam sæpe brevissimo tempore multitudinem absumant varii casus, quantam imbecillitas bello inutilem faciat, nec ignari quæ in hoc genere artes soleant exerceri, milite per alias atque alias causas diffluente, ducibus etiam & centurionibus, simul ac respexerit Imperator, commeatum in quæstum sæpe vertentibus & absentiæ militum suo commodo indulgentibus, recognoscere quotidie in ephemeride & velut omnem exercitum semper in oculis habere, quo ex virorum & armatorum, non A inani cohortium legionumque numero, vires & robur suum metiantur & simul provideant, ne quid per fraudem suorum copia militaris imminuatur. Data itaque ephemeride accipiunt signum ab Imperatore. Imperii hic honos adeo semper proprius fuit, ut vix cum ullo unquam communicarint, nisi qui summi imperii esset particeps: alii vero adeo non delegarint, ut ne in pace quidem, non ægroti, non morti proximi. Apud Dionem legimus ab Marco Antonino animam agente tribunum signum petiisse. Cui ille magnanimus Imperator sui imperiique securus, nec deinceps quicquam imperaturus: Ἄπελθε πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα. ἐγὼ γὰρ ἤδη δύομαι. Accepta tessera tribunus ad suum redit taber- B naculum. Ibi signum quod ore pronuntiaverat Imperator, ne quis errori locus aut excusationi, literis mandatum tabellisque inscriptum, tesserariis transdit, (erant ex decumis quibusque ordinibus milites ab vigiliis stationibusque immunes) hi adhibitis testibus ductori noni ordinis sui cujusque generis, hic rursus octavo centurioni tradit, & sic deinceps, donec ad primum perveniat, qui restituit tribuno, idque dum lucet. Hæc Polybius: nec addit, an alii deinde ab centurione acceperint, nec si alii, quinam illi fuerint. Lipsius putat centurio- C nem lectam tesseram enunciasse illis, quorum sunt vigilandi vices: ita omnia ordine a summo Imperatore tribunum, ab isto centurionem, ab hoc militem accepisse. Æneas in Græcorum militia principibus tantum stationum (προφύλακες ipsi dicuntur) tesseram enuntiat. Hi interrogant circitores & signum ab iis accipiunt; nolebant enim evulgari per omnem exercitum, ne & hostis rescisceret: tum caput aliquod tantæ rei adesse tutius censebant, ne quid per imprudentiam aut perfidiam gregariorum militum peccaretur. De Romanis nihil hic habeo affirmare, nisi quod non levis ratio pro Græcorum more. Sub solis occasum prætorio di- D misso signa concinuerunt. Livius XXX. *Tribunis edicit, ut ubi prætorio dimisso signa concinuissent, extemplo educerent e castris legiones, ita ut imperaverat signa sub occasum solis efferri.* Diserte in hac ipsa historia Polybius omnia tunc signa cecinisse, quibus cœnare miles jubebatur: Κατὰ τὸν τοῦ δείπνου καιρὸν τοὺς βουκανιτὰς καὶ σαλπιγκτὰς πάντας &c. Possis tamen dubitare, an bis signum datum, semel ut pararent se cœnæ, iterum ut cœnarent. Æneas quidem Tacticus sub occasum solis in urbe obsessa tria signa vult dari: primum, ut si qui per agros sparsi, urbem repetant: alterum, ut simul omnes cœnent: tertium, quo in vigilias eant. Eædem E in castris causæ, eundem ordinem numerumque signorum possint requirere; nam si qui forte pabulatum aut lignatum dilapsi, aut per alias causas castris egressi, ad tentorium suum videntur revocari debere, & alio deinde signo moneri, quo eodem omnes tempore cœnam ineant. Leo sua ætate consueta buccina dimittit prætorium militemque a laboribus cessare jubet & cœnare: Ἔχειν δέ σε, ὦ στρατηγέ, περὶ σεαυτὸν βουκινάτορας καὶ μικρῶν βουκίνων ἢ μεγάλων καὶ τὰ εἰθισμένα βουκινοσαλπίζοντας περὶ ἑσπέραν παύεσθαι τῶν πόνων καὶ δειπνοῦντας ψάλλειν τὸν τρισάγιον ὕμνον. More Lacedæmonum per præconem denuntiabatur cœnæ tempus: post hanc diis quibus facta erat res sacra, hymnos canebant & F dabant se quieti. Sed ad Romanos: sive semel, sive bis cecinerint, neque prandii, neque cœnæ tempus liberum fuit, & dato signo omnes cœnarunt. Rursus finita cœna aliud signum dabatur, sed sola buccina. Diserte Tacitus: *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium buccina dimitti & structa ante auguralem aram subdita face accendi.* Hæc vigiliarum initia. Stationes etiam Christianorum hora nona solvebantur: nam ad

exemplum militaris stationis in militia divina institutæ, & inde nomen traxere. Tertullianus de Oratione: *Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei sumus) utique nulla lætitia, sive tristitia, obveniens, castris stationes militum rescindit. Nam lætitia libentius, tristitia solicitius, administrabit disciplinam.* Buccina enim committebant distinguebantque vigilias, unde boni scriptores ipsas vigilias *buccinas* appellant, ut *ad primam, secundam, tertiam, quartam buccinam*, id est, ad vigiliam. Ac minime probabile est post illam, qua vigilia prima denuntiabatur, iterum buccinam cecinisse ante secundam vigiliam: vitabant enim tunc, quicquid errori etiam minimo locum posset dare. Nemo discurrere per castra, nemo egredi temere tabernaculis: cætera nunc nocte is erant, ut ait Poeta, placida quiete composita, quo vigilibus defectum luminis suppleret melius aurium judicium. Custodias sic disponit Polybius: Ad prætorium unum ex legionariis manipulum in statione collocat, ornamentum Imperatori & præsidium: Quæstori dantur tres excubiæ: Legatis singulis binæ, quæ unde desumantur non satis explicat, an ex manipulo ad Prætorium accubante, an aliunde pro libitu Imperatoris. Sic enim inquit: *Τὰς δὲ λοιπὰς ὁ στρατηγὸς ἀποτάττει· γίνονται δὲ ὡς ἐπίπαν τρεῖς φυλακαὶ παρὰ τῷ ταμίᾳ, καὶ παρ᾽ ἑκάστῳ τῶν πρεσβευτῶν καὶ συμβούλων δύο: reliquas Imperator ordinat.* At quas *reliquas*? nisi has quæ sequuntur? cæteras enim omnes certo generi attribuit: has qui obeant, dicere neglexit. Non absurdum sit ex ipsa Imperatoris statione dari Legatis & Quæstori, ut honore proximis, nec longe a prætorio tendentibus: cum autem ordinum ductores ad prætorium excubantes nihil admodum injussu Imperatoris agere possint, ideo consulto demum eo excubias has collocare: unde ipse Imperator eas ordinare dicatur. Nihil probabilius elicio, nisi intellexit stationes & excubias quasdam, quarum hic nulla est mentio; quod ipsum, siquidem integer est Polybius, verisimile non est. Johannes Lascaris videtur legisse: *παρὰ τῷ ταμίᾳ μία καὶ, &c.* convertit enim: *apud Quæstorem una, binæ, &c.* Sed hæc lectio melior: Tribunis singulis duæ excubiæ adsignantur ex hastatorum principumque manipulis tribus. Triariorum manipuli custodiam unam equitibus Romanis juxta tendentibus singuli præbent. Præterea unusquisque manipulus ex suo numero unam vigiliam collocat. De sociis nihil dixit, quia ad exemplum, opinor, legionum apud illos omnia ordinabantur. At exteriorem castrorum custodiam, in qua salus omnis exercitus sita est, nimis perfunctorie transit Polybius. Velitibus eam, ait, demandatam fuisse: *Τὴν δ᾽ ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι παρ᾽ ὅλον καθ᾽ ἡμέραν τὸν χάρακα παρακοιτοῦντες.* Sed non addit, vigilias ubi posuerint, ne hoc quidem, intra an extra castra, ut Lipsio videtur.. Nam Cato apud Festum eos extra castra ponere videtur: *Procubitores dicuntur fere velites, qui noctu custodiæ causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt, ut M. Cato in eo quem de re militari scripsit.* Puto Catonem scripsisse *procubitores dici, quod pro castris excubent*: eo enim nos ducit vocabulum. At hoc ambiguæ significationis est. Interdum idem denotat quod ante munimenta sub castris, interdum idem quod in ipsis munimentis: postrema hac notione accipitur apud Cæsarem in VII. de Bello Gallico: *Ipse in munitione pro castris consedit. Eodem instituto Cæsaris duæ semper legiones pro castris excubabant*: & Senecam, qui militem etiam gravis armaturæ pro vallo in vigiliis collocat, epistola XXXVI. *Ut si necesse fuerit, stans etiam aliquando saucius pro vallo pervigilet & ne pilo quidem incumbat, quia solet obrepere somnus in aliquod adminiculum inclinantis.* Quintilianus milite Mariano: *Romano militi, pro vallo excubanti, meretriciam obscœnæ libidinis patientiam aliquis imperat?* Eodem: *Ferienda sit fatigato fossa, pro vallo portisque vigilandum.* Sic *pro munimentis* est in ipsis & circa ipsa munimenta. Tacitus: *Postquam crebras pro munimentis cohortes & nihil remissum sensere.* Non itaque est quod nos moveat locus hic Festi, quo minus *τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν* hic de vallo, ut fere apud Polybium, accipiamus, præsertim cum dicat *πληροῦσι*, *implent*, crebris scilicet vigiliis & stationibus, quod haud ita facile fit sub castris: immanis enim multitudo requiratur. Præterea cum munimentorum custodiam, quæ nullis unquam in castris omissa fuit nec potuit sine piaculo omitti, nulli alii generi attribuat, quis dubitare potest, quin his demandatam velit? Laterum exteriorum custodiam, inquit, velites agunt, *παρ᾽ ὅλον καθ᾽ ἡμέραν τὸν χάρακα παρακοιτοῦντες.* Sequitur igitur de nocte vallum quoque tueri. Non autem dixit Polybius, quanta velitum pars fuerit: tantum, crebris vigiliis eos ambitum pæne explevisse. Sic Cæsar de Bello Civili I. *Ipse iis operibus quæ facere instituerat non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se omnemque munitionem expleant.* In portis autem castrorum decem velitum excubias, id est, quadraginta milites ponit, ac ita omnem exteriorem custodiam committit velitibus. Mutata militia hæc fuit legionum: vallum custodiebant ex omnibus centuriis desumtæ excubiæ, & illæ quidem satis crebræ, teste Hygino, qui ex singulis centuriis sedecim milites, id est, quintam cujusque legionis partem quotidie in excubiis habet. Fac, unam ex his vigiliam ad quamque centuriam collocari, (quamvis hoc fortasse nimium) reliqui erunt duodecim ex centuria, septuaginta duo ex cohorte, septingenti viginti ex legione, (ex cohorte prima non plures quam ex reliquis desumimus) hoc ter, erunt duo millia centum sexaginta, numerus excubitorum ad vallum: cujus quarta pars, quingenti quadraginta. His per omnem castrorum ambitum, qui est pedum octo plus minus millium, æquis spatiis collocatis, duodecim non amplius pedum erit inter singulos intervallum, ut etiam densis tenebris alteri alteros videre, ab hoste vero nulla ratione possint falli. Jam excita reliquos: habes murum justo ordine armatorum cinctum & prope expletum. Itaque tantam in vigiliis manum habuere, quanta nullum fraudi & insidiis relinqueret locum, quantaque primis aggressionibus & insultibus, si ita esset necesse, resistere facile posset, donec proxime tendentes legiones excitatæ armatæque suppetias ferrent. Nec tamen confecerunt exercitum vigiliarum frequentia, non nisi quinto die munere ad militem redeunte. Portas, prout res exigeret, vel singulæ cohortes tuebantur, vel plures, & quidem sub signis. Cæsar: *Transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum cognito civitatis consilio & signa ex statione transfert.* Sallustius bello Jugurthino de C. Mario: *Ipse armatus intentusque item milites cogebat, neque secus atque iter faceret, castra munire, excubitum in portis cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere, præterea alias super vallum in munimentis locare.* In munimentis ex legionibus excubiæ, in portis totæ cohortes, extra castra equites auxiliares. De equitum excubiis extra portas nihil Polybius, sed puto tamen & illa ætate fuisse. Sequentibus temporibus crebra mentio eorum: *agrarias* vocant. Statius:

—— *Monitu ducis acer agebat*

Amphion equites, noctem, vigilataque castra
Explorare datus. ——

Quæ male accipiunt de circuitione vigiliarum. Liquet enim de excubiis equitum accipi debere, qui explorabant & castra alternis vicibus circuibant. Leo & Africanus σκέλκας & βίγλας equitum plures sub castris constituunt, alias remotiores ἐξώβιγλα, alias propiores ἐσώβιγλαι. In quarum positione hoc jubent observare, ut quo longius a castris, eo rariores collocentur & pauciorum equitum; quo propius, eo crebriores & plurium equitum singulæ. Proxime castra adponit his levis armaturæ vigilias Africanus. Excubitores de loco & tempore stationum sortiri voluerunt veteres, tum æquitatis causa, tum etiam securitatis: æquitatis, quia loca alia aliis periculosiora, nec omnes horæ noctis vigilantibus æque molestæ & graves: securitatis, quia contra proditiones & fraudem hostilem prodest, neminem ante noctem ipsam scire, qua hora & qua parte castrorum vigilias obiturus sit. In castris tamen Romanorum, excubiis, quæ interiora servabant castra, suus certusque locus fuit adsignatus. Ad prætorium semper unus per vices excubabat manipulus: ad scamnum Tribunorum certæ semper ex illis manipulis, quibus ea sors obvenerat, vigiliæ: singuli præterea manipuli juxta sedem suam singulas ponebant. De solo itaque ordine vigiliarum hi sortem trahere potuerunt, & traxisse probat illud Silii Italici:

—— *Jamque excubias sortitus iniquas,*
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

At eas quibus portarum & exteriorum castrorum tutela committebatur, etiam loca quæ tenerent (& ibi necessarium magis) sorte divisisse ostendunt Poetæ. Virgilius:

Sunt quibus ad portam cecidit custodia sorti.

Valerius Flaccus III. Argon.

Jamque adeo nec porta ducem nec pone moratur
Excubias sortita manus. ——

Stationes igitur externa castra tuentes, de loco & de tempore vigiliarum, (nec enim hæ totam noctem vigilabant, sed in quatuor partes quoque dividebantur) excubiæ vero, utique interiores, de ordine tantum sortem trahebant. Quibus autem prima excubia sorti cecidisset, ii ab optione suo, priusquam excubitum irent, ad tribunum deducebantur, accipiebantque tesseram, id est, exiguas tabellas pro excubitoribus omnibus, notis diversis insignitas. Duas enim tesseras nocturnas dedere Romani: alteram vocalem, σύνθημα Græcis, omnibus centurionibus signum ejus noctis quod postulabatur a circitoribus: alteram hanc mutam, παρασύνθημα: hanc circitores a vigilibus repetebant & ad tribunum referebant. Quæ ratio ab Iphicratis instituto, de quo Æneas, in eo tantum diversa est, quod ille duas tesseras vocales, circitori aliam atque vigili dari vellet; hic ab alteris vocale, ab alteris mutum signum exigeretur. Circuitionem equitum Romanorum satis fuse describit Polybius: illam ordinariam, quam initio cujusque vigiliæ faciebant tribuni, legati, imperatores, etiam extra ordinem obierunt: sub primis Imperatoribus centurionum munus videtur fuisse. Sequior militia circitores, proprium militiæ gradum, habuit. Leo Imperator τ̃ ἄρχοντα τῆς σκέλκας deligi jubet, vigilantem, prudentem & experientem, non fortuitum quemvis. Multa bona & utilia in hac re instituta

A tuta habet Æneas commentario Poliorcetico, quem vide. Quamvis autem vulgo ad quamque buccinam circuirent veteres, non tamen inusitatum iis fuit etiam alio tempore ex improviso superveniendo explorare, num omnia recte satis essent constituta. Leo: Διὸ χρή σε καταζητεῖν τὰς βίγλας καὶ ὅπως γίνονται καὶ πέμπειν τοὺς πιστοτέρους τῶν ἀρχόντων τοὺς ὀφείλοντας αἰφνιδιάσαι καὶ ἐπιδεῖν: πῶς αὗται γίνονται, καὶ τοὺς ἀμελοῦντας τιμωρεῖσθαι ὡς αἰτίους μεγάλου κινδύνου τῷ στρατηγῷ γινομένους. Æneas imprimis ignorare vult vigilias, qua hora ipse Imperator circuiturus sit, tum ut ad omne momentum supervenientem expectent, tum ne se defunctos putent, si B illa tantum hora recte se gesserint. Voces, quibus excubiæ, si alicujus adventum sentirent, subsistere juberent & interrogarent, apud Poetam habemus:

State viri, quæ causa viæ? quive estis in armis
Quove tenetis iter?

Sic & ille apud Terentium:

Sta ilico.

cui alter:

Hem satis pro imperio quisquis es.

C Hoc quidem & ratio ipsa & usus nos docent & in Tacticis observari facile potest, simul sensissent adventum, stare jussisse: deinde quinam essent: postremo tesseram interrogasse. Vigilis enim munus est neminem ad se aut castra pati accedere, nisi accepto signo. De ignibus excubiarum cum nihil jam succurrat dignum notatu præter ea, quæ habet Lipsius, nihil hic addemus. Laternas etiam dant vigilibus scriptores rerum bellicarum, ita factas, ut luceant iis solum qui habeant, non autem aliis. Has λαμπτῆρας ita fabricare jubet Africanus, ut sint quadrilateræ, pellibus undique contectæ; D sed tribus lateribus pellibus nigris, uno alba, per quam transfundatur lumen. Circitores, nisi spissis admodum tenebris, vetat eis uti Æneas. Describunt & tuguriola, in quibus *vigiles hibernis mensibus ab imbribus vel frigore, æstivis defendantur a sole*, ut ait Vegetius. Apud Philonem καρβατίωνες vocantur. Sequior Latinitas dixit *garitas*. Sed hæc urbium sunt & hibernorum. Præcepta potissima veterum de nocturnis excubiis eo spectant, ut diligentia vigilum intendatur, neque proditioni ulla patefiat occasio: qualia sunt, ut stent erecti, qui in vigiliis sunt, ne quid sarcinarum secum ferant. Paulus Æmilius etiam arma vetuit ferre: *Mi-* E *lites enim fessos innixos pilo, capite super scuti marginem posito sopitos stare & fulgentibus armis procul ab hoste conspici, ipsos nihil providere*: non enim in pugnam ire vigilem. *Sed vigilandum, ut cum senserit hostium adventum, recipiat se excitetque ad arma alios.* Sed hoc uti tunc novum, ita brevi fuit antiquatum: nec placuit antiqui rigoris & castrensis severitatis exactoribus militem sine scuto & justis armis munere ullo fungi. Præterea vetant eos, qui interdiu excubias egerunt quique ab expeditione redeunt, noctem sequentem vigilare. Jubent etiam rationem stationum subinde mutari, tum ut fluxæ fidei omnis opportunitas peccandi præripiatur, ne ipsis quidem militibus F gnaris loci horæque quibus vigilias obituri sint: tum ne consuetudo imminuat diligentiam & minus accurate fiat, quod fit quotidie eodem modo. Ad hoc rebus periculosis crebras constitui vigilias, ne solitudo insidiis pateat & proditioni. Brevis vero temporis omnes esse adeo, ut negent diuturniorem stationem admittendam etiam ultro offerentibus, quando etiam invitis soleat somnus obrepere &

cedentia vincere membra.

Quod

Quod tamen præceptum an veteres illi Græci & Romani satis observarint, judicent periti. Noctem enim omnem diviserunt in quatuor vigilias, ut notum est. Mos sane circa solstitium æstivum illis longioribus diebus satis probabilis. Tolerabilis etiam vere & autumno. At hiberno anni tempore & rigente bruma, illis immensis, illis inclementibus noctibus, quid tantum in illis quatuor vigiliis est, ut ideo vexandus perdendusque sit miles? Quid quod divisa in plures partes nocte mutatisque crebrius vigilibus non consequare? Jubet tamen Æneas omne nocturnum tempus ita partiri, nec facile invenias priscos ab ea divisione recessisse. Apud Statium lego aliquid de contractis vicibus nocturnarum vigiliarum timoris causa:

Illam non tempore in omni
Attendunt vigiles & rex jubet ipse timeri,
Contractæque vices & crebrior excubat ignis.

Nocte finita sequuntur diurnæ stationes & excubiæ. Eorundem plerumque fuerunt, qui noctem custodiverant. Totum enim νυχτήμερον, ut hodieque fit, excubia fuit una, ut ex veterum aliquot locis probare est. Polybius eundem manipulum de nocte atque interdiu custodiæ prætorii apponit. Clarius idem ostendit in excubiis tribunorum: cum enim tres manipulos cuique tribuno adsignet, per quos in orbem eat munus hoc præbendi duas excubias, tam de die quam de nocte, adjicit non grave esse, quia quarto quoque die ad manipulum redeat. Ergo nox & dies pro una vice habebantur. Præterea velites, quorum est nocturna munimentorum custodia, totum diem ait propter vallum in excubiis manere. Livius loco jam recitato de castris Punicis: *Ibi quia sub lucem lignatum & pabulatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta invenere, arma tantum in stationibus posita, milites inermes aut humi sedentes, accubantesque aut obambulantes ante vallum portasque.* Apparet nec excubias nec stationes diurno tempore cessavisse, locum tantum & rationem aliquatenus mutata, qui nocturnis vigiliis & stationibus vallum pæne expleverunt, illi in sequente luce accubant juxta vallum. Qui in portis noctu stationem habuerunt, illi proxima die pro portis inveniuntur: illud tamen adhuc quærimus, quot tum ex suis (rariores haud dubie) sed quot in statione posuerint & quoties illæ mutatæ fuerint? At illæ quas singuli manipuli ex suo numero ordinant, vigiliæ videntur esse nec per diem in statione manere. Minime enim necessaria tum tanta stationum frequentia, per tota castra & Polybius horum non meminit, nisi in nocturnis custodiis. Vegetius etiam illas, quas de singulis centuriis sumit, ad noctis tempus restringit: *De singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt.* Et Hyginus ex quaque centuria, *in singulas vigilias vult ire*, id est, proprie in custodiam noctis. Equitum custodiam quamvis Polybius nullam agnoscat, veteri tamen Republica tam nocturnam quam diurnam observo, sed aliam diurnam, aliam nocturnam. Ex instituto Pauli

A Æmilii etiam meridie mutabatur propter fatigationem hominum & equorum. Livius: *Antea arma omnes & frenatis equis equites diem totum perstabant. Id cum æstivis diebus urente assiduo sole fieret, tot horarum æstu ac languore ipsos equosque fessos hostes integri sæpe adorti vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi & in postmeridiem succedere alios jussit.* De matutina & pomeridiana statione loquitur: at nihil de nocturna. Nec apud veteres de nocturna equitum statione, quantum nunc quidem memini, quicquam legi: non quod nullæ essent, sed quod equites de nocte extra castra huc illuc commeantes, late explorarent aut etiam in excubias dividerentur, non autem grandiori aliquo corpore certa loca tuerentur, ut interdiu, quas vulgo vocant *stationes*. Inde stationes solent ab excubiis distingui. Scriptor belli Hispaniensis: *Præsidii causa Cæsar complura castella occupavit, partim sub equitatu, partim ut pedestres copiæ in statione & concubitu castris præsidio esse possint.* Cæsar ipse de Bello Gallico III. *Castra opportunis locis erant posita, ibique castella viginti tria facta, in quibus castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret; hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidiis tenebantur.* Ubi tamen dubium de equestribus stationibus loquatur, an de pedestribus; nam supra vidimus etiam castella sub equitatu occupasse Cæsarem, & possint videri in locum stationum harum noctu successisse pedites? An potius ita accipiendum, interdiu tantum stationes in portis fuisse, noctu vero ut & in castris adjunctos his excubitores? Equites autem qui de nocte excubabant, si qua fides Vegetio, quaterni ex singulis turmis erant & per quaterniones; utique illis temporibus, in excubiis ponebantur, at qui interdiu, totæ aut plures fere turmæ. Illi circuibant castra aut pro castris in excubiis stabant: hi certo loco constituebantur. Illi non ad pugnandum, sed ad explorandum positæ: hi locum suum mordicus tueri debebant. Illorum igitur excubiæ, ut & peditum, qui ex singulis centuriis tantum nocturnæ fuerunt. Successere stationes, quæ fere pro portis collocabantur, ut esset semper parata aliqua manus, quæ aut resistere posset nec opinato supervenientibus hostibus aut immitti in illos. Livius VIII. *Manlius super castra hostium cum turmalibus suis evasit, ut vix teli jactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites.* Hirtius de Bello Africano: *Equitibus qui in statione erant, præcepit, ut usque eo locum obtinerent, in quo paulo ante constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perveniret; quod si propius accederetur, quam honestissime se intra munitiones reciperent.* Præcepit id autem ideo Cæsar, quod nisi præceptum fuisset, statio illis sua tuenda fuisset; præsidio enim decedere aut stationem deserere, capitale erat. Africanus in suo exercitu duarum & triginta alarum, unam quotidie alam excubare, ex cujus numero præfectum tam nocturnas quam diurnas stationes constituere vult. In Curopalate diversus ab hoc modus est: nam alium drungum, quantum memini, ἡμεροβίγλιον vult obire, alios de nocte excubare.

CAPUT III.

DE

STIPENDIO MILITARI.

Quod plerisque populis & nationibus rudi sæculo in illis nascentium civitatum incunabulis in more positum, ut nullum militantibus de publico darent stipendium, idem & apud Romanos fuit. Habuere tamen & in hoc more præcipui aliquid, diutiusque eum observarunt. Nam cum jam inde ab urbe condita continentia iis bella intercederent cum accolis, quorum quidam jam tunc dabant æra militibus, ut de Hetruscis memorat Livius: nec ut hodie moris est rapere, spoliare, agere, nihil divini nec humani inviolatum relinquere, id esset sine ære militare, sed antiqua & sancta disciplina tractarent arma; tamen supra quadringentos quadraginta annos neque de publico acceperunt stipendium & suo sumtu muneribus militiæ functi sunt. Sed erant bella illa semestria aut breviora nec procul Roma, quo miles partem anni agrum & rem familiarem curaret, quæreretque unde domi militiæque se ac suos sustentaret. Instante autem bello Vejenti, quod feliciter geri non posset, nisi obsidione potentis & munitæ urbis, opere non paucorum mensium, nec ad finem perduci, nisi hiemando continuaretur; placuit patribus rem novam & insuetam novo auctoramento novisque commodis mitigare, constitueruntque militibus æra saluberrimo consilio ante ipsum bellum, ante ullam tribunorum plebis aut militum mentionem, quo gratior non flagitantibus munificentia esset. Eam rem Livius sic tradit in IIII. 59. *Additum deinde omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumque decerneret Senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prehensatasque exeuntium manus & patres vere appellatos, effectum esse fatentibus, ut nemo pro tam munifica patria, donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret: cum commoditas juvaret, rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipublicæ esset.* Lipsius hic legit: *Cum commoda ita juvaret, rem familiarem saltem accrescere.* Et cubat haud dubie in vitio locus & de commodis militaribus hic agi perspicuum est. Sed non placet illud *commoda juvare*. Non enim juvabant commoda jam data, neque si hoc vellet, sic loqueretur Livius. Sed commodis juvabant militem & rem familiarem ejus sublevabant, commoda dabant. Legendum itaque arbitror: *Quum commodis juvaret*, vel potius *commodis datis* (eo enim vox corrupta *commoditas* nos ducit) *juvet, rem familiarem*, &c. Notum illud ingeniosissimi Poetæ:

> *Romule, militibus scisti dare commoda solus.*

Constituta militibus æra in subsidium rei familiaris, non mercedem operæ quam etiam absque iis debebant patriæ; in levamentum sumtuum, non in facem seditionis. Vir certe disertus si hæc etiam tempora respexit, cum hanc dixit esse mercedem militarem, hac emi militem, hac animam & corpus æstimari, noluit perire aliquot sententiolas & flosculos bene dicendi, & declamandi materiam avidius quam verius arripuit. Labantis reipublicæ & perditorum morum fuit ista labes, addicere venales animas pretio, & ibi fas existimare ubi plurima esset merces. Alia mens patrum illa tempestate fuit cum prima dederunt stipendia, alii etiam mores populi. Priusquam luxuria in urbem immigrasset, diversum ab illa, sed fere conjunctum vitium avaritia contemtui, & nihil probrosius erat, quam nomen mercenariorum. Appius Claudius in oratione quam contra tribunos plebis habuit, hibernacula ad Vejos seditiose traducentes & hiemis labores incusantes, quum inter alia stipendii mentionem habens dixisset: *Merito illis novi aliquid laboris injungi, quibus novi aliquid accessisset commodi.* Corrigit se statim & quasi injuriam fecisset militibus: *Invitus*, inquit, *in hac parte orationis, invitus, Quirites, moror: sic enim agere debent, qui mercenario milite utuntur: at nos tanquam cum civibus agere volumus, agique tanquam cum patria nobiscum æquum censemus.* Sic & Lucius Æmilius apud Polybium alloquens milites, illis esse necessarias adhortationes, qui mercede militant, quorum & in pugna durissima conditio & post pugnam spes tenuissima statum in melius convertendi: at eos qui non pro aliis, sed pro se ipsis, pro patria, liberis & conjugibus pugnent, quorum status ante pugnam anceps, post eam longe diversissimus, moneri, non adhortari debere. Inde legimus bello Punico secundo illis gravibus & extremis temporibus, cum Hannibal omnem pæne Italiam teneret, non tantum privatos pecuniam contulisse in stipendium, sed eandem etiam privatorum benignitatem in castra manasse, ut non eques, non centurio acciperent stipendium, mercenarium vocantes, qui accepisset. Nugatur itaque idem cum scribit, hunc & apud Romanos fuisse honorem pecuniæ, ut si quis stipendia non faceret, licet in castris & exercitu versaretur, impune occidere hostem aut vulnerare non posset. Quis enim hoc unquam fando audivit aut apud veteres legit, jus pugnandi in hostem in pecunia poni, nec occidere licuisse nisi ære tanquam pretio cædis accepto? Male itaque consuluere reipublicæ equites & centuriones illi, qui sine stipendio militantes jus sibi pugnandi ademerunt? male illi, qui ad Vejos suis se equis militaturos promisere? At horum omnium amor & benignitas in patriam celebratur. Cato priscus ex cujus ad filium epistola (de qua egimus in capite de Sacramento) hanc sententiam exsculpsit, hoc nunquam somniavit. Voluit ille filium suum justum militem esse,

voluit completis stipendiis novo sacramento obstringi, legibus militaribus teneri, & potestatem pugnandi ab Imperatore accipere: sed de ære militari non fuit sollicitus, quasi pecunia publice accepta demum justum fieret & honestum, quod alioquin illicitum esset. Sed nos diutius quam fas est tenent nugæ. Stipendium quod initio apud Romanos militibus constitutum, non fuit æs diurnum aut menstruum: sed (quod plerique eorum qui in stipendium inquisiverunt, non satis observarunt) æs annuum. Diodorus Siculus: *Τότε πρώτοις ἐπεψηφίσαντο Ῥωμαῖοι τοῖς στρατιώταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς ἐφόδια διδόναι χρήματα*. Inde *stipendium* & *æra* pro anno militiæ adeo invaluerunt apud Latinos, ut etiam usurpent de iis temporibus, quibus Romani nulla accipiebant stipendia: nam cum in illis, *stipendia facere*, *mereri*, *conficere*, *tot stipendiorum miles*, *stipendia procedere*, *&c.* proprie quidem æs militare, usu & æs & tempus annuum significent, interdum etiam pro solo tempore solent accipi. Frontinus lib. IV. *A patribus deinde obtinuit, ne iis præterita æra procederent*: id est, ne computarentur anni præteriti in annis, quibus ex lege militare debebant. Stipendia enim acceperant jam tum, cum meruerant. Æs hoc annuum veteri republica militi scripto quotannis solidum dabatur, etiam semestri, qualis tum fere erat, militia: quamvis, inquam, totum annum sub pellibus non haberetur & dimitteretur ante hiemem, stipendium tamen annuum ei procedebat. Auctorem habeo Livium in oratione Appii Claudii, ubi ille: *Gaudet nunc*, inquit, *miles fructui sibi rempublicam esse & lætus stipendium accipit: æquo igitur animo patiatur se ab domo, ab re familiari, cui gravis impensa non est, paulo diutius abesse. An, si ad calculos eum respublica vocet, non merito dicat, Annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum censes militia semestri solidum te stipendium accipere?* Tam munifica est, inquit, respublica, ita commodis militum indulget, ut quamvis aliquot mensibus tantum opera eorum utatur, nihilo minus solidum exsolvat stipendium. Quid igitur iniquius? quid ingratius, quam eos, in quos tam munifica est, detrectare, nunc ubi opus est, annuam operam, quam, si justo cum iis calculo agat, pro portione commodorum injungens operam, quotannis præstare deberent? Nisi enim hoc certum & indubitatum ponamus, annuum æs etiam in brevioribus bellis militi fuisse, nulla in hoc argumento vis, nec in Appii verbis sensus inest. Confirmat idem (si aliis tamen testimoniis opus est post tam clarum locum) mos veterum Romanorum in brevibus & paucorum mensium bellis cum hoste transigendi, imperato scilicet annuo stipendio. Sic Falisci jussi pendere pecuniam in stipendium ejus anni, quo bellum gerendum fuisset. Sic datæ Salinatibus in viginti annos induciæ ea lege, ut res redderent populo Romano & stipendium ejus anni exercitui præstarent. Sic Carvilius consul Faliscis annuas inducias concessit pactus centum millia gravis æris & stipendium ejus anni militibus. Interdum annuo militum stipendio adjecerunt & mensium aliquot frumentum. Livius VIII. Historia. *Inde exercitus Romam deductus, annuo stipendio & trium mensium frumento accepto, quod pepigerat consul, ut tempus induciis daret, quoad legati rediissent.* Idem IX. de Samnitibus: *Jamque una voce omnes pacem petebant: tum trium mensium frumento imperato & annuo stipendio ac singulis in militem tunicis, ad Senatum pacis oratores missi.* Et lib. X. *Hoc prælio fractæ iterum Etruscorum vires & pacto annuo stipendio & duum mensium frumento permissum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam.* Rursus XXIX. *Hispaniæ populis reddita pax, stipendium ejus anni duplex & frumentum sex mensium imperatur.* Jam olim duorum mensium frumentum, cum sex mensium stipendio; simili casu jam ante constituta militibus æra, imperatum. Lib. IX. *Δύο τε μηνῶν τροφὰς τῇ στρατείᾳ, καὶ δύο χίτονας κατ' ἄνδρα, καὶ ἀργύριον εἰς ὀψωνιασμὸν ἑξαμήνου.* Quid ita in his bellis finiendis non paucorum tantum mensium stipendium æque ac paucorum mensium frumentum pacti sunt? aut quid non annuum frumentum cum annuo stipendio imperaverunt? Nimirum cum eos, quorum culpa bellum excitatum esset, impensam in id factam vellent præstare, nec eam tamen, qua erant gravitate, ultra verum exaggerarent, imperaverunt frumentum tot mensium tantum, quot illius belli causa militem sub pellibus habuissent aut habituri essent, quia militi frumentum non darent nisi cum in castris esset. stipendium vero exegerunt annuum non alia de causa, quam quod militi cujusque anni deberetur etiam statim dimisso. Et ne putes de alieno liberales Romanos tum demum solidum numerasse, cum ab hoste exactum, non item cum a civibus, addamus his duo Livii testimonia. Livius: *Imperata pecunia Faliscis in stipendium ejus anni, ut populus Romanus tributo vacaret.* Et de triumpho Papirii: *Militibus nihil datum ex præda est, auctaque ea invidia est ad plebem, quod tributum etiam in stipendium militum collatum, quum si spreta gloria fuisset captivæ pecuniæ in ærarium illatæ & militi tum dari ex præda & stipendium militare præstari potuisset.* Inde ignominiæ pœnæque causa factum legimus, uti legionibus annuum stipendium non daretur aut tantum semestre daretur. Frontinus: *Decrevit Senatus, uti ea legio, cujus in acie consul erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur æraque rescinderentur.* Livius XL. *Milites jussi ad signa redire causa ignominiæ: uti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni decretum.* Pluribus hæc probavimus, quod nemo eorum quos quidem legerimus, observaverit, nec dubitemus fore, quibus parum probabilis hæc ratio videatur. Grave enim reipublicæ, certe non necessarium hoc dixeris impendium: pæne etiam iniquum tantum æris dari paucos menses bellantibus, quantum totum annum sub pellibus durantibus & omnes belli labores, omnem cœli sustinentibus injuriam. Quid si etiam plus datum illis: nam si certa pecunia pro frumento detracta, ut testatur Polybius, frumentum vero datum non fuit, nisi cum in castris agerent, sequitur eos qui diutius militarent, minus pecuniæ accepisse. Sed huic iniquitati opposuisse videntur Romani, quod etiam, antequam æra de publico darentur, illis plures sumtus de suo fuerint faciendi, qui diutius in castris haberentur: quod miles in quemque annum lectus, etiam dimissus, maneret tamen miles ejus anni: quod quoties consulibus visum esset (rarius id accidebat) sed tamen quoties e republica esset revocari ad signa & educi posset: quod sæpe etiamsi non militaret, at exerceret se in armis & pararet se bello. An & incitamentum debellandi crediderunt annuum stipendium etiam sine annua opera? & hinc quoque creverunt ille perennis ardor in hostem, illud odium moræ & cunctationis, quæ propria militum Romanorum in omni propemodum fortuna eos secuta sunt, atq; adeo ne victos quidem deseruerunt. Ambigo tamen, an illud vetus institutum semper manserit apud Romanos, ac non potius abrogatum sit minuendi impendii causa per illa tempora, quibus tot tanisque legionibus respublica gerebatur. Video enim Sp. Ligustinum apud Liv. de more tanquam sua ætate antiquato loqui. *Bis*, inquit, *quæ annua merebant legiones, stipendia feci*. Varro etiam cum dicit, *Stipendium dicebatur æs, quod militi semestre aut annuum dabatur*, innuere videtur stipendium non

ſemper æs annuum, ſed aliquando etiam ſemeſtre fuiſſe, ſuo vero ævo nec annuum nec ſemeſtre. Ac hæc quidem non obſervarunt viri docti: at de numero æris parum inter eos convenit. Franciſcus Patritius ſatis habet duorum obolorum Polybianorum pretium examinare. Carolus Sigonius haud proclive dictu exiſtimat, ſtipendium militare quantum fuerit, Polybium diurnum peditis quæſtum obolos duos ſtatuere, centurionis duplex, equitis drachmam: an vero ille ὀψώνιον pro integro ſtipendio accipiat, parum liquere. Quod ſi poſtremorum temporum conſuetudine, quæ ſunt antiquiſſima, metiamur, diurnum peditis Romani ſtipendium fuiſſe denarium, ſtatuendum. Nam apud Tacitum Percennium dicere denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari. Denarium enim decem aſſibus æſtimatum atque ſemper in militari ſtipendio pro decem aſſibus datum eſſe, quamvis bello Punico ſecundo placuiſſet, ut ſedecim aſſibus permutaretur. Henricus Savilius, *duos obolos Polybio valere quatuor aſſes: Centurioni alterum tantum, equiti drachmam datam, vel Romanum denarium. Continuatum id ſtipendium uſque Cæſaris ætatem, qui legionibus in perpetuum duplicaverit, ita ut pediti in diem ſtipendium eſſent octo aſſes, centurioni ſedecim, equiti viginti quatuor. Auguſtum peditis ſtipendium auxiſſe uſque decem aſſes, paulo poſt videri excreviſſe in denarium integrum.* Lipſius ſtipendium diurnum tres aſſes, vel ut juſtiſſime cum triente ſtatuit: non enim aliter Latine efferri, cum duo oboli ſint tertia pars drachmæ & drachma vincatur leviter a denario Romano. In menſem itaque decem denarios, id eſt, Philippeum noſtrum, ac imperio tam late propagato nihil additum eſſe ad ſtipendii modum ante Julianum ævum: illum, qui per milites magnus, leges hic quoque fregiſſe & legionibus ſtipendium, ut ait Suetonius, in perpetuum duplicaſſe: *Res ſemel mota*, inquit, *non hic ſtetit, ſed magis Auguſtus auxit, qui omnes ubique milites ad certum ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit, ut in vita ejus Tranquillus. Eum modum fuiſſe decem diurnos aſſes ex Tacito liquet. Hæc ita ſcripta: etſi ſuſpicio mihi eſt per bella illa diuturna civilia magis etiam auxiſſe ſtipendia, ſed reciſa rebus jam tranquillis ab Auguſto & in ſummam eam firmiter redacta. Manſit tamen non diu, ſed ſive Nero, ſive Claudius, ſive potius Otho aut Vitellius aliquid, imo multum addidere; & jam Domitiani ævo ſtipendium menſtruum erant aurei terni: ii eſſent in diem viginti quinque aſſes. quibus ipſe Domitianus iterum addidit menſtruum aureum unum, id eſt, denarios viginti quinque. Tanti enim Romanus aureus, & res hæc tota e Johanne Zonara ad liquidum a nobis reducta.* Vincentius Contarenus, quantum ex Puteano colligo (non enim vidi) oſtendit, male Lipſium duos obolos Polybianos tribus aſſibus æſtimare, quando ætate Polybii denarius non denis, ſed ſenis denis aſſibus fuerit permutatus: quinque igitur aſſes tum reſpondiſſe duobus obolis. Refellit præterea denarium duodecim aſſium commentum Lipſii, & credit ſub Imperatoribus militem tribus ſtipendiis ad aureos binos & denarios aliquot perveniſſe, quarto a Domitiano addito tres totos in menſem aureos accepiſſe. Salmaſius in ſtipendio ſub Imperatoribus ſequitur Lipſium. Ericius Puteanus in modo ſtipendii, quod libera republica datum militibus, ſe cum Lipſio & Contareno & contra utroſque ait ſentire: *Cum Lipſio contra Contarenum. nam primum illud ſtipendium trium aſſium videri fuiſſe, quemadmodum aſſes nummi poſſint appellari. Cum Contareno contra Lipſium, quia duo oboli Polybiani non niſi quinis aſſibus reſpondeant. Denique contra Lipſium & contra Contarenum, quia de alio ſtipendio*

A *Plautus, de alio Polybius loquatur. ſummam enim diurnam a Plauto tribus, a Polybio quinis aſſibus conſtitutam eſſe: rem a denario exigendam. hunc prima inſtitutione denis, deinde ſenis denis cepiſſe permutari Q. Fabio dictatore, tres aſſes Plautinos e ſenis denis eſſe, ut ingenioſe & accurate a Contareno oſtenſum. Sub Imperatoribus deinde nihil additum ſtipendio eſſe ante Domitianum, hunc quartam partem adjeciſſe, & quod ante fuerit novem, factum eſſe duodecim aureorum.* Vides diſcrepantias pugnaſque doctorum hominum de ære militari. Premamus & nos, ne nihil agamus, tria veſtigia, & tentemus, ſi quid partim priorum veris opinionibus, partim B ipſis adjuti erroribus veri elicere poſſimus. Verba Polybii: Ὀψώνιον δ᾽ οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολούς. Recte hic probaſſe Contarenum duos obolos reſpondere quinis aſſibus uncialibus, dubium non eſt. Duo oboli ſunt tertia pars drachmæ: Drachma æſtimatur denario Romano, denarius Romanus illa ætate ſenis denis aſſibus permutabatur. Ergo duo oboli ſunt quini aſſes, ut anxie ſcrupuloſeque examines, cum triente. Sed Polybium non quinos aſſes cum triente, ſed quinos duobus obolis expreſſiſſe non probabile eſt, quia diurnum ſtipendium certo aſſium numero conſtitiſ- C ſe non veroſimile, ſed certum, quia duplex ſtipendium Julianum deni aſſes fuerunt. Ex quo etiam efficitur de toto ſtipendio, non de parte ejus loqui Polybium, de quo male dubitat Sigonius. Et reſpexit opinor Polybius ad σιτηρέσιον Græcorum, quod duorum in diem obolorum ſive decem in menſem drachmarum fuit. Quamvis enim Athenienſes drachmam diurnam apud Thucydidem & tetrobolum apud Euſtathium legamus dediſſe, ſecernentes tamen ſæpe σιτηρέσιον a reliquo ſtipendio, ſolum hoc dabant militi de publico, ut cætera ab hoſte & ipſo bello peteret. Et Græci ſcriptores in tradendis rebus Romanis, quo facilius a ſuis intelligeren- D tur, ſi quæ cum moribus ſuis facere viderent, ea ſuis vocabulis expreſſere; in pecunia vero Romana proximum ex ſuis nummum accipientes minutias illas morati non ſunt. Alibi Polybius ſemiſſem dixit eſſe quartam oboli partem. Quod ſi exacte verum velis, duo oboli quatuor aſſes, quatuor oboli victoriatum, octo oboli denarium efficiant: aut ſi de veteri aſſario, quorum deni explent denarium, eum loqui velis, quinque oboli denarius ſint. quorum neutrum verum: ſex enim oboli drachmam faciunt, quæ apud Græcos denarium Romanum reddit. Habemus igitur diurnum militis æs ætate Polybii, quinos aſſes unciales. Ex E eo annuum inveſtigemus. Facile id eſt, fateor, ſed ſi de numero dierum conſtet, ad quos annus debeat computari: nam vetus annus Romanus fuit trecentorum quinquaginta quinque dierum. Hoc itaque anno ſtipendium fuerit mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque aſſes. Peritiores tamen plenum ſolarem conſtare CCCLXV. diebus non ignorabant: ad cujus rationem ſi militi ſtipendium velis exſolutum, fiet annui æris MDCCCXXV. Annus Græcorum communis & civilis erat trecentorum ſexaginta dierum: fient mille octingenti aſſes. & hic habet rotundum in ære numerum, & certe quia tribuitur in duodecim menſes, qui ſunt omnes F τριακονθήμεροι, ad ejuſmodi res longe aptiſſimus eſt. Sub Cæſaribus quidem in ſtipendio militari receptum fuiſſe ex Suetonio & Zonara liquet, qui militibus, ut recte obſervavit Puteanus, datum ſcribunt ſingulis quatuor menſibus ſeptuaginta quinque drachmas ſive tres aureos, id fuerit in annum, tria millia ſexcenti æris, ducenti viginti drachmæ, novem aurei: ad unguem duplum ejus, quod efficitur ex ſtipendio Polybiano ad annum civilem Græcorum redacto. Nulla igitur cauſa eſt, quin hunc

annum valuiſſe etiam Polybii credamus ætate, qua ſimplex ſtipendium militi dabatur, id eſt, dimidium ejus quod ſub Cæſaribus. Annuum itaque æs tum fuit MDCCC. ſive quadringenti quinquaginta ſeſtertii, centum duodecim denarii cum victoriato, quatuor aurei & dimidius. Videamus nunc, quod fuerit militare ſtipendium ante bellum Punicum ſecundum, cum denarius decem aſſibus permutabatur. *Puteanus non tantum in pretio denarii, ſed etiam in ſtipendio mutationem putat factam, crevisſe urgente Italiam Hannibale tanquam majori præmio defendi reſpublica debuerit, cum diſcrimen immineret: antea militem tres aſſes unciales, quorum ſeni deni explent denarium, in diem accepiſſe, tum quinos: antea quinis diebus denarium minus aſſe, tum tribus meruiſſe.* At quis hoc ei credat in illa inopia publica, illis difficillimis & pæne extremis reipublicæ temporibus, cum ne ſolitum quidem ſtipendium ad diem exſolvi poſſet, cum petentibus ſtipendium pro exercitu ducibus reſponſum publice, Non eſſe unde daretur, cum denarius in lucrum reipublicæ ad ſenos denos aſſes redactus, cum propter inopiam publicam equites & centuriones ſine ullo ſtipendio ſuis ſumtibus munere militiæ functi ſint: quis, inquam, credat ſtipendium militare tunc a quinta denarii parte ad tertiam adauctum, id eſt, tantum non duplicatum fuiſſe; præſertim cum nullum idoneum teſtem, nullum veterem ejus ſententiæ habeat auctorem. Nam Plauti quidem locus ex Moſtellaria:

> *Iſti, qui haſtis trium nummorum cauſa ſubeunt ſub falas?*

in hoc male citatur. Nuſquam enim Plauto nummus as eſt & quoties ſine alia adjectione meminit nummi, ſtater intelligendus eſt, ut pridem probarunt viri doctiſſimi. Fac tamen aſſes intelligi debere. Unde conſtat eum de aſſibus uncialibus ſui ævi, ſtipendio vero prioris loqui, cum utraque mutatio ſimul ſit facta. Quid? quod abſurdum eſt ſtipendium facere trium aſſium uncialium, qui vix duos ſextantarios æquent ea tempeſtate, qua nulli adhuc unciales, nulli quorum ſeni deni denarium facerent, apud Romanos noti erant? Sed quid rationibus & argumentorum congerie opus eſt? Adeſt nobis teſtis omni hic major exceptione, abſque quo eſſet, vix ſciremus, quando denarius ſenis denis aſſibus cœperit permutari, qui affirmat manſiſſe vetus ſtipendium militi & eundem numerum denariorum, nec quicquam tum in ære militari mutatum, niſi quod mutatæ pecuniæ ratio exegit. Nam ita ſcribit Plinius in XXXIII. *cap. 3. Poſtea Annibale urgente Q. Fabio Maximo dictatore aſſes unciales facti, placuitque denarium XVI. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Ita reſpublica dimidium lucrata eſt. In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro X. aſſibus datus. Dimidium*, inquit, *lucrata eſt reſpublica*, nempe in ære, quod duos aſſes jam faceret ex eo æris pondere, ex quo antea unum: in denario autem tertiam & decimam ſextam partem lucri fecerunt, non quidem reſpublica ſola, ſed omnes quibus nummi argentei eſſent. Non enim alio pondere quam antea feriri cœperunt, ſed alio pretio permutari. Addit: *In ſtipendio tamen, &c.* Qui locus varie exercuit viros eruditos, vix tamen ab ullo recte explicatus fuit. Ultimus qui eum attigit Puteanus ſequitur Lipſium. *Quid dicam?* inquit, *quod Lipſius hic utcunque dixit, etſi a Contareno reprehenſus, militem nihil ab aucto argenti pretio commodi ſenſiſſe, ſed computatum in ſtipendii ratione denarium, quaſi denum duntaxat aſſium eſſet. Ergo ſi denarius in ſolutionem veniret, decem modo aſſes militi dabantur. In Plinio planior fortaſſis lectio ſit: Pro denario ſemper decem aſſes dati. ſed cum idem ſermonis vultus alibi toleretur, nihil hic muto, &c.* Parum hic jam memor eſt, quod militi circa hæc tempora adaucto ſtipendio dedit quinque aſſes, cum antea tantum tres accepiſſent. Nam ſi aſſes iſti ad denarium redigendi ſenum denum aſſium, denarius deinde rurſus ad decem aſſes, non quinque, ſed tres aſſes & ſeſcunciam in diem meruerint. At ſi revera quinque aſſes acceperunt & tamen pro denario decem tantum aſſes, ingenti numero denariorum illuſum iis fuiſſe oportet. Nam duobus diebus denarium, in annum vero centum octoginta denarios meruerint, quæ ſumma grandiuſcula non congruit duplici ſtipendio Juliano, quod eſt apud Tacitum, Suetonium & Zonaram. Neque vero cauſa probabilis hujus ludibrii fingi poteſt, niſi ante bellum Punicum: hic juſtus modus ſtipendii fuerit: quo recepto non tantum commodi nihil ſenſiſſet miles, quod vult Puteanus, ſed detrimenti cepiſſet non parum, tertia parte ſtipendii mulctatus. Nec hoc Plinius voluit: non enim dicit decem aſſes pro denario datos, quod malit ille, ſed denarium pro decem aſſibus: hoc vero accipere pro illo, id eſt vim facere, non interpretari. Qui enim dixiſſet denarium pro decem aſſibus revera datum, ſi ſic dixit decem aſſes pro denario datos? *Dimidium*, inquit, *lucrata eſt reſpublica:* in reliquo ſcilicet ære alieno. Dimidio enim ære totum, aſſibus uncialibus ſingulis ſextantarios exſolvit. Addit: *In ſtipendio tamen militari, &c.* excipiendo, innuens in eo aut nihil aut certe non tantum lucrifeciſſe rempublicam: *Sed denarius pro decem aſſibus fuit datus.* Quemadmodum ab antiquo, & ante cuſos aſſes unciales, cum deberet decem aſſes militibus, denarium vel pretium denarii dedit; ſic etiam tunc & deinde ſemper fecit. Decreto ſenatus non certum numerum denariorum, ſed æris conſtitutum fuiſſe, non tantum probat uſitata antiquis ratio, & illa vulgaria, *conſtituere æra, æra militaria, æra equeſtria, tot ærum miles, &c.* etiam illis temporibus uſurpata, quibus jam frequentiſſima ratio ſeſtertiaria: ſed & evincit ævum, quo nullus Romanis fuit denarius. Pro decem igitur aſſibus ſingulis, qui ex lege vel ſenatuſconſulto debebantur, ſemper denarius vel pretium denarii datum fuit: quamdiu denarius decem aſſibus æſtimabatur, numerus aſſium lege definitus: at ubi ſedecim aſſibus cœpit permutari, pro denis aſſibus ſextantariis ſedecim unciales ſoluti fuerunt. In ære quidem quintam partem & hic lucrata eſt reſpublica, quoties in ære ſolveret, ſed aſſes ſex ſupra veterem numerum, & ita in novo ære vetus pretium dedit. Ac annuum militis ſtipendium jam olim bello Latino centum duodecim denariis & uno victoriato fuiſſe æſtimatum non mediocriter confirmatur præmio equitum Campanorum, qui in illo bello fidem & amicitiam populi Romani fuerant ſecuti. Præterquam enim quod civitate donati, quadruplex eis ſtipendium attributum, *Vectigal iis*, ait Livius, *Campanus populus juſſus pendere in ſingulos quotannis (fuere mille ſexcenti) denarios nummos quadringenos quinquagenos.* Habes ad unguem quadruplum æris pedeſtris. Simplex itaque mille centum viginti quinque. Una tamen, ſed levis in hac ſumma naſcitur difficultas, quod in diurnum ſtipendium dividi non poſſit, niſi ſecto in minutas admodum partes aſſe. Nam tres aſſes diurni in annum ſolarem, qui eſt omnium maximus, mille nonaginta quinque tantum efficiunt: quatuor vero aſſes in annum Romanum illum minimum, mille quadringentos viginti. Annuum quidem fuit ſtipendium, in quo de diurno illo minus ſolliciti poſſint videri fuiſſe: ſed tum nullam video cauſam excedendi

A rotundum & plenum numerum & centenario quinque & viginti adjiciendi; præsertim cum ille numerus in se habeat diurnum stipendium trium assium, atque adeo annum trecentorum sexaginta sex dierum duobus assibus excedat. Extat & apud Priscianum fragmentum Catonis, ex oratione, qua plura æra equestria suadet fieri, quo duplex stipendium (ut suo loco ostendam) duobus millibus ducentis definitur, & proinde pedestre mille centum. Ac consideranti mihi morem Romanorum in talibus minutias istas mensurariorum tanquam difficilioris computationis & republica parum dignas evitandi, & rotundos numeros sectandi, a vero alienum non videtur ita constitutum B fuisse æs annuum, ut certum numerum diurnorum assium efficeret; & similiter stipendium diurnum, ut rotundam in ære annuo summam faceret, præsertim cum id tam levi mutatione & nullo negotio fieri posset. Ac videor mihi hic videre causam, quare mutata pecunia quadraginta asses unciales vel duo denarii & victoriatus adjecti fuerint stipendio. Nempe ut utrumque assequerentur rotundum & in ære diurno & in annuo numerum. Ante bellum Punicum secundum, cum asses essent sextantarii, hoc assequi non potuerunt, nisi anno ad sexaginta sex dies supra trecentos computato. Assi- C bus vero uncialibus id commode efficere non potuissent, nisi & in numero dierum, & in diurno ære, & in annuo leviculam mutationem admitterent. Itaque sex dies de numero reciderunt: in diem vero, cum proprie accipere debuissent pro tribus assibus sextantariis quinos unciales minus triente assis sextantarii, quinos dederunt; & in annum, quo plenam summam mille octingentorum efficerent, adjecerunt priori stipendio quadraginta, sive duos denarios & victoriatum. Quæ mutatio cum commoditatis rotundandique numeri causa facta, & tam levis sit, idem quod antea stipen- D dium mansisse merito existimatur. Ideoque Livius fortassis, aut ille quem secutus est, cum sciret nihil in stipendii pretio tum mutatum, quadruplex stipendium ad quadringentos quinquagenos denarios non veritus est computare. Mille itaque centum æris sive centum decem denarii hac ratione ante bellum Punicum secundum stipendium annuum fuerit. Videamus, an primum stipendium, quod Anxure capto constitutum, ab hoc diversum sit. Ac non absurde colligi videtur posse ex denis millibus ad emendum, & duobus millibus ad alendum equum, quæ a Servio Rege equitibus sunt constituta, simplex stipendium mille æris fuisse. Probabile etiam est alium fuisse modum stipendii, quum E assibus liberalibus uterentur ante bellum Punicum primum, alium cum asses sextantarii facti sunt, & imminuto in ære lucrata est quinque partes respublica. Nam etiamsi decem assibus sextantariis expleretur denarius æque ac tot liberalibus, tamen assibus in se tanto minus habentibus pretii verisimile est denarium non æstimatum apud socios exterasque nationes, apud quas sæpe numero in expeditionibus erant milites. Accedit quod asses sextantarios nec Romæ libram pondo æris valuisse apparet ex distinctione æris gravis ab ære communi. Quid enim opus erat exigere æs grave pro pœ- F na ex legibus antiquis, in quibus nullam gravis æris mentionem esse probabile est, quia nullum tum aliud fuit Romani? Quid opus distinctione, si idem levis pretium & gravis? Denarii itaque ipsius pretium tum decrevit utique respectu æris, cum asses sextantarii facti, æris adauctum: antea enim denario decem libræ æris permutabantur, tunc plus decem assibus, id est, denario valuerunt totidem libræ. Ut igitur adauctum non sit stipendium, pro detrimento tamen illo adjici aliquantum debuit, præsertim cum denarios miles antiqua republica fere in ære acciperet: fortassis igitur singulis denariis tum adjectus assarius, & stipendium pro millibus æris mille centum esse cœpit. Quemadmodum assibus uncialibus factis, pro imminuto ære, & quinta parte, quam Respublica fecit lucri, quadraginta asses unciales, sive duo denarii, & victoriatus adjecti possunt videri. Probabilia hæc nisi sint, quæ obstent alia. Nam quamvis pedestre stipendium tertia pars equestris, non tamen constat, an stipendium pedestre tertia pars ejus sit, quod Servius Rex constituit; præsertim cum in eo tanta diversitas, cum Servius una pensione decem millia dederit. Deinde duo millia annua. Adde quod in illa summa Serviana ducenti possunt esse omissa: solent hoc sæpe scriptores summa rerum capita sequentes, minutiarum incuriosi. Sic in fragmento Catonis: *De duobus millibus actum est*: cum tamen de duobus millibus ducentis eum loqui ex eodem constet fragmento. Nam, si fides Livio, jam bello Latino, cum asses etiam tunc librales essent, triplex equestre stipendium denarii treceni triginta septem & victoriatus unus, ut supra ostendimus. Accedit quod Plinius ait denarium semper pro decem assibus in stipendio datum: & cum postea lege Papiria assibus semuncialibus factis nihil in stipendio militari mutatum, quia nimirum senis denis, ut antea, sic etiam deinceps denarius permutatus fuit; cur credamus illos homines priscæ disciplinæ tenacissimos a prisco stipendio decessisse nulla mutatione facta in proportione, quæ erat inter denarium & assem? Ne tunc quidem, cum asses unciales pro sextantariis facti, propter imminutum assium pondus quicquam militi adjectum, sed propter mutatam denarii æstimationem. Qua adaucta non potuit idem manere in pretio, nisi numero æris aliquid adjiceretur. Quicquid sit, veteri republica non ampliatum fuisse, nisi quatenus ratio commutatæ pecuniæ postulavit, mihi pro certo vel ideo est, quod ne opulentiori quidem re Romana factum est, cum longe a domo bellaretur, & tot causæ propemodum justæ augendi stipendii essent. Inde fortassis est, quod Livius tradens constituta militibus æra, & toties annui, toties duplicis, triplicisque stipendii mentionem faciens, numerum tamen æris nusquam definiverit. Quæ res in tanto rerum Romanarum auctore vix excusanda, nisi stipendii modus omni ævo apud Romanos idem, & proinde omnibus notus fuerit. Mihi quidem tum rem ipsam justis ponderibus examinanti, in cujus conservatione disciplina militaris & summa salus tantopere vertitur (quid enim periculosius in publicum, quam ære militari aucto corrumpi militum animos, & aperiri fenestram turbandis novandisque rebus) tum Senatus prudentiam in providendis periculis, gravitatem & constantiam in custodiendis legibus, diligentiam in tuenda illa sancta disciplina, qua & stetit res Romana & victus succubuit terræ orbis, pæne nefas videtur dubitare, quin jam ab antiquo provisum cautumque fuerit, ne quid in re tanti momenti ambitioni hominum perditorum ac militari liceret avaritiæ. Ad populum certe non licuisse agi de augendo ære militari vel hoc unum persuadet, quod nunquam auctum est. Quod enim certius ejus rei argumentum potest afferri, quam in urbe omnibus turbulentarum actionum procellis agitata, ubi tot homines pessimo publico populares, tot tribuni seditiosi, qui nihil intentatum reliquerunt, quod in vulgus gratum esset, tot imperatores militum studiis legibus omnibus potentiores; nemo tamen extiterit, qui hac via, qua nec certior ulla, nec bre-

vior, ad summam potentiam sit grassatus? Olim id fortassis minus plausibile fuerit, cum non nisi ex tributo stipendium, & populo tantum imponebatur oneris quantum militaribus commodis adjiciebatur, etiamsi capti compendio animi quærere non soleant, unde accipiant, sed quantum: esto tamen: fuerit tum minus gratum: at posteaquam omnis Macedonum gaza in ærarium inlata & tanta pars orbis terrarum stipendiaria Populo Romano finem attulere tributorum, nonne sine mala populi gratia, res potuit perrogari? Deerant tum scilicet causæ, tam potenti, tam opulenta, & tot victoriis aucta republica, quare miles etiam aliquid novi commodi perciperet, & illa jam terrarum gentiumque domina abiret a stipendio parvæ, &, ut ita dixerim, privatæ Romæ? Aut deerat voluntas illis turbatoribus, qui tam avide semper rapuerunt omnem occasionem alliciendæ militum benevolentiæ, qui totiens largitione, totiens duplicatis in triumphis stipendiis obstrinxere eorum voluntates? Equidem C. Gracchum legem tulisse scribit Plutarchus, qua jusserit vestem militibus de publico dari, ne quicquam hoc nomine detrahi de stipendio; sed hæc aut usu non fuit recepta, aut certe deinde antiquata, cum sub Imperatoribus legamus redemtam de stipendio vestem. Et hoc ipsum, quod veterem stipendii legem impugnans, ejusmodi tantum cuniculis subruere conatus est, arguit summam ejus sanctimoniam. Ipse quinimo Cajus Julius, quum jam legionibus armisque succinctus, omnia poneret in acquirendis militum gratiis, nec quicquam aliud pensi haberet; hanc tamen legem palam violare pedibusque subjicere non videtur ausus. Duplicavit stipendium: non erat id novum, sed tralatitium: militibus enim bene de republica meritis, jam olim virtutis causa Senatus duplex stipendium adsignare solebat. Fecere & Imperatores interdum, sed ea opinor lege, si auctor fieret Senatus. Novum id quidem, quod totis, imo omnibus legionibus duplicaverit, & quod in perpetuum: nam antea singulis tantum militibus aut cohortibus ob insignem aliquam & extraordinariam operam hoc tribuebatur. Et quoties in triumphis duplicia toti exercitui æra dabantur, alterum stipendium donativum erat, & semel tantum, nec proprie stipendii nomine dabatur. Novum igitur hoc, sed sub falsa specie moris antiqui: fecitque hic Cæsar, quod in multis aliis legibus libertatem & summam rempublicam continentibus: illusit antiquo vocabulo, &, vi ablata, inanem tamen speciem servavit: & quemadmodum ipse deinde nomine perpetuæ dictaturæ vim regiæ potestatis obsedit, sic perpetuos istos duplicarios habuit satellites revera & instrumenta dominationis. Cæsaris deinde primis successoribus rempublicam tenentibus ad Domitianum usque obtinuisse hoc stipendium recte dixit Puteanus. Nam Lipsii conjectura de reciso ab Augusto stipendio, & mox iterum aucto ab Nerone, sive Claudio, vel Othone, vel Vitellio, nullam habens veterum auctoritatem, hoc uno tantum felix est, quod non pauci nec de grege doctorum eam amplexi sunt & hic ei assentiuntur tam nulla de causa, quam alibi interdum ab eo dissentiunt. Augustus quidem privatus veteranos quanta potuit maxima largitione contraxit, sed largitione, non stipendio largiori: quæ fuit ab antiquo ad sequiora usque tempora apud Romanos consuetudo. Vetus sane respublica laudem, gloriam, coronas, hastas, illa nec onerosa donanti, nec donatis luxuriosa, potiora semper duxit. Vidit tamen jam olim, nec ægre passa est, re bene gesta, vocari in partem aliquam prædæ milites, & pecunia etiam data statui aliquod discrimen exercitus victoris & inglorii. Sed quod erat solius virtutis præmium, ambitione Imperatorum factum est deinde pretium pessimorum facinorum, bellorumque civilium, & postremo servitutis. Rapta tamen dominatione a plerisque ab hoc more non est recessum, sive quod fuerit etiam tunc aliqua antiquitatis & exemplorum reverentia, sive quod præstandi majoris stipendii difficultas deterruerit, sive quod stipendium transire in debitum, in donativo, quoties promitteretur, novum beneficium novamque gratiam crediderint inesse. Quanquam & largitionem fundum non habere, rebusque turbandis novandisque, quam stabiliendis meliorem esse, re ipsa plerique, quidam etiam magno malo suo experti sunt. Augustus adeptus jam terrarum imperium immutavit quædam in re militari, aliqua etiam nova instituit. Sed & nonnulla ad antiquum morem revocavit, nec ambitione tum, nec peccavit indulgentia, recidens etiam, quæ sine impendio dari possent, verba nimium blandientia. *Neque enim in concione, aut per edictum ullos militum commilitones appellabat, sed milites; ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suæ majestas postularet.* Stipendium autem tum denorum in diem assium ex Percennii concione apud Tacitum satis constat. Apud eundem videre est, quomodo Tiberius postulata militum, uberius stipendium seditiose postulantium, eluserit, fluctuans etiam tunc & nondum satis securus imperii. Post duplicata autem ex Augusti testamento legata nihil unquam largitus est. Cajus ad imperium promotus, quo tempore maxime effusa liberalitas esse solet, ne donativum quidem pronuntiavit. Primus Cæsarum Claudius imperium adeptus singulis quinadena H. S. promisit *fidem militum*, ut ait Suetonius, *etiam præmio pigneratus*. Nero hoc unum circa stipendium prætorianorum notatur novasse, quod frumentum menstruum gratuitum constituit. De Galba & Vespasiano nemo dubitaverit. Ne ab Othone quidem, aut Vitellio quamvis effusissimis, & ad perdendum profligandumque natis Principibus, quorum alter dicebat, *hoc se habiturum, quod sibi milites reliquissent*: alter nemini roganti quicquam negabat, aliud acceperunt quam donativa & licentiam peccandi. Neque, si quid illi promisissent, id apud victorem Vespasianum prisci moris & antiquæ disciplinæ diligentem fuisset ratum. Tito rerum potienti nulla fuit causa novandi. Unius Domitiani inconsulta hæc fuit temeritas: de eo Suetonius: *Addidit & quartum stipendium militi aureos ternos*. Mire vexatus locus. Hic legit: *Addidit & quartum stipendium militi aureis ternis*. Ille: *militare aureis ternis*. Alius *in aureos ternos*: nec in modo stipendii quam in verbis Suetonii natant minus, nisi quod cuncti summas faciunt immanes. Vetuit scalpellum sanæ corporis parti adhibere, & primus locum interpretatus est, ne sua cuiquam laus detrahatur, Puteanus. Cum enim constet ex Zonara, Domitianum pro septuagenis quinis denariis centenos dedisse, id est, vetus stipendium tertia parte auxisse vel quarta, si intelligas de stipendio jam aucto; stipendium autem Julianum, quod ad eam diem ostendimus mansisse, esse denos in diem asses, in annum tria millia sexcentos, qui faciunt denarios ducentos viginti quinque, aureos novem; sequitur, Domitiani stipendium diurnum duodecim asses cum triente, annuum quatuor millia octingentos asses, denarios trecentos, aureos duodecim fuisse. Tres itaque aureos annuos addidisse manifestum est, nec eget probationis. Illud quærendum, quare *aureos ternos* appellet *stipendium*, & quidem *quartum*. Non certe ideo, quod ratio dandi stipendii jam quartum mutaretur: non

enim dicit, eum quartam mutationem fecisse in stipendio, sed *addidisse* nempe tribus stipendiis, quæ accipiebant, *quartum.* nec in voce *stipendium* mendum esse ipse Suetonius ostendit, ubi de eodem Domitiano inquit: *Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendioque, quod adjecerat, tentavit quidem ad relevandos castrenses sumtus militum numerum diminuere*. Vides iterum stipendium appellare, ut solent & alii sub Imperatoribus, aureos ternos. Capitolinus de Commodo: *Habebis præterea, cum id feceris, dandi stipendii usque ad tres aureos liberam potestatem*. Idem illa ætate fuit modus justus donativi. Lampridius de Heliogabalo: *Pronuntiavit meretricibus quasi militibus ternos aureos donativum*. Sic Spartianus Hadrianum *duplicem largitionem militi dedisse* scribit, id est, sex aureos: inde confuso nomine stipendium pro donativo, ut loco citato Lampridii, Ælius Spartianus de Severo Imperatore: *Denique militibus tantum stipendiorum, quantum nemo Principum dedit*, id est, toties dedit aureos ternos, summam stipendii, quamvis proprie stipendium non esset, sed donativum. Non enim debebatur militi, nec constitutum erat, ut quotannis tantum acciperet, sed dono dabatur. Et apud Livium in triumphis aliquoties legimus duplex stipendium datum, id est, ei summæ, quæ nomine stipendii debebatur, alterum tantum adjectum per liberalitatem. *Stipendia magna* Julio Capitolino sunt magna donativa: *Quamvis Maximus apud milites sæpe dixisset, oblivionem præteritorum esse debere, & stipendia magna donasset*. Idem in Maximino: *Dato itaque stipendio, & quidem ingenti, Romam versus cum exercitu proficisci cœpit*. Et contra apud scriptores sequioris ævi, donativum appellatur quod est stipendium, Vegetius: *Illud vero ab antiquis divinitus institutum est, ut ex donativo, quod milites consequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa.* Nam non de donativo tantum, sed etiam de stipendio apud signa deponebatur aliquid. Quamvis & inde hanc confusionen ortam putes, quod donativa tandem etiam quotannis statis temporibus data, non ut olim post victoriam, aut ob peculiares tantum causas, & quod erat donum, transiit in debitum. Sed ut ad aureos ternos revertamur, stipendium ideo dicti sunt, quod essent tertia pars stipendii, quæ una erogatione ex ærario ad exercitus mittebatur, una annui stipendii pensio. Fiscalia enim omnia quadrimestria erant. In Codice Theodosii de annona & tributis Constantius & Constans ad Probum: *Unusquisque annonarias species pro modo capitationis & sortium præbiturus (per quaternos menses anni curriculo distributo) tribus vicibus summam collationis implebit*. Iidem ad Dracontium: *Provinciales nostri tributa fiscalia per anni curriculum tripartita satisfactione restituant*. Cum autem non aliis diebus efferri ex ærario, exigique, & ad exercitus mitti recte & ordine posset, quam quibus persolvebatur a stipendiariis populis, quadrimestre stipendium militare factum est: ac tale jam sub Augusto fuisse suspicari licet, tum ex eo, quod Augustus legata militibus dedit quinque & septuaginta denarios in singulos, tum quod tesseras populo etiam ter in annum quaternum mensium dare voluit, ad exemplum, ut videtur, militaris stipendii. Suetonius: *Ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit, sed desideranti consuetudinem veterem concessit, ut sui cujusque mensis acciperet*. Aureos certe ternos unam stipendii annui pensionem tum fuisse, nos docet Zonaras, cum scribit milites ante Domitianum quinque & septuaginta denarios accepisse. Hinc igitur aurei terni stipendium, noveni tria stipendia, duodeni quatuor. Mansit idem etiam post Domitianum, ut ex citatis auctorum testimoniis liquet. Sed nobis ad illam lapsæ disciplinæ & pessuunsidentis imperii ætatem non est constitutum descendere: & fallor, an jam diutius morem Romanorum persequimur, quam illi dignitatem majorum custodiverunt in stipendiis? Hoc enim illud monstrum est de quo loquimur, a quo cœpit ingens dedecus imperii Romani, ut stipendia, quæ ad eam diem suis militibus tantum dare noverant, hostibus solverent barbaris, a quibus ante exigebant. Quum enim Decebalum Dacorum regem armis superare non posset, deprecatus est tributo, ne ipse vinceretur. Nec stetit intra pessimi domini imperium malum exemplum: subsecuti Principes plerique redemerunt eodem modo a barbaris pacem, sed consulentes scilicet majestati Romanæ, *stipendium*, vel *munus* appellaverunt, quasi in vocabulo, non in re esset turpitudo fædissimæ pactionis. Stipendium igitur annuum militare, ut tandem finiam, ab initio fuerunt asses librales, & deinde sextantarii mille centum, denarii centum decem: denario sedecim assium facto, asses unciales mille octingenti, denarii centum duodecim & victoriatus. Duplicavit hoc Julius Cæsar: denique Domitianus auxit ad denarios trecentos. Stipendium hoc gregariorum militum legionariorum, sed an omnium idem, inquis? nullane fuit inter genera militum, nullane inter tirones & veteranos differentia? Memini sane legere apud Procopium in Anecdotis ætate Justiniani usu & lege castrensi receptum fuisse, ut non idem omnes mererent, minus tirones, plus promotiores, & in media jam matricula scripti, plurimum vero veterani & missioni proximi, quo dimissi sustentari, & ad hæredes etiam aliquid possent transmittere. Vegetius divinum appellat institutum, quod quasi in orbem quendam per diversas *cohortes, & diversas scholas milites promoveantur, ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cohortem, & rursus ab ea crescentibus stipendiis cum majore gradu per alias recurrat ad primam*. Ubi tamen iis solis, qui ad gradum aliquem promoti, majus stipendium videtur attribuere, quod & antiqua militia factum arbitror. Fuere certe jam tunc duplicarii, quibus virtutis causa duplicia dabantur cibaria, & sesquiplarii: cæterum in universum inter genera militum, velites, hastatos, principes, triarios, discrimen tum nullum. Nec deinde aliud superiorum, aliud inferiorum, cohortium stipendium observo. De levi armatura nescio quid suspicari dat Scriptor belli Hispaniensis: *Ut si quis ex nostris transfugerit, in levem armaturam conjici, eumq; non amplius sedecim accipere.* Sed levis armaturæ cohortes ea ætate fuerunt a legionibus separatæ. Veteranis emeritis jam stipendiis tria millia ab Augusto constituta apud Dionem lego, *emerita* dicebantur: sed stipendium auctius in dubium vocat vel hoc ipsum, quod data hæc commoda fuerunt.

Prætoriæ cohortes ex instituto Scipionis, si fides Festo, sesquiplex stipendium acceperunt. Scribit enim *delegisse fortissimum quemque, qui ab eo in omni bello non discederent, & cætero militiæ munere vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent*. Id sub Augusto adauctum, sed ad quod pretium usque, non satis convenit inter Tacitum & Dionem. Apud Tacitum Percennius ait binos denarios diurnum stipendium esse. At Dio decretum a Senatu prætorianis duplum, quod cæteris militibus, scilicet vicenos asses. Hotomannus in Tacito pro binis denariis, *bis denos* scil. asses putat legendum. Lipsius, *invidiosam esse Percennii orationem & augendæ rei*. Mox tamen, *binos denarios opinatur ea ratione accepisse, qua legionarii singulas, qui videlicet viginti assibus solverentur*: quod postremum iis quæ jam diximus, satis refutatum. Ego cum videam in legatis

Augusti

Augusti & Tiberii plusquam duplum dari, eandemque iterum summam, sed duplicatam in donativo Neronis, bina nimirum millia nummum, Tacito hic potius crediderim. Dionem autem, cum apud scriptores ejus ævi legisset duplex stipendium decretum vel duplicatum a Senatu stipendium, deceptum suspicor ambiguitate vocabuli: cum enim intelligere debuisset duplicatum iis stipendium suum, hoc est, sesquiplex, quod leviter abit a denario diurno, accepisse, quasi duplex tantum legionariorum fuit attributum. Nisi verius sit, ubi Dio duplum Prætorianis, quam reliquis militibus, datum scribit, reliquos milites, de urbanis cohortibus, non de legionibus interpretari: urbanæ enim cohortes sesquiplex stipendium acceperunt, dimidium ejus quod cohortes prætoriæ. Verba Dionis lib. LII. *Τοῖς δορυφορήσουσιν αὐτὸν διπλάσιον ἢ μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου ψηφισθῆναι*. Equidem sesquiplex stipendium exacte quini deni assarii forent, duplicatum triginta, sed quia id proximum denario probabile est, Principem Senatumque cum milite liberalius agentes, denarium stipendium diurnum ac postea duplicatum binos denarios fecisse. Bini diurni denarii faciunt in annum civilem septingentos viginti, quam summam triginta denariis excedat mille nummorum quadrimestre stipendium. Ex iisdem legatis Augusti & Tiberii efficimus urbanas cohortes sesquiplex paulo plus stipendium, dimidium, quod prætoriæ cohortes habuisse.

CAPUT IV.

DE

STIPENDIO EQUESTRI.

De stipendio equestri in censu Servii Titus Livius: *Ad equos emendos dena millia æris e publico data & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent*. Hæc prima ærum equestrium mentio in scriptoribus rerum Romanarum: prima æra, an fuerint dubito. Cum enim Romulus jam ante instituerit trecentos equites, qui *Celeres* appellabantur, eosque tam in pace ad custodiam corporis, quam in bello præsidii loco secum habuerit, haudquaquam probabile est nullum his stipendium fuisse. Nam quis credat in illo convenarum & pastorum populo fuisse, qui suis sumtibus adessent perpetuo regi, neque a latere ejus abscederent, cum postea onus semestrium bellorum, (qualia tunc gerebantur) non nisi dato de publico ære impositum sit? Invidiosum profecto fuisset Servii institutum, quo equitibus, id est, opulentissimis urbis Romanæ civibus non parva, ut illa ætate, summa peditibus nihil æris constitutum, si antea tam equites quam pedites suo ære militavissent? Sed nemo hoc, opinor, statuet, indulgentiam regum in custodes corporis & perpetuæ militiæ equestris sumtus secum reputans. Idem hoc cum Serviano an aliud stipendium fuerit non dixerim. Servium ad emendum equum dena millia de publico adsignasse dicit. Pugnare videtur Varro libro VII. de Lingua Latina: *Debet igitur dici, Vatiniorum, Manliorum, sic denariorum, & non equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum*. Unde duo viri doctissimi alter Varronis, alter Livii locum censent emendandum. Lipsius immissa nota numerali legendum putat: *Equum publicum decem mille*, &c. Salmasius negat mendi suspicionem in locum Varronis cadere, in Livio corrigendum *una millia æris*, pro singulis millibus: qui locutionem eam non ceperint, connexisse dena millia, &c. Sed nec ita locutum fuisse Livium verisimile est, nec hoc voluisse. Cui enim non absurdum videatur pretium equi, non dicam ætate Varronis, sed Servii, mille æris fuisse, cum ad alendum equum duo millia annua adsignarentur? generosum & bellatorem equum semestri alimento venisse? Interiisset opinor apud Romanos fortium equorum genus, si equus tam sumtuosum & pretio vile animal. Varro *sesquilisse* apud Nonium:

> *Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum.*

Cato apud Gellium de Antiquis: *Equos carius, quam coquos emebant*. Scribit & Varro de Re Rustica, in Reatino asinos admissarios tricenis ac quadringenis venire. Item sua memoria Reatinum asinum veniisse sestertiis millibus sexaginta; & unas quadrigas constitisse Romæ quadringentis millibus: unde vir undequaque doctissimus probabiliter conjicit, non loqui Varronem de ære ad emendum equum dato, sed de ære annuo ad alendum, cum non absurdum sit alterum mille pro servo, alterum pro equo tantum adsignatum fuisse. Possis & suspicari de quadrimestri stipendio equitum Varronem loqui, si jam illa ætate pensiones stipendii fuerunt quadrimestres. Sed nobis alia hic nascitur conjectura, decem millia Serviana, quæ olim equiti ad emendum equum data, in decem pensiones annuas (tot enim annos merebat eques) deinde conversa fuisse; ac ita mille asses factos pretium annuum equi publici. Causam hujus suspicionis habeo non solum Varronis locum, qui ista ratione cum Livio non pugnat, sed & alia non pauca. Nam cum non diu post constituta militibus æra triplex stipendium equiti datum legas, auctore, ni fallor, Cn. Cornelio tribuno militum, Livius lib. V. *Alii Cn. Cornelii fratris, qui tribunus militum priori anno fuerat triplexque stipendium equitibus dederat, gratia extractum ad tantum honorem credunt*: nec tamen duobus millibus Servianis tertium adjectum usquam invenias, probabile videtur id tum cœpisse in equitibus, qui suis equis merebant post cladem Vejentem. Livius: *Cum repente quibus census equester, equi publici nondum erant adsignati, senatum adeunt, factaque dicendi potestate equis se suis stipendia facturos promittunt*. Deinde pedestris ordinis militibus etiam voluntariam extra

ordinem professis militiam, *Senatusconsultum*, inquit, *factum, placere iis stipendia procedere, & equiti certus numerus æris adsignatus. Tum primum equis merere equites cœperunt*. Mirum quomodo in hoc loco aliud egerint homines eruditi Puteanus quasi absque controversia esset, statuit hoc demum tempore *rempublicam in equitem libe ralem esse cæpisse*. Lipsius *institutum tunc primum, ut etiam alii quibus census equestris esset, etiamsi equos publicos non haberent, tamen militarent & æra mererent, sed æra non ut illi equo publico, sed ad exemplum peditum annua stipendia, nec nisi cum militarent, & conditionem priorum illorum meliorem aut certe digniorem: nam accepisse e publico pecuniam & ad emendum equum & ad alendum*. Salmasius quasi sui oblitus & Livius secum hic pugnet, *falsum hoc esse* ait, *si vera sint, quæ de Servio scripserit, cujus instituto bina millia æris equiti data ad alendos equos, dena millia ad emendos: merere enim esse pecuniam quasi mercedem operæ in militia navanda accipere: tum ergo meruisse equis equites, cum pecuniam e publico ad equos emendos acceperint: immo hanc summam mansisse usque ad Catonem Censorium post bellum Punicum secundum, nisi quis dicat non æra ex ærario tunc eos accepisse, quod postea factum, sed viduas iis attributas, quæ hanc summam iis penderent*. Non curæ pretium diu inhærere: plana est sententia: *Tunc primum suis equis merere equites cœpisse*. Id videas ex Epitoma, ubi clare est *Equites tum primum equis suis merere cœperunt*. Et nisi fallor, ita reliquerat Livius. De re certe dubitari non potest. Ante eam diem non nisi publico equo meruerant, tum primum suis equis militaverunt: ante dena millia ad emendum equum publicum acceperant, tunc ipsi equum emere cœperunt, pro quo certus numerus æris adsignatus. Hunc autem numerum fuisse mille vel mille centum æris annui, id est, stipendium pedestre conjicimus, quia hæc summa decem annis, quos merebat eques, efficit dena millia, summam priorem, & quia ex eo tempore triplex æs annuum equiti cœpit dari, cum antea tantum duplex daretur. Ac nulla deinceps in historia Romana denum millium mentio est. Polybius equiti drachmam in diem, id est, triplex stipendium adsignat, nec quicquam præterea, qui si dena præterea millia, non triplex, sed quadruplex accepissent. Adstrui & eo potest, nihil amplius publice impensum in equites, quod cum Senatus Romanus duodecim coloniis Latinis quæ Q. Fabio & Q. Fulvio Coss. abnuerant mili es dare, circa finem belli Punici M. Cornelio & P. Sempronio Coss. imperaret, ut quantum quæque earum coloniarum militum plurimum dedisset P. Romano ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum darent & equites centenos vicenos, qui omnes ex formula Romana legerentur; his tamen coloniis quibus hoc justissime infensus imperarat, permitteret, ut si qua eum numerum equitum explere non posset, tribus peditibus unum equitem redimeret: quod nunquam profecto concessisset, si plus quam triplex stipendium in equites singulos erogandum fuisset. Dena autem millia quæ a Servio ad emendum equum una summa dabantur, quemadmodum diversa ab duobus millibus annuis, quæ ad alendum, sic etiam deinde cum in mille æris annui conversa & decem pensionibus soluta fuerunt, non raro distincta videntur & a stipendio secreta fuisse. Hinc in historia Romana modo duplex, modo triplex stipendium equestre, etiam eadem ætate occurrit: qui triplex fecerunt, sub vocabulo æris equestris complexi sunt & æs quod pro emendo equo acceperunt annuum: qui duplex, solum hoc intellexerunt quod ad alendum equum ex prisco instituto dabatur. Hinc & in coloniis deducendis (qua in re modum stipendii solebant respicere) raro admodum triplum, semel tantum memini legere apud Livium in colonia Aquileja, ubi pedes quinquagena, centurio centena, eques centena quadragena jugera accepit, libro XL.) plerumque autem duplum agri adsignatum, l. XXXIV. *Dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites* (vides velut justum hunc modum censeri Livio) *vicena pedites, quadragena equites accipere*. Hinc lux fragmento apud Priscianum lib. VII. ex oratione Catonis, qua in senatu suasit, ut plura æra equestria fuerint: *Nunc ergo arbitror oportere restitui, quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium*. In eodem: *de æribus equestribus, de duobus millibus actum*. Ubi Lipsius immissa negatione credit scribendum, *oportere, institui, ne quo minus*. Assentitur ei Salmasius. Ego uti facile probaverim adjici vocem negativam, ita non intelligere me fateor hanc locutionem, *ne quo minus sit duobus millibus ducentis*: fecissent saltem, *ne quoi minus*: legendum censeo, *quo ne minus*: quod cum imperiti non intelligerent, sustulere τὸ *ne*. Livius XXXIV. in oratione L. Valerii contra hunc ipsum Catonem: *Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus*. Idem: *Captivi ne minus decem pondo compedibus vincti*. Et lib. XLIV. *Ita ut in singulas legiones Romanas ne plus sena millia peditum, trecenti equites essent*: nisi quis velit legi, *arbitror restitui oportere, quod minus duobus millibus ducentis sit*, ut id sit supplendum, & restituendum, quod deest duobus millibus ducentis, vel vero eorum pretio. Equidem verba hujus fragmenti sola attendenti verisimile videatur, Catonem non de stipendio, sed de numero equitum agentem, suasisse tot æra institui totidemque capita quæ haberent, sed tempora quibus Cato vixit consideranti, ea sententia haudquaquam arrideat. Circa finem belli Punici cum Scipio in Africam transjecit, (sed nec tum quidem opinor senator Cato fuit) quo tempore maxima equitum penuria possit videri fuisse, viginti legionibus respublica gerebatur, sequenti anno quatuordecim & sic ad finem usque belli: itaque non plus ærum equestrium fuisse, id est, non plures quibus æra de publico aut deberentur aut solverentur, non est verisimile. Adde quod numerus equitum pro numero legionum necessario variarit: singulis enim trecenti equites dabantur. Catonis autem ista: *De duobus millibus actum est. Nunc ergo arbitror restitui oportere, quo ne minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium*: omnino antiquam aliquam legem vel senatusconsultum spectant, quo numerus duorum millium ducentorum definitus: & videtur de certa æris summa loqui, ut apud Ciceronem in epistola quadam: *Itaque nec de sestertio vicies, nec de sestertio septingenties quicquam agi nunc per senatum potest*. Duplex autem stipendium ante bellum Punicum secundum duo millia ducentos vel utique ducentos quinquaginta æris fuisse, ex illis quæ supra diximus liquet. De stipendio igitur quod ex lege debebatur vel de vero stipendii pretio, cum jam asses unciales essent, equitibus dando in Senatu egit Cato. Bello Punico secundo illis angustiis ærarii equites Romanos minus justo accepisse, tum magnitudo animi eorum qui stipendium aliquamdiu tanquam mercenariorum notam repudiaverunt, tum etiam dona & liberalitates & pretia ejus ætatis, in quibus non ea est proportio, persuadent. Nam post cladem Cannensem Venusini cum pediti denos quadrigatos nummos darent, in equitem quinos vicenos dedere: Hannibal captivis pretium in capita statuit, servo centum nummos quadrigatos, tricenos pediti, quingenos equiti. Cum itaque bello Punico jam finito

maneret equiti is modus æris, quem jam aliquot annos acceperant, Cato neque pro cætera Romanorum justitia & malo exemplo equestri ordini suam illam animi magnitudinem & pietatem in patriam damno esse videns, suadet senatus, ut tandem integrum stipendium & verum pretium duorum millium ducentorum (erant tria millia sexcenti; stipendio nimirum simplici ad centum duodecim denarios cum victoriato computato) solvatur: de tertio stipendio mentionem non habet, sive quia in eo vitium non fuit, sive quod semper mansit mille assariorum, ut videtur Varro velle. Quanquam Varro cum equum publicum mille assariorum esse scribit, potest intelligi de assariis militaribus, quorum deni explent denarium, de quibus & Cato loquitur & quibus constitutum erat militibus stipendium. Neque enim abhorret a more Romanorum, servata fuisse legis vocabula etiam, cum jam usus communis alia recepisset. Credebant addere majestatem legibus antiqua illa & quasi legitima verba: ne minimam quidem mutationem carere periculo: debere etiam voces religionem suam habere, quo res essent sanctiores: atque hac ratione eorum, quæ de duplici triplicique stipendio, deque denis millibus & millibus æris equestris attulimus, repugnantiam tollere, quam hodie aliud, aliud cras stipendium fingendo Romanos gravissimam gentem desultoriæ levitatis incusare, satius videtur. Nam jam olim ante ævum Catonis triplicia æra equitem meruisse manifestum est ex loco, quem adduximus: id quoque deinde mansisse apparet. Livius libro VII. *Æque impudens postulatum fuit, ut de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur.* Ex quo colligitur non semper triplex æs equiti fuisse, quamvis Catonis tamen ætate tale fuisse vel unus Polybius evicerit. Bellum itaque Punicum secundum fortassis respexit, vel quod potius reor, suam ætatem: nam cum mutata militia primo rarus, postremo nullus equitatus Romanus & equites jam magnam partem provinciales aut ex sociis & exteris nationibus, & quo minor dignitas eo major esset multitudo, hos tanto stipendio donatos fuisse, quanto olim equites Romani, non crediderim: præsertim sub Cæsaribus, cum jam duplicatis legionum æribus sextuplicia equites eadem ratione accipere debuissent. In donis militaribus tam frequentibus & immoderatis per bella civilia plerumque notari video, quantum centurio, quantum tribunus acceperit: vix usquam quantum equites. Semel apud Appianum lego Cæsarem tribunis & præfectis alarum idem dedisse *quadruplum* videlicet; (ita enim sonant Appian verba) non *quadruplex equestre*, quomodo intelligit Lipsius; nulla enim ibi equitum mentio & locus Suetonii de triumpho & hoc donativo Cæsaris vitiatus est, & abest membranis antiquis *τὸ equites*. Nam si equites triplex, decuriones sextuplex, eadem ratione præfectus, qui tribuni inter equites locum tenebat, duodecuplum debuit accepisse: tanto plus æris præfectis fuisse quam tribunis utique sub Cæsaribus quis credat, cum Claudius Cæsar post præfecturam alæ tribunatum dederit legionis tanquam majorem honorem? Quod si his idem atque tribunis æris, ut scribit Appianus, equiti etiam & pediti legionario illa ætate idem stipendium, id est, duplex dixeris fuisse: adde his tertium, quod a reliquo solet distingui, nihilo plus quam olim meruerint equites. Quod uti nolim adfirmare, ita ex genere equitatus, locis Varronis de mille assariis & Livii de triplicibus quæ olim meruerunt, æribus, omnino statuendum videtur sub Cæsaribus non triplex, id est, triginta in diem asses equites alarios habuisse: equites singulares & prætorianos lautiora operæ pretia meruisse & duplex ad minimum stipendium quam ejusdem generis pedites verisimile est. Certe jam ab antiquo duplicatis equitibus *pararium* (ita scribit Festus dictum) quadruplicia fuisse æra ex præmio Campanorum equitum, de quo antea locuti sumus, affirmari videtur posse. Sed hæ conjecturæ sunt. Illud hic non omiserim, vetus stipendium annuum, mille centum æris, quemadmodum tenue & vile hac ætate sit, quippe non excedens tres & triginta florenos vel libras Belgicas, ita veteri republica pro rerum in Italia copia & annonæ vilitate satis amplum fuisse. Quæ si etiam Romæ fuit tanta, quantam notat Plinius libro XVIII. majorem in Italia fuisse probabile, etsi ea etiam post bellum Punicum secundum in Gallia Cisalpina rerum ad victum pertinentium abundantia, ut modius tritici quatuor obolis venierit, ut testatur Polybius: etsi in cauponis iter facientibus semisse, id est, decuma stipendii diurni parte omnia necessaria sunt præbita, vix est ut quisquam hæc ætate tam lautum stipendium militi equitique largiatur.

CAPUT V.

DE

STIPENDIO DUCTORUM.

MUnifica igitur & liberalis in milites etiam vetus Respublica fuit: quid in ductores ordinum? quid in tribunos, legatos, Imperatores? Ingentem hic pecuniam & magna, opinor, talenta jam expectas. Noli veteres nostro modulo metiri: commodis indulgent, non luxuriæ: hactenus pecuniæ liberales, dum vita subsidii eget: ubi necessariis prospectum, jam laudem, gloriam & ista divitias jubent putare, non insana stipendia, quæ corrumpendis magis quam augendis animis sunt. Ductoribus igitur ordinum duplex, tribunis quadruplex dederunt: eamque in omni genere militum proportionem observasse videntur. Inter equites decuriones centurionum locum, præfecti, quos Mariana agnoscit mi-

litia, tribunorum tenuerunt. In militia quoque navali eandem custoditam rationem suspicamur, cum C. Octavium in triumpho dedisse gubernatoribus duplex, magistris navium quadruplex legam apud Livium Libro XLV. *Qui sociis navalibus dedit in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus duplex, magistris navium quadruplex*. Hyginus tamen de decurionibus dubios nos facit, cum duplicariis, a duplici stipendio ita dictis, binos attribuit equos, decurionibus autem ternos: an quod duplicarii duplex equestre stipendium, decuriones triplex duplicatum acceperit? Nihil hic definio: quando modus stipendii equestris sub Imperatoribus nondum satis certus mihi est. Equidem nullus dubito, quin quicquid est hodie ducum, tribunorum, centurionum, vel hoc uno nomine omnem Romanam militiam condemnet & nullius usus futilemque pronuntiet, quando non aliter sua imperio majestas salva esse queat, quam per hæc insignia splendidioris vitæ & magnificentiæ caussam scilicet ignaviæ agunt luxuriæque suæ, qui veræ virtutis expertes & primos ordines sola stipendiorum magnitudine metientes, merito contemtui sint, nisi inanibus istis a vulgo secernantur. Melior mens Romanis olim fuit. Sanctitate & inexorabili rigore, non superbia; virtute, non vitiorum apparatu disciplinam tuebantur. Et mansit tamen hæc parsimonia perditissimis etiam temporibus & per bella civilia, quanquam non ita, ut non aliqua ex parte accideretur: in donis certe militaribus tum video veterem modum non raro transgressos Imperatores. Apud Appianum lego Brutum & Cassium cum darent militi mille quingentos nummos, centurioni quincuplum & tribunis pro rata dedisse. Item Antonium militi quinque millia nummum largitum, quincuplum centurioni, decuplum tribuno. Ac jam ante hos bello Mithridatico Tigranes quum Pompejo dono daret sex millia talentorum, militi quinquaginta drachmas in singulos, mille centurioni, decies milles tribuno. jam centuriones & tribuni variis artibus & meditamentis militem depeculari munerum vacationem, sævitiam imperiorum, commeatum venalia habere, quæque alia nec hodie immania illa stipendia e castris removent, nec olim minus quam hodie commune militum odium meruerunt: invaluit tamen adeo res pessima, ut Otho Imperator, quum aliud remedium non inveniret vacationes munerum de fisco redimere & centurionibus quamvis alio nomine æra augere sit coactus, resque ea postea perpetuitate disciplinæ fuerit firmata. Similia quoque & majora commoda tribunis illa ætate fuisse dubium non est: nam Plinius & Juvenalis salarium eorum pro magna pecunia accipiunt. Alio tamen nomine quam stipendii hæc proprie data. Nec facile constituerim æris modum universi ex iis, quæ in hanc rem advocantur locis. Nam *aurei Antoniani centum, argentei Aureliani mille, ærei Philippei decem millia*, quæ Valerianus Probo tribuno facto jubet dari, nihil me reddunt certiorem, cum ex epistola ad Præfectum Prætorio Milvium Gallicanum appareat extra ordinem plus justo adsignatum. *Hæc igitur*, inquit, *dari jubebis (quoniam mediocris fortunæ est) ut dignitas ejus incrementis juvetur*. Similiter cum Valerianus ad Zosimionem eidem dari *jubet Philippeos sui vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem & trientes centum sexaginta*. addit in fine epistolæ: *Hæc autem omnia idcirco specialiter non quasi duci dedi*. Ex quo loco de ducum ejus ævi stipendiis aliquid opinari posse videmur. Sic quoque cum Valerianus epistola ad Cejonium Albinum urbi præfectum Aureliano decernit ad sumtus *aureos Antonianos diurnos binos, argenteos*

A *Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum, &c.* satis liquet ei præcipui aliquid dari, quamdiu Romæ ageret. Hoc tamen notandum in his stipendiis, salariis & donativis, quod diversæ summæ nec eodem in ære attribuuntur, sive quia alio nomine alia dabantur eaque ab Principibus prioribus alio genere nummorum decreta erant, sive quod has pecuniæ species, & quædam in auro, quædam in argento, alia in ære dari voluerunt, quo cum alii, ut fit, nummi, aliis essent probatiores & acceptiores, ex omnibus speciebus simul aliquid erogaretur. Nam antiquitus etiam apud Romanos per singulas species inferebatur in ærarium
B pecunia & genera discernebantur, ut ex Livio apparet. Sic in triumpho Quinctii libro XXXIV. Atticorum sive tetradrachmorum & Philippeorum numerum seorsim recenset libro XLI. *Tulit in eo triumpho denarium trecenta septem millia & victoriatum octoginta quinque millia septingenta duo*. & alibi. Sic igitur ne efferretur quicquid esset auri argentique de meliori nota, viliora autem in ærario manerent, aut hic quoque stipendia numerantes prædandi materiam haberent, quantum ex quoque genere ex ærario efferri deberet, constituere videntur voluisse. At Imperatoribus, Dictatoribus,
C Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Legatis, Quæstoribus, libera republica præbebantur publice necessaria, paludamenta, vestes, tabernacula, equi, muli, & omnis militaris suppellex. Solebant, inquam, ea publice locari & a mancipe præberi: mancipiorum quoque certus numerus erat constitutus, quem excedere non licebat, ne numerus familiæ sumtum reipublicæ augeret. Ideoque sancitum erat, ut testatur Cicero in Verrina quarta, *nequis emeret mancipium, nisi in demortui locum*. fœnum tantum & ligna a provincialibus desumta ostendit epistol. 5. libri quinti ad Atticum: *Nullus sit sumtus in nos neque in legatos neque in quæstorem
D neque in quenquam: Scito non nos fœnum aut quod lege Julia dari solet non accipere, sed ne ligna quidem nec præter quatuor lectos & tectum quenquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem & in tabernaculo manere plerumque*. Et sequenti epistola: *Nullum teruntium insumi quenquam*. Quamvis enim ista licita videntur fuisse, more tamen potius quam lege, quia ab antiquo ita fuit, ut nemo ulla in re sociis oneri aut sumtui esset. Luculentus est apud Livium locus de Posthumio consule, quo primo auctore hæc lex fuit violata, in libro XLII. *Hic*, inquit, *iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii faciendi causa profectus esset, nihil in
E se honorifice, neque publice, neque privatim factum esset, literas Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi deverteretur, jumentaque quum exiret inde præsto essent. Ante hunc Consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumtui fuit. Ideo Magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis, privata hospitia habebant, ea benigne comiterque colebant, domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis deverti mos esset. Legati qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida iter qua faciendum esset imperabant, aliam impensam socii in magistra-
F tus Romanos non faciebant. Injuria Consulis etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum jus velut probato exemplo magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum*. Ubi obiter monuerim vitiata esse hæc postrema: quid enim hoc est, *injuria etiamsi justa*? an quædam injuria justa? non Liviani ingenii est hæc argutia. Deinde an quandam privato & magistratum non gerenti injuriam licet exercere? nugæ. Scribe, *ira*

conſulis, vel *in ira*, deleta conjunctiva *&*, *conſulis etiamſi juſta, non tamen in magiſtratu exercenda & ſilentium, &c.* Ita alibi: *Ne ſuas quidem ſimultates pro magiſtratu exercere boni exempli eſſe.* Sed ut ad rem redeam. Cauſam quare publice hæc præberentur, hic notat Livius, *ne quid tale imperarent ſociis.* Non enim volebant imperia ſua ſociis ſuis oneri eſſe, neque ignorabant iſta ratione patefieri portam variis exactionibus & omni prædandi ingenio, quando in iſto genere nullus plerumque modus, niſi quem ſua cuique cupiditas ſtatuit, id eſt, apud malos omnino nullus eſt. Arctioribus vinculis conſtringi arbitrabantur avaritiam, præbitis publice neceſſariis, ea lege, ut omnia quæ de frumento aut pecunia publica ſumerent, in rationes a quæſtoribus referrentur: nam Imperatores accepiſſe de publico frumentum & pecuniam, quibus ſeque & familiam ſuſtentarent, tum ex Ciceronis Verrina quarta, tum ex Plutarchi Catone ſatis conſtat. Solebant & filios habere contubernales, quamvis ſeveri quidam & antiquæ diſciplinæ pertinaces juberent eos potius in ordine merere, ut ſcribit Frontinus de Q. Metello & P. Rutilio: *Quintus Metellus Conſul quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere. P. Rutilius Conſul cum ſecundum leges in contubernio filium ſuum habere poſſet, in legione militem fecit.* Adgnatos præterea & alios amicitiæ cauſa ſe ex urbe proſequentes in contubernium recepiſſe eoſque nave, equo, tabernaculo, viatico etiam juviſſe, ex Pauli Æmilii ſanctiſſimi continentiſſimique ducis iter in Macedoniam parantis apud Livium invitatione liquet. Sed hæc omnia a quæſtoribus in rationes referebantur, nec erat hic quicquam unde caput unctius referrent. In hoſtico quidem non raro bellum ſe ipſum aluit, & ab hoſte petitum fuit, quod debuit reſpublica. Sed ne ſic quidem ſine lege graſſabantur: pecunia, frumentum & quidquid erat prædæ, ad quæſtores redigebantur, qui omnibus inde neceſſaria ſubminiſtrabant, ubi domum rediiſſent, prædæ non minus hoſtilis, quam pecuniæ publice datæ reipublicæ rationem reddituri. Nullum, inquis, ſalarium vel ſtipendium præter hæc? nullum. Hinc eſt quod Q. Cincinnatus Regulus, Cn. Scipio, L. Æmilius Paulus, Mummius, alii Romani Principes, quamvis toties Imperatores & opulentiſſimorum hoſtium victores, quamvis rei ſuæ nequaquam negligentes, multo minus prodigi eſſent, tamen in tanta vixerint rei familiaris tenuitate (neque enim paupertatem vocare fas eſt ſtatum hominum contentorum & parvo potentium, veræ autem laudis ditiſſimorum) ut poſt obitum ne dotem quidem filiabus, partim nec pecuniam in ſumtus funeris reliquerint. Inde Q. Cincinnatus cum aranti agrum ſuum afferretur dictatura, dixiſſe traditur: *Ergo iterum eſuriemus, nec licebit nobis per occupationes publicas agrum colere.* Fabricius cum Pyrrho Epirota apud Dionyſium ſermonem habens negat ſibi impedimento ad res gerendas eſſe paupertatem, quando nihilo minus magna ſibi imperia decernantur & ubi mandata ſint, neceſſaria publice præbeantur. Hinc Regulus audita morte villici ſucceſſorem a Senatu petiit, quando deſtitutis rebus obitu ſervi neceſſaria eſſet præſentia ſua, quod non tantum non laudabile, ſed avaritiæ proximum ſordidumque, ſi publice commoda & ſtipendia data fuiſſent. Imperia itaque honori, non lucro adminiſtrantibus eſſe voluerunt, rati amplum pretium & ingentem quæſtum, virtutem, laudem, gloriam, triumphos: plebi caſtrorum in habendi ſtudio tantulum indulſerunt: a principum animis omnem avaritiam longe ſubmoverunt. Ac mihi multa & laudabilia veterum inſtituta cauſaſque præcipuas cum animo reputanti meo, quare Roma jam multis triumphis aucta, victrix & felix, diu tamen intacta manſerit ab illis malis, quibus pereunt pleræque civitates, ſimul beatæ eſſe cœperunt, non poſtrema hæc fuiſſe videtur, quod ſummis imperiis nihil adjecerunt lucri, ſummæque continentiam habuerunt gloriæ. Nam ſicuti in corpore humano graviores non raro & ſontici morbi a capite defluunt ad inferiora; ita in civitatum corpore illa plerumque in vulgus manant vitia, quæ principibus ſe approbaverunt. Peccat ut plurimum plebes magnis auctoribus & in nulla magis flagitia ſe projicit, quam quæ pro magiſtratu exercentur. Ubi imperia nihil habent quod avaritiam, nihil quod luxuriam irritet, malis artibus non ambiuntur, quæ non niſi bonis poſſint geri, & inter tot mala ſolum manet laudis ſtudium propius virtuti & ideo ſaltem laudabile, quod cæteras humanæ mentis ſordes expellit, nec eſt patiens ſociorum vitiorum. Tum ſi quæ alia forte irrepſerint, neque inficere ſolent totam civitatem & facilius coercentur, capitibus ſalvis & intactis. Invaſit tamen tandem etiam urbem fatalis rabies eo potentius, quod in ſumma fortuna: & quamvis nihil etiam tunc eſſet ſtipendii, & optimi quique ad priſcam legem ſe componerent, prævalente tamen turba pejorum per tot exactiones, tot ſinus & nova prædandi vocabula ſocios civeſque depilarunt, ut ex brevi magiſtratu immanes ſæpe divitias & multis ſtipendiis majorem prædam corrogaverint & in ſuum converterint. At Auguſtus Cæſar proconſulibus, præſidibus, procuratoribus, quique alii cum imperio eſſent aut publico munere fungerentur, ſalarium certum conſtituit, ut teſtantur Suetonius & Dio, qui modum quidem ejus ibi neglexerunt; ſed in fragmento de rebus Macrini Dio notat, eum Anfidio Frontoni cum ei Africæ proconſulatum, quæ ſorte obvenerat, non daret, obtuliſſe tamen ſalarium quinque & viginti myriadas drachmarum, ſive decies ſeſtertium. Et ſolitos etiam dare excuſantibus aut quos ire in provincias non paterentur, Tacitus in vita Agricolæ nos docet. Alexander poſtea Severus traditur iterum reſtrinxiſſe hæc ſalaria & argento & neceſſariis priſcum ad modum præſides provinciarum inſtruxiſſe. *Judices*, inquit Lampridius, *quum promoveret exemplo veterum, ut & Cicero docet, & argento & neceſſariis inſtruebat, ita ut præſides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, cocos ſingulos & ſi uxores non haberent, ſingulas concubinas (quod ſine his eſſe non poſſent) reddituri depoſita adminiſtratione mulas, mulos, equos, muliones & cocos, cætera ſibi habituri, ſi bene egiſſent; in quadruplum reddituri, ſi male.*

CAPUT VI.

DE

DIE STIPENDII.

CErtum ſtipendio apud Romanos diem fuiſſe, ex multis veterum conſtat teſtimoniis. Livius XXIII. *Militi & navalibus ſociis neque ſtipendium, neque frumentum ad diem dari*. Et libro XXVIII. *De ſeditione ad Sucronem: vulgo ſtipendium non datum ad diem jactababur*. Ibidem Scipio ſeditioſis militibus cum indignatione objicit, quod hac præſcriptione deſciverint, quaſi ſatis juſta cauſa patriæ bellum indicendi, quod ſtipendium *paucis diebus ſerius numeratum*. Idem apud Polybium fatetur jam dudum non exſolutum ſtipendium (in eo diſcrepat a Livio) *quid tamen*, inquit, *ſatiſne hæc juſta cauſa fuit, cur ita mihi iraſceremini, ut ſimul a patria deſciſceretis? quin potius ea de re mecum agebatis amicoſque ut vobis adeſſent rogabatis? mercenariis fortaſſe ignoſcas, ſi deferant eos qui mercede conduxerunt; at non hæc danda eſt venia pro ſe ipſis, pro conjugibus, pro liberis bellum gerentibus: id enim foret, ac ſi quis parentem occidere fas putaret, ſi forte ad diem pecuniam non dediſſet*, &c. Livius ibidem: *Stipendium quoque procacius, quam ex modeſtia diſciplinæ militaris flagitatum*. Ex quo efficias modeſte flagitare & deſideria ſua ad Imperatorem ferre non omnino fuiſſe vetitum. Res tamen mota plerumque modum neſcivit, & (ut ſunt vehementia armatorum ingenia) cum ſæpe alias apud Romanos dedit turbas, tum jam ſtatim poſt conſtituta æra militaria obſidione Vejorum, prolato die parum abfuiſſe legimus, quin ad ſeditionem veniretur. Livius: *Quum tributum conferri per tribunos non poſſet, non ſtipendium Imperatoribus mitteretur æraque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin caſtra quoque urbanæ ſeditionis contagione turbarentur*. Cæſar Bello Civili I. *Petrejus atque Afranius cum ſtipendium ab legionibus pene ſeditione facta flagitaretur, cujus illi diem nondum veniſſe dicerent: Cæſar ut cognoſceret, poſtulatum eſt*. Qui locus innuere videtur, non fuiſſe ea tempeſtate certum menſem aut menſis diem quo omnibus legionibus ſtipendium ſolveretur, ſed aliis alium, fortaſſis quod alio anni tempore aliæ legiones civili bello conſcriptæ, neque enim de die ſtipendii certo controverſia moveri potuiſſet, niſi forte partem ſtipendii, cujus integri dies nondum venerat, ſolvi voluerunt, jam jam dimiſſionem conſecuturi. Ac olim quidem ſemel in anno tantum exſolutum in ſemeſtribus bellis ex eo liquet, quod tributum interdum in ſtipendium militum expeditione iam finita demum imperatum. Idem Varro fortaſſis vult, quum ait: *Stipendium, æs quod militi annuum aut ſemeſtre dabatur*: quaſi olim illud, non eo tempore uſitatum, niſi iſte locus potius accipiendus de annua aut ſemeſtri opera, ut ſupra diximus. In bello Carthaginenſi ſecundo Livius: *Senatus quo die primum eſt in Capitolio conſultus decrevit, ut eo anno duplex tributum imperaretur, ſimplex confeſtim exigeretur, ex quo ſtipendium præſens militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuiſſent*. Ubi annuum ſtipendium ſolidum numeratum. Sed præter illam ultimam antiquitatem ac hanc neceſſitatem Reip. pluribus penſionibus datum. Neque vero ſine incommodo tam longum diem expectare potuiſſent ſumptum de ſuo facientes ſecundæ tertiæque claſſis homines, nedum qui duodecim millibus æris cenſi, qui & juxta Polybium in legiones ſcripti. At qui potuiſſent proletarii & capite cenſi, qui antiquitus quidem in ſocios navales, a Mario deinde etiam in gravem armaturam adlecti? Data equidem publice frumenta & veſtes fecerint, ut pecuniam non ſemper repræſentare neceſſe fuerit. Sunt tamen ad quæ vita caſtrenſis quantumvis parca, ſicca & ſobria, argentum poſtulet. Præterea nonne omniære ſimul & ſemel numerato, id fuiſſe periculum, ne miles per prodigentiam effundendo, primum luxuria, deinde indigentia ſe inutilem Reip. feciſſet? Itaque etiamſi unum fere libera republica tributum annuum eſſet, etiamſi populi ſtipendiarii ſuo quoque anno ſtipendium penderent, etiamſi imperatoribus ad bellum proficiſcentibus ſæpe reſpublica pecuniam in ſtipendium annuum daret, non tamen hæc continuo numerata, ſed ſervata fuit a quæſtoribus, donec dies ſtipendii veniſſet. Scipio in Hiſpaniam profectus quadraginta talenta Roma portaverat, ſexcenta præterea captiva Carthagine nova expugnata ad quæſtores redegit. Ad Cannas etiam amiſſam pecuniam publicam in ſtipendium inter cætera memini legere. Cæſar Civili I. *Cæſar ſeſtertium ſexagies, quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum depoſuerat, allatum ad ſe ab Duumviris Corfinienſibus, Domitio reddit, ne continentior in vita hominum, quam in pecunia, fuiſſe videatur: etſi eam pecuniam publicam eſſe conſtabat, datamque a Pompejo in ſtipendium*. Ergo neque ſtatim ſimul a Rep. accepiſſent, ut dixi, militi numeraverunt, neque tamen expectatione totius anni cruciaverunt: nam etiam in Italia bellantibus pecunia in ſtipendium data. Idem brevior dies probatur ex Livio lib. XXVII. ex literis *proprætorum ex Sicilia Sardiniaque querentium militi & navalibus ſociis neque ſtipendium, neque frumentum ad diem dari, neque unde detur eſſe: magnopere ſuadere, ut quam primum ea mittantur, ſibique, ſi ita videatur, ex novis prætoribus ſucceſſorem mittant*. *Dari*, inquit, *ad diem*; non datum eſſe, ut oſtendat diem ſtipendii jam ſæpius præteriiſſe. Credibile autem non eſt plures jam annos præterlapſos, priuſquam quererentur de pecuniæ inopia, qui non longius Roma abeſſent. Idem ex Cicerone liquet ad Atticum libro V. epiſtola 14. *Seditio militum ſedata ab Appio ſtipendiumque iis uſque ad Idus Quintilis perſolutum*. Unde tamen nihil præterea elicio certi, cum neque ſatis conſtet, an juſtus hic fuerit dies ſtipendii, neque ſi fuerit, unde computatio hæc deducenda ſit. Nam ſi ab Idibus Januariis, ita

mus mensis compleatur, ea ratione qua sub Imperatoribus, ætate certe Justiniani primus dies quadrimestris tributi Kalendæ Majæ, postremus Kalendæ Januariæ fuerunt, sequitur ætate Ciceronis stipendium neque bimestre, neque trimestre, neque quadrimestre, neque semestre (quoniam nullum horum in Idus Quintilis exit) sed menstruum fuisse. At si primi mensis diem jam velimus venisse Idibus Januarii, non tantum menstrui, sed etiam bimestris vel quadrimestris diei tempus legitimum hoc fuerit. In menses quidem singulos apud Græcos aliasque nationes attributa æra, & apud Romanos sui cujusque mensis frumentum pars & ipsum stipendii, & cum stipendio etiam frumentum datum. Attamen cum etiam frumentum dimensum interdum sine nummis, nec ex eo quod aliquando cum his datum, sequatur eundem semper utriusque diem; cumque sub Imperatoribus quadrimestris, ut supra probavimus, non habeo, unde pro certo adfirmem antea libera republica alium aut breviorem fuisse. Die stipendii miles sub signis compositus omnibusque armis & ornamentis militaribus instructus, non aliter quam ad pugnam ad accipienda commoda sua ducebatur. Auctor Josephus Titum Vespasianum, cum ad Hierosolymas persoluturus esset exercitui stipendium, primum in conspectu urbis hostilis eum ordinasse, eamque speciem justis armis auro argentoque fulgentium, tum visu pulchram, tum hosti maxime formidabilem fuisse. Inde argentum & frumentum data: ea re quatriduum absumptum. Sedens autem pro tribunali præerat huic negotio ipse Imperator præsentia sua & majestate summi imperii fraudationem & omne avaritiæ ingenium coercens, quod nusquam avidius solet grassari, quam in aurea hac messe, in qua præsenti præmio peccatur. Antiquus admodum hic mos & regibus etiam aliis Italiæ, si fides Livio, olim usurpatus. Nam in obsidione Romæ Q. Mucius Scævola castra Hetruscorum ingrediens Porsenam, quem occidere parabat, hoc habitu in tribunali sedentem invenit: *Ubi*, inquit, *eo venit in confertissima turba prope regium tribunal consistit: ibi quum stipendium forte militibus daretur, & scriba cum rege sedens pari ornatu multa ageret, eum milites vulgo adirent, &c.* Præsidente itaque Imperatore & tribunis militaribus citabantur singuli nominatim eisque ad nomen stipendium persolvebatur a quæstoribus, quibus aderant in hoc munere ministri *libripendes* dicti, quod olim asses non numerabantur, sed pendebantur. Tribunorum aliam hac in re partem fuisse quam inspectionem non observo: apud eos enim ut & cætera quæ apud Imperatorem, hæc gerebantur. Per bella civilia & sub Cæsarum imperio stellionatus crimen, redemtiones munerum aliaque prædandi vocabula, per quæ tri-

A buni & centuriones munere suo abusi sunt, grassari demum cœperunt licentia temporum & nimia Imperatorum indulgentia. Sed obviam ferunt quantum licuit, optimi quique. Capitolinus de Alexandro Severo: *Severitatis autem tantæ fuit in milites, ut sæpe legiones integras exauctoraverit, ex militibus Quirites appellans, nec exercitum unquam timuerit, idcirco quod in vitam suam dici nihil posset, quod unquam tribuni vel duces de stipendiis militum quicquam accepissent.* Quæ tamen prædationes non inde fuerunt ortæ, quod ipsi militibus solverent, sed quod milites data pecunia vacationes munerum, commeatum & similia redimerent. Galli e-

B quites apud Cæsarem a præfectis suis nostro more accepisse videntur, inde & fraudatio stipendiorum & delatio falsi numeri equitum, & hæc quoque ex nostra consuetudine: quibus rebus permoti equites Cæsarem adierunt & palam de istorum injuriis questi sunt, libro de Bello Civili III. Nam quamvis perversæ artes tandem in stipendia Romana etiam irrepserint, nunquam tamen tam licenter potuerunt exerceri, ubi neque pecunia ductoribus ordinum concredita & coram Imperatore & primoribus castrorum, atque adeo palam in oculis omnium res fuit peracta. Non hic omiserim pul-

C chrum institutum, quod ne tum quidem totum stipendium militibus daretur, sed pars dimidia apud signa sequestraretur, ut testatur Vegetius, & ibidem ipsis militibus servaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem a contubernalibus posset absumi: *Plerique enim homines & præcipue pauperes tantum erogant, quantum habere potuerint; sepositio autem ista pecuniæ primum ipsis contubernalibus docetur accommoda (nam cum publica sustententur annona, ex omnibus donativis augetur eorum pro medietate castrense peculium) miles deinde sumtus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimi-*

D *cat, more humani ingenii, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est, sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur & saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hæc ratio apud signiferos (ut nunc dicunt) in cophino servabatur.* Adscripsimus totum locum, quia utile imprimis & salutare institutum est, cujus etiam apud Græcos auctor fuit is, qui multarum

E bellicarum rerum, Iphicrates, scribente Polyæno, nisi quod partem quartam stipendii tantum retinuit. Apud Spartianum Pescennius eisdem de caussis jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prælia quod dederant

CAPUT VII.

DE

FRUMENTO ET VESTE.

FRumentum Romani ab antiquo publice militibus præbuerunt: nam in censu Servii ea ætate, qua necdum æra dabantur, auctor est Dionysius contributam a populo pecuniam, quanta opus esset, *εἰς τὸν ἐπισιτισμὸν τῶν στρατευομένων καὶ τὰς ἄλλας χορηγίας τὰς πολε-*

F *μικάς*, Livius etiam duplicariorum jam tum meminit. Hi erant, ut Varro interpretatur, *qui duplicia cibaria accipiebant*. Hac itaque cum exceptione intelligendum, nullum tum militantibus de publico datum stipendium, militemque suis sumptibus militiæ munere functum esse, nisi veli-

A mus etiam tunc frumentum a republica emisse, quemadmodum postea factum fuit. Illud certum, frumentum semper publice datum. Laudabile absque controversia institutum & omnino probandum omnibus, qui neque per causam armorum magna latrocinia exercere & castris rem bene gerere cupiunt. Nam rapto tantum & obvia præda bellum alere fine ulla publica cura, id vero est in diem vivere & omnibus casibus fortuitis exercitum exponere. Mercatores & lixæ non ex commodo ementium panem plerumque venalem proponunt, & prout lucri suaserit cupiditas, militem prædæ habent: nec publice quidem hæc vendi, quamvis B clementi pretio, æque probabile est. Miles enim non optimus pecuniæ suæ dispensator est. Erogat eam in usus non necessarios luxuque & inanium rerum emtione facit, ut mox etiam necessariis destituatur. Inde ubi egere cœpit, incusat præsentia, & quod per prodigalitatem effudit, per scelera reparare gestit. At cum publice accuratur dividiturque frumentum, publico consilio & cura, non temere & fortuito continetur exercitus, & sive superfit sive desit pecunia, miles tamen a fame tutus est, & quod non parum facit ad conservandam valetudinem, æquali semper & bono alimento sustentatur. Quare etiam in hostico, cum omnia abunde C bellum suppeditaret, ab hac ratione discedere non placuit: populabantur & prædas agebant, sed convectatas eas ad quæstores redigebant: hi ordine militibus distribuebant. Ac præter frumentum alia quoque de publico legimus præbita, ut *laridum*, *porcinam*, *salem*, *lentem* &c. Quæ ea de causa in conditis militaribus reponebantur. Divisa interdum & caro & si qua alia præda & in locis, quibus aut commercium nullum aut prædæ multum, frumenti ordinaria & admodum sollicita erat cura. Hoc expedito de reliquo non multum laborabant, quia satis provisum videbatur, quo ne famem exercitus pateretur.

D *Satis est populis fluviusque Ceresque.*

Quæri potest, quamobrem frumentum potius dederint quam panem. Primo ex Romanorum consuetudine hoc potest videri ortum, qui domi antiquitus frumentum, non panem plebi distribuebant. Et fuit ea olim frugalitas & continentia, ut frequentior apud eos pultis quam panis usus esset. Deinde peculiares quoque in re castrensi hujus instituti causæ: frumentum ad portandum habilius & commodius & pane levius. *Lex enim certa naturæ est*, (ait Plinius) *ut in quocunque genere pani mi-* E *litari tertia portio ad grani pondus accedat*. Adde quod disciplinæ interfit adsuescere militem obvio & cum primis parabili cibo, qualis puls & panis subcineritius: nec circumspicere doctas pistorum manus aliaque desidiæ adjumenta, per quæ luxus castra intrare & disciplinam solvere solet. Quare non tantum publice non dederunt, sed nec prostare in castris panem aut ullum cibum coctum voluerunt. Ipsi quin imo Imperatores Romani sequiori jam ævo, ut disciplinam exemplo firmarent, molere interdum sua manu frumentum, pane subitario aut pulte etiam delicatioris palati gregario fastidienda cœnare. Jam olim tamen, quoties id ratio F exigeret, cocta in plures dies cibaria tulere loco frumenti. Livius lib. III. *Quintus Cincinnatus jussit, quicunque ætate militari essent, armati cum cibariis in dies quinque coctis vallisque denis ante solis occasum Martio in Campo adessent: quibus ætas gravior esset, vicino militi dum is arma pararet vallumque peteret, cibaria coquere jussit*. Eodem: *Nihil præter arma & quod cocti ad manum fuit cibi, ferre militi licuit*. Plerumque id imperatum legimus navigaturis, quod in navi non ea commoditas panis faciendi, quæ in terra. Livius XXI. *Ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent*. Et XXXIV. de Catone simulante se partem exercitus in naves impositurum: *Denunciari militum parti tertiæ ex omnibus cohortibus jubet, ut cibum quem in naves imponant mature coquant*. lib. XXIII. *cum triginta dierum cocti cibariis naves conscenderunt*. Sub Imperatoribus medii ævi (quo tempore etiam Romanæ plebi non frumentum, ut olim, sed panis dabatur) nunc panis, nunc *buccellatum*: παξαμάδιον & παξάμας, item βουκελλάτον sequioris ævi Græcis, Glossario vetere, quod citat Rigaltius, βουκελλάτῳ ἄρτῳ ἐλαφρῶς λέγεται κολλίκιον. Hoc genus panis bis cocti fere in expeditionibus militi dividebatur, ut minus obnoxium corruptioni & ad portandum levius: nam eo usque coqui moris erat, ut a pondere primo quartam partem deficeret, ut scribit Procopius. *Expeditionalem annonam* vocat Constantinus Imperator, eamque viginti dierum milites accipere vult: *Expeditionalem annonam ex horreis milites viginti dierum debent suscipere, ut eam transvehant propriis in expeditione necessitatibus profuturum*. Quanquam & panis & buccellatum tum diversis diebus & præter hæc multa alia annonæ nomine præbita, ut vinum, oleum, laridum, vervecina, capitum, & aliæ cellarienses species, ut videre est Codice Theodosiano Tit. *de erogatione militaris annonæ*. Ubi Constantinus Imperator constituit, quid quoque die in militem erogandum, ne ejusdem annonæ satietas caperet. *Expeditionis*, inquit, *tempore buccellatum & panem, vinum quoque & acetum, sed & laridum, carnem vervecinam etiam milites ita solent percipere, biduo buccellatum, tertio die panem, uno die vinum, alio die acetum, uno die laridum, biduo carnem vervecinam*. Jubet idem a Calendis Augusti nec ante capitum præberi & Novembri mense novellum vinum. Et Vegetius more ejus ævi omnino vult frumenti, vini, aceti, nec non etiam salis omni tempore necessitatem declinare. Sed hæc Romanæ disciplinæ non sunt, Vinum quidem in expeditionibus etiam sequiori ætate sæpe vetitum fuit, ut in Pescennio auctor est Spartianus. Neque enim cum nostris ducibus hic fecerunt: qui quicquid est generosioris Bacchi, quia animos viresque auget commovetque & mente incitat, quoties copia est, Marti conducere putant. Arbitrabantur enim non eo confirmari, sed corrumpi & relanguescere animos, inesse luxuriam & malitiam quandam vino, nec tantum animis addere quantum demat obsequio & tolerantiæ laboris: ut omitterent physicas rationes, operosum certe & impeditum trahere tot impedimenta, incedere oneratum tanto apparatu, non cibum tantum, sed etiam potum circumferre, cum rerum natura in plerisque terrarum partibus liberaliter siti prospexisset. Huic adde ingentia impendia, cum aut publice dandum sit, aut certe stipendia lautiora, quibus vinum miles mercetur: adde difficultatem in regionibus incultis, bello vastatis aut vinum non ferentibus. Ne oleum quidem & illam ciborum legem, quibus adsueta gymnasiis corpora ad umbraticam & ludicram virtutem saginantur, strictæ & severæ castrorum disciplinæ convenire. Rusticam quandam & parvo contentam vitam in omnem belli usum prodesse. A labore & patientia animos peti debere. Quamobrem convenientem frumento potum aquam esse duxerunt, aut si ea corruptior esset, paulo aceto miscuerunt. *Poscam* vocitabant. Ac optimi quique Imperatores hic se infimis semper æquaverunt, nec ullum primores inter militesque discrimen esse voluerunt, nullum querelæ locum esse rati communi omnium continentia sublata invidia & luxu e conspectu remoto. Augustus Cæsar ne plebi quidem Romanæ hac

hac in parte indulgendum censuit: querentem enim de inopia & caritate vini populum severissime coercuit: *Satis provisum a genere suo Agrippa perductis plurimis aquis, ne homines sitirent*. Quantum & quoties dimensi fuerint, docet Polybius: *Οἱ τὸ μετρῶαι δὲ μὲν πεζοὶ πυρῶν ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη μάλιστα πως, οἱ δ' ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο.* Medimnus Atticus juxta Suidam sex modiorum Romanorum est, in modio Romano octo chœnices, chœnix justa mensura homini in diem alendo habebatur. Duæ itaque partes medimni, duo & triginta chœnices, quatuor modii sunt legitimum in mensem frumentum, unde & *menstruum* appellabatur. Livius XLIV. *Consul menstruum jusso milite secum ferre profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit*. Servi in mensem totidem modios accipiebant: *dimensum* dicebatur, ut scribit Donatus in Terentium. Quamvis autem ex hoc Polybii loco pro certo affirmari non possit diem, ad quem frumentum debebatur, menstruum fuisse, quia idem de ære militari paulo ante dixit, binos in diem obolos accipere, cum tamen satis constet, æs militare singulis diebus militi non numeratum esse; tamen cum & plebi Romanæ veteri consuetudine quoque mense daretur, cum frumentum militare semper per menses computetur, cumque præterea plus quam in mensem datum nusquam legam, nec, si castra essent movenda, plus humeris inter arma commode portari queat, Polybium hic proprie accipi debere & menstruum hunc diem vulgo fuisse non ambigo. Suetonius Nerone: *Prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum constituit*. Livius XLIII. *Tum Aquilejenses nihil se ultra scire nec audere affirmare, quam triginta dierum frumentum militi datum*. Ex quo colligitur in expeditionibus plerumque minus emensos fuisse; non enim suspicari potuissent, Cassium consulem in Macedoniam profectum, id est, longinquum iter suscepisse, si justa hæc tam in itinere, quam in castris mensura. Interdum in unum & viginti, in viginti, in decem & septem, in octo dies, in dimidiatum mensem, ut plurimum plus quam dimidiati mensis cibaria milites tulerunt, ut ex Cicerone & Lampridio recte colligitur. Dies itaque quo frumentum emetirentur, in stativis menstruus: in expeditionibus, pro re & tempore brevior aut longior erat. Nam quemadmodum frumentum, quod apud quæstorem servabatur, classibus, vehiculis aut jumentis vehebant: ita quod datum erat, humeris, ut diximus, inter arma portabant. Ea re de impedimentorum numero multum recidebatur. Livius: *Interim & Romano, qui expeditus, quantum humeris inter arma geri posset frumenti, secum attulisset, defutura omnia*. In peris autem vel saccis gessisse & Polybius & vetera monumenta testantur. Constantinus Imperator jubet milites & cæteros dignitatibus præditos, annonas & capitum singulis diebus aut certe competenti tempore accipere, priusquam annus elabatur: quod si cessent in eo diemque ultra proferant, id quod non acceperint, fisco vindicari. *Fortissimi*, inquit, *ac devotissimi milites familiæ quoque, sed & cæteri quibuscunque præditi dignitatibus annonas & capitum singulis diebus aut certe competenti tempore, id est, priusquam annus elabatur, de horreis consequantur, aut si perceptionem suam etsi debitam studio voluerint protelare, id quod competenti tempore non perceperint, fisci nostri commodis vindicetur*. Pedites socii idem accepere, nisi quod gratuitum. In equitibus differentia quædam. Nam Romani acceperunt frumenti duos medimnos, id est, in tria capita ut duobus servis instructi: hordei vero medimnos septem, modios duos & quadraginta, chœnices CCCXXXVI. alimentum duorum equorum (præter equum enim bellatorem, jumentum iis fuit sarcinarium ad portandum hordeum, frumentum, pabulum & cætera impedimenta) erit in diem modius & tres chœnices cum quinta parte. Socii vero equites accipiebant medimnum unum & trientem frumenti, cibum duorum capitum, hordei medimnos quinque, id est, triginta modios, & proinde modium in diem, quod unum tantum equum haberent. Centuriones & tribuni ea proportione frumentum qua reliquum stipendium sine dubio acceperunt. Fuere & alii duplicarii, quibus virtutis causa duplicia cibaria attribuebantur; quod præmium tam civium quam sociorum, sicut apud Romanos longe antiquissimum, ita etiam stipendio jam constituto frequens fuit. Livius VII. *Milites qui in præsidio fuerant, duplici frumento in perpetuum; in præsentia singulis bobus donati*. Idem XXIV. *Hispanis duplicia cibaria dari jussa, operaque eorum forti ac fideli persæpe Respublica usa est*. Ubi duplicatum frumentum, non autem stipendium. In triumpho L. Scipionis Africani fratris idem: *Stipendium militare & frumentum duplex post triumphum data: prælio in Asia facto duplex dederat*: quæ dubium de solo frumento, an etiam de stipendio debeant intelligi. In Vegetio habes *armaturas duplares*, qui binas consequuntur annonas, & *sesquiplares* qui unam semis: sed annona more ejus ætatis laxius accipienda est, tam de stipendio quam cibariis. Sed quid ita, quæret aliquis, virtutis causa duplex frumentum dederunt? cui bono hæc munificentia? an cum virtute crescit voracitas, & post egregia facinora alterum tantum jam capit venter? Possem respondere cum Xenophonte, qui Regi Lacedæmonio rum duplicia data scribit cibaria, non quo plus cæteris voraret, sed honoris causa, quo partem cibariorum suorum cui vellet posset largiri. Sed apud Romanos commodo etiam, non tantum honori, ea res fuit. Duplicarii immunes erant, vel principales: servum habebant, cui alendo pars altera frumenti. Ambigas, an & vendere licuerit? Nam Salustius inter probra corrupti exercitus recenset, *frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari*: & nomen est Galbæ factum, qui *militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri, atque is fame extabuit*. Ambigas, inquam, an omnem omnino frumenti emtionem & venditionem condemnent, an tantum quod de dimenso suo, quibus ipsis ad vitam sustentandam erat opus, vendiderint, ac luxus causa pro frumento mercati sint panem; & in Galbæ milite, quod similiter de frumento suo tam immani pretio modium vendiderit. Et sicuti victum, sic etiam vestem militi publice dederunt, & quidem majori cura quam stipendium, cujus dies minori incommodo proferri poterat, paratis quæ ad vitam essent necessaria. Sæpe autem ab ipsa Roma missa. P. & Cn. Scipiones ex Hispania scripserunt Senatui apud Livium lib. XXIII. *Pecuniam in stipendium vestimentaque & frumentum exercitui & sociis navalibus omnia deesse: quod ad stipendium attineat, si ærarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quomodo ab Hispanis sumat; cætera utique ab Roma mittenda esse, nec aliter aut exercitum aut provinciam retineri posse*. Sic & Quintus Marcius consul ex Macedonia literis ad Senatum suis petit vestimenta ab Roma mitti militibus. Nimirum haud dubium esse sciebant, quod Alexandrum Severum ferunt crebro usurpasse, *Militem non timere, nisi vestitum, armatum, calceatum & saturum*: cui consonat Lucani illud:

— *Nescit plebs jejuna timere.*

Avidius Cassius auctore Spartiano arma militum septima die semper respexit, *vestimenta etiam, calceamenta & ocreas*; Maximinus *tunicas & omnia arma quotidie circumspicere calceamenta, quin etiam ipse prospicere* solitus traditur. Ex vestimentis autem militaribus, tunicarum, sagorum ac togarum fere mentio apud Livium fit. lib. LXIV. *Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis Consulis fierent, factum est. C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta tunicarum, equis deportanda in Macedoniam, & præbenda arbitratu Consulis locavit.* lib. XXIX. *Frumentum sex mensium imperatum, sagaque & togæ exercitui*: eodem: *Mille ducentæ togæ brevi, duodecim millia tunicarum missa*: lib. XXXVI. *Togæ quingentæ imperatæ cum quinque millibus tunicis.* Vides non tantum tunicas, sed & togas ad exercitus missas, at pauciores numero ut honestioribus quibusque: ac ita non necessitati tantum, sed etiam decori consultum, stativaque & hiberna induerunt quendam pacis urbisque vultum. Apud Lampridium illo ævo inter vestimenta donata lego *ocreas & braccas & calceamenta.* Sed de genere vestimentorum militarium alibi acturo, hic monuisse satis sit, publice locata & ad exercitus missa. Sed non hæc magis quam frumentum gratuita fuerunt: detractum de stipendio etiam sub Imperatoribus, & publica cura, privatis sumtibus acceperunt: constitutum de stipendio pretium pro frumento, veste & armis militibus deduxisse quæstorem, scribit Polybius: *τὴν πεπαγμένην τιμὴν ἐξ ὀψωνίων ὑπολογίζεται*: non

A addit, quantum, nec an semper idem. Prætorianis quidem sub Imperatoribus ante Neronem, pro modo annonæ in Urbe deduci solitum, testis est Tacitus. De Nerone: *Bina nummum millia*, inquit, *manipularibus viritim divisit, addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Frumentum interdum levi pretio, interdum etiam sine pretio distribuebatur sub primis Imperatoribus. Suetonius Augusto: *Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit.* Sed de tesseris Tacitus; an de vero frumenti pretio loquatur, dubi-
B tes. In hanc quidem sententiam ipsa verba: at in illam Imperatorum erga prætorianos indulgentia nos ducat. Legionibus autem etiam veteri republica, clementi pretio datum cum Lipsio sentio: nusquam enim de gravitate annonæ milites legas queri. Immo Percennius apud Tacitum vestem, tentoria, sævitiam centurionum redimi querens, & omnia invidiose traducens, nihil de frumento loquitur: argumentum, nullam hic justæ querelæ speciem fuisse. Nec immerito suspicatur vir clarissimus, ea ætate *gratuitum militi datum fuisse*, præsertim quia tum passim poscebatur a provincia-
C libus. Mauritius tamen Imperator etiam suo ævo jussit Petro prætori, ut *tertiam portionem togæ in auro Romani acciperent, tertiam in armis, tertiam in vestimentis diversis.* Ex eo autem, quod Tacitus scribit de prætorianis, suspicetur aliquis stipendium militum *annonæ* nomen accepisse, quod scilicet frumentum & annonariæ species pro modo annonæ darentur.

CAPUT VIII.

DE

TRIBUTO ET ÆRARIO.

STipendium militare antiqua republica ex tributo fuit: tributum pro portione census exigebatur. Nam duo alia genera, in *capita* & *temerarium* vulgari usu non erant. Alterum sub regibus ante Servium, a quo census, & ex censu tributum institutum, & iterum sub Superbo Tarquinio qui Servianum morem antiquaverat, usque ad Valerium & Lucretium Coss. cum ad censum reditum. Temerarium non nisi extra ordinem & in ultima reipublicæ necessitate imperabatur. Igitur tributum vetus respublica pro portione census imperavit, æquissimum esse rata, ut pro fortuna publicis quisque necessitatibus subveniret, divites pecuniæ collatione, pauperes liberorum educatione stipendia penderent. Ac præter hanc æqualitatem, qua nihil ad mitiganda publica onera potentius est in ratione exigendi, duo alia non minus laudabilia & plena prudentiæ instituta comperio. Primum, quod Patres ditissimi quique priores conferrent, & quidem publice & summa fide, exemplo suo ad voluntariam collationem & pulchrum adjuvandæ reipublicæ certamen animos excitantes: cujus rei egregium dederunt documentum in primo tributo, quod post constituta militibus æra indictum. Quum enim tribuni plebeii, qui jam antea stipen-

D dia varie ad populum traduxissent, tum quasi occasionem calumniandi nacti, clamarent, *jam demum apparere veneno illitum hoc munus Patrum, edicerentque auxilio sese futuros si quis in militare stipendium tributum non contulisset.* Patres, inquit Livius, *bene cœptam rem perseveranter tueri, conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant; cum Senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici ex composito conferre incipiunt. Quos cum & a Patribus collaudari, & a militari ætate tanquam bonos cives con-
E spici vulgus hominum vidit, repente spreto tribunitio auxilio, certamen conferendi ortum est.* Alterum est, quod singulis annis decreto bello & in præsentem reipublicæ necessitatem imperarent. Quod quoties neglectum, (neglectum autem raro, nisi quod spe prædæ hostilis in finem anni interdum protulerint) res summæ ad plebem invidiæ fuit. Tam enim interest quo habitu animorum, quam quo jure pecuniam cogas. Recenti ira commotis animis, nedum proposito ante oculos quod in rempublicam intenditur periculo, nemo est qui se publicis oneribus, vel velit subtrahere, vel audeat. At ubi ultioni vel securitati consultum, succedunt statim

avaritia, livor, aliique peſſimi affectus, qui in imperatoribus, in magiſtratibus, atque adeo in ipſa virtute & artibus reipublicæ multo optimis, inveniunt ſemper quod carpant & arrodant, & per alias atque alias cauſas & cavillationes ſtudium conferendi imminuant. Raro profecto tantum periculo depulſo ad multitudinem valet gratus animus, quantum imminenti timor. Quare quotannis cum quodque bellum gerebatur, tributum in ſtipendium ejus anni injungebant; & ut videret plebs non abuti Senatum jure ſuo, ſi forte bellum non eſſet, tributo ſuperſedebatur. Livius: *Eo anno maxime levatæ res, quod delectu & tributo ſuperſeſſum.* Igitur proprie ex tributo æs militare; unde enim, inquiebant tribuni, *ſtipendium niſi imperato populo tributo?* Sed rebus ſecundis ab hoſte exactum cum frumento cæteriſque belli impendiis, uti memoravimus. Quanquam ſeverioris quidam notæ Imperatores, qui belli præda locupletari ærarium, & quicquid fortuna dediſſet, extremis caſibus reſervari, nec interim deſueſcere tributo populum vellent, ne tum quidem aliunde quam ex tributo ſumi ſtipendium permiſerunt. Livius X. de triumpho Papirii: *Militibus nihil ex præda datum, auctaque ea invidia eſt ad plebem, quod tributum etiam in ſtipendium militum collatum, quum ſi ſpreta gloria fuiſſent captivæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militi tum dari ex præda & ſtipendium militare præſtari potuiſſet.* Verum his opponere licet aliud genus æquius populo & indulgentius, qui re bene geſta & devictis hoſtibus reſtituerunt etiam, ſi quid in ſtipendium contuliſſet. C Fabricius apud Dionyſium, *Cum imperio*, inquit, *adverſus Samnites, Lucanos, & Brutios miſſus, hoſtes multis præliis fudi, multas ejus regionis partes ſum depopulatus, multas urbes opulentas vi cepi, & devaſtavi, e quibus & omnem exercitum ditavi*, καὶ τὰς εἰσφορὰς τοῖς ἰδιώταις, ἃς εἰς τὸν πόλεμον προσήνεγκαν, ἀπέδωκα, καὶ υʹ τάλαντα μετὰ τῶν θριάμβων εἰς τὸ ταμεῖον εἰσήνεγκα. Mos hic tributa indicendi populo, duravit uſque ad annum ab Urbe condita DLXXXVI. cum triumpho Macedonico L. Paulus omnem Macedonum gazam tantumque pecuniæ in ærarium invexit, ut hæc præda finem populo Romano attulerit tributorum. Neque ex eo imperatum unquam fuiſſe ante conſulatum Hirtii & Panſæ, auctor eſt Plutarchus; cui cur fidem hic non habeat vir doctiſſimus & de antiquitate Romana bene meritus, nullus video. Nam quamvis Oroſius ſcribat, bello Marſico adeo continuis ſumtibus exhauſtum fuiſſe ærarium, ut loca quæ circa Capitolium pontificibus, auguribus, decemviris & flaminibus fruenda erant data, inopia publicæ pecuniæ venierint; neque etiam veri ſit ſimile ærarium tam locuples fuiſſe, ut Cinnæ, Marii & Syllæ temporum licentiæ avaritiæque ſuffecerit; tamen mihi, morem bellorum civilium & libidinem iſtorum conſideranti, tributum per ea tempora collatum eſſe minime ſit probabile. Equidem iſti belli domeſtici victores nihil non ſibi permiſerunt, ac deprædari ſine lege & more ſocios, provincias populi Romani hoſtilem in modum depopulari, ante diem ſtipendia plurium annorum exigere, ſævire in bona, capita, ſanguinem inimicorum ſuorum, victarum partium fortunis abuti, quæque alia ſævitia avaritiaque dictaſſet. Cæterum omnia potius alia, quam recte & ordine agere, aut toti populo Romano, in quo victricis quoque partis homines, tributum imperare. Quare Aſconius, loco quem citat ibidem vir eruditus, cum dicit, inopiæ ærarii per ea tempora multa ſæpe remedia eſſe quæſita: in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quemque eſſent, exigerentur, tributi tamen non meminit; non adeo ipſis Sullanis temporibus, quum Sulla ſumſerit pecunias ex vectigalibus & ærario populi Romani. Ac quum tandem ad tributa reditum, quam inſueta & nova res populo Romano, quamque parum in ea ſubſidii inopiæ publicæ fuerit, res ipſa comprobavit. *Maximus modus*, inquit Cicero, *eſt in republica rei pecuniariæ: obſurdeſcunt enim quotidie magis boni ad vocem tributi, quod ex centeſima collatum impudenti cenſu locupletum, in duarum legionum præmiis omne conſumitur.* Unde & filium ſuum monet dandam eſſe *operam, ne propter ærarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum*; idque ne eveniat, multo ante eſſe providendum. Quæ loca omnino confirmant, quod dicit Plutarchus. Igitur poſt triumphum L. Pauli ſtipendiis victarum gentium, decumis, portoriis, vectigalibus ſcripturæ, ſalis & viceſimæ nitebatur ærarium; quarum rationem ſigillatim exequi, hujus cœpti non eſt, & ad neceſſitatem a viris doctis ſunt obſervata. Auguſtus tandem non ſufficientibus ſtipendio tot legionum conſuetis reditibus, ærarium militare & novos reditus inſtituit, viceſimam hæreditatum, quintam & viceſimam venalium mancipiorum, & centeſimam rerum venalium. Quarum ultimam, centeſimam utique auctionum, ab Caligula Italiæ iterum remiſſam eſſe, ſcribit Dio. Præter hæc in omnibus pæne provinciis tributa in capita & ſolum conferebantur. Pecuniam igitur unde ſumſerint veteri republica, vides. Ea autem ex ærario deprompta tribunis ærariis adſignabatur, & dicebatur *pecunia attributa*. Varro: *Quibus attributa erat pecunia ut militi reddant, tribuni ærarii dicti.* Aſconius: *Attributa pecunia, quæ in ſtipendium militum de ærario a tribunis ærariis quæſtori adnumerari ſolet.* Ille militi, hic quæſtori ait numerari; ſed hunc diſtinctius veriuſque loqui arbitror, niſi forte cum in Urbe præſens ſtipendium militi datum, tribunorum ærariorum hæc fuit provincia; quæſtoris, cum in caſtris. Feſtus cuique legioni tribunum videtur dare: *Primanus tribunus, qui primæ legioni tributum ſcribebat.* Plebeii ordinis homines fuiſſe ſatis conſtat: verum ne quis putet apparitores quæſtorum, honeſtos. Poſtremis enim libertatis temporibus cum ſenatoribus & equitibus Romanis ſederunt judices. An tamen ἀντιγραφεῖς, quales olim Athenis, aut curatores ærarii cum quæſtoribus, quo eſſent etiam a parte plebis, qui viderent an pecunia publica, quæ ex ſenatusconſulto promebatur, bene & in uſus publicos impenderetur; an vero militare tantum æs acceperint, non obſervavi. Scribit Dionyſius jam olim inſtitutos Romæ φυλάρχους vel κωμάρχας, qui tribuni appellabantur, eiſque notum fuiſſe quo quiſque civium habitaret loco. Quos, cum neque plebeii neque militares ſint tribuni, ſuſpicetur fortaſſis quiſquam hos ipſos eſſe. Sed ne a cœpto abeamus, veteri republica plerumque pecunia, hac frumentum cæteraque ad explicandos ſumtus rei militaris neceſſaria comparabant. Interdum miſſis legatis in Apuliam, Calabriam, Siciliam, aliaque loca frumento abundantia coemerunt. Liv. XLII. *Ad frumentum claſſi exercituique coemendum in Apuliam Calabriamque tres legati miſſi.* Interdum publice locarunt & redemtores juſſerunt parare. Prolatato jam imperio decumæ ex agris publicis & populis victis in hunc uſum. Frumentariæ autem provinciæ erant Africa, Sicilia, Ægyptus, Hiſpania, Sardinia, Macedonia, Aſia, Syria, Cherſoneſus. Sub Imperatoribus etiam paſſim a provincialibus ſuppeditabatur frumentum, ut in codicibus Imperatorum obſervare eſt. Veget. lib. II. *Ante igitur quam inchoetur bellum, de copiis expenſiſque ſolers eſſe debet tractatus,*

ut pabula, frumentum, cæteræque annonariæ species, quas a provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis amplior semper modus quam sufficit, aggregetur. Illud autem, licet ab aliis notatum pridem, tamen hic minime videtur omittendum, veteres Romanos tanta animi magnitudine & justitia egisse, ut a sociis, amicis aut victis populis pecuniam, frumentum & cætera bello necessaria non tantum per vim & speciosa vocabula non extorquerent; sed etiam quoties ultro offerretur, ne dono quidem sine gravi causa acciperent. Unum Livii locum describere non gravabor, qui est in trigesimo tertio: *Sub idem tempus legati ab duobus Philippo & Ptolemæo pollicentes ad bellum auxilia & pecuniam & frumentum. Ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti allata. Nihil ejus acceptum. Gratiæ regibus actæ; & quum uterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum belloque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id remissum; Philippi legatis responsum, gratum eum Senatui Populoque Romano facturum, si Manio Acilio Consuli non defuisset. Item ab Carthaginensibus & Masinissa rege legati venerunt. Carthaginenses tritici modium mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium ejus Romam apportaturos, polliciti sunt: id ut ab se munus Romani acciperent, petere se, & classem suorum suo sumtu comparaturos, & stipendium, quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos: Masinissæ legati quingenta millia modium tritici, trecenta hordei ad exercitum in Græciam, Romam trecenta millia modium tritici, ducenta quinquaginta hordei, equites quingentos, elephantos viginti, Regem ad Manium Acilium Consulem missurum. De frumento utrisque responsum, ita usurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginensibus remissum, præterquam si quid navium ex fœdere deberent. De pecunia item responsum, nullam ante diem accepturos.* Eadem fuit Germanici magnanimitas, ne putes, cum libertate hanc animi magnitudinem & abstinentiam plane interiisse: cum enim legiones secunda & quartadecima, quas Vitellio ducendas tradiderat, effusione oceani multum detrimenti cepissent, *Ad supplenda*, inquit, *exercitus damna, certavere Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, quod cuique promtum, arma, equos, aurum offerentes, quorum laudato studio Germanicus, armis & equis ad bellum sumtis, propria pecunia militem juvit.* Quæ etsi credo plerisque eorum, qui hodie gubernacula civitatum tenent, insolentia videri, & ostentationis cujusdam, dignioris scena gaudente vanis, quam curia utilia semper honestis miscente, quando satis bene agatur cum rebus humanis, ubi absunt vis & injuriæ, & nihil accipiatur nisi quod a volentibus offertur; ex vero tamen æstimanti res longe aliter sese habet. Illa enim tam ditia, tam immania stipendia raro ab infirmioribus potentiori mittuntur, nisi quem putent iniquum spe aliqua injusti compendii, aut metu magni mali. Appellent licet munera ambitiosi homines, qui publica calamitate perversam apud dominantes gratiam venantur, & ludant speciosis nominibus, qui vera rerum vocabula de republica tollunt; raro tamen efficient, ut conferentibus gravia non sint, quæ ista ratione extorquentur. Sint tamen interdum haud gravia: nisi in extrema necessitate reipublicæ, pessimi semper exempli sunt. Quod dono datur a populis, deberi sibi putant qui possunt cogere; & nisi iteretur sæpius, odium pro gratia fere reddunt. Neque alia de causa sapientissimi legislatores, præsides & procuratores, & magistratus munera qualicunque nomine vetuerunt accipere; quippe prudentes humani ingenii, cui plus nimio insitum est, honesta præscriptione turpia exercere, & per ejusmodi ludibria grassari. Itaque Romani ut famam justi imperii foris tuerentur, qua non minus quam armis, olim valuere, neque posteritati proderent exemplum, quo via muniretur ad abutendum dominatione, munera sociorum magna ratione & sapientissimo consilio accipere noluerunt. Atque in hoc loco illud quoque est notabile, quod veteri republica arctis rebus, & mox etiam locupletioribus, raro admodum inopia ærarii laboratum. Si quid deerat opum, subvenerunt amor erga rempublicam, virtus & abstinentia Imperatorum. Vix enim bella propter inopiam ærarii omiserunt; aut ubi suscepissent, corrupta disciplina tractaverunt. Ex plerisque autem hic fuit fructus, ut opulentiores redirent & respublica & milites. Quod enim bellum susceptum, unde non pecunia in ærarium inlata? At postquam, auctis in immensum opibus, Romanum nomen terrarum orbem complexum fuit, jam respublica haud paulo egentior facta est: quamvis enim tot populorum stipendiis, tributis & vectigalibus subnixa, & longe ditiorum hostium, quam olim, victrix, eguit tamen semper, & suis subsidiis vix sustentata est. Tanto plus vitiorum quam opum fuit. Sed ut eo, unde diverti, redeam, frumentum & cæteras annonarias species, ut ait Vegetius, Imperatoribus regnantibus, a provincialibus exigebant frumentarii, quorum frequens mentio apud Scriptores ejus ævi. Præfecti item frumentariorum: nec tantum singulis provinciis, sed etiam legionibus erant frumentarii: quod nos docent antiquæ inscriptiones, in quibus *frumentarii legionis* hujus vel illius: hi exactum a provincialibus convehebant ad horrea publica, & castra. Quum autem iidem sæpe præessent cursui publico, literasque sacras ferrent in provincias, & rursus alias ad Imperatorem, quibus Imperatori nuntiabatur, quid ubique terrarum rei gereretur, inde cum veredariis confunduntur; & Latinis *frumentarii* dicuntur, qui Græcis *ἀγγελιαφόροι* & *γραμματηφόροι*, *πτεροφόροι*: & qui postea Latinis *beneficiarii*, *agentes in rebus*, *officiales*, item *curiosi*, *stationarii*, *speculatores*, *opinatores*. Erant enim apparitores magistratuum exigendis vectigalibus, conquirendisque reis, & cæteris ministeriis. Sed qui proprie fuerint *frumentarii*, ipsa vox satis demonstrat. Horrea publica in urbibus, quæ proximæ castris, & quodammodo aptæ sedes belli, ut appellat Tacitus. Livius *Carthaginem novam arcem & horreum* ait Scipioni fuisse: ὁρμητήριον: alii etiam *κέντρα*, *loca opportuna ad rem gerenda & munitissima*, ut dixit Vegetius. Sub Cæsaribus, in omnibus fere regionibus, inque munitissimis eorum oppidorum, quæ proxima limitaneis castris, publica horrea erant. Tantæ autem hæc curæ fuerunt, ut non solum tribuni, quorum peculiare munus esse, probare frumentum, docet *lex 12. ff. de re militari*: sed etiam præsides diligenter inspicerent. Valentinianus & Valens *lege 2. Cod. de Conditis in publicis horreis*, Anthemio præsidi: *Cum ad quamlibet urbem mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputatæ & incorruptæ species præbeantur.* Imo ipsi Principes. A qua providentia curaque laudat Hadrianum, inter cætera, Spartianus: *Laborabat præterea, ut condita militaria diligenter agnosceret, reditus quoque provinciales solerter explorant, ut, si alicubi quicquam deesset, expleret.* De Alexandro Severo Lampridius: *Annonam militum diligenter inspexit; tribunos, qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit.* Atque adeo in morem abiit, ut de annona in horreis recondenda Principi aliquid

offerretur, ut probaret ipse, & videret, an bonum & incorruptum esset frumentum: *probam* vocabant. Ammianus de Constantio: *Eique vehiculis insidenti, ut Principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia: ut ipsi nominant, proba.* *Probam* autem dicebant, ut *curam*, *curationem*, *rogam*, *erogationem*; aut verius, id quod curatur, vel erogatur. Ac præter publica illa, quæ in locis munitis, erant etiam in castris, præsertim stativis, horrea. Frontinus lib. II. *Reliqui ex Variana clade cum obsiderentur, quia defici frumento videbantur horrea, tota nocte circumduxerunt captivos; deinde præcisis manibus dimiserunt.* Livius: *Frumentum, quod ex hibernis secum extulerat, integrum vehens.* Idem: *Hannibal pro Gerionis mœnibus, cujus urbis, captæ atque incensæ ab se, in usum horreorum pauca reliquerat, stativa habebat.* Sed neque hæc ignota sunt, & plura in Pandectis de horreis & horreariis possunt observari. Ne autem exercitus duris rei frumentariæ laboraret subvectionibus, præsidiis, opportunis in locis positis, aut, ut sequens ætas loquebatur, *prætenturis & stationibus agrariis*, solicite providebatur: his, vias militares securas ab incursionibus hostilibus præstabant, quas neglexisse, Imperatoribus crimini imprimis dabatur: unde Cicero Pisoni, inter cætera probra, objicit *obsessionem viæ militaris.* Iisdem præsidiis commercia, alterum inopiæ subsidium, in castra alliciebant. Antiquum valde institutum; cujus primos inventores, Cares fuisse, auctor Ælianus de animalibus. Apud Græcos jam ab antiquo in usu fuisse, ex Homero patet: ἀγορὰν vocant, & ἀγορὰν πολέμου. Ad quæ leges non paucæ in Jure, & apud Historicos extant. In Commentariis Cæsaris mercatores tendunt sub vallo ad portam Decumanam. Frontinus: *Tiberius Gracchus, in Hispania certior factus, hostem inopem commercio laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit; quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reducto exercitu, subito oppressit.* Hinc Quintana in castris forum rerum venalium. Nec solum is erat usus mercatorum, ut necessaria ad castra portarent; sed, ut essent quibus prædam vendere miles posset, ne ea aggravaretur, & alibi, quam in armis, haberet animum. Mercatores tamen, sed rerum non

A necessariarum, lixasque, ab priscæ disciplinæ vindicibus aliquoties expulsos, ejectosque castris, legimus. Alibi commercia sunt jura belli, quæ sunt inter hostes. Sunt enim & belli, sicut pacis jura.

Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior.

Quod vocabulum apud Statium fuisse suspicabamur aliquando:

Quid timidæ sequeris compendia vitæ?

B Ac veteri quidem republica raro admodum inopia rei frumentariæ exercitus Romani laboraverunt, suppeditante republica frumentum & vestes, & ducibus plerumque magna ratione longinqua bella tractantibus: sed Julium Cæsarem in Galliis & bellis civilibus, in illa celeritate incredibili bellandi, aliquoties re frumentaria anguste legimus usum, ut etiam aliquot dies exercitus frumento carens, pecore, *secundo*, ut vocat, *subsidio*, aliisque remediis inopiam tutatus sit: alibi tantam pabuli in castris C suis inopiam notat Cæsar, ut foliis ex arboribus strictis & teneris arundinum radicibus contusis equos aluerint: sed certans plerumque cum egestate patientia militum, omnia superavit. *Non illis hordeum cum daretur, non legumina recusabant, pecus vero, cujus summa ex Epiro erat copia, magno in honore erat*, ait libro III. de bello civili. Lucanus:

—— Vidit miserabile vulgus,
In pecudum cecidisse cibos & carpere dumos.
Et morsu spoliare nemus lethumque minantes,
D *Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.*

Pompejus etiam in bello civili arctis aliquoties commeatibus usus est. Quam rem non tam imprudentiæ summorum Imperatorum adscripserim, quibus nulla facile ætas rei militaris tulit peritiores, quam licentiæ bellorum civilium, quæ disciplinam castrensem & illa subsidia, quæ integra republica præstari solebant, corrupit.

CAPUT IX.
DE
PRÆDA.

PRimi & antiquissimi mortalium, quemadmodum proditum est memoriæ, neque stipendiis de publico, neque multum domesticis rei frumentariæ copiis exercitus juverunt. Neque commerciis tum fuit locus inter arma & homines, jus omne in armis ponentes; qui simul domo profecti & in hostiles egressi essent fines, agebant, ferebant omnia; & tantum quisque stipendii habebat, quantum ab hoste rapere potuisset. Unum erat belli alimentum, unum præmium, præda.

E *Convectare juvat prædas & vivere rapto.*
Sed posteaquam usus & ratio docuerunt, effusis prædationibus irritari magis quam finiri bellum; & res ipsa comprobavit nihil esse salutare in publicum, nec diuturnum, quod absque lege & disciplina administraretur; extitere viri prudentes, qui armis leges darent, qui raptus & cædes, res belluini magis, quam humani ingenii, ad rationis & justitiæ normam exigerent; qui docerent esse sua bello, sicuti paci, jura, & cum tam multa armatis liceant, esse tamen

aliquid, quod & in hostem nefas esset. Sed inter omnes belli partes, nescio an ulla sit, quæ serius apud plerasque nationes, & ægrius leges receperit quam populationes prædationesque: quippe cum plerique homines, quicquid velint, una spe prædæ arma sumant, eoque impendant laborem ac periculum, unde emolumentum sperant; difficile imprimis & arduum est, moderari impotenti huic cupiditati, & imponere in bello modum ei studio, propter quod opera militaria obeuntur. Quod si jam possis, ambigas, an utile sit, cum, sublata bellandi causa, studium simul armorum & militum alacritas retundi videatur & hebetari; præsertim cum plerisque, castra sequentibus, injustum videatur, quod in hostico sua cuique virtus, aut belli fortuna dederit, id ei abjudicari, & in alium transferri: quemadmodum enim ea quæ dominum non habent, & a rerum natura omnibus sunt exposita, sic quoque naturali jure, quæ bello, quo tollitur jus dominii, capiuntur, occupantis esse. Accedit modus ipse prædandi effusus & solutus, quo cum dispergitur miles, & prædæ studio huc illuc se proripit, quodammodo solvitur illis legibus, quæ in cæteris belli actibus eum continent sub oculis ductorum. Hinc est quod pleræque nationes cæteris satis belle compositis, tamen hac parte claudicarint, neque potuerint prohibere, ne prædationes effusa licentia in modum latrocinii exercerentur. Itaque cum in ipso rei actu, ut inordinato & insidiis maxime opportuno, ingentes sæpe calamitates acceperunt, tum cum depopulati hostiles terras, bene magnam prædam avexissent, re ipsa experti sunt, se in nullum, aut parvum admodum, usum laborasse, atque adeo cum in hostico diutius commorandum, non sibi magis, quam hosti nocuisse: miles enim, si suo utatur ingenio, perdere scit aliena, uti nescit. Vix centesimam raptorum partem in bonum & legitimum convertit usum: multa inutilia, & rapienti tantum oneri futura, cupiditate incensus, aufert; mox lassus & fatigatus, etiam necessaria projicit. Adde intemperantiam, in quam se effundit uberiores copias nactus, alea, luxu, libidine, velut præda prædæ suæ agitatur, omnibusque profligandi modis, tanquam male partorum furiis, impulsus, festinat rursus ad inopiam & egestatem. Quare Romani hanc partem tanta prudentia administraverunt, ut bellorum suorum impendia plerumque ab hostibus habuerint, nec tamen in quærenda agendaque præda temeritati, nec in acta luxui dederint locum. Tetigere antea viri literati, ita tamen ut aliquid relinquerent iis, qui deinde ad rem eandem accenderent eamque retractarent. Conjunxi autem in hunc locum frumentationem, pabulationem, prædationem, populationem, & vastationem, atque omnem prædam, quia, quamvis re diversa (pabulatio enim, & lignatio, nisi subvehatur, interdum in pacato necessaria, cætera non nisi in hostico) modo & genere non multum distant. Ac fateor quidem, ubi ab hoste nihil metus esset, hic quoque negligentiores, liberius, vastandi prædandique causa, & pæne in modum latrocinii, in agros interdum se effudisse, quas *effusas populationes* appellant; sed rarius tamen istud, quippe qui dissolutionem etiam odissent, ubi nullus ab hoste metus; memoresque semper essent, nulla re facilius accipi calamitatem, quam per nimiam fiduciam. Ergo sub lege certa, nec passim, nec pauci populabantur: tanta vero manu, quantam res & tempus postulabant, ac alias alia. Aliquando manipulatim: apud Livium Samnites: *Jam ne manipulatim quidem, sed latronum more percursant totis finibus nostris negligentius, quam si in Romano vagarentur agro.* Aliquando per cohortes: in lib. XXXIV. *Frumentatum expeditas cohortes dimisit, quod maturi circa erat, demessum, & convectum est viride, ne hostes mox haberent protritum & corruptum.* Cæsar sæpe & ex consuetudine, se unam legionem frumentatum misisse, scribit IV. Belli Gallici; alibi tres legiones, & omnem equitatum. Bello Africano, ipse, cum triginta cohortibus expeditis, profectus est frumentatum. De Fabio Livius: *Castris, nisi quantum usus necessario cogeret, tenebatur miles: pabulum & ligna, nec paucis petebant, nec passim. Equitum, levisque armaturæ statio, composita instructaque in subitos tumultus, & suo militi tuta omnia, & infesta effusis hostium populationibus præbebat.* Salustius de Metello: *Neque post insidias Jugurthæ, effuso exercitu prædari: ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præsidium agitabant.* De Hannibale, pro Gerionis mœnibus stativa habente, Livius: *Frumentatum duas partes exercitus mittebat, cum tertia ipse expedita in statione erat, simul castris præsidio, & circumspectans, necunde impetus in frumentatores fieret.* Ibidem, tertiam partem exercitus frumentatum ivisse, magnam etiam militum partem in propinquos agros lignatum, pabulatumque sæpe dilapsam, legitur. Livius XLIV. *Quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat.* Sed hæc pluribus quam necesse erat. Numerus enim genusque militum, per quos conficerent frumentationes, populationesque agitarent, quiq; frumentatoribus essent præsidio, pro genere & copiis hostium, cum quibus res erat, pro natura locorum, in quibus præda agenda, mutari solebant; nec aliam accipiebant legem, quam prudentiam Imperatoris. In aperto, & ubi locorum id permitteret situs, dabatur equestris fere præsidii aliquantum, ut qui longius speculari, &, ubi res posceret, laborantibus facile possent adesse. Unde Cæsar ait, *ex consuetudine stationes equitum præsidio missas pabulationibus*; in asperis & silvis contra. Illud tantum a bonis ducibus observatum, ut justum semper ab omni parte præsidium & stationes essent, quo ne quis insidiis hostilibus locus, & ubique aliqua manus esset, quæ subitas hostium incursiones sustinerent. Cum enim sive metendum quod in areis frumentum, sive ex ædificiis petendum, sive hostilis regio sit vastanda, frumentatores & prædatores necessario aliquantum dispergantur, pro magnitudine periculi semper providerunt, ne qua hosti fierent opportuni. Quare & ipsos frumentatores sub signis ire, nec admodum longe ab iis discedere voluerunt; & ne inutile iis fieret præsidium, & ipsi, si qua vis major ingrueret, ad signa se sua possent recipere. Cæsar VI. *Nam & prædæ cupiditas multos longius evocabat, ac sylvæ incertis occultisque itineribus confertos adire prohibebant. Si negotium confici, stirpemque hominum sceleratorum interfici vellet, dimittendæ plures manus, diducendique erant milites: si continere ad signa manipulos vellet, ut instituta ratio, & consuetudo exercitus Romani postulabat, locus ipse erat præsidio barbaris.* Samnites apud Livium: *Magni Dictatores cum Magistris equitum, bini Consules cum binis exercitibus consularibus, ingrediebantur fines nostros, ante explorato, & subsidiis positis, & sub signis ad populandum ducebant.* De Marcello idem: *Nihil Marcellus ita gerebat, ut aut fortunæ, aut temere hosti commissum dici posset, explorato, cum firmisque præsidiis tuto receptu, prædatum iverat.* Nam ut prædatum iverant, sic quoque composito agmine, & recepta in medio præda, ad castra se recipiebant. Hoste autem magno equitatu infestas faciente frumentationes, ineunda aliqua ratio erat, quo eum fallerent, puta ut incertis tem-

A poribus, & diversis itineribus pabulatum proficiscerentur. Cæsar: *Omnes nostras pabulationes frumentationesque observabant, dispersosque, cum longius necessario procederent, adoriebantur, magnoque incommodo afficiebant; etsi, quantum ratione provideri poterat, ab nostris occurrebatur, ut incertis temporibus, diversisque itineribus iretur.* Alia a Petrejo atque Afranio scribit in ejusmodi necessitate factitata: *Alias non longo ab castris progressi spatio, ut celeriter receptum haberent, angustius pabulabantur, alias longiore circuitu custodias, stationesque equitum vitabant, aut aliquo accepto detrimento, aut procul equitatu viso, ex medio itinere, projectis sarcinis, fugiebant.* B *Postremo etiam plures intermittere dies, &, præter consuetudinem omnium, noctu constituerant pabulari.* Ubi intelligi potest, præter consuetudinem militarem fuisse, ut de nocte frumentarentur, nec sine magna ratione; cum neque insidias vitare, neque frumentum, & præda alia, tam facile inveniri queat, atque interdiu. Legimus tamen aliquando factum, ubi minus periculi, ut nec opinantes opprimerentur. De Catone Livius in XXXIV. *Castra biberna mille passuum ab emporiis posuit: inde per occasionem nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium* C *agros educebat. Nocte ferme proficiscebantur, ut & quam longissime a castris procederent, & inopinantes opprimerent: & exercebat ea res novos milites, & hostium magna vis excipiebatur, nec jam egredi extra munimenta castellorum audebant.* Ac præter milites, quicquid esset calonum, servorumque, cum jumentis prædatum vulgo eductum, supervacaneum quoque arbitror monere. Pabulatio quidem frequentissime per servos equitum videtur facta, equitibus in statione manentibus. Cæsar: *Accedebat autem quotidianis pabulationibus id, quod accidere erat necesse, cum raris disjectisque ex ædificiis pabulum conquireretur, ut impeditis lo-* D *cis diversi pabulatores circumvenirentur; quæ res etsi modiocre detrimentum jumentorum ac servorum nostris afferebat.* Apud Leonem, οἱ ὑπηρετοῦντες παῖδες fænum secare, pabulum colligere, & jumenta ad pastum emittere dicuntur. Ac ex his, quæ frumentantes, pabulantes, prædantesque milites in castra convehebant, quæ pluris nummi *argentei essent, extraque hastam, hastile, ligna, pomum, napum, pabulum, utrem, follem, faculam*, omnia ad Imperatorem vel Tribunos referebantur, ut diximus supra in Jurejurando contra furta: hi Quæstori tradebant, qui frumentum quidem & pecuniam adservabat, cæteris divenditis, E pecuniam in publicum redigebat. Apud Dionysium libro septimo: *Decius, Coriolani accusator, dicit, esse apud Romanos legem, quæ spolia & prædam hostilem, etiam quam sua virtute consequantur, publicam jubeat esse; nec militem solum, aut privatos quicquam in hæc juris habere, sed ne ipsum quidem Imperatorem: Quæstorem eam divendere, & pecuniam referre in ærarium. Quam legem nemo unquam ab Urbe condita solverit; sed nec culpaverit, Martio excepto.* Quo in loco aliquot res dignæ observatione occurrunt, & examine: nam nihil, nedum privato, ne Imperatori quidem, in F prædam juris fuisse; eamque legem qui culparet, aut solveret, primum & unum mortalium extitisse Coriolanum, ea ab omni Historia refelli videntur, & redargui. Piget pæne ad exempla ire; tam frequenter etiam prisca republica Imperatores partem prædæ militibus dedere, interdum & universam. Nonne jam olim Tarquinius Superbus Suessa capta, mancipia, cæteramque omnem prædam, aurum, argentumque, decimis, quas in fabricam Templi sepofuit, exceptis, divisit militibus? Omittamus Regem. Nonne Menenius & Posthumius, Sabinis victis, partem prædæ militibus, partem reddiderunt populo, ut reciperet quantum in bellum contribuisset? Nonne Hetruscis devictis, L. Æmilius omnes manubias militi divisit? Nonne L. Cornelius (ipsum in his exemplis testem advoco Dionysium) cætera præda in publicum redacta, militi tamen vestes, & cibaria, & ejusmodi reliquit emolumenta alia? Nonne Servilius, expugnatis hostilibus castris, omnia militi concessit? Servilio, fateor, denegatus a Senatu triumphus, ideo quod omnia ex libidine militi dilargitus, nihil intulisset in ærarium captivæ pecuniæ: quid tamen? an inde effici potest, plane nihil in prædam juris Imperatoribus? Minime. Sed illud refelli videtur, quod ait legem hanc a nemine unquam temeratam fuisse. De M. Posthumio Regillensi Livius: *Huic bellum adversus Æquos permissum est, pravæ mentis homini, quam tamen victoria magis, quam bellum ostendit: Nam exercitu impigre scripto, ductoque ad Volas, quum levibus præliis Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrumpit, deinde ab hostibus in cives certamen vertit; & quum, inter oppugnationem, prædam militis fore edixisset, capto oppido, fidem mutavit. Eam rem magis adducor, ut credam, iræ causam exercitui fuisse, quam quod in urbe nuper direpta, coloniaque nova, minus prædicatione tribuni prædæ fuerit.* Camillus quidem, Veiis in potestatem redactis, quid de præda faciendum censeret, Senatum consuluit. Ibi tum Appius Claudius: *Largitionem novam, prodigam, inæqualem, inconsultam arguit, si simel nefas ducerent, captam ex hostibus, in ærario exhausto bellis, pecuniam esse; auctorque fuit stipendii, ex ea pecunia militi numerandi, ut eo minus tributi plebes conferret.* Sed cum ex præda Vejorum, libera corpora sub corona vendidisset Camillus, eamque pecuniam in publicum redegisset, irata plebes, hoc quoque ei objicit, quod *ad Senatum, malignitatis auctores quærendo, rem sui arbitrii rejecisset.* Idem Camillus postea, Faliscorum captis castris, prædam ad Quæstorem non nisi cum magna militum ira redegit. *Sed severitate imperii victi*, ait Livius, *eandem virtutem & oderant & mirabantur.* Abutar lectoris patientia, si plura congeram exempla; aut ad inferiora tempora descendam, præsertim, cum apud eundem Dionysium, Fabricius, oblatam a Pyrrho pecuniam accipere recusans, dicat, sese cæsis Samnitibus, Brutiis & Lucanis, multisque captis civitatibus, & regionibus devastatis, milites ditasse, & civibus reddidisse, quantum in tributum contulissent: sed insuper etiam addat, ex illa præda sibi quantum voluisset, bono titulo sumere licuisse, quamvis opibus, jure oblatis, ipse abstinuerit, Valerii Publicolæ, aliorumque principum exemplo. Quid igitur dicemus? tot, tantosque viros, violatarum legum reos? An Dionysium parum hic memorem fidei historicæ? Neutrum arbitror. Accusatorie quidem ista Decius, legem a nemine unquam violatam, nihil, ne Imperatori quidem, juris esse in pecuniam prædatitiam; unum esse inventum, post Urbem conditam, Coriolanum, qui privatus violaret legem, quam Imperatores Populi Romani semper habuissent sanctam, & inviolatam. De lege tamen quod ait, dubitandum non est. Pecuniæ bello captæ ratio erat reddenda, & ad ærarium referenda: certissimum argumentum, publicam fuisse: videre hoc est, tum in aliis quam plurimis, tum in fratribus, Publio Africano & Lucio Asiatico Scipionibus. Petillii enim, tribuni Plebis, urgebant in Senatu, ut pecuniæ Antiochenæ, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim *L. Scipioni Asia-*

tico, fratri suo Imperatori in ea Provincia legatus. Ibi Scipio (verba quæ sunt apud Gellium recito) *exurgit, & prolato e sinis togæ libro, rationes in eo scriptas esse, dixit, omnis pecuniæ, omnisque prædæ: illitum, ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia: eumque librum statim coram suis manibus discidit, & concerpsit, ægre passus, quod, cui salus Imperii ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Publica igitur Populi Romani fuit omnis præda. Verum hanc legem, nec alii Imperatores, nec ipse proprie Coriolanus videtur violasse, præda militi concessa: nam Imperatores, quemadmodum de pecunia a republica data, ita multo magis de præda ab hoste capta, milites bene meritos donare potuerunt, ista quidem lege, ut omnia in tabulas publicas referrent, munerumque militarium æque, ac cæterarum rerum redderent rationem. Invaluitque hic adeo mos, ut hoste victo, fere militi aliquid, prædæ nomine, daretur; interdum etiam pro aliis laboribus fortiter sustentatis. Cæsar de Bello Gallico lib. VII. *Ex reliquis captivis toto exercitui capita singula prædæ nomine distribuit.* Hirtius lib. VIII. *Cæsar militibus pro tanto labore ac patientia, quod brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, studiosissime permanserant in labore, ducenos sestertios centurionibus, duo millia nummum prædæ nomine condonanda pollicetur.* Ac quamvis permissum esset Imperatoribus, facere, quemadmodum e fide sua, & e republica ducerent, tamen veteri republica boni viri id imprimis egerunt, ut ex pecunia prædatitia stipendium annuum præstarent; deinde, ut militi aliquid prædæ nomine darent; tertio, ut etiam aliquid inferrent in ærarium. Ambitiosissimus quisque militaribus commodis plusculum indulsit: gloriæ vero & priscæ severitati dediti, in ærarium pleraque intulerunt. Quantum autem ad ipsos Imperatores attinet, partem aliquam prædæ in suum sæpe usum convertisse, quæ sunt hominum ingenia, non est ambigendum: sed non tam concesso jure, quam malo more, favore Populi, & laurea bene parta obumbrantibus crimen peculatus. Qua enim fronte se ipsos donare? quo exemplo, sibi partem prædæ attribuere potuerunt? quo in titulo in rationes publicas referre, quod ipsi intervertissent? Alio nomine hæc in tabulas referenda fuerunt, & falso expensorum titulo decipienda respublica; quod nemo unquam bonus fecit. Bonorum optimi, justa virtutis præmia, sed cum aliquo emolumento conjuncta, ne suis quidem concessere, non satis habentes culpa carere, nisi ab omni insuper suspicione essent liberi. Valerius: *Calpurnius Piso, gravi fugitivorum bello a se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat, Imperatorio more, donis prosequebatur; inter quos filium suum locis aliquot præliatum fortissime, titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit, præfatus, non oportere a Magistratu e publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset.* Idem: *Q. Fabius Gurges, Cn. Fabius Pistor & Q. Ogulnius, legati ad Ptolemæum regem missi, munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem priusquam ad Senatum legationem referrent, detulerunt; de publico scilicet ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes.* Quare apud Pyrrhum Fabricius (ut quidem eum inducit Dionysius) quo ostenderet parandarum sibi opum, si ea esset libido, facultatem & occasionem non defuisse, pravam consuetudinem pro lege, & licentiam pro jure accipiens, oratorie magis quam vere, jactat, se justo jure, quantum voluisset, ex præda potuisse avertere. Sed ut ad cœptum revertamur, præda etiam, quæ militi concedebatur, raro admodum diripienda dabatur. Permisere id quidem interdum Imperatores in arduis rebus, ut augerent alacritatem, & incitationem animorum. Gaudet enim miles, & incenditur spe inani, & cum fortunæ res permissa est, ingentes divitias, & tantum non aureos montes sibi pollicetur. In æquali partitione nemo metuit, ne fraudetur parte sua; verum non nisi mediocrem, non nisi tenuem & miseram prædam expectat. At cum cujusque, quod manu ceperit, fore scit, blanditur sibi magna spe; & quod aliquando uni atque alteri raro fortunæ munere contigit, sibi quisque prædestinat. Sed quum ita incitati animis milites vix retineri queant, quin simul obstantia perruperint, ferroque submoverint hostilem turbam, ad diripiendum alius alio, disciplinæ immemores, dilabantur, eaque confusione, conversa sæpissime sorte, a victoribus victi, perculsi, & magna castigati clade, luant avaritiæ pœnam, Romani in universum hanc rationem minime probaverunt, tanquam disciplinæ inimicam & ancipitem. Raro admodum & extra ordinem, ut diximus, id usurparunt; & ea plerumque lege, ne cui, nisi pugna finita, & dato signo, ad prædam discurrere liceret. Cæterum vulgo, & ex lege, omnia ad tribunos retulerunt, qui non tantum iis qui prælio interfuerant, sed & qui castris præsidio relicti, quique in statione positi, aut alio missi; imo etiam iis, queis morbus causa absentiæ, summa fide æqualiter partiebantur. Quod institutum Romanorum dicam, an divini Legislatoris (hic enim idem jubet) quia disciplina utilissimum, & justitia sanctissimum, admodum extollit Polybius, & omnibus qui armorum studium ratione promovere cupiunt, auctor est, ut adsumant & imitentur. Quoties autem incitari & commoveri animos, res & ratio postularet, non prædandi fortunæ rem permisere, quæ sæpe in indignos cadit, cum fortissimus quisque bellator segnior fere prædator sit; sed virtuti ipsi, veluti si quis hostem loco pepulisset, aut primus murum ascendisset, digna præmia constituerunt. Sed hæc alterius loci sunt.

C A-

CAPUT X.
DE
VICTU MILITUM.

Ut ventum ad sedes, Hæc, inquit, limina, victor
Alcides subiit: hæc illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni, non asper, egenis.

A

Liceat mihi nunc tabernacula subituro, convictumque & interiorem militum vitam inspecturo, divinis Evandri apud Poetam verbis uti; quibus contemtum opum luxusque, vitam parvo contentam, & fæcundam virorum commendat paupertatem. Hæc enim prima omnium requirunt castra: hæc sunt istorum sacrorum initia. *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit*, inquit ad martyres Tertullianus, *nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis & substrictis, ubi omnis duritia & imbonitas & insuavitas consistit*. Nolim tamen in limine quisquam terreatur duris rerum vocabulis: introeat, quicunque luxu non est perditus; aptissimam illam ad virtutem, ad victoriam & gloriam, vitam, quam proponimus, illam decantatam antiquorum duritiam, minus difficilem & duram inveniet, atque hanc, quam hodie maxima pars humani generis vivit; nulla bona causa, sed avaritia & libidine imperantium, & iniquitate temporum, non exigunt tantum virtus, & disciplina castrorum, quantum nunc aliena imponunt flagitia. Ac si bene rem examines, vita hæc castrensis non alia est, atque illa quam prisci Quirites domi vixerunt; & sicubi divertit, habet tamen sanctæ Antiquitatis quandam similitudinem. Pulte & pane negligenter facto, diu antiqui illi Romuli nepotes propagarunt vitam, qui fuit deinde castrensis victus. Mensis utebantur quadratis, quæ *cibillæ* vocabantur: ejusdem formæ in Castris ex cespite struebantur. Varro: *Mensam escariam cibillam appellabant, ea erat quadrata, ut etiam nunc in Castris*. In Castris culcitra uti non licuit. Scipio enim, auctore Appiano, ad Numantiam, cum habere culcitras vetuisset, ipse, quo exemplo firmaret disciplinam, fœnea culcitra usus est. Igitur super fœno vel stramento somnum capiebant milites. Sed & priscorum Romanorum requies & somnus, teste Plinio, in stramentis. Hinc lecticæ & segestria. Varro: *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas, ut etiamnum fit in Castris*. Idem: *E segete segestria appellabantur, ut etiam nunc in Castris*. Lecticæ autem hæ lingua Sabina *cubæ* dicebantur: Græce χαμεινάδες. Vasa pauca & vilia: talia & Antiquitati. Tria autem ad victum in Castris licita fuisse, idem ille disciplinæ ad Numantiam Instaurator, nos docet. Nihil enim militi permisit habere, præter ollam, veru, & poculum. Ollam æneam, poculum ligneum. Permisit autem, non jussit. Neque singulos milites veru tulisse, nec etiam poculum, arbitror. Galea certe portasse legimus aquam. Tibullus:

B

Et fesso galea qui sibi portet aquam.

Tradit & Appianus, Antonii milites bello Parthico in locis aquarum inopibus, non tantum utribus, sed etiam galeis tulisse aquam. Ac duobus illis olim contentus fuisse legitur Epaminondas. Frontinus: *Epaminondas, Dux Thebanorum, tantæ abstinentiæ fuit, ut in supellectili ejus, præter abenum & veru unicum, nihil inveniretur*. Copiosiores fortasse Romanorum Ducum quidem; non tamen multa, nec argentea, aut pretiosa fuit supellex, sed, prisco more,

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco ferrata camino
Omnia.

Livius in præda Cannensi: *Præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum (nam ad vescendum facto perexiguo utique militantes utebantur) omnis cætera præda diripienda militi data est*. *Exiguo* inquit, non *nullo*. Nam pateram & salinum, ut dis sacra, ex argento habuere, & quidem sola. Fabricius certe, bellicosos Imperatores plus quam pateram & salinum ex argento habere vetuit. Miles saccum præterea habuit, quo ferret cibaria; & singula contubernia, uti videtur, molam manuariam. Alia etiam quædam apud Historicos, & in priscis monumentis: sed nobis necessaria tantum hic tangere, est constitutum, & de bellicis instrumentis alius locus est. Bis autem die cibum ceperunt; & quidem dato signo totus simul exercitus. Nam quamvis alia aliis Veterum consuetudo esset, ut quidam jentaculum, prandium & cœnam sumerent, alii jentarent tantum & cœnarent, alii pranderent cœnarentque, quidam etiam ad cœnam usque jejuni manerent: in Castris tamen, prandium & cœna tantum notæ sunt, ideo in prandii nomen, etiam matutinum cibum venire observes. Prandii hora in Urbe fuit meridies, vel septima: nec alia vulgo in Castris. Frontinus de Masinissa, ad Romanam disciplinam se componente, scribit: *Nonagesimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem, vel ambulantem, capere cibum solitum*. Aliquando tamen, præsertim cum in hostem educendus esset exercitus, tempori, etiam summo interdum mane prandebant. Livius IX. *Extemplo tesseram dare jubet, ut prandeat miles, firmatisque cibo viribus, arma capiat*. Idem XXVIII *Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri quique curati & pransi essent; armatus eques frenatos instratosque teneret equos*. Leo: *Curæ tibi sit prandium militum. Nam si communi consilio decreta est pugna, quo tempore optimum judicaveris, prandeat miles. Instante acie, miles mane prandeat, ut magis firmus sit, & per totum diem, si tamdiu duret prælium, minus deficiat viribus*. Vegetius, *Veteribus sæculis mos fuit*,

C D E

A *parco cibo curatos milites ad certamen educere, ut citatiores sumta esca redderet, & longiore conflictu non fatigarentur inedia.* Peccatum certe, apud rei militaris peritos, non vulgare habebatur, educere jejunum exercitum qualicunque diei hora: quod aliquoties insignium causa fuit calamitatum. Frontinus: *Scipio in Hispania cum comperiisset Asdrubalem, Pœnorum ducem, jejuno exercitu mane processisse in aciem, continuit in horam septimam suos, quibus præceperat ut quiescerent, & cibum caperent; cumque hostes inedia, siti, mora sub armis fatigati, repetere castra cepissent, subito copias eduxit, & commisso prælio vicit.* Livius
B XXVIII. *Procedente die jam vires etiam deficere Asdrubalis exercitum caperant, oppressos matutino tumultu, coactosque prinsquam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire.* Ante prælium ad Trebiam, notat Livius, Hannibalem ducibus equitum peditumque præcepisse, ut prandere omnes juberent armati, deinde instratis equis signum expectarent: Sempronium vero raptim eduxisse homines atque equos, non capto ante cibo, non ope ulla ad arcessendum frigus adhibita. Unde & a *parando* deducunt quidam *prandium*, quasi *parandium*. Trebellius Pollio Salonino Gallieno: *Nam quum cingula sua plerique militantium, qui*
C *ad convivium venerant, ponerent hora convivii, Saloninus puer, sive Galienus, his auratos constellatosque baltheos repuisse perhibetur: & quum esset difficile in aula Palatina requirere quod periisset, & taciti militares viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad convivium cincti accubuerunt, quumque ab his quæreretur, cur non solverent cingulum, respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum aliunde plerisque videri hujus rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium (quod dictum est*
D *prandium ab eo quod ad bellum milites paret) a cinctis initum: cui rei argumentum est, quod a discinctis etiam cum Imperatore cœnatur.* Descripsi totum locum, quod obscurus est; & viri doctissimi celeberrimique, in notis ad scriptores Historiæ Augustæ, in eo explicando dissentiunt. Casaubonus putat, Imperatorem ad prandium, non ad cœnam solitum Duces suos invitare, idque appellatum esse militare prandium, ad eas epulas convenisse militares viros accinctos, ita discubuisse servato in Aula disciplinæ militaris more. Quærentem itaque Trebellium, unde mos sit ortus discumbendi eo loci cum gladiis, afferre de Salonino
E historiolam, quæ videatur orginem mori dedisse. Verum aliis videri non ab eo casu ortam consuetudinem; sed ipsam convivii institutionem id exigere, probare primum, ex ipso nomine ducto argumento; quippe id convivium, non cœnam esse, verum prandium, neque prandium simpliciter dici, verum militare prandium, ex eo, quod ad bellum milites paret: & si verum esset cœpisse Duces cum gladio discumbere in convivio Principali, occasione Salonini, aut reverentiæ in Principem gratia, semper fore ut id servaretur, quoties aliquis vir militaris epulis interesset. Atqui non ita fieri: nam ad cœnam vocatos etiam discinctos accumbe-
F re. Salmasius, ut omittam priores correctiones, quod pro constellatis baltheis legit *pustulatos* vel *costulatos*, & pro militaribus viris, *ex militaribus viri*: neque enim ad rem nostram faciunt, neque tam probabiles sunt, ut suadeant rejicere vulgatam: in libris ait inveniri *parandium*: deinde legit, *quod ab his cinctis etiam cum Imperatore cœnatur*. Trebellium enim, tractantem de origine ejus moris, quo cincti cum Imperatoribus discumbebant, dicere, quosdam ad Salonini hanc fabulam referre: alios aliunde deducere. Prandium militare dictum, quod milites ad pugnam paret; cinctos autem pransisse, ut statim a pugna, nulla oblata mora, pugnam capesserent. Hinc proverbium, *pransus paratus*. Nam pransos milites ad pugnandum paratos fuisse. Quod verum esse, etiam illud argumento esse, dicere Trebellium, quod etiam cincti cum Imperatore cœnent: nam etsi ad Imperatoriam cœnam rogati, non militariter cœnent, nec prandeant; tamen ad illum morem respicientes, etiam cum Imperatore cœnantes discumbere. Hunc verum loci sensum, veram lectionem fuisse: Falsa tamen esse omnia, unde illius moris originem repetunt. Sciendum esse ita cinctos cum Imperatore cœnasse milites, ut reliquos omnes togatos: quod enim militi cinctus, id non militi togam; nemini autem togato, qui Imperatoriæ cœnæ interesset, licuisse esse non togato: nam qui palliati venissent: togam coactos accipere. Magistratibus non licuisse ad Imperatorem accedere, nisi cum magistratus insignibus: nec togatis, nisi cum toga. Itaque eandem rationem esse, qua milites cincti, qua togati, cum Imperatore cœnent. Hæc ille. Equidem verum est, & probaverat ex Chrysostomo Casaubonus, nemini, nisi ornamentis suis instructo, ad Imperatorem accedere fas fuisse; togatis cum toga, palliatis cum pallio, magistratibus cum suis quique insignibus. Nec minus verum, militarium virorum proprium, esse cinctum; unde *cincti* pro militibus, *discincti* pro dimissis accipiuntur. *Si quis apud Daphnidem cinctus inveniretur, discinctus rediret.* Et inter pœnas militares, *discinctos stare in principiis*: in Codice Justiniani, *cingulum militiæ*. Hoc tamen etiam non est ignorandum, honestiores militarium, & Romanos in urbe Roma, & in provinciis etiam, utique in hibernis, toga usos, non tantum cinctu. Ideo togæ ad exercitus mittebantur; & distinguebantur togati a palliatis, sagatisque. Suetonius Julio: *Convivatum assidue duobus tricliniis; uno, quo sagati palliatique; altero, quo togati cum illustrioribus Provincialibus discumberent.* In Italia certe plerumque togam sumebant: quod & Antonium olim fecisse, & milites facere jussisse, tradunt. *Hinc togata cohors*, cohors Prætoria Tacito. *Mars togatus*, apud Martialem:

Ille sacris lateris custos, Martisque togati.

De Hadriano Spartianus: *Ipse quum in Italia esset, semper togatus processit.* Ac togatos aliquando discubisse Imperatores, in hoc ipso Spartiani loco observari potest. *Ad convivium*, inquit, *venientes, Senatores, stans excepit, semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga*: quod tamen ut singulare in Hadriano notari videtur. Ac in ejusmodi conviviis, quibus ipse Imperator hoc habitu, Senatores quoque & militares suo haud dubie accubuerunt. Cæterum neque vulgo, neque plerumque hoc ornatu convivia celebrarunt, sed cœnatoria veste: ponebant enim tantisper personam, & cum aliis convivebant. Martialis:

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque Senatus;
Dumque decent nostrum pilea sumta Iovem.

Unde & Neronem synthesina indutum prodiisse in publicum, sine cinctu, & discalceatum, habitu nimirum convivali. Ad hæc convivia ab Imperatore vocati, veniebant quidem ornatu dignitati convenienti, togati, palliatique, & cincti, sicuti etiam ad privata convivia, peccabant, qui aliter in conspectum prodirent Principis. De Severo Spartianus: *Quum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, to-*

gam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit. Non ait, eum togatum accumbere debuisse, sed venire ad cœnam. Idem de Hadriano: *Senatores & equites Romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi a cœna reverterentur.* Ad cœnam ibant togati, neque sobrii habitum vultumque bacchantium induebant; quia autem intempesta sæpe nocte, certe non de die redirent, & paulo fere hilariores, permisit iis tum absque toga domum repetere. In convivio autem Imperatorio etiam vestem cubitoriam sumsisse, testis est in Maximino Juniore Capitolinus: *Ipse puerulus*, inquit, *quum ad cœnam ab Alexandro esset rogatus, in Patris honorem, quod deesset ei vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.* Idem Sidonius ostendit libro epistolarum primo, de convivio loquens Imperatorio. *Paulum e prospectu Imperatoris processeramus, atque etiam nunc chlamydibus induebamur.* Ubi intelligere licet resumtam, quam in convivio exuerant, chlamydem. Quæ cum ita sint, nec mos hic in Aula Palatina fuerit ordinarius, certe non perennis, satius sit abstinere manus, &, cum Casaubono, hunc locum interpretari. Quidam, inquit, a Salonini fabula derivant hunc morem, quod a cinctis cum Imperatore convivium ineatur: alii a militari prandio (nam qualemcumque Imperatoris cœnam, sive prandium, convivium isti vocant,) quia id tantum in prandiis & severioribus cœnis fiat; in lætioribus vero etiam discincti cum Imperatore accumbant. Origo autem vocis, ut ad cœptum revertamur, a *parando*, absurda non videtur; quia fere ante pugnam, quum se pugnæ pararent, prandebant; sæpe etiam summo mane, præsertim cum etiam in civili vita prandium cum jentaculo confundant Veteres, & antiquitus prandium dixerint, quod deinde jentaculum. Nam Festus & Nonius testantur, dictam cœnam Antiquis, quod postea prandium; vespernam, quæ cœna. Ex quo sequitur, etymon Plutarchi ἀπὸ τοῦ ἐνδιάζειν, verum non esse. Festus utramque opinionem in loco mutilato proposuerat: *Prandium ex Græco* (ostendit, quod sequitur, aliam quam hanc opinionem adjectam fuisse, minime enim quadrat) *est dictum; nam meridianum cibum, cœnam vocabant. Fuisse igitur videtur prandium ex Græco* ἔνδιος; *vel a parando est dictum, nam* &c. vel tale aliquid. Græcos olim etiam de mane pransisse, idem observat Plutarchus: Homero enim ἄριστον, quod Eumæum prima luce jubet apparare, idem esse, quod vulgo ἀκράτισμα; dictumque videri, quasi αὔριον. Prandebant autem Romani, ex disciplina militari, accincti & stantes, ut ex Antiquorum testimoniis viri docti pridem probaverunt. Apud Petronium Eucolpius, cum ad ulciscendam injuriam, sibi a Gitone factam, se accingeret: *Hæc locutus, gladio latus cingor, & ne infirmitas militiam perderet, cibis excito vires, mox in publicum prosilio.* Quod, quia duri & adstricti moris erat, pœnæ loco interdum imperatum, ne unquam, nec cœnantes, aliter cibum caperent. Livius lib. XXIV. *Citatosque singulos jurejurando adigam, nisi queis morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potumque, quoad stipendia facerent, capturos.* Rebus etiam asperis & difficilibus, idem noto fecisse. Quintilianus milite Mariano: *Cum alii vallum fossasque, scutis innixi, cingant, cibum ipsum stantes capiant, Tribunus inter scorta volutabitur?* Stantes igitur prandebant, vel etiam ambulantes; præsertim in itinere. Frontinus loco jam citato: *Masinissam ante tabernaculum stantem, vel ambulantem, capere cibum solitum.* Idem: *Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, vesci solitum.* Ubi & hoc in Ducibus notandum, quod in

A propatulo, tam prandium quam cœnam inirent. De Alexandro Severo: *Apertis papilionibus pransum, & cœnatum esse, tradunt.* De Pescennio Capitolinus: *Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumsit, ante papilionem; nec sibi unquam, vel contra imbres, quæsivit tecti suffragium: ante omnes*, id est, in propatulo, in conspectu omnium, *cunctis videntibus & gaudentibus*, ut ait de Severo Alexandro Capitolinus; ut, *ante ora*, apud Virgilium. Vopiscus Aureliano: *Vehementissime autem delectatus est Phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die, ante mensam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet.* B Publicum convivium appellant scriptores Historiæ Augustæ; & fere distinguunt a privato. De Alexandro Lampridius: *Pranserat forte publico, ut solebat, convivio; id est, apertis papilionibus, cibo militari accepto.* Quod ipsum ex antiquitate urbana, Valerius: *Fuit illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiæ certissima index. Nam maximis viris prandere, & cœnare in propatulo, verecundiæ non erat; nec sane ullas epulas habebant, quas oculis populi subjicere erubescerent.* Res profecto perquam popularis, & in vulgus castrense longe gratissima, vere publicum convivium, C quod non luxu gulæque irritamentis, paucos vocatos, sed frugalitatis & continentiæ exemplo, omnes juvit. Nemo se arcte contenteque haberi sensit, cum Imperatori & principibus viris adæquabatur. *Pane*, inquit, *accepto vescebatur.* Ex castrensi hoc dicam, an medica disciplina? jubent enim id veteres medici. Μόνον τὸν ἄρτον, vult accipi Galenus. Celsus: *Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & id ipsum siccum, sine carne & potione sumere.* Seneca de suo prandio: *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium.* Hinc panem comedere, & panem siccum comedere, est jen- D tare, vel prandere. Nam multi solo pane contenti erant: qui aliquid cum pane, sumebant palmulas, vel caricas, vel mellis, vel salis aliquid, vel casei. Martialis:

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Testino de grege massa venit.

Plerique certe frigida tantum. Julius Capitolinus de Gordiano: *Frigidorum percupidus, nec facile per æstatem, nisi frigidas, & quam plurimas bibit; & erat corporis vasti, quare magis ad frigidas unguebatur.* Nihil hic necesse est legere *frigidas*, & intelligere *mensas*; multo minus *edit* scribendum est, ubi est *bibit*. Frigida enim hæc, tam E cibum, quam potum denotant. Deinde speciatim de frigidis aquis loquitur. Non ignoro, quæ sint ψυχραὶ τράπεζαι: sed hic *frigida* recte legi contendo, quæ sæpe in prandio, & sine mensa, sumebantur; ut in illis Spartiani, qui tradit Pescennium, militibus, qui raptum gallum gallinaceum comederant, addidisse hoc, pœnæ loco, ut in tota *expeditione, in communipulatione, nemo focum faceret, ne unquam recens coctum cibum sumerent, sed pane & frigidis vescerentur, oppositis speculatoribus, qui id curarent.* Ubi profecto mensæ intelligi non possunt. Injunxit autem hic F Pescennius his militibus, ut non aliter cœnarent, quam vulgo prandebant. In prandio enim panem, & si quid esset frigidi, & cocti ad manum cibi, sumere licebat: focum facere, & cibum coquere vetitum erat: ἄπυρον τροφὴν vocant: ἄπυρον ὄψον Polyænus: Ἐκέλευεν ἀριστᾶν ὀρθοὺς ἄπυρον ὄψον. *Jussit stantes prandere frigidis.* Ita enim rectius vertas, quam cibum incoctum, vel crudum: vox enim ista non semper denotat quod igni admotum non fuit, sed etiam quod igni non admovetur, calidum, & ab igne recens non est. Sic

Catonem, δεῖπνον ἀφελὲς, ϗ ἄριϛον ἄπυρον, prisco more, amasse scribens Plutarchus, non intelligit cum crudis & incoctis tantum (nam ne pane quidem vesci potuisset) pransum, sed frigidis: pane solo, vel cibo non recens cocto, ut dixit Spartianus: aut quem coqui non esset necesse, qualia poma & olera quædam &c. Leviter igitur prandebant: hoc est, quod *cibum vilem brevemque* dixit Marcellinus, de Juliano suo loquens. Plinius: *cibum levem & facilem*. Frontinus: *pane vesci*. Ab simili frugalitate Orientalium, etiam illud est, quod apud Hebraizantes Novi Instrumenti scriptores, ὁ ἄρτος, pro victu, & quolibet cibo ad vitam sustentandam necessario, sumitur; unde & Dominus nos jussit pro rebus ad hanc vitam necessariis, panem duntaxat Deum orare. Lautius quidem prandere, & in prandio largius se invitare, cum primis vitio dabatur, etiam in communi vita, nedum in militari; ubi prandebant, ut paratiores essent ad obeundos labores: hinc *pransus paratus* Proverbium; cui alludens Cicero opponit in Miloniana, *pransus potus*: *Adde inscitiam pransi poti oscitantis Ducis*. Nam rarissimi quidem vinum; multi in prandio nec bibebant, quidam perfuso aqua pane, cucumere aut lactuca sitim levabant. Suetonius Augusto: *Neque temere interdiu bibit; pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, aut lactuculæ thyrsum, aut recens ardumve pomum succi vinosioris.* Sed nos pæne jam hæremus in hoc prandio diutius, quam ex disciplina militari licet. Cœnæ hora apud veteres nona, vel decima; otiosi temporius, serius negotiosi cœnabant. In castris Livius IX. *Nihilo quietior Romanus exercitus imperio ducis continetur: decima erat fere diei hora, quum cibum capere Consul milites jubet, præcipitque, ut in armis sint, quacunque diei noctisve hora signum dederit*. Et in XXIII. *Et ad decimam diei horam coactis militibus, corpora curare, somnoque operam dare, ut primis tenebris convenire ad signum possint*. Possit hic videri paulo maturius extra ordinem cœna imperata; labente tamen die, Prætorio misso justum tempus, quia finita cœna, vigiliarum initia signo dato nuntiabantur. Congruit id Cyri instituto; cujus milites, dum luceret, cœnasse, scribit Xenophon. Ad vesperam vocabant Antiqui: *Nam viles & rusticos cibos ante ipsos quibus coxerant focos sumebant*, ut ait Salvianus: *eosque ipsos capere, nisi ad vesperam non licebat*. Hinc cœna olim vesperna, & opponitur tempestivis conviviis, quæ de die, hoc est, medio die, aut non multo secus ante justam horam inibantur: ea enim neque in Urbe absque omni culpa erant, & in castris imprimis solutæ disciplinæ. Livius de Hannibalis milite Capuæ luxuriante: *Cœperunt epulari de die, & convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse*. Aliquando tamen, expeditione instante, maturius jubebantur corpora curare. Id enim cœnæ proprie erat, quando in prandio parcius curarent corpus, & modico se cibo tantum velut accingerent ad bellum. Liv. XXV. *Electis idoneis centurionibus militibusque, & scalis in occulto paratis, ceteris signum dare jubet, ut mature corpora curarent, quietique darent; nocte in expeditionem eundum esse*. Eodem: *Reliquum diei expediendis armis, & curatione corporum consumtum, & major pars noctis quieti data*. Liv. V. *Præcipitique jam die curare corpora milites jubet*; & passim. De Hannibalis cœna turbat nescio quid Frontinus: *Hannibal surgere de nocte solitus, ante noctem non requiescebat; crepusculo ad cœnam vacabat; neque amplius quam duobus lectis apud eum cœnabatur*. Quid, quæso, in eo magnum, si ante noctem non requiescebat; si crepusculo demum vespertino cœnabat? videtur fuisse ante lucem. Livius respexit *vigiliarum somnique, nec die nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus superesset, quieti datum; ea neque molli strato, neque silentio accersita*. Nemo hic jam expectet lavacra, balinea, sudatoria, & id genus loca, etiam in Urbe, ut ille ait, ædilem metuentia; nemo unguenta, quæque alia prisca luxuria communem in vitam induxit. Procul a mascula hac vita isthæc infamia. Vetita hæc severe, & sicubi per malam libidinem inreperent, continuo a bonis ducibus coercita. Sic Scipionem vetuisse lavari milites, auctor est Polybius. Sic Antoninus Caracalla, cum se militibus per omnia æquaret, inter alia etiam traditur balineis abstinuisse, apud Epitomatorem Dionys. In Epistola Marci Antonini: *Avidio Cassio Cyriacas legiones dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes; quas totas excaldantes se reperisse, Cæsonius Vectilianus scripsit*. Cui respondens Præfectus: *Ille sane*, inquit, *omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu militi excutiet*. Inprimis enim balinea & lavacra calida, contra disciplinam existimabant, ut quæ corpus infirmum, & pigrum reddant, cum frigida & natationes firment. Qua de causa Veteres uti balineis hyeme, sic per æstatem natationibus utebantur. Quibus & milites post exercitia armorum indulsisse scribit Vegetius: *Campum Martium vicinum Tiberi, ideo delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem pulveremque dilueret, ac rursus lassitudinem, natandi labore deponeret*. Sed non hæc in castris commoditas, non hoc otium; & illa lavacra, luxus incitamenta, solutæ imprimis disciplinæ. Romanorum ille Alexander, cui Severo inditum est cognomen, apud Capitolinum: *Milites Romani, vestri socii, mei contubernales, & commilitones, amant, potant, lavant; Græcorum more quidam se instituunt*. Salustius Catilinario de exercitu Sullæ in Asia: *L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum, luxuriose nimis, & liberaliter habuerat. Loca amœna, voluptaria, facile in otio feroces animum militis molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cœlata, mirari*. Apud eundem, Marius: *Quod carum æstumant, id semper faciant, ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis; sudorem, pulverem, & alia talia, relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt*. En vitam, victumque castrensem, & ingenium vere martiale, cui sudor pro balineis, pulvis pro unguentis, & hæc ipsa epulis jucundiora. Notes tamen alibi, Præfecto, qui loco cesserat, ignominiæ tantum causa, balineis interdictum Frontinus: *L. Piso T... tium, Præfectum cohortis, quod loco fugitivus cesserat, cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus, in principiis quotidie stare, dum vigiles venirent, jussit, conviviisque & balneo abstinere*. De eodem Valerius: *Interdixit ei convictum hominum, usumque balnearum*. De unguentis illis balnearum sociis, Cæsar dixit, *milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse*. Sed hæc solutioris moris. Ex prisca disciplina neque lavacra, neque lecti & triclinia in castris: a labore & muneribus ad cœnam iverunt. Ibi super stramento, gramine vel pellibus accubuerunt. Nam accubuisse cœnantes, etiam in castris, ætate Julii Cæsaris & circa, satis apparet, cum duces quosdam sedentes cepisse cibum, notent tanquam insolitum. De Tiberio Cæsare Suetonius: *Eum vitæ ordinem in Germania tenuit, ut sedens in cespite nudo. cibum caperet; sæpe sine tentorio pernoctaret*. Et de Catone Plutarchus: *Post cladem Pharsalicam, sedentem sem-*

per cœnasse, nec recubuisse, nisi somni causa. Sane veteres Romanos sedentes cœnasse, auctor est Varro, unde & considere dicebantur: postea *viros discumbere cœpisse, mulieres sedere: quia turpis visus in muliere accubitus*. Idem Marcus Curius probat, qui agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem, spectandum præbuit. Etiam Heroes prisci gramineo sedili locantur. Quare veteribus in castris id quoque fortasse obtinuit: postea discubuerunt. Fere autem contubernales una cœnasse videntur; utique quoties lautioris aliquid opsonii. In Pescennio Spartianus *Decem commanipulones, qui raptum gallum gallinaceum ab uno comederant, securi percuti jussit*: & mox: *Decem, qui furto simul convixerant, jussit, ut denorum gallinaceorum pretia provinciali redderent*. Manipulus enim, sive contubernium, utique sub Imperatoribus, ut diximus ad Hyginum, decem vel octo homines semper, sed ut plurimum decem fuerunt. Glossarium vetus: *Contubernium*, *δεκαρχία, ἀκία, βάθος τῶν ἀκίων*. Apud Mauritium etiam & Leonem, contubernia semper decem vel octo hominum sunt. Leo: *λόχος, καὶ σίχος, καὶ ἀκία, καὶ κοντυβέρνιον ταὐτόν ἐστιν*. Inde aciem per contubernia instruunt, id est, decem hominibus: quod cum & Mariana militia sæpius factitatum, & hic numerus dividendæ centuriæ sit longe aptissimus, non aliter olim veteri Republica arbitror fuisse. Contubernales igitur convivebant; ut etiam Cyri apud Xenophontem instituto. Ac inde tandem natum vocabulum, quo hodie contubernales designamus, *companiones*; & quo centuriam, *compania*, quod eadem annona uterentur, panemque una comederent. Addebant autem in cœna pani, vel pulti cibum coctum & opsonii aliquid, eam in rem proprie pecunia militi numerata. Cum enim frumentum, vestis, tentoria, arma præberentur publice, eoque nomine certum de stipendio pretium deduceretur; sola erant, quæ pecunia ad victum compararentur, opsonia. Hinc Græci stipendium Romanum *ὀψώνιον* vocant: nam cum stipendium dividant in *ὀψώνιον* & *σιτηρέσιον*, & interdum utrumque, interdum alterum tantum militibus dederint; Romani autem *σιτηρέσιον* in frumento acceperint pecuniam, quæ erat maxima pars stipendii, non alio verius, quam *opsonii* nomine appellare potuerunt. Quemadmodum enim *σιτηρέσιον*, nunc pecunia, frumenti nomine data: sic opsonium non tantum cibaria, quibus cum pane vescimur, sed etiam pecunia, quibus ista comparantur, *ἀργύριον εἰς ὀψωνιασμὸν*, ut aliquoties proprie dixit Dionysius, & Thucydides apud Pollucem. *Ηπισε τετρώβολον εις ὀψώνιον*. Atheniensibus ipse etiam locus in quo vendebantur cibaria, *ὄψον*. Veteres autem Græci minime invidiosa vocabula in istis amabant, quos secuti deinde Romani, nominibus quæ nihil nisi necessaria, & minima quæque præferrent, magna etiam stipendia appellabant. Sic annona, salarium, vasarium, clavarium, calcearium, stipendiorum & donativorum facta vocabula. Rarum & insolens, fœdo nomine aliquid accipere. Plinius: *Acceperat sestertium decem millia, fœdissimo quidem titulo nomine unguentarii*. Sed ut ad cœptum revertar. Opsonio quod ad manum, carneque vel assa, vel elixa, in cœna utebantur. Frontinus: *Q. Metellus bello Jugurthino similiter lapsam disciplinam pari severitate restituit, cum insuper prohibuisset alia carne, quam assa elixave, milites uti*. Lipsius hic: O risu rem dignam! o cumulum severitatis! quid, malum, igitur crudis antea usi? considere te jussi, imo nunc emendare (nec aliter evolvo) *alia carne, quam a se assa elixave*; vox, aut voculæ duæ inserendæ, quas eduxi e consimili verbo. Id plane jam consonat verbo, & Salustianis illis, *ne quis cibum coctum venderet*. Quæ conjectura in textum est recepta, & mihi quoque fiebat probabilis: tamen cum inspicio Appianum, & Polyænum, idem de Scipione ad Numantiam narrantes, dubitare cogor. Polyænus: *ἐκέλευεν δειστᾶν ὀρθοὺς ἄπυρον ὄψον. δειπνοῦντας δὲ, προσφέρεσθαι καὶ κρέας ὀπτὸν καὶ ἑφθὸν*. Appianus: *Τά τε σιτία αὐτοῖς ὥριστο κρέα ξεστὰ, καὶ ὀπτὰ εἶναι*. Videntur in castris istis, luxu perditis, variæ ciborum conditiones, & id genus gulæ irritamenta, vulgari in usu fuisse, quæ non tam cibi sunt, ut ille ait, quam mollis & luxu languentis animi insanæ cupiditates. Ideo Scipio & Metellus, quo removerent a castris ista *μηχανήματα*, quæ magis quam ipsam carnem appetunt luxuriosi homines, præceperunt, quo genere cibi, & quomodo uterentur, nempe carne, & quidem assa, vel elixa, id est, simpliciter cocta (id enim proprie est assum, vel elixum, & opponitur deliciis varie conditis) *ἁπλῆν δίαιταν* vocant Græci, qua etiam usi prisci Heroes, & quidem bubula assa ut plurimum: ea enim apud Homerum tam regibus quam privatis, tam senibus quam juvenibus datur: elixa enim in usu non fuit. Somnus, cœnæ subjungitur: nec quicquam hic aliud observavi. Livius: *Tum quidem corpora cibo somnoque curant*. Virgilius:

Corpora curamus, fessos sopor allevat artus.

Nam neque somni horas liberas fuisse; & idem tempus omnes quieti dedisse, tradit Flavius Josephus.

CAPUT IX.

DE

ITINERE.

Sed nos diutius quam proposueramus, in his Castris & Castrensi vita, tanquam in otiosis stativis, desidemus. Boni Imperatores, non tantum sanitatis, sed etiam disciplinæ causa, in pacato subinde movebant castra, & militem huc illuc raptantes exercebant. Sequamur morem eorum, etiam in his Exercitationibus nostris. Feramus signa. Signum profectionis, Tessera, vel Tuba, vel utraque dabatur. Tessera quidem sola, cum, occulte castris egrediendo, hostem fallere placeret: utraque, cum aliquid extra ordinem edicere, quod Tuba significari non posset; aut quod ante horam moneri militem vellent; aut cum diversis e locis, castellisque, contrahendum agmen. Hinc illa tam frequens mentio Tesseræ expeditionalis, Tesseræque qua iter edictum,

in Ammiano, aliisque. Sed, ex consuetudine militari, solis semivocalibus, quæ vocant, signis, non raro iter edicebatur; nec quicquam ante tubam enuntiabatur. Frontinus. *M. Licinius Crassus, percontanti, quo tempore castra moturus esset, respondit, Vereris ne, tubam ut audias?* (ita enim scribendum ex vestigiis scriptorum Codicum, in quibus est *tubam id audias*; non, ut in vulgatis, *non exaudias*) Tria autem dabantur signa, diversis haud dubie modis sonisque, quo a milite distingui possent; sed & signis diversis, quamvis hæc confundant scriptores, ut fere similia, & modo tubæ, modo classici meminerint. Livius XXIV. *Classico signum profectionis dedit.* Idem XXIX. *Secundum eas preces cruda exta, cæsa victima, uti mos est, in mare porricit, tubaque dedit signum proficiscendi.* Valerius Flaccus:

Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.

Lipsius, Polybium explicans, primum signum classico opinatur datum: At paulo post Josephum citans, qui in primo signo σάλπιγγα singulariter ait sonuisse: in altero tertioque σάλπιγγας, primo tubam, secundo tertioque classicum credit cecinisse. Vegetius cap. XXII. quo conatur ostendere tubæ & cornuum differentem usum; præterquam quod ipse more suo turbat, ab aliena etiam manu, quæ ei interpretis loco esse voluit, vitiatus est, ut alibi ostendo. Discrimen autem quod in hac re ex isto colligitur, illud est; quod cum soli milites sine signis aliquid jubeantur, tubicine id fiat. *Sive ergo ad vigilias, aut agrarias faciendas, sive ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante, operantur; & rursus tubicine admonente, cessant.* At in principio capitis dixerat: *Tubicen ad bellum vocat milites, & rursum receptui canit*; quasi ad bellum sine signis iret miles, aut non consisterent signa, retroque ferrentur, cum canebatur receptui: quæ profecto ipse non intellexit, &, nisi fallor, ex veterum aliquo corrupit, non descripsit. Videntur autem debere intelligi de tubicinibus singularium cohortium, qui, cum procurrere ante signa juberetur miles, cecinerint; ac iterum, sed mutatis modis, cum juberetur se ad signa recipere. De vigiliis quidem quod ait, in veteri militia ita non fuit; ad buccinam inibantur. Alibi etiam ipse dixit, *a tubicine committi vigilias, a cornicine revocari*: ex quo suspicetur aliquis, cubare in mendo alterutrum istorum locorum. Sed ea est Veterum in hisce rebus negligentia, dum alia tanquam nota transeunt, alia confuse dicunt, quasi quodam eloquentiæ jure, ut difficile sit sæpe verum videre. Vegetius autem passim in hoc scripto, neque cum veteribus, neque secum satis concors est. Sed loco priori pergit: *Cum autem moventur signa, aut jam mota figenda sint, cornicines canunt.* Ex quo colligitur, tertium saltem signum classicum fuisse. Leo *ad buccinæ sonum militem vult procedere; & rursus, ad alium modum, consistere.* Signa igitur ad buccinam, hoc auctore, ferebantur, aut constituebantur. Signiferum enim sequebatur miles, eo consistente, consistebat; procedente, procedebat. Dio, in pugna Philippensi inter Brutum & Augustum, primo unum utrimque tubicinem cecinisse; mox alios quosdam pariter respondisse; eoque, ut se prælio pararent, monitos milites; deinde omnes reliquos. Ad pugnam istic vocantur, hic ad iter: proinde alii haud dubie modi: apparet tamen hæc similitudo, quod ter cecinerunt, & quod primo non omnes. Idem haud dubie etiam in itinere fuit: primo enim signum non potuerunt dare singularum cohortium tubicines, neque enim parati fuerunt, & Josephus unius tantum meminit: quare ad prætorium tum signum datum. Secundum, per totum exercitum, quo & parati esse jubebantur, & paratos esse significabant: καὶ πάλιν αἱ σάλπιγγες ὑποσημαίνουσι παρεσκευάσθαι, inquit Josephus. Tertium, plenum fuit classicum. Ad primum signum conclamabat vasa miles. Cæsar de bello Civili primo: *Quo cognito, signum dari jubet, & vasa militari more, conclamari: illi exaudito clamore*, &c. Sicut enim cum ad arma conclamabatur, quando expediti in hostem ducendi erant, ad capiendum arma discurrebant; sic ad vasa sarcinasq; componendas, cum vasa conclamabantur. Cum autem sola tessera dabatur signum, hæc conclamatio non fiebat; jubebanturque vasa silentio colligere. Liv. XXI. *Itaque proxima nocte jussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota*; id paulo post appellat *tacito*, & alibi *silenti agmine proficisci*. Raro id faciebant, nisi fallendo hosti, & in metu. Ideo conclamationem militare institutum appellat Cæsar, quod post prælium Dyrrachinum castra movens, ne negligere videretur; & tamen, priusquam resciesceret hostis, ad iter proficisceretur, conclamare jussit, cum jam postremum agmen in portis pæne esset. De hac enim conclamatione, non de illa altera, de qua mox loquemur, quod suspicatur vir clarissimus, accipiendus est Cæsar: *Tuas*, inquit, *in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit, parvoque spatio intermisso, ut & militare institutum servaretur, & quam serissime ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit, statimque egressus novissimum agmen consecutus, celeriter e conspectu castrorum discessit.* Καταλύουσι τὰς σκηνάς, καὶ συντιθέασι τὰ φορτία. *Detendunt tabernacula, & sarcinas colligunt.* Erat enim hoc primum, quod profecturi facerent: unde Varro: *Annus octogesimus me admonet, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita.* Nec colligebant tantum vasa, sed in fasciculum colligabant, ut apte humeris inter arma geri possent: σκευάζειν etiam dicunt Græci. Hic autem aliud observatum monet, ne quis detenderet tentorium suum, priusquam Imperatoris Tribunorumque fuerint detensa; quemadmodum nec constituebant in positione castrorum, nisi iisdem prius constitutis. Ad secundum signum sarcinas jumentis imponebant. Addit Josephus incendisse castra, ne ea essent usui hostibus: & ex eo signum expectasse, animis corporibusque paratos velut ex carceribus exire. Alioquin modeste, nec admodum magno strepitu, movisse castra, docet Cæsar de bello Gallico sexto. Ubi simulans timorem, & fugæ similem profectionem, *majori strepitu*, inquit, *quam Populi Romani fert consuetudo, castra moveri jubet.* Diruerunt interdum & munitionem omnem, sed ad primum haud dubie signum, non ad hoc secundum; tum enim vallos ex aggere repetebant, iisque exscindendis munitionem dejecerunt: non tamen semper hoc fecerunt. Post prælium Dyrrachinum & Cæsar & Pompejus, in suis veteribus ad Asparagum castris, quorum motiones adhuc erant integræ, consedisse memorantur. Tertio vero signo dato, castra moverunt primique castris profecti sunt:

Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.

Addit Josephus singularem hic morem Romanorum, libro Ἁλώσεως III. Ἐξιέναι δὲ τοῦ στρατοπέδου δέοι, ὑποσημαίνει μὲν ἡ σάλπιγξ, ἠρεμεῖ δὲ οὐδείς, ἀλλ' ἅμα νεύματι τὰς μὲν σκηνὰς ἀναιροῦσιν. πάντα δὲ ἐξαρτύονται πρὸς τὴν ἔξοδον, καὶ πάλιν αἱ σάλπιγγες ὑποσημαίνουσι παρεσκευάσθαι. οἱ δὲ ἐν τάχει τοῖς τε ὀρεῦσι, καὶ τοῖς ὑποζυγίοις ἐπιτιθέντες τὴν ἀποσκευὴν ἑστᾶσιν, ὥσπερ ἐφ' ὕσπληγγος ἐξορμᾶν ἐπιμοι,

ὑποπιμπρᾶσι τε ἤδη τὴν παρεμβολὴν, ὡς αὐτοῖς μὲν ῥᾴδιον ἐκεῖ πάλιν τειχίσασθαι, μὴ γένοιτο δὲ ἐκεῖνο ποτὲ τοῖς πολεμίοις χρήσιμον. καὶ τρίτον δὲ ὅμως αἱ σάλπιγγες προσημαίνουσι τὴν ἔξοδον, ἐπισπέρχουσας τοὺς δι' αἰτίαν τινὰ βραδύνοντας, ὡς μή τις ἀπολειφθείη τάξεως. ὅτε κῆρυξ δεξιὸς τῷ πολεμάρχῳ παραστὰς, εἰ πρὸς πόλεμόν εἰσι ἕτοιμοι τῇ πατρίῳ γλώσσῃ τρὶς ἀναπυνθάνεται. κἀκεῖνοι τοσαυτάκις ἀντιβοῶσι μέγα τι καὶ πρόθυμον, ἕτοιμοι λέγοντες, φθάνουσί τε τὸν ἐπερωτῶντα, καί τινος ἀρείου πνεύματος ὑποπιμπλάμενοι, τῇ βοῇ συνεξαίρουσι τὰς δεξιάς· ἔπειτα προσιόντες, ὁδεύουσιν ἡσυχῇ καὶ μετὰ κόσμου πάντες, ὥσπερ ἐν πολέμῳ τὴν ἰδίαν τάξιν ἕκαστος φυλάσσων. Id est, *Cum autem castris egrediendum est, tuba indicium facit: nemoque otiosus est, sed vel solo nutu moniti, tabernacula tollunt, omniaque ad profectionem instruunt: deinde iterum tuba ut sint parati, significat. Illi autem cum mulos & jumenta sarcinis oneraverint, velut in curuli certamine signum expectant. Castra vero incendunt, eo quod sibi alia munire facile sit, & ne quando hostibus eadem usui sint. Et tamen tertio quoque tubæ signo indicant, ut exeatur, urgendo aliqua ex causa morantes, ne quis ordinem deserat. Dexterque Duci præco astans, si ad bellum parati sunt, voce patria ter percontatur. Illique toties alacri & magna voce paratos esse se respondent, interrogantemque præveniunt: & Martio quodam spiritu repleti cum clamore dextras erigunt. Deinde otioso & cum omni decore progredientes ambulant, suum quisque ordinem velut in bello custodiens.* Quem locum, quia rationem movendi castra describit, totum hic inserere volui. Vir eruditissimus hic præconem primo de castris ejicit Romanis; sed nulla causa, ut ad Hyginum dixi: deinde morem istum quamvis nusquam legisse fateatur, censet tamen interrogasse, an in procinctu essent? Nemo quidem alius veterum distincte & clare hunc descripsit morem: tamen ea in bonis auctoribus, præsertim in Cæsare, in ritibus militaribus proprietatis amante, vestigia reperio, quibus hunc morem indicari, obscurum non est. Et illud satis apparet, proprie hunc clamorem expressisse Josephum, nec conclamasse milites in procinctu se, sed paratos esse. In primo Gallicorum commentario, cum ingens Germanorum timor omnem exercitum occupavisset, adeo ut quidam Cæsari renuntiarent, cum castra moveri, ac signa ferri jussisset, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos, Cæsarem oratione habita, edixisse, se proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, ut quam primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor plus valeret: quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, sibique eam Prætoriam cohortem futuram. *Hac oratione habita*, inquit, *mirum in modum conversæ sunt omnium mentes, summaque alacritas & cupiditas belli gerendi innata est, princepsque decima legio per Tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset; seque esse ad bellum gerendum paratissimam, confirmavit.* Idem Cæsar, suscepturus civile bellum, in Italiamque moturus, cum apud legionem decimamtertiam concionatus esset, iisque rationem consilii sui aperuisset, *Conclamant*, inquit, *legionis* XIII. *quique aderant milites* (*hanc enim initio tumultus evocaverat; reliquæ nondum advenerant*) *sese paratos esse Imperatoris sui, Tribunorumque plebis injurias defendere. Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur.* Lucanus, in hac conclamatione militum Cæsaris, etiam ritum dextras attollendi, quem notat hic Josephus, describit. Lælium enim primipilum inducens præeuntem, verba, quibus sese ad omne facinus pro Cæsare paratum ostendit, adjicit:

His cunctæ simul assensere cohortes.
Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus: it tantus ad æthera clamor.

Apud Cæsarem eodem primo libro: *Totis castris milites circulari, & dolere, centuriones tribunosque militum adire, atque obsecrare, ut per eos Cæsar certior fieret, neu periculo parceret, paratos esse sese, posse & audere transire flumen.* Eodem: *Concurrebant legati tribunique militum, ne dubitaret prælium committere, omnium esse militum paratissimos animos.* Quæ loca ostendunt, proprie reddidisse Josephum conclamationis militaris & reboantium vocem, ἕτοιμοι, *parati, paratissimi*: hinc proverbium, *pransus paratus*. Possit aliquis suspicari, corruptum & inde vocabulum *barritus*; nisi & Germanorum esse, & in ipsa acie, non cum egrederentur e castris, tolli, traderent veteres. Educi militem porta Prætoria, ostendit Polybius; & ita vulgo fieri solitum, non est dubium. *Spectabat enim illa*, ut ait Vegetius, *locum, qui ad hostes respiciebat; aut si iter agebatur, illam partem attendebat, ad quam erat profecturus exercitus.* Non raro tamen pluribus portis observes eductos. Cæsar, cum post prælium Dyrrachinum ab hoste recederet, *duas in castris legiones retinuit; reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit.* Ante prælium Pharsalicum Cæsar: *Tunc Cæsar apud suos, cum jam esset agmen in portis, Differendum est*, inquit, *iter in præsentia nobis, & de prælio cogitandum, sicut semper depoposcimus, animosius ad dimicandum parati*, &c. Livius: *Nec detrectavit Annibal, ut signa portis efferri vidit.* Ut igitur, quod in prætentura militum, porta prætoria cum in hostem iretur, ita portis principali lateribus prætorii, & in retentura proxime eas considentes copias, verisimile est eductas. Quoties in hostem erumperent, omnibus legimus sæpe portis erupisse. Sed nos de agmine agimus. Elatis e castris signis, explicabant agmen & eam illi formam dabant, quam in itinere, aut acie servaret:

Cum longe cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto.

Livius II. *Classico signum profectionis dedit: quum maxime agmen e castris explicaretur, Volsci, ut eodem signo excitati, novissimos adoriuntur.* lib. III. *Consul Romanus, priusquam totis viribus fulta constaret hostium acies, intulit signa, adortusque, nec omnes dum eductos, nec qui erant satis explicatis ordinibus.* Non enim mediocris cura erat veterum, ob insidiarum opportunitatem, quomodo in hostico agmen ducerent; & pæne major, quam in ipsa acie, quia majus periculum. Vegetius: *Qui rem militarem studiosius didicerunt, asserunt plura in itineribus, quam in ipsa acie pericula solere contingere, nam in conflictu armati sunt omnes, & hostem eminus vident* (ita scribendum, non *cominus*, ut est in vulgatis) *& ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere autem, minus armatus, minusque intentus est miles, & supervenìente impetu, vel fraude, repente turbatur. Ideoque omni cura omnique diligentia providere debet Dux, ne proficiscens patiatur incursum; vel facile, ac sine damno, repellat illatum.* Nam in acie erant expediti, hic impediti sub sarcinis: in acie parati, hic imparati. Cæsar: *Si propter inopiam rei frumentariæ Romani sese recipere cœpissent, impeditos agmine & sub sarcinis, infirmioresque animo adoriri cogitabant.* Idem: *Illi exaudito clamore, veriti, ne noctu impediti, sub onere confligere cogerentur.* Hirtius Alexandrino: *Adeoque a barbaris est contentus, ut in agmine dimicare sit coactus.* Quare Vegetius jubet Ducem id agere,

ut naturam locorum, per quæ ducendus est exercitus, & bene cognitam habeat, & perspectam: cujus rei aliquot dat præcepta: *Primum*, inquit, *itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime debet habere perscripta, ita ut locorum intervalla, non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate*, (ita enim scribi debet) *perdiscat, compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta, consideret, usque eo, ut solertiores duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum viam profecturi eligerent*. Quo in loco obiter moneo, mihi suspectum illud esse *necessitas geritur*, & ab imperitis videri repetitum ex superioribus: *Itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur*, &c. Non enim, opinor, dixit *necessitas geritur*, nec habet idoneum hoc loco sensum. *Necessitas* quidem Vegetio interdum significat locorum iniquitatem, quam evitare nequeas, ut libro I. *Prout loci qualitas, vel necessitas postulaverit, castra facienda sunt*. Idem de ponte; *Defensores milites debet accipere, a quibus tandiu teneatur, quamdiu locorum necessitas postulat*. Quo sensu si hic accipienda *necessitas*, legere possis: *itineraria provinciarum in quibus necessitas*, vel *in quibus necessitas reperitur*. Alibi *necessitatem* vocat ipsam pugnam, & periculum pugnæ: libro III. *Qui magis exercitati, qui sint in necessitatibus fortiores*. Idem: *Maxime autem tractandum est, utrum expediat necessitatem protrahi, an celerius dimicari*. Idem: *In necessitate subita, quæ terrent, provisa, non solent esse formidini*: hoc sensu, ut *necessitatem protrahere*, sic *necessitatem geri*, dixisse possit videri. Offendit tamen, ut verum fatear, aures meas, & malim *timetur*, vel tale aliquid, siquidem servare hoc loco vocem *necessitas* velis; nec si hac deleta, *res geritur*, rectius putes substitui. Sed hæc obiter. Jubet præterea a prudentioribus, & locorum gnaris, omnia perquirere, intercipere duces peritos, & quidem complures, eosque custodiæ mancipare, addita pœnæ, vel præmii ostentatione, occultare quantum licet, quo ducatur agmen, & omnia late explorare, &c. Romani autem præter hæc, quæ sua cuique suggerit prudentia, habuerunt certam agminis ducendi rationem tutam & compositam, a qua raro admodum recesserunt. Ea enim in omni bello populi Romani fuit disciplina, nihil ut temere, nihil inconsulto, sed omnia certa ratione, certoque gererent ordine, quo nihil necopinati timerent, prælioque etiam parati quodammodo essent, cum erant imparati: plane ut re bene perspecta, dici merito queat, non tantum instructum ad pugnam exercitum Romanum, in acie stare, sed castra nihil aliud esse, quam considentem; nec agmen aliud, quam ambulantem aciem. Nos, ne huic parti desimus, videamus primo universam agminis speciem; deinde singulas partes consideremus. Varro apud Servium: *Duo sunt genera agminum: Quadratum, quod immistis etiam jumentis incedit, uti ubivis possit considere: Pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniqua loca transmittatur. Scaurus de vita sua: In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi, id est, strictim, & dense*. Quærunt docti, quæ sint hæc genera, quæ formæ agminis? Lipsius, duo genera agminum Polybii explicans, monet, ad hæc pertinere locum Varronis, sed videri in altero genere nulla interponere jumenta: quod se non videre, qui verum esse possit. Nam, ut Polybius quidem describat, non immixta fuisse, sed tamen intersita, sic ut ordines non turbarent, & triplex

A modo agmen omnium copiarum esset, haud aliter quam in acie instructa. Habere se & hoc dubium, quod Servius prius agmen quadratum appellet, non magis alterum: hoc enim verius: certe de isto in hostili agro & Salustium & Senecam sensisse, ubi quadrati agminis meminere. Salmasius de quadrato quidem agmine proprie non agit in iis quæ scripsit de Re Militari, sed de quadrata acie; de qua tamen interpretatur aliquot veterum loca, in quibus quadrati agminis mentio: ut illum Tibulli:

Seu sit opus, acies quadratum sistat in agmen

Et Catonis illa: *Una depugnatio est fronte longa,*
B *quadro exercitu*. Item Senecam, qui de Sextio ait: *Movit me imago ab illo posita, in Quadrato agmine exercitus, ubi hostis ab omni parte suspectus est pugnæ paratus*. Probat autem multis, quadratam aciem non esse Romanis eam, quæ Græcis τετραγώνος τάξις, & interdum πλινθίον, & τετράπλευρον vocatur; id est, quæ spectat in quatuor partes, & ab omni latere habet milites contra hostem obversos. Negat idem quadratam aciem Romanis esse; quæ æqualem latitudini longitudinem, & tantundem introrsus militum, quantum in fronte habeat, quam Græci vocant τετραγωνισμὸν τάξεως.
C Nec eam quæ quadratam pedaturam, quam ἐμβαδὸν appellant, occupat. Nunquam hunc τετραγωνισμὸν in acie instruenda observasse Romanos; nec eo sensu quadratam aciem, aut quadratum exercitum, nuncupasse, cujus latitudo æqualis esset in omnes aspectus longitudini; sive ex numero militum oriretur ea quadratura, sive ex loci facie. *Quadrata ligna* dicere Latinos de trabibus quamlibet longis, quæ lateribus tantum sint quadratis; & *quadratum saxum*, quod longius est quam latius, quamvis cubi figuram non ferat. Hanc esse formam exercitus quadrati: satis esse, ut hoc nomen gerat,
D frontem habere recta linea exæquatam, & ad extremitates angulos rectos. Hanc *quadrata fronte* dici Vegetio, & *quadratam*, quæ quaternos introrsus habeat ordines. Non disputabo hoc loco cum viro clarissimo, quam Romani vocaverint aciem quadratam, dum ipse fateatur, quod fatetur, Vegetium a quatuor ordinibus hoc deducere nomen, non a forma, quæ habet frontem recta linea exæquatam, & ad extremitates angulos rectos. Si enim hoc satis esset, si minus simplex, at certe duplex acies, quam ibi palam distinguit a quadrata, quadrata dici deberet: utraque enim rectam frontem, rectosque frontis angulos habet. *Pro-*
E *ducendi ergo*, inquit, *tyrones sunt semper ad campum, & secundum matriculæ ordinem, in aciem dirigendi, ita ut primo simplex extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curvaturas, ut æquali legitimoque spacio miles distet a milite. Tunc præcipiendum ut subito duplicent aciem ita, ut in ipso impetu is, ad quem respondere solent, ordo servetur. Tertio præcipiendum, ut quadratam aciem repente constituant*. Non igitur Vegetio sufficit oblongam, & rectis angulis esse frontem, ut acies dicatur quadrata. Aliud præterea requirit, nec in hoc nomen recipit duplicatam aciem. Hoc si mihi concesserit vir celeberrimus, quod ibi docet, non tantum concedit, non ultra pugnabo; nec ulla est causa pugnandi. Vix quenquam veterum Ro-
F manorum quadratæ aciei mentionem facere memini, sed quadrati exercitus, & sæpissime agminis, etiam cum de acie loquuntur. Recognosce mecum verba paulo ante citata: *Una depugnatio est fronte longa quadrato exercitu*.

Seu sit opus, acies quadratum sistat in agmen.

Movit

Movit me imago ab illo posita, ire quadrato agmine, ubi hostis ab omni parte suspectus est & pugnæ paratus. Adjice his alia. Salustius de Mario: *Neque tamen victoria secors, aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere.* Livius XXXI. *Consul equitibus jussis, qua quisque posset opem ferre laborantibus, ipse legiones e castris educit, & agmine quadrato ad hostem ducit*. Et lib. XXXIX. *Inde tertia vigilia sublatis signis, quadrato agmine principio lucis ad Tagi ripam perveniunt*. In ludo quoque describit Livius quadratum agmen juvenum, qui testudinem fecerunt fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt: *Quum alios decursus motus edidissent, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis, & quartis postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant*. Sexageni juvenes erant, qui instruebantur in formam quadrati, parte altera longioris; quinque vel sex ordines in latitudinem, decem vel duodecim in longitudinem, qui more Vegetiano ordinati, occupabunt triginta per triginta sex pedes. Hirtius de bello Gallico VIII. *Hac ratione pæne quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celerius opinione eorum, exercitum adducit*. Nec profecto scriptores Rerum Romanarum, sine justa & gravi causa, in eo conspirant, quod toties quadrato agmine in hostem duci scribunt, nunquam quadrata acie. Quid enim non dicit potius Varro, vulgarem aciei formam esse fronte longa & quadrata, vel fronte longa, quadrata acie? De acie enim loquitur, non de itinere. Quid non Seneca? hostem enim ab omni parte pugnæ paratum imaginatur. Quid non cæteri? in conspectu hostium incedentem describunt exercitum. Quid hic tam accurate loquuntur, qui in plerisque istis rebus tam confuse? Nam & Latini interdum agmen pro acie accipiunt, & contra etiam pro agmine aciem; præsertim sequioris ævi scriptores. Vegetius de itinere: *Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis festinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies, aut certe tenuetur*. Etiam Græci πετράγωνον τάξιν solent in itinere vocare agmen quadratum. Haud dubie igitur tam accurati ad evitandam ambiguitatem, quod nimirum aliud est quadratum agmen, aliud quadrata acies. Res ipsa examinetur. Cum acies in quadratum agmen consistit, vel exercitus quadrato agmine in hostem ducitur, instructum fuisse vulgari & legitimo modo, Cato diserte dicit. Eam autem fuisse veteri republica rationem instruendi, ut exercitus in triplicem aciem tribueretur, notum est: eæ acies fronte longa erant, & eadem longitudine omnes. Nec multum introrsus latitudinis habebant, si cum frontis longitudine compararentur, ne universæ quidem: sed erat inter singulas spacii aliquid ad concurrendum, & interdum sequebantur eodem ordine impedimenta. Hinc ἔμβαδον illud, quod occupat totus exercitus, ad quadratum accedit. Neque enim refert, an ad pedem quadratum. In Martio, non in Mathematico pulvere versamur. In acie frons longior, contractior in itinere: quia tamen universa forma ad quadratum accedit, utrumque recte dicitur agmen quadratum. Accedit, quod latera sæpe eques tuebatur, quo, cum prima acies in fronte esset, susidia a tergo, non quidem efficiebatur, ut in omnes partes spectaret acies: triplex enim erat, & eodem tota spectabat: sed tamen ut ab omni parte miles esset, & totum agmen quadratum. Unde de agmine quadrato, ab omni parte suspectum hostem, & pugnæ paratum, dicit Seneca. Posteriori militia quamvis ratio dividendi copias, & instruendi, commutata sit, man-

A sit tamen eadem in universum ratio, & quoties agmen vicino hoste ducebatur, in latum exporrigebatur; aliæ copiæ frontem, aliæ tergum tuebantur, receptis in medium impedimentis: unde tota forma exivit quadrata. Hirtius: *Agminis ordinem ita constituit, ut legio VII. IIX. IX. ante omnia iret impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen (quod tamen erat mediocre, ut in expeditionibus esse consuevit) cogeret XI. ne majoris species multitudinis accidere hostibus posset, quam ipsi depoposcissent. Hac ratione pæne quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celerius opinione eorum, exercitum adducit*. Vides, quod B sit quadratum agmen, cujus universa forma ad quadratam accedit: ac ideo videtur hic dixisse, *pæne quadrato agmine*, quod cum una tantum a tergo legio esset, ibi minus æquaret dispositionem & longitudinem frontis tres legiones habentis. Leo: ἡ δὲ συνεσταλμένη πορεία καὶ τετράγωνος, ἡ παραμήκης μὲν, οὐ πάνυ δὲ τοῦτο ἔχουσα τὸ σχῆμα, ἀλλὰ σήμερον εἰς πάντα καιρὸν ὠφέλιμός ἐστι καὶ εὐμεταχείριστος καὶ ἀσφαλής. Interdum etiam lateri militem adjecerunt. Tale agmen Germanici, incursionem impetumque Germanorum metuentis. Tacitus: *Incessitque itineri & prælio: pars equitum & auxiliariæ cohortes ducebant, mox prima legio, & me-* C *diis impedimentis sinistrum latus undevicesimani, dextrum quintani clausere, vicesima legio terga firmavit, post cæteri sociorum*. Quod est quadratum agmen illius ævi, plenum & justum, & ab omni parte milite firmatum. Ex quibus locis apparet, non id referre, an post singulos manipulos, an vero post singulas legiones, an denique in medio omnium sint impedimenta; nihilominus quadratum agmen est. Neque hoc facit quadratum agmen, quod immissis jumentis incedit: nam sæpe etiam agmen quadratum, præsertim de castris in hostem, educitur sine jumentis ullis: neque hoc D dicit Varro, sed agmen quadratum commode etiam immissis jumentis incedere posse, quia frontem habet & tergum in latum extensa & milite tuta, inter quæ immisceri possunt jumenta absque ullo periculo, non item in pilato. Livius XXI. *Hannibal agmine quadrato amnem ingressus fugam ex ripa fecit*. Eodem: *P. Cornelius Consul, triduo forte, postquam Hannibal ab ripa Rhodani movit, quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus*. Et de Antiocho l. XXXVI. *Elephantis agi ante signa terroris causa jussis, quadrato agmine ad urbem incessit*. Xenophon quidem improbat agmen quadratum hoste E insequente: & scribit usu compertum esse, ὅτι πλαίσιον ἰσόπλευρον πονηρὰ τάξις εἴη πολεμίων ἑπομένων; nempe in locis angustioribus, quia, ubi angustior est via, gravis armatura suo loco excludatur; & partim prematur, partim turbetur phalanx illa, difficulter mobilis: est enim locorum patentium; quia agmen suapte natura longius, ubi in latum panditur, fit quadratum. *Pandi agmen in patentiorem campum*, dixit Livius: hinc Sempronius opponit inter se, *passim* & *pilatim* facere. *Quartum*, inquit, *signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat. Passim*, id est, expanso in latum F agmine; *pilatim*, densato & stricto. Pilatum autem agmen est, quod fronte angustiore oblongum, &, ut Varro ait, inter se densum est. Et dici videtur pilatum, ideo quod densum, nihilque præter pila & arma præferat; vel potius quod in formam pili lateribus longius. Ita Vegetius, quam inter genera depugnationum sextam numerat, dicit exporrigi quasi veru. Vegetius: *Reliquam autem partem exercitus tui longissime a dextra parte adversariorum remove, & in directum porrige, quasi veru*. Et paulo post: *Acies tua extenditur, & totam se por-*

rigit ad similitudinem I *literæ; longissimeque recedit ab hostibus, quo genere in itineribus sæpe confligitur*. Opponitur hoc quadrato, item tenui, laxo & soluto agmini, quia fronte brevi, & densum est: incedere hoc ait sine jumentis, nimirum, quia inter se densum est, & fronte angustiore, quod necesse est in locis iniquis, quo fit, ut jumenta non satis tuto duci queant. Ac certe in ejusmodi locis, parum admodum impedimentorum ducebant. Livius libro XXXIX. de ratione bellum in Liguribus gerendi: *In Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent: loca montana, & aspera; quæ & ipsis* (malim *ipsa*) *capere, labor est, & ex præoccupatis dejicere hostem: itinera ardua, angusta, infecta insidiis*, (vel potius, cum viro doctissimo, *itinera ardua, obsepta, infesta ab insidiis*) *hostis levis, & velox, & repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum esse sineret. Itaque non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat; nihil præter arma, & viros, omnem spem in armis habentes*. Leo: *Si incursionem in hostilem terram cum peditatu facturus es, idque per condensa & angusta loca, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta feras.* Idem, ejusmodi in locis, si cum impedimentis iter faciendum, exercitum ducere jubet ἐν ὀρθίᾳ παραγωγῇ, ut vocant Græci Tactici, id est, ut ipse interpretatur, ἡ κατὰ μέτωπον μὲν στενὴ, κατὰ δὲ τὸ βάθος εἰς μῆκος ἐκτεινομένη. Jubet etiam diphalangiam instrui; imo, quando ne hæc quidem simul pugnare in hostem, simul impedimenta queat tueri, quod reliquum est militum, quatuor in partibus diphalangiæ jubet collocari, ita ut ab omni parte tuta sint impedimenta: quæ ex Græcis desumta sunt. Præterea jubent occupare loca idonea, cædere sylvas, & complanare, quantum licet, loca; de quibus infra. Nam si multum in ejusmodi locis impedimentorum trahatur, necesse est admodum longum agmen fieri; quod vitiosum est, & insidiis quam maxime patet. Facile enim est hosti vel perrumpere agmen, vel modo in primum, modo in novissimum agmen incursare: quemadmodum Hannibali accidit in transitu Alpium, ubi agmen in angustias demittere, & in longum extendere necesse habuit. De agmine Philopœmonis Livius: *Obtinebant autem longo agmine, propter angustias viæ, prope quinque millia passuum: cogebatur agmen ab equitibus, & maxime a parte auxiliorum, quod existimabat Philopœmon Tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, a tergo suos aggressurum*. Ejusmodi agmine in pacato utebantur, ubi nullus ab hoste metus. Cæsar Bello Gallico V. de Sabino: *Prima luce sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo, Ambiorige, consilium datum, longissimo agmine, magnisque impedimentis. Agmen incautum* vocat Livius alicubi: *Consul agmine incauto excessit, &c. ad Mutinam agmine incauto, ut inter pacatos ducebat*. Longitudo autem in agmine iter faciente, est extensio agminis a fronte ad tergum, sive per versus; latitudo a dextra parte ad sinistram per juga. Et hoc fere sensu agmen dicitur longum. Frontinus: *Iphicrates in Thraciam cum propter conditionem locorum, longum agmen deduceret; & nunciatum esset, hostes summum id aggressuros*. Livius paulo ante: *Non jumentorum longus ordo agmen extendebat*. Vegetius: *Pluribus casibus subjacet amplior multitudo. In itineribus pro mole sua semper est tardior; in longiore autem agmine, etiam a paucis superventum assolet pati*. Livius: *Longo agmine, nec continenti mœsti ac prope victi procedunt versus hostem, nec spe, nec animo certiorem*. Est autem ubi Livius aliter videtur usurpare, & longitudinem pro latitudine sumere, ἐκ πλευρᾶς ἐπὶ μῆκος, ut dixit Leo, libro III. *Tum quo fuerant ordine, in via exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris*. Non incessisse autem longo agmine dictatorem Quintium, de quo loquitur, præcedentia ostendunt, *composito agmine, non itineri magis apto, quam prælio, si res ita tulisset, legiones duxisse*. At tale erat quadratum, non longum agmen. Ælianus etiam (fortassis quod tam in itinere, quam in acie nihil nisi phalangas describit) longitudinem sive μῆκος vocat utrobique hanc partem. Alioquin, qui proprie loquuntur, ut ex citatis exemplis patet, Latini & Græci; longitudinem, eam quam diximus partem vocant; aut, si quid aliud velint, addunt de qua parte loquantur, ne parum intelligantur. Leo tuta ait esse itinera, si in laxis & amplis locis agmen ducatur, ἐπὶ μέτωπον ἐν πλαγίᾳ τάξει εἰς πλάτος, ἐν ἀραιοτέραις μὲν κατὰ τὸ πλάτος ἀκίαις, βαθυτέραις μὲν κατὰ τὸ πάχος. Ubi opponuntur τὸ πλάτος & τὸ πάχος, quæ in acie eadem sunt. Nam ibi contra, longitudo vocatur, quæ in agmine latitudo; & latitudo, quæ in agmine longitudo. Longa acies, quæ frontem longam; lata, quæ introrsus plures habet ordines. Quam rem non animadvertit vir magni nominis; qui in libris de Militia, frontem aciei passim latitudinem vocat, latera vero longitudinem; & eadem ratione Antiquorum scripta interpretans, a mente eorum toto cœlo aberrat. Frontinus, libro Stratagematum II. cap. 3 de acie Cæsaris & Pompeii, ita scribit: *Cn. Pompejus adversus Cajum Cæsarem Palæpharsali triplicem instruxit aciem, quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem: legiones, secundum virtutes cujusque, in cornibus & in medio collocavit: spatia bis interposita tyronibus supplevit. Adversus hanc ordinationem Julius Cæsar & ipse triplici acie dispositis in fronte legionibus, sinistrum latus, ne circuiri posset, admovit paludibus*. Ad hæc Lipsius: Noto, quod ait, denos ordines habuisse singulas Pompeii acies in latitudinem: quo id sensu? Opinor, hoc vult, cum quæque acies duas legiones haberet, in fronte quinas, & quinas aliis quinis, & quinis subjunctis, atque ita factos decem ordines, ut appellat, sive series & velut strigas: non enim tam distincte in manipulos hic divisi, ubi tantus legionum numerus, &c. Iterum in Analectis: Locus Frontini mihi obscurior est; & mens mea interpretantis quinas, & quinas cohortes stetisse; quæ vox male omissa: Sentio in quaque legione quinque cohortes stetisse in fronte, quinque alteras in subsidiis; & cum duæ legiones in quaque acie junctæ essent, decem igitur ordine stetisse; idque ordines totidem a Frontino vocari. Non nego, novitium esse, & ordines magis vocari ipsas lineas simplices, & per seriem singulos viros: sed quid hic aliter faciam? Si pro vulgato more, & sensu accipis, omnes istæ legiones (undecim fuisse e Cæsare & Appiano colligas, etsi Orosius non nisi octoginta octo cohortes numeret; sed idem in equitum numero falsus) omnes, inquam, in triplici, non nisi triginta viros habuerint in fronte, ut Frontini verba sunt; si tamen pura & recta. Ambigere enim me fateor, & an non magis denos ordines in altitudinem? Etsi ea quoque profunditas parva pro numero copiarum. Omnino ambigo, & numerus fortasse corruptus, ampliorque faciendus sit; quod rogo considerares eos, quibus Mars & Ars ista Militaris, usu quoque nota. Citavi ipsa verba, ne quid mei viderem addere: & quia hæc a compilatoribus & excerptoribus Commentatorum (qui nescio quomodo fere incidunt in errores magnorum virorum, eosque ceu κυρίας δόξας suscipiunt) jam video adducta tanquam lucem Cæsari, aut Frontino ferentia, cum nihil habeant veri, nihil tanto viro dignum, nisi quod ipse non satis probet.

Omnis autem hallucinatio hinc oritur, quod non intellexit latitudinem aciei esse τὸ βάθος; quod tamen dubium non est, & ex eo satis intelligi potest, quod *frontem* appellant longitudinem. Hirtius bello Africano: *Pacidius equites exporrigere cœpit in longitudinem, ut haberet facultatem turmas Julianas circumfundendi*. Idem: *Numidas ex subsidiaria acie ita extenuatos, & in longitudinem exporrectos, ut procul esse simplex acies a legionariis militibus videretur; in cornibus autem duplex*. Sed omnem, si qua potest esse, dubitationem eximit Scriptor militaris: *Singuli armati in directum ternos pedes inter se occupare consueverunt, hoc est, in mille passibus, mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: inter ordinem autem & ordinem, a tergo in latum, sex pedes distare voluerunt*. Nec aliter Græci Tactici: μῆκος enim iis idem est in acie quod πρόσωπον, στόμα, μέτωπον, παράταξις, πρωτολοχία: βάθος vero, πλάτος, & πάχος synonyma sunt. Nec sine ratione: cum enim in quadratis parte altera longioribus, longitudo vulgo longior pars sit, latitudo vero brevior, non alias partes tam in acie, quam in agmine, his vocabulis debuerunt designare: acies enim frontem habet longiorem, breviora latera: agmen in itinere contra. Quidam tamen Veterum etiam aliter utramque partem appellant. Livius lib. XXXIII. *Cetratos & Macedonas hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere jubet; simul, ne facile perrumperetur acies, dimidium de fronte demtum, introrsus porrectis ordinibus, duplicat, ut longa potius, quam lata acies esset, simul densari ordines jussit, ut vir viro, arma armis jungerentur*. Idem XXXVII. de acie Antiochi: *Regii tam lata acie, ne ex medio quidem sua cornua circumspicere poterant, nedum extremi inter se conspicerentur*. Salustius etiam de longitudine aciei; *late ire, & late exporrigere aciem*. Jugurthino: *Sic animis eorum arrectis equites in primo late*, (ita enim hæc legenda, recte monuerunt viri docti: adjecit aliquis, quod intelligitur, *ire*, inde factum *latere*) *pedites quam arctissime ire, & signa occultare jubet*. Idem: *Aciem quam, diffidens virtuti militum, arte statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit*. Et Curtius lib. III. *Triginta & duo armatorum ordines ibant; neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiæ: paulatim deinde laxare se sinus montium, & majus aperire spacium cœperunt: ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus*. Sed hæc ex consuetudine vulgata loquendi, & usu linguæ Latinæ; neque enim hoc sensu, opinor, tam recte dixissent, *longe ire, longe exporrigere, & extendere aciem*. Unde & Vegetius, qui longitudinem cum latitudine alioquin in acie non confundit, cuneum in medio dixit latiorem procedere: *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primo angustior; deinde latior procedit, & adversariorum ordines rumpit*. De Frontino autem, scriptore Tactico, minime est ambigendum, quin ex more Tacticorum sit loquutus; præsertim quum decem ordines, illa ætate, justus quodammodo in acie instruenda numerus essent. Unde in Glossario: *Contubernium*, δεκαρχία, ἀκία, βάθος τῶν ἀκυῶν. Sed nos via excedimus: redeamus ad agmen. Duo, quod nos docuit Varro, in hostico agminum genera; alterum, longa fronte quadrato exercitu; alterum, angusta fronte & densum: præter has formas, quas tradunt Tactici (quamvis & illæ ex his fluunt) vix Romanorum militari usu probatæ. Romani enim veteres, simplicius agentes, non tot formas agminis nobis descripserunt, quot Græci, quas, cum de acie agemus, ne quid omisisse videamur, explicabimus: hic Romanorum divisionem tetigisse sufficiat. Igitur illi agmini in locis patentibus, & æquis; huic in angustis, montuosis, asperis, & iniquis locus est. Illud immistis jumentis etiam; hoc sine jumentis incedit. Utriusque in hostico usus. Nam in pacato, longo agmine incedebant, & sæpe, ne in agris nocerent, regionemque pervastarent, via publica. Nec postrema causarum fuit, propter quas tanta cura, tantoque impendio munierunt vias consulares; quod vellent legiones quolibet anni tempore commode educi posse, & reduci.

CAPUT XII.

DE

AGMINE POLYBIANO.

Nunc autem, quo modus & ratio agminis ducendi cominus spectetur, sumamus aliquod ex veteri novaque militia exemplum, cujus singulas partes examinemus. In veteri quidem re militari, ad quem nisi ad Polybium redeamus? Duo hic describit genera agminum, quorum primum ita se habet: In primo agmine sunt extraordinarii, ut qui proxime portam Prætoriam tendunt, quibus succedit dextra sociorum Latini nominis ala. Alam & extraordinarios sequuntur impedimenta sua. Deinde legio prima, suas a tergo sarcinas habens; post quas secunda eadem ratione: sequuntur enim hanc quoque jumenta sua, sed & alæ sinistræ, quæ novissimo in agmine est. Atque hæc, cum in hostem itur; cum vero ab hoste recedunt, extraordinarii, qui nunc primo agminis sunt, novissimum claudunt. Hoc agminis genere sæpe incessisse exercitus, apud Livium observare est, etiam cum instructi in hostem ducerentur. Livius XXXV. *Posteaquam relatum est, quantæ copiæ, & quo loco essent, totius agminis sarcinas in medium conjici, & triarios vallum circumjicere jussit: cætero exercitu instructo ad hostem accessit: hora secunda ferme concursum est, sinistra sociorum ala* (ita legendum, recte monuit Lipsius, non, ut in vulgatis, *sociorum equitum ala*; pedites enim alarii erant, equitum mox alio loco meminit) *& extraordinarii prima in acie pugnabant. Consul legiones continebat in subsidiis*. Ibi & dextram alam fuisse, deinde ostendit. Extraordinarii, & alarum altera prima in acie; in subsidiis legiones & altera ala: & omnino ad præscriptum Polybiani agminis acies ordinantur. Livius XXVII. *Sinistra*

A *ala ab Romanis, & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant*. Sed prioris diei acie Marcellus dextram alam, & extraordinarios habuerat in primo; his subsidio legionem duodevicesimam. Hoc quoque ex lege, quam hic dat Polybius; qua alternis diebus alarum & legionum altera præcedebant & sequebantur, quo aquationis & pabulationis commodo, ex æquo, per vices fruerentur. In hoc autem ordine itineris patentiores campos nacti, præsertim vicino hoste, quo quadrato agmine incederent, itineri simul apti & pugnæ, alarum sæpe & legionum alteram eadem acie, eodemque collocabant ordine; alteras vero in subsidiis, vel certe cum ad manum veniebatur, ex impedimentis evolutam legionem, sive dextra, sive sinistra, B primo agmini junxerunt. In acie Fulvii Proconsulis contra Hannibalem, quinta legio & sinistra ala in fronte, secunda legio & dextra (uti probabile est; non enim dicit Livius) in secunda acie. Paulo post de acie Marcelli: *Ab hora tertia, quum ad noctem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ acies essent, ab Romanis prima legio & dextra ala, ab Hannibale Hispani milites & funditor balearis*: (ita enim hæc distinguenda, & intelligendum has primas acies utrinque fuisse, non has copias in aciem actas, ceu primæ aciei subsidium, ut vulgo videtur intelligi: *ab Romanis prima* C *legio, ab Hannibale Hispani milites & funditor balearis*, id est, quæ primæ acies a parte Romanorum, & parte Hannibalis erant: nam quæ sequuntur, distincta sunt) *Elephanti quoque, commisso jam certamine, in prælium acti. Diu pugna neutro inclinata stetit, primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit; & apud hostes integri a fessis pugnam accepere*. Alibi solam alam in primo, duas legiones in subsidiis reperias. Livius lib. XXXI. *Vix spatium instruendi fuit: eo cursu hostis in prælium venerat: dextera ala (nam in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est, in subsidiis* D *duæ Romanæ legiones*. Sed hoc, cum *vix spatium instruendi esset*: ideoque statim ut vidit Furius Prætor Gallos circumvenire a cornibus, & amplecti hostium aciem conari, ut & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis, dextra lævaque alæ, quæ in prima acie pugnabat, circumdat. Alioquin quum ex hoc agmine instruebatur acies, & erat spacium, non raro, ut diximus, alarum alteram cum altera legionum eadem in acie collocabant, duplicemque aciem instruebant. Nam quemadmodum veteri militia duo agminum genera, alterum, per totas cohortes, legiones, & alas; alterum, per hastatos, principes, & triarios dispositum, quorum utro- E rumque rationem docet hic Polybius; sic etiam duo genera acierum eadem ratione erant. Nec semper instruebatur acies per hastatos, principes, & triarios, sed interdum per cohortes: & tria hæc militum genera in eadem acie collocabantur, ut in his exemplis, quæ adduximus, videre est. Falluntur enim, qui putant a Mario cœpisse, ut per cohortes ordinaretur: sæpius manipulatim, fateor: non admodum tamen raro illa ratione veteri Republica acies struebatur. Crebrius hoc genus agminis per cohortes in itinere: illud, per manipulos in acie: utrumque tamen & in acie, & in itinere, usu receptum. Illa acies fere triplex, hæc sæpius du- F plex erat. Marius usum illius prioris aciei sustulit; sed hanc primus non induxit. Sed hæc suo loco. Hic quam rationem in istis aciei formis sint secuti, tetigisse sufficiat. Exempla autem harum acierum, quod ratio itinerum a scriptoribus plerunque omittitur, pro exemplo agminis hujus Polybiani adducere, necesse habuimus; & possunt commod eorum locum supplere. Equites modo suam quamque partem a tergo sequuntur; extraordinarii extraordinarios pedites; alarii alarios; legionarii legionarios; sicut in castris proxime suos tendunt: modo adequitantes impedimentis dextra lævaque, adversus incursiones hostiles latera tuentur. Hoc tantum Polybius. Certus tamen iis locus proprie non fuit, nec in acie, nec in itinere. Unde quemadmodum militibus & exercitui solent opponi, quod ad Hyginum notavimus; sic etiam in prælio sæpe ab acie, & in itinere ab agmine distinguuntur. Cæsar de Bello Gallico lib. IV. *Petebant, uti ad eos equites, qui agmen antecessissent, præmitterent, eosque pugna prohiberent*. Eodem *Equitatum, quod recenti prælio præterritum existimabat, agmen subsequi jussit: acie triplici instructa, & celeriter IIX. millium itinere confecto, prius ad hostium castra pervenit, quam quid ageretur, Germani sentire possent*. Livius lib. XXI. *Itaque sub lucem cum equitatu Consul aderat, jussis quadrato agmine legionibus sequi*. Vides *agmen* opponi *equitibus*, & quidem *quadratum*; quod, quia proprie legionum est, nescio anne inde verius legio quadrata dicta, quam a quatuor millibus; quod autumat Festus. Hinc *grave legionum agmen* apud Historicos. Vides etiam equites nunc præcedere, nunc subsequi agmen. Præmittebantur quidem, cum in hostem iretur in locis planis & apertis, ut late explorarent hostem, pabulatione, frumentatione & aquatione prohiberent, exciperent excedentes ex itinere, carperent ac male haberent agmen, morarentur iter, opus castrorum tardarent; quorum in Historiis passim exempla. Cæsar: *Relinquebatur Cæsari nihil, nisi uti equitatu agmen adversariorum male haberet & carperet*. Et paulo post. *Quum de tertia vigilia Petrejus atque Afranius castra movissent, equites repente sese ad novissimum agmen ostendunt; & magna multitudine circumclusa, morari atque impedire incipiunt*. Eodem Cæsar: *Equitatu præmisso, qui novissimum agmen carperet atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur: nullum intendebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur*. Hæc cum sequeretur Afranium & Petrejum Cæsar. At cum recederet a Pompejo, post prælium Dyrrachinum, ipse in novissimo agmine equites habuit; Pompejus, qui sequebatur, in primo: libro III. *Neque vero Pompejus cognito consilio, moram ullam ad insequendum tulit, sed eadem spectans, si itinere impeditos & perterritos deprehendere posset, exercitum e castris eduxit, equitatumque præmisit ad novissimum agmen demorandum; neque consequi potuit, quod multum expedito itinere antecesserat Cæsar: sed quum ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus novissimos prælio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosque antesignanos admiscuit CD. qui tantum profecerunt, ut equestri prælio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent; ipsi incolumes se ad agmen reciperent*. Livius XXVI. *Hannibal, omissa oppugnatione, recipere signa, & convertere agmen peditum, objecto a tergo equitatu, ne hostis instaret, cœpit*. Eundem in agmine locum, cum in hostem proficiscerentur, prælioque certare, aut castris castra conferre studerent, dedere interdum equitatui, in locis in quibus nullus ejus usus; aut cum nihil admodum in eo perterrito esset præsidii Quanquam tum quoque in medio, velut in castris, receptus legitur De agmine Afranii Cæsar: *Expeditæ cohortes novissimum agmen claudebant, pluresque in locis campestribus subsistebant; si mons erat adscendendus, facile ipsa loci natura periculum repellebat, quod ex locis superioribus, qui antecesserant, suos adscendentes protegebant; quum vallis, aut locus declivis suberat, neque ii qui antecesserant morantibus opem ferre poterant, equites vero*

ex loco superiore in adversos (an *aversos?*) *tela conjiciebant. Tum vero magno in periculo erat res: tum inquirebant* (scribe, *tum vero magno in periculo erant, res tum requirebat*) *ut quum ejusmodi locis esset adpropinquatum, legionum signa consistere juberent, magnoque impetu equitatum repellerent: eo summoto, repente incitato cursu, sese in valles universi demittere, atque ita transgressi, rursus in locis superioribus consistere: nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, ut eos, superioribus perterritos præliis, in medium reciperent agmen, ultroque eos tuerentur, quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Cæsaris exciperetur.* Quotiens tamen totus equitatus in prælium non educebatur, nec dividebatur, ut pars ejus antecederet agmen, pars sequeretur, ut plurimum vel ad latera vel ad tergum suæ cujusque partis, per totum agmen, ita ut memorat Polybius, distribuebatur: alii in primo, alii in medio, alii in novissimo agmine: & sicuti in castris, & in acie instructa, sic & hic unaquæque pars equitatum suum habebat. Velitum, & reliquæ levis armaturæ, nullam hic mentionem habet Polybius; quia nec hi pars agminis proprie erant, sed longe lateque ut plurimum spargebantur, modo præcurrebant agmen, modo sequebantur, modo hinc inde explorabant; nunc cum equitatu, nunc absque eo, in montuosis quidem & asperis locis, vice equitatus soli fungebantur, in campestribus, equiti miscebantur. Nam illud præcipue observari jubent, ut ea pars, ut ait Vegetius, ad quam *hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & levi armatura, nec non etiam peditibus sagittariis muniatur. Quod si undique circumfunduntur inimici, undique præparata debent esse subsidia.* Impedimentorum quoque hic ordo non fuit perpetuus, neque in hac, neque in illa Polybii ratione. Cum in hostem movebant, sequebantur interdum non suum genus, sed omnes legiones: interdum, cum ab hoste recedebatur, præmittebantur, ita tamen, ut his justa manus præsidio esset. Præmisit Cæsar, a Dyrrachio recedens, de Bello Civili lib. III. aliquot dies continuos, unamque iis legionem præsidio misit. Sæpissime autem hoste vicino, in medio totius agminis impedimenta omnium recipiebantur. Cæsar, cum longius ab hoste abesset, post suam quamque legionem impedimenta ducebat: hoste appropinquante, ex consuetudine, totius exercitus impedimenta in unum locum conferebat. Utrumque nos docet de Bello Gallico secundo; *Quidam ex Belgis, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Nervios pervenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere; neque esse quicquam negotii, cum prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri: qua pulsa, impedimentisque direptis, futurum ut reliquæ contra consistere non auderent.* Et paulo post: *Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat. Inde duæ legiones, quæ proxime conscriptæ erant, totum agmen claudebant, præsidioque impedimentis erat. Equites nostri, cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu prælium commiserunt.* Probat hoc omnino scriptor Militaris: *Impedimenta, sagina rii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum sequatur: nam ambulantibus interdum quidem a fronte, sed frequentior a tergo superventus infertur; a lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda sunt.* Germanici in Germania agmen, ut

A supra citavimus, ita fuit compositum, ut non tantum im medio impedimenta, sed a quatuor partibus, legionibus singulis circumdarentur. Leo *impedimenta omnia, sarcinas, servitia, atque omnem apparatum, simili ratione in medio jubet collocare.* Sed idem antea: *Δεῖ δὲ τὸ τοῦλδον, ὡς εἴρηται ἡμῖν ἀνωτέρω, καὶ ἡγεμόνα ἔχειν ἴδιον, ὥστε αὐτὸ καὶ διατάξαι, καὶ διϊθύνειν, καὶ ἄγειν αὐτὸν οὕτως, ἢ πρὸ τῆς παρατάξεως, ἐὰν ἐκ πολεμίας γῆς ὑποστρέφῃς, ὀπίσω δὲ τῆς παρατάξεως, ἐὰν εἰς πολεμίαν γῆν ἐμβάλῃς, ἔνθεν δὲ ἢ ἐκεῖθεν, ἐὰν τὰ πλάγια τῆς παρατάξεως φοβούμενος πορεύῃ, ἐντὸς δὲ τῆς φάλαγγος, ἐὰν τὰ πανταχόθεν ὕποπτα ἔχῃς.* Quæ ex Æliano, paucis mutatis, de- B sumta sunt; quamvis in Æliano hic hiatus sit, qui ex hoc loco suppleri videtur posse: illa tantum postrema immutavit; nam dixerat Ælianus, *ἐν δὲ τῇ φάλαγγι, ἐὰν κοῖλον τὸ τάγμα τυγχάνῃς ἄγων.* Vegetius scribit, *Veteres, ad exemplum militum, etiam impedimenta militum sub quibusdam signis ordinanda duxisse; & ex ipsis calonibus, quos galearios vocant, idoneos ac peritos usu legisse, quos non amplius quam ducentis saginariis, puerisque præficerent: hisque vexilla dedisse, ut scirent, ad quæ signa deberent impedimenta colligere; sed propugnatores ab impedimentis laxamento aliquo dividi, ne, constipati, lædantur in prælio.* Hæc de equiti- C bus, levi armatura, & impedimentis hic monere volui; quod varia eorum in agmine ratio, tam in veteri quam recentiori fuerit militia. Neque locus hic ea silentio præterire permiserit; alioquin talia sunt, ut cuivis, non supino, aut plumbeo, lectori observare ea, in proclivi sit. Nunc ad secundum Polybii agmen, cujus usum esse ait, in metu hostili, & periculo, campisque patentibus, & apertis. In triplicem aciem, vel triphalangiam divisi, hastati, principes, & triarii, paribus inter se intervallis distantes incedunt: sed jumenta ante singulas acies collocantur, etiam ante primam. Ex quo con- D jectura videtur judicandum, Polybium extraordinariis, ut in priori agmine, sic etiam hic ante has acies, primum dare locum: neque enim veri est simile, quantumvis in campo puro & patenti, hoste tamen vicino, prima impedimenta nuda objici. Nisi quis velit, Polybium hic describere agmen ab hoste retrocedens, in quo, ut antea diximus, prima procedunt impedimenta; quod ipsum confirmari eo posse, quod mox ait de evolutione hastatorum, quasi ea rarius tantum, non semper, opus sit, & proinde vulgo post omnia impedimenta collocentur: ita ut triarii primi iter faciant, deinde principes, postremum agmen claudant hastati. Obstat tamen E huic suspicioni, quod Polybius hastatorum primo, deinde principum meminit, & triariorum, sine ulla mentione inversi agminis ordinisque. Hoc ordine agminis, si quid ingruat, inquit, periculi, modo ad dextram, modo ad sinistram conversis, educunt extra impedimenta eam in partem, qua hostis apparuerit; atque ita *ἐν βραχεῖ χρόνῳ, καὶ μιᾷ κινήσει τὸ μὲν τῶν ὁπλιτῶν σύστημα λαμβάνει παρατάξεως διάθεσιν.* Putat Patricius unico hoc motu militum *παρ' ἀσπίδα*, vel *ἐπὶ δόρυ*, quo extra impedimenta ducebantur, agmen habuisse justam exercitus instructi speciem, atque ita recta in hostem ivisse. Sed fallitur: de alio hic motu loqui, & verba ipsa Polybii, F & mos Romanorum clamat. Ut justam Romanæ aciei formam acciperet agmen, eodem ordine, quo immistis impedimentis paulo ante incesserat, evolutum, etiam instrui debuit, in prima fronte hastati, secundo loco principes, tertio triarii. Itaque cum a fronte occurrerent hostes, educti milites haud dubie se eo converterunt; atque ita in hostem processerunt, ut paulo ante iter fecerant. Hæc enim aciei vulgatæ ratio est. Jam si a latere esset hostis, contra quem pugnam instruerent, necesse est

primos exiisse, & paulo longius ab impedimentis retorsisse agmen versus hostem hastatos, deinde principes, postremo triarios. At si a tergo appareret hostis, vel inversa acie pugnandum fuit, ita ut A primi essent triarii, postremi hastati, vel evolutione, aut circumductione acies commutanda: & hoc illud fortassis est, quod ait, ἐὰν μήποτε προσεξελίξαι δέῃ τοὺς ἀστάτους.

CAPUT XIII.

DE

AGMINE VESPASIANI.

Josephus, libro tertio ἁλώσεως, Vespasiani agmen, Ptolemaide castra moventis in Galilæam, describit non quidem accurate admodum; haud paulo tamen distinctius quam solent Græci & Romani scriptores. Quem locum, cum itineris & agminis ordinem Romanorum ejus ætatis complectatur, & haud multum distet a ratione Castrorum Hyginianorum, sigillatim hic examinare haud abs re visum fuit. Verba ejus hæc sunt: Οὐεσπασιανὸς δὲ ὡρμημένος αὐτὸς ἐμβάλλειν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐξελαύνει τῆς Πτολεμαΐδος, διατάξας τὴν στρατιὰν ὁδεύειν, καθὰ Ῥωμαίοις ἔθος· τοὺς μέν γε ψιλοὺς τῶν ἐπικούρων καὶ τοξότας προάγειν ἐκέλευσεν, ὡς προσκοποῖεν τὰς ἐξαπιναίους τῶν πολεμίων ἐπιδρομάς, καὶ διερευνῷεν τὰς ὑπόπτους καὶ λοχᾶσθαι δυναμένας ὕλας. C οἷς εἵπετο καὶ Ῥωμαίων ὁπλιτικὴ μοῖρα, πεζοί τε καὶ ἱππεῖς. τούτοις ἀφ' ἑκάστης ἑκατονταρχίας ἠκολούθουν δέκα, τήν τε αὐτῶν σκευὴν, καὶ τὰ μέτρα τῆς παρεμβολῆς φέροντες. καὶ μετ' αὐτοὺς ὁδοποιοὶ, τά τε σκολιὰ τῆς λεωφόρου κατευθύνειν καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα, καὶ τὰς ἐμποδιούσας ὕλας προανακόπτειν, ὡς μὴ ταλαιπωροῖτο δυσπορῶν τὸ στράτευμα. κατόπιν δὲ τούτων, τάς τε ἰδίας, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῷ ἡγεμόνων ἔταξεν ἀποσκευάς, καὶ συχνοὺς ἐπὶ τούτοις πρὸς ἀσφάλειαν τῶν ἱππέων. μεθ' οὓς αὐτὸς ἐξήλαυνε, τούς τε ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν, καὶ ἱππέων, καὶ τοὺς λογχοφόρους ἔχων. D εἵπετο δὲ αὐτῷ τὸ ἴδιον τοῦ τάγματος ἱππικόν· ἴδιοι γὰρ ἑκάστου τάγματος εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἱππεῖς. τούτοις δὲ ἠκολούθουν οἱ τὰς ἑλεπόλεις φέροντες ὀρεῖς, καὶ τὰ λοιπὰ μηχανήματα· μετὰ τούτους ἡγεμόνες τε καὶ σπειρῶν ἔπαρχοι σὺν χιλιάρχοις, ἐπιλέκτους περὶ σφᾶς στρατιώτας ἔχοντες· ἔπειτα αἱ σημαῖαι περιίσχουσαι τὸν ἀετὸν, ὃς παντὸς ἄρχει Ῥωμαίοις τάγματος, βασιλεύς τε οἰωνῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμώτατος ὤν. ὃ δὴ καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν ἐφ' οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ. τοῖς ἱεροῖς δὲ ἠκολούθουν οἱ σαλπικταὶ, καὶ κατόπιν αὐτῶν ἡ φάλαγξ τὸ στῖφος εἰς ἓξ πλατύνασα. τούτοις παρείπετό τις ἑκατοντάρχης ἐξ ἔθους τὴν τάξιν E ἐπισκοπούμενος. τὸ δ' οἰκετικὸν ἑκάστου τάγματος ἅπαν τοῖς πεζοῖς εἵπετο, τὰς ἀποσκευὰς τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῖς ὀρεῦσι καὶ τοῖς ὑποζυγίοις ἄγοντες. κατόπιν δὲ πάντων τῶν ταγμάτων, ὁ μίσθιος ὄχλος, οἷς οὐραγοὶ πρὸς ἀσφάλειαν ἠκολούθουν πεζοί τε, καὶ ὁπλῖται, καὶ τῶν ἱππέων πολλοί. Id est: *Vespasianus vero ipse Galilæam cupiens invadere, ex Ptolemaide proficiscitur, ordinato militum itinere, sicut Romani consueverunt. Auxiliatores enim qui levius armati essent, itemque sagittarios præire jussit, ad repentinos incursus hostium cohibendos, & ut suspectas atque opportunas insidiis sylvas scrutarentur.* F *Hos sequebatur Romani peditatus equitatusque pars: post quos e singulis centuriis deni armaturam ferentes, mensurasque castrorum. Post hos stratores viarum ibant, qui aggeris maligna corrigerent,* B *ac aspera complanarent, sylvasque obstantes præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Deinde suas, itemque subjectorum sibi rectorum sarcinas, & tutelæ causa multos cum his equites ordinavit. Post quos ipse veniebat, lectos pedites equitesque, nec non & lancearios secum ducens, equitumque præterea suorum agmine comitatus. De singulis enim turmis proprios centum & viginti equites deputatos habebat. Hos sequebantur, qui expugnandis civitatibus machinas & cætera tormenta portarent muli. Deinde rectores, itemque præfecti cohortibus tribuni, stipati lectis militibus, & post hos* C *circum Aquilam signa alia, quæ omnibus apud Romanos agminibus præest, quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & principatus insigne putant, & omen victoriæ, quoscunque bello petierint. Sacras vero signorum effigies sequebantur cornicines, & post eos acies, in latitudinem senis digesta militibus, hisque adhærebat ex more quidam centurio, disciplinæ atque ordinis custos. Servi autem singularum legionum cuncti cum peditibus erant, mulis aliisque jumentis vehentes militum sarcinas. Postremum agmen, in quo erat mercenaria multitudo, cogebant armati pedites, equitumque non pauci.* Primo loco ponit D τοὺς ψιλοὺς τῶν ἐπικούρων, καὶ τοξότας) auxilia levis armaturæ, & sagittarios. In Titi agmine quod describit libro VI. primo in agmine collocat τοὺς βασιλικοὺς καὶ πᾶν τὸ συμμαχικόν. Erant autem hæc auxilia in exercitu Vespasiani, bina millia peditum & sagittarii mille, quos Reges, Antiochus, Agrippa, & Sohemus miserant: item quinque peditum Arabum millia, equites mille, pars major sagittarii. Tacitus de Germanico: *Incessitque itineri aptus & prælio: pars equitum & auxiliariæ cohortes ducebant.* Addit: ὡς προσκοπεῖν τὰς ἐξαπιναίους τῶν πολεμίων ἐπιδρομάς, καὶ διερευνῷεν τὰς ὑπόπτους καὶ λοχᾶσθαι δυναμένας ὕλας. Priorem causam tangit Ve- E getius: *Pars ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & levi armatura, nec non peditibus sagittariis muniatur.* Cæsar supra: *Equites nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu prælium commiserunt.* Idem Cæsar alibi conjungit speculatores & antecessores equites. Hyginus in prætentura castrorum collocat *exploratores, equites Mauros, & Pannonios veredarios, qui primi castris exeant.* Ῥωμαίων ὁπλιτικὴ μοῖρα πεζοί τε καὶ ἱππεῖς.) Expeditæ aliquot cohortes legionariæ cum equitibus a- F lariis esse videntur, quando nulla hic impedimentorum mentio est; sed infra post aquilas & agmen legionum. Cæsar fere, pro rei necessitate, vel totas legiones, vel aliquot cohortes, vel delectos ex antesignanis legionum expeditos habuit ab ea par-

bat. Hyginus utriusque generis partem in prætentura collocat: erat enim consuetudo Romanorum, tam in agmine quam in castris, auxiliis Romanam jungere manum. In Titi tamen agmine gravis armaturæ nulla hic est mentio. Ἀφ' ἑκάστης ἑκατονταρχίας δέκα) *Μετρητὰς στρατοπέδων*, ut eos appellat libro sexto, cum perticis vel decempedis, cæterisque instrumentis mensoriis, & quidem satis magnus numerus, decem ex singulis centuriis. An quod decem iis tabernacula? sane pedaturam decem papilionum attribuit cuique centuriæ etiam Hyginus. Sed, quantum ex vestigiis male habitæ scripturæ colligi potest, octo tantum papilionibus tendunt milites, cætera pedatura centurioni relinquitur. An quod unum contubernium fuit, quibus hæc res delegata? Præmissos quidem, præsertim cum appropinquatum loco ubi ponenda castra, & munus eorum, & nomina, quæ sequiori ævo acceperunt, ostendunt. *Antesignani* enim & *antecessores* dicuntur Vegetio, Leoni, aliis. Vegetius: *Metatores, qui præcedentes locum idoneum castris eligunt*. Unde & *metatores* præmissi a Principe nuntii, auctore Suida. *Cæsar Exploratores præmittit, & centuriones*. Ὁδοποιοὶ) Ita & Xenophon appellat viarum munitores. In agmine Titi hos etiam jungit metatoribus; sed statim secundum auxilia, nulla præcedente gravi armatura. Classicorum hæc provincia est in Hyginiano exercitu; quos Mauri & Pannonii veredarii operantes protegunt: *Prætendunt alæ milliariæ, vel quingenariæ, Mauri equites, Pannonii veredarii. Classici omnes ideo prætendunt, quod ad vias muniendas primi exeunt; & quo sint tutiores, a Mauris equitibus, Pannonis veredariis operantes proteguntur*. Τά τε σκολιὰ τοῦ λεωφόρου) Λεωφόρον appellat viam militarem, qua iter facturus est exercitus. Philo de mari rubro, viæ usum præbente populo Judaico: Ὁδὸς εὐρεῖα δὲ καὶ λεωφόρος γίνεται. De hoc autem more, vias muniendi exercitui iter facienti, intelligenda sunt quæ ex Prophetis citant Evangelistæ, & de Johanne Baptista interpretantur, qui, ut præcursor & antecessor Domini, jussit viam parare, & ipse paravit: Ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. Canit enim Propheta, populum jam jam ex captivitate in Judæam reversurum; eique jubet muniri viam. Hoc est, quod hic dicit, τὰ σκολιὰ τοῦ λεωφόρου κατευθύνειν, καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα. Leo: Ἐὰν δὲ διὰ τραχέων τόπων ἡ ὁδοιπορία μέλλῃ γίνεσθαι, ἢ κρημνωδῶν δυσβάτων, ἢ δασέων προτρέπισε πλῆθος στρατοῦ, καὶ ἀπέστειλον ἐπὶ τοῦτο, ὥστε διορθώσασθαι καὶ παρασκευάσειν εὐθεῖαν τὴν ὁδὸν κατὰ δυνατὸν τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν.) Tacitus: *Cæcinnam cum expeditis cohortibus præire, & obstantia silvarum amoliri jubet*. Cæsar de bello Gallico tertio: *Cæsar sylvas cædere instituit, &, ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri possit, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostes collocabat*. Vegetius: *Quod si angustæ sint viæ, sed tamen tutæ, melius est præcedere cum securibus ac dolabris milites, & cum labore vias aperire, quam in optimo itinere periculum sustinere*. *Aperire campum* etiam Tacitus. Sed mos notior est rerum antiquarum gnaris, quam ut multis eum illustrare sit necesse. Solebant & hæ, quæ expeditæ præmittebantur, cohortes, occupare juga & loca edita, nec unde impetus in agmen fieret; item angustias, quas κλεισούρας vocant Tactici sequioris ævi. Vegetius: *Secreta ne noceant, Ducis præstat industria, quem omnia prius convenit explorare. Deprehensa vero subsessa, si circumveniatur, utiliter plus periculi sustinet, quam parabat inferre. Aperta autem vis si præparetur in montibus, altiora loca præmissis sunt præsidiis occupanda, ut, cum hostis advenerit, reperiatur inferior, nec audeat obviare, cum tam a fronte, quam supra caput suum cernat armatos. Præsidia occupare* vocant. Cæsar: *In præsidiis occupandis magna vi uterque nitebatur. Cæsar ut quam angustissime Pompejum contineret &c.* ita enim recte monent viri docti scribendum; vulgo *utebatur*. De bello civili I. *Tamen virtute & patientia nitebantur, atque omnia vulnera sustinebant*. Et statim: *Tamen in summum jugum virtute connititur*. Τάς τε ἰδίας καὶ τὰς τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἡγεμόνων ἀποσκευάς) Vespasiani, Legatorumque & Tribunorum impedimenta. Vox enim ista, apud Josephum, non minus late patet, variæque significationis est, quam in Historia sacra; nunc Imperatorem sive Cæsarem, nunc Ducem exercitus, nunc Legatos & Tribunos, nunc solos Legatos significat, nunc alios, qui cum imperio sunt & potestate. Hic non tantum Legatos, sed etiam Tribunos & Præfectos Castrorum designari arbitror, ideo quod ipsi statim sequuntur, & in castris etiam ad principia conjuncta habent scamna. Statim tamen eos a Tribunis distinguit: ἡγεμόνες τε καὶ σπειρῶν ἔπαρχοι σὺν χιλιάρχοις: alibi Trajanum vocat decimæ legionis ἡγεμόνα: de Vespasiano Imperatore dixit: Οὐεσπασιανῷ τὴν ἡγεμονίαν ὀμνύειν. Impedimenta autem hæc, quorum locum Polybius in agmine neglexit, ante legiones non tantum, sed ante ipsum adeo Imperatorem ponit: ideo opinor, quod prima omnium in castra ducerentur. Priusquam enim horum tabernacula constituta, nemini suum statuere fas fuit. At Leo contra, Imperatoris impedimenta novissima omnium incedere jubet. Tuentur hæc equites, sicut in Polybiano itinere, & παρὰ τὰ ὑποζύγια πλάγιοι παραπορεύονται συνέχοντες ταῦτα, καὶ τὴν ἀσφάλειαν τούτοις παρασκευάζοντες. In Hygini Castris secundum scamna & proxime impedimenta Legatorum Tribunorumque consident alæ milliariæ. Μεθ' οὓς αὐτός.) Imperatorem circumdatum cohorte sua, ante equites, quos vocat, τάγματος, constituit, quos tormenta, machinæque sequuntur: hos Legati, Tribuni & legiones. Leo: Περιπατοῦντος δὲ τοῦ στρατοῦ, ἡγείσθω ἡ σὴ ἐνδοξότης, ὡς τοῦ παντὸς στρατοῦ προπορευομένου αὐτοῦ, τιμῆς ἕνεκεν, καὶ διὰ τὸν φόβον τῶν ἐπιτιμίων, διὰ τῆς ἁπάσης προελεύσεως, καὶ τῶν μετά σου βάνδων: vulgo ante agmen, ante signa, in itinere, velut ἐν τῇ ἰδίᾳ τάξει, ponitur Imperator, & fere pedes. Vitellius in ingressu urbis Romæ ante primum agmen incessit. Sequuntur eum legiones, deinde alæ, postremo cohortes. De Cajo Julio Suetonius: *In agmine nonnunquam eques, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset*. De Vespasiano hoc Tacitus: *Acer militiæ anteire agmen*. Et de Othone: *Lorica ferrea usus ante signa, pedester, horridus, incomtus*. Τούς τε ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν καὶ ἱππέων, καὶ τοὺς λογχοφόρους.) In agmine Titi quosdam post impedimenta locat: καὶ μετὰ τοὺς τούτων ὁπλίτας αὐτὸς, τούς τε ἄλλους ἐπιλέκτους, καὶ τοὺς λογχοφόρους. Ubi interpres *signiferos* male convertit, quos hic *lancearios*. Hyginus in castris proxime prætorium ponit comites Imperatoris, deinde cohortes prætorias, primipilares evocatos, & equites prætorianos. Equidem cohortes prætoriæ Urbem plerumque, & Italiam tuebantur; raroque admodum, nisi cum ipso educebantur Principe. Duces tamen ex delecto milite, primipilaribus evocatis, & voluntariis, componebant manum quandam, quæ ipsis pro cohorte prætoria esset, eamque armis prætorianorum ornabant. Josephus: Φέρουσι δὲ οἱ μὲν περὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ, λόγχην καὶ ἀσπίδα: *lanceam & scutum rotundum*: inde dicti λογχοφόροι. Addidit, nihil horum armaturam ab armis differre

A equitum alariorum: Οὐδενὶ δὲ ὅπλῳ ἐξαλλάττουσιν οἱ περὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι τῶν ἐν ταῖς ἴλαις ἱππέων. Lanceis armabantur ea ætate equites: item speculatores, quos Tacitus *lecta corpora* vocat. Hic autem non solos speculatores, sed totam cohortem prætoriam intelligi apparet: nam & speculatores ex cohorte erant prætoria. Tacitus: *Dilapsis speculatoribus, cætera cohors non aspernata concionantem*. Insignia alia prætoriarum cohortium, alia legionum, etiam Tacitus notat: *Aperire deinde armamentaria jussit, rapta statim arma sine more & ordine militiæ, ut prætorianus, aut legionarius insignibus suis distingueretur*. Τὸ ἴδιον τοῦ τάγματος ἱππικόν.)

B Hic est ille locus, quem supra ad Hyginum de cohorte equestri interpretabar, non de equitatu legionis. Suadebat id imprimis ipse numerus equitum, quem alibi cohorti equestri diserte tribuit: neque obstare videbatur vocabulum, quod apud Græcos non semper pro legione sumitur. Libro VI. Josephus omnem eo copiam designat: Οἱ Ῥωμαῖοι καθ᾽ ἕκαστον τάγμα διεστήκεσαν τῆς στρατιᾶς. Libro V. Cohortes vigilum appellat: τὰ τῶν νυκτοφυλάκων στρατιωτῶν τάγματα. Leoni: τάγμα & *bandum* ejusdem significationis. Ignatio, epistola XII. τὸ στρατιωτικὸν τάγμα, *contubernium*, id est, decem milites.

C Repugnare tamen, ut verum fatear, huic videtur sententiæ, quod locus hic ante machinas, & signa legionum, proprius videtur equitum, qui legionibus juncti; non autem equitum cohortis. Nec de equite prætoriæ cohortis, vel singularibus, videtur accipi debere; cum jam paulo ante equitum peditumque delectorum meminerit, præsertim cum plures cohortes prætoriæ in exercitu Vespasiani fuisse non videantur; hic autem dicat, unumquodque *tagma* habuisse centum viginti equites. Equidem distinguunt etiam interdum equitem legionarium ab auxiliario scriptores ejus ætatis. Tacitus: *Fabius Valens die postero Coloniam Agrippinensem, cum equitibus legionis primæ auxiliariorumque, ingressus, Imperatorem Vitellium consalutavit*.

D Sed hæ alæ quingenariæ sunt. libro Historiarum II. *Dextra fronte prima legio incessit cum duabus vexillaribus cohortibus, & quingentis equitibus: super hos e prætorio auxilisque mille equites*: lib. III. *Duæ tunc Pannonicæ ac Mœsicæ alæ perrupere hostem: nunc sedecim alarum conjuncta signa*. Pannonicæ ac Mœsicæ alæ, sunt equitatus legionum Pannonicæ ac Mœsicæ. Hæ alæ, quia ex civibus conscriptæ, & legionibus adjunctæ, in inscriptionibus ejus ætatis equites legionis etiam appellantur. Non enim tunc erant trecenti equites Romanis antiquæ militiæ.

E Notes & alibi parvum equitum numerum dari legioni. Hirtius: *Adjungit Cn. Domitius legioni XXXVI. duas a Dejotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat, equitesque centum, totidemque ab Ariobarzane sumit*. Minor tamen ala quingenaria numerus, sub Imperatoribus rarior est. Quare nisi his Vespasiani legionibus minus justo equitum fuerit, aut corrupti sint hi numeri, vel denique (quod vult Savilius, sed parum probabile est) fallatur Josephus, nondum video, qui hæc commodius accipiantur, quam feci ad Hyginum: quod tamen velim alios examinare.

F Τὰς ἑλεπόλεις φέροντες ὀρεῖς, τὰ λοιπὰ μηχανήματα.) Machinas & tormenta, non tantum expugnandis oppidis, & defendendis castris habebant; verum etiam quæ in campo, ut ait Vegetius, post aciem gravis armaturæ ponebant; ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possent obstare. Vide Tacitum in III. Historiarum, ubi describit aciem Vitellii & Othonis exercitum. Ideo singulæ legiones, imo centuriæ, si fides Vegetio, habuere sua tormenta: libro III. cap. 25. Nam (legio) *per singulas centurias singulas carrobalistas habere consuevit*. Et statim: *In una autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent*. Tot enim in legione Vegetiana centuriæ sunt: collocabantur hæc in acie interdum post legiones, interdum ad cornua: in agmine autem hoc ante signa, sive quod ad expugnandas iretur urbes, ubi primus machinarum usus; sive quod prima in castra ferrentur, ibique in vallo constituerentur. Neque sane commode post legiones ducerentur, in loco impedimentorum.

Ἡγεμόνες τε καὶ σπειρῶν ἔπαρχοι σὺν χιλιάρχοις.) lib. VI. μετ᾽ ἐπιλέκτων χιλίαρχοι: & σπειρῶν ἔπαρχοι. ἡγεμόνας hic interpretor, *legatos*. Arrianus: Ἔπειτα τὸ σημεῖον τῆς πεντεκαιδεκάτης φάλαγγος, καὶ ἀμφ᾽ αὐτῷ, ὁ δὲ ἡγεμὼν τῆς φάλαγγος Οὐάλης; καὶ οἱ χιλίαρχοι. Tacitus Histor. II. *Illuc Mucianus cum Legatis Tribunisque, & splendidissimo quoque Centurionum venit*. Ingressu exercitus Germanici idem ante aquilam Præfectos Castrorum cum Tribunis locat: *Ante Aquilam Præfecti castrorum, Tribunique & primi Centurionum candida veste, cæteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes*. Inter Legatos legionum Vespasiani etiam Titus filius fuit, auctore Suetonio: *Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter Legatos majore filio assumto*.

Αἱ σημαῖαι περιίσχουσαι τὸν ἀετόν.) Unius hic tantum meminit Aquilæ; cum paulo ante Legatorumque & Tribunorum omnium fecerit mentionem, & sua cuique legioni Aquila fuerit, non una toti exercitui. Tacitus: *Quatuor legionum Aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla*. Agmen ducunt cohortes primæ quatuor legionum (eæ enim adservabant aquilas) & totidem vexillariorum cohortes, quæ & in castris tendebant in striga cohortis primæ. Ut autem Aquila totam legionem, sic cohortium signa cohortes, manipulorum manipulos ducunt. Non licet militi abscedere ab illis, non ante illa procedere. Moveantur signa, sequatur miles: consistant, consistat agmen. Hinc istud militum invicem adhortantium: *Accelera, signifer; sequere, miles*. Et illi, pugnæ flagrantes desiderio, clamant, *se ante signa ituros*. Nam in acie, etiam instructa, primum locum (fallitur vir doctissimus, qui aliter sentit) tenuerunt signa; nec licuit cuiquam ante ea procedere, priusquam datum concurrendi signum esset. At dato signo, non licitum tantum, verum pulchrum etiam & laudabile fuit, procedere ante signa, ibique in media mole pugnæ versari. Quam Romanorum disciplinam rationemque, parum adhuc explicatam, in illis quæde Acie conscripsi, multis persecutus sum. Mutis his signis subjungit semivocalia, quæ vocant, buccinas, tubas, cornua. Hæc quoque alia legionis, alia cohortium, aut manipulorum fuerunt, & duxerunt agmen.

Ἡ φάλαγξ τὸ στῖφος εἰς ἓξ πλατύνασα.) *Phalanga* vocat grave legionum agmen: sed formam longitudinemque agminis parum explicate describit. Neque enim satis constat, de longitudine, an de latitudine loquatur, cum ait sex ordinibus dilatatos. Nam quamvis, quæ proprie in agmine latitudo, quæ in acie, supra probaverimus; confundunt tamen ista scriptores. Deinde an de latitudine totius aciei hæc intelligemus? Ita quidem interpretari videtur Interpres: *Phalanx in latitudinem senis digesta militibus*. Lipsius: *Phalanx senum virorum ordinibus dilatata*. At ista ratione immanis fiat longitudo agminis. An de latitudine singularum partium? Addit enim τὸ στῖφος: quod ipsum dubium, de cohorte, an centuria accipi debeat? per cohortes, an centuriatim sex ordinibus instructi fuerint? præterea plures, an una tantum? & si plures,

plures, quot cohortes, vel centuriæ in fronte incesserint? Ad hæc diserte adfirmanda, divino opus est. Si quid ex agmine Vitelliano, & ratione tensionis in castris, conjectura licet judicare, cohors prima cum vexillariis, qui respondent numero trium cohortium, frontem tenuerint; quorum si singulæ centuriæ, sint virorum sexaginta (decem metatores jam ex singulis præcesserunt, fortassis & alii delecti: quod ait de sex virorum ordinibus, probabile reddit sexaginta milites fuisse)& habeant in fronte sex, introrsus decem milites, tres cohortes occupabunt in latitudinem (in singulos tres pedes damus) trecentos quatuor & viginti pedes; sin vero contra, in longum sex, in latum denos habuerint milites, occupabunt quingentos viginti pedes. hos subsequentur tres cohortes; deinde tres aliæ, & rursus totidem. Ita una legio in longitudine agminis, primo modo ducentos viginti quatuor (singulis pedes sex damus) secundo centum quadraginta quatuor tenebit. Possim alias adjicere formas, sed cum res tota sit incerta, non placet his agminibus, quæ ex suo quisque ingenio fingere potest, chartas replere. Τὰς ἑκατοντάρχης.) Vegetius Campi Ductores, Vicarios, vel Tribunos interponit. *Illud quoque*, inquit, *vitandum, ne per negligentiam, aliis festinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies* (de agmine loquitur) *aut certe tenuetur: continuo enim hostes inter prolata pervadunt. Interponendi ergo exercitatissimi campi Doctores, Vicarii vel Tribuni, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes accelerare compellant. Nam qui multum præcessere, superventu facto, non tam redire* (an *recedere*) *quam effugere cupiunt. Qui vero extremi sunt, deserti a suis, vi hostium & propria desperatione superantur.* Equidem magnæ curæ non solum in conflictu, sed etiam in itinere fuit ordo, tum universi agminis, tum singularum partium. Idem: *Primis meditationum auspiciis tyrones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent. Quod aliter non potest fieri, nisi assiduo exercitio ambulare celeriter & æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus & inordinatus exercitus.* Josephus: ὁδεύουσιν ἡσυχῇ καὶ μετὰ κόσμου πάντες, ὥσπερ ἐν πολέμῳ, τὴν ἰδίαν τάξιν ἕκαστος φυλάσσων. Statius vocat *legem severi ordinis*. Thebaid. V.

Dispositi in turmas rursus, legemque severi
Ordinis, ut cuique ante locus, ductorque monetur
Instaurare vias.

Τὸ δ' οἰκετικὸν ἑκάστου τάγματος.) Calonum magnus sub Imperatoribus in exercitu fuit numerus, ut supra dixit Josephus; qui ibidem notat in armis quoque fuisse exercitatos, Romanorumque ea in re prudentiam miratur, ita servos instruentium, ut non solum vitæ ministeriis, sed etiam belli necessitatibus utiles sint. Improbant tamen etiam ejus ætatis Romani, rem, magis licentia temporum inductam, quam ex disciplina militari, vel usu Reipublicæ institutam. Fabius, de oratione multis epithetis onerata: *Fit longa & impedita, ut in quæstionibus eam judices similem agmini, totidem lixas habenti, quot milites, in quo numerus duplex est, nec duplum virium.* Antiqua disciplina *gregariis non licuit habere servos; sed licentia temporum, & ambitio Imperatorum hoc quoque induxit.* Certe ex quo Cæsar legionibus omnibus in perpetuum duplicavit stipendium, singuli milites legionarii jus videntur consecuti servum alendi. Quæ res cum inutili turba & longo impedimentorum agmine, magis sæpe oneraret exercitum, quam res & ratio rei militaris permitteret, effecere interdum,

A ut sine istis milites in castra proficiscerentur. Cæsar bello Africano, ita ex Sicilia transportaverat exercitum, ut præter ipsum militem & arma, neque vas, neque mancipium, neque ullam rem quæ militi usui esse consuevit, in naves imponi pateretur. Ipse Cæsar in Britanniam non nisi tres servos duxerat, auctore Athenæo. Locus autem calonum, de quo hic agitur, in agmine idem fuit, qui impedimentorum & lixarum, de quibus supra diximus. Livius: *Non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat.* Cæsar: *Inter singulas legiones magnus impedimentorum numerus intercedebat.* Ὁ μίσθιος ὄχλος.) Hyginus

B Cantabros, Getas, Dacos, Brittones, & si quid præterea fuerit nationum in retentura, per strigas cohortium equitatarum & peditatarum spargit, & ab tergo & lateribus circumdat legionaria manu. Οἱ οὐραγοὶ πεζοί τε καὶ ὁπλῖται καὶ τῶν ἱππέων πολλοί.) Quod genus peditum equitumque agmen claudat, parum hic diserte ostendit, nisi quod pedites, partim esse gravis armaturæ, partim levis; Hygino quidem non invito, qui in retentura & legionarias & pedestres & equestres cohortes ponit. Tempus profectionis, ut hic dicam quod supra omisi, prout ratio rei gerendæ postulavit, varium, ac alias aliud: justum tamen & quodam

C modo legitimum quarta vigilia fuit. Cæsar de Bello Civili III. *Duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, itinere præmisit.* Eodem: *Postero die Cæsar, similiter præmissis prima nocte impedimentis, de quarta vigilia ipse egreditur: Idemque reliquis fecit diebus.* Spatium diurni itineris justum, viginti millia passuum. Vegetius libro I. cap. 10. *Militari ergo gradu viginti millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt.* Ideo Augusti & Hadriani Constitutio-

D nibus decem millia passuum armati, instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire jubebantur in castra, ita ut aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Ipse Hadrianus traditur vicena millia pedibus armatus ambulasse, & Galba totidem ad essedum Imperatoris cucurrisse campestrem meditationem scuto moderatus. Cæsar de Bello Gallico V. *Eo die millia passuum XX. progreditur.* Nec est quod quisquam hoc spacium minus justo diei itinere esse putet, ideo quod quinque horis æstivis conficiebatur ex disciplina militari. Neque enim totos dies sine gravi causa iter faciebant; sed partem diei quieti, par-

E tem munitioni castrorum, partem pabulo lignoque conquirendo dabant. Cæsar, post prælium Dyrrachinum, cum impedimenta omnia cum una legione silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisisset, reliquas legiones de quarta vigilia jussisset proficisci, jam ante meridiem justum diei iter confecerat. *Confecto*, inquit, *justo itinere ejus diei quod proposuerat Cæsar, transductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagum consedit, militesque omnes intra vallum continuit, equitatumque per causam populandi emissum, confestim decumana porta in castra se recipere jussit.* Pompejanis autem, ad repetenda ex superioribus

F castris impedimenta dilapsis, & ad sequendum impeditis, *Cæsar, quod fore providerat, meridiano fere tempore signo profectionis dato, exercitum educit, duplicatoque ejus diei itinere, IIX. millibus passuum ex eo loco procedit.* XXVIII. millia eo die videtur progressus. Onera quæ tulerunt milites in itinere, præter justa arma, quæ in onere non numerabantur, valli, cibaria, addit his Josephus: Πρίονα καὶ κόφινον ἄμην τε καὶ πέλεκυν, πρὸς δὲ ἱμάντα καὶ δρέπανον καὶ ἅλυσιν. Ad sexaginta li-

bras pondus bajulare jussos scribit Vegetius. Sed A hæc jam pridem observarunt viri docti, & aliis locis a nobis attinguntur. Tulerunt autem onera legionarii: levis armatura, & auxiliares expediti fere ducebantur. Cæsar: *Frumenti copiam legionarii nonnullam habebant, quod dierum* lib. XXII. *ab Ilerda jussi erant frumentum efferre, cetrati auxiliaresque nullam, quorum erant facultates ad parandum exiguæ, & corpora insueta ad onera portanda.*

CAPUT XIV.

DE

TELIS LEGIONUM.

VEteri Republica, & illa quam Polybius A describit militia, principes & hastatos pilis, triarios hastis, velites vero hastis velitaribus instructos fuisse, viri in literis celeberrimi, ante Salmasium, magno consensu statuerant: eaque causa in Græcis auctoribus, γρόσφους *hastas velitares*, ὑσσοὺς *pila*, δόρατα *hastas*, Latine converterunt. Dissentit ab illis vir clarissimus in libro posthumo de Re militari, inque epistolis quæ post mortem ejus prodierunt, & γρόσφους male reddi *hastas*, *gæsa* enim esse: ὑσσοὺς *hastas*, δόρατα vero *pila* esse, contendit. Quæ opinio cum toto cœlo a priorum distet sen- B tentia, neque sine gravi causa a viro longe doctissimo videatur proferri, operæ pretium fuerit, utrorumque rationes, quas aut in scriptis allegarunt suis, aut quas secuti possint videri, examinare: quamvis enim alterius loci hæc sint, tamen quum jam horum telorum aliquoties mentionem fecerimus, locaque quædam, in quibus hæc vocabula occurrunt, adduxerimus, non placuit hæc in longiorem diem conferre; quo ne cui temere aut imprudenter huic vel illi assensum præbere, aut Græca, priorum potius exemplo, quam certa ratione interpretari videremur. Ac primum quidem γρόσφους quod attinet, veli- C tum, sive γροσφομάχων (de eo enim pugna non est) tela, ea quidem, magno auctore Tito Livio, converterunt *hastas*, qui jacula, sive tela velitum hoc nomine passim appellat; nisi quod interdum, ad discrimen longarum hastarum, addit *velitares*. In institutione velitum ait *electos juvenes: eis septena jacula, quaternos longa pedes dota, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest.* Absurdum possit videri, ut recte dixit Lipsius, idem per idem explicari; sed tamen absurdi nihil est. Loquitur enim de milite, qui illa ætate in exercitu notus non erat, & de hastis quæ erant notæ, & velitibus jam de legione sublatis, D nominabantur tamen vulgo velitares. Ita intelligendus Plinius, cum scribit, *Tyrrhenum invenisse hastas velitares*, id est, leves hastas, quæ vulgo sic vocabantur. Festus: *Advelitatio, jactatio quædam ab hastis velitaribus.* Ovidius:

Utque petit primo plenum flaventis arenæ
Nondum calfacti velitis hasta solum.

Ex quibus apparet levem & jaculatoriam hastam dictam *velitarem* etiam ea ætate, qua velites nulli erant. Hoc igitur dicit Livius: priscorum velitum hasta, quod ad ferrum per omnia nostris E hastis, quæ velitares dicuntur, similis est: in hastili aliqua differentia est: hoc enim olim quaternos longum pedes erat. Dubitare autem, an jacula velitum hastæ sint appellatæ, cum ipsæ hastæ inde *velitares* sint dictæ, id quidem absurdum. Sed, si qua fides Livio, quem (utcunque imperitum rei militaris fingas) haudquaquam credibile est, pro gæsis semper hastas velitares substituisse, ejusmodi argumentis opus non est: toties & tam aperte velitum telum *hastæ* vocabulo designat. lib. XXXVIII. *Hic miles parmam tripedalem habet, & in dextra hastas, quibus eminus utitur.* libro XXX. *Resistentes ad manipulos velites, quum viam elephantis, ne obtererentur, fecissent, in eos ancipites ad ictum utrimque conjiciebant hastas.* Ancipites ad ictum vocat, non quod in summo & in imo cuspidem haberent, ut hastæ equestres; sed quod propter levitatem etiam, retrorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, nullo negocio possent conjici, cum pila aliaque graviora tela, non sine nisu & conversione totius corporis, recte contorqueri possent. Velitum enim telum admodum habile ad mittendum, sed ad remittendum inhabile militibus erat; quia inflectebatur, aut frangebatur. Livius: *Velites quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est.* Ubi tamen absurda illa postrema. Quid enim? an tam imperiti armorum levium Syracusani? an tantum inhabile ad remittendum imperitis telum velitis? imo, ne peritis quidem habile. Ferrum enim erat adeo extenuatum, ut necessario statim a primo jactu inflecteretur, ne posset remitti. Scripserat Livius, *impetitis*, aut, quod potius crediderim, *petitis*: nam cum pro *petitis* legeretur *peritis*, facili errore sciolus aliquis absurditatem hujus lectionis videns, inde fecerit *imperitis*. Opponuntur apud Latinos *petentes* & *petiti*. Panegyrico ad Pisonem:

Et vitare simul, simul & captare petentem.

Livius lib. XXXVIII. *Nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant, & stantes, quo densiores erant, hoc plura velut destinatum petentibus, vulnera accipiebant. Velut destinatum petentibus*, id est, ut destinatum erat petentibus, ut destinaverant petentes. Frontinus: *Agesilaus, exterritis Thebanis, digressisque ad tutanda mœnia, repetitum iter, quod destinaverat, emensus est nullo obsistente.* Sic insidiatorem appellant *petentem insidiis*; cui structæ sunt insidiæ, *petitum insidiis*. Livius in oratione Demetrii: *Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita, sed ne sint cœcæ, Pater, execrationes tuæ, discerne & dispice insidiatorem, & petitum insidiis, noxium huic esse caput.* Scribo: *In noxium execrare caput.* *Execrare*, inquit, *Pater*, sed in caput noxium execrare, ne sint cœcæ execrationes tuæ. Sic quoque *telis petiti* & *repetiti* dicuntur. Livius: *Repetitumque sæpius cuspide ad terram adfixit.* Hinc *petitiones* proprium gladiatorum verbum. Quemad-

modum autem mittere tela, proprie est petentium; sic remittere, petitorum. Hostes enim, & ex adverso stantes, & in quos tela missa sunt, ii proprie ea remittunt. Cæsar Bello Gallico lib. II. *Ut ex tumulo tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent.* Talis autem hasta velitaris fuit, ut ab hoste non possit remitti. Polybius: Τὸ δὲ κέντρον σπιθαμιαῖον κᾳὶ τοσοῦτον ἐπὶ λεπτὸν ἐξεληλασμένον καὶ συνωξυσμένον, ὥστε κατ᾽ ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν. εἰ δὲ μή, κοινὸν γίνεται τὸ βέλος. Ab petitis igitur telum hoc remitti posse, negat Livius. Igitur γρόφους hastas velitares esse, ex iis, quæ supra diximus, satis liquet. Quanquam gæsa quoque non male vertas, cum hæc quoque levi armaturæ tribuantur. Livius in octavo, de levi armatura ejus ætatis: *Leves autem, qui hastam tantum gæsaque gererent, vocabantur.* Sic inter tela, ab Aretinis Scipioni subministrata, gæsa quoque invenias: lib. XXVIII. *Aretini triginta millia scutorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinguaginta summam cujusque generis numero expleturos.* Græco autem vocabulo jaculum levis armaturæ, quocunque illud nomine voces, designatur: quod uti jam olim in hastæ quoque nomen venit, sic in nomen hastæ velitaris proprie, ex quo velites instituti sunt. Ut enim γροσφομάχοι absque controversia velites, sic γρόσφοι, *hastæ velitares* recte redduntur. At enim hastæ proprie hastatorum; unde eis nomen. Tela autem hæc ὑσσοὺς appellat Polybius. Qua objectione, quia a velitum telo ad hastatorum telum transit, ne repetenda mox eadem sint, examinabo jam nunc argumenta Salmasii, quibus adductus ὑσσοὺς *hastas*, δόρατα autem *pila* convertit. Primum est, quod hastati ab hastis, pilani a pilis nomen duxerunt: unde enim, nisi ab armis suis? Alterum, ipsum vocabulum ὑστός, a quo deducit vocabulum hastæ: ut enim ὕσταξ & ὕσαξ dicebant, sic & ὑσσὸς & ὑστὸς, unde *hasta*. Ac primum quod attinet, ego quidem facile crediderim, initio cum instituti sunt apud Romanos hastati, principes & triarii, sive pilani; hastatos, ab hastis & pilanos a pilis, nomen suum traxisse: præsertim cum accedat Varronis auctoritas ad sonum vocabulorum. *Hastati, quod primi hastis pugnabant: Pilani, quod pilis* Sed quænam illa prima apud Romanos fuerit militia, difficile dictu est. Nam hastatos, principes & triarios, Romuli institutum putat Ovidius, vere an secus, non multum ad hoc tempus: si tamen vere, possis suspicari in legione illa trium millium hastatos fuisse levem armaturam, quales hastatos Ennius describere videtur, ut recte senserunt Viri doctissimi:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Varro etiam, cum ait: *Principes, qui a principio gladiis pugnabant, & post commutata re militari, minus illustres sumuntur:* indicare videtur, aut hastatos olim gladiis non pugnasse, id est, levis armaturæ fuisse milites: (leves enim procursabant tantum, eminusque in hostem jaculabantur: irrita deinde velitatione, pugna, si instaret hostis, in intervalla manipulorum recipiebantur; ad manus raro veniebant, neque collato pede in hostem pugnabant) aut certe principes in prima acie, ante hastatos solitos collocari: non enim dici potuissent principes, quod a principio gladiis pugnarent, si jam ante eos alia acies erat iisdem armis telisque instructa, neque minus ad propiorem pugnam habilis. Neque enim ullo modo assentiri possum viro celeberrimo, in hoc loco, *a principio* interpretanti *olim in antiqua militia*: quomodo Tacitus dixit, *Reges a principio Romam habuisse.* Ridiculum enim sit, dictos ideo principes, quod olim gladiis pugnaverint: quasi prima institutione, cum acceperint nomen, id inde acceperint, quod jam olim aliquid fecerint, cum nondum in rerum natura essent. Nec postea inde accepisse nomen hoc, quod olim aliquid fecerint, simile est veri. Quæ enim hæc ratio sit, dici ideo principes? Sic quidem nullus antiquus ordo sit, cui non merito conveniat nomen principum: aliquid enim in prima sua institutione fecisse necesse est. Sed hæ (pace tanti viri dixerim) nugæ sunt. Principes, Varro dictos vult, quod primi essent qui gladiis pugnarent: primi enim principes sunt. Ac hoc quidem perspicuum est: obscurius, quod sequitur; *& post commutata militia minus illustres sumuntur?* Dubium enim, an minus illustres postea sumti, qui principes essent: an qui a principio gladiis pugnarent. Illud Salmasius putat, & ad Marianam refert militiæ mutatiomem: nec tamen ullo exemplo probat, in Mariana, aut illa quæ sub Imperatoribus fuit militia, minus illustres fuisse, qui principes dicerentur. Principes enim, & principales milites, tum præcipui dicebantur: nec alio sensu accipi usquam videas, ex quo a significatione antiqua, designabatur medius inter hastatos & triarios ordo, recessum. Varronis autem ætate vocabula illa, principum, hastatorum, & triariorum, manipulis manebant. Quare si de mutatione Marii intelligendus est Varro, non aliter intelligendus est quam antea in principes lectos, τοὺς ἀκμαιοτάτους τῆς ἡλικίαις; postea discrimen illud sublatum esse. Ego vero malim, cum Lipsio, intelligere, commutata jam olim militia Serviana, hastatos, id est, juvenes pubescentes, & proinde minus illustres, in locum principum substitutos, qui primi pugnarent gladiis; cum antea, ex Servii instituto, ditissimi quique, in prima acie essent: & pedibus in viri doctissimi irem sententiam, si quidem apud Varronem esset, *sumebantur*, vel *sumti*. ac nescio anne ita fuerit, offendit enim aliquo modo, *post commutata militia sumuntur*. Dixisset enim potius, opinor, *nunc commutata* &c. imo, cum in veteri, codice, sit, *minus illustres sunt*: omnino mihi persuadeo, scripsisse Varronem; *Post commutata militia, minus illustres sumti*. Quicquid sit, (persequemur enim hæc alibi plenius) veterem illam institutionem, qua principes primi gladiis pugnabant, & hastati hastis, vel a Servio, vel a Tarquinio, vel utique libertatis principio, commutatam esse, necesse est. Primos enim gravis armaturæ jam antiqua Republica hastatos fuisse; secundos, principes, inter omnes satis constat. Ac jam, bello Latino, hunc ordinem obtinuisse, auctor est Titus Livius, ubi hastas palam attribuit triariis: *Triarii sub vexillis considebant sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, ut haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes.* Mox de pilanis Latinorum: *Qui aliquamdiu pugna atroci quum & semet ipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent, aut hebetassent.* Iterum de Romanorum triariis: *Clamore sublato principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alios manipulos, velut inermes, prope intacti, evasere*, Quod si jam tum, prisco ordine turbato, hastati a principio gladiis pugnabant, ut antea principes, pilanique hastis, qui antea pilis; quid est quod de ætate Polybii, aliorumque tanto propiori addubitemus? Quod si hasta triariorum fuit, pilum hastatorum & principum telum est. Hasta enim & pilum sunt, quæ gravis armaturæ militibus adscribunt; non alia. In censu Serviano, δόρατα attribuit primis classibus Dionysius, Livius hastas: pilum vero non uno loco, & sigillatim in lib. XXVII.

dat hastatis, quos, ait, *pila in Elephantos conjecisse*: Pilum autem proprium Romanorum telum esse, notius pæne est, quam ut probare necesse sit. Virgilius lib. VII. Æneid.

Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones.

Ubi Servius: *Pilum proprie est hasta Romanorum, ut gæsa Gallorum, sarissa Macedonum.* Et XI.

Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis.

Valerius Argon. lib. VI.

Romanos veluti sævissima cum legiones
Tisiphone, regesque movet, quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant.

Hinc apud Festum: *Pilumnus populus est pilis ut adsuetus.* Eadem ratione Græci ὑσσὸν, proprium Romanorum telum esse scribunt. Dionysius: ἔστι δὲ ταῦτα βέλη Ῥωμαίων, ἃ συνιόντες εἰς χεῖρας ἠκοντίζουσιν. Et sicuti pila Latini vix est ut aliis dent, quam Romanis, & quidem legionariis peditibus, sic Græci ὑσσὺς solis etiam Romanis tribuunt: at δόρατα & hastas modo suis, modo alienis: non tantum enim inter militaria Romanorum tela, late patet hastæ vocabulum, nunc hastam equitum, nunc triariorum, nunc velitarem designans, sed etiam inter externa: eodem enim vocabulo & prælongam Macedonum sarissam, & longam hastam, qualem veteribus Heroibus dant, & levia tela exterorum designant. Ac quamvis plerique Græcorum, minus his accurati, Romanis legionibus nunc δόρατα, nunc ὑσσὺς adsignent; vix tamen est, ut hussos aliis, quam Romanis. Mariana militia traductis primum triariis, & pugna per cohortes integras instituta, frequentissimum dicam, an verius unum Romanarum legionum jaculum, pila fuerunt: neque enim temere tum invenias aliud telum legiones Romanas gessisse. Et qui gessissent? non solum superiores, sed etiam inferiores ordines; nec gregarius tantum miles, sed etiam centuriones hoc genere telorum instruuntur. Hastas vero legionibus boni auctores ea ætate vix est ut tribuant. Confirmat hoc ipsum Josephus, qui præter delectos, qui circa Ducem versabantur, & speculatores, omnibus cæteris gravis armaturæ militibus eadem adscribit tela. In illa autem telorum Mariana mutatione, verisimile non est totas legiones, hoc est, hastatos & principes adsumsisse triariorum arma, quæ ad statariam manuariamque pugnam, tertiæ, quam primæ aciei aptiora erant. Probabilius, pilanos hastatorum arma adsumsisse, ex quo in prima cum illis acie collocari cœperunt: triariorum veterum telum ad manuariam pugnam fodiendaque ora erat aptum, pilum ad emittendum. Fallitur enim vir summus etiam in eo, ut solet error errorem parere, quod putat hastas tantum jaci, pilis comminus rem geri: comparatione quidem velitarium hastarum, comminus jaciebantur pila; sed jaciebantur tamen, cum jam jam stricturi essent gladium. Inde est quod milites Romanos sæpe tanto cursu impetuque procurrisse legimus, ut spatium non fuerit pila emittendi: quod deesse non potuisset, siquidem longius torta fuissent. Cæsar: *Ita nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spacium pila in hostes conjiciendi non daretur: rejectis pilis comminus gladiis pugnatum est.* Hinc & milites missis pilis celeriter gladios educere præcipiebantur. Cæsar in Pharsalia, cum procurrentibus suis, a Pompejanis contra non concurreretur, *Parvo*, inquit, *intermisso temporis spatio, ac rursus renovato cursu, pila miserunt*, (vides milites veteranos non eminus, nec in primo cursu in hostem contorsisse) *celeriterque, ut erat præceptum a Cæsare, gladios strinxerunt.* Pulsione centurione idem in hibernis Q. Ciceronis: *Pulsio pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit; quo percusso & exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem: transfigitur scutum Pulsioni, & verutum in baltheo defigitur: avertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum.* Vides iterum pilo conjecto nihil superfuisse, nisi ut ad gladium veniretur. Apud Scriptorem belli Africani, Labienum videmus tam prope ad legionarios accessisse, ut cum iis loqueretur, priusquam pilum in eum torquerent. Idem scribit, equites Labieni *pilum militis cursu facile vitasse*: quod scilicet vix sub pili jactum venirent; accedentibus autem legionariis, refugerent. Inde natum proverbium quod est apud Vegetium de propiori pugna: *Cum ad pila & spathas ventum est.* Non quod pila non emitterentur, sed quod non longe: missisque nihil superesset, quam ut collato pede pugnaretur. Illud certe ex Cæsare & Livio manifestum est, pila, cum in hostem procurrerent, fere vibrasse, raro admodum servasse ad pugnam manuariam. Ejusque rei duas potissimum causas video: primum, quod pilum, propter grave pondus ferri, non ad hoc aptissimum, minus utique quam hasta habile erat: deinde quod pilo retento, neque scuto optime, gladio vero omnino uti non possent: quæ arma tanti fecerunt Romani, ut nullum genus telorum militem habere voluerint, quod horum usum tolleret, aut aliqua parte impediret. Dionysius & Polybius, ὑσσοὺς quoque primo congressu emisisse, non semel scribunt: & hic quidem, lib. II. in pugna cum Gallis, Tribunos præcepisse, ut δόρατα triariorum traderentur primæ aciei manipulis, quibus in ora Gallorum pugnarent: argumentum, ὑσσὺς, ut minus habiles huic rei, primo statim impetu emisisse. Pari ratione Vegetius, veterum pila describens, *missilia* appellat, non hastas manuarias. lib. I. cap. 20. *Missilia autem, quibus utebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, unciarum novem, sive pedali; quæ in scuto fixa non possunt abscindi, & loricam, scienter & fortiter directa, facile perrumpunt; cujus generis apud nos jam rara sunt tela.* Idem libro II. cap. 15. *Bina missilia, unum majus ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cujus jactum exercebantur præcipue milites: aliud minus ferro triangulo, unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.* Quod ipsum verutum paulo ante tamen *pili* vocabulo complexus est. Ne igitur miretur vir doctissimus, quod ὑσσὸν, etiam minorem, *pili* vocabulo Interpretes expresserint; cum habeant hic Vegetium, & quidem non suis verbis, ut de re desita, nec suo ore loquentem, hujus interpretationis auctorem. Sic licet illud minus, & simile liburnis modicis, quale describit Polybius, quia tamen ejusdem formæ est, retinet idem pili nomen: nam magnitudo & pondus pili, pro robore & peritia militum, alia aliis temporibus fuerunt. unde Tacitus Germanicum Vitellii exercitum *tergis ferarum & ingentibus telis horrentem*, describit. Nihil igitur impediit etiam minoris pili parvitas, quin idem acciperet nomen. Josephus omnibus legionariis tribuit ξυστὸν, quod Hesychius & Suidas interpretantur ἀκόντιον, & ipse alibi Josephus. Quam-

vis autem Græci hæc confundant omnes, ne Polybio quidem excepto, qui tamen unus omnium Græcorum, in armis Romanorum distinguendis, longe accuratissimus est: tamen proprie neque δόρατα, neque λόγχας *pila* vocaverunt. Sub Imperatoribus, cum duo Romanorum tela essent, pilum & lancea; illo Legionarii, hoc Prætoriæ cohortes ornarentur; quoties Græcis proprie loqui placuit, ὑσσὸς Legionariis, δόρατα vel λόγχας Prætorianis addiderunt. Inde Prætoriani λογχοφόροι, & δορυφόροι, passim. Lanceas quidem inter justa peditum tela, ætate Cæsaris necdum fuisse, ostendit Saluſtius in Catilinario, ubi de Catilinæ legionibus: *Ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: cæteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portabant*. Sub Imperatoribus, cum institutione cohortium Prætorianarum, nisi fallor peditum Romanorum factæ sunt. Quamvis poetæ, scriptoresque ejus ætatis, etiam hic suo jure utentes, lanceas suæ ætatis telum prioribus impingant. Lucanus de Crastino:

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Item:

Nulla fuit non certa manus, non lancea felix.

At cum de suæ ætatis armis loquuntur, vere lanceas & pilum recensent. Plinius de Lauru: *Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarumque nuntio additur, literis & militum lanceis pilisque*. Tacitus I Historiar. *Romanus miles facili lorica, & missili pilo, aut lanceis assultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam comminus fodiebat*. Quemadmodum autem lancea & pilum, cum gladio Romanis; sic hastæ & spathæ auxiliis, eodem auctore Annalium XII. *Si auxiliariis resisterent Britanni, gladiis ac pilis legionariorum: si huc verterent, spathis & hastis auxiliarium sternebantur*. Lancea autem Prætorianorum hastæ equestri per omnia, teste Josepho, similis erat; cui hoc nomen jam fuit, priusquam a Romanis peditibus adsumeretur. In Commentariis Cæsaris, Gallis certe equitibus, Cominio Atrebati, aliisque, jam tribuitur: apud Florum jam olim uxoribus etiam Cimbrorum: lib. III. *Objectis undique plaustris, atque carpentis altæ de-*

A *super, quasi e turribus, lanceis & contis pugnabant*. Ubi lanceas a contis distinguit; ut & Arrianus, qui in acie contra Alanos quatuor primos ordines ex contatis, reliquos quatuor ex lancearii componit, ut citat vir doctissimus; quem miror mutata priori ratione contum nunc *pila* interpretari, & λογχοφόρας *hastatos*: non quidem absurde (utrumque enim ei adsentior) sed maxime contra priores rationes ejus. Cum enim δορυφόροι & λογχοφόροι iidem sint, δόρατα autem ille antea *pila* convertere jusserit; hic quoque hos pilanos, alteros hastatos dici oportuit. Sed bene est, quod ad verum rediit, B eo saltem tempore, quo Romana militia, jam externis moribus commaculata, non multum sui habuit simile: bene est, quod jam tandem prima in acie collocat pilanos, quos antea in tertiam detruserat. Sed nobis, ad veterum arma probanda, non multum opus est illo fæculo, quod & in vocabulis, & in armis, & omni disciplina defecerat. Ex illis, quæ antea diximus, perspicuum est, quæ sint *pilum* & *hasta* Græcis. Nam, cum tam evidentia, & omni exceptione majora, veterum Latinorum testimonia attulerimus (neque enim omnia sua e Græcis hauserunt, ut potuerint labi interpretantes; sed pleraque a priscis Romanis, C quibus hæc ignota esse non potuerunt) cum ὑσσὸς & *pila* propria teli Romani, *hastas* vero & δόρατα communia vocabula esse: cum Marium triariorum telum sustulisse, hastatorum & principum, id est, pilum, retinuisse: cum pilum missile, hastam vero manuariæ & statariæ pugnæ habilius telum esse, ostenderimus; quis est qui dubitare queat, quin Lipsius, aliique viri in literis insignes, δόρατα *hastas*, ὑσσὸς vero *pila* recte Latine reddiderint? Ut igitur assentiamur Salmasio, de illa veteri admodum & antiqua militia, de qua tamen ille non loquitur, nec in tanta scriptorum penuria, vix est ut quicquam, præter nudas conjecturas, D possit afferri: illud haud dubium est, Polybii ætate, de qua illa disputat, & libera Republica, usque ad tempora Marii, principes & hastatos pilis, triarios hastis ornatos instructosque fuisse, velites vero hastis velitaribus. At post Marium, & sub Imperatoribus primis, nullum justum legionariorum telum, præter pilum fuit: nisi quod delecti ex legionibus, qui vicem cohortis prætoriæ fuerunt, & cohortes prætoriæ lanceas gesserunt.

CAPUT XV.

DE


COHORTIBUS LEGIONIS ANTIQUÆ.

Diximus supra, in notis ad Hyginum, E ex sententia Justi Lipsii, non Hyginiano tantum ævo, sed etiam veteri Republica, apud Romanos legionem decem cohortes habuisse. Quam sententiam cum quidam doctorum minus probent, atque adeo Vir insignis, in suo de Re Militari Romanorum palam oppugnet, res postulare videtur, ut, priusquam ex hoc campo excedamus, rationes adferamus nostras, propter quas, posthabita horum auctoritate, illam alteram secuti simus. Nam sine gravi causa in horum vel illorum sententiam concedere, factionis videtur: at si pondere testimoniorum, & vi veritatis ostendas te victum, nemo bonus studium dissentiendi interpretari potest, quod aliena suis


præferas. Quanquam si nostra hic iterum adferremus, quid esset quod invidiam merito deprecaremur? Postulat hoc veritatis studium, quo nihil bonis antiquius est: postulant literæ: nec cedit in contumeliam egregiorum virorum, si ostendas eos interdum homines fuisse. Est hæc lex, cum omnium rerum humanarum, tum harum imprimis literarum, quæ ex obscuris antiquitatis tenebris eruuntur: paulatim & pedetentim, & quodammodo errando ad verum pervenimus. Nec me quidem judice tantum habent honorem viris doctis, qui sine judicio stupent in dictis eorum, quantum qui dissentiendo interdum ostendunt se bona eorum non probare tantum, sed, quod prius est, intelligere. Nam ista demum ratione apparet, quam pauci præ multis veris, quam leves, quam etiam docti sint errores eorum. Prosunt, mihi crede, etiam tum iis, qui suo ingenio, judicioque utuntur: in adstruendis enim opinionibus suis, tot sæpe recondita, tot ignota, & inaudita ex plenis doctrina pectoribus promunt, ut pæne tanti sit, eos errasse. Quare, ne nimium sibi plaudant, aut se eximiis æquent viris, si qui casu quodam in verum inciderunt: sed sic quoque discant eos reverenter habere. Maneat tamen nobis cum prioribus & posteris nobiscum hoc ex honesto certamen: valeant auctoritates ad corfirmandam, non ad opprimendam, veritatem. Perstringantur libere, sicubi a vero deflexerunt, sed tanquam egregii viri, sine contumelia: meminerintque semper qui alios notant, alibi se quoque notandos esse.


Henricus Savilius, Vir Clarissimus, & bene de literis meritus, in libello quem de militia Romana conscripsit, ubi de legionis in cohortes divisione agit, hanc legionis divisionem in decem cohortes apud Polybium non reperiri, notat: inde pronum esse existimare, illis temporibus ignotam fuisse. quamvis vox non fuerit ignota: frequentem enim apud Livium in prioribus libris, nisi forte figurate ea utatur. Apud Polybium bis libro II. occurrere in Hispaniensi Scipionis bello: videri potius manipulorum extra ordinem vocabulum, quam certæ legionis partis esse: se tamen nihil valde adfirmare. Lipsius in veteri Militia non dubitat cohortes fuisse, & singulas quidem ex tribus manipulis diversorum generum, hastatorum, principum & triariorum cum velitibus, qui istis manipulis jungebantur. Negat iterum Salmasius, & non ambigue, ut Savilius, verum sine cunctatione omni adfirmat, aut nullas in veteri legione cohortes, aut cohortes easdem atque manipulos fuisse: neque enim subsistere posse divisionem in cohortes, cum divisione in hastatos, principes & triarios. Nam cum legio in cohortes divisa, æqualem in omnes partes eam divisionem fuisse factam, singulas quippe cohortes inter se pares fuisse: verbi gratia, legio Polybiana, quaternis millibus & ducentis militibus constans, si divideretur in decem partes æquales, unaquæque earum haberet milites viginti & quadringentos: in tali partitione triarios, numero sexcentos, nullo modo æqualem cum aliis partem constituere, nec unam, nec duas ex iis cohortes effici posse. Nec in legione quinum millium idem effici posse, cum singulæ cohortes sint quingentorum hominum: ne in legione quidem sex millium, si recte calculum ponas: etiamsi enim sexcenti triarii unam cohortem facere queant, quam tamen? primam, an ultimam? Triarios semper dignitate priores fuisse: at in veteri acie ultimo loco positos, nec alia ratione posse subsistere: corpora enim hastatorum & principum in decem manipulos fuisse divisa, in quibus singulis centum & viginti homines. Si quis tentet has partes denas, & ipsa cor-


A pora diducere æqualiter in portiones, quæ cohortibus respondeant, nulla ratione id præstare posse: singulas enim quadringentos ac vicenos milites habere debere. Ac si facias singulas quadringentorum hominum rotundo numero, ne sic quidem rem recte procedere. Tres cohortes dari ex numero hastatorum, tres ex corpore principum, totidem ex velitibus, novem fore, restare decimam ex triariis, in qua sexcenti ponendi sint. Non fore æqualem divisionem. Adde quod in antiqua legione velites in certum & distinctum corpus redigi non solerent: sed in cætera corpora æqualiter distribuerentur. Polybio τάγμα σπεῖραν, & σημαίαν eadem. B Spiram Livium interdum cohortes vertere, & distinguere a manipulo, sed more sui sæculi deceptum: in veteri militia, rem eandem fuisse, & si cohors debeat exponi, triginta tum cohortes, non decem, ut postea, in legione fuisse. Hæc ille fusius paulo per totum caput, quo agit de veteri legionis divisione. Mirere tamen, cum in omnia se vertat, ne verbo quidem attigisse quod dixerat Lipsius, ex quatuor militum generibus cohortem fuisse compositam, videlicet ex sexaginta triariis, centum viginti principibus, totidem hastatis & velitibus: fient quadringenti viginti, ad numerum decima C pars legionis. Cohortis quidem vocabulum, ante mutatam a Mario militiam, apud Romanos in usu fuisse, post Polybium, qui eo aliquoties utitur, multis probare, id sit hominis intemperanter otio abutentis, aut ceras inanibus testimoniis argumentisque replere gaudentis. Videamus, an idem olim significet atque manipulus. Id quidem negat Romanorum doctissimus. *Cohors*, inquit, *quod ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum; sic hæc ex manipulis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur. Tametsi cohortem in villa Hypsicrates dicit esse Græce χόρθον apud Poetas dictam.* D Non jam quæram, quæ vera sit origo vocabuli, ne quis per hanc rimam elabatur. Illud satis sit, cohortem atque manipulum apud veteres Romanos fuisse diversa. Stulte enim diceret, inde dictam, quod ut cohors in villa ex pluribus tectis, sic ex pluribus manipulis copuletur, si id a Mario demum, non ita diu ante Varronem institutum, olim autem cohors manipuli unius vocabulum fuisset. Aberret licet non raro in originibus vocabulorum; at tanta rerum & historiæ Romanæ ignorantia non cadit in tantum virum. Quid? nonne passim Livius & Salustius, & alii, quum de prisca Republica loquuntur, cohortium meminere? nonne in- E terdum palam distinguunt a manipulis? Piget tam frequentia & obvia loca compilare, tamen quia res mota est, & in dubium vocata, devorandum hoc etiam laboris. Livius lib. XXVII. *Consul, ingenio hostis usus, quo minus in tam apertis collibus timeri poterant, quinque cohortes, additis quinque manipulis, nocte jugum superare, & aversis vallibus considere jubet.* Eodem: *Duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis aggrediuntur.* Idem: *Cohortibus, quæ signa am serant, dare hordeum jussit, centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discin-* F *ctos destituit*. Quibus tamen in locis, cohortes, de sociis auxiliaribus; manipuli, de legionariis accipi videntur debere. Et sane non absque specie addubitat Savilius, an pars legionis fuerint cohortes? Nam Livius, cum de legionariorum militum manu aliqua loquitur, manipulorum plerumque meminit: cum vero de auxiliis cohortium, ut cohortium *Latinarum, Hernicarum, Pelignarum, Extraordinariarum*; quas vix est ut manipulos appellet. Unde & centuriones, quos ad Syphacem miserat Africanus, qui militiam ejus proxime morem Romanorum or-



A. Praetorium. K. Extraordinary equites. T. Quintana
B. Quaestorium. L. Extraordinary pedites. V. Spatium ad vallum.
C. Legati duo. M. Principia.
D. Tribuni. N. Equites Romani. Xa. Porta Praet.
E. Praefecti sociorum. O. Triary legg. Xb. Porta Decum.
F. Evocati equites. P. Principes legg. Xc. Porta Princip. dextra.
G. Ablecti equites. Q. Hastati legg.
H. Evocati pedites. R. Equites socy. Xd. Porta Princip. sinistra.
I Ablecti pedites. S. Pedites socy.









dinarent, equites in turmas, pedites in cohortes diſtribuere docuerunt: lib. XXX. *Equites in turmas, pedites in cohortes, ſicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, diſtribuit.* Meminit tamen aliquando & cohortium legionariarum: lib. XLV. *Equites turmatim, & cohortes peditum ſuis quæque ordinibus.* III. *Omnis juventus affuit poſtero die. Cohortes ſibi quæque centuriones legerunt: bini ſenatores ſingulis cohortibus præpoſiti.* Dubites quid velit? cohortes veras intelligat, an manipulos? nam neque ex more Romano fuit, binos ſingulis cohortibus præfici, neque Senatores in centuriones legi: & dicere poſſit, videri aliorum electionem militi permiſſam, alios tamen præpoſitos integræ cohorti. Rurſus, cum ait cohortes centuriones legiſſe, manipulos intelligere videtur: confundunt enim pleraque, ut ſæpius jam diximus, iſta. Ita *ordo* in re militari, modo jugum, modo verſum, modo manipulum, modo centuriam, interdum aciem, interdum ſtrigam ſignificat: ita *ſpira* apud Græcos, veteri etiam Republica, non tantum nova, nunc manipulum, nunc cohortem. Dionyſius ſpiras ſexagenarias, quingenarias, & octingenarias habet. Polybius hoc vocabulo ut plurimum manipulum denotat, alicubi tamen & velitibus ſpiras dat, qui neque cohortes habuere, neque manipulos: *τὰ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε ταῖς τῶν γροσφομάχων σπείραις.* Ita Latini interdum ipſos etiam manipulos *cohortes* dicunt; interdum quamlibet manum manipulo grandiorem. Tales cohortes delectæ, ex quibus cohortium prætoriarum origo. Talis *cohors parmata* apud Livium, equitum, qui ad pedes deſcenderant. *Niſi hæc*, inquit, *parmata cohors ſiſtat impetum hoſtium, actum de imperio eſt.* Ita enim legendum, probant illa paulo poſt ſequentia: *Ut parmatis novæ cohorti hoſtium locus detur. Parmata* autem, ut cohors *cetrata, togata, ſcutata.* Aliquando quælibet ſine diſcrimine manus. Alibi tamen intelligi cohortes legionarias, minime dubium eſt. Livius XXX. ex Catone: *Denuntiari militum tertiæ parti ex omnibus jubet, ut cibum, quem in naves imponant, mature coquant.* Idem: *Non continuas inſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpacium dedit.* XXXIV. *Tandem ſigna legionum ſupervenerunt, & cum primi ordinis cohortes ductæ in prælium eſſent.* Ubi nihil verear proprie accipere, quia alterum agminis genus per cohortes ordinabatur. Saluſtius: *Metellus ubi videt Numidas minus inſtare, paulatim milites in unum conducit, ordines reſtituit, & cohortes legionarias quatuor adverſum pedites hoſtium locat.* Ac non idem in legione eſſe cohortem & manipulum, Varro in iis, quæ ſupra citavimus, palam docet: de legione enim & partibus legionis loquitur, legioni cohortes, cohortibus

A manipulos ſubjicit. Polybius etiam in undecimo palam de legione: *καὶ τρεῖς σπείρας· τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ Ῥωμαίοις κόορτις.* Cincio vero Alimento, ſcriptori antiquo apud Gellium, quid eſt quod reponant? Nam in legione decem eſſe cohortes, manipulos triginta, diſerte dixit Cohortem autem legionariam, ut recte dixit Lipſius, ex manipulo haſtatorum, nec non principum & triariorum, cum velitibus cujuſque generis fuiſſe compoſitam; tum ex eo liquet, quod aliter legio in decem partes commode tribui non queat; tum ex militia Cæſariana, in qua quæque cohors tres manipulos, vel ſex centurias, duas haſtatorum, B duas principum, totidem habuit triariorum. Cæſar: *Aquila conſervatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter principem priorem.* Cicero: *At ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili nobilem ſui generis Aſinium Dentonem, & reliquos ejuſdem cohortis.* Adde quod hæc ipſa ratio hujus diviſionis pulchra eſt. Cohors enim hæc, decima legionis pars, toties centum homines habet, quoties legio mille. Cohors legionis quaternum millium quadringentos, quinum millium quingentos, ſenum millium ſexcentos. Deinde cum pars aliqua legionis ad præſidia a- C gitanda, aut parvas expeditiones mittitur, ex omni militum genere aliquos demi, ex iis unum corpus effici poſſe, aptiſſimum eſt; quod fit tota cohorte miſſa. Adde quod reſidui in legione milites, tum commodius longe ordinari poſſunt: exempli gratia, ſi quadringentos haſtatos, nullos vero nec principes, nec triarios, vel quadringentos principes, abſque haſtatis & triariis, de legione detraxeris, tota ratio aciei turbabitur. Subſidia non erunt paria primæ aciei, nec prima acies ſubſidiis; detractis haſtatis ſolis, non erunt, qui ante principes ejuſdem ordinis collocentur; detractis vero principibus, vel triariis, haſtati ſubſidio ſuo deſtituentur. D At ſi ejuſdem ordinis principes, haſtatos, & triarios, hoc eſt, juſtam cohortem demſeris, acies quidem ab illa parte, qua collocatur legio, iſta ratione imminuta, brevior paulo erit; ſed ratio & modus inſtruendi, idem manebit. Præterea, ſicut in ſingulis manipulis eſt quidam nexus, non tantum eorum, qui eodem verſu, ſed etiam qui eodem jugo collocantur: ita in acie vinculum quoddam non ſolum inter milites ejuſdem generis, ejuſdemque aciei, inter haſtatos & haſtatos, principes & principes, triarios & triarios eſſe oportuit: verum etiam inter eos, E qui ſibi ſubſidio ponebantur inter primum manipulum haſtatorum, & primum principum, & primum triariorum: item inter ſecundos, tertios, & inter diverſa genera: qua ratione efficiebatur, ut legio ab omni parte, & undique pulchre compoſita eſſet & ordinata.

EXPLICATIO FORMARUM.

PRima harum Formarum ad numerum pedemque illa eadem eſt, quam exhibet Lipſius in libro de militia, quam hic adjunxi, tum ut diſcrimen quod eſt inter noſtram & illam, tum ut eodem actu, quatuor legionum metatio oſtenderetur: demto enim vallo portaque prætoriis, hæc quam illi pro caſtris conſularibus nobis dederunt, pars dimidia duplicium caſtrorum erunt, in quibus quatuor legiones tendunt.

Duarum vero legionum, ſive *conſularis exercitus vera caſtra* ſunt, quæ Forma ſecunda dedimus: quæ tamen a prioribus ſola prætorii & quæſtorii poſitione abeunt. Nam cum illic ea parte caſtrorum ſint ſita, quæ hic eſt prætentura: hic inter duas legio- F nes media ponuntur. Cætera ad priorem formam. Quæ cum a Lipſio aliiſque explicata affatim, hic repetere, ſupervacaneum ducimus.

At formam caſtrorum *Hyginianorum, trium* videlicet *legionum cum ſupplementis*, quæ a nemine ante me fuit deſcripta, hic deſcribere operæ precium eſt. Atque hæc ita ſe habet:

Gromam poſui in medio viæ principalis, quod iſta ratione ſtellæ, ſive concurrentes lineæ quatuor portas medias contingant.

Laterum prætorii unum tantum explevimus intra viam ſingularem: cui dedimus longitudinem pedum ſeptingentorum viginti, latitudinem pedum ſexcentorum, ut computat Hyginus, demtis nimirum triginta pedibus, qui reſpondent dimidiæ parti

viæ prætoriæ: cum his ſint ſexcenti triginta pedes: eadem eſt latitudo omnium partium intra viam ſagularem.

Prætorio dimidio dedimus pedes nonaginta.

Stationi proxime hoc pedes decem.

Comitibus Imperatoris pedes ſexaginta.

Reliquo numero pedes quadringentos viginti, ut ſupra computavimus: ordinem tamen, quo iſta diſpoſita, quia Hyginus diſerte non deſcripſit, nos nemini præſcribemus. Ratio, quam nos ſecuti ſumus, hæc eſt, ut more Polybiano interius equites, exterius pedites collocemus. Quamvis Hyginus, in deſcriptione generali caſtrorum, proxime comites, non equites prætorianos, ſed cohortes prætorias ponat; propiores quidem prætorio cohortes, equiteſque prætorianos, proxime vero viam ſagulariam cohortes primas, & his alas quingenarias apponi debere non dubito. Rationem vero tenſionis quod attinet, cohortes prætorias & alas quingenarias,& reliquum numerum hic integris ſtrigis tendere juſſit Hyginus. Cohors quoque prima eandem pedaturam commode accipere poteſt, vexillarii ſemiſtrigium; niſi quis rectius putet dividi in tria hemiſtrigia cohortem primam. & ſupra hanc iiſdem ſtrigis collocari vexillarios: utrumque enim fieri poteſt: & dixit alibi Hyginus, vexillarios tendere ſupra cohortem primam, & in ſtriga cohortis primæ.

Vias vicinales duas hic poſui percurrentes, & retenturam: ſingulas pedum quinque & viginti: quinquaginta enim pedes viis dat Hyginus in univerſum, nec quot ſint numero,definit. Unde ſuſpicere, inter ſingula genera vias eſſe interjiciendas, ut diximus ſupra: quod cum facile ſit unicuique, hanc rationem, quæ Polybianæ proprior videtur, proponere volui, nemini tamen pro vera obtrudere.

Via principalis eſt pedum ſexaginta, ad hanc ante prætorium parte altera tribunal, altera aræ & auguratorium.

Prætentura intra viam ſagularem, eandem quam latera prætorii longitudinem habet, & latitudinem.

Scamnum legatorum ſexaginta pedum eſt, totidem pedum ſcamnum legatorum.

Alæ milliariæ. His dedimus ex præſcripto Hygini ſingulis pedes centum quinquaginta.

Nationibus dedi primum ſtrigam integram, deinde partem alteram ſtrigæ;in qua valetudinarium, veterinarium & fabrica.

Cohorti primæ cum vexillariis & exploratoribus adſignavi duas ſtrigas, id eſt, centum viginti pedes: quibus parte altera tres cohortes legionarias,ſecundam,ſcilicet,tertiam & quartam oppoſui.Ac hæc eſt prætenturæ intra viam ſagularem numerus: adde his unam viam vicinalem pedum viginti & quatuor, alias pedum denum, erunt ad numerum pedes ſeptingenti viginti.

Via Quintana eſt pedum quadraginta.

Retentura, in pari latitudine cum cæteris partibus, habet quadringentos octoginta pedes longitudinis. Septendecim hemiſtrigiis collocatur numerus retenturæ. Sed an in hac ratione tenſionis nationes ſupra cohortes iiſdem hemiſtrigiis, an in medio eorum ſuis hemiſtrigiis tendant, viarum præterea numerum, incertum relinquimus: nec putet quiſquam pro vero nos afferre, quod in Forma hic pingi curavimus: nam utrumque omiſit Hyginus.

Has tres partes circuit *via ſagularis* latitudine pedum triginta: nam quamvis de fronte & tergo minus diſerte id dicat Hyginus, tamen quum harum copiarum tenſio ſeorſum tradatur, & ratione ſtrigarum diverſa ſit, omnino mihi perſuadeo viam hanc ambire interiora caſtra.

Ultra hanc cohortes legionariæ, quarum pedaturam, ex ſententia Hygini, uti arbitror,dedimus, niſi quod de ordine cohortium, cum Hyginus nos deſtituat, non contendam. Nam primæ in prætentura oppoſui ſecundam, tertiam & quartam, ita quintam, deinde proxime primam ad vallum intranti portæ prætoriæ parte læva, deinde ſextam parte dextra, rurſus ſeptimam læva, deinde octavam dextra, denique eadem ratione nonam & decimam lateribus. Atque ita abſolvi pedaturam legionis, quæ in prætentura tendit.

Duarum reliquarum cohortes ſecundas adpoſui primæ, tertias his oppoſui ab alterius viæ principalis parte: quartas adpoſui ſecundis: quintas iterum ab altera parte viæ junxi tertiis, deinde ſextas proxime quartam, & poſtea ultra quintanam ſeptimas, octavas, nonas, decimas ordine, uſque ad portam decumanam.

Cauſa hæc eſt, quod Hyginus in prætentura cohortes cohortibus jubet opponere, ut combinatæ poſſint educi. Nos tamen de hoc ordine non pugnamus, ſi quis eum paulum velit immutatum. Ex Hygino quidem conſtat, quatuor cohortes in fronte, & totidem tergo tendere; quarum ſingulæ accipiunt pedes ſexaginta per trecentos ſexaginta. Octo vero ſingulis lateribus pedatura pedum nonaginta per ducentos viginti. De qua pedatura, cum & latitudini & longitudini partium ad pedem conveniat, & diviſioni caſtrorum reſpondeat, dubitare non licet. Intervallo Hyginus dat pedes ſexaginta. Igitur latitudo univerſorum caſtrorum erunt pedes mille ſexcenti viginti: longitudo, duo millia trecenti decem.

F I N I S.

CL. SALMASII

DE

RE MILITARI ROMANORUM

LIBER.

OPUS POSTHUMUM.

INDEX CAPITUM.

GEORGIUS HORNIUS LECTORI BENEVOLO

SALUTEM.



DE Militia Veterum commentari, non est nisi ejus, qui omnium sæculorum & gentium mores ritusque in numerato habet. Quemadmodum enim aliæ omnes res in perpetuo sunt motu & frequenter mutantur, sive in melius sive in deterius: ita quoque non iisdem semper armis neque acie aliisque ad Τακτικὴν *spectantibus populi utuntur, sed habet suas etiam militia, non secus ac Respublica, mutationes & periodos. Quod quidem imprimis in Romana militia, tanquam omnium nobilissima, observavit Cl. Salmasius, cujus tibi bis exhibemus* ἀποσπασμάτιον *magni operis, a quo absolvendo variis hinc inde ingruentibus impeditus difficultatibus, tandem etiam morte abruptum nobis imperfectumque reliquit. Sed ne sic quidem ingratum lectori fore dubitavimus, præsertim cum hinc inde errores aliorum, qui de Militia scripserunt, ostendat, viamque aliis præbeat, qua rectius & pensiculatius in Militia antiquorum eruenda versarentur. Quod qui facere velit, illum animo concipere non Romanos modo, verum alias omnes nationes bellicosas oportet, & distinguere initio illa quæ communia omni militiæ, non antiquæ modo, verum & recentiori fuerunt, mansuraque sunt, donec bella erunt inter gentes. Qualia quidem sunt gladii & tela, quibus duobus armis cominus pariter atque eminus pugnabant. Ac de gladiis quidem, antiquissimo & communissimo armorum genere, dubitari non potest. Nam si quis regerat, Americanos aliosque barbaros. superiore & nostro ævo detectos populos ignorasse gladios, & non nisi clavis ligneis, vel ex alia materia pugnasse: Ille facile redargui potest ex scriptoribus rerum Americanarum, qui Mexicanis adscribunt gladios ex acuto silice, eosque a clavis & sarissis distinguunt. Tela erant quidquid missile. Ita demum a communi militia ad particularem deveniendum, & quandoquidem Asia primum exculta fuit, ac bella finitimis intulit, ab ea initium faciendum. Constans inter Historicos opinio est primum Ninum Assyriorum Regem bella finitimis intulisse, & rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Libycos perdomuisse. Primus itaque militiæ artificialis repertor Ninus, qui exercitum & armis præclare instructum & ordine digestum in alias nationes eduxit, easque facile perdomuit quod rudes adhuc ad resistendum essent. Id quod Hispanis quoque in America accidit, qui non alia ratione quam quod militiam haberent omni arte instructam, innumerabiles barbarorum exercitus profligarunt. Ab Assyriis promanavit illud gladii genus acinaces, quo hodieque per tot sæcula constanter universa Asia utitur. Cæsim enim, non punctim pugnabant, quippe quorum militia omnis fere erat equestris. De Israelitis dubito, quippe qui ab Ægyptiis profecti, eorum militiam videntur esse secuti & antiquis temporibus raro equitatu, quod montana fere colerent, utebantur. Unde*

ipſorum חרב *videtur fuiſſe non incurvus acinaces, ſed gladius rectus, quo punctim & cæſim, ſicut Europæi, uti poterant. Id quod etiam Arabicum* خرب *comprobat, cujus ſignificatio eſt:* fiſſus & perforatus fuit, *& in ſpecie* aurem perforatam habuit, *qualis perforatio framea fieri ſolet. Philiſtæorum arma in Goliatho univerſa occurrunt, cui adſcribitur galea, lorica, ocreæ, clypeus ex ære, haſta & gladius ex ferro. Ita univerſæ Aſiæ armatura foret examinanda per populos nationeſque bello celebres, imprimis vero illas, quæ ad Monarchiam adſpirarunt, quales erant Aſſyrii, Chaldæi, Babylonii, Medi, Perſæ, Parthi, Arabes, Sinenſes, Indi, Japonii. Nam quis dubitet, quin Nebucadnezar & Cyrus, tanti bellatores, multum antiquæ per Aſiam militiæ addiderint, cum idem feciſſe Scipiones, Syllam & Marium, Cæſarem & Pompejum alioſque conſtet. Sic noſtra memoria Guſtavus Adolphus Suecorum Rex multa in militia correxit. Sic Mauritius Naſſovius univerſæ Architecturæ militaris non tam inſtaurator quam auctor perhibetur. Pari ratione examinanda militia Africanorum, maxime Ægyptiorum & Æthiopum, qui duo populi longinquas expeditiones ſuſceperunt ſub Seſoſtri ſive Seſako & Tirbaka ſive Tearcone. Eorum proprii erant currus ferrati, quod ex ſubmerſione exercitus Pharaonis in mari rubro patet. Ab Aegyptiis Chananæi & vicini populi acceperunt. Horundem fuit* θώραξ, *qua voce deſignatur non ſolida ex ferro armatura, ſed lorica: quod exinde patet, quia Perſæ utebantur in bello thorace Aegyptio, teſte Herodoto lib.* 1. *ubi inquit:* Φορέουσι γὰρ ἐς τοὺς πολέμους τοὺς Αἰγυπτίους θώρακας. *At vero Perſarum atque inde Parthorum equitum propria fuit lorica, quod ex Hiſtoricis notiſſimum eſt. Talis thorax etiam Goliathi fuit. Ætiopes utebantur* τετραπήχεσι ξυλίνοις πεπυρακτωμένοις, *arcubus quadricubitalibus ligneis præuſtis. Ita Strabo ex Herodoto, qui inſuper addit arcus eos fuiſſe ex* Φοινίκης σπάθης, *e palmarum ſpathis & alia inſuper eorum arma enumerat, prælongas ex arundine ſagittas pro ferro præfixas ex lapide acuminato, quo ſculpunt ſigilla: præterea haſtas capreæ cornu præfixas & clavas præferratas. Multa paſſim in Prophetis occurrunt ad hanc Africanam & Aſiaticam militiam ſpectantia, ita quidem ut ſcriptoribus talium militiarum non poſſit deeſſe ampla & copioſa materia. Etiam hoc ab Ægyptiis fluxit, quod galeas animalium imaginibus inſculptas ferebant in prælio eorum duces, quod erat imperii ſignum teſte Euſebio lib. II.* πρόπαρ. *Talia etiam erant vexilla. Nec alius Iſraelitis mos, qui qualia habuerint vexilla cum Chananæam expugnarent, Druſius in Num. cap. 6. oſtendit. De hac Aſiaticorum & Africanorum armatura inſigniter Herodotus in Polymnia agit, ex quo vel ſolo juſtus commentarius antiquiſſimæ illarum gentium militiæ adornari poſſet, ſi qui ingenio abundant, iis tantum otii ſupereſſet. Nobis hoc in tranſcurſu indicaſſe ſufficit. Jam vero quanta militiæ copia per Europam occurrit? veterum Græcorum qualis erat Trajano bello ex Homero magnam partem peti poteſt, qui etiam ſubinde commemorat illorum populorum militarem habitum qui ad Trojam confluxerunt. Multa inde mutata, maxime ſub Philippo Macedoniæ Rege & Alexandro Magno, a quibus militia Græca ſummum quaſi faſtigium obtinuit, inſtituta phalange Macedonica, quæ erat robur illius militiæ, non ſecus ac apud Romanos legiones & triarii. Multa etiam Pyrrho debentur quoad aciem inſtruendam, in qua arte primas ei tribuit Annibal: Multa Demetrio Poliorceti ſummo architecturæ militaris magiſtro, cujus inventum fuit ingens illa machina dicta* ἑλέπολις,

cujus quanta fuerit moles, apud Plutarchum extat, nec non de ejus thoracibus ferreis duobus, quorum uterque pondo fuerunt quadragenum, tantæ firmitatis, ut ne telo quidem catapula adacto læderentur. Et unum quidem ex his thoracibus ipse Demetrius, alterum Alcimus Epirota gestavit. Ut jam non videri debeat mirum, quod sacræ literæ de Goliatho tradunt, gestasse eum arma tanti ponderis. Post hos declinavit militia Græcorum una cum imperio & emerserunt Romani, quibus tamen Karthaginenses initio certamen moverunt, utra gens peritia armorum prævaleret, quorum dux Annibal haud dubie Africanam militiam in plurimis emendavit & a quo Romani multis cladibus edocti multa didicerunt, quæ ad rem militarem spectarent. Atque in hac militia illustranda imprimis sese exercuerunt eruditi superiori & nostro sæculo, inter quos primas obtinet Justus Lipsius. Quod si Salmasio per alia negotia licuisset huic curæ in solidum incumbere, haberemus proculdubio argumentum illud plene & copiose pertractatum. Nunc quis partes ejus suscepturus sit, posteri videbunt. Neque vero in Romana militia subsistendum est, cujus inclinatio facta post translationem Imperii Constantinopolim. Tum enim barbari qui vocantur, id est, Gothi, Hunni, Vandali, Franci, Saxones, Longobardi & innumeræ aliæ nationes & in Imperii Romani & militiæ possessionem venerunt, suaque arma, quę prevalida erant Romanis artibus temperarunt. Latus hic dicendi campus sese pandit per sequentium sæculorum memoriam, quibus sese imprimis Europæi & Saraceni exercuerunt. Ac tantum tum armorum studium fuit, ut integræ nationes inde denominari voluerint, non secus ac hastatos, doryphoros, sagittarios appellamus ab armis quibus utuntur. Ita Franci, Saxones, Longobardi, armorum suorum nomina induerunt, ut ne alios nunc nominem. Hæc militia multum illustrata fuit novis machinis eo tempore, quo Occidentales in Orientem pro recuperanda terra sancta frequentes expeditiones susceperunt. Atque huc pertinet machina illa, qua usi Harlemenses & Franci in expugnanda Damiata, de qua & ex nostrorum & Arabum Commentariis multa dici possent vulgo non adeo nota. Quanta inde ab Anno Ch. CIↃ. CCC. LXXX. *repertis illis machinis, quæ bombardæ vocantur, in militia secuta fuerit mutatio, notum est. Nam ut bene Verulamius: Tria hæc, ars Typographica, pulvis tormentarius, & acus nautica rerum faciem & statum in Orbe terrarum mutarunt: primum in re litteraria, secundum in re bellica, & tertium in re navali.*

CL. SALMASII
DE
RE MILITARI ROMANORUM
LIBER.

CAP. I.

De Mutatione artis militaris apud Romanos, & quod sæpe variaverit, multis argumentis probatum.



IN explicanda re militari Romanorum qui utilem & efficacem ponere operam cupit, curare studio intentiore debet, ut videat non quid distet ab hodierna populis Europæis usitata; sed in primis quærere illum oportet, an & a semetipsa aliquando discreparit, id est, an Romana ipsa a Romana diversa fuerit, & pro temporibus variaverit. Quod enim in reliquis moribus & institutis gentium usu frequentius venit ut subinde mutentur, hoc etiam in militari disciplina contingere posse verisimile est: in Romana autem gente eam in varias incidisse mutationes plusquam verum est. Cum plures fuerint, maxime notabilem eam fuisse non observatum miror, quæ circa ultima reipublicæ tempora, quando ejus libertatem Marius & Sylla intestino bello vexabant, differentiam talem militiæ peperit, qualem inter primi Scipionis Africani & Julii Cæsaris ætatem extitisse videmus. Nisi autem in confesso sit aliam fuisse militandi artem qua Cæsar & Pompejus usi sunt, ab ea quam Scipiones usurparunt, omnia in confuso erunt quæcunque ad hujus argumenti illustrationem afferri possent. Ecquid aliud fraudi fuit viris doctissimis, Italis, Gallis, Belgis, Hispanis qui hactenus ea de re aliquid commentati sunt, ne id quod tanta cura explicare & illustrare conati sunt, ad optatum finem perducerent, quam quod hoc minime animadverterunt, cujus indagationi præcipuam operam dicare debuerant? Dum enim ad illam militaris artis Romanæ formam, quæ diligentissime a Polybio pertractata atque tradita est, omnis ævi sequentis militiam revocant, in eas sese detruserunt difficultates, quas nemo unquam evolverit, aut expedierit, nisi eam viam insistat, atque eam rationem ineat, quam hoc libro monstrare constitui. Ut in omnibus, quæ initia sua habent auctusque ac decessus, finis non est similis principio nec media utrique paria sunt, idem & in re militari Romanorum evenisse certum est. Non eadem est infantia cum virili ætate, nec hæc cum decrepita. Idque magis observare est in illis quæ crescendo &

A decrescendo in tantum a sua natura ac forma recedunt, ut alia prorsus fiant quam quæ ab initio fuerant. Militia Romana cum ipsa Republica ita crevit ac decrevit, ut etiam cum ea prorsus immutata sit. Incrementa accepit & decrementa passa est, ac tandem haud minus quam Respublica quæ per ipsam steterat, pessumdata est, sed tamen prius quam ipsa. Nam exitium Imperii Romani maxima ex parte imputari debet disciplinæ militaris lapsui. Ubi hic contigit, tum & illud undique irruentibus barbaris patuit conculcandum, cum non essent amplius qui objicerentur gentium inundationi, fortes, fideles, exercitati & bellicosi cum

B ducibus milites. Qua de re alias erit dicendum. Constat igitur militandi artem aliam fuisse Romanis, cum ipsorum res primum per reges fundata est, alia cum in flore ætatis vigente fuit libertate, alia cum Cæsares & Augusti in ea imperarunt, alia postremo sub Constantini successoribus ubi translata Constantinopolim parte imperii, militia a peditibus ad equites transducta est. Quod enim cum nationibus quæ equitatu tantum valebant, quo & abundabant, quotidie rem haberent illius temporis novi Romani, nullaque amplius in legionario milite, deperdito in totum pristinæ disciplinæ vi-

C gore, roboris esset fiducia, equestrem solam militiam colere & exercere cœperunt, deserta pedestri, cujus usus vix aliquis erat contra innumerabiles, Alanorum, Gotthorum, Vandalorum, Persarum, Saracenorum & Sarmatarum in equis pugnantes copias. Per ea tempora qui de militari arte, quæ τακτικὴν spectat, aliquid commentati sunt Græculi, cum omnia ab antiquis sumerent, rem suæ ætatis, quia militia commutata erat, exposuerunt verbis antiquioris militiæ propriis. Quod de peditibus illi dixerant, isti de equitibus hæc eadem in litteras miserunt. Et quod magis est mirandum, nomina quibus pedites priscis Græcis

D & Romanis appellabantur, ad equites sui temporis designandos traduxerunt. Hinc στρατιώτης Græcis illis novitiis & Constantinopolitanis proprie de equite, quod antea sumebatur de pedite. Sed & Romanis ejusdem ævi, *Miles* non amplius de eo qui pedes in bello mereret, sed propria notione de equite accipi cœptus est. In Symphosiani ænigmatis titulo, *miles podager* dicit se olim sex pedes habuisse, jam diu duos habere. Sex nimirum eques ille qui *miles* ibi dicitur, cum pedibus valeret, sibi pedes fuisse jactat, quaternos equi quo vehebatur, cum propriis binis. Et inde percrebuit, ut inter titulos nobilitatis qui *militis* elogio donatur tam in publicis Curiarum monumentis &

archivis quam in domesticis familiarum illustrium instrumentis ac tumulis equos intelligatur, equestri utpote dignitate pollens, vel stirpe oriundus equestri. Vetus quoque versio Vegetii Gallici inscriptionem operis quæ est *de Re Militari*, reddidit vernacule, de arte Equestri, *de l'art de Chevalerie*. Verum de eo militiæ genere, quod sub Constantini successoribus in Imperio Constantinopolitano obtinuit, nunc aliquid commentari propositum non est, quod alibi exequi constitui. Hoc tempore & in hoc scripto id perficere tantum decrevi, ut ostendam etiam in confinio liberæ Reipub. Romanæ, & jam jam in unius potestatem redigendæ duo extitisse rei militaris genera plane diversa. Nec repetam antiquius ævum, quod sub regibus fuit. Servio quippe regnante pro facultatibus quas in censum deferebant cives Romani, tam in classem mitti quam in aciem, priores aut posteriores solebant, hoc est, in prima acie vel in postrema pugnabant. Ditiores qui erant & classis primæ, in fronte prima pugnam inibant, ultimæ classis pauperes in postremum pugnæ locum rejiciebantur. Sed & diverso armorum genere inopes & bene nummatos uti mos fuit. Hoc postea mutatum, & institutum, ut discrimine ab ætate in militibus facto, primo loco prælium capesserent, acie instructa, qui juniores essent, in media acie ævo provectiores, veterani aut castrorum custodiæ præficerentur, aut subsidiis reservarentur, & ultimi ad pugnandum consurgerent, si prioribus res male cessisset. Hæc magna præliandi diversitas ab ea quæ sub Servio Rege in usu. Sed nec ista semper tenuit. In contrariam etiam formam postmodum transiit, qua invaluit, ut veterani & gravioris armaturæ milites in prima acie collocarentur, juniores & minus exercitati, leviusque armati in ultima ponerentur. Quid tam diversum? Longum censes tempus intercessisse hunc morem inter & illum priorem? Quantum temporis intervallum patuit, a Scipionibus ad Cæsarem & Pompejum. Spatium illud haud majus fuit quam centum & quinquaginta plus minus annorum. Medio illo tempore accidisse oportet eam militiæ commutationem. A quo facta sit, non liquere dicerem, nisi certo scirem a Mario profectam, quem constat plurima innovasse in re militari, Qua de re mox latius in majore opere. A quocunque processerit ista mutatio, certum illud est, aliam fuisse sub Scipione Romanam militiam, de qua tractatum peculiarem Historiæ suæ inseruit Polybius, aliam sub Cæsare qui Rempublicam liberam armis oppressit. Atque hic maximus ac præcipuus error cernitur eorum, qui de ea militia commentationes ediderunt. Unius generis ac formæ eam faciunt quæ a Polybio descripta est, & eam qua sub Cæsarum imperio bella a Romanis gesta sunt. Atqui utriusque militiæ & Polybianæ & Cæsarianæ longe plures & majores differentiæ notari possunt, quam illa sunt quæ Romanam inter & Macedonicam intercessere discrimina. Ne de recentioribus mireris tam graviter eos peccare potuisse, in eadem culpa etiam versari plerosque veterum invenio. Et hic etiam parvam mihi habes fidem? Jam faxo, ut quod dico verum esse, haud abnuas. Vegetium vides? Auctor est qui dum de re militari veterum pertractat, nihil habet sui, sed omnia ab aliis, quos compilavit. Non unius generis nec ætatis scriptores transcripsit, quos & nominavit, Catonem illum Censorium, Celsum, & Frontinum. Cum neutra militia illius ævo jam usitata esset, tam quæ Catonis temporibus, quam quæ Cornelii Celsi vel Frontini ætate florebat, sic ex utraque cinnum fecit, qui utramque ignoravit. Inde est quod *Principes* anteponit *Hastatis*, quia nominis veriloquium eo ducebat.

A Qui enim *Principes* in bello, nisi qui *Principes*, id est, primi pugnant? Non ita tamen fuit Catonis & Scipionis sæculo, sed *Principes* ii dicebantur qui in secunda acie pugnabant, post *Hastatos*. *Principes* ab ætate appellati, non a pugnandi ordine, quia flore ac vigore ætatis virilis *Principes* essent, inter *Hastatos* juniores & *Triarios* veteranos medii. Sed fortassean nec hic Vegetii error censendus, cum eorum sit a quibus accepit, Cornelii nempe Celsi, vel Frontini. Hi abolitam ætate sua militiam veterum dum non satis attendunt, imprudenter notione nominis ducti *Principes* ante *Hastatos* posuere. Tantoque citius in hunc errorem inciderunt, quod illa ætate qua scripserunt &
B *Principia* dicebantur & *Principales milites* qui in prima acie pugnam capessebant. Nec magis porro mirum de Celso & Frontino istic eos errare potuisse, quam de Livio qui aliquot locis in commemorandis præliis ex more & ordinatione antiqua factis, *Principes* prius nominavit quam *Hastatos*. Quod erratum esse librariorum Criticis placet, non item mihi, qui sciam majora peccasse celeberrimum illum scriptorem in re militari Romana. Præterea *Principes*, ut *Antesignani*, etiam dicebantur ætate Cæsaris levis armaturæ pedites, sive ve-
C lites, qui *principe* loco, & ante signa prælium committebant. Horum meminit scriptor Belli Hispaniensis. Hujus generis *Principes*, quia cogitabant auctores supra memorati, confudisse eos videntur cum *Principibus* priscæ militiæ qui in secundo ordine post *Hastatos* pugnabant. Cæterum priusquam rationibus evincamus diversam fuisse militandi artem, qua usi sunt Romani sub Cæsarum imperio, ab ea quam frequentarunt stante sub Scipionibus libera Republica, id etiam probandum testimoniis. Unus erit Varro pro centum testibus. Is in libro IV. de Lingua Latina, ubi explicat illa vocabula antiquæ militiæ, *Hastatos*,
D *Principes* & *Triarios*, diserte significat desita esse & a more qui tunc obtinebat aliena. *Hastati*, inquit, *dicti quod primi pugnabant hastis*. *Pugnabant* dixit, non *pugnant*. In vetere nempe militia, mos fuit primos eos, id est, in prima acie hastis pugnare, & inde *Hastatis* nomen. Qui aliter legunt in Varrone, & interpretantur, frustra sunt. Ergo in illa militia, quæ Varronis ætate frequentabatur, nulli amplius *Hastati*, sed nec *Principes*. Sic enim eos appellatos ibidem notat, *qui a principio gladiis pugnabant*, *& post commutata re militari minus illustres sumuntur*. Vide, *rem commutatam militarem*. Alia igitur tum fuit cum
E illa scriberet, alia olim. Ideo a *principio*, id est, olim & in antiqua militia, *Principes* gladiis ait pugnasse. Sic Tacitus scribit, *Reges a principio Romam habuisse*. Sed quid est, quod ait *Principes* olim pugnasse gladiis? Hoc nimirum, in stataria pugna locum eos habuisse, & legionarios fuisse milites qui pede collato cum hostibus congrederentur, gladiis rem gerentes. Quod proprium statariæ pugnæ fuit, & gravis armaturæ. Velites enim & levis armaturæ e longinquo jaculantur, non *ad manus veniunt*, ut tum etiam loquebantur: nec cominus pugnabant, sed eminus, ideo gladiis rem
F non gerebant. Addit Varro: *Et post, commutata militia, minus illustres sumuntur*. De sua ætate loquitur. Nunc, inquit, sumuntur minus illustres, quibus id nomen. Illustriores & honestioris ordinis semper habiti sunt in militia Romana, qui manus conserebant cum hoste collato pede, ut erant legionarii, scutis armati, pilis & gladiis pugnantes. In his olim fuere & *Principes* inter illustres, qui legionariæ militiæ nomen dabant. Ætate Varronis commutata rei militaris forma, qui hoc nomine appellabantur, minus illustres habe-

bantur. Quid ita? Quia sic tum vocati, qui primi pugnabant & ante signa, leves nempe armaturæ & Velites. Quos etiam ab ea re *Antesignanos* Varronis sæculum appellabat. At olim *Antesignanos* dici mos erat tam *Hastatos* quam *Principes*, quia ante signa pugnabant. Signa enim eo ævo & posteriore, propria *Triariorum* qui in postrema acie depugnare solebant. Ubi ratio immutata est, & *Triarii* in primam aciem subducti cum signis & Aquilis legionis, tum Velites qui ante signa pugnam capessebant, & antequam legionarii signa in hostem inferrent, *Antesignani* appellati: sed & *Principes*, quia primi prælium committebant. Nam *princeps* Latinis, idem quod *primus*. Eo sensu *Principes* apud auctorem de Bello Africano, in prælio extremo describendo, quo Cæsar cum Scipione conflixit. *Quod postquam Cæsar intellexit incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo Felicitatis dato, equo admisso contra Principes ire contendit*. Sic vocat, quæ in prima acie collocatæ erant Scipionis, leves armaturas, equitibus Mauris interjectas, & quæ cum elephantis, vel post ipsos. Ita enim & priorem aciem disposuerat, elephantis dextro sinistroque cornu collocatis, & post elephantos armaturis levibus Numidisque auxiliaribus substitutis. Hos *Principes* exercitus Scipionis, cum Mauris equitibus, & elephantis fuisse, ex sequentibus apparet. Ita enim scribitur: *Item Mauri equites qui in eodem cornu*, nempe dextro, *cum elephantis erant, præsidio deserti, & principes fugiunt*. Illud certe constat ex Varronis verbis superius allatis, qui *Principes* vocabantur in militia Romana illius temporis minus illustres sumptos, quam qui in priore militia sic dicti, gladiis pugnabant. Isti enim antiqui *Principes* legionarii milites fuere, illi Varroniani sæculi levibus armaturis adnumerandi, ideo sic appellati, quod *Principes*, id est, primi in hostem irent. Eundem ergo exitum *Antesignanorum* & *Principum* voces fecerunt. Cum legionarii ita dicerentur id antiqua militia, in posteriore levibus armaturis in nominis adhæsit. Alio sensu *Principia* & *Principales milites* appellarunt in nova militia. Sic enim vocabant tribunos & primorum ordinum centuriones, & alios digniores milites, qui etiam in prima acie & ante signa prælium inire soliti erant. Si *magis illustres* in Varrone legeretur, de his *Principiis*, vel *Principalibus militibus* intelligendi forent. Verum de his alias. Hoc nunc agimus, ut probemus *Hastatos* & *Principes* legionarios, in nova militia qualis sub Cæsare & Pompejo fuit, locum non habuisse. Idem de *Triariis*, quos ille ipse Varro ita dictos eodem libro ait, quod in acie tertio ordine *extremis subsidio deponebantur*. Hos *Triarios* in tertio ordine pugnantes & extremis subsidio depositos nusquam agnovit Cæsariana militia. Solebant & subsidiariæ copiæ a Cæsare, & aliis tunc temporis imperatoribus in extrema acie substitui, sed nusquam eas *Triariorum* nomine appellatas invenire est. Sed & ipse Varro eo loco ita de iis loquitur, ut constet ex ejus verbis non amplius *Triariis* locum fuisse in acie Romana. *Pilani*, inquit, *Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur*. Dixit *deponebantur*, nempe antiquis temporibus, & vetere militia, non in ea quæ tunc obtinebat.

CAP. II.

De legionis Romanæ divisione, & aliam fuisse Scipionis ævo, aliam sub Cæsaribus.

Rationibus nunc pugnemus, ut ostendamus divisionem legionis quæ in *cohortes* fiebat, subsistere ac cohærere neutiquam posse cum ea quæ in *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios* distribuebatur. Hæc antiqua fuit legionis Romanæ Polybii ævo, ab ipso Romulo, ut inter auctores convenit, instituta divisio. Numerus non idem semper constitit, sed quicunque esset, in tria corpora dividebatur, ætatis discrimine signata. Pubescens ætas in *Hastatis*, robustior & virilis in *Principibus*, provectior & virtutis usu probata in *Triariis*, qui Veterani milites erant, spectabatur. Sic distincta semper fuit vetus legio in hæc tria corpora, quæ *cohortes* nullas habuit, nec vero habere potuit, ut legio nova & Cæsariana. Ita enim eam vocamus, quia ut in Scipione veterem quæ a Polybio descripta est, signamus, sic in Cæsare novam, quo diversam utriusque ævi militiam ab horum duorum eminentissimorum imperatorum ætatibus illustriore nota distinguamus. Sumamus legionem Polybianam. Ea quaternos millenos cum ducentis milites habuit. *Triarii* in his sexcenti fuere. Et hic numerus *Triariorum* semper servatus est, quantumlibet auctior fieret legio. Nam crescente pro portione *Hastatorum* & *Principum* numero, si legio ampliaretur, nihilominus *Triarii* manebant plane sine augmento. Quod diserte Polybius affirmat: Ἐὰν δὲ, inquit, πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσιν, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν τριαρίων, τούτους ἀεὶ τοὺς ἴσους. *Quod si plures quatuor millibus in legione numerentur, similiter pro rata divisionem faciunt, exceptis Triariis qui semper numero eodem*. Quoties legio divisa est in decem *cohortes*, æqualis in omnes partes ea partitio facta. Singulæ quippe inter se pares. Verbi gratia legio Polybiana quaternis millibus & ducentis militibus constans, si divideretur in decem partes æquales, ut erant decem cohortes, unaquæque earum haberet milites viginti & quadringentos. In tali partitione *Triarii* numero sexcenti nullo modo queunt partem æqualem cum aliis novem constituere. Unam certe *cohortem* ex his efficere non possis. Sexcenti ipsi sunt, cohors quadringentos & vicenos solos habet. Vis duas ex eorum numero *cohortes* componere? Nec hoc dabitur. Duæ quippe *cohortes* in legione quaternorum millium & ducentorum, octingentos & quadraginta dant milites. At *Triarii* in totum sexcenti sunt. Duæ ex his *cohortes*, trecentorum tantum essent militum singulæ, quibus quadringenti competunt & viginti. Fac legionem esse quinque millium, ut aliquando fuisse certum est. Singulæ ejus *cohortes* erunt quingenariæ. Nec in hac igitur legione quinum millium ex *Triariis* sexcentis una poterit *cohors* constare, quæ par cæteris sit. Sexcenaria quippe exiret pro quingenaria, & quingentos pro sexcentis haberet. In ea autem legione quæ ex sex millibus composita esset, locum habere posset. Nam singulæ ejus *cohortes*, sexcentis constarent. Si hoc placeat, non tamen in Polybiana, quæ quaternorum millium fuit, hæc divisio potest admitti. Ne in ista quidem, quæ sex millium est, si recte calculum ponas. Nam cui cohorti assignabuntur, primæ an ultimæ? *Triarii* sane in militia vetere, utpote veterani milites, honestissimi & maximæ dignitatis fuere. Cohors prima in legione talium. Ergo occupare debuerunt *cohortem* primam merito suo. Atqui *cohortes* primæ legionum semper in acie prima collocabantur, & in cornu dextro. At ex veteris militiæ instituto *Triarii* semper in ultima acie, ad subsidium sepositi. Eorum fuit *Primus pilus*, vel *Primipilus*, qui *Pilanorum*, sic enim & *Triarii* vocabantur, primus erat centurio, ut *primus Hastatus* dicebatur primus *Hastatorum* centurio, & *primus Princeps* primus centurio *Pincipum*. At *Primipilus* ille qui olim *Pilanorum* sive *Triariorum* primus centurio in extremo agmine

A agmine pugnantium, commutata militia in prima cohorte, cui & præerat, & a qua initium pugnandi fiebat, pugnare solitus. Alia igitur militia fuit, quæ *Primipilum* in cohorte prima posuit, in prima acie ordinanda, & quæ eundem cum *Triariis* quos ducebat in ultimum ordinem, extremo loco pro subsidio pugnaturum rejiciebat. Alia etiam ratione, legionis in *cohortes* distributio, non potest stare cum ea divisione, quæ legionem in tria genera suprascripta partiebatur, *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Sumatur iterum demonstratio Polybiana. Corpora *Hastatorum* & *Principum*, in decem partes singula dividebantur. In singulis partibus erant milites centum & viginti. Hic nume- B rus *manipuli* nomine appellabatur atque *ordinis*. Si quis tentet has partes denas singulorum corporum, & ipsa corpora diducere æquabiliter in portiones quæ cohortibus respondeant, nulla ratione id præstare possit. Unaquæque pars ex tribus legionis Polybianæ, mille ac ducentos milites habuit. Hunc numerum si æqualiter in tres porro partes secare velis, unaquæque quadringentos auferet. Si totidem exire ex eo numero cohortes postules, non constabit ratio. Nam singulæ cohortes in legione quaternorum millium ac ducentorum, quaternos & vicenos milites habere debebunt. Sed fac singu- C las esse rotundo numero quadringentorum militum, ne sic quidem res recte procedet. Tres cohortes nempe dabuntur ex numero *Hastatorum*, tres ex corpore *Principum*. Sunt sex cohortes. Ex velitibus etiam tres aliæ cohortes educentur. Novem jam habemus. Restabit decima ex *Triariis* concinnanda, in qua sexcentos ponemus milites, cum reliquæ cohortes quadringentis tantum constent militibus. Non erit igitur æqualis divisio. Præterea ex velitum numero tres fecimus cohortes. At in antiqua legione, nec in certum ac distinctum corpus redigebantur, nec signa sua quæ sequerentur, habebant: non in manipulos dividebantur D proprios, nec ordines in acie instruenda accipiebant. Horum, ut Megarensium, olim οὔτε λόγος, οὔτε ἀριθμός. Nec igitur in censu & numero cohortium collocati fuissent. Et tradit Polybius, cum pari numero essent in legione cum *Hastatis* ac *Principibus*, corpus per se atque ordinem numerumve in legione non composuisse, sed prout erat multitudo eorum, in cætera corpora æqualiter distribui solitos. Cum mille ducenti numero forent in Polybiana legione, quadringenti ex his attribuebantur *Hastatorum* corpori, quadringenti *Principum* ordini adscribebantur & totidem *Triariorum* assignabantur manipulis. Hoc est quod voluit Poly- E bius, cum scripsit de his velitibus: Τῶν δὲ γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας, κατὰ τὸ πλῆθος ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν, καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν, καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν. *Velites autem pro ratione multitudinis eorum, æqualiter distribuebant in singulas partes reliquorum generum. Unamquamque vero earum partium ordinem appellabant & spiram & manipulum.* Quadringenti velites assignabantur corpori *Hastatorum*, per singulos eorum manipulos æqualiter distribuendi. Idem de *Principibus* & *Triariis*, qui & partem quique suam velitum accipiebant, in suos manipulos pariter di- F spertiendam. Sic ex quadringentis velitibus qui competebant corpori *Hastatorum*, *Principum*, *Triariorum*, singuli eorum manipuli, qui deni erant in unoquoque corpore, quadragenos fortiti sunt velites. Vicenos fuisse leves milites, in unoquoque manipulo legionis tradit Livius lib. VIII. ubi pugnam Romanorum cum Latinis describit. *Manipulus*, inquit, *vicenos leves milites habuit, aliam turbam scutatorum.* Legionem quoque, ubi in decem cohortes dividi cœpta est, suos leves & expeditos milites habuisse, alibi docemus. Et sane absque his levibus esset, sive levis armaturæ militibus, qui *hastas* tantum & *gæsa* gerebant, numerus Polybianæ legionis idem foret cum ejus legionis numero, quæ a Romulo instituta est. Ea ternum millium fuit. Adde leves, sive γροσφομάχους, ut eos Polybius nominat, mille ducentos, ter mille fuerint reliqui, qui numerus erat Romuleæ legionis, similiter & in tres partes *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* distributæ. Quod additi sunt ad legionem mille ducenti velites, nihil illi auxerunt legionariorum militum numerum, quem parem fuisse certum est in antiqua legione sicut a Romulo fundata est, & in Polybiana. Isti autem leves, qui neque signa, neque ordines proprios in legione habebant, neque etiam duces, per reliquorum generum manipulos æquali portione dispertiendi ac dispergendi, extra legionem censebantur, ita tamen ut aliquando cum legione sint numerati, sed eo modo quo dixi, sine propriis signis, ordinibus & ducibus. Pone sexcentos *Pilanos*, sive *Triarios* in legione Romuli, mille ducentos *Principes*, totidem *Hastatos*, habebis eundem numerum germanorum legionariorum, & gravis armaturæ militum, quem Polybius in sui temporis legione agnoscit. Et certe videtur hic legitimus fuisse numerus legionis Romanæ, quamdiu in tria summa genera dispertita est, *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. De illo tantum dubitari potest, an legio hoc habuerit Romulea & prima, ut in tribus ejus corporibus sive generibus æqualis distributio in denas partes fuerit. Hoc est, an par numerus fuerit *Triariorum* in denas partes distributorum, ac *Principum* & *Hastatorum*. Si inæqualis fuit, ut in legione Polybiana videmus, manipuli *Triariorum* sexagenorum tantum militum fuerint, ut in Polybiana: *Hastatorum* ordines & *Principum*, centenorum ac vicenorum. Sed æquales in tribus generibus partes factas a Romulo in sua legione instituenda suadere videtur nomen ductoris qui singulis manipulis præfuit. Is *centurio* vocatus est, quod nimirum centuriæ præesset justæ. Appellatio mansit etiam, postquam manipuli aucti sunt, ut in Polybianis *Hastatis* & *Principibus* quorum manipuli centenis & vicenis constabant militibus. *Triariorum* vero manipuli cum solos haberent sexagenos milites, nihilominus ordinum eorum ductor dicebatur *centurio*, ut *centurio Primipili*, qui primum manipulum Pilanorum, qui *Triarii* etiam dicebantur, ducebat. Centuriæ igitur veræ ac justæ fuerunt manipuli illi ex quibus legionem suam composuit Romulus, ac sic *Triariorum* Romuleorum manipuli æquales numero fuere *Hastatorum* & *Principum* manipulis. Et hæc causa videtur fuisse, cur Polybius, cum notaret quibus nominibus apud Romanos appellatæ fuerint partes, in quas divisa sunt *Hastatorum*, *Principum* ac *Triariorum* in legione corpora, *centuriam* in his appellationibus non nominavit, quia partim majores essent illæ partes centenario numero, ut in *Hastatorum* ac *Principum* manipulis qui centum ac viginti milites habebant: partim minores, ut in *Triariorum* ordinibus in quibus sexageni tantum milites fuere. Tres appellationes, quibus eas partes signatas prodidit, hæ sunt, τάγμα, σπεῖρα, σημαία. Græca sunt vocabula, sed eorum significationes in Latio quærendæ, ut id, quod voluit Polybius, intelligamus. Καὶ τὸ μὲν μέρος, inquit, ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν. Quod attinet ad vocabulum τάγμα, eo designare voluit, quem Romani *ordinem* appellant. Et sane ita pars quæque dena ex corpore *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* a Romanis vocata est, quod per eas partes ordinaretur acies, ut infe-

rius docebimus. Σημαίαν vertit Lipsius *signum*. Et sic etiam certe posse reddi non dubito. Sic enim loquuti sunt optimi Latinitatis auctores, ut *unius signi milites* dixerint pro manipulo. Sed & *signa* etiam dixerunt pro manipulis, ut Sallustius. Ita *signum* & *manipulus* idem pro militum manu, quæ unum sequitur signum. Nec aliud intellexit nomine σημαίας Polybius. Si repetatur origo hujus vocis ab institutione prima, id verum quod dico apparebit. Centuriæ in legione Romuli pro signo manipulum sive fasciculum fœni in pertica suspensum sequebantur.

Pertica suspensos portabat longa maniplos.

Inde & ipsa centuria *manipulus*, qui sub uno signo quod idem erat cum *manipulo*, ordinabatur. Sed & *manipulus* postea quilibet numerus dictus, qui ad unum signum sive vexillum in hostem ibat. Σημαίαν Græce reddidit Polybius, quia *manipulus* olim pro σημαίᾳ, vel signo. Tertium nomen restat apud Polybium, σπεῖρα. Lipsio vertere libuit *manipulum*. Id non est. Cur enim σπεῖρα manipulus? Ut idem re ipsa sit, nomine tamen diversa, & alia censetur origine. Posteriores auctores Græci σπεῖραν vocarunt, quæ *cohors* in Romana legione, postquam ea in *cohortes* divisa est. In legione Polybiana nullæ cohortes. Et siquando Livius in antiqua militia, quæ in *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios* legionem divisit, meminit *cohortium*, quod sæpe fecit, ad sui ævi morem respicit, prioris oblitus, aut nescius. Sane cum Græci auctoris verba redderet, qui manipulos & ordines *Hastatorum* vel *Principum*, vel adeo *Triariorum*, σπείρας vocabat, ipse *cohortes* Latine transtulit, quia id vocabulum Græcis auctoribus tunc temporis usitatum erat, ad cohortes legionum, quibus denis tota legio constabat, designandas. Ennius *spiras* dixit quæ Græcis σπεῖρας pro manipulis vel ordinibus legionis sui sæculi:

—— *spiris legiones nexant.*

Id est, manipulis vel ordinibus. Quod non facturus fuit, ut opinor, si ejus ævo *cohortis* nomen in eadem re significanda usurpatum foret. Si *cohortes* pro legionis partibus illa ætate cognitæ fuerunt, nihil profecto aliud ea voce significarunt quam id quod Polybius σπείρας appellatione intellexit, hoc est, ordinem vel manipulum centenis & vicenis militibus constantem, vel etiam sexagenis, ut erant manipuli *Triariorum*. Utriusque nominis σπείρας & *cohortes* eadem vis ex rotunditate. Nam *spira* convolutio est funium in circulum, *cohors* quoque in ædificiis rusticis rotunda. Hæc autem natura est multitudinis, dum catervatim adgregatur, ut circulos faciat. Inde *globus*, *orbis*, *adglomerari* & *conglobari*. Inde & *spiræ* & *cohortes*, pro turbis conglobatis. Quod ad numeros militares postea transiit. Nec porro mirum nomen *cohortis* alium atque alium numerum, pro temporum ratione, in legione Romana designasse. Nam & *manipulus* prius fuit centenorum hominum sub Romulo, postea centum & viginti sequente ævo. Sed & sexaginta milites *manipulum* fecerunt in *Triariorum* ordinibus. Postea sub Imperatoribus legione aucta & in decem cohortes dispertita, *manipulus* pro tertia parte cujusque cohortis sumi cœptus est, & ducentos habuit milites. Ad denos postremo redactus est, & *manipuli* nomine δεκανία appellata est, quæ uno contubernio tenebatur in castris, & in eodem tabernaculo residebat. Putavit Lipsius sub Hadriano vel Antoninis eam demum notionem manipuli natam esse pro decuria militum eodem tentorio utentium. Ego vero vetustiorem esse ajo. Quid enim aliud voluit Tacitus

A cum ita scripsit, Annali primo? *Non tentoria manipulis, non fomenta sauciis*. Palam est sensisse manipulis singulis suum fuisse tentorium. Ergo *manipulus*, deni milites. Quam longe a ducentis, qui *manipulum* aliquando constituerunt? Nec credibile est Tacitum aliis locis *manipuli* vocem alio sensu posuisse. Semper igitur apud illum *manipulum* accipiendum constat de unius contubernii militibus. Ut eodem Annali: *Concionem quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet*. Item Historiarum I. de prætoriis cohortibus: *Manipulatim colloquuti sunt Licinius, Proculus, & Plotius, Firmus*. Id est, per decurias contubernales collectis militibus. Non magis ergo mirandum de *cohortis* vocabulo, quam de *manipuli* dictione, variasse significationem ejus temporibus, atque alium

B aliumque numerum in legionibus denotasse. Temporibus Scipionum *cohors* trigesima pars fuit legionis, quæ centum ac viginti militibus constabat in numero *Hastatorum* & *Principum*, sexagenis in corpore *Triariorum*. At sub Cæsaribus legio denas tantum cohortes habuit, interdum quingenarias, interdum sexcenarias, aliquando etiam milliarias, hoc est, ex millenis militibus, ut plerumque cohortes primæ fiebant sub Imperatoribus medii ævi. De quibus nos plenius alibi. Cum *cohortes* igitur

C legimus apud auctores qui stante republica Latine scripserunt, pro manipulis eæ audiendæ sunt, vel ordinibus veteris legionis, qui pedites tantum centum & viginti continebant. Σπείρας Græci scriptores, ut Polybius, appellant, & manipulos sive ordines, quales & quantos dixi, intellexerunt. Qui vero Imperatorum ævo vixere, solent & σπείρας appellare cohortes quingenarias & sexcenarias, quales tunc legio Romana numero denas habuit. At non ignoscendo errore lapsus est Livius, qui Polybii Græca Latine reddendo, non vidit σπεῖραν & σημαίαν eandem esse, hoc est,

D *cohortem* & *manipulum* de centenis ac vicenis militibus quales fuere *Hastatorum* & *Principum* manipuli. Sic enim scribit lib. XXX. de pugna Scipionis contra Hannibalem, ubi & formam aciei ejus describit: *Instruit deinde primos Hastatos, post eos Principes, Triariis postremam aciem clausit. Non confertas autem cohortes ante sua quemque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent*. In his verbis planum est eum distinguere *cohortes* a *manipulis*, σπείρας ἀπὸ τῶν σημαιῶν. Atqui apud Polybium unde

E illa hausit, idem σπεῖρα, id est, cohors, quod σημαία vel manipulus. Livii ætate acies instrui solebat per confertas cohortes, quæ quingentis hominibus constabant, sine ullis intervallis. Scipionis sæculo etiam per cohortes instruebantur acies, sed eæ cohortes eædem cum manipulis, nec plures quam centenos ac vicenos milites habebant, & manipuli sive ordines aliquantum inter se distantes locabantur, propter eas causas quas infra aperiemus. Polybius in describenda Scipionis contra Hannibalem acie, σημαίας & σπείρας pro iisdem posuit, quas Livius imperite distinxit. Verba sic Polybii se habent: Ὁ μὲν Πόπλιος ἔθηκε τὴν τάξιν τῆς ἰδίας δυνάμεως τοῦτον τὸν τρόπον. πρῶτον μὲν τοὺς ἀστάτους καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασι. ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς

F πρίγκιπας, τιθεὶς τὰς σπείρας οὐ κατὰ τὸ τῶν πρώτων σημαιῶν διάστημα, καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ κατ᾽ ἄλλας, ἐν ἀποστάσει διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρὰ ἐναντίοις ἐλεφάντων. *Et Publius quidem copias suas instruxit in hunc modum. Primos quidem Hastatos & eorum manipulos collocavit, cum intervallis inter ordines. Deinde ita ordinavit Principes, ut eorum manipulos non e regione intervallorum, quibus distabant inter se manipuli Hastatorum, poneret, quem-*

admodum mos est Romanis, sed invicem sibi exadversum respondentes, satis magna intercapedine propter elephantorum multitudinem, qui in acie hostium erant. Legendum porro in verbis Græcis Polybii, ἀλλὰ καταλλήλως. Quod expressimus in nostra versione. Apparet ex his luce manifestius Livium confudisse ordinationem aciei quæ suo tempore recepta erat, cum Polybiana quam non est assequutus, quia qualis esset aut ignoravit, aut oblitus fuit. Putavit quippe in eo tantum Scipionem a vulgato more instruendæ aciei discessisse, quod manipulatim aciem direxerit, relictis inter ordines intervallis, non per cohortes confertas, ut consuetudo ferebat, sive ullis intervallis. Verba itaque illa Polybii, καθάπερ ἔθος ἐςὶ Ῥωμαίοις, de consuetudine ordinandæ aciei, quæ tunc apud Romanos obtinebat cum illa scriberet, accepit, & σπείρας de *cohortibus* intellexit quales ætate illa accipiebantur, cum denæ legionem unam constituebant. Atqui in illo Polybii loco σπεῖραι & σημαῖαι synonyma sunt, *cohortes* & *manipuli*. Nec Scipio in ordinandis suis copiis aliud novavit præter vulgatum eo tempore morem aciei instruendæ, quam quod intervalla ordinum sive manipulorum non ita disposuit, ut solebant tum disponi. Res nova coegit eum mutare rationem intervallorum, quæ inter ordines manipulorum relinqui ex usu ac more illius ævi oportebat. Quod infra pluribus explicabimus. Nunc id docemus Livium perperam in Polybianis σπειρῶν & σημαιῶν discrevisse, quæ eædem sunt. Certum præterea est ætate Polybii, & omnibus sæculis liberæ Reipublicæ *ordines* & *manipulos* eosdem fuisse in militia Romana. Manipulatim quippe ordinabantur acies toto illo tempore, quo Respublica floruit. Ideo ordines & manipuli iidem, τάγματα καὶ σημαῖαι. Quod etiam clare testatur locus Livii lib. VIII. ubi commemorat pugnam Latinorum & Romanorum, verbis quæ sic emendanda sunt, & quæ paulo post uberius explicabuntur: *Et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse. In plures ordines instruebantur.* Tota illa narratione *ordines* cum *manipulis* eosdem facit, ne virum doctum audias qui *manipulos* tam parvos facit, ut velit tum fuisse triginta militum. Quod est falsissimum. Verum de his infra, ubi de ordinibus agam. Ex his omnibus constat Polybianam legionem toto genere fuisse diversam a sequentium temporum legione, militiæ ejus quæ sub Cæsaribus viguit. His quippe tot rebus inter se distabant, numero, divisione, partium denominatione, ordinatione, ordinandorum locatione. *Numero* differebant, quia justus hic quasi numerus in antiqua legione fere semper observatus est, ut esset quaternorum millium ac ducentorum. Ab ipsa prima ejus origine ac institutione hic tenuit, & quamvis interdum numerum acceperit ampliorem, hic legitimus habitus est, & in eum semper Romani reciderunt, usque ad transitum alterius militiæ, ut apparet ex Polybio, cujus ætate hunc numerum ab antiquo velut sollemnem habuit legio. Ideo nunquam minore fuit numero, quia utplurimum hic status fixusque, quamdiu in *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* divisa est. E contrario ubi in cohortes denas dividi cœpit, nunquam minus militum habuit quam quingentos, etsi aliquando etiam plures, usque ad sexcentos & ultra. Nam & cohortes accepit interdum milliarias, & præcipue primam. Vegetius lib. II. cap. VI. de legione qualis fuit sub Adriano, ex Frontino tractans scribit, *decem cohortibus legionem fundari, quæ habet pedites sex millia centum, equites septingentos viginti sex. Minor itaque numerus armatorum in una legione esse non debet.* De legione Polybiana dici posset, minorem numerum in ea armatorum esse non debere quam quaternorum millium ac ducentorum. Nunquam enim minor in vetere legione fuit numerus, ne ab ipsa quidem institutione Romuli, si de gravi armatura vere legionariorum militum accipiatur. At in legione quæ sub Imperatoribus conscribebatur, teste Frontino quem Vegetius exscripsit, minor numerus esse non debuit quam sex millia centum. Additque statim: *Major autem interdum esse consuevit, si non tantum unam cohortem, sed etiam alias milliarias fuerit jussa suscipere.* Tempore Cæsar. Julii, milliariæ illæ cohortes in legione incognitæ fuere, quo tempore ut plurimum omnes cohortes fuere quingenariæ, tota legio quinum millium. *Divisione* distabat legio vetus a novitia, ac *partium etiam denominatione*. Antiqua legio dividebatur in tres classes, quibus discrimen ætas faciebat, atque etiam armorum genus. Hoc discrimine armorum dividebatur in *Hastatos* & *Pilanos*. Hi pilis, illi hastis pugnabant. Ab ætate discrimen trium generum erat. Nam in *Hastatos* juniores, *Principes* robustiores, & *Triarios* veteranos tota legio vetus distinguebatur. In novitia legione ut alia partitio usurpata, ita etiam alia partium denominatio. In solas decem cohortes dividebatur, cohortes autem singulæ subdividebantur in ternos manipulos, manipuli in binas centurias. Hic legio senum millium fuit, habuitque denas cohortes, tricenos manipulos, sexagenas centurias. Eadem divisio in aliis observata, quæ minorem habebant numerum, ut alibi plenius dicam. Nullos *Hastatos* habuit, nullos *Principes*, nullos *Triarios*. Vetus vero nullas cohortes, aut si σπεῖραι cohortes reddi debent, tales cohortes habuerit triginta, totidemque manipulos, quia eadem veteris legionis cohors ac manipulus. Præterea cohortes veteris legionis, inæquales, recentis omnes inter se æquales, excepto quod milliariam aliquando cohortem primam accepit, cum aliæ essent quingenariæ. At in vetere legione cohortes *Hastatorum* & *Principum* centum & viginti militum fuere, *Triariorum* vero sexagenos tantum milites habuere. Alia itaque tam divisio quam subdivisio in vetere & in nova legione, alia quoque partium tam enumeratio quam denominatio, & nihil omnino simile in utraque, quantum ad earum numerum & divisionem attinet.

CAP. III.

Legionem antiquam sive Polybianam a Cæsariana & nova diversam fuisse ordinatione.

NOn solum ordinatione, sive ordinandi modo, distabat legio Scipionis a Cæsaris legione, sed etiam ipsius ordinationis, ut ita dicam, ordine, & ordinandorum in acie locatione. Sed de ordinatione primum. Ordinatio est ratio, qua in acie ordinanda disponitur legio per majora aut minora corpora, quæ totidem sunt veluti partes ac membra totius ordinationis. Ordinatio ea τάξις vel ἔνταξις Græce dicitur. Polybiana legio per minora corpora ordinabatur, ut erant manipuli, ex peditibus centum ac viginti. Legio Cæsariana per cohortes instruebatur, quæ corpora fuerunt sexcentorum militum. Unde illud Virgilii de acie, qualis tunc temporis ordinabatur, II. Georgicῶν:

Ut sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies.

Præterea hæc etiam differentia extitit, quod in or-

dinatione legionis priscæ intervalla relinqui solita inter ordines sive manipulos qui ordinabantur. In nova, dum ordinaretur, nihil tale fieri solitum, sed per *confertas cohortes* instituebatur, ut loquitur Livius, hoc est, invicem junctas & nullis intervallis hiantes. Enimvero intervallis antiquitus ideo inter ordines locus fuit, quia id requirebat tum usitata depugnandi ratio, sicut a Livio tradita est, cum in recente nullis ejusmodi inter ordines patentibus viis opus esset. Priscam eam rationem aciei instruendæ, quæ ordinum intervalla desiderabat, verbis Livii hic referemus, ut inde constet quantum diversa fuerit pugnandi consuetudo veterum ac novorum Quiritum. Ita ergo Livius veterem morem præliorum describit lib. VIII. *Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant. Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat. Hastati sequebantur. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prospere pugnatum esset a prima acie, ad Triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios redisse, cum laboratur, proverbio increbuit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum Principes & Hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus claudebant vias, unoque continenti agmine, jam nulla spe post se relicta, in hostem incedebant.* Cur tam diligenter & accurate hunc modum depugnandi in exercitu Romano descripsit occasione data Livius? Quia nimirum vetus erat, & obsoletus abolitusque. Quod si in usu fuisset & frequens eo tempore quo historiam scripsit, ludibrium debuisset tunc temporis hominibus Romanis, qui rem omnibus notam adeo anxie & exacte litteris mandaret. In superius positis ejus verbis habemus imaginem ad vivum omnibus suis lineamentis expressam ordinationis antiquæ, qua acies instruebantur. Triplex erat acies pro triplici genere militum, quo legiones distinguebantur. Acies illæ invicem sibi succidaneæ disponebantur, & altera alteram sequebatur, nec omnes uno eodemque tempore pugnabant. Secunda erat subsidiaria primæ, tertia secundæ. Ideo intervalla relinquebantur inter ordines cujusque aciei, ut esset quo se reciperent priores, si rem male gessissent, retrocedendo nimirum per intervalla subsequentium,

A quos vice versa post eorum terga subducti sequebantur. Ita autem disponebantur, ut primæ aciei ordines responderent intervallis secundæ aciei, eo fini, ut si recedendum esset, recta ad intervalla sequentium ordinum retrogradi ferrentur, & sic per ea dilapsi, post terga militum qui in secunda acie stabant, recepti in tuto forent. Quo facto secundæ aciei ordines in hostem procedebant clausis intervallis quæ patuerant retro cedentibus aciei primæ manipulis. Sed hoc, inquiet aliquis, fieri vix poterat absque turbatione. Ut hodie fiunt acies, percipi haud adeo facile potest, quomodo receptus ille primæ aciei ordinum procederet per intervalla B sequentis, nisi quis attendat ad formam priscæ ordinationis. Primum non admodum multiplicabantur ordines in unaquaque acie, sed ex paucis constabant in latum ordinibus, ternis aut quaternis ad summum, quo fiebat, ut facilius per intervalla a tergo positorum ordinum se recipere possent, non lata fuga hostibus terga dantes & aversi, sed *sensim*, ut ait Livius, *retrocedentes*. Quod si fugissent, haud sane sine tumultu incidissent in aciei sequentis ordines, quos & facile turbassent quantumlibet relictis intervallis patentes. Præterea frequenti & quotidiano exercitio id assequebantur, ut per C vias sibi notas & destinatas, cum sensissent se premi ab hoste, cui impares sustinendo erant, evadere possent, præsertim quibus propositum esset, non fugam petere, sed retro sensim pedem referre. Et notare tibi debes, Livium cum de hac ordinatione loquitur, non dicere, aversos *Hastatos*, & in fugam se proripientes in intervalla ordinum suorum a *Principibus* recipi. Quod profecto factum non esset sine magna turbatione ordinum qui eos recepissent. Sed ita rem exponit: *Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant.* Non expectabant igitur, donec profligati essent, D & in fugam converti *Hastati*, ut de receptu cogitarent, (non enim hic receptus, sed fuga fuisset) verum ubi sensissent profligare se hostem non posse, ultro cedebant. Hæc pluribus in magno opere explicamus, quæ hic signare satis habui. In illo porro genere ordinationis quæ vias inter ordines aperiebat recipiendis retrocedentibus primæ aciei manipulis *Hastatorum*, ita intervalla disponebantur, ut contra ordines ipsos ea statuerentur, & vicissim ordines e regione intervallorum alterius aciei collocarentur in hunc modum.



Verisimile tamen est, immo & verum, primos *Hastatorum* manipulos juncto agmine pugnasse. Quo enim in illis intervalla & vias, qui nullos intra se recepturi erant? Sed ubi pugnassent conjunctis ordinibus, si cedendum esset impressioni hostis, tum laxatis ordinibus, manipuli singuli ad intervalla *Principum* quæ ad hoc aperta relinquebantur expectantium eventum pugnæ *Hastatorum*, refugiebant. Unusquisque nempe manipulus illud intervallum *Principum* quod sibi a tergo patebat, petere solebat. Sic *Triarii* patentibus prius intervallis subsidentes, ubi in intervalla ordinum suorum recepissent *Hastatos* & *Principes* retrocedentes, ex- E templo contra hostem procedentes comprimebant laxatos ordines, & vias claudebant: Numquam enim pugnabant nisi confertis & continuis manipulis, atque uno continenti agmine. In Scipionis acie cum ad alium usum intervalla in his instituisset quam ad recipiendos qui sustinere impetum hostilem non possent, etiam primi *Hastatorum* manipuli laxatis ordinibus videntur constitisse. Quod enim metueret, ne elephanti quos hostis in fronte aciei collocaverat in adversum acti turbarent ac perrumperent ordines manipulorum suorum, ideo intervalla inter eos reliquit, quibus belluæ acciperentur sine noxa ac turbatione ordinum. Nam Scipio in eo

A prælio profligavit Hannibalem, aciem suam more qui tunc obtinebat, per *Hastatos*, *Principes*, & *Triarios* ordinavit, cum patentibus nempe intervallis inter ordines cujusque aciei; sed aliter intervalla illa direxit, quam mos militiæ tum vulgatus ferebat. Nec enim ordines sequentes opposuit intervallis præcedentium ordinum, nec intervalla ordinum subsequentium ex adverso statuit manipulorum qui primam aciem constituebant, sed intervalla contra intervalla direxit, ordines contra ordines. Ideo ordinationem vulgarem mutavit, ut elephanti quibus prævalebat Hannibal, & quos in fronte ante aciem collocaverat, transmitti sine offensione possent per intervalla, quæ uno tenore B directa ternas acies dividebant. Si enim pervulgata arte ordinandi instruxisset aciem, elephanti per intervalla *Hastatorum* accepti incurrissent in ordines *Principum*, eosque perrupissent. Ita igitur fuere disponenda intervalla, ut uno & recto ductu tam inter *Principum* manipulos quam inter *Hastatorum* ordines laxamentum darent. Appianus id ita explicavit: Λόχους δὲ ὀρθίους ἐποιεῖτο πάντας, ἵνα δι' αὐτῶν οἱ ἱππεῖς διαθέοιεν. *Omnes ordines rectos instituit, ut equites per eos facilius discurrerent*. Recti ordines, ut etiam intervalla recta. Nam ut ordines ordinibus oppositi in rectam lineam, ita intervalla intervallis. Et Livius quoque *rectos ordines* in illa ordinatione Scipionis appellavit his verbis: *Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus* (*ea tunc levis armatura erat, complevit*) *dato præcepto, ut ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram lævamque discursu applicantes se antesignanis viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent*. Hoc præcepit Scipio, ut velites quibus illa spatia inter ordines vacantia compleverat, ne quid hiulcum inter ordines videretur, ad primum impetum elephantorum, aut post tergum rectorum ordinum, id est, in recto ordine collocatorum se subducerent, aut ad latus eorum se applicarent, dextra lævaque. Rectorum ordinum, ut & intervallorum, hæc forma fuit:




C In verbis Appiani quibus eam ordinationem Scipionis explicavit, multa animadvertenda sunt. Primum λόχους nominavit contra Romanum morem, qui per λόχους non ordinabant aciem suam. Sed & λόχοι non erant illi ordines in acie Scipionis quos rectos instituit, sed ζυγοὶ potius ex usu Græcorum τακτικῆς. De quibus infra pluribus, ubi de ordinibus tractabimus. Deinde falsum est quod ait omnes ordines rectos in acie instruenda a Scipione institutos fuisse. Nam solorum antesignanorum ordines ita disposuit cum intervallis patentibus, id est, *Hastatorum* & *Principum* solos manipulos. Hi quippe soli vocabantur eo tempore D *Antesignani*. Et Livius testis est inter solos antesignanorum manipulos eas patentes vias relictas. Quod longius subducti essent ac diffiti a reliquis *Triariorum* manipulis qui sepositi erant ad subsidium, ideo rectus intervallorum rigor qui antesignanorum ordines, disjungebat, ad eos usque non est perductus, quod eo pervenire elephantorum impetus non posset. Postremo aliam rationem intervallorum sic inter manipulos perpetuo rigore ductorum adfert Appianus, præter veram. Dicit enim ideo sic constitutos in rectum ordinem, ut equites per eorum intervalla discurrerent. Sole- E bant quidem interdum etiam in novitia militia, cum aciem instruerent, intervalla inter ordines patentia relinquere ad equites emittendos contra hostem, & rursus admittendos, cum receptu sibi consulere vellent, si ab hostili equitatu premerentur. Sed in antiqua militia hoc nunquam factum. Et speciale illud institutum Scipionis fuit quo a vulgari more intervallorum recessit in acie ordinanda, non propter equites proprios quo emitti in hostem possent, sed propter hostium elephantos, ut immissi per intervalla transmitti possent imperturbatis ordinibus. Sylla adversus Archelaum in Asia pugnaturus ita aciem instruxerat relictis interval- F lis, ut per patentes inter ordines vias levem armaturam & equitem, quem in novissimo collocaverat agmine, cum res exegisset emitteret, sicut a Frontino traditur lib. II. Strategematum cap. III. Sed in antiqua ordinatione ob aliam causam & aliter intervallis distincta acies. *Africanus* in libris qui nondum sunt editi *de re Bellica* caput habet περὶ ἀποτομῶν ἢ διαστημάτων τῆς φάλαγγος. *De intervallis peditum in acie*. Sed ea in legione in cohortes jam divisa locum habuere & in novitia militia, & propter equitatum instituta sunt, qui a novissimo agmine per intervalla ordinum erumpebat adversus hostem & per alia ejusdem aciei intervalla se rursum post terga recipiebat ordinum. Africanus in eo capite φάλαγγα τῶν ὁπλιτῶν vocavit universum peditum exercitum, quem componit ex cohortibus quingenariis triginta duabus. Triginta illas cohortes in fronte aciei ponit, quæ ternas legiones efficiunt Romanas ex quinque millibus singulas constantes. Quem legionum legitimum numerum ad exercitum peditum componendum Romanos veteres existimasse inferius docebimus. Singulas illas cohortes in fronte dispositas intervallis disjunctas ejusmodi esse vult, ut equites quinque per ea possent transire. Καὶ αἱ μὲν, inquit, τριάκοντα ἐν τῇ μάχῃ τάσσονται εἰς παράταξιν εὐθεῖαν ἡγουμένας μέτωπον ἢ πρόσωπον τῆς φάλαγγος διακεχωρισμέναι ἀλλήλων, ὡς εἶναι μεταξὺ αὐτῶν ἀποτομὰς καὶ διαστήματα ὡσεὶ χωρήσεως ἱππέων πέντε κατὰ ζυγὸν ἐπ' εὐθείας ἐξερχομένων. *Et tricenæ quidem ex his cohortes quingenariæ directa fronte in acie ordinantur invicem a se disjunctæ intervallis quinque equitum per ea inter ordines exeuntium capacibus*. Sed de his infra. Phalanx quoque Macedonica præter illud intervallum quod unicum agnoscunt auctores qui τακτικὰ scripsere, ut Ælianus, & quo in duas partes dividebatur, id est, in cornu dextrum & sinistrum, pluribus etiam aliquando intervallis distincta fuisse videtur, ut ex Livio constat lib. XXXVII. ubi Antiochi Magni phalangem dicit in decem partes in fronte distinctam fuisse, binis elephantis per singula intervalla interpositis: *Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ dicebantur. Hæc media acies fuit. In fronte in decem partes ea interpositis binis elephantis distinguebatur. A fronte introrsus in duos ac triginta ordines armatorum acies patebat*. Hoc idem Appianus quia Polybio habuisse videtur, clarius

explicat de eadem phalange in Antiochi loquens libro de bellis Syriacis, ubi ſcribit eam phalangem Macedonicam Antiochi diviſam in fronte fuiſſe in decem partes. Sic novem habuit intervalla, hoc eſt, *διαςήματα*. Unaquæque pars in fronte habuit quinquaginta milites: a fronte introrſus, qua altitudo aciei numeratur, triginta duo. Ita ſingulæ partes mille & ſexcentis militibus conſtiterunt, quæ ſimul junctæ numerum reddunt decem & ſex millium, quot pedites habuit Macedonica phalanx. Interdum & per *μονοφαλαγγίας* ſeparabatur, ac ſi tota *φάλαγξ* in quatuor partes in fronte dividebatur, quas partes ſingulas, auctores Græci vitæ Alexandri *τάξεις* vocant & *φάλαγγας*. Ita unaquæque phalanx in acie ad eum modum ordinata per *μονοφαλαγγίας* non confertas, ſed intervallis relictis patentes, tria habuit *διαςήματα*. Verum de his infra. Sed intervalla illa inter ordines patentia propria tum fuere Romanorum ordinationis. Græci quoque aliquando ita intervallis ſuas diſtinxere acies, ut primi Romani ſoliti ſunt, ad recipiendos eos qui ex prima acie, retro cederent. Xanthippus Laco arte ſua preſſit Romanos in acie, qua Regulum devicit. Sic enim eam inſtruxit, *ut levem armaturam in prima acie conſtituerit, in ſubſidio robuſtiſſimos exercitus, & præcepit auxiliaribus, ut emiſſis telis cederent hoſti & cum ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, confeſtim in latera diſcederent, & a cornibus rurſus erumperent, exceptumque jam hoſtem a robuſtioribus & ipſi circumirent*. Non potuere inter ordines ſe recipere retro cedentes ex prima acie auxiliares, niſi per intervalla ad hoc relicta in ſecunda. Clarumque eſt quod ante notavimus, hæc intervalla fieri ſolita non ad profligatos & fugaces ex prælio recipiendos, ſed ſi qui vel ex mandato ducis *ςρατηγηματικῶς* cederent hoſti ut in Xanthippi acie, vel qui ſentientes hoſtem ſuperari a ſe non poſſe, ultro pedem referrent, & ſenſim ad ſuos relati per intervalla ordinum retro ſubducebantur, ut ab illis ipſis ordinibus per quos ſe ſubtraxiſſent, exciperetur hoſtis, ut in Romana fieri ſolitum, ſed antiqua. Quod *ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖν* Græci dicunt, id Livius latine vertit *retro ſenſim cedere*. Et confirmat idem Polybius id quod a Livio traditum eſt non pro[illegible] fugientes, [illegible] pter retro cedentes ſponte ſua, vias patentes inter ordines manipulorum pandi ſolitas. Flaminium eo nomine arguit quod aciem contra Gallos ſic ordinarit, ut corrumperet quod erat maxime peculiare Romanæ ordinationis, cum ſpatium non dedit manipulis pedem ſenſim ex acie referentibus per intervalla ordinum a tergo poſitæ aciei. Ad præruptam quippe fluminis ripam aciem admoverat & ſic retrocedendi ac ſe recipiendi intra ſuorum ordines ſpatium militibus prorſus ademerat. Verba Polybii: *π[illegible] ποιησάμενος τὴν ἔκταξιν διεφθειρε τὸ τῆς Ῥωμαϊκῆς [illegible] τάξεως ἴδιον, οὐχ ὑπολειπόμενος τόπον πρὸς τὴν ἐπὶ πόδα τῶν σπειρῶν ἀναχώρησιν*. *Acie quippe inſtructa & admota ad ipſa fluminis præripia, corrupit quod erat proprium Romanæ inſtructionis, non relinquens locum manipulis retro ſenſim cedendi ac ſe recipiendi*. Hoc *τῆς Ῥωμαϊκῆς τάξεως ἴδιον*, *Romanæ ordinationis proprium* dicitur, non qualis ſub Cæſaribus in uſu & more fuit, ſed qualis ſub Scipionibus, ne quis iſtic amplius erret, ut ab omnibus huc uſque erratum eſt. Nihil tale factitatum in ordinatione qua uſi ſunt Cæſar & Pompejus, omneſque poſtea Romani duces & imperatores. Hujuſmodi ordinationem quæ per parvas manus & inter ſe diſtantes, viis interpoſitis inſtruebatur, *cuneis inſtrui* dixit Frontinus lib. II. cap. 3. de acie ordinanda. *Paulus*, inquit, *adverſus Perſen, Macedonum Regem cum phalangem ſuorum duplicem mediam in partem direxiſſet, eamque levi armatura cinxiſſet, & equitatum in utroque cornu collocaſſet, triplicem aciem cuneis inſtruxit, inter quos velites ſubinde emiſit*. *Cuneos* appellavit, manipulos viis diſſeptos a cuneorum theatralium forma, quæ ſedilium loca erant, viis & canalibus interjectis ſeparata, quibus non diſſimiles manipuli inter ſe diſtantes, per interpoſitas vias quibus diſpeſcebantur. Alias *cuneus* apud Tacticos forma eſt catervæ militum in trigonum ordinatæ, de qua non hic intellexit Frontinus, qui manipulos a manipulis via interpoſita ſeparatos ita vocavit, ut mos fuit in antiqua militia. Ideo & velites inter eos cuneos ſubinde emiſſos memorat, quod inter manipulos intervallis diſtinctos fieri ſolitum ſupra notavimus. Et ſic Scipio in acie qua cum Hannibale conflixit velitibus ea intervalla ordinum complevit. Hæc manipulatim ſive cuneatim inſtructa ordinatio, ac brevibus manipulis velut interciſa, præſtabat, ut acies in omnes partes verſatilis eſſet, laxari & comprimi facilis, propter intervalla quibus erat diſtincta. Egregia ad hanc rem ſignandam verba Polybii, ſed quæ vulgo male leguntur, nec melius intelligantur ab eruditis viris. *Ὅσ[illegible] διαςάτη ἡ Ῥωμαίων τάξις [illegible] καθόλου [illegible] μάχεσθαι πρὸς πάσας ἐπιφανείας [illegible] μιᾶς συντάξεως, ἀεὶ τῶν ἐγγιστα τοῖς δεινοῖς σημαιῶν συνεπιστρεφουσῶν πρὸς τὸ δεόμενον*. *Cum enim diviſa eſſet intervallis acies Romana, eo fiebat ut ſinguli tam univerſo agmine, quam per partes, id eſt, manipulatim, pugnare poſſent in omnes adſpectus una eademque ordinatione, quia manipuli illi qui periculo propiores erant, occurrere ſemper poſſent, quocunque uſus vocaret*. Emendavimus in Polybii verbis neceſſaria prorſus correctione, *ὅσης γὰρ διαςάτης τῆς Ῥωμαίων τάξεως*, pro eo quod vulgo legitur, *δυσδιαςάτης*. Nam certe *τὸ διάσπαςον* in acie cum vitio fit. Aciem quippe quæ perrumpitur, diſſipari ſignificat Hac ratione motus vir Græce doctiſſimus correxerat, *δυσδιαςάςου ὅσης*. Verum quidem fuiſſe *δυσδιάσπαςον* aciem Romanam, quæ muri inſtar habebat, diſſolvi ac perrumpi vix ullo niſu facilis; ſed tunc cauſæ non reſpondebit effectus qui ſubjicitur apud Polybium. Quod *δυσδιάσπαςος* eſſet acies Romana, an ideo eveniebat ut per partes in ea pugnaretur, id eſt, per manipulos, & *καθόλου*, id eſt, univerſo agmine? Hoc falſum. Phalanx Macedonica etiam *δυσδιάσπαςος*, & impenetrabilis, non id tamen habebat, ut ea inſtructione manipulatim pugna capeſſeretur a tota phalange. Quod etiam alio loco notavit Polybius. *Διάςατος* acies eſt intervallis diſtincta, inſtructa *ἐν διαςήμασιν*, ut loquitur idem Græcus auctor, id eſt, cum intervallis. Ideo pugnare in ea poterant milites *κατὰ μέρη*, id eſt, manipulis ſeorſim ſigna inferentibus, quia per manipulos erat inſtructa diſtantes inter ſe, ſive *διαςάτας*. In nova militia hæc etiam fuit ars, ut laxarentur ordines recipiendis fugientibus & turbatis, qui male in prima acie pugnaverant. Unde illa Taciti lib. III. Hiſtoriarum: *Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos*. Sed vel ex hoc loco conſtat ideo laxari ſolitos tunc temporis ordines, recolligendis ex fuga militibus, quia laxati vulgo non paterent eo ordinandi more qui illa ætate obtinebat. At in vetere militia *Principum* manipuli ita inſtrui poſt *Haſtatos* conſuerant, ut inter ordines patentia relinquerentur intervalla recipiendis non fugientibus aut turbatis, ſed ſenſim retro cedentibus. Spatia illa inter manipulos vacantia velitibus completa fuiſſe in exercitu Scipionis ideo Frontinus ſcribit, *ne interluceret acies*. Hoc non dixit neque Polybius, neque ex eo Livius. Sed Frontinus ad ætatis ſuæ morem reſpiciens, quo interlucere non debebat acies nullis inter ordines aperiri ſolitis viis, ideo hanc cauſam retulit, cur Scipio inter-

valla ordinum in acie a se ordinata replenda curaverit velitibus. Atqui ex arte quæ tunc observabatur, id ille factitavit. Viæ illæ patentes inter manipulos relinqui solitæ, vulgo velitibus ac levi armaturæ assignabantur, ut inde primo conflictu contra hostem emitti possent. Quod cum fecissent, rursus aut per eadem intervalla se recipiebant, aut in latera discurrebant, ut locum darent *Hastatis* in prima acie post velites ac levem armaturam pugnaturis. Quod alibi pluribus explicabimus. Idem Frontinus, vel male Polybium assequutus est in illa pugna describenda, vel si Livium aliis verbis expressit eundem errorem ab eo quem imitabatur, mutuatus est, dum ita scripsit: *Scipio adversus hanc formam robur legionum triplici acie in fronte ordinatum per Hastatos & Principes & Triarios opposuit, nec continuas construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spatium dedit*. Quomodo per *continuas cohortes* potuisset tunc aciem ordinare Scipio, cum nondum in cohortes legio divideretur, & mos militiæ perpetuus eo tempore exigeret aciem instrui manipulis inter se distantibus, sed alio modo quam tum ea disponi voluit Scipio? Hoc enim solo recessit ab ordinandi vulgato usu, quod directa per aciem *Hastatorum* & *Principum* intervalla uno ductu ac tenore pertulit, cum aliter disponi solerent. Fefellit Livium, forte & Frontinum, vox Græca σπεῖρα quæ apud Polybium non aliud significabat quam manipulum centum & viginti militum, cum vulgo apud Græcos scriptores illius ævi *cohortem* designaret sexcentis hominibus constantem. Sed nec scio, quid illud sit quod a Frontino scriptum est, *robur legionis a Scipione triplici acie in fronte ordinatum, per Hastatos, Principes, & Triarios*? In fronte quidem ordinabantur *Hastati* qui & primi pugnabant, sed *Principes* qui secundam aciem constituebant, & *Triarii* qui tertiam, non possunt dici una cum *Hastatis* in fronte ipsa ordinati. Livius lib. VIII. de *Hastatis* dicit, *primam eos frontem habuisse juvenum pubescentium ad militiam*. Si prima frons *Hastatorum* fuit, non etiam quæ sequebantur acies *Principum* & *Triariorum* in prima fronte aciei constitisse putandæ sunt. Sed & illud falsum quod ait *robur legionis in prima fronte collocatum*. Hic iterum cogitavit ævi sui militiam & ordinationem, quæ robur legionis in prima fronte collocabat. Contrarium usu receptum fuit apud veteres bellatores, qui robur legionis in postrema acie collocabant. Hujus veteris ac jam desitæ rei militaris Frontino ignoratæ multa vestigia apud Vegetium reperio qui eum breviavit. Sæculo Livii & Frontini continuæ cohortes in acie disponebantur, id est, continenter junctæ, & *confertæ*, ut loquutus est Livius. Eæ cohortes sexcentorum militum erant. At Polybii temporibus per manipulos centum & viginti militum construebatur acies, qui distabant inter se aliquanto spatio, non connectebantur serie continua. Frontinus apud Vegetium de ordinatione legionis per continuas cohortes: *Acies peditum a prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro: huic cohors secunda conjungitur. Tertia cohors in media acie collocatur: huic annectitur quarta.* Formam continuarum in acie cohortium hic subjectam habes:



Hæc unius legionis ex decem cohortibus constantis ad unam aciem componendam instructio. Si quis ex una legione tres acies ut tum ordinari solebant, binis introrsum ordinibus contextas instruere velit, ut exempli gratia instruendas proponit apud Vegetium Frontinus, hæc dabitur forma:



Ex una legione tres hic habes acies ordinatas, in binos introrsum patentes ordines. Prima & secunda cohors dextrum occupant cornu, quæ prima est acies. Tertia cohors cum quarta mediam aciem obtinet. Sinistrum cornu quæ est tertia acies, datum est quintæ cohorti. Hic primus ordo & prima frons triplicis aciei. Quinque aliæ cohortes in secundo ordine sunt collocatæ, absque intervallis ordinatæ, nisi quibus acies ab acie inter se debet a tergo distare. Et singulæ hic acies cohortibus confertis constructæ sunt, non ut olim in vetere militia obtinuit, manipulis separatis instructæ. In hoc igitur magna stetit antiquæ ordinationis & novæ differentia. In antiqua ordinatione, sollemnia & velut ordinaria inter singulos cujusque aciei ordines intervalla, partim ad emittendos velites & equites, partim ad recipiendos priorum acierum manipulos, si quando impares pellendo hosti pedem sensim referre cogerentur. In nova ordinatione nulla intervalla relinqui solita nisi inter ipsas acies, si quando æquata fronte collocarentur, ut unam lineam veluti constituerent. Quod genus ordinationis maxime in usu tunc temporis fuit.

CAP. IV.

De ordinandorum in acie locatione, sive ordinationis ordine, qua differebat legio vetus a nova.

Dictum est de ordinatione legionis in acie instruenda, qua Polybiana a Cæsariana distabat. Est & alius quasi ordo ipsius ordinationis, quod in locatione ordinum ipsorum consistit. Ut enim in omni ordine sive ordinatione alii primi sunt, alii extremi, alii medii quibus ordo totus constituitur, ita & in ordinandis peditibus equitibusque alii anteponebantur, alii postponebantur. Alii primam aciem constituebant, alii postremam, alii mediam. Nam ordinatio ipsa legionis quam superiori capite explicavimus, in ea tantum ordinandi ratione sita est, quæ per majora aut minora corpora aciem instruit, per cohortes puta vel manipulos. Hic vero ordo de quo nunc agendum est, spectat locationem ipsam militum in *principiis* aut *postprincipiis*, ut *antesignani* erant, & *postsignani*. Ea per numeros procedebat ordinales, alia ordinatio

per cardinales. Quot manipuli nimirum vel quot cohortes in fronte consisterent, quot ordines a fronte introrsum paterent. At ille de quo diximus ordinandi modus per ordinales ibat numeros, ut prima, secunda, tertia acies: primus, secundus, tertius ordo. Ut ecce Varro de Lingua Latina lib. IV. scribit, Pilanos in acie Romana etiam *Triarios* dictos, *quod tertio ordine extremis subsidio deponerentur*. Cum tertius ordo fuerit *Triariorum*, secundus ordo qui tertium antecedebat *Principum* erat, & primus *Hastatorum* qui *Principum* ordinem anteibat. Hæc igitur ordinatio sive ordinum locatio non in una acie cernitur, sed in pluribus. Una acies aut plures habuit manipulos, aut plures cohortes, quibus legio una ordinabatur. Plures autem acies hunc ordinem constituebant, de quo hic agimus. Quo genere ordinis sive ordinum locationis non minimum etiam distabat antiquæ legionis instructio, qualis in usu fuit ætate Scipionum, ab ea quæ frequentabatur ævo Cæsaris & Pompeii. Ex censu & classibus hic maxime ordo in ipso militum delectu statuebatur, & locum habebat non solum in acie, sed etiam in agmine, & in castrametatione. Nam *Hastati* cum deligerentur, ex inferioribus census classibus capiebantur, *Principes* ex mediis, *Triarii* ex primis. Contrarium ordinem in militia servabant. Nam qui ex ultimis classibus sumpti erant in primo ordine & prima acie pugnabant, qui ex primis in tertia ac postrema acie ponebantur, ut *Triarii*. Ætatis etiam ratio in illa ordinatione instituenda habita est. Antiqua ordinatio primam semper aciem habuit ex junioribus compositam, secundam ex robustioribus qui virilem ætatem attigerant, tertiam ex senioribus ac veteranis militibus, quos & *Triarios* ideo dixere, quod in tertio ordine ponerentur, sive tertia acie, veluti ad subsidium reservati. Contraria huic plane ordinatio obtinuit in recente militia. Veterani quippe omnes milites in prima acie collocari solebant, & *Principia* legionis, id est, *Principales* milites qui privilegiis nempe muniebantur. Ex primis quippe semper cohortibus legionum prima acies instruebatur. Primæ autem cohortes ex maxime exercitatis ac veteranis militibus constabant, & totius legionis robur in prima quaque acie consistebat. Hæc *aquilam* etiam habebat, quod signum erat legionis, & *imagines Imperatorum* quæ & *signa* proprie dicebantur, cum reliquarum cohortium *vexilla* appellarentur, quia ex velis conto appensis erant, vel *dracones* ex pannis, cum *aquilæ* legionum solida essent signa, ut & Imperatorum imagines. Nec tamen ignoro omnium cohortium vexilla etiam *signa* vocari. Sed cum distincta leguntur *signa a vexillis*, & *signiferi a vexilliferis*, tum signa propria primæ cohortis intelligenda, & vexilla de reliquarum cohortium signis accipienda sunt, ut paulo post docebitur cum qui fuerint *vexillarii legionum* apud Tacitum explanabimus. *Primipilus* præterea *Triariorum* olim fuit, non *Hastatorum*, neque *Principum*. Atqui *Triarii* postremam aciem constituebant sive tertiam, post primam *Hastatorum* & secundam *Principum*. In posteriore vero militia, quæ per cohortes legionem divisam numerabat, Primipilus datus est primæ cohorti legionis. Hic Primipili centurio qui præerat aquilæ, & hæc olim penes *Triarios*, & in tertia acie perferebatur, non ut postea factum in prima acie, quæ a prima cohorte, ut testatur apud Vegetium Frontinus, incipiebat ordinari. Ergo ex veteris militiæ instituto veterani in postrema acie pugnabant: commutata vero re militari in prima acie dimicare cœperunt cum lectissimis quibusque ac præcipuæ dignitatis militaribus viris. Seneca in libro, *Quod non cadit in sapientem injuria*: *Quo*

A *quisque genere honestior, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat, memor in prima acie altos ordines stare*. Nam *in prima acie*, & quidem *ante signa* pugnabant legati legionum, tribuni, primorum ordinum centuriones & alii milites, quos *principiorum* nomine vetus ætas appellabat, Vegetius *principales milites* appellat. Nec solum in acie, sed etiam in agmine hoc ordine ibant primæ dignitatis in militia viri. Arrianus: Ἔπειτα τὸ σημεῖον τῆς πεντεκαιδεκάτης φάλαγγος, καὶ ἀμφ' αὐτὸ ὁ ἡγεμὼν τῆς φάλαγγος Οὐάλπης, καὶ οἱ χιλίαρχοι οἷς τέτακται, καὶ ἑκατόνταρχοι οἱ τῆς σπείρας ἐπιστάται. *Postea sequitur signum legionis decimæ quintæ & circa illud legatus ipsius legionis, & tribuni quibus hoc constitutum* B *est, & centuriones qui primæ cohortis ordines ducunt*. Signum illud legionis aquila est, circa quam & in acie & in agmine dispositi erant alii, ut dixit Seneca, totius legionis ordines, de quibus diximus, item *evocati* & si qui alii ex primoribus voluntate sua castra sequebantur. Unde idem Seneca dixit in Epistolis, *primam aciem Pompejanarum partium senatum fuisse*. Idem quoque scriptor in libro de Tranquillitate ait: *Quid si militare nolis nisi imperator, aut tribunus? Etiam si alii primam aciem tenebunt, te sors inter gregarios posuit*. Est & alia hujus loci lectio *inter triarios*, quam haud improbam C non probe affirmavit vir magnus. Nam *Triarii* illa ætate in legione nulli nomine. Nec *Triarios* qui honestissimum gradum in militia constituebant quam diu fuerunt, pro infimi loci militibus ibi nominasset Seneca. Apparet quippe eum illo loco opponere munifices & gregarios manipularesque summis ordinibus, & primæ dignitatis militibus. Atque hi illo sæculo primam aciem tenebant. Nec præter morem, & usum sæculi fecisse credendus Catilina, cum, Sallustio teste, *Centuriones omnes lectos & evocatos, præterea ex gregariis optime quemque armatum in primam aciem subduxit*. Certe illo D tempore lectissimi quique, & honoratissimi milites in prima acie pugnabant, ut tribuni, primæ cohortis centuriones, evocati, & alii si qui voluntarii ex primoribus militabant. Non alii tamen ait, ut tribunorum, Arrianus, quam οἷς τέτακται, *quibus id erat constitutum*. Sed cur, inquiunt, id signanter narraret a Catilina factum Sallustius, nisi præter morem esset? Certe illud novum ac præter morem tum instituit facere Catilina, quod etiam ex gregariis optime quemque armatum, & centuriones ex ultimis ordinibus, in fronte statuit. Hoc enim significat *subducere in primam aciem*, hoc est, ex ultimo loco, & postrema acie in primam revo- E care. Nam primorum tantum ordinum centuriones & tribuni & alia legionis *principia*, primam aciem constituebant. Quin & illa falsa notatio viri alias summi, sed in scientia veterum militari parum exercitati, Catilinam non in primam aciem eos subduxisse, sed *Hastatorum* ordinum ductores ibi tantum de more fuisse in prima fronte versatos. Quid nobis *Hastatos* commemorat, qui pridem ex militia Romana subducti jam non amplius nec in prima, nec in media, nec postrema acie comparebant? Olim primi pugnabant, postremi *Triarii*. Postea *Triariorum*, id est, veterum militum, sed prisco F abolito nomine, prima pugna fuit in cohortem primam conscriptorum, a quo incipiebat ordinari prima acies, id est, dextrum cornu. Post immutatam porro militiam duplicis generis fuere, qui primam aciem constituebant. Aut enim ante signa pugnabant, aut post signa. Qui ante signa pugnabant, nulla signa sequebantur, & duum etiam generum fuere. Aut enim *velites* erant, quæ levis armatura, aut *principia legionis*, sive *principales milites*, & *principes ordines*. Neutri in cohortes conscripti, nec signis alligati, a loco quem in acie tenebant

nebant *antesignani* appellati. De velitibus Varro apud Nonium:

Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis,
Antesignani, quadrati multisignibus tecti.

Ecce *antesignanos* vocat velites, quia ante signa pugnabant. Tam in vetere quippe quam in nova militia, leves armaturæ ante omnes acies prælium inchoabant. Unde & *Rorarii* aliquando dicti sunt, quod ut ros pluviam præcedit, ita illi præmittebantur ad prælium capessendum, priusquam legionarii signa inferrent. Non tamen illo in tempore nomen *antesignanorum* illis tributum legitur. Apud Cæsarem mentio fit *antesignanorum legionis*, qui non alii videntur fuisse quam illi ipsi Varroniani velites, & expediti milites qui procurrebant ante signa ad prælium incipiendum. Sic enim scribit: *Unius legionis antesignanos procurrere, atque occupare eum locum jubet*. Apparet expeditos ac levis armaturæ pedites fuisse. Item alio loco: *Adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites*. Alibi apud eundem equitibus intermixti pugnant *antesignani*, quod velitum olim proprium fuit. Atqui etiam *Principia legionis*, sive principales milites, ante signa quoque pugnare solitos eo tempore certum est, ut ex his quæ jam diximus, liquet. Tacitus lib II. Historiarum: *Primani stratis una & vicesimanorum Principiis aquilam abstulere*. Ergo illa *Principia* ante aquilam pugnabant, quibus stratis nudata & exposita hostibus aquila, & ablata. Quæ fuerint *Principia legionis*, explicat Vegetius lib. II. cap. 7. his verbis, quæ sic ex libris corrigenda sunt: *Antiqua ordinatione legionis exposita, Principalium militum, & ut proprio utar vocabulo, Principiorum, nomina & dignitates secundum præsentes matriculas indicabo*. Quod nomen & aliis locis corruptum apud eundem extat, ubi *Principes* pro *Principia* legere est. Festus *Principes ordines* enim appellavit, quæ aliis una voce *Principia sunt*, aut *Principales milites*. *Principalis*, inquit, *castrorum porta nominatur, quod in eo loco est in quo Principes ordines tendunt*. Quamvis autem ante signa & hæc *Principia* pugnarent, non tamen *antesignanorum* nomine tum signata reperi. Quæ appellatio proprie data est velitibus & levi armaturæ, ut ex Cæsare constat & Varrone. Et sane ratio pugnandi utrisque dispar fuit. Nam nec uno & eodem loco aut tempore pugnam inibant. Velites & *antesignani* legionis priusquam tubicines canerent & signa inferrentur a legionariis, emittebantur ad pugnam, in qua si nullum operæ pretium edere potuissent, recipiebant se ad latera legionum, aut ad terga earundem refugiebant. At *Principia* non movebant se nisi cum signum tuba datum esset, & simul cum legionariis postquam signis infestis in hostem iri cœptum esset, procurrebant, & ante signa emicabant. *Antesignanorum* in vetere militia alia notio fuit. Ipsi quippe legionarii qui primi in prælium exibant, *Hastati* nempe & *Principes*, ita dicebantur. Et hac significatione passim apud Livium in præliis quæ facta sunt Republica adhuc stante, accipiendi sunt *antesignani*. Clare ita vocavit lib. XXX. ubi prælium describit Hannibalis & Scipionis, his verbis: *Vias patentes inter manipulos antesignanorum, velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit*. At nulli *antesignanorum* ordines aut manipuli, prout accipiebantur ævo Varronis & Cæsaris, nulla etiam signa. Præterea quos *antesignanos* ibi appellavit Liv. Polyb. in Græcis quæ a Livio reddita Latine sunt, πρώτας σημαίας ἀςάτων & πριγκίπων dixit, id est, *primos manipulos Hastatorum & Principum*. Certum tamen est Livium ac Frontin. dum ætatis suæ antesignanos, qui tum appellabantur, respiciunt, & eos qui sic vocati sunt iis scriptoribus Latinis qui vixere ante mutatam rem militarem, utrosque confudisse, ac nescisse cur *antesignanos* vocaverit antiqua militia *Hastatos* ac *Principes*. Nam in illa ipsa pugna qua acie decertarunt Hannibal ac Scipio cum *antesignanos* vocasset Livius, qui Polybio sunt πρῶται σημαῖαι ἀςάτων ϗ πριγκίπων, ita dictos videtur voluisse quod ante sua signa ordinarentur. Sic enim scribit: *Instruit deinde primos Hastatos, post eos Principes, Triariis postremam aciem clausit, non confertas autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes*. Quidnam illa sibi velint nescio, *ante sua quamque signa cohortes instruebat*. Nec enim eo loco Polybii quem Latine convertit, ullum ejus rei vestigium. Paulo post etiam *antesignanos* appellat *Hastatos* & *Principes*: *Nec pila ab antesignanis cessabant*, id est, *Hastatis* & *Principibus*. Quos cum *antesignanos* a scriptoribus veteris militiæ passim dictos legisset, putavit ita appellatos, quod ante sua signa collocari soliti essent. Quod est falsissimum. Nam post sua signa tam manipuli in antiqua militia, quam cohortes in nova, collocari solebant, ut infra dicam. *Antesignanorum* porro veterum & recentium plane par appellationis ratio, quamvis conditio dispar. Veteres quippe legionarii milites fuere, novi leves armaturæ. *Antesignani* tamen utrique, quia ante signa legionis sic proprie dicta pugnabant: *legionis signa* ita proprie appellata, ut ante docui, penes *Triarios* olim erant: commutata militia, primæ cohorti legionis attributa sunt. Numero namque legionum amplificato, & immutata belligerandi ratione, *Triarii* antiqui in primam cohortem conjecti sunt. Et qui olim postremam aciem claudebant, primam ut constituerent postea institutum est. Cum autem semper & olim & postea aquilam & signa legionis habuerint, inde factum ut quicunque initium pugnæ facerent, antequam ipsi cum hoste congrederentur, *antesignani* sint appellati. Inde evenit cum postremi pugnarent, qui ante ipsos in prælium vadebant, dicti fuerint *antesignani*. Ita ergo hoc nomen nacti sunt *Hastati* & *Principes*. Ubi vero in primam aciem subducti fuere *Triarii*, & in primam cohortem conjecti sunt, a qua prima acies incipiebat ordinari, tum levis armatura a qua initium pugnandi fiebat, in hanc appellationem *antesignanorum* concessit, quia similiter ante aquilam & *signa legionis* pugnabant, ut olim soliti *Hastati* & *Principes*, cum ante *Triarios* qui signa legionis tenebant, in acie constituerentur. Προτάκτας eos vocat Plutarchus in vita Camilli & Polybius προτεταγμένους, quia πρόταξις Græcis Tacticis dicitur, cum levis armaturæ pedites ante phalangitas ponuntur: ἐπίταξιν vocant, cum iidem post phalangem quæ gravis armatura est, collocantur. At παρένταξις est, cum interseruntur leviter armati, graviter armatis. Non potuere autem aptiore vocabulo Græce reddere qui apud Historicos Latinos prisci ævi vocabantur *antesignani*, id est, in prima acie pugnantes. Tametsi enim non essent ex numero velitum isti *antesignani* veteres, sed legionariorum pars essent, proprie tamen *Triarii* gravis armaturæ vicem in legione sustinebant, nomenque merebantur. Verum enimvero eo loco Plutarchus non de *antesignanis* Romanorum loquitur, sed de iis Gallorum qui in prima acie pugnabant, quales eo tempore *antesignanos* Romani appellabant. Sic enim scribit: Καὶ φόνος ὢ πολὺς τ̃ προτάκτων, φυγὴ δὲ τ̃ ἄλλων ἁπανταχόσε τῦ πεδίυ. Nam Galli eo prælio cæsi sunt a Romanis Camillo duce. Eorum igitur προτάκτοις, id est, antesignanis trucidatis, reliqui passim effusa fuga per campos dispersi. Προτάκτοις enim velites

dicti, & recentioris militiæ *antesignani*. Inter veterum igitur *antesignanos* & προτάκτους *Hastati* erant qui hasta pugnabant, quod telum levius pilo, a quo *Triarii* proprie *pilani* dicti. Unde & qui ante hos instruebantur in acie, *antepilani* appellabantur tam *Principes* quam *Hastati*, quia ante eos pugnarent qui *pila* habebant. Polybius armis ita ea genera distinguit, ut velitibus γρόσφους tribuat, id est, *gæsa*. Male *hastas* vertunt eruditissimi viri. Nam *hastæ* proprie *Hastatorum*, unde illis nomen. Has idem Polybius ὑσσοὺς appellat. Iidem duo summi viri *pila* reddiderunt. Cur igitur *Hastati* dicti, qui pila gererent? *Triariorum* tela ab eodem Polybio vocantur δόρατα. *Hasta* sunt Lipsio & Casaubono, mihi *pila*. Πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν, inquit Polybius de *Triariis*, οἱ τελάειοι τὰ δόρατα φέρουσι. *Nisi quod pro hastis Triarii gerunt pila*. Verte ut illi viri docti fecerunt, contrariam veræ interpretationem edideris, *nisi quod pro pilis Triarii ferunt hastas*. Vices sane versæ sic essent. *Hastati* dicerentur qui *pila* gestarent, & *Pilani* qui *hastas*. Sed hæc alibi latius demonstrabuntur. *Triarii* igitur proprie *pilani*, quia soli *pilis* pugnarent, Unde & *antepilani* tam *Hastati* quam *Principes* appellati, quod ante *Pilanos* pugnarent. Eodem modo & *antesignani* vocati sunt, quod locarentur in acie ante signa *Triariorum*, qui aquilam & *signa legionis* κατ' ἐξοχὴν sic appellata obtinebant. Hoc innuere videtur Livius lib. VIII. *Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur*. Reddit rationem, cur *Hastatis* & *Principibus* nomen *antesignanorum* hæserit. Quæ constaret, si scripsisset, *quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur, qui pila ferunt*. Unde enim *antepilanorum* appellatio nisi quod ante *Pilanos* locati sunt, & post eos *Pilani*? Sed cum de signis tantum loquatur, apparet legi apud eum debere: *Hoc* XXX. *manipulorum agmen, antesignanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur*. Ergo liquet *Hastatos* & *Principes antesignanos* appellatos quod post eos signa *Triariorum* locarentur, apud quos *Triarios* signum præcipuum ac proprium legionis, aquila nempe, portabatur. Sic *antesignani* dicti sunt *Hastati* & *Principes* non respectu propriorum signorum (nam & isti sua habebant) sed ratione *signorum* quæ penes *Triarios* erant. Eodem modo & *antepilani* appellabantur *Principes* & *Hastati*, propter *Triarios*, qui sequebantur & qui proprie *Pilani* dicebantur, quia *pila* gererent. Polybius enim etiam *Principibus* dat *hastas*, non *pila*. Nam cætera similiter armatos *Principes* & *Triarios* proponit, nisi quod pro hastis *Triarii pila* gererent: Ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς καθοπλίσεως ἐστὶ καὶ περὶ τοὺς πρίγκιπας καὶ τριαρίους, πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ τελάειοι δόρατα φοροῦσιν. Soli ergo *Triarii Pilani* quia pila gestabant, cum tam *Hastati* quam *Principes* hastis uterentur. Ita eos distinguit Varro lib. IV. de L.L. *Hastati*, inquit, *dicti qui primi hastis pugnabant, Pilani qui pilis*. Et paulo post *Pilanos* eosdem cum *Triariis* facit: *Pilani, Triarii quoque dicti*. Ergo *antepilani Hastati* pariter & *Principes* appellati, quia ante *Pilanos*, id est, *Triarios* pugnabant; iidemque *antesignani* cum *antepilanis*. Solet idem Polybius res Romanas Græcis vocabulis convenientibus & id quod sonant recte exprimentibus significare. Si velites suo ævo *antesignani* appellati essent, ut postea commutata re militari nomen hoc illis aptatum est, sine dubio id expressisset Græca aliqua notatione, cum pluribus eos insignitos faciat. Nam γροσφομάχους appellat, a telo quo utebantur. Vocat & εὐζώνους, quod expediti essent & leviter armati. Interdum & προκινδυνεύοντας absolute nominat, quia cum primi hostem lacesse-

A rent, pro cæteris & ante cæteros periclitabantur. Insignis de his locus est apud Polybium lib. XVII. Τῷ δ' εὐωνύμῳ μετὰ τῶν εὐζώνων ἐπῄει σοβαρῶς τοῖς πολεμίοις. οἱ δὲ προκινδυνεύοντες τῶν Ῥωμαίων προσλαβόντες τὴν τῶν πεζῶν στρατοπέδων ἐφεδρείαν, ἐκ μεταβολῆς ἐνέκειντο τοῖς ὑπεναντίοις. *Lævo ipse cornu cum velitibus ferociter in hostes invectus est. Ipsi vero velites qui primi solent prælium capessentes periculo pro reliqua acie objectari, ubi legionariorum præsidio se firmatos viderunt, conversi protinus acriter hostes adoriebantur*. Ita locus ille vertendus est, in quo Latine reddendo vir summus nihil vidit. τοὺς προκινδυνεύοντας vertit *antecessores*. Atqui quos εὐζώνους appellavit in prioribus verbis, paulo post

B προκινδύνευοντας vocavit. Quia proprium velitum, τὸ προκινδυνεύειν: primi enim præliabantur. *Antecessores* vero equites fuere, sic dicti quod agmen antecederent. *Antecursores* etiam vocabantur. Utroque modo appellati reperiuntur in commentariis Cæsaris. Græci recentiores qui Romanorum libros de Re Militari in Græcum transtulerunt Ἀντικήνσωρας vocant, *Antecensores*, pro *Antecessores*, ut Σούκεσσον solent dicere pro *Successo*. Sed de his alibi. Προκινδυνεύειν autem apud Polybium de velitibus proprie dici multis locis possem confirmare.

C Sic lib. XV. de acie Scipionis in Africa contra Hannibalem directa: Τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε τῶν γροσφομάχων σπείραις, παραγγείλας τούτοις προκινδυνεύειν. *Vias patentes inter manipulos velitibus complevit, dato præcepto, ut primi pugnam inirent*. Idem clarius in tractatu de Militia Romana, *velitum* proprium esse τὸ προκινδυνεύειν tradit, ubi armaturam eorum describit his verbis: Προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ, ποτὲ λυκείαν, ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν, ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ἡγεμόσιν προκινδυνεύειν ἐρρωμένως καὶ μή, διάδηλοι γίνωνται. Vim illius verbi προκινδυνεύειν eo loco non satis expresserunt, ne-

D que Lipsius, neque Casaubonus. Non enim simpliciter *pugnare* est, sed *propugnare* & ante alios pugnare, & periculum subire. Non alio nomine vocati apud Polybium reperiuntur velites præterquam his quatuor, εὔζωνοι, γροσφομάχοι, & προκινδυνεύοντες, & προτεταγμένοι, nulla, ut videre est, notione quæ *antesignanorum* appellationem exprimeret. Quo nomine *velites* vel levis armaturæ pedites sequens ætas appellavit, quos προμάχους τῶν σημείων Græci auctores qui mutatæ militiæ sæculo vixerunt, solent vocitare. At Livius in acie Scipionis describenda clare *antesignanos* a velitibus distinxit: *Vias patentes inter manipulos antesignano-*

E *rum velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit, dato præcepto, ut ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram lævamque discursu, applicantes se antesignanis, viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent*. Vides *antesignanos* Scipionis tempore a velitibus diversos, & *antesignanos* tunc appellatos, tam *Hastatos* quam *Principes*? At Varronis & Cæsaris ætate *antesignani*, levis armaturæ pedites, qui in velitum antiquorum locum successerant. Quinimo ipse Varro *velites antesignanos* versu quem ante citavimus, appellat. Et sane tunc ante vera ac propria signa legionis pugnabant, quæ in prima acie præfe-

F rebantur, cum antea ea signa a *Triariis* in postrema acie portari solerent, atque ideo qui in prima ac secunda acie pugnabant, *Hastati* & *Principes antesignanorum* nomine vocabantur ab eadem ratione. Hæc verissima sunt, & nemini adhuc explicata. Quid mirum, cum & ipsi antiquiores scriptores, quod alia militandi arte uterentur, veterem ac desitam parum assequuti sint? Ipse Livius qui alibi tam diserte notavit *antesignanos* in vetere militia vocatos *Hastatorum* & *Principum* manipulos, quos a

velitibus discrevit, ab iis locis quamplurimis *antesignanos* illos priscos ac legionarios cum suæ ætatis *antesignanis* confundit, qui iidem erant cum velitibus vel levis armaturæ peditibus. Quid enim aliud hæc sibi volunt, aut unde illi nati nisi ex hac confusione, cum scribit: *Cæsos Hastatos Principesq; stragem & ante signa & post signa factam, Triarios postremo rem restituisse.* Si strages & ante signa ac post signa facta, non potuerunt ab ea illæsi & intacti esse *Triarii*. Nam si *antesigani* tum dicebantur *Hastati* & *Principes*, ita dictos omnino constat quod ante signa pugnarent, nimirum ante signa *Triariorum*. At ipsi igitur *Triarii* post signa pugnabant, nempe propria. Si nondum illi consurrexerant, & postquam consurrexerunt, rem restituerunt, quomodo post signa strages facta videri potuit, quæ etiam *Triarios* profligasset, qui post signa pugnabant, atque ita *postsignani* revera erant ac dicebantur, ut *Hastati* & *Principes* fuere *antesignani*? Sed ex usu ille loquutus est sui temporis, quo versa militia in prima acie & ante signa dimicabant omnes *Principales milites*, & primi principesque ordines, & omnes voluntarii honestiores, quos *Principiorum* nomine vocitabant. Cum igitur illo sæculo *antesignani*, id est, ante signa pugnantes, primam aciem constituerent, consequebatur inde, ut cæteri milites qui in ordine pugnabant, & post signa quique sua, *postsignanorum* appellatione insignirentur. Ubi ergo & ante signa & post signa strages edita erat, nihil integri aut salvi superer at, *antesignanis* & *postsignanis* prostratis & internecione deletis. Idque tam in vetere militia quam in nova obtinuisse dicendum. Nam in vetere militia *antesignani* dicebantur *Hastati* & *Principes*, *Triarii* vero *postsignani*. Non potuit itaque strages facta tum videri ante signa & post signa nisi prostratis pariter tam *Triariis* quam *Principibus* & *Hastatis*. Quid ergo sibi vult Livius, commemorando *stragem ante signa & post signa factam, & postremo rem a Triariis restitutam*? In nova vero militia cum ante signa pugnarent tam leves armaturæ quam *Principia* exercitus & summi ordines, etiam tum exercitus instructus dividebatur in *antesignanos* & *postsignanos*. Omnes enim qui ante signa pugnabant, primam aciem constituebant & *antesignani* erant, cæteri *postsignani*. Nihil ergo in acie reliquum præter *antesignanos* & *postsignanos*. An etiam *subsignani* fuere, ut placitum viro docto? Hic sane instructum exercitum in *antesignanos*, *subsignanos*, & *postsignanos* dividit. Sed quinam illi *subsignani*? Ut velle ille videtur, ii erant qui in secunda acie pugnabant, quam ex loco Livii colligit præcipua & plurima signa habuisse. Quæ nihil omnino veri continent. Quod *subsignanos* putat dictos qui secundam aciem tenebant, & *postsignanos*, qui postremam, id refellitur a Frontino qui *postsignanorum* aciem secundam fuisse diserte dicit his verbis, quæ in editionibus corrupta, l.II. Strategematum, c.III. de acie ordinanda sic corrigenda sunt: *Tum postsignanis qui in acie secunda erant, præcipit, ut densos numerososque palos firme in terram defigerent.* Vulgo legitur *prosignanis*, quos perperam pro *antesignanis* accipiunt. Nam quomodo *antesignani* in secunda acie? Atqui paulo post etiam *antesignanorum* meminit: *Appropinquantibus quadrigis antesignanos in secundam aciem recepit.* Certe *subsignani militis* meminit Tacitus. Sed an ille *subsignanus* miles intelligendus, qui in secunda acie consistit? Nihil minus. Omnis exercitus qui ordinatim incedebat, sive in agmine esset, sive in acie, *sub signis ire* & esse dicebatur. Ergo *subsignanus miles*, omnis qui sub armis incedit, & ordinatus ad agmen sive ad aciem sua signa sequitur. Et *subsignanus* in genere idem quod *postsignanus*, quia signa præibant, milites sequebantur, ut infra pluribus confirmabimus. Asinius Pollio in Epistola ad Ciceronem: *Antonium turpiter Mutinæ obsidionem reliquisse, sed habere equitatum, legiones sub signis armatas tres, & P. Vagieni unam, inermes bene multos.* Cicero ipse ad Atticum lib.XVI.Epist.VIII. Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere: *pecuniam municipiis imperare: legionem sub signis ducere.* Plautus in Pseudolo: *Omnes ordines sub signis ducam.* Nihil est quod frequentius in veterum scriptis occurrat. *Subsignani* igitur milites qui sub signis armati ducebantur, & præcipue in agmine. Inde *subsignanus miles* Tacito. At *postsignani* magis in acie. Nam ratione *antesignanorum* ita dicebantur. Horum ipsorum alia nominis ratio, & alia ordinatio in vetere militia quam in nova. Frontinus in secunda acie collocat *postsignanos* loco quem paulo ante adduximus: *postsignanis qui in secunda acie erant, imperat.* Vetus autem militia *antesignanos* etiam in secunda acie collocatos vocabat. Nam tam *Hastati* qui in prima, quam *Principes* qui in secunda acie consistebant, *antesignani* antiquitus, si Livio creditur, appellabantur. Ergo soli *Triarii postsignani* nuncupati. Quos etiam ideo in postrema acie reponit Ammianus, lib. XXI. *Cum ad alios postsignanos in acie locatos extrema venisset.* Non legimus tamen apud veteres qui sub libera Republica scripsere, *postsignanos* appellatos *Triarios*. Sic enim dicti forent, quod post signa *Principum* & *Hastatorum* in pugnam prodire soliti essent. At non proprie signa illa censebantur legionis, sed ea tantum quæ penes *Triarios* erant. Atque inde *antesignani* vocati *Hastati* & *Principes*, quod ante signa legionis quæ *Triarii* obtinebant, in acie ponerentur. Et cum *antesignani* eo tempore essent in acie, nulli tamen erant qui dicerentur *postsignani*. *Antesignani* illi sub signis suis ibant, & ante signa *Triariorum*, quæ legionis habebantur propria ac vera signa. Illa differentia *antesignanorum* & *postsignanorum* nata demum est post novatam militiam. Cum enim ut plurimum binæ acies ordinari solerent, & duplici acie decertarent, prima acies erat *antesignanorum*, secunda *postsignanorum*, quæ & postrema erat, cum duæ tantum essent. Si tres constituerentur, etiam secunda *postsignanorum* dicebatur, sola prima *antesignanos* habebat. Et sic nuncupari tum mos fuit non qui sua signa haberent sub quibus in prælium exirent, sed qui pro signis pugnarent. Livius ergo confudit *antesignanos* sui sæculi, cum *antesignanis* priscæ Reipublicæ. Sic enim scribit lib.XXII. *Tum sibi unusquisque dux adhortatorque factus, & nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per Principes Hastatosque & Triarios, nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies, nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset: Sors conglobabat, & animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat.* Quis non videt qui ea teneat quæ supra observata nobis sunt, hæc scripta esse omnia a Livio ætatis suæ ordinationem ante oculos habente, nihil vero cogitante de antiqua? Primum *Principes* ante *Hastatos* nominat inverso ordine, ex vi nimirum nominis, quia sic dictos putavit, quod *Principes*, id est, primi pugnarent. Atqui, ut jam ante diximus, perpetuo more ordinandæ aciei illius sæculi *Hastati* ante *Principes*. Nec enim *Principes* illi appellati quod primi in prælium progrederentur, sed quod primi ac præcipui essent corporis viribus ab ætate virili firmatis, cum *Hastati* juniores essent, *Triarii* seniores, ipsi autem inter utrosque medii, robore atque ætate firmata *Principes*. Ævo autem Livii *Principes* dicebantur, quos minus illustres sumptos in militia tradit Varro: levis nempe armaturæ pedites, qui ante aciem primi ad præliandum procurrerent, quos & προκινδυνεύοντας & προπε-

ταγμένες vocat Polybius. Eosdem & *antesignanos legionis* Cæsar appellat. Hunc eundem errorem commisit auctor ille a quo Vegetius accepit lib. III. cap. XIV. ubi docet quomodo acies debeat ordinari. *Instructionis*, inquit, *lex est, ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur, quos antea Principes vocabant. In secundo ordine circundati cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinantur, quos prius Hastatos vocabant*. Hæc falsa omnia. Non enim *Principes* veteris militiæ in prima acie collocabantur, sed in secunda. Nec veteres & exercitati milites eo tempore quo per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* pugnatum est, in primo ordine collocari soliti, sed in postremo. Ejusdem generis est & erroris, quod idem Livius lib. VIII. *Principia* appellat primam aciem Latinorum qui iisdem tunc ordinibus atque eadem aciei instruendæ ratione cum Romanis utebantur: *Ubi Triarii consurrexerunt integri refulgentibus armis, nova ex improviso orta acies receptis in intervalla ordinum antepilanis, clamore sublato Principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes primo robore militum cæso per alios manipulos velut inermes prope intacti evasere*. Videtur enim *Principia* hic vocare, primam aciem Latinorum ex usu sæculi sui, quomodo & Tacitum supra loquutum ostendimus in hæc verba: *Primani stratis una & vicesimanorum Principiis aquilam abstulere*. In illis *Principiis* robur exercitus constitutum Taciti ætate ac Livii, non vero ea ætate quo prælium illud commissum inter Romanos & Latinos descripsit. Posset videri tamen Livius eo loco per *Principia* intellexisse non primam frontem aciei quæ ab *Hastatis* teneri tunc temporis solebat, sed ipsam *Triariorum* aciem. Nam paulo ante dixit, Latinos cum vidissent ducem Romanorum *Accensos* excitavisse a novissima acie, ut ante signa præliaturi procurrerent, putassentque *Triarios* illos esse quos suscitaverat Romanus imperator, idem quoque fecisse a sua parte, ac *Triariis* suis ut consurgerent imperasse. Hi aliquandiu pugna atroci cum & semetipsos fatigassent, & *hastas* præfregissent, & debellatum jam rati pervenissent ad extremam aciem, tum consul *Triariis* præcepit, ut integri adversus fessos consurgerent. Ergo *Principia* Latinorum de eorum *Triariis* dixit. Alio loco eodem sensu videtur usurpasse vocem *Principia* de ultimis nempe aciei ordinibus, qui tunc erant *Triarii*. Sic enim scribit lib III. *Postero die Fabius non permistam unam sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. Ipse erat medius cum legionibus Romanis. Inde signum observari jussit, ut pariter & socii rem inciperent referrentque pedem, si receptui cecinisset. Equites item suæ cuique parti post Principia collocat*. Equites hic qui post *Principia* suæ cujusque partis sive aciei tam sociales nimirum quam cives collocantur, non ante primam aciem collocati debent intelligi, sed post ultimam, quæ fuit *Triariorum*. In aliis quidem præliis, quæ æquo campo gerebantur, equites ante primam aciem poni solebant, sed in hac acie quæ circa vallum hostium instructa procedit ad eorum castra oppugnanda equites in prima acie & ante primos ordines pugnantes inutiles prorsus fuissent, & impedimento potius quam usui. Ubi enim fossæ trajiciendæ, vallum transcendendum aut subruendum diripiendumque, hoc pedites faciunt non equites. Ergo equites post *Principia* suæ cuique parti collocati, post ultimos nempe ordines ac *Triarios* constituti sunt intelligendi. Idem tamen lib. II. *Principia* videtur appellasse primæ aciei ordines, his verbis: *Volscum primo impetu perculit, quamquam cessere magis quam pulsi hostes sunt, quia a tergo erant clivi, in quos Principia integris ordinibus tutus receptus fuit*. Hostis Volscus contra Romanum acie instructa consistens a tergo clivos habuit, in quos se tuto recipere posset e fuga. A Romanis eo prælio perculsi, cessere potius quam pulsi sunt, & tutum receptum in illos clivos qui a tergo ipsorum erant, habuere. Soli primi ordines eorum qui in fronte pugnabant turbati sunt impressione Romanorum; at postremi qui clivis propiores fuere, integri pervenere ad eos colles, in quos tutus illis receptus fuit. Cum igitur dicat *post Principia* integris ordinibus tutum habuisse receptum, per illos *ordines* qui salvi se receperunt non alios, quam postremos intelligere potuit. Ergo *Principia* post quæ ordines illos fuisse scribit de prima acie & primis ordinibus dixerit. Sic modo *Principia* de prima acie, ut suo tempore vocabantur intellexit, modo de postremis & *Triariis*, ut antiquæ tempore militiæ accipiebantur. Ita alibi *Principes* ante *Hastatos* pugnam ait committere, quia *Principes* dicebantur tunc temporis qui primi ante signa dimicarent, ut Græcis ἡγεμόνες & πρωτοστάται: alibi ex usu ac more rei militaris antiquæ post *Hastatos* eos collocat. Puto tamen eo loco legendum: *Quia a tergo erant clivi, in quos Principiorum integris ordinibus tutus receptus fuit*. Mutata lectio est ab illis qui putarunt *Principia* semper usurpata apud Romanos pro primis aciei ordinibus, & primo loco pugnantibus. *Principiorum ordines* sunt *Triariorum*, & aliorum *Principalium* militum ordines qui in ultima acie pugnam inibant. Cum acie aversa primi essent fugientium ut postremi erant pugnantium, ideo integris & imperturbatis ordinibus salvi ad clivos quos a tergo habebant pervenerunt. In priore autem loco, ubi describit pugnam Latinorum & Romanorum qui sunt illi quos cæso primo robore virorum qui in *Principiis* erant locati, perruptos velut inermes ac pervasos ab *Triariis* Romanis scripsit? Fortean intellexerit Accensorum & Rorariorum manipulos, quos in postremam aciem rejectos in utroque exercitu, post tergum *Triariorum* ibidem fuisse perhibet. Si ita est, nihil sane ibi peccavit Livius, qui *Principia* in *Triariis* posuit, ut fuerunt antiquæ militiæ recepto more. Sed hinc differentia veteris ac novæ magis elucescit, cum *Principia* antiquitus in postrema acie locum acceperint, in nova primum, & ante signa ipsa. Hic vero non potest purgare se, quin ordinem inverterit nominando prius *Principes*, quam *Hastatos*. Deinde quod addit *nec ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset*, omnino ad militiam sui temporis respexisse censendus est. Nec enim Polybiana militia noverat diversas *cohortes* a *manipulis*. Quinimo diserte idem Polybius σημαίαν *manipulum* & σπεῖραν *cohortem* synonyma esse affirmat. Præterea hoc quoque novæ & quæ tempore Livii invaluerat, ordinandi artis fuit, non antiquæ, ut in sua legione miles, in sua cohorte, & in suo manipulo esset. Nam ita per cohortes ordinabatur in acie instruenda legio, ut unius legionis cohortes conjunctim & continenter explicatæ disponerent. Non in vetere quæ Polybii ævo obtinuit. Nam si ex pluribus legionibus constaret exercitus, omnes legionum illarum *Hastati* in primam aciem ordinandi conveniebant, omnes *Principes* in secundam, & omnes *Triarii* in tertiam ac postremam. Non igitur in illa ordinatione fieri poterat, quod scribit Livius, etiamsi nulla perturbatio incessisset, ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Nam ratio ordinandi quæ tunc in usu erat, ut dixi, omnium legionum *Hastatos* simul posuit, & omnes *Principes* & omnes *Triarios* una disposuit acie. Sed nec locum habuere tum potuit quod ibidem adstruit, ideo non fuisse ordinatam per *Principes*, *Hastatos*, & *Triarios* pugnam, quia nec pro signis *antesigna-*

nus, nec post signa alia pugnaret acies. Hoc enim volunt ista: *Et nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per Principes, Hastatosque ac Triarios, nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies.* Ergo ex sententia illa Livii, cum per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinabatur pugna, *antesignani* ante signa pugnabant & post signa alia acies. Quænam illa? secunda, an postrema? Atqui cum pugna ordinabatur per *Hastatos* & *Principes*, ipsi *Hastati Principesque antesignani* vocabantur, ut ipse alibi dixit, & prima secundaque acies ex istis *antesignanis* instruebatur. An ita intellexit Livius? Et aliam aciem quæ post signa pugnabat, de *Triariis* accepit? Si ita sensit, nihil est quod illi succenseamus. Sed apparet in alia sententia fuisse, & militiam sui ævi spectasse, cum illa scriberet. Nam & lib. XXX. in pugna Scipionis & Hannibalis describenda *antesignanos* ab eo dictos autumat quod ante sua quique signa collocarentur. Quod de *antesignanis* veteris militiæ falsum est, de novis verum. Nam *antesignani* legionis ante signa legionum suarum collocabantur, & cum *Principiis* ejusdem legionis primam aciem efficiebant. Veteres autem *antesignani* ideo sic vocabantur, quod anteponerentur signis legionis, id est, manipulis *Triariorum*. Ipsi autem sua sequebantur signa. Novo ordinandi more instructus exercitus dividebatur in *antesignanos* & *postsignanos*; in *principia* & *postprincipia*. Non idem in vetere ordinatione receptum. Nam *Principia* in postrema acie antiquitus erant, non in prima, ut observatum postea. *Postprincipiorum* vero locus dabatur Accensis & Rorariis ac Velitibus qui a novissimo agmine per intervalla præcedentium manipulorum emissi promicabant ante signa, & ibi pugnam edebant priusquam acies concurrerent.

CAP. V.

De antiqua & nova ordinandæ apud Romanos aciei ratione & utriusque differentia, ac primum de antiqua.

UT melius autem percipi, clariusque perspici queant, quæ supra exposita sunt, breviter atque ordine hic exponemus antiquam novamque aciei instruendæ apud Romanos rationem. Prima & antiqua procedebat per gradus ætatum, hoc discrimine adhibito non solum in legione in partes suas distribuenda, sed etiam ubi acie decertandum esset, in exercitu ad prælium ordinando. Quatuor erant ætatis gradus, & totidem legionis principales partes, totidemque acies, nisi quod qui primi pugnam auspicabantur levis armaturæ pedites sive Velites, non separatam aciem constituebant, quamvis ante acies omnes pugnaturi procurrerent. Nec solum in delectu faciendo & legionibus conscribendis rationem ætatis habuerunt, sed etiam census, ut inde quatuor illa militum genera diversa exirent quibus tam legionis in partes distributio, quam aciei ordinatio discriminabatur. Maxime juvenes, sed & maxime pauperes deligebantur qui ordinem *Velitum* facerent. Minus deinde inopes, & minus juvenes designabantur ad manipulos *Hastatorum* implendos. *Principes*, qui sequerentur ætate jam firmata vigentes, qualis est virilis, sumi solebant. Ætate provectiores & censu magis idonei *Triariorum* ordinem conficiebant. His discriminibus ab ætate & censu factis tota legio discernebatur, & in acie, cum prælium committendum esset, eodem ordine pugnam inire consuerant, & in agmine incedere, & in castris metationem habere. Falsum igitur est quod olim scripsit Scaliger in Epistola Gallica ad Thuanum, hæc nomina,

A *Hastatorum Principum* & *Triariorum* ad τακτικὴν tantum pertinuisse, atque iis locum extra aciem non fuisse. Nullos enim in Romano exercitu *Hastatos*, aut *Principes* aut *Triarios* vocatos esse, nisi cum acies ad pugnam instruerentur. Quem videtur errorem ex eo hausisse, quod apud scriptores Romanos qui post Cæsarem vixere, & in ipsis etiam Cæsaris scriptis, nulla *Hastatorum* & *Principum*, aut *Triariorum* extet mentio, cum tamen pluribus locis aciei instructæ faciant mentionem, quam & describunt quomodo instructa sit. At hoc ipsum magis debuit eum advertere Cæsaris ævo & sequentium auctorum ne τακτικὰ quidem hæc fuisse
B vocabula, quia jam hæc ordinandæ aciei ratio exoleverat. Antiquæ autem Reip. temporibus non solum acies ordinatæ per *Hastatos Principes* ac *Triarios* leguntur apud auctores, qui res eorum temporum gestas litteris mandarunt; sed etiam cum eruptio ex castris facienda est, *Hastati* & *Principes* erumpunt in hostes, *Triariis* ad custodiam castrorum relictis. Nam sæpe legitur apud auctores qui veteris ac liberæ reipublicæ negotia scripserunt, *Triarios* pro præsidio in castris mansisse, cum *Principes* & *Hastati* in prælium exirent. Apud Polybium etiam habemus in descriptione militiæ Ro-
C manæ, non solum per *Hastatos* & *Principes Triariosque* acies ordinari solitas, sed etiam in castris *Hastatos* omnium legionem simul fuisse metatos, & *Principes* similiter & *Triarios*. Miror itaque viro doctissimo eam sententiam excidisse, quæ revinci potest tot ac tam claris probatissimorum auctorum testimoniis. Ab ætate & a censu deligebantur cum legio conscriberetur qui in ea dicerentur ac essent *Velites*, qui *Hastati*, qui *Principes*, & qui *Triarii*. Primi ergo Velites pugnabant, sed nec in manipulos structi, nec sub signis ordinati, ac levissime armati, nec in acie propria ac peculiari constituti. Provolabant ante signa ab extremo ag-
D mine emissi per intervalla ordinum quibus manipuli inter se distabant. Si premerentur ab hoste, ac præverti possent, per eadem intervalla manipulorum quibus emissi fuerant retro ferebantur, ac rursus se post tergum *Triariorum* qui in ultimo erant agmine, recipiebant. Si validius urgerentur, nec tempus illis daretur quo ad intervalla ordinum subsequentium receptum sibi parare possent, ad latera utrimque diffugiebant. Hic sensus est verborum Polybii ex lib. XV. quem miror a doctissimo ejus interprete non satis fuisse perceptum. Sic enim scribit Græcus auctor: Τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε τῶν γροσφομάχων σπείραις, πα-
E ραγγείλας τούτοις προκινδυνεύειν, ἐὰν δὲ ἐκβιάζωνται κατὰ τὴν τῶν θηρίων ἔφοδον, ὑποχωρεῖν τοὺς μὲν καταταχοῦντας διὰ τῶν ἐπ' εὐθείας διαστημάτων εἰς τοὐπίσω τῆς ὅλης δυνάμεως, τοὺς δὲ περικαταλαμβανομένους εἰς τὰ πλάγια παρίστασθαι κατὰ τὰς σημαίας. Quod in illa pugna factum est propter elephantos quos plures in acie habebat Hannibal, hoc in aliis fieri solebat propter equitatum hostium, si eo prævalerent. Sic igitur ea verba verti debent: *Intervalla primorum manipulorum, implevit manipulis velitum, dato præcepto ut ad pugnandum procurrerent. Si urgerentur, & impetum elephantorum sustinere non possent, ut re-*
F *cederent, qui ex his celeritate præverti possent, per intervalla in directum patentia inter ordines, post omnes acies. Sin autem præventi ac deprehensi essent, ad latera manipulorum utrimque se sisterent.* Quæ satis recte expressit Livius vertendo: *Dato præcepto, ut ad impetum elephantorum aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram lævamque applicantes antesignanis viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent.* Non satis tamen fuit illi dixisse, *aut post rectos refugerent ordines*. Nam & ad latera diffugiendo poterant post

rectos ordines se sistere. Addere ergo debuit quod expresse a Polybio dicitur, διὰ τῶν ἐπ' εὐθείας διεστηκότων, *per intervalla in directum patentia*. Præterea omisit quod præcipuum erat, Latinus auctor, a Græco maxime signatum. Qui celeritate prævertì possent impetum belluarum, iis per intervalla manipulorum refugiendum esse, & post aciem universam consistendum. Quibus spatium non esset datum ad intervalla se recipiendi, utpote præventis ac pæne deprensis a belluis, eos ad latera utrimque recedere debere juxta manipulos. Postremo non illo tantum altero modo quo ait Livius, via dabatur irruentibus in ancipitia tela belluis, si ad dextram lævamque discursu applicassent se refugientes velites manipulis antesignanorum, sed etiam priore quo celeritate usi, se post ordines recepissent, per ipsa intervalla ordinum. Vide quanti sit auctorem quem intelligendum aliis dare velis, te ipsum intelligere. Quod non fecit Casaubonus, qui sic reddidit: *Partim qui celeritate possent alios prævertere, per vias rectas inter manipulos patentes pone aciem universam, partim qui circumfuso hoste comprehendi metuerent, in dextram sinistramque iis se applicarent intervallis quæ essent inter signa*. Quomodo hoc potuerit fieri, non video, ut nimirum interioribus lateribus manipulorum refugientes adhæserint, & non eorum intervalla compleverint. Nam & quando inde excucurrerunt, ea complebant. Quomodo igitur viam dedissent irruentibus belluis per intervalla, si ea rursus retro cedentes constipassent? De exterioribus ergo lateribus accipi debet, ut verba ipsa Græca indicant, & mens auctoris reique ipsius ratio postulat. Deinde quo pertinet quod in versione posuit, *partim qui celeritate possent alios prævertere*? Quinam illi *alii*? An alios habuere prævertendos quam hostes, hostium nempe equites vel elephantos? Et hos magis, nam de his sermo, quos in fronte collocaverat Hannibal ad perrumpendos Romani militis ordines. Atque hæc obiter. Nam scire interest non magnopere prodesse ad Polybium interpretandum summam Græcæ linguæ peritiam, nisi conjuncta sit cum rei militaris veterum Romanorum cognitione æque summa. Locus velitibus consistendi fuit inter ordinum intervalla, quæ ad hoc relinquebantur, aut post omnes ordines. Locus pugnandi, spatium vacuum ante aciem primam. Pugnæ genus, excursio & subinde receptus vel fuga sine probro. Arma, jacula ac levia tela missilia. Nomen ab armatura γροσφομάχοι vel πεζακοντισταὶ, a jaculorum genere *pedites jaculatores*: & εὔζωνοι, *expediti*. Græci Tactici ψιλοὺς appellant in genere. Sed de Romanis hic agimus & iis appellationibus quibus eos donavit Polybius. Aliud illis nomen ab ipso loco in quem pugnaturi excurrebant, προτακτοι, προπεπτωκότες (?), προκινδυνεύοντες: quia ante acies omnes prælium committere solebant, non stataria pugna nec pede collato, sed velitationibus eminus factis, & ἀκροβολισμοῖς. *Nec antesignani* tum dicti sunt, quia *antesignani* antesignanorum fuissent. Nam qui eos subsequebantur acie instructa prælium sumpturi vocabantur tunc *antesignani*, tam qui in prima acie quam qui in secunda constitebant. Ceterum velites isti antiqui nec in manipulos diducti, nec sub signis ordinati pugnabant, nisi si vexillis præmitterentur eorum manipulorum quibus erant attributi. Non enim corpus separatum in castris vel in legione faciebant, sed distributi pro rata portione in reliquorum generum manipulos, non alios habebant ductores, quam centuriones eorum ordinum quibus erant assignati, si quando cum vexillo præmitterentur ad hostes lacessendos & provocandos. Nam & σπείρας τῶν γροσφομάχων, *manipulos velitum* nominavit Polybius in pugna Scipionis & Hannibalis. Si σπεῖραι eorum aliquæ fuere, id est, *manipuli*, ductores etiam habuerint oportet & vexilla, sed ea quæ diximus. Post sequebantur acies legitimæ gravis armaturæ ac legionarii militis, pede collato rem gesturæ. Prima ex *Hastatis* constabat, junioribus quidem istis, sed ætate grandioribus quam erant velites. Scutati hi omnes, cataphractis muniti, hastis, unde & nomen, pugnantes. Hoc telum manu emittebatur, non comminus immittebatur a retinente. ὑσσὸν vocat Polybius. Nec *pilum* est, ut summi in litteris viri opinati sunt, sed *hasta* ὑσὸς etiam dicebatur, ut ὕσταξ & ὕσταξ idem est, quod inde derivatum est. A Græca voce ὑσὸς Latina *Hasta*. Duo genera ejus facit Polybius, alterum majus, alterum minus. Quod minus erat, jaculo venatorio, cui Græce nomen τιβύνιον, simile tradit. Quod an pilum possit videri, docti illi viderint. Post *Hastatos* sequebatur acies secunda quam *Principes* componebant, etiam juvenes, sed ætate florentes, & robore, quod ætas dat virilis, præpollentes. Par eorum numerus, & armatura similis *Hastatis*, quamvis a principali robore potius nomen adepti sint. Tam hi quam præcedentes in prima acie *Hastati* dicebantur, si Livio fides est, *antesignani*. Rationem supra attulimus. Posset & alia afferri, cui & Polybius videtur suffragari. *Antesignani* non quod ante signa pugnarent videntur nuncupati, sed quod prima in hostem signa inferrent. *Antesigna* prisco vocabulo & recto, prima signa sunt, ut *postsigna* postrema: sic *antemala* pro prioribus malis summus poeta dixit:

— *Nec enim ignari sumus antemalorum.*

Sic *antecœna* prior pars cœnæ, quam & *gustus* nomine vocarunt. Item *antepanni*, fasciæ vel lora quibus anterior pars vestis prætervehebatur, quæ Græcis recentioribus ἀντίπανα. Ita ergo *antesigna* priora signa sunt. Inde *antesignani*, primæ ac secundæ aciei milites ab illis *antesignis*. Polybius cum Græce ea reddere vellet, πρώτας σημαίας appellavit, lib. XV. loco quem supra citavimus: τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε τῶν γροσφομάχων σπείραις. Livius recte vertit, *antesignanorum manipulos*, id est, primorum signorum. Hoc nomine *Hastatorum* & *Principum* signa appellata fuerint, quia paribus armis horum duorum manipuli instructi erant, soli *Triarii* qui *postsigna* tenebant, & *postsignani* forsan inde appellati sunt, pilis utebantur, ab *hastis* diversis, ut supra indicavimus. Hi ergo postremam aciem constituebant, quæ tertia. Et *Pilani*, ut jam docuimus, dicebantur a *pilis*, quod eorum gestamen fuit. Polybius δόρατα appellavit, quæ *pila* sunt, non *hastæ* ut perperam acceperunt viri docti. Unde & διαδορατίζεσθαι apud eundem Polybium, *pilis comminus dimicare*. *Hastæ* enim jaciuntur tantum. Hæc proprie Græcis ἀκόντια, Latini *lanceas* pro iis postea dixerunt, *Pilis*, id est, δόρασι comminus res geritur. ἐκ χειρὸς τῇ χειρὶ διαδορατιζόμενοι, καὶ τύπτοντες ἀλλήλους, *comminus ubi ad manus ventum est, pilis dimicantes, & sese invicem cædentes*. Ammonius signanter hanc differentiam notat inter ἀκόντιον & δορὺ, inter *hastam* & *pilum*: Ἀκόντιον δόρατος διαφέρει· ἀκόντιον μὲν γὰρ τὸ ἀκοντιζόμενον, ἔλαττον δόρατος· δορὺ δὲ τὸ μεῖζον, ᾧ ἐκ χειρὸς ἐχρῶντο. Hinc colligere est recte a Polybio *pila Triariorum* qui & *pilani* ex eo dicti, Græce reddita δόρατα. Inde & δορατόφοροι apud Græcos equitum genus, qui longioribus *hastis* & robustioribus, comminus pugnabant, non missilibus. Hi *Triarii* ex veteribus militibus, non solum ætate, sed etiam censu, dignitate, ac gradu militari prioribus ac potioribus. Apud hos

aquila legionis signum, & superiores omnes primique castrorum ordines, ad quos ab inferioribus *Hastatorum* & *Principum* ordinibus promotiones fiebant. Et quamvis ultimo loco post omnes pugnarent, & tertiam postremamque aciem constituerent, primi tamen loci dignitates omnes militares obtinebant. *Principia* vocat Livius hos ipsos *Triariorum* ordines & manipulos, quia principales totius legionis ductores ac milites haberent, lib. VIII. *Ubi Triarii consurrexerunt integri refulgentibus armis, nova ex improviso coorta acies: receptis in intervalla ordinum antepilanis clamore sublato principia Latinorum perturbant, hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alios manipulos velut inermes, prope intacti evaserunt.* A *Triariis* Romanorum, *Triarios* Latinorum perturbatos fuisse scribit, quos *Principiorum* nomine appellavit, ob eam quam dixi causam. Inde *post principia* locus in novissimo agmine post ipsos *Triarios*, ubi consistebant, antequam acies congrederentur, Rorarii & Accensi & Velites. Et sic interpretanda verba Comici in Eunucho de milite glorioso, qui postquam instruxisset more militari domesticorum agmen, ipse *ex postprincipiis se signum daturum esse* pronunciat. Ita enim loquitur ad parasitum suum: *Tu hosce instrue, hic ego ero postprincipia, inde omnibus signum dabo.* Ad quæ verba notavit Donatus, ambigere multos, utrum hic locus *postprincipiorum in extremo sit agmine, an in medio.* Utraque opinio vera est, si ex ratione temporum res explicetur. Nam secundum antiquæ militiæ ordines, *postprincipia* in novissimo agmine. Juxta novum ordinandi morem, in medio consistebant, ut paulo post docebimus.

CAP. VI.

De ordinandæ aciei ratione, quæ in nova militia apud Romanos obtinuit.

EXposita veteris militiæ ordinatione, quæ pro discrimine ætatis ac census non solum arma diversa militantibus dabat, sed etiam diversa loca assignabat in quibus pugnarent, & aciei ex eo instruendæ diversam etiam instituerat rationem; jam dicendum de nova. Mutata certe re militari, nemo est qui simile quidquam sub Cæsaribus factum, aut servatum ostendere possit, in militibus legendis, legionibus conscribendis ac distribuendis, atque ex iis instruenda & ordinanda acie, quale observabatur in ea militia quæ sub Scipionibus vigebat, & qualis a Polybio describitur. Hoc novum igitur militiæ institutum exponemus, & eam præcipue illius ab antiqua differentiam, quæ pugnantium spectat in acie ordinata collocationem. Non minus autem in hac novitia quam in vetere militia levis armaturæ pedites legitimæ aciei ex gravi armatura constanti anteponebantur, ut primi prælium auspicarentur, tam ab auxiliis sumptæ leves armaturæ quam ex legionibus. De his præcipue hic agemus. *Principes* eos appellatos Varro notavit, quia *Principes*, id est, primi pugnarent. Nam Latinis *Princeps* idem quod primus. Ideo *minus illustres sumptos* dicit præ illis, qui id nomen habuerunt ante commutatam rem militarem. Quia illi honestioris gradus, utpote inter scutatos militantes, & gravis armaturæ pars, ex quibus & secunda acies instruebatur. *Antesignanos* eosdem appellavit Cæsar, quia ante signa instructorum in acie peditum prælium committebant, & diversi in hoc ab *antesignanis* prioris sub Scipionibus militiæ, qui acies componebant primam & secundam. Jam post hos *antesignanos* legionum, sive *Principes*, qui in locum antiquorum Rorariorum, Accensorum,

A Ferentariorum, & Velitum successerunt, sequebantur legitimæ acies ex legionario milite instructæ, sed non eodem modo quo olim ordinatæ, per *Hastatos* qui primam, per *Principes* qui secundam, & per *Triarios* qui tertiam aciem constituerent. Quis in commentariis Cæsaris, vel auctorum qui post Cæsarem res Romanas ac bella conscripserunt, uspiam repetit ullam aciem triplicem his ordinibus explicatam? Per cohortes instituebantur. Et ex primis singularum legionum cohortibus primæ acies construi solebant. Saltem a prima quaque cohorte incipiebat prima acies ordinari. In illis primis legionum cohortibus, pedites B militabant lectissimi spectatissimique robore, usu, experientia, scientia militari, & stipendiorum multitudine, ex qualibus olim sub nomine *Triariorum* vel *Pilanorum* postrema acies consuerat ordinari. Per hanc novam aciei instruendæ formam primi quique ordines *pilis* armati ibant in hostem, non *hastis* ut ante, cum *Hastati* primi ad dimicandum procederent, secundi *Principes* cum *hastis*, sive missilibus telis, non *pilis*. Soli *Triarii pilis* in tertio ac postremo ordine pugnabant. Hæc omnino contraria. Arrianus in ordinatione aciei qua usus est contra Alanos; Καὶ αἱ πρῶται μὲν τέσσαρες τάξεις ἔστωσαν κοντοφόρων, ὧν δὴ κοντοῖς μακρὰ καὶ C ἐπίλεπτα τὰ σιδήρια προσῆκται. Quaternos primos ordines primæ aciei ex *contatis*, id est, *pila* gerentibus constare ait debere. Quaternos vero sequentes, nam in octonos introrsum aciem patere vult, ex *hastatis* centum instruendos, quos appellat λογχοφόρους, id est, *lancearios*: Αἱ δὲ ἐφεξῆς τάξεις τῶν λογχοφόρων ἔστωσαν. *Reliqui autem quatuor ordines componantur ex lancéariis.* Posterius Latinitatis ævum *lanceas* appellavit, quæ *hastæ* prius vocabantur. Vegetius lib. III. cap. XIV. quemadmodum acies debeat ordinari: *In secundo ordine circundati cataphracti, nec non optimi milites cum D spiculis vel lanceis ordinentur, quos prius Hastatos vocabant.* Ergo λογχοφόροι Arriani, sunt *Hastati* Vegetii, qui *hastas* sive *lanceas* eo ævo dictas gerebant. Certe Tacitus ipse sic appellavit Hist. II. *direptis sarcinis tabernacula ducis ipsamque humum pilis & lanceis rimantur*: pro *pilis* & *hastis*. Ita *spicula* dixere posteriores, sicut ex pluribus locis ejusdem Vegetii constat, quæ seculo priore *pila* erant. Unde nostrum *espieu*, ex *spiclo*. Hoc enim pilum veterum, ut alibi pluribus adstruimus. Κοντὸν dixit Arrianus, & κοντοφόρους qui veteribus Romanis *Pilani*. Quidam Grammatici *contum* exponunt *hastam* sine ferro. Et sic etiam vocatur. Sed E & longiores *hastas* ac robustiores, qualia erant *pila*, κοντοὺς Græci vocarunt. Unde κοντοφόροι genus equitum qui ejusmodi contis armati erant, quos *contatos* Latini dixere. Ex octonis porro ordinibus quibus instructa fuit acies Arriani contra Alanos ex binis constans legionibus, quaternos priores ex *Pilanis* sive *Contatis* compositos scripsit, reliquos posteriores quaternos ex *Lancéariis* sive *Hastatis*. Cum duæ legiones in ejus exercitu ita ordinatæ forent, partim ex *Pilanis*, partim ex *Hastatis* constructæ, colligere inde est, dimidiam partem legionis cujusque ex *Pilanis* constitisse, alteram F dimidiam occupasse *Hastatos*. At in antiqua legione sexcenti tantum milites *pila* gestabant, cum tria millia peditum *pilata* legio recens ostentaret, altera tria millia *hastata*. Hinc *pilatæ* legiones dictæ. Inde illud Lucani de bello civili: *at pila minantia pilis.* Sed quod præcipue ad rem pertinet de qua nunc agimus, quæ locandorum ordinatio est, juxta antiquam consuetudinem *Hastati* in prima acie ponebantur ac secunda, *Pilati* vel *Pilani* in tertia ac postrema. Contraria ordinatio obtinuit in ea militia quæ sub Cæsaribus recepta est. Nam

primi ordines *Pilanos* habuere, & postremi *Hastatos*, ut ex Arriano probavimus. Quod & confirmari potest testimonio Frontini qui eodem tempore vixit ac scripsit, cujus etiam scripta de re militari Vegetius in epitomen redegit. Ita scribit ille verbis, ut apparet, Frontini, lib. III. cap. 4. de acie ordinanda: *Instructionis hæc lex est, ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur, quos antea Principes vocabant*. Sed de *Principibus* id falsum jam ostendimus: Sequitur paulo post: *In his duobus ordinibus & ætate maturi, & usu confidentes, & muniti etiam gravioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent, sed venientes adversarios excipere, & stando pugnandoque repellere vel fugare*. Vides non solum gravioribus armis munitos, sed etiam ætate provectiores ac veteres milites in primis ordinibus tum stetisse. Primi autem ordines primam aciem constituebant, & prima acies a prima cohorte legionis incipiebat ordinari, ut idem Vegetius alibi tradit, qui etiam scribit primam cohortem reliquas numero militum, & dignitate præcedere. *Nam genere*, inquit, *& institutione viros lectissimos quærit. Hæc etiam suscipit aquilam, quod præcipuum signum in Romano semper est exercitu, & totius legionis insigne*. Cæterum antiquitus *Triarii* aquilam suscipiebant, ætate maturi, & dignitate præcipui milites, & qui gravioribus armis muniti erant. Ergo quod *Triariorum* prius fuit, hoc postea primæ cohortis esse cœpit, hac etiam simul introducta diversitate, ut qui in postremis ordinibus antea pugnare soliti erant, mutata re militari, in prima acie dimicarent. Planum est utique ex his quæ diximus, aliter instituta legionis divisione, & postquam in denas cohortes distribui cœpta est, quæ antiquitus in *Hastatos*, *Principes*, ac *Triarios* dividebatur, *Triarios* in primam cohortem fuisse translatos. Ad hoc enim videtur amplificatus & auctus legionis numerus, ut posset in denas partes æquales dispertiri, quarum unaquæque sexcentos caperet pedites. Sic senum millium facta legio ac ducentorum, cum singulæ denæ ejus partes, sexcentenos continerent pedites, ut universum numerum *Triariorum* qui sexcentenis constabat, una cohors cæteris æqualis accipere posset. Ita ergo in primam traducti sunt, quæ reliquas antecedere dignitate atque auctoritate debuit. Sic veteres, & exercitatos, & gravioribus armis instructos accepit. Sic superiores ordines habere cœpit. Sic aquilam suscepit. Sic denique ex numero *Triariorum*, qui sexcenti in antiqua legione erant, & tertium corpus ex tribus in quæ dividebatur, constituebant, prima novæ legionis cohors exiit. Ita abolito tantum priore nomine, cæteris omnibus servatis, a postrema acie in primam traducti sunt antiqui *Triarii*. Qui *Hastati* & *Principes* dicebantur, similiter in cohortes reliquas pro portione distributi sunt. Qui *Velites* fuerant, in cohortibus pariter locum acceperunt & aliud nomen, proque Velitibus *antesignani* legionis sunt vocati. Nam, ut ex Cæsare constat, equitibus mixti isti *antesignani*, ut antiqui Velites, ante quam acies concurrerent, præliabantur, & ab his pugnæ exordium sumebatur. Alios etiam novit *antesignanos* Adriani ætas, quos & *Campigenos* vocabat, & inter *Principia* legionum numerat Vegetius qui Frontinum compilavit. *Campigeni, hoc est, antesignani, ideo sic nominati, quia eorum opera*, inquit Frontinus apud Vegetium, *genus exercitii cresceret in campo*. Intelligit decursionem campestrem quæ ab armatis militibus fiebat, & sub signis, qua simulachrum veræ pugnæ edebant. Huic præerant *campigeni* qui & *campidoctores* dicti, qui ante signa procedentes in hac prolusione docebant milites, quo pede in hostem eundum esset, quo pede ab hoste recedendum, quomodo ordines servandi, & signa sequenda, & locus non deserendus, quomodo ad clypeum, ad hastam esset declinandum. Et *campigeni* quidem dicebantur, quod campum quasi facerent & gignerent, dum militem imbuunt arte quam in campo, id est, in acie, armati ostendere deberent Inde *armaturæ ars* appellata. Nominantur & cum tribunis hi campidoctores, & cum *Principiis* legionis numerantur, & *antesignani* etiam vocantur ab Ammiano & a Vegetio. Hi sunt *antesignani*, quos idem Vegetius cum *Principiis* legionis recenset, & gravi armaturæ adnumerat lib II. cap. 11. *Legio*, inquit, *propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam, hoc est, Principes, Hastatos, Triarios, Antesignanos, item levem armaturam, hoc est, Ferentarios, Sagittarios, Funditores, Ballistarios, item proprios & sibi insitos Equites legionarios teneat*. Mire quidem hæc omnia confundit quæ sunt prioris militiæ & posterioris, sed *antesignanos* hic vocat eos quos diximus *campigenos* sive *campidoctores*, qui & in metandis castris pedaturam militibus assignabant, & ad instruendam etiam aciem adhibebantur, quod hodie munus est atque officium eorum quos *Servientes bataliæ* vocant *Sergents de bataille*. Multum autem diversi hi *antesignani* a Cæsariani ævi *antesignanis*, qui adolescentes erant leviter armati, quique antiquorum velitum locum obtinebant, ut jam docuimus. Et procurrebant ad pugnandum, priusquam concurrerent acies. *Antesignani* vero sub Hadriano in prima acie & cum ea pugnabant, ante signa & circa signa cum reliquis *Principiis*. Inde *Principia* illo ævo pro prima acie. Frontinus apud Vegetium lib. I. cap. 20. *Erant autem apud veteres inter pedites qui dicebantur leves armaturæ, Funditores, & Ferentarii, qui præcipue in cornibus locabantur, & a quibus pugnandi sumebatur exordium. Sed hi & velocissimi & exercitatissimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes, si prælii necessitas compulisset, inter Principia legionum recipi solebant*. *Principia* legionum in acie illius ævi primum locum obtinebant, ante signa & circa signa, eoque nomine appellabantur sedes ac loca principalium militum tam in castris quam in acie. In castris, ubi tribuni, præfecti, primorum ordinum centuriones aliique principales milites, ac voluntarii tabernacula habebant, locus ille *Principiorum* nomine nuncupari solebat. Et sic plane accipiendi loci veterum scriptorum apud quos *Principiorum* castrensium fit mentio, ut cum *Principia missa* dicunt, aut *soluta*. Ea circa prætorium ducis. Unde in eadem significatione dicebatur *Prætorium mitti* ac *dimitti*, & *Principia* similiter. In his jus dicebatur. In his signa militaria erant posita. Ubicunque *Principiorum* apud auctores mentio extat, de his *Principiis* intelligi par est. Ab his *Principiis* castrorum & *Principia* in acie dicta. Idem quippe militum genus castrensia *Principia*, & *Principia* aciei constituebant. Tacitus Historiarum lib. II. *Primani stratis una & vicesimanorum Principiis aquilam abstulere*. Hic *Principia* sunt, ut & apud Frontinum, primæ aciei primi ordines, aut qui in his pugnabant. Alii eo ipso sæculo *Principes*, nempe iidem cum velitibus *antesignanis*. At postea ut *antesignanorum* nomen de campidoctoribus acceptum est, iidem etiam inter *Principia* legionis, & cum *Principiis* pugnæ locum capiebant. Inde *Principes* & *Principia* confuderunt illius ævi scriptores, quos cum *principiis* & *antesignanis* antiquæ militiæ eosdem fecerunt, cum nihil tam diversum fuerit, ut ex his quæ jam diximus constat. Sed maxima, ut docui, in locatione ordinandorum hæc differentia extitit, olim & postea: quod olim *Principia* pro acie postre-

ma accipiebantur quæ a *Triariis* constituebatur, postea de prima acie id vocabulum sumptum est. *Principia* Livio *Triarii* sunt, vel *Triariorum* acies, cum de antiqua ordinatione agit. At ejus ætate *Principia* erant in prima cohorte, a qua prima acies incipiebat ordinari. Apud Terentium loco quem supra attulimus *Principia* de postremo agmine dicuntur, ubi miles Thraso instructis suis militibus sibi locum post *Principia* sumit, id est, post aciem extremam. Qui locus optime conveniebat ignavo ac timido, & verbis tantum forti. Nam qui post *Principia* locatur ubi in fugam agmen convertitur primus fit fugientium, inter pugnantes vero ultimus est. Jam ordinarat miles dextrum cornu, medium agmen, & sinistrum cornu aciei qualem instrui voluit.

In medium huc agmen cum vecti Donax,
Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum.

Post aciem primam ac secundam vel mediam, & postremam instructam, ipse demum post omnes sibi loco cavet, tutissimo ad pugnandum pariter, & ad fugiendum. Hic erat *post Principia*, id est, aciem postremam sive sinistrum cornu. Notum quippe est ex Tacticis Græcis dextrum cornu κεφαλὴν appellari & primæ aciei instar obtinere, sinistrum οὐρᾶς nomine vocitari, & pro acie postrema haberi. Quod infra pluribus explicabimus. Post sinistrum igitur cornu cum sibi locum cepisset miles, Terentius ex more loquendi militari qui apud Romanos tunc in usu fuit, *postprincipia* id appellavit: *Tu hosce instrue, hic ego ero post Principia, inde omnibus signum dabo*. Sanno eum excipit parasitus ejus, quod tam bene scisset sibi loco cavere. *Illuc est*, inquit, *sapere, ut hosce instruxit, ipsus cavit loco*. Et ridicule respondet mendax & gloriosus miles, *idem hoc jam Pyrrhum factitavisse*. Qui ambigebant ætate Donati utrum in medio agmine an in extremo hic locus esset, antiquam ordinationem ignorabant, cum sui ævi instructionem tenerent. Sententia comici postulabat, ut de postremo agmine intelligeretur, repugnabat rei militaris ordo, ut tunc observabatur. Ita ergo dubitarunt. Sed Terentius ex usu ævi sui loquutus est, cum *postprincipia* posuit pro extremo agmine vel acie postrema, quia *Triariorum* hic locus pugnandi tunc erat. At *Triariis* postea transductis a postrema acie in primam, sic *Principia* quoque de postrema acie in primam translata sunt. Inde *postprincipia* dici cœpta sunt de medio agmine vel secunda acie. Hæc de *Principiis* & *postprincipiis* aciei vel agminis. At in castris *Principia*, in anteriore castrorum parte circa tabernaculum ducis, *postprincipia* autem reliqua pars castrorum usque ad portam decumanam. Varro autem *postprincipia* præcipue in castris dici innuit lib. III. de R. R. c. 4. *Ego vero*, inquit *a principiis quam a postprincipiis, ut in castris, id est, ab his temporibus potius quam superioribus:* Sic enim ille locus legendus. Anterior pars & adversa castrorum *Principia* habebat, prætoriam viam, & prætoriam portam; posterior pars eorumdem a tabernaculo ducis usque ad portam decumanam pertinebat quæ fuit aversa castrorum porta. Et hanc partem *postprincipia* vocabant. Anterior pars ante *Principia* erat. Sed quia *Principia* in anteriore parte fuerunt, circa tabernaculum ducis sive prætoris quod *Prætorium* dicebatur, ideo *Principia* pro primore parte dicta sunt. Hinc *Principiis* castrensibus comparantur apud Varronem tempora proximæ ætatis, *postprincipiis* superiora a parte castrorum posteriore & remotiore. Idem Varro apud Agellium lib. XVI. cap. 18. de Geometria & aliis disciplinis

A mathematicis: *Voluptas autem vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit, cum perfectæ absolutæque sunt: in principiis vero ipsis ineptæ & insuaves videntur*. Similiter apud Plautum *postprincipia* separantur a *Principiis*, cum *postprincipiorum* nomine intellexerit quæ post fiunt, ut *Principia* sunt quæ prima ordine existunt, & inter ipsa initia agendi. In Persa:

Atque ædepol ferme ut quisque rem accurat suam
Sic & procedunt postprincipia denique.

B Quæ inde loquutio manavit, ut dixi, quod *Principia* in adversa parte castrorum constituta erant, *postprincipia* in aversa. Sed aliquis hic dixerit, quomodo in acie *Principia* primores ejus partes constituerunt in vetere militia, si *Principia Triariorum* fuere, qui *post Principes* & *Hastatos* pugnabant? Certe nec ipsa *Principia* in castris in ipsa porta ad ingressum posita fuere, sed interius ad ipsum Prætorium, ita tamen ut in primore & anteriore parte castrorum numerarentur. Nam Prætorium ducis cum in medio esset, posteriorem & anteriorem partem castrorum quasi dividebat. At in anteriore parte erant *Principia*, ut dicemus infra. Sic
C quandiu *Principia* aciei penes *Triarios* fuere, non ipsi in prima acie pugnabant, ut *Hastati*, & *Principes*, sed interiorem quasi obtinebant locum, cum post eos Accensi & Rorarii in *postprincipiis* starent, post *Principia* nempe *Triariorum*, qui *Principiorum* nomine vocabantur, non quod primi essent, sed quod *Principales* ac præcipui totius legionis. Ita aquila quod signum erat legionis præcipuum semper in *Principiis* & cum *Principiis* fuit, id est, cum *Triariis* vel cum illis qui postea locum *Triariorum* obtinuere, nempe primarum cohortium in singulis legionibus militibus. Olim aquila *Triarios*
D præcedebat in postrema acie dimicantes, postea ante primam cohortem præferri cœpit, ex qua ordinabatur prima acies. Robur legionis penes *Triarios* fuit antiquitus, in prima cohorte legionis postremo positum est. Ergo *Triarii* transierunt in primam cohortem commutata re militari, sed abolito priore nomine, post quod nec *Hastati*, nec *Principes* in militia locum aut nomen habuerunt. Huic observationi obstat quod mentio reperitur apud Cæsarem *primi Principis*, & *primi Hastati*. Ut lib. I. de Bello civili: *Nostri in primo congressu circiter* LXX. *ceciderunt. In his Quintus Fulginius, ex primo Hastato legionis quatuordecimæ; qui propter*
E *eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat*. Item lib. III. *Hoc casu aquila conservatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis præter Principem priorem*. Unde isti, inquient, primus *Hastatus* & *Princeps* prior, nisi ductor ordinis *Hastatorum* primi, & *Principum*? Respondeo ego quærendo, iste prior *Princeps* primæ cohortis quomodo conciliari possit cum antiquæ legionis priore vel primo *Principe*? *Primus Princeps* tum dicebatur qui primum ordinem ducebat in *Principum* agmine, vel primi in *Principibus* ordinis centurio. *Principum* corpus in legione divisum erat in decem manipulos, sive ordines si-
F ve cohortes, hoc est, *spiras*, ut nominavit Græce Polybius. At prima cohors legionis, secundum divisionem quæ Cæsaris ætate obtinuit, non respondet primæ cohorti *Principum*, juxta antiquam distributionem. Prima quippe cohors Cæsariana sexcenos aut quingenos milites habuit: prima cohors *Principum* Scipionis ævi centum ac viginti tantum peditum fuit. Prima cohors legionis Cæsarianæ in tres manipulos dividebatur: prima cohors *Principum*, quales noverat Scipiadarum sæculum,

eadem cum manipulo fuit. Denique legio Polybiana in triginta inæquales cohortes distribuebatur; nam cohortes *Triariorum* non erant pares cohortibus *Principum* & *Triariorum*, ut Cæsariana in denas tantum cohortes dispertiebatur. Quæro igitur quomodo conveniat primus *Princeps* primæ cohortis in legione Cæsariana, cum primo vel priore *Principe*, qui primus erat centurio *Principum* in legione vetere? Deinde etiam quæro, ubinam Cæsar *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* meminerit, aut ordinationis exercitus per hæc tria genera fieri solitæ, ut olim fiebat? Cum tot locis, quoties acie decertavit, toties quo genere instructionis usus sit, commemoret, aliquo saltem loco meminisset aciei, B per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinatæ. Quod nusquam fecit. Unde colligere est, & nomina eorum & genera tunc fuisse prorsus oblitterata in acie instruenda. Quod *Hastatum primum*, & *Principem priorem* nominavit inter ordines primos, vel primæ cohortis, jam dicam quid rei sit. Nemo nescit etiam temporibus Cæsarianis *primipilum* vel *primipili* centurionem dictum esse, qui primum ordinem ducebat in prima cohorte. Atqui *primipilus* ille, olim cum prisca militia vigeret, primus fuit *Triariorum* ordinis centurio. Qui *Triarii* cum etiam *Pilani* dicerentur, ab usu *pili* C quod pro telo gerebant, inde etiam obtinuit ut qui primum inter eos ordinem duceret, nomen haberet *primi pili*, sive *primi pilani*, ut *primus Princeps* vocabatur, primus Principum centurio, & *primus Hastatus* primi ordinis ductor inter *Hastatos*. At in prima cohorte legionis Cæsariani sæculi non solum *primipilus* qui primus *Triariorum* olim fuit centurio, sed etiam prior vel primus *Princeps* in eadem cohorte prima a Cæsare ponitur. *Aquila*, inquit, *conservatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis præter Principem priorem*. Unde aut cur in eadem cohorte prima, *Primipilus* D & *prior Princeps*, qui diversorum olim generum fuere centuriones, ille in *Triariis* primi ordinis ductor, iste in *Principibus*? Manifestum vel ex hoc unico loco plane videtur magnam rei militaris mutationem fuisse factam. De hac mutatione constat & ex alio loco Cæsaris, ubi narrat de Scæva quodam centurione, quem *ab octavis ordinibus ad Primipilum* se transduxisse scribit, hoc est, ab octavæ cohortis ordinibus, ad primum ordinem primæ cohortis. *Octavos ordines* ab eo de cohortis octavæ ordinibus intelligi, certo certius. Nam subjicit & cohortem ipsam, in qua ordinem duxerat, dupli- E ci stipendio, frumento, & aliis donis amplissime ab se donatam. Ab octava igitur cohorte ad primam totius legionis cohortem hæc facta a Cæsare promotio. Cæterum prout in antiqua militia ordo promotionum fuit, ab octavis ordinibus ad primum sui generis evectum quemque oportuit. Nam unumquodque genus octavum suum ordinem habuit & reliquorum numerorum, a primo, usque ad decimum. Sic in totum tricenos ordines universa legio habuit, denos *Hastatorum*, denos *Principum*, & denos *Triariorum*. Temporibus vero Cæsaris soli deni ordines in tota legione fuere. Ab octavis igitur ordinibus ad primipilum transdu- F ctus, ab octavæ cohortis ordinibus ad primum primæ cohortis ordinem promotus intelligi debet. In eadem prima cohorte cum legamus tum fuisse & *Primipilum Pilanorum* sive *Triariorum*, & *primum Principem Principum*, quid ni & recta conjectura sit idem de primo *Hastato* opinari? Sane cum idem Cæsar *primum Hastatum* duodecimæ legionis nominavit, verisimile vix est alium ab illo intelligi præter primæ cohortis in duodecima legione *primum Hastatum*. Ubi enim ille *primus Hastatus* nisi in hac cohorte quæ omnes illo tempore

A habuit totius legionis primos ordines? Cum legimus itaque apud auctores, ut Cæsarem, Tacitum, Frontinum & alios, *primos ordines*, intelligendi omnino ii sunt de primorum ordinum centurionibus. Idem quippe est dicere, *primos ordines*, & *primorum ordinum centuriones*. Nam Cæsar cum aliquo loco dixit, *relato ad primos ordines consilio*, paulo post hoc ita expressit, *ad primorum ordinum centuriones*. Primi illi ordines, vel primorum ordinum centuriones, in prima cohorte omnes consistebant, in quam & traducti erant ex tribus generibus antiquæ legionis divisionis, nempe B ab *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis*, ex unoquoque genere bini. Nam sex eos numero fuisse Tacitus ait primæ cohortis centuriones, quos & *primorum ordinum* nomine nuncuparunt. Sic enim scribit lib. III. Hist. *Urgebatur maxime septima legio, nuper e Gallia conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones*. Arrianus τοὺς πρώτης σπείρας ἐπιστάτας appellat, & in agmine cum tribunis incessisse ante signa & circa signa perhibet: Ἔπειτα τὸ σημεῖον τῆς πεντεκαιδεκάτης φάλαγγος, καὶ ἀμφ' αὐτῷ ὁ ἡγεμὼν τῆς φάλαγγος Οὐάλης, καὶ ὁ ὕπαρχος, καὶ οἱ χιλίαρχοι οἷς τέτακται, καὶ οἱ τῆς πρώτης σπείρας ἐπιστάται. *Deinde signum procedit decimæ quin-* C *tæ legionis, & circa illud legatus ejus & præfecti, item Tribuni quibus constitutum est, & centuriones primæ cohortis ordinis ductores*. Notandum hos *primæ cohortis* centuriones cum tribunis ab Arriano junctim recenseri, ut fere semper ab auctoribus aliis. Cæsar lib. VI. de Bello Gallico: *Labienus noctu tribunis militum primisque ordinibus convocatis, quid sui sit consilii proponit*. Item in lib. V. *primorum ordinum centuriones* appellat, quos & cum tribunis nominat: *Sabinus quos in præsentia tribunos militum circum se habebat, & primorum ordinum centuriones se sequi jubet*. Frontinus lib. I. Strategematum c. II. non solum primos illos ordines D cum tribunis junctim posuit, sed etiam a centurionibus distinxit: *Imperavitque ad ejus rei fidem tribunis & primis ordinibus, & centurionibus, quantum quisque numeraret pecuniæ*. Ita passim alii. Hinc etiam Cicero *centurionatum* ab ordinibus distinguit oratione in Pisonem. Nam *ordinum* nomine κατ' ἐξοχὴν primos ordines intellexit. *Quid centurionatus palam venditos? Quid per tuum servulum ordines assignatos?* Id est, primos ordines. Unde & *ordinarii* postea appellati, ut infra dicam, qui primos hos ordines ducebant, & *ordinum* etiam *ductores*. Sed illi non dicunt primos illos ordines, E sive primorum ordinum centuriones, in prima tantum cohorte fuisse, quod diserte prodidit Arrianus loco supra citato. Unum ex his *Primipilum* extitisse & quidem primum omnes auctores docent. Discimus porro & ex Cæsare & *primum Principem* inter eos numeratum. Immo & *Hastatum primum*. Hunc absolute *Hastatum legionis* appellant veteres inscriptiones cum Floro. Quod de primo esse accipiendum κατ' ἐξοχὴν aliæ ejusmodi loquutiones ostendunt. Nam & qui *Primipilus* olim dicebatur, *primus Primipilus* erat intelligendus, cum cæteri omnes ita vocarentur, sed cum numeri & ordinis nota, ut *secundus Primipilus*, *tertius Primipilus*, F atque ita de cæteris. Cum tamen, ut *Primus Pilus* dicebatur pro primo *Pilano*, ita & *secundus Pilus* dicendus videretur, ut *secundus Hastatus* & *secundus Princeps*, atque ita usque ad *decimum Pilum*. Liv. lib. VII. meminit ejusdem Tullii *qui septimum Primipilum jam ducebat*. Et sic interpretandum non mutandum quod idem Livius scripsit lib. VIII. *Ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat. Earum unamquamque primum Pilum vocabant*. De quo nos alibi. Ita *Principem* legionis apud eundem Livium reperire est de primo *Principe* quando

adhuc durabat vetus ordinatio per *Hastatos* & *Principes Triariosque* instruendi exercitus: T. *Pedanius Princeps tertiæ legionis*. Inscite dubitat Lipsius an de hoc *Principe* capienda sint verba Suidæ, Πρίγκιψ ἔξαρχος τῆς τάξεως παρὰ Ῥωμαίοις. *Princeps, primas officii apud Romanos*. Ex hac versione nostra de *principe* sive primate officii accipienda ea esse liquet. Jam habemus tres ex illis sex primis ordinibus sive primorum ordinum centurionibus, *Primipilum*, *Principem primum*, & *primum Hastatum*. Quinam erunt reliqui tres? Ratio exigit, ut *secundi* ex singulis generibus hunc gradum tenuerint, *secundus* nimirum *Primipilus*, *secundus Princeps*, & *secundus Hastatus*. Certe *secundi Hastati* mentio occurrit in antiqua inscriptione. Ita ergo sex erant primorum ordinum centuriones in prima cohorte omnes collocati quos ideo ἐπιστάτας, τῆς πρώτης σπείρας vocavit Arrianus. Et in his maxime cernitur differentia veteris ordinationis & novæ. Nam in antiqua ordinatione primus *Hastatus* cum reliquis usque ad decimum *Hastatum* in prima acie pugnabat. Primus *Princeps* & secundus cæterique in secunda. *Primipilus*, aliique primipili sequentes usque ad decimum in tertia ac postrema pugnam capessebant. Ex novo instituto novitiæ ordinationis, primus & secundus *Primipilus*, primus & secundus *Princeps*, primus & secundus *Hastatus* facti sunt centuriones primæ cohortis, & in prima acie locus ad pugnandum his omnibus assignatus. *Ordinarios* eos sequens ætas appellavit, Hadriani nempe, ut ex Vegetio constat qui a Frontino id hausit, quem & epitomavit. *Ordinarii*, inquit, *dicuntur qui in prælio primos ordines ducunt*. Nam & Cicero, ut supra notavimus, *ordines* absolute dixit pro ordinibus primis, *ordines per servulum assignatos*, quos cum a centurionatibus separavit, *ordinum* nomine planum est eum intellexisse primos, & primorum ordinum centuriones. Ergo iidem erant isti *ordinarii*, cum primorum ordinum ductoribus, quos & *primos ordines* appellarunt, eodem modo quo λόγον pro λογιστῇ dixit Strabo, *Rationem* pro Rationali, ἴδιον λόγον de Rationali *Principis*. Sic *officia* pro officialibus. *Principia* pro *principibus*, in castris, οἱ ἄρχοντες. *Conjugia* & *matrimonia* pro uxoribus. Unde apud Marcellum Empiricum, *Matrimonia Cæsarum*, Cæsarum uxores. *Cura* pro *curatore*. Unde *Cura palatii*, palatii Curator, ex quo compositum nomen in aula Constantinopolitana κυροπαλάτης. *Armatura* pro armatis. Primorum autem ordinum ductores illos non sex, sed quinque ponit Vegetius lib. II. c. 8. Quos & eosdem numerat & pœne eodem ordine, quo a nobis supra sunt recensiti. Sed caput illud Vegetii vulgo corruptissimum legitur, vitio correctorum qui locum eum pessime interpolarunt. In editionibus *primus Princeps* nominatur post primum *Hastatum*, *Princeps*, inquit, *primæ cohortis centuriam semis, hoc est, centum & quinquaginta homines gubernabat*. Ratio autem ordinis postulat, ut *Princeps* primus primæ cohortis ante primum sit *Hastatum*. Verba igitur illa quæ ante posuimus Vegetii, de *Principe* secundo primæ cohortis accipienda sunt. Et sane notant viri doctissimi ita scribi in optimis libris: *Princeps autem secundus primæ cohortis*. At necessario ita intelligendum & legendum. Nam ex *primo Principe* cohortis primæ promovebatur centurio *Primi pili*. Ergo post *Primipilum* legionis erat *primus Princeps* ejusdem legionis, qui & *primus Princeps* primæ cohortis dicebatur. Ita in prima cohorte *Primus Princeps & secundus Princeps* fuere. Cæterum si hoc admittimus, ut omnimodo admitti oportet quod est verissimum, non quinque ut Vegetio numerantur, sed sex numerabuntur primorum ordinum ductores, vel *ordinarii* in prima cohorte legionis, & falsum fuerit quod idem scribit eodem capite, *decem centurias cohortis primæ a quinque ordinariis regi*. Certe in illo Vegetii numero unum omnino superabundare necesse est. Nec alius esse potest quam ille *Triarius prior*, qui ultimus omnium in editis nominatur, & cui una tantum ac semis centuria in cohorte prima attribuitur ducenda. Sed illum *Triarium priorem* non agnoscunt veteres libri. Et sane nullum ibi locum potest habere nec uspiam, cum nusquam fuerit ullus *Triarius* prior. Nam *Primipilus*, id est, *primus pilanus*, revera fuit *Triarius* prior, cum *Triarii* & *Pilani* iidem essent. Cum vero rejiciatur hic *prior Triarius* apud Vegetium post omnes reliquos ordinarios, debuit primum inter eos locum obtinere. Si de secundo *Primipilo* vel secundo *Pilano* intelligamus, qui secundus fuit centurio in ordine *Triariorum*, is præcedere videtur debuisse secundum *Principem*, & secundum *Hastatum*, ut *primus Pilus* antecedebat *primum Principem*, & *primum Hastatum*. Enimvero cum sex ordinum primorum ductores numerabantur in legione, *secundus Triarius* sive *secundus Pilus* inter eos recensebatur. Cui locus fuit post *primum Hastatum*, ante *secundum Principem*. Atque is numerus sex primorum ordinum centurionum in legione tamdiu obtinuit, quamdiu cohors prima sexcentorum militum fuit omnesque cohortes inter se pares erant. Nam cum sex centuriæ essent in prima cohorte ut in aliis, unusquisque eorum primorum centurionum suam regebat centuriam. Primam habebat *Primipilus*, secundam *primus Princeps*, tertiam *primus Hastatus*, quartam secundus *Pilus*, vel *Triarius*, quintam *secundus Princeps*, sextam *secundus Hastatus*. Commutata vero hac in parte nonnihil sub Adriano militia, prima cohors facta est millenaria, & reliquæ omnes quingenariæ. Sic cum reliquæ cohortes non plures quam quinque centurias haberent totidemque centuriones, ipsa quoque prima cohors quæ millenis peditibus constabat, reliquasque numero & dignitate præcellebat, non plures etiam quam quinque sortita est primorum ordinum centuriones, sive *ordinarios*. Decem autem primæ cohortis centuriæ ita inter illos quinque primarios centuriones distributæ sunt, ut non æqualis centuriarum numerus singulis adscriberetur ducendus ut antea, sed primi quique plures regerent. Sic igitur factum, ut centurio *Primipili* tres gubernaret in prima cohorte centurias cum ad prælium legio per cohortes in acie ordinaretur: *primus Princeps* duabus præficeretur: *primus Hastatus* duas quoque haberet. At secundus *Princeps* primæ ejusdem cohortis centuriam semis gubernabat, & secundus pariter *Hastatus* centuriam semis. Sic hi duo tres centurias ducebant, quæ cum prioribus septem junctæ, decem centuriarum primæ cohortis numerum explent. Falsum est igitur ac mendosum, quod apud eundem Vegetium scribitur, *Primipilum* quadringentos milites in prima acie gubernasse, id est, quatuor centurias. Quomodo enim constabit numerus reliquarum centuriarum a cæteris primorum ordinum quatuor centurionibus gubernatarum? *Primus Hastatus* duas habebat, *secundus Princeps* cum *secundo Hastato* tres, unusquisque unam & semis. Fiunt novem centuriæ. Ergo unam tantum habuisset primus *Princeps*? Atqui cum ille dignitate reliquos præcelleret, & primus omnium post *Primipilum* esset, cum ex eo promoveretur centurio *Primipili*, non videtur rationi convenire, ut minorem numerum in ea prima cohorte militum rexerit quam *secundus Hastatus*, qui omnium erat ultimus *ordinariorum*, & centum ac quinquaginta militibus præerat, i. e. centuriæ uni & semis. Tres ergo centurias gubernabat *Primipilus* in prima cohorte, *primus*

Princeps duas, *primus Hastatus* duas, *secundus Princeps* unam & semis, *secundus* quoque *Hastatus* unam & semis. Ita decem centuriæ primæ cohortis quæ millenaria erat, a quinque *ordinariis* sive primorum ordinum centurionibus gubernabantur. In veteribus inscriptionibus *primi Hastati* fit mentio, ut pag. MXCVI. *Centurioni, Hastato primo legionis* IV. *κατ' ἐξοχὴν* sæpius vocatur *Hastatus* cohortis primæ, vel in cohorte *prima* legionis, & de *primo Hastato* intelligi debet. p.525. *Hastato in cohorte* 1. *legionis* 2. *Trajanæ*. Et in alia, *Hastato* in cohorte prima legionis Italicæ. In aliis vocatur simpliciter *Hastatus legionis*. Ut p.357. *C. Antonio C. F. Flavino, VI.viro juniorum, Hastato legionis* 2. *Augustali, torque aurea, & annona duplici ob virtutem donato*. Alia inscriptio similiter meminit *Hastati legionis decimæ*. In alia inscriptione tres primi *ordinariorum* memorantur eo ordine quo in legione promovebantur. Ut enim ex *primo Hastato* promovebatur *primus Princeps*, & ex *primo Principe Princeps Pilus*, ita in ea inscriptione cum ordine recensentur dignitates quas ille emensus est cui posita fuit inscriptio, sic in ea scriptum extat p. 347. *Hastato, & Principi, & Primipilo* legionis septimæ Geminæ, Piæ, Felicis. Ubi *Hastatus* intelligendus de *primo Hastato*, & *Princeps* de *primo Principe* legionis, sive cohortis primæ in legione, qui a *Principe primo* ad *Primipilum* promotionis gradus dabatur, ut ab *Hastato primo* ad *Principem primum*, quem etiam *Principem primum legionis* appellat Vegetius, alii simpliciter *Principem legionis*. *Hastatorum* in acie meminit Ammianus Marcellinus, sed illos *Hastatos* alios fuisse constat tam ab *Hastatis* primitivæ militiæ, qualis sub Scipionibus exercebatur, quam ab *Hastatis* secundæ, quales eos noverunt Cæsariana tempora. *Hastatos* quippe posuit Ammianus pro signiferis, quia signa in longis *hastis* fixa vel appensa præferebantur. Sic enim scribit lib. XVI. *Quos cum jam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterunt vestigiis fixis, antepilanis hastatisque & ordinum primis velut insolubili muro fundatis.* Ubi *Hastatos* vocat vexillarios, sive draconarios, ut ipse alibi interpretatur, lib. XX *Maurus nomine quidam, postea comes, qui res male gessit apud Succorum angustias, Petulantium tum Hastatus, abstractum sibi torquem, quo, ut draconarius, utebatur capiti ejus imposuit.* Zonaras tamen *ταξίαρχον* hunc fuisse ait, non draconarium. *Hastatos* autem sive draconarios, ut signiferos, ideo inter eos qui in prima acie pugnabant, collocat, quia in militia Romana signiferi læva manu signa sustinebant, dextra pugnabant, ut infra docebimus. *Hastarios* idem Marcellinus appellat eos qui *hastis* in prælio uterentur, quos *Hastatos* prisci, *λογχοφόρους* vocitat Arrianus. Sic enim scribit lib. XXVII. *Didicit regem hostilium agminum cum paucis captum ab Hastariis, quos ipse per iter aliud miserat ad diripienda tentoria Alamannica.* Hic *Hastarii* milites sunt *hastis* pugnantes, *Hastati* autem signiferi, vel draconarii, signa in *hastis* gestantes. *Hastas* illas quibus vexilla signorum appensa præferebantur *Contabra* appellat Tertullianus in Apologetico & Minutius Felix, voce a *contis* deducta. *Et contabra, inquit iste, & vexilla castrorum quid aliud quam inauratæ cruces sunt?* Vetus auctor apud Suidam *κοντοὺς συμμέτρους* appellat, quibus infixa draconum simulacra pro signis in acie portabantur, *ἃ εἰς ἰδέαν μάλιστα δράκων εἰκασμένα ἐπ' ἄκρων τῶν κοντῶν συμμέτρων*. Quæ verba sunt Arriani. Ubi *κοντοὶ σύμμετροι* sunt *hastæ*, conti enim majores *hastis*, & *pila* sic vocavit idem Arrianus. At mediocres conti *hastæ* quibus vexilla appendebantur militaria. Tertulliano *Contabra*. Tot igitur mutationes Romana

A militia temporum lapsu passa est. *Hastati* primo manipuli militum fuere, per quos ordinabatur *Hastatorum* acies. Postea de solis ordinum ductoribus ea vox accepta est, cum duo *Hastati* in primis legionum cohortibus primos ordines ducerent cum *Primipilis* & *Principibus*, primus nempe *Hastatus*, ac secundus. Postremo infima ætas *Hastatorum* appellationem usurpavit, pro signiferis, vel draconariis. De medii temporis militia nunc tractamus quæ senos primorum ordinum centuriones in unaquaque legione primo agnovit, postea tantum quinos, postquam nimirum cohors prima millenaria facta est, & reliquæ quingenariæ, cum antea omnes essent sexcenariæ. Idem Vegetius eodem lib. c. 15. istos *ordinarios* in prima acie pugnasse tradit, cum reliquis *Principalibus* militibus quos *Principiorum* nomine proprie, ut jam dixi, vocabant. Sed *Principes* etiam eo loco vocat idem Vegetius qui in prima acie pugnabant. *Sed ante signa*, inquit, *& circa signa in prima acie dimicantes Principes vocantur id est, ordinarii cæterique principales*. Distinguit ut videtur, primam aciem ab his, qui ante & circa signa dimicabant. Certe prima acies ex his constabat qui signa sequebantur, & in ordines dispositi, eos servabant, sub ducibus quisque suis, ut centurionibus. Si ergo *ordinarii* illi primæ cohortis milites in bellum ducebant, non ante nec circa signa dimicabant, sed post signa cum manipularibus suis quos in prælium ducebant. Videntur ergo in agmine tantum, id est, dum iter agerent ita incessisse, ut prope signa legionis, id est, aquilam constiterint. In prælio ipso præibant iis manipularibus quibus & præerant, signum, quod antecedebat, sequentibus. Et sane Arrianus in agmine exercitus describendo locum illum iis assignat, non in ipsis ordinibus instructi apud pugnam exercitus. Quinimo & tribunos duodecimæ legionis quam in sinistro cornu constituit Arrianus, eidem dextræ alæ præesse vult, in ipsa acie. Ἡγείσθω δέ, inquit, *τοῦ δεξιοῦ παντὸς ξὺν τῷ ἱππικῷ Οὐάλης ὅσπερ καὶ τῆς πεντεκαιδεκάτης φάλαγγος ἡγεμών ἐστιν, τοῦ δ' ἀριστεροῦ οἱ χιλίαρχοι τῆς δωδεκάτης*. *In omni dextro cornu curet atque equitatui etiam præsit qui decimæ quintæ legionis legatus est. Sinistro autem præficiantur tribuni duodecimæ legionis*. Ex ea legione duodecima ordinatum erat sinistrum cornu Arriani exercitus. Solebant porro aliquando Duces sibi locum capere prope aquilam cum aliis legionis *Principiis*, exceptis si forte primorum ordinum centurionibus, qui cum esset confligendum acie, pugnabant ante suos quisque ordines, in agmine vero cum *Principiis* cæteris juxta signa assistebant. Scribit Sallustius in Catilinario, Catilinam propter aquilam pugnasse, cum libertis suis ac clientibus, quos *colones* vocat veteri vocabulo: *Ab his centuriones omnes lectos & evocatos, præterea ex gregariis militibus optime quemque armatum in primam aciem subduxit. C. Manlium in dextra, Fæsulanum quemdam in sinistra parte curare, jubet. Ipse cum suis libertis & colonibus propter aquilam assistit, quam bello Cimbrico C. Marius habuisse dicebatur.* Sed de his infra ubi explicabimus quo loco signa in acie constiterint, simulque aperiemus quinam prope signa adstiterint vel ante signa. Hæc summa discriminis, quo vetus ordinatio a nova distabat. *Principia* in vetere cum veteranis militibus postremam aciem constituere soliti erant. In nova eadem *Principia* sive *Principales* milites ac veterani instruebantur in ipsa fronte. Idem Sallustius ibid. de exercitus Romani ordinatione qui contra Catilinarium exercitum constitit: *At ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quod prælio adesse nequibat, M. Petrejo legato exercitum permisit. Ille cohortes veteranas quas tumulti causa conscripserat in fronte,*

post eas cæterum exercitum in subsidiis locat. Ecce veterani in fronte contra veteris ordinationis morem quæ primos *Hastatos*, id est, juvenes milites collocabat, & primam aciem ex his faciebat. In eadem prima acie *Principia* legionis collocabantur Sallustii ætate. Unde & *Principia* tum pro prima acie, *Postprincipia* pro secunda, cum olim *Principia* dicerentur de postrema acie *Triariorum*, quia ibi eo tempore *Principia* erant. In castris proxima tabernaculo Ducis, id est, prætorio, eorum tabernacula ponebantur, quæ & *Principia* dicta. In acie quoque propter signa assistebant cum ipso Duce. Sallustius in Jugurthina historia *Principiorum* meminit, haud scio an pro acie prima. Hoc si est, *post principia* de secunda acie dixerit. Certum tamen est sub Metello de quo sermo est nondum fuisse mutatum morem antiquæ ordinationis. Quinimo omnis illa instructio Metelli contra Jugurtham, quam ibi explicat Sallustius, tota ad antiquorum ordinum normam facta videtur. In dextro latere quod proximum hostibus erat, *triplicibus subsidiis* aciem instruxisse dicitur Metellus. Triplicia illa subsidia trinæ sunt acies *Hastatorum*, *Principum*, & *Triariorum* juxta veterem consuetudinem Romanorum ordinatæ. Nam illa veteri instructionis lege ita triplex illa acies disponi solebat, ut secunda subsidiaria esset primæ, tertia secundæ. Etiam prima *Hastatorum* subsidii loco erat dextro cornui, si ad hostes promoveretur. Utrumque autem cornu ex sociis & auxiliaribus constabat, ut paulo post demonstrabimus. In illa autem instructione Metelli dextrum cornu primum occurrit hostibus, quod triplici acie subsidiaria firmavit Metellus. Agminatim incedebat solito & antiquo more ejus exercitus cum hostes in conspectum venere, sed occultati, & in insidiis dispositi. In primo agmine dextrum cornu sociorum ibat, ut ex Polybio constat. Deinde sequebantur legiones Romanæ cum suis quæque impedimentis Postremum agmen claudebat sinistrum cornu sociorum. Hic erat agminis Metelli ordo cum ex improviso hostes quos in insidiis posuerat Jugurtha, detecti sunt & conspecti. Dextrum ergo latus, ut narrat Sallustius, id est, dextrum cornu, sicut primum agmen, hostibus proximum erat. Sequebantur legiones ita ordinatæ, ut *Hastati* primi incederent, deinde *Princeps*, postremo *Triarii*. Ad conspectum hostium qui virgultis male occultati erant, repente agmen paulisper constituit Metellus, id est, iter agminis suppressit, atque ut consisteret fecit. Ibi commutatis ordinibus in dextro latere quod proximum hostibus erat triplicibus subsidiis aciem instruxit. Ita tum commutavit ordines, ut *Principia* quæ postrema in legione incedebant, in primam aciem subduxerit. Quod paulo post clarius explicat his verbis: *Equitatum omnem in cornibus locat, ac pauca pro tempore milites cohortatus aciem sicuti instruxerat, transversis Principiis in planum deducit. Transversa* ibi *Principia* transmutata accipi possunt. Quod ex sequentibus potest confirmari, quæ sic habent: *Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere, Marium post Principia habere*. Ex ea *Principiorum*, id est, *Triariorum* transmutatione, prima facta erant *Principia* quæ postrema fuerant. Ideo *post Principia* Marium locaverat cum *Hastatis* & *Principibus*. Alioquin cum *Principia* suum locum obtinebant, nihil post ea locari solebat, præcipue in acie & cum præliandum esset, nisi pluribus subsidiis firmarentur, & quarta aliqua acies, post tertiam seponeretur, ut sæpe factum constat. *Principia* igitur apud Sallustium eo loco pro *Triariorum* manipulis, qui ex veteri rei militaris instituto postremam aciem claudere consueverant. Aciem autem Metelli instructam fuisse ad instar veteris ordinum disciplinæ vel ex eo constat, quod ibidem Sallustius memorat, Metellum *funditores ac sagittarios inter manipulos* aciei quam instruxerat *dispertisse*. Ergo per manipulos instructa erat ejus acies, non per cohortes. Præterea inter manipulos intervalla reliquerat. Quod & antiqui fuit ordinationum instituti. Deinde funditores & sagittarii inter manipulorum intervalla dispertiti ad antiquam ordinationem pertinent. Nihil enim tale factitari solitum, postquam per cohortes, & sine intervallis, acies instrui cœpta est. Certum quidem est, ut supra diximus, Marium auctorem fuisse omnis mutationis, quæ in re militari Romanorum intervenit. Sed nondum tunc ea mutatio, quæ per eum postea facta est, inciderat, cum Metelli legatus in Africa ageret. Postea id fecit, quando ipse cum imperio ad bellum illud Jugurthinum conficiendum cum imperio missus est.

CAP. VII.

Quot modis acies Romana instrueretur numero ac genere differentibus in antiqua ac nova militia.

AD eas differentias quas notavimus intercessisse in antiqua re militari Romanorum quantum ad ordinationem attinet, aliæ etiam accesserunt de quibus nondum diximus, quæ modos ac genera instruendæ aciei spectant, sive forma ipsa instructionis consideretur, sive numerus ἐκτάξεων, cum plures nempe separatæ acies fierent. Cum per *Hastatos* & *Principes* & *Triarios* ordinabantur exercitus, semper triplex acies constituebatur, nunquam minore numero stabat instructio, sæpe majore cum plura subsidia a tergo ponerentur. Ubi enim in tria genera ab ætate & censu distincta dividebatur legio, totidem, cum pugnandum esset, acies institui solebant, quot erant militum in legione per ætates discrimina. Ergo una ex *Hastatis*, quæ prima: altera ex *Principibus*, quæ secunda: tertia ex *Triariis* parabatur. Sic nunquam minus triplici acie pugnatum est, cum tria illa discrimina generatim observata sunt. Postquam ea divisio per gradus ætatum abolita est, & alia introducta, tum etiam alia invecta fuerunt instruendæ aciei genera. Quod ad numerum attinet, sæpe simplex pro triplici instructa est. Talem Cæsar instruxisse perhibetur apud auctorem belli Africani contra Labienum: *Interim Cæsar aciem dirigit simplicem ut poterat propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit, equites dextro sinistroque cornu opponit*. Ex paucitate copiarum ad id genus instructionis veniebant, quo simplex acies statuebatur, cum nimirum non satis esset amplus numerus militum, unde duplex fieret acies. Simplicis & duplicis meminit Tibullus in panegyrico Messalæ his versibus, quos nemo adhuc intellexit, nec recte explicavit, qui etiam nonnihil corrupti sunt, ut leguntur vulgo. Sic ergo restituendi:

Jam simul audacis veniunt certamina Martis
Adversisque parant acies concurrere signis,
Tunc tibi non desit, faciem componere pugnæ.
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo:
Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.

Commendat in Messala scientiam rei militaris, præcipue illam quæ τακτικὴ Græcis dicitur, & in

componendis variis pro tempore ac loco pugnæ formis confiftit. Duas tamen ab eo componendæ aciei fpecies memorari certum eft verfibus fupra fcriptis, fimplicem & duplicem. Simplex ita defcribitur:

Seu fit opus quadratum acies confiftat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Oportet hanc fimplicem effe, cum de duplici fubjunxerit hos verfus:

Seu libeat duplici fejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque finifter
Miles, fitque duplex gemini victoria cafus.

Primum ex his tribus verfibus ita correximus, cum vulgo fic legere eum foleant:

Seu libeat duplicem, feu junctum cernere Martem.

Ex quibus nullus idoneus fenfus elici poffit, nec alius nifi menti auctoris, & rei ipfi contrarius. *Junctus Mars* de fimplici acie tantum dici poteft. At fequitur explicatio duplicis. Sejuncto autem ac duplici marte pugnare idem eft quod bipertita acie decertare. Ex qua confequitur id quod fubjicit Tibullus:

Dexter uti lævum teneat, dextrumque finifter
Miles, fitque duplex gemini victoria cafus.

Ubi etiam melius legeretur, *Dexter uti lævum tentet*. Nam cum duplici acie confligitur, dextri cornu miles qui nofter eft, finiftrum militem adverfariorum invadit, & contra. Sic duplex victoria paritur, cum utroque cornu vincitur hoftis. Alioquin non raro accidit, ut qui in uno cornu vincit, in altero vincatur. Simile eft quod de quarto genere depugnationis fcribit Vegetius lib. III.cap. 19. *Nam fic de dextro cornu fuo illius finiftrum, & de finiftro cornu fuo illius dextrum aggreditur.* Hoc eft plane quod Tibullus dixit, *dexter uti lævum tentet, & finifter dextrum.* Id eft, aggreditur & invadit. Et fic loquutus eft Salluftius in libro de bello Jugurthino: *Numidæ alii poftremos cædere, pars a finiftra ac dextra tentare; omnibus locis Romanorum ordines conturbare.* Verum in illa depugnatione non duplex tantum eft acies, fed triplex, cui accedit media inter utrumque cornu, ut & in tertio genere quod ab eodem Vegetio exponitur: *Cum fubito ambæ alæ incitantur, ut ex utroque cornu improvifi hoftes vertantur in fugam, & celerius victoriam confequamur.* Nihil tamen prohibet eodem modo pugnari, cum duplex tantum eft acies, in dextrum & finiftrum cornu bipertita. Quali genere conftat fæpiffime acies a Romanis inftrui folitas, eo præcipue tempore quo iidem Græcorum *τακτικὴν* imitari cœperunt. Nam in phalange duo femper cornua facta, quafi duæ partes, dextrum ac finiftrum. Unde Panem cornigerum finxere veteres, quia ordinationem eam reperit quæ phalangem in duo cornua dividit, Polyænus lib. I. Strategematum: *Διονύσου στρατηγὸς ἦν ὁ Πάν. οὗτος πρῶτος τάξιν εὗρεν, ὠνόμασε φάλαγγα, κέρας ἔταξε δεξιὸν καὶ λαιόν· τούτου τοι κερασφόρον τὸν Πᾶνα δημιουργοῦσι. Dionyfi dux fuit Pan. Hic primus invenit aciei inftructionem, phalangem nominavit, duo in ea cornua inftituit, dextrum lævumque. Ea gratia Panem cornutum artifices fingunt.* In prifca vero Romanorum difciplina militari acies quæ ex civibus ac legionariis conftabat, femper fimplex fuit ut poftea dicam,

A qualem quadratam dixere. Certe Tibullus loco quem fupra produximus duos tantum modos exercitus ordinandi propofuit; unum per aciem fimplicem, alterum per duplicem. Cum fecundus modus ab eo pofitus duplicem aciem notet, primus de fimplici accipi debet:

Seu fit opus quadratum acies confiftat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Virgilii quoque verfus ex II. Georgicῶn de fimplici & quadrata acie accipiendi videntur, quam ita luculenter defcripfit, & vineæ ordinibus com-
B paravit:

Indulge ordinibus, nec fecius omnis in unguem
Arboribus pofitis fecto via limite quadret.
Ut fæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ftetit agmen aperto
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, necdum horrida mifcent
Prælia, fed dubius mediis Mars errat in armis,
Omnia funt paribus numeris dimenfa viarum.

Ut in vinea ordinatim confita ordines inter fe qua-
C drant, in longum & in latum ducti, viis in medio relictis, ita in exercitu inftructo ad prælium omnia paribus numeris viarum dimenfa habentur, & per *vias* intellexit non intervalla inter ordines ipfos & cohortes quæ tunc confertæ & continuæ difponebantur fine ullis intervallis, fed fpatia inter fingulos milites interpofita tam a tergo quam a latere, de quibus nos infra dicturi fumus. Quadratam & unius formæ aciem, æquata fronte affimilat quadrato agri modo vineis confito. Ordines arborum comparat cum ordinibus militum, & intervalla cum intervallis inter utrofque ordines, quas & *vias* vocat. Si de acie duplici & in duo
D cornua divifa fermo effet, haud æque fimilitudo procederet, cum fere femper alterum cornu promoveretur in hoftem, alterum ab hofte longius recederet. Idem Virgilius vinearum ordines *antes* vocavit, hoc verfu:

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

Cato quoque Junio Philargyro notante, *antes* appellavit ordines militum agminatim incedentium. De quo nos alibi. Ea quadrata acies ac fimplex veteribus maxime frequentata eft, ut etiam Vegetius tradit, ac de ea omnino intellexit Tibullus
E verfibus fupra expofitis. Mira eft ad eum Tibulli locum Scaligeri obfervatio notantis, *tria genera aciei inftruendæ apponi, quadratum, duplex, pilatum.* Quod ut confirmet, verba Varronis adfert de duobus agminis generibus. Quafi vero *agmen* idem fit quod *acies*: aut quafi Varro verbis illis quæ adduxit, de generibus aciei tractet, aut Tibullus de variis agminis agendi modis intelligendus fit. Aciem ille nominat. *Acies* proprie loquendo ab *agmine* diftat, ut Græcis *πορεία* exercitus, & *ἔκταξις*. *Agmen* eft *πορεία*, *acies ἔκταξις*. *Agmen* tamen pro qualibet multitudine fæpe acci-
F pitur, in ordine euntium. Unde & Livius *Triarios* ad prælium procedentes *continenti agmine* ire dixit, poft receptos in intervalla fua *Principum* manipulos. Virgilius quoque *agmen* de acie inftructa dixit in fecundo Georgicῶn:

—— *& campo ftetit agmen aperto*
Directæque acies.

Ita Tibullus hoc loco cum aciem *quadratum in agmen* confiftere fcripfit, de eo genere aciei intellexit quod a Vegetio explicatur: & in feptem generibus depugnationum five *inftructionum* primum poni-

tur: *Una depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu*, lib. III. cap. 20. Item eodem libro cap. ultimo: *Qui multitudine, & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus est modus*. Eum modum nos infra explicabimus. Hoc tantum hic signabimus, eo modo fere semper pugnatum a Romanis, cum simplex producebatur in campum acies, nec bipertito vel tripartito signa in hostes inferebantur. Etsi autem triplex semper acies statueretur ab antiquis, cum per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* pugna institui soleret, unaquæque tamen earum, simplicis aciei vicem tenebat. Quia nunquam simul in prælium exibant, nec aliter locus erat secundæ, nisi ubi prima loco pulsa cessisset. Nec tertia pugnam inire consueverat, nisi cum prima & secunda campum non-tenuissent. Duplicis aciei exempla plurima apud Cæsarem reperiuntur, & alios. Ut in epistola Servii Galbæ ad Ciceronem, aciem Hirtius contra Antonium duplicem instruxerat duodecim cohortium. Octo cohortes Martiæ legionis in dexteriore cornu posuerat, duas reliquas ejusdem legionis in sinisteriore cum duabus cohortibus prætoriis. Ideo sinisterius cornu infirmius fuisse scribit, quia duas tantum cohortes ex legione Martia haberet, & duas prætorias, cum in dextro octo cohortes essent. Eo tempore, & illa rei militaris disciplina cum duplicem aciem in auctoribus legimus, de ea quæ cornu dextro & sinistro constaret intelligere debemus. Cæsar lib. III. de bello Civili *duplici acie* scribit se *cohortes numero* XXXIII. in quibus erat legio IX. *ad legionem Pompeii castraque minora duxisse*. Duplicem illam aciem de sinistro cornu, in quo erat ipse, & dextro interpretatur; ut ex sequentibus liquet. Idem lib. VII. de Bello Gallico aciem quam instruxit Labienus adversus Gallos in dextrum cornu ac sinistrum dividit, quam & duplicem proinde fuisse ex eo certum est: *Dat signum prælii. Primo concursu ab dextro cornu ubi septima legio constiterat hostes pelluntur, atque in fugam conjiciuntur. Ab sinistro quem locum duodecima legio tenebat, quum primi ordines hostium concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant*. Duas ille habuit legiones, septimam ac duodecimam. Ex septima construxerat sinistrum cornu, ex duodecima dextrum, id est, primam & secundam aciem. Nam in cornu dextro prima acies, in sinistro secunda censebatur, ut infra dicemus. Arriani ordinatio contra Alanos similiter duplici acie constitit, ex cornu dextro & sinistro. Duplicem Afranianam apud Cæsarem ex secundo ejus commentario de Bello Civili nos alio loco infra explicabimus. Si tertia accederet acies ut triplex fieret, tum media acies inter utrumque cornu ponebatur, quæ secundæ aciei locum obtinebat, cum sinistrum cornu in tertiæ nomen transiret. Si quarta acies adderetur subsidiaria, tum quadruplex evadebat acies, modo ex cohortibus legionariis illa sumeretur. Nam auxiliariæ & alariæ cohortes quamlibet multæ in subsidiis statuerentur, non multiplicabant aciem. Uno exemplo id probabimus in antecessum, donec pluribus confirmatum demus. Cæsar lib. III. de Bello Gallico, memorat Crassum contra Gallos productis omnibus quas habebat copiis duplicem aciem instituisse, & in mediam aciem auxilia conjecisse. Si media illa acies ex legionariis constituta fuisset, triplicem aciem Crassi reddidisset. Cæsar in Pompejum acie triplici directa quartam addidit detractis ab ultima sive tertia acie sex cohortibus, & sic quadruplicem aciem fecit. Si ab auxiliaribus copiis id subsidium sumptum esset, non pro quarta acie numerasset. In illa porro bipartita divisione dextrum cornu & sinistrum pro prima ac secunda acie, ut pro prima aut tertia si media addita fuisset, nova lex ordinandi longissime recessit ab antiqua. Prisco quippe ordinum in acie instruenda instituto nunquam dextrum cornu & sinistrum dictum est nisi de Sociali exercitu. Is in duas partes auctore Polybio dividebatur. Partibus nomen erat dextrum cornu & sinistrum. Τὰς δὲ λοιπὰς τῶν συμμάχων διεῖλον εἰς δύο μέρη, καὶ καλοῦσι τὸ μὲν δεξιὸν, τὸ δ᾽ εὐώνυμον κέρας. Hæc *cornua* Latini scriptores etiam *alas* vocarunt, *alam dextram* & *sinistram*. Unde *Alarii* pro auxiliaribus qui distinguuntur a legionariis apud Cæsarem & alios. Nec vero putandum, hæc nomina *dextri* & *sinistri cornu* de auxiliari exercitu, ad ordines tantum pertinuisse & τακτικῆς esse vocabula, quibus extra aciem, nisi cum instrueretur, nihil esset loci. Non solum in acie, dum pugnabatur, sed etiam in agmine, dum iter agebatur, immo etiam in castris hoc nomen, & locus unde nomen habuerunt. Ex his duabus partibus in quas dividebantur Sociorum copiæ, semper una ad dextrum latus in acie tenendum destinabatur, quæ & inde nominari solita, altera ad sinistrum occupandum. Acies ipsa triplex ex *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* legionariorum tum semper fuit, alæ duæ sive cornua, dextrum & sinistrum, Sociorum & Auxiliorum. Cum castra moverentur pars ea Sociorum exercitus cui dextrum cornu in acie assignabatur, prima exibat & agmen primum constituebat, altera pars cui ex loco nomen, agmen novissimum claudebat. Nec aliter in acie collocabantur nisi in cornibus, dextra ala in dextro cornu, sinistra in sinistro. Ita fixum tunc statumque hunc locum perpetuo obtinuerunt, ut & nomen. Quo magis falsa deprehenditur Scaligeri sententia qui in Epistola ad Thuanum censet *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* nomina fuisse ad tempus data, cum acies esset ordinanda, quibus extra aciem nihil loci esset. Probabile autem non tantum est, sed & certum, hæc nomina eundem exitum fecisse, & mutata ratione artis militaris & ordinum, eodem tempore *Hastatos*, *Principes*, ac *Triarios* desiisse, & cornua Sociorum, sive alas, dextram & sinistram evanuisse. Nam certe ab eo tempore ex quo non comparuisse amplius certum est in exercitu Romano *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*, cornua etiam inde recessisse compertum habeo, saltem eo sensu quo olim accipi erant solita. Immo nec divisio illa amplius audita est auxiliarium aut Socialium copiarum, quæ olim percrebuit, in dextrum & sinistrum cornu. In cohortes eæ dividebantur, haud secus quam legiones ipsæ Romanæ. Hinc passim legimus *cohortes auxiliares*, & *alarias*, ut *cohortes legionarias* his oppositas. Quod *dextrum cornu* dicitur in eorum auctorum scriptis qui vixere post mutatam militiam, non est altera pars Auxiliorum quæ in Romano exercitu erant, sed prima acies ex legionariis instructa, ut *sinistrum cornu* secunda est, non ut olim pars altera auxiliarium quæ lævam partem in acie tenebat. Sed nec amplius auxiliis in dextro ac sinistro latere locus proprius dicatus, ut antea fieri mos fuit quando certam ac stabilem ejus loci possessionem sibi vindicabant Sociales copiæ, adeo ut pro jure perpetuo una pars earum dextrum in acie cornu constitueret, altera sinistrum: Arbitrio quippe ducum modo in media acie collocata Auxilia postea sunt, modo in subsidiis, aut quacunque in parte pro re, tempore, ac loco vellent, aut ex usu esse judicarent. Sic Crassum apud Cæsarem Auxilia in mediam aciem conjecisse legimus: *Prima luce productis omnibus copiis duplici acie instituta, Auxiliis in mediam aciem conjectis, quid hostes consilii caperent, expectabat*. In eodem Cæsare Afranii acies duplex ex legionariis composita, alarias cohortes in subsidiis habuit, quæ ex veteris militiæ ritu, locum in cornibus tenuis-

sent, immo cornua ipsa utraque constituissent. In vetere autem novoque militiæ ordine nunquam aciei appellatio data est copiis auxiliariis quacunque in parte instructæ ponerentur. Olim ut in cornibus ex more locabantur, ita & cornu dextri sinistrique nomina ex merito occupabant. Non tamen ad multiplicandam numero aciem quidquam conferebant, etsi tantundem fere auxiliorum in exercitu Romano semper soleret esse atque legionum. *Acies* igitur propriæ Romani militis tunc erant, *Cornua* auxiliorum. Inter utrumque cornu directa patebat acies Romana, cui id nomen soli competebat, ademptum Auxiliis & Sociis. Livius lib. XXXVII. de acie Romana quæ contra Antiochum stetit: *Romana*, inquit, *acies unius prope formæ fuit & hominum & armorum genere. Duæ legiones Romanæ, duæ Socium ac Latini nominis erant, quina millia & quadragenos singulæ habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt. Hastatorum prima signa, deinde Principum erat, Triarii postremos claudebant. Extra hanc veluti justam aciem a parte dextra consul Achæorum cetratis immixtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum æquata fronte instruxit.* Vides ex more qui tunc obtinebat sollemni ac pæne perpetuo, cornua Sociis data, aciem sic proprie dictam Romano militi? Sed illa media acies quam Romanos dicit tenuisse, triplex omnino fuit, ex *Hastatis* prima composita, secunda ex *Principibus*, tertia ex *Triariis*.

CAP. VIII.


Iterum de multiplici acie Romanorum tractatum, & qua in re differebant antiqua ordinatio sub Scipionibus, & nova sub Cæsaribus.

APpianus in Syriacis aciem illam Romanorum duce Domitio contra Antiochum describit, sed longe aliter quam Livius, ut videatur aut alios auctores sequutus, aut eos a quibus sumpsit parum assequutus. Nisi verius sit depravata ejus esse verba vitio librariorum sicut edita habentur. Quod mihi persuadeo esse verissimum. Sic autem scribit: Τὸ μὲν λαιὸν εἶχον ὁπλῖται Ῥωμαίων μύριοι παρὰ τὸν ποταμὸν αὐτὸν, καὶ μετ' ἐκείνους ἦσαν Ἰταλῶν ἕτεροι μύριοι, τρεῖς ἑκατέρων ἐπὶ βάθος. Dicit lævum cornu tenuisse Romanos, & post eos fuisse Latini nominis Socios. Utrumque falsum. Nam & Romani in media acie constitere, Latini in cornibus, non a tergo Romanorum quasi in subsidiis locati. Illud quippe μετ' ἐκείνους de his qui a tergo sunt, accipiendum videtur. Deinde quod addit, τρεῖς ἑκατέρων ἐπὶ βάθος significat utrorumque aciem tam Romanorum quam Latinorum sociorum ternos tantum peditum ordines in altitudine habuisse. Quod etiam falsissimum. Sed omnino corrigendum est in verbis Appiani, τὸ μὲν μέσον εἶχον ὁπλῖται Ῥωμαίων μύριοι, παρὰ τὸν ποταμὸν αὐτὸν, καὶ μετ' ἐκείνους ἑκατέρωθεν Ἰταλῶν ἕτεροι μύριοι. Τρεῖς ἑκατέρων τάξεις ἐπὶ βάθος. *Mediam quidem aciem tenuere Romanorum decem millia peditum, juxta ipsum fluvium. Utrimque Latinorum decem quoque millia adposita. Terni fuere amborum ordines in altitudinem dispositi.* De numero Sociorum & Romanorum inter Livium & Appianum convenit. Nam duæ legiones Romanæ juxta Livium fuere singulæ quinum millium, quæ decem millia efficiebant, ac totidem Sociorum Latini nominis. Τρεῖς ἑκατέρων τάξεις quoque terni ordines sive acies, per *Hastatos* nimirum, *Principes*, & *Triarios* dispositæ. Ergo tam Latinorum acies quam Romanorum hoc triplici ordine construebatur per *Hastatorum* manipulos, *Principum* & *Triariorum*. Vereor tamen ut satis hanc ordinationem veteris militiæ intellexerit Appianus, & ne τάξεις pro singulis ordinibus acceperit, ut etiam fecit Vegetius qui *ordines* & *acies* confundit, & in ternos ordines quas etiam *acies* appellat totum exercitum in latitudinem instructum nobis obtrudit. Quasi scilicet *Hastati* unum ζυγὸν, ut Græci Tactici vocant, eumque primum in fronte fecerint, *Principes* secundum, *Triarii* vero tertium ac postremum, ita ut tota acies de more non pluribus quam ternis ordinibus peditum in latitudinem sive altitudinem constructa fuerit. Ἐπὶ βάθος. Ita semper apud Græcos & illum ipsum Appianum. Eodem certe loco ubi Antiochi aciem describit, ita loquutus est, de phalange Macedonica: ἦσαν ἐπὶ τοῦ μετώπου πεντήκοντα ἄνδρες, εἰς δὲ τὸ βάθος δύο καὶ τριάκοντα. Quod Livius Latine reddidit, *a fronte introrsus in duos ac triginta ordines armatorum acies patebat*. Ubi militum ordinatorum κατὰ ζυγὸν simplicem seriem vocavit *ordinem*. Appianus vocem τάξις ita videtur usurpasse. Ne quidem τάξεις ibi nominavit quas ex conjectura addidimus, sed simpliciter dixit, τρεῖς ἑκατέρων ἐπὶ βάθος, quasi terni tantum pedites alii post alios ordinati, altitudinem, id est, τὸ βάθος aciei Romanæ constituerint. Si ita intellexit, maxime hallucinatus est. Quem etiam errorem videntur commisisse Frontinus, & alii rei militaris auctores Latini quos in epitomen redegit Vegetius. Idem Appianus aciem Romanam qua pugnatum est ad Cannas contra Hannibalem, in τρία μέρη divisam fuisse perhibet: Ῥωμαῖοι μὲν εἰς τρία μέρη τεταγμένοι μικρὸν ἀπ' ἀλλήλων διεστῶτες, καὶ μέρος ἕκαστον αὐτῶν εἶχε πεζοὺς ἐν μέσῳ, τοὺς δὲ ψιλοὺς καὶ ἱππέας ἑκατέρωθεν. *Romanorum acies tripertito instructa erat, modicis intervallis distincta. Singulæ partes in medio pedites habuere locatos, velites & equites ad latera utrimque.* An per *Hastatos*, *Principes & Triarios* instructam fuisse vult? Non puto. Nam cum μέρη in acie nominant Græci, de partibus aciei accipiunt quæ in fronte separantur, non quibus dividuntur plures a tergo acies subsidiariæ. Sic idem Appianus in exponenda acie Antiochi phalangem ejus in decem partes distinctam ait fuisse, εἰς δέκα μέρη. Et cum *tripertitam* aciem Latini dicunt, de triplici intelligunt, quæ in duo cornua in fronte divisa est ac mediam. Onosander in Strategico de triplici ad hunc modum acie intelligi debet, πρὸς οὓς αὐτοὺς τακτέον ὧδε. τριχῆ διελὼν τὴν ἰδίαν δύναμιν τοῖς μὲν δυσὶν ἑκατέροις μέρεσι κατὰ κέρας προσβαλλέτω τοῖς πολεμίοις, τῷ δὲ ἐπὶ τοῖς εἰς τὸ μέσον κόλπου τοῦ μηνοειδοῦς ἀντιπαρατεταγμένοις ἐναντίος ἱστάσθω καὶ μὴ προαγέτω. *Adversus quos hac instructione utendum est. Tripertito divisa acie, duabus quidem partibus, id est, cornu dextro ac sinistro cornua hostium invadat. Ea vero parte quæ opposita est sinui hostilis aciei in lunam corniculatam inflexæ, immotus maneat.* His tres aciei partes triplicem eam faciunt, non eo modo quo *Hastati* & *Principes Triariique* in antiqua militia eam triplicem reddebant, cum altera alteri a tergo subsidiaria collocaretur, sed quomodo in fronte tres in partes divisa cornu sinistrum ac dextrum habuit, mediamque inter cornua aciem. Vetus autem ordinatio Romanorum non solum tres acies separatas a tergo habuit, sed etiam in fronte tripertito divisas. Nam *Hastati* qui primam aciem constituebant, ipsi quoque in tres partes sub eadem linea distinguebantur. Mediam obtinebant legionis Romanæ *Hastati*, utrumque cornu Sociorum *Hastatis* dabatur. Idem de *Principum*, ac de *Triariorum* acie omnino dicendum. Non dubium igitur, quin prælio Cannensi Romanorum acies per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinata fuerit, more ordinandi qui tunc obtinebat. Tres illæ acies Romanorum subsidiariæ in-

vicem

vicem poſitæ, in tres quoque partes ſingulæ dividebantur, mediam tenentibus Romanorum *Haſtatis*, *Principibus* ac *Triariis*, duo cornua obtinentibus Sociis Latini nominis. Si nulli eſſent Socii in Romano exercitu, ſed acies inſtructa foret ex ſolis legionariis ac civibus, tum unica tantum acies in fronte fuit, ſine cornibus ſimplex, triplex autem in latitudinem in *Haſtatorum* ſigna & *Principum* & *Triariorum* diviſa. In pugna Latinorum contra Romanos, cum Romani nullos in exercitu Latini nominis haberent Socios, nec cornua ex his compoſita videntur habuiſſe, niſi ſi dicamus tunc aciem quoque ſuam tam in *Haſtatis* quam in *Principibus* quam in *Triariis* tripertito diviſiſſe in duo cornua & mediam. Nam & Livius *cornuum* in ea pugna deſcribenda meminit, ut & in omnibus aliis quibus Romani cum vicinis & aliis Italiæ populis primis reipublicæ temporibus decertarunt. Sic Romani cum in eodem exercitu parem nume-

A rum Sociorum haberent aut etiam duplo majorem, ut aliquando factum, mediam ſemper aciem ex tribus ipſi tenuerunt, *cornua* Sociis dederunt. Livius lib. III. prælio quo Romani cum Volſcis dimicarunt duce Fabio, tres ſeparatim acies inſtructas fuiſſe dicit, duas ex Sociis in cornibus, mediam ex Romanis civibus: *Poſtero die Fabius non permiſtam unam Sociorum Civiumque, ſed trium populorum tres ſeparatim acies circa vallum hoſtium inſtruxit. Ipſe erat medius cum legionibus Romanis. Inde ſignum obſervare juſſit, ut pariter & Socii rem inciperent, referrentque pedem ſi receptui cecinisſet*. Ternæ illæ acies ad eamdem lineam directæ fuerunt, ut ſemper tum fieri ſolitum, & ſingulæ triplices in altitudinem quoque compoſitæ ex *Haſtatis*, *Principibus* & *Triariis*. Ita cornu utrumque Sociorum triplex fuit, & media acies etiam triplex, ut forma ſubjecta oſtendit:



In acie Romana contra Volſcos duce Q. Fabio plus Sociorum fuit quam civium, adeo ut ex tribus partibus totius exercitus duas tertias facerent Socii, unam cives Romani. Sic duæ acies Sociorum, una fuit Romanorum. Et ſingulæ Sociales numero pares fuere, cum Romana ex civibus compoſita. Quod enim ut plurimum non plus Sociorum in acie haberent quam civium Romani, cum & in duas acies, ſive potius duo cornua, dividerent exercitum Socialem, ex eo fiebat ut ſingulæ Sociales acies dimidia parte minores eſſent acie Romana, quæ inter duo cornua media locabatur. Idque repræſentatum eſt figura ſuperiore, in qua ſingulares litteræ *Haſtatos* Sociales & Romanos denotant, *cornu ſiniſtrum* Sociorum, mediam aciem, & *cornu dextrum*. Item *Principes* Sociorum ac Romanorum, *Triarios* Sociorum ac Romanorum. Hic modus inſtructionis ab eo tempore quo contra Volſcos pugnatum eſt duce Quinto Fabio uſque ad tempus quo Domitii ductu contra Antiochum conflixerunt Romani, idem fuit, per annos circiter ducentos ſexaginta ſeptem. Longe etiam antequam Quintus Fabius & viveret & exercitum ductaret mos ille inſtruendæ aciei apud Romanos uſitatus fuit, cum ab ipſo Romulo inſtitutus videatur, utpote qui legionem in tria copora diviſam ſimiliter habuerit, ut ipſe primus talem prodidit, *Haſtatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Quod ſi verum eſt, ut de eo inter auctores convenit, aciem quoque pari modo inſtruere ſolitum eſſe illum oportet triplicem per *Haſtatos*, *Principes* & *Triarios*. Sed de his adhuc infra. Illud vero non eſt dubium, Quintum Fabium in bello contra Volſcos anno ab Urbe condita 294. ita aciem inſtruxiſſe, ſicut a Livio memoratur. Eodemque prorſus inſtructionis genere uſus eſt Domitius adverſus Antiochum anno Urbis 561. eodem Livio referente. XXXVII. Quo loco idem auctor aciem Romanam tam ex Civibus quam ex Sociis conſtantem, quæ novena erat, *veluti juſtam* appellat. Extra quam alia erat acies ex Auxiliaribus regis Eumenis & Achæorum æquata fronte diſpoſita ad eamdem

B lineam cum prima Romanorum & Sociorum acie, ac lævo cornui eorundem adplicata, ſi Appiano credimus. Nam Livius a dextra eos parte collocatos fuiſſe ſcribit. Extra hanc, inquit, veluti juſtam aciem a parte dextera conſul Achæorum cetratis immixtos Auxiliares Eumenis tria ferme millia peditum æquata fronte inſtruxit. In eadem hac parte dextra ultra hos pedites equitum tria millia ferme appoſita fuere. In lævo cornu nihil erat equitum aut auxiliarium peditum, quia ab ea parte flumen ripæque diruptæ claudebant. Verum de hac acie alibi. Illud ergo conſtat, more priſco inſtructionis in acie ordinanda Romana, novenas
C ſemper acies fuiſſe diſpoſitas, ter ternas ad eamdem lineam in fronte adæquatas, & ter ternas in profundum ad rectam quoque lineam directas cum paribus intervallis, ut figura ſuperius poſita teſtatur Ita novem acies ſeparatæ fuere quibus Romanus exercitus ad prælium inſtructus conſtabat, tam ex civibus quam ex Sociis compoſitus. Cum pari ferme ſemper numero eſſent Socii ac cives, ſex tamen erant Sociorum acies, cum utrumque cornu quod Sociis aſſignabatur triplex foret ex *Haſtatis*, *Principibus* & *Triariis* eorum conſtructus. Romana autem acies quæ ſemper in medio ponebatur &
D ipſa triplex ordinari ſolita ſuis *Haſtatis*, *Principibus* & *Triariis*. Et hæc acies proprie dicebatur. Ideo cum legimus apud eundem Livium triplicem inſtructam aciem Romanam de hac media acie ſemper id intelligendum, quæ triplex erat ex *Haſtatis*, *Principibus* & *Triariis*, non de cornibus Sociorum, quæ inter acies non numerabantur, nec numerum earum augebant. Et cum triplex quoque in fronte eſſet adjunctis utrimque Socialis exercitus cornibus ad mediam aciem Romanam, non tamen eo nomine triplex dicebatur, ſed quod introrſus duæ ſubſidiariæ ſequerentur una *Principum* & una *Triariorum* poſt primam *Haſtatorum*. Quæ
E in fronte diſpoſitæ fuerant ad eandem lineam directæ, atque intervallis inter ſe diſtantes non triplicis aciei appellatione ponebantur, ſed unam tantum aciem conſtituere videbantur, mediam nem-

pe quæ ex Romanis constabat legionariis sic proprie appellata, cum adjunctis utrimque cornibus Sociorum. Hæ partes potius aciei vocabantur, in quas frons erat divisa. Sic enim ipse Livius appellat lib. III. in pugna contra Volscos. *Equites*, inquit, *suæ cuique parti post principia collocat.* Græci quoque auctores, qui de rebus Romanis scripserunt, ut ante docuimus, τρεῖς tantum τάξεις in exercitu Romano faciunt, id est, tres acies, primam *Hastatorum*, secundam *Principum*, & tertiam *Triariorum* ἐπαλλήλους, atque invicem se subsequentes. Tres autem partes, id est, τρία μέρη in fronte, hoc est, duo cornua Sociorum cum media acie Romanorum. Socii igitur sive pari numero essent cum Romanis, sive ampliore, non augebant numerum Romanæ aciei, nec efficiebant ut plures dicerentur. Alloquin si singulas per se acies constituissent cornua Sociorum quæ & ipsa erant triplicia, senas ex se acies dedissent, ex singulis nempe cornibus ternas. Quæ junctæ cum triplici Romanorum acie, novemplex inde, non triplex exisset acies, ut alibi diximus. Ut enim alæ in avibus non corpus ipsum avis ut geminum sit aut trigeminum præstant, ita cum copiæ Sociorum in exercitu Romano pro alis essent, eoque nomine etiam appellarentur, corpus ipsum aciei Romanæ non duplicabant nec triplex reddebant, sed manente una acie quæ ex Romanis legionibus componebatur, acies Sociales quasi illius corporis appendices habebantur. *Cornua* etiam proprie vocabantur. Et hac in parte etiam notanda differentia antiquæ & novæ ordinationis. In nova ordinatione cum cornua in acie ex Romanis civibus ordinarentur, totidem acies inde existebant. Ex cornu utroque duplex, si media acies non esset interjecta, cum hac vero triplex. Sic hoc idem fuisset cum cornua ex Sociis constabant, & per *Hastatos* & *Principes Triariosque* instruebatur acies non triplex, sed plane novemplex, ut jam dictum est, acies emersisset. Cornu igitur dextrum & cornu sinistrum illo tempore, quo ex Sociis Latini nominis auxilia petebant Romani, de Sociali exercitu quo latera utrimque Romanæ aciei quasi alis muniebantur ac protegebantur, accipi debet. Nec audiendus Lipsius, qui petit vel unum sibi locum monstrari in quo accipiatur *cornu* ea significatione, qua peculiariter Socii notantur. Scire se dicit, & nimis meminisse *cornu dextrum*, & *cornu sinistrum* passim legi in acie, sem tam de legionibus quam de Sociis, nec de istis seorsim. Immo de istis eam vocem peculiariter sumi locus hic Livii testatur: *Romani mediam aciem, Latini cornua tenuerunt*. Et quid Polybius Sociorum exercitum in duas partes dividi solitum apud Romanos suo tempore scribit, εἰς τὸ δεξιὸν κέρας, καὶ τὸ εὐώνυμον. *in cornu dextrum & sinistrum?* Nec alio nomine melius Latine verteris, cum Livius ubique sic vocet, nec usquam apud illum nomina illa *cornu dextrum*, & *cornu sinistrum* in acie interpretari quis possit, nisi de Sociorum copiis, id est, Latinis. Scio *Alam* sæpe idem significare quod *cornu*, & indifferenter pro eodem utraque hæc vocabula usurpari, sed illud etiam novi, *Alam* proprie aliud esse quam *cornu*, & de iis Auxiliaribus sumi qui utrimque ad cornua adponebantur. Unde *Alares cohortes* pro Auxiliaribus, & *Alarii* absolute apud Cæsarem *Auxiliares* & a legionariis eo nomine distincti. Sed & equites qui utrimque in cornibus locabantur, *Alarii* etiam dicebantur, *& equitum Alæ*, cum tamen *cornua equitum* nusquam legamus. Vegetius lib. II. cap. I. *Equitum Alæ dicuntur ab eo, quod similitudinem alarum utrimque protegant aciem.* Atqui protegebant illi cornua ab utraque parte exercitus. Ergo *Alæ* etiam extra cornua, utpote cornibus adpo-

A sitæ tam equitum quam peditum Auxiliarium, vocabantur. Unde & utrisque nomen *Alarii*. Apud Cæsarem nullibi reperias *Alam dextram* aut *Alam sinistram* pro cornu dextro aut sinistro, sed semper isto modo. Cornua tunc ex Romanis legionibus componebantur, ut olim ex Sociorum copiis. *Socii* autem & *Auxilia* diversa. *Auxilia* ab alienigenis, & externa, mercede conducta: *Socii* Latini nominis, & gratuitam operam excepto frumento Romanis dabant, suo sumptu militantes. Plautus ita *Socios* cum *Auxiliis* jungit, ut faciat diversa. In Cistellaria Act. I. Scen. III.

B *Servate vestros Socios veteres & novos,*
Augete auxilia vestris justis legibus,
Perdite perduelles.

Ut servent Socios suos & augeant Auxilia, justis legibus, id est, juste imperando, *Auxilium* ibi deus exigit. Sic enim Socii conservantur, & exteri liberi populi libenter auxilia submittunt iis, quos vident justis legibus erga Socios & exteros uti. Socii præterea iisdem armis utebantur & ordinibus cum Romanis, ut ex hoc loco Livii constat, & legiones similiter habebant. *Romana*, inquit, *acies*
C *unius prope formæ fuit, & hominum & armorum genere. Duæ legiones Romanæ, duæ Socium Latini nominis erant.* Diserte indicat nihil dissimile in legionibus Sociorum fuisse, quod ad arma attinet, & ordines. Idem libro VIII. clarius docet, Latini nominis Socios *nihil dissonum a Romana republica habuisse præter animos*. Discordia tunc inter Latinos & Romanos inciderat, atque inde bellum, quod ille auctor civili ideo comparat. Habebant Latini suos *Hastatos*, suos *Principes*, & suos *Triarios* æque ac Romani. Sic enim eo loco scribit idem Livius de pugna, quæ inter Latinos & Romanos tum exorta est: *Scribebantur hæ qua-*
D *tuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecentis. Alterum tantum ex Latino delectu adjiciebatur, qui ea tempestate hostes Romanis erant, eodemque ordine instruxerant aciem. Tum nec vexilla cum vexillis tantum, universi Hastati cum Hastatis, Principes cum Principibus, sed Centurio quoque cum Centurione, sic ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat.* Hoc quod asserit Livius de paribus armis & ordinibus Sociorum Latini nominis & Romanorum, testimonio etiam Polybio confirmari potest, ita scribentis lib. III. de Tiberii exercitu, & ejusdem ordinatione ab eo facta, pro more qui
E tunc sollemnis ad pugnam instruendum: Τοὺς δὲ πεζοὺς παρενέβαλε κατὰ τὰς εἰθισμένας παρ' αὐτοῖς τάξεις, ὄντας μὲν Ῥωμαίους εἰς μυρίους ἑξακισχιλίους, τοὺς δὲ συμμάχους εἰς δισμυρίους. *Pedites vero instruxit juxta institutos ac sollemnes ipsis ordines, Romanos quidem milites ad millia sedecim, Socios vero Latini nominis ad millia viginti.* Quod satis tunc notum erat cornua ex Sociis ordinari solita, mediam aciem ex Romanis peditibus, ideo non id explicavit, nec distincte exposuit, cum simili modo ordinarentur Socii in cornibus, & Romani in media inter utrumque cornu acie, per
F *Hastatos*, nimirum, *Principes*, & *Triarios*. Meminit sane & paulo post cornu utriusque, quod equites protegebant, pedibus utrimque ad cornua circundati. Μετὰ δὲ ταῦτα, inquit, τοὺς ἱππεῖς ἐφ' ἑκάτερον θεὶς τὸ κέρας ὄντας εἰς τετρακισχιλίους ἐπῄει ὑπεναντίοις σοβαρῶς, ἐν τάξει καὶ βάδην ποιούμενος τὴν ἔφοδον· *Post illa equitibus utrimque ad cornua positis qui ad quatuor millia fuere, in hostem incedere magna cum gravitate cœpit, ordinatim & pleno gradu impressionem faciens.* Idem in describenda pugna qua Scipio cum Hannibale acie con-

tendit, ne Latini quidem nominis Socios nominavit, sed solos Romanos, cum tamen certum sit non sine Sociis instructam illam ab Scipione aciem, & cornua eos de more tenuisse, Romanis mediam aciem obtinentibus. Ita enim scribit Polybius: *Πλλὼ ὁ μὲν Πόπλιος ἔθηκε τὰς τάξεις τῶν ἰδίων δυνάμεων τὸν τρόπον τοῦτον. Πρῶτον μὲν τοὺς ἀστάτους, καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασιν, ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς πρίγκιπας. Et Publius quidem ita aciem instruxit: primo loco constituit Hastatos, eorumque manipulos cum intervallis, deinde Principes*. Tertio loco statuit nimirum *Triarios*, ut apud eum sequitur. Meminit & *cornuum* paulo post, & lævo quidem præpositum ait Cajum Lælium cum equitibus Italicis, Masinissam dextro cum Numidis quibus præerat. Si quis putat nullos habuisse pedites Sociorum Scipionem in illo exercitu, sane errat, quem nonnulli auctores teste Livio perhibent, triginta millia peditum in Africam transportasse. Errant etiam, si qui existimant in utroque cornu aciei a Scipione instructæ nullos fuisse præter equites. Immo pedites Sociorum Latini nominis cornua tenuerunt, quibus adjuncti equites in eadem serie. Sed de peditibus Socialibus ideo omisit Polybius & de utroque cornu ab illis composito, quia nunquam aliter ordinari solerent acies Romanæ quam per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* Romani militis qui in media acie collocarentur, ac per eosdem *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* e Sociis Latinis qui in cornibus disponerentur. Præterea hæc etiam ratio afferri potest, cur cornuum Socialium non meminisse soleat in acie Romana instruenda, quod illa cornua ex Sociis adpendices tantum esse viderentur Romanorum aciei. Nam si seorsum essent numerata illa cornua quasi quæ totidem acies facerent separatas, non triplex acies Romana, ut diximus, inde exiisset, sed plane noveniplex. Polybius autem semper & reliqui auctores *τρεῖς* tantum *τάξεις* in acie Romana numerant, primam *Hastatorum*, secundam *Principum*, ac tertiam *Triariorum*. Romani vero scriptores *triplicem* eam aciem appellant, ut Livius. Similiter idem Polybius lib. XIV. ubi pugnam commemorat Scipionis cum Hasdrubale in Hispania commissam, ita exercitus Romani sub Scipione instructionem describit, ut nec Sociorum meminerit in utroque cornu collocatorum, cum tamen satis liqueat & Socios in ea acie fuisse, & utrumque cornu, ut fieri semper solebat, occupasse. Ο *μὲν οὖν*, inquit, *Πόπλιος ἁπλῶς κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθηκε. πρῶτον μὲν τὰς τῶν ἀστάτων σημαίας, ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν Πριγκίπων, τελευταίας δ' ἐπέστησε κατόπιν τὰς τῶν τριαρίων. Publius in acie ordinanda sequutus est omnino Romanorum consuetudinem. Nam primos constituit Hastatos, post eos Principum manipulos, a tergo eorum Triarios posuit qui postremam aciem clauderent*. His verbis hoc voluit dicere: Romanorum *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* in media acie fuisse a Scipione collocatos, Sociorum autem Latini nominis manipulos *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* in cornibus, lævo quidem equites Italicos constitutos, dextro Numidas cum Masinissa. *Τῶν δὲ ἱππέων τοὺς μὲν Ἰταλικοὺς ἐπὶ τὸ δεξιὸν ἔθηκε, τοὺς δὲ Νομάδας καὶ Μασσανάσσην ἐπὶ τὸ λαιόν*. Fallitur quisquis opinatur cornua in illa acie nihil præter equites habuisse. Habuit etiam adjunctos pedites ex Sociis Latini nominis, sed eos tacite comprehendit Polybius, dum aciem Romanam per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* instructam memoravit. Pugnæ Cannensis hunc ordinem apud Romanos fuisse tradit Livius, *ut dextrum cornu Romani equites, deinde pedites lævum cornu, extremi equites Sociorum intra pedites ad medium juncti legionibus Romanis tenuerint*. Tametsi verbis Livii satis obscure exposita ~~fit~~ illa ordinatio, hoc tamen eum voluisse constat: Dextrum cornu ex equitibus Romanis, & peditibus Socialibus fuisse compositum, mediam aciem tenuisse Romanos. Huic adjunctos in lævo cornu pedites Sociorum, quod etiam extremi, id est, post pedites positi tenuerint Sociorum equites. Polybius hanc aciem describens more suo non separavit pedites Romanorum a peditibus Sociorum, neque cornua quæ pedites tenebant a media acie. Simpliciter tantum scripsit equites in cornibus fuisse locatos, pedites in medio, tam legionarios Romanos nimirum quam Sociales. Hæc ejus verba sunt: *Τοὺς μὲν οὖν τῶν Ῥωμαίων ἱππεῖς παρ' αὐτὸν τὸν ποταμὸν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρατος κατέστησε, τοὺς δὲ πεζοὺς συνεχεῖς τούτοις ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας ἐξέτεινε πυκνοτέρας ἢ πρόσθεν τὰς σπείρας καθιστάνων καὶ ποιῶν πολλαπλάσιον τὸ βάθος ἐν ταῖς σπείραις τοῦ μετώπου· τοὺς δὲ συμμάχων ἱππεῖς εἰς τὸ λαιὸν κέρας παρενέβαλε. Et Romanos quidem equites prope ipsum flumen in dextro cornu constituit, pedites vero continenter eis adjunctos æquata fronte extendit, magis consertis quam pro more ordinibus, & multiplicata altitudine in iis manipulis qui in fronte erant constituti. Sociorum autem equites in cornu sinistro instruxit*. Cum de manipulis in fronte collocatis dicat multiplicatos in iis ordines fuisse, satis ostendit & Sociorum in cornibus collocatos manipulos peditum, qui non ita multiplices habuerunt ordines. Vir Græce doctissimus & rei militaris antiquæ ac Romanæ peritissimus, non secus illa Polybii verba Latine reddidit, quam si utriusque rei in summa versaretur ignorantia. *Frons* & *μέτωπον* de media acie apud auctores Græcos Latinosque sumitur, quæ inter duo cornua posita est. Ita & Cæsar alicubi *frontem* appellat mediam aciem inter duo cornua collocatam. Sic enim capiendum est quod scribit libr. II. de Bel. Gall. *At totis fere a fronte & a sinistra parte nudatis castris, cum in dextro cornu legio duodecima, & non magno ab ea intervallo septima constitisset*. Cum eo tempore quo pugna illa pugnata est, de qua narrat Polybius, tantundem Sociorum ac civium in exercitu Romano esset, & Socii cornua semper tenerent, in duo cornua divisi, non æqualis numerus Sociorum in singulis cornibus esse potuit ac civium in media acie, sed alterum tantum in hac quam in illis fuit. Si ergo æque extendissent longitudinem cornuum ac mediæ aciei, duplo major altitudo in media acie fuisset quam in cornibus. Sin autem vellent æquali latitudine construere ordines in cornibus ac in media acie, tum frons cornuum non in parem longitudinem porrecta esset, sed duplo minorem, quam media erat acies. Contrarium factitatum est in acie Scipionis quam paulo ante ex Polybio retulimus. Nam multiplicati in ea ordines frontis, id est, mediæ aciei fuere, & duplo plures facti quam in singulis cornibus. Hoc modo longitudo par fuit singulorum cornuum, atque aciei quæ in fronte inter duo cornua patebat.

CAP. IX.

De cornibus Romanæ aciei veteris & novæ, ut illa in vetere sociis data sunt, in nova civibus.

UT ex iis quæ supra notavimus constat, eo tempore quo Romana respublica libertate florebat, semper in acie instruenda cornu utrumque assignatum est Sociis Latini nominis. Inter eos ac proprios cives Romanos non magnam differentiam ponebant, quantum ad fidelitatis attinet fiduciam. Eadem cum lingua & iisdem institutis tenerentur,

eodem etiam genere armorum atque eadem disciplina in bello utebantur. Ubi Italia civitate donata est, tum cornua data sunt civibus Romanis, quæ antea a Sociis Latini nominis obtineri solebant, mutata tamen ordinum & instructionis ratione, cum eadem nomina retinerentur. Quod ut melius clarescat, comparemus ordinationis antiquæ instiτutum cum novo. Sumamus eam ipsam ordinationem Livio memoratam lib. XXXVII. quam adhibuere Romani duces contra Antiochum: *Romana acies unius prope formæ fuit, & hominum & armorum genere. Duæ legiones Romanæ, duæ Socium Latini nominis erant, Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt. Hastatorum prima signa, deinde Principum erant, Triarii postremos claudebant.* Hæc vetus ordinum in acie constituendorum apud Romanos ratio. Ubi Socii illi Latini nominis civitatem acceperunt, in locum eorum successere Auxiliares exteri, sed ipsi cives Romani ad cornua in acie obtinenda translati, cum alia, ut dixi, ordinandi ratione. Cum enim Socii cornua tenerent, Romana civium acies medium obtinere consueverat, quæ & sola proprie acies dicebatur, ac triplex erat ex *Hastatis* qui primam, *Principibus* qui secundam, & *Triariis* qui tertiam constituebant, alteris post alteros positis. Similiter & in cornibus Socii eodem ordine collocabantur, cum in *Hastatos Principes* & *Triarios* haud secus ac Romani divisi essent. Præterea æquata fronte cornua Sociorum instruebantur cum media acie Romana. Ipsi etiam equites tam Sociorum quam Romani cum cornibus applicarentur, ut plurimum solebant æquata fronte cum peditibus constitui, ut ex multis locis Polybii liquet. Quinimo & ipsa Auxilia externa, si quando cornibus adjungerentur, in eadem linea longitudinis collocabantur, ut in illa ipsa acie factum est, de qua nunc agimus. Livius: *Extra hanc veluti justam aciem a parte dextra consul Achæorum cetratis immixtos Auxiliares Eumenis, tria millia ferme peditum æquata fronte instruxit.* Hoc est, quod lingua sua solet dicere Polybius, ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἐκτείνειν, vel ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας. Quod non aliter Latine debuit reddi quam *æquata fronte in longitudinem extendit.* Quod fit, cum in eadem linea quasi dirigitur frons aciei. Illi Eumenis Auxiliares, *Alarii* proprie fuere, alæ instar ad cornua adplicati, & extra cornua. Atque hæc proprie differentia inter *Alas* & *Cornua*. *Cornua* ante Sociorum Latini nominis, postea & militum Romanorum: *Alæ* quæ cornibus adjungebantur, Auxiliorum externorum. Livius tamem *Alam* sæpe nominat pro cornibus, id est, pro iis partibus, in quas dividebatur Sociorum exercitus, quæ Polybio κέρατα dicuntur. Sed unde id nomen hausit Græcus auctor, si Latinis ipsis eo sensu usurpatum non fuit ejus ætate vocabulum *Cornu*? In re quæ propria erat Romanorum exponenda, non est verisimile aliam vocem Græcam posuisse quam qua recte exprimeretur res Romana. Si *Alam* tunc dixissent Romani alteram partem ex duabus in quas dispertiebatur exercitus Sociorum, πτερὸν æque bene reddere potuit, ut κέρας. Nam & πτερὸν Græcis extremitatem quamlibet significat. Sed cum κέρατα vocavit partes duas exercitus Sociorum, ex eo scire est, & *Cornua* Latinis de duabus illis partibus adpellata. Putavit, si forte, Livius *Cornu* appellationem locum non habere, cum *Ala* etiam diceretur certus equitum numerus, alibi quam in acie. Quidni & peditum? Sic *Alas* vocaverit partes exercitus Socialis, etiam in castris positas, etiam in agmine incedentes. Idem tamen etiam *Alæ* nomen usurpavit pro cornu in acie instructa, libro XXXV. *Prima legio & sinistra Ala primo instructæ, & in longitudinem porrectæ acies.* Ibi *sinistra Ala* pro sinistro cornu Sociorum vel pro altera parte Socialium copiarum quæ sinistrum cornu solita esset tenere. Alibi *duas Alas* dixit pro duobus cornibus sive partibus, in quas divisus erat exercitus Sociorum e Latino nomine. Id enim quod alii dicere solent *a Cornibus circumvenire*, *ab Alis* dixit libro eodem: *Cætera a fronte pulsa, a tergo atque Alis circumventa acies.* Et quod utriusque vocis indifferentem notionem magis arguit, *cohortes Alares* lib. IX. posuit pro cohortibus Sociorum, cum *Alares cohortes* & *Alarii* non nisi de auxiliis externis ab auctoribus usurpari soleant. Tempore quo militia antiqua viguit, *Cornua* Sociorum erant, non *Alæ*. Alæ de externis Auxiliis dicebantur, non cornua, quia *Alæ* adponi & adplicari consueverant cornibus. Temporibus quibus Livius scripsit, cornua non amplius Sociis dabantur Latini nominis, quia nulli tum fuere Socii Latini in exercitu Romano. Quandoquidem vero, & *Cornua* tunc temporis solis civibus Romanis qui militabant, relinquebantur, idcirco & *Alas* de externis auxiliis quibus solis utebantur, dici mos fuit. Sed & olim ita nuncubantur proprie, quia cornua propria erant Sociorum Latini nominis, qui longe distabant ab exterorum auxiliaribus copiis. Hic ergo etiam distinguenda vetus militia a nova, quantum ad *Alarum* appellationem attinet. *Ala* olim tam de equitibus quam de peditibus Sociorum, quia eadem cum Cornu. Tempore etiam Cæsaris *Alarii equites* ac *pedites* de auxiliaribus dici obtinuit. Atque ipse ita loquutus est. Sed postea *Alæ* tantum equitum dictæ, & *Alarii equites* pro Auxiliariis. Et hi *Alarii equites* sive Auxiliares distinguebantur a legionariis, qui legionum corpori velut adnexi erant. Apud Tacitum & alios ejusdem ævi scriptores, quoties meminerunt *Alariorum equitum*, de auxiliariis ii sunt intelligendi. Immo ubicunque *Alam* nominant, certum est de equite auxiliarii accipi debere, non de pedite. Et male viri docti dubitant in Agricola, utrum *Ala* in his verbis de pedite intelligenda sit, an de equite: *Ordonicum civitas haud multo ante adventum ejus Alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat.* Nusquam *Alam* peditum apud illius temporis scriptores legere est, nec *Alarios* pro peditibus auxiliorum. Infinitis locis *Alarum* mentio occurrit in veteribus inscriptionibus, quæ alæ equitum sunt. Ubi sermo est de peditibus auxiliariis, *Cohortium* nomine fere semper appellantur. Loca congerere ex auctoribus tædiosum esset, & alii operi id reservatur. Nunc veterem & antiquam militandi & instruendi exercitus rationem per cornua conferamus & componamus. Iisdem nominibus res magnopere diversæ constiterunt. Duo olim cornua in exercitu Romano, cum acie quæ in medio, quæ & media acies, & sola proprie acies nominabatur. In ista vetere ordinatione acies illa media, prima etiam acies fuit, quia sola acies dicta est, utpote ex militibus Romanis constans. Media illa acies triplex etiam fuit, ex *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* constructa, qui trifariam divisi tres etiam acies; alias quippe aliis superstructas componebant. Si cornua Sociorum singulas etiam ac suas acies concinnassent, totidem ex singulis similiter cornibus exiissent, quia eodem modo copiæ eorum tripertito divisæ, & in triplicem aciem constructæ in prælium procedebant. Sic novemplex acies Romana semper instructa esset, ut jam dictum est, non triplex. Atqui nunquam majore numero quam trino acies Romanas illo ævo compositas stetisse legimus, quo per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* instructæ sunt. Livius lib. XXIII. *Triplex stetit acies Romana, peditum pars ante signa locata, pars post signa accepta, equites cornua cinxere.* An triplicem dicemus fuisse, ex duobus cornibus

& media acie compositam? Atqui certum est, mediam aciem solam extitisse triplicem, ex *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis*. Si triplex media acies, & cornua singula suam quoque ac peculiarem aciem construxerunt, sic quintuplex fuerit acies Romana. Dicit autem Livius in illa triplici acie Romana, peditum partem ante signa locatam, partem post signa acceptam. Sic duplex tantum fuerit acies ex *antesignanis* & *postsignanis* contexta. Sed de antesignanis & postsignanis paulo post. Nunc de cornibus & triplici acie Romana cum ipsis cornibus, rem exponamus. Alterutrum dicendum est, aut cornua Sociorum bina cum ipsa media acie Romana unam aciem confecisse, aut absque cornuum spectatione quæ veluti extra aciem erant, solos Romanos milites in acie media locatos eam triplicem constituisse, trifariam utpote divisos, in *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*, qui totidem acies instructi ad prælium dabant. Et hoc verum. Nam ut Alæ auxiliorum in recenti ordinatione acies per se separatas non condiderunt, ita nec in vetere cornua Sociorum, qui illius temporis auxiliares dabant Romanis copias. In vetere militia cornua, inquam, non computabantur inter acies, & media illa ex Romanis militibus composita, & proprie acies dicta, cum triplex esset, quæ in fronte erat, prima numerabatur. Hinc apud Livium quodam loco, qui nunc non succurrit, cum spatium, instante hoste, non esset ad instruendam aciem, præpostero ordine dextera Ala, id est, dextrum Sociorum cornu in prima acie locata est. Hoc est, mediam aciem tenuit, cum dexteram partem obtinere deberet. At in militia, qualis sub Cæsare vigebat, cornua numerabantur inter acies, quia ex Romanis militibus æque instruebantur, ac media. Sed & dextrum cornu pro prima acie computari solebat, media pro secunda, sinistrum cornu pro tertia vel postrema. De dextro cornu pro prima acie computato locus Cæsaris evincit lib. II. Belli Gallici, ubi sic scribit: *Cæsar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collocatis duodecimæ legionis milites confertos sibi ipsis ad pugnam esse impedimento vidit*. Paulo post *primam aciem* appellat, quod hic *dextrum cornu* vocaverat: *In primam aciem processit, centurionibusque nominatim appellatis reliquos cohortatus, milites signa inferre & manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent*. Si in dextro cornu prima acies ponitur, necesse est, ut proxima quæ media est, secundæ aciei nomen invadat, & sic tertia acies in lævo cornu consistat. In hac nova ordinandi ratione sæpe omissa media acie, sola cornua dextrum lævumque instruebantur, cum duplici tantum acie, non triplici decernere vellent. Tunc sinistrum cornu secundæ atque etiam postremæ locum habuit. Apud antiquæ militiæ sæculum, interdum etiam cornibus pugnabatur dextro ac sinistro, absque ulla media acie. Quod ex pluribus locis Livii constat. Sed cum supra docuerimus illo tempore cornua fuisse Sociorum, mediam Romanorum, ubi media acies nulla fuit, sed sola cornua, an Socios solos tum fuisse in exercitu Romano dicemus? Non sane, verum id quod obvium est, Socios fuisse tunc in exercitu nullos, sed ex solis Romanis constitisse aciem duobus tantum cornibus compositam. Exemplum unum & alterum ex Livio producam, ut de eo quod dicimus constet. Is lib. X pugnam commemorat, quæ inter Romanos & Samnites pugnata est. Galli cum Samnitibus erant contra Romanos. Ita instruxerunt aciem, ut Samnites in sinistro cornu, Galli in dextro consisterent. Ita eorum exercitus duplici tantum acie stetit, dextro cornu & sinistro. Romani similiter aciem suam in dextrum cornu & sinistrum divisere, quæ totidem hostium cornibus opponerent. Videntur nullas tam habuisse in eo exercitu Sociales copias, sed solas legiones suas Romani. Ita hæc narrat: *Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterant. Adversus Samnites Fabius primam ac tertiam legionem pro dextro cornu, adversus Gallos sinistro Decius quintam & sextam instruit*. Nulla hic mentio Sociorum. Legiones cum his numeralibus cognominibus Romanæ erant non Sociorum. Nulli ergo Socii in acie illa Romana fuerunt. In prælio quod inter Fidenates & Romanos commissum est, Vejentes qui cum Fidenatibus erant, dextrum cornu tenuere, Fidenates in sinistro constitere. Tullius similiter exercitum suum bipertito divisit, & opposuit Vejenti sinistrum suum cornu: Albanos in dextro consistentes, contra Fidenates direxit. Longa tamen differentia extitit in hac divisione priscæ ordinationis in dextrum & sinistrum cornu, & novæ instructionis. Interdum cum simplex est acies, nec in duas aut tres partes in fronte distincta, nihilominus tamen cornua ei attribuunt scriptores. Ut in pugna Romanorum cum Latinis quæ a Livio lib. VIII. describitur, Romani simplicem aciem habuere, quia Socii Latini ipsorum hostes tunc erant. Sed cum ipse Livius in Romanorum acie exponenda, non memoraverit in plures partes eam in fronte divisam fuisse, meminit tamen *cornuum* in ipso certamine. *Instructis*, inquit, *sicut ante dictum est, ordinibus processere in aciem: Manlius dextro, Decius lævo cornu præerat*. Nullam facit mentionem mediæ aciei. Quomodo igitur acies illa una & simplex videri potest, quam in duo cornua quasi duas acies manifestum est ex verbis auctoris divisam? An illa duo cornua duæ extremæ fuere partes sive anguli simplicis aciei? Ita certe oportet. Nam & κέρας interdum Græci sic sumunt. Et in phalange Macedonica quamvis in fronte distincta in partes non esset, suum tamen habuit dextrum cornu ac sinistrum. Id etiam manifesto colligitur ex acie Catilinæ, sicut ea instructa narratur Sallustio in Catilinario: *Octo cohortes in fronte constituerat, reliqua in subsidiis collocaverat*. Simplex illa in fronte acies, non duplex, nec triplex, utpote quæ in dua cornua & mediam divisa non esset. Et tamen Sallustius meminit paulo post dextræ & sinistræ partis: *C. Mallium in dextra, Fæsulanum quemdam in sinistra parte curare jubet, ipse cum libertis & colonibus propter aquilam assistit*, Duas partes sinistram & dextram aciei vocat, quæ quasi ejus duo cornua fuere, Ipse in medio propter aquilam constitit, quasi in media acie, cum una tamen esset, non triplex. Ita ergo cum Livius aliis locis cornu dextri & sinistri meminit in simplice acie Romana, de dextra ac sinistra ejus parte ea sunt accipienda. Auctor de bello Africano in simplici acie, ut diserte eam instructam a Cæsare memorat, utriusque cornu meminit his verbis: *Interim Cæsar aciem dirigit simplicem ut poterat propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit, Equites dextro sinistroque cornu opponit*. Sed de his iterum infra. In nova aciei instruendæ ratione dextrum & novum cornu duas acies faciebant separatas. Et qui eo modo exercitum instruebat dux, *duplici acie certare* dicebatur. Quod ex versibus Tibulli supra allatis liquet:

Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte
Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister.
Miles, sitque duplex gemini victoria casus,

De acie duobus cornibus instructa, & sic duplici facta intelligendum esse patet. In vetere ordinatione si duo cornua pro duplici acie numerata essent,

omnis acies quæ eo tempore instruebatur, cum etiam divideretur in duo cornua, non duplex tantum fuisset, sed sextuplex. Nam singula cornua triplicia fuere ex *Hastatis*, *Principibus*, & *Triariis*, in latitudinem constructa. At nemo unquam Latinus auctor nec Græcus de rebus Romanis tractans, *sextuplicis aciei* meminit. At si illa acies in duo cornua bipertita, mediam etiam aciem habuerit, ut frequentius factum est, tum *novemplex* acies exurget. Auctores autem talis aciei nusquam meminerunt, cum tamen si cornua bina in exercitu Romano totidem acies separatas efficiant, totidem acies, id est, novem omnino inde exoriri necesse sit, quandoquidem non aliter ordinatio tunc temporis procederet, quam triplex per *Hastatos*, *Principes ac Triarios*. Si media igitur acies triplex quæ ex civibus, singula autem cornua triplicia quæ ex sociis, sic novem acies ex duobus cornibus triplicibus, & ex media triplici emergant. Multum itaque refert, ut intelligatur, utrum acies in duo cornua fronte æquata quasi in duas partes divisa sit atque intervallis distincta, an illa duo cornua sic separata habeantur ut duas diversas acies constituant, quorum altera pro arbitrio ducis seorsim adversus hostem promoveri possit, altera ab hoste retrahi. Primo casu cum frons aciei in duas partes, id est, in duo cornua vel etiam in tres partes, si media acies inter utrumque cornu detur, hæ duæ vel tres partes ad eandem lineam directæ simul moventur in hostem, simul se recipiunt, & ad idem signum utrumque imperatores eodem omnes tempore pugnam incipiunt, & pugnare desinunt. Sic in exercitu Romano instructo ac trifariam diviso contra Volscos ductu Q.Fabii, ita mediam aciem hic imperator ex Romanis inter duo cornua Sociorum instituerat, ut medius cum legionibus Romanis signum inde observare juberet, quo pariter & Soci[i] rem inciperent, & pedem referrent, si receptui cecinisset. In posteriore vero instructione qua acies ita disparantur, ut æquatam non habeant frontem, sed altera subduci, altera produci in hostem alio atque alio tempore queat, tum totidem acies intelligendæ sunt, quot partes inæquali fronte habentur constitutæ. Antiqua militia priore modo fere semper acies ordinabat fronte exæquata ad eandem lineam rectam, quamvis in duas aut tres partes distinguerentur. Hujusmodi acies unius ferme fuit formæ, quæ eodem tempore in hostem ex tribus partibus procedebat, & quasi ad eandem lineam dimicabat, haud secus quam si nullis intervallis foret in fronte distincta. Phalanx Macedonum talis fuit, quæ interdum in duas partes in fronte dividebatur, id est, in cornu dextrum ac sinistrum, interdum in quatuor cum singulæ partes φάλαγγες & φαλαγγαρχίαι dicebantur. Interdum etiam in decem, ut in pugna Antiochi factum contra Romanos sub duce Domitio. Nemo dixit phalangem Macedonicam ita distinctam intervallis, plures acies ex se dedisse separatas. Una erat acies intervallis frontem pluribus aut paucioribus distinctam habens, quæ omnibus suis partibus æqualiter in hostem procedebat. Talis acies fuit Romanorum contra Antiochum instituta, quam licet mediam cum duobus cornibus, ut triplex videretur, & duplici subsidio a tergo tam in cornibus quam in medio suffultam Livius tamen pro una acie habet & quidem justa. Eam & unius formæ fuisse scribit. Quod unius formæ est, unum etiam corpus constituit, quia omnibus suis partibus & membris pariter & uno tempore movetur. Plures vero acies separatæ, & diversis temporibus ac locis in hostem incitandæ, ut non unius formæ sunt, ita nec unius corporis censentur, cum diversa efficiant corpora, & diversos habeant motus. Romana acies, hoc est, illa quæ ex Romanis civibus composita erat, & inter duo cornua Sociorum semper locari consueverat, quamvis distinctam in plures partes intervallis haberet frontem, simplex fuit ut æquali fronte, quantum ad faciem obversam hosti attinet, triplex autem a tergo, *Hastatos* sequentibus *Principibus* & *Principes Triariis*. Julius Africanus cap. 65. περὶ φάλαγγος ἀποτομῶν, *de intervallis aciei*, peditum exercitum ex tribus legionibus componit, hoc est, ex triginta cohortibus quingenariis quæ intervallis in fronte distinguebantur, quibus quini equites κατὰ ζυγὸν intrantes & exeuntes transmitti possent, cum tamen una acies & simplex esset, non multiplex. Ut autem sciremus intervalla illa non facere ut multiplex acies videretur, eas triginta cohortes sive πεντακοσιαρχίας ordinatas esse dicit εἰς παράταξιν εὐθεῖαν, id est, εἰς πρόσωπον ἢ μέτωπον τῆς φάλαγγος διακεχωρισμένας ἀλλήλων. Æquatam frontem illius aciei fieri solitam significat, ac proinde unius formæ esse aciem ac simplicem. Sed verum est φάλαγγος nomine eo loco intelligere Africanum phalangem Macedonicam, cum attribuat τριάκοντα δύο πεντακοσιαρχίας, quæ numerum cum peditum efficiunt quo phalanx constabat, nempe decem & sex millium. Triginta autem πεντακοσιαρχίας sive quingenarias cohortes in fronte collocat, duas ad latera, singulas ad unumquodque latus, ἐν δεξιᾷ καὶ εὐωνύμῳ παραγωγῇ, ut Græci Tactici, vocant. Quod infra explicabimus.

CAP. X.

Qua nota dignosci debeat, utrum acies simplex sit, an multiplex. Simplicem esse, quæ unius formæ est & æquata fronte, & vocari quadratam.

EX superiore observatione maxime elucescit, qua nota dignosci debeat *simplex* acies, & *multiplex*. Si unius formæ sit ac frontis æquatæ, quamvis in plures partes divisæ quæ totidem videantur acies, pro una tamen ac simplice debet accipi. Sin eæ partes ita longiore spatio separatæ habeantur, ut moveri etiam debeant non uno tempore, sed aliæ post alias, aut in diversis locis rem gerere, tum totidem acies in ea instructione sunt cogitandæ quot partes factæ sunt. Inde variæ & multiplices existunt instruendæ aciei modi ac formæ, quæ simplex est in illa ordinatione, in qua frons omnium partium exhibetur æqualis, & eodem tempore parique passu adversus hostem promovenda; quasi ad eandem lineam pugnatura. Simplex forma veteribus Romanis magis placuit, multiplex posterioribus. Illi omni loco & omni tempore eadem ferme forma ordinationis utebantur, & adversus omne genus hostium. Isti vero pro loco, pro copiis, pro genere hostium, pro genere armorum instructionem aciei variabant. Hoc est, quod Græci dicunt, Τάξις δὲ οὐ μία πολέμου, πολλαὶ δὲ καὶ διάφοροι, καὶ παρὰ τοὺς ὁπλισμοὺς καὶ παρὰ τοὺς στρατευομένους, καὶ παρὰ τοὺς τόπους, καὶ παρὰ τοὺς ἀντιπολεμίους. Aliter instruenda acies fuit Romanis contra Parthos quam contra Macedonas. Aliter in locis montuosis & angustis, quam in planis & patentibus. Aliter cum magis equitatu valent, & cum peditatu. Aliter in paucitate copiarum, & in numeroso exercitu. Alia etiam instruendi forma expedit in levi armatura, & in gravi. His diversis generibus & ordinum variis modis magis usa est recens Romanæ militiæ disciplina quam vetus. Hæc enim raro receptam, & usitatam sibi formam commutavit, nec nisi ex summa necessitate, sive castra metari oporteret, sive acie confligendum. Sed de castris in-

A fra. Nunc de acie tractandum. Vegetius lib. III. cap. XX. septem genera esse tradit, quibus publica pugna committitur. Primum numerat, *quo fronte longa, quadrato exercitu pugnabatur*. Hoc genus est, de quo Tibullus in versibus supra citatis:

Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Huic generi pugnæ usus erat, cum simplex acies instrui debebat. At simplex acies tum formabatur, cum duplex vel triplex fingi non poterat præ paucitate copiarum, ut ante docebamus. Nihil prohibebat tamen, & plures acies conjunctas æquata fronte constitui, & *in quadratum agmen*, ut loquitur Tibullus, B *consistere*, si omnes ad unam lineam in fronte dirigerentur. Quo genere ordinationis semper usos constat veteres duces, cum per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinatio procedebat. Media acies militum Romanorum, cum duobus cornibus Sociorum frontem æqualem ad eamdem lineam examussim directam ostendebat. Si accederent & alæ Auxiliorum exteriorum cornibus addendæ, in eadem serie fronte cum aliis adæquata adjungi solebant. Nunquam fere aliter, ut dixi, prisca militia ordines suos in acies expediebat. Quam longissime poterant, aciem exporrigebant, æquali fronte, C in qua omnes uno eodemque tempore qui in primo ordine constituti erant, manum cum hoste conserebant. Hoc multis locis confirmat Polybius, quæ alibi producentur. Uno & altero hic contenti erimus, quo res apertius declaretur. Ἐν μετώπῳ καταστῆσαι hoc vocat, *in fronte constituere* universum exercitum, quod de æquali fronte accipiendum, libro III. Τοὺς δὲ λοιποὺς ἐν μετώπῳ καταστήσας προῆγε βάδην. *Et Scipio quidem procurrere jussis jaculatoribus, & cum his equitibus Gallis, reliquas copias in fronte direxit, & paulatim sic adversus hostem incessit.* Idem fecit Hannibal: Τὴν μὲν κεχαλινωμένην ἵππον, καὶ πᾶν τὸ στάσιμον κατὰ τὸ πρόσωπον τάξας ἀπήντα τοῖς D πολεμίοις. *Equitatum frænis utentem, & universum stabile agmen ubi in fronte instruxisset, hostibus occurrit.* Hæc frontis ordinatio omnium copiarum, fiebat ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν, ut loqui amat Polybius, & subintelligendum γραμμήν. Ad unam rectam lineam dirigebatur tota frons aciei in certamen descensuræ. Sic enim ordinatus exercitus in longitudinem porrectus æqualiter, & uno tenore movebatur tam ex cornibus quam ex media acie, & contra hostem procedebat. Idem Polybius lib. III. de instructione pugnæ quæ ad Cannas edita est: Καὶ τοὺς μὲν ἐκ τοῦ μείζονος χάρακος διαβιβάζων τὸν E ποταμὸν εὐθέως παρενέβαλε. Τοὺς δὲ ἐκ θατέρου συνάπτων τούτοις ἐπὶ τὴν αὐτὴν εὐθεῖαν ἐξέταττε, λαμβάνων πᾶσαν τὴν ἐπιφάνειαν τὴν πρὸς μεσημβρίαν. Copias ex utrisque castris eductas conjunxit, & uno veluti rigore, ut loquuntur Gromatici auctores, continuatas in fronte direxit. Nec aliter illo tempore instructionis ordo procedebat, etiamsi ambo consules in exercitu simul essent, & copias suas conjungerent. Æquali enim fronte utriusque consulis legiones ordinabantur, junctimque in hostem pari gradu ibant. Cum bellum Romani in Samnio gererent, duobus simul consulibus, totidemque exercitibus, notat Livius non satis commode F instructos fuisse a parte Samnitum neque a parte Romanorum milites. Vitium vero Romanæ tum ordinationis hoc fuisse observat, quod non pariter ducti sunt ambo exercitus, sed alter post alterum, cum nimirum prior Volumnius concurrisset, quam Appius ad hostem perveniret. Quo ex facto id acciderat, ut inæquali fronte congrederentur acies. Verba Livii quibus hæc narrat, leguntur lib. X. in hanc sententiam: *Ab neutra parte satis commode instructi fuerunt. Nam & Samnitium dux Gallius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat, suoque imperio magis milites, quam cujusquam ductu aut imperio pugnam capessebant. At Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis temporis ad instruendum fuit. Prius concurrit Volumnius, quam Appius ad hostem perveniret. Itaque fronte inæquali concursum est.* Minus commode, nec legitime tum ordinatum fuisse vult Romanum militem, quia bini exercitus consulum æquata fronte instructi non essent, sed alter prius concurrisset quam alter ad hostem pervenire potuisset. Cum sic concurritur, non eodem tempore pugna committitur, sed acie bipertita, non junctis copiis, nec æquata fronte instructis dimicatur. In aliis omnibus generibus quæ recensentur a Vegetio, præterquam in hoc uno quod primo loco commemoravit, inæquali fronte concurrunt acies. Nam aut alterum cornu ad hostem promovetur, altero reducto: aut duo simul cornua incitantur in hostem, media acie retracta: aut e contrario media acies in anteriora versus hostem procedit, cornibus postvorsum reductis. His omnibus modis & aliis quæ recensentur a Tacticis, inæquali fronte ad congressum venitur. At si duo cornua cum media acie in eadem linea constituantur, & pari gradu ducantur, æqualiter ab omni parte quam longa patet acies, in hostem incedentes, hæc fit depugnatio, quam *fronte longa, quadrato exercitu* Catonis verbis Vegetius instrui solitam perhibet. Ut ecce quatuor legiones duorum consulum in aciem hujusmodi quadrata & æquata fronte directam instructæ procedant. Harum quatuor legionum *Hastati* mediam componant aciem, inter cornua collocatam, eandemque primam, quia hæc frons erat totius exercitus. Quatuor legiones accedant ex Socialibus copiis, quarum binæ in dextro cornu consistant, binæ in sinistro. Similiter harum Socialium legionum *Hastati*, cum media acie *Hastatorum* Romani militis, æquali fronte ordinentur, & in unam dirigantur rectam lineam. Remotis *Hastatis* qui primam aciem & frontem exercitus componebant, si minus in pugna prospere rem gesserint, tum *Principes* tam legionum Romanarum quam Socialium in medium progressi, & pariter æquali fronte instructi pugnam capessebant. Hoc idem *Triarii* facere soliti, si & *Principes* retro cedere cogerentur, impares hostium vi sustinendæ reperti. Hanc solemnem sub prisca ac libera Republica Romana ordinandi exercitus ac pæne perpetuam obtinuisse rationem Polybius ostendit his verbis ex lib. XIV. Ὁ μὲν οὖν Πόπλιος ἁπλῶς κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθηκε πρῶτον μὲν τὰς τῶν ἁστάτων σημαίας, ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν πριγκίπων, τελευταίας δὲ ἐπέστησε κατόπιν τὰς τῶν τριαρίων. Notandum quod ait ἁπλῶς hanc illis ordinandi fuisse consuetudinem, quo verbo omnino hoc eis in more & usu extitisse intelligit. Εὐθισμένας τάξεις, alibi vocat *solemnes ordines aciei instruendæ*. Ab his ordinibus raro recedebant, nisi cum aliqua necessitas ex loco vel ex hostili acie cujus forma resequenda esset, vel ex angustiis temporis cum parum spatii ad explicandos ordines haberent, mutare id cogeret. Cujus mutationis nos exempla aliquot in majore ac legitimo opere de Re militari proferemus. Diximus, cur *æquata fronte* instructa hæc appellata sit ordinatio, nunc docendum, cur *quadratæ frontis* appellatio ei aptata sit. *Quadrato exercitu* dicit Cato. *Quadratum agmen* Tibullus. *Quadratam frontem* hujus ordinationis Vegetius appellat. Quod non ita accipi oportet, quasi tantundem in fronte militum quantum introrsum habuerit, & sic æqualem longitudini acies in quadrum ordinata protulerit. Quam Græci τετραγωνισμὸν τάξεως appellant. Eam & alio modo procedere ajunt, cum numero

militum quadratus ordo non efficitur, ſed loci pedatura, quod ἐμβαδὸν iidem Græci vocant. Nunquam hunc τετραγωνισμὸν in acie inſtruenda Romani obſervarunt, nec eo ſenſu *quadratam aciem*, aut *quadratum exercitum* nuncuparunt, cujus latitudo æqualis eſſet in omnes adſpectus longitudini, ſive ex numero militum oriretur ea quadratura, ſive ex loci facie. *Quadrata ligna* Latini dicunt de trabibus quamlibet longis, quæ lateribus tantum ſint quadratis. Et *quadratum ſaxum* vocatur quod longius eſt quam latus, quamvis cubi figuram non ferat. In oblongo, quod quadratum eſt, ſic etiam dicitur. Et hæc forma eſt exercitus quadrati, cui ſatis eſt, ut hoc nomen gerat, frontem habere recta linea exæquatam, & ad extremitates angulos rectos. Quæ ſic exæquatam frontem habebat acies, & rectos angulos ad extremitates, *quadrata fronte* eſſe dicitur Vegetio lib. cap. 61. *Qui multitudine & virtute præcedit, quadrata dimicat fronte, qui primus eſt modus*. Hinc *acies quadrata* eidem Vegetio vocatur, quæ quaternos introrſum habet ordines, lib. I. cap. 26. ubi docet quomodo exerceantur tyrones, ut in acie ordines & intervalla cuſtodiant. In eo exercitio diſcebant primo tyrones, quomodo in ſimplici ordine ita conſiſtendum eſſet, ut nec nimium conferti ſibi invicem eſſent impedimento, neque rurſus nimium inter ſe diſtantes, rara & interlucente acie aditum hoſtibus qua ordines perrumperent, darent. In ſimplici ordine hoc primum experiebantur, deinde in duplici, mox in quadruplici. *Quadratam hanc aciem* vocat, hoc eſt, quaternis introrſum ordinibus conſtantem. *Producendi ergo*, inquit, *tyrones ſunt ſemper ad campum, & ſecundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi, ita ut primo ſimplex extenſa ſic acies, ne quos ſinus, ne quas habeat curvaturas, ut æquali legitimoque ſpatio miles diſtet a milite. Tunc præcipiendum, ut ſubito duplicent aciem, ita ut in ipſo impetu, is ad quem reſpondere ſolent, ordo ſervetur. Tertio præcipiendum, ut quadratam aciem repente conſtituant*. In his verbis, ne fallaris, *acies* non eſt accipienda, ut vulgo ſumitur, de exercitu inſtructo, ſed de ordine uno inſtructionis. Idem ergo hic *acies* quod ordo. Sic in lege quadam Conſtantini in Codice Theodoſiano, *acies columnarum* ponitur pro ordine columnarum, quem ςίχον Græci appellant. Unde πεντάςιχοι porticus, in quibus quini columnarum ordines, & τετράςιχοι, quæ quaternos habent. Græci quoque recentiores ἀκίαν eo ſenſu uſurpant in libris ſuis τακτικοῖς, & ὄρδινον interpretantur, id eſt, ordinem. Simplex ergo acies apud Vegetium eſt ſimplex ordo militum extenſus in fronte, & exæquatus quaſi ad lineam, ut in ea ſtent milites, ſerventque ordinem incedendi. Si duplicetur acies eo ſignificatu ſumpta, duplex ordo evadit. Hic ſi iterum duplicetur, quadruplex fit. *Quadratam aciem* appellat Vegetius, id eſt, quaterno ordine conſtructum exercitum. Nam modo *aciem* pro ſingulari ordine ponere ſolet auctor ille, modo pro exercitu ordinato. lib. III c. 15. *ſex acies* dixit pro ſenis ordinibus, in quos introrſum patet exercitus ordinatus. At capite ſequenti *aciem* vulgato Latinorum loquendi more poſuit pro exercitu inſtructo, cum dixit ducem habere debere *poſt aciem in ſubſidiis lectiſſimos milites præparatos*. Ex his perſpicuum eſt *quadratum exercitum*, & *quadratam* dici Latine *aciem* ita inſtructam, cum latitudo, vel ſi mavis altitudo, quaternorum tantum ſit ordinum, quantumlibet ejus frons longiſſime exporrigatur. Et ſcio in vetere militia non plures vulgo ordines in unaquaque acie poni ſolitos, ut dicam infra cum ordines Romani exercitus explicabimus. Sciendum porro eſt æqualitatem frontis in exercitu quadrato minime eo impediri, quod in plures partes diviſa ſit, aut pluribus intervallis diſtincta. Hoc enim tantum requiritur, ut frons æqualis ſit, ne quos ſinus, aut ne quas curvaturas habeat: ne pars aliqua in anteriora ſeſe exporrigat, dum altera recedit, aut etiam immota manet. Talis eſt aliquis depugnandi modus, ſed non is eſt, qui æquata fronte longiſſime extendit aciem. Ut in phalange Græcorum vel Macedonica quamvis in medio τομὴν habeat, & diviſa ſit in duas partes, dextram & ſiniſtram, quibus nomen *dextri & ſiniſtri cornu* quoque datum eſt, unum tamen & continuum corpus cenſetur, etiamſi plures in fronte diviſiones vel intervalla accipiat, ut ſæpe olim factum. At ſi unum ex phalange cornu ulterius procederet, remanente vel recedente altero, tum duæ ſeparatæ acies inde exiſterent, ſicut ſæpius Romanis ducibus frequentabatur, cum ex duobus cornibus, duas acies diſtinctas ac diverſas efficerent, aut ex duobus cornibus & media acie triplicem componerent, in qua tripertito ſigna in hoſtem inferebant & manus conferebant. Sed hoc in nova militia ut frequentiſſimi uſus fuit, ita in vetere rariſſime uſurpabatur, cum una fere uterentur depugnatione, quæ fronte longa, quadrato exercitu aciem extendere conſueverat. Vegetius de ea loquens verbis ipſis Catonis uſus eſt. Sic enim ſcribit, dum recenſet quot generibus pugna publica committatur: *Depugnationum ſeptem ſunt genera vel modi, cum infeſta utrimque ſigna confligunt. Una depugnatio eſt fronte longa, quadrato exercitu, ſicut etiam nunc & prope ſemper ſolet prælium fieri*. Hæc verba citata a Nonio reperiuntur, ex libro Catonis de Re Militari, in voce *Frontem: Una depugnatio eſt fronte longa, quadro exercitu*. Et certe in pleriſque Vegetii vetuſtis exemplaribus ſcriptum invenitur, *quadro exercitu*. Hoc igitur ibi voluit Cato, unam eſſe apud Romanos depugnationem, ſive pugnæ ordinationem, quæ fronte longa, & quadrato exercitu explicaretur, cum apud Græcos variæ eſſent inſtruendi formæ. Quando adjicitur a Vegetio, *ſicut etiam nunc & prope ſemper prælium ſolet fieri*, ex eodem Catone eſſe deſcriptum videtur, qui verba faciens de re militari priſcorum Romanorum, unam iis depugnationem uſitatam ſcripſerat, addideratque etiam ſuo tempore ſic prope ſemper prælium fieri. Nam ſi ad ætatem qua ſcripſit Vegetius hæc referas, falſiſſimum erit quod poſitum eſt. Si ad ſæculum Cæſaris revoces, quo jam immutata erat priſca ordinatio, non magis verum fuerit quod pronuntiavit Vegetius. Uſitata quidem etiam tum hæc forma fuit, ſed non adeo, ut dici queat prope ſemper ea prælium fieri ſolitum. Unus Cæſar in commentariis ſuis de Bello Gallico & Civili, de falſitate hujus ſententiæ teſtari poſſit. Ubicunque enim apud eum mentio occurrit aciei duplicis ac triplicis cum utroque cornu & media acie, quæ frequentiſſima apud eum ordinandi ratio, de ea ordinatione quæ fronte longa & quadro exercitu adornatur, accipi nullo modo poteſt. Olim tam cornua Sociorum quam media acies Romanorum quæ in fronte dirigebatur, ex *Haſtatis* Alariis & Legionariis, compoſita erat, qui omnes uno tempore pugnabant, & idcirco omnes in eadem linea æquata fronte conſiſtebant. Quæ depugnatio dicebatur *fronte longa, quadro exercitu*, ut a Catone vocatur. Cæſaris ætate, & ſequentium Imperatorum, nunquam vel in duo cornua diviſus legitur exercitus, vel in duo cornua & aciem mediam, quin inæquali fronte ordinationem directam intelligi oporteat. Hujus rei fidem facere maxime idoneus Tibullus iis verſibus quos ſupra produximus, ubi aciem quadratam, & recto ordine, æquatis frontibus decurrentem, ei opponit quæ per ſiniſtrum & dextrum

dextrum cornu solet instrui:

Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.
Seu libeat duplici sejunctim cernere marte,
Dexter uti lævum tentet, dextrumque sinister
Miles. ——

Acies bipertito in duo cornua divisa, in qua diversis locis sejunctim dimicabatur, non potuit habere frontem æqualem. E contra exercitus, in quo duo cornua cum media acie unam veluti aciem constituebant, & in quo omnes simul junctim pugnabant, semper æquata fronte constitit. Talis depugnatio antiquorum, qua prope semper teste Catone utebantur Romani, quo tempore id scribebat. Mutata re militari nunquam hæc forma celebrata est, nisi si quando simplici acie decertaretur. Si duplex fieret aut triplex, inæquali fronte semper solebant dirigi, quia prælium æqualiter in omnibus partibus non solebat inchoari, nec eodem tempore, sed modo a dextro cornu exordium pugnæ fiebat, modo a sinistro, interdum & a media acie. Si ab omnibus simul partibus eodem tempore dimicatio inciperet, cum separatæ essent acies, & altera magis promoveretur, altera recederet, æqualitatem frontis præferre non poterant. In fronte longa & quadro exercitu una semper forma & facies pugnæ servabatur, sive, ut loquutus est Cato, *una depugnatio*. Ex acie in duo cornua separata, & sejunctim, sive bipertito instructa, quinque ordinationis schemata oriuntur. Aut enim dextro cornu ad hostes promoto, sinistro submoto, obliqua acie confligitur, quæ Græcis λοξὴ φάλαγξ dicitur. Figuram habet lateris libellæ fabrilis. Sic enim legendum apud Vegetium, lib. III. cap. 20. *Ad similitudinem autem lateris libellæ fabrilis acies in hoc dimicandi genere constituitur*. Perperam hodie legitur in vulgatis Vegetii exemplaribus, *ad similitudinem A litteræ vel libellæ fabrilis*. Nec enim similitudinem habet hæc depugnatio litteræ A. vel libellæ fabrilis, sed lateris tantum vel litteræ A, vel fabrilis libellæ, hoc modo: /. Huic contraria forma, sed adæque alter lateri libellæ similis existit, si sinistrum cornu tuum cum dextro hostili junxeris, & dextrum removeris in hunc modum: /. Tertia dimicatio est ex duobus cornibus, cum alterum in prima fronte constituitur, alterum a tergo seponitur quasi ad subsidium. Ex quo duæ exeunt formæ, cum dextrum præponitur sinistro, aut sinistrum dextro. In formam veru, vel litteræ jota hæc acies porrigitur hoc modo I. Eam ita describit Vegetius lib. III. cap. 26. *Qui nec numero militum, nec virtute confidit, si depugnaturus est, de dextra sua sinistram alam hostium pulset, reliquis suis porrectis in similitudinem veru*. Respondet ei ordinationi, quam Græci ὀρθίας φάλαγγος nomine nuncupant, ut alibi ostendam. Quinta est, quam πλαγίαν iidem Græci vocant, & quæ eadem ferme est cum ea Romanorum, cui frons longa & quadrata tribuitur. *Transversam* Latine liceat dicere. Sic *transversa Principia* dicuntur Sallustio de exercitu ordinato, quod tamen aliter supra exposuimus. Cum Metellus agminatim exercitum duceret, & longo quidem agmine, ex improviso hoste conspecto, repente commutatis ordinibus qui ὀρθίως, vel ut iidem Græci dicunt, ἐπὶ κέρως incedebant, *transversa Principia* fecit, hoc est, πλαγίαν φάλαγγα, ut supra explicavimus. Eam Græci definiunt, πολλαπλάσιον ἔχουσαν τὸ μῆκος τοῦ βάθους, quæ frontem in longitudinem exporrectam habet, & latitudinem habet longe minorem longitudine. In triplici acie, quæ cornibus & media acie separatis invicem constat, easdem omnes facies & σχήματα formare liceat atque in duplici, & duas præterea quas duplex acies in duo cornua tantum divisa ferre non queat. Aut enim media acies admovetur propius hostes, stantibus aut reductis retro ambobus cornibus, quæ κυρτὴ φάλαγξ est Græcorum, aut e contra duobus productis in hostem cornibus media acies dum lentius procedit, ea figura existit quam Græci κοίλην φάλαγγα nominant. Hæc septem sunt genera depugnationum, quæ Romani recentiores e Græcorum τακτικῇ mutuati sunt, cum antiqui una illa ac simplicissima prope semper uterentur, quæ fronte æquata & longa dirigitur.

CAP. XI.


Quadratam aciem Romanis eam dictam fuisse, quæ frontem haberet quadratam, non quæ forma πλινθίου esset ordinata, ut acies Crassi fuit ἀμφίστομος vel ἀντίστομος.

QUadratam aciem veteres Romanos vocasse longe alia significatione quam qua Græcis τετράγωνος τάξις appellatur, aut πλινθίον vel πλαίσιον, in superioribus demonstravimus. Nam quadrata acies ea dicebatur Romanis, quæ quadratam tantum frontem haberet, & ita adæquatam ac directam, ut sunt singula quadrati latera, quod est ἰσογώνιον. Lipsius tamen in opere de Militia Romana, quo loco varias instructionis formas enumerat atque explicat, *quadratæ simplicis* nomine donavit eam ordinationem, qua Crassus contra Parthos aciem instruxit. Quod Plutarchus ἀμφίστομον & βαθὺ πλινθίον appellat. Certe Græcis τακτικοῖς πλινθίον vocatur, quod τετράγωνον habet schema, in quo ex omnibus lateribus in hostem conversi milites pugnant. Sed Plutarchus non simpliciter πλινθίον appellavit eam instructionem quam tum Crassus adversus Parthos adhibuit, sed ἀμφίστομον πλινθίον dixit, quæ instructio ex duobus tantum lateribus pugnantes præbet, sive terga sibi invicem obversa habent in media instructionis pedatura. Arrianus: Ἔστι δὲ ἡ ἀμφίστομος φάλαγξ, ἡ τὰς ἡμισείας τῶν ἐν τοῖς λόχοις ἀνδρῶν ἀπεστραμμένους ἀπὸ σφῶν ἔχουσα, ὡς ἀντινώτους εἶναι. Quod ait ergo Plutarchus duodecim cohortes in illa acie Crassi unumquodque latus tenuisse, non de quatuor lateribus id intelligendum, sed de duobus tantum, ut in ἀμφιστόμῳ accipi necesse est. Sic viginti tantum quatuor cohortes fuere in illa quadratura, duodecim ab uno latere, totidem ab altero. Crassus deprehensus in latis & patentibus campis contra innumerabilem Parthorum equitatum, statuerat primo de Cassii sententia per plurimum campi quam posset longissime aciem exporrigere, ne ab equitatu Parthico circumiri posset. Hæc est ipsa quam supra explicavimus ordinatio, quæ fronte longa & æquali, quadrato exercitu extenditur, soletque rara ac tenuis esse, utpote in longitudinem expansis copiis, ex quo fit, ut quantum longitudini additur, tantum latitudini detrahatur. Unde tenuatur acies, paucis introrsum ordinibus fundata. Hoc genere aciem instruere cum primum placitum esset Crasso, postea in contrariam faciem ordines commutavit, contractis in artum copiis in profundum πλινθίον coactis, atque in faciem ancipitis, hoc est, ex utroque latere dimicantis aciei redactis, quam Græci ἀμφίστομον παράταξιν vocant. Atqui hanc aciem *quadratam simplicem* Lipsio nominari placuit, cum illa potius, qua antea uti voluerat ex Cassii sententia maxima longitudine directa, sic vocanda esset. Verba Plutarchi Græca hic subjun-

gemus, deinde ea exponemus, in quibus interpretandis tantam infantiam prodidit summus vir Lipsius, ut appareat plane id nescisse de quo tractandum suscepit in eo opere: *Ἅπαντες μὲν οὖν ἐθορύβησαν. Ὁ δὲ Κράσσος ἐξεπλάγη παντάπασι, καὶ διὰ σπουδῆς οὐ πάνυ καθεστηκὼς παρέταττε πρῶτον μὲν, ὡς οἱ περὶ Κάσσιον ἠξίουν, ἀραιὰν τὴν φάλαγγα τῶν ὁπλιτῶν ἐπὶ πλεῖστον ἀνάγων τοῦ πεδίου πρὸς τὰς κυκλώσεις, τοὺς δ' ἱππεῖς διανέμων τοῖς κέρασιν. ἔπειτα μετέδοξε, καὶ συναγαγὼν, ἀμφίστομον ἐποίησε, καὶ βαθὺ πλινθίον, ἐν δώδεκα σπείραις προερχομένης τῶν πλευρῶν ἑκάστης, παρὰ δὲ σπεῖραν ἴλην ἱππέων ἔταξεν, ὡς μηδὲν ἔχοι μέρος ἐνδεὲς ἱππικῆς βοηθείας, ἀλλὰ πανταχόθεν ὁμαλῶς προσφέροιτο πεφραγμένος.* Quæ verba sic Latine reddenda fuerunt: *Omnes tum quidem perturbati sunt: sed Crassus præcipue stupore quasi defixus stetit, & festinanter ut non satis mentis compos instruxit aciem. Ac primo quidem, ut Cassius censuit, raris ac laxis ordinibus, peditum stabile agmen in maximam longitudinem per campum porrexit, equitibus ad cornua dispertitis, eo consilio ne circumveniretur ab hostibus. Postea mutata sententia, contractis in arctum copiis, bifrontem & altum composuit laterculum, decurrentibus per singula latera duodenis cohortibus. Ad unamquamque cohortem turmam equitum adjunxit, ut ne qua pars equestri præsidio indigeret, sed undique æqualiter tutus tectusque in hostes inveheretur.* Libuit ipsa Plutarchi verba subjicere, quia in his explicandis mirum quantum allucinati sunt viri eruditione summi. Ex eodem Plutarcho notandum septenas legiones tum exercitu habuisse Crassum. Cum adversus innumerabilem Parthorum multitudinem, qui & equitatu præcipue valebant, dimicaturus esset in campis patentibus, ante omnia illud cavere debuit, ne a multitudine circumveniretur. Duo erant quibus id vitari poterat, quæ & plurimum prosunt adversus *κυκλώσεις*, ut aut quam longissime exporrigeret aciem, sed raram ac tenuem, id est, minime confertam, & paucis ordinibus introrsus constantem, aut ut bifrontem eam construeret, id est, duplici fronte pugnantem, & ordinibus multiplicatis fundatam. Prius primo placuerat ex Cassii sententia. Postremo magis probavit posteriorem ordinationem, qua & usus est. Eam ordinationem Græcus scriptor, *βαθὺ* & *ἀμφίστομον πλινθίον* appellavit. Tota explicatio inde pendet, ut sciatur, quid sit *ἀμφίστομος* acies apud Græcos. Ælianus eam esse dicit quæ e duobus lateribus pugnantes ostendit, quam & eo nomine ab ea quæ *ἀντίστομος* appellatur, distinguit, quod hæc non ex duobus lateribus pugnet, sed ex duplici fronte. Sed alii auctores Tactici hoc discrimen ignorant, qui ita *ἀμφιστόμου φάλαγγος* meminere cum alto silentio ejus, quæ dicitur *ἀντίστομος*. Nimirum ita senserunt eamdem esse *ἀμφίστομοι* & *ἀντίστομον*. In his Arrianus est, & Onosander, & ille incertus auctor cujus libellus vocabulariis Græcis vulgo subjectus legitur. Et sane *ἀμφίστομον* ita definiunt, ut eandem omnino videri necesse sit cum *ἀντιστόμῳ*, eam nempe esse instructionem quæ *τὰς ἡμισείας τῶν ἐν τοῖς λόχοις ἔχει ἀπεστραμμένας ἀπὸ σφῶν, ὡς ἀντινώτους εἶναι* Ordo qui *λόχος* Græcis vocatur, ipsos ordinis ductores in fronte exhibet hosti obversos. Si *ἀμφίστομος* fiat acies, dimidia hujus ordinis pars, terga obversa habet alteri dimidiæ parti, quæ a tergo instantes hostes ipsa repellit, & cum his congreditur. Onosander non minus clare & *ἀμφίστομον* eandem cum *ἀντιστόμῳ* statuit, cum sic fieri eam scribit, ubi qui agmen claudunt, terga sua obvertere incipiant tergis eorum qui in fronte sunt collocati: *ἢ καὶ παραγγέλλῃ τοῖς ἐφεστα[μ]ένοις ἤδη κυκλοῦσθαι τὰ νῶτα τοῖς τῶν προηγουμένων νώτοις ἐγκλίνοντας ἀμφίστομον ποιεῖσθαι τὴν μάχην. Aut cum præceperit, qui jam ab hoste circumventi sunt, ut ob terga præcedentium sua obvertant terga, & pugnam ex duplici fronte capessant.* Si quis nominis Græci vim spectet, non alia significatione utrumque dicitur. Nam *ἀμφίστομος* est, quæ utrimque frontem habet; *ἀντίστομος* autem, quæ frontem fronti habet oppositam, ac proinde geminam. Certe instructio in qua e duobus lateribus dimicatur, ea latera habet pro frontibus. Quid enim distant latera a fronte, præcipue in quadrata pedatura, & æquilatera? Frontes quippe sunt, non latera, quæ pugnatores habent cum hostibus concurrentes. Quomodocumque *ἀμφίστομος* intelligatur, illud certum est duo tantum latera in ea extitisse, sive duas frontes. *Πλινθίον* quod tunc Crassus contra Parthos instituit, non solum *ἀμφίστομον* fuit, id est, duplici fronte constans, ante & a tergo bellatores exhibens hostibus obversos, sed etiam *βαθὺ*, altum ac profundum. Altitudo illa plinthii ex multiplici ordinum serie contexta erat. Prima frons duodenas cohortes habuit, altera totidem. Sic universum *πλινθίον* vicenis quaternis cohortibus constructum fuit, duodenis in anteriorem partem tendentibus, & duodenis in posteriorem. Ut anterior pars ex duodenis cohortibus composita, frontem habebat hosti contraversam, ita & posterior similiter hostes a tergo imminentes fronte infesta propulsabat. Hoc est, quod dicit Plutarchus, *ἐν δώδεκα σπείραις προερχομένης τῶν πλευρῶν ἑκάστης. Unoquoque latere sive fronte in duodenis cohortibus decernente.* Ad singulas cohortes utriusque frontis in lateribus turmam equitum apposuerat Crassus. Sic equites utrisque hujus *πλινθίου* lateribus adstiterant, ut ea protegerent. In utraque fronte pedites constiterant. Sic quatuor & viginti tantum cohortes in illo *πλινθίῳ* fuere, hoc est, legiones duæ cum quatuor cohortibus. Quid igitur factum fuit reliquis quatuor legionibus cum sex cohortibus, cum tradat Plutarchus septenas legiones in exercitu Crassi fuisse, hoc est, cohortes septuaginta? Lipsius qui undique in illo plinthio, hoc est, per quatuor latera duodenas legiones dispositas fuisse voluit, octo & quadraginta cohortes inde efficiebat. Restant tamen adhuc viginti duæ. Quid illis factum? Ubi illas collocabit? In media quadratura ad subsidium sitas suspicatur. Quod est ridiculum. Ut qui medio laterculo concluserant, subsidio fuerint iis a quibus claudebantur. Quis dixerit medios in acie ordines subsidiarios esse primis & postremis? Non animadvertit vir doctissimus, Crassum triplicem aciem tum instruxisse, & id Plutarchum diserte dicere Duo cornua cum media acie, & sic tres acies contra Parthos direxerat. Uni cornui Cassium præposuerat, alteri Crassum filium. Ipse in media acie constiterat. *Τῶν δὲ κεράτων*, inquit, *τὸ μὲν Κασσίῳ, τὸ δὲ τῷ νέῳ Κράσσῳ παρέδωκε, αὐτὸς δὲ εἰς μέσον κατέστη.* Ergo totidem plinthia, quot acies, construxerat. Nec enim aliter fieri poterat. Et ridiculum est cogitare in unum plinthium tres illas acies conclusas fuisse. Unumquodque plinthium viginti quatuor cohortes habuit, duodenas in singulis frontibus. Hæ in tribus plinthiis septuaginta duæ cohortes fuere, quæ numerum explent legionum, quas tunc Crassus habuit, duabus amplius. Ad latera singularum cohortium *ἴλην ἱππέων* ad positam a Crasso fuisse dicit idem Plutarchus. *Alam equitum* vertit Lipsius cum docto interprete. Quod falsum est. *Turmam* debuerunt reddere. Unaquæque legio trecentos equites habuit, in decem turmas divisos. Ita singulis cohortibus sua turma adstitit. Sed cum ab utroque latere cohortibus additæ fuerint turmæ singulæ, dimidiam turmam ab uno latere cujusque cohortis, dimidiam ab altero adplicitam fuisse oportet. Hæc forma fuit ordinationis qua

Crassus exercitum adversus Parthos instruxit, quam nec Lipsius, nec alius quisquam eorum qui A rem Militarem Romanorum exponere hactenus conati sunt, intellexit.


C. Cohortes S. A. Cohortes M. C. Cohortes D.



C. Cohortes S. A. Cohortes M. C. Cohortes D.

Unumquodque horum πλινθίων in singulis fron- B tibus ima ac summa duodenas habuit cohortes, ac prætendentem a lateribus equitatum. Sic undique munita fuere adversus impetum & incursionem hostium. Numerus præterea convenit legionum sive cohortium quas tunc habuit Crassus. A. & M. aciem mediam denotant. C. D. cornu dextrum. C. S. cornu sinistrum. Appianus de hoc plinthio Crassi ἀμφισόμῳ: παρὰ δὲ σπεῖραν ἱππέων ἔταξεν, ὡς μηδὲν ἔχοι μέρος ἐνδεὲς ἱππικῆς βοηθείας. Immo delendum ἱππικῆς, & legendum, ὡς μηδὲ ἓν ἔχειν μέρος ἐνδεὲς. *Ne qua pars suo præsidio destituta foret*. Non enim ad omnia latera equites adpositi, sed in duobus tantum, ad finem cujusque cohortis. La- C tus autem imum ac summum, hoc est; duæ frontes cohortibus defendebantur, quæ ab illis partibus conversa in hostem ora habebant. Idem etiam error in Plutarcho commissus, apud quem scribi similiter debet, ὡς μηδὲ ἓν ἔχοι μέρος ἐνδεὲς βοηθείας, ἀλλὰ πανταχόθεν ὁμαλῶς προσφέροιτο πεφραγμένος. Non enim, ut dixi, in omni latere laterculi eques, & figura quam supra posuimus id ostendit. Exemplum quadratæ aciei duplicis ex Livio proposuit idem Lipsius, in qua non minus hariolatus est quam in illa Crassi ex Plutarcho. Utrobique parem harum rerum imperitiam ostendit. Ver- D ba Livii sunt, quibus pugnam Romanorum cum Latinis decertatam describit lib. VIII. *Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Lælius lævo cornu præerat. Primo utriumque æquis viribus res gerebatur. Deinde ab lævo cornu Hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad Principes recepere*. Cur hæc acies Romana illi visa sit *duplicis quadratæ* nomen mereri, nescio. Fortassean tamen ita sensit, quod utriusque cornu in ea describenda meminerit Livius. Si hanc causam habuit duplicis constituendæ, certe illa Crassi quam in exemplum simplicis quadratæ proposuit, *triplex quadrata* meri- E to censeri debuit. Nam præter utrumque cornu etiam mediam aciem habuit, cui ipse præfuit Crassus pater, cum cornu lævum regendum dedisset filio, dextrum Cassio. Præterea quod ex gemino cornu pro *duplici* habet eam aciem Romanorum, qua contra Latinos depugnarunt, etiam in eo falsus est, eum triplicem ex *Hastatis, Principibus* & *Triariis* in quos tripertito distincta fuit, eam potius censere debuerit. Si aciem *Hastatorum* qui primi pugnabant, & primam aciem constituebant, in duo cornua divisam fuisse putamus, & ea cornua totidem acies computamus: idem dicendum est de acie *Principum*, & de acie *Triariorum*. Sic omnes congeminabunt, & pro duplici acie, sextuplex emerget, & exemplum sextuplicis quadratæ Lipsio suppeditabit, non duplicis. Romani illa tempestate cum duo cornua separata sive acies instruebant, eas componere soliti erant ex Sociis Latini nominis, mediam inter duo cornua aciem ex solis civibus Romanis construebant. At eo tempore belligerabant cum Sociis suis ex Latino genere & nomine. Nullas itaque Sociales copias in exercitu suo tum habuerunt. Ex solis Romanis illa acies instructa fuit, & quidem triplex, ex *Hastatis, Principibus* ac *Triariis*. Cur ergo in *illa* acie describenda Livius cornu dextri ac sinistri mentionem habuit? Jam dicam quod a me discant licet tyrones rei militaris Romanæ, in omni ordinatione exercitus quamlibet simplicis, ex uno & continuo agmine composita, nec in plures acies divisa ac separata, sua tamen inesse cornua. Hæ extremitates sunt, sive extremi anguli dextræ & sinistræ partis in acie. Ἄκρα κεράτων Græci appellant, atque etiam κέρατα. Nam Græcis κέρας extremitas & summitas cujusque rei. Livius in describendis ordinibus illius instructionis Romanorum contra Latinos non meminit cornuum, sed simpliciter *Hastatorum*. In ea acie quindecim manipulos fuisse ait, totidem *Principum*, & totidem quoque ordines sive manipulos *Triariorum*. In tres acies dividit, & primam ex *Hastatis* instructam tradit, secundam ex *Principibus*, & tertiam ex *Triariis*. *Prima*, inquit, *acies Hastati erant, manipuli quindecim*. Ergo secunda acies, *Principes* fuere, & tertia *Triarii*. Nulla hic cornuum mentio, & tamen triplex acies commemoratur. At paulo post cornu lævi & dextri meminit & quidem in *Hastatis*, & dextro præfuisse dicit Manlium, Lælium sinistro: *Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus processere in aciem. Manlius dextro, Lælius lævo cornu præerat. Primo utrimque æquis viribus eodem ardore animorum gerebatur res. Deinde ab lævo cornu Hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum. Hastati* primam aciem faciebant, & unam, ut ex his verbis constat. In ea tamen singulari & simplici acie duo cornua fuere, dextrum ac lævum. Totidem etiam fuisse oportet & in acie *Principum*, & in acie *Triariorum*. Sic


novem fuerint acies, vel certe sex, si cornua in unaquaque acie pro duabus computari placeat. Quod fieri non debet, cum unaquæque acies duo cornua habuerit, etsi continenter juncta, ac nulla sui parte divisa. Sic notum est, in phalange Græcorum duo extitisse cornua. Ut in acie æquali fronte instructa & quadrata pars dextra ac læva fuit, ita & cornu dextrum ac lævum. Nam dextrum cornu pro dextra parte, & lævum pro sinistra. Cum duo duces erant, ut duo consules, ubi exercitus junxerant, alter lævo cornui sive lævæ parti præerat, alter dextræ. Eodem modo cum singuli ordines sive manipuli dextram & sinistram partem haberent, duo etiam habuere ductores, sive centuriones, quorum alter in dextro manipuli sive ordinis latere curabat, alter in sinistro. Duo quippe olim eligebantur ductores ordinis in unoquoque manipulo sive ordine, vel centuria. Ex his ductoribus qui primus electus fuerat, dextram manipuli sive ordinis partem tenebat, secundus sinistram. Polybius: Ὁ μὲν πρῶτος αἱρεθεὶς ἡγεῖται τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς σπείρας, ὁ δὲ δεύτερος τῶν εὐωνύμων ἀνδρῶν τῆς σημαίας ἔχει τὴν ἡγεμονίαν. *Qui prior electus est, præest dextræ parti manipuli: qui secundus, militum, qui in lævo latere sunt, ducatum gerit.* Ad hoc plane exemplum in acie instructa, cujus frons instar unius ordinis habet, cum duo duces erant, unus regebat dextram ejus partem, hoc est, cornu dextrum: alter lævam, sive lævum cornu. In singulis ordinibus sive centuriis, dextra pars cui primus centurio præerat, dicebatur *prior centuria:* lævum ejusdem centuriæ latus cui secundus præpositus erat centurio, *centuriæ posterioris* vel secundæ nomen habebat. Sic in exercitu universo, ubi instructus esset, si in duo cornua, quasi in totidem acies separatas divideretur, cornu dextrum primæ aciei locum obtinebat, lævum secundæ. In phalange Græcorum similiter dextrum cornu a Græcis pro capite censebatur, sinistrum pro cauda. Arrianus: Τέμνεται δὲ ἡ φάλαγξ εἰς μέρη τὰ μέγιστα δύο, δίχα διαιρουμένου τοῦ παντὸς μετώπου ἐς ἐπὶ τὸ πάχος βάθος τὸ ἐπ' ὀρθείας, καὶ τούτου τὸ μὲν ἥμισυ τὸ ἐν δεξιᾷ δεξιὸν καλεῖται κέρας καὶ κεφαλή, τὸ δ' ἐν ἀριστερᾷ εὐώνυμον κέρας καὶ οὐρά. *Scinditur autem phalanx in duas maximas partes, bifariam etiam divisa tota altitudine in rectam lineam. Et hujus pars dimidia quæ in dextro est latere, vocatur dextrum cornu & caput. Quæ in sinistro latere est, lævum cornu & cauda.* Pari ratione apud Romanos dextrum cornu in exercitu quando in duas acies dividebatur, prima erat acies, sinistrum cornu postrema, cum duplici acie certabatur. Sed & in singulis ordinibus sive centuriis *prior*, ut dixi, *centuria* vocabatur pars centuriæ dextra, quæ priori centurioni tradita erat ducenda. Et sic intelligendus Livius lib. XLII. cum scribit: *Hic me imperator dignum judicavit, cui primum Hastatum prioris centuriæ assignaret.* Item eodem libro: *A M. Acilio mihi primus Princeps prioris centuriæ est assignatus.* Duo primo ergo *Hastati* & duo primi *Principes* fuere in singulis manipulis eo tempore, quo duo ductores ordinis eligebantur in unoquoque ordine sive manipulo. Et dextra pars manipuli *prior centuria* vocabatur, sinistra pars, *posterior* vel *secunda*. Sed de cornuum in acie divisione adhuc dicemus, cum de loco quem Dux in acie obtinebat, agemus. Ista hic abunde dicta sufficiunt, ut constet Lipsium perperam exemplum simplicis & duplicis quadratæ aciei ex suprascriptis Plutarchi & Livii locis traxisse. Nam *quadrata acies* more tam veteris quam novæ ordinationis apud Romanos dicebatur, quæ fronte æquali erat instructa, sive in duobus cornibus solis consisteret, sive mediam amplius aciem inter utrumque cornu haberet. Nam de simplici acie non dubium, quin quadrata semper fronte instrui solita sit, priscis juxta novisque Romanis. Aciem porro quadratam veterum non posse eandem videri cum τετραγώνῳ τάξει vel πλινθίῳ Græcorum, quo quadratum agmen in omnem aspectum redditur, vel Catonis verba de ea instructione ostendunt, quæ a Nonio citantur ex libro ejus de re militari: *Una depugnatio est fronte longa, quadro exercitu.* Quæ item proferuntur a Vegetio lib. III. cap. 20. quo varia genera aciei instruendæ recenset, ubi sic scribit: *Una depugnatio est fronte longa, quadro exercitu, sicut etiam nunc & prope semper solet prælium fieri.* At quadratæ aciei quo sensu τετράγωνος τάξις Græcorum dicitur, quæque ab omni latere quadrata habetur, non ubique nec semper locus fuit. Et certum est rarissime ea usos fuisse Romanos, raro Græcos, nisi si quando necessitas id exigeret, ubi ab omni parte hostis ingrueret. Ne illa quidem πλινθίῳ forma qua usus fertur Crassus adversus Parthos, ab omni latere æqualiter quadrata fuit, nec ex quatuor partibus milites habuit dispositos, sed in duobus tantum lateribus locatos eo prorsus modo, quo Græcorum ἀντίστομος vel ἀμφίστομος φάλαγξ solebat ordinari. Præterea Vegetius quadratum illum exercitum, qui fronte longa instruebatur, alio loco *quadrata fronte* esse tantum dixit, capite nempe XXV. ejusdem libri: *Qui multitudine & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus est modus.* Non simpliciter τετράγωνος est hæc instructio, sed τετράγωνος & ἐπιμήκης, *quadrata* & *prælonga*, ut eam vocat Leo in Tacticis cap. 18. ubi Saracenorum in præliis ordinationem talem extitisse memorat. Τετράγωνον δὲ, inquit, καὶ ἐπιμήκη ποιοῦνται τὴν παράταξιν ὡς ἀσφαλεστέραν καὶ λύεσθαι μὴ δυναμένην ἐν ταῖς τῶν ἀντιπαραταττομένων προσβολαῖς. *Quadratam & oblongam aciem instruunt, utpote firmiorem & quæ facile solvi non possit hostium contra ingruentium impressione.* Non ergo τετράγωνος fuit τάξις, sive quadrata ordinatio, in omnem partem aspiciens, sicut est πλινθίον, ea acies quæ solam frontem habuit quadratam & longam, id est, longiorem quam latiorem: *Fronte longa, quadro exercitu.* Tali aciei hæc forma fuisse videtur, ut ea est, quam hic subjungimus, cum intervallis ipsis, ut mos fuit in antiqua militia.




At quadrati vere agminis eo sensu, quo Græci appellant τετράγωνον τάξιν & πλινθίον sive πλαίσιον luculenta est descriptio apud Senecam his verbis Epist. 59. *Sextium ecce cum maxime lego virum acrem verbis, Romanis moribus philosophantem: movit me imago ab illo posita in quadrato agmine exercitus, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratus. Idem, inquit, sapiens facere debet, omnes virtutes suas expandat, ut ubicunque infesti aliquid oritur, illic parata præsidia sint, & ad nutum regentis sine tumultu respondeant. Quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant fieri videmus, ut imperium Ducis simul omnes copiæ sentiant, sic dispositæ, ut signum ab uno datum peditem simul equitemque percurrat.* Græce scripserat ille Sextius, quem tunc Seneca legebat. Quod ergo Latine dixit

quadratum agmen, Græcus ille Philosophus τετράγωνον τάξιν appellaverat, ut etiam Onosandro appellatur, τετράγωνος πορεία. Nam de agmine exercitus ambulantis ea verba Senecæ sive Sextii accipienda sunt. Qua forma instruxisse aciem ad Arbela Alexandrum scribit Frontinus lib. II. cap. 3. de acie ordinanda: *Alexander ad Arbela cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinavit, ut circumventi undique pugnare possent.* Hæc acies in omnem partem spectans πλινθίον est, non ἀμφίστομον, ut illud Crassi fuit contra Parthos,


A sed plane τετράστομον, vel τετράπλευρον, ut quidam vocarunt, quia quatuor lateribus armatos in hostem conversos haberet. Hujusmodi πλινθία sive *quadratas acies* in omnes partes spectantes Græci posterioris ævi sub Constantinopolitano imperio quando ex peditibus atque equitibus exercitum compositum habebant, quam σύμμικτον τάξιν vocabant, id est, miscellam ordinationem, a tergo peditum collocare consueverant sub nomine νωτοφυλάκων, de quibus nos infra. Hæc eorum πλινθίων forma fuit. Bina ea in novissimo sic locabant, quasi subsidii vicem.





Hæc τετράγωνος quidem est τάξις, sed non est πλινθίον. Nam forma πλινθίου sive laterculi non est ex omni parte quadrata, sed oblonga. Eadem forma Græcis & πλαισίου nomine vocatur. Πλαίσιοι proprie est quadratum oblongum lignum, in quo formantur lateres, id est, πλίνθοι. Ergo eadem πλαισίου & πλινθίου figura. Unde & Grammatici πλινθίον interpretantur σχῆμα τετράγωνον ἑτερόμηκες, *formam quadratam oblongam*. Quomodo & πλαίσιον interpretantur. Alii tamen, ut Arrianus, πλινθίον quadratum æquilaterum faciunt, & eo nomine a πλαισίῳ distinguunt, quod πλαίσιον sit, ὁπόταν πρὸς πάσας τὰς πλευρὰς παρατάξηταί τις ἐν ἑτερομήκει σχήματι: *cum in omnes partes spectantem aciem aliquis instruxerit, in forma longiore quam latiore.* At πλινθίον Crassi apud Plutarchum non fuit ἐν τετραγώνῳ σχήματι, sed ἑτερομήκει, cum βαθὺ appellet idem auctor. Quibus verbis ostendit plus latitudinis habuisse quam in fronte longitudinis. Cui contraria fuit forma πλαισίου, quæ teste Æliano,

B πολλαπλάσιον habuit τὸ μῆκος τοῦ βάθους, longius nimirum quam latius. De quo infra. Præterea ἀμφίστομον illud πλινθίον Crassi non erat ex omni parte militibus munitum. Figuram ejus supra posuimus. Πλινθίον est igitur quod Græci τακτικοὶ ita vocarunt, quod ἐν τετραγώνῳ σχήματι fingitur, quam etiam τετράγωνον τάξιν appellant, & τετράπλευρον, quod in omni latere quadrati dispositos haberet milites contra hostem obversos, quæ ibi vocatur σύνταξις ὁπλιτῶν τετράγωνος, & sic describitur: Λέγεται αὐτὴ καὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς τετράπλευρος, ἔχουσα καθ' ἕκαστον μέρος ἀνὰ παραταγῶν τριῶν ὡς εἶναι ὁμοῦ διὰ τῶν τεσσάρων πλευρῶν παραταγὰς δώδεκα. *Dicitur hoc genus instructionis quadratæ apud veteres, etiam quadrilaterum, quod in omni parte tres habet acies directas, ut in totum per quatuor latera duodenæ habeantur acies instructæ.* Nam τετραγώνου & τετραπλεύρου τάξεως, quadratæ simul & quadrilateræ instructionis hæc erat forma.



Pedites omnem exteriorem faciem quadrati obtinebant, quos litera P signavimus, totque ordinum erant introrsus quot Duci visum esset. Interioris quadrati lineas eques occupabat, qui per intervalla exire poterat in hostem, & rursus se recipere post terga peditum. Is litera E significatur. Intimi quadrati & undique clausi spatium impedimenta militaria continebat, quod litera I ostendit. In eo etiam intimo quadrato locus Ducis fuit, ut etiam illi Græculi docent. De quo infra adhuc plura. De quadrato agmine cum incedit exercitus & quot modi πορείας fuerint, & quo sensu *quadratum agmen* iter facientis exercitus dictum sit, infra docebimur. Enimvero acies quadrata Romana, vel *in quadratum agmen consistens*, ut loquitur Tibullus, longe diversa erat ab ea τετραγώνῳ Græcorum τάξει. Acies illa quadrata simplex semper habita est, quamvis in plures partes intervallis interpositis distinctam frontem haberet. Æstimatio igitur duplicis aut triplicis aciei vel etiam amplioris numeri ex eo pendebat, si aut pluribus locis ac diversis eodem tempore pugnaretur, quod fiebat cum inæquali fronte & separatim instructæ plures acies erant, aut si non eodem momento omnes concurrerent, ut in subsidiariis fieri amabat. Aliud etiam efficiebat, ut plures acies numerarentur, aut etiamsi vere plures essent, ratio tamen earum non haberetur in numero designando, ex more Romanorum peculiari petitum. Nam apud veteres cum dispertita frons erat in duo cornua & mediam aciem, quia cornua ex Sociis componebantur, ideo numerari pro diversa acie neutrum cornu solebat. Postea quam vero cornua ex militibus Romanis extructa sunt, tum duo cornua cum media acie triplicem aciem effecerunt. E contra subsidiariæ acies si ex Auxiliis externis dispositæ essent, non numerabantur sub aciei appellatione. Sin autem e civibus forent compositæ, multiplicabant numerum acierum.

CAP. XII.

De subsidiis, subsidiariis copiis, & quanta in his fuerit differentia Scipionum temporibus usitatæ militiæ ac Cæsarianæ.

UT melius liqueat de eo quod diximus in fine superioris capitis, latius hic de subsidiis dicendum, simulque ostendendum, quantum discrimen circa ea extiterit inter Cæsarianam & sequentium temporum militiam, atque illam quam Scipionum ætas frequentavit. In antiqua, sicut a Polybio traditur, ordinatione, *subsidia* ita ordinaria ac legitima fuere, ut nulla unquam sine his instrueretur acies, & certo quidem numero qui semper idem observabatur. Isque ordinandi modus permansit, quamdiu per *Hastatos*, & *Principes Triariosque* instruendæ aciei ratio duravit. Ex acie triplici quæ per hæc tria corpora instituebatur, præter primam quæ ex *Hastatis* constitit, duæ sequentes fuere subsidiariæ. Nam *Principum* acies subsidiaria fuit *Hastatorum*, quæ post eos ordinabatur. *Triariorum* acies similiter ad subsidium *Principum* postremo loco ordinabatur. Atque hi proprie subsidiarii reliquorum duorum *Hastatorum* & *Principum* fuere, & κατ' ἐξοχὴν *subsidiorum* appellatione censentur apud Livium. Varro lib. IV. de L.L. ubi explicat nomina Rei Militaris antiquæ, de his solis *Triariis* scribit, *quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponerentur*. Sed & ex iis quæ subjicit, patet nomen *subsidii* proprie his convenisse, quod subsiderent. Inde *subsidium* appellatum. Plautus:

Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent Triarii.

Considere certe solitos in extremo agmine dum eventum certaminis expectarent, quo a prioribus *Hastatorum* & *Principum* ordinibus dimicabatur, ipse etiam Livius docet lib. VIII. *Triarii*, inquit, *sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto*. Subsidebant etiam qui in insidiis collocabantur, sed alia ratione, ut nimirum occultiores essent. Idem Livius lib. I. *Egressus omnibus copiis, partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit.* Inde & *subsessæ* recentioribus Latinitatis auctoribus pro insidiis, & *subsessores* pro insidiatoribus. Vegetius lib. III. cap. 6. *In itinere autem minus armatus minusque attentus est miles, & superventus impetu vel fraude subsessæ repente turbatur*. Sic enim recte emendant ex veteribus libris. Alibi eadem voce usus est idem Vegetius. Et *subsessa* pro *subsessione*, id est, insidiis in quibus positi subsidunt. Græci quoque ὑποκαθίζεσθαι de insidiis in occulto positis dicunt. Onosander Strategico cap. 6. πολλάκις γὰρ ἐνέδραι πολεμίων ὑποκαθίζονται. Sic enim legendum, non ut vulgo legitur, ὑπερκαθίζονται. Græci etiam ἐνέδρας appellant ab *insidendo*, ut Latini *insidias*. Non semper sedebant qui in insidiis collocati erant, sed & cubabant aliquando, & veluti prostrati jacebant. Quocunque modo sese haberent dum recti non starent, *subsidendi* verbum de his poterat usurpari. Sic Græci λόχος idem quod ἐνέδρα vel *insidiæ*, ἀπὸ τοῦ λέχους a *lecto* vel *cubili*. Οἱ γὰρ ἐνεδρεύοντες κατακλίνουσιν ἑαυτοὺς ὡς ἐπὶ λέχους. *Quia qui in insidiis sunt, ita procumbunt ac si in lecto jacerent*. Alia sunt *subsidia* quæ deponuntur ad auxilium suo tempore ferendum laborantibus, cum opus esset. Si a *subsidendo* sic appellata sunt, ut *Triarii*, quia subsiderent in extrema acie, nihil prohibet & *præsidia* inde quoque nomen nacta videri. Cur enim *subsidia* a *subsidendo*, non etiam *præsidia* a *præsidendo*, quasi qui in præsidiis dispositi essent, non eodem modo considerent quam illi qui subsidiis erant collocati? Hoc si est, certe & qui urbem obsidebant, etiam consedisse videri debent atque inde *obsidium* appellatum. Hæc inepta sunt. *Præsidium* & *subsidium* ita differunt, ut illud sit quod ante ponitur, hoc vero quod post ponitur. Nam castella & prætenturæ stationesque quæ ante castra a ducibus ponebantur, *præsidia* appellabantur. Quæ copiæ ad auxilium reservabantur post acies primas sepositæ, *subsidii* nomine veniebant. Recte Festus: *Præsidium est quod pro utilitate & salute alicujus auxilii gratia præponitur. Subsidium quod postpositum est ad subveniendum laborantibus.* Non *Triarii* tantum qui revera subsidebant, pro subsidio erant in priore acie pugnantibus, sed etiam *Principes* qui non considebant, subsidiarii haud minus fuere *Hastatorum*, quam *Triarii Principum*. Utramque aciem *Principum* & *Triariorum* *subsidiorum* nomine sæpe Livius appellat. Ἐφέδρους Græci vocant qui res Romanas tractarunt. Qui stationes agebant pro portis castrorum, aut urbium, aut in prætenturis limitum, sic etiam iisdem Græcis appellantur, & ἐφεδρεῖαι stationes ipsæ in quibus milites non sedebant. Unde apud Polybium, παρὰ Ῥωμαίοις θάνατος πρόστιμον τῷ λιπόντι τὴν ἐφεδρείαν. *Apud Romanos morte multatur qui stationem deseruerit*. Non in istis igitur nomen ἕδρα semper significat residendi vel subsidendi actum, sed fixum & immotum ejus qui aliquid custodit aut speculatur aut tuetur, statum, quia sedentes magis immobiles & quasi in uno loco defixi. Nam qui stant statim progredi possunt, & locum mutare. Qui sedent, debent prius surgere ac stare &

tum denum moveri ad greſſum. *Triarii* non ſemper in prælium educebantur, ſed primis Reipublicæ temporibus ad caſtra ſervanda ac tutanda deſtinabantur. Cujus moris aliquot exempla occurrunt apud Livium. Cum ad præſidium caſtrorum relinquebantur, non ſubſidebant. Nam Romani in caſtris ſtabant. At Cæſar Gallos obſervat in caſtris ſuis ſediſſe, quod præter morem Romanorum fuit. An & tunc ſubſidiarii *Triarii?* Certe ultimum victis & e fuga ſe recipientibus ſubſidium caſtra. Eo ſane tempore quo *Triarii* ad caſtrorum cuſtodiam remanebant, ſoli *Principes* ſecundam aciem, ſed & ultimam, conſtituebant, eamque *Haſtatorum* primæ aciei ſubſidiariam. Livius lib IV. *Dictator autem parte altera ſubſidia & ſecundam aciem adortus*. Hic ſecunda acies *Principum*, *ſubſidiorum* nomine appellatur haud minus quam poſtrema *Triariorum*. Item lib VI. *Impulſa frons prima, & trepidatio ſubſidiis illata*. Præter frontem primam ergo, quæ & prima acies, cæteræ poſt ſequentes nomine *ſubſidiorum* veniebant, id eſt, *Principum* & *Triariorum*. Item lib. XXI. *Scipio jaculatores & Gallos equites in fronte locat, Romanos Sociorumque quod roboris fuit, in ſubſidiis*. Quo loco notandum etiam *Haſtatos* ab eo inter ſubſidia reponi reſpectu jaculatorum & equitum qui in prima acie conſiſtebant. Idque etiam apud Polybium legitur. In antiqua illa militia *ſubſidiis firmare* aciem nihil aliud eſt quam poſt primam aciem alias ſubſidiarias ponere, *Principum* nempe & *Triariorum*. Quod idem Livius lib. II. vocat *ordinibus introrſum aciem firmare*, id eſt, εἰς βάθος, ut Græci dicunt: *Equitatu miſſo mediam turbaverat hoſtium aciem, quia dum ſe cornua latius pandunt, parum apte introrſum aciem firmaverant*. Cum omnis igitur quæ a tergo primæ aciei ponebatur acies *ſubſidiaria* eſſet, proprie tamen inter tres acies quæ more ſollemni ordinabantur in exercitu Romano ad pugnam inſtructo & parato, *Triarii* hoc munus habuerunt, & inde etiam nomen. Nam *Triarii* iidem qui & *tertiarii*, quia *trius* veteribus Romanis idem qui & *tertius*. Sic igitur dicti quod duobus primis ordinibus pugnantibus *Haſtatorum* & *Principum*, ipſi tertii ſubſiderent ad certamen ultimo ſuſcipiendum, remque reſtituendam, ſi parum proſpere apud priores acies pugnatum fuiſſet. *Triarii* autem iidem quos Græci τρίτȣς & ἐφέδρȣς appellabant tam in agone ludicro quam in luſu tabulæ. Nam duobus certantibus aut ludentibus qui tertius, adſidebat ut in locum victi ſuccederet & cum victore contenderet. Heſychius: Ἔφεδρος, παβλιςὴς τρίτος, Suidas: Ἔφεδρός ἐςιν ἐν τοῖς ἀγῶσιν, ὁ καθεζόμενος εἰς τὸ ἀγωνίζεσθαι τοῖς νικῶσιν, Apud Sophoclem Ajax dicitur ἔφεδρος, ὅτι ἔσχατος καὶ ὡς ἔφεδρος ἐλείφθημοι ὡς κακὸν, οἷον πρὸς τοῖς πρώτοις κακοῖς. Ergo ἔφεδρος tertius & ultimus ad pugnandum paratus poſt duos primos. Hanc plane τάξιν ac ςάσιν obtinuere in acie Romana *Triarii*, qui ἔφεδροι, & τρίτοι, & ἔσχατοι. Unde illis nomen *Triarii*, quod τρίτοι, qui & poſtremam aciem & tertiam claudebant. Gloſſæ: *Tertiarius*, ἔφεδρος. Revera ſubſediſſe etiam credamus, cum auctores id conſtanter tradant. Et hoc ipſum hujuſmodi ἐφέδρων in certaminibus proprium. Ariſtophanes, νυνὶ δ' ἔμελλε Κλεώνυμίδης ἔφεδρος καθεδεῖσθαι. *Triarii* tamen non conſidebant nec ſidebant, ut mirer illud verbi de his uſurpaſſe Livium lib. VIII. *Triarii ſub vexillis conſidebant ſiniſtro crure porrecto. Conſidere* proprie dicuntur qui cum pluribus ſedent. Non ſediſſe *Triarios* vel ipſo Livio auctore probabo, qui genu tantum dextro innixos fuiſſe dicit, cum expectarent ſignum ducis ad conſurgendum, & prælium capeſſendum. Sic enim ille paulo poſt de iiſdem *Triariis* Romani exercitus: *Et Triarii genu dextro innixi nutum conſulis ad conſurgendum expectabant*. Genu igitur dextro innixi erant, ſiniſtro crure porrecto, ut idem Livius ibidem ait. Et hoc erat *ſubſidere*, non conſidere nec ſedere. Nam quiſquis quocunque modo & poſitura corporis, minorem ſe & humiliorem facit ſtante, ſubſidere dicitur. Hæc ordinaria porro & ſollemnia fuere *Triariorum*, immo & *Principum*, atque etiam *Haſtatorum*, ſi reſpiciantur velites qui ante eos prælium committebant, legitimaque omnino in acie Romana ſubſidia, ſicut inſtruebatur in antiqua militia, & quidem fere ſemper duplici acie ex civibus Romanis ac legionariis, quales erant *Principes* & *Triarii*. Quinimo in *Triariis* robur exercitus conſiſtebat ac legionum, qui tamen ſubſidio ſemper in extrema acie ac tertia collocabantur. In nova autem ordinatione rariora ſubſidia, & extra ordinem uſurpata, atque ex Auxiliariis ut plurimum adjungi ſolita, nec in aciei legitimæ numero ac nomine cenſita. Primi velites in priſca ordinandi ac pugnandi arte fortunam belli tentabant, ante omnia peditum ſigna. Deinde *Haſtati*, poſt eos *Principes*, poſtremo demum loco *Triarii*. Hæc enim ſubſidiorum conditio & conſuetudo, ut non in aciem procedant niſi prioribus debellatis, & locus demum ſequentibus detur, cum priores acies ceſſerunt. Sic, ut ante dicebamus, ſubſidiarii fuere velitibus *Haſtati*, *Haſtatis Principes*, *Principibus Triarii*. Sæpe autem uſu veniebat, ut velites cum equitibus mixti victoriam ab hoſte reportarent. Quod ſi ab his debellatum eſſet, tum ſtabili legionariorum agmini nihil reliqui erat quod agerent. Hinc, ut ſupra notavimus, προκινδυνεύοντες velites a Polybio vocantur, quod primi fortunam belli tentarent, & periculis objectarentur, ut pro omnibus, ita ante omnes, adeo ut primæ aciei quodammodo locum obtinerent. Et tantum erat inſtar in illis, ut re bene geſta nihilominus nomen decuſque penes legionarios qui ſe loco non moverant, nec quidquam promoverant, maneret. Quod Polybius egregia ſimilitudine docet, Romanorum & Ætolorum res comparans, vel ex ipſa Ætolorum ſententia qui dicebant, quod tunc agеretur, εἶναι ὁμοιότατον τῇ παρὰ τὰς παρατάξεις οἰκονομίᾳ καὶ χειρισμῷ. *Simillimum eſſe rei militari, qualiter adminiſtratur in præliorum ordinationibus*. Καὶ γὰρ ἐπ' ἐκείνων, inquit, προκινδυνεύει μὲν ὡς ἐπίπαν καὶ προαπόλλυται τὰ κοῦφα καὶ πρακτικώτατα τῆς δυνάμεως, τὴν δ' ἐπιγραφὴν τῶν ἐκβαινόντων ἡ φάλαγξ καὶ τὰ βάρεα λαμβάνει τῶν ὅπλων. *Nam quum acie inſtructa decertatur, ut plurimum levius armati, quæ copiarum pars eſt maxime ſtrenua & efficax, prima periculum ſuſtinet, & ante alios cæditur: phalanx autem & gravis armatura, felicis pugnæ eventus gloriam ac titulum aufert*. Utitur verbo προκινδυνεύειν de levi armatura, quæ prima periclitatur in acie. Quo nomine προκινδυνεύοντων velites Romani exercitus plurimis locis appellat. Sic reliquæ acies ſtabilis militis quaſi ſubſidiariæ erant levi illi armaturæ, quæ prima cum hoſte congrediebatur. Quod diſertis verbis idem Polybius aſſerit in redditione ſimilitudinis, quam ex aciei inſtructione duxit: Νῦν δὲ παραπλησίως, inquit, προκινδυνεύουσι μὲν Αἰτωλοὶ καὶ Πελοποννήσιοι, οἱ τούτοις συμμαχοῦντες, ἐφεδρεύουσι δὲ Ῥωμαῖοι φάλαγγος ἔχοντες διάθεσιν. *Similiter nunc Ætoli & eorum Socii Peloponneſii pericula primi obeunt, Romani autem in ſubſidiis ſunt, phalangis inſtar obtinentes*. Etſi autem hæc ex Græcorum militari re ducta ſit comparatio, idem tamen fuit in Romana. Nam velites & levis armatura ante legionarios pugnæ fortunam periclitabantur, legiones quaſi ſubſidiariæ ſequebantur, in plures acies diſtributæ. Velitum igitur veluti prima fuit

acies. His subsidiaria subjungebatur acies ex *Hastatis* instructa. Deinde altera ex *Principibus* adornata. Omnes sibi invicem subsidiariæ. Post has ultimo loco *Triariorum* postrema acies vere subsidebat. Quæ quod raro ad manus veniret, ideo ut plurimum custodiæ castrorum præficiebatur, ut ex Dionysio Halicarnasseo & Livio constat. Quinimo si quando castra ab hoste obsessa tenerentur, qui eruptione esset repellendus, *Principes* & *Hastati* intra castra instructi portis erumpebant, *Triarii* in præsidio castrorum remanebant. Livius lib. XL. *Duæ cohortes & Triarii duarum legionum in præsidio castrorum manere jussi*. Ut autem *Triarii* subsidiarii habebantur *Principum* in acie, ita & *Principes Hastatorum*, ut ex eodem Livio discimus eodem libro: *Ad dextram Principalem Hastatos legionis in subsidiis posuit*. Nec ergo dubium est, quin *Hastati* in subsidiis fuisse intelligendi sint, respectu velitum qui ante illos pugnabant. Nam quicunque expectat dum suum tempus pugnandi adveniat, aliis interim pugnantibus, is Græce dictus ἔφεδρος, quia sedebat otiosus, dum alii duo stantes certabant. Inde & *subsidia* etiam de omnibus copiis, quæ post alias stantes expectant, donec ad se veniatur. Velitum sic fuere subsidiarii *Hastati*, qui primam tamen inter legionarios aciem constituebant ex tribus subsidiorum ritu aliis post alias collocari solitis. Inde & Livius lib. VI. loco quem jam ante produximus, primam aciem ex jaculatoribus & equitibus facit, reliquas quæ sequebantur ex gravi stabilique ac legionario milite, subsidiarias. Quod & alibi apud eum legere est, ut lib. XXII. ubi pugnam ad Cannas narrat: *Ex jaculatoribus ac cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta*. Hi ergo erant *antesignani*, quibus primam aciem multis aliis in locis assignat. Et sic omnino iidem fuerunt illi *antesignani* Liviani cum his, quos ita hoc nomine Cæsar appellavit & Varro, qui & velites, quod ante signa legionum nempe pugnarent. Quinimo cum legimus apud auctores aciem in *antesignanos* & *postsignanos* dividi, per *antesignanos* omnino intelligere debemus jaculatores aliosque levis armaturæ pedites, qui olim velites, id est, ante Cæsaris ætatem, dicebantur. Idque multis ac claris ejusdem Livii locis licet confirmare. Semper enim de levi armatura dicit ante signa legionum eos pugnam incepisse, & sæpe eosdem *antesignanos* appellat. Ita scribit lib XXII. *Prima levis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, ac ad signa legionum refugit. Peditum acies inter perculsos impavida sola erat*. Ecce levis armatura, id est, velites, qui primi vel ante equites pugnam inchoant. Pulsi terrorem inferunt in succedentem equitem & ad signa legionum refugiunt. Ante signa igitur legionum dimicabant cum equitibus, & *signa* ibidem appellavit legionum, aciem peditum, quam impavidam stetisse ait inter perculsos, quæ sub signis ibat, & signa sua sequebatur. Nam nulla velites signa habuere. Et lib. XXIV. *Primo antesignani Pœnorum, deinde ipsa signa perturbata*. Illi Pœnorum *antesignani* de armatura sive jaculatoribus equitibusque accipiendi. *Ipsa signa* de peditibus subsignanis vel postsignanis. Item lib. IV. *Signa nunc resistentia deferuntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur*. *Antesignani* ibi sunt quos Græci vocant προμάχους τῶν σημείων, id est, levis armaturæ pedites: *signa* vero quæ manipulis peditum anteferebantur, intra suos manipulos recepta fuisse dicit. Idem lib. II. *Quamquam vix dirigendi aciem spatium peditibus fuit, adeo inter primam trepidationem, dum post signa ordines instruunt subsidiaque locantur, invecta subito ab latere Romana*

A *ala equitum non pugnæ modo incipiendæ, sed consistendi ademit locum*. Post signa sua ordines peditum instruebantur: quæ ante illa signa dimicationem auspicabantur, leves armaturæ, id est, antesignani erant. Et lib. XXXIII. legiones in ipso itinere prælium committunt, & primo adeo acriter invaserunt, ut *antesignanos impulerint*. His omnibus locis *antesignani* non possunt aliter accipi, quam pro levi armatura, sive velitibus, qui cum ipsi sub signis non irent, ante signa legionum procurrebant pugnandi gratia. Qui *postsignani* ergo dicebantur omnes omnino pedites gravius armatos comprehendebant, qui post signa instrui soliti, hoc est, tam B *Hastatos* quam *Principes*. Hæc autem divisio aciei in *antesignanos* & *postsignanos* posterioris omnino est militiæ, non antiquioris, qua per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* ordinabantur acies. Duæ tunc habebantur tantum acies, in latitudinem sive introrsus: levis armaturæ una, quæ ante signa gravis armaturæ pugnam ciebat: altera legionariorum, quæ sub signis ibat, & signa sua sequebatur præcedentia. Hi *postsignani* erant. Nulla post hos subsidiaria acies sequebatur, ut in antiqua militia, qua triplex acies *postsignanorum* instruebatur, ita ut duæ sequentes subsidiariæ haberentur ad primam. Una C ergo in nova militia ac simplex fuit acies legionariorum, sive gravis armaturæ militum, nullis a tergo fulta subsidiis, vel acie subsidiaria, ut olim fuit solemne. Hæc simplex acies gravis armaturæ *postsignanorum* dicebatur, quia post signa sua erant instructi quæ aciem præcedebant. Ante illa signa levis armatura excurrebat ad pugnam, qui *antesignani* appellabantur. Hoc ex multis locis Livii colligi potest, qui primam aciem levi armaturæ assignat, quos & *antesignanos* etiam appellavit. Ammianus quoque Marcellinus lib. XXIV. *antesignanos* velites fuisse videtur agnoscere, cum de Juliano scribit, *eum nunc antesignanum, nunc agminibus cogendis insi-* D *stentem cum expeditis velitibus, ne quid lateret abstrusum, fruteta squalida vallesque scrutari solitum*. Hoc enim proprium velitum & levis armaturæ, ut modo ante signa excurreret, modo in ultimo subsisteret agmine. Ideo dicit Julianum cum velitibus & peditibus nunc *antesignanum*, nunc cogendis agminibus insistentem versari solitum, ad explorandas & scrutandas quæ ab hoste metuebantur ex locis tectis ac sylvis insidias. Frontinus tamen lib. II. cap. 2. de ordinanda acie ubi *antesignanorum* primam aciem facit, & secundam *postsignanorum*, diversos *antesignanos* ponit a velitibus ac levi armatura. Pugnam ibi describit Syllæ contra E Archelaum, acie triplici ab eodem Sylla instructam. Si ergo *antesignanorum* prima acies fuit, secunda *postsignanorum*, quinam illi quorum tertiam aciem fuisse voluit? Apud Plutarchum & Appianum in eo prælio describendo, nihil quo hæc illius instructio a Frontino tradita illustrari possit, habetur, nisi quod duas cohortes in subsidio habuisse Syllam Appianus narrat, cum quibus impressionem in hostem fecit. Ea tertia acies fuerit Syllæ. Sciendum est autem quo tempore Sylla cum Archelao dimicavit, jam tum desiisse apud Romanos aciei per *Hastatos*, *Principes* ac *Triarios* instruendæ modum, F ante a Mario sublatum. Plutarchus cum Appiano triplicem fuisse Syllæ aciem perhibet, sed primam aciem bicornem facit, in lævum & dextrum cornu nempe divisam, in longitudinem directam, tertiam autem subsidiariam, & a tergo primæ aciei, quæ ex duobus cornibus composita erat, collocatam. Dextro cornui ipse Sylla præerat, sinistrum dederat Murenæ. Gallus & Hortensius ejus legati, in ultimo post primam aciem positi, cohortes subsidiarias ducebant. Γάλλος δὲ καὶ Ὁρτήσιος οἱ πρεσβευταὶ σπείρας ἐπιτάκτους ἔχοντες ἔσχατοι παρενέβα-

ρενέβα-

ρενέβαλον ἐπὶ τῶν ἄκρων φύλακας πρὸς τὰς κυκλώσεις. Hæ ſunt duæ cohortes de quibus Appianus in eadem acie deſcribenda dicit, *ἃς ἐπετάχατο ἐφεδρεύειν*, *quæ in ſubſidiis collocatæ erant*. Plutarchus *ἐπιτάκτους* vocat, id eſt, poſt aciem primam ordinatas, & *ἐσχάτους*, id eſt, ultimam aciem claudentes. Duplex igitur acies fuit Syllæ in fronte diſpoſita, id eſt, duobus cornibus, lævo ac dextro. Quod inſtructionis genus & e Tibullo his verſibus ſignatum:

Seu libeat duplici ſejunctim cernere marte,
Dexter uti lævum teneat dextrumque ſiniſter
Miles, ſitque duplex gemini victoria caſus.

Sed præter aciem illam duplicem in fronte directam, Sylla tertiam aciem ſubſidiariam a tergo habuit collocatam, ex duabus tantum cohortibus conſtantem. Nam exiguas admodum in eo prælio copias habuit Sylla. Ordinatio vero qua uſum eſſe in hoc certamine ſcribit Frontinus, nullo modo convenit cum Plutarchi deſcriptione. In *anteſignanos* & *poſtſignanos* eam dividit, qui duas acies conſtituerunt, *anteſignani* primam, *poſtſignani* ſecundam. Hæc duo forſitan cornua fuerunt inſtructionis Syllanæ pro duplici acie, cujus dextrum cornu primæ aciei locum obtinebat, ſiniſtrum ſecundæ. Sed quomodo dextrum cornu potuerit eſſe ac dici *anteſignanorum* acies, ſiniſtrum *poſtſignanorum*, non video. Quamlibet enim fingas dextrum cornu adverſus hoſtem propius promotum, & ſiniſtrum magis retractum, non tamen qui in dextro cornu erant, potuere appellationem *anteſignanorum* habere reſpectu illorum qui ſiniſtrum cornu tenebant, nec hi *poſtſignani* vocari comparati cum dextri cornu militibus. Hæc nomina *anteſignanorum* & *poſtſignanorum* non conveniunt, ut dixi, niſi ei ordinationi quæ geminam aciem in latitudinem vel introrſus diſponit, alteram nimirum poſt alteram. Nam qui in prima acie conſiſtunt, quaſi *anteſignani* ſunt ſequentis aciei a tergo collocatæ, & qui in ſecunda acie collocantur a tergo primæ, *poſtſignani* videntur eſſe pugnantium in prima acie. Ne id quidem procedere recte poteſt in illis ordinibus, qui ſigna ſua ſequuntur. Omnis enim acies quæ ſub ſignis ordinata eſt, cum ſigna ſua ſequatur, *poſtſignanorum* vicem habet, & revera ſunt *poſtſignani*. Nulli enim dicuntur in acie *anteſignani*, niſi qui ante ſigna peditum legitima acie ordinatorum dimicant. Quod proprium fuit velitum & levis armaturæ. Signa hi propria nulla habuerunt, ideo cum ante eos dimicandi gratia procurrerent qui ſub ſignis ordinabantur, *anteſignani* ex eo dicebantur. Nec alii proprie *anteſignani* appellati ſunt, ut ante docuimus, cum tamen *Principia* legionis quibus ante ſigna in prælio locus aſſignabatur, etiam poſſent revera *anteſignani* dici. Nulla quippe & ipſi ſigna ſequebantur, ſed ante ſigna peditum legionariorum prælium capeſſebant. Nec etiam audio Livium, qui *Haſtatos* & *Principes* veteris militiæ vocaverit *anteſignanos*. Si ita olim vocati ſunt, non alia de cauſa hoc nomen videntur habuiſſe, præter eam quæ ſupra a nobis expoſita eſt. De eo tamen adhuc dubito. Falſa eſt enim ratio quam reddit, cur ita ſint appellati, quod ante ſua quique ſigna inſtructi eſſent. Id enim non poſſe conſtare ſatis ſciunt, qui *τακτικὴν* Romanorum vel primis labris deguſtarunt. Et ipſe ſibi Livius plane contradicit plu-

A ribus locis, ubi *anteſignanos* nominat pro velitibus, qui ante ſigna peditum pugnam inibant. Sed manifeſtiſſime ſecum ipſe pugnat, qui *anteſignanorum* nomine appellavit tam *Principes*, quam *Haſtatos*, pugnam Scipionis cum Hannibale deſcribens lib. XXX. cum idem lib. VIII. ubi aciem qua conflixere Latini cum Romanis commemorat, *Haſtatos* & *Principes* ſolos in *anteſignanos* & *poſtſignanos* dividere videatur omiſſis *Triariis*. Ita *enim* ſcribit, ex parte Romanorum *trucidatum exercitum omnem, cæſos Haſtatos, Principeſque, ſtragem & ante ſigna & poſt ſigna factam. Triarios poſtremo rem reſtituiſſe*. Clare dicit ſtragem factam eſſe *anteſignanorum* B & *poſtſignanorum*, cæſis *Haſtatis* & *Principibus*. An ergo *Haſtati* pro *anteſignanis*, *Principes* pro *poſtſignanis*? Ita certe & Frontinus primam aciem facit *anteſignanorum*, ſecundam *poſtſignanorum*. Sed videtur potius Livius per *anteſignanos* rorarios & levem armaturam ſignificaſſe, quæ ante omnia ſigna peditum pugnabat. *Poſtſignanorum* autem appellatione *Haſtatos* & *Principes* deſignaſſe. Cur igitur alio loco *anteſignanos* eos vocavit? Sic ipſe parum ſibi conſtat & diverſa miſcuit. Ex his liquet diviſionem aciei in *anteſignanos* & *poſtſignanos* competere ejuſmodi inſtru- C ctioni, quæ duas tantum acies diſponit, unam ante, & alteram poſt, ut prima ſit *anteſignanorum* ante ſigna pugnantium, altera *poſtſignanorum* poſt ſua nimirum ſigna collocatorum, cum *anteſignani* nulla quæ ſequerentur ſigna haberent. Mire igitur confudit Livius aciei ordinandæ morem ſuo tempore receptum cum antiquo. Ea quippe aciei in *anteſignanos* & *poſtſignanos*, Cæſarianæ militiæ fuit, quæ triplicem tantum aciem in fronte inſtruebat, nulla acie ſubſidiaria poſt tergum collocata; non illius antiquæ, in qua triplex introrſus ſtatuebatur acies per *Haſtatos*, *Principes* & *Triarios*. Hæ tres enim fuiſſent acies *poſtſignano-* D *rum*, cum una eſſet *anteſignanorum*, nempe velitum qui ante ſigna pugnam incipiebant. Sic quatuor omnino extitiſſent acies, tres *poſtſignanorum*, & una *anteſignanorum*. At in nova militia quali ſub Cæſaribus uſurpata eſt, non quatuor acies invicem aliæ poſt alias diſpoſitæ ordinabantur, ſed duæ tantum, una levis armaturæ ſive *anteſignanorum* ſine ſignis pugnantium, ſed ante ſigna aliorum: altera gravis armaturæ, id eſt, *poſtſignanorum*, qui ſua ſigna ſequebantur. Quis ergo poſſit inficias ire, quin Livius hæc duo genera aciei inſtruendæ miſcuerit novum & antiquum? Sed de his adhuc infra, ubi de levi armatura & velitibus E tractabimus. Ubique ſane idem Livius ſigna peditum Romanorum diſtinxit ab *anteſignanis*, id eſt, levibus, quod nulla ſigna haberent. Ita enim & lib. XXVII. ſcribit, de Aſdrubale qui prope Batulam pro caſtris equitum ſtationes habebat, *in eas velites anteſignani, & qui primi agminis erant, advenientes ex itinere, priuſquam caſtris locum caperent, adeo contemptim impetum fecerunt, ut facile appareret, quid utrique parti animorum eſſet. In caſtra trepida fuga compulſi equites ſunt, ſignaque Romana portis prope illata*. Ecce diverſa *ſigna Romana*, quæ peditum gravius armatorum fuere, ab *anteſignanis velitibus*. Sic enim eos hic F appellat, ut Varroni *veles anteſignanus* dicitur. Alibi ſimpliciter *anteſignanos*, aut *velites*. Forma antiquæ ordinationis Romanæ per ſubſidia conſtructæ habuit ſic:

VELITES.

v vv v v vv v v vv v vvv
v v vv v v v v v v v v vvv vv v v
v v v v v v v v v v v v v v
v v v v v v v v v v v v v
v v v v v v v v v v v v v v v
v v v v v v v v v v v v v v
v v v v v v v v v v v v v v v

HASTATI.

h h h h h h h h h h h h h h h h
h h h h h h h h h h h h h h h h
h h h h h h h h h h h h h h h h
h h h h h h h h h h h h h h h h
h h h h h h h h h h h h h h h h
h h h h h h h h h h h h h h h h

PRINCIPES.

p p p p p p p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p p p p p p p
p p p p p p p p p p p p p p p p p

TRIARII.

t t t t t t t t t t t t t t t t t t
t t t t t t t t t t t t t t t t t t
t t t t t t t t t t t t t t t t t t

Prima acies *velitum*, secunda *Hastatorum*, quæ subsidiaria est *velitibus*. Tertia *Principum*, quæ pro subsidio *Hastatis*. Quarta & ultima *Triariorum*, quæ *Principum* subsidiaria post tergum omnium collocata, & postremam aciem claudens. Non quadruplicem tamen aciem auctores Romani eam quæ sic instructa erat nominabant, sed triplicem, quia eas tantum acies pro legitimis habebant, quæ ex legionario milite & sub signis ordinato, & scutato, sive gravius armato, constabant. Sic universa ac justa Romana acies poterat dividi in *frontem* ac *subsidia*. *Frons* de prima acie quæ in fronte instituta, *subsidia* de reliquis omnibus quæ a tergo locabantur. Agellius lib. X. cap 9. Quibus modis, quoque habitu acies Romana instrui solita sit, quæque earum instructionum sint vocabula, *Vocabula*, inquit, *militaria quibus instructa certo modo acies appellari solet, frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, serra, forfices, alæ, turres*. Sallustius de Catilinæ acie: *Octo cohortes in fronte constituit, reliqua signa in subsidiis artius collocat*. Hic fuit verus instructionis modus. In fronte signa *Hastatorum* constituta primam aciem faciebant, reliqua signa *Principum* & *Triariorum* subsidiorum vicem habebant, post *Hastatorum* acies collocata. At velites ante frontem, id est, ante primam aciem excurrentes, non peculiarem aciem formarunt. Ideo dixit Livius, *triplex acies Romana stetit*, quia hæ tres tantum statatariam pu-

A gnam pede collato capessebant. Velites modo in primam aciem procurrebant, modo in ultimam per intervalla sequentium signorum recurrebant, sine signis, sine ordinibus. Cum igitur in antiqua ordinatione legionum Romanarum quæ per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* in triplicem exurgebat aciem, secunda primæ esset subsidiaria, & tertia secundæ, non alia fuerunt tunc in exercitu Romano subsidia vel subsidiariæ acies. Et falluntur immensum viri doctissimi, qui in libris de Re Militari Romanorum notarunt, singulas acies *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum* suis subsidiis solitas firmari, & hanc esse quasi secundam
B aciei partem. Quæ sane nullus intelligo. Nam illæ ipsæ acies, quibus sua fuisse subsidia dicunt, pro subsidiis sibi invicem fuerunt, ut *Principes Hastatis*, & *Triarii Principibus*. Atque ita accipi debent verba Livii ex lib. XXXIV. *Fessos jam suos consul ex secunda acie subsidiariis cohortibus inductis accendit*. Ex secunda nimirum acie *Principum* subsidiarios manipulos induxit, qui fessos *Hastatos* in prima acie pugnantes sublevarent. Subsidia illa, quorum apud Livium mentio, in vetere militia nunquam aliter intelligenda. *Præter, hæc*, inquiunt, *subsidia quæ*
C *post singulas acies collocabantur, alia fuere subsidia, quæ vel in extremo vel alio commodiore loco a cætera acie separata constituebantur*. Hoc genus subsidiorum frequentatum est in no-


va militia, de quibus sequenti capite tractabitur.

CAP. XIII.

De subsidiis in Romanorum acie collocandis, sicut ea collocari mos fuit in ea militari disciplina, quæ sub Cæsaribus observata est.

SIc se subsidia & subsidiariæ acies habuerunt in antiqua instructione Romana, ut superiore capite a nobis expositum fuit. Non alia tunc subsidia locabantur, nisi quæ legitimæ aciei vicem locumque obtinerent. Et ratio ordinationis qua eo tempore utebantur in exercitu ad pugnam instruendo id necessario exigebat. Cum enim in latera aliæ post alias acies instrui solerent, quæ non simul pugnarent nec æqua fronte hostem procederent, sed ubi primæ cessissent, secundis ac tertiis locus ad dimicandum suus obveniret, sequentes, ut necesse fuit, præcedentium subsidiariæ erant. Ex eo igitur ordinandi instituto, quod tunc obtinebat, tot legitimæ acies exsurgebant, quot subsidia disponebantur. Et quæ ultimo locabantur, ea omnium firmissima habita. Nam gradatim a prima fronte ad postremam aciem, a junioribus & infirmioribus ad robustiores exercitatioresque atque etiam ætate provectiores ordo procedebat subsidiorum. Certum est autem, & plurimis id observatum, velitum procursionem sine ordine, sed catervis inordinatis pugnantium, non debere pro prima acie computari, cum ante signa ordinatorum sub signis peditum dimicarent, velitationibus & eminus jaculationibus. Prima ergo acies gra-

A vium peditum non habenda pro subsidiaria, sed omnes quæ a tergo ejus collocantur rectis ordinibus, subsidiorum vicem obtinebant. Atque ita auctores Romani loquuti sunt. Frontinus de consulibus Romanis contra Pyrrhum apud Asculum aciem instructam dirigentibus: *Contra consules aptissime divisis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in subsidiis collocarunt.* Prima acies eo tempore ex *Hastatis*, subsidia ex *Principibus* & *Triariis*. Atque ita Livius passim. Acies igitur antiquorum Romanorum per subsidia disponi solita corpori hominis simillima fuit. Caput in *Hastatis* B spectatur, quod erat imbecillius, truncus in *Principibus* sive pectus, quod fuit robustius. Hic enim robustior miles atque ætate firmatus. Et hæc secunda acies post primam, ac prima ipsa subsidiaria. Pedes sive basis ac fundamentum totius corporis in *Triariis* considerabatur. Quæ tertia acies fuit omnium firmissima atque ultima subsidiaria. Immo & *subsidii* vicem proprie sustinebat, utpote in ultimo collocata, & eo nomine præter alias censebatur, ex paucioribus constans quam reliquæ acies peditibus, sed lectissimis & fortissimis, ut mos fuit subsidia eligi ac deponi. Præterea revera subsidebant pugnantibus prioribus ordinibus, donec C pulsis aut cedentibus antepositis ad se veniretur. Diversus ab hac instruendæ aciei modus sub Cæsaribus usitatus aliam etiam induxit subsidiorum rationem. Non enim in rectum aliæ post alias tres ordinabantur, sed in fronte, ita ut brachiis hominis expansis triplex illa acies assimilaretur, non ipsi corpori a capite ad pedes protento. Duo cornua, id est, prima ac ultima acies in duabus manibus conspiciuntur, media in ipso pectore. Forma subjecta utriusque differentiam ostendet:




Recti ordines a summo capite ad imum descendentes speciem ordinationis antiquæ ostendunt per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios* instrui solitæ, acie introrsus trifariam divisa. Ordines vero transversi a dextro ad sinistrum se porrigentes novitiæ instructionis formam exhibent per duo cornua directæ cum media acie. In ista quæ triplex in fronte ordinabatur, nulla subsidia a tergo. Cum enim ad latus sibi invicem junctæ sint hæ ternæ acies non alia alii potest esse subsidio, ut in prisca ordinatione. Si vellent igitur subsidiarias copias habere Duces exercitus in hac ordinatione, extra ordinem erant quærendæ & adplicandæ. Idque factitabant modo a tergo cornuum eas collocando, modo post mediam aciem, cum olim stata esset sollemnisque atque unius formæ ex ipsa instructione proveniens ponendorum subsidiorum ratio. Triplex illa acies ex media ac duobus cornibus in fronte directa penes Cæsarianorum temporum Duces ex Romano & legionario milite ferme semper instituebatur, ut & apud veteres illa in rectum disposita per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. Subsidia autem ut extra ordinem

D fuere, ita non semper ex Romanis sumebantur, sed aliquando & ab auxiliis. Apud veteres autem subsidia semper ex Romanis capi solita, quia ita ordinationis institutum ferebat, ut ex triplici acie in rectum & introrsus directa, duæ ultimæ essent subsidiariæ. Consueverant autem & veteres etiam cornua habere in acie, sed ex Sociis, quæ tanquam alæ protegebant mediam aciem Romanam, quæ sola legitima habebatur. Reliquæ illæ utrimque ad latera quasi appendices computabantur, nec inter acies numerum aut nomen habebant. Idem postea fecerunt Cæsarianorum temporum Romani de copiis auxiliaribus, E quæ in censu levis armaturæ ponebantur, nec in justæ aciei appellationem cadebant, ut alibi demonstratum est. Multum igitur differt triplex acies in fronte instituta, & introrsus vel in latera disposita. Quæ sic ordinata est: duas habet subsidiarias sibi invicem succedentes, & ambas primæ, ut in antiqua Romanorum instruendæ aciei forma obtinuit. At quæ in fronte triplex constituitur, ad latera invicem sibi junctæ habentur, & sine subsidiis, cum altera alteri non possit esse sub-

ſidiaria. Apparet igitur Frontinum parum fuiſſe peritum rei militaris priſcorum Romanorum, cum militiæ ſui ſeculi eſſet ſcientiſſimus, qui ita ſcripſerit de Scipionis acie, qua adverſus Hannibalem in Africa conflixit: *Scipio adverſus hanc formam robur legionis triplici acie in fronte ordinatum per Haſtatos, Principes, & Triarios* oppoſuit. Si geſta hæc res fuiſſet eo tempore, quo ſcribebat Frontinus, ſine dubio ita ordinati eſſent. At quo tempore prælium illud commiſſum eſt inter Hannibalem & Scipionem, non in fronte a Duce Romano *Haſtati*, *Principes* & *Triarii* inſtructi ſunt, ſed in tres acies alias aliis ſibi invicem a tergo ſubſtitutas. Nec aliter ſuos in adverſum proceſſuros inſtruxerat Hannibal, ut ex Polybio conſtat & Appiano aliiſque auctoribus. Idem Frontinus eodem libro & capite de Cæſaris adverſus Pompejum in campis Pharſa-

A licis aciei inſtructione recte ſcripſit triplici acie illum *in fronte* ſuas legiones diſpoſuiſſe, nempe utroque cornu cum media acie. Sed Scipionis triplex acies longe alio ſenſu ac ratione, ut dixi, adverſus Hannibalem ordinata eſt, inſtructis nempe ac poſitis a tergo *Haſtatorum Principibus*, & pone iſtos *Triariis* collocatis. Media porro acies illo ævo, quæ ex Romanis ſolis ordinabatur, non ſolum binis a tergo ſubſidiis firmabatur, *Principum* & *Triariorum*, verum etiam ſingula cornua Sociorum, quæ lateribus aciei Romanæ triplicis adpoſita erant, totidem quoque ſubſidiis fulciebantur, quoniam & ipſa ſimiliter ordinari ſolebant, haud ſecus ac Romana acies per B *Haſtatos*, *Principes* & *Triarios*. Et hujus antiquæ aciei triplicis, ſi ſoli Romani numerantur; novemplicis, ſi Socii ſeparatas acies fecerunt, hæc fuit forma:



Ut ex his igitur quæ diximus conſtat olim ſtata ac ſollemnia, tam cornui utrique, quam mediæ aciei ſua fuere & ordinaria ſubſidia, quorum ratio & ordo raro mutabatur. Cornuum ſubſidia ex Sociis, mediæ aciei ex Romanis, quæ & ipſa totidem acies erant ſeparatæ, aliæ poſt alias locum tempuſque pugnandi ſortitæ. Procedente tempore, rebuſque in militia mutatis, ſubſidia varie poni cœpta ſunt, pro Ducum arbitrio, atque ex ipſorum prudentia, perinde ut locus, hoſtis, aut alia neceſſitas id exigerent. Modo juxta cornua ea collocabant, modo juxta medium. Interdum ſimplicem aciem mediam ſine ſubſidiis relinquebant, interdum cornua, ſæpe & hæc & illam ſimul, ſubſidiis firmabant. Sic Pharnaces apud Hirtium libro de Bello Alexandrino, ita aciem inſtruxiſſe ſuo more atque inſtituto memoratur, *ut in fronte ſimplici directa acie, cornua trinis firmarentur ſubſidiis*. Hæc acies Pharnacis triplex ſtetit, ex duobus cornibus ac media acie, *Trina* ſubſidia ſingulis cornibus adjecta, inter acies computata non ſunt. Alioquin ſi in hunc numerum nomenque veniſſent, non triplex, ſed novemplex extitiſſet Pharnacis acies. Dixerit aliquis hunc regem fuiſſe Armeniæ, ac proinde alia inſtituta ſequutum in acie inſtruenda, quam quæ Romanis ducibus eſſent conſueta. Immo omnes illi externi Reges ob crebra cum Romanis belli commercia partim bellum ipſis inferendo, partim auxiliis eos juvando, mores eorum magnam partem imbiberunt. Quinetiam conſtat ipſum Hannibalem cum in Italiam venit, pleraque ſui moris mutaſſe, & multa a Romanis mutuatum eſſe, ad bellicæ rei uſum pertinentia, ut alibi dicam. Hæc ipſa ſubſidiorum ratio, & ſubſidiarias acies ſeponendi conſuetudo, tota a Romanis eſt, quam raro aut nunquam Græci vel exteræ nationes uſurparunt. Et quamvis vocabulum ἐφεδρεία Græcum reſpondeat Romanæ voci *ſubſidium*, apud Græcos tamen ea vox in agonibus ludicris & monomachiis magnis locum habuit quam in præliis. Græci ſcriptores, qui res Romanas ſcripſerunt, ea uſi ſunt ad exprimendas acies Romanorum ſubſidiarias, quæ ſubſtitue-

C bantur in locum earum quæ ceſſerant hoſti, ut gladiator ἔφεδρος & ſuppoſititius in locum victi ſuccedens, & cum victore contendens. *Tertiarium* Latini dixere, non quod ſæpe unus, alter, tertiuſve ſubſtitueretur, ut cenſet Lipſius, ſed quod duobus pugnantibus, tertius in locum victi ſupponendus, cum victore pugnaturus, interim ſederet. ἔφεδρον ἀθλητῶν Græci dicunt. Adeo autem ignorarunt Græci Tactici hanc ſubſidiariorum ſuffectionem, qui ſuo loco ac tempore prioribus deficientibus pugnaturi erant, ut phalangem pro ſubſidiaria acie habuerint, reſpectu levis armaturæ, quæ prior dimicabat, & poſt quam præ- D lium demum ipſa phalanx ſumere ſolita erat. Sane ubicunque aliqui poſt alios pugnam ingrediuntur, quam priores deſeruerunt, hi poſteriores ἐφέδρων vicem & ſubſidiariorum obtinent. Polybius loco quem ſuperius adduximus: ἐφεδρεύουσι δὲ Ῥωμαῖοι, φάλαγγας ἔχοντες [illegible]. Nempe φάλαγξ ἐφεδρεύει, & *tertiariorum* loco ſubſidet, dum levis armatura pugnam cum hoſte committit. Quo magis magiſque Romani ad Græcorum τακτικὴν deflexerunt, propria in oblivionem deducta, eo rariora uſurparunt ſubſidia. Si qua tum locabantur, non eodem modo ſolita ut olim locari, cum E ſemper pari forma diſponebantur per *Principes* & *Triarios*. Catilina, cum octo cohortes in fronte conſtituiſſet, id eſt, primam aciem ex his feciſſet, reliqua ſigna in ſubſidiis artius collocavit. Qui adverſus eum conſtituerunt Romani duces, cohortes ſimiliter veteranas in fronte, teſte Salluſtio, poſt eas reliquum exercitum in ſubſidiis locarunt. Nulli utrobique *Haſtati*, nec *Principes* nec *Triarii*. Apud Cæſarem pauca admodum reperiuntur, in ſequentibus ſæculis nulla. In ordinatione Arriani contra Alanos nihil ſubſidiorum in extremis poſitum extat. At vetus ordinandi ratio, ut jam ante dixi, tota per ſubſidiarias acies, & F ſuppoſititias explicata eſt. Nunc redeamus ad Pharnacis inſtruendæ aciei inſtitutum, quod ipſi pæne perpetuum fuiſſe Hirtius ſignificat, dum ait *ſuo more & inſtituto* aciem ſic inſtruxiſſe. Cum trinis ſubſidiis cornua ſua firmaſ-

ſet, *Eadem*, inquit, *ratione hæc media collocabantur acie, duobus dextra ſiniſtraque intervallis ſimplicibus ordinibus relictis*. Vix hæc capere videor, haud ſcio an aliis capienda. Dixit ſimplicem aciem in fronte directam. Frons aciei media eſt acies inter cornua. Hæc ſimplex directa eſt, id eſt, nullis ſubſidiis fulta. Cornua autem ſcribit trinis ſubſidiis firmata. Ergo acies in cornibus non ſimplices fuere, ſed tantum media, utpote cui nulla adjecta fuerint ſubſidia. His verbis tamen ait ſatis diſerte, eadem ratione qua in cornibus, in media etiam collocata fuiſſe ſubſidia. Quid enim aliud hæc tinniunt? *Eadem ratione hæc media collocabantur acie*. Hæc intricatiſſima ſunt, niſi eo modo quo ſentio expediantur. Videtur igitur hoc velle, atque hanc exiſtimo fuiſſe Pharnacis inſtructionem. In fronte ſimplicem inſtruxit aciem, id eſt, cornua cum media acie in unam aciem conjunxit, æquata fronte & quadrata. Ex cornibus, & media acie non plures nec ſeparatas acies fecit, ſed unam. Ideo intervalla quibus vulgo cornua a media acie, dextra ſiniſtraque, diſtinguebantur, ſimplicibus ordinibus explevit, ut unum & continuum eſſet agmen, atque una & ſimplex acies conſtitueretur. Ita enim ſubjungit: *in duobus dextra ſiniſtraque intervallis ſimplicibus ordinibus inſtructis*. Duo enim erant intervalla dextra ſiniſtraque inter cornua & mediam aciem, ſicut inſtitui ab his ſolebant, quibus tres acies ex duobus cornibus & media acie facere placitum. Sic inſtructa ergo acie ſimplici, fronte longa & quadrato agmine, duo cornua trinis ſubſidiis firmavit. Idem fecit in media acie, quam pariter trinis fulſit præſidiis. Et planus eſt eorum verborum ſenſus: *Pharnaces aciem inſtruxit, more ſuo atque inſtituto. In fronte enim ſimplici directa acie, cornua trinis firmabantur ſubſidiis. Eadem ratione hæc media collocabantur acie, duobus dextra ſiniſtraque intervallis ſimplicibus ordinibus inſtructis*. Ex his patet verum eſſe quod diximus, ſubſidiis quamlibet grandibus nomen aciei nunquam inditum fuiſſe, nec per ea creditum acies multiplicari, præſertim ſi de auxiliaribus copiis inſtruerentur. Hinc cum ſæpe tot numero ſubſidia uni aciei ſubderentur, ut novena in hac Pharnacis ordinatione poſita videre eſt, nuſquam tamen ultra *quadruplicem* aciem legimus factam. Hujus mentio duobus aut tribus locis apud Cæſarem extat. Cum triplicem aciem in Pompejum pugnaturus inſtituiſſet, quartam addidit detractis ſex cohortibus ex tertia & poſtrema acie. Scipio narratur in lib. de bello Africano *quadruplicem* aciem contra Cæſarem inſtruxiſſe. Sed prima ex illis quatuor fuit, quam ex equeſtribus turmis compoſuerat, turritis interpoſitis elephantis. At novum illud & peculiare Scipioni fuiſſe ibidem traditur, aciem ex equitibus ſeparatim formare. Ita enim ſcribit auctor illius commentarii: *Scipio eductis omnibus copiis quadruplici acie inſtructa, ex inſtituto ſuo prima equeſtri turmatim directa, elephantiſque turritis interpoſitis*. Hoc fecit, quia numeroſum equitatum habebat. Hac eadem ratione motus Labienus contra eundem Cæſarem in Africa dimicaturus non peditum aciem, ſed equitum inſtruxit: *Hoſtes interim, quorum dux Labienus erat, & duo Pacidii, aciem dirigunt mirabili longitudine, non peditum, ſed equitum confertam, & inter eos levis armaturæ Numidas & ſagittarios interpoſuerant, & ita condenſaverant, ut procul Cæſariani pedeſtres copias arbitrarentur*. Poſtremis imperii Romani, cujus ſedes fuit Conſtantinopolis, temporibus, non aliæ acies quam ex equitatu inſtruebantur, tota militia illius ævi a peditibus ad equites traducta. Cum enim diſciplina militaris intercidiſſet; & legionarius mi-

A les plane cum ea excidiſſet, pedeſtri militia deſerta, ſolam equeſtrem excoluerunt. Sed de hac rei militaris poſtrema mutatione hic agere non decrevi. Ex inſtituto igitur ſuo, non communi, aciem inſtruxit quadruplicem Scipio, cum primam ex equeſtribus turmis compoſuit. Similiter & de Pharnace notavit, more ſuo & inſtituto aciem direxiſſe, cum trinis ſubſidiis tam cornu utrumque quam mediam aciem firmavit, hoc eſt, in totum novenis. Abundabat nimirum multitudine copiarum, ex quibus tot numero ſubſidia ſufficere potuit. Domitius qui contra eum ſtetit, triplici acie inſtructa, hoc eſt, duobus cornibus & media acie, quod ſupere- B rat cohortium in ſubſidiis collocavit. Sed una Afraniana acies ſatis oſtendit, ſubſidiarias manus, ſi ab auxiliis eſſent aciei ſubditæ, nihil contuliſſe ad numerum acierum multiplicandum. Eam aciem explicare conati ſunt viri docti, ſed irrito conatu operam perdiderunt. Primum ex corruptiſſimis quibus ea enarrantur Cæſaris verbis nihil ſani aut ſinceri elicere quiti ſunt. Ea nos ex veteribus libris & ratione ipſa, ut emendari debent proponemus: *Acies erat Afraniana duplex, legionum v. Tertiæ in ſubſidiis locum alariæ cohortes obtinebant. Cæſaris triplex, ſed primam aciem quaternæ cohortes ex v. legione tenebant. Has ſubſidiariæ* C *ternæ, & rurſus aliæ totidem ſuæ cujuſque legionis ſubſequebantur*. Inſignis & illuſtris hic locus ad fidem faciendam, non fuiſſe tunc aciei nomen inditum ſubſidiariis copiis, ſi de auxiliis inſtruerentur. Ecce Cæſari Afraniana acies duplex traditur, quæ tamen triplex fuit, ſi tertia acies quæ ex cohortibus alariis addita erat, in hunc numerum veniſſet. Quinque legiones habuit Afranius cum Petrejo. Ex his quinque legionibus duplicem inſtruxerunt aciem, duobus nempe cornibus dextro lævoque conſtantem, ſine ulla media acie. Tunc enim duplex erat, ut ante demonſtratum eſt, cum D in duo cornua tantum divideretur, ſpatio inter ſe diſtantia. In ſubſidiis *alarias*, id eſt, auxiliares cohortes ſubſtituerant, quæ tertiæ aciei locum obtinebant, non revera tertiam aciem conſtituebant. Tunc enim non duplex, ſed triplex acies Afraniana extitiſſet: Hanc aciem Afranianam contra, eamque duplicem, ſtetit Cæſariana triplex. Hæ tres acies, ut diſerte ibi ſcribit ipſe Cæſar, ſubſidiariæ ibi invicem erant, & ſuppoſititiæ: cum alteram ſubſequeretur. Primam aciem, & in fronte poſitam, quaternæ cohortes ex quinta legione tenebant. *Has ſubſidiariæ*, inquit, *ternæ, & rurſus aliæ totidem ſuæ cujuſque legionis ſubſequebantur*. Ternæ E cohortes ex eadem legione quinta, ſubſidiariæ, id eſt, poſt primam aciem a tergo poſitæ, ſecundam aciem faciebant, eamque mediam & primæ ſubſidiariam. Hanc ſecundam tertia ſimiliter pone ſubſequebatur, ex ternis reliquis ejuſdem quintæ legionis cohortibus compoſita. Vides *acies* proprie nominari, quæ ſubſidiarias manus ordinatas habuerunt atque ex legionariis inſtructas, in hunc numerum ac nomen cenſumque non venire quæ ex auxiliariis inſtituuntur. Quod & Cæſar idem confirmat, ubi Craſſi legati ſui aciem duplicem tantum facit, qui mediam tamen etiam ex auxiliis inſtruxe- F rat, ſed iſta quia ab auxiliaribus erat, non numerata, duas modo quas ex legionariis conſtituerat, hoc nomine donavit: *Craſſus prima luce productis copiis omnibus, duplici acie inſtituta, auxiliis in mediam aciem conjectis, quid hoſtes conſilii caperent, expectabat*. Quod diximus de ſubſidiis, etiam dilucide liquet ex alia Cæſariana triplici acie, quæ contra Afrianianam conſtitit, nempe cum ita ordinantur acies, ut altera alteram ſequatur ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν, ut Græci Tactici loquuntur, tum ſequentes omnes primæ ſubſidiarias intelligi. Atque ita neceſ-

ſe eſt. Cum enim ſic locatæ, ſimul & eodem tempore dimicare nequeant, eo ordine, quo dipoſitæ ſunt, pugnant, altera poſt alteram. Ita omnes ſibi invicem ἐφεδρεύουσι, & ſubſidiariæ ſunt. Sic verum probatur, quod ſupra adſtruximus, cum per *Haſtatos*, *Principes*, & *Triarios* ita dirigebantur acies, ut *Principes* poſt *Haſtatos* collocarentur, poſt *Principes Triarii*, ſubſidiarios fuiſſe *Principes Haſtatorum*, & *Principum Triarios*, immo & *Haſtatos* ipſorum velitum qui primi pugnæ initium faciebant. Apud Cæſarem exempla ſcio extare hujuſmodi poſitionis, in qua acies aciem ſubſequitur ſubſidiorum modo, & apud Salluſtium in acie Catilinæ. Quocumque autem genere triplex acies inſtrueretur, vel tranſverſa poſitione, vel obliqua, vel recta, ſemper media acies ſecundæ locum nomenque obtinebat. Sin autem duobus cornibus fronte æquali conſtitutis, media acies retracta quaſi ſubſidio poſt duas præcedentes poneretur, tum media illa acies pro tertia habebatur, duo cornua pro prima & ſecunda. Quod alibi pluribus confirmabimus. *Subſidiariæ aciei* meminit nominatim Hirtius de ea quæ ex Numidis erat compoſita, commentario de Bello Africano: *Scipio hoc modo aciem direxit. Collocabat in fronte ſuas & Jubæ legiones. Poſtea autem Numidas in ſubſidiaria acie ita extenuatos & in longitudinem directos, ut & procul ſimplex eſſe acies a legionariis militibus videretur: in cornibus autem duplex eſſe exiſtimabatur*. Hoc videtur facere contra eam obſervationem, quam hic adſtruximus, ſubſidiis ex auxiliaribus comparatis aciei nomen in exercitu Romano dari non ſolitum. Sed Numidæ in ea acie inter auxiliares non cenſebantur. Juba Rex erat in partibus. Legiones habebat ut & Dux Romanus, qui Jubæ legiones & ſuas in fronte collocaverat. Hæc erat prima acies. Huic ſecundam ſubjunxerant ex Numidis ejuſdem Regis Jubæ, qui cum Scipione ex æquo bellum adminiſtrabat, & pro pari ſe gerebat. Eam aciem ſubſidiariam adeo fuiſſe extenuatam dicit Hirtius, ut acies media, hoc eſt, prima in fronte inter duo cornua poſita, ſimplex videretur. Subdita illi acies ſubſidiaria debuit facere, ut duplex ea parte videretur. Ita enim duplex & triplex & quadruplex acies habetur ac dicitur, cum primæ ſubjicitur ſecunda, ſecundam ſubſequitur tertia, & tertiam quarta. At acies illa Numidarum ſubſidiaria præcedenti primæ ſuppoſita adeo fuit tenuis, id eſt, paucis ordinibus ſtructa, ut non videretur altera acies, quæ priori ſubjecta duplicem eam conſtitueret. In cornibus autem duplex eſſe exiſtimabatur, quia primum elephantos dextro ſiniſtroque cornu collocarat, deinde poſt elephantos armaturas leves, Numidaſque auxiliares, ſubſtituerat. Sic duplicia cornua videbantur cum acie Numidarum ſubſidiaria, quæ in longitudinem porrecta ad utrumque cornu & mediam ſimul aciem a tergo extendebatur. Vides auxiliares Numidas, qui in exercitu Scipionis inter auxilia ejus militabant, diſtingui a Numidis Jubæ ex quibus ſubſidiaria illa acies erat compoſita. Sic manet immotum, quod adſtruximus, ſubſidia quæ ab auxiliis erant, nomen aciei non tuliſſe: quæ ab legionariis, numerum inter acies feciſſe, & locum habuiſſe. Subſidiorum porro antiquæ & novæ militiæ differentia hæc ſumma fuit. Quod in antiqua militia legitimæ & ſolemnes fuere ſubſidiariæ acies, nec aliter inſtructi exercitus ordinatio procedebat, niſi per ſubſidiarias acies. In nova militia acies inſtruebantur interdum cum ſubſidiis, interdum ſine his. Hæc ſubſidia eodem modo inſtruebantur, ut juſtæ ac legitimæ acies; quinimo acies etiam nominabantur, & numerum etiam acierum augebant, ſi ex civibus ac legionariis Romanis inſtitutæ eſſent. Præterea hoc etiam differebant apud priſcam &

A recentem ordinationem ſubſidiariæ acies, quod olim cedentibus prioris aciei militibus locum dabat recipiendi ſe ſequens ſubſidiaria acies per intervalla, quibus tum ordines inter ſe diſtabant. Poſteriorum temporum ſubſidia feſſis & laborantibus ſubmittebantur, ut aut a tergo, aut a lateribus hoſtes vincendo occupatos adorirentur inopinantes. Procedente etiam tempore aliter comparata eſt ratio ſubſidiorum. *Lectiſſimos de peditibus & equitibus cum vicariis comitibus ac tribunis habebat dux poſt aciem præparatos, alios circa cornua, alios circa medium, ac ſicubi hoſtis vehementius inſiſteret,*
B *ne rumperetur acies, provolarent ſubito, ac ſupplerent loca, additaque virtute inimicorum audaciam frangerent*. Hæc verba ſunt Vegetii lib. III. cap. 17. qui adjicit, *optimam hanc eſſe rationem, & plurimum ad victoriam conferre*. Paria his plane ſunt, quæ leguntur in Græco Strategico Onoſandri, qui liber eſt de arte imperatoria. Ἐχέτω δὲ ἐπὶ, inquit, ἐκ ςρατιώτας λογάδας ἰδίᾳ τεταγμένους ἀπὸ τῆς φάλαγγος, ὥσπερ ἐφέδρους τοῦ πολέμου πρὸς τὰ καταπονούμενα μέρη τῆς δυνάμεως, ἵνα ἐξ ἑτοίμου τοὺς ἐπικουρήσοντας ἐπάγῃ. *Habeat & lectos milites dux, ſeorſim ab acie ſua conſtitutos, tanquam ad ſubſidium locatos, ut ad manum ſint, quos inducere poſſit ſubventuros*
C *parti exercitus laboranti & fatigatæ*: Λογάδας vocat Onoſander ςρατιώτας, *qui lectiſſimi de peditibus & equitibus* Vegetio. Et apparet hæc a Frontino hauſiſſe, ut alia fere omnia, quemadmodum & ipſe profitetur. Qui Frontinus Græcæ pariter Romanæque rei militaris ſcientiſſimus, de utraque ſcripſerat. Hæc ratio parandorum ſubſidiorum de lectis militibus paulo diverſa fuit ab ea, quam Romani frequentabant. Non enim lectos milites toto exercitu ad hanc rem habebant, ſed aut legiones integras ad ſubſidiariam aciem inſtituendam adhibebant, ſi de legionariis eam comparare vellent, aut etiam cohortes aliquot e legione detractas in hoc
D ſeponebant. Sin de auxiliis ſumere mallent quod ad ſubſidium ſervarent, integras aliquot cohortes alarias eligebant. Onoſandri de arte imperatoria liber Græcis ſcriptus eſt, non Romanis. Nam Græcanicæ τακτικῆς præcepta continet, non Romanæ, ut alibi oſtendam. Hoc porro de ſubſidiis præceptum, Græcum potius morem reſpicere videtur, quam Romanum. Nam φάλαγγα nominat, quæ Græcorum tota eſt: Ἐχέτω λογάδας ςρατιώτας ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἰδίᾳ τεταγμένους. *Habeat lectos milites ſeorſim a phalange ordinatos*. Græci tamen, ut ante docui, non ſolebant in prælio ſubſidiis ejuſmodi uti. Nec enim eorum ἐφεδρειῶν in bello & in acie
E meminerunt Ælianus & Arrianus. Videtur ergo Onoſander, qui ſub Romanis vixit, ætate, ut ſentio, Neronis, qui etiam opus ſuum homini Romano Quinto Veranio dedicavit, quem Veranium eum eſſe ſuſpicor cum doctis viris, qui Didio Gallo in rebus Britannicis ſucceſſit. Videtur, inquam, is Onoſander, hanc ſubſidiorum rationem, quam Romani in bellis ſuis crebro uſurparunt, optimam judicaſſe, ut revera eſt, & adjunxiſſe rei militari Græcorum, eo ſcilicet quo potuit modo. Cum enim phalange pugnarent Græci quod erat corpus unum & continuum ex gravi armatura compoſitum, nec plus quam phalangem ſingularem in bel-
F lum ducerent, ſi ſubſidiariam aliquam manum ſeponere vellent, lecti milites ex illa phalange detrahendi fuere, quos ad hunc uſum ſeorſim a phalange inſtructos & paratos habere poſſent. Onoſandrum ea parte vertit Frontinus, Frontinum exſcripſit Vegetius qui addit ſtatim: *Hoc primos Lacones inveniſſe, imitatos eſſe Carthaginenſes, Romanoſque poſtea ubique ſervaſſe*. Sane hoc etiam Romani imitati ſunt ac ſervarunt, ſed non ſemper, nec eodem modo. Laconum inventum

fuisse dicit. Profecto nec alii Græci, nec Macedones eo usi repersuntur. Nec inter Tactica Grecorum vocabula ἔφεδρος aut ἐφεδρεία, conspicitur. Romani ipsi postremo uti desierunt, aut rarius usi sunt, sed in locum subsidiorum machinas substituerunt. Arrianus in eo libello, quo docet, quomodo acies instruenda sit adversus Alanos, nihil subsidiorum ponit. Post duas legiones Romanas in acie instructas, pone utrumque cornu machinas collocandas præcipit. Μηχαναὶ δὲ, inquit, ἐφεστηκέτωσαν τῷ κέρατι ἑκατέρῳ, ὡς πορρωτάτω προσιόντων πολεμίων ἐξακοντίζειν, καὶ κατόπιν τῆς πάσης φάλαγγος. Carris impositæ supra aciem instructam e longinquo in hostes etiam procul dissitos ejaculabantur tela, aut ingentia saxa. Non tamen pro subsidiis eæ substitutæ machinæ videntur, sed eundem usum habebant, quem nunc habent Bombardæ nostræ, quæ tamen non semper post aciem ponuntur, sed & ante. Et ratio in promptu est, cur diversa sit hodiernarum machinarum, & antiquarum in acie collocatio, de qua nos in magno opere. Sunt quibus placeat, elephantos olim eundem usum præbuisse in bellis. & eundem locum tenuisse in acie, quem nunc obtinent vulgares Bombardæ. Certe & ante aciem collocabantur, ad proturbandos & perrumpendos hostilis exercitus ordines. Quod præstant igniariæ illæ machinæ, quarum nunc usus est. Sed his discutiendis & exacte putandis alius & suus dabitur locus. Machinæ illæ veterum, ballistæ, onagri, scorpiones, & alia, de quibus nos alibi. In unaquaque legione quinquaginta quinque carroballistæ esse solebant, & decem onagri, per singulas cohortes singuli. *Non solum autem castra defendunt*, inquit Vegetius, lib. II. cap. ultimo, *verum etiam in campo post aciem gravis armaturæ ponuntur, ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare*. Quæ sine dubio habet a Frontino. Arrianus qui eadem ætate vixit, similiter post aciem gravis armaturæ collocandas docet machinas bellicas, quarum tanta vis fuit, ut more fulminis, quidquid percusserant, dissolverent, aut perrumperent. De quibus nos alibi. Hoc etiam porro discrimine distabat vetus res militaris a nova, quod ejusmodi machinæ incognitæ essent veteribus, quas recens ad disturbandam hostium aciem in ipso conflictu usurpavit. Insignis his tormentis locus apud Tacitum lib. III. Historiarum de Vitellianorum acie contra Galbæ exercitum directa, quæ per hujusmodi machinam magnam hostium stragem edebat in ipsa pugna: *Namque Vitelliani tormenta in aggerem viæ contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo, & arbustis sine hostium noxa illisa. Magnitudine eximia quintæ decimæ legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat, lateque cladem intulisset, ni duo milites præclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis, ignorati, vincula ac libramenta tormentorum abscidissent*. Ubi vides *ballistam legionis* dici, ut inde colligas unicuique legioni sua fuisse attributa tormenta. Rara certe aut nulla subsidia eo tempore post acies primas locari solita. Nec ulla eorum mentio in descriptionibus præliorum, quæ apud Historicos illius ævi habentur. Equites ad cornua disponuntur, acies peditum in medio, pone eos levis armatura & machinæ, ut apud Arrianum. Sed & apud Julianum de gestis Constantii levis armatura in ultimo ponitur, nullis aliis subsidiis. Cæsaris tamen ætate leves ante primam aciem dimicabant. Sed & e novissimo agmine sæpius ante primam aciem emicabant, hostis lacessendi, & si occasio daretur, etiam debellandi gratia. Cui generi ordinationis optime, ut ante diximus, convenit divisio aciei in *antesignanos* & *postsignanos*, si levem armaturam velis primæ aciei frontem constituisse, & scutatos pro subsidiariis habuisse, ut alicubi dicit Polybius, & aliquot locis ait quoq; Livius, primam aciem ex jaculatoribus & leviter armatis constitisse. Ita olim fuisse ostendit mos ordinandi apud recentiores Græcos τακτικοὺς, qui totum exercitum ad pugnam instructum, in duas acies dividunt, εἰς προμάχους & βοηθοὺς, id est, in *antesignanos* & *postsignanos*, in levem armaturam, quæ ante signa pugnabat, & gravem, quæ sub signis incedens & post signa subsidium præstabat levi armaturæ. Leo in Tacticis, cap. 18. Ἡ μέντοι συνήθης Ῥωμαίοις τάξις καὶ γυμνασία αὕτη πρὸς πᾶν ἔθνος ἐπιτηδεία ἡμῖν φαίνεται, τουτέστιν, ὅταν εἰς δύο τάξεις εἰς προμάχους καὶ βοηθοὺς τάσσεται, εἰς προκούρσωρες καὶ δεφένσωρες. Mauricius ἰταλικὴν eam γυμνασίαν appellat. Isti *præcursores* olim fuere velites sive *antesignani*, quod ante signa procurrerent. *Defensores* autem graves pedites, quos velut subsidiarios fuisse velitum tradit Polybius, id est, βοηθοὺς. Glossæ veteres: *Subsidium*, βοήθεια. De equestri quidem exercitu & exercitio Mauricius & Leo illud scribunt, quod vulgo Romana acies divideretur εἰς προμάχους καὶ βοηθοὺς, sive in *præcursores* ac *defensores*, sed eo tempore conversa militia in equestrem erat, & ad exemplum pedestris plane constituta. Ex pedestri igitur antiqua illa divisio manavit. Nam in equestri nihil tale noverat Cæsariana militia, sed nec Polybiana. At in pedestri militia illo ævo, quæ raro usurpabatur, pro antiquis subsidiis habebant νωτοφύλακας. Eos post aciem primam collocabant, Latine *tergi custodes*, quos ut plurimum in binis πλινθίοις disponebant in omnem partem conversis. Ita & suos πλαγιοφύλακας habuerunt, quos lateribus aciei adplicabant ad ea protegenda, ut νωτοφύλακες tergum custodiebant. De quibus nos infra, ubi militiam eorum temporum comparabimus cum vetustiore.

CAP. XIV.

De levi armatura ac velitibus & quantum in eorum appellatione vetus ordinatio differat a nova. De accensis ac rorariis.

DE subsidiis satis dictum. Nunc de levi armatura dicendum, & quem locum in legione & in acie olim & post habuerit, quomodo vocata sit apud veteres Romanos in republica libera viventes, & sub Cæsaribus vitam trahentes, quis ejus usus utroque tempore fuerit, & qua in parte locari solita. Nam in his omnibus non parum etiam diversa fuit militia vetus a nova. *Rorarii* primo & *Accensi* dicebantur, & primis ferme atque antiquissimis temporibus his nominibus appellatam levem armaturam habuerunt legiones & acies Romanæ. Alii *Rorarii* fuere ab *Accensis*, & notandum est, quid discriminis inter eos fuerit, cum utrique leves essent, & ex eorum genere, quos Græci ψιλοὺς appellant. *Rorarios* honestiorem gradum habuisse, quam *Accensos*, significat Livius lib. VIII. cum prius nominet *Rorarios*, deinde *Accensos*. Nam in postrema acie cum post *Triarios* utrumque hoc genus locari solitum scripserit, & primum vexillum novissimæ aciei *Triariis* dederit, statim addit, *secundum vexillum*, nempe ducebat, *Rorarios minoris roboris ætate factisque. Tertium Accensos minimæ fiduciæ manum: eo & in postremam aciem rejiciebantur*. Ergo *Accensi* minus digni & honesti gradus quam *Rorarii*. In ipsa pugna *Rarariorum* meminit, qui inter *Antepilanos*, id est, inter *Hastatos* & *Principes* procurrebant, addebantque iis vires, non item *Accensorum*. Quinam igitur isti *Accensi*, & quod eorum in exercitu munus, vel ministerium? Varro lib. VI. de L. L. ubi *Rora-*

rios ſimul & *Accenſos* in verſu Plautino qui fuerint explicat, ex Catone oſtendit, *Accenſos* miniſtratores eſſe. *Accenſos*, inquit, *miniſtratores Cato eſſe ſcribit. Poteſt id ab arbitrio: nam inde ad arbitrium ejus cujus miniſter*. *Rorarios* autem dictos *a rore* ait, *qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat, quam pluit*. Ex quibus liquet *Rorarios* pugnaſſe in acie Romana ante reliqua ſigna procurrendo in hoſtes, non *Accenſos*, qui miniſtri erant tribunorum, ſi forte, & centurionum, immo etiam conſulum vel prætorum, ut idem Varro ſcribit apud Nonium libro XX. Rerum Humanarum: *Ut conſules ac prætores qui ſequuntur in caſtra, Accenſi dicti, quod ad neceſſarias res ſæpius acciantur, velut accerſiti*. Nonius addit eos eſſe quos ſua ætate *Deputatos* vocabant. Et ſane *Deputati* apud Mauricium ac Leonem in Tacticis memorantur in legionis numero ac cenſu inter illos, quos Græci ἐκτάκτους nominant, qui extra ordinem ſunt, ſigniferi, buccinatores, medici, mandatores. Deputati autem in iſto erant numero, munerisque id habebant, ut ſaucios ex acie reportandos curarent. Non ergo iidem cum *Accenſis* veterum, ut vult Nonius. Sed neque *Accenſi* Liviani, qui una cum *Rorariis* nominantur in acie Romana, & manum ſeparatam conſtituebant ſub vexillo proprio incedentem, iidem fuiſſe videntur cum illis *Accenſis*, quos Cato, & ex eo Varro miniſtratores conſulum & prætorum appellat. De his *Accenſis* Aſconius ita ſcribit commentationibus in Ciceronem: *Accenſus nomen eſt ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentarienſis, aut cornicularius. Hæc enim nomina de militia legionaria ſumpta ſunt*. Ciceronis locus ad quem hæc notavit, habetur in lib. I. in Verrem his verbis: *Homo autem ordinis ſui frugaliſſimus qui tunc Accenſus C. Neroni fuit, P. Tettius, hæc eadem ſe Lampſaci cognoſſe dixerit*. Hi *Accenſi* ex eo genere & ordine ſunt, quos Varro ſcribit, loco ſupra citato, conſules & prætores in caſtra ſequi ſolitos, ut res iis neceſſarias adminiſtrarent. Nec ſolum conſules & prætores hujuſmodi habuere miniſtros, dictos *Accenſos*, ſed etiam decuriones & centuriones, ut ex eodem Varrone liquet, alio loco, qui apud Nonium legitur in hæc verba: *Quid de Adſcriptivis quum erant attributi decurionibus & centurionibus, qui eorum habent numerum, Accenſi vocabantur*. In veteribus inſcriptionibus mentio etiam extat, *Accenſi conſuli*. Non dicitur *conſulis Accenſus*, ſed *Accenſus conſuli*. Ut apud Ciceronem *Accenſus Neroni*. Etiam monumenta poſt Auguſtum vetera horum accenſorum habent mentionem. Et ille ipſe qui in veteri inſcriptione fuiſſe dicitur *Accenſus conſuli*, etiam *Auguſtalis* appellatur. Certum quippe eſt ſæpius in veteribus memoriis *Accenſorum* & *Accenſorum velatorum* nomen reperiri, qui longe diverſi extitere ab illis accenſis militaribus, quos cum *Rorariis* in acie collocat Livius. At Ciceronis ætate, immo & Varronis, atque etiam Catonis, exercitus Romanus nullos tales habuit *Accenſos*, qui inter levis armaturæ pedites cenſerentur. Quinimo & ipſorum nomen *Rorariorum*, qui in militia jungebantur cum *Accenſis*, plane exoleverat, & ſoli *Velites* pro levi armatura tunc nominabantur. At Plauti verſus, quem Varro interpretatur, *Rorariorum* etiam cum *Accenſis* junctim meminit, & ſimul teſtatur eorum operam in acie ad pugnam deſideratam. Sic enim ſcripſerat in Frivolaria: *Ubi Rorarii eſtis? En ſunt. Ubi ſunt Accenſi? Ecce*. Miles aliquis Thraſonides in ea fabula levem ſuam armaturam requirebat, ut ad prælium eam inſtrueret, ut facit Thraſo in Eunucho Terentiana:

Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dexterum.
Cedo alios. Ubi centurio eſt Sanga, & manipulus furum?
S. Eccum adeſt.

Varro autem dum illum verſum interpretatur, perperam ex ſuæ ætatis uſu & more de miniſtratoribus conſulum ac tribunorum accipit. Miniſtri illi conſulum, prætorum, tribunorum, decurionum, & centurionum nec pugnabant in acie, nec ſub vexillo ordinabantur, ut de *Accenſis*, quos cum *Rorariis* junxit, Livius narrat. Horum manus in exercitu fuit peculiaris, ut ex eo Livii loco apparet, & ex Plauto, quæ proprium ſignum ſequebatur. Puto veram eſſe ſententiam Verrii ſive Feſti tradentis eos ſic fuiſſe appellatos, quod ſupplendis legionibus adſcribebantur, unde & *adſcriptitii* etiam dicebantur. *Adſcriptitii*, inquit, *velut quidam adſcripti dicebantur, qui ſupplendis legionibus adſcribebantur. Hos & Accenſos dicebant, quod ad legionum cenſum eſſent adſcripti. Quidam Velatos, quod veluti inermes ſequerentur exercitum*. Idem in voce *Velatus*: *Velati appellabantur veſtiti & inermes, qui exercitum ſequebantur, quippe in mortuorum militum locum ſubſtituebantur. Ipſi ſunt & ferentarii, qui fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur*. Etiam in voce *Adſcriptitii*, idem notavit, hos *Accenſos* a nonnullis dictos *Ferentarios*, *quod fundis lapidibuſque præliaturi ea modo ferrent, quæ in hoſtes jacerent*. Ideo autem minoris in militia meriti ac dignitatis cenſebantur, quam *Rorarii*, quia lapidibus tantum & fundis præliarentur, cum *Rorarii* haſtis & jaculis pugnarent. Unde apud Ennium, *Spargit rorarius haſtas*. Cum autem verum ſit, certum numerum inermium militum ſequi olim caſtra ſolitos, & legionibus adſcribi vel accenſeri, ut in demortuorum militum locum ſubrogarentur & ſupplerent defectum legionum, pro certo etiam ſciri debet, his ab ea re nomen *Adſcriptitiorum* vel *Adſcriptivorum*, item *Accenſorum* nomen hæſiſſe, quod legioni adſcriberentur & accenſerentur. De his etiam Plautus in Menæchmis:

—— *Extra numerum es mihi,*
Idem iſtuc aliis Adſcriptivis ad legionem fieri ſolet.

Eorum igitur *Adſcripticiorum* & legioni accenſorum, qui tamen extra numerum erant, inſtitutio hoc ſpectabat, ut eſſent, qui ſupplere & integrare numerum legionis poſſent, ſi quos in prælio cadere contingeret. Ideo caſtra ſequebantur, & ſingulis legionibus certus eorum numerus adſcriptus erat. Ne autem prorſus inutiles eſſent, fundæ iis attributæ, quibus ante primam aciem, cum reliqua levi armatura, quæ *Rorariorum* nomen tunc habuit, lapidibus hoſtes irritarent ac laceſſerent. Ipſi autem *Rorarii* jaculis & haſtis id agebant. Hi *Accenſi* ſive *Adſcriptivi* ſuum vexillum habebant, ut & *Rorarii*, & cum acies ad pugnam inſtruebantur, in noviſſimo agmine poſt omnes acies locabantur, ut ex Livio conſtat. Potuit quidem fieri, ut ex his *Adſcriptivis* aliqui deputarentur ad miniſterium ducum, tribunorum, decurionum, ac centurionum. Quod diſerte Varro teſtatur apud Nonium his verbis, in libris de vita populi Romani: *Qui de Adſcriptivis quum erant attributi decurionibus ac centurionibus, qui eorum habent numerum, Accenſi vocabantur*. Quæ verba Varronis hoc ſignificare videntur, *Adſcriptivos* dictos genere omnes, qui ſic militarent, ut legionibus ſupplendis deſtinarentur; ſi qui autem ex his attribuerentur decurionibus & centurionibus, *Accenſos* proprie appellatos eſſe, quod his accenſerentur,

rentur, id eſt, attribuerentur. Sed huic Varronianæ diſtinctioni ac notationi obſtat, quod apud Livium legitur, *Accenſorum* nomen, qui ſub vexillo proprio in acie ordinabantur una cum *Rorariis*, atque hoſtem invadebant ante ſigna peditum fundis ac lapidibus eum inceſſentes, ut *Rorarii* jaculis. Et ſane æque *Accenſi* dici potuerunt, quod legioni accenſerentur, ut in demortuorum locum militum ſuccederent, quam quod attribuerentur decurionibus ac centurionibus, ipſiſque adeo prætoribus & conſulibus. Dicebantur etiam *Velati* quod veſtiti tantum, non etiam armati eſſent, id eſt, loricis muniti, & galeis tecti, ut Verrius docet, & ex eo Feſtus: *Velati appellabantur veſtiti & inermes, qui exercitum ſequebantur, quique in mortuorum militum locum ſubſtituebantur*. Eadem ratione & *Velites* appellati, ut infra dicemus, ſed non propterea *Velitum* nomen pro *velatorum* ibi ſubſtituendum. In voce *Adſcriptitii*, etiam *velatos* a nonnullis nuncupatos eos adſcriptitios notat, atque etiam *Accenſos*, quod ad cenſum legionis adſcripti eſſent. Quod Varronis ſententiæ refragatur, qui ſolos eos ex adſcriptitiorum numero *Accenſos* voluit appellatos, qui centurionibus ac decurionibus attribuerentur. Cum igitur & *Accenſi* dicerentur, quod ad cenſum legionis eſſent adſcripti & *velati* quod inermes ac veſtibus tantum tecti ſequerentur exercitum, utroque juncto vocabulo vocati ſunt *Accenſi velati*. Eorum frequens mentio occurrit in veteribus inſcriptionibus, nec additur, cui accenſi fuerint, ut appareat eo tempore nomen fuiſſe ordinis ac dignitatis. Sæpe etiam jungitur cum ædilis dignitate & duumviri, ut idem qui *accenſus* fuerat *velatus*, poſtea duumvir promoveretur in municipio. Hoc ordine quidam in veteri inſcriptione eas dignitates percucurrit, ut primo *ſcriba ædilitius* fuerit, poſtea *accenſus velatus*, deinde *duumvir quinquennalis* & *curator a uarum*. & poſtremo *patronus coloniæ*. In alia quidam Veſerius Jucondianus primo *præfectus fabrum*, deinde *accenſus velatus*, poſt *procurator alimentorum viæ Flaminiæ*, mox *duumvir deſignatus*. In aliis ſimpliciter *Accenſi* nominantur. Videntur publici miniſtri fuiſſe magiſtratuum cum aliquo honore & majoribus emolumentis. In optimis Gloſſis *Accenſus*, ſic enim ſcribendum, exponitur, εἰσαγωγεὺς, εἰσηγητὴς, βὐλαρχος. In his εἰσαγωγεὺς & introductor, vel admiſſionalis, ac dimiſſionum magiſter, qui introducit ad magiſtratum adire eum volentes, idemque εἰσηγητής. Jure Attico εἰσαγωγεὺς nomen dignitatis ſortito indipiſcendæ de his qui τὰς δίκας εἰσήγαγον πρὸς τὰς διαιτητάς. Quod βὐλαρχον etiam accenſum interpretantur optimæ illæ Gloſſæ, is magiſter curiæ eſt, ut non mirum ſit, ſi cum duumvirali dignitate jungatur *Accenſus* in veteribus inſcriptionibus, ut videantur ex accenſis duumviri promoveri ſoliti. Utut ſit, nomen hoc traductum conſtat a militia legionaria antiqua, cum ex adſcripticiis vel *Accenſis* legionis legerentur, qui miniſtratores eſſent conſulum ac prætorum. Aſconius in Verrem: *Accenſus nomen eſt ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur Princeps, vel Commentarienſis, aut Cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia ſumpta ſunt*. Ætate Aſconii Pædiani nulli amplius fuere in exercitu legionis *Adſcriptivi* vel *Accenſi*, ut nulli *Principes*, ſicut olim vocabantur in antiqua militia *Principum* deni manipuli, qui a totidem centurionibus regebantur, quorum primus dicebatur *primus Princeps*, atque ita reliqui in ordine uſque ad *decimum Principem*, qui erat decimi manipuli *Principum* centurio Ergo ille *Princeps* cujus meminit ibi Aſconius, non ad militiam togatam traductus eſt antiqua liberæ reipublicæ legione, quæ in *Haſtatos*, *Principes* & *Triarios* dividebatur, ſed ex nova illius temporis quæ *Principem* habuit: nempe in prima cohorte unum ex ſenis primorum ordinum ductoribus, qui poſt *Primipilum* ſecundus erat, iſque in veteri militia primus centurio habebatur *Principum* legionis. Sic *Accenſus* conſuli vel prætori ea ætate dicebatur, cum tamen nulli amplius eſſent in legione *Accenſi* milites vel *Adſcriptitii*. Inde nihilominus origo *Accenſorum* ſumpta eſt, qui conſulibus ac prætoribus miniſtrabant, quia olim ex *Adſcriptitiis* & *Accenſis* legionis ſumi ſolebant, qui id muneris haberent. Ubi igitur deſierunt *Adſcriptitii* haberi & *Accenſi* in legione qui partem levis armaturæ facerent atque in mortuorum militum locum ſubſtituerentur, & ex quibus etiam ſumerentur ducum miniſtri & centurionum decurionumque, nomen ipſum remanſit & munus eorum *Accenſorum*, qui arbitrio magiſtratuum acciebantur ut eis miniſtrarent, cum olim in legionaria militia hoc nomen ſolum audiretur. Sic & *Cornicularii* & *Principes* a militia legionaria ad togatam tranſlati, de quibus nos alibi. Duplicis igitur generis & appellationis fuit in antiqua legione levis armatura, *Rorarii* & *Accenſi*. Illi haſtis & jaculis pugnam committebant, iſti fundis ac la idibus ad hoc præcipue legioni adſcripti, extra cenſum tamen ac numerum ejus, ut eſſent qui ſubſtituerentur in locum mortuorum militum, & ad ſupplementum legionis. *Rorarios milites*, inquit Feſtus, *vocabant qui levi armatura primi prælium committebant, quod ut ante imbrem fere rorare ſolet, ſic illi ante gravem armaturam quod prodibant, Rorarii dicti*. Idem etiam faciebant *Accenſi*, qui & peculiare vexillum habebant. Sed hi, ut dixi, fundis tantum præliabantur, non jaculis. Dicebantur & *Ferentarii, quod ea modo ferrent quæ in hoſtes jacerent, vel quod depugnabant fundis & lapidibus, his armis quæ ferrentur, non tenerentur*. Ita ſcribendum in loco Varronis apud Nonium, *non depugnabant pugnis*, ut vulgo legitur. Quod eſt ineptum. Varro tamen genus equitum fuiſſe illos *Ferentarios* tradit, lib. VI. de L. L. *Ferentarii*, inquit, *equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum*. Non loricas habebant, non galeas, non parmas, ſed ea tantum arma quæ ferrentur. Ut equites fuere *Ferentarii* quos & ἀκροβολιςὰς ἱππεῖς vocant Tactici, & leviter armati, qui differebant ab equitibus gravius armatis, qui ea omnia arma habebant quibus corpus tegitur ac defenditur, non ſola quæ feruntur, ita & pedites. Certe & *Ferentarios* Salluſtius in Hiſtoria dixit de levi armatura peditum, non quod ulli *Ferentarii* ejus ætate in militia noti eſſent, ſed quia veterum verborum affectator hos etiam inter alia a Catone furatus eſt *Ferentarios*. Si nominis *Ferentariorum* hæc ratio eſt, certe non tantum funditores, ut erant *Accenſi*, in acie Romana ſic appellati ſunt, ſed etiam ita appellari potuerunt & *Rorarii*, qui jaculis depugnabant, quia ea arma feruntur. Et ridiculum eſt, quod alio loco Varro dixit, ſic eos eſſe appellatos, quod his armis pugnarent, *quæ ferrentur, non quæ tenerentur*. Quaſi quæ feru tur, non etiam teneantur. Certe lapides, ſive manu jactentur, ſive funda, feruntur ſimul & tenentur. Non enim jaci poſſunt, niſi teneantur. Jaculum porro & manu tenetur & fertur. Nam quod tenetur manu, etiam fertur. Tam *Ferentarii* igitur pedites fuere quam equites. In veterrima itaque militia hæ tres appellationes levis armaturæ fuere, *Rorarii*, & *Accenſi*, & *Ferentarii*. Sed hæc appellatio *Ferentariorum* generalior, ut Græcorum ψιλῶν, quia comprehendit omnes, qui iis armis tantum erant inſtructi quæ feruntur ac tenentur, ut ſunt jacula, ſagittæ, & fundæ. Sciendum eſt porro tam *Rorarios*, quam *Accenſos* extra ordinem, numerum ac cenſum legionis

Romanæ fuiſſe, cum præter hos haberet aliam levem armaturam legio ſuæ matriculæ inſertam. Quod ex Livio manifeſte liquet lib. VIII. ubi ſingulis *Haſtatorum* manipulis *leves* vicenos fuiſſe adjunctos perhibet. *Manipulus*, inquit, *leves vicenos milites, etiam turbam ſcutatorum habebat. Leves autem qui haſtam tantum gæſaque gererent, vocabantur.* Hæc levis igitur armatura legionis fuit, cum *Rorarii* & *Accenſi* extra numerum legionis haberentur, in locum deficientium ſubſtituendi. In locum iſtorum *levium* ſucceſſere qui poſtea *Velites* dicti ſunt, de quibus in ſequentibus dicendum.

CAP. XV.

Iterum de levi armatura diſſeritur & de eorum levium peditum differentia, qui in legionis cenſu erant, & qui extra ejus numerum. Item de accenſis.

UT paulo altius rem repetam, priuſquam deſcendam ad mutationem quæ ſequentibus temporibus in levi armatura contigit tam re quam nomine, ſciri præ omnibus debet, ſemper leves pedites in exercitu Romano fuiſſe, ut & in Græco. Sed illud refert in primis cognoſci, utrum a principio inſerti legioni fuerint, an extra cenſum legionis ac numerum poſiti. Et certum eſt, duorum generum aliquando *leves* fuiſſe, qui in cenſu legionis numerarentur, & qui extra ejus numerum eſſent. Legionem Romuli inſtituto trium millium fuiſſe factam, inter omnes convenit. Unde & Varro *millium* nomen deducit lib. IV. de L.L. *quod trium millium primo legio fiebat, ac ſingulæ tribus Tatienſium, Ramnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant.* Sed hoc veriloquium ineptum eſt ac falſum, ac pro cætero originationum eruendarum more qui Varroni inſedit. In his tribus millibus militum, quibus Romulea legio conſtabat, quærendum, an nulli leves fuerint. Si fuerunt, quot numero videantur fuiſſe. Nam quod Plutarchus ſcribit duplicata Urbe receptis in eam Sabinis etiam duplicatum ab eodem Romulo legionis numerum, & ſenum millium factam, quæ antea erat ternum, id falſiſſimum. Semper enim in hoc numero manſiſſet, tanquam legitimo & ordinario. Atqui conſtat vel ætate Polybii quaternum millium fuiſſe, & hunc numerum ab eo tradi legionis quaſi ſtatum ac ſollemnem. Sed & paulo poſt ejectos reges ſcribebantur legiones quaternum millium, ut ex Dionyſio liquet, lib. VI. Verum de his alibi. Hic quærimus, an in legione Romuli, quæ ex tribus millibus componebatur, *leves* aliqui pedites fuerint, quales Græci ψιλὸς appellant & κέφυς. Cum in *Haſtatos*, *Principes*, & *Triarios* diviſa fuerit, non alia præter hæc tria corpora agnoviſſe in legione videntur auctores, qui de Romuli inſtitutione ſcripſerunt. Ovidius lib. III. Faſtorum de hac Romulea legione:

Inde Patres centum denos ſecrevit in orbes
Romulus, Haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Trium millium hæc fuit legio, in tria corpora diviſa, *Haſtatorum*, *Principum*, & *Triariorum* ſive *Pilanorum*. Ergo ſingula hæc corpora ſingula militum millia habuere, in decem partes ſive manipulos & ipſa diſtributa. Sed & in unoquoque manipulo centum fuere milites, ſive una juſta centuria. Sic *Triarios* æquales numero tum fuiſſe oportet *Haſtatis* & *Principibus*. Nullos ergo *leves* pedites habuerit eo tempore legio. Atqui Polybius tradit, nunquam in legione Romana *Triarios* plures fuiſſe ſexcentis, quamvis & ipſi in denos dividerentur manipulos, haud ſecus quam *Haſtati* ac *Principes*. Quin & ſi quando plures quaternis millibus in legione ſcriberentur pedites, & fieret legio quinum aut ſenum millium, cum proportione cætera corpora augerentur, *Velitum*, *Haſtatorum*, & *Triariorum*, ſemper tamen eundem ſervatum *Triariorum*, numerum. Si ita ab initio fuit, ut veriſimile eſt traditum hunc a prima inſtitutione atque obſervatum fuiſſe poſteris morem, *Triariorum* corpori, qui ſexcenti etiam tunc fuerunt, adnexos conſtat quadringentos leves. Ideo autem cum *Triariis* juncti fuerunt *leves* pedites, quia utrique in poſtremam aciem rejiciebantur. In pugna Romanorum cum Latinis circa ann. Urbis CCCCXV. Livius aciem Romanorum deſcribens, *Triarios* cum *Rorariis* & *Accenſis* in ultimo ordine collocat. Ergo Romuli ætate ex ejus inſtituto *Triarii* in legione cum *levibus* mixti erant, non tamen ut eodem tempore pugnarent, & iiſdem armis. In acie quippe ordinanda cum in ultimum ſemper locum rejiceretur levis armatura, atque etiam poſt *Triarios*, cum promovebantur adverſus hoſtem ordines, per intervalla ordinum præcedentium ante frontem primæ aciei procurrebat ibi pugnam inchoatura. Quod & diſerte tradit Dionyſius lib. V. levem nempe armaturam in præliis τ̀ ἐσχάτην τάξιν tenuiſſe, & ad laceſſendos & terrendos hoſtes legioni adſcriptos additamenti vicem fuiſſe, τοῖς ἐν φάλαγγι τεταγμένοις καταπλήξεως ἕνεκα τῶ πολεμίων συνόντες. Non poterant autem hoſti pavorem incutere niſi ante primam aciem pugnantes, quo loco ſemper apud Romanos pugnam incepiſſe conſtat leves pedites, cum tamen in ordinanda acie in ultimo locarentur, vel inter manipulorum intervalla, ut aliquando fiebat. De quo nos infra pluribus. In ea pugna Romanorum cum Latinis, ſicut a Livio deſcribitur lib. VIII. duo genera, ut dixi, *levium* recenſentur. Quorum unum videtur fuiſſe legioni adnexum, alterum extra legionis numerum additum. Scribit enim Livius manipulos *Haſtatorum* præter aliam turbam *ſcutatorum* habuiſſe etiam *leves vicenos milites*; leves autem hos vocatos, qui haſtam tantum gæſaque gererent. *Manipulus*, inquit, *leves vicenos milites præter aliam turbam ſcutatorum habebat. Leves autem qui haſtas tantum gæſaque gererent, vocabantur.* Si ponamus in ſingulis manipulis *Haſtatorum* & *Principum* vicenos leves fuiſſe, ex vicenis in totum manipulis, denis *Haſtatorum*, deniſque *Principum*, quadringenti exiſtent leves, quem numerum in legione Romuli fuiſſe ex conjectura propoſuimus. Præter illos autem *leves* Livius, qui ſingulis manipulis *Haſtatorum* & *Principum* viceni inerant *Rorariorum* & *Accenſorum* meminit, qui & ipſi leves erant, ſed extra cenſum legioni additi, & ſub propriis vexillis incedentes, de quibus abunde dictum eſt ſuperiori capite. Et fortaſſean utrumque hoc genus *levium* non tantum eo differebant, quod alii legioni inſerti erant, alii extra legionem habebantur in numero *Adſcriptivorum*, ſed etiam telorum genere diſcernebantur. Gæſa & haſtas tribuit Livius *levibus* legionariis. *Rorarii* ergo & *Accenſi*, ſed hi præcipue, lapidibus tantum fundiſque inſtructi in prælium ibant. De *Accenſis* certe id conſtat, de *Rorariis* ſupra oſtendimus etiam haſtas eos habuiſſe leviores. De his autem qui fundis tantum lapidibuſque depugnabant, ſcribit plane Dionyſius extra cenſum ac numerum legionis fuiſſe, ſed quaſi appendicem & additamentum ſcutatorum ſeu legionariorum ad bella proceſſiſſe. Ita enim lib. V. me-

riorum ad bella processisse. Ita enim lib. V. memorat de illis minimum censum deferebant, *ὅτι τὴν ἐσχάτην ὑπελάμβανον ἐν τοῖς πολεμίοις χώραν οἱ τὸ ἐλάχιστον ἔχοντες τοῦ βίου τίμημα, καὶ ὅτι προσθήκης μοῖραν ἐπεῖχον τοῖς ἐν φάλαγγι τεταγμένοις συνόντες, καταπλήξεως ἕνεκα τῶν πολεμίων, οἷα δὴ μηδὲν φέροντες ὅπλον ὅτι μὴ σφενδόνας, ὧν ἐλάχιστον ἐν ταῖς μάχαις ἦν ὄφελος*. In his duo notanda: quod hi quibus minimus census erat, additamenti tantum vicem in legione obtinebant, ac proinde extra legionis numerum censebantur: & quod fundis tantum pugnabant. Quod genus quia minimi usus erat in bello, inter legionarios nunquam receptum fuit. Tales ii, quos *Accensos* & *Adscriptivos* Romanis dictos supra docuimus. Alludere ad eam appellationem videtur Dionysius, cum ait, *προσθήκης μοῖραν* eos obtinere, *τῶν ἐν φάλαγγι τεταγμένοις συνόντες*. Qui enim adscripti & *Accensi* legioni erant, quasi additi ad legionem videntur, extra tamen ejus numerum ac censum, ut de *Adscriptivis* loquitur Plautus. Hi & *Ferentarii* dicebantur. Festus: *Ferentarii auxiliares in bello, a ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur. Ferentarii levis armaturæ pugnatores*. Quod ait *auxiliares* ita appellatos, certe id ex eo venit, quod ejus ætate plerique ejusmodi levis armaturæ milites inter auxilia militabant, ut funditores Baleares, aliique, nec ex Romanis civibus sumebantur. Olim tamen etiam ex Romanis sumpti, qui fundis pugnarent, & saxis nuda manu jaciendis. Telis talibus instruebantur, qui ad supplementum legionum ut in mortuorum locum militum succenturiarentur, castra sequi solebant. Duo ergo genera *levium* fuere, qui in legione locum habebant, & qui extra eam numerabantur. Dionysius in censu classium qualis a Servio institutus est, peditum Romanorum armaturam in levem & gravem dividit, in *φαλαγγίτας* & *ψιλοὺς*, in *scutatos* & *leves*, sive *legionarios* & *accensos*. Levibus tribuit *σαύνια* & *σφενδόνας*, gæsa & fundas, quos ait *ἔξω τάξεως στρατεύεσθαι*, extra ordinem vel sine ordinibus pugnare: lib. IV. Non tamen hæc verba necessario significant extra legionis numerum ac censum eos fuisse habitos. Nam & Velites sequenti ævo, post Punicum nempe secundum bellum, quos constat partem legionis fecisse, sine ordinibus pugnabant, & *ἔξω τάξεως*. Sed alibi clarius ad legiones eos adscriptos, ita ut extra numerum ejus haberentur, significat, cum dixit, *προσθήκης μοῖραν* eos obtinuisse, loco quem jam supra adduximus. Idem l. VII. *τάξιν* eos *ἐν φάλαγγι* non habuisse perhibet, sed levis armaturæ nomine *ψιλοὺς* & *κούφους* appellat cum scutatis & gravius armatis in bellum proficisci solitos, gesis & fundis armatos. *Ὅπλα δὲ ἦν αὐτῶν σαύνια καὶ σφενδόναι. Οὗτοι τάξιν οὐκ εἶχον ἐν φάλαγγι, ἀλλὰ ψιλοὶ καὶ κοῦφοι συνεστρατεύοντο τοῖς ὁπλίταις, εἰς τεσσαράκοντα λόχους διῃρημένοι*. Ne ex istis quidem possit argui hujusmodi *leves* in numero legionis non fuisse censitos. Nam & *Velites*, qui partem legionis constituebant, sine ordinibus, sine signis pugnare soliti, non inter legionarios, nec cum his prælium capessebant. Præterea etiam tempore Polybii Velites, quos ille *γροσφομάχους* appellat, ex iis sumebantur, qui in censum minus deferebant quam cæteri, ut ii de quibus loquitur Dionysius in censu classium a Servio institutarum: *διαλέγουσι τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους*. *Nam maxime juvenes & pauperrimo eorum qui classibus adscribuntur, Tribuni in Velites seligunt*. Cum tamen certum sit, quosdam pedites levis armaturæ extra censum legionis antiquitus fuisse numeratos, ut de *Accensis* & *Rorariis* supra probatum est, ita accipienda esse Dionysii verba palam est. Et cum certum præterea numerum *levium* in legione per manipulos scutatorum distributum fuisse ex Livio constet, idem de *Velitibus* a Polybio narratur, cum dicit: *τῶν γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν*. *Velites autem prout ipsorum est multitudo, æqualiter in omnes manipulos, Hastatorum nempe, Principum & Triariorum, distribui solitos*. Non tamen iidem fuere *leves* illi Liviani cum *Velitibus* Polybianis. Nam nondum eo tempore, quo illa pugna Romanorum cum Latinis commissa est, Velites in Romana legione noti erant, quos introductos belli Punici secundi temporibus auctores consentiunt, haud scio an in verum. Horum porro *levium*, qui *Velites* ætate Polybii nominabantur, non semper eundem fuisse numerum in legione, ex ipso Polybio perspicuum est. Cum enim in numero legionis ineundo, quæ tunc quaternum erat millium ac ducentorum, dixisset semper *Triarios* sexcentos scribi suetos, *Hastatos* vero mille & ducentos, & æqualem his numerum *Principum*, addit, *τοὺς δὲ λοιποὺς καὶ νεωτάτους γροσφομάχους*, *reliquos ac minimos natu velites*. Potest tamen ita accipi, ut de reliquo numero quater millium intellexerit. Sexcenti *Triarii*, mille ac ducenti *Hastati*, totidem *Principes*, fiunt tria millia. Et reliqui ex numero quaternorum millium ac ducentorum, qui legionem constituebant, Velites. Ergo & mille ducentos eos fuisse hinc clarum est. In legione Romuli quæ ternum millium, si non plures fuere *Triarii* quam in Polybiana, quadringentos tantum ut diximus habuisse eam *leves* necesse est. Si omnes in ea graves ac scutati fuere, aut æqualis numerus *Triariorum* reliquis fuit, aut si idem qui postea, tunc etiam a Romulo institutus est, tum sane dicendum, eodem numero *Hastatos* & *Principes* ab eo constitutos esse, quo in legione Polybiana censebantur, nempe mille ducentos *Hastatos*, & totidem *Principes*, qui fiunt in totum duo millia quadringenti. Quibus si addideris sexcentos *Triarios* seu *Pilanos*, habebis legionem trium millium scutatorum. Videntur autem, cum legio quater millium postea facta est, eum integrasse & absolvisse numerum pedites *leves* legioni adnexi mille ac ducenti. Certe quindecim circiter annis post exactos reges, legiones ex quaternis millibus fuisse conscriptas, auctor est Dionys. lib. VI. *Καὶ γίνεται δέκα στρατιωτικὰ τάγματα ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον*. Si singulis millibus auctæ tunc fuere legiones præter Romuli institutum, qui ternum eas millium fecerat, oportet numerum illum additum esse, vel ex levibus solis, vel ex gravibus, vel etiam proportione ex utrisque. Probabile autem est, cum hic idem numerus legitimus legionis fuerit etiam Scipionum ætate, nempe quaternum millium, *leves* totidem solitos tunc censeri, quot numeratos fuisse docet suo tempore Polybius, nempe mille ducentos. Et sane quum *leves* ex infimo censu caperentur, & ex minoribus natu deligerentur, plures ex eo ordine ad nomina respondisse verisimile est, quam ex prioribus ditiorum classibus. Unde & *Triarii*, qui ex ditissimis solebant eligi, minimum in legione numerum semper constituerunt, sexcentique tantum fuerunt, cum ex reliquis classibus in unoquoque genere mille ac ducenti ad legionem conficiendam adsumerentur, in *Levibus* nimirum, in *Hastatis* & *Principibus*. Additionem illam millium singulorum ad numerum legionis Romuleæ quæ trium tantum millium fuit, a Servio factam cum viris doctis suspicor. Nam trium millium fuit, cum tres tantum Tribus fuere, ac singulæ Tribus singula millia mitterent, postea una tribu addita a Servio qui *τετράφυλον* urbem fecit Romanam pro *τριφύλῳ*. Sic quater millium legio facta est. Qui

numerus legionis quasi legitimus usque ad Scipionum ætatem duravit, quamvis subinde pro necessitate rerum ac temporum aliquando auctior fieri soleret, & proveheretur interdum usque ad quina millia, aut etiam sena. Nec obstat, quod ex Dionysio & Livio constat, dilectum tum temporis, cum Servius quatuor tribus instituit, fieri potius secundum opes solitum quam secundum Tribus. Perperam enim hoc opponunt viri docti, quippe cum Tribus singulæ ditiores habuerint & pauperiores, & in συμμορίας sive classes fuerint ex censu distributæ. Alia enim fuit per Tribus populi divisio, alia per Classes sive Centurias. Nec impedit altera distributio alteram. Constat inter omnes censum a Servio institutum. Sub Romulo ergo dilectus ad legiones conscribendas non ex censu fiebat. Servius censu instituto secundum opes cujusque dilectum fieri voluit, idque mansit usque ad Marium, ut infra dicam. Tribuum numero amplificato usque ad triginta quinque, non tamen legio totidem millium facta est, quot Tribus erant. Quod tamen a Romulo primum factum, cui tres Tribus tantum fuere, & a Servio quoque observatum, qui quartam addidit Tribum, & quater millium legionem constituit, qui numerus semper mansit, veluti legitimus, quamdiu ex censu actus est dilectus, quod primum Marium mutasse infra docebimus. Sub Servio igitur ultima & quinta classis *Accensos* dabat, qui *leves* erant illius temporis, fundis lapidibusque missilibus tantum instructi. Livius lib. I. *Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ: Fundas lapidesque missiles ii secum gerebant. In his Accensi, cornicines tubicinesque in tres centurias distributi.* De *Rorariis* nihil dicit, qui paulo honestiores ac digniores habiti videntur, & altiori Classi adscripti, utpote ex ditioribus sumpti. In Classe quarta hi censiti si forte fuerunt. Sic enim idem Livius scribit ibidem: *In quarta classe census quinque ac viginti millium, totidem centuriæ factæ, arma mutata. Nihil præter hastam ac verutum datum.* Ex hac classe non solum *Hastati* qui dicebantur sumpti videntur, sed etiam *leves* legionis, qui gæsa & hastam gerebant. Nam *Accensi* fundis lapidibusque pugnantes extra legionem erant, utpote ex quinta Classe electi. Non possum autem, ut verum fatear, concoquere, quod notavit Festus de *Accensis*, ita nimirum dictos fuisse qui castra sequerentur, ut in mortuorum locum succederent, ad supplementa nempe legionum. Nam cum ex censu dilectus ageretur, & *Accensi* ex classe quinta & ultima pauperrimorum civium sumerentur, ita potuissent in numero *Hastatorum*, vel *Principum*, vel *Triariorum* militare. In legione quippe Polybiana *Velites* qui solebant etiam deligi ex infimo censu, non sequebantur militiam, nec in legione conscribebantur, ut in demortuorum locum succederent. Nec enim si qui defecissent ex *Hastatis* vel *Principibus* vel *Triariis*, suppleri consueverant ex corpore *Velitum*. *Hastati* ex suæ classis hominibus supplementa accipiebant, item *Principes*, item *Triarii*. Non videtur ergo aliter fuisse observatum, cum *Accensi* in exercitu pro levi armatura numerabantur. Cum enim ex infima classe tenuissimi census civium deligerentur, non supplendis aliis corporibus legionis sufficiebantur, quæ corpora ex aliis ac potioribus prioribusque classibus solita essent conscribi. Certum quidem est, nec de eo potest dubitari, *Adscriptivos* sive *Adscriptitios* milites certo numero castra sequi olim consuevisse, ut essent unde per suffectionem supplerentur, qui in legionibus defecissent. Immo vel post *Velites* etiam in legione institutos *Accensis* istis & adscriptivis locum in castris fuisse constat. Nam eorum meminerunt auctores qui vixere post obsidionem Capuæ, in qua *velites* feruntur instituti. Sed non puto istos *Adscriptivos* ex sola quinta & ultima classe fuisse sumptos, cum ex omnibus potius classibus electos verisimile sit, ut nimirum possent substitui semper aliqui in locum decedentium *Hastatorum* & *Principum* & *Triariorum*. Si hi *Accensi* etiam dicti sunt, certe *Accensos* fuisse oportet ex omnibus classibus ad hoc munus electos. Sin autem *Accensi*, ut ex Livio cognoscimus, in quinta classe censebantur, non iidem fuere cum illis *Adscriptivis*. Immo constat ex eodem Livio *Accensos* nomen fuisse *levis* armaturæ Romanæ, quæ fundis tantum ac lapidibus instructa pugnabat, quæque extra legionis numerum erat. Hinc fortasse factum, ut cum *Adscriptivis* eo nomine confunderentur, qui & ipsi castra inermes sequebantur, ea tantum gratia ut in mortuorum militum locum substituerentur. *Accensi* certe Livio fuere funditores, qui ex quinta classe undecim æris æstimata deligebantur, quique extra numerum legionis erant, quos etiam negat Dionysius τάξιν habuisse in legione sive φάλαγγι. His alii *leves* fuere legionis corpori inserti, qui gæsa & hastas gerebant, quique ex quarta classe sumebantur. His *Velites* successere secundo bello Punico. *Accensi* autem & *Rorarii* in exercitu Romano usque ad illud tempus nomen habuere. Sed & post illud tempus, ut infra dicam.

CAP. XVI.

De Velitum per bellum Punicum secundum institutione, deque eorum differentia ab antiqua levi armatura, & de ratione nominis eorum, cur ita appellati fuerint.

VElitum appellatio de levi armatura nota tantum fuit in Romana legione post bellum Punicum secundum, cujus belli tempore instituti, ut volunt, fuere. Antea, ut superiore capite dictum est, *Accensorum* & *Rorariorum* nomine, item *Ferentariorum*, levis armatura Romana vocabatur. Quorum alii in ipsa legione censebantur, alii extra legionem. Præterea alia etiam levi armatura Romani utebantur, quæ ex civibus vel Sociis non sumebatur, sed mittebatur ab externis. Nam quod ad peditem statarium & equitem attinet, non alio usi sunt quam ex civibus electo, aut a Sociis Latini nominis misso. At *levium* armatorum aliquando auxilia externa habuere, ut liquet ex Livio lib. XXI. ubi post cladem ad Trasymenum acceptam, cum Hiero rex Siciliæ Romanos quibus rebus posset juvare se paratum esse legatione missa ostendisset, non alia misit auxilia præter levem armaturam, & rationem hanc addidit. *Milite enim*, inquiebat, *atque equite scire se nisi Romani Latinique nominis non uti populum Romanum, levius armatorum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis: itaque misisse mille sagittariorum atque funditorum aptam manum adversus Baleares funditores ac Mauros, pugnacesque alias missili telo gentes.* Inde & *Ferentarios* Festus *Auxiliares* interpretatur a *ferendo auxilio* dictos. Ex quo patet eum putasse *Ferentarios* proprie appellatos *levium* armorum pedites qui ab externis missi essent. Hi externi *Ferentarii* in illo bello Punico sæpe usurpati a Romanis fuere. Ipse Livius *levium armorum auxilia* appellat, ubi instructionem ad Cannas Romanorum describit: *Ex cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Non nominat ibi *Velites*, quia nondum hoc nomen in exercitu Romano pro *levibus* legionis forsan audiebatur, quos postea institutos in obsidione Capuana auctores consentiunt. Non recte igitur idem Liv. lib. XX.

eos nominaverint in pugna ad Trebiam: *Tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquandiu immota acies, maxime praeter spem omnium adversus elephantos. Eos velites ad id ipsum locati verutis conjectis & avertere & insequuti aversos, sub caudis qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant.* Ita enim ibi scribendum, pro vulgato *pedites*. Polybius in eadem pugna describenda πεζακοντιστὰς Ῥωμαίους appellat, quamvis de elephantis nihil tale habeat quale apud Livium eo loco legitur. Πεζακοντισταὶ Ῥωμαῖοι Polybio vocantur, id est, *jaculatores Romani*, non γροσφομάχοι, quo nomine solet *Velites* indigetare, qui sic primum appellati sunt in obsidione Capuae annis post hoc factum circiter octo. Livius quoque *jaculatores Romanos* videtur appellare *leves* Romanorum pedites in pugna Cannensi, his verbis: *Ad medium juncti legionibus Romani tenuerunt jaculatores. Ex ceteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Ita enim puto eum locum constituendum, absque ulla mutatione, quae etiam nulla conspicitur in veteribus libris. Quatuor annis post diem Cannensem Romani Capuam obsederunt, in qua obsidione *Velitum usus*, ut scribit Valerius lib. II. cap. 3. *primum repertus est. Nam cum equitatui Campanorum, crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Naevius centurio e peditibus lectos expediti corporis brevibus & incurvis septenis armatos hastis, parmae tegmine munitos veloci saltu jungere se equitibus, & rursus celeri motu dilabi instituit, quo facilius equestri praelio subjecti pedites viros atque equos hostium telis incesserent. Eaque novitas pugnae unicum Campanae perfidiae debilitavit auxilium, ideoque auctori ejus Naevio ob hoc honos est habitus.* Livius lib. XXVI. haec eadem de *Velitum* institutione fermae narrat, cum equestria praelia facerent prospera Campani contra Romanos, hique equitatu impares essent, initam esse rationem, ut aequaretur arte quod viribus deerat. Tum electi sunt ex omnibus legionibus juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces, parmaeque iis datae breviores quam equestres, & septena jacula quaternos longa pedes, ferro praefixa. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefaciebant & vehi post sese & desilire perniciter, ubi signum datum esset. Ex ea re cum equitatu quoque superior Romana acies adversus Campanos evasisset, *institutum*, ut ait Livius ibidem, *ut velites in legionibus essent*. Ille *Navium* vocat auctorem centurionem immiscendorum equiti peditum, qui Valerio *Naevius*. Hoc *levium* ergo militum genus in legione Romana ante illud tempus non fuit. Ex peditibus legionum facti sunt velocissimis & maxime juvenibus. Ergo ex *Hastatis* potius delecti fuere, quam ex aliis duobus corporibus *Principum* ac *Triariorum*. Cur non potius ex levibus? Sed quaestio est, utrum hoc *Velitum* usu reperto, ceteri levius armati in exercitu Romano desierint, quales *Accensi* erant ac *Rorarii*, non solum jaculis pugnantes, sed etiam fundis ac lapidibus. Quaeri etiam illud potest, an *Velites* isti semper hoc munus habuerint post primam eorum institutionem, ut inter equites dimicarent, post tergum equitum iisdem equis vehi soliti, & inde desilire, cum res ac tempus exigeret ad pedestrem pugnam inter equites ciendam. Quod ad primam attinet quaestionem, ante institutionem *Velitum*, aut nulli alii *leves* in legione fuerunt, aut fuere, sed alterius generis & nominis. Si non fuere alii *leves*, tum legio trium tantum millium fuerit oportet ante obsidionem Capuanam cujus tempore instituti sunt primum *Velites*. Nam demptis mille ducentis *Velitibus* e legione, quot numero eos fuisse Polybius docet, tria millia peditum remanebunt, quot fuisse

A certum est in legione Romulea. Atqui statim post expulsos reges quaternum millium conscribi solitas legiones ex Dionysio discimus. Ergo vel longe ante illud tempus, quo dicuntur instituti *Velites*, legio alios *leves* habuit. Et sane habuisse jam supra ostendimus. Eundem quoque *levium* numerum fuisse in legione antequam instituerentur *Velites*, verisimile est. Livius circa annum Urbis CCCCXV. vicenos *leves* singulis manipulis tribuit scutatorum sive gravium militum. Sic in legione trium millium sexcenti tantum fuerunt. Sed quoniam vel ab antiquo quaternum millium legiones conscribi consueverant, verisimilius est quadragenos *leves* in singulis manipulis numeratos esse. Et hic numerus convenit cum eo *Velitum*, quem in legione quaternum millium fuisse tradit Polybius. Ex his igitur constat, *levem* suam armaturam habuisse legiones longo tempore antequam obsideretur Capua. Sed alterius fortassean generis fuerunt, ut & nominis. De utroque videndum. Antiquae legionis *leves* hastam & gaesa gessisse Livius indicat lib. VIII. Septenas hastas idem tribuit *Velitibus* lib. XXIII. Gaesum etiam genus hastae vel jaculi, de quo Varro lib. III. de vita P. R. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gaesis essent*. His verbis sine dubio describebat *leves* antiquae legionis pedites. Haec igitur sola mutatio facta videtur tempore obsidionis Capuanae in *levibus* legionis, ut pro binis gaesis septenas hastas *leviores*, sive etiam septena gaesa acceperint. Et parma iis addita est, quam antea non habebant. Valde quippe probabile est, cum electi sunt in illa obsidione ex omnibus legionibus Romanis juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces, non ex aliis legionis corporibus sumptos fuisse, quam ex *levis* armaturae numero. Nam in hoc praecipue corpore expeditorum ac *levium* peditum tales fuere, qui tunc requirebantur, maxime veloces ac vegeti. Praeterea cum ex censu jam ab antiquo diversa illa genera ac corpora legionis eligi & conscribi solerent, non indiscretim ex aliarum classium generibus capti sunt, qui in eo genere militarent quod suppeditabatur ab infima omnium classe. Quod secundam spectat quaestionem, an *velites* semel instituti semper hoc muneris habuerint, ut cum equitibus permixti pugnarent, interim in equos post terga equitum salientes, interim ex his desilientes, posse dici censeo non perpetuo ita pugnasse, quia nec necessitas postea talis extitit, qualis tunc Romanos ad hoc inventum adegit, quando Capuam obsidebant. Non legimus certe posterioribus hoc instituto temporibus vectos fuisse *Velites* ab equitibus in praelium, qui pugna coepta desilirent, & inter equites pedites ipsi dimicarent. In aliis quippe sequentibus praeliis nunquam id factitatum animadvertere licet. Inter equites & ante equites *levem* armaturam saepe pugnasse legimus. Quod & antea fecisse eos constat, cum *Velites* nondum essent. Assuefacti ergo per obsidionem Capuanam *leves* legionis cum equitibus simul in pugnam procedere, post tergum eorum vehebantur, ut possent propulsare equitatum hostium: postea ubi necessitas eadem non fuit, nec simili genere pugnae decertabant, ut ab equitibus in equos suos tollerentur, & veherentur in locum certaminis. De aliis etiam populis hoc narrant auctores, ut de Germanis Caesar & Tacitus, ac de Numidis, solitos eos nimirum pedites levitate corporum ac velocitate praestantes inter equites miscere. Idque etiam ipsis Romanis, ut dixi, semper fuit familiare, non solum ante institutionem *Velitum*, sed etiam postquam desierunt sic appellari, mutata militiae ratione. Sallustius in Jugurthino: *Auxiliarios equites tribunis legionum & praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti Velites quacunque invade-*

rent equitatum hostium propulsarent. Eadem ratio fecit, ut hi *Velites* inter equites pugnarent & in obsidione Capuana, ad equitatum nempe hostium propulsandum. Quod *Velites* nominat Sallustius, suo more id facit, verbis antiquis usus in re jam antiquata, ut *Ferentarios* alibi dixit pro levi armatura. Certum quippe est, ejus ætate *Velites* in exercitu Romano nullos fuisse nomine. Gladiatores sic vocabantur, ut paulo post dicam. Cæsar in bello contra Pompejum hac etiam arte usus est, cum equitatu minus valeret, *ut adolescentes atque ex peditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem armis inter equites præliari juberet*. Illi *antesignani* leves illius temporis in legione fuere. Idem porro in obsidione Capuæ factitatum videtur a ducibus, quod tunc se fecisse narrat Cæsar, ut ex numero *levium* omnium legionum velocissimos & maxime vegetos eligerent, qui præliari inter equites possent, ut equitatui hostium, a quo maxime infestabantur, ita melius possent resistere. Plura etiam illis data jacula, quam antea gerere soliti, & septena pro binis. Parma etiam addita, quam non habebant. Non puto autem numerum *levium* adauctum in legione fuisse, sed nec nomen aliud iis donatum. Nam mirum est, Polybium qui eadem illa ætate vixit, nihil de novo illo *Velitum* instituto in legione Romana scripsisse, cum nescire hoc non posset, utpote re adhuc satis recenti, cum de militia Romana commentatus est, ubi γροσφομάχους appellat, qui tunc Romanis vocabantur *Velites*. Ubi de his agit, non meminit recentem & tum primum institutum fuisse eorum in legione usum atque appellationem. Capua obsessa est anno urbis DXLI. Hist. Polybii desinit in anno DCIX. Polybio itaque jam nato potuit illa *Velitum* institutio fieri. Sed quod magis mirandum est, ipse Polybius in ea obsidione describenda lib. IX. de illa *Velitum* institutione nihil plane memorat, non omissurus rem tanti momenti, si ad ejus notitiam ea pervenisset. Non autem verisimile hoc eum ignorasse, qui in historia Romana, & quidem sui temporis adeo versatus & exercitatus fuit. Dicit ibi Romanos in obsidenda ea urbe, quod impares essent equitatui hostium, intra castra se perpetuo tenuisse, quod formidarent equitatum hostilem, ne quid ab eo mali paterentur. Quod certo passuri fuissent, si in certamen copias eduxissent. Τά τε γὰρ, inquit, περὶ τὴν Καπύην τότε συμβαίνοντα εἰκότως ἑκατέροις ἀπήντα. τὸ μὲν γὰρ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδον ἐξιέναι μὲν πρὸς μάχην ἐκ ἐθάῤῥει; τῷ δεδιέναι τοὺς τῶν πολεμίων ἱππεῖς. ἔμενε δ᾽ ἐν τῇ παρεμβολῇ τετολμηκότως, σαφῶς εἰδὸς ἀβλαβῆ τὴν ἵππον αὐτοῖς ἐσομένην, ὑφ᾽ ἧς ἐν ταῖς μάχαις ἡττᾶτο. Narrat ibi auctor gravissimus & prudentissimus, quomodo Romani bello Hannibalico, inferiores Carthaginensibus ex eo fuerint in omnibus ferme præliis, quod equitatu illi prævalerent. Atque alias quidem studiose captasse locorum eam naturam, quæ ipsos tutari possent ac defendere ab equitatu Carthaginensium. Sed in obsidione Capuæ, quæ in planitie undiquaque extensa sita erat, cum idem præstare non possent, alia ratione cavisse ne quid detrimenti ab equitibus hostium paterentur, intra castra se tenendo, nec in pugnam copias educendo, cum in omnibus fere certaminibus, quæ in locis equestri prælio aptis fiebant, inferiora ferrent ac victi discederent. Hic locus erat ei rei memorandæ, qua rationem iniverunt tunc Romani, ne vinci possent ab hoste, institutis *Velitibus*, qui equitibus mixti contra hostem pugnarent. Ad nomen ipsum quod attinet *Velitum*, nihil ea appellatio præfert, quo novi instituti ratio declaretur. *Leves* fuere assuefacti post tergum equitum vehi, & mox desilientes pugnam inter eos capessere pedestrem. Hoc non significatur vocabulo *Velitum*. Nam quod putant quidam ita dictos, quasi *volites*, id est, volantes, ineptum est ac falsum, cum prima in *veles* longa sit, quæ in verbo *volo* est brevis. Nec melior originatio Isidori, qui a civitate Etruriæ ita etiam appellatos scribit, cum nulla civitas Etruriæ hoc nomine reperiatur apud veteres. Præterea de alio genere *Velitum* loquitur. *Veles* igitur a *velis* nuncupatus, idemque omnino est quod *velatus*. Quod nomen fuit antiquæ *levis* armaturæ, sic dictæ ut volunt quod *velati* tantum, id est, vestiti, non etiam loricati & armis tecti in prælium incederent. Ita *Accensos* olim vocatos fuisse supra docuimus. Festus: *Velati appellabantur vestiti & inermes, qui exercitum sequebantur. Ipsi sunt & Ferentarii, qui fundis ac lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur*. Omnino igitur *velati* & *velites* iidem, ut *armati* & *armites*, οἱ ὁπλῖται. Optimæ Glossæ: *Armites*, ὁπλῖται οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει. *Triarios* sic videntur olim appellasse, quia ex omnibus legionariis maxime gravia arma habuere. Eædem Glossæ: *Armites*, ἔνοπλος παράταξις. Acies nempe armatorum. Sic *arquites* vel *arcites* antiquitus vocabantur, qui *arcu* præliabantur, ut notat Festus. An non sic *equites* dicti sunt οἱ ἱππόται, ut qui arcus habent οἱ τοξόται *arcites*, & qui arma *armites*, οἱ ὁπλῖται? Ergo & *velites* iidem & *velati*, qui velis tantum tecti erant & vestibus, non etiam loricis tecti, ut scutati & gravium armorum milites. Antiquorum porro *Velitum* appellationem Capuana obsidione fuisse multis potest argumentis evinci. Ab illis *Velitibus* verbum *velitari* factum pro verbis contendere, & levibus rixis jurgiisque certare. Nam proprie *velitatio* ἀκροβολισμός. Eo verbo usus est Plautus fortassean antequam obsiderent Capuam Romani. In Menæchmis: *Quid velitati fuistis inter vos*. Idem in Rudente: *Equidem me ad velitationem exerceo. Nam omnia corusca præ timore fabulor*. Ubi *velitatio* est velitaris pugna, quia coruscabant ac crispabant hastas priusquam eas jacerent. *Velitationem* Festus interpretatur, *ultro citroque probrorum objectionem exemplo velitaris pugnæ*. Item alio loco: *Advelitationem, jactationem quandam esse verborum figuratam ab hastis velitaribus. Velites enim dici milites expeditos, quasi volites, id est, volantes*. Plautus quidem in scena floruit Punici belli secundi ætate, nec præcise tamen dici potest, an eas comœdias in quibus *velitationis* meminit scripserit ante Capuanam obsidionem. Sed sane apparet *Velitum* nomen pridem notum fuisse in exercitu Romano, cum verbum inde factum passim usurparetur ab auctoribus, quos scripsisse verisimile sit ante id tempus quo *Velites* dicuntur instituti a Livio ad Capuam. Postremo ille ipse Livius sibimet ipsi hac in re contrarius *Velitum* meminit in rebus Romanis, antequam Capua obsideretur, ut ante notavimus. Quod & alibi apud eum occurrit. Ipse quoque Polybius qui γροσφομάχους Græce proprie appellat, quos Romani *Velites*, eorum meminit longe ante quam Capua obsessa esset a Romanis, primi nempe belli Punici tempore, ubi pugnam memorat quam Romani cum Carthaginensibus fecerunt, ducem habentibus Xanthippum: καὶ φοβούμενοι τὴν τῶν ἐλεφάντων ἔφοδον προθέμενοι τοὺς γροσφομάχους πολλὰ, ἐπαλλήλους κατόπιν ἵστασαν σημαίας. Idque nomen alibi apud eum occurrit ante & post obsidionem Capuæ. Quos γροσφομάχους non aliter liceat reddere quam *Velites*, quoniam ea tempestate non alio nomine appellabatur levis armatura Romanæ legionis. *Jaculatores* etiam appellat Livius, ut Polybius πεζακοντιστάς. Quod ad rem ipsam attinet, multo ante obsidionem Capuæ id observatum a ducibus Romanis constat, ut permiscerent equitibus jaculatores. Livius lib. XX. *Sempronius contra continendis*

in fide Sociis maximum vinculum esse, primosque qui coissent ope defensos censebat. Tum collega cunctante equitatum suum mille peditum jaculatoribus ferme admixtis ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Vocat *jaculatores peditum*, quæ Polybio πεζακοντισαὶ, qui *leves* erant legionis, ut ipse Livius eos lib. XVIII. nuncupat, quosque eo nomine distinguit a *Rorariis* & *Accensis*, qui fundis & lapidibus pugnabant. Ita idem lib. XX. *levem* armaturam a Balearibus, qui funditores erant, distinguit: *Baleares locat ante signa, levem armaturam octo ferme millia hominum, dein graviorem armis peditem.* Sed de Hannibalis instructione loquitur. Ergo *leves* & *levis armatura* de his proprie dicebatur, qui jaculis & hastis rem gerebant, a quibus distinguebantur sagittarii & funditores. Velites itaque illius temporis, qui jaculatores ab eodem Livio separantur a sagittariis & funditoribus, lib. XXIII. *Sagittarii funditoresque & velites etiam quorum inhabile telum ad remittendum imparatis est.* Hæc scripsit Livius de *Velitibus*, quos & nominavit aliquot annis, priusquam obsidio Capuana cœpta esset. Ipse quoque Cæsar differentiam statuit inter *levem* armaturam, ac funditores sagittariosque. Ut lib. III. de bello Civili: *Primum sagittariis funditoribusque circumjectis, postea levis armaturæ magna multitudine missa.* Quod & alibi apud eum reperitur. Et apud Hirtium de bello Africano: *Levem armaturam, sagittarios funditoresque eodem submittit.* Hæc opponitur gravi armaturæ. In ea igitur omnia eadem, nisi quod leviora. *Leves* igitur & *levis armatura* de jaculatoribus, quales fuere *Velites*. Hi enim etiam armati, sed levius quam stabile ac scutatum peditum agmen. Quippe & jacula sive hastas velitares habuere, parmam, galeam: etiam ense accincti erant. Funditores nihil præter fundas habuere: & sagittarii nihil præter arcus. Ita ergo *levis* armatura ac *leves* proprie de jaculatoribus. Hinc ratio apparet, cur Livius lib. VIII. *leves* legionis qui viceni singulis manipulis *Hastatorum* & *Principum Triariorumque* attributi erant, separaverit ab *Accensis* & *Rorariis* qui extra numerum legionis ac censum adscribebantur. Cum autem *levibus* illis hastam & gæsa attribuit, ex eo etiam pespicuum est eosdem fuisse cum *Velitibus*. Nam & his *Velitibus* quos nominavit lib. XXIV. etiam antequam obsideretur Capua, dat *telum habile ad remittendum imperitis*. Ubi legendum est *imparatis*, pro *imperitis*. Nam tempore opus erat ad corrigendum ferri acumen quod inflexum primo ictu fuerat, & incurvatum. Hoc enim intelligendum. Talia fuere *Velitum* jacula ferro ita subtili ac tenui præfixa, ut a primo jactu statim inflecteretur. Hinc fortasse *incurvas* vocat *Velitum* hastas Valerius Maximus lib. II. cap. 3. quod facile incurvarentur. Sed probo magis lectionem quam viri docti ex libris excogitarunt, *brevibus & infirmis armatos hastis*. Quod autem tenues & infirmæ tam ferro quam ligno erant eæ hastæ, tanto facilius crispabantur & coruscabantur in jaciendo. Vide apud Plautum: *Equidem me ad velitationem exerceo. Nam omnia corusca præ tremore fabulor.* Hasta enim levis & infirma ut levis harundo longe facilius tremit & coruscatur, quam firma ac spissa. Et inde nomen Latinum *crispus* ex Græco γρόσφος quæ hasta velitaris est, unde & γροσφομάχοι Polybio *Velites*, hujusmodi crispantibus & coruscis hastis armati. Nam O in I Latini mutabant in iis vocabulis quos a Græcis mutuabantur. Ut κόνις, *cinis*. Ut autem & de ipso nomine *Velatorum*, qui & *Velites*, dicamus. Grammaticorum veterum interpretatio non placet, qui sic dictos argutantur, quod inermes ac vestiti tantum exercitum sequerentur. *Velites* non prorsus inermes fuere, cum ut
A diximus, & parmam haberent, & septenas hastas, & galeam, & ensem, Et tamen *Velites*, quasi *Velatos*, a velis nomen habere eos palam est. Omnes quadrati & fluitantes amictus *velorum* nomine appellabantur, ut paludamenta, chlamydes, pallia, & alia hujusmodi. Contra rotunda vestimenta dicebantur, quæ in imo clausa, strictius corpori applicabantur, uperant togæ Romanorum, quæ & ipsæ rotundæ, & ad corpus magis præssæ & coactæ circa imam oram, non undabant neque humeris involitabant ut chlamydes ac paludamenta. Hinc de redundantioribus togis dixit Cicero, *velis amictos, non togis*, vel *aulæis*, ut in quibusdam le-
B gitur. Omnes sane volitantes ac fluitantes in corpore amictus pro *velis*, sed & vela ferme omnia quadrata, ut & pallia. Unde & muliebria pallia sive vela, ricæ, ricinia, flammea & alia hujusmodi, quadrata. *Velites* igitur a velis dicti, quia pugnabant cum paludamento sive chlamyde brevi in humero fibula adstricta, cætera fluitante. Gravius armati & scutati milites inter pugnandum nihil vestimenti supra loricas habuerunt; *leves* autem isti quales *Rorarii* olim, & postea *Velites* cum loricas non haberent, brevibus chlamydibus vel sagulis, quasi velis, in humero adstrictis amicti in prælium vadebant. Inde & *Velati* & *Velites* dicebantur.
C De *Rorariis* Lucilius: *Pone paludatus stabat Rorarius velox.* Signanter *paludatum* dixit qui paludamentum habebat amictui, quod alioquin gestamen erat ducum atque imperatorum. Et per *Rorarios* Lucilius potest videri intellexisse *Velites* illius temporis, sic dictos, quod ante gravem armaturam prælium committerent, ut ante pluviam ros cadit. Vixit ille post Punicum secundum bellum. *Velites* tunc temporis cum hæc scribebat Lucilius, in exercitu Romano pro levi armatura noscitabantur, nec alios *leves* legio agnoscebat. Ergo *Rorarios* eos vocavit Lucilius, quod ante cæteras acies pugnam committerent. Nam hæc ratio fuit eorum nomi-
D nis, ut Polybius προκινδυνεύοντας & προτεταγμένους eos appellat. Plautus quoque qui etiam vixit belli Punici secundi ævo, *Rorariorum* & *Accensorum* meminit. Ex quo licet colligere *Rorariorum* nomen tunc *Velitibus* etiam datum fuisse, qui pars legionis erat. *Accensos* vero præterea in exercitu militasse fundis pugnantes, qui extra numerum legionis habebantur. Cum autem Livius circa annum Urbis CCCCXV. in pugna Romanorum & Latinorum *Rorarios* in exercitu Romano nominat, & *Accensos* pro levi armatura, *Rorarii* illi velitibus postea dictis similes plane fuere, &
E idem munus habuere, & fortassean in legionis censu tunc quoque habiti. Nam quamvis præter hos in singulis manipulis gravium militum leves vicenos fuisse meminerit, leves illos eosdem cum *Rorariis* fuisse verisimile est, qui omnes in acie post *Triarios* collocabantur, ut inde in primam excurrerent ante signa pugnaturi. Quippe in ipsa pugna meminit tantum *Rorariorum* & *Accensorum*, non aliorum levium. *Accensi* porro si iidem cum adscriptivis fuere, extra legionis numerum erant. *Rorarii* vero, qui fuere in legionis censu, & iidem cum iis, qui postea appellati sunt *Velites*. Certe cum Lucilius *Rorarios* facit paludatos, eundem illis habitum
F assignat, quem Varro *Velitibus*, qui de his ita scribit:

Quem sequuntur cum rotundis Velites leves parmis,
Antesignani, quadratis multisignibus tecti.

Ubi *multisignia quadrata* vocavit, πολύσημα τετραγώνια. Sic enim absolute pallia quadrata vel chlamydulas appellabant. Εφαπτίδας has *Velitum* Romanorum chlamydes Græcus auctor appellat apud

Suidam: Οἱ δὲ ψιλοὶ Ρωμαίων ἕκαστος αὐτῶν εἶχεν ἐφαπτίδα καὶ κνημῖδα τε λογχας, ἢ ἀκόντιον δι' ὅλου τοῦ σιδήρου πεποιημένον. Idem alio loco: Οἱ Ρωμαίων ψιλοὶ ἐφαπτῖδας εἶχον καὶ ζώματα πρὸ τῶν μηρῶν. *Romanorum Velites, babebant amictui chlamydes, & subligacula, feminum tegmina*. Ex eo appellati *Velites* vel *Velati*. Ita Græci Γυμνῆτας appellarunt funditores insularum Balearium, quia nudi ferme pugnarunt. Unde & ipsæ eorum insulæ Γυμνήσιαι nuncupatæ. Ipsi *Baliares* voce Latina a jaciendis lapidibus. Nam ex Græco βάλλω antiquum Latinum *balio*, ut ex ἅλλω *salio*: a quo *salius* & *saliaris*, ut ab illo *balius* & *baliaris*. *Velites* tales fuisse in legione Romana ex his quæ diximus colligas. Nec certa fides est auctorum, qui volunt institutos primum obsidionis Capuanæ tempore. Recte Nonius Marcellus *Velitem* interpretatur *levem armaturam*, qui non idem dixit de funditoribus, quos certum est, ut & sagittarios, levis armaturæ nomine proprie loquentibus non fuisse comprehensos. Atque hos *Velites* cum hoc nomine usque ad commutatam rem militarem in legione mansisse cum *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* sequenti capite docebimus.

CAP. XVII.

Velites in Cæsariana militia notos non fuisse, sed hos Antesignanos appellatos & hanc legionum levem tunc extitisse armaturam.

CErtum est, *Velites* Cæsaris ævo ac Pompeii, & sub sequentibus deinde Imperatoribus in exercitu Romano nusquam fuisse hoc nomine. Si qui autem recentiorum eos nominant, ut Apulejus, Ammianus & Panegyrici ad Theodosium auctor, ex antiquis hoc nomen sumptum suæ ætati accommodarunt, oblivioni plane traditum. Livius clare ostendit, sua ætate non amplius in usu fuisse *Velites* cum dicit lib. XXX. in pugna Scipionis & Hannibalis describenda: *Velitibus, ea tunc levis armatura erat, vias complet*. Si tunc fuisset, non ita loquutus esset. Cum idem lib. XXVI. institutorum primo *Velitum* mentionem facit in obsidione Capuana, & arma eorum describit, ita *velitarium bastarum* meminit, ut de aliis velitibus intelligat, quam qui in legione olim fuerunt. *Et septena*, inquit, *jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest*. Si de iisdem *Velitibus* has *hastas velitares* intelligeret, qui tunc primum instituti sunt, rem valde ineptam ac ridiculam fecisse dicendo, *Velitibus*, qui tunc instituebantur & armabantur, data esse jacula præfixa ferro, *quale hastis velitaribus inest*. Alios igitur designavit *Velites*, a quibus hastas istas *velitares* denominavit, & qui tunc vulgo noti, præter antiquos illos militares, quos ætas illa ignorabat. Hi gladiatores fuere hastis *velitaribus* inter se pugnantes. Et de his prorsus capiendi sunt hi Ovidii versus:

Utque petit primo plenum flaventis arenæ
Nondum calfacti Velitis hasta solum.

Solum illud plenum flaventis arenæ, nonne circi vel amphitheatri solum est arena inductum? Ergo & *Velites* isti gladiatorum genus. Isidorus lib. XVIII. inter gladiatores recenset hos *Velites* cap. 58. *Velitum pugna*, inquit, *erat, ut ultro citroque tela objectarent. Erat autem eorum varia pugna, & spectantibus gratior quam reliquæ, Velites autem vocati sunt, a civitate Hetruscorum, quæ Veletes vocabatur*. Immo gladiatores hoc nomine, a *Velitibus* militaribus nomen sortiti sunt, quod hastis inter se, quales olim habuere leves legionis pedites, depugnarent. Artemidori quoque de his *Velitibus* gladiatoribus locus insignis corrigendus est, lib. II. cap. 4. ubi varia genera ac nomina gladiatorum recenset, atque illi capite περὶ μονομαχίας titulum fecit: Διμάχαιρος δὲ, καὶ ὁ λεγόμενος συήλης, ἤτοι φάρμακον, ἢ ἄλλος κακότροπον ἢ ἄμορφον εἶναι τὴν γυναῖκα σημαίνει. Vulgo legitur, ὁ λεγόμενος ὀρβήλας. Cum igitur constet ex his *Velites* tunc fuisse gladiatorum genus & appellationem, non amplius ullos legionis *Velites* hoc nomine appellatos conjicere ex vero datur. Ideo Varro, cum de *Velitibus* antiquis, qui in legione Romana militarunt, loqui vellet, non simpliciter *Velites* eos nuncupavit, sed *antesignanos Velites*, quia ante signa in acie olim pugnabant. Sic enim versibus quos paulo supra jam citavimus.

Quem sequuntur cum rotundis Velites leves parmis
Antesignani, quadratis multisignibus tecti.

Livius quoque quodam loco, ut a nobis ante productus est, *Velites antesignanos* appellavit, ut eos discerneret a *Velitibus* sui temporis, qui gladiatores erant. Enimvero *Velites* ab eo tempore recessisse a legionibus Romanis probari potest, quo & *Hastati*, *Principes*, *Triariique* inde remoti fuere. Cum enim prisca legio in hæc quatuor corpora divideretur, *Velitum*, *Hastatorum*, *Principum* ac *Triariorum*, idem exitus commutata militia omnes involvit, ut pariter e legione Romana nomine saltem tenus expungerentur, postquam alia ejus divisio introducta est. Non potuere igitur remanere in ea *Velites*, unde expuncti sunt *Hastati*, *Principes* ac *Triarii*. Ex his quaternis corporibus cum antiqua legio constaret, ubi in decem cohortes æquales distributa est, tum nomina illa priscæ divisionis cessarunt, & antiquata sunt. Ex *Triariorum* ordine qui sexcenti erant facta est prima cohors sexcentorum militum, sed appellatio *Triariorum* abolefacta est. Ex duobus reliquis ordinibus *Principum* & *Hastatorum* similiter quaternæ cohortes institutæ sunt sexcenariæ, quia singula ea corpora mille ac ducentos habuerunt pedites. Ex *Velitum* corpore pariter qui mille ac ducentos pedites constituebant, duæ compositæ cohortes singulæ sexcentorum peditum. Ita septenæ cohortes exierunt ex quaternis ac ducentis illis millibus, quibus constabat antiqua legio in *Velites*, *Hastatos*, *Principes* ac *Triarios* dispertita. Sed quia tunc legio sena millia militum accepit, nova illa quæ a Mario introducta est institutione, tres adjectæ sunt cohortes, ut decem fierent, partim ex gravi, partim ex levi, ut verisimile videtur, armatura. Fingamus unam levium fuisse additam, duas gravium armatorum. Sic decem cohortes legionis plenæ extiterunt ex senis millibus constantis, ex quibus tres fuerunt levis armaturæ. Si velimus duas tantum ex levibus fuisse concinnatas, quot olim *Velites* in legione fuerunt, id etiam licet. Conjectare tamen possumus etiam leves aliquos de novo additos. Quod si est, non minus addi potuit quam ex quo una cohors fieret. Ita ergo nomen *Velitum* in hac nova legionis institutione abolitum est, ut & *Hastatorum*, *Principum*, ac *Triariorum*. Cohortes autem illæ levium, *expeditæ* vel *expeditorum cohortes* appellatæ videntur. Harum mentio apud Cæsarem crebra occurrit. Eos etiam vocat *expeditos legionum* Hirtius in libro de bello Africano: *Quæ res Cæsarem non fefellerat. Namque expeditos ex singulis legionibus vicenos milites esse jusserat*. Et paulo post: *Quod ubi Cæsar animadvertit, trecentos quos*

ex legionibus habere expeditos consueverat, ex proxima legione quæ eo prælio in acie constiterat, jubet equitatui succurrere. Cæsar ipse *expeditos antesignanos* appellat, l. III. de bello civil. *Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosq; antesignanos admiscuit CD. qui tantum profecere, ut equestri prælio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent, ipsi incolumes se ad agmen reciperent.* Item paulo post eodem lib. *Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus servabat, ut quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atq; expeditos ex Antesignanis electos milites ad pernicitatem armis inter equites præliari juberet.* Ob eandem hanc causam *Velites* in obsidione Capuæ institutos ab auctoribus traditur. Et *expeditos* quidem vocat Cæsar, quia hoc proprium semper nomen fuit *Velitum* ac levis armaturæ. Festus in verbo *Advelitatio*: *Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est, volitantes.* Absolute *expediti* dicuntur Livio l. XXII. levis armaturæ milites: *Successit tamen Pœnus cum expeditis equitibusque atq; ad lacessendum hostem raptim & procursando recipiendoq; sese, pugnavere.* Ita ibi scribendum, non *expeditis equitibus*, ut vulgo editur. Ita enim vetustissimi libri legunt. Idem paulo post: *Adversus eos tribus millibus cum expeditis auxiliis* a Scipione missis, id est, levium armorum auxiliis, ut alibi vocat. Ammianus Marcellinus l. XVIII. *Velites expeditos* appellat. Vegetius l. III. c. 19. *Quod si equites impares fuerint, more veterum velocissimi cum scutis levibus pedites ad hoc ipsum exercitati iisdem miscendi sunt, quos expeditos & Velites, quasi volitantes nominabant.* Eo loco tamen *explicatos* libri veteres legunt. ἐξπλήκτυς vocat Leo in Tacticis Latina voce pro *explicitis*. De quibus nos alibi. *Expediti* sunt quos Græce Polybius εὐζώνυς appellat, cui nomine levis armatura *Velitum* sæpe nuncupatur. Eos *expeditos ex Antesignanis* electos a se dicit Cæsar, ubi *Antesignanos* appellat totum corpus levis armaturæ legionariæ, quæ *Velitum* appellatione olim noscitabatur, quod ante signa pugnarent, id est, ante legiones peditum instructas, quæ *signorum* nomine plerumque apud auctores censentur. Non alia porro *Antesignanorum* notio & appellationis ratio eo tempore quam de levis armaturæ peditibus, ita dictis quod ante signa præliarentur. *Expediti Antesignanos* nominat eos Cæsar, ut olim *expediti Velites* dicebantur, quorum in acie hoc etiam munus olim fuit perpetuum, ut ante signa pugnam inciperent, & inde nomen. Sed *Velites* nuncupati sunt ab habitu in antiqua militia, in nova autem *Antesignani* a pugnandi loco, quia cum *Velitum* nomen de gladiatorum quodam genere usurpabatur, ut dixi, qui *Velitaribus* armis depugnabant. Extremis etiam imperii temporibus levis armatura *Velitum* ante signa pugnam inibat. Auctor Panegyrici ad Theodosium: *Ecce lux tandem, & jam omnis campus horrebat, divisi in cornua Equites, leves ante signa Velites, dispositæ manipulatim Cohortes, & gradu pleno ferentes agmina quadratæ Legiones.* Sed *Velitum* nomen non sui temporis ab antiquis sumpsit mutuo, ut & *quadratas illas legiones*, & *manipulatim dispositas cohortes.* Nam olim manipulatim aciem Romani instruebant, cum legio dividebatur in *Hastatos*, *Principes & Triarios*. Posteaquam vero in decem cohortes distribui cœpit, per cohortes ordinata est, non ut iste dicit *manipulatim*, qui in re nova explicanda verbis antiquæ ordinationis κακοζήλως usus videtur. Inde ergo & *Antesignani Velites* Varroni, nomine antiquo simul & novo. Cur *Antesignani*? Quia nimirum ante signa pugnabant, nempe ante signa legionariorum. Sed an non & ipsi signa habuerunt? Certe de antiquis *Velitibus* diximus signa eos propria non habuisse: Sine signis, sine ordinibus vage & passim ante aciem dimicasse. Sed postquam forma legionis immutata est, tum & in cohortes ipsi cum reliquis legionariis dispertiti, signa habere cœperunt, sive potius vexilla. Cum igitur ad hostes lacessendos & provocandos præmittebantur, sub vexillis ibant. *Antesignanorum* porro Cæsarianorum & *Velitum* antiquorum omnes notæ communes. Ex eodem Cæsare liquet, hoc genere pugnæ solitos uti illius ævi legionum *Antesignanos*, ut si terga dare cogerentur, se ad signa legionum reciperent. Primo impetu procurrebant, audacter locum capiebant, ordines suos non magnopere servabant, rari dispersique pugnabant. Si premerentur, loco excedere, & pedem referre non turpe existimabant. Hæc omnia de *Antesignanis* narrat Cæsar lib. I. de bello civili. Quis nescit qui Polybium legerit hæc omnia fuisse consueta *Velitibus*? Is l. IX. de pugna Scipionis contra Hasdrubalem ita scribit: *Τῶν δ' εὐζώνων ἄκριτος ἦν καὶ πάριτος ἡ συμπλοκὴ διὰ τὸ τὰς πιεζομένας καταφεύγοντας ὑπὸ τὰς ἰδίας φάλαγγας ἐκ μεταβολῆς κινδυνεύειν.* Hæc verba significant, *expeditos*, id est, *velites*, solitos procurrere & recurrere per vices, & siquando premerentur ab hoste, ad signa legionum refugere. Inter equites præliabantur *Antesignani*, ut ex eodem Cæsare multis locis constat: nec ex paucis Polybii locis exploratum est *Velites* equitibus admixtos pugnasse. Quod & ex illa ipsa pugna Scipionis cum Hasdrubale commissa & a Polybio descripta certo certius colligitur. Apud Cæsarem lib. III. de Bello Civili: *Adolescentes atque expediti ex antesignanis electi milites inter equites præliantur.* Adolescentes ergo erant illi *Antesignani* legionum, quod & de *Velitibus* antiquis verum esse nemo ignorat. Nam maxime juvenes deligebantur, qui *Velitum* in legione numero adscriberentur. Apud Hirtium l. III. de Bello Gallico: *Levis armaturæ pedites ante legiones missi turmisque equitum interpositi constanter præliantur.* Tam *Velites* veteres, quam *Antesignani* Cæsariani levis armaturæ pedites erant, & inter equites præliabantur. *Antesignani* ex eo appellati, quod ante signa, id est, ante aciem sub signis instructam pugnarent. Hoc etiam proprium *Velitum* fuit ante signa pugnare. Livius lib. XXXVIII. de pugna Manlii adversus Gallo-Græcos: *Quod ubi Romani viderunt, expediunt se ad pugnam. Ante signa modico intervallo Velites erant, & ab Attalo Cretenses sagittarii, & Thralli Thraces. Signa peditum, ut per arduum, levi gradu ducuntur, ita præ se habentium scuta, ut missilia tantum vitarent, pede collato non viderentur congressuri.* Vides *Velites*, id est, levem armaturam legionum cum levi armatura auxiliorum ante signa isse. Unde ergo *Antesignani* postea dicti, qui antea *Velites*, nisi hinc? Post *Velites* qui ante signa ibant, sequuntur legionum signa. Ea fuere prima signa legionum, ut paulo post sequitur. Prima autem signa legionum eo tempore, fuere signa *Hastatorum*. Non ergo, ut placuit doctis, *Antesignani* iidem cum *Hastatis*. Nam *Hastati* prima signa legionum erant. *Velites* autem ante illa prima signa procedebant, qui revera *Antesignani* erant, & postea hoc nomen nacti sunt, omisso *Velitum* nomine. Ubicunque igitur *Antesignanorum* apud Livium mentio occurrit, de *Velitibus* hi sunt intelligendi, qui ante signa procurrebant, & quos ita ea ætas appellabat, oblitterata *Velitum* appellatione. Expendamus nunc aliquot illius auctoris locos, ubi *Antesignanos* nominavit ut constet, quo sensu sic eos appellarit. In illo ipso libro, ubi pugnam Manlii in Gallo-Græcos describit, cum prius *Velites* ante signa ire scripsisset, paulo post eos ipsos *Velites*, *Antesignanos legionum* vocavit:

In eos qui portas stationibus suis clauserant, legionis Antesignani pila conjecerunt. Quinam isti legionis *Antesignani*, nisi illi *Velites*, quos ante signa collocatos ante dixit? Non alii legionum *Antesignani* accipi possunt, quam *Velites*, qui & legionum pars erant, & ante signa legionis soliti erant dimicare. Etiam Cæsar *legionum Antesignanos* appellat, quia certo numero in legionem conscripti habebantur, l. 1. de bello Civili: *Hoc sperans legiones tres ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa, unius legionis Antesignanos præcurrere, atque occupare eum tumulum jubet.* Valde autem probabile est, non alia notione eam vocem *Antesignanos* usurpasse Livium, quam quomodo ætate Cæsaris & sua, quod idem sæculum erat, sumi solebat. Cum autem idem Livius eo libro tam clare & diserte *Antesignanos* vocaverit, quos paulo ante *Velites ante signa* euntes nominarat, vix credibile est aliis in locis alio significatu id vocabulum posuisse. Idem lib. XXXIII. *Antesignanos* vocat, *Velites* Romanos qui primi hostibus in prælio occurrent: *Marcellus Pado confestim trajecto, ubi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, legiones in ipso itinere prælium committunt, & primo impetu adeo acriter invaserunt, ut Antesignanos impulerint.* Id est, eos expeditos & levis armaturæ pedites, sive *Velites*, qui ante signa pugnandi gratia procurrebant. Idem clare l. XXIIII. levem armaturam Pœnorum hoc nomine *Antesignanorum* impertiit his verbis. *Primo Antesignani Pœnorum, deinde signa perturbata. Postremo tota impulsa acies.* Quid clarius? Certum est levem armaturam primam omnium pugnasse, & ante signa prima sive aciem primam. Ecce igitur *Antesignani* Pœnorum, primo perturbati, quia primi pugnabant, deinde *prima signa*. Postremo tota acies impulsa. Eodem libro diserte levem armaturam Romanorum, id est, *Velites* ante signa dimicasse scribit: *Prima levis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum pulsa detrusaq; terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionum refugit. Peditum acies inter perculsos impavida sola erat, videbaturque si justa, ante si recta pugna esset, haudquaquam impar futura.* Ecce ante aciem peditum, & ante ipsa signa legionum prima *levis armatura*, id est, *Velites*. Succedebant equites Deind· legionum signa, & peditum acies. Ergo, prima illa levis armatura *Antesignanorum* haud dubie fuit. Cum igitur in eo auctore legimus in ordinatione aciei describenda *peditum partem ante signa locatam, partem post signa receptam*, pedites illos ante signa locatos, non alios interpretari par est, quam *Antesignanos*, sive *Velites*, qui ante signa locati primi cum hoste concurrebant. Sic l. XXIII. pugnam Asdrubalis cum Romanis describens, *Romanorum aciem triplicem stetisse* perhibet, *peditum parte ante signa locata, parte post signa accepta, equites autem cornua cinxisse.* Quomodo triplex stetit, si pars peditum ante signa locata est, pars post signa accepta? Hæc duplicem tantum aciem notant, in *antesignanos* & *postsignanos* dispertitam. Immo triplex stetit, per *Hastatos, Principes* & *Triarios* ordinata. Sic enim capienda sunt ejus verba. In illa triplici acie designanda certum est *Velites* ab eo comprehensos non esse. At eos alia divisione complexus est, cum dixit, *partem peditum ante signa locatam, partem post signa receptam.* Pars ergo ante signa locata, *Velites* fuere: pars post signa accepta, reliqua peditum acies trifariam divisa in *Hastatos, Principes*, & *Triarios*. Utramque divisionem complexus est, unam qua triplex Romana acies designatur, ratione *Hastatorum*, & *Principum* & *Triariorum*: alteram qua duplex, ratione *Antesignanorum*, id est, *Velitum*, ac reliquorum peditum qui *Postsi-*

A *gnani* dicebantur, quod post sua signa ordinarentur, quæ & sequi debebant. Idem Livius manifeste hoc ita esse declaravit lib XXII. his verbis: *Post nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata, per Hastatos, Principes & Triarios.* His triplex notata est. Sequitur: *nec ut pro signis Antesignani, post signa alia pugnaret acies.* Ita enim ibi legitur in vetustissimo libro *Antesignani*, non *Antesignanus*. Hæc duplicem designant, ex levi armatura *Antesignanorum* sive *Velitum* constructam, & ex gravi armatura *Hastatorum, Principum* & *Triariorum*. Hi omnes gravem armaturam constituebant, in qua veluti prima acies consistebat. Sic enim Li- B vius significat lib. XXXVIII. de pugna Manlii contra Gallogræcos, primam aciem ex levi armatura instructam. *Consul*, inquit, *prima in acie locata levi armatura.* Hæc levis armatura est, quam eodem loco *Velitum* nomine *ante signa* pugnantium designavit, & *Antesignanorum*. Idem lib. XXX. in pugnæ Cannensis descriptione primam aciem ex jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis factam in exercitu Romanorum tradit. Sic enim ibi legendum ac distinguendum: *Atque ita instructa acie in dextro cornu, id erat propius flumen, Romanos equites locant, deinde pedites. Lævum cornu extremi equites Sociorum, intra pedites ad medium* C *juncti legionibus Romanis tenuerunt. Ex jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta.* Nec recta lectio est in vulgatis, nec interpunctio. Jaculatores illi ex quibus factam primam aciem dicit, *Velites* Romani fuere, quos ἀκοντιστὰς & πεζακοντιστὰς appellat Polybius. His adjuncta levis armatura auxiliorum. In ipsa prælii commissione narranda, quomodo primam illam aciem intellexerit, satis clare aperuit, cum ita scripsit: *Clamore sublato procursum ab auxiliis, & pugna levibus primum armis commissa.* Nimirum ordinariam & sollemnem in præliis *Velitum* & levis D armaturæ procursionem factam significat. Alioquin potuisset quis opinari novo & inusitato more, quæ prima debebat esse acies peditum gravis armaturæ, levem armaturam & *Velites* locum ejus obtinere jussos. Post hanc primam levium armatorum procursionem, equites in certamen inducit, deinde peditum pugnam subsequi facit. Qui ordo tum perpetuus fuit certaminum acie instructa faciendorum Levis armatura principium edebat, & primam pugnam lacessebat. Post eos invehebantur equites. Post equestre certamen, pedites prælium inibant, id est, *Hastati, Principes & Triarii.* Sic lib. XXII. *Principio levem armaturam dimittit,* E *deinde conserto agmine mittit equites, postremo cum hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus procedit.* Livius eodem l. XXV. postquam dixit in pugna Cannensi procursum clamore sublato ab auxiliis, atque levibus armis pugnam primum commissam, addit equites frontibus adversus concurrisse, *& sub equestris finem certaminis coortam esse peditum pugnam*, Polybius eandem pugnam describens pro illis Livianis, *e jaculatoribus & cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta est*, hæc Græca posuit, πάσης δὲ τῆς δυνάμεως προέστησε τοὺς εὐζώνους ἐν ἀποστάσει. *Id est ante aciem universam cum intervallo constituit Velites.* Quibus F verbis adjunxisse videtur Livius ἦσαν δὲ σὺν τοῖς συμμάχοις quasi continenter præcedentibus adtexta, quæ tamen ad sequentia pertinent, quibus continetur numerus peditum socialium & legionariorum qui in exercitu Romano erant. Quæ sic juncta Livius accepit de jaculatoribus Romanis, & cæteris levium armorum auxiliis, e quibus primam aciem factam ait. Polybius simpliciter ante aciem eos constitutos dicit. Quo sensu & προτεταγμένους sæpe appellat, & προκινδυνεύοντας, ut ante notavi-

mus. *Ante aciem constitui* & *ante signa* eadem significatione dicitur, de equitibus, elephantis, & *velitibus*, sive levium armorum peditibus, de quibus omnibus aliquando sic primam aciem factam esse auctores scribunt: πρὸ τῆς δυνάμεως & πρὸ τῶν σημαιῶν idem est. Quia *ante signa* pugnare solebant *Velites*, inde etiam *Antesignani* vocati Cæsaris temporibus. Atque sic etiam loquutus est Livius, qui totam aciem in duas partes propterea divisit, in *Antesignanos* & *Postsignanos*. Ut illi aciem constituerint, isti secundam. Ut prima acies e levi armatura *Velitum* fuerit constructa, secunda immo & tertia & quarta, e gravi armatura reliquorum peditum. Sane legio Romana in *levem armaturam* quæ *Velitum* olim erat, & *gravem* divisa est. An eadem divisio & instructio in antiqua militia obtinuerit, videndum. Ita sane videtur Livius sensisse. Quod multo magis de acie sui temporis potuit existimare, quam de illa prisca, quomodo Scipionum ævo parari & instrui solebat. Nam Livii ætate levis armaturæ quæ *Antesignanorum* nomine tunc appellabatur, quadantenus ordinabatur ante signa legionum, & sub vexillo proprio incedebat. Præterea ordines etsi non magnopere servabat, ut ait Cæsar, utcumque tamen servasse vel inde apparet. At *Velites* antiquæ militiæ, qui ordines non habebant, nec signa, nullos eos in totum servabant, nec hæc sequebantur, quia utrisque carebant. Cum enim solerent ἐκ μεταβολῆς, id est, vicibus procurrere ac recurrere, non ordinatim, sed passim excursiones eos fecisse inde manifestum est. Denique cum Polybius scribat ἐν ἀποστάσει eos collocatos ante aciem fuisse, id est, satis magno intervallo ab acie prima remotos, nullum definitum habuisse eos constat spatium, quousque excurrerent. At *Antesignani*, sive levis armatura temporum Cæsaris veluti ordinata stetit intra certum spatium, in quo consistens hostem ingruentem expectabat. Quod etsi non semper observabatur, cum id ex du cum arbitrio penderet, sæpius tamen id factitari solitum Sallustius docet, in libro de bello Catilinario, ubi pugnam inter Catilinam & Antonium commissam memorat: *Postquam eo ventum est, unde a Ferentariis prælium committi posset, maxumo clamore infestis signis concurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani pristinæ virtutis memores comminus instare*. Ferentarios fuisse prisco vocabulo, levis armaturæ milites, non docendi sunt, qui sciunt. Et jam supra quales fuerint exposuimus. Quo tempore scripsit Sallustius, non id nominis habuerunt, sed *Antesignani*, ut dixi, vocabantur. Hoc ille Catonianum vocabulum cum cæteris usurpavit. De acie Antonii illa verba posuit auctor. Is in fronte veteranos locaverat. Ergo Ferentarii ante eos locati, qui primi prælium commiserunt, infestis signis. Post eos veterani qui primam aciem constituebant, communis institerunt, pristinæ virtutis memores. Et notandum *Ferentarios* illos signis infestis concurrisse. Ergo sub signis illi, & in ordinibus, ut non male prima acies de his fieri & dici posset. Secus de antiquis *Velitibus* qui inordinati & incompositi, & sine ullis vexillis ad prælium committendum vagi dispersique ibant. Et tamen Livius *primam aciem* eos fecisse vult in pugna Cannensi. Quod & alibi in aliis describendis præliis dixit. Atqui id pugnat manifesto cum eo quod scripsit de acie Scipionis contra Asdrubalem in Africa directa, triplicem eam stetisse, parte peditum ante signa locata, parte post signa accepta. Si illi qui ante signa erant politi pedites, ex vero nomine *Antesignani*, primam aciem faciebant, levis nempe armaturæ pedites, tum non triplicem, sed quadruplicem eam stetisse oportet. Nam triplex fuit per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. Quibus adde & primam ex *Velitibus* constantem; quadruplex sane sic fuerit necesse est. Quibus in locis primam aciem tribuit levium armorum peditibus, vereor ne Græcum auctorem, quem tunc sibi imitandum proposuerat, sequutus sit, qui πρόταξιν appellavit, levis armaturæ in acie locationem. Sic enim Græci Tactici nuncupant & definiunt πρόταξιν esse τῶν ψιλῶν, ὅτε τῶν ἄλλων ἤτοι ἐν τῷ πολέμῳ προτάττονται. *Levis armaturæ præordinationem, cum ante alios in prælio ordinatur*. Πρόταξις proprie non est prima acies, vel prima ordinatio, id est, πρώτη τάξις, sed πρὸ τάξεως τάξις, id est, ordinatio quæ fit ante eam, cui vere nomen ordinationis competit. Ut ecce phalanx Græcis legitima est peditum ordinatio sive τάξις. Cum levium armorum pedites ante hanc phalangis τάξιν instruitur, tunc πρόταξις existit. Inde πρόταχτοι, *Velites* dicti, qui & *Antesignani*. His oppositi ἐπίταχτοι, id est, *Postsignani*. Plutarchus in vita Syllæ ἐπιτάκτυς appellat quos Frontinus *Postsignanos*, qui sic opponuntur *Antesignanis*, ut ἐπίταχτοι τοῖς προτάκτοις. Nam ut πρόταχτοι ante aciem & prima signa locati dicuntur, ἐπίταχτοι sunt qui post aciem locantur. Quicunque post primam aciem in directum collocati sunt, ut solent locari subsidia, ἐπίταχτοι vocantur. Subsidiariæ acies ita etiam Græce appellari recte possunt. *Postsignanos* ita vocavit Frontinus, qui ἐπίταχτοι Plutarcho, de aciei Syllanæ ordinatione contra Archelaum. Sed locus Frontini cum vulgo corruptissimus sit, ut emendandus est visum hic eum adscribere, ex lib. II. c. 3. *Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relectis intervallis, propter levem armaturam, & equitem quem in novissimo collocaverat, ut cum res exegisset, emitteretur. Tum Postsignanis, qui in secunda aciperant, imperavit, ut densos numerosque palos firme in terram defigerent. Intra eos appropinquantibus quadrigis, Antesignanorum aciem recepit. Tum demum sublato universorum clamore velites & levem armaturam ingerere tela jussit: quibus factis quadrigæ hostium aut implicitæ palis aut exterritæ clamore telisque in suos conversæ sunt, turbaveruntque Macedonum instructuram*. Archelaus adversus Syllam ad perturbandum hostem in fronte locaverat falcatas quadrigas, ut ibidem Frontinus scribit. Hæc prima Archelai acies, sive πρόταξις potius. Nam subsequebatur ipsa phalanx vera ac legitima τάξις, quam cum idem Frontinus secundam statuat fuisse aciem Archelai, inde patet falcatas quadrigas in fronte locatas pro prima posuisse acie. Eundem usum præstabant falcatæ hæ quadrigæ in bellis quem & elephanti, qui & ipsi in fronte collocari solebant ad perturbandos & perrumpendos hostium ordines. Eundem nimirum locum in acie tenuerunt quadrigæ Archelai, quem alias obtinere solebat levis armatura. At eam tunc in ultimo collocaverat. Elephantos in fronte sic positos, *ante signa locatos* dixit Livius l. XXXIII. *Elephantis ante signa instructis*. Hic etiam locus *Antesignanorum* sive *Velitum* ac levis armaturæ. Contra illam triplicem Archelai aciem Sylla & ipse triplicem instruxit, quam Feontinus in *Antesignanos* & *Postsignanos* eo modo dividit, ut Livius pugnam Scipionis contra Asdrubalem triplicem stetisse memorat, *parte peditum ante signa locata, parte post signa accepta*. Dicit idem Frontinus Syllam imperasse *Postsignanis*, qui in secunda acie erant, ut palos densos ac numerosos in terram defigerent. Cum *Postsignanis* secundam aciem assignet, apparet *Antesignanis* primam tribuisse. Quinam illi *Antesignani*? An *Velites* ac levis armatura? Ita omnino videtur. Nam ut πρόταχτοι & ante signa constituti, debuerunt primi ocurrere quadrigis quas in fronte collocaverat Archelaus. His retro ceden-

tes per intervalla *Postsignanorum*, quæ ad hoc inter manipulos reliquerat Sylla, viam dederunt quadrigis, qua progrederentur intra aciem Romanam. Sic intra palos quos curaverat defigendos opera *Postsignanorum* perductæ sunt. Quo facto, clamore ab universis sublato, ipsi illi *Antesignani*, id est, *Velites* qui appropinquantibus cesserant quadrigis atque intra palos se receperant, ut eo perducerent currus falcatos Archelai, tela in eos ingesserunt, quibus retro acti partim, & partim clamore exterriti, aut induerunt se palis, aut in suos conversi sunt, ac turbaverunt phalangis Macedonicæ ordines. Et cedenti cum Sylla instaret, Archelaus Syllæ equitem opposuit. Sed Sylla Romanos equites, quos in ultimo constituerat, per intervalla ordinum emisit, qui eum averterent, & victoriam consummarent. *Antesignani* igitur, si forte, Frontino iidem cum *Velitibus* ac levi armatura, quorum hæc perpetua fuit ordinatio, ut ante signa locarentur. Si ita sunt apud eum accipiendi, omnia recte se habent. Sed videtur eos a *velitibus* ac levi armatura distinguere, dum sic scribit: *Intra eos appropinquantibus quadrigis Antesignanorum aciem recepit, tum demum clamore sublato, Velites & levem armaturam ingerere tela jussit*. Satis clare in his videtur discernere *Antesignanorum* aciem a *Velitibus* ac levi armatura. Cur autem *Velites & levem armaturam* dixit, cum *Velites* levis armatura eorum temporum fuerint? Fortassean ita posuit ἐξηγητικῶς, quia suo tempore nulli amplius *Velites*, ideo addit, *& levem armaturam*. Hæc exempla a Græcis auctoribus apparet sumpsisse Frontinum. Sylla in ea acie contra Archelaum subsidiarias cohortes posuerat quas Græcus auctor a quo sumpsit Frontinus, ἐπιτάκτους vocabat. Sic enim & Appianus appellavit. *Postsignanos* Latine reddidit Frontinus. Ergo acies quæ ante eos pugnavit, τῶν προτάκτων fuerit. Hæc prima acies extitit. *Antesignanorum aciem* idem reddidit Latine. Quæ divisio totius aciei προτάκτων & ἐπιτάκτων potest in *Antesignanos* & *Postsignanos* Latine appellari. Sed πρότακτοι sive *Antesignani* proprie de *Velitibus* ac levi armatura, non cum primam aciem faciunt, sed cum ante primam aciem pugnant. Tunc omnes acies peditum gravium a tergo eorum collocatæ *Postsignanorum* nomine venire possunt. Verum hæc divisio, ut dixi, Cæsarianorum potius temporum fuit, quam antiquorum, cum in *Hastatos, Principes*, & *Triarios*, triplex acies introrsus statuebatur. Nam si *Antesignanorum* aciem, qui *Velites* erant, pro prima ponas, non triplex, ut dixi, inde exibit acies, sed quadruplex. Præterea non vera acies eorum fuit nec τάξις, qui nec ordinem servabant in pugnando, nec signa ulla sequebantur. Mutata militiæ ratione, levis armatura *Antesignanorum* & signa habuit seu vexilla, & quasi justa acie depugnavit ante signa graviorum peditum. Livius igitur dum *Antesignanos* in antiqua militia nominat, ac per eos & *Postsignanos* acies instructas memorat, ad morem sui temporis respexit, & novum cum antiquo confudit. Sed qui tot locis, quos supra adduximus, *Antesignanos* quoque pro *Velitibus* posuit, idem lib. XXVII. videtur planissime eos a *Velitibus* distinguere his verbis, quibus exponit pugnam Scipionis cum Asdrubale prope Bætulam urbem, de Asdrubale ipso loquens: *Pro castris equitum stationes habebat. In eas Velites Antesignanique, & qui primi agminis erant advenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeo contemptim impetum fecerunt, ut facile appareret quid utrique parti animorum esset*. Cum *Velites* ibi ab *Antesignanis* separare videatur, eosdem tamen *Antesignanos* a primi agminis militibus aperte discernit. Primum agmen siquidem in itinere agendo respondet primæ aciei in exercitu ad pugnam instructo. Eodem quippe ordine quo pugnabant in acie, incedebant in agmine. Primum agmen, & prima signa *Hastatorum* fuere, tam in acie, quam agmine. Qui ante ea signa prima pugnam inibant *Antesignani* appellati, quæ levis erat armatura nomine *Velitum* tunc temporis nuncupata. Cum igitur in illis verbis Livius *Antesignanos* a *Velitibus* alios faciat, certe quos alios intellexerit nescio præter *Velites*, eo præsertim tempore qui ante signa pugnabant. Quos hic *Velites Antesignanosque* appellavit, paulo post *expeditos* vocat, id est, *Velites*, ut ipse alibi appellat, Græci εὐζώνους, ut fere semper Polybius levis armaturæ milites nuncupat. *Ipse expeditos*, inquit, *qui pridie stationes hostium pepulerunt, ad levem armaturam in summo stantem supercilio ducit*. An per *Antesignanos*, levem armaturam, Sociorum vel auxiliorum intellexit? Nam levi Romanorum armaturæ nomen fuit *Velites*. Alio loco *levia arma auxiliorum* appellat, quos hic *Antesignanos* a loco ordinationis. Polybius in eadem pugna describenda, cum *Velitibus*, id est, γροσφομάχοις jungit τοὺς ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν, id est, extraordinarios pedites. Τοὺς δὲ γροσφομάχους καὶ τῶν πεζῶν τοὺς ἐπιλέκτους ἐξαφεὶς ἐκέλευε προσβάλλειν πρὸς τὴν ὀφρύν. *Velites autem, atq; ex peditibus extraordinarios emisit, quibus imperavit, ut in supercilio stantem hostem aggrederentur*. Potuit videri Livius eos extraordinarios pedites appellasse *Antesignanos*, quia sæpe in prima acie pugnabant, & cum duce ipso ante signa. Non tamen illi *Antesignani* dicti, nec dicendi, nisi siquando ante signa pugnarent. Atqui quibus hoc nomen datum est, videntur proprium illud habuisse, etiam extra aciem & ordines. Hinc *Antesignani legionum* Cæsari. Sed omnino in illis Livianis scribendum est: *In eas velites antesignani, & qui primi agminis erant*. Ita vocat *Velites antesignanos*, ut Varro illis versibus quos supra adduximus. Quia enim *Velites* eo tempore noti non erant in militia, sed pro iis *Antesignani* dicebantur qui iis successerant, ut de *Velitibus* qui tunc gladiatores erant, non intelligere se ostenderent, vocarunt eos *Velites antesignanos*, id est, militares *Velites* ante signa pugnare suetos. Ipse Livius dum suæ ætatis usum respicit, velitibus hoc nomen hæsisse in acie instructa testatur lib. X. *Cum*, inquit, *instructæ acies starent, cerva fugiens lupum e montibus exacta per campos inter duas acies decurrit. Inde diversæ feræ, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via, cervam Galli confixere. Tum ex Antesignanis Romanus miles: Illac fuga*, inquit, *& cædes vertit, ubi sacram Dianæ feram jacentem videtis*. Ubi *Antesignani* de his qui ante signa locati sunt, videntur accipiendi. Non alii autem illo tempore ante signa locabantur præter *Velites*. Unde & *antesignani Velites* Varroni versibus quos supra retulimus. Sed quænam illa signa ante quæ quia locabantur *Velites*, *Antesignani* appellati sunt? Nempe prima. Hæc *Hastatorum* fuere, qui & primam aciem constituebant. Πρώτας σημαίας appellat Polybius, ut δευτέρας *Principum*, & τρίτας *Triariorum*. Unde apud eundem Livium *inter prima signa* constitui, *ante signa* pro eodem ponitur lib. X. *Centurionibus deinde, ut pullarios inter prima signa constituerent. Promovent & Samnites signa. Insequitur acies ornata armataque, ut hostium quoque magnificum spectaculum esset. Priusquam clamor tolleretur concurreretúrq; emisso temere pilo pullarius ante signa concidit*. Ecce pullarius inter prima signa constitutus, priusquam se moverent acies, & concurrerent, pilo ictus ante signa concidit. Si *Antesignani* porro ab eo dicti quod ante prima signa quæ *Hastatorum* erant,

collocarentur, certe & *Postsignanos* ex eo nomen invenisse oportet quod post eadem prima signa *Hastatorum* ponerentur. Sed incertum est, utrum ipsi *Hastati* qui post sua signa locabantur, hoc nomine comprehenderentur, an illi tantum qui post *Hastatos* sequebantur, *Principes* nimirum & *Triarii*. Certe instructum exercitum in duas tantum partes dividunt, in *Antesignanos* & *Postsignanos*. Exceptis igitur *Antesignanis*, ante prima signa constitutis, tam prima signa *Hastatorum* quam secunda *Principum* & tertia *Triariorum*, eodem nomine *Postsignanorum* comprehensa fuisse oportet. Si *Postsignani* omnes in secunda acie, si quando acies bipertito dividebatur, prima acies *Antesignanis* erit assignanda, id est, levi armaturæ. Et sane Livius in pugna Cannensi, & in aliis primam aciem ex jaculatoribus & levi armatura factam tradit. Præter primam aciem, ut ante docuimus, cæteræ omnes quæ subsequebantur, subsidiariæ censebantur, & ἐπίτακτοι. Ergo prima προτάκτων fuit, quia πρόταξις ex levi armatura constabat. Polybius ipse φάλαγγα ἐφεδρεύειν levi armaturæ dixit, phalangem subsidiariam esse atque ἐπίτακτον *Velitibus*. Alio loco de Romana acie loquens similiter pedites gravis armaturæ qui antecedentes *Velites* subsequebantur, ἐφεδρείαν illis præstare scripsit, & subsidiarios eorum existere, lib. XVII. Οἱ δὲ προκινδυνεύοντες τῶν Ῥωμαίων προσλαβόντες τὴν τῶν πεζῶν ἐφεδρείαν ἐκ μεταβολῆς ἐνέκειντο τοῖς ὑπεναντίοις. *Antesignani Romanorum, legionum subsidiis a tergo firmati, fronte conversa hostes adorti sunt.* Flaminius in eo prælio quo cum Philippo congressus est, cornu dextrum aciei suæ jussit immotum manere cum elephantis, quos in fronte collocarat. Ipse lævo cornu sequi jusso cum levi armatura in hostes invectus est. Τῷ δ' εὐωνύμῳ μετὰ τῶν εὐζώνων ἐπῄει σοβαρῶς τοῖς πολεμίοις. *Lævo cornu cum expeditis ferociter in hostem vadebat.* Illi εὔζωνοι *Velites* erant, quos & paulo post προκινδυνεύοντας appellat, quos legiones sequebantur, subsidio ipsis futuræ. Sic ἐπίτακτοι erant legiones peditum, ipsi autem *Velites* πρότακτοι. Hi *Antesignani*, illi *Postsignani*. Sed vide desultoriam Livii levitatem & inconstantiam. Qui multis locis *Antesignanos* vocavit eos, qui ante signa & primam aciem quæ ex *Hastatis* constabat, pugnare soliti erant, alibi ipsos *Hastatos* ita nuncupavit. Sic enim diserte in pugna Cannensi describenda eo verbo usus est ad *Hastatos* designandos, immo ut etiam sentio, & ipsos cum *Hastatis Principes*. *Vias patentes inter Manipulos Antesignanorum, Velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit.* De solis *Hastatis* hæc a Livio dici putant: qui falluntur. Quorsum enim attinebat, mutare intervalla ordinum, si inter *Hastatorum* tantum manipulos vias patentes *Velitibus* complere voluisset Scipio? Sed & manifeste tam *Principum* quam *Hastatorum* intervalla *Velitibus* fuisse completa a Scipione significat Polybius qui per illa intervalla cedentes ac refugientes *Velites*, si validius premerentur, pone aciem universam ut se reciperent mandatum a Scipione scribit. Certe πρώτας σημαίας, *prima signa* appellat solos *Hastatorum* manipulos ad comparationem sequentium *Principum*, quorum secunda erant signa. Sed paulo post cum dicit, τὰ δὲ διαστήματα τῶν πρώτων σημαιῶν ἀνεπλήρωσε ταῖς τῶν γροσφομάχων σπείραις, eo loco πρώτας σημαίας dixit tam de *Hastatorum* quam de *Principum* manipulis, respectu *Triariorum*, quorum paulo ante τελευταίας σπείρας appellavit. Præterea tam *Hastati* quam *Principes* unum quasi agmen efficere videbantur, *Antepilanorum* appellatione, ut ipse Livius tradit lib. VIII. *Hoc triginta manipulorum agmen Antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines sequebantur.* Enimvero in hac loquutione *ante signa* & *post signa*, sæpe totam aciem nomine *signorum* intelligi ipse Livius fidem facit qui ita accepit lib. X. *Equites ducibus tribunis haud multo plus hostibus quam suis, ex improviso ante signa evecti præbuerunt tumultus: Ante signa*, id est, ante aciem. Quod ostendunt quæ sequuntur, ubi *post signa* omnino accipi debet post aciem: *Adversus incitatas turmas stetit immota Samnitium acies, nec parte ulla pelli aut perrumpi potuit. Et postquam irritum inceptum erat, recepti post signa prælio excesserunt.* Id est, post aciem tam primam quam secundam, post *Hastatos* nempe & *Principes*. Nam eodem illo loco mentionem tantum fecit aciei primæ & secundæ. In prima *Hastati* constitere, in secunda *Principes*. *Crevit*, inquit, *ex eo hostium animus, nec sustinere frons prima tam longum certamen, increscentemque fiducia sui vim potuisset, ut secunda acies jussu consulis in primam successisset.* Adde quod *Hastatorum* & *Principum* illo ævo proprie pugna, proprie fuit acies. Nam *Triarii* raro ad prælium prodibant, nec nisi extremo casu rebus pœne perditis & necessitate ultima cogente. Custodiæ castrorum alias deputabantur, ut ex Dionysio constat & Livio aliquot locis. Ut autem ante signa pugnabant *Velites*, id est, ut solet Polybius dicere, πρὸ ὅλης δυνάμεως, *ante aciem*, sic *Triarii* prælium capessere cogebantur, & post signa dimicabant. Unde & *Postsignani* forsan appellati, quia postremam aciem claudebant. Præterea soli ex omnibus subsidebant in acie, unde & *subsidia* proprie dicebantur, hoc est, ἐπίτακτοι. An reliquæ ergo quæ præcedebant acies, *Hastatorum* & *Principum* πρότακτοι & *Antesignani?* Sane id nomen tam de *Hastatis* quam de *Principibus* posuisse Livium probatur & altero ejusdem loco in eo Annibalis & Scipionis conflictu: *Resilientes enim ad manipulos Velites, cum viam elephantis, ne obtererentur, fecissent, in ancipites ad ictum utrimque conjiciebant hastas. Nec pila ab Antesignanis cessabant, donec utrinque incidentibus telis exacti ex Romana acie.* *Antesignani* isti tam *Hastati* quam *Principes* intelligendi, qui pilis undique conjectis elephantos ex acie exegerunt. Nam *Triarios* in illa acie pugnasse non legimus. Per solos igitur *Hastatos* ac *Principes* res transacta quos *Antesignanos* vocavit Livius. Sed quomodo intelligemus, quod alibi dixit in acie Romana instruenda, *partem peditum ante signa locatam, partem post signa acceptam?* An partem ista quæ post signa accipiebatur de *Triariis* capiemus? An potius omissis *Triariis* qui raro pugnabant, de solis *Velitibus*, *Hastatis*, ac *Principibus* hæc ab illo dicta censebimus? Certe alibi primam aciem *Velitibus* dat. Eos ante signa locatos etiam scribit. Ergo isti soli ante signa locati. *Hastati* itaque & *Principes* pro *Postsignanis* erunt habendi. Sed quomodo hoc procedet? An post sua signa locatos eos interpretabimur? Præterea eo loco dicit, triplicem stetisse Romanam aciem. At non stabant tunc *Velites* in acie, nec ordinabantur, nec sub signis ibant, sed nec aciei nomen merebantur. Cum enim dicit triplicem aciem Romanam stetisse, de solis statariam pugnam capessentibus legionariis id intelligendum, ac de stabili agmine peditum, non de levi armatura qualis *Velitum* fuit. Triplicem ergo aciem de *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* omnino eum intellexisse oportet, prætermissis *Velitibus*. In *Antesignanos* igitur & *Postsignanos* totam illam triplicem aciem Romanorum dispertiit. Antesignani *Hastati* & *Principes*, Postsignani *Triarii* soli. Quippe cum scribat triplicem aciem Romanam stetisse & peditum partem ante signa locatam, partem post signa acceptam, de illa ipsa triplici acie hæc accipienda videntur, quam alia divisione bipertita in

Antesignanos & *Postsignanos* separat. Sed quare A Antesignani *Hastati* & *Principes*? An quia ante signa *Triariorum* locati, penes quos præcipua signa legionum, & aquila ipsa, ut ante diximus? Quid si illi ad castra custodienda relicti fuissent, ut sæpe fieri solitum, quomodo *Hastati* & *Principes* Antesignani quos nulla signa *Triariorum* subsequebantur? Si Antesignani *Principes* & *Hastati*, multo digniores hoc nomine *Velites* quibus adprime conveniebat ac præ omnibus, utpote ex more pæne perpetuo tunc & olim ante aciem & signa pugnare consuetis. In aciei instructæ porro divisione aut levis armatura comprehendenda est cum gravi armatura, aut leves, id est, *Velites*, a gravium ar- B morum peditibus sunt separandi, & inter acies cum iis minime numerandi. Si levem armaturam cum gravi in dividenda in duas partes acie, in *Antesignanos* nimirum & *Postsignanos*, comprehendi placet, appellatio *Antesignanorum* non potest competere nisi *Velitibus*. Tum omnes subsequentes a tergo acies peditum graviorum, nomine *Postsignanorum* erunt donandæ. Sin autem solam gravem armaturam ita dividi oporteat, quia inter acies legitimas non reponendi videantur *Velites*, tum *Antesignani* de *Hastatis* & *Principibus* fuerint intelligendi, *Postsignani* de *Triariis*. Non enim C aliter possit. Verum ex hac divisione scutatorum & gravius armatorum peditum in *Antesignanos* & *Postsignanos*, illud incommodi proveniet, ut diverso respectu omnes iidem videri possint *Antesignani* & *Postsignani*. *Hastati* enim erunt *Postsignani* suorum signorum. Omnes enim milites post sua signa olim collocabantur. Unde apud Livium, *post signa instruere cohortes*. At iidem erunt *Antesignani Principum*. Rursus ipsi quoque *Principes* suorum signorum omnino *Postsignani* poterunt dici, at signorum quæ *Triarios* præcedunt, *Antesignani*. Soli *Triarii Postsignani* revera tantum dicendi D erunt, suorum nempe signorum. Cum autem nulla post se peditum signa habuerint, utpote qui postremam aciem clauderent, nulla ratione *Antesignani* appellari potuerunt. Atque ita quidem gravis armatura peditum in antiqua militia potuit utcumque dividi in *Antesignanos* & *Postsignanos*, cum tres acies *Hastatorum Principum* & *Triariorum* ita sibi invicem subsidiariæ aliæ post alias ordinarentur, ut priores *Antesignani* sequentium a tergo haberi possent. Sed in nova ordinatione nullo modo id fieri dicive licuit, ut acies gravium peditum, eam divisionem in *Antesignanos* & *Postsignanos* pateretur. Ita quippe ordinabantur triplici acie, ut altera al- E teram non sequerentur, sed junctæ ad latera essent, in dextrum cornu, mediam aciem, & sinistrum cornu divisæ. Nulli igitur hoc modo aliorum *Antesignani* dici aut videri potuerunt. In tali itaque instruendi instituto si acies in *Antesignanos* & *Postsignanos* dividatur, *Antesignani* non erunt aliter intelligendi quam de levis armaturæ peditibus qui ante signa peditum gravium pugnam inibant. Ostendimus autem in iis quæ superius animadversa sunt, hanc *Antesignanorum* & *Postsignanorum* divisionem recenti ordinationi potius convenisse quæ sub Cæsaribus obtinuit, quam illi veteri quæ Scipionum ævo usurpata est. Livius utramque miscuit. F Certe negari non potest quin multa in re militari Romana explicanda turbaverit, dum quæ suorum temporum erant cum antiquis per inscientiam confundit. Maneat igitur hoc fixum *Antesignanos* ullorum temporum nec alios fuisse præter levium armorum pedites qui ante signa pugnabant.

CAP. XVIII.

De Antesignanis Cæsarianæ militiæ, quæ levis legionum fuit armatura, & qua in re diversi ob antiquæ legionis Velitibus fuerint. Hos etiam alios fuisse ab Antesignanis posterioris ævi.

EA quæ in præcedenti capite explicavimus, abunde ostendunt, *Velites* Polybii ac Scipionum, ac legionum *Antesignanos* Cæsaris eosdem fuisse, eadem arma habuisse & idem munus pugnandi ante signa graviorum peditum, & instructarum legionum. *Antesignanos* vocatos tempore Cæsaris ipse Cæsar indicat qui nunquam aliter appellat, nec *Velitum* uspiam meminit, quia hoc nomen, ut dictum est, de quodam genere gladiatorum tum soleret usurpari. Quod autem *Antesignani* tunc appellarentur, ex eo licet colligere divisionem *Antesignanorum* & *Postsignanorum* in acie ordinanda temporum fuisse Cæsarianorum propriam, non anteriorum cum instruebantur per *Hastatos*, *Principes* & *Triarios*. *Velites* autem Scipionum sæculi, & *Antesignanos* Cæsariano ævi eosdem fuisse adeo verum est, ut antiquarius Varro, utroque nomine junctim eos designaverit antiquo & novo, *Velites Antesignanos* appellando, quo eos destingueret a *Velitibus* circi vel amphitheatri. Ipse quoque Livius ita eos vocavit loco a nobis supra correcto. Utrorumque tamen hæc differentia fuit quod *Velites* in antiqua legione sine signis, sine ordinibus pugnabant, & nullum corpus separatim in legione constituebant, sed æqualiter per cætera corpora distribuebantur *Hastatorum Principum* & *Triariorum*, quorum omnium singuli manipuli certum sibi ex illis numerum attributum habuere. Postquam vero legio in cohortes decem æquales distributa est, ipsi quoque *Velites* sub nomine *Antesignanorum* in cohortes separatas redacti, etiam vexilla sua habere cœperunt, haud secus quam reliquæ gravium peditum cohortes. Mutatione autem rei militaris satis tum recenti cum Cæsar scripsit, utpote quæ a Mario introducta sit, leves legionis Romanæ pristinum adhuc officium servabant ante signa pugnandi. Unde & *Antesignani* vocabantur. Rarius tamen eo tempore esset numerus levis armaturæ, id est, jaculatorum, sagittariorum & funditorum, frequentius iis duces utebantur ad excursiones ante signa faciendas, quibus hostes lacesserentur ac provocarentur. *Antesignani* autem legionum, quæ Romanorum levis erat armatura ad extraordinaria munia plerumque a ducibus mittebantur, cum vel tumulus esset occupandus, aut hostis depellendus ex occupato, aut inter equites præliandum, aut aliquid tale obeundum, in quo pernicitas & velocitas requirebatur. Et cum *expeditos* ipse Cæsar in genere appellet omnes leves pedites ut & Sallustius & Livius quos Græci εὐζώνους, istos legiones leves appellat ad discretionem aliorum, *expeditos Antesignanos*, Ut lib. III. *Hinc suos equites Cæsar opposuit expeditosque Antesignanos admiscuit CD*. Et paulo post, *expeditos ex Antesignanis*. Alibi *expeditos* absolute nominat etiam hostium exercitus, pro levibus, lib. VII. de bello Gallico: *Atque ipsum cum equitatu expeditisque qui inter equites præliari consuessent insidiarum causa eo profectum*. Cæsaris autem *expediti Antesignani* ex legionum nimirum corpore emissi hoc ipsum munus habebant inter equites ante signa præliandi, ut ex diversis locis ipsius Cæsaris constat. Post Cæsarem sequentium Augustorum imperio, jam toto orbe domito ac Romano facto; & in provincias redacto, & civitate etiam donatis iis provinciis, cum ex omni provinciali milite legiones conscriberentur, paula-

tim *Antesignanorum* in legione nomen abolitum est. Pro iis *Vexillarii* primo vocati sunt, qui bellante Cæsare *Antesignani* vocabantur. Hi legionis leves & expediti erant, & *Vexillarii* pro *Antesignanis* appellati, quod non amplius ante signa præliarentur, sed propria vexilla sequerentur, & sæpius a legione sua divisi ac separati arbitrio ducum huc aut illuc quo necessitas videbatur vocare, mitterentur. De quibus paulo post. Fuere adhuc sub Cæsare cum *Antesignani* vocabantur, tria in legione veluti diversa corpora militum, diversis etiam modis armata haud aliter quam in antiqua legione usus fuit, cum in *Velites, Hastatos, Principes* & *Triarios* divideretur. Nam *Antesignani* armati erant ut velites antiqui, cum parma & jaculis septenis & gladio & sagulo. Præterea fuere & qui hastis in ea pugnarent & qui pilis. Quæ differentia fuit antiquorum *Hastatorum* & *Triariorum*. Hoc etiam discrimen armorum levium & gravium sub sequentibus Cæsaribus aliquandiu mansit, cum *Vexillarii* vocati sunt qui antea *Antesignani* appellabantur. Postea in totum exolevit hæc armorum distinctio in legione, præcipue quod attinet ad levem armaturam *Antesignanorum* vel *Vexillariorum*. Sub Hadriano tamen legiones Romanæ non eos tantum habuisse videntur milites, qui hastis pugnarent & qui pilis sed etiam suos leves. Arrianus qui eo imperante vixit, præter λογχοφόρυς & κοντοφόρυς, id est, *Hastatos*, & *Pilanos*, quosdam etiam κέφυς λογχοφόρυς nominat. Ab eo tempore nulli proprie levium armorum milites in legione Romana meruerunt, ex civibus delecti. Magna ex parte levis armatura quæ in exercitu Romano visebatur, ab *auxiliis* erat, quam exteri reges aut populi fœderati mittebant. Nulli autem fere tunc temporis inter auxiliares, nisi equites, aut levium armorum milites, nempe vel jaculatores vel sagittarii vel funditores. Vegetius lib. II. c. 2. *Nam legionibus semper auxilia tanquam levis armatura in acie jungebantur*. Eunapius: Ψιλοὶ καὶ οἷον κῦφοι, Αὐξίλια δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσι, τὸ τῆς βοηθείας ὀξὺ καὶ περὶ τὰς χρείας εὐκίνητον ἀπὸ προσαγορεύοντες. *Auxiliorum* nomine a Romanis appellari ait levem omnem armaturam. Hinc Festus *Ferentarios*, antiquo hoc nomine Romani leves pedites appellarunt, *Auxiliares* interpretatur, nisi potius illa interpretatio sit ipsius Pauli qui eum breviavit. Sed possunt & videri ipsius Festi esse. Nam & ejus tempore vix alia auxilia Romanis nisi levium hujusmodi armorum. Quippe ubi recesserunt a Sociis Latini nominis qui iisdem armis utebantur, non ab exteris aliud *Auxiliarium* genus acceperunt, nisi levem armaturam. Nugatur igitur Vegetius, cum scribit lib. II. cap. 11. legionem Romanam propriis cohortibus fundatam non solum gravem armaturam habuisse, sed etiam levem ut funditores, ballistarios. Sic enim loquitur: *Legio autem propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam, hoc est, Principes Hastarios, Triarios, Antesignanos. Item levem armaturam, hoc est, Ferentarios, Sagittarios, Funditores, Ballistarios: cum proprios sibi insitos Equites legionarios iisdem matriculis teneat*. Hæc falsissima esse ex illis quæ supra disseruimus liquere cuilibet potest. Aliquando sane & levem armaturam legio in cohortes decem divisa habuit, sed non leviorem nec aliam quam jaculatorum, qui Cæsaris ætate *Antesignani* nominabantur. Nunquam vero legio Romana funditores aut sagittarios, aut ballistarios habuit. In prisca militia *Accensi* qui dicebantur funditores erant, sed extra numerum legionis habebantur. Post Hadriana tempora, ut docui, vix ulla in Romana legione levis armatura militavit. Unius exinde formæ legionis cohortes factæ sunt, eo excepto quod in *Hastatos* & *Pilanos*, ut olim

A vocati, ut tunc dicebant *Lancearios* & *Contatos* dividebantur. Perverso etiam ordine idem Vegetius cum gravem armaturam legionis recenset, *Principes* primum nominat, deinde *Hastatos*, cum *Hastati Principibus* priores in acie instruenda fuerint, quo tempore per *Hastatos* & *Principes* ac *Triarios* ordinabatur. De quibus autem *Principibus* hic intellexerit palam est ex iis quæ scripsit lib. eodem c. XV. ubi tractat quemadmodum legionum acies instruantur. *Sed ante signa, inquit, & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, hoc est, ordinarii, cæterique principales. Hæc erat gravis armatura, qui habe-
B bant cassides*. Paulo post scribit: *Prima acies Principum, secunda Hastatorum armis talibus docetur instructa*. Tria igitur hæc genera sunt, ex quibus primam aciem instructam fuisse vult, quæque gravem armaturam constituebant, *Principes, Hastati, & Antesignani*. Et per *Principes* intelligit, ut ipse explicat, *ordinarios*, hoc est, primorum ordinum ductores, sive ταξιάρχυς. Quam diversi hi *Principes* fuerint ab antiquæ aciei *Principibus* qui post *Hastatos* collocabantur in secunda acie, & ante *Triarios* qui tertiam faciebant, neminem latere potest, rerum Romanarum veterum paulo peritiorem. Cer-
C te *Principes* etiam vocabantur qui primi pugnabant & in primis ordinibus, quos Græci λοχαγὺς appellant, & πρωτοστάτας. Nam in militia Græca primus ordo aciei constabat ex λοχαγοῖς sive ordinum ductoribus, quos ideo πρωτοστάτας vocabant, Latini *Principes*. Glossæ veteres: *Principes*, πρωτοστάτας. Apulejus in libro de Mundo, qui in Græco sunt λοχαγοὶ & ταξίαρχοι, *Principes* Latine reddidit. Sic enim Græca: Καθίσαται δὲ εὐθέως ὁ μὲν λοχαγὸς εἰς λόχον, ὁ δὲ ταξίαρχος εἰς τάξιν, ὁ δὲ ἱππεὺς ἐπὶ κέρας, ὁ δὲ ψιλὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐκτρέχει χώραν, πάντα, δὲ ὑφ' ἓνα σημαίτορα κινεῖται κατὰ πρόσταξιν τοῦ τὸ κράτος ἔχοντος ἡγεμόνος. Quæ ita Apule-
D jus convertit: *Velites excursionem adornant, ordinibus Principes curant, Equites cornibus præsunt, cum interea unius Ducis imperio tantus exercitus paret ei, quem præfecerit penes quem est summa rerum*. Ubi *Principes* qui curant ordines sunt ταξίαρχοι ac λοχαγοί. *Principes ordinis* vocat Festus in voce *Principia*, quem locum castrorum dici ait, in quo *Principes ordinis* tendunt. De his ergo *Principibus* Vegetius, aut ille quem exscripsit, loqui voluit, cum eos in prima acie pugnasse tradit, ante *Hastatos*. Ita miserabiliter confudit *Principes* recentis militiæ qui primores ordinum fuere ac ductores, cum antiquæ aciei *Principibus* qui legionis secun-
E dum ex tribus corpus constituebant, quique non in prima acie, sed in secunda post *Hastatos* ante *Triarios* pugnabant. Auctores illi quos compilavit Vegetius, de re militari scripsere circa tempora Hadriani. Et cum Græcos τακτικὺς diligentissime versarent, in antiqua re militari Romanorum parum versati fuerunt, quam nec intellexere, sed omnia ad sui temporis usum ac morem revocantes, & cum Græcorum τακτικῇ comparantes linea alba diversissimi generis ac temporis milites signarunt. Idem porro Vegetius sive Frontinus in epitome Vegetii inter legionis gravem armaturam post *Principes* & *Hastatos Triariosque* recenset *Antesigna-
F nos*, lib. I. cap. 2. *Legio autem propriis cohortibus plena cum gravem armaturam, hoc est Principes, Hastarios, Triarios, Antesignanos*. Qui sunt isti *Antesignani* inter gravis armaturæ milites legionis numerandi, alio loco indicat, ubi eos enumerat qui ante signa & circa signa pugnarent, lib. II. cap. 15. quemadmodum legionum acies instruantur: *Sed ante signa & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, hoc est, ordinarii, cæteri-*

que principales. *Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides, cataphractas, ocreas*, & quæ sequuntur. Qui ante & circa signa dimicabant, hi non possunt alii videri quam *Antesignani*, quos supra gravi armaturæ legionis accensuit. Hi sunt quos *Principiorum* nomine vocatos supra demonstravimus, quosque *Principales* appellat *milites* Vegetius. Inter quos & primorum ordinum centuriones fuere quos *Ordinarios* appellat. Omnes qui extra ordinem militabant, omnes voluntarii, & quicunque muneris vacationem ex aliqua dignitate in militia habebant, *Principia* etiam vocabantur. Non enim locus in castris ita vocabatur tantum, quæ Græcis ἀρχεῖα sed etiam *Principales* milites & dignitate præcipui sic vocati. Vel unus locus Livii id ostendit lib. XX. *Nam & castra expugnata sunt, & ipse dux militum cum aliquot Principiis capitur*, id est, cum aliquot *Principalibus* militibus, sive *Principibus*, tribunis nimirum, vel ordinum primorum ductoribus. De quibus alibi. Notandum autem clare a Vegetio sive Frontino distingui primam aciem, ab illo ordine in quo *Antesignani*, id est, principales milites ante & circa signa dimicaturi, stabant. *Sed ante signa*, inquit, *& circa signa nec non in prima acie dimicantes Principes vocantur*. Generali vocabulo omnes qui ante signa & circum signa dimicarent, *Principes* vocatos ait. Qui ante siga dimicabant, ordinarios & principales, cæteros milites *Principes* appellatos innuit. Similiter & qui in prima acie prælium committebant, in ordine & sub signis militantes *Principes* nuncupatos significat. Quod & paulo post confirmat de prima acie: *Prima acies Principum, secunda Hastatorum armis talibus docetur instructa*. Hinc origo & fons erroris cernitur. Antiqua acies *Principes* habuit cum *Hastatis*, sed *Hastatos* primos & in prima acie pugnantes, *Principes* secundos & in secunda, sic dictos non quod primi essent & *Principes* ordine, & primo loco in acie dimicantes, sed quod principalis essent roboris, utpote in virili ac firmata ætate constitutos. Auctores qui post commutatam militarem rem vixerunt, perverso ordine *Principes* præposuerunt *Hastatis*, ex vi nominis, quod primum in quoque ordine sonat. Sic *Principes* antiquæ ordinationis confuderunt cum *Principiis* & principalibus militibus recentioris militiæ, & qualis ævo suo agitabatur. Eo modo & primam aciem *Principibus* priscæ legionis tribuerunt, eosque qui primi ante aciem & signa pugnabant, *Principes* quoque dixere, ut revera *Principes* in acie consistebant, id est, primi. Non dubium autem *Principia* dicta de his qui in primore acie pugnam capessebant, hoc est, principales milites. Sed operæ pretium est animadvertere *Principes* & *Principia* a Vegetio distingui, cum clare etiam *Antesignanos* a *Principibus* separet. Nam gravem armaturam ait consistere in *Principibus*, *Hastatis*, & *Antesignanis*. Eorum porro primam aciem fuisse dicit, quia in prima acie dimicabant. Distinguendi igitur sunt, ut ipse eos discrevit, qui ante signa ac circa signa, & qui in prima acie pugnabant. Illi *Antesignani* vocabantur; hi *Principes*. Ex Apulejo autem notavimus *Principes* dictos fuisse tunc τοὺς λοχαγοὺς, qui & προστάται. Hi in primis ordinibus post signa pugnabant, quia ordinibus quos ducebant præerant. At *Antesignani* sic dicti, qui ante signa præliabantur vel circa signa. Omnes isti *Principiorum* nomine censebantur. Ergo *Principiorum* vox generalior quam *Principum*. Certe *Antesignanos* illius temporis *Principiorum* nomine appellatos esse certissimum est, a quibus *Principes* separavit Vegetius lib II. cap. 2. cum gravem armaturam, de his tribus interpretatur, de *Principibus*, *Hastatis* & *Antesignanis*. At idem cap. 14. ejusdem libri *Principes* videtur generaliter appellare omnes qui ante signa & circa signa & in prima acie pugnarent. Ita *Principes* & *Principia* eadem. *Princeps* & *Principium* idem, ut *Conjux* & *Conjugium*. Alia significatione *Principes* quoque appellatos supra docuimus, qui ante signa prælium incipere solebant levis armaturæ milites, eosdemque etiam nomine *Antesignanorum* pugnantes & *inter primos* apud Sallustium sunt qui ante primam aciem pugnant, vel quod idem est, in prima acie. In Bello Catilinario: *Mallius & Fæsulanus in primis pugnantes cadunt*. Duces illi Catilinarii exercitus, qui in primis, vel inter primos pugnabant, ante aciem nimirum, & ante ipsa signa. De ipso Catilina ibidem ait: *Magna vi certatur. Interea ipse Catilina cum expeditis in prima acie versari*. Illi *Expediti*, ut ante explicavimus, fuere levis armaturæ milites, sive antiqui *Velites*. Ergo in prima acie pugnare censebantur qui ante aciem dimicabant. Ipse Catilina in acie instruenda propter Aquilam adstiterat. Sic ante ipsam aciem & ejus primos ordines constiterat. Nam Aquila & reliqua signa cohortium ante ipsas cohortes ordinatas præferebantur. Sua quamque cohortem signa præcedebant, quæ omnia in eadem linea procedebant. Post signa sequebantur in altera recta linea primi ordines primæ aciei, qui lineam insistebant παράλληλον priori lineæ, in qua signa cohortium ac manipulorum stabant. Ita qui circa signa locati erant atque, ut loquitur Arrianus, ἀμφὶ σημείοις, vel propter signa incedebant, cum signis ipsis sive signiferis lineam rectam constituebant, & sic ante aciem ipsam sive primos ejus ordines cum ipsis signiferis positi incedebant. Hic locus fuit, teste eodem Arriano, tribunorum, & primorum centurionum, & aliorum *Principiorum* sive principalium militum, ut loquitur Vegetius. Apulejus: *Velites excursionem adornant, Principes ordines curant*, id est, regunt. Ita præibant ordinibus, quos ducebant. Et hi primi ordines erant in acie. *Inter ipsa signa* Livius locatos dicit, qui propter signa in pugna adsistebant vel propter signa. Immo & ante ipsa signa eosdem constitutos ait, accipiendo signa pro ipsis manipulis vel ordinibus, ut apud eum sæpe accipiuntur, ut cum *post signa receptos equites* scribit pugna excessisse, qui post aciem se receperant. Catilina qui in acie ordinanda propter aquilam adstiterat, in congressione ipsa ardore pugnandi provectus cum *expeditis*, id est, levis armaturæ militibus, versabatur. Quod Sallustius vocat, *in prima acie versari*. Quasi prima acies expeditorum ac levium peditum fuerit, ut Livius aliquot locis autumat. Quinimo cum idem Sallustius in libro de Bello Catilinario, ait Catilinam *centuriones omnes & evocatos, præterea ex gregariis quoque militibus optimum quemque armatum in primam aciem subduxisse*, per primam aciem non intellexisse videtur illam ipsam primam aciem quam jam ex octo cohortibus instruxerat in fronte constitutis: *Octo cohortes in fronte constituit, reliqua signa in subsidiis artius collocat*. Per frontem intelligit primam aciem, in qua constituerat octo illas cohortes. Reliqua signa, hoc est, reliquos manipulos, in subsidiis collocaverat, id est, secundam aciem ex his composuerat. Ordinibus & acie prima ita constitutis, mox centuriones & evocatos qui centurionibus dignitate æquabantur, in primam aciem subduxit, hoc est, in eo campi spatio collocavit, quod ante aciem primam ad incursum vacabat. Qui præcedit primum tanto magis primus est, utpote primo prior. Ea mente auctores falcatas quadrigas & elephantos qui ante aciem & signa prima collocabantur, aciem primam constituere dixerunt. Nec alia ratione levis armatura quæ ante aciem universam, πρὸ τῆς ὅλης δυνάμεως, collocabatur,

batur, primam tenere & facere *aciem* videbatur. Quid enim proprie est *acies?* In ferro est quod in primore cultri aut gladii acumine consistit & primum scindit. Hoc στόμα Græci, unde & per tralationem πολέμου στόμα. Inde στομῶσαι verbum *acuere*, & στόμωμα in ferro id quod scindendo penetrat. Arrianus στόμωμα quasi phalangis in primis ordinum ductoribus constituit, quos propterea validissimos ac fortissimos esse vult, quia pars ea præcipue est, ut in ferro, quæ prima per τομὴν intrat. Eam proinde firmissimam, & maxime induratam esse oportet. De primo ductorum ordine ita ille scribit: Τοῦτο γὰρ τὸ ζυγὸν ξυνέχει πᾶσαν τὴν φάλαγγα, καὶ τὸ ἴσον παρέχεται ἐν ταῖς μάχαις, ὅτιπερ τὸ στόμωμα τοῦ σιδήρου. ὁποῖον γὰρ ἂν ᾖ τοῦτο ἐν ᾧ ἡ τομὴ τοῦ σιδήρου, οὕτω καὶ ὁ πᾶς σίδηρος ἐργάζεται. ἡ μέν γε τομὴ αὐτοῦ κατὰ τὸ στόμωμα γίγνεται, τὸ δὲ ὑπόλοιπον καὶ εἰ μαλθακὸν τύχοι ὄν, ὅμως ξυνεπερείδει τῷ τέμνοντι. οὕτω καὶ τῆς φάλαγγος στόμωμα μὲν θείη τις ἂν τὸ ἐκ τῶν λοχαγῶν σύνταγμα, ὄγκον δὲ καὶ βάρος τὸ κατόπιν τούτων πλῆθος. *Hic ordo primus continet totam phalangem, & idem valet in præliis quod acies in ferro. Nam qualis est acies, id nempe quod scindit, talis & reliqua ferri pars, & idem efficit ac præstat. Quod enim scindit in ferro, id per aciem scindit. Pars ferri reliqua etiam si mollior sit, ipso tamen pondere & mole adjuvat nisum prementis in scindendo. Sic & phalangis aciem, hoc est, id quod scindit ac penetrat, statuere debemus in primorum ductorum ejus ordine, ferri molem & pondus in ea quæ a tergo sequitur, cætera multitudine.* Sed de phalange Græcorum hæc dicit Arrianus, quæ ad levem armaturam quæ ante aciem ordinatam collocari consueverat, meliori jure possint transferri. Nam illa primæ aciei quasi acies statuenda est. Τὸ στόμωμα τῆς πρώτης τάξεως. Acies in ferro non solum prima ejus pars, sed etiam tenuissima, & maxime gracilis. Eadem tamen maxime efficax. Id pronuntiare Polybius de levi armatura non veritus est lib. X. ubi τὰ κοῦφα τῆς δυνάμεως etiam πρακτικώτατα esse scripsit, *levem armaturam efficacissimam in bello videri*, adeo ut, victoria sæpe per eam profligata, titulus tamen penes gravem armaturam resideat. Sic prima acies in exercitu ad pugnam instructo & ordinato dupliciter intelligebatur. Quæ ex gravis armaturæ militibus, sub signis & in ordines redacta in hostem pergebat, ei proprie nomen *primæ aciei* hæsit, aut *primæ frontis*. Et quæ ante hanc primam collocata ex levis armaturæ peditibus composita erat, ea prima fortunam belli experiebatur, & prima periculo objectabatur. Hæc etiam duplex quodammodo fuit, & duplex genus *Antesignanorum* habuit. Una levium armorum habuit pedites, veloces, expeditos, ad procurrendum & recurrendum refugiendumque ad signa primæ aciei, si hostis validius urgeret, idoneos. Pars ejus altera ex *Principiis* legionis, & voluntariis, aliisque dignioribus militibus constabat, qui propius pressiusque attingebant primæ aciei signa, utpote circa ipsa signa dispositi, & ante signa, cum illi leves omnium primi satis longo intervallo, ἐν ἀποστάσει, ut Polybius ait, ab his dissiti fortunam belli experirentur, & hostes adorirentur. Ex his duorum generum *Antesignanis*, & illis qui primam aciem sub signis suis ordinatam constituebant, prima acies constabat, extensive, ut ita dicam, sumpta. Sic *antecœna* pars cœnæ cum sit, quæ cœnam præcedit, siquis eam in duas partes dividat, mensam primam & secundam, prima mensa continebit cœnam & antecœnam. Non potest autem dubium cuiquam esse, quin tempore etiam Cæsaris, primores ordines & omnes qui *Principiorum* nomine noti erant, digniores ac principaliores militares viri ante signa & circa signa in prima acie pugnare soliti fuerint. Quod etiam sa-

A tis in superioribus demonstratum est. Si ante signa tum præcipui quique dignitate militari pugnarunt, etiam *Antesignani* dici potuerunt, immo & debuerunt. Et fortassean Cæsar, ut ab his *Antesignanis* discerneret leves milites qui & ipsi quoque ante signa pugnam ciebant, & *Antesignani* dicebantur, hos *expeditos Antesignanos* vocaverit, hoc est, leves *Antesignanos*. Veri porro simile etiam videtur, cum auctores qui post Augustum vixerunt, aciei *Antesignanorum* & *Postsignanorum* meminerint, ut Frontinus, de *Antesignanis* illis altiorum ac primorum ordinum potius intellexisse qui primam aciem constituebant, quam de levibus ac expeditis B *Antesignanis*. Cæsarum enim tempore qui post Augustum imperarunt, Romani *auxiliaribus* sive *auxiliis* utebantur tantum ad levem armaturam. Inde Tacito *cohortes leves*, pro *auxiliariis*. Ex illis autem *auxiliaribus* non solebant acies componere, quæ id nomen haberent. Non enim pro acie computabant instructam ex illis in prælio manum. Multo minus quæ levibus tantum armis pugnaret, si ante signa procursaret pugnandi gratia, aciei appellationem ferre voluerunt. At videmus Vegetium primam aciem facere ex *Principibus*, & *Antesignanis*. Apud Senecam senatum primam aciem *in Pompeii exercitu fecisse dicitur*, & *altiores ordines in* C *prima acie stabant*, apud eundem. Cæterum in prisca militia primi illi ordines ac *Principia* cum ipso duce apud *Triarios* erant, qui tertiam aciem faciebant, & postremam claudebant. Apud Livium lib. XXII. Consulem in prælio Romano lancea transfixum cum hostis spoliare cuperet, *Triarii objectis clypeis arcuere*. Ergo ante *Triarios* pugnabat, & in tertia acie cum reliquis altioribus ac *Principibus* ordinibus. Ea tertia acies, in primam postea traducta. Quæ & acies *Antesignanorum* appellata est. Quæ post eam erat, nempe secunda, *Postsignanorum* dicta. Atque ita fortasse Livius exD ponendus est, cum aciem in *Antesignanos* & *Postsignanos* dividit, quam & triplicem stetisse dicit. Nam si pro una acie *Antesignanos Velites* ibi numerasset, tunc non triplex acies Romana, ut jam dictum est, stetisset, sed quadruplex, ex *Velitibus* nimirum, *Hastatis*, *Principibus* & *Triariis* instituta. Sed omnino sic veteris militiæ morem & ordinationem cum sui temporis aciei instruendæ instituto confudit.

CAP. XIX.

E *De vexillariis legionum, qui successere in locum antesignanorum. De loco in acie levis armaturæ. De exculcatoribus posterioris ævi.*

NON diu post Cæsarem nomen *Antesignanorum* de levi armatura legionum duravit, cum auctores qui post Augusti ævum scripsere, nusquam eorum mentionem faciant. Certe nec Tacitus eorum meminit, nec Suetonius, nec alii. Frontinus *Antesignanorum* aciem appellat, & *Postsignanorum*, sed illi *Antesignani* videntur intelligendi de *Principiis* sive principalibus militibus qui ante signa pugnabant, ut supra diximus. Mentio F fit in veteri inscriptione *Antesignanorum Tribuni*. Sed nullos habuere Tribunos *Velites Antesignani*, sive expediti *Antesignani* qui pro levi armatura legionum censebantur. Nisi quis dixerit, postquam in cohortes distributi sunt militia commutata, qui cohorti eorum præerat tribunus, vocatum esse *tribunum Antesignanorum*. Campidoctores sive Campigeni etiam *Antesignani* appellati sunt, quod ante signa irent, ut militibus præscriberent in prolusione armaturæ,

quomodo in hostem incedendum esset, & ab hoste recedendum. Ita vocem *Antesignani* Ammianus Marcellinus lib.XXVIII. *In cruento enim certamine, cum Maximino velut cum Antesignano suo contendens, superare eum in succidendis nobilium familiarium nervis studebat*. Id est, cum campidoctore suo. Hi certo numero fuere in legione, & qui eis præficiebatur, dictus est tribunus *Antesignanorum*, ut illo ævo tribunus & comes pro qualibet præfectura usurpabatur. Nullum certe in auctoribus qui posteriores Augusti sæculo vixere, vestigium extat illorum *Antesignanorum* expeditorum, qui leves erant legionis pedites. In antiquiore militia *Velites* appellati sunt, in Cæsariana *Antesignani*, postea, ut plane conjicio, *Vexillarii*. Ergo *Vexillarii* illi *legionum* quorum apud Tacitum frequens extat mentio, non alii sunt intelligendi quam ipsi qui antiquitus *Velites*, deinde *Antesignani* appellati sunt, ævo demum Taciti *Vexillarii* fuerunt. Disputant de his Critici, & quinam sic dicti sint, quærunt. Pars volunt exauctoratos fuisse veteranos & nondum missos, dum præmia & agros expectant, sub vexillo retentos. Sed non potest hæc opinio recta videri. Nam locus est ejusdem Livii, ubi legionis robur abfuisse dicit, cum tantum adessent *Vexillarii*, lib. II. Hist. *Præcipua Quartadecimanorum ferocia qui se victos abnuebant, quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse*. At vires legionis præcipue positæ in veteranis. Præterea veterani illi exauctorati, & emeritis stipendiis qui ad vexillum retinebantur, non amplius in censu ac numero legionis reputabantur. At illi vexillarii, de quibus Tacitus, pars etiam tunc legionis erant & passim vocantur *legionum Vexillarii*, quasi adhuc inserti legioni eadem cum cæteris legionariis matricula continerentur. Quoquo modo admiseris divisionem legionis Romanæ in gravem & levem armaturam, ut non potest aliter,quin admittatur, si ponas etiam in gravi armatura vim præcipuam constitisse, de hac accipi neutiquam potuerunt illi *Vexillarii* Taciti, saltem ex mente auctoris. Nec sanior opinio eorum, qui censent per *Vexillarios* intelligi debere partem legionariorum militum qui a sua legione aberant in alias provincias missi, ut essent subsidio legionibus ibi consistentibus ad præsidia agitanda. Dictos autem esse *Vexillarios*, quod ab Aquila separati sub propriis vexillis militarent. Multa sunt, quæ huic sententiæ refragantur. Primum de nomine ratio ipsa futilis est. In ipsa legione integra & plena, Aquila semper a reliquarum cohortium signis separatur. Hinc legimus ubique apud auctores *aquilam & signa*. Sic distinguuntur etiam *Aquiliferi* & *Signiferi*. Signa autem & vexilla indifferenter de cohortium cæterarum signis usurpantur, excepta prima quæ aquilam habuit. Deinde quid prohibet simili ratione partem legionariorum militum lectissimam ac potissimam mitti solitam, quæ præsidio esset aliis legionibus per provincias diversas consistentibus ad prætenturas ibi agendas & stationes agrarias? Quæ ratio exigit, ut perpetuo ad eum usum submissi sint leviores e legione milites? Postremo nec locus Taciti, quem ad suam sententiam firmandam producunt, quidquam ad rem facit. Hoc tantum probat *Vexillarios* legionis eos dictos, in quibus non esset positum præcipuum robur ejus ac vires. Ergo in legione non dividua, sed suis omnibus cohortibus & numeris absoluta pars militum fuit certo numero constituta, hoc nomine *Vexillariorum*, in qua robur legionis non consisteret. At quæ hæc, nisi quæ leves habebat milites? De certo numero horum constat ex Hygini Gromatico de Castrametatione, qui locum illis castris separatum assignat ubi tendant, & sexcen-

A tos in singulis legionibus fuisse ostendit. *Vexillarii*, inquit, *legionum debent eandem pedaturam accipere quam cohortes legionariæ, quod ad sexcentos homines computentur*. Si duæ essent itaque legiones, mille ac ducenti erant *Vexillarii*. Si tres, mille octingenti. Idem Hyginus: *Legiones* III. *Vexillarii mille octingenti, Cohortes prætoriæ quatuor*. Non ab hoc numero longe abit Tacitus qui *Vexillarios* in unaquaque legione videtur agnoscere quingentos, ubi ait Othoni præmissa esse bina millia militum ex quatuor legionibus, quarum præcipua Quartadecimana. Ergo ex singulis legionibus quingenti *Vexillarii* missi, quot unaquæque legio
B tum *Vexillarios* fortean habuit. In legione senis millibus constante, *Vexillarii* fuere sexcenti, quot nimirum singulæ cohortes legionariæ milites habuere. At si legio quinis millibus militum constaret, tum quingenti ut in unaquaque cohorte extitere milites, totidem quoque *Vexillarios* accepit legio, id est, quingentos. Ut *Vexillarios* legionum vocat Hyginus, ita & Tacitus. Sic enim scribit XIV. Annalium: *Jam Suetonio Quartadecima legio cum Vexillariis vicesimariis, & e proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant*. Palam est vocari *Vexillarios* vicesimarios, vicesimæ legionis
C *Vexillarios*.Hos esse plane non suspicor tantum,sed adfirmo, quos Julii Cæsaris ætas appellavit *Antesignanos legionum*. Leves erant, id est, leviter armati pedites, & juvenes qui ad irritandam pugnam ante signa procurrebant, quod *Velites* munus in antiqua militia habuerunt. Cur *Vexillarii* vocati? Quia *Velites* olim sine vexillis & ordinibus vagantes passim ac discurrentes hoc munere fungebantur, postea in ordines & sub signa reducti operam *Velitarem*, & procursatoriam præstiterunt. Quod factum est, ubi quaterna illa corpora legionis, *Velites*, *Hastati*, *Principes*, ac *Triarii* in decem cohortes æquales distributa fuere, quæ singulæ sua
D *Vexilla* acceperunt. Inde & *Velites* quoque in cohortes redacti propria haud minus quam cæteri *vexilla* habere cœperunt. Sub signis enim eos tempore Sallustii pugnasse supra eodem teste probavimus. Sed cum omnes cohortes sua habuerint *Vexilla*,cur ipsi proprie *Vexillarii* dicti sunt? Quia sæpius a legione sua sejuncti in diversa loca mittebantur.Nam cum expediti essent ac veloces, non ad hunc tantum usum sumebantur, sed in varias regiones mitti solebant, prætenturis agendis, aut *præsidiis*, ut ait Tacitus, *agitandis*, aut etiam præliis, aut ad alia ministeria bellica, ubi eorum opera necessaria duci videretur. Nam magnum instar in hac
E levi armatura Romana fuisse ante docuimus, quamvis vires legionis in his sitæ non essent. Si quando autem extra ordinem aliqui ex legionariis mitterentur, aliquo aut pabulatum aut frumentatum, aut ad aliud quid administrandum, semper sub *vexillo* mitti solebant. Quod erat aliud quam signum cohortis, ex qua erant illi legionarii. Uno exemplo id probandum ex Cæsare lib. VI. de Bello Gallico: *Erant in castris ex legionibus ægri relicti, ex quibus qui hoc spatio dierum convaluerant circiter trecenti, sub vexillo una mittuntur*. Quod *Antesignani* legionum sæpe extra ordinem ad varias hujusmodi belli necessitates mitti soliti essent,
F & quidem sub *vexillo*, ideo etiam *Vexillarios* nuncupatos, & hoc proprium tandem nomen tulisse constat. Eos in priscorum *Velitum* locum successisse diximus. Sed numerus non convenit. Mille ac ducenti *Velites* erant in antiqua legione, qui binas cohortes efficere poterant, legione ad numerum senum millium perducta. At sexcenteni tantum *Vexillarii* fuere in unaquaque legione. Sed qui vetat contractum numerum priscorum *Velitum*, & in partem dimi-

diam redactum in nova legione, quam quantus olim in antiqua fuit? Quis nescit longe majoris momenti mutationes intercessisse in militia Romana? Sexcenti tantum erant in antiqua legione qui pila gererent, & *Pilani* ex eo dicerentur, nempe *Triarii*. Aucta legione, & immutata ejus divisione, totidem *Pilani* in ea facti sunt quot *Hastati*, ut ab Arriano docemur. Præterea Livius in pugna Romanorum contra Latinos, sub Decio qui se devovit, enarranda, præter *Rorarios* & *Accensos* quæ tunc fuit levis armatura, unumquemque manipulum, vicenos leves habuisse dicit, qui hastam tantum, ac gæsa gererent. *Manipulus*, inquit, *leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leves autem qui hastam tantum gæsaque gererent*. Sed manipulis *Hastatorum* isti videntur, ut ex verbis Livii colligitur, leves intermixti tantum fuisse, non etiam *Principum*, in quorum manipulis scutatos omnes fuisse ibidem scribit. Sic res militaris multum apud Romanos variavit. Posset aliquis, si forte, persuasum habere, *Antesignanos* Vegetii quos inter gravem armaturam legionis reponit, hos ipsos fuisse quos sic Cæsar appellat, & qui *Vexillarii* postea nominati sunt. Atqui leves illi Cæsaris *Antesignani* legionum: & isti Taciti *Vexillarii*, cum Vegetius eodem nomine vocatos gravis armaturæ militibus accenseat. Certe leves isti *Antesignani* Vegetii, sive Frontini verius, in comparationem maxime levium, videri gravibus accenseri possent. Quinam illi? funditores, sagittarii, & ballistarii. Nam & hos quoque posset aliquis contendere in legionem receptos esse, postquam universæ Romani orbis provinciæ civitate donatæ sunt Antonini lege. Ab eo tempore qui inter auxilia militabant, Baleares funditores, sagittarii Ityræi, Numidæ & Cyrenæi, in legionariam militiam admissos fuisse ac numerum quoque levis armaturæ legionum auxisse. Nec vanum sic fuerit quod scripsit Vegetius, sive potius Frontinus, qui sagittarios, funditores, & ballistarios in legione Romana recenset, & in ipsis ordinibus prælii collocat. *Legio*, inquit, *propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam, id est, Principes Hastarios, Triarios, Antesignanos: Item levem armaturam, hoc est, Ferentarios, Funditores, & Ballistarios, tum proprios & sibi insitos Equites legionarios iisdem matriculis tenet*. Sub Adriano vixit Frontinus, cujus ætate civitas jam data erat illis provinciis, ex quibus funditores, sagittarii, & ballistarii veniebant. Et cum ex omni provinciali milite indifferenter legeretur illa tempestate miles legionarius, sic factum ut pro levi armatura legionum reciperentur etiam funditores Baleares, & aliarum provinciarum, quæ illo genere armaturæ valebant, sagittarii. Arrianus qui eodem quo Frontinus ævo vixit in ordinatione aciei contra Alanos, instituta acie media ex duabus legionibus Romanis, Quintadecima & Duodecima, in ordines novenos introrsum structa, nonum ordinem ex sagittariis Numidis, Cyrenensibus, Bosporianis & Ityræis composuit. Ἐννάτη δ᾽, inquit, ἐπὶ τούτοις ἔσω τάξις, οἱ τῶν Νομάδων καὶ Κυρηναίων καὶ Βοσποριανῶν τε καὶ Ἰτυραίων. *Nonus autem ordo post omnes adjiciatur, ex peditibus sagittatoribus, Numidarum, Cyrenensium, Bosporianorum, & Ityræorum*. At levis armatura antiqua Romanorum *Velitum*, *Antesignanorum* & *Vexillariorum* in solis jaculatoribus constabat, quos ἀκοντιστὰς vocat Polybius. Hinc Livius in pugna Cannensi primam aciem ex jaculatoribus, & levium armorum auxiliis factam ait. Ubi *Jaculatores* illi, sunt velites Romani. Hi etiam gladio succincti erant, & rem manu gerebant jactis & consumptis jaculis, ut ex Sallustio perspicuum est. Arrianus quoque eos non prætermisit, in acie con-

A tra Alanos ordinata, & κούφους λογχοφόρους appellat, id est, *leves Hastatos*. Centenos ex his circa Ducem apparere vult, si quando usus posceret, quocumque ipsi videretur, mittendos. Duplex genus *Hastatorum* in exercitu Romano tum fuisse idem Arrianus nos docet, gravis armaturæ *Hastatos*, & levis armaturæ. Hos κούφους λογχοφόρους vocat. Nam λογχοφόρους ut ante monui appellat, quos ipsi Romani *Hastatos* dixerunt. *Velites* autem Romani etiam *Hastati*, immo etiam *Rorarii* antiquiores. Leves, id est, κοῦφοι, in exercitu Romanorum contra Latinos directo, hastam teste Livio gere-
B bant. Ennius;

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Hastatos leves, id est, *Rorarios* fortasse designat. Sic enim spargebant hastas, quomodo rorat aut pluit. Verius tamen est apud Ennium illo versu *Hastatos* appellari qui sic proprie dicebantur, peditum nempe gravium genus qui hastis armati ante *Principum* aciem, ipsi primam constituebant. Ex his gravibus *Hastatis* quatuor posteriores ordines in acie legionum construit Arrianus, quos & λογχοφόρους vocat. Certe illi κοῦφοι λογχοφόροι si com-
C parentur cum funditoribus, sagittatoribus, & ballistariis, graves, ut dixi, possent videri. Omnia facio ut possim Vegetium, aut eos a quibus sumsit excusare: sed nihil procedit. Nam certum est in legionem Romanam nunquam receptos fuisse sagittarios & funditores. Nulli minus leves in ea fuere quam jaculatores, quales constat fuisse *Velites, Antesignanos* & *Vexillarios*. Eos leves legionis κούφους λογχοφόρους appellare videtur Arrianus, ex quibus certum numerum circa se dux sumebat qui sibi ministrarent. *Statores* eos vocabant. Hi legionis κοῦφοι λογχοφόροι vocabantur ἀκοντισταὶ eidem Arriano, ubi agmen sui exercitus describit. Hi ante si-
D gna legionum ibant. Ita enim scribit: Πρὸ δὲ τοῦ σημείου αὐτῶν πεζῶν, οἱ ἀκοντισταὶ τεταχθων, αὐτοὺς δὲ τοὺς πεζοὺς ἐπὶ τεττάρων ἰέναι. *Ante aquilam peditum legionis ordinentur jaculatores. Ipsi autem legionarii pedites quaterni ambulent*. Ergo Ityræi illi, Numidæ, Bosporiani, Cyrenæi sagittatores ex quibus nonum ac decimum ordines suæ aciei composuit Arrianus in bello contra Alanos, non fuere leves legionarii, sed inter *Auxiliares* militabant. Nec carent porro ratione qui contendunt non ab Antonino Pio, sed ab Antonino Caracalla civitatem datam fuisse omnibus provinciis orbis
E Romani. Præterea quamvis jam tum datam iis constaret civitatem cum illa scripsit Arrianus, corrupta disciplina militari inter *Auxilia* qui vellent nomen potius dabant quam in militia legionaria. Quam causam Vegetius unam ponit aut præcipuam, quæ legiones fecerit exhauriri. *Est & alia causa*, inquit, *cur attenuatæ sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, graviora arma, sera munera, severior disciplina. Quod vitantes plerique in auxiliis festinant militiæ sacramenta perdiscere, ubi & minor sudor, & maturiora sunt præmia*. Ita ille lib. II. cap. 1. Unde unde autem sumpserit de sagittariis, funditoribus, ballista-
F riis in legionem receptis, & partem legionis facientibus, falsissima sunt, nec minus de nova legione quam de antiqua. Noli igitur putare *Antesignanos*, id est, jaculatores, a Frontino ideo gravi armaturæ accensitos, quia levem proprie constituerent funditores ac sagittarii, sed de his *Antesignanis* quos ante diximus intelligendi sunt, nempe de principalibus militibus sive *Principiis* qui ante & circa signa pugnabant; quique primam aciem constituebant, ut ipse clare dixit eodem lib. c. 15. ubi docuit, *quemadmodum legiones in acie instrue-*

rentur. Alioquin *Campigenos*, qui & campidoctores, etiam *Antesignanos* vocatos idem Vegetius ostendit libro eodem cap. 17. quo exposuit nomina & gradus *Principiorum* legionis. Ammianus quoque Marcellinus *Antesignanos* appellatos docet hujusmodi campidoctores, ut jam supra ostendimus. Nam & sic lib. XIX. scribit: *Horum campidoctoribus, ut fortium factorum Antesignanis, post civitatis excidium armatas statuas apud Edessam loco celebri locari jusserat imperator*. Et posset de his quoque *Antesignanis* locus Vegetii accipi. Quippe qui cum cæteris *Principiis* legionis ante signa pugnabant. Utut sit, non amplius leves legionis nomine *Antesignanorum* vocati sunt post Augusti sæculum. Cæsar in commentariis qui leves sive expeditos legionis *Antesignanos* nominat, nunquam tamen *levis armaturæ* nomine eos appellat, sed *levem armaturam* eam proprie nuncupat, quæ *auxiliarium* erat. *Levis* autem *armaturæ* appellatione interdum propriæ jaculatores nuncupat, ut supra diximus, alibi generaliter eo nomine comprehendit etiam funditores ac sagittarios. Distinguit lib. II. de bello Gallico *levem armaturam* a funditoribus ac sagittariis, his verbis: *Cæsar certior factus a Titurio omnem equitatum, & levis armaturæ Numidas, funditores sagittariosque pontem transducit*. Non utebatur, ut hinc apparet, alia levi armatura tunc Cæsar quam *auxiliari*. Hi agmen præcedebant cum equitatu, & ante aciem ipsam pugnandi causa procurrebant. In eodem libro idem Cæsar generaliter omnes levius armatos, etiam funditores & sagittarios auxiliares, *levis armaturæ* nomine donavit. Ita quippe scripsit eodem II. lib. de bello Gallico: *eodem tempore equites nostri, levisque armaturæ pedites qui cum his una fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cum in castra se reciperent, adversis hostibus occurrebant*. Quos hic *levis armaturæ pedites* vocavit, paulo ante ubi pulsos eos dixerat, *sagittarios* & *funditores* appellavit: *Equites nostri cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi cum hostium equitatu prælium committunt*. Paulo post sic etiam nuncupavit cum de iisdem loqueretur. Livius quoque de pugna Cannensi scribens, *Jaculatores* qui Romanorum erant *Velites*, a levium armorum *auxiliis* separavit. Levis ergo armatura proprie de jaculatoribus, funditoribus & sagittariis *auxiliarium*. *Velites* legionis postquam in legionibus esse desierunt, *Antesignani* dicti sunt, qui fuere Romani jaculatores. Sed levis armaturæ nomine, ut dixi, proprie *auxiliares* designati sunt. Quo loco autem constitui soliti essent levis armaturæ milites in acie Romana, quæsierunt docti. Non sine discrimine super eo pronuntiare debuerunt, quod non parvum fuisse liquet militiam inter antiquam ac novam. In antiqua semper ante aciem positi, primi prælium auspicabantur. Et hic ordo perpetuus pugnandi apud illos fuit. *Velites* incipiebant. Equites deinde in prælium succedebant. Post equestre certamen, pedestre sequebatur, ex *Hastatis* primum, ex *Principibus* sequens, ex *Triariis* ultimum. Nulla post *Triarios* acies, nulli nec gravis nec levis armaturæ milites, qui deficientibus aliis rem sustentarent. Quamdiu solis Sociis e nomine Latino pro *auxiliis* usi sunt, non alia ratione bella gesserunt. Sociorum *Velites* cum Romanorum *Velitibus* pugnam provocantes primi excurrebant, *Hastati* Romani cum Sociorum *Hastatis* cuncti pedem cum hoste conferebant. Et sic de *Principibus* & *Triariis*. Nec alia exempla suppeditat Polybius, quam *Velitum* ante signa provolantium, nulla in extremo agmine subsidentium. Procedente vero tempore ubi *auxilia* etiam externa adhibere instituerunt, quæ ut plurimum in levi armatura consistebant, cum iis abundarent, aliis

A atque aliis locis in acie ea constituerunt, modo ante signa, modo in cornibus, interdum in media acie, & in postrema, prout expediret, aut necessitas & ratio atque ordo prælii id requirere videretur. Inter equites, ut plurimum, interjiciebantur, cujus ordinationis exempla non pauca apud Cæsarem reperiuntur. Ut lib. II. Belli Gallici: *Eodem tempore equites nostri peditesque levis armaturæ qui cum his una fuerant*. Item lib. VII. *Neque ullum fere diem intermittebat, quin equestri prælio interjectis sagittariis quid in quoque esset animi ac virtutis suorum periclitaretur*. In libro de Bello A-

B fricano: *Et unam partem ab altera exclusam equitatu intrinsecus adortus cum peditatu telis conjectis in fugam vertit*. Ibidem de exercitu Scipionis: *Pedites Numidæ levis armaturæ cum equitibus procurrunt*. Eodem libro: *Cæsar levem armaturam inter equites interponit*. *Antesignani* similiter, qui leves pedites & expediti in legionaria militia tunc erant, & quos idem Cæsar a levi armatura *auxiliorum* distinguit, aliquot locis inter equites præliantur. Olim non ita fuit. *Velitare* primo certamen, deinde equestre fiebat, cui succedebat pedestre per pedites gravis armaturæ & legionarios. Ad hoc sane instituti primum *Velites* feruntur, & in legio-

C nis numerum censumque recepti, ut essent qui inter equites præliari possent, pernicitate corporum spectati juvenes, quos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt desilire velociter, ubi signum datum esset. Quod inventum tradunt auctores belli Punici secundi tempore, in obsidione Capuana, anno Urbis DCXL. Ergo ante illud tempus levis armaturæ pedites, ut *Rorarii*, & *Accensi*, non norant intermixti equitibus præliari, sed seorsum primi dimicabant, deinde iis pulsis, & post signa receptis equites in prælium succedebant, & pugna equestris committebatur. Hic vetus ordo pugnæ fuit. Apud auctorem belli Africa-

D ni Cæsar *varie passimque, locis certis, sed præcipue in cornibus sagittarios collocat*. Alibi idem Cæsar sagittarios ante aciem constituit. Auctor ejus commentarii, *levem armaturam* a sagittariis funditoribusque discrevit, ut & Cæsar aliquando, quamvis alibi sagittarios levis armaturæ nomine etiam comprehenderit, ut supra a nobis demonstratum est. Sic enim auctor ille ait de acie Scipionis: *Sagittariis funditoribus in utrisque cornibus dispositis, levique armatura inter equites interjecta*. Quod & alibi ab eo factum. Per levem armaturam Numidas, pedites, jaculatores intellexit. Sed o-

E ptimi auctores cum Cæsare *levis armaturæ* nomen usurpant de *auxiliarium* jaculatoribus, funditoribus, & sagittariis, Romanos autem leves, *Antesignanos* solent nominare, & *expeditos*. De quibus nos alibi plura in magno opere. Levis ergo armatura pro loco tempore, & hoste variis locis in acie solita disponi, in cornibus, ante aciem, a tergo. Arrianus utriusque rei militaris Græcæ & Romanæ juxta peritus ita de eorum in acie collocatione edisserit: Τοὺς τε μὴν ψιλοὺς ἄλλους ἄλλῃ πάντων. ἄλλοτε γὰρ ἄλλοι καὶ ὠφέλιμοι γίγνονται τεταγμένοι, ὅπως ἂν ἢ τὰ τῆς χώρας ἔχῃ, ἵνα ἡ παράταξις γίγνεται, ἢ τῶν πολεμίων ἡ παρασκευὴ πρὸς οὕστινας ἀντιτατόμεθα. ποτὲ γὰρ μὲν προτετάχθαι δεήσει τῆς φά-

F λαγγος, ἄλλοτε δὲ ἐν τοῖς δεξιοῖς, νῦν δὲ ἐν τοῖς εὐωνύμοις τετάχθαι. Τὸ πολὺ δὲ καὶ κατόπιν ἱστάμενοι ὠφελοῦσι. ἤδη δὲ καὶ εἰς λόχους καταχωρισθέντων τῶν πεζῶν, λόχοι ἐνεβλήθησαν ἐναλλὰξ τῶν ψιλῶν. *Quod ad levem armaturam attinet, variis locis ordinanda est in acie. Namque alibi atque alibi locata juvat, prout est regionis situs, in qua exercitus ad pugnam instructus stat, aut prout sunt hostium copiæ contra quos aciem directam tenemus. Aliquando enim erunt statuendi levis armaturæ milites an-*

te ipsam phalangem, interdum in dextra phalangis parte, interdum in sinistra constitui debebunt. Multum etiam prosunt, si a tergo gravis armaturæ collocati fuerint. Jam vero & in ordines dispositis gravium armorum peditibus moris etiam est alternis intermiscere ordines levis armaturæ militum. Horum omnium locandæ levis armaturæ modorum exempla apud Cæsarem & Sallustium occurrunt. Nam & interdum *Velites* dispertiebant inter ordines legionariorum. Maxime autem sollenne fuit, ut ante aciem, & post aciem locarentur, id est, ante *Principia*, & post *Principia*. Sallustius in bello Jugurthæ, de exercitu instructo Marii quo contra Jugurtham stetit: *Primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Expediti* illi *manipuli* sunt *Velites* illius temporis. Nam & *expeditæ cohortes* apud eundem Sallustium similiter pro expeditorum sive *Velitum* cohortibus accipiendæ sunt, in Jugurthæ bello de Metello: *Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum, & sagittariorum delecta manu apud primos erat.* Expeditæ illæ cohortes ex levi erant armatura Romana, quæ & circa Ducem plurimum solebat esse. Arrianus κούφους λογχοφόρους vocat quorum partem semper Duci adsistere ait debere, ut eorum opera utatur ad varia quæ necessitas belli postulaverit, ministeria. Cum his *expeditis*, id est, levium armorum militibus Romanis, jungit funditores & sagittarios, quæ *auxiliarium* fuit levis armatura. Cum his utriusque generis levibus, apud primos erat Marius, id est, prima acie. *Expeditos* etiam vocat idem Sallustius *Velites* Romanos sive *Antesignanos*, ut tunc vocabant, cum quibus Catilina in prima acie versabatur, in Catilinario: *Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari*, id est, ante signa & ante ipsam aciem. Nam paulo ante dixit Catilinam cum *colonibus*, id est, clientibus & libertis propter Aquilam adstitisse. Ubi autem pugna committi cœpta est, cum expeditis, quos ibidem *Ferentarios* verbo Catoniano appellavit, immixtus præliabatur. Idem quippe est in *prima acie versari* & apud *primos agere*. Ergo *primi* tribuni cum manipulis expeditorum prima in acie versabantur, id est, ante signa. *Extremi* in postrema acie agebant At idem Marius in sinistra parte exercitus funditores & sagittarios locaverat, ut legitur apud eundem Sallustium: *In sinistra parte A. Manlius cum funditoribus & sagittariis, præterea cohortes legionis curabat.* Ea levis armatura *auxiliorum* fuit. Sequitur de Romana, ante *Principia* & post *Principia* cum tribunis qui eam curabant, collocata: *Primos & extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat.* Idem paulo post *apud primos* posuit pro in prima acie, in qua expediti & ferentarii dimicabant: *Tum Marius apud primos agebat, quod ibi cum plurimis erat.* Alibi *Principes* appellat qui primi in agmine incedebant: *Ipse cum sinistræ alæ equitibus esse, qui in agmine Principes facti erant*, id est, primi. Similiter & in acie *Principes* & primi dicebantur qui in prima acie versabantur. Unde & *Velitibus* & *Antesignanis* id etiam nomen hæsit teste Varrone. In omnibus igitur locis utiliter poterant disponi levis armaturæ pedites, prout id expedire Duci visum esset. In prima acie, in postrema, in lateribus, atque etiam in medio, inter ipsos peditum gravis armaturæ ordines. Onosander non probat ut extremi collocentur, propter eas rationes quas in Strategico suo reddit. Sic enim locatos post *Principia*, plus damni suis inferre quam hostibus. Sed nec ad latera ponendos censet. Tantum primos sive *Principes* statui vult, ante aciem peditum sive phalangem. Ψιλοὺς δὲ, inquit, ἀκοντιστὰς καὶ τοξότας καὶ σφενδονιστὰς πρώτους πρὸ τῆς φάλαγγος στήσει. Κατόπιν γὰρ ὄντες πλείονα κακὰ διαθήσουσι τοὺς ἰδίους ἢ τοὺς πολεμίους. *Levium armorum pedites, jaculatores, sagittarios & funditores, primos statuet ante ipsam phalangem. A tergo quippe locati plus mali suis importabunt, quam hostibus.* Enimvero apud priscos Romanos nunquam alio loco in acie positi reperiuntur nisi ante signa, & primam aciem. Mutata re militari pæne, ut dixi, legitimum fuit, eos & ante, & a tergo locari, primos & extremos, ut loquitur Sallustius. Ipse quoque Arrianus in ordinatione contra Alanos, non solum ante aciem eos disposuit, sed etiam post omnes ordines legionariorum, adeo ut exercitui in octonos ordines in latum porrecto, nonum ordinem de sagittariis adjiciat. In eadem ordinatione gravis armaturæ milites præponit jaculatoribus inter *auxilia* versantibus, ὡς προβολὴν, inquit, εἶναι πρὸ τῶν ἀκοντιστῶν τοὺς ὁπλίτας, τοὺς δὲ ἀκοντίζειν ἐξ ὑπερδεξίου. *Ita ut levi armaturæ prætendat gravis peditem armaturæ, jaculatores autem ex superiore loco tela adjiciant*, supra caput nimirum antecedentium gravis armaturæ militum. Et hanc habet rationem Onosander, quare nolit jaculatores & funditores post tergum phalangis in ultimum locum rejici, quia jacula in sublime ab his emissa in caput hostium sine ullo effectu casura sint. Nam impetum & vim habet telum in altum vibratum, sed decidens nullam habet vim nisi quam dat pondus teli, amissa ea quam addiderat manus emittentis. Ridiculum porro est credere usui esse potuisse levem armaturam post phalangem præcipue Græcam locatam, si ad hoc tantum locaretur, ut adactis supra caput phalangitarum telis hostes vulneraret aut occideret. Qui enim hoc posset fieri in tanta præsertim altitudine phalangis, quæ communiter in triginta ac duo ordines introrsus patebat? Ordo autem ab ordine in latum sex pedes distabat. Sic triginta duo milites in latitudinem phalangis porrecti occupabant triginta & octo passus. In hoc spatio non directa, sed in altum emissa tela in corpus adigi hostium quis sibi persuadeat potuisse? In acie Romana aliud erat. Cum enim admodum tenuata, & ex paucis ordinibus constans strueretur, ut infra docebimus, pone eam stantes leves hastati vel sagittarii, sive funditores, vix dubium quin tela ad hostem cum noxa perferre possent. Quod etiam melius processisset subsidentibus in genua ordinibus exercitus instructi, sicut facere soliti erant primi ordines, dum postremi pila sua jacerent. At in tam profunda latitudine ordinum, ut fuit in phalange Græca vel Macedonica, a tergo ejus posita levis armatura non hoc sibi promittere potuisset. Nec hoc certe fini in *Postprincipiis* ejus levium primorum milites ab ullo unquam perito duce locatos putaverim. Ad subsidium ibi sepositi poterant habere quod agerent, facile inde evocandi, & in primam aciem subducendi. Præterea adversus hostium superventum ex inopinato, atque a tergo aciem adorientium paratum ab his præsidium, vel ut ex proximo laborantibus submitterentur. Alia etiam ratio *Velitum* in exercitu Romano. Condocefacti quippe inter equites præliari, ubicunque equites locarentur, ibi esse poterant. Cæterum equites præcipue in cornibus locabantur, ut ante aciem peditum cum *Velitibus* pugnarent. Ita a fronte hostem & a lateribus incursare poterant. Hoc est quod ait Onosander, de equitum ordinatione in prælio, non semper Ducem ex sua voluntate eos ordinare posse, sed prout viderit hostium equitatum dispositum, ita & suum debere instruere. Cæterum in præliis quæ acie instructa committuntur semper in cornibus locandos esse. Sic enim & a fronte & a tergo hostem impetere posse. Κατὰ τὰς ἐκ παρατάξεως μάχας ἐπὶ κέρως τὰ πολλὰ ταττέτω, ἵνα καὶ κατὰ πρόσωπον καὶ ἐκ πλαγίων προσ-

βάλλοντες καὶ τόπῳ μείζονι χρώμενοι, μεθ' οὓς οὐκέτι ἄλλοι τεταγμένοι τυγχάνουσι, ἔχωσιν ἀποχρῆσθαι τι τῆς ἱππικῆς ἐπιστήμης. Ut plurimum in præliis quæ acie instructa committuntur, disponere eos debet circa cornua, ut a fronte ac a lateribus in hostem possint incurrere, atque ut spatio loci majore usi, cum nullos post se habeant ordinatos, quantum rei equestris peritia valent, ostendere & explicare possint. Inter equites pugnandi gratia cum *Velitibus* locus daretur, ut plurimum etiam in cornibus & ante aciem præliari consueverant. In acie quidem instruenda post *Principia* non raro locum accipiebant, aut etiam in ipsis intervallis ordinum, sed cum prælium committendum erat, inde evolantes ante aciem procurrebant, ut pugnam provocarent. Et sane ratio veteris rei militaris non ferebat, ut leves in postrema acie locarentur, aut saltem ut in eo loco pugnarent, qui sic contrarium consueto sequuti essent aciei ordinandæ institutum. Cum enim per gradus pro ætatum differentia suis militibus arma darent, & locum in acie assignarent, juniores levius armabant, seniores gravioribus ornabant & onerabant armis. Sed & prout erant levius aut gravius armati, ita in acie ordinanda eos collocabant. A junioribus & a levius armatis incipiebant, in seniores & gravis armaturæ milites desinebant. Ita ante primam aciem pugnabant *Rorarii*, & Ferentarii *Velitesque*, qui & omnes maxime juvenes. Aciem primam & secundam, constituebant *Hastati* & *Principes*, gravius quam *Velites* armati, sed levius quam *Triarii* qui postremam aciem semper claudere consueverant, interdum etiam nec claudebant, sed ad præsidium castrorum relinquebantur. Sæpe & castris muniendis destinabantur, *Hastatis* & *Principibus* pro munitione stantibus ad hostes repellendos. Contrarium hac in re etiam tenuit morem nova militia. Nam deteriores milites præsidiis deputabat agitandis, optimos quosque ac fortissimos ad pugnam deligebat. Ita Cæsar fecit in bellis Gallicis. Nam *cohortes quas minime firmas ad dimicandum existimabat, castris præsidio relinquebat, reliquas ad bellum ducebat*. Quem vide l. VII. Et naturalis est hujus rei ratio. Nam timidiores & experientia periculorum parum firmati milites, munimentis objectis inclusi melius se defendunt, quam æquo campo & aperto marte congrediuntur. Hoc ignorantes & mutatæ rei militaris parum gnari cum *Vexillarios* legerent apud Tacitum Annali I. *Præsidia agitantes vexillarios discordium legionum*, de veteranis interpretati sunt, qui sunt accipiendi de levibus & *Velitaribus* armis instructis militibus, ut ante exposuimus. Cum igitur Romani veteres hac ordinatione uterentur in acie instruenda, ut levius armatos ac juniores semper ad pugnandum præmitterent, acies agminaque veteranis clauderent, præpostero ordine & insolenti levem armaturam post omnes acies locarunt. Quod nunquam ab illis factitatum. Commutata re militari hoc etiam mutatum. Ubi admiserunt auxilia externarum gentium, quibus abundabant, & quibus carebant Romani veteres, eaque auxilia pro levi armatura habuerunt, & in media & in prima & in postrema acie ea locaverunt. Subsidiarias etiam ex his acies quæ semper a tergo constituuntur legitimarum & justarum, frequentissime adornarunt. Africanus capite quo tractat quomodo instruendæ sint acies, levis armaturæ locandæ rationem ex temporibus & occasione petendum esse admonet. Alia enim tempora aliam eorum locationem postulare, ut aut post tergum ponantur, aut ad latera. Τὴν δὲ, inquit, τῶν ψιλῶν τάξιν οἱ καιροὶ μᾶλλον διδάσκουσι. ἄλλοτε γὰρ ἄλλην τὴν σύνταξιν δέχονται, ποτὲ μὲν κατ' οὐρὰν τῆς φάλαγγος ἑπόμενοι, ποτὲ δὲ κατὰ πλευρὰν αὐτῇ συντατ-τόμενοι. Ex ratione tamen instructionis aciei hanc rem constitui debere ibidem ostendit. Nam si introrsum multiplicatis constet ordinibus, quam *βαθεῖαν φάλαγγα* appellat, tum ad latera ejus collocandam esse levem armaturam. Sin autem tenuis sit, & ex paucis in latitudinem ordinibus constet, a tergo esse ponendam, quia jacula & saxa inde emissa supra ordines præcedentium peditum tenuata acie instructorum facile perferri ad hostes possint, ac primam eorum aciem vulneribus adflictare, & perterrefacere. Ὅταν μὲν οὖν ἡ φάλαγξ βαθεῖα ᾖ, κατὰ πλευρὰν αὐτοῖς οἱ ψιλοὶ τάττονται. ὅταν δὲ πλαγία καὶ στενὴ, κατ' οὐρὰν, διὰ τὸ τὰ βέλη καὶ τοὺς λίθους προπίπτοντα τοῦ μετώπου τῆς φάλαγγος φθάνειν τε καὶ τραυματίζειν καὶ καταπλήττειν τοὺς πολεμίους. *Cum acies profunda est, ad latera ejus levium armorum pedites collocantur. Si in longitudinem extensa sit ac tenuis, pone constituendi sunt, quia jacula & lapides emissi & cadentes ante frontem aciei, pertingere ad hostes possunt eosque vulneribus ac terrore afficere.* Addit ibidem interdum & rationem aciei flagitare, ut ante primam aciem excurrant præliaturi contra hostilem equitatum, ut eum lapidibus & aliis missilibus telis lacessant, ipsosque equos perturbent. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ τῶν ὁπλιτῶν οἱ ψιλοὶ προτρέχοντες λυσιτελεστέραν τὴν συμμαχίαν ἐποίησαν καθ' ἱππέων ἀγωνιζόμενοι, καὶ σφενδόναις, ὡς τὰ πολλὰ τῶν ἐχθρῶν ἵππους ἀναταράττοντες. *Est & ubi ante gravium peditum aciem excurrentes leves operam navare possint longe utilissimam, pugnando adversus equitatum hostium, & fundis perturbando eorum equos.* A funditoribus præcipue exterreri ac perturbari equos hostium dixit, quia dum fundator circum caput acta & rotata lapides jacerent, eo motu equis pavorem incutiebant. Hanc levium peditum procursationem qua *προτρέχειν* eos dixit Africanus *τῶν ὁπλιτῶν*, veteri militiæ Romanorum maxime familiarem, immo vel ordinariam fuisse, ea quæ docuimus in superioribus ostendunt. Miror autem auctores qui de re militari scripserunt veteres, in ea levis armaturæ instructione, non distinxisse locum pugnandi, & locum consistendi in acie ordinata. Frustra enim disputassent in antiqua illa ordinatione Romanorum, quo loco disponendi fuissent *Velites*. Quippe cum in alio loco ordinarentur, in alio pugnarent. Nunquam aliter eos poni solitos constat, dum acies ordinaretur, quam post omnes acies. Post ordinatam vero aciem cum incipiebat congressus utriusque exercitus pede collato fieri, atque utrimque acies movebantur, tum *Velites* ex postrema acie, in qua erant collocati, in primam procurrebant vel excurrebant per intervalla præcedentium gravis agminis manipulorum. Apud Livium lib. VIII. in pugna Romanorum cum Latinis, *Rorarii* & *Accensi* in extremam aciem rejiciuntur, dum exercitus ordinibus instruitur. Ubi moveri incipiunt acies & procedere in adversum altera alterius, tum *Rorarii* procurrunt inter antepilanos, per intervalla nimirum præcedentium in acie manipulorum, quæ ad hoc ipsum relinquebantur, partim nempe ad emittendos *Velites*, partim ad recipiendos tam *Velites* quam priorum acierum manipulos, qui retro pedem referre cogebantur. In Græca *τακτικῇ* id observatum non fuit, ut nec in nova Romana, cum illi per phalanges continuas aciem instruerent, isti per confertas cohortes, sine ullis intervallis. Ea de causa levis armatura eodem loco quo pugnatura erat, etiam constituebatur. Longum enim fuisse post ordinatam aciem, si ex novissimo agmine per morosos laterum circuitus in primam aciem provolare contendisset. In antiqua vero ordinatione id facile fuit, cum intervalla inter manipulos sive ordines instructos patentia relinquerentur, per quæ & in primam aciem procur-

ſare, & inde rurſus poſt extremam recedentes ſe recipere poſſent. Ideo recentiores auctores Græci Latinique, quibus ignota fuit illa veterum Romanorum instructio, quique ſolam Græcam τακτικὴν noverant, eamque quæ tunc frequentabatur Romanam, diſputare ſolent, quo loco melius commodiuſque in acie collocanda ſit levis armatura. At in veteri ſemper in ultimo loco ordinabatur, in primo ante aciem peditum gravius armatorum pugnam incipiebat. Apulejus in Latine reddendis auctoris Græci verbis qui de Mundo ſcripſit, quod opus inter Ariſtotelis opera legitur, ad vetus inſtitutum Romanorum in levis armaturæ excurſatione ante primam aciem explicanda reſpexit, cum Græcus auctor qui ſuam, id eſt, Græcam in animo habebat, aliud ſpectarit atque intellexerit. Dixit ille, ὁ ψιλὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐκτρέχει χώραν. Hoc eſt ubi ſignum tuba datum eſt, levis armatura ad locum ſibi aſſignatum excurrit, ſive poſt aciem, ſive ante frontem, ſive ad latera. At Latinus auctor ſic ea vertit, *Veles excurſionem adornat*, id eſt, e noviſſima acie ubi collocatus eſt, in primam excurrit, ubi pugnare debet. Revera autem *Velites* in Romana acie nuſpiam locati aut ordinati dici poſſunt, utpote qui nec ordines ſervarent nec ſigna haberent quæ ſequerentur, ſed vagi & inordinati per vices procurrendo recurrendoque ac recipiendo ſe ad ſuos, pugnarent. Ut plurimum autem in acie inſtruenda a tergo omnis inſtructionis ſtabant; ſed cum pugna erat committenda, ex loco noviſſimo per intervalla præcedentium manipulorum excurrebant ante primam aciem, & inde ſi pulſi eſſent, per eadem intervalla ſe recipiebant. Nec poſſunt etiam videri aciem primam conſtituiſſe, qui ſine ordinibus eſſent & ſine ſignis. Omnia hæc habuit Græcorum levis armatura, quos ψιλοὺς vocabant. Nam ſub ſignis ordinati pugnare ſolebant. Ideo & locum certum in acie accipiebant, prout Duci id expedire viſum eſſet. De qua re nos alibi. Tribus olim generibus levis armaturæ quæ ſola cognita fuerant, jaculatorum, ſagittariorum & funditorum, quartum addidit poſterior ætas *Balliſtariorum*. Vulgo vocamus *Arcuballiſtarios*. Eos in levis armaturæ cenſu reponit Vegetius lib. II. cap. 2. *Item levem armaturam, id eſt, Ferentarios, Sagittarios, Funditores, Balliſtarios*. Alibi cap. 15. ejuſdem libri *Tragularios* videtur appellare, *qui ad Manuballiſtas, vel Arcuballiſtas, dirigebant ſagittas*. Circa ſæculum Conſtantini, aut paulo ante, videntur in militiam recepti. Græci χειροβαλλίστρας vocant. In Burgundiæ noſtræ agro Alexienſi prope Arnetum repertæ ſunt haud ita pridem duæ icunculæ ſive ſigilla argentea, unum militis quaſi legionarii, pari certe habitu, veterani, barbati, & vultu retorrido, hujuſmodi arcuballiſtam ad pedem tendere conantis: altera juvenis imberbis, in linea militari monolore, & arcum tendentis. In urna vitrea ſub terra inventæ ſunt. Non ſolum autem res ipſæ in militia mutantur, ſed etiam verba, quibus res demonſtrantur. Ut in hac levi armatura, *Accenſi* primo dicti *Rorarii, Ferentarii*, deinde *Velites*, poſtea *Anteſignani* & *Vexillarii*, poſtremo *Exculcatores* & *Armaturæ*. Sic enim ſua ætate dictos levium armorum pedites ſignificat Vegetius l. II. c. 15. *Poſt hos erant Ferentarii, & levis armatura, quos nunc Exculcatores, & armaturas dicimus*. Sic enim ex veteribus libris ibi reſtituendum. De ſolis autem jaculatoribus iſtos *exculcatores* accipiendos eſſe, quos *levis armaturæ* nomine proprie veteribus appellatos ſupra docuimus, & ipſe Vegetius ibidem docet his verbis quæ ſequuntur: *Erant item ſagittarii: erant funditores, qui ad fundas vel fuſtibalos lapides jaciebant: erant tragularii, qui ad manuballiſtas vel arcuballiſtas dirigebant ſagittas*. Ergo *exculcatores*, & *armaturæ* diſtinguebantur a funditoribus, & ſagittariis & balliſtariis. Non poſſunt itaque eſſe niſi jaculatores. In Notitia Imperii mentio fit harum *armaturarum, juniorum & ſeniorum*. Et credendum eſt Vegetio eo tempore levem armaturam & fortaſſean quidem legionum, ita fuiſſe appellatam. Nec obſtat quod lib. eodem, c. 7. *Armaturas* inter *Principia* legionum recenſet. Non enim inde ſequitur, quod voluit Vir doctiſſimus Notis in Ammianum Marcellinum diſtingui debere *armaturas*, quarum apud eundem Ammianum lib. XIV. ubi *armaturarum tribunus* dicitur, & in Notitia Imperii fit mentio, ab illis *armaturis* quos inter *Principia* legionum, ſive principales milites numerat Vegetius. Huic auctori lib. II. cap. 15. *Armaturæ* ſunt illius temporis leves milites. At c. 7. ejuſdem libri non alias agnoſcit *armaturas*, quæ inter *Principia* legionis numerantur. Non enim abſolute meminit *armaturarum* quaſi principalium militum, ſed vocat *armaturas duplares* eos ex levi armatura milites, qui duplas conſequebantur annonas. Sic *torquati ſeſquiplares* & *duplares* ab eadem ratione dicti fuere, qui locum quoque habuere inter *Principia* legionis. Item *candidati ſeſquiplares* & *duplares*, de quibus nos alibi. Immo vel ex his colligi poteſt *armaturas* illas fuiſſe illius temporis levem legionis armaturam, quandoquidem qui duplam & ſeſquiplam conſequebantur annonam, dicti ſunt *ſeſquiplares* & *duplares*. *Duplicarii* hujuſmodi milites olim vocabantur, quibus, ut ait Varro l. IV. de L.L. *ob virtutem duplicia cibaria ut darentur inſtitutum*. De quibus nos alibi. Quod ad *exculcatores* attinet, quo nomine & leves milites tum appellatos eſſe ſcribit idem Vegetius ab *exculcandis* jaculis, id eſt, emittendis ita videntur dicti. Nam *exculcare* ita ſignificat ἐκβάλλειν, ut *inculcare* eſt ἐμβάλλειν. Niſi ſi forte potius ab excurrendo ſic appellatos placeat. Nam & *proculcatores* dixit Ammianus Marcellinus, qui ſunt procurſatores, de hujuſmodi levibus. Nempe a *calcare*, quod eſt iter terere ac facere. Quam interpretationem videtur Papias confirmare, dum *ſculcas* explicat Italico vocabulo *cavalcadas*. *Sculcas* etiam & *ſculcatos* dixere recentiores pro *exculcis* & *exculcatoribus*. Ita *ſpanſum* pro expanſo, *ſpoſita* pro expoſitione apud Anianum, & alia ejuſmodi nobis alibi notata. Græcis recentiores τακτικῶν ſcriptores, σκούλκας & σκουλκάτωρας appellant, & pro exploratoribus eam vocem uſurpant. Quod inde eſt, quia levibus militibus ad explorandum utebantur, & ad hoc ſæpe permitti & procurrere ſolebant, cum equitibus, ut conſtat ex Joſepho lib. III. cap. 8. Ἁλώσεως. Inde verbum σκουλκεύειν pro explorare. Pro excubitoribus etiam hos *exculcatores* ſive *ſculcatores* poſuere, quia munus hoc etiam fuit *Velitum* excubias ante caſtra agere circa vallum, ut apud Polybium legimus. Unde & *Procubitores* de *Velitibus* apud Feſtum his verbis: *Procubitores dicuntur fere Velites, qui noctu cuſtodiæ ante caſtra excubant, cum caſtra hoſtium in propinquo ſunt, ut M. Cato in eo militari ſcripſit*. Inde σκοῦλκαι recentioribus Græcis pro βίγλαις, ſive vigiliis, & excubiis nocturnis. Ita enim legendum apud Leonem in Tacticis: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλως πῶς ἀναγκαῖα τὰ κέντουκλα ἐν ταῖς σκούλκαις καὶ ἐν ταῖς κούλκαις vulgo legitur, quas perperam a *culcare*, quod vulgariter cubare eſt, deducunt. Male etiam in utraque ſignificatione tam explorandi quam excubandi σκουλκάτωρας quidam ſcripſere pro σκουλκάτωρας, quaſi a verbo *auſcultare* Latino id vocabulum eſſet factum, cum *exculcatoribus*, qui proprie fuere jaculatores vel excurſores, tam excubiarum agendarum pro caſtris, quam locorum explorandorum miniſterium incumberet. In-

de & *exculcatores* pro excubitoribus & pro exploratoribus appellati, & voce curtata σκυλκάτορες. Hinc *sculcatoria* navigia, τὰ κατασκοπικὰ apud Cassiodorum Variarum lib. II. Epist. XX. Sic enim ex scriptis codicibus ibi legendum: *Atque ideo præsenti decernimus jussione, ut quantas in Ravennati urbe sculcatorias potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas ad nos usque perducas. Excubitorias* etiam liceat exponere, quatenus utrumque munus sustinuere naves, ut iidem milites levis armaturæ, tam excubitores quam exploratores fuerunt. Turnebus ab *exculcandis* glandibus dictos istos *exculcatores* putabat, sed falso. Non enim funditores erant, ut diximus, sed jaculatores. Rarius quippe funditorum vel sagittariorum opera utebantur ad explorandum atque ad excubandum pro castris, frequentius jaculatorum, ut olim *Velitum*, quos jaculatores fuisse constat. Et Vegetius duobus locis *exculcatores* a funditoribus & sagittariis discernit, ut lib. II. cap. 17. *Ferentarii autem, armaturæ, exculcatores, sagittarii, funditores, hoc est, levis armatura, adversarios provocabant ante aciem procedentes*. Ipsi sunt & ὁπλοῤχησαὶ, quos ἀρματέρας vulgo vocatos ait Scholiastes Ptolemæi Tetrabibli. Alia est significatio *armaturæ*, quam sub campidoctore milites legionarii discebant. De qua alibi.

CAP. XX.

De equitibus & in his differentia antiquæ rei militaris ac novæ, & qui numerus eorum in antiqua legione fuerit.

A *Velitibus* ad equites veniamus, ita postulante ordinis ratione, qui pæne perpetuus observatus est apud antiquos Romanos in acie instruenda, vel pugna saltem committenda. *Velitarem* quippe ante prima signa, sive primam aciem, dimicationem, excipiebat equestre certamen. Post equitum prælium, instructæ peditum gravius armatorum legiones signa in hostem inferebant. Livius lib. XXII. *Clamore sublato procursum ab auxiliis, & pugna levibus primum armis commissa, deinde equitum.* Et paulo post: *Pulsique Romani equites terga verterunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna*. Idem libro eodem, paulo supra: *Prima levis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionum refugit. Peditum acies inter perculsos impavida sola erat*. Plura exempla apud eum occurrunt, quæ fidem faciunt non alio tunc pugnandi more atque instituto in bellis usos fuisse Romanos. Priusquam ulterius progrediar ad notandam differentiam, quæ circa equitatum in utraque militia Romanorum intervenit, paucis expediam in genere, quid de equitibus ac peditibus senserint variæ nationes. Nam constat alios peditatum prætulisse, alios equitatum, & in prioribus fuisse Romanos. Quibus equitatus potior fuit, ut plurimum equorum copia abundarunt. Non aliæ autem ferme in equis habendis alendisque studium posuere nationes quam quibus natura regionis quam incoluerunt, equini pecoris featuræ accommoda visa est. Campestria maxime loca huic rei idonea, ut & campi extensi ad usum equorum bellicorum & equestris pugnæ in primis apti. Ithacam suam equis habilem esse negavit Telemachus, cum equos ei donare vellet Menelaus. Argos autem in Græcia equis maxime nobile fuit. Unde & Ἵππιον vocabatur. Eædem porro regiones quæ equis nomen famamque dederunt, etiam ut plurimum equites laudatos habuere. Ita in Græcia Thessalici equi equitesque commendabantur. In Italia Tarentini & Campani. Nam vicina Campania Apuliæ, a qua Varroni nobiles equi Apuli, *Campanus an Apulus anceps*. In proverbio etiam fuit, *Campanus equus, Cumana meretrix*. Galli nostri olim equis equitibusque celebres extitere. Unde & Adrianus qui rem militarem Romanam multis inventis exornavit, non pauca quæ ad equestrem militiam pertinent decorandam & illustrandam, a Gallis mutuatus est, ut & ab aliis populis quos equitandi peritia nobilitavit, ut a Parthis, Sarmatis, Getis, Rhætis & aliis, ut Arrianus testatur qui ejus temporibus vixit in libello de exercitiis equitum Romanorum. Βασιλεὺς δὲ, inquit, προσεξεῦρε καὶ τὰ βαρβαρικὰ ἐκμελετᾶν αὐτοὺς, ὅσα τε ἢ Παρθυαίων ἢ Ἀρμενίων ἱπποτοξόται ἐπασκοῦσι, καὶ ὅσας οἱ Σαυροματῶν ἢ Κελτῶν κοντοφόροι ἐπιστροφάς τε καὶ ἀποστροφὰς τῶν ἱππέων ἐν μέρει ἐπελαύνοντες, καὶ ἀκροβολισμοὺς ἐν τούτῳ πολυειδεῖς καὶ πολυτρόπους εἰς τὰς μάχας ὠφελίμους, καὶ ἀλαλαγμοὺς πατρίους ἑκάστῳ γένει, Κελτικὰς μὲν τοῖς Κελταῖς ἱππεῦσι, Γετικοὺς δὲ τοῖς Γέταις, Ῥαιτικοὺς δὲ ὅσοι ἐκ Ῥαιτῶν. *Imperator vero Adrianus adinvenit, ut Romani equites barbarica exercitia equestria meditentur, quales Parthis aut Armeniis ex equo sagittantibus in usu sunt, & qualia Sarmatæ & Galli equites contati usurpant in conversionibus atq; aversionibus invicem alternandis, & velitationes dimicationesque multiplices ac varias ad prælia utiles, & jubilationes, unicuique genti familiares, ut Gallicas Galli, Geticas Getis, & Rhæticas illis qui ex Rhætia sunt.* Tria equitandi & pugnandi ex equo genera Gallica, sicut ea voce vernacula tunc Galli vocabant, idem commemorat, τὸν πέτρινον καλούμενον τρόπον, τὸ ξύνημα & τὸ σκοτούλεγον. Quæ & ibi qualia sint, explicat. Apud Gallos olim nostros cum Romani sub Cæsare Galliam bello domitam pervaserunt, præter Druidas qui sacra curabant, reliquus populus in duo genera erat divisus, in equites in quibus nobilitas censebatur, & pedites: ad quem pedibus merendi in bellis ordinem sola plebs relegabatur, qui & servorum pæne loco habiti. Hodie quoque in Gallia nobilitas equitum est, & generis summi insignia omnia equestria, & ab equestri militia denominata. Scuta sive *scutiones*, ut vocantur vulgo, in quibus stemmata nobilium habentur signata, equestres sunt parmæ, non peditum clypei aut scuta. Apud Romanos veteres feminium nobilitatis & origo ab equitibus sumebatur, apud nostros summa in his reponitur. Equestres familiæ nobis nobilissimæ, Romanis minus nobiles, sed inde ad nobilitatis summam quæ in senatoribus residebat, via muniebatur. Ex censu enim æstimabatur. Non omnium igitur erat inter nobiles censeri, sed eorum tantum quos facultates in eo numero ponerent. Et quemadmodum pedites pro censu habebantur in legionaria militia honestioris gradus, aut minus honesti, quorum quatuor erant genera, *Velites*, *Hastati*, *Principes* & *Triarii*, ita supra hoc censum equestrem qui habebant, pluris fiebant & equo merebant quem ex publico accipere soliti erant, non pedibus. Sed de his latius tractare non est hujus loci. Majus instar in peditatu posuisse Romanos veteres quam in equitatu vel hinc liquet, quod pro ratione peditum paucissimos in exercitu haberent equites. Quod a prima regum institutione manavit, & mansit non solum quandiu stetit respublica, sed etiam sub Cæsaribus primi ac medii imperii. Sub regibus Roma inter Apenninum & mare sita, & præterea in montuosis locis condita, non multum equestri militiæ idonea videbatur, illo præcipue tempore cum nihil extra urbis pomœria ferme possiderent. Hanc caussam puto, cur equestri rei minus studuerint. In alia parte Italiæ in nomine fuerunt

runt ac laude Tarentini equites, Apuli, Campani, non etiam Romani. Romulus in ornanda & ordinanda militia cum legionem trium millium fecisset, contra hunc numerum peditum trecentos tantum equites instituit singulis, ut volunt, adtribuendos legionibus, qui & inde *Legionarii* dicerentur. Sic pro deno pedite unus eques adscriptus, pro centeno denus. Miror doctissimos viros scribere unicuique cohorti legionis adscriptam equitum turmam, id est, tricenos, cum certum sit quo tempore instituta est legio a Romulo cum equite legionario, nondum in decem cohortes legionem fuisse descriptam, sed in tria tantum corpora distribui solitam *Hastatorum*, *Principum* & *Triariorum*. Singulis his corporibus legionis centeni attributi equites, unicuique vero manipulo deni. Nam ut in decem manipulos divisi fuere legionum *Hastati*, *Principes* & *Triarii*, ita etiam equites qui trecenti erant in denas partes distributi, id est, turmas, quæ singulæ triginta equites habuerunt. Una autem equitum decuria quia ternæ in singulis turmis fuere, respondebat uni manipulo peditum qui mille ac ducentos habebat, proportione, ut dixi, decupla, quandiu legio fuit trium millium peditum. Sed aucta ad quaterna millia, qualis fuit sub Polybio legitimo quasi numero, idem tamen equitum numerus quasi justus mansit. Immo legio etiam usque ad sex millia peditum provecta, equites tamen non plures habuit trecentis. Varronis tempore hic status equitum fuit numerus in legione, qui etiam testatur non alium fuisse ab ipsa institutione. Sic enim scribit lib. VI. de L. L. *Turma terima est, E in V abiit. Quod equites ex tribus Tribubus, Tatiensium, Ramnium & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum dicti, qui ab eo in singulis turmis etiamnunc deni*. E tribus illis Tribubus etiam peditum trium millium facta legio ab ipso Romulo, cum singulæ Tribus singula millia mitterent. At si fides habenda Polybio a principio ducenti tantum equites scribebantur, in legiones singulas quater millium, postea trecenti scripti sunt. Ita enim posuit: Μετὰ ταῦτα τὰς ἱππεῖς, τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρας εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίας, νῦν δὲ προτέρας πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ ἐκλογῆς, καὶ ποιοῦσι τριακοσίας εἰς ἕκαστον στρατόπεδον. Clare dicit olim in quaterna millia peditum scriptos fuisse ducentos equites, sua vero ætate trecentos scribi solitos in singulas legiones. Nonne hoc falsum? Appello testes Livium, Dionysium, alios scriptores Romanos, qui ab ipso Romulo petunt institutionem trecentorum equitum in legione. Ovidius:

—— Hastatos instituitque decem,
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Ergo equites in decem turmas divisi. Unamquamque autem turmam terdenorum fuisse equitum constat. Trecenti itaque fuerint. Totidem enim reddunt denæ turmæ. Ipse Polybius ita scripsit in tractatu de militia Romana: Παραπλησίως δὲ καὶ τὰς ἱππεῖς εἰς ἴλας δέκα διεῖλον. *Similiter & equites in decem turmas dividebant*. Idem tamen lib. III. diserte tradit, legiones singulas peditum accepisse ad quatuor millia, equites vero ducentos. Quod autem major necessitas ingrueret, tum circiter quina millia peditum in unaquaque legione conscribere fuevisse, & equites trecentos. Ergo legitimus numerus equitum secundum Polybium in legione fuerit, ducentorum. Et frustra hoc telum declinare conatur Lipsius mendi arguendo locum istum Polybii ex eo quod libro primo idem auctor scripserit, in universum apud Romanos quaternas legiones confici solitas quotannis ex quaternis peditum ferme millibus, & trecentis equitibus. Nec juvat quod idem Polybius in libello de militia Romana dixerit, ἱππεῖς ποιοῦσι τριακοσίας εἰς ἕκαστον στρατόπεδον. Nam hoc de sua ætate plane scripsit, cum antiquitus in quaterna millia peditum solerent scribi ducenti equites, μετὰ ταῦτα τὰς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρας εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τετρακισχιλίοις διακοσίας. Male quippe videtur legisse Lipsius & vertisse, ἐπὶ τετρακισχιλίοις διακοσίοις. Quasi voluerit auctor lectos fuisse olim equites post pedites, ubi quaterna millia peditum ac ducenti in legionem conscripti essent. Immo dicit, equites olim legi solitos posteriores, ubi nimirum pedites conscripti essent, quorum quaterna millia legionem efficiebant. Et ducentos quidem scriptos fuisse in quater millenos pedites. Nulla certe in his Polybii gravissimi scriptoris apparet inconstantia. Sed magna Livii lib. XXII. ita scribentis: *Decem millia novorum militum alii scripta in supplementum, alii in novas quatuor legiones additas, ut novem legionibus rem gererent. Numero quoque peditum equitumque legiones auctas millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adjectis, ut quina millia peditum, trecenti equites essent*. Hæc clara sunt. Nec est ut suspicemur cum Lipsio scripturam interpolatam esse. Vetustissimus liber Puteanorum ita legit, ut posuimus. Hæc igitur mens Livii, cum legiones ex quaternis millibus scriberentur, ducentos tantum adscribi solitos equites. Ubi ad numerum quinum millium ascenderunt, tum trecentos singulis additos equites pro ducentis. Quomodo & Polybius ipse exponendus in illo loco de militia Romana quem supra adduximus. Nam de novo more qui ejus ætate obtinebat, ita scribit, καὶ ποιοῦσι τριακοσίας εἰς ἕκαστον στρατόπεδον. Quæ opponit prisco instituto, quo διακόσιοι tantum solebant eligi εἰς τετρακισχιλίους πεζὰς, *ducenti equites in peditum quaterna millia*. Apud eundem Livium alio loco scribitur, *in decem millia peditum, quadringentos* equites conscriptos, id est, in singulas legiones quinum millium, ducentenos equites. Alibi etiam quadringentos adscriptos equites singulis legionibus quinum millium notat, ut l. XL. *Novam legionem quinum millium & ducentorum peditum, equitibus quadringenis*. Ut res hæc variavit ut numero equitum legionariorum, ita etiam in peditum. Sed constat tamen ut numerus legionis legitimus fuit in quaternis millibus ac ducentis, sic etiam equitum fuisse in trecentis. Ab ipsa Romuli institutione, quidquid dicant Polybius & Livius, ita fuisse certissimum argumentum est ex tribus Tribubus, ad quas numerus tam peditum quam equitum a Romulo exactus est. Tria millia peditum inde facta, & trecenti equites. Nec enim equites ducentos ex tribus Tribubus confectos credi par est, ut rotundus numerus exeat. Præterea cum turmæ semper tricenorum equitum fuerint, & singulæ Tribus centenos equites miserint, non potest numerus ducentorum equitum cum illa Romuli institutione ac divisione cohærere. Populum siquidem in tres Tribus divisit. Singulas Tribus in decem partes, quæ Curiæ vocatæ sunt, quæque Græcorum φράτραις respondent. Unaquæque autem curia denos equites sive unam decuriam dabat, qui tunc *Celeres* vocabantur, ex Græco Æolico Κέλης, id est, *singularii equites*. Cum igitur singulæ Curiæ denos equites darent, & denæ curiæ essent in singulis Tribubus, ita singulæ Tribus centenos equites suppeditabant. Trecenti autem illi equites quos tres Tribus efficiebant, in decem partes rursus distributi sunt quæ *Turmæ* sunt appellatæ. Græce ἴλας vocavit Polybius, quæ non debent *Alæ* verti Latine. Cæterum trecenti illi equites quos

ex tribus Tribubus elegit Romulus non iidem fuisse videntur cum legionariis sequentis ævi equitibus, nec ad eum usum instituti, ut legioni adjungerentur. Administros eos sibi potius sumpsit qui in urbe quasi domestici sibi obsequium facerent, & in bello protectorum munere fungerentur. Sic enim scribit de horum *Celerum* institutione Dionysius lib. II. quos a Romulo lectos ait: *Οἱ κατὰ πόλιν μὲν αἰχμοφόροι δὲ αὐτοῦ παρηκολούθουν καὶ τοῦ κελευομένων ὑπηρέται, κατὰ δὲ τὰς στρατείας προμαχοι τε ἦσαν καὶ παρασπισταί. Qui in urbe sibi quasi corporis custodes armati apparerent, & ministratorum vice mandata ejus exequerentur, in bello autem protectorum munus, & propugnatorum sustinerent.* Iidem si campus equitando aptus occurreret, ex equo pugnabant, si in loco aspero & montuoso pugna esset, pedites dimicabant, ut habetur ibidem apud eumdem Dionysium. De his eadem omnino narrat Livius lib. I. *Trecentosque armatos ad custodiam corporis quos Celeres appellavit, non solum in bello, sed etiam in pace habuit.* Diversi itaque hi trecenti equites Romuli ab illis quos legioni adnexos *legionariosque* inde equites appellatos posterior ætas habuit. Trecentos illos *Celeres* a Romulo ad custodiam sui corporis in pace & bello fuisse destinatos, non est dubium. De legionum equitibus an semper hoc numero fuerint, dubitari potest ex illis Polybii ac Livii locis quos supra attulimus. Nam ducentos tantum primo fuisse plane testantur ambo. Perperam igitur auctores prisci confundunt illos trecentos equites corporis Romuli cum legionariis equitibus, cum illi similiores fuerint ei equitum generi, quos Adriani ætas *singulares Imperatoris* vocabat, aut *prætorianos*, posterior vero *domesticos* & *protectores*. Ab ea confusione ortum est quod Plinius scriptum reliquit lib. XXXIII. cap. 2. *Equitum nomen sæpe variatum est in iis quoque quæ ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati. Deinde Flexutes, postea Trossuli cum oppidum in Tuscia circa Volsinios, passuum novem millia sine ullo peditum adjumento cepissent ejus vocabuli, idque duravit ultra C. Gracchum.* Certum autem est ex iis quæ notavimus, non ejusdem generis fuisse equites qui sub Romulo regibusque *Celeres* appellati sunt, cum equitibus legionariis quos aliquando *Flexutes* a *flectendis* equis, & *Trossulos* ab oppido dictos fuisse constat. Illi quippe Romuli sequentiumque regum *Celeres* privati ac domestici ipsorum equites fuere ad custodiam corporis eorum instituti, & alia quæ vellent ministeria obeunda. Eodem errore Ovidius a Romulo equites qui publico equo merebant, in denas partes divisos esse cecinit:

—— *Legitimo quique merebat equo.*

Falsum enim est a Romulo institutos ejusmodi equites legionarios qui equo publico donabantur, eoque merebant legionibus adjuncti & inserti. Verisimile est a Servio eos institutos legionarios equites, cum constet primum illum ex Regibus non solum pedites, sed etiam equites ex censu legisse, qui mos duravit usque ad Marium. Is ergo Servius equites elegit ex illis qui maximum censum haberent, quique generis essent illustrioris, quos in octodecim centurias distribuit, eosque adjunxit primis octoginta legionariorum centuriis. *Συνέταξε δὲ*, inquit Dionysius, *εἰς ὀκτωκαίδεκα λοχοὺς καὶ προσένειμεν αὐτοὺς τοῖς πρώτοις τῶν φαλαγγιτῶν ὀγδοήκοντα λοχοῖς.* Ex his primæ classis octoginta peditum centuriis sumebantur *Triarii* in legionibus conscribendis, quibus equites adtributos dicit Dionysius, nobiliores utpote civium opulentioresque, dignioribus peditum & ditioribus. Cum igitur legioni attributus est certus numerus equitum, non alii corpori peditum legionis videntur adnexi quam *Triariorum*, quia Dionysius tradit, equitum centurias adjunctas fuisse octoginta primæ classis centuriis. Ita enim par fuit, ut conjungerentur in bello & pace qui junctiores fuere facultatibus & censu. Livius eo loco ubi tractat de censu peditum equitumque, non octodecim equitum centurias a Servio illo rege factas dicit, sed duodecim eum scripsisse, itemque sex alias centurias adjecisse tribus a Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratæ fuerant nominibus. *Ita pedestri*, inquit, *exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias, sex item alias centurias tribus a Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit.* Quæ non satis recte mihi procedere videntur. Age esto, tres centurias equitum fecerit Romulus, sex centurias ad eas tres adjunxerit de novo Servius. Jam sunt novem. Ait autem duodecim centurias a Servio ipso institutas. Sic non octodecim in totum essent centuriæ, sed una & viginti. Adde quod tres illæ centuriæ Romuli alterius generis fuere. Memorat Livius lib. I. Tullum Hostilium post Albam dirutam, equitum decem turmas ex Albanis legisse. Hæ tres centuriæ sunt. Idem paulo post perhibet Tarquinium Priscum cum equitem suis viribus deesse existimaret, ad Ramnenses, Tatienses, Luceres quas centurias Romulus scripserat, addere alias constituisse, suoque insignes relinquere nomine. Prohibitum id facere a Nævio augure simpliciter dicit Dionysius, apud quem non legimus Tarquinium ullas novas centurias addidisse ad tres priores Romuli. Ait enim de Tarquinio, *ὅτι τοῦ περὶ τὰς φυλὰς ἐγχειρήματος ἀπέστη*, ab augendis Tribubus equitum abstitisse per Nævium augurem. At Livius id solum tradit ne faceret absterritum, ut suo nomine novas additas insigniret, cæterum tantum alterum adjecisse numero. *Neque tum*, inquit, *Tarquinius, de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit, ut mille & trecenti equites in tribus centuriis essent.* Quomodo in tribus centuriis mille & trecenti equites esse potuerint, non video. Tres instituerat Romulus, trecentorum nimirum equitum, tres alias addere cogitarat Tarquinius novis nominibus. Hoc ne faceret intercessit Nævius Augur, admonito rege id inaugurato fecisse Romulum, hoc est, tres illas equitum centurias scripsisse. Non igitur institutum illud mutari neque novum constitui posse, nisi aves addixissent. Non addixere. Quid igitur novi fecit Tarquinius? Retinuit eadem nomina centuriarum, sed alterum tantum numero adjecit. Ergo sexcentos equites pro trecentis Romuli instituit. At hic ponit mille ac trecentos in tribus illis centuriis fuisse. Saltem legeretur, *mille & ducenti*. Non enim mille ac trecenti possunt rotundum numerum efficere in tres illas centurias distributi. Ita ergo unaquæque centuria a Romulo instituta ducentorum equitum fuerit. Tres in unum junctæ sexcentos equites dederint. Quibus alterum tantum numero cum adjecisset Tarquinius, facti mille ac ducenti equites. Hoc firmaret eorum sententiam qui scripsere Sabinis in urbem receptis duplicatum tam in equitibus quam in peditibus. Sic enim Plutarchus in vita Romuli memorat: *Διπλασιασθείσης δὲ τῆς πόλεως, αἱ λεγεῶνες ἐγένοντο πεζῶν μὲν ἑξακισχιλίων, ἱππέων δὲ ἑξακοσίων. Civitate duplo aucta legiones factæ sunt peditum senum millium, equitum sexcentorum.* Sed cum falsum sit de peditum numero, æque falsum de equitum. Nam ætate Polybii numerus peditum in legione quaternum millium legitimus habitus est, equitum autem trecentorum.

Mirifice igitur hæc conturbarunt auctores. Equites in totum trecentos sibi administros futuros & protectores tam in pace quam in bello instituit Romulus, non legioni trecentos equites attribuit. Eum numerum equitum auxisse dicitur Tullus Hostilius Alba diruta, & ex Albanis tres centurias legisse. Ita sexcenti facti sunt, in sex centuriis. Quomodo igitur potest stare quod tradunt Livius ac Dionysius agitasse Tarquinium de aliis centuriis addendis ad tres Romuleas? Jam numerum earum duplicaverat Tullus Hostilius lectis ex Albanis tribus novis centuriis. Falsum igitur etiam illud erit quod narrat Livius Tarquinium Priscum retento centuriarum numero trium, qui a Romulo institutus est, numerum tantum auxisse altero tanto, & mille ducentos equites scripsisse in tribus centuriis pro sexcentis. Sexcenti ergo, ut ex his colligitur, a Romulo facti sunt equites. Ponamus sic esse. Non tamen, ut vult Plutarchus, legionibus adscripti sexcenti a Romulo equites fuere, tametsi demus sexcentos ab eo in tribus centuriis factos equites. Addit ibidem: *Posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt, quas nunc quia geminatæ sunt, sex centurias vocant*. Quomodo hæc congruere poterunt & convenire cum his quæ de Servio dixit, præter duodecim ab ipso factas centurias, sex item alias tribus ab Romuli institutis sub iisdem nominibus fecisse. Ecce tres Romuli centuriæ a Tarquinio Prisco retentæ, numero tantum earum duplicato, ut in tribus illis centuriis mille ac ducenti equites essent. Post Tarquinium nemo regum quidquam addidisse legitur præter Servium, qui sex alias ad illas tres Romuli traditur adjecisse sub iisdem nominibus, quibus inauguratæ fuerant. Ergo sex illæ centuriæ a Servio adjectæ cum tribus a Romulo institutis novem efficiunt centurias. Ipse autem Servius duodecim, ut idem Livius ait, instituit. Sic una & viginti existent. At octodecim in totum a Servio equitum centurias factas testatur Dionysius. Livius non plures numerat, si ad duodecim quas dicit a Servio scriptas, sex illas ab eodem sub iisdem nominibus quibus a Romulo inauguratæ sunt, factas adjunxeris. An sex illas sub iisdem a Servio nominibus factas quibus a Romulo inauguratæ fuerint, ita interpretabimur ut etiam tres Romuli comprehensas intelligamus? Ita sane videtur. Atque hoc ipsum innuit Livius in Tarquinio, *Posteriores modo sub iisdem nominibus qui additi erant, appellati sunt, quas nunc quia geminatæ sunt, sex centurias vocant*. A quo geminatæ sunt? Nempe a Servio ut dicit. Tarquinius eas non geminaverat prohibitus id facere a Nævio Augure, sed numerum earum duplicaverat. Aurelius Victor in Tarquinio Prisco: *Equitum centurias numero duplicavit, nomina mutare non potuit, Aulii Nevii auctoritate deterritus, qui fidem artis suæ novacula & cote firmavit*. Servius geminas ea fecit, sub iisdem tamen nominibus, quæ sex centuriæ ideo appellatæ sunt, cum tres tantum vocarentur sub Tarquinio. Præter has, alias duodecim novas instituit idem Servius. Sic octodecim factæ. Quem numerum equitum effecerint illæ octodecim centuriæ Servianæ, vix dici ad liquidum potest. Tres a Romulo primum institutæ fuere veræ justæque centuriæ ex centenis nimirum equitibus. Nam in denas turmas trecentos illos equites divisos ab eo fuisse inter auctores constat. Turmæ autem singulæ triginta equitum. Tres centuriæ ex Albanis a Tullo Hostilio additæ. Sic sexcenti equites facti. Totus equestris ordo his tum sexcentis equitibus constabat. Eum duplicavit Tarquinius Priscus & mille ducentos equites in tribus centuriis numerandos si Livio credimus, statuit. Geminavit has centu-

A rias tres Servius, ut idem Livius auctor est. Ergo duo millia & quadringenti equites ex illis sex centuriis exierunt. Si pro proportione totidem fuerunt in aliis duodecim centuriis, ab ipso scriptis, septem millia cum ducentis equitum habuerit illo tempore equester ordo sub Servio, cum ad quinque tantum millia equitum suo ævo numeret Dionysius quibus equus publicus esset, id est, circa Augusti ætatem. Sed plures eo tempore oportet fuisse quibus equus publicus erat, cum in singulis legionibus trecenti fuerint equites legionarii. Viginti autem & quinque legiones sub Augusto fuerunt, quibus singulis cum trecenti attributi fuerint equi-
B tes sui, id est, legionarii, septem inde millia equitum legionariorum cum quigentis extitisse oportet. Non dixit autem Dionysius, ut videtur sentire vir doctus in libro de Militia Romana, non plus quinque millibus equitum constitisse illo sæculo ordinem equestrem, sed in transvectione aliquando vel usque ad quinque millia equitum qui equum publicum haberent in pompa solitos transvehi. Non omnes enim qui equo publico merebant illa transvectio ostendebat, sed eos tantum qui eo tempore Romæ reperiebantur, aut qui jam ut plurimum omnia equestria stipendia fecerant. Nam in illa transvectione gessisse eos scribit omnia
C præmia virtutis quæ a ducibus suis variis præliis acceperint. Eum vide lib. VI. Qui in legionibus erant, & qui tum militabant, non poterant cum reliquis in ea transvectione & probatione recenseri. Quæ enim secunda fiebat, ipso die probationis equitum celebrari solebat, id est, Idibus Juliis. Quæ ad hoc fiebat ut ab his exquireretur, an stipendia equestria implessent. Et de ea loquitur Dionysius supra citato loco, quæ fiebat idibus Quintilibus, id est, Juliis. Ita enim transeuntes ante se censor alloquebatur: Quæro ex te, nomine appellato, an militiæ munera quoties leges ju-
D bent, obieris, aut stipendia impleveris. In qua recensione & probatione narrat Dionysius ἔστιν ὅτε καὶ πεντακισχιλίους transvehi solitos, non autem dicit equestrem ordinem illo ævo tot capitum fuisse. Ut ut sit certe magnopere hallucinati sunt viri docti qui putarunt Romulum instituisse ut trecenti equites legione essent cum trecentos *Celeres*, ita tunc nominabantur equites, ad custodiam corporis sui elegit. Si præter illos *Celeres* alios etiam equites instituit, ut Livius innuit, a tribus Tribubus prædictis illi centuriati fuerunt. De quo in sequenti capite dicemus. Totus certe tunc equestris ordo in his trecentis constabat. Adauxit hunc
E numerum Tullus Hostilius lectis Albanis equitibus & adjectis ex his tribus centuriis. Tarquinius Priscus, non solum senatum amplificasse, sed etiam *equestrem ordinem uberiorem reliquisse* ait Valerius Maximus lib. III. cap. 4. Livius usque ad mille ac ducentos numerum equitum, id est, equestrem ordinem, eum provexisse scribit. Non dicit quot ex his singulis legionibus adscripti fuerint. Servius demum ad octodecim centurias eos perduxit numerumque eorum valde amplificavit, & ex censu legit. Ab eo igitur primum etiam institutum arbitror, quot equites singulis legionibus essent adscribendi. Ducentos eos fuisse clare di-
F cit Polybius, qui postea ad trecentos perducti sunt. Ita enim lib. III. Ῥωμαῖοι καθάπερ καὶ πρότερον εἰρήκαμεν ἀεί ποτε τέτταρα στρατόπεδα προχειροῦσι, τὸ δὲ στρατόπεδον πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ διακοσίους, ἐπὰν δέ τις ὁλοσχερεστέρα προφαίνηται χρεία, τοὺς μὲν πεζοὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιοῦσι περὶ πεντακισχιλίους, τοὺς δὲ ἱππεῖς τριακοσίους. Quod enim idem lib. I. scribit singulas legiones habere ἀνὰ τετρακισχιλίους πεζούς, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους, ad quaterna millia peditum,

equites autem trecentos, ad sui temporis morem respicit quo hunc numerum equitum legionibus singulis adscribi & attribui solitum diserte hic narrat in hæc verba: Μετὰ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ πεζοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίους, νῦν δὲ προτέροις πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς, καὶ ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον.

CAP. XXI.

Locus Polybii explicatus de diverso equitum numero in antiquiore & sui temporis legione, & de ratione legendi equitis in utraque re militari diversa.

IN superius citatis Polybii verbis manifesta ab auctore ponitur differentia inter rem antiquam militarem eamque quæ ejus tempore usurpabatur, non solum quantum ad numerum attinet equitum qui legionibus singulis adscribebantur, sed etiam in ratione deligendi, & ordine dilectus. Opponit primum antiquum deligendi ordinem novo, qui tunc temporis in usu erat. Quod nimirum antiquitus equites legionis ὕστεροι legi solerent, id est, post pedites, suo autem tempore πρότεροι legerentur, id est, ante dilectum peditum. Deinde rationem ipsam eligendi diversam utriusque militiæ comparat, cum olim probari solerent, utitur enim verbo δοκιμάζεσθαι, suo autem tempore ex censu soliti essent eligi. Consideranda enim hæc verba, quibus rem plane differentem moremque in deligendo disparem signare voluit, δοκιμάζειν & ἐκλογὴν πλουτίνδην ποιεῖν. Deinde discrimen etiam e numero notavit quod antiquo tempore διακόσιοι ἐπὶ τετρακισχιλίοις πεζοῖς scriberentur, ducenti equites in quater millia peditum, quo numero constabat legio, sua vero ætate fierent τριακόσιοι, trecenti, in singulas legiones. Sed præcipue animadvertenda est differentia, quam in modo dilectus posuit. Non enim qualis ea fuerit ex versione Latina summi in his literis viri deprehendas quæ sic habet: *Mox equites olim quidem posteriore loco moris erat deligere, & quaternis peditum millibus adjungere ducentos. Nunc priore loco eos centuriant, e censu jam ante per censores electos, atque illorum trecentos unicuique legioni assignant*. Si tunc, ætate nempe Polybii, e censu eligebantur, an non etiam moris idem olim fuit? Certe vel a temporibus Servii regis qui primus ex censu peditum equitumque legendorum morem instituit, ea consuetudo deligendi equites servata est apud Romanos. Præterea quod vir doctissimus vertit in posteriore hoc dilectu, centuriatos e censu equites jam ante per censorem electos, magis convenire videtur priori instituto legendi equitis, quo δοκιμάζεσθαι eos dixit Polybius. Ac isto genere posteriore scribit, a censore simpliciter lectos fuisse πλουτίνδην, id est, pro habitu pecuniarum. Ita igitur interpretanda sunt Polybii verba. Olim post peditum dilectum equites legebantur, quia facilis admodum fuit eorum tunc electio. Ex numero quippe eorum qui jam in equestri ordine erant recensiti pro copia census, eos probatos deligebant qui equo mererent & legionibus assignarentur. Ideo utitur in hoc genere dilectus verbo δοκιμάζειν, quia spectatæ virtutis ac probatæ vitæ ex equestri ordine & ex omni equitum numero eos eligebant, qui æra equestria facerent, & equo publico mererent, & legionibus adscriberentur. Certum olim fuisse equestris ordinis numerum in octodecim centurias ex censu descriptorum in superioribus docuimus. Ex eo numero certi deligebantur postquam pedites legionarii lecti fuerant, qui equites legionarii essent. Ideo ultimo loco legi solebant, quia nullo negotio ex ea multitudine cui census equestris erat, magis idoneos deligebant quibus equos publicos assignarent & militares. Posteriore more quem sua ætate observatum docet Polybius, aliter dilectus equitum fiebat. Ex plebe enim ipsa eos censor eligebat qui censum haberent equestrem, ut equites fierent & equi publici iis assignarentur, atque in legione militarent. Hæc consuetudo videtur inducta primum & instituta secundi belli Punici tempore. Exhausto quippe frequentibus adversis præliis equestri ordine, in dilectu eorum faciendo, cum equites scriberentur legionarii ex civibus legebantur qui censum habere possent equestrem. Et quia operosior hæc erat electio, ideo antequam pedites conscriberentur, equitum hujusmodi ex censu scribendorum electioni vacabat censor. Romæ semper fuere qui licet senatorium censum haberent, in equestri tamen ordine manere præoptarunt. Ita etiam multos in plebe mansisse probabile est, quamvis eas possiderent facultates quæ censum equite dignum facerent. At cum equites eo modo quem dixi legebantur e populo, quicunque censum habere equestrem deprehensi fuerant, nomen militiæ equestri dare cogebantur & equum publicum accipere. Quod in antiquiore dilectus ratione non fuit factitatum. Nam equites legionarii ex solo equitum corpore quibus equester census erat deligebantur. Non aliter liceat verba Polybii exponere. Ex equestri porro ordine sumi olim solitos quibus equi publici ad militandum assignarentur, discimus ex iis quæ Livius dicit lib. V. post cladem ad Vejos acceptam, mœsta civitate & in desperationem rerum suarum adducta, *repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito senatum adeunt, factaque dicendi potestate equis se suis stipendia facturos pollicentur*. Ex his enim constat, multos e plebe tum fuisse qui cum censum haberent equestrem, in suo tamen ordine manere mallent, quam ad equestrem promoveri. Illud etiam inde certo certius colligitur, non aliis eo tempore equum publicum assignari solitum, ut in legionibus militarent, quam qui ex corpore, numero & ordine equitum forent. Immo non alios tum fuisse in equestri ordine quam quibus equus publicus esset assignatus, ex quorum corpore legionarii equites eligi tum solum soliti erant. Nam in ipso ordine equestri ex censu instituendo ac describendo Servius statim iis quos in ordinem equestrem centuriavit, ad equos emendos dena millia æris ex publico curavit danda, & *bina quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in singulos annos penderent*. Ita enim Livius scribit lib. I. Ergo non alii tunc conscripti in ordine equestri nisi quibus & census equestris esset, & quibus equus publicus assignatus foret. Si qui censum haberent equestrem qui nondum cooptati essent & lecti in eum ordinem, nec equum ex publico habebant, nec alebant, tum iis equi assignabantur publici, cum in equestrem ordinem adlegebantur. Et clare hoc etiam Plinius docet lib. XXXIII. cap. 2. militares equos olim solos secrevisse ordinem equestrem a plebe, quod discrimen postea annuli aurei fecerunt. *Sed annuli*, inquit, *plane medium ordinem tertiumque plebi & patribus inseruere. Quod antea militares equi nomen dederunt, hoc nunc pecuniæ indices tribuunt*. Hoc enim vult omnes tunc quibus census equester erat pro equitibus se gessisse, & in eum ordinem fuisse electos ex solo censu, cujus insigne fuit annulus aureus. Et

fiebant tunc ergo equites annulo aureo accepto, ut olim equo publico dato solebant fieri. Ætate Polybii qui ad bellum & legiones legebantur equites, ex censu solo legi a censore consueverant, & jam tum annuli discernebant equestrem ordinem a plebe, ut ex modio annulorum colligere est, quos Hannibal cæsorum equitum Romanorum digitis detraxisse dicitur. Olim igitur nullus eques fuit, aut equestris ordinis pars, nisi cui equus esset publicus assignatus. Ex eo numero legebantur qui legionibus adscriberentur legionarii equites. Postea ex plebeiis ipsis lecti sunt qui censum equestrem haberent, aut ex equestri etiam ordine eorum quibus assignatus nondum erat equus publicus, sed solo annulo aureo se ejus ordinis esse demonstrarent. Et sic etiam potest exponi Polybius ubi de posteriore more legendi equites in legiones ait, *πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς*. Quem censor legebat in equestrem ordinem non in eo considerabat nisi equestrem censum, qui designabatur annuli aurei gestamine. Cum vero ex eo ordine ad legionem equites legebantur, solebant equo publico donari. Non omnes igitur eo tempore qui equestris ordinis erant, etiam equo publico merebant, sed illi soli qui legionarii equites fuerant facti. Imperatores sæpe etiam equo donabant milites, quorum virtutes hoc præmio remunerari volebant. Hinc in veteribus Inscriptionibus tam frequens mentio *equo publico donatorum, ornatorum, honoratorum ab Imperatore*. Quod *ad equum rescribere pedites* dixit Cæsar lib. I. de bello Gallico: *Plus quam pollicitus esset Cæsarem facere, pollicitum in cohortis prætoriæ loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere*, id est, equo honorare, equites ex pedite facere, ad equitem rescribere. Nam *equus publicus* sæpe occurrit in veteribus monumentis pro eo ipso qui equo publico meret. Ut in veteri Inscriptione: *Judici decuriæ quintæ, equo publico per Trajanum, Duumviro municipii Consaburonensium*. In aliis multis Inscriptionibus id occurrit, ut quis *equus publicus* dicatur qui equo publico donatus est. *Equus publicus* mira, sed tamen Romanis solita loquutione pro equite qui equum habet publicum. Sic *ordo* pro ordinis ductore. Unde *primi ordines & principes ordines*, pro principalibus & primis ordinum ductoribus. Sic *armatura* pro armato, ut levis armatura. *Cura* pro curatore, & similia. Puto tamen honoris potius ac sæpius fuisse tunc equum publicum, quam muneris. Plerisque sane honoris tantum gratia dabatur, ut consularia ornamenta. Ubicunque igitur legimus aliquem equo publico honoratum aut ornatum fuisse, non de eo qui equo publico mereret & equestria stipendia re ipsa faceret, sed de illo cui honos hic habitus esset ab Imperatore intelligendum est. Hinc in Historia Augusta Julii Capitolini habemus, Hadrianum Marco *sexenni honorem equi publici detulisse*. Sed hæc ut accuratius hic tractemus, propositi nostri res non est. Ex eo autem facto quo post cladem Vejensem obtulere se voluntarii equites ad operam reipublicæ navandam, equis primum eos merere cœpisse tradit Livius. Quod an verum sit, inspiciamus. Quibus census erat equester, licet nondum in ordinem equestrem adlecti fuissent equo publico assignato, hi operam suam obtulere senatui, polliciti equis se suis stipendia facturos. Hoc magnum, quod cum cogi non possent equo merere, & inter equites legionarios militare, utpote qui ex equestri ordine non essent, se suis equis stipendia facturos promiserunt. Nam ex instituto Servii qui ex equestri ordine centuriati fuerant, non suis, sed publicis equis militabant. Pecunias enim ex publico accipiebant ad equos e-

A mendos. Dena millia æris ad equum emendum unicuique equiti dabantur. Hoc pretium igitur equi tunc temporis. Mille assium facit Varro, sive assarium, lib. VII. de L. L. *Et non equum publicum mille assarium esse; sed mille assariorum. Ab uno enim assario multi assarii, ab eo assariorum*. Nulla mendi suspicio potest in hunc locum cadere. Ergo in Livio erit corrigendum, *una millia æris*, pro singulis millibus æris. Qui loquutionem eam non capiebant, correxere *dena millia*. Sic *una mœnia* apud Sallustium, *in una mœnia convenire*. Verum ista alii examinent, an diversa dixerint Varro & Livius. Non solum igitur equites legio-
B narii ex institutione Servii ad equum emendum e publico pecuniam accipiebant, sed etiam ad alendum. Bina millia æris ad hoc accepisse & viduas eis divites attributas quæ eam summam annuam penderent, ipse Livius scribit. Equis igitur jam tum merebant equites, cum æra acciperent ad equos alendos. Quid plus tunc præstitum, clade ad Vejos accepta, cum voluntarii equites operam suam gratuitam obtulissent Reipublicæ? *Placere autem omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere, & equiti certum numerum æris assignatum: tum primum equis merere*
C *equites cœperunt*. Hoc falsum si vera sunt quæ de Servio scripsit, cujus instituto bina millia æris equiti data sunt ad alendos equos, & dena millia ad emendos. Quid est merere? pecuniam quam mercedem operæ in militia navandæ accipere. Tum ergo merebant equis equites ex instituto Servii, cum pecuniam e publico ad equos alendos accipiebant. Videamus an plus postea acceperint quam illa bina millia æris a Servio ipsis attributa. Immo hæc summa mansit ad æra equestria usque ad Catonem censorium post bellum Punicum secundum. Orationem ille habuit, qua suasit ut plura æra equestria fierent, Ex ea oratione hæc
D producit Charisius: *Nunc ego arbitror oportere institui, ne quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium*. Sic enim cum viro doctissimo locum illum legendum censeo. Ante id tempus æra equestria duum millium fuere. Ducentos asses adjiciendos esse ad stipendium suasit tum Cato. Vetus summa in ejusdem Catonis verbis ibidem sic expressa legitur: *de æribus equestribus, de duobus millibus actum est*. Ergo bina millia æris meruerunt quotannis pro stipendio sive equites usque ad ætatem Catonis, ut ex illa ejus oratione constat, a temporibus Servii regis, qui instituit ut bina millia æris acciperent ex publico ad equos alendos,
E viduæque iis attributæ quæ eam summam penderent. Non placet autem quod viro docto placuit, in verbis Catonis ea æra equestria quæ plura ille fieri volebat, ad numerum ipsum referri equitum, ut suaserit tot æra institui totidemque capita quæ haberent. Non enim persuadebit ut non plus duobus millibus equitum in equestri ordine tum fuerit, quos constat longe plures fuisse Servii ipsius ætate, ut ante docuimus. Certum quidem est diu in Romana republica milites suo sumptu militasse, merere enim tum cœpisse peditem post Anxur oppidum captum anno urbis CCCXLIII. scribit idem Livius. Triennio post de e-
F quitibus idem dicit in obsidione Vejentum. Sed jam ostendimus a Servii temporibus ex ejus instituto equites merere cœpisse. Nisi quis dicat non æra ex ærario tunc eos accepisse quod postea factum, sed viduas iis attributas quæ summam eam iis penderent. Sed hic non tractamus de stipendio militum, quod in alio opere exequemur. Nunc id agimus, ut doceamus equitum numerum alium fuisse antiquissimo sæculo in legione Romana, alium posterioribus Reipublicæ temporibus, alium po-

ſtremo mutata in Monarchiam regiminis forma, A ſub Cæſaribus. Primo igitur ut ex Polybio & Livio monſtravimus, antiquior militia numero Equitum differebat ab ea quæ Polybiano ævo obtinebat, ita quidem ut legioni adjecti fuerint ſuper priorem ducentorum numerum, centum equites alii, & in univerſum trecenti eſſent. Deinde rationem ſeligendi in utraque militia diverſam fuiſſe etiam ex ſuperioribus cum abunde conſtet, finem nunc imponemus huic tractationi.

F I N I S.



JO: HENRICI BOECLERI
DISSERTATIO
DE
LEGIONE
ROMANA.

INDEX CAPITUM.

JO. HENRICI BOECLERI DISSERTATIO DE LEGIONE ROMANA.



Videbitur superflua forte adjectio, cum *Romanæ* vocabulum Legioni adjicimus: etenim & res & vox Romana est, non alterius gentis, nisi quod juniores Scriptores, qui vetera militiæ vocabula, novissimis bellis accommodare aggressi sunt, *Hermannus Hugo*, *Hugo Grotius*, *Daniel Heinsius*, *Famianus Strada*, majores exercitus partes (vulgari vocabulo *Regiments*) Regiones haud raro nominant.

CAP. I.

De vocabulo Legionis.

Varro lib. IV. de L. L. in militaribus vocabulis: *Legio*, inquit, *quod leguntur milites in delectu*. Unde *Isidorus lib. 9. cap. 3. Legio ab electu vocata, quasi lecta*. Sine *delectu* enim *manus armata non convalescit*. *Joh. Sarisber. lib. 6. cap. 2. de nug. cur.* Qua in re Romanorum incomparabilis fuit diligentia.

Græci frequentius *τάγμα* dixere, quæ vox tamen valde generalis: quod fatetur *Lexicon Græco-Lat vetus*: *τάγμα*, *Legio*, *agmen*, *globus*, *factio*. Onomasticon Latino-Græc. vetus: *Legio*, *φάλαγξ*, *τάγμα*, *παράταξις*: rudiore minerva: nam *Phalanx* proprie Macedonum est, sicut *Caterva* Gallorum, *Legio* Romanorum, notante *Isidoro* loco dicto.

Livio & diminutivum *Legiuncula* placuit de reliquiis accisarum legionum loquenti.

Legionarius miles, Legionariæ cohortes passim occurrunt.

Nicolaus Machiavellus de arte militari lib. 2. de Legione ita loquitur: *Omnes populos in constituendis exercitibus, aut militia sua, ordinis aliquam rationem habuisse, atque ejus præcipuum quoddam membrum constituisse: quod licet nomine tenus alii aliter mutaverint, parum tamen, quoad numerum, inter se discrepasse, compertum est. Siquidem omnes istud ex sex vel octo bominum millibus composuerunt. Hoc membrum Romanis vocabatur Legio, a Græcis Phalanx, a Gallis Caterva, ab Helvetiis, qui quidem soli hoc ævo ex antiqua militia umbram quandam retinent, vocatur Regimentum, quod nobis aciem significat, licet singuli illud postea in turmas atque agmina subdiviserint, & ex arbitrio ordinaverint*. Hæc ille partim ex *Veget. II. 2.* non imperite: licet in quibusdam *παχυλώτερον*.

CAP. II.

De numero militum in Legione.

Habet hic locus tricas non modicas, quæ extricari penitus ne in hunc usque diem quidem potuere. Sicut enim, variatum esse numero pro diversis temporibus, dubio caret: ita, quando & quomodo singulæ mutationes acciderint, haud æque in expedito est. Apud *Suidam* legas indefinite: *Λεγεὼν παρὰ Ῥωμαίοις, ἑξακισχίλιοι στρατιῶται. Legio apud Romanos, sex millia militum*. Ut Isidorus l. c. *Legio, sex millium armatorum est*. Rotundum numerum hic affectari videmus. *Hesychius* accuratius numerare voluit: *Λεγεὼν πλῆθος στρατεύματος ἢ τάγματος ἓξ χιλιάδων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἕξ. Legio est multitudo armatorum sex millium sexcentorum sexaginta sex*. Sed neque sic id exprimitur, quod simpliciter & semper verum est.

Romulus, ut ab initio ordiamur, *Legionem tribus millibus armatorum* constituerat, teste *Plutarcho a*. Condita urbe, Romulus juventutem in ordines militares descripsit. *Ἕκαστον δὲ σύνταγμα, πεζῶν τρισχιλίων ἦν καὶ τριακοσίων ἱππέων· ἐκλήθη δὲ λεγεὼν, τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. Erant autem singuli ordines peditum trium millium, equitum trecentorum. Quia autem electi erant ex omnibus bellicosiores, Legio dicta*: quæ postrema *ἐκ παραλλήλου* cum superioribus jungenda sunt. *Livius b* tacuit Legionis primam constitutionem, de *centuriis tribus equitum* tantum mentione facta, post consociatum cum Tatio regnum: quo tempore *Plutarchus c* duplicatas Legiones ait, *ut una constaret peditum senis millibus, equitibus sexcentis*. De Legione primum 3000. constante consentit *Varro d. Milites, quod trium millium primo Legio fiebat ac singulæ tribus Tatiensium, Ramnensium, Lucerum, millia singula mittebant*. Sed de duplicato numero Plutarchus addit, *Henrico Savilio e*, quantum ad illam ætatem, grande & absurdum videtur. Putat igitur, Plutarchum sui potius quam Romulei ævi, consuetudinem in oculis habuisse. Neque *Lipsius f*, qui tueri Plutarchum vellet, potuit hunc scrupulum tollere.

Quomodo ad 4000. numerum pervenerit legio, ignorare se dicit, nisi quod de Tullo militiæ artifice conjicit, tanquam numeri aucti auctore. *Savilius* in conjectura sua amplius profecit, allato *Dio*

a in Romul. pag. 24. Edit. Wechel. b Liv. 1 I 14.
c in Rom. pag. 30. d L. 5. de L L. in v. *Milites*.

e de Milit. Roman. pag. 349. Edit. Amsterod.
f de Milit. Rom. lib. 2. dial. 5.

nysii Halicarnassensis testimonio, qui de Servio Tullio ait: Τετράφυλον ἐποίησε τὴν πόλιν εἶναι, τρίφυλον οὖσαν, τέως. Καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς στρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικάς, ἐποιεῖτο. Apud *Dionys. Halic. lib. IV. p. 372.* Scriptæ sunt decem legiones, τάγματα στρατιωτικά, ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον, *unaquæque* 4000. *armatorum numero constans*.

Ad *quinque millium* numerum veniendum est a 4000. Hæc *Polybiana legio* vocari solet, eo quod Polybii ævo potissimum usitata fuerit. *Polybius* enim *lib. 2. pag. 112.* g Πεντάκις μὲν χιλίους καὶ διακοσίους πεζούς, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους ἔχον ἕκαστον στρατόπεδον. *Unaquæque legio quinque mille ducentos pedites, trecentos equites habet*. Libro sequente, paulo distinctius *h*: Τὸ δὲ στρατόπεδον, πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ διακοσίους. Ἐπὰν δέ τις ὁλοσχερεστέρα προφαίνηται χρεία, τοὺς μὲν πεζοὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιοῦσι πεντακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους. *Legio pedites habebat circiter* 4000. *equites vero ducentos: si vero usus postulaverit, pedites in unaquaque Legione legunt* 5000. *equites autem sexcentos*: quæ exponuntur lib. VI. *i. Livius lib. VIII. cap. 8.* de bello Latinorum: *Scribebantur quatuor fere Legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas Legiones trecenis*.

Jam ad sex millia progrediendum est. *Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit legionem, cum antea quatuor millium fuisset: unde etiam appellabatur quadrata*, inquit, *Festus Pauli Diaconi k. Servius* ad Æn. lib VII. *l. Legio habebat sex millia viaorum. Vegetius lib. 2. cap. 2. Romani Legiones habent, in quibus singulis* (ita lege) *sena millia militare consueverunt*. Quod de quadrata Legione Festus dixerat, ex Polybio lucem capit, quatuor millibus constitisse Legionem quasi ordinario numero: nisi usus ampliorem & extraordinarium numerum postularet: tum enim ad 5000. ventum. Id possit forte Lipsio responderi, inclementius in Festum invehenti l. d. Ceterum exempla 6000. in Legione Mariana & insecuto ævo habemus apud eundem *Lipsium* & *Savilium*.

Apparet hinc, *Suidam* antea rotundum numerum, *Hesychium* accutatiorem spectasse. Atque hic numerus permansit per Imperatorum tempora. Igitur huc respiciunt fere interpretes antiqui & juniores, cum illud Sanctissimi Servatoris dictum *m* de duodecim Legionibus militiæ cœlestis seu Angelorum explicare conantur, quamvis ad id, quod dicere vult Christus, intelligendum, non opus est definitione certi numeri, sed sufficit hoc sensu accipere: Si vim vi repellere animus fuisset, facile pro duodecim imbellibus sectatoribus & discipulis, quorum unus jam in proditoren desciverat, a Patre meo potuissem impetrare duodecim Legiones militiæ cœlestis seu Angelorum, quorum quanta sit virtus adversus hostes, neminem latere sinunt divinis consignata testimoniis miracula. Uti autem voluit vocabulo Latino Judæis sane notissimo & numerosis militiæ partibus exprimendis per celebritatem eximiam aptissimo. Πολυπραγμονεῖν vero τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγάς, nec loci nec consilii est: qualia cum se intelligere jactat *Psaudo-Ignatius n*, eo ipso suppositi modestissimo & piissimo Martyri alieni partus convincitur.

Illud quoque aliquam nonnunquam parit difficultatem, cum Legiones nominantur quidem, sed non sunt plenæ, i. e. vel bello diminutæ, vel dimissis alio cohortibus quibusdam. Ita fieri potuit, ut Interpretes Ciceronis septem Legiones cum XV. millibus compararent. Ita apud *Vellejum l. 2. c. 112. Semiplena Legio* & c. 80. *Duodecim semiplenæ Legiones* memorantur.

CAP. III.

De partibus Legionis.

Legio habet sexaginta centurias, manipulos triginta, cohortes duodecim, & turmas ducentas: inquit *Isidorus l. 9. c. 3. Servius ad XI. Æn. o: Secundum antiquum morem in Legione erant triginta signiferi: Legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias, licet in his rebus accessio temporis, ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam. Vegetius lib. II. c. 6. Sciendum est autem, in una legione decem cohortes esse debere*. Prima *habet pedites* 1005. *equites loricatos* 132. *& appellatur cohors milliaria*. Secunda *cohors habet pedites* 555. *equites* 66. Tertia *similiter*: ut & Quarta, & ceteræ omnes. *His decem cohortibus* (ita addit) *Legio plena fundatur, quæ habet pedites* 6000. *equites* 726. *Minor itaque numerus in una legione esse non debet. Major autem interdum esse consuevit, si non tantum unam cohortem, sed etiam alias milliarias jussa fuerit suscipere*. Hæc *Vegetius*.

Celeberrima hæc Legionis in *decem cohortes* divisio apud *Polybium*, præcipuum scilicet Romanæ militiæ annotatorem, non reperitur, quod miratur *Savilius*. *Cincius* apud *Gellium p* itidem, *In Legione*, inquit, *sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem*.

Huic divisioni Legionis in cohortes celeberrimæ (quid enim frequentius, quam numero cohortium ipsas Legiones & totius exercitus multitudinem signari?) objicit se Vir Summus *Claudius Salmasius* & *in opere posthumo de re militari Romanorum, cap. 2.* contendit, *decem cohortes neque in Polybiana, nec in Cæsariana legione locum invenire*. Digna est, quæ legatur dissertatio. Cui tam præclare respondit doctissimus & longiori vita dignissimus *Hermannus Schelius in dissert. ad castra Polybiana cap. XV. de cohortibus Legionis antiquæ*.

Cohortis ipsius partes sunt *centuriæ*. Unius scilicet cohortis *sex centuriæ seu tres manipuli*: duas centurias Hastatorum, duas Principum, duas Triariorum intellige. Quam distributionem ejusque usum notabiliter explicat *Schelius cap. cit. Salmasius* quidem existimat, *ex quo cohortes primæ milliariæ factæ sunt, cæteras cohortes quinque tantum centurias habuisse*. Sed refellit eum *Schelius q* ex cohortis Hyginianæ pedaturis, ubi quamvis cohortes primæ duplum numerum, ceteræ tamen omnes sex centurias habent.

Liceat in transitu disquirere id, quod *Salmasius r* tradit: apud *Polybium* σημαίας & σπείρας semper idem notare, & manipulum idem esse, quod cohortem. Nescio an ex *Suida s* sumserit, qui ait: σημαία, σπεῖρα, τάγμα, ταυτόν ἐστι. Sed ne putemus hæc simpliciter accipi debere, sequentia faciunt, ubi σημαῖαι Romanorum σίγνα, *signa* explicantur. σπεῖραν autem idem significare, quod Latine *cobors* significat. *Salmasius* dixerat paullo ante & explicaverat. *Polybius* equidem, cum genera militum in decem partes dividi dixisset, addit: Καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν: non quasi hæc prorsus unum idemque significarent. Repugnat tota sequens descriptio, quæ non semel ad absurdum deduceretur. Τάγμα quidem & τάξις generaliter sæpe significare, & modo pro legione, modo pro cohorte, modo pro signo sive duabus centuriis accipi, dubio caret. Sed hic quoque *Suidas t* lucem præfert: & olim qui-

g Edit. Casaub. h pag. 257. i pag. 467. k in *Sex. Mil.* l pag. 478. Petr. Dan. m Matth. 26. 53. n Epist. ad Trallianos.

o pag. 668. p lib. XVI. cap. 4. q Not. in Hygin. pag. 19. r de re Milit. Rom. c. 2. p. 15. s v. v. σημαία. t v. τάξις.

dem latius significasse vocabulum, postea τάξιν, ρ κ ε. viros notare, & qui antiquitus ταξίαρχος vocaretur, ἑκατοντάρχην vocari cœpisse: σημαίας ἢ τάγματος duos esse præfectos seu centuriones *Polybius* dicit: σπείρας autem duas esse centurias nec dicit, nec dicere, si sibi consentanea vellet edere, potuit. Sed hæc ὁδῷ πάρεργον.

CAP. IV.

De diversis generibus militum in Legione.

CUm milites jam conscripti & sacramento rogati erant, iterum convocabatur Legio certo die locoque. Tum tribuni minimos natu & pauperrimos legebant in *Velites* (γροσφομάχοι Græce appellabantur) proximos his, τοὺς ἐφεξῆς τούτοις, εἰς τοὺς ἀστάτους καλουμένους, *in Hastatos, uti vocant*: τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις εἰς τοὺς πρίγκιπας, *florentissimos autem ætatibus in Principes*: τοὺς δὲ πρεσβυτάτους εἰς τοὺς τριαρίους: *natu vero majores in Triarios*. Ita Polybius *v*, qui & numerum addit: Triarios quidem, in quavis legione invariato numero 600. principes 1200. hastatos totidem: Velites ut expleatur numerus 4000. Quod si legio pluribus quam quatuor millibus constet, ceterorum quidem numerum proportione augeri, Triariis exceptis. Addatur *Livius lib.VIII.c.8. Suidas* descripsit ita *x*: Πρίγκιπες οὕτω καλοῦσι Ῥωμαῖοι ἡλικίας. Τοὺς γὰρ νεωτέρους καὶ πενιχροτέρους, γροσφομάχους καλοῦσι. εἶτα τοὺς πρίγκιπας. Τοὺς δὲ πρεσβύτας, τριαρίους, καὶ τοὺς ἀστάτους καλουμένους, οἳ εἰσι πρότεροι τῶν πριγκίπων. καὶ αὗται μὲν ὀνομασίαι. Locus hic est confusus, ut omnes vident. Nam ante εἶτα τοὺς πρίγκιπας debebat poni ἀστάτους καλοῦ. κ τ λ. ordo ætatis est: velites, hastati, principes, triarii. Et velites quidem Marius sustulit ex Romana legione, omnesque graves armatos fecit. Quando igitur post ea tempora levium cohortium mentio fit, non velites legionis, sed auxilia intelligi debent, quibus solis levis armatura locum aliquem retinuit, legionaria omni militia ad gravem armaturam translata, docente amplius *Schelio y*. Conditio quoque omnium horum generum, quæ antea discrepabat, tum æquata, & in Tacticis quædam mutata sunt.

Magnam rem postulat iterum *Salmasius z*, quam sibi vult concedi: in militia Cæsarum sive post commutatam a Mario militiam, *nomina Hastatorum, Principum, Triariorum abolita & desita fuisse*. Unde hoc probatur? *Unus erit Varro*, inquit *Salmasius, pro centum testibus. Is in lib.IV. de L.L. ubi explicat illa vocabula antiquæ militiæ*, Hastatos, Principes & Triarios, diserte significat esse & a more, qui tunc obtinebat, aliena, *Hastati*, inquit *dicti, quod primi pugnabant hastis. Pugnabant*, dixit, *non pugnant*. Etsi possis opponere ex *eodem lib.VI. Varronis*: *Præsidium est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset. Præsidebant*, inquit, ergo tempore, quo scripsit, idem non fiebat: quod nemo concesserit. Jam ipse Cæsar *de Bell. Civ. lib. 3. c. 53. Centurionem ab octavis ordinibus ad primipilum traducit. & c.64. Omnes cohortis primæ centuriones interfectos* refert, *præter principem priorem*: quæ nec dici nec intelligi possunt citra respectum ejus discriminis, quod tractamus. *Vegetius* in primis adeundus *lib. II. c. 15. & 16* Qui etiam *c. 7. ad præsentes* (sui temporis) *matriculas* provocat. Parum quidem præclare *Salmasius de Vegetio* sentit, eumque confusorum passim temporum & negotiorum, summæque negligentiæ accusat; sed nec desunt, qui aliter sentiant: nec universe talia & in omnibus locis possunt admitti. Notandum præterea, quod *Vegetius* pauciora ex commentariis Catonis, plura ex Principum, Augusti, Trajani & Hadriani, tum Frontini libris descripserit. Etiam illud *Salmasio* obverti potest, quod *Inscriptiones*, quas ipse citat in *cap.VI.* ejusdem operis, pertinent utique ad Cæsarum tempora. In iis autem fit mentio *Hastatorum*. Nondum igitur desita fuerint hæc nomina ævo Varronis, aut statim post Marium.

v lib. 6. p. 468. *x* voc. πρίγκ. *y* Not. in Hyg. p. 13.
z De re milit. Rom. cap. 1.

CAP. V.

De Equitibus Legionis.

APud *Julium Cæsarem* equitatus non semel legionibus opponitur, & seorsum nominatur. Sed & sub Regibus & libera Republica unaquæque Legio suos habuit *Equites*. *Trecentos* nimirum, ut *Polybius a* annotat, & *Livius* loco ante laudato. Hos trecentos equites dividebant in ἴλας seu εἴλας, *turmas* decem, singulis triginta equos continentibus. Legio autem *Vegetii*, de qua supra, habebat 660. equites: ubi primæ cohorti quatuor turmæ, reliquis singulis duæ attribuebantur. Unde quia equites cohorti inserti innexique erant, talis *cohors equitata*, *Hygino* & aliis dicitur.

Neque tamen ita res in vado est. Nam si conferantur inter se, quæ *Polybius lib. 1. lib. 3. lib. 6.* tum quæ *Livius* diversis in locis habet, non satis consonare videbuntur: cum primo quidem *trecentorum equitum legionariorum* numerum valde antiquum & a Romuli temporibus usitatum statuant, & tamen Polybiano ævo ducentos tantum equites assignent in unam, etiam numerosiorem, legionem. Qua de re uberrima est disputatio *Salmasii capitibus duobus postremis operis posthumi de Militia Rom.*

Illud ex prima constitutione rei militaris Romanæ satis apparet, omne robur militiæ Romanis in pedite fuisse: cui eques vix pro portione decupla responderet. Causa ab initio, quod difficilius parabantur & instruebantur equites. Ita Cyrus, *teste Xenophonte*, totum eduxit exercitum Medici militis, antequam ei pronum fuit, equitatum, id est, alteram virium partem comparare. Vide omnino lib. IV. Παιδείας. Sed ratio & tempus multa mutavit, etiam apud Romanos. Ita cum adversus hostes equitatu validos eundum fuit, equitum quoque numerus exaugebatur. Imo sub Constantinopolitanis Imperatoribus militia equestris numero præstabat peditatui.

Ceterum equites, ut a Legione, ita etiam a cohorte denominabantur. In Inscriptione antiqua, *opere Gruteriano pag. 574. 5. Peditibus & equitibus, qui militant in cohorte II. Alpinorum & in VIII. voluntariorum civium Romanorum, qui peregrinæ conditionis probati erant, civitas & jus connubii data sunt*. In alia inscriptione *b*: *Eques cohortis X. prætoriæ* memoratur. Item *c*: *Eques R. legionis XXII.* Quando additur, *Eques Romanus*, non modo munus militandi equo, sed dignitas etiam seu ordo equestris notatur. Multi enim merebant equo, qui non erant ex ordine equestri Romano.

Et *Salmasius d.* quidem existimat, *singulis Legionibus trecentos equites Rom. ut in veteri Rep. Rom. ita Cæsarum temporibus adjunctos & ab auxiliis distinctos fuisse*. Sed doctissimus *Schelius* ostendit *e* I. *Vetere quidem Rep. Alas fuisse Socios Latini nominis tam pedites quam equites, & hac significatione pedites equitesque alarios, item cohortes alarias a Legionariis distingui consuevisse*. II. *Ubi autem Socii civitate donati æque ac Romani legiones dedere, alariorum quidem peditum nomen ab illis ad auxiliares & externos*

a lib. 6. *b* pag. 560. inscr. 4. *c* pag. 548. inscr. 8.
d cap. 9. & 10. de re Mil. Roman. *e* Not. in Hyg. pag. 67.

transiisse, at equitum alariorum illis mansisse, sed cum externis commune: nam legionibus in Italia aut in provinciis scriptis, alas equitum adjunctas esse, Italici, Provincialis, aut etiam externi sanguinis, non vero Romani aut equestris: neque enim equestrem ordinem cum civitate vulgatum esse, neque equites Romanos sufficere potuisse tot legionibus, quibus tum gerebatur Resp. Inde jam rariorem, si modo ullum equitatum Rom. præsertim diminuto vehementer bellis civilibus quitum numero. III. *Sub primis Imperatoribus alas iterum & alarios equites distinctos esse a prætorianis, singularibus, & cohortibus equestribus. Alariorum autem peditum extenuata memoria, cum cohortes appellarentur, alarum vocabulum equites sibi proprium vindicasse, non quidem legionarium aut Romanum, sed tamen honestissimos provincialium & qui in vicem legionarii addebantur fere legionibus.* Probat hæc ex locis Taciti, tum ex silentio Scriptorum de *justo Legionis equitatu.* IV. *Illos equites Romanos in singularibus aut prætorianis, aut si forte in aliis militantes statim ad præfecturas admotos esse.* Licuerit hæc repetiisse ex *Schelio*, qui primus omnium, ut plura alia, ita hæc ad antiquæ militiæ veram historiam exegit.

CAP. VI.

De ordinatione Legionis in acie, sive de acie Legionis.

LEgionem constitisse ex *hastatis*, *principibus* & *triariis* ante dictum est. In acie igitur, hastati primo loco, proximo principes, post hos triarii collocabantur. Sicuti *Livius lib. VII. cap.* 8. diligenter describit: idque vel ex proverbio, *rem ad triarios rediisse*, apparet. *Vegetius* quidem *lib. I cap.* 20. & *lib. II. cap.* 8. *lib. III. cap.* 12. & 13. *principes* primo loco, *hastatos* secundo, tertio itidem *triarios* ponit. Loquitur scilicet de temporibus minus antiquis, id est, Cæsarum Romanorum. Quare *Salmasius*, *Non solum*, inquit *f*, *ordinatione sive ordinandi modo distabat Legio Scipionis a Cæsaris Legione, sed etiam ipsius ordinationis, ut ita dicam, ordine, & ordinandorum in acie locatione. Ordinatio est ratio, qua in acie ordinanda disponitur Legio per majora aut minora corpora, quæ totidem sunt veluti partes ac membra totius ordinationis.* Sequitur deinde: *quod Legio Polybiana per manipulos, Cæsariana per cohortes ordinabatur.* 2 Olim intervalla erant inter ordines: in Cæsariana confertæ cohortes. 3. Capite sequenti tractat de ordinationis ordine, ostenditque in veteri quidem legione, *Antesignanos* fuisse hastatos & principes, *Postsignanos*, triarios: in nova autem, triariis ad primas cohortes sive ad principia & principales milites translatis, pedites fuisse antesignanos levis armaturæ milites, qui pugnam ordiebantur. Sicut antepilani olim erant hastati & principes, eo quod ante pilanos i. e. triarios pugnarent: quod postea mutatum sit. Sed doctissimus *Schelius* ostendit *g*, *Antesignanos Cæsari* non minus quam *Livio* esse prima signa, primam aciem, primum agmen militum gravis armaturæ: dividi enim aciem εἰς δύο τάξεις, προμάχους καὶ βοηθούς, in Antesignanos & Postsignanos; aciem & subsidium. Videnda est omnino tota ejus disputatio. Adeundus etiam *Modestus* de vocabulis ad rem militarem pertinentibus. Imprimis *Virgilii* locus non est obliviscendus, qui de acie Legionis diligenter conceptus est *Georgicorum II. v.* 272. & 280.

Et sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto.

f de re Mil. Rom. cap. 3. *g* in Not. ad Hygin. pag. 40.

Longam vocat Legionem a longa fronte, per primam, mediam, ultimam aciem, & cornu explicata. Scholiastæ antiqui & novi hic muti sunt Neque *Lipsius h*, cum hunc locum laudat, aliud quam de intervallis notat: vid. *Veget. lib. II. c.* 15.

CAP. VII.

De Auxiliis Legionis.

AUxilium, inquit, *Varro in militaribus i*, *appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adjumento essent, alienigenæ.* Festus: *Auxiliares dicuntur in bello socii Romanorum exterarum nationum, dicti ex Græco vocabulo αὔξησις, quod nos dicimus rerum crescentium auctionem.* Græcis interdum dicuntur ξενικὴ δύναμις, ξενικὰ τείχη, peregrinæ seu externæ copiæ, externa munimenta. De his clarius & melius *Lipsio Savilius* exposuit *k*, hac summa: *Antiquum auxiliorum usum sub Regibus: Liberæ Reip. temporibus per aliquot sæcula solos Latinos atque Hernicos suppeditasse auxilia gravium armatorum, leves enim ex aliis nationibus admissos: Ascitos bello Marsico Latinos & Italos in jus civitatis, non auxiliarium nomine amplius militasse, legionariæ militiæ prærogativa auctos: Augustum aliosque inde Imperatores, provincialibus quoque in legionariam militiam ascitis, auxilia revocasse, sed ex sociis externisque, nullo nationum discrimine. Hinc est quod in Tacito habemus Auxiliarios e Trans-Rhenanis, Gallis, Britannis, Numidi, Lusitanis, Batavis, Thracibus &c.* Excessere modum insequentes Imperatores, id est, externos, &, ut ipsi vocabant, barbaros armis & armorum disciplina adversus Rom. Imperium, quod ab exteris tandem dilaceratum est, instruxerunt. Adducitur præsertim locus *Vegetii e lib. II. cap.* 2. Ante bellum ergo Marsicum, ordinarie socii ex fœdere tantundem peditum, cum equitum duplo armabant. Vocabanturque *cohortes* peditum, *Alæ* equitum. Extra ordinem aliter factum, exemplis docet *Savilius*, qui tandem summam putat: *Legionem Imperialem ejusque auxilia constitisse* 12000. *hominum, seu* 6000. *peditum Legionariorum &* 600. *equitum*, 4800. *auxiliariorum peditum*, 600. *equitum auxiliarium, adducto loco Vegetii e lib. III. cap.* 1. *Hyginus* interdum auxilia, *supplementorum* vocabulo indicat. Levem armaturam legionariis fere opponi supra notatum est. Inde Græci solos legionarios ὁπλίτας, auxiliares cohortes levis armaturæ ψιλοὺς appellabant. Apud *Suidam* legas: Ψιλὸς τάξις ἐστὶν ἡ ἐσχάτη, ἥτις προβάλλεται ἔμπροσθεν τοῦ στρατοπέδου, τῶν γυμνῶν καὶ ἀόπλων. αὐξίλια δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσι. τὸ τῆς βοηθείας ὀξὺ καὶ περὶ τὰς χρείας εὐκίνητον οὕτω προσαγορεύοντες. Mox: Ψιλοὶ, οἱ μὴ καθωπλισμένοι. ἐν καιρῷ δὲ τῆς μάχης τῷ παρατυχόντι, ἢ λίθῳ, ἢ ξύλῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ ὀργάνῳ χρώμενοι. ἢ τοξόται, παρὰ τὸ σκευῇ ψιλῇ χρῆσθαι. Diversa per farraginem, ut sæpius, hic componit Lexicographus: ex quibus illud tantum huc pertinet, quod de σκευῇ ψιλῇ dicit. Unde & *Hesychius*, exempli causa σφενδονιστὰς καὶ τοξότας habet: *funditores & sagittarios*. Levis armatura intelligitur, non inermes homines, nisi per tropum comparationis causa, ita dicuntur. Ὁπλίτας idem Suidas accuratius explicat. Ὁπλῖται λέγονται οἱ βαρυτάτῃ ὁπλίσει κεχρημένοι κατὰ τὸν Μακεδονικὸν τρόπον. ψιλοὶ δὲ, οἱ κουφοτάτῃ κέχρηνται. οἱ δὲ πελτασταὶ μέσῃ πως κέχρηνται σκευῇ. Videatur omnino *Arcerius ad Æliani Tactica pag.* 104. & *seqq.*

h de Mil. Rom. lib. 4. dial. 1. *i* de L. L. lib. 4.
k de Mil. Rom. pag. 324. &c.

CAP. VIII.

De Castris Legionis.

QUoniam Consul Romanus ordinarie duabus Legionibus rem gerebat, hicque exercitus erat; hinc factum est, ut *Lipsius*, *Savilius* & alii de castris duarum Legionum, quæ & *simplicia* appellantur, sermonem & typos formarent: *duplicia* castra, ad quatuor Legiones accomodarent. Reperiuntur tamen & castra unius Legionis. Apud *Cæsarem* memorabilia sunt exempla. Neque dubium est, quin ex duarum Legionum castris, & unius Legionis castra possint intelligi: cum satis constet, Romanos in castrorum metatione maxime unam rationem & quasi perpetuam probasse. *E Cæsare* repetenda est Historia unius Legionis, cui Cicero præerat, in castris suis oppugnatæ *lib. V. B. G. cap.* 38. *& seqq. Eodem libro* Crassus, Fabius, L. Roscius unius Legionis castra habuerunt, ut & castra Labieni (*cap.* 56. & 57.) huc pertinent. *Lib. VI.* (*cap.* 32) Q.Tullius Cicero Legioni XIV. castrisque præficitur, oppugnaturque. *c.* 37. *& seq. Virgilius* etiam Legionis unius castra ad morem sui sæculi adornavit, *Æneid. IX. v.*174. *& seq.* ubi interpretes non minus muti sunt, quam supra ubi acies Legionis in *Georgicis* est descripta.

Cæterum de forma & ordine castrorum crucem fixit eruditis locus *Taciti I. Annal. cap.* 61. ubi Germanicus Cæsar ad locum cladis Varianæ delatus, tribus Legionibus, sextum post cladis annum justa persolvit. Verba *Taciti* sunt (*cap.* 61) *Prima Vari castra lato ambitu & dimensis principiis trium Legionum manus ostentabant.* Ad quæ *Lipsius*: *Quo argumento ex principiis colligebatur manus trium Legionum? Quia quoties plures Legiones unis castris: principia sua cuique Legioni descripta, in quibus aquila & signa.* Ita *Principia majora. In Analectis ad lib. V. de Mil.Rom. Dial.* 7. ita interpretatur *l*: *Cum principia dimensi essent, repererunt tribus Legionibus locum. Savilius* quoque existimat, *Ex mensura principiorum inveniri posse numerum Legionum:* extenso scilicet in latitudinem spatio principiorum. *Quæ toto cœlo*, inquit doctissimus *Schelius m*, *& a mente Taciti & a more Romanorum distant. Quis enim legit unquam, tot in castris Romanis principia fuisse, quot Legionis, aut cum tres sub uno Cos. Legiones, tunc metationem latiorem & divisa per vias principia? Inaudita hæc & absurda sunt. Jam hoc quoque parum propabile est, dimensum principia Germanicum. Quid demum dimetiretur? an ut sciret, cum quot Legionibus Varus cecidisset? at nemo hoc illa ætate ignorabat: an ut locum ubi tetendissent, inveniret? at illum ipsum adhuc castra ostentabant. Hæc enim Taciti mens est: ostentasse etiam tunc expugnata ante sex annos, & disjecta Vari castra Romanæ compositionis modum & rationem, & præcipue lato castrorum ambitu, id est, circa vallum undique & in principiis ex disciplina Romana dimensis, sedem Legionum. Per omnem castrorum ambitum cohortes Legionariæ, & ad principia duæ cohortes primæ tendebant: tertia in prætentura, cum tres Legiones essent*, docente *Hygino.* Quæ paraphrasis *Schelii*, nulla causa est, cur repudietur.

Cæterum præter typos castrorum apud prædictos Scriptores & *Xylandri Polybium German. Herm.Hugon.Walbaus.* Videantur schemata *Schelii Hygino & castris Polybianis adjuncta.*

CAP. IX.

De Armis & telis Legionis.

NE hic verbosi simus, facile nobis persuadet accuratissimus *Schelius*: qui in *Dissertationibus* suis *ad castra Polybiana & Hygini, cap.* 14. totum conscripsit *de telis Legionum*, & *Salmasio*, γρόσφους seu *hastas Velitares*, ὑσσοὺς *pila*, δόρατα *hastas* longiores, longe aliter, quam hactenus eruditi omnes acceperant, interpretanti ea respondet, quæ detrectari nequeunt. Arma hæc ipsa diligenter & propemodum curiose describit *Polybius lib. VI.* ex *Vegetianis* præsertim *Institutionibus*, & *Stevvechianis* ad eas curis illustrandus. Progredimur igitur potius ad

CAP. X.

De comparatione veteris & novæ militiæ in Legione.

QUantum in ipsa Romana militia mutaverit tempus, partim ex ante dictis, partim ex Scriptorum, quos laudavimus, disputationibus abunde potest perspici.

Quædam tamen omni ævo retenta & ad nos propagata, non est dubium. Talia quædam sunt in acie præsertim ordinanda, & in castris metandis. Ita intervalla & spatia, consistentibus in acie militibus antiquitus usurpata, eundem usum præstare, quem olim præstabant, *Machiavellus lib. II. de arte militandi*, uberius ostendit. Imo vix repereris hodie, cujus non aliqua meditamenta aut specimina in veteribus agnoscas, licet nomina discrepent. *Crucis*, *stellæ*, *aliarumque formarum* nomina audias, quæ postea ad rhombos, ad cuneos & similia Tacticorum schemata facile reducas. Gravis quoque & levis armaturæ discrimen & conjunctio, omnis ævi usibus accommodata est. In stataria quoque, & mobili pugnandi ratione, res una observatur olim & hodie. Plura tamen circa res mutata videas. Nihil dicam de dilectu, de exercitatione & disciplina militum: quæ omnia apud antiquos meliora, & Reipublicæ bello tutandæ utiliora. Inventus quoque pulvis pyrius & scloporum tubi ac fistulæ totam quodammodo rationem militandi in Europa commutarunt. Accedamus propius ad Legionis rationes, in qua olim equites peditibus immixti, & ad suos quisque pedites relati erant. Nova militia equestrem militiam a pedestri, quantum ad constitutionem exercitus attinet, plane separavit. Aliæ & seorsum constituendæ sunt Legiones equestres, aliæ Legiones pedestres. Et superiore quidem sæculo plerumque Legiones equitum & peditum majore & ad antiquum modum pæne accedente numero militum describebantur. Quo magis inde ad nostra tempora acceditur, numerum imminutum esse videmus. Vidit nostra ætas, parvas Legiones, & pro harum modo cohortes, centuriasque, retento tamen præfectorum & officialium, quos vocant, numero, qui in majoribus fuit. Quæ res multum ad victoriam habere momenti visa est. Hic enim longe magis dici potuit, quod *Livius* de Romana numerosiore militia legionaria dixit *n*: *Acies distinctior, ex pluribus partibus constans: facilis partienti, quacumque opus est, facilis jungenti.* Gladios sæpissime mutavit usque in hunc diem, nova militia: nisi quod illi, qui cæsim punctimque ferire possunt, diu placuerunt: illis autem, qui acinace gaudent, vix hoc persuaseris: novissimus tamen usus docuit, acinaci gladios longiores, quibus punctim hodie utuntur, tuto opponi posse. Ut caput galea, pectus & tergum laminis ferreis muniatur, in pedestri & equestri militia omni ævo placuit, & ubi obsoleverat, revocatum est hoc armaturæ genus. Ita Carolum IX. Sueciæ Regem, populares historiæ celebrant instauratorem hujus disciplinæ, valde ad victoriam efficacis in ea natione, quæ semper animis abundabat, nec minus fortiter, sed majore interdum incommodo, corpore improtecto pugnabat. Pila, proprium Romani mi-

l de Mil. Rom.404. *m* Not. in Hyg. pag. 15. & 16.

n Lib. IX. cap. 10.

litis peditis telum, ab usu novæ militiæ plane recesserunt: apud plures nationes etiam scuta & clypei. Hastarum veterem formam non agnosco in nova militia; quæ tamen amat hastatos: quorum duo sunt genera valde celebria, *lanceæ*, & illud hastarum genus, quod *piques* vocant. Et lanceariorum quidem equestris militia (*lanzirer*) duobus ab hoc proximis sæculis magni æstimabatur: postea omissa ac neglecta est. Qua de re insignis & longa est querela *Walhausii* o. Et sane, ut Lanceariorum opera ad multas insignes victorias viam apertam, aciesque hostiles dissipatas esse, historiæ nos docent: ita vera & unica causa desuetæ huius militiæ, est difficultas. Nisi enim exercitati valde fuerint hi milites, non efficient, quod dixi. Exercitatio autem illa artem desiderat; neque ex tempore proficit: ipse quoque apparatus equitum armorumque accuratior requiritur. Quare Nobiles fere cum suis domesticis hanc militiam explebant. De pedestri genere hastatorum (qui extra ordinem, accelerandi itineris causa, nonnunquam equo vehuntur) *Pontus Heuterus* ita annotat p: *Militarem quoque disciplinam Maximilianus* (Imperator I.) *novis inventis restituit atque excoluit, phalangemque Macedonicam ex hastatis peditibus coactam, Romanamque legionem, nonnullis mutatis, referentem, ac ferme inter Germanos, pedestrem militiam obsolescentem magno succedentium Principum (ut eventus docuit) commodo ac bono in veterem ordinem redegit. Hastas pedestres ad justam longitudinem revocavit, atque ut sine ferro, XVII. cum ferrea cuspide ad minus XVIII. haberent in longitudine pedes, atque e fraxino arbore fierent, voluit. Equestres vero lanceas, sine ferro, XII; cum eo, XIII. ad minus pedes esse jussit: Germanosque pedites adeo harum usu exercuit, ut necdum hodie ulla natio, eo armorum genere iis comparari possit. Etenim ante Cæsaris Maximiliani tempus Germani peditis nullus erat exteris usus: sed urgente bello, Principes ac Respublicæ pedite oppidis & agris excito utebantur, qui exigua aut aliquando nulla mercede militabant, confectoque bello, positis armis domum redibant.* Quod de comparatione phalangis Macedonicæ dixit, melius quadrat, quam hastata Legionis militia: vid. *Æliani Tactic. cap.* 14. *Cuirassarii* sive *Corazzii* equites non carent, cum quibus comparentur in vetere sub Impp. militia cataphracta. Hi an præferendi sint Lanceariis seu Hastatis equestribus (de nobilis militiæ genere loquimur) disputarunt duo magna experientia militari præditi Scriptores, *Georgius Basta*, & *Jo.Jac.Walhausius*: ille Corazzios præfert: hic Lancearios.

—— *Nec nostrum est tantas componere lites.*

Novum genus militum est, quod vulgo (*Dragons*) *Dragonios* vocant. Apud *Curtium* sane *Dimachæ* ita describuntur: *Graviora arma portantes in equis, ubi res poscit, desiliunt & pedestris acies est.* In militia M. Alexandri scilicet. In Romanis ordinarium militum genus hoc non habemus. Sed alia, nec una ratione, pedites equitibus immixtos (de quibus videndus elegantissimus & eruditissimus Commentarius *Hermanni Hugonis de militia equestri antiqua & nova lib. IV. cap.* 6.) tum extra ordinem festinandi agminis aut alia causa, pedites equis impositos, & si usus posceret, vel utrovis modo, vel e pedibus militaturos.

CAP. XI.
De Officiis & Ministeriis in Legione.

PEr farraginem hujus generis nomina annotabimus. *Hermanus Hugo in militia equestri* distinxit Magistratus supremos, medios, & infimos *lib. V. cap.* 2. 3. 4 *Tribuni* Legionis & *cohortium* erant, de quibus *Lipsius* & *Savilius*: quorum etiam *Tribunus turmæ* legitur, quem pro præfecto sumi, *Herman. Hugo* putat. *Laticlavii* & *Angusticlavii* nominantur Tribuni apud Historicos & in Inscriptionibus vett. Adde *Jul. Cæs. Bulengerum de Imperio Rom. lib. V. cap.* 4. Apud *Gruter. pag.* 580. *Inscriptione* 3. memoratur *Tribunus Laticlavialis præf. Leg XIII. Legatus Leg. pag. VII. num.* 3. *Centuriones* ubique obvii. *Seviri Equitum*, honorato gradu, apud Historicum. In opere *Gruteriano pag. Inscript.* 4. legitur *Sevir equitum Romanorum. Legionis III. pag.* 412. *Inscr.* 2. *Sevir turm.* 2. *Equit. R. pag.* 436. *Insc.* 7. *Sevir turmæ V. eq. Rom. Trib. Laticl. Leg. I. adi. pag.* 1093. *Inscr.* 7. *Tribunus Antesignanorum pag.* 517. *num.* 3. *Sevir turm. V. Eq. Rom. trib. mil. Leg. III. Aug.* IIIIIIV..... *termis ducendis pag.* 348. *num.* 1. *Aquilifer Leg. III Ital. pag.* 561. *Inscr.* 3. *Signifer Leg. III. Gem. pag.* 80. *Inscr.* 4. *Signifer cohortis III. urb. pag.* 530. *Inscr.* 4. *Signifer in centuria* nominatur *pag.* 1109. *inscr.* 10. *Præfectus Leg. X. pag.* 19[illegible]. *inscr.* 2. *Præf. Castr. Leg. VI. Victric. pag.* 1110. *inscr.* 11. *Præf. coborte pag.* 349. *insc.* 3. *Præf. levis armaturæ pag.* 370. *insc.* 1. Ita *Præfectus equitum, fabrum, &c. Optio centurionis pag.* 46. *inscr.* 10. *Optio Leg. II.* Ita *pag.* 542. *inscr.* 8. *Optio cohortis pag.* 80. *inscr.* 59. *Optio signiferi Leg. XIII. Gem. pag.* 80. *inscr.* 4. *Tribuni optio in centuria pag.* 551. *num.* 3. *Optio Tesserarius cohortis II. pr. pag.* 445. *num.* 10. *Armorum custos Leg. XIV. pag.* 568. *num.* 11. *Buccinator Leg. V. Alaudæ pag.* 559. *num.* 7. *Campidoctor cohortis pag.* 565. *num.* 5. *Doctor cohortis pag.* 80. *num.* 2. *Collega Centurionis pag.* 54. *cum.* 6. *Cornicen pag.* 571. *num.* 8. *Cornicularius Leg. XIII. pag.* 17. *num.* 9. *Tribuni pag.* 269. *num.* 5. *Curator Alæ pag.* 444. *num.* 1. *Curator veteranorum Leg. IV. pag.* 557. *numer.* 3. *Decurio Alæ, Ballistariorum, &c. Dux emeritus ex coborte XIII. pag.* 539. *num.* 4. *Evocatorum* varias appellationes in iisdem Inscriptionibus invenias. *Exsignifer Leg. III. Ital. pagin.* 1159. *num.* 15. *Fecialis Leg. pro pr.* 1107. *numer.* 4. *Imaginifer Legionis XIII. Gem pagin.* 562. *numer.* 1. *IIV. Leg. X. pagin.* 345. *num.* 10. *Librarius Legionis pag.* 80. *num.* 8. *Magister Eq. Al.* 1. *pag.* 542. *numer.* 7. Ita *Magister equitum & peditum, utriusque militiæ. Medicus cohortis*, addito numero. Ordines duxit, ordinem accepit in Leg. *Pilus prior pag.* 571. *numer.* 3. *Primipilus legionis pagin.* 747. *numer.* 1. *Procurator centurionis pag.* 541. *num.* 6. *Protector & notarius pag.* 626. *num.* 8. *Quæstionarius p.* 546. *num.* 6. *Scholarum curator pag.* 170. *num.* 3. *Scriba subcornicularius pag.* 1108. *num.* 4. *Scriba veteranus, Scriba armamentarius &c. Speculator Legionis pag.* 169. *num.* 7. *Strator, Suboptio, Tesserarius &c.* Quæ officia & ministeria Imperatorum temporibus magis magisque multiplicata fuerunt, & hic exempli tantum causa attinguntur, explicata partim a Scriptoribus militiæ Romanæ, partim a *Julio Cæs. Bulengero, & Henrico Valesio in notis pereruditis ad Marcellinum, Pancirollo ad notitiam Imperii*, aliisque sparsim.

Quot Legiones ab Augusto ad tuendum Imperium dispositæ, quot ab aliis Imperatoribus adjectæ, vide partim apud Commentatores *Taciti ad lib. IV. Annal. cap.* 5. & *Lipsium in admiranda magnitud. Romana lib.* 1. partim apud *Jul. Cæs. Bulengerum de Imp. lib. III. cap.* 5. & *Pancirol. ad Notit. Imp. Orient. cap.* 35. ubi & *marmor Capitolinum* exhibetur.

o *Kriegs Kunst zu pferd.* cap. 1. p Austriac. libr. VIII cap. 18.

F I N I S.

FRANCISCI ROBORTELLI
UTINENSIS,

I. DE
LEGIONIBUS ROMANORUM
Ex Dione lib. LV.

II. DE
COMMODIS, PRÆMIIS, ET DONIS MILITARIBUS.

III. DE
POENIS MILITUM, ET IGNOMINIIS.

FRANCISCUS ROBORTELLUS UTINENSIS DE LEGIONIBUS ROMANORUM

Ex Dione lib. LV.



AUGUSTI ætate Legiones erant 23. vel ut alii scripserunt 25. addit ibi Dion πολιτικὰ, id est, *urbanæ*, sed idem ait sua ætate (Severo imperante) tantum ex iis 16. reliquas esse. A

Leg. prima Aug. quæ in Britannia superiori hyemabat.

Leg. III. Una in Phœnicia, Gallica altera in Arabia, Cyrenaica item alia in Numidia, Augusta.

Leg. IV. Scythica, in Syria. B

Leg. V. Macedonica, in Dacia.

Leg. VI. Duæ; altera in Britannia inferiori, Victrix; altera in Judæa, Ferrea.

Leg. VII. In Mysia superiore, Claudia.

Leg. VIII. Augusta in Germania superiori.

Leg. X. In Pannonia superiori, Gemella, & in Judæa.

Leg. XI. In Mysia inferiori, Claudia.

Leg. XII. In Cappadocia Κεραυνοφόρος, id est, *Fulminatrix*.

Leg. XIII. In Dacia, Gemina.

Leg. XIIII. In Pannonia superiore, Gemina. C

Leg. XV. Apollinea, Ἀπολλώνειον, in Cappadocia.

Leg. XX. Victrix in Valeria, & in Britannia superiore.

Hæ reliquæ erant Dionis ætate Legiones ab Augusto institutæ: nam aliæ prorsus dimissæ fuerant, aliæ tum ab ipso, tum ab aliis commistæ, unde & Geminæ dictæ.

Catalogus Legionum ab aliis Impp. conscriptarum post Aug. usque ad Severum, ex Dione lib. eodem. D

Imp. Nero conscripsit Leg. Primam Italicam, quæ hyemabat in Mysia inferiore.

Galba. Primam Auxiliatricem, in Pannonia inferiore.

Item Leg. VII. in Iberia.

Vespasianus. Leg. II. Auxiliatricem, in Pannonia inferiore.

Item Leg. IV. Flaviam, in Syria.

Domitianus. Leg. I. Atheniensem, in Germania inferiore. E

Trajanus. Leg. II. Ægyptiam.

Item XXX. Germanicam, quæ & Antoniniana dicta post a M. Ant. Imp.

Item II. in Norico.

Item III. in Rhætia. Italicam.

Severus. Leg. Primam Parthicam.

Tertiam Parthicam, in Mesopotamia.

Item Leg. Secundam in Italia.

Hæ distinguuntur ab urbanis i. quæ in Urbe excubabant, quas ipse appellat ἀστικὰ, & a prætorianis, quos ipse vocat δορυφορικὰς & σωματοφύλακας.

Prætorianorum Aug. ætate erant decem millia in ducem cohortes divisa, quarum singulæ mille continebant.

Urbanorum militum erant sex millia in quatuor partes divisa: præter hos socii equites, & pedites, classiarii quoque.

Itidem equites externi Batavi.

Item volontarii quidam.

Nunc explicanda sunt nonnulla, quæ Catalogo hoc legionum continentur. Ac primum sciendum est in historiis perspici numerum legionum, quibus bellum gerebant Rom. Liv. lib. 2. ab Ur. Cond. pag. 16. Cum Volsci, Æqui, & Sabini omnes in armis essent, ait legiones X. effectas, quarum ternæ Coss. datæ, quatuor Dictatori. Legiones idem ait olim conscribi solitas quinis millibus peditum, trecentenis equitibus; lib. 8. pag. 72. Item decem, sed quaternum millium peditum, trecentorum equitum, lib. 7. pag. 67., cum Latini defecissent, ex urbana & agresti multitudine. Ibi vide Liv. mirantem & conferentem suam ætatem cum illa propter luxum. Idem Liv. 9. ubi confert Alexandri potentiam cum Romanis, ait, tunc in civitate per lustra censeri solita ducena quinquagena millia capitum atque urbano delectu X. legiones scribi solitas, id est, quaternos, quinosque exercitus; nam duæ legiones unum conficiunt exercitum. Punico bello II. ut idem Liv. lib. 24. ait, *Bellum geri placuit legionibus duodeviginti, binas Coss. dari, binis Galliam, Siciliam, ac Sardiniam tueri, duabus in Apulia, duabus circa Luceriam, unam in Piceno, unam circa Brundusium ad classem, duas Urbi esse præsidio*: & lib. V. pag. 138. *viginti tribus legionibus bellum gestum*. Idem lib. 6. II. belli Pun. sub initium pag. 147. *bellum gestum legionibus triginta tribus*.

REGULA.

Item sciendum primam 2. 3. & 4. Legiones nominari apud Liv. florente Rep. sed non eo modo, quo postea apud Impp. Liv. lib. 2. quintæ dec. *Sortiri Coss. jusserunt: P. Licinio Macedonica, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt. Prima & tertia ut in Macedoniam trajiceretur; secunda & quarta in Italia remanerent*: & lib. primo V. Dec. *M. Ebutius Trib. Mil. 2. Legionis*. In quo errant nonnulli, qui 2. 3. & 4. legg. ante constitutum Imperium putant ita appellatas, ut post: nam id

verum non eſt. Quale hoc ſit, cognoſce ex Polybio lib. primo de Caſtram. Ro. nam ubi exponit, quomodo haberetur delectus, ait: *Tribb. primi primæ leg. mox Trib. 2. deinde 3. poſtremo 4. rurſus primi 2. leg.* ibi vide 4. legiones; nam duo erant exercitus conſulares.

R E G U L A.

Item ſciendum a legionibus oppida nominari ſolere, & colonias. Ptolem. lib. ſecundo Geogr. cap. 9. Tab. Eur. tertia: *Triceſima Ulpia. Vetera Caſtra. Agrippina. tum Bonna, & Legio prima Trajana, inde Moguntiana.*

R E G U L A.

Sciendum poſtea legiones ab Impp. appellari ſolitas ab Antonino *Antoninianas*, itidem *Conſtantianas Gratianenſes*, *Valentinianas*, *Theodoſianas*, *Honorianas*. Vide Scotum lib. de præfecturis 18. Ante Impp. hæc nomina a ducib. non fuerunt in uſu eodem modo. Quare miror nonnullos fuiſſe, qui has protulerunt legionum appellationes, ut *Julianas*, *Lucianas*, quia App. lib. 5. Civil. bellorum: *Lucii legiones apud Albam diſſidentes erant.* Hæ quidem legiones dicuntur, quæ eum haberent ducem, Julium, Pompejum, Antonium, Gabinium, ſed non inter ſolemnia cognomenta legionum debent referri, qualia fuerunt poſtea ætate Impp.

R E G U L A.

Legionum appellationes, ſeu cognomenta quinque generum ſunt. Primum a numero, ut *Tertia*, *Quinta*, *Decima*. Alterum, ut *Rapax*, *Fulminatrix*, *Auxiliatrix* ab affectu & proprietate aliqua. Tertium a miſtione, ut *Gemina*. Quartum ab Impp. ut *Antoniniana*, *Honoriana*. Quintum a regionibus, ſeu genere militum, ut *Germanica*.

Si quæras, quo tempore primum appellari cognomentis cœperint legiones, reſpondeo ante Julii Cæſaris ætatem me non obſervaſſe. Is igitur in ſuis Comm. lib. 2. de bel. Gall. ait: *Cæſar cum ſeptimam legionem, quæ juxta conſtiterat, item urgeri ab hoſte vidiſſet.* Item ſub initium lib. 3. Cæſar *Ser. Galbam cum legione duodecima, & parte equitatus:* & lib. eodem: *Caſſius adoleſcens cum legione ſeptima:* & lib. 4. *Legione una ex conſuetudine frumentatum miſſa, quæ appellatur ſeptima:* & lib. 5. *At milites legionis ſeptimæ:* & Hirtius lib. 8. de bello Gall. ſub finem: *Nam Cn. Pompejus legionem primam:* & ibidem: *Legionem XIII. in ejus locum in Italiam miſit.* lib. 7. de bello Gall. *Cæſar Germanos ſummittit, legioneſque pro caſtris conſtituit.* Et ſciendum legiones tunc non confici confuiſſe ex externis, ideo ibi legiones Ro. intelligere debes, & ob id ſeparari a Germanis.

Poſtquam hæc a nobis declarata ſunt, monitos velim omnes antiquitatis ſtudioſos, ut in ſepulcris & inſcriptionibus militaribus Ro. quæ extant, animadvertant, ſemper declarari, qui fuerit ille miles, cujus legionis, aut cohortis: duas enim in primis differentias apponere ſolebant, alteram ex legionibus, alteram ex cohortibus prætoriis; quæ res tota qualis ſit, ex ſuperiore diſtributione Dionis facile cognoſci poteſt.

Tiferni hæc eſt inſcriptio, de qua etiam ante:

C. ANINIVS C. F. POM. GALLVS.
DOMO ARRETIO EQ. LEG. IIII.
SCYT. MILITAVIT IN
PR. AN. XVII.
EVOCAT. AN. II.
EQ. IN LEG. SCYTHIC.
AN. XVIIII.

Ecce, ut hic primum militaverit inter Prætorianos, mox inter Evocatos, poſtea Eques meruit in legione quarta Scythica. Sic gradus militiæ facile perſpici poſſunt.

Eſt & Mutinæ hæc ad ædem Divi Geminiani:

Q. AMBILIVS. T. F.
POL. TIRO MVTIN.
MILES COHORT. VII. PRÆT.
T. GRÆCINI. VIXIT. AN. XXXII.
MILITAVIT AN. XII.
ARBITRATV
MYMMELIAE VERECVNDAE
SORORIS

Eſt & hæc Tranſylvanica, Albæ Juliæ, in qua mentio ſit legionis XIII. Geminæ:

P. AELIVS VETVSTINVS.
MILES LEG. XIII. GEM.
STIP. V. VIX. AN. L.

Eſt & hæc ibidem, in qua mentio fit leg. ANTON.

VICTORIAE
ANTONINI AVG.
L. ANNIVS ITALICVS
HONORADVS LEG.
AVG. LEG. XIII. GEM
ANTONINIANAE.

Ac ne longior ſim, jam facilis eſſe poteſt obſervatio antiquitatis hujuſmodi.

FRANCISCUS ROBORTELLUS UTINENSIS DE COMMODIS, PRÆMIIS, ET DONIS MILITARIBUS.



D antiquitatis notitiam in primis spectat, qualia, quot, & quæ solerent esse commoda, præmia, & dona militum apud Rom. nam res militaris maxime Remp. & Imperium tuetur; de iis igitur agemus. Solent veteres tria hæc, commoda, præmia, & dona distinguere: differunt enim: nam commoda sunt, ut stipendium, vestis, annona; præmia autem, quæ ob fortitudinem dantur; dona vero, quæ a liberalitate Imp. & Ducum proficiscuntur erga milites, etiamsi nihil fortiter gesserint, ut in officio ac fide contineantur; exempla ex antiquis postea afferemus. Nunc de re ipsa disserendum est. Primum commodum militum Rom. erat præda, qua onusti domum redibant; nam capta oppida & urbes prædæ militum dari solebant. Vide Livium lib. II. pag. 15. lin. 20. ubi de Suessa Pometia Volscorum loquitur: id vero ideo factum, quia ab initio suo sumptu militarunt Romani, atque id institutum fuit a Serv. Tullio Rege ex censu, de quo Liv. lib. I. & Dionysius Halicar. lib. V. & nos alibi copiose. Hostes quidem victi mulctabantur agro, sed is ager plerunque publicus fiebat, qualis Campanus, & alii: de Campano Cic. in or. ad Pop. de lege agraria, & alibi. Invenias interdum prædam sub hasta vendi solitam, & pecuniam ex ea collectam in publicum referri. Liv. lib. II. eodem. pag. 18. & lib. IV. pag. 36. ex quibus cognosci potest, non fuisse solemne apud Rom. etiam antequam darentur stipendia militibus, prædam captarum urbium militi dare, sed id in arbitrio fuisse Impp. & Consulum, ut ego postea demonstrabo. Sed interdum id fiebat cum indignatione militum, ut Liv. declarat lib. III. pag. 27. ubi ait: *Consules, propter inopiam ærarii prædam vendiderunt, indignante exercitu*: & paulo post: *Consules iidem accusati & damnati, quod prædam vendidissent*. Interdum militibus non præda, sed pecuniæ pars ex præda collecta data. Liv. lib. X. XI. belli Pun. sub finem: *Argenti pondo CMXXIII. in ærarium tulit, militibus ex præda quadringentos æris dedit*. Prædam vero dandi jus habuisse consulem, qui bellum gerebat, sive Ducem ab Imp. missum, vide Vopiscum. 351. *Exercitum duceret, limitem restitueret, prædam militibus daret, manubias in palatio collocaret*. Prædam vero ad urbanos quæstores deferri consuevisse Cic declarat lib Ep. fam. in Epistolis ad Cælium, & postea ætate Impp. ad præfectum ærario, ut narrat Aulus Gellius lib. XIII. cap. 23. de manubiis Pompeii. Vide Cic. in or. de lege agrar. ad Pop. & A. Gellium lib. XIII. cap. 23. II Commodum erat, ager captivus dictus, qui militibus sæpe dividi solebat, vide Liv. lib. II. pag. 19.

A nam cum non longe abesset ab urbe, percommodum fuit hoc facere. III. Commodum fuit postea stipendium, atque id institutum, ut daretur, aliquanto serius: nam S. C. est factum, ut stipendium miles de publico acciperet, quo tempore Veii oppugnabantur, non multo ante Urbem a Gallis captam: vide Liv. lib. II. pag. 44. & quidem ex tributo: ibidem: nam conferebat æs, cum nondum esset ea ætate signatum argentum, ut Liv. ibidem narrat. Argentum enim signari cœptum anno ab V. C. MLXXXV. Plin. lib. 23. cap. 3. & quidem tributum Romani persolverunt ea de causa usque ad B Perseum Macedonum regem victum a Paulo Æmilio, qui ingentem prædam intulit ærario. Vide Plin. ibidem. Sua autem impensa Romanos militasse Livius ibidem demonstrat; ubi ait, neque id passuros eos, quibus jam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare, quam ipsi militassent. Stipendium autem, quod peditibus dabatur, primo annuum fuit dictum: vide lib. V. in concione Appii: *Annua æra habes, annuum opus ede: An tu æquum censes* (nam increpat milites) *militia semestri solidum te stipendium annuum accipere*: puto annuum dictum, quod tunc simul totum numeraretur; in oppugnatione præsertim Vejo- C rum, ut retinerentur milites. *Tertium stipendium*, & *quartum* invenio a veteribus dictum. Suet. in Domitiano num. 7. *Addit & quartum stipendium militi, aureos ternos*: qui locus ita videtur intelligi debere, ut dicas, ex quadrimestri trimestre stipendium factum. Nec tamen satis cognoscere potui in antiquorum libris, an singula stipendia quadrimestria essent ternorum aureorum. Aureos intellige didrachmos, qui duobus nostratibus æstimari possunt, ut alii, qui de re nummaria locuti sunt, scripserunt. Id tamen si ita intelligas, repugnan- D tem habebis locum apud Cornelium Tacitum lib. I. ubi de seditione loquitur in Germania orta in legionibus: *Denis in diem assibus animam æstimare, & corpus*: paulo post, *an prætoriæ cohortes, quæ binos denarios acceperint*: qui locus adnotari debet: nam duplo majus erat ejus cohortis stipendium. Decem asses uno denario æstimantur. Denarius vero argenteus nummus drachmam unam æquat, id est, Julium unum, sive Marcellum. Unum stipendium, unum annum intellige: hinc in inscriptionibus antiquis: *Militavit annos VI. vel X. vel* E *XV.* & in Transylvanica, Albæ Juliæ:

P. AELIVS VETVSTINVS MIL. LEG.
XIII. G. STIP. XV. VIX. AN. L.

Præter inscriptionum testimonium, quæ plurimæ ubique sunt, afferam Corn. Taciti locum l. 19. pag. 366. ubi de Sabino loquitur: *Quinque & viginti stipendia in Rep. fecerat, domi militiæque clarius.*

etiam Livius ita locutus est libro tertio: *Oppius VII. & XX. confecit stipendia*. Atque ut commodius dari stipendia militibus possent, militare ærarium est postea ab Augusto institutum. Suetonius in Aug. num. 27. de quo etiam mentio est in Inscriptione antiqua marmoris Transylvanica, quam, quia rara est & bella, apponendam censui:

Albæ Juliæ.
VICTORIÆ ANTONINI
AVG.
L. ANNIVS ITALICVS
HONGRATVS LEG.
AVG. LEG. XIII. G.
ANTONINIANAE
PREFECTVS AERARII
MILITARIS SODALIS
HADRIANALIS CVM
GAVDIA TORQVATA SVA
ET ANNIIS ITALICO
ET HONORATO ET
ITALICA FILIIS.

Sicuti theatrale ærarium apud Athenienses *θεωρικῶν χρημάτων* in quo condebatur pecunia ad spectacula, & præfectus ejus creari solebat. Vide Demosth. in oratione de corona pag. 46. in Hervagianis. Equo autem publico militabant Romani. Liv. lib. primo. Sed suo etiam militare aliquando soliti. Idem Livius lib. V. pag 46. his verbis: *Quibus census erat equester (equi publice non erant assignati) consilio inter se habito prius, Senatum adeunt, ac facta dicendi potestate suis se equis stipendia facturos promittunt. Sed S. C. factum est, ut etiam iis æra procederent & equiti certus numerus æris est assignatus, tuncque primum equis merere equites cœperunt*. Sed idem Livius lib. primo, pag. 8. ubi de Servii institutione loquitur, ait equos publica pecunia emptos. Illic tamen etiam ait primores civitatis equo militasse, & XII. centurias a Servio Tullio confectas, viduasque attributas, quæ bina millia æris penderent singulis annis, ad alendos equos, & Plin. lib. XXXIII. cap. 22. ait equitum nomen consistebat in turmis equorum publicorum. Sed redeo ad stipendium. Summa igitur menstrui stipendii erit tricenum denariorum, id est, trium aureorum nostratium paulo plus minusve. Quod si fuerit etiam duorum aureorum, dic in oblonium tantum hos solitos; nam vestem & annonam habebant præterea milites: de veste vide legem latam a C. Graccho apud Plutarchum in ejus vita, cum rediisset ex Sardinia: de annona militari locus est apud Vopiscum in Divo Aureliano: *Hæc annona est decreta Aureliano: Panes militares mundi XVI. panes militares castrenses XL. olei sextarium unum, urceos diurnos Antoninianos binos*. Hæc ita sese habent. Quod siquis adhuc apertius rem intelligere vult, audiat, quale & quantum esset apud Græcos stipendium. Thucyd. lib. VI. ubi de apparatu belli contra Syracusanos loquitur, XXX. drachmas ait datas singulis peditibus. Supputatio ex prioribus confici potest. Etiam Demosthenes in prima oratione in Philippum de peditum stipendio ita scribit: *Ἵνα δέκα ἕκαστος τοῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ*: *ut decem singuli milites drachmas quot mensibus stipendium accipiant*: de stipendio autem equitum ibidem ita: *Τοῖς ἱππεῦσι τριάκοντα δραχμὰς τοῦ μηνός. εἰ δέ τις μικρὰν ἀφορμὴν σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις ὑπάρχειν οἴεται οὐκ ὀρθῶς*. *equitibus vero dantur singulis mensibus triginta drachmæ: si quis vero hoc stipendium nimis tenue militibus esse existimat non recte:* paulo post de annona, sed quæsita a militibus: *Προσποιεῖ τὰ λοιπὰ τὸ στράτευμα ἀπὸ τοῦ πολέμου*, *reliqua comparat exercitus bello*. Romani quoque prædam in sumtum militum vertebant.

A Cic. in Or. de provinciis consularibus: *Illum enim arbitrabar etiam sine hoc subsidio pecuniæ retinere exercitum præda parta posse & bellum conficere*: & Diodorus Siculus, ubi de bello sociali loquitur, ait multas insulas vastatas, & prædam in usum belli insumptam. Annua mille talenta assignarunt Romani ex ærario Pompeo in Hispania, ut haberet exercitum, qui parebat Petrejo & Afranio. Plutar. in Pomp. & Cæs. vita. At exercitus erat consularis duarum legionum: exercitus duos consulares Livius ait lib. III. ab V. C. pag. 23. fuisse quatuor legionum. Ergo supputare quilibet potest. Sed vide etiam Portium Vincentium lib. II. de sestertio. Sti-
B pendium majus prætoriæ cohorti dari solitum, hoc est, binos denarios singulis diebus scribit Corn. Tacitus lib. primo, pag. 8. Stipendium majus etiam datum phalangi triginta millium institutæ ab Imp. Alexandro Severo, quos *phalangiaros* vocari jussit, quæ quidem constabat sex legionibus similium armorum. Vide Lampridium pag. 285. Refert Plutarchus in Galba sub ipsum initium, Iphicratem Atheniensem præstantissimum ducem non improbasse militem avidum prædæ & divitiarum, quod alacrius pericula obiret. Prædam forte ductam in-
C terdum Verg. testatur eo versu, *Italiam partiri & prædæ ducere sortem*, & Vopiscus in Probo 372. & 374. Itidem Livius lib. V. de bello Macedonico: *Ibi præda Hetrusca, quæ missa a populatoribus fuit, ea repletus est miles Rom.* De veste militari præter Plutar. in Gracchis, ubi refert, Gracchum legem tulisse de veste militibus publice danda sine ulla stipendiorum imminutione, vide etiam Vopiscum in Probo, ubi ait: *Ille singulos manipulos adiit, & vestes & calceamenta prospexit*: itidem Livium lib. X. ab V. C. pag. 95. ibidem, de præda militibus dividenda, & in Alexandro Severo Lampr. Data militibus saga ac tunica, præmia illa tempestate militiæ haud spernenda. Da annona locus est apud
D Vopiscum in Probo pag. 376. *Multa militari manu præfecit opera, dicens gratuitam annonam militem comedere non oportere*. Præbebant autem militibus annonam provinciales. Ibidem Vopiscus: *Orbis terrarum annonam non præbebit*: & pag. 377. *annonam provincialium militibus daret nullus*, & pag. 373. in Probo: *Te quæso Capito annonam & commeatus, & quicquid militi est necessarium, pares*. De annona itidem fit mentio in Divo Aureliano 351. *ut non vinum, non annona consumatur*, & 350. ubi loquitur de legibus ejus militaribus: *Miles annona contentus sit*. Itidem Ælius Lampr.
E in Alex. Severo. 284. *Milites expeditionis tempore sic disposuit, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, ut solent, dierum, nisi in barbarico*. Livius etiam lib. III. pag. 26. *Ut, qui militari erat ætate, venirent cum cibariis in quinque dies coctis, & duodenis vallis ante diem in campum Martium*. Idem Livius lib. III. pag. 26. *Miles nihil præter arma, & cocti, quicquid erat, cibi tulit*. *Annonam* a *salario* video differre. Lampridius in Alexandro Severo 282. & 283. *Medicus unus palatinus sub eo salarium accepit, cæteri omnes, qui usque ad sex fuerunt, annonas binas, vel ternas*. *Annonas binas* intelligere *cibaria*, qui-
F bus duo ali possent, sic *ternas*, quibus tres: vide ibidem paulo ante, eadem pagella. 282. *Aulicum ministerium ita contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet, ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones, vestiarii, pincernæ, sed annonas singulas, vix binas*: & pag. 283. *Architectis, grammaticis, rhetoribus, salaria instituit, & discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari jussit*. De annona autem præter stipendium dari solita, locus est etiam apud Suetonium in Julio Cæsare

num. 68. ubi ait: *In civili bello gratuitam operam* A *universi milites sine frumento & stipendio*. De annona etiam, & cibariis militum, vide eundem Suetonium in Galba num. 11. ubi hæc sunt verba: *Militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque cibo indigere cœpisset, a quoquam opem ferri, & is fame extabuit*. In annona militari vinum esse vetuit Pescennius Niger Imp. vide Spartianum pag. 236. *nec recens cibum coctum esse voluit, sed pane ac frigidis ut vescerentur jussit*. Ipsi milites annonam portabant, ut ex Livio ante. Sed & Spartianus in Pescennio 236. *Servos annona oneravit, ne milites* B *tantum onusti essent*. VI. Commodum, agri, horrea, domus in provinciis. Vide Vopiscum in Probo 374. & Liv. lib. I. de bello Macedonico sub finem: *De agris militum decretum, ut quot annos militassent, pro singulis annis bina jugera acciperent*. Vopisci autem verba sunt hæc: *Agros, horrea, & domos confecit omnibus, quos in excubiis collocavit*. Idem etiam pag. 375. *Veteranis omnia illa, quæ anguste adeuntur, loca privata donavit, addens, ut eorum filii ab anno XVIII. mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne latrocinari prius, quam militare discerent*. Lampridius quoque in Alexan- C dro Severo, pag. 287. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitandis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum essent, si hæredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens attentius eos militaturos, si sua etiam defenderent; addidit his animalia, & servos, ut possent colere, quod acceperant*. VII. commodum, privilegia omnia, quale illud apud Livium lib. 2. pag. 15. lin. 10. *Ne quis militis, dum in castris esset, bona venderet, aut liberos, sive nepotes moraretur*. VIII. Commodum, legata testamento: solebant enim morientes Impp. cohortibus, & legionibus legare pecuniam. Corn. Tacitus lib. primo, pag. 4. ubi de D testamento Aug. loquitur: *Prætorianarum cohortium militibus singula nummum millia, Legionariis autem cohortibus civium Rom. trecenos numos viritim divisit*. Itidem Suetonius num. ultimo, ubi ait, *& illam quidem pecuniam habebat confiscatam*: intellige *confiscatam* in fiscis repositam. *Fiscus* enim dicitur sacculus, ut Asconius declarat IX. Commodum militum erat, donativum: de eo lege Vopiscum in Probo, ubi ait: *Nam Imperator factus militi stipendium & donativum promisit*: de donativo etiam Lampridius in Alexandro Severo pag 276. *Congiarium populo ter, donativum militibus* E *ter: carnem populo addidit*. Congiarius, quatenus observavi, potius differt a donativo; nam congiarium semper refertur ad populum, donativum autem ad milites, quia etiam populo multa largiebantur Impp. Debent igitur distingui populi munera a militaribus: de Congiario mentio fit apud Vopiscum in Aureliano 362. ubi ter congiarium datum ab Aureliano ait: de eodem congiario loquitur in Probo Vopiscus 376. *Dedit Romanis etiam voluptates, & quidem insignes, delatis quoque congiariis*: itidem in Aureliano 362. *Sciendum est illum congiaria ter dedisse*. Populo dabatur etiam sportula. Vide Suetonium in C. Claudio num. 21. F ubi ait dicens nihil esse lætius populo saturo. Congiarium autem constare nummis, cognosce ex Suetonio in Tib. numer. 20. ubi hæc sunt verba: *Et congiarium Po. dedit viritim trecenos nummos*. Populo dabatur etiam oleum gratuitum ab Impp itidem panis, & porcina. Vide Vopiscum in Aureliano, pag. eadem: statuerat Aurelianus Imp. vinum etiam dare gratuitum, & ibi observandum, vinum fiscale vendi solitum jussu Imp. in porticibus templi Solis. Illud etiam παρέργως adnotari debet, vites serere multis populis fuisse interdictum, itidem, & vinum conficere. Gallis omnibus, Hispanis, & Britannis permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent, Vopiscus in vita Probi Imp. pag. 376. Dabatur etiam venatio populo. Ibidem in Probo his verbis: *Venationem idcirco amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet: in ea fuere lepores, apri, cervi, damæ, oves feræ, & alia animalia turbatica*. Dabatur & visceratio seu epulum. Suetonius in Julio Cæsare num. 38. Dabatur & prandium: ibidem: *& post Hispaniensem victoriam prandia duo*. Idem Suet. in Tib. num. 20. *Prandium deinde populo mille mensis*. X. Commodum, promotiones ad militiæ gradus. Vide Lampridium in Alexandro Severo: de promotionibus autem militaribus alibi copiose disseremus; res enim est obscura, & difficilis, scituque digna. Hactenus a me dictum sit de commodis militum. Sciendum vero commoda seditiosis militibus eripi solita. Ac sic quoque seditiosissimum quemque & prædæ & agri destinati tertia parte mulctavit Commoda militum augere solus Imperator, aut Senatus poterat, non filii Impp. Cæsares dicti, quos aut Impp. ipsi haberent, aut adoptassent. Locus est apud Cornelium Tacitum lib. primo pag. 10. ubi seditio narratur legionum in Germania. Imp. Tiberius scribit se acturum apud patres de postulatis militum; se interim filium misisse, ut sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent, cetera senatui servanda. Ergo nonnulla duces ipsi concedere poterant, ut prædam & similia, sed immutare leges militares non poterant. Adde quod filii familiæ erant Cæsares. Ideo lib. primo apud Tacitum, ubi hæc verba sunt, *numquam ne* &c. nam Drusus arbitrium Senatus & Tiberii obtendebat illorum postulatis. Commoda autem militaria magno constabant: declarat id Suetonius in Caligula num. 44. his verbis: *Commoda emeritæ militiæ redegit ad sexcentorum millium summam*. Nunc dicendum de Præmiis, quod secundo loco propositum fuit. Præmia militibus aut propter fortitudinem dabantur, & specimen præclarum virtutis aliquod, aut propter finitam militiam: sic loquitur Cornelius Tacitus lib. primo, pag. 10. de præmiis finitæ militiæ. Vide reliqua ibi. Hæc autem erant posita in arbitrio Impp. aliquando etiam per seditionem milites pacisci voluerunt, ut certa sibi proponerentur præmia. Corn. Tacit. lib. primo post XVI. stipendia, missionem, & præmia finitæ militiæ: de præmiis hisce militaribus loquitur Suetonius in Vespasiano, num. 8. ubi hæc sunt verba: *Adeo nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia non nisi sero persolverit*. I. Præmium erat pecunia. Suetonius in Julio Cæsare num. 38. *Veteranis legionibus prædæ nomine in singulos pedites bina sestertia, in equites vicena quaterna millia nummum*. Dion. lib. LIV. pag. 366. ait Augustum, & annos militandi præscripsisse, prætorianis XII. aliis XVI. & certam pecuniam assignasse post confectam militiam, ne seditionem excitarent, ut ante, his de causis. II. Præmium erant agri. Suet. ibidem: *Assignavit & agros, sed non continuos, ne quis possessorum exturbaretur*: & Cornelius Tacitus lib. primo pag. 11. *agros emeritis largietur*, vide reliqua & pag. 384. ubi copiose & exquisite loquitur de hac re. III. Præmium erat civitas. Suetonius in Julio Cæsare num. 76. *Civitate donatos, & quosdam ex semibarbaris Græcorum recepit in curiam*: itidem & jus Latii, ut Pompejus Novocomensibus, de qua re ante locuti sumus in disputatione de provinciis. IV. Præmium erat jus annulorum. Suetonius in Julio, num. 13. *Promissumque jus annulorum cum CCCC. millibus distulit*. Ibidem: *Existimatur etiam equestres cen-*

sus pollicitus singulis, quod accidit opinione falsa de usu & jure anulorum aureorum in ordine equitum, vide eundem Suetonium in Galba num. 10. *Equestris ordinis juvenes delegit, qui manente aureorum anulorum usu, evocati appellarentur, excubiasque agerent circa cubiculum suum vice militum*. Asconius Pædianus in 3. in Verr. pag. 49. præmia ita distinguit: *Quædam præmia & honori sunt & lucro, ut hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ civicæ, at anuli sunt ingenuitatis signa*. sic ille; sed ego hæc recensebo inter dona, sic enim appellat Suetonius in Tiberio num. 32. *quodque de donis militaribus ad se referrent*: itidem in Augusto num. 25. Jus autem tribuendorum omnium militarium donorum habebant non modo ipsi Impp. sed etiam Legati, qui ductu suo bellum gerebant. Suet. id declarat nominatim in Tiberio num. 32. loco eodem his verbis: *Quodque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent, quasi non omnium tribuendorum* &c. Idem Suetonius in Aug. num. 26. *Solos triumphales, quamquam & socios expeditionum, & participes victoriarum nunquam donis impertiendos putavit, quod ipsi quoque jus habuissent tribuendi ea, quibus vellent*. Primum donum, phaleræ, vide in Aug. num. 25. de phaleris A. Gellius lib. XI. cap. 11. & Verg. lib. V. ubi etiam nomine *doni* appellari talia videbis: *nullus mihi non donatus abibit*. II. Donum erant interdum, armatura & vestis. Lampridius in Alexandro Severo pag. 281. *Donavit, & ocreas, & bracas, & calceamenta, inter vestimenta militaria*: item Vopiscus in Taciti Imp. vita 362. *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi purpureos accepissent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, aliis trilores, usque ad pentelores, quales hodie lineæ sunt*. III. Donum erant coronæ, & quidem diversorum generum, de quibus A. Gellius lib. 5. cap. 5. præter ipsum, de corona ex lauro ob victos hostes decreta Augusto Dion lib. LIII. de triumphali aurea Imperatoribus dari solita ibidem A. Gell & de auro coronario Dion lib. LI. quod dabatur in Italia a civitatibus; hoc autem Augustus non recepit, & Cicero in oratione contra Rullum, ex manubiis, ex auro coronario: dabatur quidem etiam olim proconsulibus decedentibus ex provincia ad ornandum triumphum, quod refert Cicero in oratione in L. Pisonem, ubi ait, lege cautum, nequis ipsum reciperet, nisi decreto triumpho, de civica Vopiscus in Probo pag. 371 de castrensi idem ibidem: *coronis vallaribus duabus*: nam eadem est vallaris, & castrensis. Levissimis de caussis quod donasset coronas, reprehensus olim fuit M. Fulvius Nobilior a M. Catone, ut refert A. Gell. lib. eodem V. cap. 5. quia vallum curaverant, puteum effoderant. Coronis aureis octo donatum fuisse Sicinium Dentatum narrat Gellius ibidem, miror, si tantum Imp. dari solitæ, ut ex eodem A. Gellio ante diximus, nisi si ille suo auspicio bellum gessit, & Imperator fuit. IV. Donum militare erat vexillum purum. Vopiscum in Probo, & Asc. in 3. in Ver. V. Donum, armillæ aureæ: ibidem Vopiscus; unius enim contentus sum testimonio. VI. Donum, torques: idem ibidem. VII. Hastæ puræ: idem eodem loco. VIII. Donum, patera sacrificalis: ibidem: IX. Donum, parmæ & hastæ aureæ, de his Dion lib. LV. ubi loquitur de morte C. & J. filiorum Augusti, his verbis: *Καὶ αἱ πέλται τά τε δόρατα ἀπαράτων ἱππέων ἐς τὰς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη*. *Parmæ & hastæ quas aureas ab equitibus, cum virilem togam sumerent, acceperant, in curia suspensæ sunt*. X. Donum, laudatio: de ea Livius lib. V. ubi de Manlio, qui Capitolium servarat, his verbis: *Luce orta vocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, cum & recte & perperam facto precium deberetur, Manlius primum ob virtutem laudatus*. XI. Donum, frumentum & vinum, exile quidem, sed magnum in obsidione datum: idem Livius lib. V. eodem & ibidem, his verbis: *Donatusque non a Tribb. solum militum, sed consensu etiam militari, cui universi selibras farris, & quartarios vini ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt, rem parvam dictu; sed quia victu quisque suo se defraudans*, & quæ sequuntur. XII. Donum erant ornamenta triumphalia. Suet. in Tiberio, num. 20. *Egit triumphum, quem distulerat, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia impetrarat ornamenta* & in Aug. num. 38. *Aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit*. & in eodem, num. 9. *Quas ob res, & ovans, & curru Urbem ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus*: hoc autem donum tribui solitum tantum ipsis ducibus. XIII. Donum militare erat clypeus aureus: de eo Sueton. in Caligula, num. 16. *Inter reliquos honores illi decretus est clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente*: etiam hoc ducibus tantum, & ipsi Imp. tribuebatur. XIV. Donum erat corona aurea, quam dabat ipse Imp. legato suo, quem adæquare sibi laude volebat. Liv. lib. VI. II. belli Punici post expugnationem novæ Carthaginis: *Scipio C. Lælium præfectum classis, & omni genere laudis sibi æquavit, & corona aurea donavit*: atque ita fortasse intelligendus A. Gellii locus, ubi de octo coronis aureis Sicinio donatis loquitur. XV Donum militare erant boves, sed hoc navale dici potest, quale etiam apud Vergilium: de eo loquitur Livius eodem libro, & eadem pagella: *Scipio Lælium præfectum classis XXX. bobus donat*. Dona militaria, Rep. florente, dabat interdum ipse populus. Vide A. G. loco ante recitato: *Populi militaria habuit dona multijuga, in his procuratoria pleraque*: cum enim esset orta contentio de donis, & provocatum ad pop. adjudicabantur a populo; nisi malis intelligere *provocatoria*, quod hostem provocasset, ut nonnulli putant, quamquam mihi non satis probatur eorum sententia. Etiam sciendum dona hæc militaria post laudationem, ut ante diximus, cum loqueremur de Manlio, qui Capitolium servarat pro concione, ab Imp. tribui solita Liv. lib. VI. II. bel. Pun. eodem loco pag. 150. Profitebantur interdum milites plures, qui dicerent se eo dono dignos, quod daturus erat Imp. tunc oriebatur lis, & contentio, & testibus atque advocatis res agebatur: dabantur vero recuperatores, & quidem tres: nam hoc vere recuperatorium erat judicium: rem totam vide, & observa apud Livium, quamvis ambobus, ut lis tolleretur, qua nihil pernitiosius in castris, corona adjudicata fuit. Hactenus a me de commodis, præmiis, & donis militaribus sit dictum. Potuissem ex jure consultorum libris quamplurima privilegia enumerare quæ inter commoda recenseri possunt, sed ea prætermittenda duxi, quale illud apud A. G. lib. VII. cap. 11. ubi loquitur de pignoris capione propter æs militare, quod a tribuno ærario miles accipere debebat.

FRANCISCUS ROBORTELLUS
UTINENSIS
DE
POENIS MILITUM ET IGNOMINIIS.



POSTQUAM de præmiis militum dictum est, consequi videtur, ut de pœnis, & omni genere ignominiæ, quæ irrogari ipsis solebat, & de causis pœnarum & ignominiæ irrogandæ agamus. Prima pœna dicta est Exauctoratio: exauctorare autem nihil aliud erat, quam solutum sacramento, & inermem, privatum omni commodo & privilegio militem dimittere: de hac Suetonius in Aug. his verbis: *cum ignominia legionem contumacius parentem*. Fiebat autem interposita hac appellatione, QUIRITES. Vide Lampr. in Alexandro Severo. 286. item Corn. Tacitum lib. I. pag. 15. in concione Germanici, ubi cognosces hoc primum manasse a Julio Cæsare: hæc autem sunt ipsius verba: *Divus Julius seditionem exercitus uno verbo compescuit, vocando QUIRITES, qui sacramentum illius detrectabant*: hoc autem refert etiam Suetonius in Julio num. 17. *Exauctorare* vero dicebantur, ut Lampridius loquitur in Severo 272. *Inventus solus est, qui tumultuantes legiones exauctoraverit*: & Suetonius in Aug. paulo post: *Citra commoda emeritorum exauctoravit. Sacramento solvere* idem erat. Vide Ammianum Marcellinum libr. XXIIII. *Residuos duos tribunos sacramento solvit, ut desides & ignavos*: quamquam interdum *exauctorare* ad honestam refertur missionem. Suet. in Julio Cæs. num. 69. & Cor. Tacitus paulo post in loco, de quo ante. Et hæc est missio ignominiosa: nam erat etiam missio honorifica: de ignominiosa Jureconsulti multa in Tit. *de iis, qui notantur infamia*: & in Tit. *de re militari*: de honesta Livius lib. VI. III. decados: *Dum ne quem militum legeret ex eo numero, quibus Senatus missionem reditumque in patriam negasset*: de hac missione loquitur etiam Suetonius in Julio, num. 7. *missionem & præmia flagitantes*: & Cor. Tacitus lib. primo, pag. 8. *An prætorias cohortes, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere*. Idem lib. eodem pag. 7. *ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos*. Quid autem sit *apud vexillum retineri*, cognosce ibidem post, pag. 13. *Igitur volutatis inter se rationibus placitum, ut epistolæ nomine Principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis: exauctorari, qui sena dena fecissent: at retineri sub vexillo cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis* & in his verbis observa, *exauctorari* referri ad honestam missionem: de honesta missione locus est etiam apud Suet. in Vitellio, num. 15. ubi ait: *Delectum quoque ea conditione egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam,*

A *sed etiam veteranorum, justæque militiæ commoda polliceretur*. *Exauctorationem* de turpi missione dici cognosce rursus ex his Suet. verbis Vitellio, num. 10. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma*. Sciendum vero *militares* alias dictas *animadversiones*, alias *ignominias*. nam animadversio pœnam significat; ignominia autem probrum & notam. Ex Suetonio id cognosci potest in Tiberio, num. 19. ubi hæc sunt verba: *Animadversionum, & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato Legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans*
B *ripam venatum misisset, ignominia notato*. Ibi simul adnota causam notandi ignominia: nec milites tantum, & centuriones notari solitos, sed etiam tribunos & legatos. Vide eundem Suetonium in Caligula, num. 44. *Legatos, qui auxilia serius adduxerant, cum ignominia dimisit*. Hæc ille, tu adnota causam. Itidem illa nota fuit centurionibus inusta, de qua Suetonius ibidem: *Plerisque centurionum maturis jam, & nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, causatus senium*. Observa notam, & causam. Itidem illud genus notæ est
C in Galba num. 12. *Classiarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redegit ad pristinum statum*. Hæc nota fuit. Animadversio autem illa, paulo post ibidem: *Atque flagitantes aquilam & signa pertinacius decimavit*. II. Pœna igitur dicatur a nobis Decimatio: de hac Suetonius in Calig. num. 48. *Inhiberi nullo modo potuit, quin decimare velle perseveraret*: & causa decimandi declaratur ibidem: *Legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim moverant*: hæc autem est illa seditio, de qua Tacitus libro primo: de decimatione etiam Livius mentionem facit lib. secundo ab V. C. his verbis: *Decimus quisque ad sup-*
D *plicium lecti*: & Tacitus lib. 3. ubi de L. Antonio, qui milites decimavit: de hac etiam nominatim loquitur Polybius libr. de castrametatione Rom. Classiarios etiam decimavit Imp. Galba, quod pertinacius peterent se justos fieri milites. Vide Suetonium in Galba num. 12. de decimatione etiam loquitur Dionysius Halicarnass. lib. VIIII. pag. 446. in libris versis in Latinum sermonem a Gelenio; sic enim erit commodum etiam iis, qui Græce nesciunt, invenire. Qui autem decimabantur, forte duci solebant. Vide Polybium in lib. de castrametatione. III. Pœna militaris erat Fustuarium, de quo Cicero mentionem facit in or. Philipp. 3. &
E Vellejus pag. 107. in post. volumine. Calvinus Domitius Jubillium centurionem primipili ob turpem ex acie fugam fuste percussit: de hac pœna copiose loquitur Polybius in lib. de castrametatione, & causas has enumerat, peccare in excubiis, de-

ſerere ſtationem furto aliquid e caſtris tollere, falſum teſtimonium dicere, flore ætatis alicujus abuti: de hac pœna lege Lampridium in Alexandro Severo, ubi refert, poſt fuſtuarii animadverſionem, militi neque in patriam redire licuiſſe, nec ab ullo ex ſuis recipi ſolitum. Hæc pœna poteſt etiam inter capitales connumerari; nam ait Polybius, cum miles cauſam dixiſſet apud Tribunum, ſi damnatus fuiſſet, ab ipſo primum Tribuno fuſte percuti ſolitum, mox ab aliis militibus, & fuſtibus cædi, & lapidibus interdum obrutum necari. IV. Pœna, ordeo paſcere; & hæc decimatis plerunque legionibus irrogabatur. Suetonius in Auguſto: *Decimatas ordeo pavit*: & Polybius in lib. de caſtrametatione: itidem Livius lib. 7. decadis 3. ubi de Marcello: *Cohortibus, quæ ſigna amiſerunt, ordeum dari juſſit*, Cauſa illic adnotanda hujus pœnæ. Signa amittere, apud Suetonium duplex pœna: primum enim decimantur legiones, poſtea ordeo paſcuntur, etſi non cadit in eundem utraque. V. Pœna militaris, vite cædi: de hac Corn. Tacitus lib. I. pag. 9. *Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum* CEDO ALTERAM *indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rurſus alteram poſcebat*: & Liv. in Epit. lib. 57. ubi de diſciplina Scipionis loquitur: *Quem militem extra ordinem deprehenderit, ſi Romanus eſſet, vitibus; ſi extraneus, virgis cecidit*: quo loco adnotandum, majore ignominia affectos, qui virgis cæderentur, quam qui vitibus. Valerius Maximus virgis ait cæſum Q. Fabium Rutilianum magiſtrum equitum a Papyrio dictatore, quod injuſſu ſuo in aciem copias eduxiſſet libr. II. cap. 2. Exem de Papyrio vide etiam Plin. ubi de vite, & Crinitum inter recentiores. VI. Pœna, pertundere venam, & mittere ſanguinem, & quidem perantiqua. Vide Aulum Gellium lib. X. c.7. VII Pœna, ſive nota potius, & ignominia ceſpitem portare. Suetonius in Auguſto. Ceſpitibus autem aggeres fiebant, & Cor. Tacitus lib. I. pag. 8 *Simul congerunt ceſpites, extruunt tribunal.* paulo poſt: *Aggerebatur nihilominus ceſpes, jamque pectori uſque accreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omiſere*. VIII. Pœna, ſeu ignominia, portare vallum & ſarcinas. Val. Max. lib. II. cap. 2. Livius libr. 57. in epit. ubi de Scipionis diſciplina: *Cum gladio recte* (legendum *tete*) *vallare ſcieris, vallum ferre deſinito*: ibidem mentio eſt militis, qui parum habiliter ſcutum ferebat. IX. Pœna, elephantis proterendos dare. Val. Max. lib. eodem, & capite eodem, exemplo, de Africano minore in transfugas: hæc enim pœna ad eos referri proprie debet. X. Ignominia potius, quam pœna, ut diſcincti foderent. Plutar. in vita Luculli. XII. Ignominia, pugnare pedibus. Val. Max. lib.2. cap. 7. exemplo de Cotta, his verbis: *C. Cotta P. Aurelium junctum ſibi ſanguine, virgis cæſum gregalis militiæ munere pedibus fungi coegit, quod ejus culpa agger eſſet incenſus, & caſtra pene capta*: ignominia hæc addita pœnæ. XIII. Pœna, quæ militibus itidem transfugis irrogari ſolebat, cruci affigere. Valerius Maximus ibidem, exemplo de Africano, & quidem in Romanos; nam Latinos ſecuri percuſſit, graviori ſcilicet pœna affecti Rom. quam Latini, quia minus decet Romanum eſſet transfugam. XIII Ignominia potius, quam pœna, toga laciniis abſciſſis indui. XV. Diſcincta tunica indui. XVI. Nudis pedibus, a mane uſque ad noctem ad principia adeſſe. XVII. Interdicere aliorum convictum. XIX. Ab equitibus transferre ad funditores. Cauſa vero hujus, quod præfectus equitum circumventus hoſtibus arma illis ſtatim dederat. Vide hæc omnia apud Val. Max. lib. eodem, & cap. exemplo de L. Calpurnio. Notæ hæ & ignominiæ ab ipſis Impp. tollebantur. Suetonius in A. Vitellio num. 8. *Atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia dempſit*: itidem in Julio Cæſare num. 69. *Ægreque poſt multas preces reſtituit*: vide locum: nam ait ibi: *Legionem nonam totam cum ignominia dimiſit, quod tumultuata eſſet apud Placentiam, quamvis adbuc in armis eſſet Pompejus*: Vide etiam Ælium Lampridium in Alexandro Severo pag. 286. *Eam tamen legionem, quam exauctoravit rogatus per dies XXX. priuſquam ad expeditionem Perſicam proficiſceretur, loco ſuo reſtituit, eaque pugnante maxime vicit, cum tamen Tribb. ejus capitali ſupplicio affecerit*. Hactenus a me de pœnis, & ignominiis militum dictum ſit. Nunc de quaſi ignominiis quibuſdam, quæ ad militiam ſpectant dicamus. Sic autem appello, quia lege & conſtitutionibus erat Impp. cautum, non ignominiæ aut notæ inurendæ, ſed aut diſciplinæ militaris, aut dignitatis retinendæ gratia. Refert Suet. in Auguſto, inſtitutum fuiſſe & uſitatum ab Auguſto, ut milites in concione, aut in edicto non appellaret commilitones, nec filiis aut privignis imperio præditis id permiſiſſe. Cornelius etiam Tacitus lib.1. pag. 15. ubi in concione alloquentem facit Germanicum milites: *Quod nomen huic cœtui dabo? militeſne appellem, qui filium Imp. veſtri vallo, & armis circumſediſtis? An cives, quibus tam projecta auctoritas Senatus fuit?* Vide, ut non appellet commilitones; nimis enim blanda erat appellatio, & diſciplinam corrumpebat. At ſecus Imp. Alexander Severus. Vide Ælium Lampridium pag. 286. circumſtantibus eum militibus, & quidem armatis ita cœpit: *Commilitones, ſi tamen iſta vobis competit appellatio*, & quæ ſequuntur. Paulo poſt: *Milites Romani veſtri ſocii, mei contubernales, amant, potant, lavant, Græcorum etiam more quidam ſe inſtituunt*: de commilitonum appellatione inter ipſos milites vide Cor. Tacitum pag. 13. ubi hæc ſunt verba: *nec aliter placari poſſe commilitonum manes*. Alterum genus quaſi ignominiæ, non uti milite libertino. Refert Suetonius in Auguſto, ipſum non eſſe uſum libertino milite, præterquam bis, dum foris bellum gereret, ad præſidium coloniarum contingentium Illyricum, iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis. Miretur aliquis, cum delectus ex tribubus, ut Polybius narrat in libro de Caſtramet. Rom. & libertini tribubus continerentur, cur libertinum noluerit ſcribere militem. Reſponde, libertinos tribubus quatuor urbanis ſeparatim contineri ſolitos, ut ſatis notum eſt; ideo facile potuiſſe prætermitti in habendo delectu, cumque vellet militarem diſciplinam augere & ornare, non niſi civibus ingenuis in bello uti voluiſſe. De libertinis, quoniam infima plebe continebantur, vide quid caverit Divus Claudius, apud Sueton. num. 25. nam ait: *Libertinos, qui ſe pro equitibus agerent, publicavit*. De capite cenſis etiam non adigendis ſacramento, vide Valerium Maximum libro ſecundo, cap. ſecundo, exemplo de C. Mario, & A. Gellium lib. 16. cap. 10. itidem Saluſtium in Jugurtha. Verum Imp. Nero aliquando coactus eſt uti libertino milite, imo ſervis etiam. Vide Suet. num. 44. ubi hæc ſunt verba: *Mox tribus urbanas ad ſacramentum citavit, ac nullo idoneo reſpondente, certum dominis ſervorum numerum indixit, nec niſi ex tota cujuſque familia probatiſſimos, ne diſpenſatoribus quidem aut amanuenſibus exceptis, recepit*. Et quamvis Auguſtus bis uſus eſt libertino milite, non tamen ſub eodem vexillo cum ingenuis eſſe voluit, nec eo modo armatos, ut dignoſci poſſent. Vide Suetonium eundem.

dem, ubi hæc sunt verba: *non commixtos cum ingenuis, nec eo modo armatos*. Et quatenus ad hanc commistionem militum sub vexillis attinet, ne cum externis quidem auxiliis Romani commiscebantur: neque enim erat idem delectus, neque iidem Tribb. militum, sed præfecti ipsos ducebant sui, & separatus iis in castris locus assignabatur. Vide Polybium in libro de Castram. Sed Xenophon in libro, qui *ἱππαρχικὸς* dicitur, fideliores ait futuros externos, si commisceantur cum Atheniensibus. Ideo Demosth. in or. prima Philipp. ait ἐ *μία τύτων ἱππέας διακοσίυς, καὶ πεντήκοντα Ἀθηναίυς*, pedites vero qui bis mille, inter hos Athenienses quingentos habebat. Sed idem Xenophon in libro *περὶ τῶν πόρων*: *Si cives cum civibus conjuncti militent, utilius, quam si cum illis instruantur, ut hoc tempore, Lydi, Phryges, Syri, & alii id genus*. Verum hæc commiscendi ratio alia est, vel non commiscendi: illi non commiscebantur ab Augusto dignitatis causa, hi non sunt commisti ab Atheniensibus ob diversitatem linguæ. Nec tribus commisceri olim Rom. voluerunt urbanas rusticis, ob ignobilitatem, Vide Livium libro 9. sub finem narrantem, quomodo libertini, Fabio auctore, qui ideo est dictus cognomento Maximus, conjecti fuerint in quatuor urbanas tribus; nam urbanæ tunc cœperunt appellari. Impp. ætate si non commiscebantur sub eodem vexillo externi cum Ro. at utebantur eadem disciplina. Vell. Paterculus in volumine post. pag. 134. in impressis Lugduni, ubi de defectione Pannoniorum loquitur & Dalmatarum: *In omnibus autem Pannoniis non disciplinæ tantummodo, sed linguæ quoque notitia Romanæ, plerisque etiam literarum usus, & familiaris animorum erat exercitatio, ideo periculosum fuit*, & quæ sequuntur. Sic etiam Livius de Latinis lib. 8. lingua, moribus, armorum genere, institutis congruentes; nam sæpe iisdem in manipulis fuerant. Nec vero mirandum hoc de Latinis dici, quia cum ipsis esset data civitas, poterant iisdem manipulis, & sub eodem vexillo in legionibus Rom. militare. Nec vero prætermittendum Augustum olim (ut refert Suetonius) Romæ usum militis libertini opera, tum incendiorum causa, tum ob periculum imminens ex caritate annonæ. Semper enim incendiorum suscepta est cura. Vide Livium libro 9. de bello Maced. pag. 262. ubi de Quinqueviris, quibus hoc est mandatum. Magna autem incendia sæpe a Livio Romæ fuisse narrantur. Vide etiam Paterculum pag. 156. sub finem vol. posterioris, ubi Cælii montis incendium narrat, cum jactura omnium, quibus succurrit Tiberius. Caritas vero annonæ ob frequentiam hominum sæpe Romæ erat. Sex. Rufus insignis Augustæ historiæ scriptor, ex Ægypto ducenties centena millia in Urbem inferri

A solita scribit. Incendiorum cura etiam Triumviris capitalibus mandata. Vide Livium ibidem. Servare erit, ne qui nocturni cœtus fierent, utique ab incendiis caveretur; adjutores iis dati Quinqueviri, ut cis Tiberim suæ quisque regioni, ædificiis præessent. Si igitur libertino milite vix utebantur, quid credendum de servis? iis certe non licebat militare, vide Vell. Paterculum in posteriori volumine, pag. 136. ubi de defectione Pannoniorum & Dalmatarum loquitur: *Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani, viri fæminæque ex censu libertinum coactæ dare militem. Libertinum militem*, intellige servos manumissos, ut mi-

B litare possent. Suet. hoc idem apertius demonstrat in Augusto num. 25. his verbis: *Eosque servos adhuc viris fæminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos sub priore vexillo habuit, neque aut commixtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos*. Objiciat se mihi aliquis, & dicat servos militasse prolatis illis ex Livio verbis, quæ sunt libro secundo de bel. Punico, post cladem Cannensem: *Annibal redimendi sui captivis copiam fecit pretia in singula capita, equi quingentos quadrigatos, tricenos pediti, servo centum*. Ergo servi erant in exercitu Rom. Sed tu intellige calones

C & lixas, & id genus turbæ. Cicero in oratione pro Dejotaro, ubi sunt illa verba *servum judicatum* ostendit satis rem ita se habere: extat etiam Plinii epistola ad Imp. Trajanum, in qua de hac re agitur. Militarunt tamen aliquando servi etiam non manumissi. Livius libro secundo belli Punici, post Cannensem cladem, loco ante demonstrato, id ita explicat: *Etiam aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit. VIII. millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, Vellent ne militare, empta publice armaverunt: hic miles magis placuit, quam redemptus*. Item etiam ab Imp. M. Antonino Phi-

D losopho factum narrat Julius Capitolinus pag. 194. *Et servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit; quos* voluntarios *exemplo volonum appellavit*. Nec servis tantum usus est in bello Germanico & Marcomanico, sed etiam gladiatoribus, quod hominum genus vilissimum erat, multoque fortasse pejore conditione, quam servi. Capitolinus ibidem: *Armavit etiam gladiatores, quos* obsequentes *vocavit, imo (tanta erat necessitas) etiam latrones*. Verba Capitolini sunt hæc ibidem: *Latrones etiam Dalmatiæ & Dardaniæ milites fecit*: qui locus ita intelligendus, ut dicas milites factos, quia ipsos sacra-

E mento adegit militari: tunc enim fiebat aliquis miles, & incipiebat frui privilegiis omnibus militaribus. Hactenus a me de Pœnis & Ignominii militum Romanorum dictum sit.

F I N I S.

ERYCII PUTEANI
DE
STIPENDIO MILITARI
APUD
ROMANOS
SYNTAGMA,

Quo modus ejus, hactenus ignoratus, constituitur.

INDEX CAPITUM.

VIRO

Virtute & Nobilitate, Doctrina & Dignitate

SUMMO

D. JOANNI DE VILLELA,

ORDINIS ET MILITIÆ D. JACOBI EQUITI, SAC. CATHOLICÆ MAJESTATI IN REGNO CASTELLÆ A CONSILIIS, JUSTITIÆ MILITARIS

In Provinciis Belgicis

SUPREMO PRÆFECTO,

ERYCIUS PUTEANUS

D. C. Q.



Usta Regis nostri bella esse, Militia ostendit, justa est, & sanctissimis ubique legibus administratur. Exulat a castris nefas, Marti Themis juncta est. Et quanta igitur hæc dignitas, inter arma jus tueri! nihil avaritiæ, rapinæ, petulantiæ permittere! Magna, sed tua; & sic utcumque laudes ejus expressi, tuas insinuavi. Dubium enim, plusne illa a te ornamenti, an ab illa tu accipias? Mutuum lumen est: virum munus, munus vir conspicuum & admirandum reddit; Justitia VILLELAM, *Justitiam* VILLELA. *Nihil illa majus, aut pulchrius est: sed tu prudentia summus, doctrina cultissimus, veram magnitudinem, veramque pulchritudinem ostendis; & quæ a Rege jussa sunt, a Deo esse. Ergo non populis, non provinciis gravis militia: labem & licentiam exuit, legibus incorrupta. Quia discipina miles continetur, civis securus est; quia a te Justitia regitur, violari disciplina nequit. Ut ego sileam, ipsa virtus tua loquitur, ne nostro quidem orbe terminata: loquitur magna pars ætatis, in America pulcherrime & cum æterna laude actæ. Præses Guadalajaræ, populos moribus animisque feros ad humanitatem Justitia adduxisti, ad Justitiam humanitate. Regni deinde Visitator Mexicani, pacem ubique, quietem, & felicitatem fundasti. Indiæ demum tuis quoque consiliis commissæ, uberiore fructu profuerunt. Sic vero honorum jam plenus, & in Europam, imo in hanc Belgicam translatus, testatum reddis, militiæ securitatem Justitiam esse, sed Justitiæ militiæque ornamenta literas esse; quæ cum a paucis admodum hodie colantur, tali aut vincent Patrono languorem sæculi, aut certe contemnent. Si vincent, tuus omnis triumphus erit: si contemnent, majores ipsæ omni victoria exsurgent. Qui te videbit eruditioni deditum, quo modo ad ingenii cultum non veniat? qui omnia tibi lecta, intellecta, judicata, quomodo in libris litterisque vivere non exoptet? Hoc fonte prudentia nascitur, hoc subsidio militia invalescit,*

quæ tum demum felix, cum ingeniosa est, & antiquitatis exemplum respicit. Ego qui Minervam colo, sæpe & Martis soleo consiliis cogitationes miscere. In litteris invenio militiam; quidni tractem? Hinc DE STIPENDIO *quoque* MILITARI APUD ROMANOS *hoc nuperrime* SYNTAGMA *scripsi, & præmia examinavi, queis invicta Urbis unius virtus fuit, & par orbi perdomando. Sed bone Deus, quomodo hic hallucinati Viri Docti! Auxerunt sumptus, tanquam laudari Roma non posset, nisi modum excederet: unde pecuniæ prodigi, quia nimium priscæ militiæ tribuerunt, nostræ potuerunt avaritiam incendere. Ego reduco calculos, & largiter admodum imminuo rationem, perperam hactenus constitutam. Hoc ago, ut ostendam, non minora hodie stipendia esse, quam fuerunt olim: plus fortassis laboris & molestiæ fuisse quam est. Sed quid? totam ad te controversiam, tanquam ad supremum Judicem defero; ut in tuo tribunali decidatur. Quia bonus & fortis es, quanta fuerit Romana virtus, intelliges; quia prudens ac justus, quantum meruerit, decernes. Vale.* LOVANII *in Arce,* III. *Kalend. Majas.* ∞. IↃC. XX.

D E

REPUBLICA ROMANA

T. LIVIUS

PRÆFATIONE OPERIS.

AUt me amor negotii suscepti fallit, aut nulla umquam Respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam sero avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus, ac tamdiu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit: adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.

ERYCII PUTEANI
DE
STIPENDIO MILITARI
APUD
ROMANOS SYNTAGMA

CAP. I

Præfatiuncula. Ire sæcula, & redire. Pulcherrimum inter omnia Romanum fuisse, bello & pace. In rebus bellicis maxime adhuc Stipendia ignorari: quæ illustratum nunc imus.



Mnis ævi imaginem ipsa quotidie Natura exhibet: variatur. Diei noctisque vices sunt: & hoc exemplo in orbem res humanæ eunt, nunc lætæ & fatali temporum luce perfusæ, nunc mœstæ & caligine marcentes. Sic quidem aliquando dies erat, cum Magnitudo Romana staret; nox, cum Barbaries grassaretur. Sed ut læta fugiunt, sic neque mœsta durant: nuper ille tot sæculorum horror denuo mitigatus, ad cultum se traduci passus est, iisdemque resplendere cœpit elegantiis, quas pepulerat. Ergo Leges, Ritus, Artes e tenebris erutæ, ac velut renatæ, ornamenta belli & pacis. Loqui passim ac facere cum Romanis ausi sumus, & jam curiosius in Arma tandem, STIPENDIAQUE inquirere, & quæ Virtutem præmia sequebantur. Arma quidem felici labore explicata sunt, & victa ærugine in nitorem reducta. Verum STIPENDIA suis adhuc tricis involuta jacent, tam difficulter investigata hactenus, quam solvi aliquando solent. Nemo usque adeo doctrinæ otio beatus hoc & superiori sæculo fuit, ut hic non sudarit: & qui maxime expedire rationem visi, implicuerunt. Visus maxime J. LIPSIUS, Vir Maximus: quem ut plerique postea secuti sunt, ita unus potissimum reprehendit VINCENTIUS CONTARENUS: ille quidem inter Doctos Clarosque nomen adeptus, vicissim tamen censuræ obnoxius. Liceat igitur mihi seorsum a LIPSIO sentire, quem ingenii fiducia hic abripuit ac decepit: seorsum quoque a CONTARENO, qui ut LIPSIUM castigaret, a veri & ipse scopo aberravit. Ego, quid omnino statuam, sine fastu aut obtrectandi studio depromptum eo: statuo autem, quod ab errore (liceat dicere) semotum est. Adeste, judicate sive noti sive ignoti; togæ vel etiam sago dediti, Hoc DE STIPENDIO argumentum. Militare est, sed eruditionem imprimis spectat. Antiquum est, sed cum nostris maxime temporibus conjunctum.

CAP. II.

Stipendii etymon. Milites Ærarii. Salarium, Salialium, Tributum pro Stipendio: item Roga, apud Græcos Latinosque, sed posteriores.

STIPENDIUM *a stipe appellatum*, ut ait Ulpianus Jurisconsultus de Verb. significatione Lege XXVII. *quod per stipes, id est, modica æra colligatur*. Varro lib. V. De lingua Latina: *Stipendium ab stipe dictum, quod æs quoque stipem dicebant*. Sed & milites ipsi, Ærarii, *ab ære*, ut idem Varro ait, *quod stipendia facerent*. Stipendiarii autem, *qui eam stipem pendebant*. Unde Ennius: *Pœni stipendia pendunt*. Eadem significatione *Salarium*, imo *Tributum* & *Attributum*. De Salario Plinius, lib. XXXI. c. 7. *Honoribus etiam militiæque sal interponitur, Salariis inde dictis*. In Glossis etiam *Salialium* est, & exponitur, στρατιωτικόν. De Tributis Pomponius Jurisconsultus, nisi & Ulpiani verba sint, eadem Lege XXVII. *Appellatur ab intributione, vel ex eo, quod militibus distribuatur*. De Attributo Varro: *Id quod Attributum erat, æs militare*. Ubi a Tributo Attributum derivat, Tributum a Tribubus. Totum infra locum adscribam. Posteriores *Rogam* dixere. Qua origine? an ab eo, quod sacramento milites rogarentur? ut fuerit *Rogatio*, & mutato vocabulo *Roga*, quemadmodum & *Collecta*, aliaque. Vicina significatione dicimus *Erogare*. Apud Græcos etiam, & ῥόγα, & ῥογάτορες, & ῥογεύειν, & ῥογάδια, leguntur. Latine expressit Scriptor Historiæ Miscellæ, lib. XVII. *Jussit Imperator* (Mauritius) *Prætori, ut tertiam portionem Rogæ in auro Romanis acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam in vestimentis diversis*. Et lib. XVIII. sive pro Donativo, sive pro Stipendio: *Erant autem Arabum juxta positorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus Rogas pauxillas, ad custodiendum stoma eremi*. Et lubet adjicere: *Eodem tempore venit spado quidam, daturus militum Rogas. Cumque venissent Arabes secundum consuetudinem accepturi Rogas suas*. Etiam pro Missilibus, lib. XVII. ubi de Tiberio II. *Duxit Anastasiam uxorem suam, & coronavit eam Augustam, & jactavit Rogam multam*. Sic & Suidas munificentiam quamcunque Principum, sive liberalitatem interpretatur: Ῥόγα ἡ τῶν βασιλέων εὐσέβεια καὶ ἡ φιλοτιμία. Ab hoc autem vocabulo etiam hodie Hispani *Ruegas* dicunt. In Glossis Isidori: *Roga, Eleemosyna*.

CAP. III.

Quid Stipendium? eo sanguinem militis, libertatem, vitam emi. Stipendia non facienti nefas vulnerare hostem, aut occidere. Pecunia militem haberi, milite pecuniam.

MItto nomen, rem examino, dicturus, Quid sit Stipendium, Quando cœperit apud Romanos, Quantum, Quomodo, & a Quibus datum. Coronidis tandem loco Præmia finitæ militiæ, sive Commoda missionum erunt. Quid igitur Stipendium? E Glossis dicam: Ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικός. Quid? Æs militare, Merces militaris, qua, ut cum Tacito dicam, *anima & corpus æstimatur*. Si recte calculum ponimus, hoc pretio sanguis venalis est; ut impendat vitam, qui conductus, ab arbitrio Ducis & Fortunæ pendens. Ne servos tantum emi putes, pecuniæ hic quoque liberi obnoxii: Servi fiunt, quos sacramentum ligat. Sic vincti merent, qui strenui sunt; & mœrent, qui ignavi. Ecce Percennius ille apud Annalium Scriptorem, lib. I. *verbera & vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem* accusat. Hæc Stipendia Romanorum; imo gentium nationumque cæterarum. Addo famem, sitim, morbum, mortem, ad quæ omnia nisi paratus miles, stipendio indignus vivit. Omnino ad mortem emptus est, qui vitam armis tolerat: eodem sacramento Marti & Morti nomen dedit: tam perire facilis, quam possit occidere. Vere Antiphanes:

Τίς δ' οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος, ὦ φιλτάτη,
Ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος;

Non mortis ille, o cara, mercenarius,
Qui morte quærit, unde possit vivere?

Quanta igitur pecuniæ vis? quanta Stipendii, cui & honor apud Romanos habitus? Si quis enim Stipendia non faceret, licet in castris & exercitu versaretur, impune occidere hostem, aut vulnerare non poterat. Pugnare crimen erat, quamvis discrimen pro Republica adiret: & tanquam homini, non hosti vis illata, pœnam meruit. *Cato* igitur *Major*, ut est apud Plutarchum in Quæstionibus Romanis, *epistola quadam filium jubet, si Stipendia complesset, domum redire: aut si manere vellet, ab Imperatore potestatem feriendi necandique hostis impetraret*. Non poterat pugnare Catonis filius, nisi Stipendia faceret: sed nec in castris eum esse volebat pater, nisi pugnaret: quasi omnino satius esset, domi & inter cives inermem, quam foris inter milites non versari. Sic quidem nullus sine Stipendio miles est: nullum sine pecunia Stipendium est. Ut autem miles habeatur, de pecunia cogitandum erit; ut pecunia, milite utendum. Hanc ipsius Cæsaris fuisse mentem, Dio annotat, lib. XLII. Δύο τε εἶναι τὰ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα, καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα, καὶ ταῦτα δι' ἀλλήλων συνεστηκέναι. Τῇ τε γὰρ τροφῇ τὰ στρατεύματα συνέχεσθαι καὶ ἐκείνην ἐκ τῶν ὅπλων συλλέγεσθαι, καὶ θάτερον ὁποτερουοῦν αὐτῶν ἐνδεὲς ᾖ, καὶ τὸ ἕτερον συγκαταλυθήσεσθαι. *Duo esse, quibus & pararetur & augeretur dominatio, milites & pecunias. Hæc mutuo auxilio stare, nam & annona contineri exercitus, & eam armis colligi; imo alterutro eorum deficiente, alterum quoque concidere.*

A

CAP. IV.

Prima militia privato fere sumptu. Germanis bellorum olim solatia epulæ. Romæ quando Peditibus data Stipendia. Livius notatus. Patrum liberalitati Tribuni plebis infesti.

SEd tamen Stipendium apud Romanos aliquamdiu nullum. De suo quisque militabat, & tanquam pari omnes vinculo a Patria traherentur, sub signa sine pretio ibant. Tantum amor Reipublicæ ac libertatis potuit, cum ante nummos B virtus esset, & honore incensi animi nullum hostem formidarent. Pro urbe, tanquam familia unusquisque sua, stabat: vicisse, præmium erat. Bellorum initia fortassis eadem apud omnes gentes: apud Germanos (cum laude dixerim) etiam progressus. Indolem vide: rapere malebant, quam merere: ideo hostem esse, nequid aut Princeps, aut Populus persolveret. Ergo unica laborum solatia olim convivia erant, & hinc animi atque vires. Tacitus de moribus Germanorum: *Epulæ, & quamquam incomti, largi tamen apparatus pro Stipendio cedunt.* Bibebant igitur, ut pugnarent; vel pugnabant, ut biberent: ad pecuniam sero ventum, & cum virtus C vendi cœpit. Sed Romani, nullo primum Stipendio fortes, arma se debere Patriæ arbitrati sunt: idem civis militisque officium habebatur. Festum huc cito: *Privato sumptu se alebant milites Romani, antequam Stipendia mererentur*. Et quando igitur mereri cœperunt? *Paulo ante*, ut idem Festus ait, *quam Romana civitas capta est a Gallis*. Prius tamen Pedites, quam Equites; quasi illorum conditionem tenuitas potiorem faceret. Anno, inquam, Urbis conditæ CCC.XLVII. Auxure jam capto direptoque. Livius in hac re fusius, lib. IV. extremo: *Additum deinde, omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante* D *mentionem ullam Plebis Tribunorumve, decerneret Senatus, ut Stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prehensatasque exeuntium manus, & Patres vere appellatos; effectum esse fatentibus, ut nemo pro tam munifica Patria, donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret: cum commoditas juvaret, rem familiarem, saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum Reipublicæ esset*. Sed satis ista, quæ obiter emendanda Lipsius censuit: *Cum commoda ita* E *juvaret, rem familiarem saltem accrescere eo tempore*. Ut *commoda* admittam, malim *acquiescere*, cui *operatum* Livius statim opponit. *Acquiescere* autem est non deteri, non consumi. Paria sunt quæ a Camillo proferuntur, initio libri V. *Moleste antea ferebat miles, se suo sumptu operam Reipublicæ præbere: gaudebat idem partem anni se agrum suum colere, quærere unde domi militiæque se ac suos tueri posset: gaudet nunc fructus sibi Rempublicam esse, & lætus Stipendium accipit: æquo igitur animo patiatur se ab domo, ab re familiari, cui gravis impensa non est, paullo diutius abesse*. Sane acquiescit res familiaris, cui gravis impen- F sa non est. Et tamen difficile hoc tum negotium erat, obsistentibus Tribunis plebis. *Unde enim* (Livii verba sunt lib. IV.) *eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? Ex alieno igitur aliis largitos Patres: neque id etiamsi cæteri ferant, passuros eos, quibus jam emerita Stipendia essent, meliore conditione alios militare, quam ipsi militassent: & eosdem in sua Stipendia impensas fecisse, & in aliorum facere*. *Stipendia* hic militiæ tempora sunt, & καταχρηστικῶς a Livio usurpantur: certe

certe a Tribunis, quorum ille verba refert. Quomodo enim *emerita* erant *Stipendia*, si nondum erant? imo quomodo erant Stipendia, si non erant? aptius igitur decentiusque: *quibus jam finita militia esset*, quemadmodum & Tacitus loquitur.

Item, *In suam militiam impensas fecisse*, proprio Latinis vocabulo. Sed de Tribunis pergo dicere: hi potestate sua nisi, *indicto jam a Patribus tributo, edixerunt, auxilio se futuros, si quis in militare Stipendium tributum non contulisset.* Quid Patres? *Bene cœptam rem perseveranter tueri, conferre ipsi primi; & quia nondum Argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant*. Ergo ut breviter absolvam, Stipendia nata sunt, & morose nata, ut pro origine deinceps essent. Gravem autem atque peculiarem hanc, de qua ago, consultationem fuisse, Quinctilianus ostendit, & inter exempla citat, lib. III. cap. 8. *Aut propter ipsam rem, de qua sententiæ rogantur, consultabitur; aut propter alias intervenientes extrinsecus caussas. Propter ipsam, deliberant Patres Conscripti, An Stipendium militi constituant?*

CAP. V.

Æs quoque militare Equitibus dari cœptum. De Equis: quomodo, & a quibus assignati: item qua interdum caussa adempti. In numerum Ærariorum referri.

SEd hæc de Pedite: in Equitem liberalis esse Respublica cœpit, triennio post, cum Vejos Romani obsiderent. Huc trahendus Florus lib. I. cap. 12. de Veiis obsessis: *Tunc primum hiematum sub pellibus: taxata Stipendiis hiberna*. Livius clare, lib. V. ubi eandem obsidionem describit: *Equiti* (ita legendum, non *Et Equis*) *certus numerus æris est assignatus. Tum primum equis merere Equites cœperunt*. Quod ad equos attinet, ii de publico dabantur, ideoque *Publici* nominati. Livius in hac eadem re: *Repente quibus census equester erat, Equi Publici non erant assignati, consilio prius inter se habito, Senatum adeunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Assignare*, sive dare, Censorum erat; atque etiam *adimere*. Ademptionis, sed severæ, lepidum A. Gellius exemplum refert, lib. IV. cap. xx. Nam cum Censores, P. Scipio Nasica & M. Popillius Equitum censum agerent, equum viderunt strigosum maleque habitum, sed Equitem uberrimum habitissimumque. *Et cur*, inquiunt, *ita est, ut tu sis quam equus curatior? Quoniam*, inquit, *ego me curo, equum Statius servus meus*. Ergo, tanquam responso petulans, in Ærarios relatus est. Sic Valerius Maximus narrat, lib. II. cap. 9. de Censoria severitate. *Equestris ordinis quadringentos juvenes, quia in Siciliam ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos a censoribus, inque numerum ærariorum relatos esse*. Sed exemplis supersedeo. Equi de publico dati, priusquam Stipendia, & merere equis Equites cœperunt, cum Stipendia facere.

CAP. VI.

Modus antiquissimi Stipendii inquisitus: tres Asses diurnos fuisse. Locus Plauti de Tribus Nummis: eos a duobus obolis Polybianis distingui. Quindenæ bastæ. Quindecim ex Elephantis homines pugnare solitos.

A HÆc initia æris militaris: nunc Modus investigandus est, & quo incremento variatus. *Hoc opus, hic labor est*. Etenim quando cœptum sit dari Stipendium, satis observarunt quoque alii; quantum vero datum sit, non omnino adhuc constitui potuit. Quod ad Peditem, *decrevit Senatus* (Livii verba sunt,) *ut Stipendium miles de publico acciperet*. Quod ad Equitem, *Equiti certus numerus æris est assignatus*. Istic nominatur Stipendium, non definitur: qui hic *certus*, postea ab eodem Livio, lib. V. *triplex* dicitur: *Alii Cn. Cornelii fratris, qui Tribunus militum priore anno fuerat, triplexque Stipendium dederat, gratia extra-*
B *ctum ad tantum honorem credunt*. Peditis igitur Stipendium quærendum est, ut Equitis habeatur. LIPSIUS auctoritate Plauti inductus *Tres Nummos fuisse*: sed *Nummos* Asses explicat. Quid etiam? *Tres asses Romanos Græcorum Duos Obolos fuisse, a Polybio expressos*: id est, tertiam Drachmæ partem. Locus Plauti in Mostellaria, Act. 2. Sc. 1.

Ubi sunt isti plagipatidæ ferritribaces viri?
Isti, qui Trium Nummorum caussa subeunt sub falas?
Ubi aliqui quindenis bastis corpus transfigi solent.

Aliter CONTARENUS, asseritque, *Non Ternis, sed*
C *Quinis Stipendium Assibus constitui: Duos autem Obolos Polybianos Quinis minimum Assibus respondere*. Quid dicam? Cum utroque, & contra utrumque sentio. Cum LIPSIO contra CONTARENUM: nam primum illud Stipendium Trium videtur Assium fuisse, quemadmodum Asses Nummi possunt appellari. Cum CONTARENO contra LIPSIUM: quia Duo Oboli Polybiani nonnisi Quinis Assibus respondent. Denique contra LIPSIUM, & contra CONTARENUM: quia de alio Stipendio Plautus, de alio Polybius loquitur: summa enim diurna a Plauto Tribus, a Polybio Quinque Assibus con-
D stituta est. Quinque dico, quibus Duo eo tempore Oboli quasi æquales. Res a Denario exigenda est. Hic prima institutione Denis, anno tandem Urbis IↃ. XXXVI. *Senis denis cœpit permutari, Q. Fabio*, ut Plinius scribit, *Dictatore*. Dubium autem nunc, an tres illi Nummi sive Asses Plautini, e Denis, an e Senisdenis sint. E Denis LIPSIUS, & Tres Asses ad Duos Obolos refert. Male, ut ingeniose & accurate a Veneto scriptore ostensum est, refert. Nam post annum IↃ. XXXVI. Comœdias suas Plautus scripsit; ergo ea tempestate, qua Sedecim Assium esse jam Denarius cœperat: ut sic quidem sufficere in Stipendium Quinque die-
E rum potuerit, & Asse uno excedere. Quinquies enim tres Asses Quindecim faciunt. Sed quia in sex Obolos Drachma, sive Denarius divisus est; Bini quique Oboli, Quinque Asses, sive Trientem Denarii continent, abundante e Tribus Trientibus Asse. Vile igitur hoc tantillum æris, quod militi dabatur: vile, *trium nummorum caussa*, ut cum Plauto dicam, *subire sub falas, & quindenis bastis transfigi*. *Falæ* Festo dictæ *ab altitudine, a falanto, quod apud Etruscos significat cœlum*. Nonio *Turres sunt ligneæ*, auctoritate Ennii, *Malos defendunt, fiunt tabulata falæque*. Sed cur Quindenæ potissimum hastæ nominantur? Quia falæ hic
F turres elephantis instructæ, e quibus Quindecim milites pugnabant. Sane decem, aut Quindecim Philostratus exprimit, lib. I. de vita Apollonii, C. V. I. de Elephantis: Μάχονται γὰρ δὴ ἐπεσκευασμένοι πύργους, οἵους κατὰ δέκα, καὶ πεντεκαίδεκα ὁμοῦ τῶν Ἰνδῶν, δέασθαι, ἀφ' ὧν τοξεύουσί τε, καὶ ἀκοντίζουσιν οἱ Ἰνδοὶ, καθάπερ ἐκ πυλῶν βάλλοντες. *Pugnant enim onusti turribus, quibus Decem aut etiam Quindecim simul homines Indi superstant. Ex iisdem & sagittas & spicula vibrant Indi, & velut*

a propugnaculis jaculantur. Sed ne Quindecim miremur homines, lib. I. Machabæorum cap. 6. Triginta duo nominantur. Quod igitur difficillimum in bello, Comicus exprimit, & belluas, & turres, & e turribus pugnantium hastas subire. Ad rem: Diurnum Stipendium Asses tres. Asses diurni hi si computantur, Denarii menstruii Quini, Assesque Deni sunt; Annui Sexageni septeni, Assesque Octoni. Sed a prima origine quis copiam exigat? ante flumen rivus est. Rem Romanam inspice, angusta eo tempore, & adhuc vicina fonti erat, in munificentiam nondum digressa. Præterea, nullo Stipendio paullo ante militabant: quid miramur, exiguum primo datum? Tribuni quoque, nonne Senatus liberalitatem coercebant? Ut hæc omnia sint, opportuna Comici servi allusio est, *irridentis*, quemadmodum LIPSIUS ait, *quod tam exiguo pretio auctorati castella & turres ligneas hostium (id enim falæ) subirent hastis aliquot configendi.* Verum enim vero crevit mox Stipendium, urgente jam Italiam Annibale: tanquam majori præmio defendi Respublica debuerit, cum discrimen immineret. Præmiis vincenda pericula erant, illa gravia & præsentia, a gravi & præsenti hoste.

CAP. VII.

Modus Stipendii apud Polybium. Denarii sive Drachmæ pretium & ratio. Romani sine mercede fortissimi. Unde vestes, arma, annona?

A Tribus Assibus ad Quinque ventum, sive Obolos quasi Duos. Sane Duos Obolos Polybius exprimit, in Excerptis lib. VII. Ὀψώνιον δ᾽ οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν. οἱ, δὲ ἱππεῖς δραχμήν. *Stipendium quidem Pedites diurnum accipiunt binos Obolos: Centuriones duplum: Equites drachmam. Stipendium* verti, quemadmodum Stipendium Glossæ Veteres ὀψώνιον explicant, & ita intelligendus Polybius. Duo autem Oboli tertia, ut dixi, Drachmæ sive Denarii pars: In senos enim Obolos Drachma divisa erat. Denarius igitur qui jam sedecim Assibus permutabatur, Stipendium trium dierum, quemadmodum antea quinque: qua ratione Duo Oboli, Quini propemodum Asses sunt. Propemodum, inquam; Duo enim Oboli ter Sumpti Drachmam constituunt: at tres Asses quinquies, Denarium Assemque. Sedecim autem Assibus Polybii ætate Denarium permutatum esse, accurate ostendit CONTARENUS argumento adversus LIPSIUM a ratione temporum deducto. Certa hæc quidem & explorata adultæ virtutis merces, adhuc parva adhuc magna: ut quantum illa deinceps crevit, hæc paullatim imminuta videatur. Fortes erant Romani, cum nihil, aut exiguum mererent; cum non locabant corpora, sed impendebant: postquam lucri magis caussa, quam gloriæ militari cœptum, ignavia subrepsit. Addit Polybius; annotatque, *non frumentum, non vestem, nec arma gratuita militi fuisse, sed certa horum omnium pretia de Stipendio a Quæstore deducta.* Certa, inquam, pretia, sive τεταγμένην τιμήν. Neque enim in solidum, quæ subministrabantur, videntur luisse; sed definitam aliquam partem. Gracchus tamen postea: τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ut est apud Plutarchum, legem tulit, qua cautum, *ut de publico militi daretur vestis, Stipendium integrum remaneret*, Dari cœpit, sed rursus tamen imputari. Manifesta militum sub Tiberio querela est, scribente Tacito, lib. I. Annal. *Stipendia, vestem, arma, tentoria redimi.*

CAP. VIII.

Annona militaris obiter computata. Æs hordearium. Panem ipsi milites pinsere soliti, Romani pultifagi: item Pœni. Annonæ hodiernæ ratio & præfectura.

VEstes igitur, arma, tentoria redimi Stipendio solent: Frumentum fortassis muneri fuit, ac de publico datum. Sed sive gratuitum, sive æstimatum, modo suo constitit, quem e Polybio repræsento: Σιτομετροῦνται δ᾽ οἱ μὲν πεζοὶ πυρῶν Ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη μάλιστά πως, οἱ δ᾽ ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο. *In annonam accipiunt pedites tritici Duas circiter partes medimni Attici: equites vero, hordei Septem medimnos menstruos, tritici Duos.* Medimnus Atticus Sex modios Romanos continet, quemadmodum breviter Suidas: μέδιμνος ὤν μοδίων ς᾽. Pedites igitur accipiebant modios Quatuor in mensem: sicuti & suum pari modo *Dimensum* servi: equites Duodecim; triplum nimirum in se servosque duos. Sed hordei seorsum Quadraginta duos. Pro hordeo tamen interdum æs, & *Hordearium* Festo appellatum. Frumentum autem quod militibus dabatur, ipsi pinsebant, & coquebant, vel in panem, vel etiam in pultem. In panem subito, & fere sub cineribus: qui proprio vocabulo *panis militaris*, male coctus, madidus, gravis. E Plinio id discimus, lib. XVIII. cap. 9. *Legem certam naturæ esse, ut in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat.* In pultem autem, tanquam magis parabilem, in qua & panem & obsonium scilicet haberent. Ab antiquo fuisse pultis usum, Valerius docet lib. II. cap. 5. *Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset.* Plinius lib. XVIII. cap. 8. *Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos, manifestum; quoniam inde & pulmentaria hodie dicuntur.* Peculiariter Pœnos quoque pultifagos fuisse, *puls Pœnica* ostendit, apud Catonem de re Rustica, cap. 85. Plauti etiam loca, alterum in Mostellaria de Pultiphago opifice, alterum in prologo Pœnuli de Pultiphagonide, rectius de Pœno quam de Romano intelligam.

Hæc cum ita sint, quanto commodior militia hodie nostra, pinsendi coquendique molestia amota! In Stipendii partem panis est, nomine Militaris: esu gratus, usu promptus. An vero panis tantum? imo ne potus desit, vinum: more quoque nostro frumenti hordeique liquor, in similitudinem vini coctus. Accedit fœnum, avena, & quæcumque alia in usum, sive hominis, sive jumentorum.

Vino quidem Romana aliquando castra caruerunt: potum, aut fontes, aut flumina dabant, aut collecta cœlo aqua. Tum quoque, ne simplex naturæ beneficium esset, a mixto sapor aceto accedebat. Poscam hanc fuisse volunt, quod sane vocabulum pro tenui hodie vino apud Insubres usurpatur. Sed tamen & vini usum agnoscit Vegetius l. III. cap. 3. ubi de Annona agit: *Frumenti vero, vini, aceti, nec non etiam salis omni tempore necessitas declinanda.* Facilior tamen temporibus nostris Bacchus est, Martem sequitur, & roborat: facilior Ceres, laborata, ut cum Poeta dicam, adest. Etiam ubi nulla vina crescunt, tamen potus est: ubi nulla frumenta, tamen cibus. Recte igitur administretur hæc copia, & victoriam faciet. Recte, inquam, administretur, aut inopia erit. Non superabit hostem miles, cui cum inedia pugnandum est: non Duci morem geret, qui fame cogitur. Recte Theodoricus Gothorum Rex, apud Cassiodorum, lib. IV. Variarum, cap. XIII. *Disciplinam non potest servare jejunus exercitus.* Et quoties armis ani-

misque instructæ copiæ, penuria elanguerunt! quoties infelix belli eventus, non virorum, sed alimentorum defectu! Vegetii verum dogma est, lib. III. cap. 3. *Sæpius penuria quam pugna consumit exercitum, & ferro sævior fames est. Verum reliquis casibus potest in tempore subveniri, pabulatio & annona in necessitate remedium non habent.* Romani tamen ab hac fere culpa alieni, vincere orbem terrarum potuere, quia rarius cum inedia conflictati. Prompta ubique fere annona fuit, quia a viris semper maximis clarissimisque administrata. Cæsar ipse, qui unus intellexit, quomodo gerendum esset bellum, non putavit se, adversus Gallos pugnans, Imperatorem militum esse, nisi annonam quoque Militarem curaret. Curavit, frumento dividundo adfuit, magnumque munus suo magis exemplo commendavit. Verum enim vero si olim magnum, merito & nunc habeatur: si a magno olim administrari solitum, merito & nunc administretur. Sed ego viros magnos appello, qui magno animo præditi sunt, & maturo rerum usu instructi: qui parem & prudentiam & auctoritatem adferunt, faciles & tamen severi, cauti & tamen generosi, Regi magis quam sibi dediti; denique publici quidam militum, ut sic dicam nutricii ac patres.

CAP. IX.

Deni in diem Asses a Cæsare: & mansere ad tempora Domitiani. Suetonius explicatus. Senideni a Legionibus Pannonicis sub Tiberio, & frustra flagitati.

AD Stipendium redeo, quod a Tribus ad Quinque Asses deductum, aliquamdiu hoc pretio stetit: tandem, ut obnoxius magis redderetur miles, a Julio Cæsare duplicatum. In hanc sententiam Suetonius, cap. XXVI. *Legionibus Stipendium in perpetuum duplicavit.* Quia igitur Quini hactenus Asses fuere. Deni jam facti, ac mansere ad tempora Domitiani. De Augusto tamen objicias, qui cum res Imperii ordinaret, scribente eodem Suetonio, cap. 49. *quicquid ubique militum esset, ad certam Stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit.* Formulam hanc igitur Augusti laxiorem Juliana LIPSIUS arbitratur. Frustra. Per Stipendia enim hic, *militiæ tempora;* ut per præmia, *commoda missionum* intelliguntur, de quibus in fine dicturus sum. Si vero intelligi, Suetonius proximis & signatis verbis ipse indicat: *Definitis pro gradu cujusque & temporibus militiæ & commodis missionum, ne aut ætate, aut inopia post missionem solicitari ad res novas possent.* Quæ autem ista Stipendiorum formula? ut pro gradu cujusque tempora militiæ definirentur. Quæ Præmiorum? ut pro gradu etiam cujusque, commoda missionum. Modi igitur nulla mentio, quia nulla innovatio: obtinuit Stipendium, quod a Julio erat duplicatum. Denum autem hoc Assium fuisse, e Percennii Oratione manifestum, conquerentis apud Tacitum, & Legiones Pannonicas concitantis, lib. I. Annal. *Militiam ipsam gravem, infructuosam: Denis in diem Assibus animam & corpus æstimari.* Denis, id est, Julianis. Actum igitur hic a militibus, *ut singulos Denarios mererent,* vel, eodem Tacito scribente, *ut Denarius diurnum Stipendium foret,* quo augmento Sedecim in diem Asses caperent: in annum Aureos Romanos Quatuordecim, Denarios Decem. Verum enim vero non tantum Legionibus Tiberius indulsit, etsi imperio novus, & adhuc titubans: cum rejici postulata militum non possent, procrastinata sunt, imo acta omnia potius, quam ut Stipendia

A augerentur: unde partim promissis, partim severitati seditio succubuit.

CAP. X.

Ultimum a Domitiano augmentum. Circa Suetonii locum communis error & hallucinatio. LIPSII *emendatio pressius expensa. Denarium nunquam Duodecim Assibus permutatum. Ambigua Plinii de Denario verba.*

DOmitianus inconsulta liberalitate veterem morem solvens, solito Stipendio Tres etiam
B Asses diurnos cum Triente addidit: ut sic quidem miles quotidie Asses Tredecim ceperit cum Triente. Verum hoc augmentum, etsi infra nupera seditiosorum postulata; tamen ærarium oneravit. Sensit Imperator, & ad remedia venit, pariter damnosa. Quia enim imminui jam Stipendia non poterant, numerus militum contractus est, pari profecto, ut hic prudenter Zonaras annotat, incommodo: *Cum nec satis essent, qui Rempublicam defenderent, & qui defenderent, magna Stipendia mererent.* Istuc redeo, & hæc argumenti summa est, ut ostendam a Domitiano militi diurnos tres Asses & Trientem accessisse, cum antea
C Denos acciperet. Ostendo, atque ex eo potissimum Suetonii loco, qui maximas hactenus turbas dedit, in Domitiano cap. VII. perperam vel explicatus, vel correctus. Verba hæc sunt: *Addidit & Quartum Stipendium militi Aureos Ternos.* Qui explicant, fateri videntur sub Domitiano menstruum Stipendium Duodecim Aureorum fuisse. Et quæ ista, Di Boni, tam insana summa est? Pici olim dicti aureos montes colere, sed nec isti tantis sumptibus pares sint. Hem, Duodecim Aureos menstruos ad Denarios refer, invenies Trecentos, qui sunt diurni Decem: si & Asses com-
D putas, Centum & Sedecim. Hactenus etiam de gregario tantum milite agimus: ubi Centuriones, qui duplum accipiebant? Equites, qui triplum? Præfecti, Tribuni, Legati, Quæstores, quorum adhunc præmia investigamus? Ab explicatione igitur ad correctionem LIPSIUS transit, hactenus blandientem, ut sic dicam, viris doctis, legitque *Aureis Ternis:* quasi Aureis illis Ternis antea in mensem numerari solitis, Quartum addiderit Domitianus. *Ita in universum* (LIPSII ipsius verba sunt) *miles acceperit Quatuor Stipendia, sive Aureos Quatuor.* Essent in diem asses Viginti tres cum
E triente. Sed obsecro, quo argumento hæc clara, aut vera sint? *Nihil enim lectione sua,* ait, *aut clarius, aut verius esse.* Quo, inquam, argumento? *Quia,* subjungit, *Aureus Romanus menstruum militis sub Augusto fuit, & id Stipendium unum: quia alterum adjecit Caligula seu Claudius: quia tertium fortasse additum per bella civilia Vitellii & Othonis.* Examinemus. *Aureus unus sub Augusto menstruum Stipendium fuit.* Id qui credam? *Quia Viginti quinque Denarii fuere.* Et quomodo hos fuisse? *Quia Denarius sub Augusto Duodecim Assibus æstimatus.* Denarius? mirum: Duodecim? mirum: Qui prius Sedecim? mirum. Ratio putanda est. *Miles,* inquit, *sub Augusto capiebat*
F *quotidie Asses Decem; ergo quot mensibus Trecentos. At Asses Trecenti, Denarios reddunt Viginti quinque, si Duodecim Assibus Denarius æstimetur.* Quid dicam? Corruit sua sponte hic acervus, aut certe a CONTARENO dissipatur. An prosequor? Denarium Duodecim Assium nulla ratio permittit, nulla antiquitas. Veterum, enim quis meminit? ac ne illi quidem qui ex professo variatum Denarii pretium explicuerunt, Vitruvius, Plinius, Mæcianus. Muti hic sunt, & velut ex compacto

ſilent. Nulla etiam ratio: nam cum ſub Auguſto auguſta pecunia eſſet, ut apud Dionem Mæcenas diſſerit; augendum magis pretium erat, quam imminuendum: cum nova vectigalia Stipendiis perſolvendis urgerentur; augendum magis pretium erat, quam imminuendum: cum denique Ærarium militare inſtitueretur; augendum magis pretium, quam imminuendum. Prorſus & ſub Auguſto, & ſub Domitiano, & deinceps Denarius fuit, quemadmodum bello Punico ſecundo eſſe cœpit, Sedecim Aſſium; & hunc calculum Stipendia quoque ſecuta ſunt, ære æſtimata. Difficultas tamen a Plinio eſt, qui l. XXXIII. cap. 3 ſcribit: *In militari Stipendio ſemper Denarium pro Decem Aſſibus datum.* Quid dicam? quod LIPSIUS hic utcumque dixit, etſi a CONTARENO reprehenſus, Militem nihil ab aucto Argenti pretio commodi ſenſiſſe: ſed computatum in Stipendii ratione Denarium, quaſi denum duntaxat Aſſium eſſet. Ergo ſi Denarius in ſolutionem veniret, Decem modo Aſſes militi dabantur. In Plinio planior fortaſſis Lectio ſit: *Pro Denario ſemper Decem Aſſes dati.* Sed cum idem ſermonis vultus alibi toleretur, nihil hic muto. CONTARENUS tamen ad bellum duntaxat Punicum ſecundum verba Plinii refert, ac nonniſi *urgente Annibale* Denarium pro Decem Aſſibus datum. Qui poteſt? *Semper datum eſſe* affirmat ipſe, qui datum eſſe ſcribit. Hoc quidem ſenſu milites apud Tacitum *Denis in diem Aſſibus* non contenti, *ſingulos Denarios* petunt: id eſt, ut Denis Aſſibus Seni accederent; menſeſque ſinguli undecim Denariis, quatuorque Aſſibus creſcerent, Verum enim vero (ut ante monui) nihil ſeditione promotum Manſit Stipendii modus qui fuerat: Diurni, inquam, Aſſes Decem; Menſtrui Trecenti, ſive Denarii Octodecim, Aſſeſque Duodecim: Annui vero, Denarii Ducenti vigintiquinque, ſive Aurei Novem. Liberalitatem vero ſive Caligulæ, ſive Claudii, Stipendiariam, ſive Othonis, ſive Vitellii fruſtra inquirat LIPSIUS: inquirat enim, quam nemo nominavit, ſed nec nominare potuit. Domitianus demum, ut e Suetonio diximus, *addidit & quartum Stipendium militi aureos Ternos.*

CAP. XI.

Stipendiorum ordo & numerus: Annuum Semeſtre, Quadrimeſtre, Trimeſtre. Penultimum iſtud Tribus Aureis definitum.

NUnc quomodo addidit explicatum, oſtenſurus dein integrum Suetonii locum eſſe, & ſine ullo mendo. *Quartum* hic ecce *Stipendium*, & *Aurei Terni* nominantur: quia illud obſcurum, etiam hi fuere. Obſcurum autem, quia quibus anni temporibus & intervallis perſolvi ſoleat, adhuc quæritur. Ad rem igitur. Stipendium antiquitus Annuum, & ſic Unum fuit, quod & *Solidum* dicebatur: Semeſtre & ſic Duplex: Quadrimeſtre, & ſic Triplex: an & Trimeſtre? certe Quadruplex. In Duplici igitur Primum & Secundum erat; in Triplici, Primum, Secundum, & Tertium; in Quadruplici, Primum, Secundum, Tertium, Quartum. De Annuo, Diodorus Siculus, lib XIV. Τότε πρώτοις ἐπεψηφίσαντο Ῥωμαῖοι, τοῖς στρατιώταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς ἐφόδια διδόναι χρήματα. *Tunc primum decreverunt Romani militibus Annua Stipendia dare.* Livius lib. V. *Annua æra habes, Annuam operam ede: an tu æquum cenſes, militia Semeſtri Solidum te Stipendium accipere?* Ubi *Solidum* vides? pro quo Latini quoque *Soldum*. Noſtrum hodie *Soldum*, & *Soldati* an hac origine dicuntur? Fortaſſis etiam a Solido, id eſt, Aureo, quo menſtruum tandem Stipendium definitum eſt. Sed de Annuo idem Livius, lib. XLII. *Bis, quæ Annua merebant legiones Stipendia, feci.* Hinc Stipendia pro militiæ annis, paſſim apud Hiſtoricos & Juriſconſultos: imo *numerum Stipendiorum edere*, apud Tacitum lib. I. Annal. qui numerus vicenis tandem ex lege definitus. Nec Stipendia tantum pro annis, ſed & Æra. Hinc Duodecim Ærum Miles, in inſcriptione veteri, qui Duodecim Stipendia fecit:

L. VALERIVS
L. F. VOL. MATER
NVS. TOL. G.
MIL. L. X. G.
AN. XXXV.
AER. XII.
S. T. T. L.
H. E. T. F. C.

De Semeſtri Varro, lib. III. de Vita Populi Romani, apud Nonium: *Stipendium dicebatur æs, quod militi Semeſtre, aut Annuum dabatur: cui datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus eſt.* Quadrimeſtre ſua ſponte ſe inſinuat, quippe poſt Annuum & Semeſtre, & ut magis etiam Stipendiorum ſpatia contraherentur. Quid? Tributa nonne Quadrimeſtria fuere? at Stipendia quædam quaſi Tributa ſunt, eandemque legem ſubeunt. Quid opus eſt verbis? dicta pondus a mox dicendis capient. Imo quid opus eſt verbis? Tria quotannis Stipendia; ergo Quadrimeſtria fuere. Tria autem; quia Quartum Domitianus addidit, quemadmodum Suetonius intelligendus. Sic etiam Tria, ut Trium unumquodque Aureorum eſſet, & per Quadrimeſtria traheretur. Annum jam computa, Novem Aureos, ſive Ducentos vingintiquinque Denarios in tria tempora diſtributos invenies. Novem Aurei, ſunt Diurni Aſſes Deni, quos Tacitus in Seditione Pannonica expreſſit. Ergo Menſtrui Aſſes Trecenti; ſive Denarii Octodecim, Aſſes Duodecim: Quadrimeſtres autem Aſſes Mille Ducenti; qui ſunt Denarii Septuaginta quinque, ſive Aurei Tres.

CAP. XII.

Trimeſtre, aut tamquam Trimeſtre a Domitiano: qui Menſium Aureorumque numerum exæquavit: a Zonara Suetonio lux, a Suetonio Zonaræ.

TRIMESTRE deinde Stipendium a Domitiano fuit, aut certe tanquam Trimeſtre computatum. Hactenus enim in Quadrimeſtre miles Denarios accipiebat Septuaginta quinque, ſive Aureos Ternos: additi jam Denarii Viginti quinque, ſive Aureus unus: ergo Centum Denarios accepit, ſive Aureos Quaternos, quot nimirum menſes in Quadrimeſtri computantur. Clara in hanc rem Zonaræ de Domitiano verba, Tom. II. Τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν τάχα διὰ τὴν νίκην. πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι. *Militibus Stipendium auxit, fortaſſis ob victoriam. Cum enim ſingulis Septuagenæ quinæ Drachmæ ſolverentur, Centenas dari juſſit.* Septuagenæ quinæ Drachmæ, Aurei Terni ſunt: Centenæ Drachmæ, Aurei Quaterni. Repeto & adjungo Suetonii de Domitiano locum, ut penitus rem conficiam: *Addidit & Quartum Stipendium militi, Aureos Ternos.* Quartum, ſive numero, ſive pretio. Tria antea erant. Trium ſingula

Aureorum, sed mensium Quatuor: accessit Quartum, quomodo? Aurei Terni a Suetonio expressi: ut sic quidem nunc demum sub Domitiano Aureus Unus menstruum militis Stipendium factus sit. Unus, inquam, Aureus, non Quatuor, frustra a LIPSIO per incerta collecti, & in annuos Quadraginta octo extensi. Quid dicam? Computatione nostra quot menses annus, tot quoque Aureos habuit. Unde quantum a mensium numero Quadraginta octo distant, tantum vero LIPSII animadversio aberravit. Unus autem Aureus menstruus, Asses in diem Tredenos cum Triente constituit; in mensem Quadringenos, sive Denarios Vicenos quinos; in Quadrimestre Asses Millenos Sexcentenos, sive Denarios Centenos. Hæc profecto certa sunt, non arbitraria, etiam consensu quodam temporum comprobata. Addidit vero Quartum Stipendium Domitianus; sive ut proprie Quatuor Stipendia essent; sive ut unius æstimatio Tribus accederet: unicuique Quadrimestri Aureus Unus. Quia enim Tria Quadrimestria sunt, unum addi Stipendium debuit, ut tot in unoquoque Quadrimestri Aurei essent, quot menses sunt: quia etiam Tria erant Stipendia, Tres addi Aurei debuerunt, ut unumquodque Stipendium triente cresceret, mensesque quatuor implerentur. Sic igitur Quartum Stipendium Tres Aurei sunt, aut potius Tribus Aureis pretium Quarti Stipendii constitutum est.

CAP. XIII.

Videri restricta denuo Stipendia Quadrimestria obtinuisse; sed videri. Quadrimenstrua Brevia. Tripartito fiscalia inferri.

Fatalis hæc quodammodo ἐπινέμησις fuit: facilius commutari, quam tolli potuit. Ita etiam Quartum a Domitiano additum est Stipendium, ut Tria nihilominus videri possint remansisse. Annus enim per Quadrimestria ordinatus, hanc potuit subire novitatis legem, ut pecunia cresceret, sic tamen fortassis ad pristinam mox summam esset relapsurus. Domitianum nonne liberalitatis suæ pœnituit? ex Zonara indicavi. Quia enim temere jam stipendii pretium, auxerat, novo consilio & geminato errore, numerum militum imminuit. Posteriores igitur, Tribus iterum Aureis singula videntur Quadrimestria definivisse. E Donativo istorum temporum colligo: id tale, & procul dubio ad Stipendii formam. Capitolinus in Albino, de Commodo Imperatore: *Habebis præterea, cum id feceris, dandi Stipendii usque ad Tres Aureos liberam potestatem*. Et Lampridius Heliogabalo: *Pronunciavit meretricibus, quasi militibus, Ternos Aureos Donativum*. Idem in Diadumeno, Macrinus Imperator dixit: *Habete igitur Commilitones pro Imperio Aureos Ternos*. Quicquid sit, quæ dixi Quadrimestria, & quemadmodum dixi, videntur mansisse. Atque hoc etiam ordine inferri in Ærarium tributa sive vectigalia solent, ut passim in libris Juris est observare. Hinc & *Quadrimenstrua Brevia*, lib. X. Codicis, titulo XXIII. de Canone largitionalium titulorum, Lege III Quadrimestria vero illa in menses suos distincta leges, eodem libro Codicis, titulo XVI. De Annonis & Tributis, Lege XIII. sub finem: *Tripartito autem omnia Fiscalia inferuntur, ea etiam quæ Armeniaca vocant, videlicet Kalendis Januariis, & Kalendis Majis, & ad finem Indictionis: in tres æquas partes divisa, nulla in medio Collatoribus innovatione facienda*. Fortassis igitur his quoque temporibus persolvi Stipendia solita, Primumque Quadrimestre cum ipso anno cœperit, Januario, Februario, Martio, Aprili, definitum; Secundum, Majo, Junio, Julio, Augusto; Tertium, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri. Omnino pari ratione censenda pecunia, quæ infertur, & effertur. Infertur enim, ut efferatur: non aliam quoque ob caussam, ut opinor, Tributum utrobique appellata. Cum autem infertur, Vectigal est; Stipendium, cum effertur, alterum Ærario, alterum militiæ penditur. Quod siquis omnino tamen contendat, mansisse post Domitianum Trimestria Stipendia, Ternosque Aureos in Capitolino atque Lampridio, ad Trimestria referenda esse, non magnopere repugnabo.

CAP. XIV.

Tribus Aureis menstruum Stipendium male computari: male item Primum, Secundum, Tertium, Quartum a pretii incrementis. Plusculos in ea opinione errores esse.

Reliquum nunc, ut redacto ad Aureum menstruum Stipendio, nova CONTARENI opinio in examen veniat: qui constitutum a LIPSIO modum Aureo uno imminuit. Tanquam per gradus, ad veri rationem ventum est. Etenim Duodecim Aureos, quia nimios, ad Quatuor redegit LIPSIUS, hos CONTARENUS ad Ternos, istos ego ad singulos; sed diverso quisque calculo. Meum posui, LIPSII adjeci: quid ait CONTARENUS? Quid: *Milites, qui Tribus Stipendiis ad Aureos binos & Denarios aliquot pervenerant, Quarto a Domitiano addito, Tres totos in mensem Aureos accepisse*. Per *Stipendia*, diversa Stipendiorum incrementa intelligit, progressu temporis variata. Accepisse igitur militem, Augusti & Tiberii ævo, in mensem Denarios Octodecim, Asses Duodecim; & hoc Unum Stipendium esse. Additos deinde alteros Denarios Octodecim, Asses Duodecim; & hoc alterum Stipendium esse Additos & tertios; & hoc Tertium Stipendium esse. Additos & quartos a Domitiano; & hoc Quartum Stipendium esse. Ex his igitur omnibus Denarios Septuagenos quinos, sive Aureos Ternos constitui, quos Suetonius exprimit. An dicam? plusculi hic errores sunt, atque adeo conglobati. Primus & reliquorum velut fundus, quod Stipendia vult per ætates numerari, & Unum, Alterum, Tertium, Quartum incremento pretii distingui. Obsecro, si Primum, quod sub Augusto, quotum erit, quod ante Augustum? nonne ad fontem & originem eundum est? Invenies igitur a Domitiano non Quartum, sed Quintum, imo Sextum esse. Secundus error, quod post Augustum bis adjectos censet Denarios Octodecim, Asses Duodecim, qui nusquam leguntur, nec fuerunt unquam. Tertius error, quod munificentiam Domitiani eodem calculo computat, cum adjectos esse Aureos Ternos planissime Suetonius scribat. Quæ enim hæc locutio sit: *Addidit Aureos Ternos*, id est, Denarios Octodecim, Asses Duodecim? An addidit, id est, rotundavit? Nugæ. Istoc modo explicare Suetonium, id vero ejusdem operæ & culpæ est, ac male corrigere. Quartus error, & jam decumanus, quod auctoritatem Zonaræ rejicit. An hoc satis: *A Latinis Scriptoribus, Græcum, ab Historicis Historicum dissentire?* Scire velim, quinam illi Scriptores, illi Historici sint, a quibus hic dissentiat: quinam illi, qui adjectos a Domitiano Denarios octodecim, Asses duodecim tradant. Me hercle si numerum inimus, res ad unum, de quo quæstio est, veniet:

imo ab uno ad nullum. Quid igitur est? Uno & Suetonius & Zonaras ore locuti sunt, sed Latino alter, alter Græco: quippe alter Annui, alter Quadrimestris Stipendii incrementum pari ratione expressit. Inspice Suetonii Aureos Zonaræ Drachmæ explicant. Etenim sive Aureos, Ternos, tanquam Quadrimestre accipias, in eandem summam calculi venient: tot Aurei, quot Menses erunt: annusque Novenis antea æstimatus, Duodenis decurret.

CAP. VX.

Quomodo, & a quibus data Stipendia. Militum nomina in Breviculis. Libripendes. Tribuni Ærarii Primani, Secundani. Tributum quando dari cœpit, quando desiit. Ærarium militare.

QUando, & Quantum Stipendii milites Romani acceperint, hactenus dictum: Quomodo, & a Quibus acceperint, nunc breviter addo; ut si curiosæ hæ deliciæ placeant, cibo accessisse condimentum videatur. Accipiebant igitur nominatim. Livius lib. XXVIII. *Citati milites nominatim apud Tribunos, in verba Scipionis jurarunt, Stipendiumque ad nomen singulis persolutum.* Idem in Donativo. Et lubet Sulpicii Severi de vita D. Martini verba recensere: *Julianus Cæsar, coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, Donativum cœpit erogare militibus: ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est.* Hæc nomina Breviculis inscripta erant: nominibus adjunctæ notæ, quibu qui superessent, qui bello cecidissent: qui Stipendia accepissent, distincti. Ita Isidorus lib. I. Originum, cap. XXIII. *In Breviculis quoque, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inspiceretur, quanti ex militibus superessent, quantique in bello cecidissent.* Deinde: *In Stipendiorum quoque largitione propriæ erant notæ.* Accipiebant a Quæstore, Quæstor a Tribunis Ærariis. Asconium huc cito, lib. IV. Verr. *Pecunia attributa, quæ est Stipendium militum, de Ærario a Tribunis Ærariis annumerari Quæstori solet.* Quæstori autem Libripendes subserviebant; sic dicti, licet numerarent pecuniam, appendi antea solitam; more, non nomine commutato. Plinii verba sunt, lib. XXXIII. cap. 3 *Quin & militum* (fortasse *militarium*) *Stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores Libripendes dicuntur.* Quod ad Tribunos attinet, singulis Legionibus singuli aderant: qui a numero, ut ipsi milites, Primani, Secundani, similiterque dicti. Primanum sic Festi Abbreviator describit: *Primanus Tribunus erat, qui primæ legioni Tributum scribebat.* Ergo Tributum, Attributum erat; Attributum, pecunia a Tribunis Quæstori assignata. Ita Varro libro IV. de L. Latina: *Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a singulis pro ratione census exigebatur. Ab hoc ea quæ assignata erat, Attributum dictum: ab eo quoque quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni Ærarii dicti: id quod attributum erat, æs militare.* Sane postquam de publico dari Stipendium cœpit, *non poterat ea pecunia confici, nisi,* ut est apud Liv. lib. IV. *tributo populo indicto*: imo hæc ipsa pecunia, ut est apud eundem Livium, lib. V. *tributo conferebatur.* Sed post triumphum L. Pauli Macedonici populus tributo liberatus: tantum enim e præda in Ærarium pecuniæ illatum, ut Stipendio sufficeret. Clare ac diserte Cicero lib. II. Officiorum: *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum.* Liv. lib. XLV. summam extulit, *HS. millies ducenties.* Majorem Vellejus lib I. *bis millies centies HS.* Majorem etiam Plin. lib. XXXII. cap. 3. *Intulit & Æmilius Paulus, Perseo Rege Macedonico devicto, prædam Sestertium ter millies, a quo tempore Populus Romanus tributum pendere desiit.* Sed quid? defecit hoc rursus subsidium per bella Civilia, & ad tributum necessitas rediit. Augustus tandem, Suetonio scribente cap. 44. *ut perpetuo, ac sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret, Ærarium militare cum vectigalibus novis instituit.* Quare perpetuo? quia jam perpetuæ erant legiones: unde summa ope removenda difficultas erat, quæ nasci e penuria pecuniæ solet, & vel hoste magis nocere. Morosa merces seditionis mater est: seditio progressum omnem militiæ impedit, quia ante omnia disciplinam solvit. Si recte calculum ponis, subvertit victoriam, & e milite hostem facit.

CAP. XVI.

Stipendiis impletis justæ quoque militiæ Præmia erant. Ea partim Agri, partim Pecuniæ. De Agris dictum.

POst Stipendia tandem finitæ quoque militiæ præmia erant, sic instituta, ut consumpto bellis labore ad quietem miles veniret, reliquum vitæ sine egestate ageret. Hæc mens quoque Augusti fuit, imperii molem constituentis. Nam, ut est apud Suetonium cap. 44. *Quicquid ubique militum esset, ad certam Stipendiorum Præmiorumque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cujusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum, ne aut ætate aut inopia post missionem solicitare ad res novas possent.* Gemina hæc quidem formula fuit: una Stipendiorum quæ tempora militiæ nominantur, quemadmodum & supra dixi: altera Præmiorum, quæ post emerita Stipendia dabantur. Militiæ anni, ut alii annotarunt, jam inde a Polybii ætate in equite Deni, in pedite Viceni: at hi sub Augusto tandem Senideni, rursusque Viceni fuere; licet ultra interdum producti. *Tricena aut Quadragena Stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerare* ille sub Tiberio Percennius conqueritur. Quadragena in Severo Cæcina Tacitus notat lib. I. Annal. *Quadragesimum id Stipendium Cæcina parendi, aut imperitandi habebat.* Et lib. III de eodem Cæcina: *Quanquam ipse plures per provincias Quadraginta Stipendia explevisset.* Vicenos etiam Tiberius confirmavit, quos diminuere Seditiosæ legiones paullo ante conati erant. Confirmavit, inquam, & *edixit* (verba Taciti sunt, lib. I. Annal.) *imparem oneri Rempublicam, nisi Vigesimo militiæ anno veterani dimitterentur. Ita proximæ seditionis male consulta, quibus Sexdecim Stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.* Ipse leges stabiliunt hunc annum, & quodammodo legitimum faciunt. Unde etiam *Justa militia* appellatur, quæ huc pertingeret: *injusta*, quæ trascenderet. Jam vero, quod ad Præmia attinet, ea olim Agri, postea & Pecuniæ fuere. Agri non uno modo & numero assignati; & vel Colonia duci solet, vel non solet, ut passim in Historiæ Romanæ Scriptoribus est notare. Nunc etiam plures paucioresve ducebantur, nunc plus minusve agri erat. Liv. lib. XXXV. de Colonia Vibonem ducta, scribit: *Ex Senatusconsulto Plebisque scito, Tria millia & Septingentos pedites iisse; Trecentos equites. Quinadena jugera agri data in pedites esse, duplex equitibus.* Eodem lib. de Colonia Latina in agrum Ferentinum: *Tria millia peditum iisse, trecentos equites: Vicena*

jugera pedites, Quadragena equites, accepisse. Et A lib. XL. de Colonia Latina in agrum Gallorum: *Tria millia peditum Quinquagena jugera accepisse*, id est, Sexagena jugera singulos pedites. *Centuriones Centena, Centena Quadragena equites*. Sed hæc talia colligere ac recensere longum fit, atque etiam supervacuum.

CAP. XVII.

Agrorum loco etiam Pecunia data. Ejus varia nomina. Pretium curiosius excussum. Cæsaris liberalitas & μεγαλοδωρία: item Didii Juliani. B

PLacuit postea & Pecuniam agri loco dari: de qua Percennius apud Tacitum lib. I. Annalium, novas leges militiæ præscribens: *Ut singulos Denarios mererent, Sextus decimus Stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium Pecunia solveretur*. Hæc quoque pecunia *Emeritum* & *Commodum emeritæ militiæ* appellata, aliterque. *Emeritum* a Modestino Jurisconsulto, lib. XLIX. Digestorum, titulo XVI. de Re Militari, leg. III. *Qui militiæ tempus in desertione implevit, emerito privatur*. Paullo post: *Sed si ex improviso, dum iter quis facit, capitur ab hostibus, inspecto vitæ ejus præcedentis actu, ut veteranus restituetur, & emerita accipiet*. C *Commodum* vero *emeritæ militiæ* a Suetonio in Caligula, cap. 44. Sic & *Commoda justæ militiæ* leges in Vitellio cap. 15. *Commoda Missionum* in Augusto, cap. 49. Qui Emeritum capiebant, *Emeriti*, sive *Veterani*, interdum *Exauctorati*. In Glossis: Εὐτίμοι κὴ στρατιωτικὰς καμάτας. Et an quantum ceperint, ad calculos revocamus? Dio lib. LV. ab Augusto Prætorianis assignatas scribit πεντακισχιλίας δραχμάς. *Quinque millia Drachmarum*, sive Ro- D mano numero *XX. millia Nummum*: reliquis militibus τρισχιλίας: *Tria millia Drachmarum*, sive *Duodecim millia Nummum*. Istis quidem, si Sedecim Stipendia implessent: His, si XX Hæc deinde Tria millia Drachmarum ad Mille quingentas a Caligula recisa sunt, scribente Suetonio, cap. 44. *Cæterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad Senum millium summam recidit*. Nam male & intolerabili errore hoc loco *Sexcentorum* legi, a Viris Doctis annotatum est. Caligula fortassis ad exemplum respexit Julii Cæsaris, qui parem E summam Pediti, triplo majorem Equiti, post bella civilia, sed prædæ nomine (si extra mendum tamen Suetonii verba, a Torrentio emendata) distribuit, cap. 38. *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super Bina Sestertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat, Quaterna; in equites Vicena millia Nummum dedit*. Frustra autem non dubito, cum longe hic liberaliorem Cæsarem Dio & Appianus faciant: peditesque singulos πεντακισχιλίας δραχμὰς accepisse, id est, *Viginti millia Sestertium*, quæ a Suetonio Equitibus adscribuntur. Ponamus igitur, in exercitu Cæsaris, post bella civilis, XX. millia militum superfuisse; summa F universa ad Millies centena millia Drachmarum ascendet, sive Quater millies Sestertium. Grandis hæc pecunia; sed quam Cæsar ille, ut a Græcis appellatur χρηματοποιὸς ἀνὴρ, conficere potuit cum tanti esset ad Imperium venire. Cæsaris μεγαλοδωρίαν imitati Octavianus & Antonius, bello Philippensi tantumdem militibus ausi promittere: δραχμὰς, inquam, πεντακισχιλίας, quemadmodum in Antonio Plutarchus scribit, & Appianus lib. IV. Ἐμφυλίων. Quid Cassius Brutusque? eodem tempore bis mille Drachmas in singulos suorum, sive octona millia Sestertium erogarunt. Sed hæc omnia Augusti tandem formula correcta sunt; quam & Caligula imminuit, ut alii denuo violarent. Exemplum petis? Prodigium dabo, & hoc, claudam. Didius Julianus, ut est apud Spartianum, *cum Vicena quina millia militibus promisisset, tricena dedit*. *Promisit*, *Dedit*, ut ad Imperium veniret; cum contra Sulpicianus licitans, Vicena millia, ut Drachmarum Quinque millia, est apud Appianum, offerret. Dedit, ut nihilominus periret. Sic & in viro non pessimo instabile Fortunæ fastigium fuit, quia emi debuit: quia ab iis, qui paulo ante Imperatorem suum occiderant.

CAP. XVIII.

Conclusio. Lucem ab hac opera Stipendiis esse, & militiæ priscæ. Præmia hodie superesse: sed nec facta desiderari.

DE Stipendio Romano hæc quidem habui, firma, ut confido, & vera. Ubi nox erat, diem intuli: ubi diem putabant alii, noctem esse ostendi. Si opera æstimanda est, bene de veteri militia, bene etiam de nostra meritus videor: dignus favore omnium, qui Stipendia, sive vetera, sive nostra æstimant. Eadem sunt: an & facta dicam? dico; & fuisse hoc nostro tempore belloque viros, quorum virtus excellens, sed segniori hactenus famæ tradita, aliquando in stuporem veniet, cum majori miraculo, quam fide memorabitur. Hominum vitio hoc fieri solet:

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Quemadmodum Antiqua nobis magna sunt; ita nostra posteris erunt. Gessimus enim, quæ comparari cum antiquis queant. Sed incuria sæpe egregia latent facta, *dum*, ut cum Tacito dicam, *vetera extollimus, recentium incuriosi*. Quicquid remotum est, placet; & fortassis quod pauci non præstant, ab universo sæculo segregant. Alii, quam non vident laudari virtutem, abesse arbitrantur. Si verum fateri volumus, magis profecto ævo nostro desunt, qui scribant celebrentque res præclaras, quam qui gerant. Sic neque pleno virtus fructu exuberat, cum silentio impedita in exemplum non venit.

Paullum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

At non ignorari ubi recte feceris, pulchrum est, mavultque vir fortis præconium, quam Stipendium; amat mercedem, quæ nec fato impeditur.

VINCENTII CONTARENI

DE

MILITARI ROMANORUM STIPENDIO

COMMENTARIUS.

PETRO DUODO
EQUITI, ET SENATORI ILLUSTRISSIMO.

VINCENTIUS CONTARENUS S. P. D.



ADEO nihil eſt, DUODE ILLme. quod tua efficere ſingularis humanitas, virtus, & omnis viro nobili digna doctrina non poſſit, ut ego quoque te appellare audeam, & libellis meis tuum multo clariſſimum nomen præſcribere. Me cum dico, hominem dico plus nimio, ut tute ſcis, verecundum, vix tibi de facie notum, cui aliis olim, nunc unis addicto humanioribus litteris otium eſt, diſcere & commentari, quæ doceat: negotium autem docere, atque edere in lucem, quæ didicerit. Tua vero domi in Repub. conſilio atque opera juvanda, foris in populis juſte, & moderate regendis, in legationibus ad Reges & Principes obeundis ſumma cum laude ſpectatur induſtria. Otium autem ne poni quidem poteſt elegantius. Nam quibus ſtudiis a prima adoleſcentia viam tibi ad res abditas, & penitus abſtruſas cognoſcendas, bonas a malis, juſtas ab iniquis diſcernendas muniſti, ea nunc quoque cum licet, recolis, atque ita me in caſtris, quod ajunt, meis cædis. Hæ me deterrere potuerunt; invitare autem, præter illa, quæ initio dixi, quam multa? De facie vix novit? at ingenii qualecunque habeat ſpecimen. Salutarunt alii, deduxerunt? ego ſi tempus parſi, ut in ſtudiis conſumerem, fructum retribuam ſtudiorum, quem vindicare ſuo ſibi jure poteſt. Officia quibus ejus ſimiles coli atque obſervari ſolent, in una atque altera urbe non præſtiti? at id præſtem, quod hinc DUODI, inde LIPSII nomine tanquam geminis alis evectum totum peragret orbem terrarum; ita ut omnes boni, qui VENETUM nomen; omnes docti, qui Lipſium amant, me PETRUM DUODUM ſemper eſſe admiratum, ſemper tacite coluiſſe intelligant. His ego omnibus humanitatem tuam, & litterarum amorem cum aſpergerem, abjeci, ut vides, nimium pudorem, meque non modo Tibi, ſed etiam orbi terrarum aperire auſus ſum. Quod utinam id tam mature factum videatur, quam ſpero fore, ut hanc recentem licet exiguam veteris meæ in te obſervantiæ ſignificationem boni conſulas. Vale. Patavii Kal. Auguſtis. cIↄ Iↄ cIx.

VINCENTIUS CONTARENI DE MILITARI ROMANORUM STIPENDIO COMMENTARIUS.

De militari ſtipendio, quæ tradidit Lipſius libro Electorum primo, & in Commentariis ad Tacitum vera non videri.



A NEque ullus eſt ager, quamlibet improbo agricolæ labore ſubactus, quin lolii quid, aut herbarum ferat; neque aurum adeo excoqui poteſt, nihil ut in eo ſit alieni metalli. Haud abſimilis humanæ mentis, quæ ſuapte vi nititur ad veritatem, ratio eſt. Ut enim exacuat, quoad ejus fieri poteſt, aciem ſuam, interdum tamen cavere ſibi a mendacio nequit, quod non blanditur modo veri ſpecie, ſed etiam facit, B ut quod falſum eſt, id unum verum eſſe videatur. Quidquid uſquam hominum eſt, laborat hoc vitio. Fallimur omnes per impr lentiam, & fallimus. Quo minus mirum videri debet, Juſtum Lipſium, virum alioqui doctiſſimum, antiquitatis præſertim bono natum, lapſum eſſe iis in locis, quibus nemo potuiſſet uſque ad ejus ætatem citra lapſum inſiſtere. De militari ſtipendio apud Romanos vetus inter doctos quæſtio eſt. *Ego*, inquit, *audebo certum concludere*. At quæ illi certa, mihi tam dubia videntur, ut putem, ne de induſtria quidem eum tam longe a ſcopo aberrare potuiſſe. Quoniam autem is ego ſum, qui humanæ huic im- C becillitati æque ut omnes, aut etiam ſupra omnes eſſe me obnoxium ſentiam, & fateri poſſim, libet ponere in medio, quæ faciunt, ut Lipſium non audiam, eaque eruditorum judicio ſubjicere. Pecuniam, frumentum, veſtem uno ſtipendii nomine contineri: pecuniam dari cœptam anno V. C. CCCXLVII. modum initio exiguum fuiſſe oraculis Sibyllinis verius eſt. Reliqua habent dubitationem. Græci drachmam, qua Romanum denarium ſignificant, dividunt in obolos ſenos. Polybius igitur lib. VI. memoriæ mandavit diurnum ſtipendium ævo ſuo fuiſſe binos obolos; centurionis duplex; equitis drachmam. Obolos duos Lipſius di- D cit *fuiſſe tres aſſes, eamque ſummam haud dubi per duos obolos* expreſſam *a nobili hiſtorico*. Ego vero duos obolos quinis minimum aſſibus reſpondere autumo. Utque me Plauti in Moſtellaria locus, de quo mox dicam, non deterret, quin ita ſentiam: ſic Polybius ſive librum, in quo hæc prodidit, ſive tempora quibus hiſtoriam ſcripſit, ſpectemus, in ſententia confirmat. A bello enim Punico ſecundo exorſus, cauſſiſque ejus altiſſime repetitis, & libro III. Annibalis in Italiam adventum, & cum alias, tum acceptam ad Cannas a Romanis cladem exequutus, libro demum VI. quæ diximus, de militum ſtipendio ſcripſit. At anno ante Cannenſem pugnam dictatore Fabio denarius ſenisdenis cœperat aſſibus æſtimari, ut ex Plinio diſcimus libro XXXIII. cap. 3. *Annibale urgente Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium XVI. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis*. Faſtos nunc ſi libet, adeamus: Fabium dictatorem anno U. C. DXXXVI. fuiſſe; cæſos ad Cannas Romanos DXXXVII. reperiemus. In his igitur memoriæ mandandis qui habitam a Polybio temporum rationem exiſtimat, ei fatendum eſt, non ternos, ſed quinos aſſes diurnum Romani pedites ſtipendium fuiſſe. Quid? quod hæc fortaſſe non eorum, quibus narrantur, propria temporum fuerunt, ſed illis etiam communia, quibus hiſtoria ſcribi cœpta eſt, quod anno poſt U. C. DXXCV. accidit, quo L. Æmilius Paullus Perſe devicto Macedonum imperium evertit. Id poteſt intelligi ex libri III. initio, ubi hiſtoriæ terminum ſtatuit regni Macedoniæ interitum, qui in annum ab aucta denarii æſtimatione L. incidit: ut qui tanto poſt ſcribere cœpit, eum ſit veriſimile, quod Romani milites ævo ſuo ſtipendium acciperent, notaſſe. Atque hæc mihi ratio eo videtur firmior, quod quæ proditur libro illo VI. Romanæ Reipub. domi bellique adminiſtrandæ ratio, in eos etiam, qui ſequuntur, libros, aut in operis calcem rejici potuit. Neque enim habet quidpiam eorum temporum, quorum narrationi interponitur, proprium ac peculiare. Quamquam ſummo conſilio factum a Polybio eſt, ut hic potiſſimum digreſſionem eam collocaret, quæ quaſi præluceret libris omnibus inſequentibus facem; cognitis jam cum domeſticis, tum bellicis ejus Reip. legibus atque inſtitutis, cujus res geſtæ litteris mandarentur. His accedit, quod ni idem urgente bello Punico II. & confecto Perſico miles Romanus ſtipendium accepiſſet, non videtur Poly-

bius fuisse id silentio præteriturus: cum eorum, quæ mutata erant, quæque ævo suo secus atque olim fiebant, lectorem tam sæpe admoneat. Ut autem hunc locum pro virili perpurgem, non dissimulabo probari mihi nunquam potuisse obscuram illam, & pugnantem secum temporis significandi rationem, qua usus est Lipsius, cum dixit: *Polybii ætate, id est, sub bellum Punicum secundum*, stipendium id fuisse, quod diximus. Quid enim quæso est *sub bellum Punicum secundum*. Utrum paullo ante id bellum? Reclamat Polybius, qui hæc narrat post acceptas eo bello tres maximas clades. An eo recens suscepto? repugnat Latine loquendi consuetudo. Quanto igitur satius erat removere hunc obicem, ad quem tam multi, quibus fastos consulendi otium non est, possunt offendere, & clare ac dilucide tempora notare? At res, dicet quispiam, non processisset, neque illa Polybiani & Plautini loci collatio. Sat scio: neque tamen scripsisse Lipsium ambigue, quo cuiquam fucum faceret, persuaderi mihi unquam patiar. Non cadunt, meo quidem animo, in ejus mores, non in eruditionem fallaciæ. Falsum esse potius credam itidem in hoc, atque in eo, quod addit, *Polybii ætate* rem sic se habuisse. Nam Polybius Plinio auctore lib. V. cap. 1. res gessit cum Scipione Æmiliano, a quo eversa Carthago est anno V.C. DCVII. vixit annos duos & octoginta, ut est apud Lucianum in Macrobiis. Fac igitur septuagenarium se bello immiscuisse. Redi ad fastos: retro annos numera ad primum belli Punici secundi, qui fuit V.C. IↃXXXV. Polybium nondum in lucem editum fuisse comperies: atque ut aliquanto major natu, quod vix credibile cuiquam videatur, bella tractarit, vix natum. Si igitur de *Polybii ætate* accipienda hæc sunt, ut Lipsio placet, fateamur necesse est, drachmam ab eo senisdenis; obolos duos, quinis, ut dixi, assibus fuisse æstimatos. Cum autem additur, ad ea, quæ refellimus, confirmanda, Plauti e Mostellaria locus, valde vereor, ne error errore cumuletur. Duos obolos esse tres asses *doceo*, inquit Lipsius, *ex Plauto, cujus loco primus do lucem in Mostellaria*, Scena *Jupiter supremus*:

Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Isti, qui trium nummorum caussa subeunt sub falas,
Ubi aliqui quindenis bastis corpus transfigi solent?

Nam tres nummi hic tres asses, & ad stipendium militare diserta allusio comici servi. Si quoto Urbis anno facta esse hæc fabula, aut poeta natus, aut quandiu vixisset, constaret; multo plura fortasse ad interpretationem hanc confutandam suppeterent argumenta. Cum enim Plautum anno V.C. DLXIX. censore Catone e vivis excessisse doceat Cicero de claris oratoribus; si quinquaginta exempli gratia vixisset annos, pulcherrimam fabulam vix toga virili sumpta scripsisset. Annus enim XVII. in eum, quo dictaturam gessit Fabius, incurreret. Sed hæc mittamus parum comperta, & in obscuro posita: alia autem certa, & quæ refelli vix possit, ratione, utamur. *Nummum* & *sestertium* unius ejusdemque rei plerunque nomen esse apud omnes in confesso est. Non enim sexcenti, sed innumeri plane occurrunt veterum scriptorum loci, qui hoc docent. Quod si quis tamen testes requirit, ne actum, quod ajunt, agam, eum ad Budæi librum I. & II. de asse ablegabo. Profecto igitur tres Plauti nummos curtos esse oportuit, si tribus duntaxat assibus una cum Lipsio æstimandi sunt. Integri enim sestertii nummi tres ante Fabii dictaturam septenis assibus & semisse; post eam duodenis essent permutati. Præstat igitur, quæ scribit Plautus, referre ad circum, quo Lipsius quoque referri posse animadvertit; & duos Polybii obolos, quinos, ut dixi, asses interpretari. Atque hoc fortasse stipendium est, quad auctore Suet. cap. 26. Cæsar *legionibus in perpetuum duplicavit*: ita ut militibus quinos asses accipere solitis, denos dederit, & vero etiam dari in perpetuum voluerit. Quamobrem Augustus patrem, pro eo ac debebat, reveritus, cum *quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum formulam adstrinxit*, ut Suetonii verbis utar cap. 49. denis in diem assibus nihil detraxit, ac ne addidit quidem, sed duplicato a patre in perpetuum stipendio contentos esse voluit. Sed antequam plura de Augusto dico, pauca de Lipsii suspicione dicenda sunt. Sub Cimbricum bellum, quod exarsit anno V.C. DCXL. factam esse aliquam ad duorum obolorum stipendium accessionem ut suspicetur, faciunt Asconii verba in Cornelianam. *Junius* consul anno V.C. DCXLIV. *male rem adversus Cimbros gessit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc gerebantur, latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit. Frustra enim*, inquit Lipsius, *imminutum stipendium, nisi præter morem auctum*. Ut supra nummi, ita hic ambiguum stipendii nomen imposuisse Lipsio videtur. Sunt enim stipendia non solum æra, quæ meret miles, de quibus in præsentia disputamus, verum etiam certus annorum numerus, quibus militare olim tenebantur. Si urgeret necessitas, XX. fuisse docet Polybius in VI. Atque hæc stipendia sunt, quorum meminit apud Livium libro XLII. Sp. Ligustinus his verbis. *XXII. Stipendia annua in exercitu emerita habeo*. Ubi *annua* addidit, a diurnis & menstruis ut discernerentur. *XXII.* scripsi, ut hoc obiter dicam, libros omnes sequutus. Lipsium enim ad Taciti Annal. librum I. insuper habito eorum consensu XXX. reponentem corrumpere locum illum mihi exploratissimum est: cumque id, quod sum exorsus, pertexuero, appendicis loco in capite extremo docebo. Ut igitur ad Junium redeam, cum per eos annos latæ essent leges, quibus annua stipendia minuebantur, factum est S.C. ut leges illæ abrogarentur. Hæ sunt, quas significat Cicero in prima Corneliana illis, ad quæ Asconius, quæ supra recitavimus, notavit: *Quatuor omnino genera sunt, Judices, in quibus per Senatum more majorum statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi: Placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Junio Coss. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur*. Impediebant autem emerita breviore militia stipendia, non imminuta pecuniæ summa. Sive enim quinos, sive ternos mererent in diem asses, dare nomina cogebantur: immatura autem missione obstabat lex, quominus opera veteranorum Respub. uteretur. His accedit, quod rogationem de minuendo ære militari neque ad populum quisquam tulisset, neque populus scivisset, neque Senatus abrogari voluisset. Ut autem sub Cimbricum bellum imminuta, sic per bella civilia militibus conciliandis aucta esse stipendia Lipsio verisimile, mihi supervacaneum videtur. Cum enim duces largiendi modum nullum facerent, non aucto stipendio, sed multo majore profusione, villis, agris, numerata pecunia, aut pronuntiata ad militum animos sibi conciliandos certarunt. Compositis rebus Augustus denos in diem asses, ut dicere cœperam, militibus dedit, qui hanc ob caussam apud Tacitum lib. Annal. I. queruntur *denis in diem assibus animam corpusque æstimari*, & diurnum denarium efflagitant. Multa sunt, quæ hic nos turbent. Primum Plinii locus e lib. XXXIII.

cap. 3. qui denarium urgente Annibale senisdenis assibus permutari cœptum cum dixisset, hæc addit: *In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus*. Quod si verum est, cur quæso miles apud Tacitum denarium flagitat, quem accipiebat? Deinde negotium nobis facessit res nova, ante hanc diem inaudita, & quod gravius est, cum veteribus scriptoribus pugnans, denarium Augusti & Tiberii Principum ævo assibus non amplius duodenis fuisse æstimatum: quod tamen ex hoc Taciti, & alio Suetonii loco, in Domitiano, Zonara utriusque conciliatore confici videtur. Nam Sueton. cap. VII. hæc habet: *Addidit & quartum stipendium militi aureis ternis*. Sic legit Lipsius non *aureos ternos*, ut est in vulgatis. Cum igitur Zonaras hac ipsa de re agens dicat militibus septuagenos quinos denarios accipere solitis, Domitiani jussu centenos datos, fit, ut stipendia singula menstrua fuerint denarii viceni quini, sive aureus unus Romanus. Nunc redeamus ad Tacitum, & asses menstruos trecentos, quos deni in diem efficiunt, in partes quinque & viginti diducamus: totidem reperiemus denarios assium non amplius duodenum. Pliniani loci una atque altera profertur a Lipsio interpretandi ratio, quarum prior illi potior, mihi deterior videtur. Posteriori habeo quod addam, quo magis illustretur. Priorem proponam ipsis Lipsii verbis. *Ea*, inquit in commentariis in Taciti Annal. I. *severitas disciplinæ militaris fuit, ut quamquam denarii pretio sæpius aucto, miles tamen nihil inde commodi senserit; sed proinde illi in stipendium denarius processerit, quasi si esset tantum assium denum. Ea Plinii mens*. Quid ego hic probem, aut non probem? quid mihi verum, quid falsum videri dicam? *Severitas* ad stipendium quod attinet, *disciplinæ militaris fuit*? imo patrum, ut mox docebo, indulgentia. *Denarii pretium sæpius auctum* est? imo semel post Urbem conditam. *Miles nihil inde commodi* sensit? imo plurimum. Obscura clausula est. Utrum enim dicitur, milites denarium accepisse pro denis assibus, an denos asses pro denario? Si prior placet sententia, hæremus in iisdem vadis, nihilque interpretando proficimus. Pugnat, ut antea, Plinius cum Tacito. Sin posterior, pugnat Lipsius cum Plinio, qui non denos asses pro denario, sed pro denis assibus datum denarium prodit. Inter hæc autem quantum intersit, qui non videat, puto esse neminem. Denos asses dat pro denario, qui dicit: Denarium meres? Cape denos asses: hic denarius est. Datur autem denarius pro denis assibus ad hunc modum. Denos asses meres? Cape denarium; hi deni asses sunt. Quid autem alienius, quam utramque rationem miscere, & posteriorem priore interpretari? ita ut qui denarium accipit pro denis assibus, Plinio teste, is denos asses accipiat pro denario, Lipsio interprete? Quando igitur nondum in hac quæstione sunt Alcedonia, restat, ut eam negemus Plinii mentem fuisse. Quod addit Lipsius: *Si alia* fuit, *de prisca Republ. sensit, non de hac Augustæa*. Hoc demum probare possum. Unum addo: videri mihi verba illa Plinii *urgente Annibale*, quæ in superiori sunt comprehensione, ad hanc quoque sententiam pertinere, quamquam non repetuntur. ut hoc dicat Plinius: Patres tam gravi & periculoso bello vexatos ad seditiones vitandas, militesque incitandos in tanto discrimine ad vitam pro patria fortiter profundendam, voluisse denarium iis dari vetere denum assium æstimatione. Parta autem victoria, militibus quoque dari cœptum pro XVI. assibus. Et de Plinii quidem loco ita sentio. Suetonium vero Tacito conciliare majoris est operæ: nihilo-

A minus antiquitatis studiosis ut prosim, nihil intentatum relinquam. Duo igitur mihi, quantum vires meæ ferent, præstanda sunt. Sestertium Augusti & sequentium Principum ævo semper XVI. nunquam XII. assibus fuisse æstimatum ut doceam: & Suetonii locum, vulgatosque codices, qui habent *aureos ternos*, integros esse ostendam. Nam ut de sestertio primum dicam, per mihi mirum videtur Vitruvium, quem Augusto Principe scripsisse constat egregios, qui extant, de architectura libros, in eorum III. capite 1. denarii primum denos, deinde senos denos habentis asses meminisse. duodenis autem assibus permutati

B mentionem nullam fecisse: cum tamen si decussissexis, ita duodenaria æstimatio manare potuerit a pede, qui cum denarius ibi comparabatur. Ut enim pes quatuor habet palmos, uncias duodecim, digitos sedecim; sic habuisset denarius sestertios quaternos, asses nunc duodenos, nunc senos denos. Sed multo, ut ille ait, mirius videtur, Plinium lib. XXXIII. cap. 3. diligentissime in hoc argumento versatum de permutato duodenis assibus Domitiani ævo, se illa prodente, denario siluisse, quamquam res erat insignis, & jam inde ab Augusti principatu usu recepta, ut haud

C obscure significat Lipsius. His Mæcianus accedit J.C. qui sub Antoninis tanto post Plinium de æstimatione denarii scribens, hac quidem in parte pisce est taciturnior. Quæ hæc igitur veterum scriptorum, qui Augusti, & sequentum Principum temporibus vixerunt, conspiratio est? Quod esse hoc dicam pertinax quasi de compacto silentium? An quod nunquam est factum, id mandare literis non potuerunt? Plane ita videtur; cum ad novam sententiam convellendam ne rationes quidem, quas rationibus opponamus, desint. *Per bella*, inquit Lipsius in Tacitum, *civilia (& sentimus etiam nunc) creverat auri pretium*

D *& argenti. Itaque denarius XVI. primo assibus, tandem æstimari duodenis cœpit, in eoque stetit Augusti & sequentium aliquot principum ævo*. Aurum & argentum, sed aurum magis, hodieque reciprocantis maris instar nunc pluris æstimari, nunc minoris pro argentariorum & publicanorum libidine vidimus. Neque tamen arbitraria hæc, ut ita dicam, æstimatio infra legitimam unquam fuit. Pluris facta est pecunia, quam quanti erat; nunquam minoris. Atque hoc est, quod sensimus. Videamus reliqua: *Denarius XVI. primo assibus æstimari cœpit*. Hoc aperte falsum: aut

E si verum est, ad rem minime facit. Falsum; si hoc dicit, quod superior postulat sententia, bellis civilibus factum esse, ut denarius assibus senisdenis permutaretur. Anno enim CLXIX. ante bellum civile Pompejanum, ut altissime repetam, cautum erat, id ut fieret, quemadmodum ex Plinio docuimus. Sin hoc dicit; cum vetus illa permutatio obtineret, pace parta, denarium nonnisi XII. assibus æstimari cœptum: qui docet, quod instituerat? aut quo illa pertinent de bellis civilibus & argenti pretio per ea augeri solito? Quod addit denarium *tandem æstimari duodenis* assibus cœptum, ejus rei caussam quæro. Neque enim affertur ul-

F la: cum tamen ego, cur augeri potius, quam minui debuerit æstimatio, afferre caussam gravissimam possim. Vix est enim ut Princeps minuat, vel si pecunia exundet supra votum, nedum ut id faciat in ærarii angustiis. Ecquando fuit Resp. Romana ditior, quam Perse devicto, & omni Macedonum gaza Romam translata, anno V. C. DXXCVII. quo tempore P. R. tributum pendere desiit: aut sub Punicum bellum III. sub sociale; sub civile Pompejanum? nec tamen unquam denarii æstimationem imminutam fuisse le-

gimus. Victo autem Antonio, & Jano clauso, quamquam præda ingenti parta, maximas tamen fuisse angustias pecuniæ publicæ docet Mæcenatis apud Dionem oratio lib. LII. habita anno post Ægyptium triumphum. Is fuit V. C. DCCXXV. Ea oratione Mæcenas Augusto auctor est, ut ad rem pecuniariam, quæ arcta erat, explicandam publica omnia subjiciat hastæ, tributumque imperet, in quo nihil prætereat eorum, quæ aliquem possessori fructum ferunt. Anno insequenti, DCCXXVI. pecuniæ mutuo sumptæ in ærarium exhaustum illatæ sunt; eodem auctore initio libri LIII. Nec pax ærario, quantum ingentes postulabant sumptus, opitulata est. Anno enim DCCLVIII. Augustus ad Senatum retulit, de vectigali novo instituendo, unde stipendia & præmia militibus persolverentur. Cumque producta re in annum insequentem nemo omnium Senatorum comminisci quidquam, quod probarent omnes, potuisset; eo ventum est, ut vicesima hæreditatum & legatorum exigeretur, quamquam id ferebat populus animo iniquissimo. Huic vectigali addita est anno insequenti, quamquam aliter Lipsio videtur in Taciti Annalium librum II. centesima rerum venalium, & quinquagesima, seu quinta & vicesima venalium mancipiorum. Mirari hic subit Augusti & Senatus prudentiam, qui novis exactionibus vexare populum instituerunt; quod erat ante pedes, quodque omnibus placuisset, non viderunt. Age Auguste: pecuniam quæris? quantamvis nullo negotio dabo. Ea modo vera sint, quæ de imperii opibus, deque sestertii permutatione a Lipsio traduntur. Habes in publicis reditibus HS. sexagies millies, sive centum & quinquaginta auri milliones. Argentum exige, & fac, ut denarius non duodenis, sed, ut olim, senisdenis in posterum assibus æstimetur. Accedet lucro pars quarta, id est, quinquaginta milliones, & sumptus suppetet sine difficultate ad milites tuendos, prosequendosque. At quarta pars vectigalibus quoque, si denarius augeatur, accedet. Verum. Sed neque sine vectigali aliquo expediri res potest; neque hoc Rempublicam bello Punico II. deterruit, quin pluris denarium æstimari vellet; neque novum vectigal facilius Urbs, & Italia solæ, quam totus Romanus orbis persolvet. Una restat examinanda, vel, ut verius dicam, animadvertenda Lipsii verborum clausula. Cum enim dicit denarium *duodenis assibus æstimari* cœptum, in eo stetisse *Augusti, & sequentium aliquot Principum ævo*, rem haud obscure ad Domitianum producit: quod ni ita esset, omnia quæcunque disputat de quatuor stipendiis, corruerent. At Domitianus melius multo consuluisset rebus suis, si stipendio exhaustus, quod adjecerat, quam dixi proxime, adhibuisset huic malo medicinam, non prædatus esset omni modo, & fiscum acerbissime egisset. Id enim ei vitio vertit Suetonius; cujus locum superius propositum jam tempus est, ut sartum tectum tueamur, & a minime necessaria emendatione vindicemus. *Addidit*, inquit, *& quartum stipendium militi aureos ternos*. Hæc ita accipio, ut milites, qui tribus stipendiis ad aureos binos, & denarios aliquot pervenerant, quarto addito, tres totos aureos acceperint. Novam sententiam oppugnat aperte allatus a Lipsio & a Torrentio semel & iterum Zonaræ locus, de quo quid mihi videatur, dicam posterius: nunc vera hæc sententia esse possit, nec ne possit, videamus. Milites apud Tacitum denos accipiunt in diem asses Augusti & Tiberii Principum ævo: trecentos igitur in mensem dierum XXX. Hos in sexdecim partes qui diduxerit (tot enim assibus per ea tempora, ut diximus, denarius permutabatur) is comperiet esse denarios XVIII. asses XII. Hoc igitur unum, mea quidem sententia, stipendium est. Adde alterum; denarii fient XXXVII. asses IIX. Tertium succedat; denarii erunt LVI. asses IV. cumque aureus Romanus denariis vicenis quinis æstimetur, tria stipendia erunt aurei bini, denarii seni, asses quaterni: quos rotundavit, ut cum Horatio dicam, Domitianus, cum quartum stipendium addidit. Nam si denariis LVI. assibus IV. denarii accedant XIIX. asses XII. denarii fient LXXXV. id est, rotunde aurei terni, quos aucto a Domitiano stipendio R. milites accipiebant. Hac ego ratione cum & veterem tuear denarii æstimationem, & probatam non modo impressis, verum etiam omnibus, ut docti viri testatum reliquerunt, calamo exaratis codicibus Suetonii lectionem, tamenne verear, ne Zonaræ malint viri docti credere? Non verear, ne si nihil quidem habeam dicere, nisi a Latinis scriptoribus Græcum, ab historicis historicum dissentire. Solet fieri; ut vel illi norunt, qui historias primoribus labris attigerunt. Græci præsertim, cum a Latinis hauriunt, multa pervertunt. Id Zonaræ ut non acciderit, illis fortasse accidit, quos ille habuit hujus rei auctores. Ut ut est, uno verbo, qui nihil velit in historia pugnans relinquere, is omnes corrumpat, vel e medio tollat, necesse est. Hæc habui, de diurnis, sive menstruis stipendiis quæ dicerem. De annuis fuse hic disputandi consilium non est. De Sp. duntaxat Ligustino, ut me facturum recepi nonnulla, quæ appendicis loco erunt, attexam. Is apud Livium lib. XLII. viginti duo stipendia annua se in exercitu emerita habere dicit. Lipsius invitis libris plane omnibus XXX. reponit. Ego illi Sp. ipsum Ligustinum judicem fero, cujus verbis nonnisi XXII. fuisse docebo. *Miles*, inquit, *sum factus P. Sulpicio, C. Aurelio Coss.* is fuit annus V. C. DLIII. quo Philippicum bellum initum est. *Devicto Philippo, Macedonibusque, cum in Italiam transportati, ac dimissi essemus.* Is annus fuit DLVII. Quinque igitur hactenus habemus stipendia. *Continuo miles voluntarius cum M. Porcio Consule in Hispaniam sum profectus.* Annum significat DLVIII. Triumphavit Porcius anno insequenti. Bina hic stipendia. Sequuntur anni DLX. & DLXI. quibus non militasse Ligustinum indicant, quæ apud Livium sequuntur: *Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eo exercitu, qui adversus Ætolos & Antiochum est missus.* Primum enim T. Quinctio, deinde M. Porcio, tertio M. Acilio duce meruit annos duos DLXII. DLXIII. quo anno *expulso rege Antiocho, subactis Ætolis reportati*, inquit, *sumus in Italiam*. Bina hic quoque stipendia. Totidem, quæ sequuntur: *Et bis deinceps, quæ annua merebant legiones, stipendia feci*. Anno DLXIV. DLXV. Quinquennio insequenti vacatio illi militiæ fuit, ut docent, quæ sequuntur: *Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho Prætore.* Flaccus Prætor fuit anno DLXXI. triumphavit DLXXIII. quo ipso anno a Ti. Graccho rogatus in provinciam iit, atque ibi fuit usque ad ejus triumphum, qui incidit in annum DLXXV. quinque igitur in Hispania stipendia fecit. Ex eo tempore Imperatores non nominat, sed rem uno verbo absolvens XXII. inquit, *stipendia feci*, ut intelligamus militasse eum usque ad Persicum bellum, quod anno V. C. DLXXXII. quo hæc agebantur, susceptum est. Inter annum autem DLXXV. & DLXXXII. sexennium intercedit, quod si XVI. quæ jam numeravimus, stipendiis addas, XXI. fient. Cogitandum igitur


Lipsio fuit, antequam huic loco manus afferret, non modo quot inter Philippicum & Persicum bellum essent anni interjecti, verum etiam an fieri potuerit, ut Sp. Ligustinus non semper militaret. Quamquam ut apud exercitum perpetuo fuerit, nonnisi XXIX. stipendia potuit merere, qui anno XXX. militiam detrectavit.

De Romanorum igitur stipendio ita censeo. Neque Polybii obolos binos, neque Plauti nummos ternos esse tres asses. Neque Polybium aut floruisse, aut scripsisse sub bellum Punicum II. Neque A Junium Consulem ex S. C. leges, quibus æra militaria minuerentur, abrogasse. Neque per bella civilia stipendiis auctis, sed immodicis largitionibus esse certatum. Neque bello Punico II. denos asses pro denario militibus dato: neque post id bellum denarios, nisi pro XVI. assibus. Neque denarii pretium nisi semel auctum, nec unquam postea id imminutum, & ad asses XII. redactum. Nec Suetonii locum de aureis ternis a Domitiano militi datis, aut Livii de XXII. annuis Sp. Ligustini stipendiis emendatione indigere.

F I N I S.



MICHAEL ANGELUS CAUSEUS
DE LA CHAUSSE
PARISIENSIS
DE
SIGNIS MILITARIBUS.


TAB XVI

MICHAEL ANGELUS CAUSEUS DE LA CHAUSSE PARISIENSIS

DE

SIGNIS MILITARIBUS.



Ntiquitus signa legionum apud Romanos erant Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, & Apri, quorum simulacra singulos ordines anteibant. Sola deinde Aquila in acie portabatur, cæteris in castris relictis: sed Marius secundo suo consulatu reliquis in totum abdicatis Aquilam Romanis legionibus proprie dicavit. Auctor est Plinius lib. X. cap. 4. Illam summæ hastæ impositam Aquilifer portabat, & erat primum totius legionis signum, teste Vegetio lib. II. cap. 13. qui hanc legionis divisionem refert. Legio in decem cohortes divisa est; cohors autem in quinquaginta manipulos; & manipulus rursum in vigintiquinque milites. Ex quibus liquet singulam cohortem mille ducentorum quinquaginta militum conscriptam fuisse, legionem vero duodecim & quingentorum, cum antea quatuor millium, deinde sex millium & ducentorum tantum fuisset, si fides Pompejo. Signa militaria insignia erant cohortium, quæ per ea discernebantur, ut docet Tacitus lib. 1. Ann. Ne autem acies turbaretur, militesque a contubernalibus aberrarent, singula cohortium signa quibusdam notis ac litteris distincta fuisse scribit Vegetius loco cit. Primis Reipublicæ temporibus manipulo fœni, aut alterius herbæ perticæ alligato Romani pro signis utebantur. Ovidius lib. III. Fastor:

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Succedentibus vero annis manum vice fœni, aut herbæ, ad manipuli voci forte alludendum, hastæ imposuerunt, clypeolis totam hastam tegentibus, qui Deorum, & Imperatorum, virorumque Principum imagines referebant, ut legitur apud Suetonium in Calig. cap. 14. narrantem Artabanum Parthorum Regem Aquilas, & signa Romana, Cæsarumque imagines adorasse. Sic etiam Herodianus lib. VIII. mortem Maximini a militibus occisi referens: *Τάς τε εἰκόνας ἐκ τῶν σημείων κατασπῶσι, καὶ αὐτὸν σὺν τῷ παιδὶ προελθόντα τῆς σκηνῆς, ὡς δὴ ἄρα διαλέξαιτο αὐτοῖς, οὐκ ἀνασχόμενοι ἀναιροῦσι. Postquam de signis militaribus illius imagines detraxerant, prodeuntem mox ex tentorio*

A *cum filio, ut ad eos loqueretur (hoc illi non concessu) continuo obtruncat.* Drusi quoque imaginem, ut & ipsius Sejani inter signa fuisse patet ex Tacito lib. I. Ann. & Suetonio in Tib. cap. 48. Apud Romanos signa militaria in pari veneratione tenebantur ac Deorum simulacra, Tertullianus in Apolog. *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Diis præponit.* Illa in rebus lætis ac festis diebus inungebantur, si credendum Plinio lib. XIII. cap. 3. *Aquila ac signa pulverulenta illa, & custodiis horrida innunguntur festis diebus.* Eadem floribus decorari scribit Claudianus:

B

Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis armantur frontibus hastæ.

Erant illæ inferiori parte acutæ, ut in terram facile defigerentur. Virgilius lib. VI. Æneid.

Stant terræ defixæ hastæ.

Posteriori ævo his signis in totum abdicatis usurpatos fuisse Dracones tradit Vegetius. Aquila
C pariter Legionaria extat penes Ill. Josephum Felice S. D. N. PP. Prælatum domesticum.

Signum Victoriæ alatæ lauream manu gerentis tamquam felix omen in Romanorum acie portabatur, ut apparet in Columna Trajana, variisque toreumatibus antiquis Victorias huic, quam exhibemus, similes Vexillis impositas referentibus. Istæ imagunculæ forsan erant illæ, quæ vel boni ominis causa Imperatoribus ad bellum proficiscentibus, vel iisdem ob imperii primitias offerebantur, & de quibus hæc scribit Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Qua spe Tripoli-*
D *tani frustrati, formidantesque extrema, adlapso legitimo die Concilii, quod apud eos est annuum, Severum & Flaccianum creavere Legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob Imperii primitias oblaturos.* Hæc Victoriola, quæ pulcherrima & elegantissima est, summæ hastæ procul dubio imponebatur; & ad hunc effectum, ut conjectare licet, perforata fuit. Asservatur illa in nobilissimo Petri Antonii Rolandi Magnini gazophylacio, quod fuit olim Caroli Magnini ejus patrui rei antiquariæ studiosissimi. Multa in eo præclara, & rara custodiuntur, sed præsertim superbissimæ & ditissimæ armaturæ, idola Ægyptia parva quidem ex ære, at ex lapide ad natura-

lem magnitudinem accedentia, antiquæ lucernæ, A numismata, gemmæ, marmorea exquisitissimi artificii toreumata, eximiorum pictorum tabulæ, aliaque tum antiquæ, tum modernæ magnificentiæ monumenta, quæ, summa Domini comitate & affabilitate, extraneorum admirationi quotidie proponuntur.

Vexillum pro quolibet signorum genere accipiebatur; proprie tamen erat Equitum, modicum habens velum quadratum ad hastam in modum cruris expansum, de quo multis in locis Vegetius. Quidam pro *Vexillo Labari* vocem substituunt, sed B absque ullo probabili legitimoque fundamento; siquidem ante inferius ævum nusquam apud antiquos scriptores Labari mentio, ut in suo Vitæ humanæ Theatro notavit Laurentius Beyerlink in voce *Labarum*. Tempore Tertulliani videtur ea vox cognita nondum fuisse. Constat autem Constantinum Imperatorem statim a conversione Labarum formasse in signum crucis: etenim apud Tertullianum non *Labari*, sed *Vexilli* & *Cantabri* nomina leguntur: sic in Apolog. cap. 16. *Omnes*, inquit, *imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt: siparia illa Vexillorum & Canta-* C *brorum stolæ crucium sunt*. Quam sententiam confirmat eruditissimus Baronius Ann. Eccl. tom. I. anno sal. 312. cap. 5. his verbis: *Sed quod ad Labari antiquitatem pertinet, facilius erit in vetustis Imperatorum victoriarum monumentis sculpta oculis spectare Labaro signa similia, quam ejus nomen apud veteres scriptores ethnicos legere. Cæterum Vexillorum appellatione illud expressisse, eademque Cantabra etiam nuncupasse, ex iisdem, quos citavimus, Tertulliano, & Minutio manifestum redditur*. *Cantabra* autem a *Cantabris* in Hispania populis dicta putat idem Cardinalis, qui hanc differentiam inter *Vexilla*, *Cantabra*que, ac *Labara* fuisse scribit, quod illorum vela transversæ hastæ sic alligata erant, ut rugas aliquas sui contractione admitterent: at in Labaris sic erant expansa, ut integras in se depictas exhiberent imagines, ut videre licet in plurimis toreumatibus, nummisque antiquis, & maxime in duobus hic exhibitis, in quorum uno ad Ælium Cæsarem pertinente repræsentatur Pannonia dextra Vexillum gerens, sinistra stolam sublevans. In altero adversam Constantini nummi partem referente stant duo milites hastati clypeis innixi Labaro intermedio. Præterea in exercitu plura erant Vexilla, Labarum autem non nisi unum, velum habens ex purpura, auro, gemmisque circumtextum, Imperatoribus solitum præferri, in quo Constantinus characterem hieroglyphicum nomen Domini nostri Jesu Christi significantem inscribi jussit, in memoriam ejus signi eidem bellum contra Maxentium moventi in cœlo conspecti cum his verbis: ΙΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. IN HOC VINCE. Euseb. in Vita Constant. lib. I. cap. 24.

F I N I S.



PETRI RAMI


Summi Philoſophi & Oratoris

LIBER

DE

MILITIA C. JULII CÆSARIS.

GENEROSO DOMINO
LAZARO A SVVENDY,
DOMINO IN
BURCKHEIM, HOHENLANDSPERG, &c.
DOMINO SUO COLENDISSIMO S.



Um Petri Rami, summi hujus ætatis & Philosophi & Oratoris, Commentarii illi de Veteri C. Julii Cæsaris militari disciplina, de novo in publicum ederentur, GENEROSE DOMINE, hisque patronum aliquem non modum Philosophici, sed & Militaris artificii callentem ac intelligentem requiri & desiderari videremus, nemo nobis aptior aut dignior occurrit, cui eos inscriptos nuncuparemus ac dedicaremus, quam Tua Generositas. Non enim modo honestarum literarum studiis & linguæ Latinæ cognitione ita præstas, ut etiam hominibus otiosis, in scholis eas artes tractantibus, conferri merito possis: verum etiam in re militari ita excellis, ut insigne ac celebre nomen perpetuamque commendationem apud summos Christiani orbis Monarchas ac Dynastas jamdudum inde sis consecutus. Indicant id res maximæ contra Turcos, perpetuos Christiani nominis hostes, sæpe feliciter & magno cum successu ac omni militari labore gestæ. Indicat id amplificatio & splendor dignitatis præcipuæ, quam summa cum gloria familiæ tuæ intulisti. Indicat & matrimonium, quod nuper felici auspicio id nobilissima ac vetustissima Cimberiorum familia contraxisti: quam familiam, si C. Julii Cæsaris etiam tempore floruisse dicam, videar id, quodammodo ipso Cæsare teste, non temere facturus. Cum enim in libro primo belli Gallici, Suevorum meminerit, quorum duces Nasua & Cimberius duo fratres fuerint (quorum ille fortassis Nassvviensis familiæ, hic Cimberiorum pater & primus auctor extiterit) magnam certe occasionem de ea re cogitandi nobis suppeditavit. Sed de his rebus disputent alii, qui majore historiarum cognitione suffulti sunt: ego, quod suscepi, perficiam. Cum itaque Tua Generositas bonarum literarum studiis ita erudita sit, ut horum Commentariorum artificium omnium optime intelligere, & militaribus disciplinis ita exercitata, ut de summo milite C. Julio Cæsare rectissime judicare possit: cuinam potius hanc Commentationem deberi existimaremus, quam Tibi? Cui eam ob causam etiam hujus scripti lectionem jucundam futuram speramus, quod eadem tyrocinia in Martis schola cum C. Julio Cæsare summo Orbis Monarcha Te posuisse recognosces. Itaque suscipies hunc Libellum, GENEROSE DOMINE, ut ab homine Tibi inserviendi & tuæ famæ amplificandæ cupido: præsertim cum mei studii prædem lautissimum habiturus sis nobilissimum ac clarissimum virum Dn. Doctorem JACOBUM Streithium, qui nos ad hoc officii genus aliquando estimulavit. Deus opt. Max. Tuam Generositatem diu servet incolumem. Datum Friburgi Harelugorum, IV. Kalendas Februar. anno CIↃ. IↃ. LXXIV.

Tuæ Generositatis Studiosiss.

JOAN. THOMAS FREIGIUS, J.V.D.

SUMMARIA DISTRIBUTIO

Commentariorum de Militia C. Julii Cæsaris.

Disciplina rei militaris est disciplina belli recte administrandi. Ea consistit in tribus:

- *In Apparatu, qui est in*
  - *Delectu,*
    - *Legionis totius: in qua consid.*
      - *Numerus militum in Legione.*
      - *Partes: decem Cohortes.*
    - *Personæ*
      - *Principes*
        - *Imperator.*
        - *Dux*
        - *Tribunus.* } *Tyronum magistri.*
        - *Centurio.* }
      - *Privatæ, ut Milites: qui sint*
        - *Cives*
        - *Robusti: huc pertinet Ætas, Statura.*
        - *In re militari eruditi: huc pertinet Meditatio domestica.*
    - *Partium Legionis per genera*
      - *Militum.* } *Quæ dicuntur Cohortes.*
      - *Armorum.* }
  - *Commeatu, sub quo*
    - *Stipendium.*
    - *Res frumentaria.*
- *In Castris. Vide signum A.*
- *In Congressu prælii. Vide signum B.*

CASTRA.

A. In Castris consid. tria:

- *Progressus agminis in castra: ubi consid.*
  - *Regionum notitia per quas agmen ducendum est. Hic consid.*
    - *Intervalla locorum.*
    - *Viarum genera, compendia, diverticula.*
    - *Montes.*
    - *Flumina.*
    - *Duces viarum fideles & probatio.*
  - *Agminis Ductus: ubi consid.*
    - *Iter terrestre, ubi consid.*
      - *Agminis ordo diligentior.*
      - *Quantitas itineris.*
      - *Militaris labor in ferendo*
        - *Vallum.*
        - *Arma.*
        - *Cibaria.*
    - *Fluminis & maris Trajectio, quæ fit 4. modis:*
      - *Ponte. Cæsar sic Rhenum bis trajecit.*
      - *Navibus.*
      - *Diducto in in plures alveos fluvio.*
      - *Vado.*
- *Architectura castrorum: ubi consid.*
  - *Locus idoneus*
    - *Frumentationi, Pabulationi, Aquationi, Lignationi, Valetudini militum, Victoriæ si dimicandum sit.*
  - *Forma ex Polybio.*
  - *Constructio. Fiebant enim per legionarium militem, qui*
    - *Erat artifex*
      - *Tentoriorum.*
      - *Fossarum.*
      - *Vallorum.*
    - *Faciebat castra.*
      - *Materiando.*
      - *Fodiendo.*
      - *Aggerando.*
- *Castrensis armorum meditatio & schola militaris: ubi consid.*
  - *Ambulatio seu Decursio tyronum exercendorum gratia.*
  - *Exercitus lustratio: ubi proponebantur*
    - *Præmia fortibus.*
    - *Supplicia ignavis, ut*
      - *Fustigatio.*
      - *Decimatio.*
      - *Ignominiæ causa missio.*
      - *Exauctoratio.*
  - *Otii fuga.*

CONGRESSUS.

B. In Congressu prælii consid. duo:

- *Communia & generalia capita disciplinæ, ab omni casus inscitia, fortuna & temeritate sejuncta, quæ Cæsarem partibus infinitis prudentiorem fuisse quam fortiorem, ostendunt. Sunt autem quatuor*
  - *Vires copiarum & militum. Sic Cæsar, si viribus se inferiorem sentiebat, aut pugna abstinebat, aut hostium copias distrahebat.*
  - *Locus prælii futuri. Superiorem situ & natura Cæsar optabat: aut arte superiorem efficiebat.*
  - *Ordinis ratio. Nam acies variatur*
    - *Numero*
      - *Simplex.*
      - *Duplex.*
      - *Triplex.*
      - *Quadruplex.*
    - *Figura*
      - *Cuneata.*
      - *Quadrata.*
      - *Rotunda.*
    - *Huic contraria est Ordinis confusio ob hostis*
      - *Celeritatem.*
      - *Insidias.*
      - *Diligentiam.*
  - *Cohortatio, cos militaris virtutis, cujus legem Cæsar laudat Pharsalico prælio. Sine hac Cæsar nullam victoriam reportavit. Cæterorum aliquid aliquando defuit illi: sic vicit aliquando*
    - *Cum parvis copiis magnas, ut posterioribus bellis.*
    - *Iniquiore loco ut ad Mundam.*
    - *Ordine non satis instructo, ut contra Nervios.*
- *Speciales prælii differentiæ duæ: nam prælium est.*
  - *Terrestre. Vide signum C.*
  - *Navale. Vide signum D.*

PRAELIUM TERRESTRE.

- *C. Terrestre fit in Locis vel*
  - *Patentibus, ut sunt duo Prælia*
    - *Gallica*
      - *Helveticum: in eo laudes sunt Cæsaris*
        - *Ante prælium, quia*
          1. *Hostium numerum amplificat, tacet suum, licet viribus superior esset.*
          2. *Loco studuit superior esse: subducit copias in collem,*
          3. *Ordinis laus apparet: Cæsari triplex acies fuit & rotunda.*
          4. *Cohortatio.*
        - *Post prælium, fructus Victoriæ. Sapienter victoria usus est.*
      - *Nervicum: quod uti factum, ita narratum a Cæsare confusissime est. Sed capita disciplinæ sunt:*
        1. *Cæsar numero superior fuit.*
        2. *Locorum æquitas & iniquitas.*
        3. *Ordinis imperia.*
           1. *Acies triplex fuit.*
           2. *In cornu sinistro.*
           3. *Duodecima legio taxat a:& orbis.*
        4. *Cohortatio & submissio subsidiorum.*
    - *Civilia*
      - *Pharsalicum fama rerum & dignitate principum clarissimum.*
      - *Mundense.*
  - *Munitis & clausis. Locus ergo vel*
    - *Expugnatur vel*
      - *Ex itinere primo impetu.*
      - *Longiore oppugnatione*
        - *Labore in fabricandis machinis,*
          - *Vineis agendis.*
          - *Aggere jaciendo.*
          - *Turribus ambulatoriis constituendis.*
        - *Tolerantia frigoris, famis, imbrium.*
    - *Propugnatur.*

NAVALE.

- *D. Navale fit, sicut terrestre, cum vel*
  - *Patenti æquore concurritur. Navale prælium Cæs. in Gallia est vel*
    - *Venetum, ubi*
      - *Navalis prælii instrumenta*
        - *Rostra navium tanquam arietum.*
        - *Turres & falces.*
      - *Cæsaris severitas, quali nullis in bellis usus est.*
    - *Britannicum lib.* IV.
  - *Maritimæ urbes*
    - *Oppugnantur.*
    - *Propugnantur.*
    - *Huc refertur Obsessio*
      - *Massiliæ, ubi*
        1. *Apparatus*
           - *Propugnationis.*
           - *Oppugnationis.*
        2. *Contentio*
           - *Navalis duplex.*
           - *Terrestris duplex.*
           - *Eloquentiæ, qua deprecantur culpam.*
        3. *Desperatio & deditio.*
      - *Alexandriæ: ubi duo Navalia prælia.*

FINIS.

PETRI RAMI

Summi Philosophi & Oratoris

LIBER
DE
MILITIA C. JULII CÆSARIS.



Disciplina rei militaris, est disciplina belli recte administrandi, qua præ cæteris gentibus Romani floruere, sed maxime Romanorum omnium Cæsar unus. Cæsaris igitur militiam e bellis ejus præcipue requiramus: Ea est in apparatu, castris & congressu: Apparatus belli, est in delectu & commeatu: Delectus Romanis erat legionis, unde & ipsa nomen habet. Legio primis urbis Romæ temporibus trium millium fuit (ait Varro) ac singulæ tribus Tatiensium, Ramnium, Lucerum millia singula mittebant: postea (ut ait Livius lib. septimo) *quaternum millium & ducenorum peditum* fuit, deinde *quinis millibus peditum, trecenis equitibus* constitit, ait idem libro octavo, & Polybius qui Africani comes, non amplius quinque millibus attribuit. Atque ad hunc numerum Cæsar tertio belli civilis pervenit. *Cohortes* (ait de Pompejo) *centum & decem expleverat, hæc erant millia quinquaginta quinque*: sic inquam, eo loco Cæsar loquitur. Atqui sume pro centum & decem cohortibus legiones undecim, hisque ex equo divide quinquaginta quinque millia, singulis legionibus quinque millia obvenient, qui legionis numerus in Cæsaris militia fuit. Ergo legio numerum illum habuit, sed civium: nam alterum tantum ex sociorum delectu adjiciebatur, ut illo octavo libro Livius ait. Quin auxiliorum numerum Polybius ampliorem facit. Postea, ut Vegetius auctor est, legio sex millia peditum habuit & centum, equites septingentos viginti sex, & auxiliis sociorum instructa, duodecim millia complevit, decem peditum, duo equitum. Major etiam legionis numerus deinde fuit. Partes legionis cohortes appellantur, & numero decem fuere. Sic septimo libro belli Gallici Labienus quinque cohortes castris præsidio relinquit, quinque ejusdem legionis reliquas alio proficisci imperat. Sed in hoc toto legionis numero alii præsunt, alii parent: major in principum delectu providentia adhibenda est: atque in hujus generis quæstione, cui populus Romanus disceptator ac judex propositus erat, quatuor ab oratore postulata commemini, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem: quæ tamen

A quatuor in unum conveniunt. Scientia enim rei militaris ipsa quidem per se a cæteris scientiis distinctas rationes habet: attamen communibus prudentiæ fundamentis innixa ingenuarumque artium disciplinis instructa & ornata sit, necesse est. Virtus eidem oratori est labor in negotiis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, constans & fortis animus in periculis, nullis voluptatum illecebris irretitus. Atqui ea virtus, scientiæ militaris usum exercet habitumque exprimit, & eam scientiam usu virtutis habituque informatam auctoritas & felicitas velut umbra corpus affectantur: auctoritas enim oritur e fide famaque multorum in
B confectis bellis & egregiorum facinorum, ut propterea facilius obtemperetur difficiliusque resistatur. Felicitas autem e scientia, virtute, auctoritate nascitur. Nam qui & consilio providere & virtute atque auctoritate exequi poterit, huic facile rerum eventus secundi ac felices erunt: recte namque a Socrate differitur, aurigas sapientes & nautas insipientibus fortunatiores esse. Neque nomine fortunæ temeritatem casus ullam intelligamus: hanc enim fortunam, ut postea dicetur, Cæsar nullam in rebus secundis sibi adfuisse, imo nonnunquam in rebus adversis obfuisse profitetur.
C Quamobrem scientia rei militaris in eligendo duce, sed virtute perfectam, auctoritate & felicitate comitatam requiramus, magnoque studio tales principes expetamus, idque perpetuo propositum habeamus, ut usu periti rudibus erudiendis præficiantur. Nemo enim bene potest imperare, qui non ante paruerit, nec alios docere, quod a nemine didicerit. Hæc igitur in principibus deligendis consideranda sunt. Militares principes sunt Imperator, ac post eum præcipui Tribunus & Centurio: hos enim rei militaris magistros assidue Cæsar exprimit. Dux ipse, Prætor, Consul aut ejusmodi potestate a populo Romano deligebatur, ut
D Gallico bello proconsulari imperio delectus est Cæsar. Ubi duces belli sunt electi, Tribuni militum deliguntur viginti quatuor: primo quatuordecim ex iis, qui annua stipendia quinque fecerint, decem ex iis, qui decem, equites quidem quatuor, pedites sex. Ac quoniam quatuor legionibus Romana res gerebatur, quadrifariam in singulas legiones dividuntur attribuunturque e junioribus quatuor primum lecti primæ legioni, tres proximi secundæ, quatuor sequentes tertiæ, tres po-

stremi quartæ: At e decem majoribus natu duo primi primæ legioni, tres secundi secundæ, duo proximi tertiæ, tres ultimi quartæ. Ea Tribunorum distributio erat, tum militum delectus ex singulis tribubus in singulas legiones pariter fiebat. E tribu enim, quæ prima sorte educta sit, quatuor adolescentes pares ætate & corporis habitu leguntur, primus est primæ legionis, secundus secundæ, tertius tertiæ, quartus quartæ. Secundo e quatuor iterum similiter electis, primus est secundæ legionis, secundus tertiæ, tertius quartæ, & sic deinceps in orbem, dum similes milites in singulas legiones e quaque tribu legantur: tum militiæ sacramentum exigitur, denique sociis civitatibus imperatur a duce belli numerus militum delectu consimili. Hæc e Polybio. Tribuni vero militum tempore Cæsaris non solum erant *comitiati* & a populo delecti, sed & *rufuli* in exercitu facti, ut ait Asconius. Itaque, cum Cæsar amicos quosdam potius, quam idoneos Tribunos, ut est primo libro, delegisset, ab iis, quia non magnum in re militari usum haberent, totius exercitus perturbatio magna orta est, eoque Cæsar errorem sui delectus confitetur. Centurionum totis commentariis longe frequentissima est mentio, præsertim in periculis præliorum, quorum princeps principibus princeps, seu primipili Centurio fuit, qualis est apud Cæsarem secundo, tertio, sexto libris P. Sextius Baculus egregia animi magnitudine & multis vulneribus insignis. Centuriones, castrorum etiam metatores videntur Cæsari fuisse. Sic Nervico bello Cæsar exploratores Centurionesque præmittit qui locum castris idoneum deligant. Quapropter hi militaris honoris magistratus erant, ad quos gradatim viri fortes & militaris disciplinæ periti promoverentur. De hac promotione locus est ille sexto lib. cum ad Eburonum Varutam novitiæ legionis cohortes quinque a Germanis circumveniuntur. *Centurionum nonnulli* (ait Cæsar) *ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum virtutis caussa in superiores erant ordines hujus legionis traducti*. Sic tertio belli civilis Cæsar Scævam Centurionem (qui scuto ducentas triginta sagittas, ut ex foraminibus apparebat excepisset) *ab octavis ordinibus ad primum pilum se traducere pronunciavit*. Atque Varutensi illo tumultu (ut ait ibidem Cæsar) *modo conscripti atque usus rei militaris imperiti, ad Tribunos militum Centurionesque ora convertunt, quid ab iis præcipiatur, expectant*. Hic igitur Cæsar Tribunos Centurionesque, tyronum tanquam discipulorum magistros efficit. Sic Avaricensi obsidione milites studia sua per Centuriones Tribunosque Cæsari denunciant. Quare magistrorum istorum delectus diligenter habendus est, per quos disciplina rei militaris edificatur, contrariaque ignavia corrigatur. Atque hic magistratuum & principum delectus esto. In privatorum militum delectu tria fere considerantur, ut deligatur civis, robustus, in re militari eruditus: sed civis primum: id enim Romanæ militiæ sanctum & sacrum fuit Romanis civibus, non tantum principibus, sed privatis etiam militibus Romanam civitatem tueri: majore enim charitate pro aris & focis, pro conjugibus & liberis, pro patria denique dimicatur, quam pro quavis mercede atque pecunia. Ac disciplinæ desertæ severitas totaque disciplinæ auctoritas quæ in principibus experitur, in cives multo promptior quam in exteros aliis moribus aliisque legibus educatos erit. *Atque id* (ait Livius libro tricesimo quarto) *ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ant quartum secundi belli Punici annum Romani habuerunt*. Hi Celtiberi fuere, qui accepere a Pœnis majorem mercedem, ut abscederent, quam

A quantum acceperant a Romanis, ut pugnarent, eaque proditione Publ. & Cn. Scipiones eorumque exercitus Pœnis vincendos præbuere: *Itaque* (ait Livius) *id quidem cavendum semper Romanis ducibus erit, exemplaque hæc vere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie virium in castris habeant*. Sic Cæsar e Gallis legiones electas habuit, sed Togatis Romanisque municipibus & colonis. E Gallis etiam his citerioribus Alaudam illam, quam Gallico nomine appellabat, instituit, sed cui civitatem Romanam promiserat ac postea præstitit: unde etiam queritur in Philippicis Cicero B decuriam Judicum ab Antonio factam. Auxiliares vero milites deligendi fideles & civibus amore proximi, quales Cæsar e citerioribus Gallis Braccatos: e Comatis Heduos, sed præcipue Rhemos: quales etiam e Germaniæ civitatibus quos paraverat, equites & pedites Germanos habuit. Deligatur (inquam) miles civis, aut certe animo civis, deinde robustus: *Cæsar enim militem* (ait Suetonius) *neque a moribus, neque a fortuna, sed tantum a viribus probabat*. Itaque miles ex iis legendus est, qui quotidiano opere laborem ferre didicerit, ut sunt fabri ferrarii, tignarii, lanii, venatores. Ac C si plures sunt ejusdem civitatis pagi, in robustissimis delectus est habendus: recte namque Horatius:

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Veteres etiam staturam in delectu militiæ exigebant, ut Marius fere senos pedes. At Homericum illud est notum, Tydeum parvum quidem, sed bellatorem fuisse, nec Cæsar militem a proceritate, D sed a viribus probabat. Verum ad roboris æstimationem ætatis consideratio multo justior est: nec enim omnis ætas ad militiæ labores perferendos idonea est, juvenumque ætas credita melior ad militares exercitationes ediscendum. Atque ita primum (ut Sallust. ait) *juventus, simul ac belli patiens erat in castris per laborem, usu militiam discebat*. Annus militaris ætatis decimus septimus fuit, quo dimissa prætexta toga, virilis assumebatur. Itaque *Romanis* (ait pro Cælio Tullius) *olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga institutus, ut exercitatione ludoque campestri tunicati uterentur*. Eadem erat, si statim mereri stipendia cœpissent, E castrensis ratio ac militaris. Florentibus igitur illis annis militia discebatur, veteranusque, tyronum magister erat. Sic apud Poetam rex Latinus Pallantem filium Æneæ, velut armorum doctori, erudiendum tradit:

Hunc tibi præterea, spes & solatia nostris.
Pallanta adjungam, sub te tolerare Magistro
Militiam & grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Vacatio autem ætatis in re militari legibus Romanis etiam definiebatur, & illud est nimirum Ciceronis pro Amerino, cum allegoria militari rabulas F quosdam forenses arguit: *Non necesse est* (ait) *omnes commemorare Curtios, Marios, denique Mamercos, quos jam ætas a præliis avocabat, postremo Priamum ipsum senem Antistium, quem non modo ætas, sed leges pugnare prohibebant*. Hunc vacationis annum Varro secundo de vita patrum quinquagesimum definivit: & sic apud Livium libro quadragesimo: *A Senatu imperatum est Petitio, ut omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret*. Aliquando etiam pro Reipub. temporibus,

& prætextati assumebantur & vacationibus sublatis, veterani revocabantur. Ergo ad istum Cæsariani roboris delectum, ætatis delectus habendus est. Verum miles non tantum civis & robustus, sed armis eruditus est expetendus: id enim militiæ opus est. Enimvero, ut liberalium artium, sic militarium studiorum schola in primis instituenda est. Atque, ut philosophus animi, sic gymnastes corporis formandi gratia est habendus, unde postea miles optetur & eligatur: nunquam enim Respubl. certos artifices & idoneos actores præstantium operum habitura est, nisi artium magistros, nisi discipulos habuerit: hinc omnium imperiorum fundamenta deducta sunt, quique rei militaris scientia plus valuerunt, minus valentibus imperarunt. Ac si quis Theologorum, Medicorum, Jurisconsultorum, Philosophorum exercitus eligendus esset, e scholis nempe earum professionum legendus esse videretur. Ergo Romæ campus Martius schola hæc fuit, ubi Romana juventus ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo graviorum exerceretur, caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius quam cæsim feriendo, & interim tamen assidue sese protegendo, item jaculando. Pars enim tyronum tertia vel quarta pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu jaculandis exercebatur: tum vero saltu, fossæ latitudinem aut valli altitudinem superare: præcipue autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Sic Pompejus, ut a Sallustio traditum est, cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Nec vero futuris equitibus exercitatio sua deerat, equi lignei erant in campo, ut insilire, desilire, dextra, leva, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, veros etiam equos domaret, & futuris præliis assuefaceret. Sic *Cæsari* (ait Plutarchus) *equitandi usus a puero facilis fuit: consueverat enim reflexis & post tergum implicatis manibus equum celeriter agitare. Quin etiam equo* (ut Suetonius ait) *utebatur insigni, pedibusque prope humanis, & in modum digitorum ungulis fissis, quem natum apud se, cum Aruspices imperium orbis terræ significare domino pronuntiassent, magna cura aluit, nec patientem sessoris alterius, primus ascendit: cujus etiam instar, pro æde Veneris genitricis postea dedicavit.* Itaque pueris exercitatio quoque illa equestris proposita fuit, & septimo libro Cæsar, cum Germanos equites accersivisset, quod minus idoneis equis utebantur, a Tribunis militum reliquisque equitibus Romanis atque evocatis equos sumit, Germanisque distribuit. Ergo bonorum quoque equorum delectus ideoque exercitatio sua est. Delegit Cæsar equites Germanos, equos non delegit. Denique Tyberis Martio campo vicinus aderat, qui natando traductus, collectum exercitatione pulverem & sudorem ablueret, natationisque solertia, cum necesse esset, aquam solum militibus tanquam piscibus efficeret. Qua exercitatione quantum Cæsar profecerit, Hircius testis est Alexandrino bello, cum se ex navigio ejecit, & ad eas quæ longius constiterant naves adnatavit. Quod idem Suetonius magnificentius repetivit. *Alexandriæ* (ait) *circa oppugnationem pontis eruptione hostium subita compulsus in scapham pluribus eodem præcipitantibus cum desilisset in mare, nando per ducentos passus evasit ad proximam navem, elata læva ne libelli quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.* Ac *si quando* (ut idem auctor ait) *flumina iter morarentur, nando, vel innixus inflatis utribus trajiciebat.* Sic (ut est primo belli Civilis) *proclive fuit Hispanis tranare flumen, quod consuetudo eorum omnium esset, ut sine utribus ad exercitum non irent.* Tales igitur militaris disciplinæ Romana juventus habuit: & omnes urbes ac vici festorum saltem dierum temporibus habere possunt. Tales etiam ante regiam Latini regis fingit Poeta quondam fuisse:

Ante urbem pueri & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantq; in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

Atque hic delectus, legionis totius communis est: Partes vero legionis, delectum per genera militum & armorum quendam habent: eæ cohortes, ut patuit, appellantur. *Prima* (ut Vegetius ait) *habet pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos: reliquæ habent singulæ pedites quingentos quinquaginta quinque, equites loricatos sexaginta sex.* Gravis armatura (quam πανοπλίαν Græci dicunt) gladii majoris atque minoris, pili, scuti, galeæ, loricæ, manicarum, ocrearum pediti tribuebatur. *Pilum* (ut Polybius describit) *fuit longitudine fere bicubitali, crassitudine digitali, spiculo palmi, sed sensim sic attenuato atque acuto, ut statim primo jactu infixum inflecteretur, nec evelli posset.* Sic Helvetii compluribus scutis uno ictu pilorum transfixis, nudi pugnare coacti sunt, sicut Helvetico bello postea dicetur. Itaque telum hoc proprium fuit Romanis, nec ab hoste, si semel hæsisset, retorqueri poterat. Idem auctor scuti longitudinem quatuor pedibus majorem facit, superficiem curvam, latitudine fere tripedali, ut facile totus miles scuto protegeretur. Itaque milites Cæsaris Alexandrino bello e ponte dejecti, scutis tanquam lintribus allevati ad proxima navigia adnatarunt. Gladiorum autem, hastarum & gæsorum, ut Livius octavo libro ostendit, levis armatura equiti, ut pediti sagittario & funditori relinquebatur. Atque ita in cataphracto pedite, præcipuum legionis robur locabatur. Id militiæ Romanæ judicium bella Cæsaris plane comprobant: gravem siquidem legionarii peditis armaturam Cæsar locis aliquot indicavit, bis certe bello Britannico. *Militibus* (ait quarto libro de legionario pedite) *impeditis manibus magno & gravi onere armorum pressis, simul & de navibus desiliendum & in fluctu consistendum, & cum hostibus erat pugnandum.* Hic videmus peditem legionarium (equites enim aliis navibus vehebantur) e navibus exeuntem, manibus impeditum, scuto nempe & pilis: pressum magno & gravi onere armorum, galea quippe, lorica, manicis, ocreis, gladio majore & minore: quod idem quinto libro de Britannis essedariis significatur. *Intellectum est* (ait Cæsar de legionario pedite) *Romanos propter gravitatem armaturæ, quod neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere auderent, minus aptos esse ad hujus generis hostem.* His duobus Cæsaris testimoniis intelligimus gravem armaturam in pedite fuisse, ideoque levem in equite, qui propterea Gallico bello & præmittitur & fere vincitur. Sic Helveriorum confertissima acie rejectus est, sic Nerviorum impetu pulsus ac perturbatus, similique Tencterorum & Usipetum vi in fugam conversus: nec ulla Cæsari equestris victoria contigit, nisi tandem per Germanos equites. Quin Helvetico bello Cæsar primum suo, deinde omnium e conspectu remotis equis, ut æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit; unde perspicimus peditatum ad victoriam equitatu potiorem Romanis visum esse. Id, inquam, Romanorum de armis judicium, is delectus armatorum fuit, ut peditem cataphractum equiti cataphracto longe præponerent: ideoque in legione plures sextuplo pedites, quam equites haberent.

Bellici apparatus partem in commeatu posuimus, in quo præcipue stipendium comprehenditur, quod tum maxime proponendum videatur, ut spe & præmio miles ille defunctus, alacrior ad militiam proficiscatur. Stipendium igitur, ut Polybius ait libro sexto, & nummo & annona constabat. Vestis etiam addita est: Gracchus enim, ut Plutarchus auctor est, legem suasit de veste militibus danda sine ulla stipendii diminutione. *Pedes* (ait Polybius) *quotidie duos obolos capiebat*, id est, quatuordecim denarios turonicos: *tritici dimensum in mensem duas partes Attici medimni*, id est, bucellos Parisienses tres: *eques obolos quatuor quotidie, in mensem medimnos ordei septem, tritici duos: ordinum ducibus, pro loco stipendium majus*. Frumentum vero militibus stipendio fuisse, Cæsar imprimis auctor est: sic primo libro ait: *Cum dies instaret, quo frumentum militibus metiri oporteret, Heduos frumentum quod erant polliciti, quotidie flagitabat*. Et iterum eodem libro: *Quod omnino biduum superaret, cum exercitui frumentum metiri oporteret, & quod a Bibracte oppido Heduorum longe maximo ac copiosissimo non amplius millibus passuum octodecim aberat, rei frumentariæ prospiciendum existimavit, & iter ab Helvetiis avertit ac Bibracte ire contendit*. Rei vero frumentariæ quanta cura duci esse debeat, Cæsaris exempla declarant. Helvetico bello frumentum Arare subvexerat, sed eo minus uti poterat, quod iter ab Arare Helvetii ante averterant, a quibus discedere nolebat. Itaque difficultate magna propterea affectus est. Germanico bello & deinceps Belgico factus cautior, rem frumentariam diligentius comparavit. Obsidione Alexiæ, ne cum periculo milites ex castris egredi cogerentur, dierum triginta pabulum frumentumque habere omnes convectum jussit. Britannico bello tempestate afflictis navibus cum frumentum in hyemem provisum non esset, in majorem etiam difficultatem est adductus. Sed Cæsar in his periculis τέρας horribili vigilantia (ut Tullius loquitur) celeritate, diligentia fuit: ac modo in agris frumenta matura essent, id propemodum perinde imperatori fuit, ac si in castrensibus horreis essent. Miles enim Cæsaris non tantum bellator, sed etiam frumentator erat. *Itaque*, ut est quinto libro, *ad illius Britannici discriminis sublevationem frumentum ex agris Cæsar quotidie conferebat: e duabus legionibus, quas solas habebat, alteram vicissim frumentatum mittebat. Itaque Britanni, quod ex omnibus partibus demesso frumento, una pars erat reliqua, suspicati legionarios Cæsaris huc esse venturos, noctu in sylvis delituerunt: tum dispersos depositis armis in metendo occupatos subito adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbarunt, simul equitatu atque essedis circumdederunt*. Hic locus plane demonstrat legionarios Cæsaris, frumentum manibus metere, falcesque, cum opus esset, non minus scienter, quam enses tractare solitos. Sic septimo libro cum a Gergovia profectus esset, frumentumque ipsius Hedui aut navibus avexissent, aut flumine atque incendio corrupissent, traducto celeritate summa Ligeri frumentum in agris & pecoris copiam nactus est, eaque protinus exercitum replevit. Nec unquam omnino Cæsar ista difficultate superatus est: nam si quando necessitas rei frumentariæ major incidisset, famem tamen facilius quam ignominiam ferre, Cæsarianæ militiæ fuit. Cum Galli Gergobinam Bojorum Romanis amicorum obsiderent, Cæsar intelligebat, si maturius ex hybernis legiones educeret, metuendum sibi esse, ne ab re frumentaria duris subvectionibus laboraret. Præstare tamen statuit omnes difficultates, quam tantam contumeliam perpeti. Atque in obsidione Avarici cum Galli

A quoquoversus quo ab Romanis adiri posset, vicos atque urbes incendissent, Romanusque miles ideo dies aliquot frumento caruisset, & pecore extremam famem sustentaret; nulla tamen vox ab eo audita, populi Romani majestate & superioribus victoriis indigna. Quin etiam Cæsar cum in opere singulas legiones appellaret, & si acerbius inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret, universi ab eo ne id faceret, petebant. Sic se complures annos illo imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, nusquam infecta re discederent: hoc se ignominiæ laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. Hæc eadem Centurionibus
B Tribunisque militum mandabant, ut per eos ad Cæsarem deferrentur. Repetitur eadem militum patientia tertio belli Civilis: *Cum Cæsar consumptis omnibus longe lateque frumentis, summis in angustiis esset, hæc* (ait ipse) *singulari patientia milites ferebant: Recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos labore & patientia maximum bellum confecisse. Meminerant ad Alexiam magnam se inopiam perpessos: multo etiam majorem ad Avaricum, maximarum se gentium victores discessisse. Non illis ordeum cum daretur, non legumina recusabant: Panicum vero, cujus rei summa erat ex Epei-
C ro copia, magno in bonore habebant. Est etiam genus radicis inventum ab iis qui fuerant cum Valerio, quod appellatur Chara, quod admixtum lacti multum inopiam levabat. Id similitudinem panis efficiebat. Ejus erat magna copia: ex hoc effectos panes, cum in colloquiis Pompejani famem Cæsarianis objectarent, vulgo in eos jaciebant, ut spem eorum minuerent. Jamque frumenta maturescere incipiebant, atque ipsa spes inopiam sustentabat, quod celeriter se habituros copiam confidebant: crebræque voces militum in vigiliis colloquiisque audiebantur, prius se corticie ex arboribus victuros, quam Pompejum e manibus dimissuros*. Talis militum constantia in fa-
D me toleranda fuit Africano bello, summaque annonæ difficultate coacti veterani, milites equitesque, qui multa terra marique bella confecissent, & periculis inopiaque tali sæpe essent conflictati, alga e littore collecta & aqua dulci elota jumentis esurientibus data, vitam eorum producebant. Ergo Cæsar milites habuit, qui stipendii solutionem non solum temporis, sed famis patientia differrent, quod imprimis propositum iis esse debeat, qui se milites Cæsare imperatore dignos haberi velint. Sed militem Imperatorem etiam habuere, qui temporis & famis usuram peramplo fœnore compensaret: *Legionibus* (ait Suetonius) *stipendium in perpetuum
E duplicavit, frumentum quoties copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit*. Eburonum, Nerviorum, Genabensium, Avaricensium aliorumque innumerabilium prædam publice militibus donavit, præter eam prædam quam quisque tot victoriis habere potuit. Alexia expugnata, e captivis toti exercitui capita singula prædæ nomine distribuit: octavo belli Gallici anno, quod hyeme summa maximis itineribus Bituriges oppressissent, militibus pro tanto labore ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, studiosissime permanserant in labore, ducenos sestertios,
F centurionibus duo millia nummum prædæ nomine condonanda pollicetur. *Denique tam cultos* (ait Suetonius) *habuit, ut argento atque auro politis armis ornaret, nec solum ut Alexander argyraspides, sed chrysaspides efficeret*. Quinetiam ex eadem largitione a militibus, sed astutia Cæsaris ingenio dignissima aliquando mutuatus est. A Tribunis enim militum Centurionibusque, ut est primo belli Civilis, mutuas pecunias sumpsit: has exercitui distribuit: quo facto duas res consecutus est quod pignore, animos Centurionum devinxit &

largitione militum voluntates redemit. Sunt vero A illa majora, quæ Suetonius ibidem numerat: *Singula interdum prædia viritim dedit veteranis legionibus, prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio civilis tumultus meruerant, in equites vicena quaterna millia nummum dedit: assignavit & agros*. Hæc vero stipendiorum genera magna quidem fuere, sed longe majora laudis illa atque honoris stipendia sunt habenda, quæ Romanis legibus unicuique recte fortiterque facto proponebantur, in concione laudari ab Imperatore; corona, torque, armilla, aut alio quopiam insigni munere donari. Sic Scævam Centurionem B Cæsar millibus ducentis æris & cohortem ipsius duplici stipendio militaribusque signis amplissime donavit. Sic in Asiæ civitatibus confecto bello Alexandrino præmia bene meritis & viritim & publice tribuit. Ejusmodi munera nempe & illa sunt initio belli Hispaniensis, quibus dandis in Italia distinetur. Sic postridie Africani ad Thapsum prælii re divina facta concioneque advocata, milites collaudavit, totumque exercitum veteranum donavit præmiis, ac fortissimo cuique beneque merenti pro suggestu tribuit. Sic eodem bello ob virtutem turmæ Cassianæ donavit *neque, ut postea ex captivis comperit, aut ipsius ad* millia tredecim, & præfectis torques aureos duos & levis armaturæ millia decem. Atque his præmiis Cæsar tam mirifice tamque honorifice bene meritos prosecutus est, ut cum reprehenderetur, *quod infimi generis homines ad amplissimos honores proveheret*, (ait Suetonius) *professus sit palam, si grassatorum & sicariorum ope in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum*. Ejusmodi præmiis atque honoribus populus Romanus, qui tum summam imperii tenebat, suos duces multo lautius & magnificentius ornavit: hinc supplicationes tot dierum decretæ Cæsari, hinc amplissimi triumphi. Sed de militaris stipendii peculio singulare est quod a Vegetio traditur, ut ex donativo dimidia pars sequestretur apud signa. Sic amputato luxu castrense peculium parsimonia augebitur, & miles aciem tanto minus deseret, quanto plus in ea sibi repositum cogitabit. Quamobrem legio in ipso delectu stipendium fructumque laborum sibi expositum intelligat, sciatque sibi ducem, non solum rei militaris scientia, virtute, auctoritate, felicitate præstantem, sed munificum & liberalem futurum: sic Legiones Cæsaris excitabis.

SECUNDA PARS.

C Castris secundam militiæ partem dedimus, ubi primum progressus agminis in castra: deinde architectura castrorum: denique castrensis armorum meditatio consideranda est. Atque in progressu agminis notitia ipsa regionum, per quas agmen ducendum sit, imprimis necessaria est. Imperator igitur regionem (qua sit iter facturus) accurata pictura descriptam habeat, nec intervalla locorum longitudine & latitudine tantum descripta tabulis & depicta, sed viarum genera, compendia, diverticula, montes, flumina, duces etiam viarum fideles & probatos. Sic Cæsar contra Ariovistum iter exquisivit per Divi- D tiacum, quod ex aliis Gallis maximam ei fidem habebat, & ut tutius iter esset, millium amplius quinquaginta circuitu, locis apertis exercitum duxit. Sic Belgico bello dat negocium Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, uti quæ apud eos gerantur, cognoscant, seque de his rebus certiores faciant. Sic Britannico bello convocatis ad se undique mercatoribus, quanta esset insulæ magnitudo, quæ & quantæ nationes incolerent, quem usum belli haberent, quibus institutis uterentur, qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus: cum reperire non posset, ad hæc cognoscenda, priusquam periculum faceret, E idoneum esse arbitratus, C. Volusenum cum navi longa præmisit, ut exploratis omnibus rebus, ad se quamprimum reverteretur. Suetonius etiam id amplius: *Exercitum*, ait, *neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transvexit, nisi per se portus & navigationem & accessum ad insulam explorasset*. Exploratores autem non tantum prudentes, sed fortes minimeque timidos esse necesse est. *Pub.Considius* (ut est primo libro) *qui rei militaris peritissimus habebatur, quique in exercitu L. Syllæ, & postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus* F *præmittitur. Prima luce cum summus mons a T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longius mille & quingentis passibus abesset, ventus, aut Labieni cognitus esset, Considius equo admisso ad eum accurrit, dicit montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri; id se a Gallicis armis atque signis cognovisse. Sed Considius paulo post sua timiditate Cæsari ridiculus fuit: multo enim die per exploratores reliquos Cæsar cognovit & montem a suis teneri, & hostes castra movisse, & Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro vero sibi renunciasse*. Fuit militiæ Romanæ signum Minotaurus, quo tanquam labyrintho tecta consilia dux habere moneretur, quod in itineribus Cæsari mirifice propositum fuit. *Itaque cum in proximo* (ait Suetonius) *hostis esset, itineris tempora denunciare non solebat, præcipue pluviis & festis diebus: Ac subinde observandum se admonens, repente interdiu vel nocte subtrahebat, augebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret*. Atque hoc secretæ mentis arcanum indicat Hircius bello Africano: *Cæsar in Africam proficiscens nullum portum sibi tutum fore perspiciebat. Itaque nullum certum locum gubernatoribus præfectisque quem peterent præceperat, neque ut mos ipsius consuetudoque superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, ut in tempore his prælectis locum certum peterent universi*. Hic locus consuetudinem quandam Cæsaris indicat de occultando itinere non modo hostibus, sed etiam civibus, cum tabellas illas a præfectis nisi necessitate coactis perlegi vetaret. Ergo hæc regionum notitia teneatur. Agmen vero ducitur itinere terrestri, aut flumina mariave traducitur: in terrestri itinere, ordo agminis, quantitas itineris, sed supra omnia militaris labor animadvertendus est. Agminis igitur ordo duobus exemplis præcipue ostenditur. Primus est secundo libro: *Cum ex dedititiis Belgis reliquisque Gallis complures Cæsarem secuti una iter facerent, quidam ex his, ut postea ex captivis cognitum est, eorum dierum consuetudine itineris exercitus Romani perspecta, nocte ad Nervios pervenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere, neque esse quicquam negotii, cum prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spa-*

cium abessent, hanc sub sarcinis adoriri, qua pulsa impedimentisque direptis futurum, ut reliquæ contra consistere non auderent. Hic locus ostendit agminis ordinem quendam: sed negligentiorem, quia nondum hostis adesset. Sed consequens in eodem libro locus multo diligentiorem appropinquante hoste demonstrat. *Cæsar* (ait ipse) *equitatu præmisso subsequebatur omnibus copiis: Sed ratio ordoque agminis aliter se habebat ac Belgæ ad Nervios detulerant: Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar sex legiones expeditas ducebat: post eas totius exercitus impedimenta collocarat: & duæ legiones, quæ proxime conscriptæ erant totum agmen claudebant, præsidioque impedimentis erant.* Hic igitur locus multo majorem ordinis curam diligentiamque proponit: aliam similis diligentiæ speciem Hircius octavo libro descripsit. *Cæsar* (ait) *agminis ordinem ita constituit, ut legio septima, octava, nona, ante omnia irent impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen, quod tamen erat mediocre, ut in expeditionibus esse consuevit; cogeret undecima, ne majoris multitudinis species accidere hostibus posset, quam ipsi depoposcissent. Hac ratione pæne quadrato agmine instructo, ut omni ex parte sustinere posset hostium impetum, in conspectum hostium celerius opinione eorum exercitum abducit.* At si hostis a tergo relinqueretur ab eoque discederetur, alia ratio fuit, impedimentis nempe præmissis, ut cum Cæsar a Pompejo ad Dyrrachium duplici clade affectus esset, ideoque illinc Apolloniam contenderet: *Itaque* (ait Cæsar) *nulla interposita mora, sauciorum modo & ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit ac conquiescere ante iter confectum vetuit: His una legio missa præsidio est. His explicitis rebus duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas eodem itinere præmisit: parvoque spatio intermisso, ut & militare institutum servaretur, & ne citissima ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit statimque egressus & novissimum agmen consecutus, celeriter ex conspectu castrorum discessit.* Hic itaque agminis ordo Cæsaris fuit, quantitas itineris dicenda est. Romanis vero militiæ consuetudo fuit, ut Vegetius docet, simplici gradu horis quinque æstivis, id est, nostris sex & una tertia progredi millia passuum viginti, pleno, viginti quatuor: quicquid amplius esset, cursus erat, cujus spatium definiri non potest. Septimo libro significatio quædam e tribus locis colligi potest de militaris hujus itineris quantitate. Cæsar Gergoviæ obsidione occupatus, media nocte per Eporedorigem certior factus est de Heduorum defectione: deinceps nulla interposita dubitatione e sex legionibus, duas in castris relinquit, quatuor expedit & adhortatur, ne necessario tempore, itineris labore permoveantur. Cupidissimis omnibus, progressus millia passuum vigintiquinque, Heduos offendit, iisque in colloquio errorem suæ defectionis & culpam demonstrat: deinde tribus horis noctis exercitui ad quietem datis, castra ad Gergoviam movet, tum in medio fere itinere cognito periculo suorum ad Gergoviam relictorum, summo labore militum ante ortum solis, in castra pervenit. Hæc sic a Cæsare narrantur, unde concludo viginti quatuor horis quinquaginta millia passuum confecta esse a legionibus illis expeditis quidem sarcinarum impedimento: at armorum gravitate certe impeditis. Superioris enim noctis aliquot horæ consumptæ in audiendo Eporedorige, capiendo consilio, legionum distributione, quæ educerentur, quæ manerent: Item consequentis diei aliquod tempus fuit in monendis Heduis & reconciliandis. Denique militem jejunum tot millia iisse ac rediisse, vix credibile fit. His tot rebus tres horas accipio, tres porro datæ sunt quieti, ut ait Cæsar: Itaque dimidiæ noctis illius nihil superest. Ac summum viginti quatuor horis, aut etiam paucioribus, totum illud iter factum est, quia ante solis ortum Cæsar rediit: & quidem non ordinarium, sed prope duplicatum fuisse Cæsar eo declarat, quod rem in celeritate positam fuisse ibidem ait, & quod milites adhortatur, ne itineris labore permoveantur. Quare diurnum exercitus iter viginti aut viginti quatuor millia, ut Vegetius ait, videntur fuisse. Sic Cæsar ad liberandum Ciceronem uno die hyberno ab hora tertia millia passuum viginti progreditur. Superest in agmine, militaris labor prorsus admirabilis: Itaque magnos & magni nominis testes huc appello, ne quid in re prope incredibili fingere videar. Dico enim legionario militi in itinere usitatum fuisse ferre non solum arma, sed vallum: & illud quod Horatius in Odis velut incredibile posteritati futurum admiratur:

Romanus (eheu posteri negabitis)
Emancipatus fœminæ
Fert vallum & arma miles.

Romanus miles fert arma, fert vallum: imo vero fert etiam (ait Tullius) *cibaria, & si quid ad usum velit. Nostri exercitus* (ait secunda Tusculana) *primum unde nomen habeant vides, deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur apte, ut si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint.* Hæc Tullius de sui temporis militia. Livius vero antea non dimidiati, sed integri mensis cibaria militem ferre solitum docet. Sic enim libro quinquagesimo quarto ait: *Consul menstruum jusso milite secum ferre, profectus decimo post die.* Sic Pompejani legionarii in Hispania dierum viginti duorum frumentum efferre jussi sunt. Eadem etiam postea disciplina ab imperatoribus servata legitur. *Pescennius Niger* (ait Lampridius) *vinum & pistores a castris removit, jussitque omnes aceto & buccellato* (quem panem *bis coctum* dicimus) *contentos esse.* Sic *Julianus* (ut Marcellinus ait libro decimo septimo) *buccellatum in viginti dies humeris militum imposuit.* Ac de legionis agmine tot sarcinis onusto indicium illud patuit in illo agminis ordine, cum Cæsar sarcinas & onera legionum exposuit, sub quibus facile a Nerviis opprimi posse viderentur: quomodo libro tertio Aquitani Romanos impeditos in agmine & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitant. Quomodo Labienus in Africa existimabat Cæsaris milites sub onere ac sarcinis defatigatos, pugnare non posse, ut ait Hircius. Quapropter iste est incredibilis Horatio, admirabilis Tullio, agminis labor in milite, nec in bono duce minor. *Cum Marius æstu magno agmen ducebat,* (ait ibidem Cicero) *laborabat.* Memini calones & lixas & mercatores in exercitu Cæsaris fuisse, sed qui ligna & aquam vasaque parando cibo instrumentaque castrensi operi necessaria militibus ferrent: denique (ut jam patuit) singulis legionibus sua impedimenta fuisse. *Ac nonnunquam* (ait Suetonius) *post magnam pugnam atque victoriam remisso officiorum munere licentiam omnem passim lasciviendi militibus Cæsar permittebat, jactare solitus milites etiam unguentatos bene pugnare posse.* Atque illud etiam memini, quod tertio belli civilis a Cæsare in concione ad milites dicitur, ut æquo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti naves conscenderent. Et bello Africano severitas disciplinæ eadem servata est: Cæsar enim

ita ex Sicilia exercitum transportavit, ut præter ipsum militem & arma neque vas, neque mancipium, neque ullam rem quæ militi usui esse consuevit, in naves imponi pateretur. Ita Cæsar, *quum usus esset* (ait Suetonius) *disciplinæ severissimus exactor fuit*. Atque una de Cæsaris virtutibus nescio annon sit hæc longe maxima. *Laboris* (ait Suetonius) *ultra fidem patiens erat, in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat capite detecto, seu sol, seu imber esset*. Nec vero temporis aut loci ulla fere iniquitas, Cæsaris iter tardabat. Sic secundo bello Britannico noctu progreditur millia passuum circiter duodecim: & septimo libro: *Summa hyeme, discussa nive sex in altitudinem pedum summo militum labore, vias exercitui suo patefecit per Gebennam Arvernorum montem, quo tempore ne singulari quidem homini semita unquam patuerat*. Atque inde *omnibus suis inopinantibus, quam maximis potest itineribus, Viennam pervenit*: unde *neque diurno neque nocturno itinere intermisso, per fines Heduorum in Lingones contendit, ut si quid etiam de sua salute ab Heduis iniretur consilii, celeritate præcurreret, priusque legiones omnes, quarum duæ in Lingonibus, duæ in Treviris, sex in Senonibus hyemabant in unum locum cogit, quam de ejus adventu Arvernis nunciari posset*. Τέρας horibili vigilantia, celeritate, diligentia, exclamat Cicero. Illud etiam secundo belli civilis de se ait: *Tarracone discedit, pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam pervenit*. Qualis vero Imperator ipse fuit, tales & milites fuere: hac enim militaris itineris celeritate, Pompeii legati in Hispania & Pompejus ipse in Græcia oppressus est. A Pompejanorum & Cæsaris castris quinque millia passuum proxima intercedebant itineris campestris: Inde excipiebant ad Iberum loca aspera & montosa qui prior has angustias occupaverit, ab hoc, hostem prohiberi nil esse negocii.

Adhuc terrestris itineris ratio expedita est, sequitur fluminis & maris trajectio. Flumina trajiciuntur modis quatuor: primo, ponte, quomodo Cæsar Rhenum bis trajecit, navium magnam copiam ad transportandum exercitum Ubii pollicebantur, ut est libro quarto. *Sed navibus neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ, neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter altitudinem, rapiditatem, latitudinemque fluminis: tamen id sibi contendendum aut aliter non traducendum exercitum existimabat. Rationem igitur pontis hanc instituit, tigna bina sesquipedalia, paulum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis intervallo duorum pedum inter se jungebat. Hæc cum machinationibus immissa in flumine defixerat fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum juncta intervallo pedum quadragenum ab inferiore parte contra vim atque impetum fluminis conversa statu bat. Hæc utraque insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum junctura distabat, binis utrinquo fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disclusis atque in contrariam partem revinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur. Hæc directa materia injecta contexebantur ac longuriis cratibusque consternebantur: Ac nihilo secius sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ pro ariete subjectæ & cum omni opere conjunctæ, vim fluminis exciperent, & aliæ item supra pontem mediocri spacio, ut si arborum trunci sive naves dejiciendi operis caussa, a barbaris missæ, his defensionibus earum vis minueretur, neu ponti nocerent*. Hæc Cæsaris est descriptio, in qua certe talis architecturæ imperito quædam possint ambigua videri. Primum enim quid est *tigna bina intervallo pedum duorum distantia inter se jungi*? utrum bina tigna transversariis intermedio duorum pedum spacio inter se colligari, an duo tigna inter se quidem continuata, a duobus autem aliis duos pedes sejungi? Secundo quid est *fistuca*? utrum machina, cujus pondere tigna illa in solum fluminis adiguntur? an qua solum fluminis fistucatur, id est, exæquatur & solidatur? Tertio quid est quadragenum pedum intervallum? utrum in summo fluminis, an imo, an in pontis contabulatione? Quarto quid est *fibula*? Nihil vero in tota pontis structura magis ambiguum fuerit: e fibulæ siquidem forma videtur operis firmitudo significari. Quid igitur est fibula? utrum quadratum quoddam e firmissima materia vinculum, quo bina tigna cum media trabe revinciuntur? an adminicula ejusmodi, quibus in cruce *Tau* Gallici transversum lignum innititur? Denique quid est *sublicas obliquas adigi*? utrum ad perpendiculum erectas contra tignorum inclinationem tanquam trianguli latera constitui? an transversas ab una parte pontis ad reliquam intersecari? Hic doctorum hominum ingenia sudavere. Qui vero fibulis illis firmitatem operis ostenderit, is Cæsaris mentem, opinor, assequetur. E quæsitis autem illis primum quodque mihi magis probatur. Sed ut ad institutum redeam, *diebus decem, quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto exercitus traducitur. Cæsar ad utramque partem pontis firmo præsidio relicto, in Sicambrorum fines contendit*, Sicambrisque vexatis, decimo octavo post die in Galliam se recepit, pontemque rescidit. Biennio postea rursus paulo supra eum locum, ut est sexto libro, quo antea exercitum traduxerat, simili ratione pontem facere instituit, magnoque militum studio opus paucis diebus effecit. Militum (inquam) studio, ut Cæsar ipse ait: miles enim Cæsaris. Non tantum frumentator, sed tignarius etiam faber erat. Non quod omnes architectos fuisse confirmem, sed quod materiari & cuilibet operi materiam cædere & dolare, nec minus laboriose secures & dolabras expedire, quam enses ac parmas consuessent. Quin etiam ista militum architectura, uno die & Ararim ponte junxit & exercitum traduxit. *Qua celeritate permoti Helvetii, cum id quod ipsi diebus viginti ægerrime confecerant, ut flumen transirent, Cæsare uno die fecisse intelligerent, legatos ad eum de pace miserunt*. Sic Menapii, cum in paludes suas confugerent, celeriter effectis pontibus ad deditionem compulsi sunt, ut est sexto libro. Sed pontis illa ratio Hispaniensi bello tradita nequaquam prætermittenda est. Cæsar cum ad flumen Betim venisset, neque propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit: illa nempe fistucatio soli fuit. Ita insuper ponte facto, copias ad castra tripartito traduxit. Cujus pontis forma etiam dissimilis facta est Alexandrino bello, de qua sic Hircius: *Itaque eodem tempore equites Germani dispersi, vada fluminis quærentes, partim demissioribus ripis flumen tranarunt, & legionarii magnis arboribus excisis, quæ longitudine utramque ripam contingerent, projectis, repentinoque aggere injecto, flumen transierunt*. Nec vero in his mathematicis pontium operibus virtus tantum, sed dolus Cæsaris enituit: *Exercitum ad Arvernorum Gergoviam secundum flumen Elaver ducebat. Qua re cognita, Vercingetorix omnibus interruptis ejus fluminis pontibus ab altera Elaveris parte, iter facere cœpit. Cum uterque utrique esset exercitus in conspectu, fereque e regione castris castra poneret, dispositis exploratoribus, nec ubi effecto ponte Romani copias traducerent*.

Erat

Erat in magnis Cæsaris difficultatibus res, ne majorem æstatis partem, flumine impediretur, quod non fere ante autumnum Elaver vado transiri solet: Itaque ne id accideret, sylvestri loco positis castris e regione unius eorum pontium quos Vercingetorix rescindendos curaverat, postridie cum duabus legionibus in occulto restitit: reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consueverat, misit demptis quibusdam cohortibus, uti numerus legionum constare videretur. His quam longissime possent progredi jussis, cum jam ex diei tempore conjecturam caperet, in castra perventum, iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. Celeriter effecto opere legionibusque traductis & castris loco idoneo delecto, reliquas copias revocavit. Secundus modus traducendi fluminis, est navibus: Cum Cæsar, ut est primo belli civilis, *in maximas rei frumentariæ angustias ab Afranio adductus esset, atque omnes viæ ab Afranianis militibus equitibusque obsiderentur, nec pontes rescissi refici possent, imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat. Carinæ primum ac statumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium, viminibus contextum, coriis integebatur. Has perfectas carriis junctis devehit noctu millia passuum a castris viginti duo, militesque his navibus flumen transportat, continentemque ripæ collem improviso occupat. Hunc celeriter priusquam ab adversariis sentiatur, communit: huc legionem postea trajicit, atque ex utraque parte pontem institutum biduo perficit. Ita commeatus & eos qui frumenti caussa processerant, tuto ad se recipit, & rem frumentariam expedire incipit.* Tertius modus traducendi fluminis est eodem libro, diducto in plures alveos Sicori Hispaniæ flumine: *Cæsar ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret, vadumque in eo flumine efficeret. Ac summo labore militum continuato diem noctemque opere in flumine avertendo huc jam reduxerat rem, ut equites etsi difficulter atque agre fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire: pedites vero tantummodo humeris ac summo pectore extarent, ut tum altitudine aquæ, tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur.* Equites ita transeunt. Quartus modus trajiciendi fluvii eodem tempore & loco a Cæsare describitur, & longe omnium promptissimus. Cum pedites clamarent: *ne Cæsar labori suo neu periculo parceret, paratos esse sese: posse & audere ea transire flumen, qua traductus esset equitatus. Quorum studio & vocibus excitatus Cæsar, etsi timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum objicere, conandum tamen atque experiendum judicabat. Itaque infirmiores milites ex omnibus centuriis deligi jubet, quorum aut animus aut vires videbantur sustinere non posse. Hos cum legione una, præsidio castris relinquit, reliquas legiones expeditas educit, magnoque numero jumentorum in flumine supra atque infra constituto, traducit exercitum. Pauci ex his militibus vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur ac sublevantur: interiit tamen nemo.* Sic igitur Cæsar equitibus utrinque dispositis, peditatum incolumen traduxit. Quo genere traductionis usus est libro septimo, ut Ligerim transiret. *Liger* (ait) *locis fere omnibus a Gallis obsidebatur & ex nivibus creverat, ut omnino vado transiri non posse videretur. Itaque Cæsar admodum magnis diurnis nocturnisque itineribus confectis, contra omnium opinionem ad Ligerim venit, vadoque per equites invento pro rei necessitate opportuno, ut brachia modo atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aqua esse possent, disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hostibus primo aspectu perturbatis incolumem exercitum traduxit.* In Britannia Tamesis traductus est, cum capite solo ex aqua milites extarent. Ergo hæc itineraria Cæsaris militia fuit. Pontes variorum generum Vegetius ab exercitu comportari solitos ait. Cæsaris milites faciundi pontis artifices erant, pontes factos non vehebant, sed ubi opus erat, celeriter industrieque faciebant. Nec vero flumina tantum, sed maria ipsa huic architecturæ militari subjecta sunt. Itaque cum prima in Britanniam transmissione duodecim naves Cæsar amisisset, summo iterum militum studio, earum materia atque ære reliquas refecit. Secundo in eam insulam commeatu militum architectura ista sexcentas naves onerarias & longas duodetriginta exiguo tempore construxit. Ideoque id in portu contemplatus, milites collaudavit, ut est quinto libro. Atque iterum cum naves jactarentur tempestate & quadraginta periissent, reliquas in aridum ne nocturnis quidem temporibus ad militum laborem intermissis subduxit. Ergo miles Cæsaris naves faciebat, imo vero etiam remigabat. Audiamus igitur quæ libro quinto scripta sunt, *Cæsar cum iterum Britanniam peteret longisque navibus veheretur, tamen longius delatus æstu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum rursus æstus commutationem secutus, remis contendit, ut eam partem insulæ caperet, qua optimum esse egressum superiore æstate cognoverat. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectoriis gravibusque navigiis non intermisso remigandi labore, longarum navium cursum adæquarunt.* Verumenimvero quamvis Cæsar Mathematicis, Architecturæ Geographiæque artibus tam excellenter ad itinerum difficultates eruditus, attamen nauticæ in Oceano Astrologiæ, quæ ad istam quoque itinerum notitiam attinet, inscientia extremam calamitatem pæne subiit. Primo bello Britannico, *cum equitum naves octodecim in continentem tempestate essent rejectæ, accidit, ut esset Luna plena, quæ maritimos æstus maximos in Oceano efficere consuevit, Romanisque id erat incognitum. Ita uno tempore & longas naves, quibus Cæsar exercitum transportandum curaverat, quasque in aridum subduxerat, æstus complebat, & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempestas afflictabat: neque ulla Romanis facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur compluribus navibus fractis, reliquæ cum essent funibus, anchoris reliquisque armentis amissis, ad navigandum inutiles, magna (id quod necesse erat accidere) totius exercitus perturbatio facta est: neque enim naves erant aliæ, quibus reportari possent; & omnia deerant, quæ ad reficiendas eas usui sunt; & quod omnibus constabat, hyemare in Gallia oportere, frumentum in his locis in hyemem provisum non erat.* Hæc sunt libro quarto, ubi & rebellio propterea Britanniæ exponitur, & magna Cæsaris difficultas, ut ei magnæ cujusdam victoriæ instar fuerit, exercitum incolumem reduxisse. Sed hæc incommoda, horribilis illa & imperatoris & militum vigilantia, celeritas, diligentia sanavit. Quamobrem toto isto militari itinere non solum magnam regionum scientiam, sed incredibiles, sive terra, sive flumine marive exercitus ducatur, militiæ labores agnoscimus.

DE CASTRORUM ARCHITECTURA.

SEd miles in castra pervenerit, quid deinde? Locus & forma constructioque tota proponitur. Castris locus deligendus frumentationi, pabulationi, aquationi, lignationi, valetudini militum, sed imprimis victoriæ (si dimicandum sit) idoneus. Sic contra Belgas Cæsar, *postquam omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se venire, neque jam longe abesse ab his quos miserat exploratoribus, & ab Rhemis cognovit, flumen Axonam, quod*

est in extremis Rhemorum finibus, exercitum traducere maturavit, atque ibi castra posuit. Quæ res & latus unum castrorum ripis fluminis muniebat, & post eum quæ erant, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus ab Rhemis reliquisque civitatibus, ut sine periculo ad eum portari possent, efficiebat. In eo flumine pons erat: ibi præsidium ponit, & altera parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit. Hic castris delectus est valde idoneus locus. Cæsar vero castris ad dimicandum, præcipue montes & colles appetivit. Sic tertio libro Sabini castra loco rebus omnibus idoneo, eoque edito & paulatim ab imo acclivi circiter passus mille. Contrarium incommodum Galba libro tertio demonstravit, qui cum in vico Veragrorum Octoduro posito in valle, non magna adjecta planitie altissimis montibus undique concluso, castra posuisset, hostibus undique in vallem decurrentibus telaque in castra conjicientibus, magnum periculum adiit: quo liberatus, sæpius fortunam tentare noluit, in provinciam revertit, confessus iniquum castris locum illum fuisse. Atque hæc de castrorum loco, qui postea magis patebit: de forma etiam dicamus. Castrorum formam unicam & simplicem omni & loco & tempore Romanis fuisse Polybius auctor est: nos ex eo tantum quod commune sit castris Cæsaris, assumemus. Itaque loci castris delecti regionem, unde sit in omnes partes latissimus despectus imperiumque facile percipi possit, prætorio summique ducis tentorio designato. Hoc dato tanquam puncto, intervallo autem tanto, quantum exercitus requiret, quadratum describito. Anguli quatuor portæ quatuor erunt, prætoria ad orientem, decumana ex diametro opposita, quæstoria ad meridiem, quintana ad occidentem. Livius libro quadragesimo, prætoriam videtur appellare ordinariam, quintanam & decumanam principales, illam dextram, hanc sinistram. Tentoria legatorum a prætorio hinc atque illinc secundum quadrati dimetientem, latera duo opposita bifariam secantem, æqualibus spatiis sunto, juxtaque ad partem aquationi & pabulationi aptis: alæ legionis cujusque cum suis Tribunis & Centurionibus distincta viis & directa sunto: ad oppositam reliqui quadrati partem regia intercedente via legionum equites atque inter eos media sociorum auxilia statuito: a legionum tentoriis ad vallum area parallela quadruplex esto: prima vacua ad excipiendum extraordinarios, qui casu advenerint: secunda latior, foro rerum venalium constituta: reliquæ duæ totis castris parallelo spatio circunductæ, tertia quidem augustior, quarta latior, vallo velut urbis muro, pomœrii vice adjuncta: denique castra speciem notissimæ urbis habeant, ubi viis, ædificiis, signis, omnia civibus rure domum redeuntibus definita sint, ut simul atque ad castrorum portam miles accesserit, sciat, quo sibi perveniendum sit. Sic enim Polybius & Livius docent. Cæsar tamen lunatis castris Thapsum (ut est Africano bello) operibus circummunivit. Vegetius triquetram & semirotundam formam nominat, utrum hanc lunatam figuram significans, affirmare non audeo: jubetque vallum vestiri cespite cum terra ipsa herbam continente, altitudine dimidii pedis, latitudine pedis, longitudine sesqui pedis. Si regio sit arenosa, saccos more persico pulverulenta terra con pleri cespitis loco jubet. Valli fossæque etiam formam tradit, sed varie: vigilias noctis quatuor, ternis horis distinguit. Ejusmodi castrorum formam tam subtiliter, a Cæsare notatam non comperio: sed illud certe, quod multo maximum omnium est, a legionibus ut antea pontes & naves, sic & quidem multo pluribus testimoniis castra fieri solita comperio. Dico (inquam) atque confirmo, materiando, fodiendo, aggerando Romana castra facta esse per certam peditum legionariorum partem sarcinis & gravioribus armis ad signa depositis, dum reliqua pars exercitus cum levi armatura staret in armis ad hostem, si forte interveniret, propulsandum. Castrensis igitur architecturæ opera militaria videamus. Cæsar ad quintum Calendas Aprilis Genevam pervenit, ubi una legione & militibus quos ex provincia convenire jussit, a lacu Lemano *ad montem Juram millia passuum decem & novem, murum in altitudinem pedem sexdecim fossamque* ante Idus Apriles *perduxit*. Fac Cæsarem Roma octava die (ut Plutarchus ait) Genevam pervenisse; mirabile tamen sit septem reliquis diebus & milites coegisse & tantum opus effecisse. Nullus vero Cæsaris commentarius est non testis hujus militaris architecturæ. Eodem libro contra Ariovistum Cæsar *primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire jussit. Ac quamvis eo magnas interea copias Ariovistus ad munitionem prohibendum misisset, nihilo secius Cæsar, ut ante constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus conficere jussit.* Videsne igitur legionarium fossorem? Audi quid Nervico bello faciant sex legiones. *Legiones* (ait Cæsar) *sex, quæ primæ venerant, opere dimenso, castra munire cœperunt, pauloque longius aggeris petendi caussa processerunt.* Sic quinto libro milites lignationis munitionisque caussa in sylvas discedunt. Ergo fodere, ergo materiari, ergo castra fabricari & architectari legionariis militibus, militare opus fuit. Sed fossæ latitudo vallique altitudo a Cæsare nonnunquam etiam notatur, ut secundo libro adversus Belgarum maximas copias *castra in altitudinem pedum duodecim vallo fossaque duodeviginti pedum munire jubet*. Vides hic tanquam urbis,

—— atque altæ mœnia Romæ?

Sic octavo libro Cæsar imperat *castra vallo pedum duodecim muniri loricam, velut alterum vallum, pro hac ratione ejus altitudinis inædificari, fossam duplicem, pedum quinum denum, lateribus directis deprimi, turres crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus trajectis constratisque conjungi, quorum frontes viminea loricula munirentur, ut hostis a duplici propugnatorum ordine depelleretur, quorum alter ex pontibus, quo tutior altitudo esset, hoc audacius longiusque tela promitteret, alter, quo propior hostem in vallo collocatus esset, ponte ab incidentibus telis tegeretur: portis fores altioresque turres imposuit. Hujus munitionis duplex erat consilium: namque & operum magnitudine, & timorem suum sperabat fiduciam barbaris allaturum, & cum pabulatum frumentatumque longius esset proficiscendum, parvis copiis castra munitione ipsa videbat posse defendi.* Sed callidiore consilio castra adversus Afranium (ut est primo belli civilis) *Cæsar facere constituit, ne in opere faciendo milites repentino hostium incursu exterrerentur atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere & procul videri necesse erat, sed a fronte castrorum contra hostem pedum viginti fossam fieri jussit: prima & secunda acies in armis, ut initio constituta erat, permanebat. Post hos, opus in occulto acies tertia faciebat: sic omne prius est perfectum, quam intelligeretur ab Afranio castra muniri. Sub vesperum Cæsar intra hanc fossam legiones reducit, atque ibi sub armis proxima nocte conquiescit. Postero die omnem exercitum intra fossam continet, & quod longius erat agger petendus, in præsentia similem ratione operis instituit, singulaque latera castrorum singulis attribuit legionibus munienda, fossasque ad eandem magnitudinem perfici jubet, reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. Tertio die postea vallo castra com-*

A *munit*. Ergo castrorum forma a Cæsare & facta & descripta ejusmodi est. Militem tamen in hoc opere castrensi sarcinis & gravioribus armis expeditum fuisse, quod antea posui, Cæsaris varii loci demonstrant: primus est libro secundo: *Cum sex legiones in faciendo opere occupatæ tam subito a Nerviis opprimerentur, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas scutisque tegumenta detrahenda tempus defuerit.* Hic, inquam, locus ostendit insignibus & galeis & scutis positis munitionem castrorum fieri solitam. Idem libri tertii locus ostendit de Morinis in sylvas abditis: *Cum Cæsar castra munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere Romanis, hostes subito ex omnibus partibus sylvæ evolaverunt & in Romanos impetum fecerunt: Romani celeriter arma ceperunt, eosque in sylvas repulerunt.* Hic locus alter item ostendit faciendis castris arma graviora poni solita, sicut jam dictum est in frumentatione, cum Britanni dispersos legionarios depositis armis in metendo occupatos adorti sunt: illic enim arma in frumentatione deposita dicuntur. Tentoria vero castrensia, pellicea fuisse locus ille tertii libri demonstrat: *Ejusmodi tempestates sunt consecutæ, ut continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent.* Item alter ille tertio belli civilis: *Cæsar castris ad Apsum flumen positis sub pellibus hyemare constituit.* Denique tertius locus ille docet idem, Africano bello: *Quibus rebus attenuati, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant, reliqui ex vestimentis tentoriolis factis atque arundinibus coriisque contextis protegebantur.* Sed tota hæc castrensium munitionum opera, locorum oppugnatione & propugnatione postea longe plenius intelligentur: id modo statuo, legionarium militem tentoriorum, fossarum, vallorum opificem ex disciplina Romana & Cæsariana fuisse: neque laboribus illis fractum fuisse aut debilitatum, sed exercitatum robustioremque factum, ut præ tantis & agminis & castrensis munitionis laboribus, scutum, gladium, galeam ferre, in onere is miles non plus numeret, quam humeros, lacertos, manus, præque iis operibus præliari levissimum, imo jucundissimum existimet.

Romanus (eheu posteri negabitis) (ait ille)
Fert vallum & arma miles.

At vero, inquam, ut quod proposui concludam,
Romanus (eheu posteri quid agimus!)
Materiando, fodiendo, aggerando castra fecit.

DE AMBULATIONE.

Verum esto, miles arma ferat, vallum ferat, cibaria ferat, & si quid ad usum sit, ferat, castra materiando, fodiendo, aggerando faciat: abjectis illis oneribus expeditum armis tanquam membris alacrem ad prælium videamus. Tyrones quidem quotidie & mane & a meridie, omnibus armorum generibus in hoc castrensi campo exerceantur, veterani semel: has enim leges Vegetius a veteribus institutas tradit. Hostis nullus adest? adesse tamen comminiscamur, aciem instruamus: & si non dimicatum, attamen veluti dimicationis caussa ambulatum deducamus. Augusti atque Adriani constitutionibus (ait Vegetius) cautum erat, ut ter in mense tam equites quam pedites *educerentur ambulatum*: hoc enim verbo genus hujus exercitationis appellabant. Decem millia passuum miles armatus gradu illo militari, quem diximus, eat redeatque, sed magnam partem itineris pleniore gradu, maximam cursu conficiat, interimque quemlibet aciei ordinem meditetur. Atque in summa ordinum permistione, miles ordinem tamen sequatur, vexillum nusquam oculis amittat, neque planis tantum locis hæc itinera, sed clivosis & arduis fiant, ut nulla non provisa difficultas possit accidere: aut si ambulatio nulla sit, exercitatio tamen nusquam desit, miles sylvam cædat, æstivis temporibus natet, ad palum dimicet, saltet, currat. Exercitationis hujus exempla apud Livium frequentia sunt: sic enim libro tricesimo tertio de Sempronio: *Ibi quia ociosa castra erant, crebro decurrere milites cogebat, ut tyrones assuesceret signa sequi & in acie cognoscere ordines suos.* Et libro 36. de Scipione Africano: *Primo die legiones in armis quatuor millium spacio decurrerunt, secundo die arma curare & tergere ante tentoria jussit, tertio die sudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt, præpilatisque missilibus jaculati sunt, quarto die quies data, quinto iterum in armis decursum est.* Sed Cæsarianam militiam recepi & exercitationis hujus exempla apud Cæsarem clara sunt: *Superius institutum Cæsar* (ut est tertio belli civilis) *in equitibus servabat, ut quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites præliari juberet, qui quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis præliorum perciperent. His erat rebus effectum, ut equites mille, apertioribus etiam locis, septem millium Pompejanorum impetum, cum adesset usus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur.* Exempla hujus scholæ multo clariora sunt Africano bello, cum parvas copias haberet Cæsar & magnam quidem partem tyronum. *Cæsar* (ait Hircius) *jubet milites rursus ad opus redire & per caussam munitionum, tyrones in labore defatigare non intermittit.* Simile deinde paulo post: *Cæsar non more superiorum Imperatorum, in hybernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat, opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem.* Tum deinceps: *Cæsar interim quotidie legiones in campum deducere atque opus facere, vallumque & fossam per medium campum ducere, adversariorumque excursionibus officere non intermittit. Scipio item munitiones contra facere, & in jugo, ne a Cæsare excluderetur, approperare. Ita duces utrique, & in operibus occupati erant, & nihilominus equestribus præliis inter se quotidie dimicabant.* Sed eodem demum libro scola totius meditationis hujus contra novos hostes egregia est: *Cæsar contra ejusmodi hostium genera copias suas, non ut Imperator exercitum veteranum victoremque maximis rebus gestis, sed, ut lanista tyrones gladiatores condocefaceret, quo pede se reciperent ab hoste & quemadmodum obversi in adversarios & in quantulo spacio resisterent, modo procurrerent, modo recederent comminarenturque impetum, ac prope quo loco & quemadmodum tela mitterent, præcipit. Mirifice enim hostium levis armatura anxium exercitum Cæsaris atque solicitum habebat, quia & equites deterrebat prælium inire propter equorum interitum quod eos jaculis interficiebant, & legionarium militem defatigabant, propter velocitatem. Gravis enim armaturæ miles simul atque ab his insectatus constiterat, in eosque impetum fecerat, illi veloci cursu periculum vitabant. Quibus ex rebus Cæsar vehementer commovebatur: quia quodcunque prælium quoties erat commissum, equitatu suo sine legionario milite, hostium equitatui levique armaturæ eorum nullo modo par esse poterat. Solicitabatur autem his rebus, quod nondum legiones hostium cognoverat, & quonam modo sustinere se posset ab eorum equitatu levique armatura, quæ erat mirifica, si legiones quoque accessissent. Accedebat eo etiam hæc caussa, quod elephantorum magnitudo multitudoque, militum animos detinebat in terrore. Cui uni rei tamen invenerat remedium; Namq; elephantos in Ita-*

liam transportari jusserat, quo & Cæsaris miles speciem & virtutem bestiæ cognosceret, & cui parti corporis ejus telum facile adigi posset, oneratusque ac loricatus elephantus cum esset, quæ pars corporis ejus nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerentur. Præterea ut jumenta, bestiarum odorem, stridorem & speciem, consuetudine captarum, non reformidarent. Quibus ex rebus largiter erat consecutus: Nam & milites bestias manibus pertractabant, earumque tarditatem cognoscebant, equitesque in eos pila præpilata conjiciebant, atque in consuetudinem equos ipsarum bestiarum adduxerant. Ob has causas quas supra commemoravi, solicitabatur Cæsar, tardiorque & consideratior erat factus, & ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Nec mirum: copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis campestribus, & contra Gallos homines apertos minimeque insidiosos, qui per virtutem, non per dolum dimicare consueverunt. Tum autem erat ei laborandum, ut consuefaceret milites, hostium dolos, insidias artificiaque cognoscere, & quid sequi, quid vitare conveniret. Itaque quo hæc celerius conciperent, dabat operam, ut legiones non uno loco contineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc raptaret, ideo quod hostium copias a se suoque vestigio non discessuras existimabat: atque post diem tertium productas accuratius suas copias, sicut instruxerat, præter hostium castra prætergressus, æquo loco invitat ad dimicandum. Hac tota Hircii historia mirificum Cæsaris magisterium in tyronibus erudiendis agnoscimus. Atque in hac castrensi schola exercitus lustratio fuit, qua tanquam in Romani census lustro cujusque peditis equitisque virtus aut ignavia pro meritis afficiebatur. Sic Cæsar in Trevirorum finibus cum eo legiones ex omnibus hybernis evocasset, exercitum anno belli Gallici nono lustravit. Sic iterum Africano bello lustravit. Ac præmia illa de quibus ante in stipendio diximus, in castris data sunt: supplicia etiam in milites ignavos aut seditiosos constituta sunt, quæ militaribus delictis gravia erant. Si quis furatus esset, aut præmii consequendi gratia pejerasset, aut locum in acie deseruisset, aut in vigiliis dormitasset, aut adolescentis ætate ac flore abusus esset, fustibus cædebatur ac lapidibus obruebatur, ait Polybius. Et illud nimirum Ciceronis est in Philippicis: *Si Antonius Consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ Consulem reliquerunt.* Si totus exercitus vel magna pars deliquisset, sorte decimus quisque ad supplicium legebatur, ut ostendit Livius libro secundo. Decimatio illa nempe fuit, de qua pro Cluentio Tullius: *Statuerunt ita majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret.* Sic igitur decimus quisque plectebatur, reliquis extra vallum agentibus annona ordeum tantum erat, donec egregio facinore satisfactum videretur. Hæc autem severitas Romanis illis Imperii auctoribus tanta fuit, ut Posthumius & Torquatus filios, quia patrum injussu contra hostem ierant, quamvis victores & hostium spoliis opimos, tamen securibus percusserint, ipsisque naturæ ac patrio amori jus majestatis atque imperii prætulerint. *Ac Cæsar* (ait Suetonius) *militem pari severitate atque indulgentia tractabat: non enim ubique nec semper, sed cum hostis in proximo esset, coercebat. Tum maxime exactor gravissimus disciplinæ delicta neque observabat omnia, nec pro modo exequebatur, sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor ac punitor acerrimus, connivebat in cæteris.* Itaque duabus cladibus uno die acceptis, ut est libro 3. belli Civilis, Cæsar habita concione, nonnullos signiferos ignominia notavit ac loco movit. Sic Africano bello, præfectos quosdam (quorum negligentia, militum na-

A vis amissa esset) ignominiæ caussa dimittendos ab exercitu, gravissimumque in eos edictum proponendum curavit. Ac eodem bello exemplum illud est exauctorandi militis in pœnam maleficii commissi, cum nona & decima legiones e Sicilia in Africam exponuntur. *His enim legionibus expositis, Cæsar* (ait Hircius) *memor in Italia pristinæ licentiæ militaris ac rapinarum certorum hominum, parvulam modo caussulam nactus, quod C. Avienus tribunus militum decimæ legionis, navem commeatu familiaque sua atque jumentis occupavisset, neque militem unum a Sicilia sustulisset, postero die de suggestu convocatis omnium legionum tribunis centurionibusque,* B *Maxime vellem (inquit) homines suæ petulantiæ nimiæque libertatis aliquando finem fecissent, meæque lenitatis, modestiæ, patientiæque rationem habuissent. Sed quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt, quo cæteri dissimiliter se gerant, egomet ipse documentum more militari constituam. Quapropter, C. Aviene, quod in Italia milites populi Romani contra Rempublicam instigasti, rapinasque per municipia fecisti, quodque mihi reique publicæ inutilis fuisti, & pro militibus tuam familiam jumentaque in naves imposuisti, tuaque opera militibusque tempore necessario Respublica caret, ob eas res ignominiæ caussa ab exercitu meo te removeo,* C *hodieque ex Africa abesse, & quantum potes proficisci jubeo. Itemque te, A. Fontei, quod Tribunus militum seditiosus malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tiro, C. Clusiane, cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consecuti ita vos gesseritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, & magis in seditione concitandisque militibus adversus vestrum imperatorem, quam pudoris modestiæque fueritis studiosiores, indignos vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, missosque facio, & quantum potestis, abesse ex Africa jubeo. Itaque tradidit eos Centurionibus, & ad singulos non* D *amplius singulis additis servis, in navim imponendos separatim curavit.* Quid plura, miles in castris nunquam otiosus sit: hac enim quotidiana exercitatione fiet, ut nihil magis optet, quam prælium, nihil seditionis moveat. Sic Cæsar cum hostibus appropinquaret, disciplinæ exactor gravissimus erat. Et tamen aliquando exercitationis hujus negligentia, maximam totius exercitus perturbationem evitare non potuit, de qua sic est libro primo: *Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatusque caussa moratur, ex percunctatione Romanorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtu-* E *te atque exercitatione in armis esse prædicebant, sæpenumero sese cum his esse congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse, tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum ac præfectis, reliquisque, qui ex Urbe amicitiæ caussa Cæsarem secuti magnum periculum miserabantur, quod non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia caussa illata quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut ejus voluntate discedere liceret: nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant:* F *hi neque vultum fingere, neque interdum lachrymas tenere poterant, abditi in tabernaculis aut suum querebantur fatum, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur, vulgo totis castris testamenta obsignabantur: horum vocibus ac timore paulatim etiam hi, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, quique equitatui præerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias locorum, itineris & sylvarum magnitudinem quæ interce-*

derent inter eos atque Ariovistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæsari renunciabant, cum castra moveri, & signa ferri jussisset, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos. Sed hanc perturbationem Cæsar eloquentia sustulit, partim spem pacis ab hoste, atque etiam si obstinatus esset, victoriæ demonstrando, cum Germani sæpe victi essent a Romanis atque etiam a Gallis, quos tamen Romani vicissent: partim militum ignaviam & arrogantiam accusando, qui de Imperatoris sui virtute, constantia, consilio atque officio quererentur: denique militiæ desertoribus supplicium illa ipsa auctoritate & severitate, de qua paulo ante dixi, minitando: postremo quod in longiorem diem collaturus fuisset, repræsentaturum esse, & proxima die de quarta vigilia castra moturum, ut quam primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor plus valeret. Quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique eam prætoriam cohortem futuram. Huic legioni Cæsar & indulserat præcipue, & propter virtutem confidebat maxime. Itaque illa Cæsaris oratione mirum in modum conversæ sunt militum mentes, & magna belli gerendi cupiditas innata. Sic in posterum Cæsar diligenter cavit, ne per otium, ejusmodi quicquam in castris oriretur. Gallos Tencteris & Usipetibus Germanis studere intellexit, ut est quarto libro. Itaque ad consilia capienda nihil spatii dandum existimavit: quin celeriter octo millium itinere confecto prius ad hostium castra pervenit, quam quid ageretur, Germani sentire possent. Ocium vero contrarium, ut est secundo belli civilis, caussam militibus defectionis contra Curionem meditandæ dedit. Quare disciplina militaris in quotidianis ambulationibus & exercitationibus severe teneatur, præcipueque Imperatoris, Legati, Tribuni, Centurionis auctoritas severitasque in meditationibus istis appareat. Hic enim miles victoriam meditatur, tantoque ideo promptius assequetur, quanto diligentius meditatus fuerit. Sic igitur castris positis miles perpetuo paratus & promptus ad dimicandum. Libyci pastoris labores cum legionarii militis laboribus Maro comparavit, quod uterque dies & noctes ambulet, portet arma, tectum, cibum, protinusque stet expeditus in opere. Ergo ait.

Sæpe diem noctemq; & totum ex ordine mensem
Pascitur, idque pecus longa in deserta, sine ullis
Hospitiis, tantum campi jacet, omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram:
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam dum carpit, & hostem
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

TERTIA PARS.

Apparatum & castra diximus, reliquus est prælii congressus, de quo varia præcipi solent a magistris hujus doctrinæ. Quatuor autem communia sunt in præliis consideranda & comparanda, vires, locus, ordo, cohortatio, quorum ratio a Cæsare diligenter habita est. *In obeundis expeditionibus* (ait de Cæsare Suetonius) *dubium, cautiorne, an audentior fuerit.* Ego vero ex ipsius rebus gestis fortissimum quidem, sed partibus infinitis prudentiorem statuere possum. Vires igitur quæ satis essent ad victoriam, semper habuit. Itaque si quando majores hostium vires fuerunt, pugna abstinuit. Sic cum prope trecenta Belgarum millia uno tempore armata essent, & castra a millibus passuum minus duobus contra ipsius castra posuissent, Cæsar quamvis octo plenas legiones haberet, tamen primo propter multitudinem hostium, & propter eximiam opinionem virtutis, prælio supersedere statuit. *Vercingetorix* (ut est septimo libro) *octoginta millia peditum, quindecim equitum babebat. Cæsar quamvis decem legiones haberet, tamen quod hostes equitatu superiores esse intelligebat, dimicare noluit: sed trans Rhenum in Germaniam mittit, equitesque accersit & levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari consueverant.* Quot millia, inquies, Cæsar tacet: sed tot, inquam, existimato, quot ad victoriam sufficere statuerit: ac jam cum viribus equitum respondet, tum demum præliatur. Cum Pompejo, cum Scipione non ante dimicavit, quam totæ copiæ transportatæ essent. Quinetiam, si dimicare cogeretur, ne cum majore multitudine dimicaret; id callide agere consuevit, ut hostium copias distraheret, ac dissipatas facilius vinceret. Sic ne contra trecenta illa Belgarum millia uno tempore confligere cogeretur, Divitiacum Heduum cum Heduis copiis in Bellovacorum (quorum sexaginta delecta millia in Belgarum castris erant) fines ad hostium manus distinendum ac distrahendum ab se dimisit, ac Bellovacis, cum eorum finibus Hedui appropinquarent, persuaderi non potuit, ut diutius cum reliquis Belgis morarentur. Adversus Ambiorigem, disciplinæ consilium idem est. Ambiorix rex Eburonum legatos Cæsaris Cottam & Sabinum cum toto exercitu deleverat, sed facinoris sui defensores permultos habebat, Nervios, Aduaticos, Menapios, Germanos, Senones, Carnutes. Cæsar ut hanc cladem indignissime tulit, ita gravissime vindicandam statuebat, atque ideo omnia prius Ambiorigi auxilia detrahenda, quo facilius destitutum opprimeret. Itaque Cæsar ipse cum quatuor legionibus hyeme nondum confecta Nervios improvisos & inopinantes in deditionem coegit: Senones & Carnutes partim concilio Galliæ publico, partim celeritate & legionum terrore compescuit: Menapios quinque legionibus subegit: per Labienum Treviros, dejecta Induciomari factione, & Cingetorigi principatu reddito, recepit, copiisque omnibus coactis Germaniam terruit: atque ita demum Ambiorigis fines omnibus auxiliis nudatos spoliavit, proque libidine vexavit. Quamobrem, ut in cæteris contentionibus, sic in bello ne Hercules quidem contra duos. Itaque istam quoque prudentiam Cæsar habuit, ut hostium vires viribus æquaret. Ac quod Vegetius e veterum auctorum aliquo descripsit, in Consulari exercitu legiones duabus plures non fuisse, id de Consule unius provinciæ rectore accipiendum. At Cæsar, duas Gallias initio habuit. Itaque legiones quatuor a Republica primo anno accepit, & cum provincias bello plures appeteret, duas Helvetico bello addidit, sexque tum legiones habuit: secundo deinceps octo, reliquis annis decem præter auxilia annuaque supplementa *ascriptivorum* (ut appellat Varro) *qui ascribebantur inermes, ut succederent armatis militibus, si quis eorum deperis-*

ſet, qui numerus videtur duodecim cohortium fuiſſe, ut ſexto commentario ad Rheni pontem: ubi præter decem legiones, numerantur etiam cohortes duodecim. Legionis vero Cæſaris in commentariis belli Gallici diſerte nominantur, prima, ſeptima, octava, nona, decima, undecima, duodecima, decimatertia, decimaquarta, decimaquinta. Et Cicero ad Atticum de Cæſaris copiis ad bellum civile, *Video* (ait) *illac facere legiones undecim*. Quantæ vero decem legionum vires fuerint, oſtendit illa vox Cæſaris Hiſpanienſi bello Luſitanos accuſantis: *An me delecto, non animadvertebatis decem habere lectas quidem legiones populum Romanum, quæ non ſolum vobis obſidere, ſed etiam cœlum diruere poſſent?* Quin, ut Livius libro viceſimo prodidit, *populus Romanus ſociorum Latinique nominis trecenta millia ad Gallos Italiæ aditu prohibendum uno tempore armata ſunt*. Unde ſatis conſtat exercitus modum ex hoſtium numero metiendum eſſe. Quinetiam Cæſar exercitus mediocres locis diviſis plures habere maluit, quam unicum permagnum & uno loco conjunctum: ut bello Venetico plurimæ nationes agitatæ in Romanos, cum Venetis conjuraverant, Curioſolites, Oſiſmii, Nannetes, Diablintres, Unelli, Lexobii, Eburones, Morini, Menapii: metuebantur etiam Aquitani, Germani, Britanni: Gallorum etiam reliquorum motus timebatur Ergo Cæſar, tametſi octo legionibus & duodecim cohortibus legionariis armatus eſſet: quamvis etiam Belgæ omnes victi propemodum, aut pacati eſſent, Celtæ reliqui factione aliqua ſociati eſſent: partiendum ſibi tamen ac latius diſtribuendum exercitum putavit, ut cum paucioribus hoſtium reliquorum copiis facilius dimicaret: *Itaque T. Labienum legatum in Treviros, qui proximi flumini Rheno ſunt, cum equitatu mittit. Huic mandat, Rhemos reliquoſque Belgas adeat atque in officio contineat, Germanoſque qui auxilio a Belgis accerſiti dicebantur, ſi per vim navibus flumen tranſire conentur, prohibeat: Publ. Craſſum cum cohortibus legionariis duodecim & magno numero equitatus, in Aquitaniam proficiſci jubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittantur ac tantæ nationes conjungantur: Q. Titurium Sabinum Legatum cum legionibus tribus in Unellos, Curioſolitas Lexobioſque mittit, qui eam manum diſtinendam curet: Decium Brutum adoleſcentem claſſi Gallicíſque navibus, quas ex Pictonibus & Sanctonis reliquiſque ſociorum Celtarum regionibus convenire juſſerat, præficit, & cum primum poſſet, in Venetos proficiſci jubet, ipſe eo pedeſtribus copiis contendit*. Quare videtur Cæſar eo bello copiarum numero ſuperior fuiſſe, & hoſtium copias ita diſtraxiſſe, ut facilius vinceret.

LOCUS.

CÆſaris diſciplina prudentiaque in viribus copiarum perſpecta eſt: poteſt par & eadem in loco futuri prælii perſpici: nec enim minus de prælii loco, quam de militum viribus ſecurus eſſe voluit. Superiorem autem Cæſar optavit: ventum etiam & ſolem congruentem doctores addiderunt. Clara ſunt hujus prudentiæ ac multa in commentariis exempla. Cæſar contra Pharnacem regem Ponti caſtra editiſſimo colle fecerat, cum ſpacio non amplius mille paſſuum interciſa vallis, caſtra hoſtis divideret. Itaque cum interpoſita tanta locorum iniquitate Pharnaces Cæſarem eſſet aggreſſus, celerrime ſuperatus eſt, ut Cæſar, hoſtis primum inanem oſtentationem, quam putabat, irriſerit: poſtea vero incredibilem temeritatem ſit admiratus, & eo loci productam aciem, quem in locum nemo ſanus hoſtis ſubiturus eſſet. At vero longe aliter Cæſar, ubi Vercingetorigem cum omni equitatu expeditiſque peditibus a caſtris abeſſe cognoviſſet, media nocte, ſilentio profectus ad hoſtium caſtra mane pervenit. Illi celeriter per exploratores adventu Cæſaris cognito, carros impedimentaque ſua in arctiores ſylvas abdiderunt, copias omnes in loco edito atque aperto inſtruxerunt. Qua re nunciata, Cæſar celeriter ſarcinas conferri, arma expediri juſſit. Collis erat ab infimo leniter acclivis: hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis atque impedita cingebat non latior pedibus quinquaginta. Hoc ſe colle interruptis pontibus; Galli fiducia loci continebant, omniaque vada ac ſaltus ejus paludis certis cuſtodiis obtinebant, ſic animo parati, ut ſi eam paludem Romani perrumpere conarentur, hæſitantes premerent ex loco ſuperiore. Indignantes autem Romanos, quod conſpectum ſuum hoſtes ferre poſſent tantulo ſpatio interjecto, & ſignum prælii expoſcentes, Cæſar edocet, quanto detrimento & quot virorum fortium morte neceſſe eſſet conſtare victoriam: quos cum ſic animo paratos videret, ut nullum pro ſua laude periculum recuſarent, ſummæ ſe iniquitatis condemnari debere, niſi eorum vitam ſua laude habeat chariorem. Sic milites conſolatus, eodem die reducit in caſtra. Hoc idem factum Cæſar poſtea in caſtiganda militum cupiditate, qui iniquo ad Gergoviam loco magnum periculum adiiſſent, repetivit. Cum ad Avaricum ſine duce & ſine equitatu deprehenſis hoſtibus, exploratam victoriam dimiſiſſet, ne parvum modo detrimentum in contentione propter iniquitatem loci accideret. Secundum ejuſdem prudentiæ exemplum eſt libro octavo: Bellovaci locum caſtris excelſum impedita circundatum palude delegerant, impedimenta omnia in ulteriores ſylvas contulerant, cumque Cæſar inſtructa acie contra ſtaret, copias inſtruunt pro caſtris, nec loco ſuperiore decedunt. Cæſar tametſi dimicare optaverat, tamen admiratus tantam multitudinem hoſtium valle intermiſſa, magis in altitudinem depreſſa, quam late patente, caſtra caſtris hoſtium confert. Hic prudentiam eandem, nullam audaciam vides. Deinde cum pontibus palude conſtrata, legiones traduxiſſet, aciem conſtituit eo loco, unde tormento miſſa tela in hoſtium cuneos conjici poſſent. Bellovaci confiſi loci natura, cum dimicare non recuſarent, ſiforte Romani ſubire collem conarentur, in acie permanſerunt Quorum pertinacia cognita Cæſar prælio abſtinet, eo loco caſtra metatur. Ergo in his exemplis clara rei militaris ſcientia demonſtratur. Ac ſi natura ipſa ſuperiorem ſitu locum denegaret, arte tamen Cæſar efficiebat, ut contra Belgas ſecundo libro: *Collis ubi caſtra poſuerat, paululum ex planitie editus, tantum adverſus in latitudinem patebat, quantum loci acies inſtructa occupare poterat, atque ex utraque parte lateris dejectus habebat, & in frontem leniter faſtigiatus paulatim ad planitiem redibat. Ab utroque latere ejus collis, & tranſverſam foſſam obduxit circiter paſſuum quadringentorum, & ad extremas foſſas caſtella conſtituit, ibique tormenta collocavit, ne cum aciem inſtruxiſſet, hoſtes qui tantum multitudine poterant, a lateribus pugnantes Romanos circumvenire poſſent. Hoc facto, duabus legionibus, quas proxime conſcripſerat, in caſtris relictis, ut ſi quo opus eſſet ſubſidio duci poſſent, reliquas ſex legiones pro caſtris in acie conſtituit: hoſtes item ſuas copias e caſtris eductas inſtruxerunt. Palus erat non magna inter Romanorum & hoſtium exercitum: hanc ſi Romani tranſirent, hoſtes expectabant. Romani autem, ſi ab illis initium tranſeundi fieret, ut im-*

peditos aggrederentur, *parati in armis erant*. *Interim prælio equestri inter duas acies contendebatur*. *Ubi neutri transeundi initium faciunt*, *secundiore equitum prælio Cæsar reduxit suos in castra*. Hæc Cæsaris in speciem magnifica virtutis ostentatio fuit, revera simulatio prudentiæ plenissima fuit. Acies enim sic instructa velut in castris unica tantum porta aperta cum hostibus prælium commissura fuit: Castra enim erant a tergo, fossæ & vallum ab utroque latere, ut a fronte tantum dimicari posset. Quamobrem tam multis documentis manifestum est Cæsaris judicium, quantus victoriæ artifex & machinator sit locus. Sed cum dolo gerenda res est, locus sine dubio est omnium insidiarum receptator & fabricator improbissimus: tumque virium ratio minor habetur, tanquam locus ipse multorum militum numero habeatur. Ergo huic iniquitati ne Romani quidem ipsi pares esse potuerunt. Romanarum ad Varutam quindecim cohortium tanta militiæ disciplina eruditarum, & quidem hostibus numero, ut Cæsar confitetur, parium, attamen loci iniquitate ab Eburonibus circumventarum, internecio facta est. Collocatis enim insidiis bipartito, in sylvis opportuno atque occulto loco, Romanorum adventum Eburones expectabant. Cum se pars Romani agminis in magnam convallem demisisset, ex utraque parte ejus vallis, subito sese ostenderunt, novissimosque premere & primos prohibere ascensu præliumque committere cœperunt procul tela conjiciendo, impetum facientibus velocissime cedendo, interimque nudatos, ab latere aperto feriendo, denique revertentes circumsistendo tandem omnes interemerunt. Quamobrem intelligimus, quas vires locus habeat. Stulta vero & anili superstitione, locorum circumstantia quæritur. Mithridates Romanos eo loco vicerat, ubi Cæsar castra postea posuit. Pharnaces Mithridatis filius eandem loci felicitatem sibi proposuit. Itaque auspiciis & religionibus inductus misera clade eodem loco deletus est. Talis est in tempore vanitas dierum Romanis atrorum & infelicium. Hæc superstitio Ariovistum Germanorum regem perdidit: Nam cum quæreret Cæsar quamobrem Ariovistus prælio non decertaret, hanc reperiebat caussam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, necne: eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent. Quid igitur? utrum superstitionis hujus tanquam certi in hoste timoris occasionem Cæsar ignoravit, utrum contempsit? imo vero postridie ejus diei instructa acie, usque ad castra hostium accessit, eosque ad pugnam pertractos delevit. At Cæsar, ait Suetonius, nulla unquam ejusmodi religione a quoquam incœpto absterritus vel retardatus est. At temporis circumstantia una cum loco in bellis vere considerari illa solet, quod præcipuum sit æstivum maturis frugibus. Belli tamen Gallici annis, quinto, sexto, septimo, octavo Cæsar summis hyemis difficultatibus res maximas confecit. Diurnum tempus præliis aptius creditur, & id in commentariis ita traditum est primo belli civilis, nocturna prælia esse vitanda, quod perterritus miles in civili dissensione timori magis, quam religioni consulere consueverit. At lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum, militum & centurionum præsentiam afferre: quibus coerceri milites & in officio contineri soleant. Atque id consilium est Pompejanorum Cæsaris hostium: At Cæsaris ipsius consilium tale est. Alexandrino bello, Alexandrini Cæsari redeunti, cum classe occurrerunt, qui duabus de caussis eo die dimicare nolebat, quod & nullos milites in navibus habebat, &

A post horam decimam diei res agebatur: nox autem allatura videbatur majorem fiduciam illis, qui locorum fiducia confidebant: sibi etiam hortandi suos auxilium defuturum, quod nulla satis esset hortatio, quæ neque virtutem posset notare, neque inertiam. Sic nox Africano bello & ventus accusantur: *Quod ni in noctem prælium esset conjectum*, ait Hircius, *pulvisque vento flatus*, *omnium prospectibus offecisset*, *Juba cum Labieno capti*, *in potestatem Cæsaris venissent*, *equitatusque cum levi armatura funditus ad internecionem deletus esset*: *quo tamen Cæsar tum usus est*, *cum illud a Pompejanis deliberatur*: sic alias sæpe: *Et nocturnum Pompeii contra Mithridatem prælium*, *nobilissi-* B *mam hac ipsa temporis occasione victoriam peperit*. *Cum luna quasi commilitans*, *a tergo hostibus*, *a facie Romanis se præbuisset*, *Pontici per errorem longius cadentes umbras suas quasi hostium corpora petebant*, *& Mithridates quidem nocte illa debellatus*.

Ordinis ratio succedit apud Livium uno præcipue octavi libri loco, sed satis obscure de duorum Consulum conjuncto exercitu propositus in triplici acie hastatorum, principum, triariorum: in unaquaque autem acie levem & gravem armaturam C collocat: leves, qui hastam tantum gæsaque gererent: trecentos in hastatis, totidem in principibus, quos utrosque *antepilanos* appellat. Sed gravis & in hastatis & principibus armaturæ numerum non habet: In tertia acie viginti quinque millia centum & decem statuit, ac distribuit æqualiter in triarios, graviter armatos & leviter armatos rorarios & accensos, ut in tertia quoque parte sint octo millia trecenti septuaginta. Sic autem Livius loquitur: *Prima acies*, *hastati erant*, *manipuli quindecim*, *distantes inter se modicum spacium*: *manipulus leves vicenos milites*, *aliam turbam scutatorum habebat*. *Hæc prima frons in acie florem* D *juvenum pubescentium ad militiam habebat*. *Robustior inde ætas totidem manipulorum*, *quibus principibus est nomen*. *Hos sequebantur scutati omnes insignibus maxime armis*: *hoc XXX. manipulorum agmen*, antepilanos *appellabant*, *quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur*, *ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat*: *earum unamquanque* primum pilum *vocabant*: *tribus ex vexillis constabat*: *vexillum CLXXXVI. homines erant*. *Primum vexillum triarios ducebat*, *veteranum militem spectatæ virtutis*: *secundum rorarios*, *minus roboris ætate factisque*: *tertium accensos*, *minimæ fiduciæ manum*. *eo & in postremam aciem rejiciebantur*. E *Ubi his ordinibus exercitus instructus esset*, *hastati omnium primi pugnam inibant*: *si hastati profligare hostem non possent*, *pede presso eos retro cedentes in intervalla ordinum principes recipiebant*: *tum principum pugna erat*, *hastati sequebantur*: *triarii sub vexillis considebant sinistro crure porrecto*, *scuta innixa humeris*, *hastas subrecta cuspide in terra fixas*, *haud secus*, *quam vallo septa*, *inhorreret acies*, *tenentes*. *Si apud principes quoq; haud satis prospere esset pugnatum*, *a prima acie ad triarios sensim referebantur*. *Inde* rem ad triarios rediisse, *cum laboratur*, *proverbio increbuit*. Et sic Varro *triarios* dictos esse ait, quod *in acie tertio ordine* extremis subsidio deponebantur. *Triarii consurgentes* F *ubi in intervalla ordinum suorum principes & hastatos recepissent*, *extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias*, *unoq; continente agmine*, *jam nulla spe post relicta*, *in hostem incedebant*: *id erat formidolosissimum hosti*, *cum velut victos insecuti*, *novam repente aciem exurgentem*, *auctam numero cernebant*. Hactenus Liv. de triplici Romanorum acie, ut in hastatis flos esset juventutis, in principibus robustior ætas, in triariis spectatior virtus, ut ordines

militiæ loco pariter & virtute crescerent, robusti milites hastati, robustiores hastatis principes, robustissimi omnium triarii. Sed eodem deinceps Livii loco e prælii administratione res tota plenius intelligitur, cum Latini pari militiæ disciplina adversus Romanos præliantur, *nec vexilla cum vexillis tantum universi, hastati cum hastatis, principes cum principibus, sed centurio cum centurione, si turbati ordines non essent, concurrendum sibi esse sciebat. Primo* igitur *utrumque æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab lævo cornu hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere:* tum Decio Consule altero pro legionum Romanarum victoria diis superis inferisque devoto, *consternatæ cohortes Latinorum, fugam ac vastitatem late fecerunt. Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primum signo dato cohorti, pugnam integram ediderunt: nam & rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus.* Et ille *ros* videlicet fuit, unde nomen habent, ait Varro, *qui bellum committebant ante: ideo quod ante rorat, quam pluit. At triarii genu dextro innixi, nutum Consulis ad consurgendum expectabant: procedente deinde certamine, cum aliis partibus multitudo superaret Latinorum, Manlius Consul audito eventu collegæ, cum, ut jus fasque erat, lachrymis non minus quam laudibus debitis prosecutus tam memorabilem mortem esset, paulisper addubitavit, an consurgendi jam triariis tempus esset: deinde melius ratus integros eos ad ultimum discrimen servari, accensos ab novissima acie, ante signa procedere jubet. Qui ubi subiere, extemplo Latini, tanquam idem adversarii fecissent, triarios suos excitaverunt: qui aliquandiu pugna atroci cum & semet ipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent aut hebetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum jam rati, perventum, ad extremam aciem: tum Consul triariis, Consurgite nunc, inquit, integri adversus fessos, memores patriæ parentumque & conjugum ac liberorum, memores Consulis pro vestra victoria morte occubantis. Ubi triarii consurrexerunt integri refulgentibus armis, nova ex improviso exorta acies, receptis in intervalla ordinum antepilanis, clamore sublato principia Latinorum perturbant: hastisque, ora fodientes primo robore virorum cæso, per alios manipulos velut inermes prope intacti evasere, tantaque cæde perrupere cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hostium.* Sic igitur prælium Romanorum adversus Latinos a Livio narratur, unde pugna hastatorum prima, secunda principum, tertia tertiæ aciei, sed ita ut rorarii inter antepilanos primo procurrant: deinde etiam accensi eodem procedant, ut tum denique viribus hostium vel exhaustis vel debilitatis, integri & recentes triarii pugnam capesserent. Polybius eundem ordinem describit apertius, legionem quadrifariam dividit: in pilanos minimos natu, hastatos iis proximos ætate, principes florentissimis annis, triarios maximos natu: pilanos quidem hastatosque & principes millenos ducenos: triarios autem sexcentos. Si major fiat legio, proportione partes augentur, exceptis triariis, quos semper efficiunt pares. Hæc Polybius paulo clarior Livio. Sed in omnibus commentariis rerum a Cæsare gestarum vix semel hastati & principis, triarii autem, rorarii, accensi, omninoque pilani vel antepilani ne vix quidem nomen invenies. Nec omnino ordinis hujus ulla significatio in tot Cæsaris præliis indicatur, sive id tanquam notissimum de industria prætermissum sit, sive aliam quandam militiæ disciplinam Cæsar habuerit, quod prælia ipsa magis videntur declarare, in quibus milites veterani, primos præliorum impetus sustinent, tyrones fere collocantur in subsidiis, ut suo tempore dicetur. An vero uterque ordo simul servari potuit, ut in unaquaque Cæsaris acie, imo legione, hastati & principes cum suis antepilanis, triarii cum suis rorariis & accensis distinguerentur, & tamen prima acie veteranos, postrema tyrones tanquam rorarios vel accensos haberet? Dicam quod in Cæsare animadverti. Ordo aciesque prius instruatur, quam hostis adveniat. Ita tamen, ut nunquam totis viribus uno tempore dimicetur, sed pars certa extra prælium idoneo loco reservetur, unde laborantibus subsidium summitti possit. Id enim Cæsarem summo studio providisse eoque præcipue vicisse diligenter attendenti manifestum est: alios in Cæsare triarios non invenio. Acies autem variatur numero & figura: numero simplex, duplex, triplex, quadruplex appellatur. Africano bello contra Labienum Cæsar aciem simplicem dirigit, ut poterat, propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit, equites dextro sinistroque cornu opponit, & ita præcipit, ut providerent, ne multitudine equitatus hostium circumvenirentur. Crassus autem adersus Aquitanos duplicem aciem instruxit, auxiliis in mediam aciem collocatis. At Cæsar fere quoties leviore numero æquas vires habuit, aciem triplicem instruit. Sic acie triplici instructa, ad Ariovistum contendit, & acie triplici contra eum dimicavit. Acie triplici instructa, ad Usipetum & Tencterorum castra pervenit. Contra Scipionem in Africa triplex acies a mane ad vesperam instructa constitit, neque tamen dimicavit. Postea vero ad Thapsum ubi Scipio victus est, Cæsar aciem quadruplicem habuit. Ergo sic numero variatur acies: Figura autem cuneata, quadrata, rotunda appellatur. Cuneus dimidiatus rhombus & transformatus in triquetrum, valetque ad perrumpendam hostium aciem. Sic tres Cæsaris cohortes ad Varutam duo Sicambrorum equitum millia perruperunt & incolumes in castra redierunt: *Cæsar pæne quadrato agmine in conspectum Bellovacorum processit*, ait Hircius: hac autem forma, Cæsaris prælium nullum in commentariis formatum est. Sed orbis, ut inter figuras pulcherrimus, sic in usu militari præstantissimus est. Trecentos legionarios Morini solos & a reliquis copiis sejunctos nacti, *primo non ita magno suorum numero circumstiterunt, ac si sese interfici nollent, arma ponere jusserunt. Cum illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad clamorem hominum circiter millia sex convenerunt. Qua re nunciata Cæsar omnem e castris equitatum suis auxilio misit. Interim Romani milites impetum hostium sustinuerunt, atque amplius horis quatuor fortissime pugnaverunt, paucis vulneribus acceptis, & complures ex his occiderunt.* Secundum exemplum nobis erit de Domitii (qui Cæsaris Legatus erat) fuso exercitu a Pharnace rege Ponti: *Cum victrices regis copiæ se converterent ad trigesimam sextam legionem, ea magnis hostium copiis circundata, præsentissimo animo pugnans, in orbem se recepit ad radices montium, quo Pharnaces insequi propter iniquitatem loci noluit.* Quare legio unica, victorem totum exercitum, artificio orbis sustinuit, ab eoque incolumis evasit. Atqui tamen quinto libro videtur a Cæsaris orbis reprehendi, quo Cotta & Sabinus Cæsare legati, ab Eburonibus circumventi, usi essent. *Cumque*, ait Cæsar, *propter longitudinem agminis non facile per se omnia obire, & quid quoque loco faciendum esset, providere possent, jusserunt pronuntiari, ut impedimenta relinquerentur, atque in orbem consisterent. Quod consilium (etsi in ejusmodi casu reprehendendum non est) tamen incommode accidit. Nam & Romanis militibus spem minuit, & hostes ad pugnandum alacriores effecit, quod non sine summo timore & desperatione id factum videbatur. Equita-*

tus

tus Labieni suorum multitudine confisus, Cæsaris paucitatem circumire conatur. Cum equites Cæsaris pauci, multitudine hostium defessi, equis convulneratis paulatim cederent, hostis magis magisque instabat. Ita puncto temporis, omnibus Cæsaris legionariis ab hostium equitatu circumventis, Cæsarisque copiis in orbem compulsis, intra cancellos omnes conjecti, pugnare cogebantur, omniumque animi in terrorem conjecti, & maxime tironum. Circunspicere enim Cæsarem, neque amplius facere, nisi hostium jacula vitare. Cæsar interim consilio hostium cognito, jubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi, alternis conversis cohortibus, ut una post alteram ante signa tenderet. Ita coronam hostium dextro sinistroque cornu, mediam dividit, & unam partem ab altera exclusam equitibus intrinsecus adortus, cum peditatu telis conjectis in fugam vertit, neque longius progressus, veritus insidias, se ad suos recipit. Idem altera pars equitum peditumque Cæsaris facit. Orbis igitur has vires habet ad resistendum, ad excedendum. At si par esse non possit, ad rectam lineam, cujus conversione factus est, tanquam ad principium reductus, extremam salutem ostendit. Prælium vero adversus infirmissimam hostium partem nostra firmissima parte inchoetur. Levis armatura provocet hostem victumque persequatur. Impar, ad gravem armaturam sese recipiat, prælium excipiat gravis armatura: hic enim murus aheneus est, statariaque legionis pugna, quæ si vicerit, victum hostem levis armatura persequatur. Sed tamen quod de copiis, quod de loco fecimus; sic etiam contraria neglecti ordinis exempla proferantur. Confusio nempe tam gravis adversaria est, quam numeri paucitas, quam loci cujusvis iniquitas. Sic Belgæ dissipati cæduntur a Cæsare, contra quos acie compositos, dimicare veritus est: hi discessu constituto, *secunda vigilia magno cum strepitu ac tumultu castris egressi nullo certo ordine neque imperio, cum sibi quisque primum itineris locum peteret & domum pervenire properaret, fecerunt, ut consimilis fugæ profectio videretur. Hac re statim Cæsar per speculatores cognita, insidias veritus, quod, qua de caussa discederent, nondum perspexerat, exercitum equitatumque castris continuit. Prima luce confirmata re ab explorbtoribus, omnem equitatum, qui novissimum agmen moraretur, præmisit, eique Q. Pedium & L. Arunculejum Cottam Legatos præfecit, T. Labienum Legatum cum Legionibus tribus subsequi jussit. Hi novissimos adorti & multa millia passuum persecuti magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt; cum ab extremo agmine hi ad quos ventum erat, consisterent, fortiterque impetum Romanorum militum sustinerent. Priores quod abesse a periculo viderentur, neque ulla necessitate, neque imperio continerentur, exaudito clamore, perturbatis ordinibus omnes in fuga sibi subsidium posuerunt. Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem Romani interfecerunt, quantum fuit diei spatium, sub occasumque solis sequi destiterunt, seque in castra, uti erat imperatum, receperunt.* Sic in præliis Pharsalico, Pontico, Africano, Hispaniensi simul atque interruptus est ordo, nil est nisi pavor, fuga, cædes. Miserum vero prælii genus est, cum viribus & loco inferiores, etiam dissipati & confusi deprehendimur: cujus generis exempla duo sunt insignia, alterum primo, alterum secundo libro. *Ararim ratibus ac lintribus junctis Helvetii transibant. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est tres jam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse, quartam vero partem circa flumen Ararim reliquam esse; de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat. Eos impeditos & inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit, reliqui sese fugæ mandarunt atque in proximas sylvas abdiderunt.* Hoc exemplum primum est: alterum secundo libro describitur: *Belgæ cum Cæsar illis æquam pugnandi conditionem non faceret, protinus ex eo loco ad flumen Axonam contendunt. Ibi vadis repertis, partem suarum copiarum traducere conati sunt. Cæsar certior factus a Titurio, omnem equitatum & levis armaturæ Numidas funditores sagittariosque pontem traducit atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos Romani in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes, multitudine telorum repulerunt. Primos, qui transierant, equitatu circumventos interfecerunt.* Sed in hoc toto inopinati & improvisi prælii genere, celeritas illa, de qua ante in itinere disserui, primas partes obtinet, nec in præliis Cæsaris alias insidias aliumve dolum fere comperio. Sic Germanorum ad Mosam quadringenta & triginta millia oppressa sunt, cum prius ad eorum castra Cæsar pervenisset, quam quid ageretur, sentire possent. Sic sexto libro hyeme nondum confecta & Nervii & Senones inopinantes, priusquam convenire aut profugere possent, oppressi sunt. Sic Arverni hyeme summa Gebennæ altitudine & nivibus, quibus se tutos arbitrabantur, celeritate superatis, parva manu latissime pervagata perterriti, eorumque copiæ, quod usu venturum Cæsar opinione præceperat, e Biturigum finibus revocatæ. Eadem celeritate Bituriges cum conjurationem meditarentur, *imparati, & priusquam in oppida confugere possent, equitatu circunventi, intereaque vulgatæ illud incursionis signum, quod incendiis ædificiorum intelligi consuevit, interdicto sublatum, ne aut copia pabuli frumentique deficeret, si longius progredi vellet, aut hostes incendiis terrerentur: tantaque celeritate omnibus locis Cæsar occurrit, ut nulli civitati spatium de aliena potius quam de domestica salute cogitandi dederit. Qua celeritate & fideles amicos retinebat, & dubitantes terrore ad conditiones pacis adducebat.* Pompejani Petrejus & Afranius noctu proficiscendum non putant: At *Cæsar exploratis regionibus, albente cœlo, omnes copias castris educit, magnoque circuitu nullo certo itinere exercitum ducit. Nam quæ itinera ad Iberum pertinebant, castris hostium oppositis tenebantur, ipsi erant transcendendæ valles maximæ ac difficillimæ: saxa multis locis prærupta iter impediebant, ut arma per manus necessario traderentur, militesque inermes sublevatique alii ab aliis, magnam partem itineris conficerent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quod eum omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Ibero intercludere & frumento prohibere potuissent. Ac primo Afraniani milites visendi caussa, læti ex castris procurrebant, contumeliosisque vocibus prosequebantur Cæsarianos necessarii victus inopia coactos fugere. Erat enim iter a proposito diversum contrariamque in partem iri videbatur. Duces vero eorum, consilium suum laudibus ferebant, quod se castris tenuissent: multumque eorum opinionem adjuvabat, quod sine jumentis impedimentisque ad iter profectos videbant, ut non posse diutius inopiam sustinere confiderent. Sed ubi paulatim retorqueri agmen ad dexteram conspexerunt, jamque primos superare regionem castrorum animadverterunt, nemo erat adeo tardus aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum atque occurrendum putaret. Conclamatur ad arma, atque omnes copiæ paucis præsidio relictis cohortibus exeunt, rectoque ab Iberum itinere contendunt. Erat in celeritate omne positum certamen, utri prius angustias montesque occuparent. Sed exercitum Cæsaris, viarum difficultas tardabat. Afranii copias, equitatus Cæsaris insequens morabatur. Res tamen ab Afranianis huc erat necessario deducta, ut*

si priores, montes, quos petebant, attigissent, ipsi periculum vitarent, impedimenta totius exercitus cohortesque in castris relictas servare non possent. Quibus interclusis exercitu Cæsaris, auxilium ferri nulla ratione poterat. Confecit prior iter Cæsar, atque ex magnis rupibus nactus planitiem, in hac contra hostem aciem instruit, eaque celeritate Pompejanos deditionem facere coegit. Simillima itineris & diligentia & astutia Pompejus in Græcia circumventus est: *Cæsar acie instructa decertandi potestatem Pompejo fecit. Ubi illum suis locis se tenere animadvertit, reducto in castra exercitu aliud sibi consilium capiendum existimavit. Itaque postero die omnibus copiis magno circuitu, difficili angustoque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompejum aut Dyrrhachium compelli, aut ab eo intercludi posse, quod omnem commeatum totiusque belli apparatum eo contulisset, ut accidit. Pompejus enim primo ignorans ejus consilium, quod diverso ab ea regione itinere profectum videbat, angustiis rei frumentariæ compulsum discessisse existimabat. Postea per exploratores certior factus, postero die castra movit, breviore itinere se occurrere ei posse sperans: quod fore suspicatus Cæsar, militesque adhortatus, ut æquo animo laborem ferrent, parva parte noctis, itinere intermisso mane Dyrrhachium venit, cum primum agmen Pompeji procul cerneretur, atque ibi castra posuit.* Hic alterum certamen non pugnæ vel cædis, sed diligentiæ & celeritatis vides, quo Pompejus opportunissima sibi civitate interclusus est.

COHORTATIO.

Ergo hæc de ordine: cohortatio reliqua est, cujus lex a Cæsare Pharsalico prælio laudata & celebrata est. *Est quædam* (ait) *animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent.* Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent: quibus rebus & hostes terreri & suos incitari existimaverunt. Hanc nimirum militæ legem quarta Philippica Tullius usurpavit, cum ad Quirites ita loquitur: *Faciam igitur ut imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur, sic ego vos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam adhortabor.* Quapropter in præliis ut vires, locus, ordo, sic vel maxime cohortatio requiritur, quam vere cotem militaris virtutis appellare possumus. Itaque si quando alacritas animi absterritis militibus defuit, nunquam prælium sibi ante committendum Cæsar existimavit, quam certa cohortatione confirmasset. Monuimus antea, quanta cura milites, Germanici belli errore debilitatos, recrearit, tum orando (qua facultate plurimum valuit) tum hostem ipsum non in odium modo, sed in contemptum adducendo: unde tanta præliandi cupiditas incensa est, ut ipso prælii die Romani complures, in hostium phalangem insilirent & scuta manibus revellerent & desuper vulnerarent. Cæsar ad Dyrrachium adversis duobus præliis eodem die usus est. Hic igitur eloquentia & auctoritas eadem adhibita est ad pristinam alacritatem recuperandam: *Concionem apud milites habuit, hortatusque est, ne ea quæ accidissent, graviter ferrent, neve his rebus terrerentur, multisque secundis præliis unum adversum & id mediocre opponerent. Habendam fortunæ gratiam, quod Italiam sine aliquo vulnere cepissent: quod duas Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercitatissimis ducibus pacavissent: quod finitimas frumentariasque provincias in potestatem redegissent: denique recordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes, oppletis non solum portibus, sed etiam litoribus, omnes incolumes essent transportati. Si non omnia cederent secunda, fortunam esse industria sublevandam: quod esset acceptum detrimenti, cuivis potius, quam suæ culpæ debere tribui. Locum se tutum ad dimicandum dedisse, potitum esse hostium castris, expulisse ac superasse pugnantes: sed sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna, partam præsentemque victoriam interpellavisset, dandam omnibus operam. ut acceptum incommodum, virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret, uti ad Gergoviam accidisset, atque ii, qui ante dimicare timuissent, ultro se prælio offerrent. Hac habita concione, nonnullos Signiferos ignominia notavit ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut Tribuni aut Centurionis imperium desideraret, & sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi. Cum superioris etiam ordinis nonnulli oratione permoti, manendum eo loco & rem prælio committendam existimarent: contra ea Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat. Itaque sauciorum & ægrorum habita ratione &c.* Paulo post Gomphis in Thessalia expugnatis, præda urbis milites recreavit, nec prius de prælio quicquam statuit, quam re frumentaria præparata confirmatisque militibus, & satis longo spatio temporis a Dyrrhachinis præliis intermisso satis perspectos habere militum animos videretur. Sic in Britannia cum Romani premerentur, Cæsarisque adventu hostes constitissent, Cæsar tamen perterritis militibus, ad lacessendum hostem & committendum prælium alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit. Atque ad hanc alacritatem fiduciamque animorum constituendam plurimum valet, cum eloquentia, tum auctoritas, quæ postremis præsertim bellis tanta fuit, ut milites in ipsius imperatoris vultu (ait Hircius Africano bello) vigore, mirabilique hilaritate omne auxilium reponerent, huic acquiescerent: in ejus scientia & consilio omnia sibi proclivia fore sperarent. Ac revera (ut est ibidem) Cæsaris nomen auctoritasque magna ex parte hostium minuebat audaciam. Atque inde illa Cæsarianorum de seipsis tanta persuasio, ut Centurio, cum aliquot veteranis commilitonibus suis captivis Scipio libertatem & stipendium promitteret, si contra Cæsarem militare vellet, *Elige* (respondit) *ex tuis cohortem unam, quam putas esse firmissimam, & constitue contra me: ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua tenes potestate, non amplius X summam: tunc ex virtute nostra intelliges, quid ex tuis copiis sperare debeas.* Cohortatione vero Thapsitanum in Africa prælium pæne sine prælio confectum est. *Cæsar pedibus circum milites concursans, virtutesque veteranorum præliaque superiora commemorans, blandeque appellans, animos eorum excitabat. Tirones autem qui nunquam in acie dimicassent, hortabatur, ut veteranorum virtutem æmularentur, eorumque famam, nomen, locumque victoria parta cuperent possidere.* Ex hac Cæsaris cohortatione tantus ardor in Cæsarianis ingeneratus est, tantusque terror in hostibus, ut Cæsare ipso pæne invito Cæsariani in hostes impetum fecerint ac vicerint. Cæsar autem in omnes partes cursitans colore vestitus agnoscebatur. Id enim Cæsaris insigne in præliis esse consueverat (ut est libro septimo) ut si vox ab omnibus percipi non posset, præsentia tamen principis & adhortatio colore ipso perciperetur. Denique tantum valet ad victoriam una militum cohortatio, ut in victoriis cæterorum aliquid aliquando defuerit, cohortatio nunquam. Cæsar enim vicit aliquando cum parvis copiis contra

magnas, ut posterioribus bellis: tum iniquiore loco, ut ad Mundam: tum ordine non satis instructo, ut contra Nervios: nunquam vero ullam victoriam reportavit, nisi militibus cohortatione animatis & accensis ad prælium. Atque hæc disciplinæ capita Cæsari tam proposita fuerunt, ut (quod initio posui) partibus infinitis prudentiorem fuisse quam fortiorem merito statuamus. Quinetiam quod armis assequi posset, consilio longe maluit, ut in Hispania contra Petrejum & Afranium. Nam *cum milites ardore prœliandi flagrarent signumque pugnæ flagitarent, Cæsar in eam spem venerat, se sine pugna & sine vulnere suorum rem conficere posse, quod re frumentaria adversarios interclusisset.* Tum vero, ut ipse disputat, *Cur etiam secundo prælio aliquos ex suis amitteret? cur vulnerari pateretur optime meritos de se milites? cur denique fortunam periclitaretur? præsertim cum non minus esset imperatoris, consilio superare, quam gladio.* Sic Africano bello cum lacesseretur a Scipionis exercitu, non egrediebatur e castris timidumque se hostium opinioni præbebat. Neque iccirco copias, quanquam erant paucæ, tironumque, non educebat in aciem, quod victoriæ suorum diffideret, sed referre arbitrabatur, cujusmodi victoria esset futura. Turpe enim sibi existimabat tot rebus tantisque exercitibus devictis, tot tam claris victoriis partis, ab reliquis copiis adversariorum suorum ex fuga collectis, se cruentam adeptum existimari victoriam.

DE FORTUNA.

IN bellis plurimum potest fortuna: quin humanarum rerum domina vulgo dicitur, summisque viris ad amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta, ideoque in laudibus excellentis Imperatoris quarta ab Oratore efficitur. *Fortuna etiam* (ait Cæsar tertio belli civilis) *plurimum potest, cum in reliquis rebus, tum præcipue in bello & parvis momentis magnas rerum commutationes efficit.* Sed Cæsar de tam multis victoriis, nullam solet fortunæ tribuere. Quod vicit, scientiæ & virtutis putat esse: quod aliquando non victus, sed certe præliis adversis sit usus, id demum fortunæ tribuit. Totis Gallici belli commentariis fortunam a Cæsare Eburonico tantum bello appellatam commemini, quasi fortuna & cladem illius belli Romanis intulerit & ultionem eripuerit. Sabinum & Cottam legatos ab Ambiorige Eburonum rege cum toto exercitu cæsos exposuimus: *Erant numero pares Romani, sed a duce* (ait Cæsar) *& fortuna deserebantur.* Hic Cæsar & se & fortunam legionariis defuisse conqueritur, tanquam Cæsar alias & scientiæ & virtutis militaris caussas adhibiturus fuerit ad aliam fortunam efficiendam. Deinde cum Ambiorigem Eburonum regem propterea ulcisci modis omnibus conaretur, eoque cum decem legionibus & equitatu toto contenderet, *L. Minutium Basilum cum omni equitatu præmittit: si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere possit, monet, ut in castris ignes fieri prohibeat, ne qua ejus adventus procul significatio fiat, sese confestim subsequi dicit. Basilus, ut imperatum est, facit, celeriter contraque omnium opinionem confecto itinere multos in agris inopinantes deprehendit: eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus esse dicebatur. Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest: Nam sicut magno accidit casu, ut incideret, priusquam ejus adventus ab omnibus videretur, quam fama ac nuntiis afferretur, sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento, quod circum se habeat, erepto, rhedis equisque comprehensis ipsum effugere mortem. Sed hoc factum est, quod ædificio*

A *circundata sylva (ut sunt fere ædificia Gallorum, qui vitandi æstus caussa, plerumque sylvarum ac fluminum petunt propinquitates) comites familiaresque ejus, angusto loco paulisper equitum Romanorum vim sustinuerunt. His pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit, fugientem sylvæ texerunt: sic & ad subeundum periculum & ad vitandum, multum fortuna valuit.* Hic, Cæsar Ambiorigem fortuna & inventum & elapsum ait, ejusque rei eventum fortunæ tribuit. Tertius eodem libro locus est, cum Cæsar illo accepto dolore permotus, Eburonum gentem funditus delere cogitaret, eaque de caussa, omnia impedimenta ad Varutam Q. Ciceroni cum una legione mandavisset, exercitum in
B omnes Eburonum fines partitur. At cum legionarios sylvis & paludibus dissipatos, in magno periculo versari videret, omnes finitimas civitates ad diripiendos & vexandos Eburones convocat: *Hic quantum in bello fortuna possit* (ait Cæsar) *& quantum afferat casus, cognosci potuit.* Sicambrorum Germanorum duo millia hac fama ad Eburones deprædandum excitantur. Itaque magno hominum pecorisque numero potitis unus ex captivis Eburonibus: *Quid vos*, ait, *hanc miseram ac tenuem sectamini prædam, quibus jam licet esse fortunatissimis? Tribus horis ad Varutam venire potestis.*
C *Huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit, præsidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. Oblata spe, Germani quam nacti erant prædam in occulto relinquunt, ipsi ad Varutam contendunt usi eodem duce, cujus hæc indicio cognoverant.* Et certe parum abfuit, quin ea castra caperent: tam insperato tamque acri impetu sunt adorti. At cum cohortes quinque quæ frumentatum ierant, forte redirent, Germani signa procul conspicati, legiones Cæsaris primo rediisse arbitrantur: postea paucitate despecta, facto impetu, ex
D his duas interficiunt, reliquæ in castra incolumes evaserunt. Itaque Germani obsidione desperata abeunt. Cæsar reversus, multum fortunam in repentino hostium adventu potuisse judicavit, multo etiam amplius, quod pæne ab ipso vallo portisque castrorum barbaros avertisset. Quarum omnium rerum maxime admirandum videbatur, quod Germani, qui consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt. Sic in præliis fere omnibus adversis, calamitas accepta, fortunæ tribuitur. Optavit tamen propitiam sibi fortunam Cæsar, & *Feli-*
E *citatis* signum Africano bello dedit: sed caussam victoriarum suarum, temeritati & casui nunquam attribuit. Atque hæc ad consequendam victoriam generalia Cæsariani consilii de viribus, loco, ordine, cohortatione capita, & quidem ab omni casus inscitia ac temeritate sejuncta fuerint: speciales prælii differentiæ sunt, terrestris, navalis, patenti campo, aut munitionibus incluso: ubi nulla fere nova præcepta sunt, sed præliorum initia, progressus, extrema continuo cursu velut ante oculos subjiciuntur, pleniusque & uberius intelliguntur. Seligemus igitur ex unaquaque prælii differentia singularia maxime, maximeque excellentia. E terrestri-
F bus patenti campo factis duo Gallica ponemus, Helveticum & Nervicum; duo civilia, Pharsalicum & Mundense. Primum igitur Cæsaris prælium adversus Helvetios erit vicis oppidisque omnibus incensi egressos ad universæ Galliæ imperium occupandum: quorum qui arma ferre possent, Cæsar ait ad nonaginta duo millia fuisse: quot autem arma tulerint, non exprimit: & quidem priusquam de summa rerum dimicaretur, quarta pars illius numeri ad Aram concisa fuerat. Cæsar igitur ab explora-

toribus certior factus Helvetios ſub monte conſediſſe millia paſſuum ab ipſius caſtris octo, qualis eſſet natura montis & qualis in circuitu aſcenſus, qui cognoſcerent, miſit: renunciatum eſt facilem eſſe. De tertia vigilia T. Labienum legatum propere, cum duabus legionibus & iiſdem ducibus qui iter cognoverant, ſummum montem aſcendere jubet, quid ſibi conſilii ſit, oſtendit. Ipſe de quarta vigilia ad hoſtes eodem loco quo ierant, contendit equitatumque omnem ante ſe mittit, cumque Conſidius falſo nuncio renunciaret montem ab Helvetiis teneri, copias in proximum collem ſubducit aciemque inſtruit. Helvetii caſtra movere: Cæſar inſequitur. Poſtridie cum iter ab Helvetiis averteret Bibracte, Helvetii a noviſſimo agmine laceſſere cœperunt: *Poſtquam id animadvertit Cæſar, copias ſuas in proximum collem ſubducit, equitatumque qui ſuſtineret hoſtium impetum, mittit. Ipſe interim in colle medio triplicem aciem inſtruxit legionum quatuor veteranorum, ita uti ſupra ſe in ſummo jugo duas legiones (quas in Gallia Togata proxime conſcripſerat) & omnia auxilia collocarit ac totum montem hominibus compleri. Interea ſarcinas in unum locum conferri & eum ab his qui in ſuperiore acie conſtiterant, muniri juſſit. Helvetii cum omnibus ſuis carris ſecuti, impedimenta in unum locum contulerunt, ipſi confertiſſima acie rejecto Romano equitatu, phalange facta ſub primam Cæſaris aciem ſucceſſerunt. Cæſar primum ſuo, deinde omnium e conſpectu remotis equis, ut æquato omnium periculo ſpem fugæ tolleret, cohortatus ſuos prælium commiſit. Romani e loco ſuperiore pilis miſſis facile hoſtium phalangem perfregerunt, ea diſiecta gladiis diſtrictis in eos impetum fecerunt. Helvetiis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum ſcutis uno ictu pilorum transfixis & colligatis, cum ferrum ſe inflexiſſet, neque evellere, neque ſiniſtra impedita ſatis commode pugnare poterant, multi ut, diu jactato brachio præoptarent ſcutum manu emittere & nudo corpore pugnare: tandem vulneribus defeſſi, & pedem referre, & quod mons ſuberat circiter mille paſſuum, eo ſe recipere cœperunt. Capto monte, & ſuccedentibus Romanis Boji & Tulingi, qui hominum millibus circiter quindecim agmen Helvetiorum claudebant, & noviſſimis præſidio erant, ex itinere Romanos latere aperto aggreſſi circumvenere. Id conſpicati Helvetii, qui in montem ſeſe receperant, rurſus inſtare & prælium redintegrare cœperunt. Romani converſa ſigna, bipartito intulerunt. Prima ac ſecunda acies, ut victis ac ſummotis reſiſteret: tertia, ut venientes ſuſtineret. Ita ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum eſt. Diutius cum ſuſtineri Romanorum impetus non poſſet, Helvetii ſe, ut cœperant, in montem receperunt, Boji & Tulingi ad impedimenta & carros ſuos ſe contulerunt. Nam hoc toto prælio, cum ab hora ſeptima ad veſperam pugnatum ſit, averſum hoſtem Romanus videre non potuit. Ad multam noctem, etiam ad impedimenta pugnatum eſt, propterea quod pro vallo Helvetii carros objecerant, & e loco ſuperiore in Romanos venientes tela conjiciebant, & nonnulli inter carros rotaſque, mazaras ac tragulas ſubjiciebant, Romanoſque vulnerabant. Diu cum eſſet pugnatum, impedimentis caſtriſque Romani potiti ſunt.* Ergo ita commiſſum eſt Helveticum prælium: in quo ſingulas laudes recognoſcamus. Cæſar hoſtium numerum, ut jam dixi, amplificat, tacet ſuum. At ſex legiones Romanas & equitum Gallorum millia quatuor habuit univerſamque Galliam conſpirantem & faventem, cum id bellum pro Gallorum libertate gerere videretur. Sic viribus Cæſar nequaquam inferior fuit, loco certe ſuperior eſſe valde ſtuduit. Subducit enim copias in collem proximum: pridie prælii & ipſo prælii die copias in proximum collem ſubducit. Helvetii contra ſub monte conſederant pridie, & ipſo prælii die ſub monte conſederunt. Cæſar igitur initio pugnæ, loco ſuperior fuit: crede cœlum etiam ſolo reſpondiſſe, nihil alienum autem credideris. Certe, ut acies ante inſtrueretur, equitatus ad tardandum hoſtem præmiſſus eſt. Virtute fuderunt Helvetii equitatum & levem Cæſaris armaturam. At aſcenſu collis fatigati, & pilis eminus confixi, ſcuta abjicere, quod in pilorum uſu ante notavimus, & nudi pugnare contra recentes & integros legionarios coguntur. Locus igitur pro Romanis pugnavit. Helvetii in montem recepti, commilitonem locum habuere, quem hoſtem paulo ante habuerant, ſubſidioque ſociorum adjuti, prælium redintegrant. Dehinc ordinis laus apparet. Cæſari triplex acies ita diſtincta fuit, ut tertia duabus primis ſubſidio ſubveniret. Itaque quatuor tantum legiones illæ veteranæ, initio pugnavere, duæ novitiæ interea locum impedimentis in ſummo jugo munivere, tum veteranis legionibus ſubſidio tandem fuere, quam ordinis laudem ſummam in Cæſare ſtatuo. Hic vero non haſtatis & principibus veteranos triarios, ſed tertiam & quidem tyronum aciem duabus primis veteranis ſubſidio ſummiſſam fuiſſe perſpicio. Tertia fuit ordinis diſciplina, ubi converſis bipertito ſignis, velut orbe quodam facto duæ primæ acies in Helvetios a fronte, tertia ab utroque latere contra Bojos & Tulingos dimicavit, militum illorum, quos armigeros, quos cibariorum bajulos, quos foſſores, quos fabros, quos meſſores, quos remiges effecimus, expedita & excitata virtus, armis tanquam membris uſa eſt. Cohortationem vero militum quantam ex eo factam arbitramur? Cæſar primum ſuo, deinde omnium e conſpectu remotis equis, ut æquato omnium periculo ſpem fugæ tolleret, cohortatus ſuos, prælium commiſit. Quibus hic verborum argumentis Cæſar uſus ſit, non eſt expoſitum: ſed illud certe fortiſſimi facti exemplum vehementer incendere militum animos & inflammare debuit, cum Cæſarem dignitate quidem principem: at periculo commilitonem viderent. Hæc igitur pugna, egregio cum militis, tum ducis exemplo depugnata eſt, victoriamque vires, locus, ordo, cohortatio Cæſari tribuerunt. Sed tamen non ſolum vincere, ſed victoria ſapienter uti Cæſar ſciebat. E trecentis ſexaginta octo millibus Helvetiorum, Tulingorum, Bojorum, quæ domo exierant, centum & triginta ſuperfuerant: ea commeatu intercluſa in poteſtatem redegit. Sed dum obſides, arma, ſervi qui profugerant, poſcuntur, Verbigenus pagus (qui ſex hominum millia fuerant) fugit, retractuſque in hoſtium numero eſt habitus, quatuordecim millia Bojorum Heduis petentibus conceſſa ſunt, reliqua centum & decem millia domum a Cæſare remiſſa ſunt, ne vacuus ager potius a Germanis occuparetur, quam Romanis ſtipendiarius eſſet: atque utrumque illud Romanum fuit,

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Verumenimvero ex omnibus Cæſaris præliis Nervicum ſingulare eſt ad ducis & militum laudes omnes declarandum. Nerviorum ſexaginta millia a Cæſare notata ſunt, Romanæ legiones octo præter illum Gallicum equitatum fuere: majore etiam numero videtur dimicatum eſſe, ſed Cæſaris factiones præcipue hic evigilavere. In Celtica Gallia Senonum civitas imprimis firma, & magnæ inter Gallos auctoritatis fuit. Cæſar apud eos regem conſtituit Cavarinum. Carnutum civitas cenſu atque auctoritate par erat, ut conſtat e ſeptimo libro. Hic etiam Taſgetium regem fecit, eaſque civitates

horum regnorum beneficiis obstrictas habuit. Itaque dat negocium Senonibus reliquisque Celtis, qui finitimi Belgis erant, uti ea quæ apud Nervios gerantur, cognoscant, seque de his rebus certiorem faciant. Exploratores Cæsaris quam multos hic vides? Atqui Cæsari tam propositum id semper fuit, ut si per exploratores suos hostium consilium cognoscere non posset, equitum turmas, quod Bellovaco bello fecisse legimus, dimitteret in omnes partes ad aliquos excipiendum, ex quibus hostium consilia cognosceret. Sapientis Imperatoris est, inter hostes semina discordiarum serere. Cæsar etiam hostium partem suis factionibus sibi adjungit. Quære, quomodo reliqui Celtæ quieverint, qua ratione Rhemi tam facile se dediderint, commeatu aluerint, imo Treviri etiam equitatum miserint: utrum iis regna promissa suspicere. Sed his facultatibus & copiis adversus Nervios Cæsar contendit. *Hi, mulieres, quique per ætatem ad pugnam inutiles viderentur, in eum locum conjecerant, quo propter paludes, exercitui aditus non esset: ipsi autem trans Scaldem flumen consederunt, ibique Romanorum adventum expectare decreverunt. Exploratores itaque a Cæsare centurionesque præmissi locum castris delegerunt in colle a summo æqualiter declivi ad Scaldem, cujus altitudo erat trium pedum: a flumine, pari acclivitate collis nascebatur adversus huic & contrarius, passus circiter ducentos inferiore parte apertus, superiore sylvestris, ut non facile introspici posset. Intra eas sylvas Nervii in occulto sese continebant, in aperto loco secundum flumen paucæ stationes equitum videbantur. Cæsar equitatu præmisso subsequebatur omnibus copiis. Equites Romani cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu prælium commiserunt: cum se illi identidem in sylvas ad suos reciperent ac rursus ex sylva in Romanos impetum facerent, neque Romani longius quam qua ad flumen porrecta & aperta loca pertinebant, cedentes insequi auderent, interim legiones sex, quæ primæ venerant, opere dimenso castra munire cœperunt. Ubi prima impedimenta Romani exercitus ab his qui in sylvis abditi latebant, visa sunt, quod tempus inter eos committendi prælii convenerat, ita ut intra sylvas aciem ordinesque constituerant, atque ipsi sese confirmaverant, subito omnibus copiis provolarunt impetumque in Romanos equites fecerunt. His facile pulsis ac perturbatis, incredibili celeritate ad flumen decurrerunt, ut pæne uno tempore & ad sylvas & in flumine & in manibus Romanis hostes viderentur. Eadem autem celeritate, adverso colle ad Romana castra atque eos qui in opere occupati erant, contenderunt. Cæsari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne cum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum, ab opere revocandi milites, qui paulo longius aggeris petendi caussa processerant, accersendi, instruenda acies, milites cohortandi, signum dandum, quarum rerum magnam partem temporis brevitas & incursus hostium impediebat. His difficultatibus duæ res erant subsidio, scientia atque usus militum, quod superioribus præliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi præscribere, quam ab aliis doceri poterant, & quod ab opere singulisque legionibus singulos legatos Cæsar discedere nisi munitis castris vetuerat. Hi propter celeritatem & propinquitatem hostium nil jam Cæsaris imperium expectabant, sed per se quæ videbantur, administrabant. Cæsar necessariis rebus imperatis, ad cohortandos milites, quam in partem fors obtulit, decurrit, & ad legionem decimam devenit. Milites non longiore oratione est cohortatus, quam uti suæ pristinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo, hostiumque impetum fortiter sustinerent. Et quia non longius hostes aberant quam quo telum adjici posset, prælii committendi signum dedit, atque in alteram partem item cohortandi caussa profectus, pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas scutisque tegmenta detrahenda tempus defuerit. Quam quisque ab opere in partem casu devenit, quæque signa prima conspexit, ad hæc constitit, ne in quærendis suis pugnandi tempus dimitteret. Instructo exercitu magis, ut loci natura dejectusque collis & necessitas temporis, quam ut rei militaris ratio atque ordo postulabat, cum diversis locis legiones aliæ alia in parte hostibus resisterent, sepibusque densissimis, ut ante demonstravimus, interjectis prospectus impediretur; neque certa subsidia collocari, neque quid in quaque parte opus esset, provideri, neque ab uno omnia imperia administrari poterant. Itaque in tanta rerum iniquitate, fortunæ quoque eventus varii sequebantur. Legionum nonæ & decimæ milites ut in sinistra parte aciei constiterant, pilis emissis cursu ac lassitudine exanimatos, vulneribusque confectos Atrebates (nam his ea pars obvenerat) celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt, & transire conantes insecuti, gladiis magnam partem eorum impeditam interfecerunt. Ipsi transire flumen non dubitaverunt & in locum iniquum progressi rursus regressos ac resistentes hostes redintegrato prælio in fugam conjecerunt. Item alia in parte diversæ duæ legiones undecima & octava profligatis Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in ipsius fluminis ripis præliabantur, ac totis fere castris a fronte & a sinistra parte nudatis, cum in dextro cornu legio duodecima & non magno ab ea intervallo septima constitisset, omnes Nervii confertissimo agmine, duce Boduognato, qui summam imperii tenebat, ad eum locum contenderunt, quorum pars aperto latere legiones circumvenire, pars summum castrorum locum petere cœpit. Eodem tempore equites Romani levisque armaturæ pedites, quique cum his una fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cum se in castra reciperent, adversis hostibus occurrebant. Ac rursus aliam in partem fugam petebant, & calones qui ab decumana porta ac summo jugo collis Romanos victores flumen transire conspexerant, prædandi caussa egressi cum respexissent, & hostes in Romanis castris versari vidissent, præcipites, fugæ sese mandabant. Simul eorum qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque exaudiebatur, aliique aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus rebus permoti equites Treviri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis, qui auxilii caussa a civitate missi ad Cæsarem venerant, cum multitudine hostium castra Romana compleri, legiones premi & pæne circumventas teneri, calones, equites, funditores Numidas diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent, desperatis Romanis rebus, domum contenderunt, Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum hostes potitos, civitati renunciaverunt. Cæsar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis duodecimæ legionis confertos milites sibi ipsis ad pugnam esse impedimento, quartæ cohortis omnibus centurionibus occisis signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut vulneratis aut occisis, in his primipilo Publ. Sextio Baculo fortissimo viro multis gravibusque vulneribus confecto, ut jam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores, & nonnullos a novissimis desertos prælio excedere ac tela vitare, hostes neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere; & ab utroque latere instare & rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium quod summitti posset, scuto a novissimis uni militum detracto, quod ipse eo sine scuto venerat, in primam aciem processit, centurionibusque nominatim appellatis reliquos cohortatus milites, signa*

inferre & manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent. Hujus adventu spe illata militibus ac redintegrato animo cum pro se quisque in conspectu Imperatoris etiam extremis suis rebus operam navare cuperet, paulum hostium impetus tardatus est. Cæsar cum septimam legionem, quæ juxta constiterat, item urgeri ab hoste vidisset, Tribunos militum monuit, ut paulatim sese legiones conjungerent & conversa signa in hostes inferrent. Quo facto cum aliis alii subsidium ferrent, neque timerent, ne aversi ab hoste circumvenirentur, audacius resistere ac fortius pugnare cœperunt. Intreim milites legionum duarum, quæ in novissimo agmine præsidio impedimentis fuerant, prælio nunciato, cursu incitato, in summo colle ab hostibus conspiciebantur, & T. Labienus castris hostium potitus & ex loco superiore, quæ res in castris Romanis gererentur conspicatus, decimam legionem subsidio Romanis misit: qui cum ex equitum & calonum fuga, quo in loco res esset, quantoque in periculo & castra & legiones & imperator versaretur, cognovissent, nil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt, Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut Romani, etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi prælium redintegrarent: calones, perterritos conspicati Nervios, etiam inermes armatis occurrerent: equites vero, ut turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnæ se legionariis militibus præferrent. At Nervii etiam in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, ut cum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent. His dejectis & coacervatis cadaveribus, qui superessent, ut ex tumulo tela in Romanos conjicerent pilaque intercepta remitterent, ut non nequicquam tantæ virtutis homines judicari deberet, ausos esse transire latissimum flumen, ascendere altissimas ripas ac subire iniquissimum locum, quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. Hoc prælio facto, & prope ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto, majores natu, quos una cum pueris mulieribusque in æstuaria ac paludes collectos dixeramus, hac pugna nuntiata, cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur, omnium qui supererant consensu, legatos ad Cæsarem miserunt, seque ei dediderunt, & in commemoranda civitatis calamitate, ex sexcentis ad tres senatores, ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt. Quos Cæsar, ut in miseros ac supplices usus misericordia videretur, diligentissime conservavit, suisque finibus atque oppidis uti jussit, & finitimis imperavit, ut ab injuria & maleficio se suosque probiberent. Hoc prælium uti factum, ita narratum a Cæsare confusissime est. Capita disciplinæ subducamus. Cæsar numero superior fuit, ut jam perspectum est, cum prope centum millibus adversus sexaginta dimicarit. Sed loci æquitas vel iniquitas hic valde animadverti potest. Nervii equitatum Romanum levemque armaturam, quæ hostem provocaverat, pepulerunt ac perturbarunt. Quid ita? quia ex superiore loco dimicabant. Labienus Atrebates vicit, quid ita? quia superiore loco pilis emissis contra exanimatos cursu ac lassitudine vulneribusque ante confectos dimicabat. Undecima & octava legio Veromanduos profligarunt, quid ita? quia ex loco superiore in ipsis fluminis ripis præliabantur. Romanæ legiones octo conjunctæ, Nervios confecerunt, quid ita? quia Nervii de superiore loco decurrerunt in vallem, latissimum flumen transierunt, altissimas ripas ascenderunt, iniquissimum denique locum subierunt. Ergo Cæsar locum tanquam militem tum fortem, tum liberalem (nullum enim stipendium cepit) contra Nervios eo-

A rumque socios habuit. At periculum tantum ordinis inopia creavit: cujus tamen, ut in re tam subita, sua quoque laus extitit. Triplex acies binis legionibus pro necessitate temporis est instructa, nona & decima legio sinistro cornu adversus Atrebates, undecima & octava, media acie adversus Veromanduos: duodecima & septima dextro cornu adversus Nervios steterunt. Hæc triplex ut Helvetico & Germanico prælio acies fuit. Secunda generis hujus commendatio fuit in cornu sinistro, ubi dextri cornu vires fuere, seu casu temporis, ut Cæsar videri voluit, seu Cæsaris aliqua ex itinere ipso prudentia, quia oppositum Nerviorum dex-
B trum cornu esset infirmius, quod magis probo: quia disciplinæ convenientius est firmiore nostra parte adversus hostium infirmiorem partem prælium incipere. Itaque ut Boduognatus in Romanorum, sic Labienus in Nerviorum castris victor eodem tempore versatus est. Tertia laus ordinis deinde fuit. Duodecimæ legionis milites conferti, sibi ipsis ad pugnam erant impedimento & septima legio urgebatur. Illius igitur manipuli laxati sunt: hac cum illa conjuncta conversis in hostem signis, orbis ille Helvetici belli repetitus est, ut alii aliis subsidium ferrent, nec aversi, ab hoste circumveniri
C possent. Vegetius dextrum cornu duci exercitus attribuit, & ita Cæsar contra Germanos præliatus est. At isto prælio omnibus locis, ut sæpe alias, interfuit & submissio subsidiorum cohortatioque id imprimis videtur exigere. Ælianus quod ad sedes principum attinet, geometricam proportionem servandam censet, ut mediis extrema respondeant. Tam varia igitur tamque multiplicia ordinis præsidia fuerunt: attamen subsidia certa propter sepes collocari non potuisse Cæsar conqueritur. Denique nullum omnino subsidium fuisse, quod summitti posset. Hos sibi triarios Cæsar queritur defuisse, non illos qui in eadem legione post hastatos & principes subside-
D rent. Sed hæc perturbatio peccato Cæsaris videtur accidisse: quia faciendis castris legionum partem armatam non habuerat, dum cæteræ opus efficerent, ut lex militaris requirebat, & ut ipse Germanico bello habuit: & totius perturbationis initium hinc videtur ortum. Verum cohortatio ducis eam culpam præcipue præstitit. Etenim per Deum immortalem, qualis est hoc toto prælio Cæsaris alacritas ad milites excitandos? ad cohortandos milites quam in partem fors obtulit, decurrit: ad legionem decimam, cui confidebat maxime, primum devenit, milites pristinæ virtutis admonet: a legionis hujus cohortatione ad dextrum cornu cohor-
E tandum proficiscitur: nec verbis tantum, sed rebus adhortatur scuto arrepto, centurionibusque nominatim appellatis: reliquos milites cohortatus atque in primam aciem invectus, prælium restituit. Ergo Cæsaris ista locis omnibus tanta cohortatio quantam militibus alacritatem attulit? Quapropter Cæsar ista cohortatione culpam illam perturbati ordinis amplissime præstitit. Sed & scientia militum rem valde adjuvit. Etenim nonne messores illos ac fossores Cæsar ipse profitetur in hac difficultate Cæsares fuisse, qui non minus commode ipsi sibi præscribere, quam a Cæsare ipso doceri possent? Itaque
F quam quisque ab opere in partem casu devenit, quæq; signa prima conspexit ad hæc constitit, ne in quærendis suis pugnandi tempus dimitteret. Tum legiones duæ illæ subsidiariæ & decima imprimis, cognito imperatoris periculo, protinus advolavere. Adjuvit etiam præsentia legatorum, qui ut Germanico, sic Nervico bello tanquam testes virtutis cujusque fuere. Quapropter hoc prælio vires & ordo, sed multo magis locus: at maxime omnium cohortatio Cæsari victoriam attulere. Atque ut singularis victoria hæc fuit, sic & Cæsar ea singulariter

eſt uſus, reliquos Nervios, cum ſe dederent, ut in miſeros ac ſupplices uſus miſericordia videretur, diligentiſſime conſervavit, ſuiſque finibus atque oppidis uti juſſit, & finitimis imperavit, ut a Nerviorum injuria ſe ſuoſque prohiberent. Comium etiam Atrebatem, cujus eximia tum virtus apparuerat, Atrebatibus regem dedit. Sic victos populos retinuit, eumque victoriæ fructum percepit. Ita duobus his præliis duæ populo Romano nationes acquiſitæ ſunt, Helvetico Helvetii, Nervico Nervii. Sed nequaquam in omnes devictos pari clementia uſus eſt. Severior ſæpe fuit. Regem Arioviſtum funditus ſuſtulit. Sequanos, quod ejus erat regnum, populo Rom. ſubjecit. Dumnorigem Heduum nobiliſſimum, quia Cæſarem in Britanniam comitari nollet, quamvis ſe liberum & liberæ civitatis eſſe clamitaret, tamen juſſit interfici, ut eſt quinto libro. Concilio Galliæ Durocortorum Rhemorum indicto, de conjuratione Senonum & Carnutum quæſtionem habere inſtituit. De Accone qui princeps ejus conjurationis fuerat, graviore ſententia pronunciata more Romano, ſupplicium ſumpſit: reliquis qui profugiſſent, aqua & igni interdixit. Poſtea Cotuatum Carnutum principem, novæ etiam conjurationis concitatorem ad ſupplicium depopoſcit, verberibuſque exanimatum, ſecuri percuſſit. Atque hæc Gallica prælia terreſtria, patenti campo fuerunt, civilia ſequuntur. Pharſalicum fama rerum & dignitate principum clariſſimum omnium fuit. Pompejus undecim legiones, prætereaque magnum numerum ſupplementi nomine, tria millia ſagittariorum, funditorum cohortes ſex, equitum ſeptem millia habuit. Cæſar legiones duodecim præter equitatum Brunduſium convenire juſſerat: ſed hæ legiones hoc infrequentiores fuere, quod multi Gallicis tot bellis defecerant, longumque iter ex Hiſpania magnum numerum diminuerat, & gravis autumnus in Apulia circumque Brunduſium, ex ſaluberrimis Galliæ & Hiſpaniæ regionibus venientem omnem exercitum valetudine tentaverat. Sed præterea multi quotidianis præliis perierunt, antequam de ſumma rerum certaretur, præſidiiſque urbium multi ſunt diſtracti, ut nihil mirandum ſit ipſo prælii die tam exiguas Cæſari copias fuiſſe. Quantus vero militum in Cæſarem fuerit amor, jam initio belli civilis intellectum eſt, cum *Centuriones cujuſque legionis ſingulos equites e viatico ſuo & univerſi gratuitam & ſine frumento ſtipendioque operam obtulerint*, ut ait Suetonius. Sed ad tantum periculum partis utriuſque meditationem & antecedentem cohortationem comparemus. Præliis Dyrrhachinis, quibus uno die duobus adverſis Cæſar uſus eſſet, tantum fiduciæ ac ſpiritus Pompejanis acceſſit, ut non de oratione belli cogitarent, ſed viciſſe jam ſibi viderentur. Nec quibus rationibus ſuperare poſſent, ſed quemadmodum uti victoria deberent, cogitabant. Hæc itaque Pompejanorum meditatio fuit. Quid Cæſar? quid hic meditatur? Concione advocata, milites conſolatus & adhortatus eſt, ut jam diximus. Ac cum ſatis perſpectum habere militum animum videretur, tentandum Cæſar exiſtimavit, quidnam Pompejus propoſiti aut voluntatis ad dimicandum haberet. Itaque exercitum e caſtris eduxit aciemque inſtruxit, primum ſuis locis, pauloque a caſtris Pompeji longius: continentibus vero diebus, ut progrederetur a caſtris ſuis collibuſque Pompejanis aciem ſubjiceret, quæ res in dies confirmatiorem ejus exercitum efficiebat. Denique illam deambulationis exercitationem, de qua diximus, magna cura adhibuit, ac per eos dies prælium ſecundum equeſtre fecit. Hæc igitur adhortatio confirmatioque militum tam diligens, id eſt, victoriæ meditatio tam accurata prælium anteceſſit.

A Sed prælium ipſum e Cæſaris hiſtoria totum proponamus; *Pompejus qua caſtra in colle habebat, ad infimas radices montis, aciem inſtruebat, ſemper, ut videbatur, expectans, ſi iniquis locis Cæſar ſe ſubjiceret. Cæſar nulla ratione ad pugnam elici poſſe Pompejum exiſtimans, hanc ſibi commodiſſimam belli rationem indicavit, uti caſtra ex eo loco moveret, ſemperque eſſet in itineribus: hoc ſpectans, ut movendis caſtris pluribuſque adeundis locis, commodiore frumentaria re uteretur, ſimulque ut in itinere aliquam occaſionem dimicandi nanciſceretur, & inſolitum ad laborem Pompeji exercitum, quotidianis itineribus defatigaret*. Vides igitur potius leonis audaciam, quam B vulpis aſtutiam? vides Cæſariani exercitus vires e laboris illa patientia majores? *His conſtitutis rebus, ſigno jam profectionis dato tabernaculiſque detenſis, animadverſum eſt paulo ante, extra quotidianam conſuetudinem longius a vallo eſſe aciem Pompeji progreſſam, ut non iniquo loco poſſe dimicari videretur. Tum Cæſar ad ſuos, cum jam eſſet agmen in portis, Differendum eſt (inquit) iter in præſentia nobis, & de prælio cogitandum, ſi, ut ſemper depopoſcimus, animo ſumus ad dimicandum parati: non facile occaſionem poſtea reperiemus. Confeſtimque expeditas copias educit.* Ergo Cæſar æquitatem loci nactus eſt, quam quærebat: copias ſuas confirmavit: locum idoneum C ex occaſione nunc demum arripit. Conferamus Pompejanam hac in re confidentiam, ſtultitiæ & temeritatis plenam reperiemus. *Pompejus quoque, ut poſtea cognitum eſt, ſuorum omnium hortatu ſtatuerat prælio decertare. Namque etiam in concilio ſuperioribus diebus dixerat, prius quam concurrerent acies, fore, ut exercitus Cæſaris pelleretur. Id cum eſſent plerique admirati, Scio me (inquit) pæne incredibilem rem polliceri: ſed rationem conſilii mei accipite, quo firmiore animo in prælium prodeatis. Perſuaſi equitibus noſtris, idque mihi ſe facturos confirmaverunt, ut cum propius ſit acceſſum, dextrum Cæſaris cor-*D *nu a latere aperto aggrederentur, ut circumventa a tergo acie, prius perturbatum exercitum pellerent, quam a nobis telum in hoſtem jaceretur: ita ſine periculo legionum & pæne ſine vulnere bellum conficiemus. Id autem difficile non eſt, cum tantum equitatu valeamus. Simul denuntiavit, ut eſſent animo parati in poſterum: & quoniam fieret dimicandi poteſtas, ut ſæpe cogitaviſſent, ne uſu manuque reliquorum opinionem fallerent*. Hæc igitur Pompeii vanitas atque inanis oſtentatio fuit. *Hunc Labienus excepit, & errorem amplificavit. Nam cum Cæſaris copias deſpiceret, Pompeii conſilium ſummis laudibus efferret, Noli (inquit) exiſtimare, Pompei, hunc eſſe exercitum,* E *qui Galliam Germaniamque devicit. Omnibus interfui præliis, neque temere incognitam rem pronuncio. Perexigua pars illius exercitus ſupereſt, magna pars deperiit, quod accidere tot præliis fuit neceſſe: multos autumni peſtilentia in Italia conſumpſit, multi domum diſceſſerunt, multi ſunt relicti in continenti. An non audiſtis ex iis, qui per cauſam valetudinis remanſerunt, cohortes eſſe Brunduſii factas? Hæ copiæ, quas videtis, ex delectu horum annorum in Togata Gallia ſunt refectæ, & pleræque ſunt ex colonis Transpadanis. Attamen quod fuit roboris, duobus præliis Dyrrhachinis interiit. Hæc cum dixiſſet, juravit ſe niſi victorem, in caſtra non reverſurum, reliquoſque, ut* F *idem facerent, hortatus eſt. Hoc laudans Pompejus, idem juravit: nec vero ex reliquis fuit quiſquam, qui jurare dubitaret. Hæc cum facta eſſent in concilio, magna ſpe & lætitia omnium diſceſſum eſt, ac jam animo victoriam præcipiebant, quod de re tanta, & a tam perito Imperatore nihil fruſtra confirmari videbatur*. Quapropter ejuſmodi Pompejana meditatio fuit, ea futuri prælii cogitatio. Vires utriuſque partis & locum percepimus, ordinem deinde attendamus: *Cæſar cum Pompeji caſtris appropinquaſſet, ad*

hunc modum aciem ejus instructam animadvertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ traditæ a Cæsare initio dissensionis ex S.C. quarum una, Prima, altera, Tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompejus, non in dextro, ut Vegetius præcipit. *Mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Cilicensis legio conjuncta cum cohortibus Hispanis, in dextro cornu erant collocatæ: has firmissimas se habere Pompejus ex stimabat. Reliquas inter aciem mediam cornuaque interjecerat, numeroque cohortes CX. expleverat: hæc erant millia LV. Evocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum ad eum convenerant, quæ tota acie disperserat: reliquas cohortes VII. in castris propinquisque castellis præsidio disposuerat. Dextrum cornu ejus rivus quidam impeditis ripis muniebat: quam ob caussam cunctum equitatum, sagittarios, funditoresque omnes in sinistro cornu objecerat*. Habes aciem Pompejanam suis partibus instructam & ordinatam, ubi Pompejum licet principem summum, tamen in sinistro cornu contra Vegetianum præceptum conspicimus. Quid Cæsar? quem in tanto prælio ordinem tenuit? Certe minus accurate descripsit, quam cæteris ante præliis consueverat: tres tantum legiones, unam in dextro cornu, duas in sinistro nominat, mediam aciem non definit, sicuti neque quartam e tertiæ cohortibus effectam. Quam utramque tamen subsidiariam habuit & victoriæ principem causam. Sic autem de se ipse loquitur: *Cæsar superius institutum servans, decimam legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocaverat, tametsi erat Dyrrhachinis præliis vehementer attenuata. Huic sic adjunxit octavam, ut pæne unam ex duabus efficeret: atque alteram alteri præsidio esse jusserat. Cohortes in acie LXXX. constitutas habebat: quæ summa erat millium XL.* (sic enim eum locum lego, ut numero quidem militum Cæsar inferior esset, at viribus superior.) *Cohortes duas castris præsidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro Publ. Syllam, media acie Cn. Domitium præposuerat: ipse contra Pompejum constitit. Simul his rebus animadversis, quas demonstravimus, timens, ne a multitudine equitum dextrum cornu circumveniretur, celeriter ex tertia acie singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit, equitatuique opposuit, & quid fieri vellet, ostendit: monuitque ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare*, (sicut in omnibus fere præliis ex illa subsidiaria acie caussa victoriæ constitit) *simul tertiæ aciei totique exercitui imperavit, ne injussu suo concurreret: se cum id fieri vellet, vexillo signum daturum.* Hic ordo quadruplicis aciei fuit. Adhortationem Cæsaris audiamus. *Exercitum cum militari more ad pugnam cohortaretur, suaque in eum perpetui temporis officia prædicaret, imprimis commemoravit testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem petisset, quæ per Vatinium in colloquiis, quæ per A. Clodium cum Scipione egisset, quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendisset, neque se unquam abuti militum sanguine, neque Rempublicam alterutro exercitu privare voluisse. Hac habita oratione exposcentibus militibus & studio pugnæ ardentibus, tuba signum dedit.* Ergo Cæsaris ea cohortatio fuit, quam nihilo minor Crastini cohortatio secuta est: *Erat Crastinus evocatus in exercitum Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat, vir singulari virtute. Hic signo dato, Sequimini me, ait, manipulares mei qui fuistis, & vestro Imperatori quam constituistis, operam date. Unum hoc prælium superest, quo confecto, & ille suam dignitatem, & nos nostram libertatem recuperabimus. Simul respiciens Cæsarem, Faciam (inquit) hodie, Imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas. Hæc cum dixisset, primus ex dextro cornu procurrit, atque eum electi milites circiter CXX. voluntarii ejusdem centuriæ sunt prosecuti*, Crastinique *virtus excellentissima* (ut post victoriam Cæsar ipse indicavit) *in hoc prælio* fuit. Itaque hoc prælio, ut antea Nervico, initium prælii a dextro cornu factum, a firmissima nempe parte, non tamen contra infirmissimam: præcipuas enim vires Pompejus in oppositum cornu sinistrum contulerat. *Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. Sed Pompejus suis prædixerat, ut Cæsaris impetum exciperent, neve se loco moverent, aciemque ejus distrahi paterentur, ut primus excursus visque militum infringeretur aciesque distenderetur, atque in suis ordinibus dispositi dispersos adorirentur: leviusque casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quam si ipsi immissis telis occurrissent. Simul fore, ut duplicato cursu Cæsaris milites exanimarentur & lassitudine conficerentur.* Id Pompeii consilium fuit, quod Cæsari *nulla ratione factum videbatur*: imo contra cohortationis eam legem, quam ex hoc depromptam loco, quia omnium præliorum communis esset, præposuimus. *Sed Cæsariani milites dato signo, cum infestis pilis procurrissent, atque animadvertissent non concurri a Pompejanis, usu periti ac superioribus pugnis exercitati Pompejum fefellerunt: sua quippe sponte cursum represserunt & ad medium ferre spatium constiterunt, ne, quod sperasset Pompejus, consumptis viribus appropinquarent, parvoque intermisso temporis spatio ac rursus renovato cursu, pila miserunt, celeriterque, ut erat præceptum a Cæsare, gladios strinxerunt. Neque vero Pompejani huic rei defuerunt. Nam & tela missa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, ordines conservaverunt, pilisque missis ad gladios redierunt. Hic primus prælii fuit impetus. Eodem tempore equites a sinistro Pompeii cornu intenti, ut erat imperatum, universi procurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit, quorum impetum Cæsarianus equitatus non tulit, sed paulum loco motus cessit: equitesque Pompejani hoc acrius instare & se turmatim explicare, aciemque Cæsarianorum a latere aperto circumire cœperunt.* Atque hic ventus Pompejanæ jactantiæ fuit, sed qui non magno imbre compressus subsedit. *Nam ubi id Cæsar animadvertit, quartæ aciei, quam instituerat ex cohortium numero, signum dedit. Illi celeriter procurrerunt, infestisque signis tanta vi in Pompeii equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montes altissimos peterent. Quibus summotis omnes sagittarii funditoresque destituti inermes sine præsidio interfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistro cornu pugnantes etiam tum ac resistentes in acie, Pompejanos circumierunt, eosque a tergo sunt adorti. Eodem tempore tertiam aciem Cæsar, quæ quieta fuerat, & se ad id tempus loco tenuerat, procurrere jussit. Ita cum recentes atque integri defessis successissent, alii autem a tergo adorirentur, sustinere Pompejani non potuerunt, atque universi terga verterunt.* Hic igitur acies tertia etiam subsidiaria fuit, non solum quarta: atque ita duæ acies subsidiariæ fuerunt, geminiq; triarii. alios enim, ut dixi, triarios in Cæsare non video: & quidem triarios non illos, ut Livius & Vegetius definiunt, omnium fortissimos ac robustissimos. Decumani enim qui prælium inierant, palmam illam ferebant. Quamobrem vires militum locus per occasionem captatus, sed ordo, ejusque imprimis subsidia, sed maxime omnium cohortatio, tum Cæsaris, tum Crastini tam præclaram victoriam Cæsari tribuerunt. Hujus autem victoriæ fructum Cæsar tam celeriter percepit, quam accurate victoriam ipsam obtinuerat. Fugientem Pompejum persequitur, castra capit, in quibus immodicam Pompejanorum luxuriam in tricliniis stratis, in magno argenti pondere, in tabernaculis hedera protectis demiratus est, pauloque post, Pompejanas reliquias

in

in potestatem recepit: dehinc auctoritas Cæsaris toto terrarum orbe permagna fuit, Cæsarque, ut de se tertio belli civilis loquitur, confisus fama rerum gestarum, omnemque locum sibi tutum fore existimans, Alexandriam infirmis auxiliis proficisci non dubitavit. Sed de Pharsalico prælio satis. Postremum prælium e propositis est Mundense in Hispania, quo Cnæjus Pompejus filius cum reliquiis paternarum copiarum confugerat. Oppius historiæ hujus scriptor, longe dissimilis & elegantiæ & prudentiæ Cæsarianæ fuit. Locus prælii primum describitur æquissimus Pompejanis, Cæsarianis iniquissimus ad Mundam oppidum excelso loco positum. *Planicies* (ait Oppius) *inter utraque castra intercedebat circiter millia passuum quinque, ut auxilia Pompeii duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi & loci natura: hinc dirigens proxima planicies æquabatur, cujus decursum antecedebat rivus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem. Nam palustri & voraginoso solo currebat ad dextram partem, & Cæsar cum aciem directam vidisset, non habuit dubium, quin media planicie in æquum ad dimicandum adversarii procederent. Hoc erat in omnium conspectu. Huc accedebat, ut locus ea planicie equitatum ornaret & diei solisque serenitas, ut mirificum & optandum tempus prope a diis immortalibus illud attributum esset ad prælium committendum. Itaque Cæsariani lætari, nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortunæq; omnium deducerentur, ut quicquid post horam castris fieret, in dubio poneretur. Itaque Cæsariani ad dimicandum procedunt, id quod adversarios existimabant esse facturos. Qui tamen a munitione oppidi mille passibus longius non audebant procedere, in quo sibi prope murum adversarii constituebant. Itaque Cæsariani procedunt. Interdum æquitas loci adversarios efflagitabat, ut tali conditione contenderent ad victoriam: neque tamen illi a sua consuetudine discedebant, ut aut ab excelso loco, aut ab oppido discederent. Cæsariani pede presso propius rivum cum appropinquassent, adversarii patrocinari loco iniquo non desinunt.* Hæc igitur contra Pompejanos Cæsarianis iniquitas loci fuit, vires partium sequuntur ordinis artificio indiligentius exposito. *Erat acies XIII. aquilis constituta, quæ a lateribus equitatu tegebatur, cum levi armatura millibus sex. Præterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. Cæsariana præsidia LXXX. cohortes, & octo millia equitum, cujusmodi fere Cæsaris vires contra Pompejum patrem fuerant. Ita cum in extrema planicie iniquum in locum Cæsariani appropinquassent, paratus hostis erat superior, ut transeundi superius iter vehementer esset periculosum.* Neque prudentia Cæsaris hic ab Oppio prætermissa est. *Nam cum* (ait) *a Cæsare id esset animadversum, ne quid temere culpa sua secus admitteretur, eum locum definire cœpit, ut fossa valloque obduceretur. Sed miles tot ante partis victoriis insolentior retineri non potuit. Itaque cum id hominum auribus esset objectum, moleste & acerbe accipiebant se impediri, quo minus prælium conficere possent. Hæc mora adversarios alacriores efficiebat, Cæsaris copias timore impediri ad committendum prælium. Ita se efferentes, iniquo loco sui potestatem faciebant, ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hic Decumani suum locum, cornu dextrum tenebant:* hæc enim legio victoriarum prærogativam quandam sua virtute jampridem meruerat: *sinistrum autem cornu, tertia & quinta legio, itemque cætera auxilia & equitatus.* Hæc ordinis instructio nempe fuit. *Prælium clamore facto committitur:* ea enim prælii inchoandi cohortatio Romana erat. *Hic etsi virtute Cæsariani antecedebant, adversarii loco superiore defendebant acerrime, & vehemens fiebat ab utrisque clamor telorumque missu concursus, sic, ut prope Cæsariani diffiderent victoriæ.* Atque illud (si verum Suetonius ait) tempus videtur fuisse, *cum Cæsar suis fugientibus de consciscenda sibi morte cogitavit.* Oppius tamen diffidentiam tantum, non etiam talem desperationem ostendit. *Congressus* (ait) *& clamor, quibus rebus maxime hostes conterrentur in collatu, pari erant conditione: tanta nempe cohortatio tantaque partium alacritas fuit. Itaque ex utroque genere pugnæ, cum parem virtutem ad bellandum contulissent, pilorum missu fixa cumulatur & concidit adversariorum multitudo. Dextrum demonstravimus decumanos cornu tenuisse, qui etsi erant pauci, tamen propter virtutem magno adversarios timore eorum opera afficiebant, quod a suo loco hostes vehementer premere cœperunt, ut ad subsidium, ne ab latere Cæsariani occuparentur, legio adversariorum traduci cœpta sit ad dextrum: quæ simul est mota, equitatus Cæsaris sinistrum cornu premere cœpit. At hi eximia virtute prælium facere incipiunt, ut locus in acie ad subsidium veniendi non daretur. Ita cum clamori esset intermixtus gemitus gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timor præpediebat. Hic (ut ait Ennius) pes pede premitur, armis teruntur arma.* Atque in hoc bellorum civilium extremo velut actu Pompejanos licet *vehementissime pugnantes tandem Cæsariani tamen agere cœperunt, quibus oppidum fuit subsidio. Ita ipsi fusi fugatique non superfuissent, nisi in eum locum confugissent, ex quo erant egressi. In quo prælio ceciderunt millia hominum circiter tringinta & si quid amplius: præterea Labienus & Actius Varus (quibus occisis utrisque funus est factum) itemque equites Romani partim ex urbe, partim ex provincia ad millia tria. Cæsariani desiderati ad hominum mille, partim peditum, partim equitum: saucii ad quingentos. Adversariorum æquilæ sunt ablatæ XIII. & signa & fasces. Præterea duces belli XVII. capti sunt: hos habuit res exitus.* Cæsarianorum præcipueque decumanorum virtus hic excelluit, culpamque loci temere initi abunde præstitit. Si Cæsar, victoriæ scriptor, ut auctor fuisset, cohortationem tam periculoso prælio talem nempe legeremus, qualem antea Nervico prælio cognovimus. Hanc laudem Oppius de victoriæ laudibus præcipuam prætermisit. Fructus victoriæ, non solum Hispaniæ, sed totius Imperii pax fuit, & triumphorum tot ante victoriis meritorum lætitia.

OPPUGNATIO LOCORUM.

HActenus patentibus locis prælia facta sunt, deinceps clausis & munitis erunt. Locus obsessis præsidio est. Itaque cætera, copiarum, ordinis, cohortationis, obsidentibus majora debent esse. Oppugnationis autem & propugnationis artes fere communes sunt. Castrensis architectura illa, de qua supra dictum est, hic imprimis expromenda est: hac enim virtute una & singulari urbes expugnantur. Locus igitur expugnatur ex itinere primo impetu, aut longiore oppugnatione capitur. Expugnantur ex itinere Gomphi, quod est oppidum primum Thessaliæ, venientibus ab Epeiro, ut est tertio belli civilis. *Gomphenses venienti Cæsari portas præcluserunt. Cæsar itaque castris munitis scalas musculosque* (quibus fossæ aggere completæ solidum iter efficerent) *ambulatoriis turribus ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari jussit. Quibus rebus effectis, cohortatus milites, docuit, quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerum inopiam, potiri oppido pleno atque opulento, simul reliquis civitatibus hujus urbis exemplo inferre terrorem, & id fieri celeriter, prius quam auxilia concurrerent. Itaque usus singulari militum studio, eodem quo venerat, die post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit & ad diripiendum militibus concessit, sta-*

timque ab oppido castra movit, & Metropolim venit, sic ut nuntios expugnati oppidi famamque antecederet. Metropolitæ eodem primum usi consilio, iisdem permoti rumoribus, portas clauserunt, murosque armatis compleverunt: sed postea casu civitatis comprehensis ex captivis cognito, quos Cæsar ad murum producendos curaverat, portas aperuerunt. Quibus diligentissime conservatis, collata fortuna Metropolitarum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliæ fuit civitas præter Larissæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quæ non Cæsari pareret atque imperata faceret. Docuimus antea, quid celeritas Cæsaris effecerit: hic etiam multo plenius intelligitur. Eodem die oppugnati & expugnati sunt Gomphi. Hujus celeritatis terrore permovetur tota Thessalia, seseque dedit: sic uno die innumerabiles urbes in una urbe captæ sunt. Ac si propter latitudinem fossæ murique altitudinem repentino impetu urbs expugnari non possit, vineis actis, aggere jacto, turribus constitutis oppugnatur. Vineæ autem, machina est lignea, crudis coriis intexta undique, lata pedes octo, alta septem, longa sexdecim, sub qua milites tecti ad murum accedunt: agger, aggestus lapidibus, terra, cratibus cumulus. Turres ambulatoriæ sunt, quarum ima parte aries ad subruendum, falxque ad distrahendum murum educitur: media, pons aditum in urbem facit: summa, sagittarii & funditores muro propugnatorem dejiciunt. Magnitudine horum operum, quæ neque viderant ante Galli, neque audierant, & celeritate Romanorum permoti Suessiones Noviodunum oppidum dediderunt, ut est libro secundo. Aliquando circumvallatur pariter & oppugnatur oppidum, ut contra Aduaticos libro secundo, *quorum oppidum egregie natura munitum, ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque habebat: una ex parte leniter acclivis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur: quem locum duplici altissimo muro munierant, tum magni ponderis saxa & præacutas trabes in muro collocarant.* Hoc oppidum Cæsar *vallo duodecim pedum in circuitu quindecim millium, crebrisque castellis circummunit: deinde vineæ aguntur, agger extruitur, turris constituitur. Quam ubi moveri & appropinquare muris viderunt, nova atque inusitata specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt. Qui ad hunc modum locuti, Non se existimare, Romanos sine ope deorum bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tanta celeritate promovere & ex propinquitate pugnare possent, se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt.* Sic difficillimo & durissimo hyemis tempore oppida Senonum, Carnutum, Biturigum capta sunt, ut est libro septimo. Atque imprimis in oppidis capiendis celeritas illa prorsus admirabilis fuit: *Cæsar Vellaunodunum Senonum oppidum biduo circumvallavit: tertio die missis ex oppido legatis de deditione, arma conferri, frumenta produci, sexcentos obsides dari jubet: ea qui conficeret C. Trebonium legatum relinquit.* Interea Genabum Carnutum capit & incendit. Sic nondum capta urbe, urbs alia tamen capitur, nec ulla temporis occasio, tanta celeritas ducis est, non arripitur. Itaque protinus Cæsar Noviodunum Biturigum, armis, equis, obsidibus acceptis, dimittit, ut hac horribili celeritate reliquas res conficeret, qua pleraque erat consecutus. Hinc Avaricum cœpit oppugnari, oppidum *in Biturigum finibus maximum & munitissimum atque agri fertilissimi regionem*, prope ex omnibus partibus flumine & palude circundatum, uno & perangusto aditu. Hæc autem palus magna fuit, ut quæ perpetua inter Cæsaris & Vercingetorigis castra intercederet. Ad hujus urbis oppugnationem Cæsar decem legiones habuit præter auxilia sociorum: ordo & cohortatio non defuere. Hostis loco superior erat. Itaque locus oppugnantibus labore illo castrensi æquandus fuit. Castris igitur ad illum urbis aditum positis, Cæsar aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere cœpit: circumvallare autem loci natura prohibebat. Interea summa difficultate rei frumentariæ (quod Galli circumquaque omnia incenderant & magnis copiis Romanos frumentatione prohibebant) affectus est Cæsaris exercitus: famem tamen (ut ante proposui) quam rei infectæ ignominiam ferre maluit. Labor in fabricandis machinis ante fuit, hic etiam fames toleratur: tertia difficultas ab oppidanis oritur. Itaque cum muro turres appropinquant, singulari Romanorum virtuti consilia cujusque modi Gallorum occurrunt. *Nam & laqueis falces & arietes avertebant, quas cum distinuerant, tormentis introrsus reducebant, & aggerem cuniculis subtrahebant. Totum autem murum ex omni parte turribus contabulaverant, atque has coriis intexerant, tum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus, aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur, & Romanarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis adæquabant, & apertos cuniculos præusta & præacuta materia & pice fervefacta & maximi ponderis saxis morabantur, mœnibusque appropinquare prohibebant. Muri autem compositi trabibus & lapidibus sic erant, ut facile & ab incendio lapis & ab ariete materia defenderet. His tot rebus impedita oppugnatione Romani, cum toto oppugnationis tempore, frigore & assiduis imbribus tardarentur; tamen continenti labore, omnia hæc superaverunt, & diebus viginti quinque aggerem, cui nempe turres imponerentur, latum pedes trecentos viginti, altum pedes octoginta extruxerunt.* Sed labor hic est militum. Quid Cæsar? laborisne hujus expers fuit? *Cum agger murum hostium pæne contingeret, Cæsar ad opus consuetudine excubabat, militesque cohortabatur, ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur.* Nec tamen oppidanorum inertia interea ulla fuit, sed totam noctem, acerrima dimicatio. *Paulum ante tertiam vigiliam est animadversum fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant: eodemque tempore toto muro clamore sublato, duabus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat. Alii faces atque aridam materiam de muro in aggerem eminus jaciebant: picem reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant, ut quo primum curreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset.* Quid igitur? quæ Cæsaris disciplina, quis ordo in partitione tanti laboris hic fuit? *Instituto Cæsaris, duæ semper legiones pro castris excubabant, pluresque partitis temporibus in opere erant. Unde celeriter factum est, ut alii eruptionibus resisterent, alii turres reducerent aggeremque interscinderent: omnis vero ex castris multitudo ad restinguendum concurreret. Cum in omnibus locis consumpta jam reliqua parte noctis pugnaretur, semperque hostibus spes victoriæ redintegraretur, eo magis, quod deustos turrium pluteos* (quibus tecti milites ante turres præliabantur) *videbant, nec facile adire apertos ad auxiliandum animadvertebant, semperque ipsi recentes defessis succederent, omnemque Galliæ salutem in illo vestigio temporis positam arbitrarentur, accidit inspectanti Cæsari, quod dignum memoria visum prætermittendum non existimavit. Quidam ante portam oppidi Gallus, per manus sevi ac picis traditas glebas in ignem e regione turris projiciebat, scorpione ab latere dextro trajectus exanimatusque concidit: hunc ex proximis unus jacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur: eadem ratione ictu scorpionis exanimato alteri successit tertius, & tertio quartus: nec ille prius est a propugnatoribus vacuus relictus locus, quam restincto aggere atque omni parte*

summotis hostibus, finis est pugnandi factus. Hæc igitur oppugnatio Romanorum Gallorumque propugnatio fuit virtute animarum utrinque permagna, at machinarum artificio, at constantia laboris tolerantiaque nequaquam pari. Et Vercingetorigis, qui castra collata castris Cæsaris habebat, permagnus error hic fuit, (ut ex oppugnatione Alexiæ cognoscetur) quod Romanos in gravissima noctis illius dimicatione, a tergo non sit adortus: nec enim tum omnis multitudo e castris ad restinguendum concurrisset, si hostis a tergo castra ipsa oppugnasset: *Itaque omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere, hortante & jubente Vercingetorige. Id silentio noctis conati, non magna jactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercingetorgis aberant, & palus, quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. Jamque hoc facere noctu apparabant, cum matresfamilias repente in publicum procurrerunt, flentesque projectæ ad pedes suorum, omnibus precibus petierunt, ne se & communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam naturæ & virium infirmitas impediret. Ubi eos perstare in sententia viderunt, quod plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare & significare de fuga Romanis cœperunt: quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viæ præoccuparentur, consilio destiterunt*. Hanc fortuna Cæsari occasionem dedit, ut hostes domestico uxorum suarum bello gravius urgerentur quam hostium externo. Hic Avaricensium error Vercingetorigis errore non minor est in loco oppugnationi hostium exposito, inutilem bello, imo, ut res ipsa docet, perniciosam multitudinem habere: hæc enim multitudo in eum locum conjici debuit, quo hostibus aditus non esset, ut de Nerviis antea dictum est. Ergo pretium erroris hujus, Avarici exitium fuit: sed fortuna multo majorem e cœli tempestate occasionem dedit, neque Cæsaris vigilantia hic dormivit: sed & utramque celeriter arripuit: simulationis etiam dolum addidit oppidumque cepit: *Postero igitur die Cæsar promota turri, perfectisque operibus quæ facere instituerat, magno coorto imbri, non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus est, quod paulo incautius custodias in muro dispositas videbat, suosque languidius in opere versari jussit, & quid fieri vellet ostendit, legiones intra vineas in occulto expeditas cohortatus, ut aliquando pro tantis laboribus fructum victoriæ perciperent: iis qui primi murum ascendissent præmia proposuit, militibusque signum dedit. Illi subito ex omnibus partibus evolaverunt, murumque celeriter compleverunt*. Sic per occasiones illas captum est Avaricum. Sed attende reliquam Cæsaris disciplinam, desperatis non pugnam, sed fugam offerentis: *Hostes enim re nova perterriti, muro turribusque dejecti, in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt hoc animo, ut si qua ex parte obviam contraveniretur, acie instructa depugnarent*. Hic Cæsar suos continet, Scipionis laudatam illam sententiam memoria tenet, *Hostibus, qua fugerent, viam esse faciendam. Itaque Galli ubi neminem in æquum locum sese demittere, sed toto undique muro circumfundi viderunt, veriti, ne omnino spes fugæ tolleretur, abjectis armis ultimas oppidi partes continenti impetu petiverunt. Victoriæ fructus hic acerbior fuit, parsque ibi, cum angusto exitu portarum se ipsi premerent, a militibus; pars jam egressa portis, ab equitibus est interfecta, nec fuit quisquam qui prædæ studeret. Sic & Genabensi cæde*, qua Romani cæsi fuerant a Carnutibus, *& labore operis incitati, non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt*: Hic alterum erroris illius est pretium, imbellis nempe multitudo hostilem rabiem sanguine suo satia-

A vit: *Denique ex omni eo numero, qui fuit circiter quadraginta millium, vix octingenti, qui primo clamore audito se ex oppido ejecerant, incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt*. Sic igitur oppugnatum est a Romanis & expugnatum Avaricum incredibili legionariorum labore, non bellando tantum, sed multo magis fodiendo, materiando, fabricando, locique interioris munitionem munitione exterioris atque opere exæquando, frigora, imbres, famem denique constantissime tolerando: quibus tot malis sublevandis, egregia ducis cohortatio plurimum valuit, sudoris & algoris particeps fuit, præmia fortibus viris proposuit. Fructus victoriæ fuit, ut summa copia frumenti commeatusque reliqui exercitum ex B labore atque inopia reficeret amplissimaque præda ditaret, atque hyeme nondum confecta hostes tanto detrimento frangeret. Avarici oppugnatio magna fuit, sed & difficultate oppugnantium & constantia propugnantium non minor æstimanda Uxelloduni oppugnatio. Uxellodunum Cadurcorum erat oppidum egregie natura loci & in partes omnes, præruptissimis saxis munitum, quo, defendente nullo, tamen armatis ascendere esset difficile. Flumen infimam vallem dividebat totumque pæne montem cingebat: atque ita infimis montis radici- C bus ferebatur, ut nullam in partem depressis fossis derivari posset. A Drapete Senone & Lucterio Cadurco occupatur. Caninius Cæsaris legatus trinis excelsissimo loco castris obsidet & ab his vallum in oppidi circuitum ducere operibusque cingere instituit. Drapes & Lucterius, ne fame opprimerentur, frumentationis causa cum parte copiarum exeunt. A Caninio uterque separatim fusus est: oppidani tamen animo constanti resistunt. Cæsar huc profectus, cum magna frumenti copia oppidani abundarent, nec ulla conditione adduci possent, aqua prohibere eos instituit, ut, quos neque armis, neque fame potuerat, siti domaret: sed flumen avertere loci D natura prohibebat: *Erat autem oppidanis difficilis & præruptus eo descensus, ut, probibentibus Romanis, sine vulneribus ac periculo vitæ neque adire flumen neque arduo se recipere possent ascensu. Qua difficultate eorum cognita hic eminus prælium factum est adversus oppidanos. Cæsar sagittariis funditoribusque dispositis, tormentis etiam, quibusdam locis contra facillimos descensus collocatis aqua fluminis probibebat oppidanos*. Sic aqua fluminis erepta est. At fontis aqua supererat, *quo omnis postea multitudo aquatum conveniebat: sub ipsius enim oppidi murum magnus fons aquæ prorumpebat ab ea parte, quæ fere pedum CCC. intervallo fluminis circuitu vacabat. Hoc fonte* E *prohiberi posse oppidanos cum optarent reliqui, Cæsar unus videret, castrensis labor, ille oppidorum expugnator, revocatus est. Non sine magno periculo e regione ejus fontis vineas agere adversus montem & aggeres instruere Cæsar cœpit magno cum labore & continua dimicatione. Oppidani enim, loco superiore decurrunt & eminus sine periculo præliantur, multosque pertinaciter succedentes vulnerant: non deterrentur tamen milites Romani vineas proferre, & labore atque operibus locorum vincere difficultates*: novi præterea laboris artes adhibent, *eodemque tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis, quod genus operis sine* F *ullo periculo & sine suspicione hostium facere licebat. Extruitur agger in altitudine pedum novem, collocatur in eo turris decem tabulatorum, non quidem quæ mœnibus æquaretur (id enim nullis operibus effici poterat) sed quæ superare frontis fastigium posset*. Hic vero sit operæprecium turris altitudinem decem tabulatis erectam considerare, non ut aries primo tabulato murum subrueret, aut secundo pons aditum in urbem faceret: sed tantum, ut summis tabulatis librator & jaculator, aquatione oppidanos intercluderet. Ergo *ex ea turri cum tela tormentis jaceren-*

tur ad fontis aditum, nec sine periculo possent aquari, oppidani, non tantum pecora atque jumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti consumebatur. Nec tamen tanto malo obsessi, ullam deditionis mentionem faciunt, sed *cupas sevo, pice, scandulis complent, eas ardentes in opera provolvunt. Eodem tempore acerrime præliantur, ut ab incendio restinguendo dimicationis periculo deterreant Romanos. Magna repente in ipsis operibus flamma existit. Quæcunque enim per locum præcipitem missa erant, ea vineis & aggere suppressa, comprehendebant id ipsum quod morabatur. Milites contra Romani, quanquam periculoso genere prælii locoque iniquo premebantur, tamen omnia fortissimo sustinebant animo.* Cohortatio utrinque non deerat. B *Res enim gerebatur & excelso loco & in conspectu omnium, magnusque utrinque clamor oriebatur, ita ut quisque poterat maxime insignis, quo notior testatiorque virtus ejus esset, telis hostium flammæque se offerebat.* Mirari lubeat in tanta rerum prope desperatione Cæsaris ingenium. Præruptissimum montem cernebat, & quo etiam si nemo defenderet, armatis ascendere difficillimum esset: *attamen cum complures suos vulnerari videret, ex omnibus oppidi partibus cohortes montem ascendere & simulatione mœnium occupandorum clamorem undique jubet tollere. Quo facto perterriti oppidani, cum, quid ageretur in locis reliquis, essent ignari, revocant ab impugnandis operibus armatos murisque disponunt.* C *Ita Romani sine prælio facto, celeriter opera, flamma comprehensa, partim restinguunt, partim interscindunt. Cum pertinaciter resisterent oppidani, & magna etiam parte suorum siti amissa, in sententia permanerent. At postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt atque aversæ: quo facto, fons aquæ perennis exaruit, tantamque attulit oppidanis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed deorum voluntate factum putarent.* Cuniculorum artes videlicet ignorabant, ut Suessiones, ut Advatici machinas ambulantium turrium. Itaque religione deorum tacti & necessitate coacti, se tradiderunt. Sed D ista similis deorum religio necessitasque Cæsarem aqua similiter Alexandriæ interclusum nihil tetigit, nihil coegit, ut postea dicetur, quin militem animis ad fodiendos puteos incitatis, magnam una nocte vim aquæ dulcis inveniret. Hic igitur simplicitatis error Gallorum animos ad deditionem induxit, in qua non multo mitior Cæsar fuit, quam Cæsaris milites in Avaricensi expugnatione fuerant; *Omnibus enim qui arma tulerant, manus præcidit, vitamque concessit, quo testatior esset eorum pœna.* Hunc enim victoriæ fructum sibi statuit, ut exemplo supplicii Gallos imposterum deterreret, quo E minus se tali constantia in libertatem vindicarent. Sed in hoc contentionis dimicationisque genere non omnia Cæsari secunda successerunt: duplex enim ad Gergoviam & ad Dyrrhachium detrimentum & discessus utrinque turpis accidit. Gergovia posita in altissimo monte (a cujus ima valle ascensus recta regione, si nullus amfractus intercederet, mille ducentos passus ad muros aberat) omnes aditus difficiles habuit; a medio fere montis in longitudinem ex grandibus saxis sex pedum vallum Galli produxerant: urbi duo præterea montes adjungebantur, alterius dorsum prope æquum & angustum, qua esset aditus ad alteram partem oppidi: F alter mons e regione urbis ex omni parte circumcisus. Galli igitur & urbem & urbis dimidium superiorem montem & adjunctos montes militibus armatis compleverant, nec ullum fere diem intermittebant, quin equestri prælio interjectis sagittariis, quid in quoque esset animi ac virtutis suorum, periclitarentur. Cæsar perspecto urbis situ, si alterum illum montem, qui e regione urbis, teneret, se & aquæ magnam partem & pabulationem liberam hostibus erepturum putabat. Silentio itaque noctis priusquam subsidium ex oppido venire posset, præsidium Gallorum dejicit, ibique legiones duas collocat, ac fossam duplicem duodenum pedum a majoribus castris ad hæc majora perducit, ut tuti a repentino hostium incursu etiam singuli commeare possent. Ergo hic uni S. Cæsaris ad Gergoviam duo successerunt, unde binis castris Gergovia obsideri cœpta est. Interim Cæsar ad Heduorum decem millia, quæ ad hostem deficere dicerentur, retinendum, subito e castris ad viginti quinque millia passuum egreditur, castraque ipsa summis Gallorum copiis oppugnata, ægerrime, cum viris, tum tormentis defensa sunt. Ac nisi Cæsar postridie, pari celeritate recurrisset, actum de castris Cæsaris videbatur. Hæc prima Cæsari plaga fuit, unde hujus expeditionis eum pœnitere cœpit. Sed cogitanti quemadmodum integra fama discederet, accidere visa est facultas bene gerendæ rei. Montis illius oppido continentis jugum studiosius solito a Gallis defendebatur. In spem inde venit potiundorum castrorum, quæ medio urbis monte muniebantur. Itaque alterum dolum meditatur, ac tanquam jugum illud expugnaturus omnibus copiis esset, mittit complures equitum turmas eodem media nocte: *his imperat, ut paulo tumultuosius omnibus in locis pervagentur. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi, mulionesque cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumvehi jubet: his paucos addit equites, qui latius ostentationis caussa vagarentur: longo circuitu, easdem omnes jubet petere regiones. Hæc procul ex oppido videbantur, ut erat a Gergovia despectus in castra: neque tanto spacio, certi quid esset, explorari poterat. Legionem unam eodem jugo mittit, & paulum progressam, inferiore constituit loco sylvisque occultat. Augetur Gallis suspicio, atque omnes illo munitionum copiæ traducuntur. Vacua castra hostium Cæsar conspicatus, tectis insignibus suorum occultatisque signis militaribus, raros milites, ne ex oppido animadverterentur, ex majoribus castris in minora traducit, legatisque quos singulis legionibus præfecerat, quid fieri vellet, ostendit.* Præcipit, ut celeritate summa in munitiones perrumpant, iisque direptis signo dato redeant. Heduos etiam dextra parte alio ascensu mittit; *Signo dato, milites celeriter munitionem transgressi, trinis castris potiuntur, ac tanta fuit in castris capiendis celeritas, ut Theutomatus rex Nitiobrigum subito in tabernaculo oppressus, ut meridie conquieverat, superiore corporis parte nudata, vulnerato equo vix se ex manibus prædantium militum eriperet. Consecutus id quod animo proposuerat Cæsar, receptui canit: legio decima constitit, reliquæ non exaudito tubæ sono non prius sequendi finem fecerunt, quam muro oppidi portisque appropinquarunt. Tum vero ex omnibus urbis partibus orto clamore, Galli qui longius aberant, repentino tumultu perterriti, cum Romanos intra portas esse existimarent, sese ex oppido ejecerunt, matresfamilias de muro vestem argentumque jactabant, & pectore nudo prominentes, passis manibus obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent, neu, sicut Avarici fecissent, ne mulieribus quidem atque infantibus abstinerent; nonnullæ de muro per manus demissæ, sese militibus tradebant.* Avaricum monuit antea, quantæ simplicitatis esset, imbellem mulierum turbam in obsessis oppidis habere, Gergovia rursos idem admonet; *L. Fabius centurio legionis octavæ, quem inter suos eo die dixisse constabat, excitari se Avaricensibus præmiis, neque commissurum ut prius quisquam murum ascenderet, tres suos nactus manipulares atque ab his sublevatus, murum ascendit: hos rursus singulos exceptans, in murum extulit. Interim ii qui ad alteram partem oppidi, ut supra demonstravimus, munitionis caussa convenerant, primo ex-*

audito clamore, inde etiam crebris nuntiis incitati, A *oppidum a Romanis teneri, præmissis equitibus magno concursu eo contenderunt. Eorum ut quisque primus venerat, sub muro consistebat suorumque pugnantium numerum augebat. Quorum cum magna multitudo convenisset, matresfamilias, quæ paulo ante Romanis de muro manus tendebant, suos obtestari & more Gallico passum capillum ostentare, liberosque in conspectum proferre cœperunt. Erat Romanis nec loco nec numero æqua contentio: simul & cursu & spatio pugnæ defatigati, non facile recentes atque integros sustinebant.* Cæsar fremens frendensque legionariorum suorum cædem spectabat. Ecce etiam novus ab Heduis terror e similitudine Gallicorum armorum: B *Nam tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat; tamen id ipsum sui fallendi caussa Romani ab hostibus factum existimabant. Itaque Fabius centurio, quique una murum ascenderant, circumventi atque interfecti, de muro præcipitantur: reliqui in munitiones ingressi quadraginta sex centurionibus amissis loco dejiciuntur: eoque die milites sunt paulo minus septingenti desiderati*, ait Cæsar. At quadraginta sex centuriones, militum millia quatuor & sexcentos ducebant. Itaque pudorne Cæsaris, an dolor, an alia quædam ratio cæsorum numerum minuerit, considerato. C Certe Cæsar aliud subsidium summittere laborantibus nullum potuit, quam ut Gallos intolerantius insequentes, religionibus ad radices montis tardaret. Ergo hæc Cæsari ad Gergoviam altera plaga fuit, qua præsens totos Gallici belli annos graviorem nullam acceperat, quaque Gergoviæ oppugnationem dimittere coactus est. Scio Cæsarem nullo usquam loco tam solicite egisse, ut facti culpam a se averteret; *de expugnatione desperaverat* (ait) *de obsessione non prius agendum constituerat, quam rem frumentariam expediret:* & tamen oppugnat & obsidet, *concione advocata, militum temeritatem, licentiam, arrogantiam contra imperatoris sui manda-* D *tum reprehendit, quod sibi judicavissent quo procedendum aut quid agendum videretur, neque a signo recipiendi sui dato constitissent, neque a tribunis militum legatisque retineri potuissent.* Cæsar acceptæ cladis caussas aperte commemorat, nec numero, nec loco contentio par erat; ordo non deerat, non deerat alacritas & cohortatio, sed numerus, sed locus deerat. Attamen ne milites admodum demitterentur animo, laudem quandam & consolationem huic reprehensioni adjunxit, quod *eorum virtutem admiraretur, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset:* nec eos hostium virtute, sed cursu & spacio defatigatos, lo- E ci iniquitate victos esse. Toto belli Gallici tempore bis tantum accidit, ut legiones a Cæsare reprehendi possent, semel contra Ariovistum propter timorem, iterum ad Gergoviam propter audaciam. Illic Cæsar adhortationis confirmationem permagnam adhibuit. Atque hic ad milites impensius confirmandum, & Gallicam ostentationem minuendum, continuo biduo legiones e castris eduxit aciemque idoneo loco constituit, cumque Galli nihilo magis in æquum locum descenderent, castra movit; inde ad Alexiam ignominiæ hujus nota deleta est, ut postea cognoscetur. Hæc igitur ad Gergo- F viam detrimenta Cæsari contigerunt, quibus ad Dyrrhachium similia sunt accepta. Ubi tamen Cæsaris singularem militiam operæprecium sit animadvertere. Cæsar ad Dyrrhachium longius bellum ductum iri existimans & de Italicis commeatibus desperans, *consilium capit ex loci natura. Erant circum castra Pompeii permulti editi atque asperi colles, ibi castella communiit, indeque ex castello in castellum perducta munitione, circumvallare Pompejum instituit, ut commeatu & pabulatione, sed imprimis aucto-*

ritate minueret, cum fama per orbem terrarum percrebuisset Pompejum a Cæsare obsideri: neque tamen audere prælio decertare. At fortunam tentandam sibi Pompejus nequaquam statuebat: *Itaque castellis viginti quatuor contra Cæsarem effectis, quindecim millia passuum circuitu complexus est, ut Cæsaris copias quam maxime distineret, & hoc spatio pabularetur.* Cæsar contra, ut obsidionem retineat, octodecim millia passuum opere complectitur. Eheu posteri, nunquid ista ridicula aut falsa judicamus? duo terrarum Imperatores summi bellum acerrimum gravissimumque gerunt, ratione prorsus nova & inusitata. Cæsar complecti Pompejum contendit, Pompejus quam latissime potest, toto corpore dilatatur, ne brachiis Cæsaris comprehendi possit. Cæsar tamen conari non desistit, brachia nervis omnibus distendit, ob eamque caussam prælia sagittis præsertim ad munitiones occupandum vel tuendum utrinque perpetua fiebant: quin uno die sex prælia facta, tria ad Dyrrhachium, tria ad munitiones majore Pompejanorum cæde. Ac quicunque alterum est adortus, is fere repulsus detrimentoque magno affectus est. Pompejani frumento maris subvectionibus abundabant: verum pabulatione & aquæ dulcis inopia, fluminibus & rivis per Cæsarianos aut aversis aut obstructis, quotidianisque laboribus, homines operum talium insueti, magnum numerum jumentorum & hominum amittebant; Cæsariani frumento egebant. At egestatis patientia, sicut antea dixi, longe superiores erant: vulgo in vigiliarum colloquiis jactabant, *se prius cortice ex arboribus victuros, quam Pompejum e manibus dimitterent*, Ergo patientiæ certamen istud est; uter sitim, uter famem & in perpetuis operibus laborem constantius tulerit, is victoriam reportet. Cæsar quotidie exercitu producto, Pompejum ad prælium provocat: Pompejus, ut famam retineat, pro castris exercitum constituit. Cæsar, ut angustiore pabulatione Pompejum contineret, castella nova magnis operibus communit: unde factum, ut *Pompejani foliis arborum & teneris arundinum radicibus contusis, equos alere* cogerentur. Hæc, inquam, mirabilis pugna Cæsaris fuit fossarum, castellorum, munitionum, imo famis & egestatis durissimo certamine, quo si uti perseverasset, victus fine gladio Pompejus esset. At plagarum insolens, dum cupidius ad vindictam properat, institutam illam novæ victoriæ palmam perdidit. Pompejus indicio perfugarum, Cæsaris imperfectas munitiones ingressus, centuriones primæ cohortis fere omnes interfecit magnamque præterea cædem fecit: ac ni tum Antonius primum, tum Cæsar auxilio accurrissent, multo majus detrimentum intulisset. Hæc prima Cæsaris Dyrrhachina clades fuit, cujus farciendæ caussa Cæsar eodem temporis puncto quam potuit occultissime progressus in Pompeii castra primo majora, deinde minora irrumpit, & in his victor versatur: *Sed fortuna, quæ plurimum potest, cum in reliquis rebus, tum præcipue in bello parvis momentis magnas rerum commutationes efficit* (ait Cæsar, fortunam cladis veluti ream faciens.) Cæsariani in minoribus castris Pompeii, dum munitiones quasdam sequuntur, a porta aberant. Interim Pompejus subsidio suis occurrit, omniaque subito mutantur: equitatus Cæsaris initium fugæ facit, dextrum cornu in fossam decem pedum sese præcipitat, primisque oppressis reliqui per eorum corpora salutem sibi atque exitum pariebant. Sinistrum cornu eodem quo venerat receptu sibi consulit, omniaque erant tumultus, timoris, fugæ plena, adeo ut cum Cæsar signa fugientium manu prehenderet & consistere juberet, alii dimissis equis eundum cursum conficerent, alii ex metu etiam signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret. Atque hic

locus videtur esse, *ubi aquilifer moranti Cæsari, cuspide comminatus est*, ut ait Suetonius. Cæsar igitur eo tempore fugere coactus est: sed tantis malis hæc subsidia succurrerunt, quo minus omnis deleretur exercitus, quod Pompejus insidias timens (credo, quod hæc præter spem ejus acciderant, qui paulo ante ex castris fugientes suos conspexerat) munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat, equitesque ejus angustis portis, atque his a Cæsaris militibus occupatis, ad insequendum tardabantur. Ita parvæ res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Munitiones enim a castris ad flumen perductæ, expugnatis jam castris Pompeii, propriam & expeditam Cæsaris victoriam interpellaverunt: eadem res celeritate insequentium tardata Cæsarianis salutem attulit. Duobus his unius diei præliis, Cæsari desiderati sunt milites nongenti & sexaginta, & noti equites Romani quadringenti. Hæc secunda Cæsaris clades fuit, ubi (si verum Suetonius ait) negavit Cæsar Pompejum scire vincere, qui tantam occasionem secutus non esset. Sed ut Gergoviensi, sic Dyrrhachino malo magna medicina adhibita est: primum consolationis, quod antea secundæ res multæ contigissent, hanc unam fortunam industria & virtute esse sublevandam: quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret, uti ad Gergoviam accidisset: tum animadversionis de signiferis notatis, de quibus ante dixi. Itaque sarciendi detrimenti cupiditas incredibilis, ut Pharsalico bello dictum est, inde extitit. Sed tamen Gergovia & Dyrrhachium testimonia præbebunt, quamlibet magnis Imperatoribus non semper ex animi sententia res secundas evenire.

PROPUGNATIO.

Atque hæc oppugnationum Romanarum exempla sunt, propugnationum contraria exempla subducamus. Oppugnata ad Gergoviam castra Cæsaris diximus & tormentis præcipue propugnata: Bibrax secundo libro sagittariis & funditoribus adversus Belgas defenditur. Castra, tum Q. Ciceronis, tum Cæsaris ad Ciceronem liberandum profecti oppugnantur, sed Ciceronis multo vehementius & oppugnantur & propugnantur. Nam cum subito Nervii, quorum erant sexaginta millia, oppugnare cœpissent, Romani (quorum unica erat legio) celeriter ad arma concurrunt vallumque conscendunt, atque ægre is dies sustentatur. Mittuntur ad Cæsarem confestim a Cicerone literæ, magno tabellariis proposito præmio, sed obsessis omnibus viis, missi intercipiuntur: propugnationis interim arma expediuntur: noctu ex ea materia, quam munitionis caussa comportaverant, turres admodum centum viginti a Romanis excitantur incredibili celeritate: quæ deesse operi videbantur, perficiuntur: hostes postero die multo majoribus copiis coactis, castra oppugnant, fossam complent: a Romanis eadem ratione, qua pridie, resistitur. Hoc idem deinceps reliquis fit diebus. Romanorum manus perexigua erat. Itaque vigilantia & labore & machinarum artificio sublevanda. *Nulla igitur pars nocturni temporis ad laborem intermittitur, non ægris, non vulneratis facultas quietis datur. Quæcunque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur: multæ præustæ sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur, turres contabulantur, pinnæ loricæque ex cratibus attexuntur: ipse Cicero, cum tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat, ut ultro militum concursu ac vocibus sibi parcere cogeretur*. Ergo hæc tridui oppugnatio & propugnatio fuit. Interim Ciceronis animus, ab hostibus frustra ad deditionem solicitatur. Ita que Nervii, sicut e Romana milicia jam didicerant, omnia oppugnationis opera suscipiunt, *vallo pedum undecim & fossa pedum quindecim castra cingunt, turres ad altitudinem valli, falces testudinesque parare ac facere cœperunt. Septimo oppugnationis die, maximo coorto vento ferventes fusili ex argilla glandes fundis, & fervefacta jacula in casas, quæ more Gallico stramentis erant tecta, jacere cœperunt. Hæ celeriter ignem comprehenderunt, & venti magnitudine, in omnem castrorum locum distulerunt. Hostes maximo clamore insecuti quasi parta jam atque explorata victoria, turres testudinesque agere, & scalis vallum ascendere cœperunt*. Hic gravis oppugnatio instituitur, sed nec minor propugnatio comparatur. *Tanta enim Romanorum virtus atque ea præsentia animi fuit, ut cum undique flamma torrerentur, maximaque telorum multitudine premerentur, suaque omnia impedimenta atque omnes fortunas conflagrare intelligerent, non modo demigrandi caussa de vallo decederet nemo, sed pæne, ne respiceret quidem quisquam, ac tum omnes acerrime fortissimeque pugnarent. Hic dies Romanis longe gravissimus fuit: sed tamen hunc habuit eventum, ut eo die maximus numerus hostium vulneraretur atque interficeretur, ut se sub ipso vallo constipaverant recessumque primis ultimi non dabant. Paulum equidem intermissa flamma, & quodam loco turri adacta, & contingente vallum, tertiæ cohortis centuriones ex eo quo stabant loco, recesserunt, suosque omnes removerunt, ac nutu vocibusque hostes, si introire vellent, vocare cæperunt: quorum progredi ausus est nemo: tum ex omni parte lapidibus conjectis deturbati, turrisque succensa est*. Monuimus antea, quam liberalis in milites Cæsar fuerit frumento, stipendio cæterisque præmiis; sed maxima virtutis præmia in laude & gloria ponuntur, quam bene meritis militibus Cæsar impense attribuit. Ergo præconium imperatoris de duobus centurionibus audiamus. *Erant* (ait Cæsar) *in Ciceronis legione fortissimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulsio & L. Varenus: hi perpetuas inter se controversias habebant uter alteri anteferretur, omnibusque armis de loco summis simultatibus contendebant. Ex iis Pulsio cum acerrime ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas (inquit) Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ expectas? hic dies de nostris controversiis judicabit. Hæc cum dixisset, procedit extra munitiones & quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus quidem sese tum vallo continet, sed omnium veritus existimationem, subsequitur. Tum mediocri spacio relicto, Pulsio pilum in hostes immittit, atque unum ex multitudine procurrentem trajicit: quo percusso exanimatoque hunc scutis protegunt hostes & in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulsioni & verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hostes circumsistunt. Succurrit inimicus illi Varenus & laboranti subvenit. Ad hunc se confestim a Pulsione omnis multitudo convertit, illum veruto transfixum arbitrantur. Varenus rem gladio cominus gerit, atque uno interfecto, reliquos paulum propellit. Dum cupidius instat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pulsio atque ambo incolumes compluribus interfectis summa cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione & certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, & maxime quod magna parte militum confecta vulneribus res ad paucitatem defensorum pervenerat, tanto cre-*

briores literæ nuntiique ad Cæsarem mittebantur, quorum pars deprehensa, in conspectu Romanorum militum cum cruciatu necabatur. Erat unus intus Nervius, nomine Vertico, loco natus honesto, qui a prima obsidione ad Ciceronem profugerat, suamque ei fidem præstiterat: hic servo spe libertatis magnisque persuadet præmiis, ut literas ad Cæsarem deferat. Has ille in jaculo illigatas effert, & Gallus inter Gallos sine ulla suspicione versatus, ad Cæsarem pervenit: ab eo de periculo Ciceronis legionisque cognoscitur. Horribilis illa Cæsaris vigilantia, celeritas, diligentia multis antea documentis perspecta est: hic etiam potest imprimis animadverti. Attendamus igitur, quid ipse de se loquatur. *Cæsar acceptis literis hora circiter undecima diei, statim nuncium in Bellovacos ad M. Crassum Quæstorem mittit, cujus hyberna aberant ab eo millia passuum XXV. Jubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad se venire. Exit cum nuncio Crassus. Alterum ad C. Fabium legatum mittit, ut in Atrebatium fines legionem adducat, qua sibi iter faciendum sciebat. Scribit Labieno, si Reipubl. commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat. Reliquam partem exercitus, quod paulo aberat longius, non putat expectandam: equites circiter quadringentos ex proximis hybernis colligit. Hora circiter tertia ab antecursoribus de Crassi adventu certior factus, eo die millia passuum XX. progreditur. Fabius non ita multum moratus in itinere cum legione occurrit, Labienus Trevirorum bello distinetur. Cæsar etsi opinione trium legionum dejectus, ad duas redierat, tamen unum communis salutis auxilium in celeritate ponebat. Venit magnis itineribus in Nerviorum fines: ibi ex captivis cognoscit, quæ apud Ciceronem gerantur, quantoque in periculo res sit. Tum cuidam ex equitibus Gallis, magnis præmiis persuadet, uti ad Ciceronem epistolam deferat. Hanc Græcis conscriptam literis mittit, ne intercepta epistola Romanorum ab hostibus consilia cognoscantur. Si adire non possit, monet, ut tragulam cum epistola ad amentum deligata intra munitionem castrorum adjiciat. In literis scribit, se cum legionibus profectum celeriter affore: hortatur ut pristinam virtutem retineat. Gallus periculum veritus, ut erat præceptum, tragulam mittit. Hæc casu ad turrim adhæsit, neque a Romanis biduo animadversa, tertio die a quodam milite conspicitur: dempta, ad Ciceronem defertur. Ille perlectam in conventu militum recitat, maximaque omnes lætitia afficit. Tum fumi incendiorum procul videbantur, quæ res omnem dubitationem adventus legionum expulit.* Adhuc oppugnatus est Tullius, deinceps Cæsar oppugnabitur. *Galli re cognita per exploratores, obsidionem relinquunt, ad Cæsarem omnibus copiis contendunt. Hæ erant armatorum circiter millia LX. Cicero data facultate Gallum ab eodem Verticone, quem supra demonstravimus, repetit, qui literas ad Cæsarem deferat. Hunc admonet, iter caute diligenterque faciat. Perscribit in literis hostes ab se discessisse, omnemque ad eum multitudinem convertisse. Quibus literis circiter media nocte Cæsar allatis suos facit certiores, eosque ad dimicandum animo confirmat. Postero die prima luce movet castra & circiter millia passuum quatuor progressus, trans vallem magnam & rivum multitudinem hostium conspicatur.* Hic vero Cæsaris ingenium singulare est in simulatione paucitatis & timoris, quo facilius in confusionem & locum iniquiorem hostem adduceret. *Erat* (ait) *magni periculi res, cum tantis copiis, iniquo loco dimicare. Tunc, quoniam liberatum obsidione Ciceronem sciebat, eoque omnino remittendum de celeritate sciebat, consedit, & quam æquissimo loco potest, castra communit, atque hæc etsi erant exigua per se, vix hominum millium septem, præsertim nullis cum impedimentis; tamen angustiis viarum quam maxime potest contrahit, eo consilio ut in summam contemptionem hostibus veniat. Interim speculatoribus in omnes partes dimissis explorat, quo commodissime itinere vallem transire possit. Eo die parvulis equestribus præliis ad aquam factis, utrique sese suo loco continent, Galli, quod ampliores copias quæ nondum convenerant, expectabant: Cæsar, si forte timoris simulatione hostes in suum locum elicere posset, ut citra vallem pro castris prælio contenderet: si id fieri non posset, ut exploratis itineribus minore periculo vallem rivumque transiret. Prima luce hostium equitatus ad castra accedit, præliumque cum Romanis equitibus committit. Cæsar consulto equites cedere, seque in castra recipere jubet: simul ex omnibus partibus, castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in his administrandis rebus quam maxime concursari & cum simulatione agi timoris jubet. Quibus omnibus rebus hostes invitati, copias traducunt, aciemque iniquo loco constituunt. Romanis vero etiam de vallo deductis propius accedunt & tela intra munitionem ex omnibus partibus conjiciunt, præconibusque circummissis pronunciari jubent, seu quis Gallus, seu quis Romanus velit ante horam tertiam ad se transire, sine periculo licere, post id tempus non fore potestatem: ac sic Romanos contempserunt, ut obstructis in speciem portis singulis ordinibus cespitum, quod ea non posse introrumpere videbantur, alii vallum manu scindere, alii fossas complere inciperent. Tum Cæsar omnibus portis eruptione facta equitatuque emisso, celeriter dat hostes in fugam, sic ut omnino pugnandi caussa resisteret nemo: magnumque ex iis numerum occidit, atque omnes armis exuit. Longius prosequi noluit, veritus, quod sylvæ paludesque intercedebant, neque etiam parvulo detrimento illorum illum locum relinqui videbat. Omnibus suis incolumibus eodem die ad Ciceronem pervenit. Institutas turres, testudines, munitionesque hostium admiratur. Legione producta cognoscit non decimum quemque esse relictum militem sine vulnere. Ex his omnibus judicat rebus, quanto cum periculo & quanta virtute res sint administratæ. Ciceronem pro ejus merito, legionemque collaudat: Centuriones sigillatim Tribunosque militum appellat, quorum egregiam fuisse virtutem testimonio Ciceronis cognoverat.* Hactenus igitur egregium Cæsarianæ propugnationis exemplum habemus, ubi loci æquitas, ordo, cohortatio, eruptione contra loci iniquitatem, confusionem, stultæ confidentiæ temeritatem, victoriam præclaram attulit. Laudavit Cæsar separatim Pulsionem & Varenum, tandem reliquos etiam Centuriones Tribunosque militum, quorum egregiam fuisse virtutem legati testimonio cognoverat. Ergo hæc stipendia sunt laudis ab Imperatore generosis militibus longe charissima, quæ cum pecunia, veste, annona, cæterisque stipendiis præstantium animorum judicio comparanda nequaquam sunt. Hæc Cæsaris historia est, unde magnam prudentiam non solum in castrorum forma videmus, tanquam septem tantum millium, cum millia viginti quatuor essent, si duæ legiones suis auxiliis essent instructæ; sed & in reliquarum viarum & universi timoris simulatione. Consilio simulationis & simili dolo usi, tum Galba contra Sedunos & Veragros in Alpibus, tum Sabinus contra Unellos, tum Labienus contra Treviros, victoriam similem adepti sunt. Unum vero Cæsarianæ propugnationis strategema prætermittendum nequaquam censui. *Cnæjus Pompejus filius Ullam oppidum Hispaniæ oppugnabat* (ait Oppius) *& fere jam aliquot mensibus ibi distinebatur: quo ex oppido, cognito Cæsaris adventu, legati clam præter præsidia Cnæi Pompeii Cæsarem cum adissent, petere cœperunt, ut sibi primo quoque tempore subsidium mitteret. Cæsar eam civitatem omni tempore optime de populo Romano meritam esse sciens, celeriter sex cohortes secunda vigilia jubet proficisci parique*

equites numero, quibus præfecit hominem ejus provinciæ notum & non parum scientem L. Junium Patiecum. Qui cum ad Cnæi Pompeii præsidia venisset, incidit id temporis, ut tempestate adversa vehementique vento afflictaretur: qua vi tempestatis ita obscurabatur, ut vix proximum cognoscere posset, cujus incommodum summam utilitatem ipsis præbebat. Ita cum ad eum venerunt, jubet binos equites incedere, & recta per adversariorum præsidia ad oppidum contendere, mediisque ex præsidiis, cum quæreretur, Qui essent, unus ex Cæsarianis respondit, Ut sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, ut oppidum capiant. Et partim tempestate impediti vigiles, non poterant diligentiam præstare, partim illo responso deterrebantur. Cum ad portam appropinquassent, signo dato ab oppidanis sunt recepti, & pedites equitesque clamore facto dispositis ibi partim qui remansere, eruptionem in adversariorum castra fecerunt. Sic illud cum inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum, qui in castris fuissent, se prope captos esse. Oppugnationis & propugnationis exempla separatim posita sunt: sed Romana ad Alexiam oppugnatio propugnatioque longe laboriosissima omnium præstantissimaque fuit. *Fuit autem Alexia, oppidum Mandubiorum, in colle summo, admodum edito loco, cujus collis radices duæ duabus ex partibus flumina subluebant. Ante oppidum planities circiter millibus passuum tribus in longitudinem patebat: reliquis ex omnibus partibus, colles mediocri interjecto spacio, pari altitudinis fastigio oppidum cingebant.* Huc Vercingetorix cum octoginta millibus Gallorum sese receperat, partemque collis ad orientem copiis illis compleverat, fossam & materiam sex in altitudinem pedum perduxerat. Cæsar ad Alexiam locis idoneis decem legionum auxiliorumque omnium, quæ Gallicis ante bellis habuerat, castra posuit. Quotuplicia vero, ipse non exprimit: at res minimum bina docet fuisse. Alia enim summum undique jugum tenebant, unde despectus erat in omnes partes: alia ad collem versus septentriones loco leniter declivi: castella præterea viginti tria fecit, quibus in castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret. Hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidiis tenebantur. In planitie illa, primum fit equestre prælium, ubi laborantibus Romanis Germani equites subsidio summissi & legiones pro castris præsidio constitutæ Gallos in fugam conjecerunt. Hoc equitum subsidium, hoc legionum præsidium victoriæ caussa fuit: & victoriæ Cæsaris, ut superioribus bellis patuit, ab his caussis oriuntur. Vercingetorix equitatum in omnes Galliæ partes dimittit ad omnes Gallos qui arma ferre possent, cogendum. Commeatum in triginta dies parce distribuit, atque ita auxilia Galliæ expectare constituit. Cæsar interea Alexiam circumvallat, maximis & prope incredibilibus adversus & interiorem & exteriorem hostem operibus, ut quoniam loco superior hostis esset, locum sibi diligentia faceret ad vincendum æqualem vel etiam superiorem. Legio[illegible] illi, materiarii, frumentarii, tam multis ante exemplis laborem suum, quamvis prope improbabilem, tamen probaverunt: sed hoc imprimis exemplo probare possunt. Ista enim militia tota fere est ligonum, palarum, securium, agricolarum denique verius quam militum. Cæsar igitur legionariorum opera adversus hostem interiorem, circuitu undecim millia passuum complexus est, fossas tres ingentes duxit, *primam & urbi proximam pedum viginti directis lateribus, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summæ fossæ labra distabant: reliquas fossas ab ea pedes quadringentos reduxit, & quinos denos pedes latas eadem altitudine perduxit: interiorem campestribus ac demissis locis aqua ex flumine derivata complevit: post eas aggerem & vallum duodecim pedum extruxit: huic loricam pinnasque adjecit grandibus cervis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui ascensum hostium tardarent, & turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter se distarent. Erat* (ait Cæsar) *eo tempore & materiari & frumentari & tantas munitiones fieri necesse, diminutis Romanis copiis quæ longius a castris progrediebantur; & nonnunquam opera Romana Galli tentare, atque eruptionem ex oppido pluribus portis facere summa vi conabantur. Quare ad hæc rursus opera addendum Cæsar putavit, quo minore numero militum munitiones defendi possent.* Quænam sunt igitur ista & adversus quos opera? Adversus interiorem (inquam) hostem illo quadringentorum pedum intervallo triplices munitiones factæ sunt *cipporum, liliorum, stimulorum.* Quid igitur? quinam hi *cippi* aut cujusmodi fuerunt? *Truncis arborum, haud admodum firmis ramis abscissis, atque horum delibratis ac præacutis cacuminibus perpetuæ fossæ quinos pedes altæ ducebantur. Huc illi stipites demissi & ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter se atque implicati: quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant: hos* cippos *appellabant.* Hoc primum genus munitionis fuit. *Lilia* deinde definiuntur: *Ante cippos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes quinque in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad infimum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo præacuti & præusti demittebantur, ita ut non amplius quatuor digitis ex terra eminerent: simul confirmandi & stabiliendi caussa singuli ab infimo solo, pedes tres terra exculcabantur, reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. Octoni ordines ducti, ternos inter se pedes distabant. Id ex similitudine floris,* lilium *appellabant.* Hoc igitur secundum munitionis genus fuit: tertium superest. *Ante lilia illa, taleæ pedem longæ, ferreis hamis infixis totæ in terram infodiebantur, mediocribusque intermissis spaciis, omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant.* Ergo hæc munitionum inter proximam urbi & secundam fossam genera fuere, cipporum vallis acutissimis eminentium: liliorum, præustis & præacutis stipitibus, quatuor digitis apparentium: stimulorum, penitus in terram defixorum & tantum hamis carpentium. Labores hi permagni sunt. Attende tamen, quid deinceps a Cæsare commemoretur. *His rebus perfectis Cæsar legiones secutus quam potuit æquissimas, pro loci natura, quatuordecim millia passuum complexus, pares ejusdem generis munitiones, diversas ab his contra exteriorem hostem perfecit, ut ne magna quidem multitudine, si ita accideret, ejus discessu, munitionum præsidia circumfundi possent.* Incredibiles sunt illi adversus interiorem hostem labores. *Pares tamen sunt* (ait Cæsar) *& ejusdem generis adversus exteriorem hostem labores:* imo vero tanto majores, quanto major ambitus fuit. Undecim millia passuum primus ambitus habuit: postremus hic, quatuordecim tenuit. Ac ne materiari tantum legiones existimes, non etiam frumentari, attende quid hic faciat. Obsidebat Gallos, qui sibi in triginta dies frumentum providissent. Intelligebat Cæsar, se paulo post ab exterioribus hostibus obsessum iri. Quid igitur? *Ne cum periculo* (ait) *legiones ex castris egredi cogerentur, dierum triginta pabulum frumentumque habere omnes convectum jubet.* Commeatus interiori hosti in mensem suppetebat, commeatum Cæsar suis in mensem, sed consequentem suppetere voluit. Neque jam dimidiati, ut Tullius ait, sed integri mensis cibaria miles habet. Ergo præterito mense, fames obsessos urgere cœpit: aliique deditionem, alii eruptionem.

Critognatus etiam corporibus eorum, qui ad bellum inutiles essent tolerandam famem censuit. *Mandubii, a quibus essent in oppidum recepti, cum liberis atque uxoribus, ex urbe exire coguntur; hi cum ad munitiones Romanorum accessissent, flentes, omnibus precibus orabant, ut se in servitutem receptos, cibo juvarent. Hos Cæsar, dispositis in vallo custodibus, recipi probibebat.* Avaricum antea & Gergovia Gallos docuerant, quantum imbellis in obsessa urbe multitudo detrimentum haberet. Alexiæ fames tertium idem docet. At sero sapiunt Phryges, & callidus hostis ne in servitutem quidem deditos accipit: eorum vita reliquorum vitam oppugnat. Sed interim Gallica auxilia adveniunt equitum millia octo, peditum circiter ducenta quadraginta, a quibus prælium triplex acerrimum instituitur: primum, equestre extra munitiones. Interiores itaque Galli visis auxiliis, ut ex oppido despectus erat in campum, *ante oppidum considunt: proximam fossam cratibus integunt & explent aggere, seque ad eruptionem & omnes casus comparant.* Cæsar ut castra ad munitiones & exteriores & interiores fecerat, *omni exercitu ad utramque partem munitionum disposito, ut suum quisque locum nosceret & teneret, equitatum ex castris educi & prælium committi jubet.* Res in conspectu & Gallorum & Romanorum gerebatur. Itaque utrosque & laudis cupiditas & timor ignominiæ ad virtutem excitabat. *Galli inter equites, raros sagittarios expeditosque levis armaturæ interjecerant, qui suis cedentibus, auxilio succurrerent, & Romanorum equitum impetus sustinerent: ab his complures Romani de improviso vulnerati, prælio excedebant. Cum suos pugna superiores esse Galli confiderent, & Romanos multitudine premi viderent, ex omnibus partibus, & ii qui munitionibus continebantur, & ii qui ad auxilium convenerant, clamore & ululatu suorum animos confirmabant.* Hæc erat nimirum Gallorum inter se cohortatio. Hoc prælium primum, octo perpetuas horas (nam æstatis summæ tempus illud erat) magna contentione concertatum est. Tandem recens subsidium Germanorum equitum Romanis submissum, victoriam attulit, ut in cæteris ante præliis opportuna subsidiorum summissio victoriæ caussa fuit. Secundum prælium, noctu, ut ad Avaricum ante fuit, factum est ad campestres munitiones, *uno die intermisso:* hoc enim spacio *Galli magno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto, media nocte silentio ex castris egressi, ad campestres munitiones accedunt. Subito clamore sublato, qua significatione, qui in oppido obsidebantur, de suo adventu cognoscere possent, crates projicere, fundis, sagittis, lapidibus Romanos de vallo deturbare, reliquaque quæ ad oppugnationem pertinent, parant administrare. Eodem tempore clamore exaudito dat tuba signum suis Vercingetorix, atque ex oppido educit. Romani, ut superioribus diebus suus cuique erat locus attributus, ad munitiones accedunt: fundis libralibus sudibusque, quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent: hæc siquidem prælii hujus arma sunt. Prospectu tenebris adempto, multa utrinque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conjiciuntur. At M. Antonius & C. Trebonius legati, quibus hæ partes ad defendendum obvenerant, qua ex parte Romanos premi intellexerant, his auxilio ex ulterioribus castellis deductos summittebant. Dum longius a munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant: posteaquam propius successerunt, aut se ipsi stimulis inopinantes induebant, aut in scrobes delapsi transfodiebantur, aut ex vallo & turribus trajecti, pilis muralibus interibant.* Hic munitiones illæ Cæsaris tam laboriosæ adversus Gallos per se acrius præliantur, quam legionarius ullus potuisset. *Multis undique vulneribus acceptis, nulla munitione perrupta, cum lux appeteret, Galli veriti, ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumvenirentur, se ad suos receperunt. At interiores, dum ea quæ a Vercingetorige ad eruptionem præparata erant, proferunt, priores fossas explent. Diutius in his rebus administrandis morati, prius suos discessisse cognoverunt, quam munitionibus appropinquarent. Ita re infecta in oppidum reverterunt.* Sic prælium secundum est factum. Tertium prælium gravissimum omnium atque acerrimum fuit. *Bis magno detrimento repulsi Galli, quid agant, consulunt. Minorum castrorum collem propter magnitudinem circuitus, Romani complecti non potuerant.* Vergasillaunus Arvernus unus e quatuor universæ Galliæ delectis principibus, cum sexaginta millibus ex omni numero delectis, eo prima vigilia ante ortum Solis pervenit, occultisque locis milites ex nocturno labore reficit. Tum circa meridiem, quod pugnæ tempus inter Gallos convenerat, munitiones aggreditur. *Eodem tempore equitatus Gallorum ad campestres munitiones accedere & reliquæ copiæ sese pro castris ostendere cœperunt. Vercingetorix ex arce Alexiæ, suos conspicatus, ex oppido egreditur, ac rastros, longurios, musculos, falces reliquaque quæ eruptionis caussa paraverat, profert. Pugnatur uno tempore omnibus locis, atque omnia tentantur: quæ minime firma pars visa est, huc concurritur.* Cæsar hic ait omnibus locis uno tempore pugnari: certe quatuor locis minimum pugnatur ad superiores munitiones a Vergasillauno, ad campestres ab equitatu, alio loco ab obsessis, a reliquis Gallis alio. *Romanorum manus tantis munitionibus distinetur, nec facile pluribus locis occurrit: multum ad terrendos Romanos valuit clamor, qui post tergum pugnantibus extitit.* Hæc erat Gallica cohortatio, cum utrinque Romani ab interioribus & exterioribus Gallis diverso loco urgerentur. Sed animadverte horribilem illam Cæsaris vigilantiam, celeritatem, diligentiam. Copiarum viribus aut æqualis aut etiam superior erat, loco etiam tum superior erat, multoque erat difficilius Cæsaris quam Alexiæ munitiones perrumpere, Ordo & cohortatio ad victoriam restabant in ordinando & cohortando. *Cæsar igitur* (ait ipse) *idoneum locum nactus, quid quaque in parte geratur, cognoscit, utrisque ad omnia occurrit, videt unum esse illud tempus, quo maxime contendi conveniat. Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant. Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium expectant. Maxime ad superiores munitiones laboratur, quo Vergasillaunum missum demonstravimus. Iniquum loci ad declivitatem fastigium, magnum Gallis affert momentum. Alii tela conjiciunt, alii testudine facta subeunt: defatigatis invicem integri succedunt: agger ab universis in munitionem conjectus; & ascensum dat Gallis, & ea quæ in terra occultaverant Romani, contegit, nec jam arma Romanis, nec vires suppetunt.* Quid igitur Cæsar? *His rebus cognitis Labienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit, & imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus, eruptione pugnaret: id nisi necessario, ne faciat. Ipse adit reliquos: cohortatur, ne labori succumbant. Omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere. Interiores Galli desperatis campestribus locis, propter magnitudinem munitionum loca prærupta ex ascensu tentant. Huc ea, quæ paraverant, conferunt: multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere & cratibus fossas explent: falcibus vallum ac loricam rescindunt.* Quid in tanta rerum difficultate Cæsar? *Mittit primo Brutum adolescentem cum cohortibus sex, post cum aliis septem C. Fabium Legatum: postremo ipse, cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. Restituto prælio ac repulsis hostibus, in alias partes animum intendit, nec jam cladem repellere, sed victoriam parare meditatur.* Eo quo Labienum mise-

rat, contendit: cohortes quatuor ex proximo castello deducit: equitum se partem sequi, partem circuire exteriores munitiones, & a tergo hostes adoriri jubet. Id nimirum est, quod a Vercingetorige in obsidione Avarici prætermissum diximus, & nunc a Cæsare studiose provisum & procuratum præcipua victoriæ caussa fuit. *Labienus, postquam neque aggeres, neque fossæ, vim hostium sustinere poterant, coactis undequadraginta cohortibus, quas ex proximis præsidiis deductas fors obtulit, Cæsarem per nuncios facit certiorem, quid faciendum existimet.* Ecquid (inquam) Cæsar in extremo discrimine? *Accelerat, ut prælio intersit, ejusque adventus ex colore vestitus agnoscitur turmisque equitum & cohortibus visis, quas se sequi jusserat. Ut de locis superioribus ac declivibus & devexis cernebantur, Galli prælium committunt. Utrinque clamore sublato excipitur rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor.* Communis erat etiam Romanis ista cohortatio. *Romani missis pilis, gladiis rem gerunt. Repente post tergum, equitatus cernitur: cohortes aliæ appropinquant: hostes terga vertunt, fugientibus equites occurrunt. Fit magna clades. Sedulius dux & princeps Lemovicum occiditur. Vergasillaunus Arvernus, vivus in fuga comprehenditur. Signa militaria septuaginta quatuor ad Cæsarem referuntur: pauci ex tanto numero se incolumes in castra recipiunt. Interiores Galli conspicati ex oppido cædem & fugam eorum, desperata salute, copias a munitionibus reducunt. Fit protinus, hac re audita, ex castris Gallorum fuga. Quod nisi crebris subsidiis ac totius diei labore milites essent defessi, omnes hostium copiæ deleri potuissent. De media nocte missus equitatus, novissimum agmen consequitur, magnus numerus capitur atque interficitur, reliqui ex fuga in civitates discedunt.* Quid plura? obsessi deduntur, arma traduntur, principes producuntur: e captis prædæ nomine singula capita militibus distribuuntur: reservatis tamen Heduorum & Avernorum viginti millibus, si per ipsos Cæsar civitates eorum recuperare posset. Sic Cæsar victoria uti didicerat. Atque in captivis his redditis majorem etiam in victoriam adeptus est. Duas enim non Alexias, sed totius Galliæ longe potentissimas Arvernorum & Heduorum civitates recepit.

DE PRÆLIO NAVALI.

AQuis eadem bella propemodum geruntur, quæ terris: Nam & patenti æquore concurritur & maritimæ urbes oppugnantur ac propugnantur. Navale Cæsaris prælium in Gallia Veneticum & Britannicum est. Ad Veneticum bellum Cæsar *naves longas in Ligeri ædificavit, remiges ex provincia instituit, nautas gubernatoresque comparavit.* Venetæ naves, ex robore confectæ erant. *Transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus, confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine. Carina planior erat, proræ ac puppes erectæ, anchoræ pro funibus ferreis catenis revinctæ, pelles pro velis alutæque tenuiter confectæ. Cum his navibus Romanæ classi ejusmodi congressus erat, ut una celeritate & pulsu remorum præstaret, reliqua pro loci natura, pro vi tempestatum illis essent aptiora & accommodatiora. Neque enim his Romanæ rostro nocere poterant, tanta in his erat firmitudo: neque propter altitudinem, facile telum adjiciebatur, & eadem de caussa minus commode scopulis continebantur. Accedebat, ut cum sævire ventus cœpisset & se vento dedissent, & tempestatem ferrent facilius, & in vadis consisterent tutius, & ab æstu derelictæ nihil saxa & cautes timerent. Quarum rerum omnium Romanis navibus casus erat extimescendus. Ubi igitur classis convenit ac primum ab hostibus visa est, circiter ducentæ viginti naves eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ e portu profectæ, Romanis adversæ constiterunt.* Cæsaris numero major fuit, ut mox videbitur significari. *Neque tamen satis Bruto, qui classi præerat, vel tribunis militum centurionibusque, quibus singulæ naves erant attributæ, constabat, quid agerent, aut quam rationem pugnæ insisterent. Rostro enim noceri non posse cognoverant. Turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex Gallicis navibus superabat, ut neque ex inferiore loco satis commode tela adjici possent, & missa a Gallis gravius acciderent. Una erat magno usui res præparata a Romanis, falces præacutæ, insertæ affixæque longuriis, non absimili forma ruralium falcium. His cum funes qui antennas ad malos distinebant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato prærumpebantur. Quibus abscissis, antennæ necessario concidebant, ut cum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret, his ereptis, omnis usus navium uno tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute, qua Romani milites facile superabant, atque eo magis, quod in conspectu Cæsaris atque omnis exercitus res gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere posset. Omnes enim colles & loca superiora, unde erat despectus propinquus in mare, ab exercitu tenebantur.* Atque ea videlicet militibus, velut in theatro decurrentibus, magnæ cohortationis alacritas fuit, quod exercitum, quod Cæsarem imprimis spectarent & judicem virtutis haberent. *Disjectis igitur (ut diximus) antennis, cum singulas Venetas, binæ aut ternæ Romanæ naves circumsisterent,* (tanta nempe Cæsarianarum navium classis fuit) *milites summa vi transcendere in hostium naves contendebant. Quod postquam Veneti fieri animadverterunt, expugnatis compluribus navibus, cum ei rei nullum reperiretur auxilium, fuga salutem petere contendebant. Ac jam conversis in eam partem navibus quo ventus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas extitit, ut se loco commovere non possent.* Cæsar in suis rebus secundis non solet appellare fortunam, ut dixi: attamen mulieres & imbres Avaricenses fortuna Cæsari ad victoriam commilitones dedit: attamen hic rursum ventos ipsos commilitones dedit. Atque hic Pompejanæ felicitatis illud, quod a Tullio memoratur, verum fuit, ut Cæsaris *voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint:* nec Cæsar diffitetur. *Hæc res* (ait) *ad negotium conficiendum maxime fuit opportuna. Nam singulas Romani consectati ita expugnaverunt, ut perpaucæ ex omni numero, noctis interventu ad terram pervenerint, cum ab hora fere quarta usque ad solis occasum pugnaretur. Quo prælio bellum Venetorum totiusque oræ maritimæ confectum est. Nam cum omnis juventus, omnes etiam gravioris ætatis, in quibus aliquid consilii aut dignitatis fuit, eo convenerant: tum navium, quod ubique fuerat, unum in locum coegerant: quibus amissis, reliqui neque quo se reciperent, neque quemadmodum oppida defenderent, habebant; itaque se suaque omnia Cæsari dediderunt. In quos eo gravius Cæsar vindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus a Gallis jus legatorum* (quos Veneti recuperandorum obsidum suorum caussa retinuerant) *conservaretur. Itaque omni Senatu necato, reliquos sub corona vendidit.* Hic Cæsar clementiæ suæ immemor fuisse videtur: nulla tot belli ejus major severitas animadvertitur. Adhuc Cæsaris est historia, ubi navalis prælii instrumenta cernimus, rostra ipsa navium tanquam arietum, deinde turres & falces. Secunda Cæsaris expeditio navalis in Gallia libro quarto traditur; si tamen navale prælium dicendum sit, quod in littore, partim e navibus, partim a peditibus & equitibus committitur. *Navibus circiter octoginta onerariis coactis contractisque, quod satis esse ad duas legio-*

nes transportandas existimabat, quicquid præterea navium longarum habebat, Quæstori, Legatis Præfectisque distribuit. Huc accedebant octodecim onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus passuum octo, vado tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire possent. Has equitibus distribuit, reliquum exercitum in Gallia reliquit. Publ. Sulpitium Rufum legatum cum eo præsidio quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit. His constitutis rebus nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertia fere vigilia solvit, equitesque in ulteriorem portum progredi, & naves conscendere ac se sequi jussit: a quibus cum id paulo tardius esset administratum, ipse hora circiter diei quarta cum primis navibus Britanniam attigit, atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. Cujus loci hæc erat natura, atque ita motibuns angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus in litus telum adjici posset: hunc ad egrediendum locum nequaquam idoneum arbitratus, dum reliquæ naves eo convenirent, ad horam nonam in anchoris expectavit. Interim legatis tribunisque militum convocatis, & quæ ex Voluseno cognovisset & quæ fieri vellet ostendit, monuitque, ut rei militaris ratio maximeque ut res maritimæ postularent, ut, quia celerem atque instabilem motum haberent, ad nutum & ad tempus omnes res ab his administrarentur. His dimissis & ventum & æstum uno tempore nactus secundum, dato signo & sublatis anchoris, circiter millia passuum octo ab eo loco progressus aperto ac plano litore naves constituit. At Britanni consilio Romanorum cognito præmisso equitatu & essedariis (quo plerunque genere in præliis uti consueverunt) reliquis copiis subsecutis Romanos navibus egredi prohibebant. Erat ob has caussas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant. Hinc prælium illud e tam variis generibus navali, pedestri, equestri permissum committitur. *Militibus autem ignotis locis, impeditis manibus magno & gravi onere armorum pressis, simul & de navibus desiliendum & in fluctibus consistendum, & cum hostibus erat pugnandum, cum illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi, omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela conjicerent & equos insuefactos incitarent. Quibus rebus Romani perterriti atque hujus omnino generis pugnæ imperiti, non eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti præliis consueverat, utebatur. Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas, quarum & species Britannis erat inusitatior & motus ad usum expeditior paulum removeri ab onerariis navibus, & remis incitari, & ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoveri jussit. Quæ res magno usui Romanis fuit. Nam & navium figura & remorum motu & inusitato genere tormentorum permoti Britanni constiterunt, ac paulum modo pedem retulerunt*: sic antea Suessiones & Aduatici machinis invisis & inauditis permoti sunt. *Tum decimæ legionis aquilifer cohortatione & exemplo virtutis, causam victoriæ attulit. Romanis enim militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimæ legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, Desilite (inquit) commilitones, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum Reip. atque Imperatori officium præstitero. Hoc cum magna voce dixisset, se ex navi projecit atque in hostes aquilam ferre cœpit. Tum Romani cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desilierunt. Hos item alii ex primis proximis navibus cum conspexissent subsecuti, hostibus appropinquarunt.* Hic cohortatio magna est e signifero legionis decimæ inter omnes Cæsaris legiones omnibus præliis celebratissimæ. *Pugnatum est ab utrisque acriter, Romani tamen, quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex navi, quibuscunque signis occurrerat, se aggregabat, magnopere perturbabantur.* Locus Romanis, & ordo deerat. *Itaque magnopere hostis notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur, plures paucos circumsistebant: alii ab latere aperto, in universos tela conjiciebant.* Requirebat antea Cæsar & locum & ordinem: nunc etiam numerum copiarum & vires. Itaque cum non solum loco ordine, sed etiam numero suos inferiores esse *animadvertisset, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit, & quos laborantes conspexerat, iis subsidia summittebat. Romani simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt, neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere, atque insulam capere non potuerunt. Hoc unum ad pristinam fortunam Cæsari defuit.* Hoc prælio Cæsar, non tam navali quam litorali, Britannos pacem petere coegit, sed ipse a Britannico mari pæne pacem petere coactus est. *Nam pace cum Britannis firmata, post diem quartum quam est in Britanniam ventum, naves octodecim, de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant ex superiori portu, leni vento solverunt. Quæ cum appropinquarent Britanniæ, & ex castris viderentur, tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset; sed aliæ eodem unde erant profectæ referrentur, aliæ ad inferiorem partem insulæ, quæ est propius Solis occasum, magno cum periculo dejicerentur. Quæ tamen anchoris jactis, cum fluctibus complerentur, necessario adversa nocte in altum provectæ continentem petiverunt.* Hæc tempestas maris, Britannos fines velut ulciscentis fuit, & novum ac peregrinum regem indignantis. Difficultatem Cæsari ex inscitia oceani, & navigationis hujus insolentia creatam, antea demonstravimus. Itaque Britannis magis lacessitis quam devictis, & pace cum quibusdam civitatibus facta, quod propinqua die æquinoctii infirmis navibus hyemis navigationem subeundam non existimabat, ipse idoneam tempestatem nactus, paulo post noctem mediam naves solvit, tum omnes incolumes ad continentem pervenerunt. Equidem valde miratus sum tota hac Cæsaris historia, nullam Britanniæ navem nominari, vel nullum per Britannos cum Romanis navale prælium committi. Cæsar quinto Gallici belli anno Britanniam ingenti octingentarum navium classe repetit: sed ei prælium navale nullum nisi cum ventis & tempestatibus fuit, quod supra jam demonstratum est.

OBSIDIO MASSILIÆ

AD navales pugnas, Massiliæ & Alexandriæ obsessionem referendam existimavi, tametsi genus est cum terrestri navalique prælio conjunctum. Massilia urbs origine & artibus liberalium disciplinarum Græca, bellicis studiis plane Gallica, fere tribus ex oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habet a terra ex Gallia atque Hispania, ad id mare quod attingit ad hostium Rhodani. *Massilienses* in dissensione civium Romanorum, Pompejanas partes secuti, *portas Cæsari clauserant*. Itaque vires quas potuere ad urbis defensionem comparaverant. *Albicos barbaros homines, qui in eorum fide antiquitus erant, montesque supra Massiliam incolebant, ad se vocaverant. Frumentum ex finitimis regionibus, atque ex omnibus castellis in urbem convexerant. Armorum officinas in urbe instituerant: muros, classem & portas reficiebant.* Nec Cæsaris oratione dimoveri a sententia potuerant. *Interea Domitius* partium Pompejan. *navibus*

Massiliam pervenit, atque ab his receptus, urbi præficitur. Summa ei belli administrandi permittitur. Ejus imperio classem quoquoversus dimittunt: onerarias naves, quas ubique possunt, deprehendunt, atque in portum deducunt, earum clavis aut materia atque armamentis instructis, ad reliquas armandas reficiendasque utuntur, frumenti, quod inventum est, in publicum conferunt, reliquas merces commeatusque ad obsidionem urbis, si accidat, reservant. Hic communis Massiliensium apparatus fuit ad Massiliæ propugnationem. *Quibus injuriis permotus Cæsar, vires ad oppugnandum contrarias comparat, legiones tres Massiliam adducit, turres vineasque agere, naves longas Arelate numero duodecim facere instituit. Quibus effectis armatisque diebus triginta, a qua die materia cæsa est, adductisque Massiliam, his Decium Brutum præficit. C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ relinquit.* Hic communis item apparatus est ad oppugnationem futuram, deinceps prælia erunt geminarum contentionum, navalium & terrestrium eruptionum permultarum. Prima navalis contentio, auctore Domitio, Pompejanarum partium principe Romano, facta est. *Tum igitur Massilienses usi L. Domitii consilio, naves longas expediunt numero XVII. quarum erant undecim tectæ. Multa his minora navigia addunt, ut ipsa multitudine, Cæsariana classis terreatur: magnum numerum sagittariorum, magnum Albicorum, de quibus supra demonstratum est, imponunt, atque hos præmiis pollicitationibusque incitant. Certas sibi deposcit naves Domitius, atque has colonis pastoribusque, quos secum adduxerat, complet. Sic omnibus rebus instructa classe, magna fiducia ad Cæsarianas naves procedunt, quibus præerat Decius Brutus. Hic ad insulam, quæ est contra Massiliam, stationes obtinebat. Erat multo inferior numero navium Brutus: sed electos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Cæsar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant, ut tanto viribus superior esset. Hi manus ferreas atque harpagones paraverant, magnoque numero pilorum, tragularum reliquorumque telorum se instruxerant. Ita cognito hostium adventu, suas naves ex portu educunt, cum Massiliensibus confligunt. Pugnatum est utrinque fortissime atque acerrime, neque multum Albici Cæsarianis virtute cedebant, homines asperi & montani, exercitati in armis. Atque hi modo digressi a Massiliensibus, recentem eorundem pollicitationem animis continebant, pastoresque indomiti, spe libertatis incitati, sub oculis Domitii suam probare operam studebant. Ipsi Massilienses & celeritate navium & scientia gubernatorum confisi, Cæsarianos eludebant, impetusque eorum excipiebant, & (quod licebat latiore spacio) producta longius acie circumvenire Cæsarianos, aut pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere si possent, contendebant. Cum propius erat necessario ventum, ab scientia gubernatorum atque artificii ad virtutem montanorum confugiebant. Cæsariani, qui minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur, quique repente ex onerariis navibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam gravitate & tarditate navium impediebantur. Factæ enim subito ex humida materia, non eundem usum celeritatis habebant. Itaque dum locus communis pugnandi daretur, æquo animo singulas binis navibus objiciebant, atque injecta manu ferrea, & retenta utraque nave, diversi pugnabant, atque in hostium naves transcendebant: & magno numero Albicorum & pastorum interfecto, partem navium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt. Eo die naves Massiliensium cum iis quæ sunt captæ, intereunt novem.* Id primum Massiliensium navale prælium, eaque prima clades fuit: ubi vide mus virtutem militum, quavis navium disciplina ad victoriam potiorem esse. Terrestris oppugnatio propugnatioque, deinceps terra gravior exoritur. *C. Trebonius Cæsaris Legatus duabus ex partibus aggerem, vineas, turresque ad oppidum agere instituit, una erat proxima portui navalibusque, altera ad partem qua est aditus ex Gallia Hispaniaque. Atque hic legiones, palæ, securis, dolabræ, non gladii, non enses, præliantur. Cajus Trebonius ad hæc opera perficienda magnam jumentorum atque hominum multitudinem ex omni provincia vocat: vimina materiamque comportari jubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum octoginta extruxit. Sed tanti erant antiquitus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, ut eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. Asseres enim pedum duodecim, cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis missis, per quatuor ordines cratium, in terram defigebantur. Itaque pedalibus lignis conjunctis inter se porticus vinearum integebantur, atque hac agger inter manus a Romanis proferebatur. Antecedebat testudo pedum sexaginta, æquandi loci caussa, facta item ex fortissimis lignis, convoluta omnibus rebus, quibus ignis jactus & lapides defendi possent. Sed magnitudo operum, altitudo muri atque turrium, multitudo tormentorum, omnem administrationem tardabat. Crebræ tamen per Albicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesque aggeri & turribus inferebantur: quæ facile Cæsariani milites repellebant magnisque ultro illatis detrimentis, eos qui eruptionem fecerant, in oppidum rejiciebant.* Hæc terrestris oppugnatio, propugnatio prima est. Sequitur alterum navale prælium auctore Nasidio item Pompejanarum partium, principe Romano, majoris apparatus majorisque calamitatis. *Interim L. Nasidius a Cnæjo Pompejo cum classe navium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibusque subsidio missus, præmissa clam navicula, Domitium Massiliensesque de suo adventu certiores facit, eosque magnopere hortatur, ut rursus cum Bruti classe additis suis auxiliis confligant. Massilienses post superius incommodum, veteres ad eundem numerum ex navalibus productas naves refecerant, summaque industria armaverant. Remigum gubernatorumque magna copia suppetebat. piscatoriasque adjecerant atque contexerant, ut essent ab ictu remiges tuti: has sagittariis tormentisque compleverant. Tali modo instructa classe omnium seniorum, matrumfamilias, virginumque* (hæc cohortatio Gallica fuit) *precibus & fletu excitati, ut extremo tempore civitati subvenirent, non minore fiducia quam ante dimicaverant, naves conscendunt. Communi enim fit vitio naturæ, ut in vitiis latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusque exterreamur, ut tum accidit. Adventus enim L. Nasidii summa spe & voluntate civitatem compleverat. Nacti idoneum ventum, ex portu exeunt & Tauroenta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perveniunt, ibique naves expediunt, rursusque se ad confligendum animo confirmant, & consilia communicant. Dextra pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio, eodem Brutus contendit aucto navium numero. Nam ad eas, quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captivæ Massiliensium accesserant sex. Has superioribus diebus refecerat, atque omnibus rebus instruxerat. Itaque suos cohortatus, quos integros superavissent, ut victos contemnerent plenus spei bonæ atque animi adversus eos proficiscitur. Facile erat ex castris C. Trebonii atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem, ut omnis juventus quæ in oppido remanserat, omnesque superioris ætatis cum liberis atque uxoribus ex publicis custodiis, aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent & ante*

simulachra projecti, victoriam a Diis exposcerent. Neque erat quisquam omnium, qui non in ejus diei casu, suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. Nam & honesti ex juventute & cujusq; ætatis amplissimi nominatim evocati atque obsecrati, naves conscenderant, ut, si quid adversi accidisset, ne ad conandum quidem sibi quidquam reliqui fore viderent: si superavissent, vel domesticis opibus vel externis auxiliis de salute urbis confiderent. Commisso prælio, Massiliensib. res nulla ad virtutem defuit, sed memores eorum præceptorum quæ paulo ante a suis acceperant, hoc animo decertabant, ut nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur; & quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multo se reliquorum civium fatum antecedere existimarent, quibus urbe capta, eadem esset belli fortuna patienda: diductisq; Cæsarianis paulatim navibus, & artificio gubernatorum mobilitati navium locus dabatur, & si quando Cæsariani facultatem nacti ferreis manibus injectis navem religaverant, undiq; laborantibus succurrebant. Neq; vero conjunctis Albicis cominus pugnando deficiebant, neq; multum cedebant virtute Cæsarianis: simul ex minoribus navibus magna vis eminus missa telorum, multa Cæsarianis de improviso imprudentibus atq; impeditis vulnera inferebat. Conspicatæq; naves triremes duæ navem D. Bruti, quæ ex signo facile agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitaverant; sed tanta re provisa, Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. Illæ adeo graviter inter se incitatæ conflixerunt, ut vehementissime utræq; ex concursu laborarent; altera vero perfracto rostro tota collabefieret. Qua re animadversa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naves erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterq; ambas deprimunt. Sed Nasidianæ naves ulli usui fuerunt, celeriterq; pugna excesserunt: non enim has aut respectus patriæ aut propinquorum præcepta ad extremum vitæ periculum adire cogebant. Itaq; ex eo numero navium nulla desiderata est. Ex Massiliensium classe quinque sunt depressæ, quatuor captæ: una cum Nasidianis profugit, quæ omnes citeriorem Hispaniam petiverunt. At ex reliquis una præmissa Massiliam hujus nuncii perferendi gratia cum jam appropinquaret urbi, omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit, & re cognita tantus luctus excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Hæc igitur navalis offensio cladesque secunda fuit, & quidem superiore longe gravior & tristior. Ubi Massiliensibus neque ordo neque cohortatio defuit, sed vires minores fuere. Succedit deinde terrestris secunda dimicatio. *Massilienses enim* (tantus hominum vigor tantaque virtus vel in desperatis rebus fuit) *nihilo segnius ad defensionem urbis reliqua apparare cœperunt.* At contra Massilienses, opus laboris admirandi a legionariis excogitatur & absolvitur, primo lateritiæ turris, deinde musculi. Et hic, militia rursus materiaria, lateraria, cæmentaria est. Hic asciæ & trullæ legionarios exercuerunt. Ac turris sex tabulatorum fuit, ita ut primam contignationem secunda & secundam tertia & deinceps superior inferiorem superaret trabibus paulo longioribus & eminentioribus, unde tegumenta præpenderent ad inferiorem contignationem defendendum. Sed Cæsarem audiamus. *Est autem animadversum* (ait) *a legionariis, qui dexteram partem operis administrabant, ex crebris hostium irruptionibus, magno sibi esse præsidio posse, si pro castello ac receptaculo, turrim ex latere sub muro fecissent, quam primo ad repentinos incursus humilem parvamque fecerunt. Huc se referebant: hinc si qua major oppresserat vis, propugnabant; hinc ad repellendum & prosequendum hostem procurrebant. Patebat hæc quoquoversus pedes XXX. sed parietum crassitudo pedes V. Postea vero (ut est rerum omnium magister usus) hominum adhibita solertia, inventum est magno esse usui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. Id hac ratione perfectum est: ubi turris altitudo perducta est ad contabulationem, eam in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum, extrema parietum structura tegerentur, nequid eminerent, ubi ignis hostium adhæresceret. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo astruxerunt: supraque eum locum duo tigna transversa injecerunt non longe ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam contignationem, quæ turri tegumento esset futura: supraq; ea tigna directo transversas trabes injecerunt, easque asseribus religaverunt. Has trabes paulo longiores atq; eminentiores quam extremi parietes erant, effecerunt, ut esset, ubi tegumenta præpendere possent ad defendendos ictus ac repellendos, cum intra eam contignationem parietes extruerentur: eamq; contabulationem summam lateribus lutoque constraverunt, ne quid ignis hostium nocere posset, centonesque insuper injecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discuterent. Storias autem ex funibus ancorariis tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt, easq; ex tribus partibus quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrim præpendentes religaverunt, quod unum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo neq; tormento trajici posse. Ubi vero ea pars turris quæ erat perfecta, tecta atque munita est ab omni ictu hostium, pluteos ad alia opera abduxerunt; turris tectum per seipsum prensionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere cœperunt: ubi quantum storiarum demissio patiebatur, tantum elevabant. Intra hæc tegumenta abditi atque muniti, parietes lateribus extruebant: rursusque alia prensione ad ædificandum sibi locum expediebant. Ubi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item ut primo tecta extremis lateribus instruebant, exque ea contignatione rursus summam contabalationem storiasque elevabant. Ita tuto ac sine ullo vulnere ac periculo sex tabulata extruxerunt: fenestrasque quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt.* Atque hæc lateritiæ turris constructio fuit. Constructio musculi deinde explicatur, & materia & forma, tum confecti deductio ad turrim. *Ubi* igitur *milites* hi materiarii laterariique *ex ea turri, quæ circum essent opera, tueri se posse confisi sunt, musculum pedes LX. longum ex materia bipedali, quem a turri lateritia ad hostium turrim murumq; perducerent, facere instituerunt. Cujus musculi hæc erat forma. Duæ primum trabes in solo æque longæ, distantes inter se pedes quatuor collocantur, inque eis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quæ musculi tegendi caussa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaq; laminis clavisque religant, ad extremumque musculi tectum trabesque extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos defigunt, quæ lateres, qui super musculum struantur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus lutoq; musculus, ut ab igni qui ex muro jaceretur, tantus esset, contegitur. Super lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoq; inopinantibus hostibus, machinatione navali phalangis subjectis ad turrim hostium admovent, ut ædificio jungatur.* Quid igitur tandem Massiliensibus & quantum animi tum superfuit? Certe quantum viris fortibus in summo discrimine debuit. *Hac turri, hoc musculo perterriti*

subito oppidani (ait Cæsar) *saxa quam maxima possunt vectibus promoven*, *præcipitataque muro, in musculum devolvunt. Ictum firmitas materiæ sustinet, & quicquid incidit, fastigio musculi delabitur. Id ubi vident, mutant consilium. Cupas tæda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt: involutæ labuntur: delapsæ a lateribus, longuriis furcisque ab opere removentur: itaque Massiliensium machinatio eluditur, atque interim sub musculo milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, convellunt. Musculus ex turri lateritia a Cæsarianis telis tormentisque defenditur, hostesque ex muro ac turribus submoventur: non datur libera muri defendendi facultas: compluribus jam lapidibus ex ea quæ suberat turri subductis, repentina ruina pars ejus turris concidit, reliqua consequens procumbebat.* Denique jam miseræ civitati nil nisi direptio, cædes, extremaque expugnatæ urbis mala restabant. Massilienses, origine ingeniique eruditione Græci erant, solo cœloque Galli. Gallicæ vires hactenus pro patria strenue fortiterque dimicarunt. Extrema spes salutis ab ingenio & eloquentia expetitur. *Tum igitur Massilienses turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum ira perculsi, urbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt: ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt. Qua nova re oblata, omnis administratio belli consistit, militesque aversi a prælio, ad studium audiendi & cognoscendi feruntur. Ubi hostes ad legatos exercitumque pervenerunt, universi se ad pedes projiciunt, orant, ut adventus Cæsaris expectetur: captam suam urbem videre, opera perfecta, turrem subrutam: itaque a defensione desistere: nullam exoriri moram posse, quo minus cum venisset, si imperata non facerent, ad nutum e vestigio diriperentur. Docent si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe prædæ in urbem irrumperent urbemque delerent. Hæc atque ejusdem generis complura, ut ab hominibus doctis, magna cum misericordia fletuque pronuntiantur.* Hæc eloquentiæ Massiliensis dimicatio fuit. Omnia machinarum tormenta experti Massilienses tandem eloquentiæ tormentum illud experiuntur, quod in pace Romanos (Massiliam enim, ait Strabo, Romani libentius liberos disciplinæ caussa, quam Athenas dimittebant) Romanos, inquam, docere consueverant, Πειθὼ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνον, *Suadelam hominibus reginam solam esse.* Ergo regina

Ista regit dictis animos & pectora mulcet.

Commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum quodam genere misericordia facto, adventus Cæsaris expectatur: nullum ex muro, nullum a Cæsarianis mittitur telum, ut re confecta omnes curam & diligentiam remittunt. Cæsar enim per literas Trebonio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari pateretur, ne gravius permoti milites & defectionis odio & contemptione sui & diutino labore, omnes puberes interficerent, quod se facturos minabantur: ægreque tunc sunt retenti, quin oppidum irrumperent: graviterque eam rem tulerunt, quod stetisse per Trebonium, quo minus oppido potirentur, videbatur. Sic igitur induciæ pactæ sunt. At interim dum Cæsaris adventus expectatur, recordatio pristinæ libertatis obsessorum animos tanta subiit, ut datæ fidei religione nulla moverentur, quin omnia Romanorum opera tot mensium laboribus extructa uno temporis momento corrumperent. *Itaque sine fide* (ait Cæsar) *tempus atque occasionem fraudis ac doli quærunt: interjectisque aliquot diebus, Cæsarianis languentibus atque animo remissis, subito meridiano tempore cum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita contectaque essent, portis foras erumpunt, secundo magnoque vento ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormentaq; flammam conciperent, & prius hæc omnia consumerentur, quam quemadmodum accidisset, animadverti posset. Cæsariani repentina fortuna permoti, arma quæ possunt arripiunt: alii ex castris sese incitant: fit in hostes impetus, sed muro, sagittis tormentisque fugientes persequi probibentur. Illi sub murum se recipiunt, ibique musculum turrimque lateritiam libere incendunt. Ita multorum mensium labor, hostium perfidia & vi tempestatis, puncto temporis interiit. Tentaverunt hoc idem Massilienses, postero die eandem nacti tempestatem, majorique cum fiducia ad alteram turrem aggeremque eruptione pugnaverunt, multumque ignem intulerunt. Sed ut superioris temporis contentionem Cæsariani omnem remiserant, ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem paraverant. Itaque multis interfectis, reliquos infecta re in oppidum repulerunt.* Ergo hæc Massiliensium in desperatis rebus admirabilis virtus fuit. Sed tamen frustra, cum legionarii superessent, a quibus novæ machinæ novaque tormenta possent instaurari: deletæ & corruptæ machinationes ac machinatores supererant. Itaque militia illa tignaria ac cæmentaria multo acrior quam antea revocatur. *Trebonius ea quæ sunt amissa, multo majore militum studio administrare & reficere instituit. Nam ubi tantos suos labores & apparatus male cecidisse viderunt, induciisque per scelus violatis suam virtutem irrisui fore perdoluerunt, quod unde agger omnino comportari posset, nihil erat reliquum: omnib. arboribus longe lateq; in finibus Massiliensium excisis & convectis, aggerem novi generis atq; inauditum ex lateritiis duobus muris senum pedum crassitudine, atq; eorum murorum contignationem facere instituerunt æqua fere altitudine, atq; ille congestus ex materia fuerat agger. Ubi aut spatium inter muros aut imbecillitas materiæ postulare videretur, pilæ interponuntur, transversaria tigna injiciuntur, quæ firmamento esse possint: & quicquid est contignatum, cratibus consternitur cratesq; luto integuntur, sub tecto miles dextra ab sinistra muro tectus, adversus plutei objectum, operi quæcunq; usui, sine periculo supportat. Celeriter res administratur: diuturni laboris detrimentum, solertia & virtute militum brevi reconcinnatur. Portæ, quibus locis videtur, eruptionis caussa in muro relinquuntur. Atq; hinc Massiliensium nata est desperatio. Nam ubi viderunt ea, quæ diu longoque spacio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera & labore ita refecta, ut nullus perfidiæ neque eruptioni locus esset, neque quicquam omnino relinqueretur, qua aut vis militibus, aut ignis operibus nocere posset: eodemque exemplo sentiunt totam urbem, qua sit aditus a terra, muro turribusque circumiri posse, sic ut ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset, cum pæne ædificata in muris ab exercitu Cæsariano mœnia viderentur, ac tela manu conjicerentur; suorumque tormentorum usum, quibus ipsi magna speravissent, spacio propinquitatis interire, parique conditione e muro ac turribus bellandi data, virtute se Cæsarianis adæquare non posse intelligunt, ad easdem deditionis conditiones recurrunt.* Cæsar interim ex Hispania revertitur, Massiliamque venit. *Massilienses itaque omnibus defessi malis, rei frumentariæ ad summam inopiam adducti, bis prælio navali superati crebris eruptionibus fusi, gravi etiam pestilentia conflictati ex diutina conclusione & mutatione victus, (panico enim vetere atque hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad hujusmodi casus, antiquitus paratum in publicum contulerant) dejecta turri, labefacta magna parte muri, auxiliis provinciarum & exercituum desperatis, quos in Cæsaris potestatem venisse cognoverant, sese dedere*

A *ſine fraude conſtituunt: ſed paucis ante diebus L. Domitius cognita Maſſilienſium voluntate, navibus tribus comparatis, ex quibus duas familiaribus ſuis attribuerat, unam ipſe conſcenderat, nactus turbidam tempeſtatem, eſt profectus. Hunc conſpicatæ naves, quæ juſſu Bruti conſuetudine quotidiana ad portum excubabant, ſublatis anchoris, ſequi cœperunt. Ex iis unum ipſis navigium contendit & fugere perſeveravit, auxilioque tempeſtatis ex conſpectu abiit: duo perterrita, concurſu Cæſarianarum navium, ſeſe in portum receperunt. Maſſilienſes arma tormentaque ex oppido, ut eſt imperatum, proferunt: naves ex portu navalibuſque educunt, pecuniam ex publico tradunt.* B *Quibus rebus confectis, Cæſar magis eos pro nomine & vetuſtate, quam pro meritis in ſe civitatis conſervans, duas ibi legiones præſidio relinquit.* Quamobrem Maſſiliæ oppugnatio tam laborioſa fuit ut Cæſar etiam triumpho dignam judicaret: in quo tamen reprehenditur a Marco Cicerone non ex rei militaris diſciplina, ſed triumphi cauſſa. *Vexatis*, ait, *ac perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii, portari in triumpho Maſſiliam vidimus & ex ea urbe triumphari, ſine qua neque noſtri Imperatores de Tranſalpinis bellis triumpharant.* Sed tamen Cæſar *pro nomine & vetuſtate Maſſiliam conſervavit:* C nomine & vetuſtate non tantum armorum, quibus plurimum poterat, ſed humanitatis & literarum, unde etiam Romani eruditionem vitæ ac morum petere ſolebant.

ALEXANDRIÆ OPPUGNATIO.

CÆſar confiſus fama rerum geſtarum, cum tribus fere millibus legionariorum, in Ægyptum, quo Pompejum fugiſſe audierat, contendit. Pompejus ab Ægyptiis prius interfectus eſt, quam Cæſar Alexandriam perveniſſet. Alexandria urbs eſt Ægypti, medio Nilo diviſa: unde pars dimidia Africæ, pars reliqua Aſiæ eſſe dicitur. Alluitur D autem mari a ſeptentrione, & lacu, quem multis foſſis Nilus efficit, a meridie. Portus maris geminus eſt duobus e continenti promontoriis objecta Pharo inſula concluſis. Portus orientalis Acrolochias dicitur, eſtque ore commodiore: ſed navigantibus propter interjectas petras periculoſior. Itaque in inſula Pharo turris eſt magna altitudine, mirificis operibus extructa, Pharus item nomine, qua nautæ moniti tutius in portum introeunt. Eſt in ea inſula & vicus oppidi magnitudine. Alter portus appellatur Eunoſtus, ambo intus coeunt. Inſula vero ipſa a ſuperioribus regionibus in longitudinem paſſuum nongentorum in mare jactis moli- E bus anguſto itinere & ponte cum oppido conjungitur. Lacus etiam portum habet & quidem marino portu longe ditiorem. Atque urbis longitudo, triginta fere ſtadiorum eſt, latitudo octo, viis diſtincta quibus currus agi poſſit, ſed duabus omnium latiſſimis, bifariam ſeſe ad rectos angulos ſecantibus. Pegiæ a variis regibus extructæ, fere quartam oppidi partem obtinebant & theatrum his conjunctum, quod arcis tenebat locum. Huc Cæſar habitandi cauſſa, initio eſt inductus, faſceſque, quia Conſul erat, ſibi præferri jubet, unde tanquam regia majeſtas imminueretur, tumultu exorto, F complures ejus milites ſunt interfecti. Cæſar igitur alias legiones accerſit ex Aſia: habet apud ſe & reges Ptolemæum & Cleopatram in ſua poteſtate, & depoſitis armis jubet apud ſe de regno jure diſceptari. Hinc per Photinum regis procuratorem Achillas clanculum viginti millibus latronum & perditorum cujuſque generis hominum armatur contra Cæſarem & protinus his copiis fidens, paucitatem Cæſaris deſpiciens, Alexandriam ingreſſus, primo impetu domum Cæſaris irrumpere conatus eſt. Hic Cæſar viribus & loco inferior eſt: ſed celeritate virtutis diligentiaque ſubito perfecit, ne loco inferior eſſet: portum occupat, naves incendit, atque *hoſtibus in pugna occupatis militibuſque expoſitis, Pharum turrem apprehendit atque ibi præſidium poſuit: quibus eſt rebus effectum, uti tuto frumentum auxiliaque navibus ad eum ſupportari poſſent. Reliquis oppidi partibus ſic eſt pugnatum, ut æquo prælio diſcederetur & neutri pellerentur. Id efficiebant anguſtiæ loci, paucisque utrinque interfectis, Cæſar loca maxime neceſſaria complexus, noctu præmunit. Has munitiones inſequentibus auxit diebus, ut pro muro objectas haberet, neu dimicare invitus cogeretur.* Adhuc Cæſar non totam Alexandriam, ſed partem longe quidem minorem, ſed tutiorem & portum & Pharum & turrem, at non vicum obtinet: urbs reliqua ex tribus quartis, eſt in hoſtium poteſtate. *Interim Arſinoe filia minor Ptolemæi regis, ad Achillam ex regia ſe trajecit: Et Photinus procurator regni, cognitis ejus inſidiis, juſſu Cæſaris necatur.* Hinc oppugnationis & propugnationis apparatus exprimuntur. *Bello Alexandrino conflato, Cæſar Rhodo atque ex Syria Ciliciaque omnem claſſ'm accerſit. Ex Creta ſagittarios, equites a rege Nabatheorum Malco evocat, tormenta undique conquiri & frumentum mitti auxiliaque adduci jubet, interimque munitiones quotidie operibus augentur, atque omnes oppidi partes, quæ minus firmæ eſſe viderentur, teſtudinibus ac muſculis aptantur. Ex ædificiis autem per foramina, in proxima ædificia arietes immittuntur, quantumque aut ruinis dejicitur, aut per vim recipitur loci, in tantum munitiones proferuntur. Nam ab incendio fere tuta eſt Alexandria, quod ſine contignatione ac materia ſunt ædificia, & ſtructuris atque fornicibus continentur, tectaque ſunt rudere aut pavimentis. Cæſar maxime ſtudebat, ut quam anguſtiſſimam partem oppidi palus a meridie interjecta efficiebat, hanc operibus vineiſque agendis a reliqua parte urbis excluderet, illud ſpectans primum, ut cum in duas partes eſſet urbs diviſa, acies uno conſilio atque imperio adminiſtraretur: deinde, ut laborantibus ſuccurri atque ex altera oppidi parte auxilium ferri poſſet. Imprimis vero ut aqua pabuloque abundaret, quarum alterius rei copiam exiguam, alterius nullam omnino facultatem habebat: quod utrumque palus large præbere poterat. Neque vero Alexandrinis in gerendis negociis, cunctatio ulla aut mora inferebatur. Nam in omnes partes, per quas fines Ægypti regnumque pertinet, legatos conquiſitoreſque delectus habendi cauſſa miſerant, magnumque numerum in oppidum telorum ac tormentorum convexerant & innumerabilem multitudinem adduxerant, nec minus in urbe maximæ armorum erant inſtitutæ officinæ. Servos præterea puberes armaverant, quibus domini locupletiores victum quotidianum ſtipendiumque præbebant. Hac multitudine diſpoſita, munitiones ſemotarum partium tuebantur. Veteranas cohortes vacuas in celeberrimis urbis locis habebant, ut quacunque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opponi poſſent. Omnibus viis atque angiportis triplicem vallum obduxerant. Erat autem quadrato extructus ſaxo, nec minus XL. pedes altitudinis habebat: quæque partes urbis inferiores erant, has altiſſimis turribus denorum tabulatorum munierant. Præterea alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant ſubjectiſque eas rotis, funibus jumentiſque objectis, directis plateis in quancunque erat viſum partem movebant. Urbs fertiliſſima & copioſiſſima, omnium rerum apparatus ſuggerebat. Ipſi homines ingenioſiſſimi atque acutiſſimi, quæ a Cæſarianis fieri viderant, ea ſolertia efficiebant, ut Cæſariani illorum opera imitari viderentur: & ſua ſponte multa reperiebant, unoque tempore & Cæſarianas munitiones infeſtabant, & ſuas defende-*

bant. Atque hoc Principes in conciliis concionibusque agitabant, populum Romanum paulatim in consuetudinem ejus regni occupandi venire. Paucis annis ante, Gabinium cum exercitu fuisse in Ægypto, Pompejum se ex fuga eodem recepisse. Cæsarem venisse cum copiis: neque morte Pompeii quicquam profectum, quo minus Cæsar apud se commoraretur: quem si non expulissent, futuram ex regno provinciam, idque agendum mature. Namque eum interclusum tempestatibus propter anni tempus recipere transmarina auxilia non posse. Interim dissensione orta inter Achillam, qui veterano exercitui præerat, & Arsinoem regis Ptolemæi minorem filiam, ut supra demonstratum est, cum uterque utrique insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet, præoccupat Arsinoe per Ganymedem Eunuchum nutritium suum, atque Achillam interficit. Hoc occiso, ipsa sine ullo socio & custode omne imperium obtinebat: exercitus Ganymedi traditur. Hic novus dux contra Cæsarem comparatur, magnamque Cæsarianis aquæ dulcis inopia desperationem machinatur, quæ res Uxellodunenses in Gallia perdidit Sed Cæsaris ingenium his malis remedium reperit. Ganymedes igitur suscepto belli principatu largitionem in milites auget, reliqua pari diligentia administrat. Alexandria est fere tota suffossa, specusque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur, quæ paulatim spacio temporis liquescit ac subsidit: hac uti domini ædificiorum, atque eorum familiæ consueverunt. Nam quæ flumine Nilo fertur, adeo est limosa ac turbida, ut multos variosque morbos efficiat: sed ea plebes ac multitudo contenta est necessario, quod fons urbe tota nullus est: hoc tamen flumen in ea parte urbis erat, quæ ab Alexandrinis tenebatur. Atque ideo Cæsar (ut dixi) vix quartam urbis partem obtinebat. Quo facto, est admonitus Ganymedes posse Cæsarianos aqua intercludi: qui distributi munitionum tuendarum caussa vicatim, ex privatis ædificiis, specubus & puteis extracta aqua utebantur. Hoc probato consilio magnum ac difficile opus aggreditur: interceptis enim specubus atque omnibus urbis partibus exclusis, quæ ab ipso tenebantur, aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere contendit: hanc locis superioribus fundere in partem Cæsaris non intermittebat. Quam ob caussam, salsior paulo præter consuetudinem aqua trahebatur ex proximis ædificiis, magnamque hominibus admirationem præbebat, quam ob rem id accidisset; nec satis sibi ipsi credebant, cum se inferiores ejusdem generis ac saporis aqua dicerent uti, atque ante consuessent; vulgoque inter se conferebant, & degustando, quantum inter se differrent aquæ, cognoscebant. Parvo vero temporis spatio hæc propior bibi omnino non poterat: illa inferior, corruptior jam salsiorque reperiebatur. Quo facto, dubitatione sublata tantus incessit timor, ut ad extremum casum periculi omnes deducti viderentur, atque alii morari Cæsarem dicerent, quin naves conscendere juberet: alii multo gravius extimescerent casum, quod neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga, cum hi tam parvo spatio distarent ab ipsis: neque illis imminentibus atque insequentibus, ullus in naves receptus daretur. Erat autem magna multitudo oppidanorum in parte Cæsaris, quam domiciliis ipsorum non moverat, quod ea se fidelem palam Cæsarianis esse simulabat & descivisse a suis videbatur, ut Cæsari defendendi essent Alexandrini, quod neque fallaces essent, neque temerarii, multaque oratio frustra absumeretur. Cum vero uno tempore & natio eorum & natura cognoscatur, aptissimum esse hoc genus ad proditionem dubitare nemo potest. Cæsar suorum timorem consolatione & ratione minuebat. Nec jam ut Imperator de prælio, sed ut Philosophus de vi ac potestate naturæ concionatur: Nam puteis, fossis, aquam dulcem reperiri posse affirmabat: omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis venas habere. Quod si alia esset littoris Ægyptii natura atque omnium reliquorum, tamen quoniam mare libere tenerent, neque hostes classem haberent, prohiberi sese non posse, quo minus quotidie navibus aquam peterent, vel a sinistra parte a Parætonio, vel a dextra ab insula: quæ diversæ navigationes nunquam uno tempore adversis ventis præcluderentur. Fugæ vero nullum esse consilium, non solum iis qui primam dignitatem haberent, sed ne iis quidem qui nihil præterquam de vita cogitarent. Magno negocio impetus hostium adversos ex munitionibus sustineri, quibus relictis nec loco nec numero pares esse posse. Magnam autem moram & difficultatem, ascensum in naves habere, præsertim ex scaphis. Summam esse contra in Alexandrinis velocitatem, locorum & ædificiorum notitia: hos præcipue in victoria insolentes præcursuros & loca excelsiora atq; ædificia occupaturos. Ita fuga navibusq; Cæsarianos prohibituros. Proinde ejus consilii obliviscerentur atque omni ratione esse vincendum cogitarent. Hac oratione apud suos habita, atque omnium mentibus excitatis, dat Centurionibus negocium, ut reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant, neve quam partem nocturni temporis intermittant. Quo suscepto negocio atque omnium animis ad laborem incitatis, magna una nocte vis aquæ dulcis inventa est. Ita operosis Alexandrinorum machinationibus maximisque conatibus, non longi temporis labore occursum est. Sequitur deinceps navale prælium Cæsari secundum. Eo biduo legio tricesima septima ex dedititiis Pompejanis militibus cum frumento, armis, telis, tormentis imposita in naves a Domitio Calvino ad litora Africæ paulo supra Alexandriam delata est. Hæ naves Euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur: sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. Hi cum diu retinerentur atq; aquæ inopia premerentur, navigio actuario Cæsarem faciunt certiorem. Cæsar ut per se consilium caperet, quid faciendum videretur, navim conscendit seque omnem classem sequi jussit, nullis Cæsarianis militibus impositis, quod cum longius paulo discederet, munitiones nudare nolebat. Cumq; ad eum locum accessisset, qui appellatur Chersonesus, aquandique caussa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex eo numero, cum longius a navibus prædatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti. Ex his cognoverunt Cæsarem ipsum in classe venisse, nec ullos milites in navibus habere. Qua re comperta magnam sibi facultatem fortunam obtulisse bene gerendæ rei crediderunt. Itaque naves omnes quas paratas habuerant ad navigandum, propugnatoribus instruxerunt, Cæsarique redeunti cum classe occurrerunt: qui duabus de caussis eo die dimicare nolebat, quod & nullos milites in navibus habebat, & post horam decimam diei res agebatur. Nox autem allatura videbatur majorem fiduciam illis: qui locorum notitia confidebant; sibi etiam hortandi suos auxilium defuturum, quod nulla satis idonea esset hortatio, quæ neque virtutem posset notare, neque inertiam. Quibus de caussis, naves quas potuit, Cæsar ad terram detraxit, quem in locum illos successuros non existimabat. Erat una navis Rhodia in dextro Cæsaris cornu, longe a reliquis collocata. Hanc conspicati hostes, non tenuerunt sese, magnoque impetu quatuor ad eam constratæ naves & complures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium, ne turpem in conspectu hostium contumeliam acciperet. Quamquam si quid gravius illi accidisset, merito casurum judicabat. Prælium commissum est magna contentione Rhodiorum: qui cum in omnibus dimicationibus & scientia & virtute præstitissent, tum maxime illo tempore totum onus sustinere non recusabant, ne quod suorum culpa detrimentum acceptum videretur. Ita prælium secundissimum est factum. Capta est una hostium quadriremis, depressa est altera, deinde omnes epibatis nudatæ, ma-

gna

præterea multitudo in reliquis navibus propugnatorum est interfecta. Quod nisi nox prælium diremisset, tota classe hostium Cæsar potitus esset. Hac calamitate perterritis hostibus adverso vento leniter flante, naves onerarias Cæsar remulco victricibus suis navibus Alexandriam deducit. Hæc navalis Cæsaris victoria fuit, non numero, non loco, sed ordinis scientia & præclara quadam virtutis cohortatione & alacritate. Navale prælium deinde aliud excipitur: *Eo detrimento adeo sunt fracti Alexandrini, cum jam non virtute propugnatorum, sed scientia classiariorum se victos viderent, quibus & superioribus locis sublevabantur, ut vix ædificiis defendi possent, & materiam cunctam objicerent, quod Cæsarianæ classis oppugnationem etiam ad terram verebantur. Idem posteaquam Ganymedes in concilio confirmavit, sese & eas quæ essent amissæ restituturum, & numerum adaucturum, magna spe & fiducia veteres reficere naves accuratiusque huic rei studere atque inservire instituerunt. Ac tametsi amplius centum decem navibus longis in portu navalibusque amiserant, non tamen reparandæ classis cogitationem deposuerunt. Videbant enim non auxilia Cæsari, non commeatus supportari posse, si classe ipsi valerent. Præterea nautici homines & urbis & regioni maritimæ quotidiano usu a pueris exercitati, ad naturalem ac domesticum usum refugere cupiebant. E quantum parvulis navigiis profecissent, sentiebant. Itaque omni studio ad parandam classem incubuerunt: erant in omnibus ostiis Nili custodiæ exigendi portorii causa dispositæ: naves veteres erant in occultis regiæ navalibus, quibus multis annis ad navigandum non erant usi. Has reficiebant, illas Alexandriam revocabant, deerant remi, porticus, gymnasia, ædificia publica detegebant, asseres remorum usum obtinebant. Aliud naturalis solertia, aliud urbis copia subministrabat. Postremo non longam navigationem parabant, sed præsentis temporis necessitati serviebant & in ipso portu confligendum videbant. Itaque paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes viginti duas, quinqueremes quinque confecerunt, ad has minores apertasque complures adjecerunt, & in portu periclitati remigio quid quæque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, seque ad confligendum omnibus rebus paraverunt.* Talis Ægyptiorum est apparatus: deinceps Cæsarianæ classis apparatus erit & instructio duplicis aciei, tum subsidii nullo unquam bello a Cæsare prætermissi: *Cæsar Rhodias naves novem habebat (nam decem missis, una in cursu, littore Ægyptio defecerat) Ponticas octo: Lycias quinque: ex Asia XII ex his erant quinqueremes & quadriremes X. reliquæ infra hanc magnitudinem, & pleræque apertæ: tamen virtute militum confisus, cognitis hostium copiis, se ad dimicandum parabat. Postquam eo ventum est, ut sibi uterque eorum confideret, Cæsar Pharum classe circumvehitur adversasque naves hostibus constituit. In dextro cornu, Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. Inter has spatium quadringentorum passuum relinquit, quod satis esse ad explicandas naves videbatur. Post hunc ordinem reliquas naves subsidio distribuit: quæ quamque earum sequatur & cui subveniat, constituit atque imperat. Non dubitanter Alexandrini classem producunt atque instruunt. In fronte collocant XXII. reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt. Magnum præterea numerum minorum navigiorum & scapharum producunt cum malleolis ignibusque, si quid ipsa multitudo & clamor & flamma Cæsarianis terroris offerre possent. Erant inter duas classes vada transitu angusto, quæ pertinent ad regionem Africæ. Satisque diu inter ipsos est expectatum, ab utris transeundi fieret initium, propterea quod eo qui intrassent, & ad explicandam classem, & ad receptum, si durior accidisset casus,*

A *impeditiores fore videbantur.* Pharsilico prælio Crastinum Cæsar habuit, nunc Euphranorem. Sed Cæsaris milites & a duce ipso & ipsi inter se longe maxima cohortatione erant incitati, ut tunc uni cohortationi atque alacritati non numero, non loco, non ordini, præcipuam victoriæ caussam Cæsar attribuerit: *Rhodiis igitur navibus præerat Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum Cæsarianis hominibus, quam Græcis comparandus. Hic ob notissimam scientiam atque animi magnitudinem, delectus est a Rhodiis, qui imperium classis obtineret. Qui ubi Cæsaris animum advertit, Videris mibi (inquit) Cæsar vereri, si hæc vada primis na-*
B *vibus intraveris, ne prius dimicare cogaris, quam reliquam classem possis explicare: nobis rem committe, nos prælium sustinebimus, neque tuum judicium fallemus, dum reliqui subsequantur: hos quidem diutius in nostro conspectu gloriari, magno nobis & dolori & dedecori est. Cæsar illum adhortatus atque omnibus laudibus prosecutus dat signum pugnæ, progressas ultra vadum quatuor Rhodias naves circumsistunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt. Sustinent illi atque arte solertiaque se explicant. Ac tantum doctrina potuit, ut in dispari numero, nulla transversa hosti objiceretur, nullius remi detergere-*
C *tur, sed semper venientibus adversæ occurrerent. Interim sunt reliquæ subsecutæ. Tum necessario discessum ab arte est propter angustias loci: atque omne certamen in virtute constitit. Neque vero Alexandriæ fuit quisquam aut Cæsarianorum aut oppidanorum, qui aut in opere aut in oppugnatione occupatum animum haberet, quin altissima tecta peteret, atque ex omni prospectu, locum spectaculo caperet, precibusque & votis, victoriam suis, a diis immortalibus exposceret. Minime autem par erat prælii certamen. Cæsarianis enim prorsus, neque terra neque mari effugium dabatur victis, omniaque victoribus erant futura in incerto: illi, si superassent, navibus om-*
D *nia tenerent, si inferiores fuissent, reliquam tamen fortunam periclitarentur. Simul illud grave ac miserum videbatur, perpaucos de summa rerum & de salute omnium decertare: quorum si quis aut animo aut virtute cessisset, reliquis etiam esset cadendum, quibus pro se pugnadi facultas non fuisset. Hæc superioribus diebus sæpenumero Cæsar suis exposuerat, ut hoc majore animo contenderent, quod omnium salutem sibi commendatam viderent. Eadem suum quisque contubernalem, amicum, notumque prosequens, erat obtestatus, ne suam atque omnium falleret opinionem, quorum judicio delectus ad pugnam proficisceretur. Itaque hoc animo est decertatum,*
E *ut neque maritimis nauticisque solertia atque ars præsidium ferret, neque numero navium præstantibus multitudo prodesset, neque flexi ad virtutem ex tanta multitudine viri, virtuti Cæsarianorum possent adæquari. Capitur hoc prælio quinqueremis una cum defensoribus remigibusque, & depriumuntur tres, Cæsarianis incolumibus omnibus. Reliquæ propinquam fugam ad oppidum capiunt, quas protexerunt ex molibus atque ædificiis imminentibus, & Cæsarianos adire propius probibuerunt.* Cæsar navalem victoriam sic adeptus est, sed victoriæ fructum majorem meditatur, ut territis hostibus bellum reli-
F quum conficiat. Phari insulæ partem prius occuparat, reliquam cum ponte quo jungebatur urbi, occupat: sed eo conatu quo ad Gergoviam castra Gallorum, ad Dyrrhachium munitiones Pompejanorum occupaverat. Omnia siquidem prospere initio ad pontem usque successerant: hic fortuna commutari cœpit. Atque e Cæsarianis fere mille desiderati, Cæsarque ipse fugiendo & ad naves adnatando salutem petere contendit. Sed Hircium audiamus. *Cæsar igitur ne sibi prius navali prælio decertandum esset, omni ratione contendendum*

existimavit, ut insulam molemque ad insulam pertinentem, in suam redigeret potestatem. Perfectis enim magna ex parte munitionibus, & oppidum & illam, & urbem uno tempore tentari posse confidebat. Quo capto consilio, cohortes decem & levis armaturæ electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur, in navigia minora scaphasque imponit, alteramque insulæ partem distinendæ manus causa, cum constratis navibus aggreditur, præmiis magnis propositis qui primus insulam cœpisset. Hæc cohortatio Cæsaris erat. *Ac primo impetum Cæsarianorum pariter sustinuerunt: uno enim tempore & ex tectis ædificiorum propugnabant & littora armati defendebant: quo propter asperitatem loci, non facilis Cæsarianis aditus dabatur, & scaphis navibusque longis V. mobiliter & scienter angustias loci tuebantur. Sed ubi primum locis cognitis vadisque prætentatis, pauci Cæsariani in littore constiterunt, illosque sunt alii subsecuti, constanterque in eos qui in littore æquo constiterant, impetum fecerunt, omnes Pharitæ terga verterunt. Hi pulsi, custodia portus relicta, naves ad littora & vicum applicarunt, seque ex navibus ad tuenda ædificia ejecerunt. Neque diutius ipsi ex munitione se continere potuerunt: etsi erat non dissimile, atque Alexandriæ, genus ædificiorum, ut minora majoribus conferantur, turresque editæ & conjunctæ muri locum obtinebant: neque Cæsariani aut scalis aut cratibus aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum: sed terror hominibus mentem consiliumque eripit & membra debilitat: ut tum accidit. Nam qui se in æquo loco ac plano pares esse confidebant, iidem perterriti fuga suorum & cæde paucorum, triginta pedum altitudine in ædificiis consistere ausi non sunt, seque per molem in mare præcipitaverunt & octingentorum passuum intervallo ad oppidum enataverunt. Multi autem ex his capti interfectique sunt. Sed numerus captivorum omnino fuit sexcenti. Cæsar præda militibus concessa, ædificia diripi jussit, castellumque ad pontem, qui propior erat Pharo communivit, atque ibi præsidium posuit. Hunc fuga Pharitæ reliquerant: cateriorem illum propioremque oppido, Alexandrini tuebantur. Sed eum postero die simili ratione aggreditur, quod his obtentis duobus, omnem navigiorum excursum, & repentina latrocinia sublaturus videbatur. Jamque eos qui præsidio eum locum tenebant, tormentis e navibus sagittisque depulerat, atque in oppidum redegerat & cohortium trium instar, in terram exposuerat. Non enim plures consistere angustiæ loci patiebantur: reliquæ copiæ in navibus stationem obtinebant. Quo facto imperat, pontem adversus hostem prævallari, & qua exitus navibus erat, fornicem extructum, quo pons sustinebatur, lapidibus oppleri atque obstrui. Quorum altero opere effecto, ut nulla omnino scapha egredi posset, altero instituto omnes Alexandrinorum copiæ ex oppido se ejecere & contra munitiones pontis latiore loco constiterunt: eodemque tempore quæ consueverant navigia per pontes ad incendia onerariarum emittere, ad molem constiterunt. Pugnabatur a Cæsarianis ex ponte, ex mole: ab illis, ex area quæ erat adversus pontem, & ex navibus contra molem. In his rebus occupato Cæsare militesque hortante, remigum magnus numerus & classiariorum ex longis navibus Cæsarianis in molem se ejecit. Pars eorum, studio spectandi ferebatur, pars etiam cupiditate pugnandi. Hi primum navigia hostium lapidibus ac fundis a mole repellebant, ac multum proficere multitudine telorum videbantur: sed postquam ultra eum locum a latere eorum aperto ausi sunt egredi ex navibus Alexandrini pauci, ut sine signis certisque ordinibus sineque ratione prodierant, sic temere in naves refugere cœperunt. Quorum fuga incitati Alexandrini, plures ex navibus egrediebantur, Cæsarianosque acrius perturbatos insequebantur. Simul qui in navibus longis remanserant, scalas rapere, navesque a terra repellere properabant, ne hostes navibus potirentur. Quibus omnibus rebus perturbati milites Cæsariani, cohortium trium quæ in ponte ac prima mole constiterant, cum post se clamorem exaudirent, fugam suorum viderent, magnam vim telorum adversi sustinerent, veriti, ne a tergo circumvenirentur, & discessu navium, omnino reditu intercluderentur, munitionem in pontem institutam reliquerunt & magno cursu incitati, ad naves contenderunt. Quorum pars, proximas nacta naves, multitudine hominum atque onere depressa est, pars resistens, & dubitans, quid esset capiendum consilii, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli feliciore exitu expeditas ad anchoras naves consecuti, incolumes discesserunt. Pauci allevati scutis & animo ad conandum nixi, ad proxima navigia adnatarunt. Cæsar quoad potuit cohortando suos, ad pontem & munitiones contendere, eodem in periculo versatus est: postquam universos cedere animadvertit, in suum navigium se recepit: quo multitudo hominum insecuta cum irrumperet, neque administrandi, neque repellendi a terra facultas daretur, fore quod accidit suspicatus, sese ex navigio ejecit, ad eas quæ longius constiterant naves, adnatavit. Hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conservavit: navigium quidem ejus multitudine militum depressum, una cum hominibus interiit. Hoc prælio desiderati sunt ex numero legionariorum militum circiter CCCC. & paulo ultra eum numerum classiarii & remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus multisque tormentis confirmarunt, atque egestis ex mari lapidibus, liberè sunt usi postea ad emittenda navigia.* At legionibus detrimentum ut ad Gergoviam, ut ad Dyrrachium, in bonum convertit:

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

ut legionarii magis deterrendi & continendi a periculosissimis dimicationibus essent, quam incitandi ad pugnandum. Alexandrini cum Romanos adversis rebus incitari viderent, ad insidias & dolos convertuntur. Cæsarem per legatos orant, ut puerum Regem dimitteret, eoque auctore in fidem Cæsaris venirent. Cæsar etsi fallaciam gentis sentiret, tamen Regem dimisit, ut per eum Ægyptum contineret, aut si falleret, cum Rege speciosius bellum, quam cum latronibus gereret, sicut accidit. Rege enim recepto, Ægyptii bellum acrius reparant, commeatus Cæsaris intercludere statuunt, navalique prælio Nicanorem illum Rhodium circumveniunt: sed confestim a Mithridate Pergameno, qui magnas auxiliorum copias Cæsari adducebat, Pelusium expugnatum est, & a Cæsare Mithridatis copiis aucto, Rex ipse castris ejectus, in Nilo fugiens demersus est. *Re felicissime celerrimeque gesta, Cæsar magnæ victoriæ fiducia proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit, atque ea parte oppidi victor introiit, quæ præsidio hostium tenebatur. Neque eum consilium suum fefellit, quin hostes eo prælio audito, nihil jam de bello essent cogitaturi. Dignum adveniens fructum virtutis & animi magnitudinis tulit. Omnis enim multitudo oppidanorum armis projectis munitionibusque suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueverunt sacrisque omnibus prolatis, quorum religione precari offensos iratosque animos regum erant soliti, advenienti Cæsari occurrerunt, seque ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones, in suam partem oppidi magna gratulatione suorum venit,*

qui non tantum bellum ipſum ac ac dimicationem, ſed etiam talem adventum ejus felicem fuiſſe lætabantur. Hic pene triumphus Cæſari Alexandrinus fuit, ſed victoriæ fructus longe major illo qui deinceps ab Hircio proponitur. *Cæſar Ægypto atq; Alexandria potitus, reges conſtituit, quos Ptolemæus pater teſtamento ſcripſerat, atq; obteſtatus erat populum Romanum, ne mutarentur. Nam majore ex duobus pueris Rege amiſſo, minori tradidit regnum majoriq; ex duabus filiis Cleopatræ, quæ manſerat in fide præſidiiſque ejus, minorem Arſinoem, cujus nomine diu regnaſſe impotenter Ganymedem docuimus, deducere ex regno* A *ſtatuit, ne qua rurſus nova diſſenſio, priuſquam diuturnitate confirmarentur regum imperia, per homines ſeditioſos naſceretur. Legione veterana ſexta ſecum reducta, cæteras ibi reliquit, quo firmius eſſet eorum regnum, qui neque amorem ſuorum habere poterant, quod fideliter permanſerant in Cæſaris amicitia, neque vetuſtatis auctoritatem, paucis diebus reges conſtituti. Simul ad imperii Romani dignitatem utilitatemque publicam pertinere exiſtimabat, ſi permanerent in fide reges, præſidiis eos Romanis eſſe tutos: & hos, ſi eſſent ingrati, poſſe iiſdem præſidiis coerceri.*

F I N I S.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

I N D E X.

B

D

E

F

Fru-

H

L

M

N

O

—ſunt

S

— roga-

Τρα-

V.

I N D E X

— *Pro-*

X

Y

Z

F I N I S.





